5. 2, 103

Digitized by Google

Digitized by Google

PANTHEON
ARGUTÆ ELOCUTIONIS,
ET
OMNIGENÆ ERUDITIONIS.
TOMI DUO.

Digitized by Google


VERANI
PANTHEON
Argutæ elocutionis
et
eruditionis

PANTHEON
ARGUTÆ ELOCUTIONIS,
ET
OMNIGENÆ ERUDITIONIS
SELECTIORI EXTRUCTUM ATTICISMO.
OMNIA POLITIORIS LITERATURÆ COM-
PLECTENS GENERA, QVIBUS ELOQVENTIA
PRÆSERTIM CONCIONATORIA ENITESCIT.
UBERRIMA REGULARUM, RERUMQVE SUPELLEX
EXHIBETUR PRO CONCIONIBUS FORMANDIS.

OPUS
DUOBUS TOMIS DIGESTUM.

TOMUS PRIMUS.

Novem comprehendens libros, in quorum primis ſeptem ſingula, quæ pertinent ad eruditionem Oratoriam, & Concionatoriam facili, ac dilucida methodo donantur explicatu. In Octavo aperiuntur Fontes, è quibus ſcaturiunt Argutiæ oratoriæ. Et in nono exhibentur Argutiæ Morales Concionatori- depromptæ ex SS.Patribus, variisq; Scripturarum interpretamentis in commodum Concionatorum,

AUTHORE
R. P. D. CAJETANO FELICE VERANI,
Clerico Regulari SS. Theologiæ Profeſſore.

Editio tertia auctior & emendatior,
Cui acceſſerunt aliquot Tractatus antehac inediti.






Cum Facultate Superiorum.

AUGUSTÆ VINDEL. & FRANCOFURTI,
Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD.
Anno M. DCC. XII.

Digitized by Google

VIRGINI
MATRI
MARIÆ
PATRONÆ
SUÆ
AMANTISSIMÆ
AUTHOR HOC OPUS SACRAT.
ET DEDICAT.

VOti compos abortivas juventutis meæ lucubrationes TIBI Sanctiſſimæ Trinitatis Sponſæ, & filiæ jamdudum litavi, eò ſplendidiùs illuſtratas; quò ſplendidiſſimum Tuum fuit illis Nomen inſcriptum. Nunc maturiùs perpenſas, uberiùs adauctas, emendatiùs expurgatas, & iteratò cuſas detecto capite, flexo genu, & totus in adorationem procumbens denuo TIBI Dei Matri nuncupo. Sicut me ipſum, non vi magnetica, licèt ferro ſemper obſtinatiorem, ſed divino illicio rapuiſti in votum; ita unicùm ſemper fuit meum conſilium, me totum, meáque omnia TIBI devovere. Ne renuas levidenſe munuſculum; maximæ meæ obſervantiæ eſt Symbolum, meique amoris teſſera. Quicquid ſplendoris eloquentiæ ineſt, illi rebar lucidiſſimi deberi ſoli, in quo poſuit Sapientiâ Tabernaculum ſuum: Tuum fuerat opus licèt adhuc rude, & impolitum; æquum erat, ut ad ſuum reverteretur fontem, cum & ipſa flumina, unde fluunt innato pondere refluant, undarúmque

reciproco flexu ad ſuam pleno alveo, curſuque rapidiſsimo ferantur originem. Fateor, exile eſt quod offero; ſed hæc tua indoles, parva reſpicere, & humilia non deſpicere; etiam unigenito Filio tuo exiguæ thuris glebulæ vaporantur; & non ad hecatomben tantùm, verùm etiam ad exiguam unius immolatæ victimæ impenſam oculos non dedignatur dirigere. Tametſi nuda ſint verba, quæ TIBI in mei obſequij argumentum exhibeo, ea tamen veſties Protectionis Tuæ velamine, cum in Virgineo Tuo utero ope ſuperni Spiritus VERBUM ipſum Æterni Patris noſtra veſtiſti humanitate. Cum ſim de Flaminum numero poſtremus, ac votivæ addictus paupertati, non niſi *Verbalem* hanc victimam Tibi potui immolare ô amantisſima Cœleſtium Spirituum Regina: & quamvis hoc idem alij illuſtriùs, ac opulentiùs præſtiterint, non tamen potui à ſuſcepto conſilio deterreri. Obſervavi enim in diebus meſsis ſuperſtites aliquas emortui veris reliquias quoque placere. In Rhetorum florulentis areolis commoratus erubuiſſem cum roſis, ſi ab hac ad omnes delicias vernante amœnitate receſsiſſem abſque ullo florum munuſculo: & quamvis ab inamœnis meis exortum ſenticetis opus iſtud ſpinis ſit rigidum, impolitum, & ſqualidum: attamen cum Tuum incæperit eſſe, vel ipſæ ſpinæ germinabunt in flores. Siquidem fœcundisſima cum ſis Virga Jeſſe à caduceatore Gabriele ſalutata, ac Divino irrorata ſpiritu ſuavisſimum nobis florem campi, ac fragrantisſimum Lilium Convallium concepiſti, peperiſti, & nobis exhibuiſti: ſcilicet vel in miraculis Naturæ ordinis ſtudioſa, cœleſtem florem concepiſti in Vere, datura Divinum Fructum in hyeme: floruiſti Martio menſe, ut Tartareus Mars, quin & Mors ipſa receptui caneret; & Tu pacis initium nobis pareres. Tibi ſemper placuerunt flores, quia Divini ſolis Aurora roſas amoris, & lilia puritatis olere conſueviſti, & lumen indeficiens prope Taurum Bethleemitico in ſpecu edidiſti, ut etiam rigente hyeme natus Sol in ſigno *Tauri* floridisſimum

ſimum Ver Divinæ gratiæ nobis aperiret. Divinus Sol è *Virgine* egreſſus non *in ſagittario*, ut moris eſt; ſed in ſigno Tauri ſplenduit; ne vindex impoſterum crederetur Deus exercituum, cum ſagittas reſpuerit vulneribus infligendis paratas; & ad amoris oſcula figenda beneficam voluerit humanitatem induere, cui adeò arctè adhæſit, ut ſemel aſſumptam nunquam dimiſerit.

Ne igitur rerum parentis omnium Beatisſima parens laborum meorum rudes primitias respuas: nam ut cum Richardo à S. Victore loquar. *Malui cum mihi deeſſent coccus & Hyacinthus, & byſſus, & purpura, de pilis caprarum offerre: quàm in conſpectu Beatiſſimæ Virginis vacuus apparere.* Jamdudum accenſo meo in Te ſtudio pollicitus fui mearum primitias lucubrationum Tuo inſignire nomine, ut perinde ac à ſole ſuos haurirent nitores, ut ſi non de proprio, ſaltem de Tuo ſplenderent jubare: & quia Tua à me implorata ope faviſti ſtudijs, vires ſuppeditaſti, & operi coronidem impoſuiſti, par erat, ut voti compos Tuo vicisſim nomine hoc opus coronarem, quod ad Te accedit leve, ut pondus accipiat; humile ut erigatur; obſcurum, ut eidem lumen impertias: ſi encomiorum lenocinium Tibi non pangit, balbutienti parce linguæ: loqui de Te citra piaculum vix poſſem, cum non vacet temeritatis ſuſpicione ipſa laudatio. Dei Genitrici impares ſunt, vel ipſæ Maronianæ tubæ; impares conſulares Panegyriſtæ; impares Orphei plauſus ſummos decantantes Heroes: quapropter ad Tuos pedes flexo poplite demiſſè procumbens ſiſto in hoc voto

Infimus Tuus Famulus

CAJETANUS FELIX VERANI
Clericus Regularis.

APPROBATIONES

D. PETRUS PAULUS NOBILIONUS Præpoſitus Generalis Clericorum Regularium.

OPus inſcriptum *Pantheon argutæ Elocutionis, & Eruditionis &c.* à P. D. Cajetano Felice Verani noſtri Ordinis Sacerdote Rhetoricæ, & Philoſophiæ in Meſſanenſi Seminario Profeſſore compoſitum, & juxta aſſertionem Patrum, quibus id commiſimus lectum, & approbatum fuerit, ut typis mandetur, quò ad nos ſpectat facultatem concedimus. Datum Romæ in Domo noſtra Quirinali S. Silveſtri die 26. Aprilis 1670.

D. CAJETANUS CIZALETTUS
Secret. Cleric. Regul.

Approbationes Theologorum.

JUſſu Admodum R. P. D. Petri Pauli Nobilioni noſtri Ordinis Præpoſiti Generalis attentè perlegimus librum, cui Titulus eſt *Pantheon Argutæ Elocutionis, & Eruditionis* à P. D. Cajetano Felice Verani C. R. Rhetoricæ, & Philoſophiæ Profeſſore compoſitum: cumque in eo nihil invenerimus, ortodoxæ fidei, vel bonis moribus diſſonum: imò cum ſit Opus ingenioſè concinnatum concionatoribus, Academicis, & Amœniorum literarum amantibus perutile, optamus ut typis mandetur. Meſſanæ in hac noſtra Domo SS. Annuntiatæ die 19. Februarij 1670.

D. SALVATOR MARCHESIUS C. R.
in ſeminario Meſſanenſi ſacræ Theologiæ Lector Primarius; & in regno Siciliæ S. Inquiſitionis Qualificator.

D. DOMINICUS CASTELLI C. R.
S. Theologiæ Profeſſor, & Examinator Synodalis.

APPROBATIONES.

D. LUDOVICUS FINALIS, PRÆPOSITUS GENERALIS CLERICORUM REGULARIUM.

HOc Opus inſcriptum *Pantheon Argutæ Elocutionis, & Eruditionis* compoſitum, & aliàs typis evulgatum *à R. P. D. Cajetano Felice Verano* noſtræ Congregationis Sacræ Theologiæ & Juris Canonici Profeſſore, & nunc aliquibus Tractatibus, ac pluribus Eruditionibus adauctum, duosq; partitum in Tomos, & juxta aſſertionem Patrum, quibus id commiſimus approbatum, ut typis iteratò mandetur, quo ad nos ſpectat facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes literas manu propria ſubſcripſimus, & ſolito Religionis noſtræ Sigillo firmavimus Romæ in noſtra Domo Quirinali S. Silveſtri die 28. Aprilis 1708.

D. Ludovicus Finalis, Præpoſitus
Generalis Clericorum Regularium.

D. Joſeph Maria Aliprandi Secretarius.

APPROBATIONES THEOLOGORUM.

OPus cui Titulus *Pantheon Argutæ Elocutionis, & Eruditionis* olim *à R. P. D. Cajetano Felice Verano* noſtræ Congregationis Sacræ Theologiæ, & Juris Canonici Profeſſore compoſitum, typisque cuſum, & nunc ab eodem pluribus adauctum Tractatibus, ac multiplici Eruditionum acceſſione ampliatum, & in duo partitum volumina, juſſu Reverendiſſimi Patris noſtri Generalis *D. Ludovici Finalis*, evolvi, ac ſedula diſcuſſione perpendi, cumque nihil mihi obviaverit, quod inoffenſo pede orthodoxus Lector non percurrat, conſentiatque Catholicæ Fidei, probisque moribus digniſſimum cenſeo, ut iteratò cudatur, ac in lucem prodeat cum ſuo Auctario, præſertim ob rariores Eruditiones in quovis politioris literaturæ genere: In quorum Fidem has literas ſubſcripſi Monachii in noſtra Domo SS. Cajetani & Adelaidis pridie Idus Februarii 1708.

D. Ferdinandus Maria Zucallius,
Præpoſitus Clericorum Regularium, Sacræ Theologiæ Profeſſor.

PAntheon Argutæ Elocutionis, & Eruditionis antehac *à R. P. D. Cajetano Felice Verano* noſtræ Congregationis Sacræ Theologiæ, ac Juris Canonici Profeſſore typis evulgatum, & nunc ab eodem novis adauctum Tractatibus, ac multiplici Eruditione, in quovis amœnioris literaturæ genere ampliatum, ac in duo digeſtum volumina juſſu Reverendiſſimi Patris *D. Ludovici Finalis* noſtræ Congregationis Præpoſiti Generalis diligenter legi, & examinavi, & quia Opus deprehendi eſſe omni exceptione majus, omnique eruditione refertum, ac ampla dicendorum ſupellectile cumulatum præſertim pro Concionibus conſtruendis, virtutum cultura promovenda, & indulgentia vitiorum amovenda dignum cenſeo, ut iterum cum ſuo augmento imprimatur. Datum Monachii in noſtra Domo SS. Cajetani, ac Adelaidis die 12. Februarii 1708.

D. Cajetanus Ferdinandus Schlecten,
Præpoſitus Clericorum Regularium, & Sacræ Theologiæ Profeſſor.

Auctor

Auctor Lectori amœniorum literarum Sudioſo.

PRodit iteratò cuſum ***Pantheon Arguta Elocutionis, & Eruditionis***, ſed elegantiùs extructum, ſplendidiùs ornatum, locupletiùs fartum, ac multiplicis eruditionis acceſſione uberiùs adauctum. Non enim credas verborum duntaxat redundantiis à me fuiſſe paginas oppletas: rariores, quas in melioris notæ Auctoribus potui eruditiones ſeligere, congeſſi, pluréſq; adjeci tractatus antehac ineditos, quibus è pellucidis ſuis fontibus Sacro-Morales haurirem argutias formandis concionibus peraptas, quarum plurimas ex SS.Patrum deprompſi penu in commodum concionatorum, ne dicendorum ampla ſupellex iiſdem deſit, præſertim ad promovendam culturam virtutum, ac indulgentiam amovendam vitiorum. Quòd ſi pleriſq; volucribus ea dicitur vis, & efficacia ineſſe oculorum, ut ſolo aſpectu, jugíque intuitu, veluti fœcundo, ac molliſſimo incubatu pullos ſuis ab ovis, quæ pepererant, dicantur auſpicatò fovere, ac feliciter excludere: idem fateror huic meo obtigiſſe operi, quod veluti ovum exiguum, quoddam duntaxat præſeferens rudimentum minimè exaſciatum, ſuámque nondum perfectionem enactum, aliorum ſuaſu in prima juventa, cum vix annum ætatis vigeſimum ſextum attigiſſem, enixus fuerim, jurisque publici fecerim: quia verò opus licèt adhuc in ovo rude, ac immaturum eâ à plerisque fuit benevolentiâ complexum; tantáque oculorum mititate luſtratum, ut iiſdem obſtetricantibus me adactum ſenſerim prolixiori incubatu illud perficere, ac ultimam tandem manum addere, quò ſuis abſolutum numeris prodiret. Quòd ſi placuit in impolito adhuc rudimento, ſuíſque veluti in incunabulis, fore ſperaverim, ut adauctum, exaſciatum, adultum, ſuisque numeris abſolutum, ac perfectionibus donatum non ſit diſpliciturum.

Non librorum multitudo me ad ſcribendum illexit, ſed ut lectori eſſem commodo, cujus propterea utilitati unicè ſtudui: adeo excrevit librorum moles, ut eorum plures ſatiùs dixeris Bibliothecas onerare, quàm ornare: etenim inexplebilis illa, ut ita loquar, libido proprium propagandi nomen; ita animos urget, ut libros quaſi liberos enixi proprium in iiſdem ad poſteros nomen transmittere ſatagant; ait enim Juvenalis Satyr.7. *Tenet inſanabile multos ſcribendi cacoëthes, & agro in corde ſeneſcit.* Hinc plura farciuntur interdum volumina, præſeferentia in fronte Inſcriptiones, propter quas vadimonium deſeri poſſe, ſtatim autumares: ſi enim legas, quæ ibi promittuntur, cum Horatio dicis: *Quid dignum tanto foret hic promiſſor hiatu;* & plerunq; non niſi poma æmulantur ſodomitica, quorum pulchritudo in extima duntaxat cute depicta oculos fallit; cum intus inanem foveant cinerem; de quibus Tertullianus in Apolog. *Si qua illic conantur poma oculis tenus: cæterum contacta cineſcunt.* Plerique ait Scaligerus peramplum verborum mare effundunt; ſed ſine ſalis guttula, de quorum voluminibus ſubdit Juvenalis Satyr.7.

Hinc oblita modi milleſima pagina ſurgit
Omnibus, & creſcit multâ damnoſa papyro.

Hocce ſiquidem in pelago ſi expiſcaris, non conchas, non margaritas, nec corallia; ſed poſt diurnos, nocturnóſque labores; illud *Nihil cepimus* deprehendes inveniſſe, dixeritque propterea Auſonius

Utilius dormire fuit, quàm perdere ſomnum
Atque oleum

Ne idem in me retorqueres, non fuit mens mea in hujus operis molitione poſt tot Rhetoricas præceptiones, tot manibus, locíſque ſparſas ex iiſdem duntaxat fartum volumen exhibere, ac idem ad tædium recudere, eandémq; ſemper recoquere cramben: ſed Conſilium meum fuit, præcepta paucis perſtringere;

gere; ita tamen, ut brevitas non officiat claritati; & ſtatim cuilibet præceptioni praxim attexere accommodatam hujus ſæculi genio, & eruditioni: ſemper enim utiliùs poſituros operam exiſtimavi præceptores, ſi ſcriptam breviter artem praxi, & exercitio curarent altiùs extraditam artem diſcipulis inſtillare, quàm ſi vacuis relictis animis, chartas liberaliter impleant, quas dein ſtudiorum pertæſi, nitedulis vorandas extradunt.

Operis argumentum omnia politioris literaturæ complectitur genera: idque cauſæ, cur inſcribatur *Pantheon argutæ elocutionis, & eruditionis.* Fanum hoc erat Romæ cum Ethnica ſuperſtitio regnaret, mirâ arte laqueatam referens teſtudinem, extat noſtris etiam temporibus ex tot priſcæ Romanæ gentis molitionibus hoc unum ſuperſtes lipſanum, quod de voraci temporis dente adhuc triumphat: habet in ſummo hemiſpherio medium lumen, & infra lithoſtratum varijs diſtinctum ſectis marmoribus, & è pavimenro ſurgentes utrinque columnas ſtriatas epiſtilijs exornatas corinthijs: excavata inter columnas plura numerantur ſacella, in quibus per ambitum erant olim ſtatuæ locatæ Numinum, quibus conſueverat olim Romana ſuperſtitio cultum exhibere. Patet ingredientibus perampla porticus immanibus ſuffulta columnis, iisque ereti. bus; quibus ab Agrippa fuerunt capita impoſita Syracuſana. Quod verò ad noſtrum pertinet inſtitutum, quemadmodum olim hoc uno in templo omnium Numinum ſculpta, vel ære fuſa inſpiciebantur ſimulacra; perinde hoc opus *Pantheon Argutæ Elocutionis, & Eruditionis* inſcribitur, quia ſingulas ferè ſpecies amœnioris literaturæ complectitur, & progymnaſmata, praxímque accommodatam genio, ac eruditioni hujus ævi. Quantum enim proſit exercitatio ex eo facilè conjicitur; quòd Virgilius culicem, Puteanus ovum, Catullus paſſerem, Statius pſittacum, Majoragius lutum laudaverint ſolius exercitij gratiâ: noverunt in hac literarum palæſtra nil eſſe nobilius, nilque operoſius cultutâ eloquentiæ, quam propterea exercitatione maluerunt excolere, quam ſinere deſidem jacere; Totum hujus politioris literaturæ opus in bina ſui volumina partitus, in quorum primo, quæ ad oratorem pertinent, eúmque perficiunt dilucida methodo donantur explicatu, & fontes aperiuntur, è quibus vegeta, ac maſcula oritur eloquentia: in ſecundo eruditionem exhibeo Poëticam, mythicam, Iconicam, lapidariam, ac Symbolicam, ſuntque quædam eloquentiæ veluti pigmenta, ex quibus plurimum haurit ornatûs, cujusmodi ſunt Hierogliphyca, emblemata, ſymbola heroica, de quibus fusè pertracto. Cum in animo fuerit in ſecundo volumine naturas, & proprietates rerum fere omnium, quæ aliquid ſuppeditant eruditionis ſcitu dignum congerere, præſertim circa corpora cœleſtia, ſtellas fixas in aplane, errantes in ſphæris inferioribus, Elementa, Meteora, nubes, ventos, pluvias, lacus, fontes, maria, piſces, volucres in aëre, quadrupedes in ſylvis, inſecta, ſerpentes, plantas etiam exoticas, & in extero, remotóque clymate natas, ac nutritas; arbores, flores colorum æquè, ac odorum varietate, ac fragrantiâ illicientes; metalla, & gemmas, ſatiùs exiſtimavi per Symbola hæc omnia exhibere, ac ethicè donare explicatu ad mores ritè formandos, virtutum culturam promovendam, ac vitiorum indulgentiam amovendam; idque cauſæ, cur plerunque adjecerim excurſus morales, veluti incitamenta ad proſecutionem virtutis, & fugam vitij. Exhibeo in illo ſecundo volumine plura Ethicæ Philoſophiæ dogmata ſymbolis expreſſa; quò inde Lector aliquid oblectamenti, ſimúlque fructûs hauriret utilitatem; ſolent enim Symbolorum imagines, quæ oculis objiciuntur animos blandiùs afficere, quàm quæ ſimpliciter dicta, aut ſcripta, ut cecinit ille

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus

Sunt enim Symbola veluti ſubobſcuræ rerum imagines ob eruditionum involucra, tali tamen adumbratæ illicio, ut neque Narciſſus eas contemneret, neque Therſites poſſit averſari; oculos enim, & mentes oblectant, ſimúlque erudiunt. Ferunt Socratem Philoſophum ad corrigendos, formandósque diſcipulorum mores ſpeculo fuiſſe uſum, ut qualis eſſet irâ correptus, quámque faciei ſpeciem

præſeferret videns ipſum puderet ſuæ deformitatis; caverétque impoſterum adoleſcens, ne morum vitio eximiam oris ſpeciem, corporisque dignitatem pollueret. Eodem uti ſpeculo ſuaſit Pater apud Phædrum; alloquens enim formoſum filium, ac deformem filiam ait Fab. 47.

——— Quotidie ſpeculo vos uti volo
Tu formam ne corrumpas nequitiæ malis
Tu faciem ut iſtam moribus vincas bonis.

Non tamen ſpeculum meo Lectori exhibeo vitreum, ac fragile, quod Parides venuſtuli, & Helenæ ſpecioſæ conſueverunt conſulere, quo frontis abſtergerent maculas; faciem minio, & ceruſſa pingerent, caput ad venuſtiorem componerent elegantiam, capillos dividerent, cincinnos calamiſtro vibrarent, eburneo comerent pectine, odoratóque ſpargerent pulvere, imò & fuco adulterarent. Tametſi nulla ſit res à natura facta, vel ab arte ficta, in qua magis ad vivum cujuscunque imago repræſentetur, quàm in vitreo, terſo, ac polito ſpeculo; in quo non ſolùm partes, lineamina, dimenſiones, & colores, ut in ſtatuis ſculptis, vel etiam picturis delineatis referuntur: verùm etiam motus, nictus, mores, affectus, geſtus, ætas, & vita ipſa conſpiciuntur, quæ à ſimulacris minimè exprimuntur. Sed ſpecula, quæ per ſymbola exhibentur in illo volumine, ad animum perpoliendum, ac concinnandum ad invectæ virtutis venuſtatem, & ad vitiorum abſtergendam, prorſúsque delendam turpitudinem accommodantur. Quid aliud eſſe dixeris mundum hunc noſtris objectum ſenſibus, quem tot ſydera illuminant, tot motus contrarij, diſpares, recti, obliqui, transverſi temperant, tot rerum genera complent; tot creaturarum ſpecies, ac varietates ornant; Elementorum, corporúmque cœleſtium ordo concinnat, ac quatuor anni tempeſtates jugi curſu, & recurſu inducit, dierum noctiumque viciſſitudines perpetuat; quàm ſpeculum, in quo ſapientiam videmus, & non ſine animi, corporisque oblectamento erudimur, docemúrque ejus authorem, quem amemus, ejque ſerviamus, ac noſtra exhibeamus obſequia? ſcribit Apoſtolus ad Corinth. 1. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*, & ad Rom. 1. 2. *Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* Cum igitur creaturæ nos erudiant, doceántque Creatoris exiſtentiam, earum naturas, proprietates, ac dotes placuit per involucra Symbolorum, veluti per ænigmata repræſentare; & quia nonnulli viſi ſunt de ſymbolis confusè ſcripſiſſe; in id incubui ſtudij, ut ſingulas Symbolorum ſpecies diſtinguerem, ac ſeorſim donarem explicatu, cujusmodi ſunt Hieroglyphyca, Numismata, emblemata tum mixta, ſeu explicata carmine, tum moralia formandis moribus accommodata: Phrenoſchemata, ſeu ſymbola, quæ dicuntur heroica; & alia petita ex ſimplici rei comparatione; & fontes aperirem, è quibus genera omnia ſcaturiunt Symbolorum. Meo igitur labore fruere Lector Benevole; & ſi nihil invenis quod probes, conatum ſaltem non improbes, méque habeas (ut enixim rogo) ſuis precibus commendatum.

Typogra-

Typographus Lectori. Ne contra regulas Typographiæ hujus Paginæ Columna ſine materia, vacua ſupereſſet, non abs re fore duxi, ſyllabum hîc attexere operum, ſaltem præcipuorum, quæ Auctor in folio hactenus edidit, quæque fuerunt Monachij cuſa.

Ex Literis humanioribus.

I. PAntheon Argutæ Elocutionis, & Eruditionis recuſum, ac pluribus tractatibus antehac ineditis adauctum. fol.

II. De Eruditione Poëtica, Mythica, Iconica, déque metaphoricis Argutiarum Poëticarum fontibus, Elocutione lapidaria, ac ſymbolis Jeroglyphicis, Numiſmate, Emblemate, ſymbolo Heroico, ſeu Phrenoſchemate, opus recuſum, & adauctum. fol.

III Monumentum extremi honoris perennis virtutis Pijs Manibus Sereniſſimi Ferdinandi Mariæ Bavariæ Ducis, & Electoris S. R. J. cum emblematis ære inciſis, oratione funebri in ejusdem Parentalibus, Inſcriptionibus, Elogijs ſoluta, & ligata oratione. fol.

IV. Ingreſſus Martio-Nuptialis Electoris Bavariæ Maximiliani Emanuelis Monachium ex Hungaria reducis cum Lectiſſima ſponſa Maria Antonia Archiduciſſa Auſtriæ Leopoldi I. Imperatoris filia ex Margarita Hiſpana. fol.

De Humanis Affectibus ciendis, & coërcendis ad hominem ab eorundem ſervitute manumittendum, & ad libertatem Chriſtiani Inſtituti manuducendum. Opus aſceticum tribus Tomis diſtributum.

V. Tomus Primus de Humanis Affectibus generatim ſumptis. fol.

VI. Tomus Secundus de Humanis affectibus ciendis, & coërcendis in Appetitu concupiſcente. fol.

VII. Tomus Tertius de Humanis Affectibus ciendis, & coërcendis in Appetitu iraſcente. fol.

Ex Univerſa Philoſophia Peripatetica Metaphyſicis Formalitatibus Diſputata Tomi quatuor in folio.

VIII. Tomus Primus in Logicam, cui adjiciuntur plures quæſtiones Metaphyſicæ. fol.

IX. Tomus Secundus in Octo Libros Phyſicorum Ariſtotelis. fol.

X. Tomus Tertius de Mundi ſyſtemate, corporibus cœleſtibus, Generatione, & Corruptione, Elementis, Mixtis, ac Meteoris. fol.

XI. Tomus Quartus In Libros de Anima, & Metaphyſicam. fol.

Juris Canonici univerſi commentarius Paratitlaris. Opus digeſtum quinque Tomis reſpondentibus quinque Libris Decretalium.

XII. Tomus Primus In primum Librum Decretalium. fol.

XIII. Tomus Secundus In Librum ſecundum Decretalium fol.

XIV. Tomus Tertius In tertium Librum Decretalium. fol.

XV. Tomus Quartus In quartum Librum Decretalium. fol.

XVI. Tomus Quintus In quintum Librum Decretalium. fol.

Theologia Speculativa univerſa, Dogmatica & Moralis Octo Tomis in folio Digeſta.

XVII. Tomus Primus de Deo uno, Ejúsque Attributis. fol.

XVIII. Tomus Secundus de Viſione Beata, Scientia, & Voluntate Dei, Déque Prædeſtinatione Sanctorum, & Reprobatione Impiorum. fol.

XIX. Tomus Tertius de Ineffabili Myſterio SS. Trinitatis. fol.

XX. Tomus Quartus de Angelis, & Homine. fol.

XXI. Tomus Quintus de Beatitudine, Actibus Humanis, eorúmque principio activo, naturali, voluntario, libero. Morúmque cauſa Morali, ſeu de Moralitate; ejúſque bipartita ſpecie, Honeſtate, & Turpitudine. De Vitijs, & Peccatis. Recto uſo Probabilitatis juxta Pontificias ſanctiones. De Gratia, Juſtificatione, & Merito. fol.

XXII. Tomus Sextus de Virtutibus Theologicis, & Cardinalibus. Déque earum partibus ſubjectivis, & Potentialibus. Vitijsque oppoſitis. fol.

XXIII. Tomus Septimus de Sacro-ſancto Myſterio Incarnationis Verbi Divini. De cultu Sanctorum tum abſoluto, cum reſpectivo. De Immaculata conceptione Virginis Matris. Et de Legibus. fol.

XXIV. Tomus Octavus. De Sacramentis in genere, & ſpecie. Deque Indulgentijs, Jubilæo, & Cenſuris. fol.

ELENCHVS

Librorum, Prolegomenorum, & Expenſionum, quæ in hoc volumine continentur.

Numerus Paginam Signat.

PROLEGOMENA LIBRI I.

PROLEGOMENUM I. De primis Orientis Rhetoricæ cunabulis, ejus definitione, & progreſſu. 5.
PROLEGOMENUM II. De Rhetorum honoribus. 6.
PROLEGOMENUM III. Num Rhetorica ſit Ars, & quæ. 8.
PROLEGOMENUM IV. De officio, & fine Rhethoricæ. 10.
PROLEGOMENUM V. De quæſtione, ſeu materia, circa quam verſatur Rhetorica in tribus orationis generibus. 12.
PROLEGOMENUM VI. De Præſtantia, viribus, & Prærogativis Rhetoricæ. 15.
PROLEGOMENUM VII. De animi præſtantia, ingeniorúmque delectu. 18.
PROLEGOMENUM VIII. De Partibus Rhetoricæ. 21.
PROLEGOMENUM IX. De Præſidijs Rhetoricæ comparandæ neceſſarijs. 23.
PROLEGOMENUM X. De Imitationis præceptis, & cautionibus. 25.
PROLEGOMENUM XI. Quæ digna ſint Imitatione: & quomodo hæc inſtituenda. 27.
PROLEGOMENUM XII. De multiplici orationis imitandæ ratione. 29.
PROLEGOMENUM XIII. Expenditur regula multipliciter imitandi, ac eleganter eamdem ſententiam variandi grammaticaliter, Rhetoricè, Logicè. 30.
PROLEGOMENUM XIV. Ratio invertendæ periodi per translationem omnium proprietatum, ac partium ſubjecti in aliud, cui tantùm metaphoricè conveniunt. 33.
PROLEGOMENUM XV. Expenditur regula variandæ ſententiæ per figuras patheticas. 35.
PROLEGOMENUM XVI. Expenditur regula variandi eandem ſententiam per ſeries argumentorum. 38.
PROLEGOMENUM XVII. De Auditione, Lectione. & ſelectione. 39.
PROLEGOMENUM XVIII. Parandæ ſylvæ neceſſitas. 42.
PROLEGOMENUM XIX. Quomodo excerpta locanda ſint ſeriatim in proprias claſſes. 53.
PROLEGOMENUM XX. De ſeceſſu. & Meditatione eloquentiæ candidato perneceſſarijs. 69.
PROLEGOMENUM XXI. De argumenti delectu, & Propoſitionis ornatu. 69.
PROLEGOMENUM XXII. De Partitione, & ſymmetria membrorum texendæ orationis. 71.
PROLEGOMENUM XXIII. De cultura ſtyli. 73.
PROLEGOMENUM XXIV. De multipli ſtyli ratione. 74.
PROLEGOMENUM XXV. De optimo ſtyli charactere. 79.
PROLEGOMENUM XXVI. De ſtylo Iudicro, Joculari, & aculeato. 81.
PROLEGOMENUM XXVII. Optimus concionalis ſtyli character, & invehitur in fucatos concionatores. 83.
PROLEGOMENUM XXVIII. De varijs ſtyli concionalis characteribus. 87.
PROLEGOMENUM XXIX. De Themate, Materia, & Forma, ac Diſpoſitione ſacræ concionis. 90.
PROLEGOMENUM XXX. De Concionalibus argutijs, quæ vulgò conceptus prædicabiles nuncupantur. 92.
PROLEGOMENUM XXXI. Momoriæ præſidium Oratori perneceſſarium. 97.
PROLEGOMENUM XXXII. De Ingenij cultura Oratori perneceſſaria. 100.
PROLEGOMENUM XXXIII. De Pronuaciatione, & Actione oratoria. 101.
PROLEGOMENUM XXXIV. De Geſtu Oratorio. 105.

EXPENSIONES LIBRI II. DE INVENTIONE EJUSQUE LOCIS TOPICIS.

EXPENSIO I. De Locis communibus, ſeu topicis generatim ſumptis. 108.
EXPENSIO II. Locus à materia expenſus. 110.
EXPENSIO III. Locus ab Interpretatione expenſus 112.
EXPENSIO IV. Locus à proprio expenſus. 113.
EXPENSIO V. Locus à deſcriptione expenſus, 116.

EXPEN

EXPENSIO VI. Locus à Forma expenſus. 125.
EXPENSIO VII. Locus à Fine expenſus. 130.
EXPENSIO VIII. Locus à Definitione expenſus. 134.
De Definitione per cauſas. 136.
De Definitione per Effecta. 137.
De Definitione per ſimilitudinem. 138.
De Definitione per Accidentia. 139.
De Definitione per Partium enumerationem. 139.
De Definitione per Affirmationem, & Negationem. 140.
De Definitione per ſupremum genus, & ſpecies ſub ipſo. 141.
EXPENSIO IX. Locus à Definitione Nominis expenſus. 142.
EXPENSIO X. Locus à cauſa Efficiente expenſus. 143.
EXPENSIO XI. Locus à ſpecie expenſus. 145.
EXPENSIO XII. Locus ab Exemplo expenſus. 147.
EXPENSIO XIII. Locus à Majori, Minori, & Pari expenſus. 148.
EXPENSIO XIV. Locus à Toto, & partium enumeratione expenſus. 150.
EXPENSIO XV. Locus ab Effectis expenſus. 155.
EXPENSIO XVI. Locus à conjugatis expenſus. 157.
EXPENSIO XVII. Locus à proportione expenſus. 158.
EXPENSIO XVIII. Locus à Tempore expenſus. 159. 12.
EXPENSIO XIX. Locus ab Uſu expenſus. 162.
EXPENSIO XX. Locus ab ortu, & interitu expenſus. 164.
EXPENSIO XXI. Locus à ſubjecto, Loco, & objecto expenſus. 165.
EXPENSIO XXII. Locus ab Antecedentibus, concomitantibus, & ſubſequentibus expenſue. 167.
EXPENSIO XXIII. Locus ab Oppoſitis expenſus. 168.
EXPENSIO XXIV. Locus à Veterum teſtimonijs expenſus. 171.
EXPENSIO XXV. Locus ab Apophtegmate expenſus. 180.
EXPENSIO XXVI. Locus à ritu priſco, Gentiúmque conſuetudine expenſus. 182.
EXPENSIO XXVII. Locus ab Hiſtorijs expenſus. 186.
EXPENSIO XXVIII. Locus ab Apologis, expenſus. 189.
EXPENSIO XXIX. Locus à ſacris literis expenſus. 193.
EXPENSIO XXX. Locus à Hieroglyphicis expenſus. 198.
EXPENSIO XXXI. Locus repræſentandi res abſtractas per imagines expenſus. 201.
EXPENSIO XXXII. Locus ab Adagijs expenſus. 205.

EXPENSIONES LIRBI III. DE ARGUMENTATIONE.

EXPENSIO I. De Argumentatione in genere. 224.
EXPENSIO II. De Diſpoſitione, & ordine argumentorum. 225.
EXPENSIO III. De varijs Argumentationum ſpeciebus. 227.
EXPENSIO IV. De prima ſpecie argumentationis, ſeu de ſyllogiſmo. 228.
EXPENSIO V. De Enthymemate. 230.
EXPENSIO VI. De Inductione. 231.
EXPENSIO VII. De Exemplo. 232.
EXPENSIO VIII. De Dilemmate, & Sorite. 233.
EXPENSIO IX. De Medio probabili adhibendo in argumentis ex locis intrinſecis, & extrinſecis. 234.
EXPENSIO X. De fontibus, è quibus hauriuntur argumenta firmandis concionibus accommodata. 236.
EXPENSIO XI. De varianda argumentatione. 241.

EXPENSIONES LIBRI IV. DE AMPLIFICATIONE.

EXPENSIO I. Quid ſit vera, & nervoſa Amplificatio. 244.
EXPENSIO II. Exhibentur, & expenduntur germanæ amplificationis formæ. 245.
EXPENSIO III. De Amplificatione per metaphoras conglobatas. 247.
EXPENSIO IV. De Amplificatione petita ab eruditionibue conglobatis. 249.
EXPENSIO V. De Amplificatione petita à fonte ſententiarum. 254.
EXPENSIO VI. De Amplificatione ab enumeratione partium. 225.
EXPENSIO VII. De Amplificatione per ſimilitudinem, & exempla. 257.
EXPENSIO VIII. De forma amplificandi ſubjectum per Hiſtorias conglobatas, & figurarum varietatem. 259.
EXPENSIO IX. De Amplificatione ab ijs, quæ cadunt ſub ſenſus. 261.
EXPENSIO X. De Amplificatione Repræſentativa per hypotypoſim. 262.
EXPENSIO XI. De Amplificatione abſoluta. 265.
EXPENSIO XII. De Amplificatione comparativa. 266.
EXPENSIO XIII. De Amplificatione, univerſali. 275.
EXPENSIO XIV. De Amplificatione à particolaribus circumſtantijs ſubjecti. 276.
Amplificatio à Nativitate 276. A corporis pulchritudine 277. Ab Agilitate corporis 277. A virtute Animi 278. A Prudentia ibid. A Juſtitia 279. Ab animi fortitudine 280. Vera fortitudinis idea, & ſuaſoriæ orationis imago in matre Machabæorum 281. à Libera-

litare 282. à Temperantia 283. à caſtitate 285. à Clementia 287. Ab Honoribus 288. A Felicitate, & arridente Fortuna. 289. A plutibus vittutibus ſimul. 291,

EXPENSIO XV. De Amplificatione Pathetica. 292.

EXPENSIO XVI. De Amplificatione per Antitheta, acutas, & vellicantes ſententias, Periphraſes, comparationes eruditas, & ſenſus argutos. 207.

EXPENSIO XVII. De Amplificatione arguta 299. Herodias Chriſti Prodomi, ſeu Præcurſoris Joannis Baptiſtæ caput ſaltationum pretio poſcit 301. Margarita Juſtiniana nobilis Veneta Monialium cœnobium ingrediens comam reſecat. 202.

EXPENSIO XVIII. Aperiuntur pellucidi aliquot fontes rebus amplificandis per argutias conglobatas peridonei. 203.

EXPENSIO XIX. De Amplificatione miſta 308. Nihili Amplificatio miſta. ibid.

EXPENSIONES LIBRI V. DE DISPOSITIONE, & PARTIBUS ORATIONIS.

EXPENSIO I. Quid ſit Diſpoſitio, & quæ res inventæ ſint diſponendæ. 310.

EXPENSIO II. Quotuplex ſit Diſpoſitio in genere, & qualis ſpecifica. 311.

EXPENSIO III. De varijs tranſitionibus adhibendis in Diſpoſitione. 312.

EXPENSIO IV. De Exordio in genere. 314.

EXPENSIO V. De Exordiorum muneribus, & qualitatibus. 314.

EXPENSIO VI. De Exordiorum diverſitate 316. Idea Exordij ex abrupto ibid. Idea Exordij eruti à viſceribus cauſæ 318. Idea Exordij deducti ab Adjunctis 318. Idea Exordij deducti ex Abundanti 319. Idea exordij deducti ab excitatione deſiderij 319. Idea exordij deducti à Fabula per Apoſtrophem 320. Idea exordij à contrario ibid. Idea exordij eruti à quæſtione inſigni ibid. Idea exordij à ſimilitudine 321. Idea exordij deducti à comparatione 321. Idea exordij deducti à tempore præſenti, & circumſtantijs 322. Idea exordij deducti ab Hiſtoria 322. Idea exordij deducti à deſcriptione ibid. Idea exordij petiti à fabula 323. Idea exordij deſumpti à dicto illuſtri 323. Idea exordij elaborati ab adagio ibid. Idea exordij deducti ab Apophtegmate. 324.

EXPENSIO VII. De exordijs in genere Demonſtrativo, Deliberativo, Judiciali. 324. Idea Exordij in genere demonſtrativo 3.4. Idea exordij in genere deliberativo 325. Idea exordij in genere Judiciali. 326.

EXPENSIO X. De Propoſitione. 3 7.

EXPENSIO X. De Narratione 319. Idea Narrationis. 329.

EX. . SIO XI. De Probatione Propoſitionis 3 9.

EXPENSIO XII. De confirmatione, & confutatione. 331.

EXPENSIO XIII. De Peroratione, & extremo orationis actu 332. Idea perorationis flebilis per Apoſtrophen ad animam demortui. 333.

EXPENSIO XIV. De Legitimo Concionum Eccleſiaſticarum Charactere. Invehitur in fucatos concionatores; & ſubjicitur Apologia argutæ Elocutionis. 333.

EXPENSIO XV. De gravitate, Acrimonia, & ſuavitate concionum. 335.

EXPENSIO XVI. De Materia, & Forma Concionum. 336. Idea Concionis in genere deliberativo. 339.

EXPENSIONES LIBRI VI. DE EPIDICTICA ELOCUTIONE.

EXPENSIO I. De genere epidictico, ſeu demonſtrativo. 344.

EXPENSIO II. De Materia, Fine, & Charactere Epidictici generis. 346.

EXPENSIO III. De Panegyricis Orationibus 347. Idea orationis Panegyricæ in laudem Principis in bello victoris 349. & ſequent. Idea Panegyricæ orationis in laudem S. Andreæ Avellini Clerici Regularis. 355. & ſeq.

EXPENSIO IV, De Arte nova meditandi Allegorias continuatas, quæ vulgò dicuntur Inventiones Panegyricæ. 359. Oeconomia orationis Nuptialis 366. Subjiciuntur Ritus aliquot Nuptiales 367. Oeconomia Epithalamij 370. Oeconomia Epiniciorum 371. Oeconomia Lamentatoriæ orationis 371. Oeconomia Monodiæ lugubris 372. 70. Idea Monodiæ lugubris in Chriſti patientis cruciatibus, & nece ibid. & ſequent. Oeconomia funebris orationis 374. Idea orationis funebris in Parentalibus Sereniſſimi Electoris Bavariæ FERDINANDI MARIÆ 376. & ſequent. Oeconomia orationis apprecatoriæ 382. Oeconomia orationis Salutatoriæ 388. Oeconomia orationis Euchariſticæ 384. Oeconomia Dedicatoriæ Epiſtolæ 118. Idea Epiſtolæ Dedicatoriæ 385. Oeconomia Prologij, ſeu Præfationis 386. Idea Prologij ad Lectorem, 387.

EXPENSIO V. De genere Delibetativo: déque illius Oeconomia 388. Oeconomia ſuaſionis, & diſſuaſionis 390. Oeconomia hortationis, & dehortationis 392. Idea orationis hortatoriæ ibid. & ſequent. Idea orationis dehortatoriæ 393. Oeconomia Conciliationis 393. Oeconomia Conſolationis. 394.

EXPENSIO VI. De genere Judiciali. 396.

EXPENSIO VII. De Requiſitis ad Juſtitiam ritè adminiſtrandam. 307.

EXPEN-

EXPENSIONES LIBRI VII. DE ELOCUTIONE, & FIGURIS.

EXPENSIO I. De antiquis oratoribus, qui Elocutionem commendârunt. 400.
EXPENSIO II. De ornatu elocutionis. 401.
EXPENSIO III. De Tropis: Quid, & quotuplex ſit Tropus. 403.
EXPENSIO IV. De Synecdoche. 404.
EXPENSIO V. De Metonymia. 405.
EXPENSIO VI. De Antonomaſia. 406.
EXPENSIO VII. De Catacheſi. 407.
EXPENSIO VIII. De Metalepſi. 407.
EXPENSIO IX. De Onomotopæia. 407.
EXPENSIO X. De tropis, qui fiunt in oratione. 408.
EXPENSIO XI. De figuris orationis. 416.
EXPENSIO XII. De figuris, quæ fiunt per detractionem. 418.
EXPENSIO XIII. De figuris, quæ fiunt per ſimilitudinem. 419.
EXPENSIO XIV. De figuris ſententiarum. 420.
EXPENSIO XV. De Periodo, ejus nomine, & definitione. 427
EXPENSIO XVI. De Pedibus, & partibus Periodi. 427.
EXPENSIO XVII. De Æquabilitate, Antitheſi, ac Paramioſi periodorum. 429.
EXPENSIO XVIII. De Uſu, & artificio implendæ Periodi. 430.
EXPENSIO XIX. De Nova arte inveniendi venuſta, & elegantia Epitheta pro implenda periodo. 431.
EXPENSIO XX. Aperiuntur alij Fontes hauriendis epithetis implendæ periodo peridonei. 433.
EXPENSIO XXI. De varijs Artium officinis, in quibus Rhetores plura, & rariora nundinantur ornamenta orationis. Exhibentur Artes ruſticanæ. 435.
EXPENSIO XXII. De Rhetoricis ornamentis excerpendis ab artibus Alimoniæ, Frumentariæ, Carneæ, Aucupij, Venationis, & Poculentorum. 439.
EXPENSIO XXIII. De Veſtium multiplici cultu ſuppeditante Rhetoricum ornatum. 442.
EXPENSIO XXIV. De Rhetoricis ornamentis depromendis ex varijs artibus, & officinis ad rem veſtiariam pertinentibus. 445.
EXPENSIO XXV. De pluribus Artis ædificatoriæ officinis, ex quibus Rhetoricis hauriuntur nitores. 447.
EXPENSIO XXVI. De Rhetoricis ornamentis depromendis ex Artibus Argillaceorum, vitreorum, ac metallorum, utenſilium. 449.
EXPENSIO XXVII. De plerisque alijs Mechanicis artibus, ac officinis, in quibus orator Rhetoricæ nundinatur ornamenta. 453.
EXPENSIO XXVIII. De varijs ornamentis, quæ ab arte nautica, & aquis Rhetori ſuppeditantur. 455.
EXPENSIO XXIX. De coloribus Rhetoricis, ac ornamentis depromendis à Pictura, Sculptura, Typographia, Horologijs, alijsque artibus oblectatorijs. 458.
EXPENSIO XXX. De Rhetoricis ornamentis ſeligendis ex Artibus liberalibus. 464.
EXPENSIO XXXI. Subjiciuntur aliquot regulæ ornandæ periodo accommodatæ, & exhibitæ ab Authoribus emunctæ, & purgatioris latinitatis. 473.

EXPENSIONES LIBRI VIII. DE ARGUTIIS ORATORIIS.

EXPENSIO I. De ortu, & nomenclatione Argutiarum Oratoriarum. 477.
EXPENSIO II. De cauſa Efficiente Argutiarum Oratoriarum. 479.
EXPENSIO III. De Materia circa quam, & ex qua Argutiarum. 480.
EXPENSIO IV. Quale ſit formale conſtitutivum argutiarum. 481.
EXPENSIO V. De argutijs oratorijs, quæ ſcaturiunt à non cauſa pro cauſa. 482.
EXPENSIO VI. De argutijs, quæ eruuntur à Paradoxis; ſenſibusque non obvijs. 484.
A ſenſu non obvio argutè aliqua dicuntur de Chriſto cum pedes lavit Diſcipulorum. 486.
A ſenſu non obvio plura exhibentur de cæco nato à Chriſto illuminato. 487.
A ſenſu non obvio aliquot producuntur argutiæ de Lazaro ſuſcitato. 488.
EXPENSIO VII. De argutijs quæ ſcaturiunt à fonte Alienatorum. 491.
EXPENSIO IX. De argutijs emanantibus à fonte comparatorum. 494.
EXPENSIO X. De Argutijs, quæ hauriuntur à fonte Alluſionum, & Eruditionum. 502.
EXPENSIO XI. De Argutijs petitis à luſu verborum. 505.
EXPENSIO XII De Argutijs petitis per Hyperbolem, & Hypo-hypoſim. 508.
EXPENSIO XIII. De Argutijs ortis ab Inexpectato. 510.
EXPENSIO XIV De Argutijs oratorijs, quæ petuntur à circumſtantijs & adjunctis rerum, Stemmatum, Perſonarum, Loci, Temporis. 512.
EXPENSIO XV. De Argutijs, quæ petuntur à dictis gravibus. 516.

EXPENSIONES LIBRI IX. DE ARGUTIIS SACRO-MORALIBUS CONCIONATORIIS.

EXPENSIO I. Donantur explicatu Sacro-Morales Concionatoriæ Argutiæ. 528.
EXPENSIO II. Exhibentur aliquot Sacræ Argutiæ ſelectæ ex ſanctis Patribus in commendationem ſacræ ſcripturæ. 521.

EXPENSIO III. Ad culturam virtutis nos alliciunt Sacro - Morales Argutiæ, quæ nobis à ſanctis Patribus exhibentur. 528.
EXPENSIO IV. Fidei obſcuritas varijs illuſtratur ſacris argutijs. 534.
EXPENSIO V. Virtus Spei ſacris exculta Argutijs vireſcit vegetior. 540.
EXPENSIO VI. Charitas in Deum, & Proximum ſacris promovetur Argutijs. 547.
EXPENSIO VII. Gaudium, ut eſt effectus intrinſecus Charitatis argutè expenditur. 551.
EXPENSIO VIII. Nonnolla donantur explicatu deprompta ex ſacris literis ad pacem Charitatis foetum, firmiùs ſtabiliendam. 555.
EXPENSIO IX. Pleraque producuntor ad promovendam miſericordiam charitate innixam. 561.
EXPENSIO X. Pleraque producuntur, donantúrque explicatu in commendationem Beneficentiæ, & Eleemoſynæ, ut ſunt effectus externi charitatis. 567.
EXPENSIO XI. Producuntur aliquot concionatoriæ Argutiæ in commendationem prudentiæ. 582.
EXPENSIO XII. Vir prudens morte utitur magiſtra, à qua diſcit rectè vivere. 589.
EXPENSIO XIII. Carpitur peccatum, ut Prudentiæ adverſum: ejúsque turpitudo varijs ſacris argutijs pungitur, ut prorſus expungator 601.
EXPENSIO XIV. Juſtitia Reipublicæ provida moderatrix, multiplici ſacrarum argutiarum commendator illicio. 618.
EXPENSIO XV. Religio pars Juſtitiæ potentialis floribus ornatur concionatorijs, & argutijs. 631.
EXPENSIO XVI. Obedientia Juſtitiæ partibus potentialibus accerſita, arguiè commendatur. 646.
EXPENSIO XVII. Clementia proprius Principis character cæteris virtutibus juſtitiæ annexis, ut perfecti debiti ratione carentibus, ſau includentibus tantùm morale debitum adſcita, nonnollis donatur laudibus è SS. Patribus depromptis. 660.
EXPENSIO XVIII. Commendabilis Virtus gratitudinis nonnullis concionatorijs argutijs exhibetur expenſa, & commendata. 676.
EXPENSIO XIX. Generoſa Liberalitatis virtus animum prodit, val Regium, vel imperio dignum, ſuíſque ornatur, ac donatur laudibus. 689.
EXPENSIO XX. Carpitur ſordidum Avaritiæ vitium; ejusque detegitur turpitudo, quæ declinetur. 705.
EXPENSIO XXI. Commendatur Maſculæ fortitudinis virtus. 725.
EXPENSIO XXII. Adamantinus Patientiæ Clypeus retundendis adverſitatum telis perneceſſarius. 735.
EXPENSIO XXIII. Donatur explicatu inclyta virtus Temperantiæ: commendanturque ejus Filiæ Abſtinentia, & Sobrietas. 749.
EXPENSIO XXIV. Promovetur cultura caſtitatis, quò ejus lilium ſuavius oleat: & gramen oppoſiti vitij radicitùs evellatur. 764.
EXPENSIO XXV. Jaciuntur, & ſtabiliuntur humilitatis fundamenta, quibus Chriſtiana perfectio nititur. 782.
EXPENSIO XXVI. Per deſcenſum humilitatis in cœlum aſcendimus. 787.
EXPENSIO XXVII. Humilitas, quos in cœnum dejicit, in cœlum erigit. 797.
EXPENSIO XXVIII. Humilitatis collyrio caligines excutiuntur cæcitatis; & tumor reprimitur humani faſtùs. 803.
EXPENSIO XXIX. Quos Deus ſuis cumulat donis, ne inde intumeſcant præſidio communit humilitatis. 809.
EXPENSIO XXX. Sanctitate inſignes, ne hallucinentur ad claritatem virtutis, ſe demittunt in obſcurum per ſtudia humilitatis. 815.
EXPENSIO XXXI. Homo ex bonis temporalibus, quæ poſſidet, anſam non habet ſupercilium erigendi. 819.
EXPENSIO XXXII. Divitiæ, mundique deliciæ, & honores veram non exhibent cauſam ſuperbiendi, ſed potiùs ſe demittendi 825.

R.P.D.

R. P. D. CAJETANI FELICIS
VERANI
Clerici Regularis
PANTHEON
ARGUTÆ ELOCUTIONIS,
ET
ERUDITIONIS.

PROOEMIUM.

EA eſt flexanimæ diſciplinæ dignitas, ea reginæ eloquentiæ Majeſtas, ut non ſolùm cæteris facultatibus, quæ ad hominis ornatum, animíque vigent culturam, argumentorum delectu, elegantiarum delicijs, argutiarum acuminibus antecellat; verùm etiam cæteræ artes, quarum ſtudijs homines occupantur, eidem ancillentur vectigales, locupletem ex proprio penu ſuppeditantes narrandorum ſupellectilem. Univerſarum ſiquidem ſcientiarum, artiúmque encyclopediam tranſcendit regina eloquentia, quatenus cultæ elocutionis flore exornat, perpolit, quæ à cæteris facultatibus omni exhibentur deſtituta ornatu, omni viduata ſplendore. Hinc ſacram comitatur ſupra aſtra Theologiam, & ſupremi Numinis ſapientiam, quâ univerſum condidit, ac moderatur, cæteráque attributa latè, fuséque explicat, & concinnè expendit. Lycæa ingreditur philoſophica, & rerum naturas, proprietates, principia eleganti dilucidat narratione; & qua lege devincta inferiora cœleſtibus cohæreant; quomodo mutationum obnoxia viciſſitudinibus corpora naturalia corrumpantur, & ex proprio cinerario phœnicis in morem reviviſcant novis induta formis; quomodo ex pugnantibus inter ſe ſe elementis coaleſcant mista, & diſcordi quadam con-

cordia in unam conſurgant univerſi harmoniam; elegantiarum veneribus, figurarum ornatu, verborum delectu ad animi delicium proponit, explicat, Aſtronomiæ inſiſtens veſtigijs cælorum ſphœras celeri conſcendit volatu; ſyderum curſus, & recurſus, cæleſtium motuum diſcrimina, ſymphonias proportiones, celeritates, tarditates; annuas, menſtruas, diurnas perjodos enucleat; atque in tam miri, támque elegantis opificij commendando ſapientiſſimo Artifice laxo triumphat panegyri; & luculenta narratione oſtendit cœlorum motibus totam naturam corpoream gubernari, ac promoveri ad ſui finis aſſecutionem; & deſcribit eorundem motuum miram velocitatem, elegantem varietatem, firmiſſimam æquabilitatem; & innumeros effectus: eſt velocitas tanta ut videatur incomprehenſibilis: Sol ex Aſtronomorum communi calculo, ſingulis horis plusquam undecies centena millia milliarium peragit; & ſtella octavæ ſphœræ circulo fixa æquinoctiali, ex eorundem computu, una hora percurrit ſupra viginti quatuor milliones milliarium; quantum equus quotidie percurrens quadraginta milliaria, annis bis mille, nongentis vix conficeret: Inde cojicitur quanta eſſe debeat ultimæ, ac ſupremæ ſphœræ pernicitas. Varietas eſt itidem mira, cum ſinguli planetarum orbes ſuos habeant peculiares motus tardiores, vel concitatiores, ac ſtatis temporibus, ac momentis conſtitutis ſuos peragant ambitus, ſuas abſolvant periodos; & cum ſinguli orbes proprio nutu ab occidente in orientem tendant; adhuc à primo mobili rapiuntur in occaſum; licèt raptus iſte proprios non impediat motus, neque confundat; ſed ijsdem ita ſe accommodet, ut uno tantùm motu cieri videantur. Moventur etiam Planetæ in proprijs epyciclis, errántque absque ullo errore. Æquabilitas ſiquidem plurimum excitat admirationis, cum nulla per tot jam retroacta ſæcula notata ſit anomalia; ſed ſemper eodem tenore, & pari celeritate procedant, & licèt Planetæ videantur interdum motibus cieri inæqualibus ratione epyciclorum, majoris, vel minoris elationis ſupra terram, non tamen vera eſt inæqualitas, ſed tantùm reſpectu centri globi terraquei: epicycli enim ſemper pari celeritate circa proprium centrum; & orbes deferentes circa ſuum æquabiliter cientur absque ulla quiete, ſine ulla interjecta morula, quod cum Jobum non lateret, admirabundus dixit 38. *Concentum cœli quis dormire faciet*, ſeu quis ſiſtet? Effectus cœleſtium motuum in hæc præſertim ſublunaria ſunt rerum cunctarum mutationes, illis exceptis, quæ à libero dependent hominis arbitrio; venti, turbines, tonitrua, fulmina, nives, grandines, pluviæ, æſtus, frigora, ſiccitates, inundationes, aëris infectiones, peſtilentiæ, phœnomena, parelia, cometæ, phaſmata tot colores in nubibus; tot picturæ in iride. In mari fluctuum tumores, procellarum commotiones, pelagi agitationes, fluxus, æſtúsque marini, quibus mare inſtar viventis aſſiduè ſe totum nunc in hanc, nunc in illam partem in immenſo alveo ſe commovet. In terra exuſtiones, ignésque in intimioribus eius ſtabulantes viſceribus, & mox foras, ac

in

in ſublimi enitentes non ſine telluris tremore, & incluſi ſpiritus mugitu, horrendóque fragore: omnia quæ in terræ viſceribus gignuntur, tot abſtruſæ opes, tot auri, argenti, ac gemmarum theſauri; & alia, pleráque metallorum genera, quæ licèt credibile videatur, fuiſſe ab initio à Deo condita; nulli tamen dubium, quin virtute cœleſtium corporum ſuccreſcant, augeantúrque; cùm experientiâ deprehenſum ſit, latomias temporis diuturnitate, ac progreſſu à natura reſtitui. Quodque mirabilius eſt, perpendere modicam illam ſolis obliquationem, quâ ſingulis diebus uno fere gradu ſub zodiaco motu proprio ex occidente in orientem retrocedit, tam varias, ac miras ubiq; terrarum mutationes invehere, ut inde oriantur quatuòr anni tempora, ver, æſtas, autumnus, hyems: & cum ſol illo ſuo motu ad ſigna Borealia adrepit, vernum tempus in omnibus verſus Boream regionibus vernam inducat tempeſtatem; & quæ hyeme in ſqualore jacebant, vel gelu concreta, vel frigore emortua, & alta nive ſepulta incipiant excitari, reviviſcere, & quodammodo hilareſcere; & quò ulterius tendit Borealem verſus tropicum, eò uberiùs creſcant, arbores foliorum comis vireſcant, prata herbarum viriditate veſtiantur; horti florum varietate rideant, plantæ fructuum fœtus pariant, nutriant, donec ad maturam deveniant ætatem: & rurſus cum à ſignis Borealibus incipit recedere, & radijs obliquioribus terras illuſtrare, ſenſim quæ ex terra naſcuntur, incipiant langueſcere, vigorem deperdere, arbores fructus amittere, & folijs ſpoliari; & in parte auſtrali ver incipiat incolis illis ſuis arridere floribus. Hæc omnia eleganti narratione recenſet Rhetorica: & ut reticeam ſexcentas alias facultates, quæ reginæ obſequentes eloquentiæ ornatus omnes, ac nitores ab ipſa mutuant, perinde ac rutilantium ſyderum ſatellitia ſuos à ſole hauriunt ſplendores; hoc unum pro certo, ratóque habendum; nullam ſignari poſſe facultatem, nullámque artem, cui eloquentia plurimum non conferat dignitatis, ac decoris: quid eſſet eruditio eloquentiæ viduata floribus, quàm inamœna ſterileſcentium rerum congeries? quid Poëſis omni deſtituta elocutionis ſale, quàm inſipidum balbutientium eloquium? quid facultates cæteræ ſine Rhetorices venuſtate, quàm ſqualida in neglecto proſcenio ſimulachra? Neque id ſapientes illos latuit, qui arctiſſimo inter ſe ſe vinculo copulari Mercurium, & Palladem curârunt, rati ſine facundia, & eloquentia reliquas facultates, ac ſcientias, vel langueſcere ſqualidas, vel jacere emortuas.

Neque abs re dixerim, hoc idem ampliſſimæ Facultatum, Artiúmque Encyclopediæ flexanimam impertiri Suadam, quod rerum univerſitati ſol ipſe, qui nitidiſſima mundi lampas fusè, latéque ſuos delegat nitores; non ſolùm ut mundi harmonica pulchritudo nobis pateat, alliciátque ad laudes conditori Deo concinendas: verùm etiam, & florum, plantarúmque ſemina, quæ in terræ matris jacuerant humata viſceribus foras evocet, & in culmos, caules, gemmas, frondes, flores eliciat; quorum alij luxuriante natura in

gemma naſcuntur; alij hiante promicant calice; alij ex rupta pubeſcunt vagina: etenim ea eſt regina eloquentia, quæ elegantiarum veneribus, figurarum ornamentis; argutiarum leporibus rei cuilibet narrandæ venuſtatem confert, ac decorem. Gaudet igitur flexanima Suada inter flores vernari; & eorum ſtomachatur commercium, quorum incuſtoditum æratis florem ſomnifera Morphei decutit virgula, molli culcitra conciliante ſoporem; eósque rejicit, qui illibatas Muſarum divitias veluti purpuratæ nitedulæ ingrato denre corrodunt, morsúque lacerant: vel qui cupiditatibus flagrantes, & otij gelu concreti non alia tractanr ſpicula; quàm roſarum: è converſo illis amat æterno fœdere copulari, quibus non aliæ criſtis exundanr plumæ, quàm quas è debellatis illecebrarum monſtris evellunt; qui non alias ediſcunt inflare bellicas Martis tubas, quàm canoras Muſarum fiſtu'as harmonico carminum ſono; qui non alia objiciunt hoſtibus ſcuta, quàm Palladis. Hanc igitur Facultatem politiotis literaturæ excultam munditijs, omnium eruditionum locupletatam ſupellectile, & qualem á prima juventa profeſſus ſum, exhibeo. Quædam præmitto prolegomena, ſeu progymnaſmata, quibus veluti prævio coruſcamine facilis patet ad univerſam Rhetoricam ingreſſus. Conſultiùs ſemper duxi à primis elementis rem donare enucleatu; ab imis enim celſior ſemper aſſurgit ſtructura; etiam palmaribus, cruentíſque pugnis, ludrico Marte, umbratilíque conflictu præluditur: & moris olim fuit', quo minores hoſtiæ prairent hecatomben. Idque vel ipſa natura nos edocet, cum aureæ flaveſcentis, incurvatæque ſegetis meſſi vult herbeſcentem Veris pueritiam antevertere. Robuſtior facundia, & virilis ſuada propriam noverunt infantiam, à qua initium ducerent. Solius increatæ ſapientiæ eſt citra infanriæ rudimenta, adultam, ac ſummam poſſidere perfectionem, Deus igitur literariam hanc provinciam perficiat, & abſolvat.

R,P,D,

LIBER I.

PROLEGOMENUM I.

De primis orientis Rhetoricæ cunabulis, ejus definitione, & progreſſu.

1 FLexanima ars antiquam, nobilémque jactat originem; ab ipſo enim Jovis capite unà cum Pallade ortum traxiſſe Poëtarum fatentur commenta. Omnes verò ſapientiæ nitores à DEO fluere; ac à Patre luminum, veluti longè, latéque effuſos per totam tellurem Solis radios exoriri, veritas eſt luce meridiana clarior. Ariſtides *orat. 2.* lepidè narrat in ipſis pubeſcentis mundi cunabulis, tumultuariam emerſiſſe perturbationem, adeo ut ipſa bruta nudum, ac inermem hominum cœtum anteirent, variiſque moleſtijs detorquerent, cum nec ipſi homines præ conſilij inopia, & prudentiæ pauperie propriam viderentur rem tueri: imò belluis ipſis rudiores inter ſe ſe tumultuantes brutorum more ſine ratione, abſque conſilio progrederentur; quibus compaſſus ærumnis Prometheus fertur, cœlum conſcendiſſe, cujus gratiâ, ac prece delinitus Jupiter, ut hominum miſeriæ opem ferret, Rhetoricam ſub Mercurij auſpicatu, & comitatu miſit in terras, quæ aurea Saturni ſæcula revocaret: quando

Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant.

Promothei igitur rogatu, & gratia delini-
2 tus Jupiter, Mercurium juſſit in terram deſcendere, unà cum Rhetorice comite, quam homines edoceret, & expoliret, non tamen ſicut venalem mercem omnibus promiſcuè eam impertiret: ſed generoſiora deligeret ingenia, quæ beneficio Rhetorices cæterorum cauſas defenderent.

Verùm ne ſolis videamur fabulis inhære-
3 re; liquet, Rhetorum nomen ante Philoſophorum viguiſſe nomenclationem: illius meminit Homerus *Iliade 1.* ubi Phœnicem Achilli à Peleo patre admotum Doctorem eloquentiæ, ac Rhetorem nominat. Imò primis temporibus floruiſſe eloquentiam ex eo deprehenditur, quia commendatur Menelaus ob argutam brevitatem; laudatur Ulyſſes ob fandi copiam hibernis ſimillimam nivibus: & Neſtori mellea ſolet tribui dicendi ſuavitas: niſi hi, & alij emunctæ ſtuduiſſent eloquentiæ, neutiquam laudari viverent poſteritati ſuperſtites literariæ. De Pithæo Troezeniorum rege refert Pauſanias in Corinthiacis, quòd non ſolùm conſtanter, ut ejus dignitatem decebat, jus dixerit; verùm etiam præcepta tradiderit ad normam perpolitæ elocutionis appoſitè accommodata; librúmque ſcripſerit Rhetoricorum.

Eſt Rhetorica princeps illa facultas, quæ 4
in hominum animos ſuum exercet imperium; quibus movendis, flectendíſque unicè ſtudet. Tametſi non deſint, qui ſcrupuloſiùs, quàm par ſit, res inveſtigantes, Rhetoricam à Regina diſtinguant Eloquentia, cenſentes eam eſſe habitum, ac ſeriem, ſeu ſyſtema præceptorum: & Eloquentiam eorundem exercitationem. Putârim tamen nullo has facultates poſſe diſcrimine disjungi, quia Rhetorica ita præcepta rectè loquendi, ſeu eloquendi complectitur, ut ad praxin deducat. Hinc media, ſeu adminicula, quibus eloquentiam, ſeu Rhetoricam nobis comparamus, duo recenſentur, perinde ac in reliquis diſciplinis; *natura* ſcilicet, & *cura*: illa eſt nobis indita propenſio, ac inſita felicitas eloquendi, ſeu benè loquendi: hæcque præcipuum eſt medium, cujus beneficio Rhetoricam enanciſcimur. Nulla eſt diſciplina, nulla ars, quæ magis exigat naturæ ſubſidium, quàm Rhetorica, & Poëſis: qua ratione experimento deprehendimus, plures à ſola edoctos natura magiſtra pollere facultate ornatè dicendi: tametſi hi non ita certè in ſcopum colliment; ut alij, qui hanc naturæ propenſionem ad præceptorum dirigunt amuſſim; quia ut ſcitè Cicero; ſine doctrina, ſi quid bene dicitur adjuvante natura, tamen quia id fortuitò fit, ſemper paratum eſſe non poteſt. *Cura* eſt artis circa methodum præceptorum, quæ in id præſertim incumbunt ſtudij, ut moveant, flectántque auditores. Movere ſiquidem eſt, quod principalius in ſtudio intenditur eloquentiæ.

Hujus artis exercitia rudia ſub mundi exor- 5
dio fuiſſe, ex eo conjicitur, quia nulla ſub illis primordijs, mundíque conditi initijs fit de hac arte mentio: Et Cicero in Bruto eloquentiæ initium ab Athenarum deducit florente Academia, in qua politioris eloquentiæ flores veluti exculto in horto vernare cœperunt.

Hinc Rhetorices nomen eſt græcum, cujus 6
nomenclatio deducitur à græco verbo Rhetorio, quod latinè fluo, oro, dico, declamo, eloquor, ſeu ornatè loquor, interpretatur. Neque audiendus eſt Athenæus, qui hanc artem fallendi facultatem edixit, variíſque proinde eam convicijs devenuſtavit, eò quia

fortaſſis furioſa mentiendi libido id temporis Græcorum teneret ingenia: non enim præſtigias græculorum Sophiſtarum, quibus ſupra meritum res evehebantur, nos Rhetores imitamur, ne in nos quoque ſcomma illud Ageſilai retorqueatur, qui nonnullis Oratorem commendantibus, quod res exiguas mirificè verbis extolleret. *At ego*, inquit, *peſſimum eum ſutorem putem, qui parvis pedibus grandes calceos inducat.* Abſit ut hoc probro noſtra notetur facultas, quia licèt fuco colorata, floribus ornata incedat, & interdum Auxeſes, & hyperboles intermiſceat, ea tamen utitur moderatione, ut verum oſtendat, & ſimul delectet.

7 Cæterum quod ad prima Rhetoricæ cunabula attinet, unam cæteris præferendam Joſephi authoritatem cenſeo, quam anteacta ſæcula inconcuſsâ corroborârunt fide. Narrat is Sethum Adami filium Rhetoricæ artis claruiſſe laudibus; & flexanimæ eloquentiæ alios edocuiſſe præcepta, quæ ipſe à parente Adamo didicerat, ac duabus inſcripſiſſe columnis lateritia una, & marmorea altera, ne orbis conflagratione, aut Oceani obliterarentur inundatione. Hinc facilè conjicimus, Rhetoricam à Patre luminum fuiſſe Protoparenti Adamo infuſam, ſeu à Numine Magiſtro hauſiſſe hominea hanc flectendi animos artem; quâ veluti cœleſti nectare imbuta mens hominum patriæ cœleſtis teneretur affectu; ac fluxa terræ bona ei viles cerent.

8 Ab ipſo igitur Authore naturæ, à quo primùm conditi fuerunt homines, ſermonem acceperunt, qui mox, ut Fabius ait, ſicut in medicina, cum viderent alia ſalubria, & quædam inſalubria, ex obſervatione eorum effecerunt artem: ita cum in dicendo alia utilia, alia inutilia deprehenderent, Rhetoricen conſtituerunt.

9 Neque ulla adhibenda eſt fides ſuperſtitioſæ Ægyptiorum genti, quæ ab Æthiopibus primigeniam Rhetorices ducit originem. Neque ulla danda eſt fides Græcis, qui primum hujus facultatis parentem Cadmum dixerunt, à quo Græcos ipſos imbutos autumâtunt. A Patre luminum, qui mentem homini cœleſtem indidit, hæc ars animis flectendis peridonea ſuam traxit originem: atque opitulante Numine elegantiæ ſubjit incrementum, ut in uno olim Tullio ſummum viſa ſit attigiſſe faſtigium. Facultates, quæ homine libero cenſentur dignæ, perinde ac fugiferæ arbores ſenſim ſine ſenſu augentur, nec plena ſtatim manu earum ſinguli fructus carpuntur, ſed paulatim leguntur.

10 Quamobrem Fabius Quintilianus Magiſtros monens, ne præceptorum iliade infirmitatem velint diſcentium onerare, ſed vires temperare, ſéque ad intellectum flectere audientis, ejúsque deſcendere captum, exemplum attulit, inquiens. *Ut vaſcula oris anguſti ſuperfuſam humoris copiam reſpuunt; ſenſim autem influentibus; vel etiam inſtillatis complentur: ſic animi quantum accipere poſſint videndum eſt.* Artis flexanimæ initia licèt tenuia, ac impolita, fuerunt tamen illis hominibus commodo, quia ijsdem accommodata: ſic Magiſtri niſi meminerint ſcientias, & artes inſtillari, non infundi, operam perdent, ac oleum; ut enim monet Seneca *Epiſt. 41. vitioſum eſt ubique, quod nimium eſt*: quippe nimijs imbribus

Sternuntur ſegetes, & deplorata colonis.
Vota jacent, longique perit labor irritus anni. 11

Solem velociſſimè cieri conjicimus, licèt nemo noſtrûm videat moveri; nec ire crederemus, niſi ſciremus iſſe: ſic artes, earúmque cultores priùs ſentiuntur profeciſſe, quàm proficere. Docet nos natura rerum promotrix; feſtinandum quidem eſſe, ſed lentè, neque ad optatum finem quemquam pervenire, niſi priùs decurſo illo ſpatio, quod intermedium eſt. Cæterum plurimum ſplendoris eloquentiæ addiderunt Empedocles Agrigentinus, Corax Syracuſanus, & ejus Diſcipulus Thyrſias itidem Syracuſanus, Gorgias Leontinus Magiſter, qui fuit Iſocratis; Hermogenes Halicarnaſſeus, Cicero Romanus, Quintilianus Hiſpanus, & plures alij Recentiores eloquentiæ Profeſſores.

PROLEGOMENUM II.

De Rhetorum honoribus.

TAnti fecerunt viri ſtudijs literarum addicti, ac ingenio pollentes eloquentiam, artémque Rhetoricam, ut ad ejus excolendos flores chartis impalleſcere, ſudorum imbres effundere, pluréſque exantlare labores voluerint, ut hanc artem enacti, Oratores haberentur, & eloquentiâ commendarentur. Hæcque ratio, cur plures ad remotas, & incognitas orbis plagas hæc diſcendi cupiditas traxerit, adeò ut Euclides Megarenſis, & Laſtenia mulier habitu ementito, hæc virili, ille fœmineo ad ſibi comparandas diſciplinas, primus Socratis, ſecunda Platonis longè diſſitas peragraverint Regiones, laboréſque ſubjêrint, ut humanas aures ſcientifica modulatione addiſcerent demulcere, aurámque popularem ſibi captare. Moris ſiquidem fuit ut Rhetores tanto haberentur in honore, ut privilegio ſpeciali conceſſum Oratoribus fuerit in palmis, palmarúmque folijs ſuas exarare orationes, & jure merito, triumphalia enim Oratorum verba alia non erant papyro excipienda, quàm palmari: meminit hujus privilegij Martialis *lib. 7. epig. 27.*

Sic fora mirentur, ſic te palatia laudent,
Excolat & geminas, plurima palma fores. 2

Non modicæ fuit laudi etiam Rhetoricæ datum, quod Trajanus Imperator aureo ſuo curru, ac triumphali Dionem Oratorem vehi ſineret per publicas urbis plateas, ut Roma non minus Martem loricatum, quàm Palladem laureatam exciperet triumphantem, & rectè; Capitolium ſiquidem non corporum duntaxat triumphantibus, ſed animarum etiam triumphatrici debebatur eloquentiæ, cum hæc nobiliori dominetur hominis parti.

Non

3 Non me latet, Hortentio Oratori ſphyngem eburneam dono dediſſe Verrem, quia referente Plutarcho ſphynx ſapientiæ, & quidem arcanæ ſymbolum haberetur, moríſque propterea fuit, ut in munus deſtinaretur Oratorum ad indicandum quantum reconditæ doctrinæ, artiúmque liberalium debeat Oratori ineſſe, qui eſſe debet omnium artium, ac eruditionum Encyclopediâ inſtructus, ut de ſingulis apprimè loquatur.

4 Illud etiam terrificum in bello fulmen Alexander Macedo teſte Plinio *lib. 7. 29.* tanti eloquentiam fecit, ut capto inter opima Darij victi ſpolia unguentorum ſcrinio (quod erat auro, gemmíſque pretioſiſſimum) libros Homeri, quos tanto dignos loculo exiſtimabat, incluſerit. Thebas itidem cum irruente milite diriperet, expilaret, everterétque, ac in omnes ſine diſcrimine ſæviret, Pindari Vatis pennatibus parci juſſit, eò quia ſummo habuerit in honore virum, qui Muſarum fuit delicium, & de eloquentia optimè meritus. Utinam ſingula ſæcula ſuos orbi literario darent Alexandros Rhetorum Mæcenates, nunquam deeſſent Homeri; plures quælibet ætas audiret grandiori tuba canentes Virgilios, ut pulchrè innuit Martialis *lib. 10.*

Sint Mæcenates non deerunt Flacce, Marones,
Virgiliúmque tibi, vel tua rura dabunt.

5 Quæ ſpondent Principes eloquentibus præmia, ſtimuli ſunt, quibus Rhetores ad maxima vel canenda, vel ſcribenda excitantur: ídque Artemiſiam heroinam invictiſſimam minimè latuit, hæc epotis Mauſoli mariti cineribus, affecta amoris vehementiâ certamen inſtituit literarium, quò clariores id temporis Oratores epicedijs, næniíſque laudatione refertis defuncto viro parentarent, ejus virtutes canerent; poſuit enim præmia pecuniæ, gemmarúmque ampliſſima, ídque cauſæ fuit, ut ad laudes extincti Mauſoli enarrandas certatim acceſſerint Oratores ingenio, & eloquentia laudatiſſimi, ut Theopompus, & Iſocrates. Quis non ſemper expectaret opera ingenio perfecta, omnibúſque ſuis abſoluta numeris, ſi talium præmiorum ſpe ſtimularentur Eloquentiæ cultores?

6 Scipio itidem Africanus ſtatuam Ennij Poëtæ (quem in ſuis expeditionibus comitem ſemper habuerat) ejus ſepulchro imponi juſſit, ut oſtenderet etiam poſt fata ſapientiæ ſimulacrum mortuis vitam impertiri; voluit enim, ut Ennius perenniùs ſtaret in ſimulacro illo etiam poſt lapſum ex Libithina. Iſocrates itidem eo fertur fuiſſe in honore, ut unicam orationem viginti talentis vendiderit.

7 Quid de ſtatuis dicam Oratoribus in foro, ac plateis, locíſque alijs inſignioribus erectis? Athenienſes Demetrio Phalereo ſexaginta ſupra trecentas erexiſſe ſtatuas, quà ære fuſas, quà marmore ſculptas, pleráque teſtantur Priſcorum monumenta. Vopiſcus refert, Numeriano Rhetori Chari Imperatoris filio fuiſſe inſignem erectam ſtatuam Romæ hac epigraphe *Numeriano Oratori potentiſſimo*, & populus Romanus Proëreſio Eloquentiſſimo Giganteum conflavit ſimulacrum hac inſcriptione *Regina rerum Roma Proereſio Regi eloquentiæ.* Quinimò etiam ex auro fuſo fuiſſe Rhetoribus pleráque conflata ſimulacra legimus, & præſertim Gorgiæ Leontino, qui primus ſubitæ, ac fortuitæ orationis fontem adaperuit: huic enim aurea ſurgebat ſtatua, ut vel tacens ſimulacrum auream loqueretur facundiam Oratoris.

8 Platonem impensè commendavit Ariſtoteles diſcipulus, ejúſque nomini aram in fano conſtruxit, ſtatuámque dedicavit. hac inſcriptione: *Hic ille eſt, quem probi omnes meritò debent imitari, & commendare.* Zenonem Athenienſes tanto ſunt proſecuti honore, ut ipſi unico ſiderent, clavéſque urbis apud eundem deponerent, ornaréntque aurea corona, æneóque ſimulacro, indicantes, urbes non meliùs cuſtodiri, quàm ſapientia, & conſilio.

9 Ut autem ſimulacrum eloquentiæ, ac Rhethoricæ ſuſpiciendum populis darent priſci homines, puellam exhibuerunt ſedentem eminenti in ſolio, formoſam aſpectu, decoram fronte, ſplendentem oculis, gracilem corpore, Amaltheæ cornu complectentem brachio fructibus omnibus, ac floribus refertum, quia hæc ſi cum Lucano loquar,

Ut fæcunda Venus cunctarum ſemina rerum
poſſidet.

10 Hinc viri Principes non ſolùm ſpeciali honore fuerunt Rhetores proſecuti: verùm etiam eoſdem à conſilijs adhibuerunt, ac defixos ſuis voluerunt lateribus, ut Alcynous adhæſit Ulyſſi, Chyron Achilli, Ariſtoteles Alexandro, Anacreon Policrati, Neſtor Agamennoni, Antigono Zeno, Apollodorus Auguſto, Xenophon Cyro, & rectè, quia ut ait Plato. *Qui ſapiens divino, atque decoro frequenter adhæret: Divinus & ipſe, atque decorus quoad homini poſſibile eſt, efficitur.* Præſertim quia ſapientiâ, & conſilio validiùs, quàm armis defenditur Reſpublica, ad quod alluſit Prudentius, cum dixit: *tunc fortuna ſatìs, ſi vel Reges ſaperent, vel regnarent ſapienter.*

11 Hæcque ratio, cur vel ipſi Ethnici tanti eloquentiam, ac ſapientiam fecerint, ut cæteris eam prætulerint commodis, nílque duxerint præſtantius illâ: Teſtis eſt Anaxagoras, qui patrimonium ampliſſimum largitus eſt amicis, ut ſcientijs liberiùs vacaret; licèt nunc conquirendorum patrimoniorum aptiſſima ſint ſcientiæ inſtrumenta; teſtis Democritus Abderites, qui opulentiſſimas Patris Gazzas flocci fecit, ut diſcendi cauſa longè diſſitas inambularet regiones; teſtis Crates Thebanus, qui in unum congeſtas linteum opes auro, gemmíſque refertas in mare projecit, ut optato ad ſapientiæ littus appulſu uniones legeret pretioſiores. Plures itidem fuerunt, qui corporeis etiam orbati oculis voluntariam ſe in noctem injecerunt, ut animo lyncæi in arce doctrinæ vigilarent, melioris lucis donati uſurâ. Hic enim eſt ille mentis ſplendor, quo vel ipſæ natalium obſcuriorum fugantur caligines, eliminantur tenebræ, in quibus delituiſſent plures, quos ſolus eloquentiæ, ac ſapientiæ nitor illuſtres poſteritati conſtituit. Plures fama

in-

inflatis bucinis commendat obſcurioris licèt fortunæ filios, quos eruditio educavit; & ſapientia proprio excepit ſinu, quò ad clariores adoleſcerent gloriæ nitores. Quis Socratis omnium hominum unanimi ſuffragio, imò & ipſius ſapientiſſimi Apollinis judicio, vel famam unquam, vel gloriam ſuperavit? & tamen è Patre Marmorario natus, ipſâ flexaminâ arte ſtatuam ſibi ſculpſit omni marmore, ac ære perenniorem. Quæ ſæcula Euripidis non commendârunt gloriam ob ſibi comparatam eloquentiæ laudem? & tamen neminem latet, ejus matrem olera venditâſſe. Quis Demoſthene eloquentiæ gloriâ clarior? & hunc ſcimus, filium fuiſſe venditoris culmorum. Æſchynem memorant eloquentiæ cultores, quem in oratoria facultate tanquam prælucentem ſibi facem ſeligunt, & nihilominus Patrem habuit tympaniſtam. Epictetum ſummis alij celebrant laudibus ob præclaram eruditionem, quâ claruit, ſed is ſervus quondam fuit. Commendant quidam Demadem ob eloquutionis flores, quos excoluit; at is piſcatu quæſtum priùs fecerat, quò vitam aleret, corpúſque fame, ſitique languidum reficeret. Ad ſydera extollunt alij à Muſarum in Parnaſſo culturâ Lucanum, qui Latomus, ac lapicida fuerat.

32 Quòd ſi aliorum hic attexere cathalogum niterer, quos eloquentia, & eruditio è ſordeſcentis fortunæ cœno in gloriæ faſtigium, veluti præclariora virtutis lumina extulerunt, perinde foret, ac immenſum pelagus exhaurire, vel cyatho mare circumſcribere: etenim ſi Priſcorum conſulamus ætates, hæ nullos recenſebunt conſules honorificentiores, nec generoſiores Imperatores ijs, quos ad hæc dignitatum faſtigia eruditio evexerat: noſtris etiam temporibus Pontificũ Cathedras, curiarum ſubſellia, magiſtratuum ſedes, ij tantùm implent, quorum melle ſuo ſapientia pectus implevit. Hi ſunt, qui loquendo Principes rapiunt in admirationem, qui melleâ eloquentiâ fortiùs animos vinciunt, quàm juxta Poëtarum commenta aureâ catenâ Hercules ille Gallicanus populos vinciret, & ad ſua traheret obſequia. Nullus hactenus in ſinu adolevit eloquentiæ, quem nominis gloria illuſtrem non dederit Poſteritati; quæ propterea ut Græciæ lumina, & eruditionis, ac eloquentiæ numina veneratur Platonem, Ariſtotelem, Socratem, Homerum, alióſque ſexcentos, qui eloquentiæ lacte paſti, & farti ad perennem gloriam creverunt; quam ſibi ex Romanis eruditione etiam comparârunt Tullius, Cæſar, Seneca, aliíque plures, qui Manium umbras doctrinæ, & eloquentiæ claritate vincentes vivunt etiamnum Poſteritati, cui præclara concrediderunt nomina: & ſi lubeat chriſtianorum ævum recordari, ſacrúmque Theologorum luſtrare cathalogum, & eos raptim recenſere, quos eloquentia enutrivit, quis Gregorij, Baſilij, ac Chryſoſtomi præclara nomina non veneretur? Quis Auguſtini, Ambroſij, Hieronymi, Cypriani non commendet eruditionem? hi ſunt, quos eloquentiâ nobilitat, & gloriâ poſthuma illuſtrat.

PROLEGOMENUM III.

Num Rhetorica ſit ars, & quæ?

EA eſt Rhetorices præſtantia, ea indoles, 1
ut prædura corda mellitis ſuaſionibus emolliat; efferatos, ſylveſtréſque animos congeſtis rationibus ad floridam flectat virtutum culturam; agreſtes, incultóſque homines argumentorum vincat apparatu, & ad civilem trahat conſuetudinem; honeſtis moribus imbuat, ac virtutum ornatu ad omnem polliat eloquentiam, in quibus præſtandis adminiculis utitur præceptorum, ad quorum amuſſim ſuas texere ſatagit ſuaſiones, ſuas conſtruere conciones. Errant, totóque cœlo aberrant, qui in ea verſantur ſententiæ vanitate, ut exiſtiment, eloquentiam in ſolis ingenij viribus ſitam; omnéſque vires ad flectendos animos, ad corda demulcenda ei abundè à natura ſuppeditari, nihilque opis ab arte expoſcere: neque ullis artis præceptionibus eos indigere, qui præſtantis ingenij felicitatem obſtetricantis naturæ beneficio ſortiri dicuntur: quaſi is cæteris ſit præſtantior Rhetor, qui declamando ferventiori rapitur naturæ impetu, æſtúque agitur intentiore. Experimento ſiquidem depreheuſum eſt, ſic perorantes non eloquentes eſſe, ſed garrulos loquentes; nil turpius, quàm in nobilium conſeſſu virorum, coram populi frequentia id confeſtim linguâ effundere, quod mens ſuggerit inopina: neque eſt vacuum temeritate, neglectâ prælucente artis face caliginoſos, ac præruptos inambulare tramites: idque cauſæ, cur neceſſe ſit, hujuſmodi blaterones perſæpè impingere, linguámque detergere, dum ſpreto artis gubernaculo ſe totos permittunt æſtuantis naturæ verticibus: perinde id eſt, ac ſine præeunte duce ignota, ac prærupta inambulare itinera; vel abſque irradiante cynoſura immenſum trajicere pelagus, ſyrtibus, ac ſcopulis frequenti obnoxium periculo. Quid enim poſſunt venuſtè exhibere, quid utiliter præſtare, quotquot cæco impetu calamum, aut linguam ventilant, quàm repetitis pluries ijſdem verbis aëra in caſſum diverberare, ac vocem in ventos effundere?

Unum duntaxat hiſtoriarum monumenta 2
ſexcentos inter oratores recenſent Gorgiam Leontinum temporario ſtylo amœnè è ſuggeſto ad populum dicentem, plauſúque vulgi ſatiatè nunquam perorantem: at is etiam unicus auream meruit Delphis ſtatuam. Nec uni ſolùm naturæ tantæ facilitatis, ac ubertatis gratia referenda eſt, ſed arti potiſſimum Rhetoricæ, in qua perdiſcenda, & exercenda plurimum Gorgiam operis impendiſſe haud me latet. Imò tantæ artis fuit ejus eloquentia, ut quidquid Rhetoricarum præceptionum tradiderit Ariſtoteles, id totum debeat uni Gorgiæ, ut refert D. Hieronymus *in Apol. ad Jovin.* inquiens: *Legimus ò eruditiſſimi viri, in ſcholis pariter, & Ariſtotelea illa de Gorgiæ fontibus manantia.* Sine prælibatis Rhetorices præceptionibus extempore, ac tumultuariò è ſuggeſtu ad popu-

lum

lum dicere, perinde eſt, ac rete ventorum capturæ expandere; Orator, qui artem negligit, contemnatur & ipſe, neceſſum eſt. Vis ingenij artis ſubſidio juvanda eſt, ac præceptionum fulcro, ne labatur, ſulcienda, & plerumque occurrunt acuratiùs limanda, quæ naturalis ubertas abundantiùs ſuppeditavit: extemporariæ dicendi argutiæ fulgetra imitantur, quæ cum primùm illuceſcunt, extinguuntur, cum oriuntur, ſimul occidunt: vel herbuſculas dixeris ſolſtitiales, quæ quo die naſcuntur, pereunt; neque eruditorum aures quidquam pulſat moleſtius, quàm oratio extempore ſine arte, absque prævio examine compta. Qui Rhetoricas contemnit præceptiones, is vel nimis abjectè de eloquentia judicat; vel nimis ſublimiter, nè dicam temerè, de humanæ mentis ſentit intelligentia.

3 Ut oratio omnibus ſuis fluat abſoluta numeris, ſitque in verbis dignitas; in ſententijs Majeſtas, in perjodis concinnitas, in rationibus pondus, in contextu judicium, in partitione ordo, neceſsè eſt, Rhetoricis fulciatur præceptionibus, quarum beneficio ſuam conſequitur perfectionem. Hinc liquet, Rhetoricam ab Artis præceptis minimè abhorrere, verſatur enim circa praxim, docétque præcepta appoſitè perorandi, quod viri ſapientis eſſe dicitur. Nullum enim Sacrates ſapientiam inter, & oratoriam diſcrimen poſuit, adeò ut una ſit utriusque laus, unus ſplendor. Orator, qui rhetoricis eſt præceptionib⁹ addictus, artémque benè diſſerendi apprimè callet, ſive ad populum in foro; ſive ad chriſticolas in templo; ſive ad Principes in aula; ſive in exedra ad ſapientes, de re quacunque propoſita cum laude diſſerit; apertâ, ac nervosâ oratione docet; ſuavi ac grato rerum delectu allicit; blanda rerum ſelectarum diſpoſitione demulcet; ac tandem rationum efficacia, perjodorum gravitate, verborum ſuavitate, argutiarum lenocinijs, & argumentorum vi, concitatos auditores, in quam ipſe voluerit partem unjus linguæ flectit imperio, quia rhetoricis præceptionibus adminiculo ita ſuadet, ut plenè perſuadeat.

4 Eſt igitur Rhetorica ars complectens præcepta flectendis animis peridonea, quâ ratione Plato Socratis Diſcipulus, & Ariſtotelis Magiſter Rhetoricam vocavit artem flexanimam: hinc ſalluntur, qui Rhetoricam totam cenſent operam impendere, ut eleganter, & ornatè dicat, quaſi fucatam imitaretur mulierculam, non matronam gravitate decoram, ætate maturam, & judicio prudentem; in id præſertim Rhetoricæ præcepta collimant, ut orator auditoribus virtutum ſuadeat culturam, ac vitij fugam: animos in eam flectat partem, quam opportunitas exigit. Quia verò multipliciter id obtingere poteſt, multiplex etiam ſolet Rhetorica aſſignari, nimirum divina, ſeu infuſa, qualis fuit illa Apoſtolorum, quâ Ethnici Philoſophi ad fidem traherentur orthodoxam. Heroica ut illa Sanctorum Patrum Auguſtini, Cypriani, Hieronymi. Humana; quæ bipartitur in naturalem, & artificialem: illa eſt innata facultas hominibus indita à natura ad ſuadendum bonum, ac diſſuadendum malum, ut homini noxium, hac ratione homines rudes, ac hiſpidi, qui nec prima ſalutârunt Grammatices rudimenta, appoſitè plerumque loquuntur ad ſuadendum cæteris, quod conſentaneum eſſe ipſis videtur.

Rhetorica Artificialis, quæque ad præ- 5
ſens facit inſtitutum, eſt, quæ docet præcepta in ordine ad bene loquendum, ac flectendos animos in eam judicij partem, quam nititur Orator Auditoribus perſuadere. Non igitur in ſcientiarum Cathalogo eſt Rhetorica recenſenda, ſed prima gaudet artium ſede antecellit enim nobilitate, ac objecto cæteras artes: quæ libero cenſentur homine dignæ. Proprium ſcientiæ eſt, rerum eſſentias, proprietates, & effectus cognitione per ſuas cauſas, vel effectus evidenter aſſequi, ac in ſola immorari contemplatione rerum: cum è converſo Rhetorica tota ad praxim reducenda ſit, & coaleſcat ex ſolis præceptionibus, ad quarum amuſſim orator loquitur, vel ſcribit ad ſuadendum, quod conſentaneum eſt, & diſſentaneum diſſuadendum.

Rejicienda eſt igitur, quæ inolevit quo- 6
rumdam mentibus opinio, nobiliorem vegetæ eloquentiæ ſuccum nullo poſſe artis præſidio comparari, nullis præceptorum ſuppetijs aſſequi, nulláque docentium induſtriâ obtineri; eò quia naturæ, ingeniíque viribus duntaxat efflorescat, & univerſam eloquentiæ ſupellectilem nobis abundè unà cum ingenij acumine à natura ſuppeditari. Quamvis eloquentiæ exercitijs plurimum proſit præſtantis ingenij perſpicacitas, & acumen; obſitque hebetudo; ire tamen inficias neutiquam poſſumus; præceptionum prænotiones felicitatem ingenij juvare: id præſtant præcepta, quod famulus cum hero nocte illuni ſucc enſum anteſert funale, ne in foveam, vel ſaxa impingendo dilabatur; néve à recto deflectat tramite. Si Oratores flexanimæ artis deſtituerentur præceptis, ſimiles forent natantibus in vaſto gurgite, qui brachiorum plauſu multum laborantes parum proficiunt, eò quia littus, quod adire debeant, minimè videant; aut cæcis absque prævio comite, qui per viarum anfractus deambulantes paſſim impingunt, cadúntque.

Eſt Rhetorica Artium nobiliſſima ſudore, 7
ac exercitio paranda exhibens præcepta ad bene loquendum, aptè perſuadendum, concinnè perorandum, animósque pro libitu oratoris flectendos: hinc Plato Socratis tam ſtudioſus diſcipulus, quàm doctus Ariſtotelis magiſter Rhetoricen definivit *artem flexanimam* ſumptâ denominatione à principe ejus munere, quod eſt animos flectere; idque conſequitur orator, cum vel ſuadet ratione, vel movet opportuna rei repræſentatione, ut contigit Ariſtidi Legato ad Imperatorem. Finis oratoris erat perſuadere Imperatori inſt urationem collapſæ urbis ex terræ motu; ad quem finem aſſequendum non detulit ruinarum picturam: ſed collapſæ Smirnæ fatum, cives ruderum ponderibus obrutos, ac ruinis inſepultos; pal-

latia diruta, domos contritas; téſque omnes in unum redactas miſeriarum lugendum cumulum, mox recenſitis collapſæ, ac detritæ urbis ruinis exclamavit. Heu lugendum ſpectaculum jacet in pulvere ſqualida, ruinis ſepulta, collapſis ædificijs oppreſſa, ſuo viduata ſplendore Smyrna ornamentum Aſiæ, veſtri decus Imperij terræ motu contrita: in pulverem abjerunt ædificia ad omnem conſtructa elegantiam, clauſus eſt portus, perjerunt fori ornamenta, viarum decora ceciderunt; gymnaſia cum ipſis viris, & pueris collapſa ſunt, cives priùs ſepulti, quàm mortui perjerunt. Ad has Ariſtidis voces cohibere luctus, compeſcere lachrymas non valuit Imperator, & de Smyrna inſtauranda illicò deliberavit. Unde jure merito Plato, Rhetoricen artem dixit flexanimam, cum animos verborum delectu moveat, ac flectat.

Neque audiendus eſt Athenæus, qui hanc
8 dicendi, ac eloquendi facultatem artem dixerit temerè fallendi, fortaſſis ut ſe ipſum Sycophantam proderet, qui abſoluti Oratoris gloriabatur appellatione. Non inficior, fuiſſe in ſophiſtas convicium vibratum, quo præſtigiatores vulgò dicerentur, ea de cauſa, quia portentoſa mendacia vaniſſimis veſtita fucis, ac mentitis larvata coloribus adſtantium ingererent auribus, ut vitrum pretio venditarent adamantis. Talem fuiſſe Zenonem diceres, cum ſe jactaret ab eloquentiæ penu ea poſſe ſophiſmata eruere, quibus rem eandem poſſe, & non poſſe fieri evinceret. Tametſi ridicula hæc, ac furioſa mentiendi libido in Græcorum irrepſerit mentes, & illos pulſet deceptores, qui non alia ſunt fide digni, quàm græcâ: regina eloquentia hæc averſatur ſophiſmata, veritati minimè conſona; & licèt ſuas interdum intermiſceat auxeſes, eas tamen tali uſurpat moderatione, ut non ſinat in ſe retorqueri ſcomma illud Ageſilai, qui nonnullis oratorem commendantibus, quòd res exiguas mirificè verborum redundantijs extolleret, repoſuit: at ego peſſimum eum ſutorem puto, qui parvis pedibus grandes inducit calceos.

Hinc definitur Rhetorica à Tullio, *Ars,*
9 *quæ præcepta tradit bene, ac ordinatè dicendi*, adeò ut Rhetorica diſtinguatur ab eloquentia; illa enim eſt ars tradens præcepta bene dicendi; hæc facultas dicendi: Rhetor is dicitur, qui præcepta callet bene, & appoſitè dicendi; eloquens verò, qui juxta præcepta eloquitur, delectat, docet, ac movet, ſeu perſuadet, quod præſtat, ſi ſit verbis elegans, rationibus gravis, ſententijs copioſus.

PROLEGOMENUM IV.

De Officio, & fine Rhetoricæ.

1 Cuivis facultati ea eſt à natura indita propenſio, ut finem aliquem ſibi præſtituat, in quem ſuas dirigat operationes, ne cum proprias exerit vires, aërem, videatur in caſſum diverberare; & quia Rhetorica utpote liberalium facultatum princeps nonniſi ob finem operatur, in cujus aſſecutione, perinde ac miles poſt initos conflictus, triumphat; enucleandum hic ſupereſt, qualisnam ſit Rhetoricæ finis. Is autem alius non eſt, quàm in eam auditores flectere partem, cui Orator adhæſerit, ſeu jiſdem ſuadere, quod conſentaneum viſum fuerit, & ab oppoſito retrahere; adeò ut præcipuum Rhetoricæ artis munus ſit appoſitè dicere ad perſuadendum, quod rectæ rationi cenſetur conſonum; perſuadere ſiquidem quod eidem videtur diſſonum vitio potiùs vertitur arti, quæ utpote honeſtati addicta, virtutum ſtudia, vitiorúmque fugam intendat, neceſſum eſt.

In id igitur Rhetorica incumbit ſtudij, ut
appoſitè dicat ad perſuadendum, utatúrque 2
medio flectendis animis apto; Hæcque ratio, cur plerique Rhetoricam dixerint auream catenulam Herculeis prodeuntem è labris, quæque juxta Poëtarum commenta animos adſtantium quantumvis invitos ſuaviter ſtringat, ac vi blanda in ſuam pertrahat ſententiam. Alij Mercurij caduceum, in quo pugnantes inter ſe ſe ſerpentes in pacem, mutuúmque amoris complexum nectebantur; adeò potis eſt Rhetorica in hominum pectoribus, adeò ejus imperium efficax, ut diſſidentes animos blandè reconciliet, ac ſuaviter componat, amorisque fœdere unà adglutinet. Nonnulli blandam, harmonicámque dixerunt Orphei citharam, quæ ſaxeis, efferatisque hominum animis dominetur, in eámque prout magìs libuerit partem, vi quadam ſuavi trahat, adigátque; omnésque ſive cicures, ſive efferatos, amicos, vel hoſtes blanda rapiat violentia. Neque defuerunt hac in palæſtra, qui Rhetoricam dixerint tubam illam, qua clangente Jerichontis corruerint Muri; eò quia oratoriâ vis perditorum hominum vitia eliminet, prædura corda emolliat, corruptos mores corrigat, & in omne malum pronam audaciam funditùs evertat.

Eſt ſiquidem Rhetorica nobilis illa huma-
næ mentis moderatrix, ac domina, quæ ad 3
amorem hominem inflectit, ad odium excitat; ad deſiderium inflammat, ad fugam movet; ad gaudium promovet, ac triſtitiam deprimit; ad ſpem erigit, in deſperationem impellit; hæc illa, quæ timore audaciam, audacia timorem cohibet; iras mox accendit, & modò coërcet; pietatem nutrit, lachrymas elicit, & riſum prout ipſi magìs placuerit, provocat; ipſâ enim exultante lætari, ipſâ dolente ingemiſcere, ipſâ optante deſiderare, invehente fremere, commendante diligere, iraſcente excandeſcere conſpiciuntur adſtantes. Hæc enim eſt illa, quæ divinis imperijs ex cœleſti beatorum domicilio fuit in terras demiſſa, ut hominibus ærumnarum vi preſſis opem ferret, miſerias levaret, dejectóſque animos in ſpem erigeret melioris fortunæ; quos enim repererat homines turpes, hiſpidos, longa macie ſordidos, glandéſque ſub quercu more pecudum eructantes, cœpit blandiſſima oratione ad hu-

humaniora emollire inſtituta; & ita agreſtia illa dedolare ingenia, ut à morum barbarie ſenſim ſine ſenſu ad mitiores defluxerint mores, & mutuis homines confœderati amoribus ſocietatem injêrint, cœperintque mœnibus ſepire urbes, agros colere, plantas ſerere, fructus colligere, commercia promovere; emporia conſtituere, leges inſtituere, artium exercitia indicere, ac replere tribunalia ſenatoribus, Academias viris eruditis, ſuggeſtus Oratoribus, exedras doctoribus: non enim tot rident prata floribus, non tot margaritis fulget Erithræum, non tot micantibus ignibus ſplendet æther; quot dedit Rhetorica mundo viros eruditione inſignes, ſapientiâ ſingulares, eloquentiâ præſtantiſſimos.

4 Eſt officium Rhetoria appoſitè ad perſuadendum loqui; ſeu ita ſermonem ad Rhetoricarum præceptionum amuſſim texere, ut potia ſit ad perſuadendum, & ad hominum animos potenter permovendos, flectendóſque in eam partem, quæ oratori viſa fuerit opportunior. Ad id præſtandum utitur Orator verborum delectu, & ornatu, rerum copia, & amœnitate: argumentorum amplificatione, & efficacia; his enim adminiculis ſuum orator finem conſequitur, qui alius non eſt, quàm ut Auditor rationum pondere victus impellatur ad agendum, ſeu ad boni proſecutionem, fugámque mali: ut autem eam oratio ſortiatur efficaciam, quâ animos valeat flectere, ac movere juxta ſibi præſtitutum finem; ab arte Rhetorica neceſſe eſt, ſubſidia expoſtulet. Præfixâ ſiquidem dicendi materiâ excogitandæ ſunt rationes, quarum evidentiâ id demonſtretur, quod nititur orator perſuadere: inventa mox argumenta rectâ diſpoſitione ita diſtribuuntur, ut quæ plus viſa fuerint præſeferre roboris, ultimo donentur loco, ne cum auditor diſceſſerit, anceps hæreat. Res itidem inventæ, præmiſſo argumentorum delectu, eleganti, ac grata verborum venuſtate, troporum varietate, figurarum concinnitate exornanda ſunt, ut tria præcipua orationis muneta valeat exercere, quæ ſunt docere, delectare, ac movere: docet Orator ſi validis argumentis, hiſtorijs quà ſacris, quà profanis propoſitionem veram eſſe probet; delectat, ſi varijs utatur dicendi veneribus, verborum phaleris, ſententiarum acuminibus, dictionum elegantijs; movet concitando affectus mox ad pietatem, nunc ad odium, modò ad ſpem, deſiderium, dolorem. Cum igitur de oratore loquimur, non cauſidicum huc advocamus aliquem, aut locutulejum quemlibet, qui è grege concionalium rabularum vendibilis habeatur proclamator; ſed de eo, qui ſive ad populum in foro; ſive in aula ad Principes, ſive è ſuggeſtu in eccleſia peroret, de re qualibet valeat diſſertationem inſtituere, quæ multiplici eruditionum ſupellectili doceat; blandis verborum, ac ſententiarum lenocinijs delectet; robuſta, ac pugnaci argumentorum vi moveat, & in quam voluerit partem, flectat animos, blandúmque exerceat imperium in hominis affectus.

5 Primum autem, & præcipuum Oratoris munus eſt, ut benè, ac ſcienter edocere valeat, ſive ſcribat, ſive eloquatur. Si enim ignoret Orator, quid poſſit enthymemate, quid inductione, quid alijs conſici argumentationibus, ut in quavis, quæ ei poteſt materia obviare, aliena refellat, repugnantibus occurrat, fallentia abigat, nunquam appoſitè ad perſuadendum dicet. Quapropter falluntur, qui putant, totum oratoris munus eſſe ornatè, ac eleganter dicere, verborum lenocinijs allicere, ſententiarum acuminibus arridere, demulcere, elegantiarum phaleris aliorum aucupari benevolentiam; in quo præſtando plus forſitan memoriæ illucet, quàm ingenij; tametſi delectare unum cenſendum ſit ex oratoris muneribus; non tamen in hoc ſiſtit tota artis induſtria; debet enim orator ulteriùs docere, ac ita ſuadere, ut in quam ipſe voluerit partem auditores pertrahat; hinc neceſſe eſt, profiteatur univerſatum pene rerum intelligentiam; ac perſæpè Philoſophum agat naturalem, rerúmque intimas cauſas ab ipſa petat natura; nunc Ethices profeſſorem, ut affectus prout neceſſitas poſtulaverit, vel excitet, vel coërceat; modò Hiſtoricum, ut quæ anteactis ſæculis contigerunt, recenſeat ad corroborandum, quod nititur perſuadere. Hæcque ratio cur Plato dixerit, Oratores majori habendos eſſe in pretio, quàm cæteros ſapientes; & revera Ulyſſes æquè in Minervæ Palæſtra, ac Bellonæ caſtris præſtantiſſimus, tunc tantùm omne ſibi tulit ſapientiæ punctum, cum Oratorem egit apud Hecubam, quam deſcribit Euripides. Poſtulabat Achillis umbra, ut ad honorificum tumulum ſibi in Cherſoneſo poſitum, Polyxena Priami filia mactaretur, ut Græci à captivitate vindicarentur, quâ apud Polyneſtorem detinebantur. Abducenda erat ab Hecuba matre, eáque conſulta Achilli immolanda infenſiſſimo Trojanorum hoſti. Ad flectendam Hecubam non ſeligitur Agamemnon aliquis, nec Diomedes, imò nec ipſe pater Neoptolemus, ſed eloquentiſſimus Ulyſſes, cujus oratoria vi non ſolùm Hecuba vincitur, ſed & devincitur, ut victimam exhibeat mactandam; neque illi gloria fuit minor ob victam eloquentiâ Hecubam, quàm ob expugnatam gladio Trojam.

6 Sed quâ artis induſtriâ, quo ingenij aſtu, quâ diſertæ linguæ facundiâ potuit Ulyſſes ita perorare, ut odia contra Græcos Trojæ everſores in ipſa reſtingueret Teucrorum regina? accenſam iram adverſus Achillem Hectoris interfectorem in matre furore percita compeſceret? Indignationem contra Neoptolemum Priami parricidam in uxore ſedaret? miſerationem in unicam ſuperſtitem filiam è parentis deleret viſceribus? lachrymas, vocéſque querulas in genitrice ob cædem innocentis filiæ coërceret? Non putes id Ulyſſem præſtitiſſe ingenti rerum, verborúmque incompta ſylva, nec quia perdius, pernóxque declamavit; ſed quia ad flexanimæ artis præcepta Hecubæ affectus juxta rei exigentiam compeſcuit, excitavit, animúmque commotæ fœminæ ſedavit.

davit. Totum eloquentiæ momentum in eo vertitur, quòd orator animi affectus, prout neceſſitas poſtulat, moveat, vel compeſcat: quia ut ſcitè innuit Plato in Phœdro *ſine commotione animorum inania ſunt omnia, quæ à Rhetoribus traduntur*, cui conſonat illud Quintiliani lib. 6. Inſtit. cap. 2. & 3. *Spiritus, & anima eloquentiæ eſt concitatio affectuum.*

7 Ut igitur Orator audientium animos flectere, ac in eam, quam voluerit partem, valeat pertrahere, neceſſe eſt, ut oratio verborum, ac ſententiarum pondere ſit gravis; rationibus efficax; excitandis, vel coërcendis animi affectionibus apta, Suaſionibus integra, ſenſibus incorrupta, quæque non verbis vagis, ac laxantibus fluat; ſed opportunis, ſelectìsque ſententijs roborata ab intimo videatur prodire pectore, non in extimo naſci ore, ac ex ſolis labris prodire. Cùm audientium animi ſint adeò preſsè obſidendi, ut ad deditionem adigantur; & expugnatio hæc non alio armorum genere inſtituenda ſit, quâm vi argumentorum; non languida, nec enervis debet oratio incedere, ſed plena robore, vegetóque farta ſucco. Non is cenſetur Orator finem Rhetoricæ conſequi, ſi fuſæ, ac fluentis orationis pompam latè explicet; ſi verborum duntaxat lenocinijs ſtudeat; ſi vocibus calamiſtro delicatè confertis eloquentiam exerceat, ſi ad fucos tantùm, & pigmenta confugiat; ſed qui ſermonem inſtituit inconcuſſis roboratum argumentis, gravibus firmatum ſententiis, & ad perſuadendum, animóſque hominum commovendos accommodatum; non enim finis orationis alius eſt, quàm ut auditor moveatur, adigatúrque ad honeſtè agendum, vel ab opere turpi deſiſtendum; ſeu ad proſecutionem boni honeſti, & fugam mali.

PROLEGOMENUM V.

De quæſtione, ſeu materia, circa quam verſatur Rhetorica in tribus orationis generibus.

1 Sicut ars quævis propria gaudet materia, circa quam verſatur, & in quam propriam nititur formam inducere; ita nec arti Rhetoricæ propria deeſt materia; éſtque omne id, de quo poteſt quæſtio inſtitui; & quia de re quavis, ſive noſtros fugiente ſenſus, cujuſmodi ſunt ſubſtantiæ à materiei ſejunctæ craſſitie, ut Deus, & Angeli; ſive ſub ſenſus cadentes, ut ſunt res corporeæ, cœli, ſidera elementa, plantæ, bruta, homines, poteſt quæri, quid ſit, quænam ejus cauſæ, quæ proprietates, qui effectus: & hoc idem etiam de ipſis carentijs, privationibus, negationibus; imò & de ipſis Chimeris, à quibus natura vel maximè abhorret; nulli dubium, quin hæc omnia materia ſint Rhetoricæ, quæ propterea longè, latéque profuſum pervagatur campum.

Artes ceteræ humi vel jacent, vel repunt; 2
& ſi ſe ſe altiùs erigere conantur, non longè tamen ab humo evehuntur, hæc verò relictis terris aërem ſuperat, cœlos conſcendit, & procul ab hominum oculis abſtracta, cœlum ipſum, & quæ ſola mentis cogitatione cernuntur, ſpirituales ſubſtantias attingit, Deíque ipſius naturam, attributa, perfectiones verborum ambitu, ac circuitu explicat, noſtróque accommodatam captui exhibet diſſertationem. Quid majus, quid auguſtius excogitari poteſt ea arte, cujus ſubjecta materia eſt, vel ipſe maximus Deus? quid præſtantius ea facultate, quæ eloquentiæ nitoribus cœlos, & aſtra ipſa illuſtrat? dicendi veneribus flores, qui ſunt ſydera terræ, pratorum, hortorúmque incolæ exornat? fandi elegantiâ, auro, gemmiſque pretij adjicit incrementa? quid fortiùs, quàm poſſe dicendo hominum cœtus tenere, mentes allicere, voluntates flectere, & quò voluerit orator perducere? Quid præſtantius, quàm de re quavis compta, & ornata oratione diſſerere, ac efficere ut ea, quæ ignoramus, diſcere; & quæ ſcimus alios docere poſſimus? quid potentius, quàm blanda oratione expugnare, animos obfirmatos, ac contra nitentes, eóſque flectere liqueſcentis inſtar ceræ, quò magis placuerit, & ad iram, ad furorem, ad miſericordiam pugnaciter incitare? homines iracundiâ concitatos ſedare, ardentes reſtinguere, frigidos additis veluti facibus inflammare; ſpem metu retundere; odium amore compeſcere, confidentiâ verecundiam temperare, ac homines hiſpidos, agreſtes non cicurare tantùm, ſed etiam vincere, non ferro, non flammis, non aggeribus caſtrenſibus, non cuniculis; ſed pro roſtris, atque ſuggeſtu; non gladio, ſed calamo; non ſago, ſed toga; non inflictis verberibus, ſed prolatis verbis; non effuſo è ſaucio corpore cruore, ſed manante è fervente capite ſudore. Hæc omnia præſtat Orator adminiculo artis Rhetoricæ, quæ artium princeps cæteras ſibi ſubjicit non artes tantùm, ſed & ſcientias, de quibus prout occaſio poſtulaverit, diſſertationem inſtituit, déque ipſis, veluti propria diſſerit materia. Omne ſiquidem, de quo inſtitui quæſtio poteſt, materia eſt Rhetoricæ.

Quæſtiones autem, quæ de unaquaque 3
re formantur, aut formari poſſunt juxta præſens inſtitutum duplicis ſunt generis; aliæ dicuntur ſpeculativæ; aliæ ad praxim ordinatæ, quidquid enim ab oratore quæritur, vel id proponitur, ut ſimpliciter Auditores in rei quæſitæ veniant notitiam; ut cum quæritur, quanta ſit ſolaris diſci magnitudo, an excedat illam terraquei globi. An ſtellæ ſint pares. An terra ſit lunâ gradior. An ignis in lunæ concavo, vel imo terræ nativam habeat ſedem. Quænam ſint naturæ, ac proprietates gemmarum, metallorum, vegetabilium, ac brutorum; hæ & aliæ id genus quæſtiones dicuntur ſpeculativæ; quia ab oratore ad eum unicè finem proponuntur, diſcutiuntúrque, ut auditores

ditores in earundem notitiam ſimpliciter perveniant. Vel orator aliquid quærit non tantùm, ut ſciatur; verùm etiam ut Auditores, juxta agnitam, acceptámque rei veritatem, ac notitiam aliquid agat, & operetur, quo pacto poſtquam Orator oſtenderit, quid virtus ſit, quales ejus proprietates, ac præmium, ſi auditoribus ſuadeat ejus ſtudium, ac exercitium, eóſque ſpe præmij alliciat ad virtutis culturam; dicitur hæc quæſtio actionis, ſeu practica, eò quia ad actionis elicientiam in virtutis cultura, nimirum ad praxim ordinetur.

4 Hæc tamen partitio quæſtionis in ſpeculativam, & practicam, ſeu actionis tribuitur quæſtioni particulari, quæ & hypotheſis dicitur, circa quam magis propriè verſatur Orator: parum enim Auditori prodeſt nôſſe in genere virtutis ſtudium eſſe eligendum, quæ propoſitio dicitur theſis, ſeu univerſalis, ac generica; niſi etiam hoc idem in particulari in his, vel illis circumſtantijs cognoſcat eſſe eligendum. Parum prodeſt nôſſe exercitia charitatis ſuſcipienda eſſe; niſi ſimul Auditor ſciat; tale exercitium hic, & nunc ubi epidemica lues graſſatur, ubi pauperes fame pereunt obeundum eſſe. Illa quæſtio dicitur theſis, quæ eſt univerſalis, ut navanda eſt opera ſcientijs, quæ vera ſunt animi ornamenta: hypotheſis, quæ eſt particularis, ut in id incumbendum eſt ſtudij, ut Matheſim perdiſcamus. Solet plerúmque hypotheſis ad theſim revocari; fitque cum de propoſitione aliqua particulari, quæ probanda ſuſcipitur, fit tranſitus ad propoſitionem univerſalem ejuſdem generis: ſic Marcus Tullius, ut defenderet Celij adoleſcentiam non bene morigeratam, pluribúſque corruptam vitijs de hypotheſi tranſit ad theſim non excuſando peculiarem Celij adoleſcentiam, ſed juventutem in genere; ait Cicero pro Celio num. 28. *Datur enim conſenſu omnium huic ætati aliquis ludus, & ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates, quæ ſi ita erra-bunt, ut nullius vitam labefactent, nullius domum evertant, tolerabiles haberi ſolent.*

5 Exhibitâ ab Oratore quæſtione, qualis ſit ejus finis, illicò innoteſcit, ac facilè perſpicitur, utrum à ſuſcepto aberret inſtituto, an verò aptè peroret ad ſuum finem. Cæterum cum officium Rhetoris dicitur eſſe appoſitè perorare ad perſuadendum, & finis ejuſdem perſuadere vario rationum apparatu, argumentorum efficaciâ, ac cultiſſimæ orationis robore; non ita eſt id accipiendum, ut debeat Orator aliquid ſemper auditoribus ſua diſſertatione perſuadere; ſed ſufficit, ſi id præſtet, quoties oſtendit opus aliquod agendum eſſe, vel declinandum: nonnunquam enim occupatur Orator in ſola rei veritate demonſtranda. Quia verò duo duntaxat ſunt genera quæſtionum, quæ in quavis obvia materia formari poſſunt, nimirum quæſtiones ſpeculativæ, & practicæ; non enim alio fine quæri poteſt de aliquo, quàm in ordine ad cognitionem, vel actionem, ſeu praxim; ſequitur non poſſe plura dari orationum genera, quàm duo, ad quorum unum pertineant quæſtiones ſpeculativæ, ad alterum practicæ. Ex Rhetorum tamen uſu tertium invehitur genus orationis, in quo ab Oratore tractatur quæſtio partim ſpeculativa, & partim practica, dicitúrque propterea genus mixtum.

Hinc uſus invaluit, ut tria aſſignentur o- 6
rationum genera, quorum primum dicitur demonſtrativum, ad quod pertinent omnes quæſtiones, quarum finis eſt ſcientia, ut cum quæritur. An ſol ſit formaliter calidus. An cœli ſolidi ſint, vel fluidi. Sitne ſol magnitudine grandior terrâ; hæc & alia id genus eo duntaxat fine quæruntur, ut eorum veritas ſimpliciter innoteſcat. Solet etiam hoc orationis genus vocari exornativum, encomiaſticum, panegyricum, eò quia in hoc genere agat Orator præcipuè de rerum ſubſtantijs, proprietatibus, operationibus, perpendendo, num ſint laude, vel vituperio dignæ, ut exinde veritatem cum laude, vel vituperio auditoribus manifeſtet: dicitur hoc genus demonſtrativum, quia orator eo utitur, ut demonſtret rei naturam, proprietates, qualitates, actiones, quas laudat, vel vituperat, prout dignæ ſunt laude, vel vituperio; quo pacto diſſerit Rhetor de homine, animantibus, arboribus, floribus, herbis, gemmis, metallis, artefactis, déque eorum proprietatibus, virtute plantarum, hominum geſtis, victorijs, vitijs, virtutibus: quâ ratione genus hoc demonſtrativum complectitur orationes gratulatorias, epinicion, genethliacas, epithalamicas, funebres, propheticas, quibus adventum principis cum plauſu recipimus, gratiarum actorias, & id genus alias; quibus orator nullum alium ſibi finem præſtituit, quàm ut oſtendat naturam, vel proprietates illius rei, ob quam perorat, ſuúmque declaret gaudium, vel triſtitiam juxta ſubjectam, quam ſuſcepit materiam narrandam.

Alterum orationis genus vulgari nomen- 7
clatura deliberativum dicitur, complectitúrque omnes illas quæſtiones, quæ diſcutiuntur non tantùm eo fine, ut rei veritas innoteſcat; verùm etiam in ordine ad aliquid agendum, vel non agendum; proinde pertinent ad hoc genus orationes ſuaſoriæ, diſſuaſoriæ, monitoriæ, hortatoriæ, dehortatoriæ, conſolatoriæ, petitoriæ, conciliatoriæ, commendatoriæ, pacificatoriæ, & aliæ id genus, quarum finis alius non eſt, quàm ut ab Auditoribus fiat aliquid, vel non fiat.

Ultimum ſeu tertium orationis genus di- 8
citur judiciale, quod ad forum pertinet, & nonniſi accidentaliter à duobus præcedentibus videtur differre, quia ſicut in illis tractari poſſunt quæſtiones de quacunque materia in quovis loco, & coram quibuslibet auditoribus, ita in hoc poſtremo tractantur duntaxat quæſtiones verſantes circa materiam judicialem, cujuſmodi ſunt leges, jura, teſtamenta, præmia, pœnæ, benè, vel malè facta. Et quia in genere hoc judiciali plerumque occurrunt quæſtiones merè ſpeculativæ, ſeu in ordine ad

ſolam veritatis noticiam, ut cum orator quærit, an verba legis intelligenda ſint, ut jacent, an verò interpretatione indigeant. An qui violentas manus in Legatum Principis injecerit, reus cenſeatur læſæ Majeſtatis. Aliæ verò practicæ, ſeu in ordine ad aliquid agendum, ut an is tormentis torquendus ſit ad eliciendam veritatem, in quem patrati criminis cadit ſuſpicio. An cæteris ſint præferendi, ac donandi præmio, qui Reipublicæ leges ſanctè cuſtodiunt: ideò dicitur genus hoc judiciale quaſi mixtum, eò quia participet de Demonſtrativo, ac deliberativo. Cæterum ad genus judiciale pertinent orationes accuſatoriæ, defenſoriæ, increpatoriæ, objurgatoriæ, invectivæ, expoſtulatoriæ, quibus propria, vel aliena facta orator excuſat, oſtenditque abſque malitia fuiſſe facta; deprecatoriæ, quæ patrati erroris, vel criminis veniam rogant.

9 Ex hisce tribus generibus; demonſtrativum, quia in id incumbit, ut rei veritatem oſtendat, neque alium ſibi finem præſtituit, quàm ſpeculativum exigit ex natura ſua affectus leniores, cujusmodi ſunt amor, gaudium, benevolentia, & alij id generis. Deliberativum, quia tendit ad aliquid agendum, exigit affectus vehementiores, ac fortiores, cujusmodi ſunt efficacia deſideria, inopinæ, ac neceſſariæ fugæ, imperterritæ audaciæ, vehementia odia, metus ingentes. Genus judiciale, quia mixtum, exigit affectus tum lenes, tum vehementes, ſi tantùm ſiſtat in demonſtranda rei veritate, ſibique finem præſtituat ſpeculativum, exigit tunc affectus leniores. Sin verò actionem, tunc perinde ac deliberativum vehementiores, cujusmodi ſunt affectus odij, indignationis, iræ, deſperationis. Rurſus genus demonſtrativum duas complectitur ſpecies orationis, ſcilicet laudatoriam, & vituperatoriam; tempus hujus generis eſt præſens, & præteritum, laudamus enim, vel vituperamus alios ob actiones præteritas, vel præſentes. Finis eſt honeſtas, vel turpitudo. Species generis deliberativi ſunt etiam duæ oratio ſuaſoria, & diſſuaſoria: tempus hujus generis eſt futurum, quod enim præterjit, aut eſt præſens, non ſuademus: finis eſt utilitas, & detrimentum, quod bonum eſt, ſuadetur, quod noxium diſſuadetur. Species generis judicialis ſunt itidem duæ, oratio accuſatoria, & defenſoria; tempus eſt præteritum; non enim accuſamus, vel defendimus niſi actiones, quæ jam præterjêrunt: finis eſt punitio, vel impunitas, ut plurimum; oſtendit enim Orator eum eſſe puniendum, qui malè egit; abſolvendum verò, qui innocens probatur: quò ſatis deprehenditur illorum deceptio oratorum, qui ſe putant oratoriæ artis finem conſecutos: ſi tantùm fuſæ, ac fluentis orationis pompam latè explicent, ſi tantùm vocibus calamiſtro delicatè inſertis eloquentiam enervent, ad fucos ſolummodo, & pigmenta confugientes. Is cenſendus verus Orator, qui incorruptè dicit, accuratè, atque ad perſuadendum appoſitè; qui non tenui venula per calculos fluit aritudini obnoxius in æſtu dicendi, ſed ingenti latè copiâ redundat ubique tutus à metu ſiccitatis: qui ſuavi, & conſperſa verborum dulcedine, ac ſententiarum lenocinio animos demulceat audientium, flectatque, quocunque voluerit; qui non ſolùm dicendi ſuavitate aſperos aucupetur homines; verùm & rationum momentis ſibi devinciat; qui demum pro oratoris arbitrio ſuſpenſam ab ore audientium multitudinem modò ad iracundiam, atque indignationem inflammet; nunc lenitate, ac manſuetudine mitiget. Mox rapiat amore, modò exulceret odio, confidentia trahat, timore retrahat, & prout occaſio poſtulaverit, in omnem flectat partem Audientium animos, quos pro arbitratu modò laxatis, modò retractis habenis impellat, vel coërceat; moveat, & retardet; excitet, ac remoret.

10 Hæcque ratio, cur Legati ad Principes oratorum nomenclaturâ olim cohoneſtarentur; tales enim ad id obeundum munus deligebantur, qui fluida, ac nervoſa orationis ſtructura, verborum lenocinijs, viſque argumentorum Principibus ſuaderent, quod conſentaneum cenſebatur. Cum ſit oratio accerrimum legationis telum, is ad id officij deligendus eſt, qui ut loquitur Ennius, *ſit Flos delibutus populi, ſuadæque medulla*, quique blandâ ſuaſione valeat Principum iras extinguere, odia coërcere, indignationes lenire, ac reliquas excutere animi perturbationes: vis hæc dicendi melleum eſt illud vocis modulamen, quo Athenienſes ſæpiùs quàm armis fuiſſe devictos fatetur Plato, cum ad eos Gorgias Leontinus Sophiſta ſimul, ac eloquentiſſimus Orator mitteretur; hinc Euripides nec oratorem, nec legatum bonum eſſe cenſuit, ſi eloquentiâ careat, cui adherens D. Hieronymus *lib. 1. epiſt. 16.* ait, eſſe ridendum eum Legatum, qui in propria cauſa patrono indigeat; debet talis eſſe, ut Principis perturbationes lenitate, ac manſuetudine mitiget, eloquentiâ flectat, ſuaſione moveat, argumentis vincat, & ita oret, ut delectet; oblectet, ut juvet; ſuadeat, ut bonum publicum perſuadeat; tueatur æquitatem, laudet honeſta, proponat ſalutaria, quæ Auditores complectantur; moreſque corrigat, in quod plurimum habet roboris concionatoris exemplum, ac vita virtutum honeſtamentis clara; in id enim debet incumbere ſtudij, ut æquè morum doceat integritate, ac eloquentiæ venuſtare: qui enim proficiunt in eloquentia, & deficiunt in moribus, plus deficiunt, quàm proficiant; vana, & noxia eſt illa ſcientia, quæ ſejuncta à probitate morum, magis ſciri ſtudet, quàm ſcire, quæ in ſe corrigat. Plerique plena claruerunt ſcientiarum encyclopedia; quia verò improbi fuêre, ac illorum præcordia vano rumuerunt faſtu; eorum gloria perinde, ac fumus evanuit: jungendus eſt eloquentiæ morum candor, ac vitæ integritas. Caveat Orator, ne probitatem vitæ literis habeat poſteriorem. In uliginoſo loco, qui molem conſtruit, ruinam ſtruit, quâ obruitur.

Plu-

11 Plurimum itidem refert thema ſeligere practicum, intellectu facile, quódque pertineat ad virtutes promovendas, aut vitia amovenda; eſt thema rhetoricum, ait Quintilianus lib. 12. c. 8. *cardo, & fundamentum totius cauſæ pertractandæ:* quapropter eſſe non debet obſcuritatum involucris abſtruſum, neque crebris ſalebroſum mæandris; ſed dilucidum, quódque mente comprehendi facilè poſſit; ac logicè per argumenta rhetoricè amplificanda pertractari. Putârim non poſſe quempiam abſolutum eſſe rhetorem, quin logicales calluerit præceptiones. Plures enim occurrunt termini, qui ſine prævia Logicæ notitia explicari vix poſſunt, cujusmodi ſunt tropi, qui terminis definiuntur Logicis. Synedoche notitiam præſupponit generis, ſpeciei, partis, totius. Metonymia cauſæ, & effectûs. Uberiorem etiam amplificandi ſegetem exhibent decem Prædicamenta, quibus ſine prævia Logicæ notitia uti nequit Rhetor. Ratio id ſuadet, ea ars aliam præcedit, cujus finis, & objectum eſt priùs: etenim fine, & objecto artes conſtituuntur: finem, & objectum Logicæ eſſe prius fine, & objecto Rhetoricæ adſtruunt quotquot utriusque artis noverunt naturam: Logicæ finis eſt legitima humanæ mentis directio: Rhetoricæ verò concitatio voluntatis, affectuúmque permotio; & nulli dubium, quin actus intellectus illos præcedant voluntatis.

12 Poſito probandi thematis argumentorum delectu, interna ab externis ſecernat orator, & quæ potiora eſſe noverit texendæ orationi ita inſerat, ut artis induſtria, & ſubſidia Auditores lateant. Effecta uberem, & elegantem ſuppeditant dicendi ſegetem. Effecta enim rem explicatiùs illuſtrant, & in ſenſus hominum faciliùs incurrunt, movéntque animum efficaciùs. Factu optimum etiam cenſetur, ſi orator preſſis verbis probandum thema palam auditoribus faciat, ut quod probandum aſſumitur, illicò innoteſcat, faciliorem tunc ſibi conciliat attentionem. Debet Orator thema probandum ſibi proponere, ne Andabatarum more, clauſis ut ajunt oculis, in arenam deſcendat.

PROLEGOMENUM VI.

De Præſtantia, viribus, & prærogativis Rhetoricæ.

1 TAnta eſt Rhetoricæ præſtantia, quâ cæteris facilè antecellat facultatibus: eſt ſiquidem Rhetorica ex Ariſtotele *lib. 1. Rhetor. c. 2.* Vis & facultas percipiendi, inveniendíque in re quavis obvia, quod poſſit eſſe perſuaſibile; ad quod nulla alia extenditur facultas; cæteræ enim artes liberales, ac diſciplinæ coarctantur ad unum duntaxat ſubjectum, viréſque ſuas tantùm circa illud exerunt, vímque ſuam docendi, ac perſuadendi circa unam quampiam rem ſubjectam obtinent. Ut autem ſuum Rhetorica ritè munus obeat duplici fulcitur ſubſidio, quorum primo ſubtiliter diſputat ad docendum; altero appoſitè eloquitur ad animos audientium permovendos: ea ſiquidem eſt eloquentiæ vis, ut omnium rerum, virtutum, officiorum, omníſque naturæ, quæ mores hominum, animos, & vitam continet, originem, vim, & mutationes teneat, & leges, ac jura præſcribat: eloquentiâ enim evincimus vera, quæ propugnamus, nobíſque conciliamus eos, qui audiunt, & eorum animos flectimus, movemus, trahimúsque, quò cauſa videtur expoſtulare.

2 Hæcque ars adeò viguit, floruítque priſcos apud Romanos, ut pleríque etiam ex infima fortuna in Ordinem Senatorium, & ad ſummos proceſſerint honores, eò quia hanc artem benedicendi calluerint; imò Ariſtotéles Rh[e]toricam Diàlecticæ vi, ac robore parem dicit, niſi quod illa ſtrictior ſit, hæc laxior, illam manus in pugnum collecta ſymbolicè exprimat, hanc manus aperta, & extenſa. Imò capiendis, illigandiſque animis, ac flectendis, in quam voluerit Orator partem, longè Dialecticam antecellit Rhetorica, præſertim ſi in Oratore hæc comes acceſſerit ad vitæ integritatem, virtutum culturam, ſapientiæ laudem, & morum probitatem: his enim fulta ſubſidijs facilè triumphat de Auditorum animis, in quorum pectora graviter, influit ea ſibi mancipatura. Quid? quòd intimiora invadens cordis penetralia animos acriter moveat, flectat, trahat, attrahátque, quò voluerit? Quid? quòd Auditores in ignem accendat; in ſtimulos acuat, in frœnum coërceat, in triſtitiam abjiciat, in gaudium erigat, in deſperationem detrudat, in ſpem ſublevet, in amorem inflammet, & odium extinguat. Quid? quod panacea ſit, ſi ægritudine laborent Auditores; collyrium, ſi cæcutiant; alexipharmacum, ſi morbo tabeſcant: lenimentum, ſi dolore torqueantur, hæ ejus ſunt dotes, ac prærogativæ. Siquidem innumeræ ſunt lenocinantis facundiæ mites præſtigiæ, & admirabiles effectus: ídque cauſæ, cur Julianus *epiſt. 2.* ad Jamblicum eloquentiam Caduceo haud inſcitè pariaverit Mercurij: virga ſiquidem fuit, quâ feræ ipſæ cicures fierent, traherentúrque in obſequia, nativæ oblitæ feritatis, æquoris fluctus detumeſcerent, procellæ ſonantes quieſcerent, nubes fulgetris coruſcæ, & tonitru minaces ſilerent: etenim eloquentia fluctuantes animi motus ſedat, efferatos ſpiritus cicurat, tumultuantes affectus coërcet, turbatóſque animos ſerenatæ reſtituit malaciæ.

3 Lampſacenos decreverat Alexander Macedo funditùs evertere, eorúmque urbes, pagóſque ſolo æquare, nullíque parcere ætati; ſexuíque; eò quia Perſis adhærerent inito fœdere. Jam parata cuncta erant ad bellicæ expeditionis executionem, & ipſe Alexander irâ, furoréque inflammatus, ferróque catafiactus, ſuos Macedones ducebat contra Lampſacenos, qui tamen ad declinandum belli fulmen

ini-

initis conſilijs ſatiùs cenſuerunt ad Macedo-
nem Anaximenem delegare, veniam pro Lam-
pſacenis deprecaturum: cúmque Nuntius O-
rator fuiſſet antea Alexandri Præceptor, eum
Macedo ſerena excepit fronte: ſed cùm pri-
mùm cœpit pro Lampſacenis rogare, excan-
duit iratior Macedo, totúsque iracundiâ inflam-
ma us juravit, ſe precibus Anaximenis conceſſu-
rum, quicqnid aliud contrarium expoſceret.

Verùm egregius Orator furorem, irámque
4 Regis ſubdolè mitigans. Subdit, non te ac-
ceſſi culpæ deprecator, ſed juſtitiæ excitator:
non enim apud te excuſatos volo Lampſace-
nos, cùm iniquè egerint, tuámque Regiam
Majeſtatem graviter læſerint: hoc unum tan-
tùm enixim rogo, & peto, ut eorum uxores,
& liberos ſub corona vendas, eorum domus
diripiendas, ac expilandas tuis concedas mili-
tibus; templa, & fana incendas, omnia ſus
déque vertas, urbésque ipſas evertas, & Lam-
pſacenos omnes ferro, & igne deleas, nullí-
que vivant ſuperſtites.

Audivit, percepítque Alexander Anaxime-
5 nis petitionem fieri, ſimúlq; ſe captum novit,
cum ſe Anaximenis petitioni adverſaturum per
omnia dixiſſet, ſèq; facturũ omnia oppoſita ijs,
quæ per preces exhiberentur; & tandem ſedato
furore, extincta ira, quieſcente animo, com-
poſito ad ſerenitatem vultu, ſubridens reſpon-
dit Oratori, omnia condono Lampſacenis, &
perpetua oblivione deletæ erunt injuriæ mihi
illatæ. Ea fuit vis eloquentiæ in Anaximene,
ut quos Alexander præconceperat ignes ira-
cundiæ, non valuiſſent Lampſaceni lachry-
mis ſopire, paucis verbis veluti uno flatu elo-
quentia extinxerit. Plus ars militaris valet
eloquentiæ operâ, quàm armorum apparatu:
tametſi Lampſaceni armorum vi retundere ſa-
tegiſſent furentis Alexandri impetus, non ta-
men ei obſtitiſſent, ſed ſubſidio eloquentiæ e-
um ad veniam flexit Anaximenes.

6 Quantum verò ſubſidij ab eloquentia mi-
litia hauriat, fatetur Oneſander *lib. 2. de Imper.*
hic enim inter cæteras optimi Imperatoris
conditiones præcipuam recenſet eloquentiam,
eò quia hæc præcipua commoda in totum e-
xercitum advehat: ſi enim Imperator ſit elo-
quens non minùs ſubſidio eloquentiæ, quàm
violentiâ armorum ſibi victoriam de proſtratis
hoſtibus ſpondet; ſiquidem Imperatoris vehe-
menti concione erecti, & excitati milites, pe-
ricula audaces adeunt, ardua quæque, ac for-
midoloſa adoriuntur, hoſtibus catafractis ce-
leriori pede obviant, acriter pugnant per au-
res irritati animi fortiùs Imperatoris concio-
ne, quàm clangentium tubarum ſtrepitu: quip-
pe clangor tubarum animos tantùm ad pugnam
acuit, ſed eloquentia Principis ad exercitia
bellicæ fortitudinis movet, ad gloriam ſtimu-
los addit, ad victoriam hortatur; & ita vigo-
rem animis impertitur, ut etiam metu conter-
riti in ſpem erigantur victoriæ, ſpiritúſq; mar-
tios excitent, totíſque viribus acriter pugnent.
Hæcque ratio cur Homerus, vel in cæcitate per-
ſpicaciſſimus aſſeruerit, eloquentiam in Du-
cibus, Præfectíſque exercitûs plus obtinere
roboris, ac valere ad milites excitandos ad
victoriam, quàm bellica ipſa fortitudo: quia
hæc Ducem duntaxat munit, cùm eloquen-
tiæ operâ ſpiritus, & vires in totum exerci-
tum deriventur.

Neque dubium, quin Imperatori pluri- 7
mum adferat ſplendoris, & roboris ratio quæ-
dam ſuadendi, & induſtria perſuadendi, id-
que apud priſcos Græcos, & Romanos adeò
ratum fuit, & commendatum; ut tunc rari
eſſent Imperatores, ac Præfecti exercituum,
qui eloquentiæ civilis imperitiâ notarentur,
omnes ſiquidem in id viſi ſunt incubuiſſe ſtudij,
ut ad irritandos milites contra hoſtes, ac eóſ-
que hortandos ad fortiter pugnandum, elo-
quentiam, vel maximè profiterentur, non
tamen eam, quæ ex ſcholis prodit exaſciata,
calamiſtris ornata, Aſarotis depicta, flo-
ſculis illigata, elegantijs venuſta, & verbo-
rum illecebris titillans aures: ſed illam civi-
lem, quæ in bello aſſuevit fortitudini, ma-
gnóſque hauſit ſpiritus, viréſque ad milites
movendos, excitandóſque ad pugnam.

Quæ verò extorris è caſtris triumphat in 8
concionatoribus è ſuggeſtu, vel in juriſperitis
è cathedra eas non reſpuit verborum phaleras,
nec elegantiarum venuſtates, quæ vim non
enervant eloquentiæ, ſed ei gratiam adjiciunt
ad animos promptiùs ſibi conciliandos Audito-
rum. Quantum ubique locorum præſidij in-
ſit eloquentiæ ad movendos, flectendóſque a-
nimos nôrunt omnes, quotquot aures Orato-
ribus dedêre, hinc Cornelius Tacitus, vel ut
alijs placet Fabius Quintilianus eloquentiam
commendans ait: Hæc parat ſimul, & tuetur
amicitias, aſciſcit nationes, complectitur
Provincias, quâ non aliud in civitate noſtra
ad utilitatem fructuoſius; vel ad dignitatem
amplius, vel ad Urbis famam pulchriùs; vel
ad totius Imperij, atque omnium gentium no-
titiam illuſtrius excogitari poteſt: nam ſi ad
utilitatem vitæ omnia conſilia, factáque no-
ſtra dirigenda ſunt; quid tutiùs, quàm eam
eligere artem, quâ ſemper armatus præſidi-
um amicis, opem alienis, ſalutem pericli-
tantibus ſuppeditat? inſidis verò & inimicis
metum, & terrorem incutit.

Hujus verò comptæ eloquentiæ promoto- 9
res Corax, & Cteſias ambo Syracuſani in Si-
cilia dicuntur apud Ciceronem, eò quia pro-
œmiorum, epilogorum, & argumentationum,
quas Græci *Agonas* dicunt, adinvenerint. E
Syracuſis ajunt trajecto marino freto Rhetori-
cam per Gorgiam Leontinum Athenas appu-
liſſe, cujus Diſcipulum Iſocratem, Ariſtote-
les tunc æmulatus, horis pomeridianis dicta-
re cœpit in ſcholis hanc excultæ eloquentiæ ar-
tem, de qua etiam ſcripsêrunt Hermagoras,
& Hermogenes. Inde cùm jam Athenis flore-
ret ars flexanima per Æſchinem extorrem Rho-
dum appulit. Sed temporum injuriâ deflore-
ſcentibus Athenis Alexandriam migravit,
cum ea urbs fuerit tunc temporis feraciſſimus
veluti hortus, in quo flores omnes liberalium
ar-

Digitized by Google

artium; ac ſcientiárum excolerentur. Poſtremo Maſſiliam profecta per Antonium eximium Oratorem; Romæ poſtea mitificè floruit, & adolevit temporibus Ciceronis: & hæc fuit illa prima ætas, qua compta eloquentia cœpit impenſiùs excoli, florere, & adoleſcere, ut qui hanc artem profiterentur, Rhetores audirent, eò quia dicendi facultate pollerent. Tales fuerunt Gorgias Leontinus, Thraſymachus, Chalcedonius, Protagoras Abderites, Hittias Elæus, & præſertim Iſocrates, qui eloquentiæ laude ſuos antecelluit prædeceſſores; Demoſthenes græcæ eloquentiæ facilè Princeps, cui Hyperides, Æſchines, Lycurgus, Edinachus ſuppares vix fuerunt, tametſi nulla poſteris tranſmiſerint ſcripta. Omnes hos Oratores Græcia, in qua floruerunt, mundo effudit, qui vegetam, robuſtam, plenam ſucco, ac incorruptam homines edocerent eloquentiam, nullo fuco laſcivientem, ſed naturali robore maſculam, Cùm enim de rerum initijs eſt ſermo, minimè conſiderandum, an tunc adſcititia habuerint ornamenta: nil enim vix natum ſuam totam nactum eſt perfectionem, natura enim ipſa rudioribus principijs magna quæque inchoavit, quæ hominum induſtria, & artis beneficio perpolirentur.

10 Cúmque eloquentia ſuam fuiſſet etiam adſcititiam nacta perfectionem, in ea fuerunt Rhetores apud cæteros æſtimatione, ut ipſis Reipublicæ regimen concrederetur, leges proponerent, & ſancirent. Hinc diſſerti, ac facundi homines Athenis, quæ fuit urbs eloquentiæ domicilium, & liberalium artium opulentiſſima officina omnia rexêre, & pro arbitrio concionum Reipublicæ tumultuarios fluctus ſedârunt, bella, vel inſtituerunt, prout neceſſitas videbatur exigere, vel extinxerunt; exercitus, commeatus, vectigalia, claſſem maritimam, ac totius bellici apparatûs adminiſtrantes adminicula. Quamobrem teſte Suida ſpecioſiſſimum fuit nomen Rhetorum, quibus propterea à conſilijs Principum aſſumptis rerum publicarum adminiſtratio concrederetur: & cum Rhetores favore gauderent Principum dignitatibus florerent, opibus affluerent, ac in ſingulari haberentur honore, adjecit id ſtimulos etiam nobilioribus adoleſcentibus tempus, & ſtudia impendendi in addiſcenda hac eloquendi facultate: cum enim ſcirent ex nobilibus plures loqui, & pauci eloqui, & infima nati fortuna, locóque obſcuro ſupra cæteros ſplenderent, non alijs, quàm eloquentiæ nitoribus; id cauſæ fuit, cur etiam nobiles, & ſanguine illuſtriores operam eloquentiæ addiſcendæ navârint.

11 Verùm inde etiam ſuam traxêre originem umbratiles Rhetores, qui fucata tantùm delectari eloquentiâ à foro, & negotijs civilibus abſtinuerunt, eloquentiam domeſticos inter parietes excolentes, veneribus laſcivientem, floribus ſtipatam, phaleris ornatam, viretis venuſtam; ſed viribus deſtitutam, robore viduatam: & hi Sophiſtæ potiùs, quàm Rhetores audierunt, eò quia artificioſæ orationis delicias, ſermonum illecebras, eloquentiæ ſirenulas, & verborum lenocinia affectarent, inter quos fuit Gorgias Leontinus, quem Lucianus in Macrobijs Sophiſtam vocat ob nova, quæ in dicendo delectationis invexit aucupia. Verùm cum lapſu temporis torrentes illi popularium concionum exaruiſſent, & non amplius eloquentiæ vires quærerentur, ſed ſermonum deliciæ ad aures titillandas; magno etiam in honore, & pretio cœperunt Sophiſtæ haberi: hácque illecebroſâ eloquentiâ præ cæteris claruêre Proæreſius, Ariſtides, Philoſtratus, Libanius, & alij florido delectari atticiſmo. Imò ea occupaverant animos ſuavitate hujus laſcivientis eloquentiæ illecebræ, ut plures, quò eam enanciſcerentur extorres è patria exteras pervagari fuerint Provincias, imò & ampliſſimas recuſaverint dignitates, ut Libanius, qui locum Prætorij, & Præfecturæ à Juliano oblatum reſpuit, ne otij litterarij privaretur dulcedine. Verùm quia humana quæque ſuas ordiuntur, & abſolvunt periodos, cœpit & hæc eloquentiæ venuſtas deficere, & quæ adolevit inter flores, ſenuit in dumeto, & in viles defluxit rhetorculos, cujuſmodi fuêre, quos decreto ſenatûs conſtat fuiſſe damnatos; eò quia non eloquentes, ſed loquentes, & fallentes eſſent, frigidas quàſque Græculorum rabularum effutientes verſutias.

Ex priſcæ tamen antiquitatis exeſis ruderibus, veluti è cinerario eloquentia inſtar Phœnicis rediviva refloruit, non tam viribus robuſta, quàm floribus venuſta, delicijs perfuſa, quæ ſimul moveret, ac delectaret; poſſimúſque eam meritò pantarbæ pariare; lapillus is eſt eo donatus nativo decore, ac inſigni virtute, ut ſuavi quodam fulgore, ac radijs oculos perſtringens diem accendat, vel in ipſo tetriori intempeſtæ noctis ſinu; id verò mirabilius, quòd vel ipſum lumen ſpiritus ſit, adeò efficax; ut longa etiam intercapedine disjunctos inter ſe lapides conciliet, & quantum ejus lux diffunditur, tantum per totum illum tractum obtineat imperij, ut acervos lapidum perinde pertrahat, moveátque, ac volitantium examina apum, & ne tam pretioſum munus vileſceret, natura non ſolùm occultioribus abdidit terræ viſceribus; verùm & facultatem indidit, quâ ex capientium manibus diffueret, niſi provida quadam teneretur ratione; ita de pantarba narrat Hiarchas apud Philoſtratum in vita Apollonij *lib. 3. cap. 14.* Quas verò virtutes pantarbæ natura indidit, has luculentiùs ars eloquentiæ communicavit. 12

Quid enim ipſa eloquentia clarius, & illuſtrius? hæc tenebras omnes mœſtitudinis diſcutit, & lætitiæ ſplendores invehit; non ſolùm ipſa ex ſe lucida eſt; ſed alijs ſuam itidem claritatem impertitur: ejus vires ſi expectemus tantum in animos obtinent imperij, ut eos, quò libuerit, flectat, ducátque non ferrea illigatos catena, ſed vi quadam ſuavi perfuſos, quâ blando quodam dominatu ſe ſe in pectora inſinuat mortalium, & quæ nullæ aliæ machinæ poſſent dimovere, ipſa flectit, movet, pugnat, & expugnat. Talis fuit Themiſtocles 13

elis eloquentia, quæ victricibus efflоruit laureis; magnum ſiquidem viri ingenium ad eloquentiæ ſtatum decora vires omnes flexanimæ artis exhauſit, quibus validiùs pectora quamvis ferrea invaderet, ac vinceret, tametſi ejus eloquentia ita vires exereret, ut lenocinia non reſpueret, ac illi diſpliceant roſæ, & balſama, cui Themiſtoclis non placent orationes. Huic proximè acceſſit M. Tullius Cicero, cujus narrationem hortum diceres ad omnes conſitum amœnitatis delicias, arboribus ſeriatim diſpoſitis umbriferum; florum areolis diſtinctum; fontium ſalientium luſibus jucundum; ejus ſtylus adeò dulcis, pellucidus, & candidus, ut ſine ſalebris fluat, absque murmure dilabatur, & absque nevo pelluceat veluti in chriſtallo. Verba continet lecta, & ſelecta, ſonantia, lenia, non abſtruſa, nec abſoleta; ſed quæ per aures facilè animum penetrent, plerúmque ſenſus promptiùs aperiant, exhibeántque depicta veluti micantibus illuſa floſculis aſorata: & quamvis res plures natura ſejónctas, conditione diſſitas complectatur, amœna tamen figurarum varietate, ita vinciuntur, ut in unum aptiſſimè coaleſcant. Hæcque dicendi ratio ita pluribus arriſit, ut eam imitentur. Non enim adſcititias reſpuit eloquentia delicias, quinimò eas eò libentiùs complectitur, quò ſuaviùs pectora pervadat Auditorum.

PROLEGOMENUM VII.

De animi præſtantia, ingeniorúmque delectu.

1 EA eſt in homine animi præſtantia, quâ res quáſque abditas inveſtigat, inveſtigatas comprehendit, comprehenſas digerit, ſimúlque componit, diſſipatas colligit, collectas dividit. Eſt enim pars quædam divinitatis ex altiſſimo domicilio demiſſa, & in terram demerſa, ſeu homini communicata, ut ab eadem quidquid venuſtatis, pulchritudinis, ac virium in rerum natura, quidquid diſcoloris in floribus, varietatis in gemis, pretioſi in metallis, ſplendidi in planetis ineſt, hauriret, & cæteris dominaretur animantibus: dedit enim Deus animo humano pro regno mundum, pro imperio rerum univerſitatem, pro regia corporis domicilium pulcherrimè deſcriptum, mirabiliter elaboratum, eleganter perpolitum; tametſi auro non fulgeat, gemmis non ſplendeat, marmore non fulciatur, oſſibus tamen nervis, carne, venis, ſenſibus inſtruxit, & in quo pro arce caput erexit in celſiſſimo, ac tutiſſimo loco è terræ ſordibus majori diſſitum diſtantia; huic voluntas præeſt; conſcientia eſt à ſecretis, memoria ærarium, totiúſque ſupellectilis ampliſſima cella: reliquæ animi facultates ſunt adminiſtræ, ſenſus excubiæ; & quamvis mens in homine hominis oculos fugiat, videt tamen ipſa tam, quæ in homine, quàm quæ extra hominem ſunt omnia, univerſámque naturam perniciſſimo volatu pervagatur, aëris ſpatia, cœli immenſitates terræ tractus, quà per vallium profunda, quà per montium excelſa, & camporum planities, pelagique longè latéque diffuſas laxitates diſcurrit; imò neque hisce acquieſcens; è caligine rerum interitui obnoxiarum ſurſum avolat, cœlorum celſiſſima pervadit, mentes ab omni conjunctione materiæ diſcretas perluſtrat, & proximiùs ad ipſum immortalem rerum Satorem contendit, cujus Majeſtatis perculſa jubare, non cæcutit in ſole, ſed illuſtriùs videt in radio. Mox in ima redux inveſtigat occulta non ſolùm in abditis terræ viſceribus, maríſque humidis penetralibus, verùm etiam inter aſtra, quorum ortus, obitus, curſus, recurſus, progreſſiones, inſtitutiones, perjodos exactiſſimè norat, dies, menſes, annos circumſcribit, ſolis defectiones, lunæ variationes diſcere, dicere, & prædicere novit, ſcientias, artéſque omnes mira facilitate, & felicitate aſſequitur, & eloquentiam præſertim conſequitur.

2 Verùm ad id non perfunctoria ſufficit exercitatio, ſed cultura requiritur, quâ animus evulſis radicitùs omnium ruditatum dumeris excolatur, ac ijs ſpargatur ſeminibus, quæ in flores veræ eloquentiæ progerminent, & in fructus maturiant veræ eruditionis: ager, vel hortus animus eſt humanus, cultura ſtudium, coloni præceptores, ſemina enucleatæ doctrinæ, ac præcepta eloquentiæ expenſa; flores ſcientiæ, & froctus eruditio. Laſcivit in viretis hortus, ſi excolatur, ridet in floribus, niteſcit in pomis: at ſi neglectâ culturâ otio marceſcat, horreſcit in vepretis, pungit in dumis, ſylveſcit in urticis. Animus noſter, ſi exercitatione non excolatur, nec floribus venuſtatur ſcientiarum, nec fructibus diteſcit eruditionum, ſed incultus nonniſi dumetis veſtitur.

3 Verùm perinde ac agrorum, ita & ingeniorum magna eſt varietas, alia enim veluti feraci in ſolo facilè excoluntur, neque colonos fruſtrant ſperata meſſe; alia quaſi ſaxea difficulter ſinunt ſe erudiri, nec eam exhibent meſſem, quam ſibi coloni ſpoponderant; hinc etiam in mechanicis mira eſt ingeniorum varietas. Scimus enim Archimedem onuſtam navem, quam ingens hominum multitudo loco non potuiſſet dimovere, ſolum moviſſe inſtrumento ad regulas artis Matheſis conſtructo; ac traxiſſe, quò voluerit. Eundem cœlorum ampliſſimas ſphœras, aſtrorum rapidiſſimos motus, planetarum regulariſſimas periodos, vitrea clauſiſſe, & luſiſſe in ſphœra, & Jovem ibi tonantem perſtrepuiſſe tonitru, incendiſſe coruſcationes, jaculatum fuiſſe fulmina, procellas civiſſe, pluvias, & grandines effudiſſe, quamvis ad animi oblectamentum magis, quàm ad terrorem incutiendum. Scimus ab Archyta Tarentino fabrefactam tali artificio columbam, ut explicatis alis circum per aëra volitaret ponderibus librata ſuis, & poſt varios huc, illúcque curſus non ſine adſtantium admiratione, unde diſceſſerat fuiſſe reverſam. Scimus Albertum Magnum loquentem ſtatuam effinxiſſe (& ut ferunt) opus

tri-

Digitized by Google

triginta annorum uno momento à D. Thoma contritum. Plurimum ſibi laudis comparavit Myrmecides, quia in mechanicis eo excelluerit ingenio, ut quadrigam eburneam muſcæ alis, & navim apiculæ pennis intexerit, obduxerit; ut etiam alius, qui lapſum è ſummo cœlo Phaethontem cum curru, & equis in gemma annulo inſerta ſcitiſſimis exaravit lineolis: & in exiguæ molis gemmula novem Muſas cum Apolline, totóque Parnaſſo imprimere graphicè valuit.

4 Emicat verò præ cæteris humanum ingenium in horologijs illis, quæ rotis circumaguntur, quorum artificium eſt tantùm, ut ingenium in eòdem videatur triumphare, rotáſque illas adinveniſſe, quibus in triumphum traheretur. Conſtruitur horologium rotis circumactum præſertim è ferro, & chalybe, in quo dentatæ aliquot rotæ ſtriato axis verticillo interjecto mutuo confœderantur, gravibúsque ſuſpenſæ ponderibus in orbem ſenſim ſine ſenſu torquentur. Ferrea in medio columella ſubtili hærens filo, transverſa tenui lamina in capite interſecta, & exemptilibus plumbeis glandibus utrinque ex ea pendentibus librata totius moderatrix temporis in ſubjectos incidit orbes. Binæ etiam ligulæ in eorum dentes, veluti frœna, ex intervallo injectæ rotas in gyrum raptas ad numerum motuum, ac morularum in ſingula fermè momenta ſuſtinent, & relaxant. Ubi verò præcipua rota eſt penitus cicumvoluta, cavam in crenam decidente ſufflamine libramentis in imum feſtinato lapſu decidentibus, illicò ſolvitur machina, malleóque verſatili in ſubjectum æs campanum, quota ſit hora prodit; quot enim ictus melleus infligit, totidem horas tundendo æs campanum deſignat.

5 Sunt etiam, quæ ſolis, & lunæ curſus definiunt; alia, quæ ſingulis horis homines è ſomno excitant, & lumen accendunt; alia, quæ quolibet pulſu ſtatuas referunt accedentes, & recedentes. Scimus à Rege Perſarum dono miſſum ad Carolum Magnum Imperatorem anno octingenteſimo ſeptimo horologium, in quo duodecim equites modò ſinguli, modò bini, modò terni, modò uno agmine omnes apertis tot feneſtris turmatim exilirent, quaſi è totidem portis erumpentes caſtrorum. Neque minorem attulit admirationem, horologium quod cum campanula, indice, ſuiſque libramentis currentibus, rotulíſque recurrentibus in Caroli Quinti annulo peritiſſimus artifex incluſit: & noſtris temporibus, ita etiam hujuſmodi machinulæ eo fabrefiunt ingenio, ut ſi pendulum ex jiſdem paululum trahatur filum etiam nocte intempeſta lumine deſtituti; & in lecto jacentes audiant repetito pulſu æris campani, non ſolùm quota ſit hora, verùm & quot effluxerint quadrantes; ſuperſintque ad horam alteram.

6 Quis neget, magnam ineſſe ingenijs vim, tam in ſcientijs perdiſcendis, quàm in mechanicis adinveniendis, artibúſque perpoliendis. Verùm ſicut ſi oleum non inſtilles, extinguitur lucerna, ita exinanitur ingenium, ſi exercitationis eidem ſubtrahatur nutrimentum, cujus beneficio, qui ingenio pollent, ad cogitandum fiunt acriores, ad rerum penetrandas naturas, ac inditas proprietates acutiores, ad ſe explicandum illuſtriores, ac uberiores. Nulla ſiquidem eſt ſcientia tam ardua, & captu difficilis, quam ingenium hominis non attingat, ac ſuperet; & in hoc ingenium dixeris ſingulare, quod tametſi efflorescat in juventa, non tamen viribus deſtituitur in ſenecta, neque ullo fit deliquio obnoxium, quin acceſione prudentiæ, maturitatis, & experimenti vegetius, validiúſque eſt in labente ſenecta, quàm in ſurgente juventa. Et quamvis ejuſdem ſint ſpeciei hominum ingenia, perinde ac animæ, quæ virtute, & dignitate ſunt pares; ex varietate tamen culturæ, ac diſpoſitione organorum alia alijs ſunt perſpicaciora, ut etiam alia alijs tardiora in penetrandis rerum naturis, ac proprietatibus; tametſi rerum Conditor Deus eodem lumine omnes accenderit ſtellas, eadem purpurâ roſas veſtierit, eodémque candore lilia omnia pinxerit, ſunt tamen ex ſtellis aliæ alijs illuſtriores, ex roſis aliæ alijs venuſtiores, & ex lilijs alia, quæ alijs ſuaviùs olent; idque in ſtellis vel ob majorem altitudinis diſtantiam, vel minorem ſiderei corporis molem; in floribus ex ſoli varietate, ſitûs diverſitate: ita quamvis hominum ingenia perinde, ac eorundem animæ ejuſdem ſint ſpeciei, deprehendimus tamen quædam paratiori acumine intimiùs rerum penetrare naturas, & per motus celeriores ad excogitandum cæteris eſſe promptiora; futura per ſagacitatem prævidere, præterita per memoriam feliciùs colligere, complecti, & aſſervare; promptiùs res ſpecie diſſitas, numero infinitas, tanquam ſibi conſentaneas, genióque cognatas aſſequi, arripere, ſuique juris facere, quantum ad earundem attinet notitiam.

Hæc autem ingeniorum varietas non ex 7
ſpecifica animorum oritur diverſitate, ſed ex varijs affectionibus tam corporis, quàm aëris & loci, quibus afficiuntur. Deprehenſum ſiquidem eſt experimento, eos qui ſub craſſo naſcuntur aëre eſſe obtuſiores, ac tardiores: ſecus acutiores, ingenioſiores, qui ſub puro, ac defœcato. Inſtitutio plurimum etiam confert ad hanc varietatem inducendam, qui enim omnem negligunt culturam, & otio veluti marceſcunt, cæteris ſunt hebetiores, ac rudiores: qui verò ab adoleſcentia aſſueſcunt ingenij culturæ, hi cæteris ſunt perſpicaciores, ac induſtriores: hæcque ratio, cur Perſæ habeantur otioſi ob nimirum palatinæ operæ aſſidua obſequia: Syri cupidi, & avari ob rei inſtitoriæ exercitationem, cui vel ab incunabulis dant operam: Aſiani molles ob delicias, quibus in patrio ſolo affluunt: Alexandrini deriſores, eò quia à pueris convicijs, dicterijs, & ſcommatibus aſſueſcant, ac ſe ſe acutiùs linguâ feriant; quàm gladio; verbo graviùs lædant, quàm verbere. Cretenſes mendaces, quia fallere, vel ab adoleſcentia addiſcunt, alioſq; decipere. Verùm quamvis id frequentiùs ob-

tingat, in magnis tamen ingenijs vis aliqua ſplendet ſuperior, quæ ſpeciali Dei lumine accenditur, perinde ac in quibusdam corporibus authoritas, & Majeſtas graviùs eminet, cum in alijs vix majeſtatis appareat veſtigium. Quamvis humana omnia corpora ex eodem primævo luto ſuam trahant originem, nihilominus adhuc in ijsdem non modicam ſecernimus varietatem in pulchritudine, & deformitate; robore, & debilitate; proceritate, & exilitate; agilitate, & tarditate.

8 Dignoſcuntur præſertim ingeniorum diſcrimina ex ijs, quæ quisque ex animo exteriùs prodit, & præſertim in libris edendis, & qui editi ſunt: ſiquidem Authorum libri produnt exteriùs, quæ intus ingenium ſovebat: quæ enim mente concipimus, hæc mano, & calamo in libris enitimur, ut enim ait Quintilianus; non tam priùs à nobis ſcribuntur, ac eduntur in lucem libri, quàm cum placuerint. Iconica enim, & expreſſa mentis noſtræ imago eſt, quicquid vel loquimur, vel ſcribimus. Oratio ait Seneca, vultus eſt animi; ſi contorta, ſi fucata fuetit, oſtendit quoque oratorem non eſſe ſincerum, & habere aliquid fracti. Tria autem ingeniorum notantur genera excolendis litteris, & Rhetoricis percipiendis inſtitutionibus perapta. Alia enim ſunt hominum ingenia adeo perſpicacia, ut etiam nullo prævio duce, nullóque inſtruente Præceptore ſe ſe poſſint ex ſola librorum lectione ad ſcientias addiſcendas promovere.

9 Alia, quibus ſola lectio non ſufficit, ſed prævia Inſtructoris eſt neceſſaria explicatio, quâ tamen præeunte ſtatim procedunt, & proficiunt. Alia tandem, quæ licèt præceptore utantur, non tamen ſtatim procedunt, ac proficiunt, & hæc ſunt cæteris hebetiora, quæ tamen aſſiduâ culturâ, jugíque exercitatione perpoliuntur. Hinc Ariſtoteles in tria genera hominum dividit ingenia, eò quia alia ſint inertia, ſtupida, quibus ad res gerendas nil ineptius; ſi Suetonio credimus, hujus generis fuit Claudius Cæſar, qui cum Meſſalinam uxorem violato lecti genialis fœdere in omnibus volutatam adulterijs ſciret; ægrè tandem in id conſilij venit, ut eam per ſpiculatorem juſſerit interfici: & re jam confecta, ipsíque eadem die nuntiata, poſt paucas horas, cœpit quærere, ubinam eſſet Meſſalina ejus uxor, quò minus ad cœnam veniret; fuit adeò immemor, habésque, ut vel ſui imperij in re tanti momenti recèns dati obliviſceretur.

10 Alia ſunt ingenia nimis velocia, fervida, quæ plerumque in ſtultitiam, & furorem degenerant. Produnt exempla illuſtria Caligula Imperator, & Hermogenes, hic anno ætatis quindecimo ea cœpit ingenij felicitate homines edocere, & tanto plauſu eloqui, ut vel Imperatores ipſum accederent, audiréntque extempore eloqui: ſed ex nimio ſanguinis fervore, capitíſque dolore in dementiam incidit: ille verò cum à puero celerrimos ingenij motus haberet in eam poſtea devenit vecordiam, ut palam cum Jovis ſtatua verſibus colloqueretur Homericis, lunámque pleno orbe fulgentem invitaret in amplexus.

Tertium ingeniorum genus ex Ariſtotele ea 11
comprehendit, quæ ſedata ſunt, manſueta, & ad omnem rationem humanitatis proniora, proinde cæteris etiam præferenda, quia non inſtar torrentis tumultuario decurrunt illapſu, ſed ut regalia flumina ſedatè fluunt. Cæterum ſicut vultuum ita & ingeniorum mira varietas: alia ſunt ingenia, quæ ſimiarum indolem imitantia verſatili levitate, ac deſultoria, huc, illúcque volitant, magisque triumphant in nugis, & quisquilijs, quibus paſſim obviant, quàm rebus adhæreſcant ſerijs, & & gravioribus. Alia, quæ ſordeſceoria in pulvere, nonniſi vilia, & humilia, pertractant, gaudéntque cum angue humi ſerpere: alia veluti abdomini addicta, nunquam excitantur ad animi culturam, niſi culinæ nidor ſuboluerit: alia ita otio marceſcunt, ut vix ſtimulis poſſint urgeri ad exercitia mentis, & eloqoentiæ ſtudia: alia adeò ſordida, & callida ut quaſi vulpecularum ebiberint naturam, nonniſi pecunijs, & lucro inhiant, ac dolosè ad id etiam viam ſibi ſternunt. Ea præ cæteris commendantur ingenia, quæ ſimplicia ſunt, candida, ſolertia, acria, acuta, prompta, quæ tamen lentè feſtinent, & omnia diligenter explorent, maturè diſcutiant, résque pertractent proprijs accommodatas viribus. Ut enim Olitor in ſeminibus jaciendis, plantíſque ſerendis, ſolo ſe accommodat, in quo ea duntaxat ſerere plantas ſtudet, quæ ex telluris qualitate, cœlique temperie fructus ſpondent; perinde ingenij qualitas dignoſcenda priùs eſt, dein Rhetoricæ Candidatus debet illud ſubigere, expurgare, emollire, excolere, & præſertim putioris doctrinæ rivulis irrigare, quò tenella germina mitiùs creſcant, feliciùs adoleſcant, perveniántque ad optatum fructum, móxque diſponere claſſes, quaſi pergulas virore luxuriantes ſmaragdino; adſcitis per æqualia intervalla arboribus, quà ad umbræ pompam, quà ad fructuum ubertatem; dividere areolas varijs deſcriptas figuris, è quibus prodeant flores, alij è calice, alij è vagina, & alij è gemma protuberantes, quíque virtutum omnium afflent odores; síntque omnia aptè in areolas, pulvillóſque diſpoſita.

Eum tamen nervoſa, & maſcula eloquen- 12
tia petit ſibi ingeniorum adſciſcere delectum, quæ non Veris tantùm floridis delectentur delicijs; ſed fructus præferant florum voluptati; síntqoe ad Oratoria decora, & eloquentiæ palmas nata, acria, velocia, excelſa, ſincera; quæque res absque fuco exhibeant; hæc ſiquidem adminicula eloquentiæ imperium facilè obtineut, quo Auditorum animos moderantur, flectunt, trahúntque huc, illúcque, prout magìs libuerit; videantúrque oratores ex ore aureas Herculis catenulas effundere, quibus auditorum animos quamvis invitos ſuaviter ſtringant, & blanda vi in ſuam pertrahant ſententiam.

Sunt

13 Sunt enim hujuſmodi Oratores è cœlo in terras delapſi tot Mercurij eloquentiæ caduceo, non ſolùm pugnantes inter ſe ſerpentes, in mutuum amoris complexum conjungentes: ſed diſſidentium hominum capita amico fœdere copulantes. Sunt enim adeò potentes eloquio, ut imperium in animos obtineant mortalium, in quibus affectus excitant, ſopiunt, extinguunt, prout magis expedire viſum fuerit, videantúrque propterea de blandiſſima Orphei cithara triumphare, cùm ſaxeis, & efferatis hominum animis dominentur, & in eam, quam volunt, partem impellant, omnéſque ſive hoſtes, vel amicos, ſive notos, ſive ignotos blanda rapiant violentia. Sed ne Poëtarum hæreamus commentis, hujuſmodi Oratores tubæ ſunt clangentes, quæ ſi non Jerichontis muros quatiunt, diſrumpunt, ſoloque æquant; flagitioſorum tamen hominum perverſos mores funditus evertunt; & talem obtinent imperium in homines, ut ipſis dolentibus ingemiſcant, invehentibus fremant, commendantibus diligant, iraſcentibus excandeſcant, remittentibus conquieſcant: nimirum Deus hac ipſamet eloquentia flectit, emollit, prærumpit hominum corda, intúſque etiam ſine verborum ſtrepitu alloquens, ſuadens, & perſuadens.

14 Unde falluntur, qui putant Chriſtiano cultu langueſcere ingenia, & enervari, ſuóque deſtitui eloquentiam robore, eò quia Catullos, Martiales, Petronios non mirentur; cùm enim tota eloquentiæ vis in eo videatur ſita, ut ad rem ſuadeat, ac plenè perſuadeat, flectátque animos, prout conſultiùs viſum fuerit, idque feliciter præſtet eloquentia, quâ ſacri Oratores ad populum Chriſtianum dicunt, nulli dubium eloquentiam Chriſtiano cultu virium potiùs ſubire incrementum, quàm langueſcere: non enim pietas chriſtiana quidquam detrahit eloquentiæ, cui potiùs eruditionem, induſtriam, ac ſubtilitatem addit, quâ Chriſtiani mores ad normam dedolentur virtutum; neque pietas ab eruditione abhorret, quin potiùs eidem cohæret, ut eruditio, & pietas ſe mutuò amicitiæ fœdere, ac miro ſocietatis commercio proſequantur. Scimus ex aliorum relatu ſub æquatore inter arbores triumphos agere palmas Margaritides; quæ breves ſunt, candidæ, rotundæ, quæque nomenclationem à margaritis hauſère. Ex hiſce arboribus una in Chora Regione eſſe traditur, & alter: Syagrorum, & ambæ cum Phœnice ave mori dicuntur, & cum eadem renaſci.

15 Verùm an id à vero aberret, mei non eſt inſtituti indagare: bene tamen id perſuadere; tantum eſſe connexionis, ac fœderis inter Chriſtianam pietatem, & eruditionem, ut mutuis ſuppetijs, auxiliiſque ſe foveant, juvent, ac corroborent: pietas enim, & erudirio in Oratore Chriſtiano quíque è ſacro ſuggeſtu ad populum verbum habet, veluti duæ ſorores ſe mutuis oſculis complectuntur: imò tantùm abeſt, quòd pietate, eloquentia langueſcat, ut potiùs vegetior ſemper evaſerit ex illius aſſociatione. Scimus quantæ venerationis apud Judæos fuerit ſanctiſſimum illud Sacrarium ſacerdotis Melchiſedechis Jacob Patriarchæ rudimentis illuſtratum, à quo cenſent profectam gymnaſiorum inſtitutionem, ac in gentes omnes longè, latéque propagatam; & tamen eloquentia, nec latum unguem à pietate diſceſſit, neque iſta ab eruditione deflexit. Celebris eſt nobiliſſima Pantani ſchola, quæ ab ipſo Chriſtianæ Religionis exordio cœpit Alexandriæ piorum æquè, ac eloquentiſſimorum virorum frequentijs floreſcere Clementis Alexandrini, Origenis, & aliorum Græci præſertim inſtituti hominum. Quis arctiùs pietatem cum vera, & maſcula eloquentia ſimul valuit connectere, quàm D. Joannes Chryſoſtomus, cujus laudes in hac parte complecti vix quis poſſit, nimirum fluminis illius aurei rivuli adeo feliciter fluxerunt, ut hominum pectora ad virtutum excolendos flores feliciter irrigaverint. Fuit in Chryſoſtomo hujus mirificæ eloquentiæ ſeminarium, magnæ mentis excitata perfectio. Fuit hæc quaſi puriſſimi nitoris ſpeculum nullis vitiorum ſordibus infuſcatum, imò divinis ſolis dilapſis colluſtratum radijs, ut quæ cœleſtia reciperet ipſe à cœlo ſemina, ſpargeret cumulata quadam menſura in cæteros, quos à vitiorum cœno retraheret, & ad virtutum alliceret culturam. Quòd ſi eloquentia in Chryſoſtomo ſuas non deperdidit, ſed auxit vires, quamvis perpetuo fœdere pietati adhæreret, non enervat hæc eloquentiam, ſed mirificè corroborat.

PROLEGOMENUM VIII.

De Partibus Rhetoricæ.

CUm is cenſendus ſit optimus Orator, ait Tullius, qui prudenter, compoſitè, ornatè, memoriter cum quadam actionis dignitate rem quamlibet ſibi obviam tractat; perſpicuum eſt, Rhetoricam in quinque dividi partes, ſuntque Inventio, Diſpoſitio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio. Priùs Orator ea debet invenire, quæ dicenda ſunt, inventa diſponere, diſpoſita ornare, ornata memoriæ mandare, ac tandem diſtinctè abſque ſyllabarum eliſione pronuntiare; hoc pacto inventione prudenter, diſpoſitione compoſitè, elocutione ornatè, memoria memoriter, & pronuntiatione cum actionis dignitate perorat ad aucupium animorum, auriúmque illicium. Has quinque Rhetoricæ partes nonnemo eruditionis notâ clariſſimus cum agmine confert, & concinnâ ſimilitudine ab his ducta, quæ in optimè conſtituto exercitu notantur, digniora ita explicat, ut delectus probatæ militiæ Rhetoricæ principem partem, ſeu Inventionem referat; ordines militares, Diſpoſitionem; inſignia, vexilla, parmulæ, armillæ, Bucculæ, phaleræ, baccæ, pellaciæ, & alia id genus ornamenta concinnam, & elegantem Elocutionem: vallum, foſſa, propugnacula, armamentaria memoriam, quâ res inventæ cuſtodiuntur, aſſervantur: Demum bellica eruptio, aſſultus,

conflictus, Actionem, ac Pronuntiationem denotent.

2 Neque audiendus eſt Albutius docens, Rhetorices partes eſſe tantùm tres priores, eò quia memoria, & actio non arte, ſed naturâ contingant: nam Rhetorica præceptiones etiam tradit memoriæ excolendæ, ac pronunciationis, ſeu actionis juvandæ. Alij his quinque partibus addiderunt ſextam ſubnectentes *Judicium Inventioni*: *at credendum eſt*, ait Quintilianus *lib. 3. Inſt. c. 3. nequidem inveniſſe eum, qui non judicarit.* Tullius in Rethoricis *Judicium* ſubjecit Inventioni; ſed Quintiliano ita tribus prioribus partibus eſt judicium permiſtum, ut ſine illo haberi non poſſint.

3 Inventio Tullio *1. Rhetor. cap. 2.* eſt, *rerum verarum, aut veriſimilium excogitatio, quæ cauſam probabilem reddant*, ceu quæ ab Oratore exhibentur, Auditoribus perſuadeant: neque Eloquentiæ ſtudioſi ſuum unquam munus obirent, niſi eorum induſtriæ eo ſtatim collinearent, ut apta conciliandis, ac flectendis animis invenirent argumenta; argutas, amœnáſque ad delectandum ſententias, ad docendum acutas, ad monendum graves, ad inflammandum efficaces: non ſecus redarguendus eſſet Orator imprudentiæ notâ, ſi abſque dicendorum apparatu perorandi gratiâ ſubſellia conſcenderet; ac Pictor, qui coloribus deſtitutus manum ad tabulam admoveret: quòd ſi quæ minimè idonea sũt ad perſuadendũ proponeret, ridiculum ſe præberet; perinde ac Caligula, qui cum inſtructiſſimis militum manipulis ad Oceanum profectus, veluti ad expeditionem ſeriam, viſis tumeſcentibus fluctibus ſubſtitit in litore, juſsitque milites conchylia in litore legere; nobiliſſima eloquentiæ expeditio, neque inepto, neque tenui tentanda eſt apparatu; ſed nervoſa argumentorum expeditione, quâ Regina triumphet Eloquentia.

4 Diſpoſitio *Eſt rerum inventarum per ordinem diſtributio*, quemadmodum ait Athenæus *lib. 14.* ab ordine omnis ornatus, ac decor, ita à confuſione omnis fœditas, ac inornatus exoritur: in oratione perinde, ac in exercitu eſt ordo ſervandus; ſine quo dimicantium impetus hebeſcit, militum ardor infringitur, pugnantium aſſultus enervatur; ſi ab oratione rerum ordinem tollas, omnis ejus deflorеſcit pulchritudo, obtunditur vigor. Oratio carens diſpoſitionis virtute, ait Quintilianus, neceſſe eſt, tumultuetur, ac ſine rectore fluitet; nec cohæreat ſibi, multa repetat, multa prætereat; velut nocte per ignota loca errans, ſine initio, ſine propoſito caſum potiùs, quàm conſilium ſequatur.

5 Falluntur igitur quotquot decus eloquentiæ in eo ſitum eſſe autumant, ſi orationem prolixis impleant narrationibus, deſcriptionum farciant frequentijs, & nihil eorum omittant, quæ vel excogitaverint, vel invenerint, adeò ut omnia ſive gravia, ſive futilia promiſcuè intrudant: non quæ dicuntur, ſed quæ aptè narrantur, Auditorum animos alliciunt, flectunt. Levitatis etiam arguuntur Oratores, qui neglecto argumentorum momento, ac pondere toti ſe ad litterarum aucupia, phraſes, & perjodos conferunt, eos imitantes pueros, qui cum auri, & margaritarum pretia neſciant, pictos in litore calculos legunt, quibus duntaxat delectantur. Regina Eloquentia non reſpuit ornamenta, ſi hæc rationum vires non infringant, nec legitimæ diſpoſitionis obſint robori, cum tota ſit in flectendis animis, eorum præſertim delectu gaudet, quæ ad movendos homines plurimum præſeferunt dignitatis, & cum legitima rerum diſpoſitio ad id obeundum munus maximè conducat, eâ mirificè delectatur.

6 Quantum optima rerum diſpoſitio in texendis orationibus obtineat roboris, & in movendis animis energiæ, ex eo deprehenditur facilè, quòd ipſa ſola rebus omnibus vim conferat; modicus ſanè fuit Cyri pugnantis exercitus; & tamen quia ordine bene diſpoſitus ingentes fregit vecordis Xerxis copias: non multæ fuerunt Alexandri Magni phalanges; & tamen quia ex lectiſſimo militum numero optimè compoſitæ; ac ordine diſtributæ tumultuarium Darij exercitum licèt militibus triplò majorem vicerunt: ita orationes, ſi breves fuerint, ſed optimo rerum, ac rationum delectu permunitæ nervoſiùs animos flectunt, & acriùs movent.

7 Elocutio *eſt idonea verborum, ſententiarum, amœnitatum, & argutiarum ad inventionem accommodatio*, ſeu potiùs rei inventæ ornamentum. Cautus tamen ſit Orator, ne nimio verborum ornatu vim enervet argumentorum, nec illos imitetur Rhetores, quibus cum vires non ſufficiant ad ſublimes aſſurgendi eloquentiæ vires, ſolis immorantur literulis, ſyllabiſque aucupandis, ac floſculis inſerendis: ſunt plerique, qui ut piaculum cavent, ne ulla fiat litterarum colliſio, nec illus contumacium ſyllabarum ſonus edatur ingratus, & totam impendunt operam in cultura verborum, phraſium elegantia, perjodorum concinnitate, negligentes interea rationum vim, ac perſuaſionis præſtantiam; ſimiles ſanè illis videntur, qui fructus non curantes toti ſunt in legendis floribus, qui parum præſeferunt utilitatis; vel alijs, qui neglecto ſpiritu extimam cutem impenſiùs curant: ſit igitur oratio ſuis ornata viretis, ſuas habeat amœnitates; ita tamen ut magis rationes vigeant, & argumenta plus obtineant roboris; non verborum aucupijs, ſed rationum efficaciâ moventur, flectuntur animi.

8 Memoria *eſt firma rerum, ac verborum ad inventionem perceptio.* Plurimum præſidij ſolent Oratores ponere in cultura memoriæ, quia ut monet Tullius *1. de Orat. num. 18.* niſi res inventæ, & excogitatæ memoriæ cuſtodiantur beneficio, quæ præclariora in oratione fuerint, ſtatim pereunt; memoriâ præ cæteris debet Orator excellere, ac gloriari tanquam excellenti theſauro, ac penu diſciplinarum omnium. Memoria ait Quintilianus *lib. 1. Inſtit. cap. 2.* Oratori maximè neceſſaria eſt, quæ

præ-

Digitized by Google

præcipuè firmatur; atque alitur exercitatione, & in ijs, de quibus nunc loquimur ætatibus, quæ nihil dum ipſæ ex ſe generare queunt, prope ſola eſt, quæ juvare curam docentium poſſit.

9 Eſt memoria, quâ præ alijs neceſſe eſt, Orator valeat, in hominis animo ærarium, in quo theſaurus ſanctè, ac fideliter aſſervatur non gemmis, & margaritis refertus, non auro, argentóque onuſtus; ſed rebus pretioſioribus plenus, ijs videlicet omnibus, quas vel ſenſibus percepimus, auribus audivimus, oculis vidimus, vel legimus, mente concepimus, cogitatione finximus. Amplum eſt memoria receptaculum, in quo res à nobis geſtæ, fictæ, dictæ reconduntur; ut etiam ſæculorum hiſtoriæ, quas legimus, nomina rerum, ac perſonarum, quas novimus; notitiæ doctrinarum, quas didicimus; artes, quas exercuimus.

10 Latent hæc omnia, & alia pleráque in memoriæ receptaculis. Non tamen una, ac eadem omnibus memoria ineſt; hæc enim varietate gaudet; in aliquibus firma eſt, ac tenax; adeò ut ſi quid ipſi concredideris veluti ære inciſum im̃ortaliter maneat obſignatum; in alijs ceræ, ac inſtar fluentis undæ, ſigillum quidem accipit, ſed quod fluctuum in ſe recurrentium lapſu illicò deleatur; nullúmque poſt ſe veſtigium relinquens; in alijs adeò pacata, pura, ac tranquilla, ut terſo, politóque veluti in ſpeculo non ſolùm res, ſed infinitas rerum ſeries incommutabili ſucceſſione fideliſſimè repræſentet; & prout occaſio poſtulat, pari fide veluti depoſitum pignus illæſum reddat.

11 Fuerunt hac memoria feliciſſimi plures, quorum catalogum hic attexere operæ pretium non eſt; ut autem aliqui recenſeantur. Alexander Rex Macedo eâ fertur viguiſſe memoriâ, ut totam Homeri Iliadem, totámque ferè Odyſſeæ partem recitare ſemper potuerit. Coſroë Perſarum Rex omnes itidem Ariſtotelis libros memoriæ mandavit. Demoſthenes Thucydidem ad verbum recitavit. Mithridates viginti duarum gentium, nationúmque Rex totidem linguis jus dixit pro concione ſingulas alloquutus. Cyrus Rex Perſarum in exercitu ferè centena millia hominum comprehendente milites ſingulos proprijs conſuevir nominibus accire. Theodectes Cilix Orator, carmina licèt plurima ubi ſemel recitari audijſſet, è memoria integrè reddidit. Cyneas à Pyrrho Theſſalus Legatus Romam impetrandæ paci miſſus poſtero die, à ſuo acceſſu, & adventu æquè ſenatorios, ac equeſtris ordinis viros nominatim ſalutavit. Genethlius Minutiani Diſcipulus, ea floruit memoria, ut totam concionem, vel declamationem ſemel auditam memoriâ retinuerit, & ad verbum recitaverit. S. Hieronymus Stridonienſis ea fuit memoria, teſte Auguſtino, ut Hebræorum, Græcorum, Chaldæorum, Perſarum, Medorum, Arabum, aliarúmque gentium linguas calluerit, ac literas, adeò ut Auguſtinus hoc elogio illum laudârit: *Nullus hominum ſcivit, quod Hieronymus ignoravit.* Paulus IV. Pontifex Maximus ex gente Carafea, & unus ex Fundatoribus Clericorum Regularium tantâ excelluit memoriâ, ut omnes pſalmos non ſolùm ordine recitârit; verùm & ſacra biblia à capite ad calcem; nec alijs ſcribendo, vel loquendo uteretur ſententijs, quàm ex ſacra promptis ſcriptura; integras itidem è ſanctis Patribus, ut etiam è Tullio, & Virgilio paginas inoffensè reddiderit. Eſt memoria Oratori perneceſſaria, ut de rebus quibuscunque cum dignitate dicere ad populum poſſit; eſt memoria ſcientiarum mater, artium, ac diſciplinarum fidum ſcrinium, eruditionum cella penuaria, rerum geſtarum cuſtos, eloquentiæ gazophylacium, ac eorum, quæ didicimus reconditorium.

Pronunciatio, in qua non ſobriè deſudare 12
debet Orator, ut quæ docet blandiùs in animos illabantur Auditorum, *eſt rerum, ac verborum cum dignitate corporis; ac vocis moderatio.* Vox pro varietate rerum, quæ narrantur inflectenda, remittenda, excitanda eſt, ut Orator læta jucundè, fœcunda cultè, pugnantia densè cum corporis, & actionis dignitate pronunciet. Ut autem hactenus recenſitæ Rhetoricæ partes in Oratore emineant, ſit Inventio fœcunda, ſolers, ingenioſa, ac hominum ſenſibus, captuíque accommodata. Diſpoſitio ſit apta, prudens, clara. Elocutio pura, elegans, perſpicua, culta, venuſta, florida, ſuavis, incitata, gravis, verborum ornatu, ac elegantiarum veneribus affluens. Pronunciatio ſit venuſta, decens, rebus accommodata. Memoria ſit felix, firma, ac diuturna.

PROLEGOMENUM IX.

De Præſidijs Rhetoricæ comparandæ neceſſarijs.

TOtum Eloquentiæ capeſcendæ momen- 1
tum partim in animi præſtantia, partim in ejus cultura collocatum, pronuntiant Rhetores. Ad animi præſtantiam naturæ præſidia, & ingenij dotes pertinere nemo quit inficias ire. Eloquentiæ cultura deſiderat artem, imitationem, & exercitationem: hisce fultus præſidijs Rhetorices ſtudioſus eloquentiæ apicem haud dubiè attinget, & ad verum litterarum decus aſſurget.

Deſtituto naturæ præſidijs via præcluditur 2
vegetum hauriendi Eloquentiæ ſuccum; adeò ut non inconſultò Appollonius Alabandenſis præclarus flexanimæ artis præceptor eorum, qui ad capeſſendum eloquentiæ ſtudium ſuam accedebant palæſtram, accuratè explorârit ingenia, & minus idonea dimiſerit, ne operam, & oleum perderent; quia ſi in cæteris artibus habendus eſt ingeniorum delectus, ad hanc flexanimam cum decoris ſplendore exercendam ingenij ratio, vel maximè deſideratur: eloquentiæ ſiquidem facibus nonniſi generoſæ mentes ad ſumma quæque anhelantes in-

inardeſcunt : plures enim in texendis orationibus, ac movendis animis ſiunt obviæ difficultates, quas evadere ij tantùm valent, quibus natura ingenij vim, mentiſque indidit præſtantiam ; ſicut ridiculum foret, ſi Herculem Pumilio, aut Irus Crœſum, aut Therſites Achillem ageret, ita qui ingenio non excellunt, optimi vix ſiunt Oratores : hos enim Regina eloquentia reſpuit, ne fruſtra in diſcendis, ac exercendis Rhetoricis præceptionibus irrito frangantur conatu. Ingenium vel maximè juvat propenſio inſita, quia ſicuti ingeniorum mira eſt varietas, ita nec omnium hominum ad unam, eandémque propenſio facultatem ; idque ad Reipublicæ commodum deſiderabatur, ut omnes vigerent artes, ac in ſingulis ſummi excellerent artifices : hinc innumeris fuit exceptus laudibus mos ille veterum Athenienſium, quorum filijs, cum primùm certam poterant vitæ rationem inire, omnium proponebantur artium inſtrumenta, ut ad quam præ cæteris artibus ſentirent ſibi præire naturam, eam ſuſciperent exercendam. Ad naturæ præſidia faciunt itidem corporis inſtrumenta ; ut orator omnibus ſit abſolutus numeris pulcherrimum ingenium in corpore elegantiſſimo neceſſe eſt, habeat ; adeò ut in oculis ſenſus interioris animi pingat ; motus doloris, lætitiæ, ſpei, amoris vultu, ac manu exprimat ; vocem modò erigat, modò flectat, deprimat, moderetur, prout res, quæ narrantur, expoſtulant, ad animos flectendos.

3 Quæ in eloquentiæ cultura principem occupat ſedem, eſt ars, quæ, ut ait Tullius *de orat. num. 183. Ad naturam adjungi debet, quæ à natura orta eſt, quia notatio naturæ, atque animadverſio artem peperit.* Eſt autem ars, ut definitur *1. de orat. n. 92. Quæ cognitis, penitùsque perſpectis, & in unum ſpectantibus, & nunquam fallentibus rebus continetur.* Ne in frequentes errores impingat Orator, artis præſidia ei pernecessaria ſunt, ut hoc coruſcamine prævio, quò ſit eundum, videat, & in quem intendit ſcopum rectiùs collineet Orator : qui tantùm naturæ impetum ſequuntur, minimè ob oculos habent varietatem figurarum, ac amplificationum, & uno, eodémque tenore ſemper canunt ; quod erat amplificandum, pluribus extenuant ; quod minuendum augent, nulla dicendi varietate, nulla ſententiarum amœnitate, nulla orationis cultura exhibent, quæ probanda ſibi propoſuerant. Secus qui artem hanc flexanimam callent, eâ utuntur eloquentiâ, quæ conciliandis, illigandiſque animis plurimum præſefert dignitatis, ac roboris, antequam de re quapiam ſermonem inſtituant, ſi opus eſt, animos ſibi attentos, ac dociles reddunt proponentes, quâ de re ſint dicturi, deinde ſi quid geſtum eſt, ex quo diſſertatio pendeat, illud commemorant : præterea, quæ probanda ſunt, validiſſimis evincunt rationibus, quas ampliant variè, animant figuris præſertim patheticis, ut validiùs moveant ; ſi quid in oppoſitum poſitum obſtat, enervant, infringunt ; demum ut Auditores in ſuam impellant ſententiam, quæ dixerunt, exagerant, preſſiùſque, ac nervoſiùs proponunt, quæ omnia quadam artis flexanimæ induſtria exequuntur. Potiſſima artis munera duo ſunt, quorum primum eſt, ut ea, quæ à natura habemus, promoveantur ; ſecundùm ut ars perficiat, quæ in nobis natura rudis inchoavit ; ambo officia exequitur ars flexanima, ſiquidem quæ naturæ quodam duntaxat impetu ſine ulla amœnitatis cultura exhiberentur ; ars multiplici perpolit figurarum venuſtate, nitidiſſimis exornat ſententiarum luminibus, ut blandiùs adſtantium aures demulceant, ac ſuaviùs in animi intimiores receſſus ſe ſe inſinuent.

Exercitatio ex Tullio, *eſt, uſus aſſiduus, ac conſuetudo dicendi, audiendi, legendi, meditandi, ſcribendi, ac memoriter addiſcendi.* Quanti ſit exercitatio in arte qualibet momenti, ex eo deprehenditur facilè, quòd ſine illa artes vigere nullatenus poſſint. Sit ager fœcundus, commendetur ſoli amœnitas, ſitûs excellentia ; aëris temperies ; neglecto tamen culturæ exercitio nunquam optatos fructus ad utilitatem, neque deſideratos flores ad oculorum oblectamentum dabit, ſed vepres tantùm, ac ſentes : animus noſter ager eſt, ingenij præſtantia ferax ; potentiarum vi ſpectabilis, facultatum varietate elegans, at ſi cultura deſit, defloreſcit elegantia, deſinit amœnitas, totúſque perit ornatus. Parum prodeſt flexanimæ artis callere præceptiones, ſi eaſdem neſciat Rhetor exercitationis beneficio ad praxim deducere : non qui de arte gubernandæ navis ſuffarcinatũ legerit volumen, is cenſendus eſt nauclerus peritus ; ſed qui jactatus tempeſtate inter procelloſos undarum obluctantium reciprocos vortices fluitantem navim arte, & conſilio bene fuerit moderatus : ita parum prodeſt Oratorem præceptis omnibus eſſe apprimè inſtructum, ſi neglectâ exercitatione nunquam peroraturus ſubſellia conſcenderit ; pulchrè Tullius. *1. de orat. num. 260. Orator*, inquit, *quantum detrahit ex ſtudio, tantùm amittit ex gloria* : neque abs re Virgilius culicem, Puteanus Ovum, Catullus paſſerem, Statius Pſittacum, Maioragius lutum duntaxat exercitij gratia laudàrunt, quia non poteſt quis excellens Orator fieri, niſi ad Rhetoricas præceptiones crebra acceſſerit diligentis animi exercitatio. Falluntur qui proprij ingenij fidentes viribus, otio, ac voluptatum blandimentis ita aſſueſcunt, ut vigiliarum moleſtias in eloquentiæ ſtudijs perferendas refugiant ; laborum onera in Rhetoricis præceptionibus exercendis ægrè ferant ; ſicuti diuturnæ beneficio exercitationis, ac labore improbo ingenia licèt mediocritatis limites non tranſcendentia hujus facultatis apicem attigerunt ; ita neglecto exercitio ingenia alioquin ſublimia, neceſſe eſt, humi repant, ac paſſim in errores impingant enormes : bellè ad rem noſtram Plinius *epiſt. 29. Nec me præterit uſum, & eſſe, & haberi optimum dicendi Magiſtrum, video etiam multos parvo ingenio, litteris nullis, ut benè agerent, agendo conſequutos. Proinde multum lege,* 4

ſcribe,

Digitized by Google

ſcribe, meditare, ut poſſis, cum voles dicere; dices, cum velle debebis.

5 Poſtremum Rhetorices præſidium eſt imitatio, quà Eloquenriæ ſtudioſi illuſtrium Oratorum inſiſtentes veſtigijs eorum exprimunt vivas effigies, & ad oratoria aſſurgunt decora: ex dignis authoribus, ut monet Quintilianus *lib. 10. Orat. Inſtit. cap. 2.* verborum copia ſumenda eſt, & varietas figurarum, & componendi ratio. Neque enim dubitari poteſt, quin artis pars magna contineatur imitatione. Nam ut invenire primum fuit, éſtque præcipuum: ſic ea, quæ bene inventa ſunt, utile ſequi: Atque omnis vitæ ratio ſic conſtat, ut quæ probamus in alijs, facere ipſi velimus: ſic litterarum ductus, ut ſcribendi fiat uſus, pueri ſequuntur: ſic Muſici vocem docentium, pictores opera pictorum, ruſtici probatam experimento culturam in exemplum intuentur; hæc ille. Verùm ſicuti in ſingulis artibus, earum optimi imitatores ſequuntur veſtigia artificum, qui in ijsdem præ cæteris claruêre: ita in Eloquentiæ Palæſtra tirones eos debent ſibi proponere oratores imitandos, qui nervoſioris eloquentiæ hauſerunt ſuccum, ac energiam attigerunt; quorum ſtylus eſt candidus, fuſus, amœnus, ſine ſalebris elegans, ſine abſtruſis ſenſibus floridus, ſine abſoletis verbis clarus, & quaſi ſedatus amnis fluit. Falluntur certè, qui elegantiam collocant in verbis abſoletis, abſtruſis, inuſitatis in metaphorarum obſcuritatibus, ſenſuum ambagibus, perjodorum circuitionibus, & ſi quæ extant volumina hiſce fœdè referta vitijs, attentè volvunt, impensè legunt, ut optima exemplaria, quæ imitentur; probatos interea, vel contemnentes authores, vel ea duntaxat imitantes, quæ ſibi magìs abſtruſa, inuſitata, abſoleta viſa fuerint: hi non probatos imitantur authores, ſed potiùs Chamæleontem, qui, ut aiunt, cùm omnes fermè colores induat, candorem imitari non poteſt. Sunt plerique, qui ſe ſe ad lectionem conferentes librorum, eorum pluta, quæ candidè, nervosè exhibentur, evolvunt oſcitantes; ſin autem quid abſoletum, inuſitatum, & abſtruſum eis occurrat, ac ſi pretioſiſſima invenerint margarita, excitantur indeſides, exultant læti, & ad ejus imitationem ſtatim convertunt operam, ijs haud diſſimiles, qui neglectis unionibus, quorum non noverunt præſtantiam, toti ſunt in legendis lapillis, quos varijs depictos coloribus concitatum procellis mare ad littus ejecerat.

6 Non deſunt, qui lectiſſimos quóſque nituntur authores imitari, eâ tamen artis imperitiâ, ut ad omnem pulchritudinem, ac elegantiam depictas Veneres, ſeu ornatiſſimas orationes peſſimæ imitationis vitio dedecorent, & aliorum ſplendores inſcitiæ obducentes caligine proprias vertant in umbras; nimirum à commendata degeneres Midæ conditione, eorum operâ non ex luto aurum, ſed ex auro ſemper fit lutum. Jucunda ſanè eſt hiſtoriola, quàm feſtivè ad rem noſtram recenſet Ælianus *lib. 7. de animal. cap. 21.* ait ipſe: *Infantulum nutrix faſcijs evolutum abluens in pelvi tractabat, & ablutum, & pannis circumveſtitum reponebat in cunis, quod ex eminenti loco proſpiciens callida ſimia, ut eſt animal non modò importuna, ſed & perverſæ plerumque imitationis, idem tentare voluit, quod fecerat nutrix; cumque infantem remotis cuſtodibus jacentem introſpexiſſet in cunis; per feneſtram, quæ patebat, in ædes illabitur, ac primum puſionem arripit, faſcijs explicat, & poſt varias geſticulationes, aquam ſuccenſis carbonibus fortè caleſcentem in miſerum corpuſculum effudit, ac infantem enecavit.* Hoc idem agunt pravi imitatores, qui imperitiæ telo alieni ingenij fœtum miſerè confodiunt; & quidquid pulchri, ac elegantis in lectiſſimis reperiunt Oraroribus pravæ imitationis vitio devenuſtant.

PROLEGOMENUM X.

De imitationis præceptis, & cautionibus.

1 NOn abs te aiebant veteres, Orpheum vatum omnium principem vivam mortuis in cineribus ſuavitatis vim reliquiſſe, & luſcinias ceciniſſe ſuaviùs, quæ juxta ejus nidificârunt ſepulchrum, quaſi ex defuncti Poëtæ cineribus adhuc conſopitos haurirent æſtus, quibus blandiùs, ac molliùs excitarentur ad melos: nimirum voluerunt ſapientes illi nos docere,, veram eloquentiæ ſuavitatem monumenta illuſtrium authorum, ſeu libros, quibus Libithinæ ſuperſtites, etiam poſt fata præclarè vivunt, imitationis beneficio abundè Rhetorices ſtudioſis ſuppeditare. Tanti imitationis ratio cenſetur momenti, ut Dionyſius Longinus imitatores cum Sibylla contulerit, libros cum antro Phœbi pleno cœleſti halitu, & quod imitamur cum oraculis ipſis, eò quòd nonniſi ſublimia nobis ſubminiſtrent effanda. Quotquot humanæ cupiunt eloquentiæ culmen attingere, ijs neceſſe eſt, jucundam cum mortuis ineant ſocietatem, ac eorum aſſueſcant mutis colloquijs; præclariùs vivere non ediſcimus, niſi docentibus mortuis; quatenus eorum volventes ſcripta virtutes ſumimus imitandas, quæ ſuis authoribus ſuperſtites, ſunt veluti ſcintillantia in cœlis ſydera, quæ delapſo in occaſum ſole ſplendent clariora.

2 Eorum delectus Oratorum, qui nobilioribus addidêre ſubſelijs nitores uberrimam nobis ſuggerit imitationis ſegetem; & cum præ cæteris Tullius par imperio Romano ingenium commendetur, ſalutetúrque humanæ eloquenriæ princeps, hunc clarioris notæ Magiſtri proponunt imitandum, quia illo nullus fuit facundior, nullus clarior, eloquentior nullus; quis in flectendis animis eo nervoſior? quis in captanda benevolentiâ ſuavior? quis in tuenda veritate efficacior? in ſuis quas ſcripſit orationibus vires omnes, totúmque nervum incluſit eloquentiæ, adeò ut nil

poſſit ad oratorem omnibus ſuis perficiendum numeris deſiderari, quod abundè uni eloquentia Tullio non ſuppeditârit; tot ſunt in ipſo lumina, quot dicta; tot veneres, quot ſententiæ; tot flores, quot verba: quòd ſi in uno Achate ferunt, genera omnia contineri colorum, ac unum,eundémque lapillum tam mirâ eſſe elegantiâ pictum, ut vix unus eſſe credatur: ſiquidem candidus eſt, rubeus, croceus, viridis, cinereus, niger, cæruleus, varius, refértque lucos, prata, flumina, animalia, flores, plantas, elegantiſſimo laſcivientis naturæ luſu: ita in Tulliana eloquentia omnes Rhetorum comprehenduntur elegantiores colores, omnes ingeniorum virtutes, omnes amœnitatum deliciæ, ejus ſtylus purus, & candidus nectare diffluit, ac ambroſiâ, & prout oratio poſtulat, grandis eſt, temperatus, laxus, acutus, lenis, velox, acer, ſuavis, ac ſenſim ſine ſenſu ad intimos irrepit animorum receſſus; ſi crimen accuſat, quâ eloquentiæ vi, quâ rationum efficaciâ, quâ amplificationum redundantiâ illud exaggerat, horrendúmque evincit? ſi hominem erroris ſuſpicione duntaxat notatum redarguit, quas in anguſtias, quos in anfractus, quos in æſtus illum conjicit? ſi reum tuendum ſuſcipit, quo argumentorum apparatu, ſententiarum delectu, verborum copia delicti minuit gravitatem?

3 Unus igitur ex latinis omnibus Oratoribus deligendus eſt Tullius, unus in delicijs habendus Cicero, unus cæteris præferendus Romanæ eloquentiæ Princeps; cujus eloquentiam imitemur, cujus orationes diu, noctúque volvamus, cujus veſtigijs inſiſtamus. Non inficior, alios ab alijs commendari politiſſimæ eloquentiæ Oratores, qui è ſubſelijs roſas videntur loqui, ac eruditionum varietate amæniſſimum exhibere veluti hortum innumeris florum diſtinctum areolis; quorum verba ſunt lecta, ſonantia, levia, gravia, prout oratio expoſtulat, quorum ſententiæ elegantiam præſeferunt, ac venuſtatem, quorum dicta amœna ſunt, varia, & arguta, non ſecus, ac micantibus illuſa floſculis aſarota; at hi energiam Tulliani eloquij nimia elegantiarum, floſculorúmque mollitie infringunt, & potiùs ad aures demulcendas perorant, quàm ad animos flectendos. Unus eſt Tullius, qui ſummum humanæ eloquentiæ attigit culmen, qui conſuetas cæterorum Oratorum metas auſu generoſo prætervolavit, qui vel ipſi præcelluit Demoſtheni, cujus nomen Græciam totam illuſtravit; cujus eloquentia Rhetoricis omnibus depicta coloribus allicit blandè, ſuaviter movet, perſuadet nervosè, nihilque Lyſiæ cedit ſubtilitate, nihil Hyperidi argutiarum acuminibus; nihil Æſchini verborum ſplendore; nihil Antiphoni eloquentiæ ſuavitate; nihil Demetrio Phalereo ſententiarum delectu; neque ſinit Quintilianus me hillum à vero diſtr hi, ait ipſe lib. 10. cap. 1. *Ciceronis, & Demoſthenis virtutes, pleraſque arbitror ſimiles, conſilium, ordinem dividendi, præparandi, probandi rationem, omnia denique, quæ ſunt inventionis: in eloquendo eſt aliqua diverſitas, denſior ille, hic copioſior; ille concludit ſtrictiùs, hic latiùs pugnat; ille acumine ſemper, hic frequenter pondere; illi nihil detrahi poteſt, huic nihil adjici, curæ plus in illo, in hoc naturæ.*

4 Cum numeris omnibus abſolutum Oratorem delegerimus imitandum, operam neceſſe eſt, impendamus in ijs ſecernendis, quæ ad aures demulcendas, animóſque flectendos videntur magis accommodata. Dignum eſt obſervatu, quomodo Tullius ſtatim in exordijs ſibi concilies audientium animos; quomodo in cauſis narrandis circumſtantias amplificet, res obvias deſcribat, & omnia candidè, ornatè, ac eleganter exhibeat; quâ arte argumenta congerat, quo verborum delectu proponat, quâ figurarum varietate, ſententiarum nitore, elegantiarum oblectamento ſingulas componat orationes; & tandem quo generoſæ eloquentiæ ſucco, quâ fandi energia, quo rationum robore cauſas vel oppugnandas, vel propugnandas ſuſcipit: hæc omnia perpendant, imitentur, quotquot non prima tantùm cupiunt eloquentiæ luſtrare limina; ſed eminentiora ejus attingere faſtigia. Non ſufficit Oratori eximio unam duntaxat, vel alteram fuiſſe Tulij excellentiam imitatum, is neutiquam Orator fieret numeris omnibus abſolutus; ſed perinde ſe haberet, ac pictor, qui eolorem ſolum, vel faciem excellentis picturæ ſibi imitandam proponeret, ceteris neglectis, quæ ad perfectam totius picturæ ſymmetriam, rerúmque diſtantias, umbras, proportiones deſiderantur.

5 Verùm quia mira eſt ingeniorum varietas; non enim Deus in hiſce condendis illi fuit pictori ſimilis, qui præter expreſſum nil aliud poterat delineare, ſed ad maximum univerſi ornamentum diverſas eis indidit perfectionum rationes, non ſecus, ac floribus diverſas colorum excellentias; plantis varias viroris amœnitates; fructibus plura ſaporum oblectamenta: ita ex Rhetoricæ candidatis, qui capeſſendæ eloquentiæ ſedulam videntur operam impendere, alij alijs delectantur inſtitutis; quidam titillante ſuavitatis lenocinio, eos imitantur Oratores, qui argumentorum deſtituti robore nonniſi floſculos vanidæ elocutionis exhibent, ut aures tantùm demulceant, non animos flectant. Plerique ſolis addicti verborum elegantijs, culmen eloquentiæ ſibi imaginantur attigiſſe, ſi eos imitentur, quorum orationes varijs depictæ figuris, multiplici refertæ eruditionis ornatu, nobilium potiùs exhibent hortos ad pompam tantùm innumeris diſtinctos florum areolis; quàm ad fructum,ac utilitatem exculta vineta. Nonnulli eximios quidem imitantur eloquentiæ Coriphæos, ſed adeò accuratè, ut eaſdem prorſus tranſcribant ſententias, iiſdem utantur argumentis; & phraſes, veneres, acumina, venuſtates omnes ſibi vindicent, Philoxeno celeberrimo helluoni haud diſſimiles, qui nidore fumi captus alienas clanculum penetrabat culinas

linas fercula ſoſſuraturus delicatiora. Alij eaſdem quidem ſententias, ac rationes ſibi arrogant, adeò tamen ſubdolè, ut ne eædem eſſe videantur paucis adjectis ampliant, vel demptis, ac reciſis aliquibus decurtaot, illum potiùs imitantes prædonem crudelitate inſignem, qui obvios quóſque paratis captos inſidijs proprio applicabat grabato, & ſi quos inveniſſet proceriores amputatis pedibus decurtabat; ſi breviores ſuſpenſis funibus alligatos nervorum detorſionibus, donec egiſſent animam, dirè extendebat. Subdolam hanc imitandi artem etiam politiſſima exercuêre ingenia, quibus congruit, quod de exiguis formicis Poëta cecinerat. *Convectare juvat prædas, & vivere rapto.* Habent Eloquentiæ Lycæa ſuos Menelaos, nec ipſis deſunt Parides, in quorum prædam cedant Helenæ pulchertimarum compoſitionum: legendi ſunt authores, ac imitandi, non dilacerandi. Alij denique recenſentur ita ingenio hebetes, ot nec ſenſuum pondera percipientes, nec rationum momenta, quod ab alijs decerpſerunt, omnino deturpent, enervent, ac Neauthum Pittaci tyranni filium videantur potiùs imitari, is cùm audiviſſet grandia, quæ de lyra Orphei ferebantur, deſiderio captus ejuſdem potiundæ, ac pulſandæ æadituo fani, in quo aſſervabatur, pecunias numeravit non modicas, quibus eximij Vatis ſibi lyram compararet; eâ potitus in ſuburbium ſe contulit; at ubi lyram pulſare cœpit, adeò infeliciter Orphei modulos eſt imitatus, ut à frequenti occurrentium canum grege miſerabili ſtrepitu efferato membratim fuerit dilaceratus, ac diſcerptus; ita plerísque obtingit, qui alienis opibus inhiantes adeò infelici eas ſibi uſurpant induſtriâ, ut famæ ſaltem incurrant dilacerationem. Caveant præſertim tyrones, ne quod imitandum ſumitur, eorum excedat captum; parum profuit Patroclo apud Homerum Achillis armatura; parum Turcæ Schanderbechij gladius, quia neutri reſpondebant vires.

6 An verò unus duntaxat eximius Orator, vel plures imitandi ſint, reſpondet D. Thomas, principem aliquem deligendum eſſe oratorem, cujus virtutes imitemur, cujus pabulo nutriamur, quia faciliùs pauca ab eodem prodeuntia percipimus, quàm plura à diverſis emanantia, quorum alia alijs ſunt captu difficiliora, alia alijs magis abſtruſa, abſoleta. Hanc Authorum varietatem diſſertè redarguit Seneca proponens paucos, ſed eximios, ac præexcellentes eſſe imitandos, ait ipſe *epiſt. 2.* Certis ingenijs immorari, ac innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo ſedeat. Nusquam eſt, qui obique eſt. In peregrinatione vitam agentibus, hoc evenit, ut multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat, neceſſe eſt ijs, qui nullius ſe ingeniu familiariter applicant, ſed omnia curſim, & properantes tranſmittunt. Non prodeſt cibus, neque corpus enutrit, qui ſtatim ſomptus emittitur, nihil æquè ſanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo medicamenta tentantur. Non coaleſcit planta, quæ ſæpe transfertur: nihil tam utile eſt, quod in tranſitu proſit. Diſtrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non poſſis, quantum habueris, ſat eſt habere, quantum legas. Sed modò inqois hunc librum evolvere volo, modò illom.

7 Faſtidientis ſtomachi eſt multa deguſtare, quæ ubi varia ſunt, ac diverſa, inquinant, non alunt. Probatos utique ſemper lege: & ſi quando ad alios divertere libuerit ad priores redi, hactenus Seneca. Neque adeò rigidè opinarer, ut excepto unius vel alterius delectu cæteri ſint Authores negligendi, vel flocci faciendi, ſunt omnes volvendi; ſed unus præ cæteris imitandus, qui eximius ſit, noſtróque captui faciliùs ſe accommodet: hoc præſtitêre veteres, qui ſingulares aliquos Authores delegerunt imitandos uti Plato Philolaum, Platonem Cicero, D. Paulum Andronicus Imperator, & S. Cyprianus unum habuit in delicijs Tertullianum, quem è ſinu tarò deponebat. Qui orationibus texendis impendunt operam, unum præſertim Tullium habeant ducem, quem in amplificandis circumſtantijs, congerendis argumentis, variandis figuris imitentur: at ſicuti volitantia per arvorum amœna apum agmina non ab uno tantùm flore ſuccos carpunt, ſed omnes mira celeritate libant, & à ſingulis odoratas legunt divitias; ita eloquentiæ candidati plures volvant clarioris notæ Authores, quia ſinguli ſuos dabunt flores, ſuas ſuppeditabunt divitias, hi præſertim, qui nitidi, ac compti dicendi veneres inſtillant, & orationis ſtructuram crebris exornant luminibus, exhibéntque diſtinctam amœnitatibus, quaſi pictis aſarotis vermiculatam.

PROLEGOMENUM XI.

Quæ digna ſint imitatione, & quomodo hæc inſtituenda.

1 IN præexcellenti Oratore, quem imitari delegimus, tria animadvertenda ſunt ad perfectam ſpectantia imitationem: ſuntque Inventio, Diſpoſitio, & Elocutio, in quibus eloqoentiæ candidati debent impenſiùs deſudare, ut paria paribus, contraria contrarijs, & ſimilia ſimilibus reddant. Hoc eſt ſummum imitationis momentum, eâ artis induſtriâ alienum exprimere, ut proprium omninò eſſe videatur, & quemadmodum Ægyptius ille Protheus idem ſemper fuit, & alter; ita quod imitandum ſuſcipimus, recentem debet perſonam induere, ac non ampliùs idem apparere, ſed aliud.

2 Inventio uberrimus fons eſt, ex quo rivuli omnes ſcaturiunt, quibus pleniùs irrigantur ingenia: hoc ex fonte etiam clarioris notæ Rhetores, pleráſque hauſerunt perorandi virtutes, quibus minimè ſecundi iis viſi ſunt, quos fuerant imitati; talis fuit Virgilius Homeri

meri inſiſtens veſtigijs; talis Tullius, qui Demoſthenis pretioſiores congeſſit divitias, eâ tamen dexteritate, ut Demoſthenes minimè in Cicerone cognoſceretur, nec ibi eſſe deprehendatur, ubi revera latet; tales ſunt, qui ita imitantur, ut res eximiè amplificent, immurent, ornent, augeant, & veriùs quàm Midas effecerint, ut ipſum plumbum in probatum eomutaretur aurum. Ut rectam imitemur inventionis rationem, in ipſo limine inveſtigemus, neceſſum eſt, quæ ſint cauſæ probandæ, quæ argumenta deligenda, quæ circumſtantiæ amplificandæ, quæ narranda, & quæ cavenda; dein ſtylo utatur Orator gravi, compto, qui delicijs affluat, floribus delectet, veneribus mulceat; caveat tamen, ne excedens dicendi mollities vim enervet eloquentiæ, nec ſupra æquum contortulæ perjodi ſenſus obnubilent orationis, nec umbras, ut vulgò dicitur, in ipſum ſolem injiciant: in hoc facilè prolabuntur imitationis vitium, qui prima incipiunt eloquentiæ luſtrare limina, quippe ſolis verborum lenocinijs, phraſiúmve addicti elegantijs, grandioribus Authorum ſenſibus, quos decerpſerunt, vires adimunt, & vanidæ elocutionis illicio pondus infringunt eloquentiæ: ſuis incedat ornata floribus oratio, ſuas habeat amœnitates, ſua aucupia; ita tamen, ut non res verbis, ſed verba rebus inſerviant; non verborum delectu, ſed ſenſuum momento, ac rationum pondere moventur animi, flectuntur: verborum copias adhibemus ad animi ſenſa alijs patefacienda, non ſenſa animi ad verborum oſtentationem; falluntur, qui verborum delectum, ac laſcivientis orationis luxuriem rationum præferunt momentis, ijs ſimiles, qui pretioſiora flocci pendentes margarita, totum impendunt ſtudium in legendis depictis lapillis, quos ad littus mare procellis fluctuans ejecerât.

3 Legitimæ diſpoſitionis rationem imitamur, ſi ſingulas orationis partes ſedulâ perpendimus diſquiſitione, eáſque ſine ulla perturbatione in noſtris diſponimus texendis orationibus: ſicuti ab ordine decor omnis, ac harmonia fluit; ita legitima partium diſpoſitio totam orationi concinnitatem, ac elegantiam impertitur; imò ſicuti neglecto ordine, ac diſpoſitione nulla prorſus emergeret in ſtructura concinnitas, nulla majeſtas: ita ſi partium deſit diſpoſitio, neceſſum eſt, orationis ſtructura omni deſtituta decore incomptam ruderum ſtruem exhibeat contemnendam; ſatis non eſt, ait Quintilianus *lib. 7. cap. 1.* Saxa atque materiam congeſſiſſe, niſi diſponendis ijs, collocandiſque artificum manus adhibeantur: ſic in dicendo Orator qualibet abundans rerum copiâ cumulum tantùm habet, atque congeſtum, niſi illas proba diſpoſitio in ordinem digeſtas, atque inter ſe commiſtas devinxerit; oratio abſque diſpoſitionis virtute neceſſe eſt, tumultuetur, perinde, ac exercitus ſine duce, ſine rectore, ſine ordine.

4 In hac partium diſpoſitione ſedulò perpendat Orator, quæ ſit in prooemijs Ciceronis, vel alterius, quem imitandum delegerat conciliandi Auditoris ratio, quæ fides in narratione, quæ vis in argumentis, & probatione; quale pondus in confirmatione, quæ perſpicuitas, efficacia, & brevitas in epilogo, & demum qualis occulta ars in aptè diſpoſitis ſingulis orationis partibus: & hanc diſponendarum partium præclaram methodum nitatur pro viribus imitari, ſingulisque partibus proprias impertiatur virtutes; hoc ſi fecerint Rhetorices candidati, brevi ſumma attingent eloquentiæ culmina. Errant haud dubiè quotquot neglectâ hac partium diſpoſitione, quidquid mens ſuggerit ſtatim, vel ſcribunt, vel narrant, ludibundo capti ſtylo, inanibus circumornato floſculis; ij non concinnam orationis ſtructuram, ſed fœtum imperfecti ingenij enituntur informem, in quo nullus eniteſcit decor, nullus cultus, ſed fucata levitas vanidæ, ac temerè volantis elocutionis.

Sublimes elocutionis virtutes, ut imitemur 5
eorum, neceſſe eſt, veſtigijs inſiſtamus, qui non in literulis, ſyllabiſque aucupandis, aut in tornanda perjodo duntaxat hæſerunt; ſed qui elegantiarum delicijs, comptiſque veneribus ſententiarum gravitatem, ac opportunam adnexuêre figurarum varietatem; adeò ut orationis ſtructuram non ſolùm numeris, quaſi pictis aſarotis vermiculatam diſtinguant; ſed & refertam exhibeant eâ dicendi ſupellectile, quæ ad animos demulcendos, ſimúlque flectendos viſa fuerit opportunior; quam elocutionis rationem conſecuti ſunt plerique ſanctorum Patrum, præſertim Hieronymus, qui ſicut ſanctitate; ita & elocutione ſummus, dicendi gravitatem, ac in redarguendis vitijs aculeos mellitis cœleſtis facundiæ favis temperavit; D. Joannes Chryſoſtomus, cujus fandi ſuavitatem Antiocheni, & dicendi majeſtatem Bizantini fuerunt admirati; D. Petrus Chryſologus, cujus ſtylus fuſus, ac ſedatus quaſi amnis ſine ſalebris fluit, gravis, pellucidus, dulcis, ornatus; hiſce adduntur Tertullianus, Felix Minutius, Arnobius, & Ambroſius, qui nectare, & ambroſiâ enutritus, nonniſi ſuaviſſimas effundit elocutionis delicias, ac mellitos favos, quos apes in ejus conſtruxêre cunis. Veram igitur elocutionis imitamur rationem, ſi numeros pares, & ſententias, figuras, coloréſque omnes haud diſſimiles referamus, hócque ut faciliùs obire munus poſſimus, perpendamus, neceſſe eſt in eo, quem imitandum delegimus verborum elegantiam, ſententiarum delectum, rerum copiam, ſenſuum amœnitatem, perjodorum ambitus, figurarum varietatem; quomodo ſtyli elegantia floribus, ac delicijs mirificè delectet, narrationes intertextæ veneribus demulceant; totáque oratio æquabili ſemper fluens tenore animum exhilaret, nihilque complectatur detortum, nihil puerile, affectatum nihil, quales ſunt orationes Tullianæ, quarum ſtylus acer, velox, gravis, jucundus, delicijs affluens, ſententijs redun-

dans

dans, luminibus niteus, arbor illa videtur Xerxis aurea, læta, ſublimis, non minùs florum amœnitate luxurians, quàm fructuum copiâ diteſcens.

PROLEGOMENUM XII.

De multiplicij Orationis imitandæ ratione.

1 HActenus genericam expendimus imitandi rationem; recta in tradendis diſciplinis methodus nunc ad ſpecificas, ac peculiares nos vocat imitationis virtutes, quarum prima eſt; cùm mutatâ ſententiâ aliqua ſaltem illuſtriora verba retinentur. Cicero de nece Publij Clodij ironicè dixerat. *Publij Clodij mortem æquo animo nemo ferre poteſt.* mutatâ ſententiâ imitatur Orator Tullianam hanc propoſitionem, ſi ſincerè de viro probo, & eximio dicat. Præclari viri præmaturam mortem ægrè ferunt quotquot ipſum noverunt; lugent cives fractis oculis fractum optimi Patritij vitale ſtamen, non ampliùs reſtaurandum: lamentantúrque ſe amiſiſſe Reipublicæ Moderatorem ſolertem; communis boni promotorem eximium; publicæ quietis aſſertorem egregium: acerba mors ſuum pauperibus ſuffurata eſt patrem, miſeris ſolamen, viduis fautorem, innocentibus defenſorem, populo ducem, nobilibus ornamentum; & ideo tota civitas mœrore confecta, ſqualore quaquaverſum circumſepta feſtinato parentis optimi illachrymatur fato. Mutatâ itidem ſententiâ necem viri nefarij juxta Tullianum exemplar amplificamus. Perditiſſimi viri mortem ægrè ferre nemo poteſt, quinimò lætantur omnes extinctam patriæ peſtem, ſublatam Reipublicæ perniciem, abraſam urbis ignominiam; gaudent cives, cecidiſſe nefariorum fulcrum; impiorum fautorem, flagitioſorum defenſorem; exultant virtutis cultores perijſſe vitiorum promotorem, quietis turbatorem, pacis hoſtem nequiſſimum.

2 Secunda imitationis ratio eſt, quà mutatis verbis retinetur eadem ſententia. Cicero in Verrem. *num.* 37. ait: *De te Cæcili, jam extra contentionem, certaméuque noſtrum familiariter tecum loquar. Tu ipſe quemadmodum exiſtimes, vide etiam, & tu te collige, & qui ſcis, & quid facere poſſis, conſidera. Putáſne te poſſe, &c.* Hanc Tullij orationem immutatis parumper verbis retorquere facilè poſſumus in virum mundi illecebris captum. De te homo perditiſſimè, qui carnis oblectamentis, ſeuſúſque illicijs addictus, virtutis honeſtatem contemnis, religionis exercitia negligis: extra omnes reprehenſionis aculeos familiariter tecum loquar, tu quemadmodum exiſtimes, vide etiam, atque etiam, & qui ſis, & quem exitum ſint habituræ voluptates, mundique illecebræ, quibus totam miſerè impendis operam. Putáſne, quæ poſſides relaxandi animi cauſa florentiſſima viridaria; auri, argentive pondera, quibus diteſcis, gementia ferculis convivia, quibus unicè abdomini inſervis, ſibi profutura, cum te feſtinato gradu Libitina occupaverit? Putáſne palatia ad ſummam ſtructa elegantiam, atria multo auro radiantia, laxas porticus pluribus ſuffultas columnis, thalamos fornicatos depictis circumornatos tabellis, pavimenta diminuto ſaxo in varia picturarum genera eleganter intexa, parietes tenui obductos marmore; & alia, quæ prædivitis oſtentant magnificentiam aliquid tibi agenti animam poſſe levaminis adferre? putáſne Attalicas veſtes probatiſſimo fulgentes auro, collaria reticulato opere minutis maculis eleganter depicta, pendentem è collo torquem multiplici vermiculatum ad mantè; caligas holoſericis filis minutiſſimè intextas, & calceos multiplici circummicantes gemmâ; poſſe te venuſtulum Paridem à feſtinantis mortis inelectabili eximere aſſultu?

Tertia legitimæ imitationis methodus ſervat eadem verba, ac ſententiam. Cicero in Catilinam *orat.* 1. nervosè invehit. *Quouſque tandem abutêre Catilina patientiâ noſtrâ? quamdiu nos etiam furor iſte tuus eludet? quem ad finem ſe ſe effrænata jactabit audacia?* emphatica hæc verba imitari poſſumus ſervatis ijſdem pene verbis, ac ſenſibus, & in peccatorem Siliceum retorquere. Quouſque tandem abutêre perditiſſimè virorum allicientis, & vocantis Numinis patientiâ? quamdiu hæc tua pervicacia pulſanti pectus tuum Deo ſilicea obſiſtet duritie, ac cœleſtia monita contumaciſſimè eludet? quouſque ſe ſe effrænata jactabit peccandi libido? Nihilne tuam emolliunt ferream duritiem æternæ gehennæ incendia? Nihilne tuarum libidinum æſtus gelu feſtinantis mortis attemperat, imminuit? Nihilne te à laxiſſima iniquitatum via retrahit luctuoſiſſima illa, & omni tragœdiâ funeſtior divinæ juſtitiæ caſtaſtrophe, quam non ſine ingenti mœrentis animi horrore, membrorum cuſſione, artuúmque trepidatione io valle Joſaphat ſupremus Judex exhibebit? 3

Quarta imitationis ratio habetur cum nec verba, nec ſenſus ſervantur, ſed tantùm eadem figura: elegans eſt illa proſopopœia, quâ quâ Sicilia redarguit Verrem apud Ciceronem *in Verrem num.* 19. eò quòd ferri violentiâ abſtulerat, quidquid auri, vel argenti ei inerat. *Sicilia tota, ſi una voce loqueretur, hæc diceret. Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, ſedibus, delubris, quod in unaquaque re beneficio ſenatùs, populique Romani juris habui, id mihi tu Verres eripuiſti, atque abſtuliſti.* 4

Non ſervatis verbis, nec ſententijs poſſumus ſolam imitari figuram, & quemadmodum per proſopopæjam Sicilia mœrens, cladibúſque everſa Verrem alloquitur, cujus avaritiam redarguit; ita loquentem poſſumus inducere nefarium quendam in vitæ extremis conſtitutum, ac malè conſumptos dies lugentem. Heu me miſerum! heu ſortem meam ſanguineis plorandam lachrymis! perpendo mœrens, ac intimo compreſſi ani- 5

mi dolore conſidero totum anteactæ meæ vitæ tempus; & nihil acerbiùs menti ſubit, quàm quod dies mei tranſierunt, & nihil eorum mihi ſupereſt, quàm amara recordatio ad animi invehendum angorem, ad cordis intima repetito doloris ictu conterenda: ubi ſunt dies, quos in infantia conſumpſi inutiliter; in pueritia trivi futiliter, in adoleſcentia perdidi negligenter, in juventute exegi luxurioſè, & in reliquo meæ anteactæ vitæ curſu expendi pernicioſè? ubi dies iſti, quos lætos traduxi in convivijs helluando; in periſtylijs ludendo, in theatris ſpectando, ecce omnes tranſierunt, evanuerunt.

6 Subinde non tantùm figuram, verùm, & ipſa verba imitamur, quæ tamen ornamus pluribus alijs adjectis, ut eleganter effecit Virgilius: Hectorem alloquebatur Ennius

O lux Troja germane Hector
Quid ita cum tuo lacerato corpore miſer?

At Virgilius 2. Æneadum altiori tuba cecinit

O lux Dardaniæ, ſpes ò fidiſſima Teucrûm,
Quæ tantæ tenuêre moræ, quibus Hector ab oris
Expectate venis. ut te poſt multa Tuorum
Funera, poſt varios hominumque, urbisque labores,
Defeſſi aſpicimus? quæ cauſa indigna ſerenos
Fœdavit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?

PROLEGOMENUM XIII.

Expenditur regula multipliciter imitandi, ac eleganter eandem ſententiam variandi grammaticaliter, Rhetoricè, Logicè.

1 NOn abs re, quos imitandos deligimus Oratores cum fodinis multiplici refertis metallo, & imitatores cum foſſoribus conferrem. Ex ijs, qui in fodiendis metallis operam impendunt improbam, diu, noctúque deſudantes, alij aurum, quidam argentum, illi ferrum, plumbum iſti, plerique cœnum ex diſcerptis illis terræ matris viſceribus extrahunt etiam labore non diſpari: ita qui alios ſibi proponunt imitandos non omnes meliora, ac ad perorandum aptiora ſeligunt, idque ijs præſertim obtingit, qui titillante ſuavitatis lenocinio eos duntaxat legunt, & imitantur, qui dicendi venetibus, ac laſcivientis orationis luxurie aures demulcent, non animum tangunt, neque flectunt. Oratores interea graves, qui ſumma etiam eloquentiæ culmina attigêre, vel ut auſteros reſpuunt, vel negligunt ut nimis duros: iſti non aurum, non argentum, ſed plumbum infimæ notæ impenſo ſibi comparant labore. Alij quibus vix recti judicij exigua illuceſcit ſcintillula metas aliorum labes ad imitandum ſeligunt, chamæleonti haud diſſimiles, qui ut vulgò fertur, cùm omnes fermè colores induat, candorem non valet imitari: iſti operam, oleúmque perdunt in congerendo cœno, acervando luto, quo ſordeſcant magis, & judicij exilitatem ex eo produnt, quia quæ candidè, ac nervoſè narrantur, evolvunt oſcitanter, vel perfunctoriè legunt: cùm verò quid lutulentum ſordueris, perinde ac illis pretioſiſſimus objiciatur ex Eritræo unio, vel ex Oriente adamas, excitantur illicò indeſides, & ad ejus imitationem mentis adhibent conatum, quaſi ſi id feliciter conſequantur, ſint extemplò laureâ donandi Apollineâ. Ad rem noſtram mentem ſubit Vibij Rufi Senatoris Romani recordatio; pulſaverat hunc ambitio conſequendi præclariſſimi Oratoris nomen, & cum nomine populares plauſus; & ne ipſi cenſeretur Tullio ſuppar, Ciceronis uxorem marito ſuperſtitem diu tentavit in matrimonium ducere, nupſit ipſi tandem; tunc eloquentiſſimum Tullium ſe propediem futurum, non modò ſibi fuerat homo phanaticus imaginatus, verùm apud Tiberium Principem ridente Senatu ſe ſumma attigiſſe eloquentiæ culmina fuerat vanidè gloriatus; nimirum homo teruncij opinabatur ſibi Palladem deſpondiſſe, quæ non aliam in domum attuliſſet dotem, quam poſthumam extincti mariti eloquentiam. Vibij Rufi veſtigijs inſiſtunt plures eloquentiæ ſtudioſi, qui unius, vel alterius figmenti abſoleti amore capti, ubi illud in rem propriam tranſtulerint; omnia eloquentiæ decora putant ſibi in pretioſioribus Rhetorices nundinis comparâſſe, quos meritò inſcitiæ notâ redarguas.

Alij ſunt, qui optima quæque imitantur, 2
ſed tam accuratè, ut alienas ſibi divitias uſurpent, in quos retorqueas, quod de formicis cecinerat Poëta.

Convellare juvat prædas, & vivere rapto.

Si artem callerent invertendi ſententiam, rectâmque addiſcerent imitandi methodum eâ alienum taperent induſtriâ, ut nonniſi de proprio viverent. Artem multipliciter variandi eandem ſententiam habet etiam Theſaurus in ſuo Teleſcopio Ariſtotelico: & verè ars eſt ſcitu digna, cum una, ac eadem propoſitio veluti Ægyptius Protheus, ut eſt in fabulis, millenas induat formas, in ſingulis ſemper formoſior. Hanc igitur variandæ periodi artem enucleaturus, quæ plurimum præſefert utilitatis, plurimúmque urbanitatis; proponam ſententiam aliquam multipliciter variandam, ita tamen ut ſicut de Ægyptio Protheo fuerunt Poëtæ fabulati, eadem ſemper ſit, ac diverſa. Pulchra eſt illa metaphora, qua lepidè dicimus: *ſydera roſcidis lachrymis lugere mortem ſolis*, eſt ros vapor tenuis in infima regione aëris vi nocturni frigoris denſatus, qui propterea minutiſſimis diſtinctus guttulis in terram relabitur; per metaphoram ſimilitudinis roſcidæ guttulæ vocantur *lachrymæ ſyderum*, quæ cùm tantùm ſplendeant poſt ſolis occaſum, eo noctis tempore, quo ros relabitur; dicuntur methphoricè lugere ſolis mortem, perindè ac in aula regia prænobiles viragines, ac proceres feſtinato illachrymarentur Principis fato. Exhibeo igitur invertendam hanc ſententiam,

ſy-

ſydera roſcidis lachrymis lugent ſolis necem, vel *mortuo illachrymantur ſoli*, quæ metaphora eſt translatio de re animata ad inanimatam, *lugere* ſiquidem proprium hominis transfertur ad ſydera inanimata; & *mori* proprium rei viventis, tribuitur ſoli vitâ deſtituto, & dicitur emori, quatenus veſpere occidit, ac diſparet.

3 Grammaticaliter poteſt præfata propoſitio multifariè inverti, adeò ut eadem ſemper ſit, ac diverſa, ipſa, & non ipſa. Primò ſi ſumamus nomen ſubſtantivum verbi *lugere*, nimirum *luctum*, cui ſenſus ipſos hominis tribuamus, concinnè dicimus: *Mæſtiſſimus ſyderum luctus emortuo planetarum Principi parentat.* Secundò cumulativum, *Lachrymabunda ſydera defuncto ſole internum exprimunt doloris ſenſum.* Tertiò participium. *Lugentia inſtar Præficarum ſydera abraſo è noſtro hemiſphæri ſoli poſtremos perſolvunt honores.* Quartò gerundivum: *ſydera illachrymando palam faciunt, quàm ægrè ferant ſolis occaſum.* Quintò ſuperlativum: *Mæſtiſſimè lugent ſtellæ delapſum ſolem in occaſûs ſepulchrum.* Sextò frequentativum: *Sæpiſſimè lugent ſydera ſolis occaſum.* Septimò diminutivum: *Mæſtis lachrymulis lugent ſydera occiduis demerſum ſolem in undis.* Octavò compoſitum: *Nocte intempeſta illachrymantur ſydera ſoli occiduis undis extincto.* Nonò adverbium: *Meſtè lugent ſydera ſuum obiiſſe Principem.* Decimò abſtractum: *Syderum illachrymatio defuncto parentat ſoli.* Undecimò comparativum: *Sydera lachrymis impenſiùs, quàm voce mortuo ſoli epicedium occinunt.* Duodecimò denominativum: *Gemebunda ſydera lugubri invitamento ad defuncti ſolis parentalia naturam accerſunt univerſam.*

4 Locupletiorem nobis Rhetorica Lycea ſuppeditant ſegetem ejuſdem perjodi variandæ per metaphoras Correlativas, Reciprocas, Contrarias, Privativas, Similes; & per ea præſertim, quæ antecedunt, concomitantur, ſubſequuntur ſubjectum. Per metaphoram correlativam: *Defunctum Planetarum Principem ſqualidæ, ac ſubditæ lugent ſtellæ*: terminus princeps eſt correlativus denotans ſubditos planetas, quibus ſuos impertitur nitores.

5 Per metaphoram reciprocam quemadmodum *roſcidas guttulas* noctu in terram relabentes vocamus *ſyderum lachrymas*; ita reciprocè *oculorum lachrymas* pulchrè dicimus: *deciduum rorem*; & ſicuti ſtellæ dicuntur metaphoricè, *vigiles cæli oculi*; ita reciprocè faciei oculos vocare poſſumus *gemina vultûs ſydera*. ecce quàm amœnam variandæ perjodi rationem nobis ſuppeditat metaphora hæc reciproca; dic igitur: *Cæleſtes orbes nigro obducti peplo innumeros propemodum aperiunt noctu oculos, ut roſcidarum ſtillicidio lachrymarum occiduum lugeant ſolem, ac parenti optimo mæſtiſſimè parentent.*

6 Per metaphoram contrariam quemadmodum nocturnis cœli luminibus *luctum* tribuimus; ita è converſo diurno planetæ *gaudium*, vel *riſum*, hoc pacto: *Nocte hac intempeſta ſicut lugentia ſuſpicimus ſydera; ita interdiu hilari vultu ridet ſol, & arridet, cui ubiq; locorum cantuum modulamine gratulantur aviculæ.*

Metaphora privativa eſt, quâ ſubjecto tribuimus prædicatum improprium, à quo removemus alium terminum illi eſſentialiter adnexum: ſic *fletus* cùm ſit agitatio quædam corporis cum voce, & lachrymis, orta ex interno ferè dolore, adnectitur ſenſui eſſentialiter: per metaphoram privativam dicas volo: *ſydera nocturnis quaquaverſum obſita tenebris mæſtiſſimè flent ſolis occaſum; ſed ſine ſenſu, abſque dolore.* adjecto poſtremo hoc termino negativo nos ipſos veluti corrigimus, & explicatiùs metaphoricum ſenſum exhibemus. 7

Per metaphoram ſimilitudinis, ſeu ut magis propriè loquar, per ſynecdochen pulchrè variatur hæc eadem perjodus, ſi prædicatum metaphoricum quod toti tribuitur ſubjecto, de omnibus, ac ſingulis ejus partibus dicatur, ſit hæc propoſitio: *Cæleſtis orbis interdiu monoculus ſit noctu Argus, ut centenis oculis necem lugeat ſolis è noſtro abeuntis hemiſphærio*: Totum ſubjectum, cui tribuitur metaphoricè luctus eſt cœleſtis orbis, ſeu cœlum, cujus partes ſunt conſtellationes, ſeu ſigna ut vulgò ajunt cœleſtia, quæ in Zodiaco duodecim enumerantur: Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces. Extra Zodiacum in parte Boreali ſunt viginti duo ſigna, Urſa major, Urſa minor, ſeu Helice, Draco, Cepheus, Bootes, Corona, Hercules, Lyra, Cygnus, Caſſiopeja, Perſeus, Auriga, Ophiucus, Serpens Ophiuchi, Sagitta, Aquila, Delphinus, Equiculus, Pegaſus, Andromeda, Triangulus. In parte Auſtrali numerantur quindecim Cetus, Orion, Eridanus, Lepus, Canis major, Navis, Hydra, Crater, Corvus, Centaurus, Lupus, Thuribulum, Corona auſtrina, ſeu rota Ixionis, & piſcis auſtrinus; hiſce ſignis, quæ deſcribuntur in ſphæra adjiciuntur ſeptem planetæ, Saturnus, Mars, Jupiter, Sol, Mercurius, Venus, Luna. Per Synecdochen pluribus ex hiſce partibus tribui poteſt luctus, perinde, ac toti ſubjecto, ſeu orbi cœleſti: ut *Gemebundus Cygnus ad roſcidarum cleptydram lachrymarum emortuo ſoli epicedia canit. Mæſtiſſima Virgo funereo obducta peplo in luctu iacet, & ſqualore defuncto parentatura ſoli. Manium umbris obſita Ariadna coronam abjicit, comas diſſipat, & mærore compreſſa roſcidis luget lachrymis noſtro abraſum ab hemiſphærio ſolem. Ridebat olim Taurus, cùm hilares inter litoris luſus Europam rapuit; nunc verò ſoli illachrymatur noſtris ſurrepto oculis. Retrogradus cancer non ampliùs à Nimpha ſiſtitur, ſed nimbos effundit lachrymarum ægre ferens ſolis occaſum. Nemæus leo Junonis precibus cælo inſitus, quos interdiu ignes in terras demiſerat, noctu lachrymarum ſtillicidiis extinguit, ſolis lugens funera. Saturnus magnorum quondam largitor opum, nunc reſcidas dat terris lachrymas ſolem bonorum omnium promotorem noſtro lugens emortuum hemiſphærio. Jupiter non ampliùs fulmen aſtante aquilâ torquet, nec ferrea evibrat tela, ſed molles iacit in terras lachrymas. Mars bello aſſuetus, ſi antea ſanguinem, nunc lachrymas fundit lugente toto ſtellarum exercitu funereas ſolis vices. Quæ* 8

hau-

hauſerat blanda Venus ſuis in natalitijs è Neptuno latices, nunc in roſcidas ſolutos lachrymas eidem reſtituit ſolis in parentalijs. Facundus Mercurius nunc lachrymis magis diſertim, quàm voce extincti ſolis occinit epicedia. Candida Cynthia morti illachrymatur phœbi fratris. Quæris cur ſtellæ omnes funereo obductæ peplo in roſcidas liqueſcant noctu lachrymas? extincto Planetarum principi parentant. ecce quàm uberem variandæ perjodi nobis ſuppeditat ſegetem Synecdoche; quàm plurea metaphoræ ab una, eadémque progerminant radice.

9 Neque minori elegantia invertitur eadem perjodus, ſi luctum, quem ob ſolis occaſum ſyderibus decidente rore tribuimus cum antecedentibus, concomitantibus, ac ſubſequentibus conferamus. Antecedentia dicuntur, quæ antecedunt relabentem in terras rorem, cujusmodi ſunt ſolis occaſus, vel ſol in occaſum vergens; motus cœleſtium orbium, ſilentium aviculariarum; veſpertina nubium rubedo; deſirio diei; cadentes de montibus umbræ: hisce ab antecedentibus amœnè invertitur eadem perjodus. *Quæris, cur lugeant ſydera? excuſſo diei riſu nonniſi in lachrymas ſolvi debuerant. Occaſuro ſoli cadentes è montibus umbræ ampliſſimum conſtruunt in terris funus attrati cœli luminibus, ſyderúmque lachrymis celebrandum. Harmonicus cœleſtium orbium motus, quo hilares deſcribebantur ſtellarum choreæ ad nenias extincto ſole lugentia excitat ſydera. Vergente in occaſum ſole ſilent ubique locorum cum canoris aviculis vocales ſylvæ; quæris, quare? ſydera apparant morienti ſoli parentalia. Non credas, rubentes ſub veſperam nubeculas cras ſerenum polliceri terræ incolis, lumen cœlo ſuppeditant quo ferales ſyderum ſuccendant tedas, funúsque morientis compingat ſoli.*

10 Concomitantia ſunt, quæ ſubjectum, de quo agimus, concomitantur, ſeu eodem accidunt tempore, quo ſubjectum contingit: hinc omnia, quæ noctu obtingunt luctum concomitantur ſyderum, & quia noctu quieſcunt animalia, ſilent avium turmæ, efflant venti, obſtrepunt rivuli, murmurant ad ſaxeos impingentes ſcopulos æquoris undæ; ab hisce concomitantibus invertitur eadem perjodus. *Nocte intempeſta animantia cuncta in terris dormiunt: at cœlum tot adapertis oculis, quot in ipſo ſplendent ſtellæ, vigilat, non excubias acturum, ſed ut roſcidarum ſtillicidio lachrymarum extincto ſoli parentet. Quieſcente terrâ non quieſcunt noctu ſydera, ſed mæſtiſſimè lugent noſtro emortuum hemiſpherio ſolem. Quæris cur noctu ſileant in terris aviculæ? quia in cœlis lugent ſydera extinctum ſolem. Syderum lachrymis reſpondent ventorum ſuſpiria. Solis necem non tantùm ſtellæ lugent, ſed & maria ipſa ſentiunt, quæ veluti nimio perita dolore ſaxeos impingentia ad ſcopulos, repetita colliſione dilacerantur præ dolore.*

11 Conſequentia ſunt, quæ ad relabentem in terras rorem ſequuntur, ut generatim effectus omnes à ſuis cauſis emanantes: quia verò *Ros* prata vivificat, flores nutrit, plantas humectat, favonios excitat, æſtus temperat, arva recreat, totámque inſtaurat vegetantium naturam ab hisce conſequentibus variatur itidem eadem perjodus. *Syderum lachrymæ ad riſum prata excitant. Ut lætentur arva, modulentur aviculæ, lugent ſtellæ. Syderum lachrymæ laſcivienti Floræ arrident. Mæſtiſſimo ſyderum luctu univerſa gaudet vegetantium natura. Syderum lachrymæ æſtuantis telluris egerunt angores. Plorantium ſyderum extrema floreſcentium arvorum gaudia occupant.*

Logica ſuum itidem nobis theſaurum aperit, ac regulas exhibet ejuſdem variandæ pe- 12
rjodi: etenim cum verbum *lugeo* ſit terminus ſignificativus, poteſt alijs ſinonymis vocibus, ac affinibus variari eadem perjodus. *Syderum mæſtiſſima cohors cœlum, terrámque funeſtat. Heu! quàm acerbè triſtantur ſydera, quàm ægrè ferunt ſolis occaſum; roſcidas ſolvuntur jugiter in lachrymas. Si cœlum dixeris peramplum DEI templum funereis noctu quaquaverſum umbris obductum, ſtellas crede ferales hujus templi tedas, quæ in lachrymas ſolvuntur, ſi non cereas; ſaltem roſcidas extincto parentaturæ ſoli. Lugentium ſyderum lachrymis rident manè arvorum amœna. Doloroſè ſe habent ſydera, & moleſtiſſimè ferunt feſtinatum ſolis fatum.*

Ecce quàm amplam, quàm uberem va- 13
riandæ ſententiæ nobis ſuppeditant ſegetem Grammatica, Rhetorica, Logica; moderatè tamen utatur hisce regulis Orator, ne excedentes metaphorarum acervationes vim eloquentiæ enervent; & ſtylum invehant poëticum: id ſanè non eſſet orationis ſtructuram Rhetoricis pingere coloribus; ſed potiùs ejus officere gravitati. Suis oratio incedat ornata floribus, delectet ſtyli elegantiâ, alliciat argutiarum veneribus, mulceat dictionum ſuavitate; delicijs affluat, ſit amœnitatibꝰ elegans, luminibus nitida, leporibus compta; ſuas habeat concinnitates, Sirenulas, gratias, urbanitates, eâ tamen moderatione, ut nec argumentorum momenta, nec ſententiarum pondera infringantur, nec metaphorarum frequentiæ obſcuritatem invehant puerilem.

Variatur etiam eleganter ſententia ſi è ſen- 14
ſu obvio, ac veluti humi repente transferatur ad ſenſum reconditum, vel aliqua veſtitum eruditione; vel aliquo ſplendentem acumine. Subjicjo aliquot exempla: ſenſus humilis, ac obvius eſt: ſi dicas: *nemo ſine crimine vivit*, ſenſus verò reconditus, ſi eum Plinio vertas: *adhuc nemo extitit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur.* Si dicas virum aſcetam jejunijs carnem ſubegiſſe, & per urgentis famis ſtimulos concupiſcentiam caſtigaſſe, ſenſum habes vulgarem: ſin autem ſenſum velles gravem, per paradoxa diceres: Fames per inediam opſonata, vires viro ſuppeditavit, ut in caſtris Metaneæ acriùs pugnaret, fortiúſque expugnaret carnis inſurgentis audaciam: fercula ut placerent famis condimento paravit, non antea illis uſus, quàm fames adigeret, nihilque ex delicato epulo præter victoriam ſui delibavit; ut cum corpus neceſſariò reficeret cibo; palmas ſpiritus legeret, ac de carne ſubacta eò ſplendidiùs triumpharet; quò corpus parciùs epulis indulgeret, ut pingueſceret

ſpiri-

Digitized by Google

ſpiritus per diuturnaa inedias ad extremam maciem corporis langueſcentis membra deducebantur; túncque lautiùs epulabatur ille, cum longa macie torridum videbatur corpus, ſeu impalleſcens vultus, frons cadaveroſa, oculi recedentes, genæ conſutæ, labia jejuna, otioſi dentes, ſubductum mentum, aridæ fauces.

15 Per oppoſitam congeriem ſimilium ſenſuum pulchrè, & argutè variatur itidem ſententia: ſit propoſitio ſimplex: *Avarus divitijs inhians, quò plùs poſſidet, eò ſemper plura cupit.* ut ſenſibus explices gravioribus hanc propoſitionem, dic: Nil in av to laude dignum niſi quod Tantali fabulam vincat, cum hic aquis immerſus ſiti torqueretur acriori; & ille auro innatans auri fame diriùs pulſetur. Aurum metere, ac colligere eò avidiùs cupit, quò aurum nunquam diſſeminavit, ut non horreum impleat, ſed ærarium gravet; quia licèt dives illi ſit arca, inops eſt animus, qui tantùm moleſtijs diteſcit: non eum divitum ſyllabo acceuſueris, cui nihil ad manum ſit, quod alteri largiatur; opulentum ne dicas, à quo nihil opis, nilq; opum expugnandæ aliorum inopiæ impenditur. Quòd ſi tres tantùm Poëſis Parcas recenſet, quartam ſignat avari manus: cum accipiendum eſt Briarei ſunt illi manus; ſi aliquid debeat elargiri, Parca eſt manus, imò nulla. Judicem ad hoc avarus agit, ut pecunias ad tenebras damnet, ad tranſtra ipſe damnandus.

16 Eruditè etiam variatur ſententia, ſi propria nomina appellativis ſubſtituantur; ut ſi hæc exhibeatur propoſitio, *ſub bono Magiſtro melior fuit Diſcipulus*: elegantiùs diceres: ſub Chirone altero Chriſtianus Achilles, neſcias, an plura didicerit, an docuerit. Hæc alia ſententia: Poëta laxandi animi cauſa ad ſuburbanum digreſſus eſt hortum; elegantiùs immutatur: ſi dicas: Poëta ab Apolline ad Alcionum, à Pallade ad Pomonam, à Muſis ad fontium Nymphas digreſſus eſt. Pari pacto ut laudares virum, qui ſapientia, ac prudentia cæteris antecelleret; illum eruditè dicere; Cyrum inter Paſtores, vel Anacharſim inter Scythas; vel Herculi ſupparem, qui plures induſtriâ ſuperavit Euryſtheos. Vulgò dicimus; opes à ſegete, & vellere ſuam trahere originem: ſed elegantiùs diceres: plerumque Ceres, & Jaſon maritali fœdere juncti Plutum generant. De Principe, qui oratorem inviſit ſuis addictum ſtudijs, pulchrè dicitur: Lux tua noctuam recreat Minervæ. Et Martialis ut innueret omnem locum eſſe fatalem, cùm Mors januam pulſat, lepidè dixit

Cum mors venerit,
In medio Tibure Sardinia eſt,

Tibur habetur ſalubre; Sardinia peſtilens.

PROLEGOMENUM XIV.

Ratio invertendæ perjodi per translationem omnium proprietatum, ac partium ſubjecti in aliud, cui tantùm metaphoricè conveniunt.

COmprobata crebriùs nobilium ſuffragijs ingeniorum aſſertio eſt, eam eſſe optimam eloquentiæ rationem, quæ Auditoribus placet; ſummum oratorem nihil aliud eſſe, quàm ſummum populo videri, quia verò ad hominum aures demulcendas, animóſque deliciis perfundendos ſententiarum varietas plurimum habet aucupij, operæ pretium eſt, aliam ſubjicere invertendæ ſententiæ rationem, quæ praxi enucleatiùs explicetur; parum præſeferunt præcepta utilitatis, niſi ad ipſa frequens accedat exercitatio: ſicuti is peritus fluctuantis navis moderator minimè cenſendus eſt, qui licèt fartum volumen de arte regendæ navis poſſideat, nunquam tamen jactatam procellis navem rexerit: ita parum Oratori prodeſſe videntur Rhetorices præcepta, niſi ea navo exercuerit ſtudio: etenim Teſte Tullio *1. de orat. num. 260. Orator quantum detrabit ex ſtudio, tantum amittit ex gloria.* 1

Concinnè variatur ſententia ſi proprietates, ac partes omnes propriæ unjus ſubjecti, alteri tribuantur metaphoricè: ſit hæc propoſitio: *rigente bruma caneſcunt nivea canitie montium capita.* transfertur *ſeneſcere* proprium animalis ad montem vitæ expertem: quemadmodum tribuitur monti hæc hominis proprietas, nil vetat, quò minus eâdem concinnitate cetera, quæ de homine adſtruuntur ad montem transferri queant, & ſicuti *ſeneſcere* poſthumam adſignificat ætatem, quâ humana clauditur vita, ita præcedentes ætates poſſunt monti tribui. *Redeunte Vere hilaris Floræ infantia noſtro ludit in monte, ſponte natis adhuc pubeſcente herbuſculis. Una cum lætabunda anni juventa adoleſcunt herbarum virore, quotquot noſtris aſſurgunt in confinijs montes. Menſe Majo juveneſcunt omnigeno redimita flore montium capita. Ad virilem vergentes montes noſtri ætatem laſcivientes ſegetes luxuriem exhibent reſecandam falce. Seneſcunt montes jamjam effœti viribus.* 2

Eleganter per translationem partium à rebus animatis ad inanimatas montis cacumen vocamus *caput*; partem extremam, *pedem*; mediam *ſinum*, quemadmodum has partes proprias animalis tribuimus monti; ita cæteræ poſſunt ei tribui, quæ homini conveniunt, cujusmodi ſunt cæſaries, frons, oculi, facies, latus. *Flaveſcunt montium capita maturæ ſegetis capillitio. Tondentur falce flaveſcentes montium comæ. Propediem obraſam videbimus montis faciem. Verno tempore mons noſter fit Argus, tot aperit oculos, quot vernant in ipſo flores: Tenellis, lacteiſque herbuſculis vireſcentem ſinum mons armentis pandit alendis. Accedente devolventis anni ſenectute mons rugas aratro contrahit. Redeunte vere multiplici ornatur flore montis ſinus, ut blan-* 3

diùs amaſiæ alliciantur aviculæ. Montis pes laxam diffunditur in planitiem pleráque foventem hortorum amœna.

4 Præterea homo varijs exagitatur motibus, ac affectibus animi, tum concupiſcentiæ, tum iraſcentis, ſuarúmque circumvallatur, ſtipatúrque paſſionum ſatellitio, cui perinde ac Rex ſubditis dominatur: hujusmodi paſſiones, quarum præcipuæ ſunt Gaudium, Triſtitia, Amor, Odium, Deſiderium, Fuga, Spes, Deſperatio, Timor, Audacia, Ira, æquè poſſunt monti, ac homini tribui. *Gaudet, ridetque mons multiplici variatus flore. Triſtatur hyeme mons, lugétque amiſſas opes. Amat mons veris redivivi lætabunda vireta, florúmque circumornari varietate. Efflantem timet boream, labentéſque odit nives. Sperat hyeme benefici ſolis reditum. Miratur redeunte vere florum, quibus ornatur, elegantiam. Deſiderat æſtate cadentes pluvias.*

5 Rurſus homo, quia ſui compos, ac libertate donatus dictante ratione voluntatis obſequitur imperio, capax eſt virtutis, ac vitio obnoxius: quemadmodum paſſiones hominis, ita virtutum honeſtamenta, vitiorúmque dedecora perinde, ac homini poſſumus concinnè monti tribuere: *Munificus mons, quæ diu fovit in ſinu vireta, gregi elargitur egenti. Beneficus mons nativas opes errantibus indulget armentis. Liberalior mons, quæ accipit excultus ſemina, & occatus fovet, uberi reſtituit fænoris incremento. Mirum ſanè hujus montis ingenium herbarum, florúmque varietate. Induſtrius mons ſine penicillo elegantiſſimè flores pingit. Studioſus elegantiæ mons omnigeno circumornatur flore. Æquiſſimus mons omnibus æquè ſuas impertitur opes. Ea eſt floreſcentis clementia montis, ut aviculas omnes blandè alliciat.* Si vitia velimus monti tribuere, hæ poſſunt propoſitiones confici. *Quæris, quanta ſit montis ſuperbia; ſupra nubes ſe ſe extollit. Cerebroſa montis cacumina miteſcere vix poſſunt aratro. Ingratus vix Meſſoribus reſtituit, quod à colentibus acceperat. Vero redivivo laſcivit mons inter florum amœna, herbarúmque vireta. Flantibus favonijs, & plaudentibus cantûs modulamine aviculis mons luſus cum Flora inſtituit. Florida montis luxuria canoras pellicit aviculas.*

6 Ex eo, quod monti conceſſimus morales actus virtutum, ac vitiorum, nil vetat, quin poſſimus illi communicare etiam actus naturales, quales ſunt, *concipere, parere, creſcere, nutrire, quieſcere*, & has conficere propoſitiones. *Fœcundus mons felicia concipit ſemina, ac fœtus progignit odoratos, montis potiorem partem virginem credas, nullo unquam fuit aratro violata. Quàm ferax montis ſinus. nova ſemper herbarum pubes ibi ſoboleſcit. Noctu conſopiti flores gliſcunt; ſurgente verò aurora, & excitantibus canoris aviculis, foliorum pompam explicant. Antelucanis horis roſcidum nectar mons ebibit, quo hilaris florum proles vegetior nutriatur. Ferax mons tenellos, quos enixus eſt herbarum fœtus, defluentibus enutrit rivulis. Giganteſcit mons verticis ſublimitate. Una cum Oriente ſole adoleſcunt flores, & occidunt ſole ad occaſum vergente. Pluribus mons feſſatus æſtate laboribus tota quieſcit hyeme.*

Habitus itidem, inſignia, ac inſtrumenta, quibus plurimum conſequitur homo nitoris, poſſunt non impari elegantia monti adaptari. *Accedente brumâ viridibus terræ, plantarúmque divitijs inhiat raptor Boreas, montémque noſtrum omni ſpoliat ornatu. Cùm primùm vernis teporibus incipit aër miteſcere, colles in noſtris aſſurgentes vicinijs viridi ſyrmate circumveſtiuntur. Quæ ingruente hyeme abjecerant colles ornamenta, ad veris acceſſum multiplici phrygiata flore repetunt. Prædivite gemmantium florum ſupellectili ſuperbientes colles ad omnem ſe ſe ornant elegantiam. At quas æſtivo accedente calore veſtes induunt, properante brumâ exuunt. Noſtrorum collium capita omnigeno coronata flore triumphant. Colles noſtri viridi paludamenta induti, ac gemmantium florum coronati divitijs ita ceteros præcedunt, ut reges dicas inter colles, & ne ipſis ſatellitium in cuſtodiam, excubiáſque deeſſet, horrentibus etiam obarmantur repribus inſtructis dumis quaquaverſum aculeatis, fusè lateque haſtatis ariſtis militant colles, & falcem expectant uberiora daturi horreis meſſium ſpolia.* 7

Nolim tamen credas elegantiſſima hæc in Rhetorices officina jocantia potiùs, quàm deſudantia ingenia ſolas cudere metaphoras; etenim ſi veteres eloquentiæ cultores arcanam philoſophiam ænigmatum velis adumbrabant, pictíſque exprimebant ſymbolis, ne in plebejorum hominum ſenſus, ac intelligentiam dimanaret, ſed quodam eruditionis involucro ſapientum animos blandiùs alliceret; pulcherrima delineandi emblemata ipſis itidem exhibetur occaſio. Cur ſi hominis proprietates, virtutes, vitia, ætates, concinnè ad colles, prata, terram transferimus, non poſſumus æquè cuilibet alteri tribuere ſubjecto? Si id fiat, pleráque deſcribuntur emblemata, ac ſymbola, quæ res ſenſui minimè obnoxias mira ingenij induſtriâ, artíſque elegantiâ oculis objiciunt: quemadmodum vernæ tempeſtati riſum tribuimus, qui homini duntaxat convenit, ita cætera, quæ hominis, vel conſtituunt, vel ſequuntur naturam, poſſumus non ſine elegantiæ aucupio tribuere: hinc vernam temperiem ut penicillo ſubjicias oculis, delineanda eſt hilaris, ac jucunda puella, gracilis corpore, candida vultu, roſea ore, myrteo redimita diademate florum intexto varietate, cujus talaris veſtis elegantem exhibeat virorem pictis diſtinctum floribus, utráque manu ſerta teneat omnigeno variata flore; pleráque itidem delineantur animantia, quorum aliqua pubeſcentes, ac roſcidas depaſcunt herbuſculas; alia inter ſe ſe jocantur, quia ut pulchrè cecinit Ovidius *lib. 1. Faſt.* 8

Omnia tunc florent, tunc eſt nova temporis ætas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Et modo formatis operitur frondibus arbor.
Prodit, & in ſummum ſeminis herba ſolum.
Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent.
Ludit, & in pratis, luxuriátque pecus.

Æſta-

9 Æſtatem exprimit mulier vegeta, deaurato induta paludamento, varijs depicto ſpicis flaveſcentibus; cujus caput diadema cingat multiplici itidem contextum ſpica, quæque altera manu ſpicarum manipulum, altera ardentem faculam teneat, quia ut concinnè Manilius *lib. 8.*

Cum verò in vaſtos ſurgit Nemæus hiatus,
Exoritúrque canis, latrátque canicula, flammas.
Et rapit igne ſuo, geminátque incendia ſolis.
Qua ſubdente facem terris, radióſque moventes.

10 Autumnum prodit mulier ætate provectior pendulis coronata racemis, omnigena diuitiarum induta ſupellectili, dextro brachio Amaltheæ complectens cornu fructibus refertum autumnalibus: etenim ut pulchrè Ovidius *lib. 15. Metam.*

Excipit Autumnus poſito fervore juventæ
Maturus, mitiſque inter juvenémque, ſenemque.

11 Hyemem delineatam dat vetula gemebunda, edentula, arida, exſucca, ſuffarcinata, buculenta, recedentibus oculis, pendentibus genis, frequentibus contracta rugis, varijs coronata arborum ramis omni denudatis folio, ac fructu, caneſcente capillitio, quam pluribus ſciſſuris lacerata, ac ſubobſcura veſtis inconcinnè cooperiat: hanc fermè effigiem deſcribit Ovidius. *lib. 13. Met.*

Inde ſenilis hyems tremulo venit horrida paſſu.
Aut ſpoliata ſuos, aut quot habet alba capillos.

12 Non ſolùm anni partes, verùm etiam facultates, & artes in humanam poſſunt ſpeciem pingi, ac fœminæ effingi. Sic eloquentiam repræſentat marginato in ſuggeſto virago incorrupta, vegeta, hilaris, cui nullus capitis ornatus, nullus oris fucus; ſine calamiſtris, ſine cincinnis, ſine medicamentis nativæ formæ, adeo ut talis videatur, qualem pudor fingeret, vel amaret modeſtia; quæ tamen è pulpito ad populum dicat procera dextra, reductóque brachio, projecto pectore, ac vultu prominente.

PROLEGOMENUM XV.

Expenditur regula variandæ ſententiæ per figuras patheticas.

1 CUm tota penè ſcena humanæ vitæ plena ſit imitatione, ac imaginibus referta, ut animadvertit Proclus in Timæum; ideò quæ in comparanda eloquentia adhibemus ſtudia, eò dirigenda ſunt, quò perfectam imitationis attingamus rationem in eo præſertim ſitam, quò ſelectiſſima quæque ita imitemur, ut è noſtro videantur prodire penu, nec alienæ meſſis cenſeantur fruges: & quemadmodum accidentium varietate immutantur compoſita phyſica; ita figurarum, vocúmque diverſitate adeò una, ac eadem inflectitur, variatúrque ſententia, ut non ampliùs eadem eſſe videatur. Ad uberiorem variandæ periodi ſegetem, ſubjiciam propoſitionem invertendam per figuras, quæ vulgò patheticæ dicuntur, eò quia actus prodant intimiores tum intellectûs, tum voluntatis. Figuræ manifeſtantes actus intellectûs ſunt Cognitio, Ignoratio, Oſtenſio, Narratio; Didaſchia, Affirmatio, Negatio, Ironia, Reticentia, Præteritio, Juramentum, Teſtatio, Animadverſio, Parentheſis, Correctio, Repetitio, Admiratio, Exclamatio, Memoratio, Præſagitio, Dubitatio, Inquiſitio, Interrogatio, Reſponſio, Proſopopæja, Apoſtrophe, Ratiocinatio, Epiphonæma, Approbatio, Perplexitas. Quæ actus patefaciunt, voluntatis ſunt Imperium, Admonitio, Blanditiæ, Salutatio, Precatio, Abominatio, Irriſio, Exercitatio, Obſecratio, Minæ, Exultatio, Ejulatio, Pœnitentia, Imperium, Deſperatio, Timor, & alij actus.

Has figuras acuratè expendit, & eleganter pertractat Theſaurus in ſuo Teleſcopio Ariſtotelico italicè, & eruditè ſcripto. Ut propoſitionem aliquam exhibeamus hiſce ornantiandam, ac invertendam figuris proderit ex Lyſimaci hiſtoria illam depromere. Ferunt, Regem hunc diuturna jam obſidione vallatum absque ulla ſpe evadendi urgentem hoſtis pertinaciam, nec exteras obtinendi ſuppetias: & jamjam ad mortem ardente ſiti adactum, ſe ſuúmque Regnum uno, vel altero oblatæ frigidæ poculo captivum hoſti dediſſe obſidenti: quia pauxillum aquæ in cauſa fuit, quod Lyſimacus regnum amitteret, poſſumus per hyperbolem aſſtruere. *Vaſtum Lyſimaci regnum in exiguo frigidæ Cyatho, grande fuiſſe paſſum naufragium*: ea ſiquidem, quæ nobis abripiuntur, vel è noſtro in aliud transferuntur dominium, dicuntur metaphoricè naufragium pati, quatenus ea amittimus, ac perdimus, perinde ac merces, cum navis jactata fluctibus in ſcopulos impacta frangitur, demerguntur, & à nobis amittuntur. Præfata igitur propoſitio multifariè non ſine eloquentiæ amœnitate invertitur, ſi patheticis veſtiatur figuris hoc pacto.

Per cognitionem, *Nunc cognoſco, quàm exigua ſint, quàm parvi facienda terræ regna; in unico frigidæ cyatho irreparabili demerguntur jacturâ.*

Per ignorantiam. *Neſciebam tam fluxa eſſe regna terræ; unà cum exigua unda fluunt, evaneſcunt.*

Per oſtenſionem. *En perpende Viator, quàm minima ſint maxima terræ regna, naufraga pereunt in aquæ cyatho.*

Per narrationem. *Attende viator inauditum tibi narro, exigua unda vaſtum demerſit obſeſſi Lyſimaci regnum.*

Per didaſchiam. *Diſcant, quotquot regnandi ambitio torquet: exigua unda è cyatho velut è ſuggeſtu principes docet, quàm tenuia ſint mundi grandia regna.*

Per affirmationem. *Mihi credite, qui ſceptra tractatis: nihil ſub ſole ſtabile, cum vel ipſa regna unà cum parvula unda fluant, ac pereant.*

Per negationem. *Grandia cenſetis mundi regna: hoc omni depulſa hæſitatione imus inficias: etenim exiguo demergnntur in cyatho.*

Per Ironiam. *Vocetur Atlas, cujus humeris innixa mundi regna ſtent firmiùs, quàm magna ſint ex cyatho metior.*

Per Reticentiam. *Quàm inania, quàm fluxa ſint terræ regna ex eo conjicite: exigua obrunntur undâ ſatis dixi: abite.*

Per Prætetitionem. *Ne prolixa narratione videar veſtra abuti patientiâ, nec nnum faciam verbum de magnitudine, ac potentia regni Lyſimaci, conſnlise vos oblatum frigidæ cyathum, & ex tam exiguo pretio judicium ferte.*

Per Juramentum. *Eh quis non juraret minima eſſe mnndi maxima, cum vel ipſa grandiora regna exigna demergantur cyathi in undâ.*

Per Teſtationem. *Lyſimaci immenſas provincias procul dnbio mentita eſt ſama, teſtis eſt pauxilla unda, quæ omnes demerſit, ac perdidit.*

Per Animadverſionem. *En qualis eſt integri regni magnitudo in exiguo frigidæ cyatho nanfraga perit.*

Per Parentheſin. *Pauxilla poculi unda pretinm eſt (quis unqnam credidiſſet) integri regni.*

Per Correctionem. *Exiguo hoc in cyatho demergitnr Lyſimaci regnum? ſallor, nnâ cum poculi unda fluxit, dum luxit.*

Per Repetitionem. *Quàm ſint vilia, quàm exigna, qnàm parvi facienda terræ regna ex eo conjice, qnòd pretinm quidem habeant, ſed exiguæ nndæ fluxnm argentnm.*

Per Admirationem. *Mirum ſanè qnòd tam exigua unda tam grandi regno naufragium apparaverit?*

Per Exclamationem. *O deteſtandam mundi vanitatem! cùm vel pauxillum aqnæ ſatis ſit ad grandiora regna ſnbmergenda! perinde ac undæ dilabuntur mundi regna.*

Per Memorationem. *Eſtote memores exilitatis, ac tenuitatis veſtræ, qni ſceptra tractatis, exiguæ nndæ fluxum ſpecnlnm rernm hnmanarum vobis objicit viciſſitudines perpendendas.*

Per Præſagitionem. *Vaticinor parvula ex hac unda, flnxa eſſe omnia mundi regna.*

Per Dubitationem. *Adhnc hæres anceps, nnm fnerit amplum Lyſimaci regnum; an exignnm? amplnm, latumque plures provinciæ, per qnas extendebatur, fatentnr: exignum verò anguſti cyathi parvula unda, cni pretium fecit.*

Per Inquiſitionem. *Magna ne quæras in hoc mnndo, cùm vel ipſa regna exigna evertat unda.*

Per Interrogationem. *Súntne magni facienda maxima terræ regna? certè id minimè ex epota à Lyſimaco pauxilla frigida conjicio.*

Per Reſponſionem. *Quæris, qno pretio venalia exhibeantur terræ regna? oblati cyathi undam conſule.*

Per Occupationem. *Ne credas, magnum fuiſſe Lyſimaci regnum; panxillum frigidæ qnanti fuerit momenti, ennncleatè prodit.*

Per Interpretationem. *Pretium regni Lyſimaci ea eſt frigidæ portio, quæ intra unjus anguſtias cyathi occluditur: quia nimirum omnia terræ regna exigua ſnnt, parvique facienda, fortunæ obnoxia viciſſitudinibus.*

Per Imaginationem. *Num vana me ſallit imago? unâ cum exigua cyathi unda labitur regnnm? quale oſtentum! ita eſt, quia humana quæque fluxa ſnnt; & homines ſicut aqua dilabuntnr.*

Per Proſopopæjam. *Audi, quid Lyſimacus infelix loqnatnr. Heu quàm exilis voluptatis hauſtus ſervum me de rege fecit.*

Per Apoſtrophen. *Dic mihi parvula unda, ubi nunc Lyſimaci regnnm, ubi libertas, ubi Procerum ſtipatæ cohortes, ubi auro, argentóve micantia palatia, ubi lithoſtratha ſegmentis vermicnlata muſivis; ubi proſtegia, anticæ, poſticæ, periſtylia, thalami, anlæ, metanla, conclavia, heu quàm fluxa ſunt omnia, unjus frigidæ hanſtus cnncta hæc abſorbnit.*

Per Ratiocinationem. *Fluxnm, ac vanidnm fuiſſe Lyſimaci reguum ex eo arguo, quia fluxit cum nuda, dum fnlſis hoſtile ferrum.*

Per Epiphonema. *Magnis nnnc implete animum cogitationibus, & divitiarum allaborate incremento Terrigenæ: Regnorum vices epota unda vos docet.*

Per Perplexitatem. *Anceps hæreo, animique incertus, maximúmne, an minimnm aſſerere audeam Lyſimaci regnum: ſexcentæ urbes maximum, ſed exignæ frigidæ pretium minimum prodit.*

Per Approbationem. *Bene eſt, ut exigua cyathi nnda integro regno pretium ſaciat: nimirum, ut ediſcant magni Principes, quàm futilia ſint, quæ in mundo cenſentnr maxima.*

Hactenus per figuras patheticas expri- 4
mentes actus intellectus unam, eandémque perjodum pluribus veluti variatam, ac depictam coloribus exhibuimus. Aliæ ſuperſunt, quæ actus produnt voluntatis, & appetitus tum iraſcentis, tum concupiſcentis, & ſunt, quæ ſubjiciuntur.

Per Imperium. *Accede huc, jnbeo te; in hujus cyathi unda non tui, ut Narciſſus, ſed vanitatis imaginem contemplaberis.*

Per Admonitionem. *Qnàm vana, quàm labilia ſint Imperantium regna, te docet Lyſimaci ſitis; Cyathus eſt clepſydra, quæ non guttatim, ſed totam ſimul effundit nndam, ut explicatiùs regnorum exprimeres brevitatem, ac fluxibilitatem.*

Per ſalutationem. *Valete Regna citò abibitis, pauxilla unda veſtram prodit fluxibilitatem.*

Per Apprecationem. *Vos precor, qni ſceptra tractatis, regnorum viciſſitudines à Lyſimaci cyatho ediſcite.*

Per Abominationem. *Ite peſſnm, abite mundi regna, ſudornm pluvias, ac ſanguinis flumina exigitis, nt vos acquirant Imperantes, & poſtea tam citò fluitis? itane panxilla nnda sot ſndorum, ac ſanguinis eſt merces? ite in malam crucem, abite.*

Per Irriſionem. *Ridenda certè terræ regna: rationem quæris? qnia ad lachrymas adignnt Lyſimacum, pridie regem, poſtridiè ſervnm.*

Per Execrationem. *Regnorum Cataſtrophe novercali indignatione agat fortuna, ne ampliùs regna fortunas invertant regnantium.*

Per

Digitized by Google

Per O ∗ ation m. *Utinam rerum humanarum viciſſitudines, regnorúmque fluxibilitatem ab epota Lyſimaci unda ediſcerent, qui ſceptra tractant; nec tot elatis cogitationibus animum implerent, nec tot bellorum irritamentis diſſiderent principum capita.*

Per Vocarionem. *Adeſte Reges; quàm parvi ſint facienda mundi regna Lyſimaci cyathus ediſſerit.*

Per Obſecrationem. *Te ex animo rogo viator, qualis ſit regnorum fluxibilitas ex hac Lyſimaci unda conjice.*

Per Commendationem. *Commendo vobis magni Principes hunc Lyſimaci cyathum, elatis veſtris proderit cogitationibus.*

Per Conceſſionem. *Concedo pretium habere terræ regna, ſed exiguæ undæ fluxum argentum.*

Per Gratiarum actionem. *Gratias rependamus Lyſimaci undæ, quàm vana ſint rerum humanarum graviora momenta, quàm fluxa ſint regna, nos edocuit.*

Per Minas. *Væ vobis magni Principes, ſi hæc Lyſimaci unda veſtra diffluerет per regna.*

Per Exultationem. *In undis naufragantur regna, gaudete piſcet, & ſceptra tractare ediſcite.*

Per Recuſationem. *Regales ſcindite faſces, ſceptra dirrumpite, ſinite diademata circumvolvi, ac procul abire. Reſpuo regna, quæ fortunæ obnoxia viciſſitudinibus regnantes ad imum protrudunt extremæ inopiæ: illas reſpuo dignitates, quæ altiùs imperantes extollunt, quò lapſu graviore ruant.*

Per Ejulationem. *Heu quales rerum humanarum vices, cui pridiè aureum diadema caput cingebat, poſtridiè ferrea compede alterjus detinetur ſub jure.*

Per Pœnitentiam. *Pœnitet me, Regem egiſſe; ſervus non eſſem.*

Per Improperium. *Ingratum regnum, ſiccine Lyſimacum deſeris, cui totum debes?*

Per Jactantiam. *Sinite reges ſuas in bellis gerendis vires jactare, triumphos canere, arcus conſtruere victorijs celebres: ſinite illis univerſum propemodum orbem ancillari. Indiam auro mittendo, Chinam afflandis oderibus, Inſulam Erythræam ſuggerendis gemmis. Sinite illos palatia erigere auro, argentóve micantia, quàm fiema ſint hæc arridentis fortunæ momenta, eos docet Lyſimaci unda.*

Per Plautum. *Plaudite quotquot rerum humanarum perpenditis vices, peracta eſt ingens fabula: Lyſimacus Regis perſonam exuit; & iterum prodiit in theatrum acturus ex rege ſervum.*

Per Deſperationem. *De vobis actum eſt Reges; cum regna perinde fluant, ac undæ.*

Per Verecundiam. *Me pudet regem egiſſe, auroóque diademate frontem cinxiſſe, ferreas nunc non erubeſcerem compedes.*

Per Audaciam. *Sclopos, enſes, tormenta bellica, arma miſſilia apparent præpotentes reges, claſſes conſtruant, ex cataphractis militibus exercitus ad mundi totius terrorem aggerent, bella aggrediantur, terrâ, marique decertent, reboent ubique locorum bombardarum tonitrua, fundat vibratus enſis, quem ſitit ſanguinem; bellicæ machinæ ſtrages invehant enormes; quid tot auſus, quid tot conatus profuturi ſint, monet Lyſimaci unda.*

Per Excandeſcentiam. *Exardeant irâ, bellicas ſuas ſuccendant tedas, mucrones, enſes, acinaces acuant veſana bellorum Numina Mars, & Bellona, ut aliena regna ferri, ignisque ſibi uſurpent violentiâ: Lyſimaci unda ſi refluat, ingentes hos ſtatim extinguet ignes, jurgia hæc ſedabit.*

Per Miſerationem. *Quæ oblato fluxit è cyatho unda ad lachrymas me adigit Lyſimace, cùm è ſellæ regiæ faſtigio te aſpicio ad imum extremæ egeſtatis dejectum. Tui me miſeret poſt aulæ ſplendores, Regiæ commoda; poſt aurea diademata ferrea compede mancipati: ſed ita rerum humanarum invertit vices ea ſors hominum, quæ ſceptra ligonibus, vel gaudet, vel audet æquare: Flantis fortunæ turbo eos perſæpe dejicit, qui faſtigia occupant ſublimiorum dignitatum.*

Per Timorem. *Timete Reges fortunæ vices, & vires, cum exigua unda potis ſit regna evertere.*

Ecce quàm mira colorum varietate unam, 5
eandémque perjodum pathеticarum beneficio, ac uſu figurarum poſſunt Rhetores pingere; quàm varijs dicendi phaleris ornare; quàm concinnis dicendi veneribus; quàm multiplici arguriarum genere venuſtare, invertere. Sit oratoribus, ac limitæ eloquentiæ ſtudioſis harum uſus figurarum in ſententijs invertendis frequens, in orationibus texendis creber; ita tamen ut ſint in laudando graves, in vituperando acerbi, in ſententijs arguti, ac in omni dicendi genere elegantes: egregij procul dubio Oratoris eſt mira varietate obviam quamlibet exprimere ſententiam: idque non ſolùm figurarum beneficio; verùm & caſuum mutatione conſequi facilè poterit: etenim invertenda proponatur eloquentiæ ſtudioſo hæc perjodus: *Feſtinantis mortis cogitatio plurimum valet ad vitiatos mores corrigendos, motúsque effrænes tum iraſcentis, tum concupiſcentis animi coercendos.* Si Orator uti velit genitivo, ita pejodum invertet: *Quanta ſit vis perpenſæ mortis ex eo deprehenditur facilè, quod plurimum valeat ad vitiatos mores corrigendos, motúsque omnes ad rationis amuſſim dirigendos.* Si dativo: *Perpenſæ morti nulla deeſt veræ ſuaſionis virtus, cùm ad mores componendos juxta perfectam rationis normam plurimum etiam perditiſſimis hominibus proſit.* Si accuſativo: *Perpenſam mortem nemo neſcit plurimum habere roboris ad vitia quæque declinanda.* Si vocarivo: *O mors quantum ijs adfers utilitatis, qui seriò te perpendunt.* Si Ablativo: *Perpensâ morte quid utiliùs, quid efficaciùs ad motus quoslibet animi tum iraſcentis, tum concupiſcentis coërcendos?* hac arte ſelectiſſimas quasque ſententias ita invertere poteſt Orator, ita concinnè, ac eleganter immutare, ut neutiquam ex aliena ſegete videantur decerptæ, ſed ex proprio penu prodire.

PROLEGOMENUM XVI.

Expenditur regula variandi eandem ſententiam per ſeries argutiarum.

1 ARgutæ Palladis inter vireta nihil eſt, quod jucundiùs rideat, ac blandiùs arrideat animis, quàm eadem ſententia per ſeries argutiarum multipliciter variata: hæc eſt veluti Ægyptius ille Protheus ſemper idem, ac diverſus: eſt veluti ſertum ex varijs compactum floribus, quod ſuavitate quadam, & varietate ſe in animos blandè inſinuat, quos allicit, & demulcet.

2 Eſt Argutia forma quædam dicendi à communi ratione remota, continens, vel cauſam inexpectatam alicujus effectûs; vel concinnam, & argutam oppoſitionem, vel accommodatam analogiam fundatam in aliqua illuſtri metaphora, ut ſi adoleſcentem dicas nutrire in vultu, & genis lilia, & roſas, eò quia candidus ſit, ac rubicundus, eſt metaphora fundata in ſimilitudine: & aſſignares non cauſam pro cauſa, ſi diceres: mirum non eſſe, quia in vere ætatis nonniſi flores exhibere debet. Per hyperbolem genas adoleſcentis areolas vocares floribus ridentes, ac arridentes: idque proprium Poëtarum. Oratores enim graviores cauſas pro non cauſis aſſignant: ut ſi quæras, cur Chriſtus ut audivit à tranſeuntibus per viam: *Vah qui deſtruis templum, & in triduo reædificas illud, ſalva temet ipſum, ſi filius DEI es.* Si quæras inquam, cur Chriſtus tunc dixerit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me*; cum antea ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce obmutuerit; à non cauſa pro cauſa Orator diceret, Chriſtum flocci, vel nihili feciſſe corporis vulnera, cùm tunc tacuerit; ſed cùm primùm audivit detrahentium convicia, quibus pungebatur, tunc quaſi conqueſtus graviorem indicavit dolorem, ut nos doceret, detrahentium verba pejora eſſe quocunque gladio, ac nocentiora quocunque vulnere: idque Orator ſacer confirmaret authoritate S. Cypriani, qui expendens præfata Chriſti verba ad Patrem: *Deus meus, Deus meus ad quid dereliquiſti me*: ait: *Clavis ſacros pedes terebrantibus, ſoſſiſque manibus de vulnerum anxietate non loqueris: de ſpinis ſacrum caput pungentibus non quereris: ſed ſatagis; ut innoteſcat, quare derelictus à Deo videaris expoſitus contumelijs, & ludibrijs Judæorum.*

3 Aliquando totum acumen argutiæ latet in æquivoco, ut cum dicimus: *Malè carptum à Protoparentibus malum, malorum omnium iliadem in poſteros fudiſſe.* Malum ſignificat pomum vetitum, qood Adam comedit, & ſimul quidquid nobis nocet, & damnum infert. Interdum conſiſtit argutia in vocum affinitate: *ut inhiantes divitijs, vitijs faciliùs indulgent.* Verùm in oppoſitis clariùs emicant: ut cum de Virgine Matre dicimus: *Nunquam ſe magis omnium Dominam probâſſe, quàm cùm ſe DEI humilem dixit ancillam.* Domina, & ancilla; famulus, & Herus opponuntur relativè. Eſt etiam oppoſitio privativa, quâ unum oppoſitorum negationem dicit alterius, ut Mors, & vita; rectum, & obliquum; quo pacto de viro virtutum culturâ illuſtri dicimus: *Mori neſcire, quia rectè vivere ſemper didicit.* Eſt etiam oppoſitio contraria poſitiva, & contingit cum extrema ſe invicem excludunt, ut *bonum malum*: Plinius in paneg. Trajani ait: *Neque ſatis amârit* BONOS *Principes, qui* MALOS *non oderit.*

Quòd ſi hæc oppoſitio decem percurrat 4
Ariſtotelis prædicamenta uberrimam ſuppeditat argutiarum ſegetem. In prædicamento ſubſtantiæ de D. Joanne Chryſoſtomo dicimus: *Fuiſſe eloquentiâ aureum, ſed tolerantiâ ferreum.* A quantitate Seneca de Alexandro Macedone: *Alexander orbi* MAGNUS, *Alexandro orbis* PARVUS. Et de viro ſubdolo, ac nebulone: *acuto in* PESSIMIS *eſt ingenio; obtuſus in* OPTIMIS. A qualitate Auſonius: *In* ALBA *pagina* NIGRÆ *Cadmi filiæ currunt.* A Relatione Seneca, HOSTIS *eſt mihi, quisquis non eſt* AMICUS, *vel mihi non moſtrat hoſtem.* Ab Actione, & Paſſione de viro pervicaci, & inflexili: FLECTI *non poteſt*, FRANGI *poteſt.* A Situ, & loco Seneca: HUC *rota mittam, tela quò mitti nequeunt.* A motu Ovidius: IRE *vagus quercus: & flumina ſtare coëgi.* A tempore Ovidius: *Anxia* LUCE, *anxia* NOCTE *gemit.* Ab habitu Tiphæus apud Nonnium: *Pulchrum eſt mihi* FISTULAM *poſt* FULMINA *ſumere.*

A cauſa inexpectata feſtivè prodeunt Ar- 5
gutiæ. De Nerone urbem incendente dicimus. A cauſa finali *Patriam* INCENDISSE *non ut illuſtraret, ſed* EXTINGUERET. A cauſa efficiente *Phaëtontem fabulas illuſtrâſſe, quia mundum* INCENDIT. A cauſa formali *cælum* ATRATUM, *tenebriſque* OBDUCTUM *ſepulto ſoli in occaſûs ſargophago parentare, ſyderumque faces accendere.* A cauſa materiali de D. Petro, qui acceſſurus ad Chriſtum, & marinos perambulans fluctus mergi timuit, argutè dicimus: *Non mirum ſi mergi timuit;* PETRA *erat.* quia gravia merguntur.

Sumatur igitur argutè variandum hoc the- 9
ma: *Amaſia Magdalena divini æſtuans amoris flamma, lachrymis lavat pedes Chriſti, ſimulque proprias abſtergit maculas.* A non cauſis pro cauſis dicimus: Meritò lachrymas dare incipit, quæ renaſcitur, mortua enim peccato novâ donatur vitâ: naſcentium hæc eſt conditio, lachrymis ſalutare primæ lucis uſuram. Non tamen ſunt lachrymæ, ut cæterorum naſcentium hominum calamitatum Prophetiæ, cum profeſſæ jam ſint tranquillitatem; ſcilicet nubes prope ſolem pluit fœcundatura cordis ſolum: nonniſi virtutum fructus expectentur impoſterum irrigua ab hac tellure. Quàm provida eſt Magdalena mercatrix; emptura ingenti fœnore gaudia, lachrymarum fluxum ſolvit argentum. Sed hæc nubes, quia roſcida, ſolique oppoſita iridem exhibet, non fictis, ſed factis, veriſque depictam coloribus, quia in ea divinus amor rubrum charitatis, virorem ſpei, ceruleum fidei, candorem ſinceritatis, & pallorem Methaneæ pinxit. Has

poſt pluvias nonniſi novæ vitæ tranquillitas erat ſubſecututa. Credideram Ætnam unicum jocantis naturæ prodigium, cum vidi ibi colludentes cum flammis innoxias nives, ſed eſſe prodigiorum phœnicem negant Magdalenæ oculi, quia erumpentes in lachrymas aquas fundunt, quarum mater amoris eſt flamma: non diffiteor naturæ prodigium in Ætna dum impunita cum nivibus jocantur incendia: ſed majus exhibent miraculum Magdalenæ madentes lachrymis oculi, ubi ignis aquam, aqua ignem fovet. Aqua, & flamma diſcordes olim rivales, ſocordes modò contubernales in Magdalenæ oculis maritali vinculo junctæ perpetuo nectuntur fœdere. Ingens erat amaſiæ Magdalenæ flamma, ac frequens lachrymarum pluvia; an fortaſſis hæc Magiſtri plantas obruiſſet, niſi flamma undas temperâſſet? Agedum ſancta peccatrix, cùm ſis piaculum, & expiatrix profanum cordis fanum igne, & aqua, flumine luſtras, & flamine; deducenda eras in refrigerium divinæ gratiæ, quàm benè tranſis per ignem, & aquam amoris, & lachrymarum. Eras peccatrix, jam facta es piſcatrix; aſſueta inſidiaris hominibus inſidias nectis, & ipſi Deo, cujus pedes capillis irretis. Sed fallor nova nupta Magdalena thalamum auſpicatiſſimum ingreditur; conſueta novarum nuptarum aſpicio parerga ignem, & aquam in limine. Licèt de virginibus una non eſſes, ſumpſiſti tamen oleum tecum, ne excludereris à nuptijs, & ut arctiùs ſponſo adhæreres ejus pedibus te alligâſti. Imò conſcia malè olentis ſpiritûs non es auſa ſine anthidoto ſuaviſſimi unguenti ad ſponſum accedere; ſed paranymphus amor geminas agitat lampades oculorum; in quibus amoris lychnum lachrymarum aquæ nutriunt: Ludus eſt iſte, amoris miſcentur undis flammæ; & ad antiquum chaos Magdalenæ amor mundum revocat muliebrem; rursúsque diſcretis naturæ primordijs ex aqua, & igne mundiorem mundum inſtaurat, quia ſe ipſam purgat. Profani Cupidinis verſata inter flammas, lachrymarum fudit aquas, easdem extinctura, ut quæ habuit in aquis Venus thalamum, haberet & tumulum. Vel perdere cupiens lumina, quibus tenebras fovit; fulgura in pluviam fecit: divinum prope ſolem erat Magdalena; ideóque non potuerunt gemina ſuæ frontis ſydera non pati eclypſin: parùm intereſt ſi obruta lachrymis, vel tenebris obvoluta. Verùm non lachrymas fudit, ſed uniones, quibus arctiùs ſuo uniretur Numini, ſuóque adhæreret Lumini: neque fluxis hisce unionibus pretium defuit, cùm ijsdem venale ſibi cœlum fecerit, & emerit. Felix peccatrix mare fudit lachrymarum, mox futura divinæ gratiæ piſcatrix; culpásque, quæ ad multitudinem arenæ litoris accellerant deletura. Noverat ſuas maculas, has ut Chriſtus lavaret, aquas eidem miniſtravit flentibus ex oculis. Voluit ſponſum ad ſui culturam allicere, ideóque incepit lachrymis eum rigare, quò ſe oſtenderet hortum irriguum, & ab ipſo, quem prænoverat hortulanum flores exigeret, & fructus. Scio olim inſano igne perculſas puellas Erycino ſe templo devoviſſe, ac Amorem rogâſſe, quatenus frigidâ lampadem extingueret: ſed Magdalena olim amens, quia amans ad verum nunc acceſſit amorem, moleſtos ignes extinctura. Venite, & vos debiles juvenum pyrauſtæ ad hæc ſalubris vaporaria Leucadio fonte ſalubriora; balneator amor Chriſtus eſt: veſtras extinguet flammas, quibus non phœnices, ſed infelices papiliones uritis ad exitium. Non miror, ſi in lachrymarum pluvias ſolvitur Magdalena Magiſtri pedibus adhæreſcens, & in domo convivij, ubi omnia ad hilaritatem potiùs provocabant; cauſam aperiam; Chriſtum vitæ lignum ſuo jam plantaverat in corde: voluptatis ſe paradiſum agnoſcens congruentiſſimè pluvias emittit lachrymarum, quibus hortum irrigaret tanti ſolatij. Prudens mulier noverat meliùs eſſe ire ad domum luctûs, quàm ad domum convivij; hanc audacter ingreſſa, in domum luctûs convertit, ut ſibi æterna gaudia compararet. Quis non credat impoſterum ingens eſſe in cœlo gaudium ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, dum accedenti ad pœnitentiam Magdalenæ Chriſtus ipſe ſe exhibet epulantem? comas ſolvit, ſiccátque pedes Chriſti proprium abſterſura caput, & quas nutrjerat mente fœdas cogitationes. Vel didicerat à Spartanis mulieribus totam in hoſtium terrorem comam fundere, ideóque capillis, quibus ſui Numinis pedes devincit hoſtem etiam vincit, ac proſternit.

PROLEGOMENUM XVII.

De Auditione, Lectione, & Selectione.

QUanti ſit auditio momenti ad eloquentiæ profectum ex eo arguere quisque poteſt, quòd quæ per aures percipimus altiùs animum ſubeunt, ac vehementiùs movent: *Excitat enim, qui dicit ſpiritu ipſo, nec imagine, nec ambitu rerum, ſed rebus incendit* (ait Quintilianus lib. 10. cap. 1.) *Vivunt enim omnia, & moventur, excipimúsque nova illa velut naſcentia cum fervore, & ſollicitudine. Nec fortunam modò judicij, ſed etiam ipſorum, qui orant periculo afficimur;* quia actio ipſa, quæ rebus ſpiritum addit, ac dicendi fervor, efficaciùs animum movent. Quibus in animo eſt, ſumma attingere humanæ eloquentiæ culmina, neceſſe eſt Oratores adeant numeris omnibus abſolutos; quos attentè audiant, ſedulóque imitentur vocis inflexiones rebus accommodatas, pronuntiandi præſtantiam, redarguendi energiam, excuſandi, vel laudandi efficaciam, varias, quibus utuntur dicendi formas, ac omnes eas virtutes, quibus illi eminent; quod Athenis effeciſſe Demoſthenem tradunt quamplures: is ab ineunte ætate eo proficiendi ſtudio Calliſtratum in foro cauſas agentem audjerat, & ita ejus fuerat gloriam æmulatus, ut eloquentiam u- 1

betiori etiam laudis incremento fuerit aſſecutus, ſummiſque eloquentiæ laureis donatus.

2 Errant, qui putant parum auditui ineſſe virturis ad eloquentiam comparandam: certum eſt, oratoria decora faciliùs auditione. ac imitatione attingi, quàm lectione: ſiquidem audita, quia viva voce, ac idonea Oratoris actione nobis exhibita; profundiùs in animum penetrant, diutiúſque hærent, quàm quæ feſtinata percurruntur lectione, hæc enim veluti emortua, omníque deſtituta ſpiritu haurimus; illa verò voce, & actiooe nervoſiùs corroborata oos movent: hinc ſubinde contingit, ut quæ audita nobis placuêre, ac ad flectendum animum noverimus plurimum præſetuliſſe roboris, ſubjecta poſtea duntaxat oculis, non adeò ampliùs nobis placeant, parúmque experiamur illis ineſſe vis ad animi motus, vel ſedandos, vel excitandos, quia nimitum vivæ vocis energia, & actionis virtute deſtituuntur: ex quo fit, quòd longè feliciùs exprimamus, ac imiremur audita, quàm lecta, qnia. altiùs concitato imprimuntur animo, quem vehementiùs commovent: ſono enim percellitur auditus, ex quo plerumque torus inardeſcit animus, cujus motus illicò excitantur, ut Timotheo obtigit apud Dionem Pruſeum referentem, hunc in Alexandrum Macedonem ſuis modulis pro arbitrio transfudiſſe affectus; qua ratione non abs re nobilioris notæ Rhetores *Auditum diſciplinæ ſenſum* dixêre, quia nobis in facultatibus comparandis potiſſimùm inſerviat: non tamen egregijs Oratoribus è ſuggeſto flores, gemmáſque exhibentibus debemus aures dare aſininas Midæ, vel perforatas Platonis, vel ictibus laceratas Entilli, vel præciſas ſpadonis Perſæ, vel præſtigijs illuſas, vel tiunitu reſonantes, vel cutioſitate patulas; ſed ut loquitur Plutarchus eruditas, puras, ac à putidis tutas ſermonibus, ut vera duntaxat eloquentiæ decora per aures animum ſubeant.

3 Quibus non ſe ſe occaſio offert eximios audiendi oratores, ij diuturnæ debent ſelectiſſimorum Authorum lectioni operam impendere, ut aliena diteſcant ipſi ſupellectile: ſicut ager quantumvis cultus, niſi jacta priùs exceperit ſemina, & occatus foverit, ſpem nullam futuræ meſſis ſpondet: ita animus noſter niſi priùs diuturna fuerit lectione exculrus, ac omnigena erudirione fœcundus nunquam uberem exhibebit eloquentiæ ſegetem. Vis humani ingenij non eſt tanti facienda, ut putemus ex oihilo poſſe aliquid efficere, facultas hæc eſt creativa ſoli tribuenda Deo; ſatis eſt, ſi quæ ſparſim ſelegerat in unum, aptè, & prout ratio poſtulaverit, componat, quemadmodum olitores non ex uno flore ſerta conficiunt, ſed ex diverſis areolis varia florum genera ſolerti decerpunt ſtudio, ut mira tum coloris, tum odoris varietare opus diſtinguant elegantiùs; ita eloquentiæ ſtudioſi ex diverſis florentiſſimorum Aurhorum areolis varias debent dicendi amœnitares ſeligere; quibus ad animorum aucupium, ac fructum valeant ſuas orationes texere. Nobilioris notæ oratores perinde ſe gerunt, ac eruditi pictores, qui non uno duntaxat colore licèt elegantiſſimo ſuas oblinunt tabulas, ſed plurium mixturâ, ac temperie elegantiſſimè variant, ac artificioſiſſimè diſtinguunt: Zeuxis Pictorum facilè princeps, ut ſpecioſiſſimam mulieris formam animaret peoicillo, quinque ſibi ſelectiſſimas Virgines à Crotoniatis expoſtulavit, quò à ſingulis ſingulas decerperet pulchritudines, & omnium elegantias in unica ſimul imagine necteret: non ſecus eximius Orator excellentiores plurium compoſitiones, quas elegantiſſimas dixeris ingeniorum veneres, pluries perlegit, crebrò præ oculis habet, ut in unam transfundat orationem multarum virtutes.

Quanti ſit momenti ſelectiſſimorum Au- 4
thorum diuturna lectio ex eo facilè deprehenditur, quòd ſicuti, cum hortum ingredimur, areolas vario florum genere conſitas nõ perambulamus, quin ſuaviſſimos ſentiamus odores; neque in campum quis proſilit ſolis colluſtratum radio, quin & ipſe illuminetur; ita ſi attentè ſelectiſſimos volvamus Authores, eorum elegantijs imbuimur, ac virtutibus; éſtque ſimilitudo Tullij *2. de orat. num. 60.* ubi pulchrè ait. *Quid ergo eſt: fatebor aliquid tamen: ut cùm in ſole ambulem, etiamſi aliam ob cauſam ambulem, fieri naturâ tamen, ut colorer: ſic cum iſtos libros ad Miſenum ſtudioſiùs legerim, ſentio orationem meam illorum cantu quaſi colorari.* Cui conſonat non minori elegantia Seneca *epiſt. 108.* inquiens. *Qui in ſolem venit, licèt non in hoc venerit, colorabitur: qui in unguentaria taberna reſederunt, & paulò diutiùs commorati ſunt odorem loci, ſecum ferant, & qui ſcriptorem legerunt, traxerint aliquid, neceſſe eſt, quod prodeſſet etiam negligentibus.* Neque objicias, multiplici variorum lectione ingenia potiùs obrui, ac confundi, quàm eloquentiæ luminibus inſtrui, ac ornari: nam id duntaxat ſequitur, ſi quæ leguntur, tumultuaria ſint, ac infirma, & qui ea legunt debiliori ſint ſtomacho, nec plura valeant concoquere: quibus maxima ineſt ingenij vis, ac memoriæ præſtantia, nil vetat, quò minus ij varia perlegere cum profectu, ac fructu queant, & ex aliorum virtutibus plurimum haurire ornamenti.

Hoc idem optimè noverunt viri pruden- 5
tes, qui eloquentiæ lumina ex librorum umbris hausêre, & ut plures reticeam: Plato politiſſimi ingenij vir Ariſtotelem agnoſtem, ſeu perpetuum, ac ſtudioſiſſimum lectorem appellavit: Tullius romanæ princeps eloquentiæ Catonem librorum eluvionem. Hinc Hoſius non tam dignitate, quàm doctrina Eminentiſſimus cum curru veheretur, lectorem adhibebat, quem libros percurrentem attentè audiret, & cum ſemel contigerit, ut bis eandem legendo repeteret periodum exaſperata pauliſper fronte; An ne (inquit) non ſatis me intellexiſſe putas? ægrè nimirum ferens illam exigui temporis jacturam. Solon ſapientiæ ornatu apud Græcos celeberrimus gloriabatur ſe aliquid quotidie addiſcentem conſenuiſſe, ſic pari legendi ardore ultimam

ſe-

ſenectutem, ac primam adoleſcentiam literis aluit. Aldus Manutius de latini ſermonis cultura optimè meritus ante ſui Muſæi fores dodrantalibus characteribus inſcribi curavit: *Quiſquis es, rogat te Aldus etiam, atque etiam, ut ſi quid eſt; quod à ſe velis, citiùs agas: deinde hoc totum habeas, niſi tanquam Hercules defeſſo Atlanti veneris ſuppoſiturus humeros, ſemper enim erit, quod & tu agas.*

6 Theodoſius Imperator non minus ſceptro, quàm eloquentiæ culturâ clariſſimus, diurnis lectionibus nocturnas addebat, nec ullam ſinebat diem percurrere, nullam noctem, quin ingenium nova, ac utili rerum cognitione excoleret, ratus pluris faciendam eſſe temporis, quàm divitiarum jacturam. Ludovicus Granatenſis vir ex Dominicana familia pietate, & eruditione præclariſſimus, ne itinerum frequentijs ab aſſidua librorum diſtraheretur lectione, ita libros ephippio accommodaverat, ut equitando eos commodè legeret. Auguſtinus Sterchius ex D. Auguſtini Canonicis Regularibus eruditione clarus per integrum ſeptennium ad penſilem aræ principis lychnum noctes duxit inſomnes, ut aſſidua librorum lectione rerum propemodum omnium diteſceret notitiâ. Ex noſtratibus Antoninus Diana de re morali optimè meritus ad decem plerumqoe horas ſtudia, ac lectionem protrahebat nulla prandij, nulla cœnæ cura; quinimò ſtipato libris undique lectulo nonniſi inter eruditiſſimos labores qoieſcebat. Prætereo Silvium Julianum aſſerere ſolitum ſe eo æſtuare legendi ardore, ut cum altero pede in ſepulchro, adhuc cuperet aliquid ab eruditiſſimis ediſcere lucubrationibus. Omitto Cleantem, qui ſtipem hoſtiatim efflagitavit, ut libros, quos legeret, ſibi compararet.

7 Si acta virorum literatura inſignium perluſtraveris, nullum invenies, qui libros avidè non conquiſiêrit, & cum multos haberet, plures ſemper non optaret: hinc celebres Bibliothecæ omni librorum genere ſtipatæ conſtrui cæpêre non ſolùm ab Ethnicis, ut à Dumene, qui ſupra ducenta millia voluminum; & à Ptolemæo Philadelphio, qui libros ferè innumeros ampliſſimis collocârunt in bibliothecis, verùm & ab ipſis catholicæ fidei cultoribus ſub primis orientis eccleſiæ initijs: ferunt, Alexandrum Epiſcopum Hieroſolymitanum nobilem Hieroſolymis inſtituiſſe bibliothecam exquiſitiſſimis refertam voluminibus: & Julium Africanum Cæſareæ bibliothecam aperuiſſe, quam poſtea Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, & Pamphylus Presbyter Laodicenus ad triginta millia voluminum auxêre.

8 Noſtris temporibus adeò excrevit numerus bibliothecarum, ut nullus ſit cauſidicus, nullus eloquentiæ ſtudioſus, nulla Religioſorum domus, quæ bibliothecas non inſtituat ſelectiſſimis ſuffarcinatas libris, ut diuturna lectione novas ſemper rerum notitias valeat quiſque haurire; quia ſicuti vires corporis niſi cibo reparentur, intercidunt; ita ſtudioſi hominis animus aſſidua lectione veluti quotidiano cibo indiget, ut nova ſemper valeat, vel dicere, vel ſcribere; hinc non abs re Apollonius Rhodius lectionem vocaverat humanæ mentis pabulum. Rhetoricæ candidati, ut præclariora eloquentiæ attingant decora plus temporis neceſſe eſt impendant ſelectiſſimarum orationum lectioni, quæ ipſis ſuppeditatura ſic exempla præceptorum, quæ imitentur, & formulas oratorias, dicendive amœnitates, nec non argumentorum momenta, ut quæ ad aures demulcendas, quæ ad animos flectendos plurimum præſeferunt præſtantiæ ipſis innoteſcant.

Legendos putârim tum veteres, tum recentes Authores; qui cultâ, ac ornatâ oratione cenſentur de eloquentia optimè meriti: neque tanti faciendos eſſe veteres reor; ut ipſos ſolos humanæ culmen eloquentiæ attigiſſe putemus: experitur etiam eloquentia ſuas vires, ſua decora in illis orationibus, quas recentes ſtudijs addicti Rhetoricæ ſummâ contexunt culturâ: Pleríque ſunt, qui toti in commendandis veteribus occupati, recentes quóſque vel redarguunt, vel contemnunt, quaſi totum eloquentiæ ſuccum ita veteres hauſerint, ut nihil illius ſuperſit recentioribus hauriendum, ac humana ingenia ſtudiorum exercitijs retundantur, hebetentur potiùs, quàm acuantur, perpoliantur. ij non ſana mente judicant; ſed invidiâ corroſi aliorum virtutes carpunt, quas ipſi non valent ſibi comparare; non abs te, ſi quæ ſunt iſtiuſmodi judicia hominum, malignitati adſcribit Tacitus: *in Dialogo cur novi ſint in faſtidio*, inquiens: *Vitio malignitatis humanæ vetera ſunt in laude, præſentia in faſtidio*, quia nimirum hoc omnibus inſitum eſt, ut referente Poëta, nolint ingenio cedere. Floruerunt veteres eloquentiæ culturâ: ſed Recentes etiam invenies, in quibus mireris majeſtatem Platonis, ſuavitatem Iſocratis, vim Demoſthenis, ſobtilitatem Lyſiæ, venuſtatem Hyperidis, elegantias Theophraſti, dulcedinem Zenophontis, nervum, & candorem Tulij, & ſexcentas alias virtutes, quibus veteres eloquentiæ cultores dietim gliſcentia gloriæ incrementa promeruêre: legendum itaque eſt Authorum omne genus, ut monet Agricola *lib. 3. de Invent. cap. 16.* collatis cum illorum obſervatione præceptis, ut iſta explicatiùs intelligamus, & illorum virtutibus elegantiùs ornemur. In legendorum delectu Authorum ſive hi veteres ſint, ſive recentes diligentia adhibenda eſt, ut animadvertamus, qui Atticas, & qui Laconicas compoſuerint orationes. Atticæ orationes ſunt illæ Tullij, in quibus fuſior eſt inventio, amplificatio laxior, figuræ cumulatiores, perjodi ſonoriores. Laconicæ in Hiſtoricis potiſſimùm quærendæ ſunt, & præſertim in Saluſtio, cujus ſublime ingenium laudari nunquam ſatis poteſt, in ipſo crebræ ſunt ſententiæ, ſuccoſa brevitas, & ſicuti in minoribus conchis, ut ajunt, illuſtriores ſunt margaritæ, ita in Saluſtij orationibus brevitate conſpicuis elegantiora latent eloquentiæ ornamenta, res ſiquidem geſtas preſsè narrat, & irrepit ſubtiliter, pugnat nervosè verbis acri caſtigatione

ſelectis. Panegyricus Plinij plurimum commendatur, in quo eloquentia omnes ſuas vires experitur. Inter Oratores recentes, Attici ſunt Muretus, Majoragius, & alij plerique.

10 Ut autem lectio diſcentem juvet, debet eloquentiæ candidatus coërcere nimiam legendi cupiditatem, ac inſanabile illud, ut loquitur Juvenalis *Satyr. 7.* omnes volvendi libros cacoëthes, quia plurium librorum curioſa evolutio mentem potiùs obruit; ſiquidem ut ſcitè monet Seneca. *9. de Tranquill. Vitioſum eſt ubique, quod nimium eſt.* Sicuti cibos manſos, ac propè liquefactos in ſtomachum demittimus, quò faciliùs digerantur: ita lectio repetita iteratione mollita menti prodeſt, ac memoriam juvat; quæ verò nimia, quia plerumque indigeſta confuſionem ingerit, magiſque obeſt, quàm proſit. Helluones ſunt, qui cum cibum aliquem dentibus terunt, ceteros devorant, ſuibus haud diſſimiles, qui dum glandem ingerunt, gruniunt ſimul ad reliquas: qui immodicâ trahuntur cupiditate, ac aviditate omnes volvendi libros, hi plerunque quandam duntaxat alienæ virtutis ſuperficiem, & extimo tantùm hærentes cortici nullum percipiunt medullæ fructum. Ut igitur eloquentiæ ſtudioſus plurimum ex lectione hauriat utilitatis, neceſſum eſt, ſelectiſſimos libros non præproperè, & quaſi perfunctoriè; ſed attentè, moroſè, ac perpensè volvat, & non tantùm ſemel, ſed iterum atque iterum, donec omnes, quæ in ipſis continentur virtutes medullitùs percipiat, quæ perſæpe ex induſtria occultantur, ne artis præcepta ſtatim omnibus pateant.

11 Lectioni addenda eſt ſelectio eorum, quæ ad animos alliciendos plurimum præſeferunt aucupij, & roboris ad eosdem movendos, ac flectendos. Formulæ eloquentiæ, quæ proximè ad praxim, ac uſum pertinent, notandæ ſunt, uti etiam eruditiones, ſimilitudines, amplificationes, & argumenta, quæ ad rem evincendam multum habent virium, non ut hæc omnia nobis uſurpemus, ſed ut aliorum virtutes imitemur, apum veſtigijs inhærentes, ut monet Seneca *epiſt. 84.* inquiens: *Quæcunque diverſa lectione congeſſimus ſeparare debemus, meliùs enim diſtincta ſervantur.* Deinde adhibitâ ingenij noſtri curâ, & facultate in unum ſaporem, varia illa debemus libamenta confundere: ut etiam ſi apparuerit, unde illa ſumpta ſint, aliud tamen eſſe, quàm unde ſumpta, appareat; Quòd in corpore noſtro videmus ſine ulla opera noſtra facere naturam. Alimenta, quæ accepimus, quamdiu in qualitate perdurant, & ſolida innatant ſtomacho, onerj ſunt: at cùm ex eo, quod erant, mutata ſunt, tunc demum in vires, & in ſanguinem tranſeunt. Idem in his, quibus aluntur ingenia præſtemus: ut quæcunque hauſimus, non patiamur integra eſſe, ne aliena ſint: ſed concoquamus illa, alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium. Unum quidpiam fit ex multis, ſicut unus numerus fit ex ſingulis; cùm minores ſummas, & diſſidentes, computatio una comprehendit. Hoc faciat animus noſter, omnia quibus eſt adjutus abſcondat, ipſum tantùm oſtendat, quod effecit. Hinc docemur, quâ methodo ſelectas beneficio lectionis aliorum virtutes debeamus immutare, ut è noſtro potiùs, quàm ab alieno penu videantur prodire, alijs ſcilicet eas circumveſtiendo ornamentis, ac verbis, quæ abundè ſuppeditabunt figuræ patheticæ, quas ſuperiùs expendimus. Hoc unum tamen ſemper in animo ſit, elegantiùs, ac accuratiùs exhibere, quos ab aliorum areolis decerpſimus flores; perinde ac ingenioſæ apes, quæ vagantur, & ſuccos ad mellis ſtructuram idoneos carpunt: Deinde quidquid attulêre diſponunt, ac per favos digerunt, & ut canit Virgilius.

——————————— *Liquentia mella*
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas.

PROLEGOMENUM XVIII.

Parandæ ſylvæ neceſſitas.

EOs, qui cum laude eloquentiæ praxin exercere voluerint, ac peroraturi prima conſcendere ſubſellia, oportet plura legiſſe, audiviſſe, ac ſcripſiſſe, ut ubertima dicendorum ſeges fiat ipſis ſtatim obvia, nihilque eis ſuperſit, quàm ſparſim collecta unà compingere, ut præſtant olitores, qui varios ex diverſis areolis ſelectos flores in unum nectunt ſertum mira colorum, odorúmque varietate elegantiſſimè compactum, quod etiam viris principibus ſiſtant. Neque laudandi ſunt, qui plus æquo ſibimet præfidentes absque prævio rerum, verborúmque apparatu ſperant, ubi primùm calamus incaluerit, fore, ut locupletem ad perorandum ſint ſegetem habituri, quos illis non abſimiles dixeris, qui licèt nil cocti, hílque habeant parati, lautam tamen ſibi cœnam pollicentur. 1

Plerique inveniuntur tam bene de ſe ſentientes, ut parato duntaxat calamo, albóque folio putent orationes poſſe omnibus ſuis abſolutas numeris ſcribere, ac ſi ſpecioſiſſimas Eloquentiæ Veneres è ſolo valerent attramento ſollicitante calamo extrahere, ſicut olim amoris Venus è candidiſſima colliſi pelagi emerſit ſpumâ: at quid tanto parturiunt ipſi conatu? quàm infinita propemodum principia ſuis ſemper deſtituta finibus? ſi ſubinde fœtum conceperint aliquem; hunc ob neceſſariæ inopiam materiæ mancum, ac monſtroſum enituntur, quibus conſonat Manilij carmen. 2

Victuros agimus ſemper, neque vivimus unquam.

Seu meliùs ad rem noſtram.

Scripturos agimus ſemper, neque ſcribimus unquam.

Methodus hæc orationis texendæ illi ſemper mihi viſa eſt conſimilis talorum luſui, quem Seneca Imperatori Claudio inſtituerat, quo pœna gehennæ ſuppare miſerrimè torqueretur; ſcilicet quod cum niteretur aſtragali-

zare

zare nusquam aſtragaliſmum proderet: ait Seneca *in Ap.*

> *Nam quoties miſſurus erat, reſonante fritillo.*
> *Utraque ſubducto ſugiebat teſſera fundo.*
> *Cúmque recollectos auderet mittere talos.*
> *Luſuro ſimilis, ſemper, ſempérque petenti.*
> *Decepêre fidem.*

3 Qui ſine prævio ſelectarum rerum apparatu elegantiſſimas ſibi imaginantur contexere orationes, ac ſumma eloquentiæ attingere culmina; hi tametſi diuturnis meditationibus totum percurrant mentis viridarium, nullum unquam valent florem carpere, quem alteri adjiciant: & quod magis riſum movet, quaſi foret calamus, qui deſes renueret diu defatigatæ mentis exarare conceptus, hunc ingrato donte mordent, ac lacerant Muſæi tecta ſuſpicientes illius neſcii axiomatis: *ex nihilo nihil fit*: perperam ſpondent aureas eloquentiæ pluvias ex intimo mentis receſſu, cùm inibi nulla inſit aurifodina divitijs referta; unicum tantùm commendârunt Poëtæ Jovis caput, eò quia omniſcium fuerit Minervam enixum: *Ne igitur reſupini.* ait Quintilianus *lib, 10. reſpectantéſque tectum, & cogitantes murmure agitantes expectemus, quid obveniat.* Subdit Tullius, monétque *3. de orat.* *Sylvam rerum, ac ſententiarum parandam eſſe, quia ex rerum cognitione efflorеſcere debet, ac redundare oratio.* Parum etiam generoſo Oratori adfert auxilij nobile ingenij nixu concepiſſe argumentum, ſi uberi rerum, ſententiarúmque ſegete, quâ illud idem enixum farciat poſtmodum deſtituatur; quid aliud hoc eſt, quàm eas imitari mulieres, quæ jam dudum conceptum enixæ fœtum enutrire non valent, eò quia mammas non habeant refertas lacte: *ut enim natus infans* (ait Vitruvius Præf. lib. 2.) *ſine nutricis lacte non poteſt ali, neque ad vitæ creſcentis gradus perduci:* ita neque oratoris repertum argumentum, adderem ego, abſque dicendorum copia ad nervoſæ Eloquentiæ decora evehi unquam poterit: etiam Staſicrates lapidicida haud ignobilis referente Vitruvio Athum montem ſcalpro carnifice adeò dilacerare, extenuare, ac expolire valuit, ut Alexandrum Macedonem affabrè giganteo illo expreſſerit ſaxo, quia verò amplam manu fulciebat urbem, cui nullæ pro re frumentaria erant adjectæ camporum planities, enixum tanto molimine opus reſpuit Alexander, eò quòd urbi alimonia deeſſet, quâ alerentur cives: *Delectatus enim,* ait Vitruvius, *ratione formæ, ſtatim quæſivit, ſi eſſent agri circa, qui poſſent frumentaria ratione eam civitatem tueri:* & cùm intellexiſſet, nullum extare agrum; Artificis opus tametſi improbo abſolutum labore dignum Alexandro minimè adjudicavit.

4 Perinde eloquentiæ ſtudioſus ſe gerat, ac optimus ille Architectus, qui antequam ædificij aggrediatur ſtructuram, omnia apparat, quæ ad tanti moliminis perficiendum opus deſiderantur; & priuſquam fundamenta jaciat omnes ſingulatim partes ſedula perpendat diſcuſſione, ut ſingulis proprias adjiciat perfectiones, ut ſcitè advertit Præſul Mediolanenſis, cujus nomen, & eloquentia ambroſiam ſapiunt. *Hexam. cap. 9.* inquiens: *Antequam fundamentum ponat, unde ei lucem infundat, explorat, & ea prima eſt gratia, quæ ſi deſit, tota domus deformi horret incultu.*

Ad oratoriam ſylvam ſtruendam, neceſſum eſt, Orator libros quoſdam ſcribendos, ac literis alphabeticis dividendos habeat; dein cuilibet literæ titulos adjiciat eidem reſpondentes, ut literæ A. hos titulos *Amor*, *Avaritia*, & ita ſucceſſivè eò fermè modo, quo hujuſmodi titulos exhibet Laurentius Beyerlinck in Magno Theatro vitæ humanæ, & Joſeph Langius in Polyanthea; parato hoc pacto oratoriæ ſylvæ volumine, diutiùs verſari debet, ac plurimum impendere temporis in evolvendis ſelectiſſimis Authorum libris, & quæ notatu noverit eſſe digna, ſive hiſtoriæ ſint, ſive fabellæ, vel axiomata, hieroglyphica, Apophtegmata, Patrum ſententiæ, conceptus, quos vocant prædicabiles, ſub proprijs titulis digerere, ac coacervare, ſeu illi adnectere materiæ, ad quam ſibi viſum fuerit ſpectare, vel reduci commodè poſſe. 5 Abſtineat tamen ab illis volvendis libris, qui vel prava continent dogmata, vel rei venereæ exhibent incitamenta, quibus caſtitas deflorеſcit, ac vitæ probitas concidit; plus enim ex ipſis hauriũt Tyrones detrimenti cũ probitatis periculo, quàm utilitatis eloquentiæ profectu: pluris facienda eſt morum innocentia quovis ornatu cultæ orationis: hi duntaxat terantur manibus libri, qui ſunt ab omni turpitudine, obſcœnitatéque repurgati, & qui nonniſi dogmata exhibent probitatis moribus conſona. Rhetoricæ Candidatus induſtriam imitetur apum, quæ mortuis nunquam inſident floribus: laſcivientes libros perinde, ac putida cadavera ſtomachetur. Plurimum præſeferunt aucupij, multúmque ingerunt oblectamenti etiam pernicioſi, & qui nonniſi obſcœnitatibus ſcatent libri, non eo inficias; at hæc ea ſunt vireta, in quibus latet anguis, uti vulgo dicitur: etiam quæ incolunt Hyrcaniæ ſylvas Pantheræ grato alliciunt obvios homines odore, quos ungue dilanient, ac dente vorent: non ſolùm in aureis Demoſthenis, ac Cleopatræ anulis venenum latuit, verùm & in cultioribus librorum amœnitatibus, qui verborum delectu, argutiarúmque oblectamentis incautos aucupantur, quos falſi dogmatis inficiant veneno; id genus libros, qui volvunt, Ægyptios imitentur canes, qui nonniſi fugientes Nili ebibunt undas, ne cùm propriam extinguunt ſitim, famem expleant latentis Crocodili: nec aliter ſe gerant, ac profugi ex Ægypto Iſraëlitæ, quibus præcipua cura fuit idola negligere, tametſi auro conflata, multiſve gemmis onuſta; & vaſa tantùm quà aurea, quà argentea ſecum aſportare: non quidquid allicit, ac elegantiam ſapit, hoc depromendum, ſi morum invehat corruptelam; ſed quod ita phaleratæ eloquentiæ exhibet fucos, purpureáſque roſas, ut ſtimulos addat ad probitatis incrementa: etiam Alexander Macedo Parydis dedignatus eſt Che-

lym, quia laſcivientis Helenæ cecinerat pulchritudines; plectrum concupivit Magni Achillis, quo adoreas occinuit exeſo in antro ſenis Chironis manibus occiſæ Tigridis ſanguine adhuc calentibus. Neque ea velim imitaretur Eloquentiæ ſtudioſus ingenia, quæ quaſi ſuccinea forent, nonniſi paleas è libris, ac feſtucas rerum, vel parvi, vel nullius prorſus ponderis ad ſe ſe attrahunt, ac coacervant prætermiſſis alijs, quæ magni ſunt momenti: eruenda ſunt è ſelectiſſimis librorum aurifodinis, quæ videntur plus pretij præſeferre.

6 Paranda igitur eſt ſylva rerum, quæ orationi conſtruendæ poſſint deſervire; omnium, quæ audimus, legimus, videmus, meminiſſe non hominis eſt, ſed cœleſtis ſpiritûs. Memoria humana labilis eſt, ſegnis, & anguſta, & niſi ſuis fulciatur adminiculis, corruit; ac oblitterantur, quæ ipſi inhærent rerum imagines; & quamvis tenaciſſima ſubinde ſit; non tamen prorſus incorrupta; nec poſſunt ſemper in ea aſſervari. quæ pluribus annis ſtudioſa lectio in ejus recondidit ærario. Amplum eſt memoriæ penetrale, grande prætorium, non inficior, at ſuos habet limites, ultra quos progredi haud permittitur: quinimò etiam repoſita in hoc ærario niſi cuſtodes habuerint, qui ſervent, facilè dilabuntur; eſt ſiquidem memoria grande vas, & capax, ſed rimulis plenum; niſi ſedulò cuſtodiatur, difficulter, quæ continet, ſervari poſſunt. Si quæras quinam ſint hi memoriæ cuſtodes, certè adnotationes, & ſylvæ rerum: quas ex probatis, ac melioris notæ authoribus diurnâ decerpſimus lectione, citra oblivionis periculum fideliter reddunt folia, quæ ijſdem concredimus.

7 Memoriæ felicitas fertilitatem imitatur agri, cujus fœcunditas niſi debita exerceatur cultura neceſſum eſt, ſylveſcat; ita egregia memoria niſi ſylvarum apparatu, notiſque in ſuas claſſes tributis excolatur, facilè oblivione ſterileſcit. Parùm prodeſt, nos plura didiciſſe, multa, & propemodum infinita legiſſe; ſi quæ legimus, vel didicimus elabi patiamur; labor eſt Siſifeus, qui nihil adfert utilitatis, ſed ſudores plurimos elicit ſine fructu. Ut diuturna lectio nobis proſit, hortorum cultores neceſſum eſt imitemur, luſtrant iſti areolas tonsâ diſtinctas myrto, in quorum ſinu flores adoleſcunt è calice, è vagina, è gemma protuberantes: & ne vacuis manibus abſcedant; plures ſummis digitis legunt gratâ colorum depictos elegantiâ, varia perfuſos odorum ſuavitate, quos debito ordine in unum cogunt ſertum florum, colorúmque varietate, ac odorum ſuavitate oculis æquè, ac naribus gratiſſimum: Rhetorices profeſſores, ac Eloquentiæ candidati; utiliùs probatæ notæ authores ſtudioſa pervolvunt lectione, ſi ſelectiora, & quæ meliora cenſentur, decerpant, noténtque ſuis diſtinctis claſſibus; quibus enim profectus literarius cordi eſt, excerptis indigent, rerúmque notis: ſunt excerpta, quæ veluti flores è probatis authoribus collectos notamus, ne memoriâ excidant; perinde excerpere eſt, ac ex optimæ notæ ſcriptoribus in certas claſſes ea ſeligere, & annotare, quæ uſui cenſentur profutura. Plura legere, & nihil ſeligere, nilque annotare, perinde eſt ac omnia negligere, & tempus prodigere; omnis enim lectio temporis diuturnitate perit, ſi nihil excerpit, quod rerum ſylvæ ſub proprijs cathegorijs adjiciat: prudentis eſt viri lecta, viſa, audita, quæ dignioris ſunt notæ ſcribere, ac data occaſione in proprium vertere uſum.

Quòd ſi legendo, vel audiendo aliquid tibi obviet notatu dignum, quod tamen videatur in aliquam certam claſſem ex prænotatis non poſſe referri; potiùs quàm id omittere, conſultius eſt, ſeorſim alium præfigere titulum, cui ſit inſcriptio: *Miſcella;* multa pleriímque ſiunt legenti obvia, quæ licèt videantur exotica, magìs poſſunt eſſe uſui, quàm alia; quamobrem conſultiùs eſt, omnia, ac ſingula annotare, ut quòd S. Euphroſina nunquam viſa ſit ſedere. S. Iſidorus nulla unquam linea veſte fuerit uſus. Orum Abbatem nunquam pœnituerit fuiſſe loquutum, quòd Macarius, ex quo luſtrali baptiſmi ſonte tinctus eſt, nunquam humi expuerit. Theonas annis triginta nunquam loquutus fuerit. Juannes Abbas annis quadraginta nunquam mulierem viderit, Poſidonius illatæ ſibi injuriæ fuerit ſtatim oblitus, Gaddana toto vitæ tempore nunquam ſub tecto fuerit, Abban nunquam cubare viſus ſit, ſed ſemper vel ſtare, vel genua flectere. Aceplimus annis ſexaginta cum nemine ſermonem miſcuerit; hæc & alia id genus, quæ videntur inſueta, & extra humanam conſuetudinem excerpanda ſunt, & annotanda, quia avidiùs in oratione, cui inſerviunt, ab alijs leguntur, vel audiuntur, ſi Orator è ſuggeſto dicat ad populum. 8

Si petas, quinam ſint authores legendi, 9
reſpondeo optimos quóſque legendos eſſe; & in quavis doctrina, & facultate principes, vel alios optimæ notæ, quique vel maximè faciunt ad ſuſceptum inſtitutum, genióque accommodantur lectoris: putârim veteres recentioribus ut plurimum præferendos; purior eſt aqua, quæ ubi ſcaturit, hauritur: fontes Lector adeat, rivulos tranſeat; latices ex ipſo fonte petuntur ſalubriores, Poëta Virgilium, Hiſtoricus Livium, Orator Tullium, Philoſophus Ariſtotelem, Medicus Galenum, Mathematicus Euclidem; Iuriſconſultus Bartolum, Theologus D. Thomam Aquinatem, vel ſi alterius ſit ſcholæ principem ejuſdem Scotum, Ægydium: quòd ſi hos Lector non intelligat, interpretes adhibeat celebrioris notæ; plures legere oppoſita docentes, plerúmque plus obeſt, quàm proſit; hinc illud L. Annæi Senecæ; *Non refert, quàm multos, ſed quàm bonos habeas libros*: ex ſterili, macráque terra vix fructus leguntur, qui ſuſceptum culturæ laborem compenſent; ſunt, qui exſuccos amant authores, fortaſſis quia plurimum habent aucupij; ſed iſti flores non fructus cupiunt, & carpunt: nemo eſt, qui vineam excolens, tantùm ſaltem non ſperet fructûs,

quan-

Digitized by Google

quantum ejuſdem culturæ impendit ſumptuum.

In arte Grammatica.

10 Qui artem Grammaticam ſcripſerunt, ac cæteris præferuntur; ſunt Donatus, Priſcianus, Alvarus, Deſpauterius, Auguſtinus Nebriſſenſis, Vilbonius Gymnaſiarcha de latino ſermone optimè meritus. Criſtophorus Arnoldus in ſuo ornatu linguæ latinæ, quem ex F. Sylvio Ambiano adſtruxit. Bohuslaus Balbinus veriſimilia humaniorum Diſciplinarum. Sunt plures alij, quibus debent adjici Lexica, Dictionaria, Theſauri linguæ latinæ, Apparatus, Delectus latinitatis, Nomenclatores, quorum uſus etiam viris doctiſſimis utilis eſt.

In Poëſi.

11 Authores cæteris præferendi ſunt Virgilius heroici carminis princeps, Ovidius in Elegijs, Horatius in lyricis, de quo Quintilianus: *Inter lyricos: ait, ſolus fere dignus eſt legi Horatius.* Papinius Statius, qui ſylvarum libros quinque, Thebaidos libros duodecim, Achilleidos libros duos ſcripſit. Claudius Claudianus poëta commendatiſſimus Virgilio ſuppar. Annæus Lucanus Poëta celebris ſtylo gravis, ſed magis hiſtoricum videtur redolere, quàm Poëtam. L. Annæus Seneca in Tragœdijs, ciendiſque affectibus nulli ſecundus, quem Lipſius, Delrius, Raderus, & alij ſunt interpretati. Juvenalis, Catullus, Tibullus, Martialis Poëtæ optimi, ſed plura miſcent corrumpendis moribus magis, quàm inſtruendis apta; niſi ab obſcœnis expurgentur, & impudicitiæ fæces ſubmoveantur, conſultius eſt ab eorundē abſtinere lectione. Chriſtum, qui amant, nequitiæ Magiſtros non poſſunt non odiſſe, & qui ſereno, puróque aſſueverunt cœli aſpectui, has dulciarias, ſed venenatas nebulas reſpuunt. Plures itidem inter recentes commendantur Poëtæ carminum elegantiâ antiquis nihilo inferiores, ſive heroica, ſive elegiæ, ſive epigrammata ſpectentur. Lyricis plures ſuperavit veteres, Joannes Barclajus author mundiſſimæ latinitatis, qui Iconem animorum, & Argenidem edidit; ac ſolutæ Orationi ligatam hinc inde miſcuit, tres alios ſcripſit libros Euphormionis Luſinini, Satyricon. Carmina etiam varia proſæ laudabiliter antea miſcuerat Severinus Boëtius in aureo ſuo opere, cui titulus: *An. Manl. Sever. Boetij Conſolationis Philoſophiæ libri quatuor.* Quos interpretati ſunt, notiſque illuſtrârunt Joannes Bernartius, Theodorus Sitzmanas, Renatus Valinus. Laudantur etiam plures recentes Poëtæ, quos inter Jacobus Balde Bavarus, Caſimirus Sarbivius Polonus, Vincentius Guiniſius Italus, Franciſcus Montmorencius Belga, Joſephus Charonjet, Petrus Mambrum, Joannes de Buſſieres, Petrus Juſtus Sautel Galli S. J. Cajetanus Vicich C. R.

In Oratoriâ.

Principem in nobili Oratorum conſeſſu 12
ſedem occupat M. Tullius Cicero ad eloquentiam natus, ſummàmque in oratoria facultate laudem nactus; eò quia maſcula, ac vegeta eloquentia ita ſuadet, ut plenè perſuadeat, ac animos, in quam voluerit partem flectat, adeò ut Quintilianus loquens de M. Tullio aſſerat. *Ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valdè placebit.* Recenſentur etiam inter Principes Oratores Lucius Annæus Seneca, quem Plinius Major ævo ſuo eruditionis principem vocat; quem etiam Dion fatetur, omnibus ſui ævi Romanis ſapientiâ, ac eruditione præſtitiſſe; & Lipſius ait, eum legitimis cenſoribus placere non rebus tantùm, ſed & phraſi, ac optimo dicendi genere, cui tamen non deſit Venus, ſuo non deſtituatur acumine, neque ſententijs careat. Ex ſanctis Patribus eminent hac in facultate S. Joannes Chryſoſtomus, S. Leo Papa, Minutius Felix, Arnobius, Salvianus, Petrus Chryſologus, Zeno Veronenſis, Ambroſius, Hieronymus, & alii, in quorum ſcriptis fluit oratio gravis, virilis, omnibúſque ſuis abſoluta numeris. Oratores recentiores plures ſunt, laudant aliqui Antonium Muretum, Joannem Perpinianum, Franciſcum Bencium, Remundum, Guiniſium, Ferrarium, Cerchiarium, alij alios. In Elogiorum ſtructura commendationem merentur Emunuel Theſaurus, Aloyſius Iuglaris, Joannes Baptiſta Maſculus, hi ſiquidem miro laconiſmu, verbis ſelectis, ſtylo medio inter ſolutum, & ligatum; breves ſententias, ingenioſa acumina, & alluſiones exhibent argutas, quæ delectant ſimul, & ducent; adeò ut in brevitate, ac ſtricto dicendi genere beata appareat rerum copia, & oratio verba fundat, non effundat; fluat, non rapiatur. Quoad argutias, ac ſententias in pretio habetur Tertullianus, qui acrimonia, & ardore plura exhibet notatu digna; ejus ſtyli genus conciſum, fractum, ac veluti ſpeciem præferens ſubitarij ſermonis docta, & acuta miſcentia.

In Hiſtoria.

Titus Livius magnitudine, ac majeſtate 13
operis eſt diffuſus, in concionibus frequens, ac diſertus; ac dignus ut manibus teratur. Saluſtius plurimum commendatur ob ſtyli puritatem, ac latini ſermonis elegantiam. Cornelius Tacitus non elegantiâ, ſed prudentiâ, & monitis politicis, ac ſententijs conciſis plurimi æſtimatur. Q. Curtius probus habetur hiſtoricus, qui facilitatem, ac leporem in narrationibus unà copulavit; eſtque acutus, & clarus; verus in judicijs, argutus in ſententijs, facundus in orationibus, & lepidus in deſcriptionibus. Cæſar Imperator ſtyli puritate, latiníque ſermonis perſpicuitate laudatur; ab omni ſe abſtinet affectatione, narratione utitur nuda, & ſimplici, ſed plena, & gravi. Hiſtorici Græci plurimum etiam meruerunt laudis; Thucydides ſermone gravis, acutus ſen-

ſen-

ſententijs, ſanus judicio, facundus orationibus. Polybius judicio, & prudentiâ Thucydidi ſuppar. Plutarchus laudatiſſimus author, qui omnigenæ eruditionis ſupellectilem lectori ſuppeditat; plura referat non ita obvia, quæque alios latuiſſe videantur. Ex Recentioribus pluris fiunt Buſſieres Gallus, qui unico floſculo eleganter decerpſit quidquid vetuſtæ, ac recentes narrant hiſtoriæ. Philippus Cominæus puræ, ac defœcatæ vir latinitatis. Silos C. R. Guicciardinus Italus author prudens, gravis, qui vernacula lingua nulli videatur hiſtoriarum ſcriptori ſecundus. Sagredus, Nanius de bellis Venetorum contra Turcam, Joannes Mariana, qui de rebus Hiſpanicis libros triginta edidit. Famianus Strada, Joſephus Hebræus de bello Judaico. Baronius de hiſtorijs eccleſiaſticis, ut etiam Spondanus.

13 Interpretes, & Expoſitores ſacræ Scripturæ laudantur Antonius Belinger, qui diviſit ſcripturas in quoſdam locos communes, Euthimius, Theodoretus, Theophilactus, Toſtatus, Lyranus: ex Recentioribus Celada, Cornelius à Lapide, Mendoſa, Forerius, Ribera, Maldonatus, Gerebardus, Agelius, Novarinus, Ghislerius. Pro ſenſu allegorico Origenes, Rupertus Abbas. Pro ſenſu morali ambo Ugones, Gregorius Magnus, Bernardus, Zeno, Chryſoſtomus.

In Matheſi.

14 Quia hæc ſcientia veluti genus plures complectitur ſpecies, cujusmodi ſunt elementa Arithmetica, elementa Geometrica Euclidis, elementa ſphœrica Theodoſij, Geometria practica, Aſtronomia, Gnomonica, Optice, quæ dimenſiones linearum, ſuperficierum, ac corporum complectitur; Calculus triangulorum tam planorum, quàm ſphœricorum. Comica Apollonij Pergæi. Algebra continens numerorum miracula; Geometria ſublimior comprehendens rerum omnium dimenſiones; Muſica, quæ vocum, ac ſonorum numeros conſiderat; ideo plures pro qualibet ſpecie ſunt inſignes authores, ut Archimedes Syracuſanos, Claudius Ptolomæus, Theon Alexandrinus, Apollonius Pergæus, Euclides, Joannes Regiomontanus, Alexander Anderſonius, Franciſcus Maurolicus Abbas Meſſanenſis, Franciſcus Vieta, Chriſtophorus Clavius, Thycho Brahe Danus, Joannes Keplerus, ex noſtris Gaurinos in ſuo Euclide adaucto. Superſunt plures alij, qui eruditè in alijs ſcripſerunt facultatibus; vel eruditiones congeſſerunt: ut adagia Novarinos, Martinus del Rio, Manutius, Chiliacus, Eraſmus Roterodamos. Naturam, & proprietates gemmarum, herbarum, plantarum, metallorum, fontium, fluminum, Plinius, Majolus, Athenæus, Olaus Magnus. De natura, & proprietatibus animalium piſcium, & volucrum Ulyſſes, Aldrovandus Bononienſis.

15 In volvendis Authoribus lectio vaga, & varia nulli fixa materiæ certæ vitanda eſt; plus ſiquidem ſolet habere laboris, quàm utilitatis; lectio multorum Authorum, omnisque generis ſcriptionum inſtabilis eſt, vixque quidquam inſtillat, quod fideliter animo hæreat; qui continua peregrinatione plures luſtrant terras, multas vident urbes, plura ingrediuntur hoſpitia, ſed paucas contrahunt ſtabiles amicitias. Cibus, ut proſit, non ſtatim in ſtomachum demittitur, ſed dentibus priùs conteritur: & ſicut ſanitati officit pharmacorum erebra mutatio; ita lectio varia mentem potiùs obruit. Seligendus itáque eſt optimus author genio, ac ingenio accommodatus lectoris, quique de illa agat materia, quæ deſideratur; hicque author à capite ad calcem pervolvendus eſt, ſi materia tota faciat ad inſtitutum; & non curſim, ac perfunctoriè, ſed meditatè, ut res ſingulæ pleno captu percipiantur, & ex iiſdem excerpantur, quæ noſtro deſervire uſui viſæ fuerint, ut in ſylva annotentur ſingulæ in proprijs titulorum cathegorijs. Sunt, qui in libris volvendis Ægyptios imitantur canes bibentes è Nilo ſemper fugientes, & ideo parum proficiunt: feſtinandum eſt, ſed lentè; ut operis argumentum percipiatur. Lector, qui ex ſtudioſa lectione proficere cupit, neceſſe eſt, omnia meditatè expendat; an verba propria ſint, an tranſlata, abſoleta, priſca, an uſitata, congruentia, ac venuſta, quibus utatur Orator argumentis ad perſuadendum, quibus figuris ad ornatum; quâ arte in rebus amplificandis.

Hoc ſapientiæ Emporium crebrò adeat 16
Eloquentiæ candidatus, ex quo non aurum, non pretioſa ligna, non ſericas veſtes, ſed virtutem exportet, ac eruditionem, quam paratæ ſylvæ adjiciat, hiſce in nundinis ſine pretio venalis exhibetur ſapientia; *Quia non habetur venalis doctrina, ut libri*, inquit, Petracha Dialogo 43. *Et ſi haberetur, neſcio utrum; tot emptores repertura ſit, quot libros, illi enim muros veſtiunt, hæc animos.* Non pigeat Rhetoricæ cultorem, diurnum, nocturnumque ſubire laborem in ſelectioribus volvendis libris, illi ſemper fiet obvium aliquid notatu dignum: cum negotiatores augendæ rei familiaris gratiâ, maria trajiciant, barbara adeant littora non ſine vitæ diſcrimine; turpe eſt, impendentes operam eloquentiæ excolendi ingenij causâ nullum velle laborem ſubire: proficere, qui cupiunt, nullam ſinant diem excurrere ſine linea; nec deſidem illum imitentur pictorem, qui tota die otio captus, fuit ipſe ab alio pictus vultu ſubtriſti inclinato jam die juxta abacum, ſeu tabulam puram cum epigraphe *diem perdidi*, hoc eſt diem perdere, nullum manibus volvendum terere librum, niſque ſcribere ad eruditionis incrementum. Nota eſt Imperatoris beneficentiſſimi vox, diem ſe perdidiſſe arbitrantis, ſi nulli beneficium contuliſſet. *Amici diem perdidi.* caveat Rhetoricæ candidatus ſimilem rei literariæ jacturam, ſi ſingulis diebus aliquid legerit, ac ſcripſerit, brevi ampla ditefcet eruditionum ſupellectile.

Quia memoria labilis, ſegnis, fallax, & 17
infida, ac rimarum plena eſt, & veluti cribrum

brum illico fundit ; quod in ſinu ſuſceperat, ne fructus ſtudioſæ lectionis pereat, conſultiùs eſt ſolerti cura annotare calamo, quæ ex probatis authoribus ſelegimus, & ea ſub proprijs titulis in parata ſylva adnotare: beneficio calami ſcribentis fit lectio multò meditatior, & decerpta ſtabiliùs hærent. Firmiùs enim hærent animo, quæ calamo ſcribimus, quàm quæ oculis raptim percurrimus.

18 Ab hac excerpendi, & excerpta notandi ſolertiâ plura communi bono Reipublicæ literariæ prodjêrunt volumina antiquarum lectionum, miſcellanea, florilegia, ſummaria, collectanea, Promptuaria, rerum ſylvæ. Hac induſtria noſter Aloyſius Novarinus plura edidit volumina, ut Schediaſmata ſacro-profana. Hinc Salomon hominum ſapientiſſimus ad formicas, & apes induſtriâ, & ſedulitate celebres; illæ in granis congregandis, hæ in floribus delibandis, melléque legendo, nos mittit, quas imitemur: vides æſtivis diebus formicarum agmen, è terræ latebris per hiantes rimulas foras exilire, omnéſque formiculas prompta repere velocitate, diligenti diſcurrere ſolicitudine, ac congerere æſtate, quod hyeme conſumant: itionibus, ac reditionibus ſexcenties eaſdem relegunt ſemitulas continuò tritu politas; fatigari neſciæ inertis otij ſterilitatem aſſiduis damnant laboribus. Futuri providæ, annonæ in campis reliquias quærunt, ac in ſuum convehunt penu, ne ingruente hyeme famis torqueantur moleſtijs. Non tamen unus formicis, ac idem labor; hæ ſiquidem bajulorum vices obeuntes grana deferunt, plerumque ipſis grandiora: aliæ viarum obſtacula moliuntur, ac impedimenta removent: quædam herbarum ſemina oris forcipe repentes trahunt; nonnullæ terram è foveis egerunt, & meatus aquæ aggeribus excludunt: plures ne madefacta humus horrea in herbas vertat progerminantes, delata, & congeſta mox ſemina prærodunt, germiniſque lacerant, diſſipántque originem; aliæ præficas agentes mœſto luctu defunctarum corpora efferunt. In hoc verò repentium tot formicarum pleno agmine id mirũ, quòd nulla in tanta officiorum varietate, ac munerum diſcrimine ſit alteri impedimento, nec ulla inde ſuboriatur confuſio: quin potiùs ſi quam viderint ſub onere fatiſcentem, aut ſub ſarcina corruentem ſuppoſitis humeris juvant, erigúntque, ſíntque omnes laborioſæ, nullæ deſidioſæ. Non pudeat Rhatorices candidatos hujus laborioſæ imitationis, neque eos pigeat harum beſtiolarum frequentare ſcholam, ut à Magiſtris formiculis addiſcant in proprium penu congregare non paleas, non luxuriantia folia; ſed verum frumentum ſolidarum eruditionum, gravium ſententiarum, ſublimium conceptuum, & aliorum, quæ Oratori poſſunt uſui eſſe. Non ubique locorum ſunt ſemper ad manus libri, quos aliàs legimus; & recordamur plura in ijsdem comprehendi, quæ nobis nunc inſervirent; quòd ſi quæ tunc legimus, annotaviſſemus, eoſdem non optaremus libros. Notæ propriæ ſemper optimæ, & plus proſunt, quàm alienæ; quia noſtra nobis magìs ſemper ſapiunt, videntúrque ſuaviora. Negligenda non ſunt, quæ uſui noſtro eſſe poſſunt: plerique reperiuntur, qui vel ſtudiò prætermittunt, aut incurioſi non curant, aut ad alia feſtinantes tranſeunt, aut reperta mutilant, quæ alij ſolertiores diligenter excerpunt, & annotant ingenij commodo; non ſelecta annotáſſe diſplicet, ſed diſplicet, neglexiſſe annotationes.

19 Rhetorices aſſeclæ ut in oratoria proficiant facultate, apes imitentur, quæ ſive in pratorum planitie, ſive in hortorum areolis tonsâ diſtinctis myrto flores ita delibant, ut quidquid ipſis prodeſſe noverint ad mellis conſtruendos favos blandè carpant, aptèque diſponant, & ut canit Virgilius lib. 1. Æneid.

——————— liquentia mella
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas.

Docent apiculæ Rhetorices alumnos in notas redigere, ac unà congerere quidquid ſtudioſa lectione ab Authoribus ſelectum eſt; excerpunt apiculæ ex melioribus floribus quidquid ipſis prodeſſe poteſt; has florilegas aviculas neceſſe eſt, imitentur Oratores, & præſtantiores Authores veluti flores ſeligant, hinc ſuccos exſugant meliores, quos per ſuos diſtribuant titulos, congerántque veluti in cellulis, ut cum occaſio poſtulaverit, uſui poſſint eſſe: hujusmodi ſelecta, ſimúlque collecta ſunt Oratoribus perinde, ac portatiles bibliothecæ, qui ubique locorum defectum ſupplent, ac penuriam librorum; poſſumus ſemper noſtris frui excerptis etiam ubi libri deficiunt, & memoria non ſuccurrit: hæc ſunt illa bona, quæ nobiſcum ſemper ferimus; quæ noſtro ſunt ſub jure, quæ materiam nobis ſemper ſuggerunt ſcribendi, quæ memoriæ ſiſtunt fluxibilitatem.

20 Hinc viri omnes quotquot ſapientiâ, & eruditione claruerunt; nil ex lectis, & ſelectis neglexerunt; omnia diligenter annotârunt ſub proprijs titulis, & cathegorijs; & qui id præſtare detrectârunt, plerumque orationes ſcripſerunt, ſed flaccidas, elumbes, inanes, ſteriles, plumbeas, ſine venuſtate, abſque nervo, & elegantia, eruditionibus deſtitutas, ſententijs vacuas: cauſa hujus paupertatis in promptu eſt, quia excerpere neglexerunt; quia nullam congeſſerunt verborum, phraſium, ſententiarum, eruditionum ſupellectilem: & alij qui ut labori parcerent, fodere noluerunt, mendicare coguntur, cùm è ſuggeſto ad populum dicunt: meminiſſe omnium quæ ſemel legimus, vel etiam iterum, non valemus; ab ijs, quæ ab Authoribus decerpſimus, ac annotavimus, petenda ſunt memoriæ ſubſidia; nemo tam felicis eſt memoriæ, ut omnia quæcunque legerit, retineat, niſi fortaſſis redivivus dicatur eſſe Charminides, ille è Græcis oriundus, qui ea pollebat vi memoriæ, ut quoscunque libros in bibliothecis legiſſet; eos ſtatim memoriter recitare poſſet. Quòd ſi hanc memoriæ felicitatem non experiris, neceſſe eſt, ejus labilitatem annotationum fulcris inſtaures, & ſcribas ſelectiora, quæ legis præſer-

tim

tim hiſtorias, ſententias, apophregmata, & alia id genus.

21 Plura ex Seneca hic ſelecta ſubjicio, quò inde ſcias apes imitari, & ſolos flores delibare.

22 Diſtrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non poſſis, quantum habueris, ſat eſt, habere, quantum legas.

23 Non puto pauperem, cui quantulumcunque ſupereſt, ſat eſt.

24 Omnes horas complectere: ſic fiet, ut minus ex craſtino pendeas; ſi hodierno manum injeceris. Dum differtur, vita tranſcurrit.

25 Quidquid ætatis retro eſt, mors tenet.

26 Nusquam eſt, qui ubique eſt, in peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hoſpitia habeant, nullas amicitias.

27 Non prodeſt cibus, nec corpori accedit, qui ſtatim ſumptus emittitur. Nihil æquè ſanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio: von venit vulnus ad cicatricem, in quo crebra medicamenta tentantur. Non coaleſcit planta, quæ ſæpiùs transfertur.

28 Faſtidientis ſtomachi eſt, multa deguſtare, quæ ubi varia ſunt, & diverſa coinquinant, non alunt. Probatos itaque ſemper lege, & ſi quando ad alios diverti libuerit, ad priores redi.

29 Et cum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas.

30 Non qui parum habet; ſed qui plus cupit, pauper eſt.

31 Quid enim refert, quantum illi in arcâ, quantum in horreis jaceat, quantum paſcat, aut fœneret, ſi alieno inhiat, ſi non acquiſita, ſed acquirenda computat.

32 Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit: cum placuerit fieri, totum illum pectore admitte, tam audacter cum illo loquere, quàm tecum.

33 Aſperum, incultum, & intonſum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odæum, & cubile humi poſitum, & quidquid aliud ambitionem perverſâ viâ ſequitur, devita.

34 Hoc argumentum eſt in melius translati animi, quod vitia ſua, quæ adhuc ignorabat, videt.

35 Longum iter eſt per præcepta; breve, & efficax per exempla. Plato, & Ariſtoteles, & omnis in diverſum itura Sapientium turba, plus ex moribus, quàm ex verbis Socratis traxit.

36 Inimica eſt multorum converſatio. Nemo non aliquod vitium nobis aut commodat, aut imprimit, aut neſcientibus allinit.

37 Nullus mihi per otium dies exit, partem noctium ſtudijs vendico, non vaco ſomno, ſed ſuccumbo, & oculos vigilia fatigatos, cadentésque in opere detineo.

38 Hanc ſanam, & ſalubrem formam vitæ teneto, ut corpori tantùm indulgeas, quantum bonæ valetudini ſat eſt.

39 Durius tractandum eſt corpus, ne animo malè pareat; cibus famem ſedet, potio ſitim exſtinguat, veſtis arceat frigus, domus munimentum ſit adverſus infeſta corpori. Hanc utrum ceſpes erexit, an varius lapis gentis alienæ, nihil intereſt.

Scitote hominem tam benè culmo, quàm auro tegi. 40

Stilpon captâ patriâ, amiſſis libris, amiſſâ uxore, cum ex incendio publico, ſolus, & beatus tamen exiret, interroganti Demetrio. Num quid totum perdidiſſet? omnia inquit, bona mea mecum ſunt. 41

Crates cum vidiſſet adoleſcentulum ſecretò ambulantem, interrogavit, quid illic ſolus faceret? Mecum inquit, loquor: cui Crates: cave tamen, ne cum homine malo loquaris. 42

Roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis. 43

Sic vive cum hominibus, tamquam Deus videat: ſic loquere cum Deo, tamquam homines audiant. 44

Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, ut ſic, tanquam illo ſpectante vivamus, & omnia tanquam illo videnre faciamus. 45

O felicem illum, qui non actus tantùm, ſed etiam cogitatus emendat. 46

Gratiſſima ſunt poma, cum fugiunt. Pueritiæ maximus in exitu decor eſt: deditos vino potatio extrema delectat. 47

Multum enim adjicit ſibi virtus laceſſita. 48

Multis ſerviet, qui corpori ſervit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. 49

Sapiens nunquam potentium iras provocabit, imò declinabit, non aliter, quàm in navigando procellam. 50

Is maximè divitijs fruitur, qui minimè divitijs indiget. 51

Majore corporis ſarcinâ animus læditur, & minùs agilis eſt. 52

Copiâ ciborum ſubtilitas animi impeditur. 53

Dandum eſt aliquod intervallum animo, ita tamen, ut non reſolvatur, ſed ut remittatur. 54

Philoſophia animum format, vitam diſponit, actiones regit, agenda, & omittenda demonſtrat, ſedet ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium, dirigit curſum, ſine hac nemo ſecurus eſt. 55

Si ad naturam vives, nunquam eris pauper. Si ad opiniones, nunquam eris dives. Exiguum natura deſiderat, opinio immenſum. 56

Congeratur in te quicquid multi locupletes poſſederunt, ultra privatum pecuniæ modum fortuna te provehat, auro tegat, purpura veſtiat; & eò deliciarum, opúmque perducat, ut terram marmoribus abſcondas: accedant ſtatuæ, & picturæ, & quicquid ars ulla luxuriæ elaboravit, majora cupere ab his diſces. 57

Multis ad Philoſophiam obſtitêre divitiæ, paupertas expedita eſt, ſecura eſt. Cum claſſicum cecinit, ſcit non ſe peti, cum aliqua conclamatio eſt, quomodo exeat, non quid efferat, quærit. 58

Quem

59 Quam in ipſa re trepidare nolueris, ante rem exerceas.

60 Nemo alius eſt Deo dignus, quàm qui opes contempſit: quarum poſſeſſione tibi non interdico, ſed efficere volo, ut illas intrepidè poſſideas, quod uno conſequeris modo, ſi te etiam ſine illis beatum victurum perſuaſeris tibi, ſi illas tanquam exituras ſemper adſpexeris.

61 Satis multum temporis ſparſimus, incipiamus in ſenectute vaſa colligere, nunquid invidioſum eſt? in freto viximus, morimur in portu.

62 Maximum eſt officium ſapientiæ, ut verbis opera concordent.

63 Multum eſt, non corrumpi divitiarum contubernio. Magnus eſt ille, qui in divitijs pauper eſt; ſed ſecurior, qui caret divitijs.

64 Nemo naſcitur dives, quiſquis exit in lucem, juſſus eſt lacte, & panno eſſe contentus. Ab his initijs nos regna non capiunt.

65 Non pecuniæ adjiciendum, ſed cupiditatibus detrahendum eſt.

66 Vetus proverbium eſt. Gladiatorem in arena capere conſilium. Aliquid adverſarij vultus, aliquid manus mora, aliquid ipſa inclinatio corporis, intuentem monet.

67 Quemcunq; vis occupat, adoleſcentem, ſenem, medium: invenies æquè timidum mortis, æquè inſcium vitæ.

68 Nolo tibi unquam deeſſe lætitiam. Volo illam tibi domi naſci. Naſcitur, ſi modò intra te ipſum ſit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, ſed frontem remittunt.

69 In præcipiti voluptas ad dolorem vergit, niſi modum teneat.

70 Quotidie morimur, quotidie demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cum creſcimus, vita decreſcit.

71 Quidquid tranſit temporis, perit. Hunc ipſum, quem agimus diem, cum morte dividimus.

72 Panem, & aquam natura deſiderat, nemo ad hæc pauper eſt. Intra quæ quiſquis deſiderium ſuum claudit, cum ipſo Jove de felicitate contendit.

73 Quid egeris, tunc apparebit, cum animam ages.

74 Incertum eſt, quo te loco mors expectet. Itaque tu illam omni loco expecta.

75 Hoc denique tibi circa diem mortis præſta, moriantur ante te vitia. Dimitte iſtas voluptates turbidas, magno levandas.

76 Nunquam nimis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur.

77 Animum debes mutare, non cœlum.

78 Initium eſt ſalutis, peccati notitia.

79 Malis artibus popularis favor quæritur.

80 Magna res eſt, Lucili, & diu diſcenda, cum adventat hora illa inevitabilis, æquo animo abire.

81 Quid eſt Eques Romanus, aut Libertinus, aut ſervus? Nomina ex ambitione, aut ex injuria nata?

82 Si agricolam arbor ad fructū producta delectat, ſi paſtor ex fœtu gregis ſui capit voluptatem: quid evenire credis his, qui ingenia educaverunt, & quæ tenera formaverunt, adulta ſubitò vident?

Pars magna bonitatis eſt, velle fieri bonum. 83

Si vis tibi omnia ſubjicere, te ſubjice rationi, multos reges, ſi ratio te rexerit. 84

Habet hoc optimum in ſe generoſus animus, quòd concitatur ad honeſta. 85

Magnanimi eſt magna contemnere, ac mediocria malle, quàm nimia. 86

Serviunt multi voluptatibus ſuis, non fruuntur, & mala ſua, quod malorum ultimum, amant. 87

Tunc conſummata eſt infelicitas, ubi turpia non ſolùm delectant, ſed etiam placent: & deſinit eſſe remedio locus, ubi quæ fuerunt, vitia, mores ſunt. 88

Quemadmodum ſapienti viro inceſſus modeſtior convenit, ita oratio preſſa non audax. Summa ergo ſummarum hæc erit, tardiloquum te eſſe jubeo. 89

Huc nos doce, beatum eum non eſſe, quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit: ſed illum, cui bonum omne in animo eſt erectum, & excelſum, mirabilia calcantem. 90

Infelix, qui huic uni rei vivit, ut altilia decenter ſecet; niſi quod miſerior eſt, qui hoc voluptatis causâ docet, quàm qui neceſſitatis diſcit. 91

Quemadmodum ſtultus eſt, qui equum empturus non ipſum inſpicit, ſed ſtratum ejus, ac frœnos: ſic ſtultiſſimus eſt, qui hominem aut ex veſte, aut ex conditione, quæ veſtis modò nobis circumdata eſt, æſtimat. 92

Mus ſyllaba eſt, mus autem caſeum rodit, ſyllaba ergò caſeum rodit. ô pueriles ineptias; in hoc ſupercilia ſubduximus? in hoc barbam demiſimus? hoc eſt, quod triſtes docemus, & pallidi? 93

Difficulter ad ſanitatem pervenimus, quia nos ægrotare neſcimus. 94

Omnes præoccupati ſumus virtutes diſcere, vitia dediſcere. 95

Virtus ſecundùm naturam eſt, vitia inimica, & infeſta ſunt. 96

Id agere debemus, ut irritamenta vitiorum quàm longiſſimè profugiamus. 97

Indurandus eſt animus, & à blandimentis voluptatum procul abſtrahendus. 98

Una Hannibalem hyberna ſolverunt, & indomitum illum nivibus atque alpibus virum enervârunt fomenta Campaniæ. 99

Non multum ad tranquillitatem locus facit, animus eſt, qui ſibi commendat omnia. 100

Omnia licèt foris reſonent, dum intus nihil tumultûs ſit, dum inter ſe non rixentur cupiditas, & timor; dum avaritia, luxuriáque non diſſideant, nec altera alteram vexet. 102

Quid prodeſt totius regionis ſilentium, ſi affectus fremunt? 103

Nulla placida quies eſt, niſi quam ratio compoſuit. 104

Corpora noſtra rapiuntur fluminum more, quicquid vides, currit cum tempore. 105

Homo, fluida materia, & caduca, & omnibus obnoxia caſibus. 106

107 Ire quadrato agmine exercitum oportet ; ubi
hoſtis abomni parte ſuſpectus eſt. Idem ſa-
piens facere debet. Omnes virtutes ſuas
undique ex; endat, ut ubicunque aliquid in-
feſti oritur, illic parara præſidia ſint.

108 Alexandet M. ſagittâ ictus, à pugna coactus
abſiſtere. Omnes, inquit, jurant me Jo-
vis filium eſſe ; ſed vulnus hoc, hominem
me eſſe, clamat.

109 Ebrietas unius horæ hilarem inſaniam longi
temporis tædio penſat.

110 Talis eſt ſapientis animus, qualis mundi ſtatus
ſuper Lunam. ſemper illic ſerenum.

111 Vetum gaudium non naſcitur niſi ex virtutum
conſcientia.

112 Taurus pauciſſimorum jugerum paſcuis imple-
tur, una ſylva Elephantis pluribus ſufficit,
homo & terra paſcitur, & mari.

113 Ante ſenecturem curavi, ut bene viverem ; in
ſenectute ut benè moriar.

114 Breviſſima ad divitias, per contemptum divi-
tiarum via eſt.

115 Neſciam, quò hinc iturus ſim? quæ ſedes ex-
pectet animam, ſolutam legibus ſervitutis
humanæ?

116 Malo me ſortuna in caſtris ſuis, quàm in deli-
cijs habeat.

117 Nihil eſt virtute præſtantius, nihil pulchrius.

118 Non enim vivere bonum eſt, ſed bene vivere.

119 Magna pars eſt profectûs, velle proficere.

120 Quando continget contemnere utramque for-
tunam? Quando continget omnibus oppreſ-
ſis affectibus, & ſub arbitrium adductis, hanc
vocem emittere ; *vici*, quem vicerim, quæ-
ris? non Perſas, nec extrema Medorum, nec
ſi quid ultra Dahas bellicoſum jacet : Sed a-
varitiam, ſed ambitionem, ſed metum mor-
tis, qui victores gentium vicit.

121 Nulla ſine Deo mens bona eſt.

122 Utamur fortunæ bonis, non gloriemur ; & u-
tamur parcè, tanquam depoſitis apud nos,
& abituris.

123 Navis bona dicitur, non quæ pretioſis colori-
bus picta eſt, nec cui argenteum roſtrum eſt,
nec cuius tutela ebore cælata eſt, nec quæ fi-
ſcis, ac opibus regiis preſſa eſt : ſed quæ ſta-
bilis ac firma, & juncturis aquam excluden-
tibus ſpiſſa ad ferendum incurſum maris ſo-
lida, gubernaculo parens, velox, & con-
ſentiens vento.

124 Regula non quàm formoſa, ſed quàm recta ſit,
quæritur.

125 In homine nihil ad rem pertinet, quantum a-
ret, quantum fœneret, à quàm multis ſa-
lutetur, quàm pretioſo incumbat lecto,
quàm pellucido poculo bibat, ſed quàm bo-
nus ſit.

126 Nemo ex iſtis, quos purpuratos vides, felix eſt,
non magis quàm ex illis, quibus ſceptrum,
& chlamydem in ſcena fabulæ adſignant.
Cum præſente populo elati inceſſerunt, &
cothurnati, ſimul exierunt, excalceantur,
& ad ſtaturam ſuam redeunt.

127 Quomodo fabula, ſic vita : non quamdiu, ſed
quàm bene acta ſit, refert : nihil ad rem per-
tinet, quo loco deſinas, quocunque vo-
les, deſine : tantùm bonam clauſulam im-
pone.

Nihil aliud eſt ebrietas, quàm voluntaria in- 128
ſania.

Apes in legendo debemus imitari, quæ vagan- 129
tur, & flores ad mel faciendum idoneos car-
punt : deinde quidquid obtulêre, diſpo-
nunt, ac per favos digerunt.

Leonibus Magiſter manum inſertat, oſcula- 130
tur Tigrim ſuus cuſtos, Elephantem mini-
mus Æthiops jubet ſubſidere in genua, &
ambulare per funem. Sic ſapiens eſt arti-
fex domandi mala. Dolor, egeſtas, car-
cer, exilium, & ubicunque horrenda, cum
ad hunc pervenere, manſueta ſunt.

Doces me, quomodo nervorum diſparem 131
reddentium ſonum, fiat concordia. Fac
potiùs, quomodo animus ſecum meus con-
ſonet, nec conſilia mea diſcrepent.

Plus ſcire velle, quàm ſit ſatit, intemperantiæ 132
genus eſt.

Srude non ut plus alijs ſcias, ſed ut melius. 133

Sub auro, atque marmore ſervus habitat. 134

Diogenes cum vidiſſet puerum cava manu a- 135
quam bibentem, fregit protinus exemptum
è perula calicem hac obiurgatione ſui :

Quamdiu homo ſtultus ſupervacuas ſarcinas 136
habui?

Simplici curâ conſtant neceſſaria : in delicijs 137
laboratur.

Nos omnia nobis difficilia facilium faſtidio fe- 138
cimus.

Sollicitudo nos in noſtra purpurâ verſat, & 139
acerrimis excitat ſtimulis : mollem ſomnum
illis dura tellus dabat.

Non impendebant cælata laquearia ; ſed in a- 140
perto jacentes ſidera ſuperlabebantur, &
inſigne ſpectaculum noctium, mundus in
præceps agebatur, ſilentio tantùm opus du-
cens, tam interdiu illis, quàm noctu, pate-
bat proſpectus huius pulcherrimæ domûs.

Quid enim eſt, quod non fornma cùm voluit, 141
& florentiſſimo detrahat? quod non eò ma-
gis aggrediatur, & quatiat, quò ſpecioſiùs
fulget.

Non ut diu vivamus, curandum eſt, ſed ut ſa- 142
tis : nam ut diu vivas Fato opus eſt ; ut ſa-
tis, animo.

Quid illum octoginta anni juvant, per inerti- 143
am exacti? non vixit iſte, ſed in vita mora-
tus eſt.

Nulla res magis animis honeſta induit, dubióſ- 144
que & in pravum inclinabiles revocat ad
rectum, quàm bonorum virorum converſa-
tio. Paulatim enim deſcendit in pectora,
& vim præceptorum obtinet, frequenter
audiri, adſpicis frequenter.

Minuta quædam, ut ait Phædon, animalia, 145
cum mordent, non ſentiuntur : adeo tenuis
illis, & fallens in periculum vis eſt. Idem
tibi in converſatione virorum ſapientium e-
veniet : non deprehendas, quémadmodum,
aut quando, tibi proſit : profuiſſe deprehen-
des.

Non erubeſcimus ſumma apud nos habere, quæ 146
fuerunt ima terrarum.

146 Si via exercere tibi utile, virtutem cole, ſubmo-
ve vitia.

147 Ex vino pallor, & nervorum madentium tre-
mor, & miſerabilior ex cruditaribus, quàm
ex ſame macies. inde incerti labantium pe-
des, & titubatio.

148 Inde ſuffuſio luridæ bilis, & decolor vultus, la-
béſque in ſe putreſcentium, & retorti digi-
ti. Articulis obrigeſcentibus nervorum ſine
ſenſu jacentium torpor, aut palpitatio ſine
intermiſſione vibrantium.

149 Quid dicam capitis vertigines? quid oculorum,
auriúmque tormenta, & cerebri æſtuantis
verminationes?

150 Innumerabiles morbi, ſupplicia luxuriæ.

151 Multos morboa multa fercula fecerunt.

152 Vide quantum rerum per unam gulam tranſi-
turarum permiſceat luxuria, terrarum, ma-
riſque vaſtatrix.

Innumerabiles morbos mirare? coquos nu-
mera.

153 Homo ſacra res; homo jam per luſum, & jo-
cum occiditur.

154 Omnia ad quæ gemimus, quæ expaveſcimus,
tributa vitæ ſunt.

155 Veſicæ te dolor inquietavit: epulæ fuerunt pa-
rum dulces. quid tu, neſciebas hæc te op-
tare, cum optares ſenectutem? Omnia iſta
in longâ vitâ ſunt, quomodo in longa via, &
pulvis, & lutum, & pluvia.

156 Mortale eſt omnium mortalium bonum.

157 Singula vicêre jam multi: ignem Mutius, cru-
cem Regulus, venenum Socrates, exilium
Rutilus, mortem ferro adactam Cato. Et
nos vincamus aliquid.

158 Reſpice celeritatẽ rapidiſſimi temporis: cogita
brevitatem huius ſpatij, per quod citatiſſimi
currimus.

159 In tanta volutatione rerum humanarum nil
cuiquam, niſi mors certum.

160 Quàm ſtultum eſt, ætatem diſponere? ne cra-
ſtino quidem dominamur. ô quanta demen-
tia eſt, ſpes longas inchoantium.

161 Qui quotidie vitæ ſuæ ſummam manum im-
poſuit, non indiget tempore.

152 Mi Luculi; propera vivere: & ſingulos dies,
ſingulas vitas puta.

163 Invenitur aliquis, qui malit inter ſopplicia
tabeſcere, & perire membratim, & toties
per ſtillicidia amittere animam, quàm ſemel
exhalare?

164 Peregrinatio notitiam dabit gentiom, novas
tibi montium formas oſtendet, inuſitata ſpa-
tia camporum, & irriguas perennibus aquis
valles. Cæterùm neque meliorem facier,
neque ſaniorem.

165 Optimum eſt pati, quod emendare non poſſis,
& Deum ſine murmuratione comitari.

166 Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

167 Hic eſt magnus animus, qui ſe Deo tradidit.

168 Quemadmodum ex amphora primum, quod
eſt ſinceriſſimum effluit, graviſſimum quod-
que turbidúmque ſubſidit: ſic in ætate no-
ſtra, quod optimum, in primo eſt.

169 In eodem prato bos herbam quærit, canis le-
porem, ciconia lacertam.

Ubi luxuriam latè felicitas fudit, cultus pri- 170
mùm corporum eſſe diligentior incipit. De-
inde ſupellectili laboratur. deinde in ipſas
domos impenditur cura, ut in laxitatem cu-
ris excurrant, ut parietes aduectis trans Ma-
ria marmoribus fulgeant, ut tecta varientur
auro, ut lacunaribus pavimentorum reſpon-
deat nitor. Deinde ad cœnas lautitia tranſ-
fertur, & illic commodatio ex novitate &c.

Adſpice culinas noſtras, & concurſantes inter 171
tot ignes coquos noſtros: unum videri pu-
tas ventrem, cui tanto tumultu comparatur
cibus?

Nihil æquè tibi profuerit ad temperantiam 172
omnium rerum, quàm frequens cogitatio
brevis ævi.

Majore tormento pecunia poſſidetur, quàm 173
quæritur.

Vitia noſtra, quia amamus, defendimus; & 174
malumus excuſare iſta, quàm excutere.

Quid mihi profuturum eſt ſcire, an aliud ſit 175
ſapientia, aliud ſapere? potiùs id age, ut mi-
hi viam monſtres, quâ ad iſta perveniam
hæc eſt ſapientia, hoc eſt ſapere non diſpu-
tatiunculis inanibus ſubtilitatem vaniſſi-
mam agitare.

Eſurio: edendum eſt. utrum hic panis ſit ple- 176
beius, an ſiligineus ad naturam nihil perti-
net. Illa ventrem non delectari vult, ſed
impleri.

Utrum ſit aureum poculum, an cryſtallinum, 177
an murrhinum, an Tiburtinus calix, an
manus concava, nihil refert.

Poſt Darium, & Indos, pauper eſt Alexander 178
M. quærit, quod ſuum faciat, ſcrutatur
Maria ignota, in Oceanum mittit claſſes
novas.

Nunquam magis divinus es, quàm cum mor- 179
talitatem tuam cogitas.

Quotidie propius ab ultimo ſtamus, & illò, 180
unde nobis cadendum eſt, hora nos omnia
impellit.

Maximum indicium malæ mentis eſt fluctu- 181
atio, & inter ſimulationem virtutum, amo-
rèmque vitiorum aſſidua jactatio.

Non vides, quàm nulli mortalium imitabilis 182
ſit illa araneæ textura? quanti operis ſit fila
diſponere? alia in rectum immiſſa firma-
menti loco, alia in orbem currentia ex den-
ſo rara, quæ minuta animalia velut retibus
implicata teneant?

Turpis qui alto ſole ſemiſomnis jacet, cujus vi- 183
gilia medio die incipit, & adhuc multis hoc
antelucanum eſt.

Sunt qui officia lucis, noctiſque pervertunt: 184
diducunt oculos heſternâ graves crapulâ,
quam appetere nox cepit.

Circumſcribatur nox, & aliquid ex illa in 185
diem transferatur. Aves, quæ conviviis
comparantur, in obſcuro continentur: ita
ſine ulla exercitatione iacentibus, tumor pi-
grum corpus invadit, & ſuper membra iners
ſagina ſuccreſcit. Ita iſtorum corpora qui
ſe tenebris dicâverunt, fœda viſuntur.

Iſti non videntur tibi contra naturam vivere, 186
qui jejuni bibunt, qui vinum recipiunt inani-

bus venis, & ad cibum ebrij tranſeunt?

188 Magna pars libertatis eſt bene moratus venter, & contumeliæ patiens.

18⁊ Nemo eſt caſu bonus: diſcenda virtus eſt. Voluptas humilis res, & puſilla eſt, & in nullo habenda pretio communis cum brutis animalibus, ad quam minima, & contemptiſſima advolant.

190 Quid excolis formam? cum omnia feceris, à multis animalibus decore vinceris. Quid capillum ngenti diligentia comis? cum illum vel effuderis more Parthorum, vel Germanorum modo vinxeris, vel ut Scythæ ſolent, ſparſeris: in quolibet equo denſior jactabitur juba, horrebit in leonum cervice formoſior; cum te ad velocitatem paraveris, par lepuſculo non eris.

19ı Ego tibi monſtrabo amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine ullius veneficæ carmine. Si vis amari, ama.

192 Noli huic tranquillitati confidere, momento mare vertitur. eodem die, ubi luſerunt navigia, ſorbentur.

193 Unum exemplum aut avaritiæ aut luxuriæ mali facit multũ. Convictor delicatus paulatim enervat, ac mollit. Vicinus dives cupiditatem irritat: malignus comes quamvis candido, & ſimplici rubiginem ſuam affricuit.

194 Quemadmodum in nave, quæ ſentinam trahit, uni rimæ, aut alteri obſiſtitur, ubi pluribus locis laxari cepit, & cedere, ſuccurri non poteſt navigio dehiſcenti. Ita in ſenili corpore aliquatenus imbecillitas ſuſtineri, & fulciri poteſt: ubi tamen in putri ædificio omnis junctura dilabitur, & dum alia excipitur, alia diſcinditur, circumſpiciendum eſt, quomodo exeas.

195 Non eſt admirationi una arbor, ubi in eandem magnitudinem tota ſylva ſurrexit.

196 Nec reijcit quemquam Philoſophia, nec eligit; Patritius Socrates non fuit. Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus. Platonem non accepit nobilem Philoſophia, ſed fecit.

197 Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus: animus facit nobilem, cui ex quacunque conditione ſupra fortunam licet ſurgere.

198 Alexander in india: Omnes, inquit, me Jovis eſſe Filium dicunt, ſed vulnus hoc hominem me eſſe clamat.

199 Talis eſt ſapientis animus, qualis mundi ſtatus ſuper lunam: ſemper illic ſerenum eſt.

200 Nulla res citius in odium venit, quàm dolor: qui recèns, conſolationem invenit, & aliquos ad ſe ducit: inveteratus verò deridetur.

201 Epicurus ait: ſapientem, ſi in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum: dulce eſt, & ad me non pertinet.

202 Vitia latronum more in hoc nos amplectuntur, ut ſtrangulent.

203 Inexorabili lege Fata nos conſtringunt.

04 Generoſos animos labor nutrit.

05 Non refert quàm multos; ſed quàm bonos habeas libros.

Nihil eſt, quod non expugnet pertinax opera, 204
& intenta cura. Robora quamvis in rectum
flexa, recurvabis. Curvatas trabes calor
explicat.

Virtuti ire retrò non licet. 206

Nihil facilius, quàm amor recrudeſcit. 208

Tamdiu diſcendum eſt, quamdiu neſcias, & 209
quamdiu vivas.

Otium ſine litteris mors eſt, & hominis vivi 210
ſepulturâ.

Nihil carius æſtimamus, quàm beneficium 211
quamdiu petimus: nihil vilius, cum accepimus.

Nullum eſt odium pernicioſius, quàm benefi- 212
cij violati pudere.

Animus niſi purus, & ſanctus ſit, Deum non 213
capit.

Satius eſt ſupervacua ſcire, quàm nihil. 214

Nihil proficient præcepta, quamdiu menti 215
error offuſus eſt.

Non pronum tantùm iter eſt ad vitia, ſed præ- 216
ceps.

Plus dolet, quàm neceſſe eſt, qui ante dolet, 217
quàm neceſſe eſt.

Securitatis magna portio eſt, nihil iniqui fa- 218
cere.

Inſpice ac diſcas ſub iſta tenui membranâ di- 219
gnitatis, quantum mali lateat.

Non eſt ornamentum virile concinnitas. Bra- 220
cteata felicitas.

Non ſunt vulnere impreſſo ſcrutanda præcor- 221
dia.

Zenonem, & Chryſippum dicimus majora egiſ- 222
ſe, quàm ſi exercitum duxiſſent, geſſiſſent
honores, leges tuliſſent, quas non uni civitati, ſed toti humano generi tulerunt.

Mindyridem aiunt fuiſſe, ex Sibaritarum civi- 223
tare: qui quum vidiſſet fodientem, & altius raſtrum elevantem, laſſum ſe fieri queſtus, vetuit illum, opus in conſpectu ſuo facere. Idem ſæpius queſtus eſt, quod folijs
roſæ duplicatis incubuiſſet.

Marcet ſine adverſario virtus. Tunc apparet, 224
quanta ſit, quantum valeat, polleátque,
cum quid poſſit, patientia oſtendit.

Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil un- 225
quam aliquid evenit adverſi. Quantò plus
tormenti, tantò plus erit gloriæ.

Tempera te tempori, & vive ut vivas; ſeu ita 226
vivas, ut non te pœniteat vixiſſe.

Omnes eodem cogimur. Fata manent om- 227
nes.

Quid non auro pervium?

Conſcientia mille teſtes. 228

Fructus laboris Gloria. 229

Cunctos mots una manet. 230

Amant alterna Camenæ. 231

A Muſis tranquillitas. 232

233

PRO-

PROLEGOMENUM XIX.

Quomodo excerpta locanda ſint ſeriatim in proprias claſſes.

1 SElectiora, quæ ex probatis decerpuntur authoribus, nobisque poſſunt inſervire, noſtróque eſſe uſui, non temerè, ac confuſè ſine ordine, absque diſtinctione congerenda ſunt; ſed in ſuas proprias diſtribuenda claſſes, ut faciliora ſint inventu, quoties ijsdem opus habemus: idque nos edocent apes, à quibus in alueo mellario multæ cellæ conſtruuntur, ac conſtituuntur ex cera fabrefactæ ſenis angulis, ordine eleganti, ac diſtincto diſpoſitæ, ac ad certam normam dimenſæ, in quibus quæ per prata, ſylvas, flores, herbásque, ac arbores luxuriantes colligunt, recondunt, ac ſervant. Non quidquid floribus ineſt id appetunt, ac libant; ſed levi oſculo ne flori noceant ſugunt ſuccum ſubtiliſſimum, ac dulciſſimum, nõ deorum nectar ut nugantur Poëtæ; non cœli, ſyderúmque ſudorem, ut cenſet Plinius; ſed ut rectiùs ac veriùs putat Ariſtoteles aërei roris, perfectiſſimam portionem, ſeu dulciſſimũ ſuccum, quo cerulas replent: *ac liquido diſtendunt nectare cellas*, quo decocto purgatóque, mel maturum, & perfectum efficitur.

2 Id in apibus notatu dignum, quòd ex floribus, ad quos pernici volatu acceſſerint, non omnia temerè colligunt, ſed neceſſaria tantùm, quæque ijsdem poſſunt eſſe uſui. Studiis qui dant operam literarum neceſſe eſt, apes imitentur pluresque legant libros veluti flores, ex quibus ſelectiora, ac utiliora decerpant, ac in ſuas proprias adiſtribuant claſſes, quod factu optimum eſt, ut præſto ſint, quoties opus erit, ac faciliùs, promptiúsque repeţiantur: ait Seneca *Ne ſtudentes aliud, quàm, de quo agitur abducat nox; quæcunque ex diverſa lectione congeſſimus ſeparanda ſunt, quia melius diſtincta ſervantur* adhibitâ poſtea ingenij noſtri curâ, ex variis illis libamentis mellificium componitur orationis; & tunc aliena, noſtra facimus, quatenus alias ijsdem formas impertimur. Quod in noſtro agit natura ſtomacho; hoc neceſſe eſt noſtrum præſter ingenium. Alimenta quæ accepimus quandiu in ſua perſeverant in ſtomacho qualitate, oneri ſunt potiùs quàm refectioni, ſed cum ex eo quod erant, mutata ſunt, in ſanguinem tranſeunt, vires reficiunt, & totum corpus corroborant. Idem in his, quibus aluntur ingenia præſtemus; quæcunque hauſimus ex libris nõ patiamur integra eſſe, ne aliena ſint, ſed ut fiant noſtra, eadem digeramus immutemus, quò alias inducant formas, & in noſtri tranſeant ingenij fœtum.

3 Sunt excerpta, quibus intellectus fœcundatur, & ope ingenii, obſtetricante cura nobilliſſimos edit partus. Ut igitur decerpta per claſſes, veluti cellas penuarias diſtribuantur; factu optimum putârim ſi abecedario, ſeu alphabetico ordine dividantur: tunc literam initialem adeuntes veluti cellam ingredimur penuariã refectã omnibus, quæ nobis poſſunt uſui eſſe; adeo ut ſi de amore occurrat diſſertatio litera A veluti promus-condus nobis exhibeat quidquid de Amore ab authoribus decerpſimus. Nec abs re fore duxi in commodum ſtudioſi oratoris, ac eloquentiæ candidati, quæ antehac congeſſeram, & ordine alphabetico diſtribueram, hic ſubijcere.

Abſtinentia.

Cibus ita ſumendus; ut vires reficiantur, non opprimantur. 4

Mater ſanitatis eſt abſtinentia, mater ægritudinis repletio, & voluptas; ſine pane & vino friget Venus: & à Patre Libero ad inconceſſam Venerem gradus eſt proximus *D. Hieronim. in epiſt.* 5

Quid prodeſt tenuari corpus abſtinentiâ, ſi animus intumeſcit ſuperbiâ? Quid virtutis habet vinum non bibere, & odio inebriari? *D. Hieron. epiſt. ad Celantium.* 6

In caſſum per abſtinentiam corpus atteritur ſi inordinatis motibus mens vitiis diſſipatur. *Gregor. in Paſtorali.* 7

Abſtinentia eſt, quæ edendi horam non prævenit, ut fecit Jonathas in fauo mellis; non lautiora quærit edere, ut Iſraelitæ in deſerto; non accuratius parare, ut filij Eli in Silo; non ad ſuperfluitatem, ut Sodomitæ; non vile quodlibet ut Eſau edulium in fame concupiſcit *Gregor. in homil.* 8

Qui cibis abſtinent, & mala agunt dæmones imitantur, quibus culpa adeſt, & cibus deeſt. *Iſidor. ſuper Amos proph.* 9

Ciborum ſaturitas carnis luxuriam ſuſcitat, edacitatis vitio crevit carnis tentatio. Saturitati ſemper libido adjuncta eſt *Iſidor. 2. l. Soliloq.* 10

Abſtinemus magis propter ſanitatem, quàm propter beatitatem. *Chryſoſt. ſuper Matthæum homil, 32.* 11

De abſtinentia prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles virtutes, ſalubria conſilia, & per voluntarias afflictiones caro concupiſcentiis moritur, & virtutibus ſpiritus innovatur. *Leo Papa ſerm. de jejuno dec. menſ.* 12

Non ſolùm crapula vini mentem inebriare conſuevit, verùm etiam cunctarum eſcarũ nimietas vacillantem, ac nutabundam eam reddit omnique integritatis, ac puritatis contemplatione diſpoliat. *Caſſian. Inſtit. Monac.* 13

Abſtinentia libidinum motus compeſcit, & cupiditatum Laſciviam coërcet. 14

Multi magni morbi abſtinentiâ curantur. *Seneca.* 15

M. cato dixit: unum Cæſarem ad evertendam rempublicam non ſobrium acceſſiſſe. 16

Marcellinus ſcribit, Conſtantinum Imperatorem nunquam guſtâſſe pomum, nunquam nares in publico abſterſiſſe, nunquam ſpuiſſe. 17

Anacharſis apud Ciceronem ajebat: mihi pulmentum ſedat famem, cubile eſt ſolum, veſtis Scitarum tegmen. 18

Panem & aquam natura deſiderat: nemo ad hæc pauper eſt. *Seneca.* 19

Una Hannibalem hyberna ſolverunt, & indo- 20

indomitum illum nivibus, atque alpibus
virum eneruârunt fomenta Campaniæ, armis
vicit, vitiis victus eſt *Seneca.*

21 Saturitas rationi inimica impedit concilium,
ac mentis perſtringit oculos, nec habet ul-
lum cum virtute commercium. *Cicer.*

22 Bonæ valetudinis mater eſt frugalitas.

23 Multos morbos fercula multa ferunt. Innu-
merabiles morbos, innumerabiles coquos
numera. *Seneca ad Lucilium.*

24 Subtilitas animi, mentisque acies ciborum co-
piâ hebetatur. *Senec. epiſt 92.*

25 Alphonſus rex cum fugato Jacobi Candeolæ
exercitu ſine tentorio, & commeatu perno-
ctare frigido ſub dio cogeretur: & Joannes
Eſenitanus Alphonſi Studioſus raphanum
unum in tam magna militum inopia, & pa-
nem unum cum dimidio caſeoli Balearici re-
gi miſiſſet: recuſavit hic; inquiens non de-
cere impetatorem iejuno exercitu comede-
re *Panor lib. 3. de rebus geſt. Alphonſ.*

26 *Julianus Imperator* Eunuchos, coquos, & ton-
ſores eiecit è palatio, dicens non indigere
Eunuchis cum uxor deceſſiſſet, neque co-
quis opus eſſe cum ſimpliciſſimis cibis veſce-
retur, nec tonſoribus, quia unus ſufficeret
Eras. lib. 8. ada.

27 Plures occidit gula, quàm gladius.

28 *Rodolphus Imperator* in bello contra Ottocarum
Bohemiæ regem, cum ſiti laboraret, & ru-
ſticus hydriam ſicera plenam meſſoribus
deſtinatam ei obtuliſſet; juſſit vas deferri
meſſoribus inquiens non mihi, ſed meo e-
xercitui ſitiebam, cujus ſiti extinguendæ ob-
lata ſicera minimè ſufficit: ſicque ſua abſti-
nentia exercitum ad ſitis tolerantiam flexit
*Æneas Sylvius lib. 3. comment. in res geſtas Al-
phonſi.*

29 *Zeno Philoſophus* crudis duntaxat veſcebatur, &
pallium pertenue ferebat, aqua ſitim ex-
tinxit, ut diſcipulos ſuos exemplo fortiùs,
quàm verbis ad temperantiam invitaret:
hinc in adagium abiit Zenone temperantior.

30 *Socrates* minimo vivebat ſumptu, ſolo pane, &
frigida, vel modico lactis contentus.

31 *Demetrius Cidonius* vir græcus tanta fuit abſti-
nentia ut jejunium ad quatuor, vel quin-
que protraheret dies nullo obſonio in ſtoma-
machum demiſſo, nullòque liquore inſtil-
lato.

Apud Romanos vinum Bibere ante annum tri-
geſimum vitis erat criminoſum; ſervis pe-
nitus interdictum.

33 *S. Hilarius* modicis ficubus aridis, & exiguo
pane decrepitam fovit ſenectam. *Otho magnus
Imperator* cum Hungaris conflicturus jejuni-
um in caſtris indixit, & jejunio armatus ad-
verſarios vicit, proſtravit.

34 *S. Fulgentius* epiſcopus Ruſpenſis nulla unquam
neceſſitate adduci potuit, ut carnes come-
deret, & vinum biberet.

35 *S. Jacobus Minor* vinum, aut ſiceram non bibit,
carnes nunquam manducavit, nec oleo un-
ctus fuit, nunquam uſus balneo, nunquam
novaculâ uſus.

36 *Plato* ſæpius ſiti laborans è puteo hauriebat
aquam, quam iterum effundebat, ut cupi-
ditatem caſtigaret.

Acceptio Perſonarum.

Eſt perſonarum acceptio injuſtitia, quâ per- 1
ſona nullius, vel minoris meriti, alteri
præfertur majoris meriti, & quæ propterea
præferenda eſſet ex juſtitia, Hinc *D. Tho-
mas 22. q. 63. art. 4.* docet, acceptionem per-
ſonarum eſſe inæqualitatem juſtitiæ diſtri-
butivæ in quantum aliquid attribuitur alicui
præter proportionem.

D. Augnſt. in ſerm. Abſit Domine, ut in taber- 2
naculo tuo præ pauperibus accipiantur per-
ſonæ divitum; ac præ ignobilibus nobiles,
quando potius infirma mundi elegiſti, ut
confunderes fortia.

D. Ambroſius lib. 2. de offic. In judicio gratia abſit, 3
cauſæ merita diſcernantur.

D. Gregor. homil. 4. Moral. Judicare dignè de ſub- 4
ditis nequeunt, qui in ſubditorum cauſis non
merita, ſed odium, vel gratiam conſequ-
untur.

S. Iſidorus lib. 4. de ſummo bono. Iudices iniqui er- 5
rant à veritate ſententiæ, dum intendunt
qualitatem perſonæ, & exulcerant ſæpe iu-
ſtos, dum improbè defendunt iniquos. *ibid.*
dives citò muneribus corrumpit judices:
pauper autem, dum non habet quod offerat,
nō ſolùm audiri contemnitur, ſed etiam con-
tra veritatem opprimitur.

Innocentius lib. de vilitate conditionis humanæ. Vos 6
non attenditis merita cauſarum ſed, quali-
tates perſonarum: non jura, ſed munera:
non quod ratio dictat: ſed quod voluntas af-
fectat; non quod mens ſentit, ſed quod deſi-
rium capit: non quod licet, ſed quod libet.

Interrogatus *Solon* quid eſſet lex? reſpondit: 7
Araneæ telæ; quia ſi in eam inciderit quid debi-
le, retinetur: grave autem pertranſit telâ re-
ſciſſâ *Laërt Diog. de vita Philoſophorum.*

Xenocrates videns quemdam latronem duci ad 8
patibulum ſubriſit inquiens. Magni fures,
minores morte damnant.

Viri probi, juſtitiæ addicti à perſonarum ac- 9
ceptione abhorruerunt, & principes ipſos
redarguerunt erratorum, ac ſcelerum *1. Reg.
c. 18. v. 17.* Elias increpat Achabum ob ſibi
uſurpatam Nabothi vineam. *2. Reg. c. 1.
v. 12.* Eliſæus acriter reprehendit Joramum
ab exercitam impietatem. *2. Reg. 12. v. 1.*
Nathan regem Davidem increpat ob patra-
tum cum Berſabea adulterium, ac juſſum
Uriæ homicidium, cuius innocenti ſangui-
ne ſe polluit, & ad reſipiſcendum pertra-
xit. Iſaias, Ieremias, Ezechiel populi Ju-
daici, Magnatum, Principum, ac regum ſce-
lera accuſant, redarguunt, damnant absque
ulla perſonarum acceptione, & delinquen-
tibus principibus Dei comminationes de-
nuntiant intrepidi. Daniel Nabuchodono-
ſoris, & Balthaſaris, regum Babiloniæ ſce-
lera graviter arguit. Oſeas, Amos, Mi-
chæas, Nahum, Sophonias acerbiſſimis re-
prehenſionibus absque perſonarum acce-

ceptio-

ceptione errantes principes increpârunt. Joannes Baptiſta in Aula Herodis non timuit redarguere regem ipſum, eique dicere non licet tibi habere uxorem fratris tui. *Marc. c. 6. v. 16.*

10 *Papinianus* ab Imperatore Caracalla juſſus parricidium Getæ fratris in ſenatu, & apud populum diluere recuſavit, dicens, Non tam facilè parricidium excuſari poſſe, quàm patrari.

11 *Trajanus Imperator* renunciato Tribuno militum diſtrictum enſem ei porrexit, inquiens: cape ferrum hoc; & ſi rectè imperium geſſero, utere pro me: ſin aliter contra me. Dion in Trajano. Qui etiam refert de muliere urgente Trajanum ut ipſam audiret, Imperatori recuſanti aures dare reſpondiſſe: ſi non vis audire, noli imperare: quo audito Trajanus mulierem patienter audivit, ejúſque cauſam cognovit.

12 *Themiſtocles* Simonidi Poëtæ quidquam poſtulanti præter æquitatem reſpondit. Neque tu bonus Poëta eſſes, ſi modos contemneres, & numeros inter canendum: neque ipſe bonus prætor, ſi gratiam amici legibus præferrem. *Plutarc. in Themiſt.*

13 *Brutus Conſul, & Manlius Torquatus* liberorum ſuorum perſonas noluerunt reſpicere, imò capite multârunt, ut patriæ libertatem conſervarent. *Valer. Max. l. 5. c. 8.*

14 *Seleucus Locrenſis* cum legem tuliſſet de adultero excæcando, & ejus filius fuiſſet in adulterio deprehenſus, roganti populo pro venia reſpondit, ſancitam legem non violabo, ſed pœnam dividam, & ſe uno, & filium altero oculo privavit.

Accuſatio.

1 Eſt accuſatio apud Judicem, vel alium, oſtenſio aliquem peccâſſe, & in cauſam tractio: hinc accuſator dicitur quaſi adcauſator, quia ad cauſam vocat eum, quem accuſat coram Judice, & criminalem quæſtionem movet.

2 Judicio circumveniſſe aliquem, eſt citare aliquem coram Judice. Accuſatores multos eſſe in civitate utile eſt. Cicero.

3 *Demoſthenes* juſſus ab Athenienſibus, ut quendam accuſaret, recuſavit. Sed facta in eum acclamatione ſurgens dixit: vos me viri Athenienſes Conſultorem habebitis, calumniatorem verò ne ſi velitis.

4 Carbone, vel creta notare uſurpatur in judicio. Tunc cretâ notamus aliquem, quando illius ſententiam approbamus; carbone verò cum condemnamus. Pythagoras ajebat id, quod eſſet candido colore ad boni naturam pertinere; quod atro ad malum

Horat. *Hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.*

& Perſius *Illa prius creta, mox hæc carbone notâſti.*

5 Fauſta, & felicia, quæ contingunt, unione dicuntur ſignari. Conſueverant veteres ſingulos dies ſignare miſſis in urnam calculis. Quem arbitrabantur proſperum abjiſſe candido calculo, aut creta notabant. quem egregiè felicem unione, qui inauſpicatus erat nigro ſignabatur lapillo.

Carere debet omni vitio, qui paratus eſt in alterum dicere. *Cic. in Salluſt.* 6

Danda eſt opera, ne quid contra æquitatem contendas, ne quid pro injuria. *Cicer. 2. offic.* 7

Innocens, ſi accuſatus ſit, abſolvi poteſt: nocens, niſi accuſatus fuerit, condemnari non poteſt. *Cic. pro Roſcio.* 8

Nihil eſt tam inhumanum, quàm eloquentiam à natura ad ſalutem hominum, & conſervationem datam in bonorum perniciem convertere. *Cic. 2. de offic.* 9

M. Craſſus cum levi de cauſa nunc accuſator, nunc patronus in una, eadémque cauſa eſſet. Sicinius homo mordaciſſimus interrogatus, cur Craſſum ob id non reprehenderet? non facio, inquit: quandoquidem fœnum in cornu habet. *Bruſonius lib. 1. cap. 16. ex Plutarc.* 10

Tiberius Cæſar causâ quæſtus tantùm delatoribus tribuit, ut nemini fidem abrogaret, ſive quid veri, ſive vani referret. 11

Vitelius Imper. delatos Mathematicos inauditos capite punivit. 12

Domitianus dum rapinis intendit omnium; ita aures delatoribus patefecit, ut nihil cuiquam tutum eſſet. 13

Conſtantinus Imperator delatores omni tempore admiſit, eóſque ingenti ſtudio fovit. 14

Ariſtagiton Athenienſis cum à lictoribus per tormenta torqueretur, ut conſcios proderet: conſciorum neminem indicavit; omnes verò amicos Hippiæ participes inſidiarum eſſe dixit; cum hos morte mulctâſſet Hippias tyrannus; tum Ariſtagiton amicorum ſtratagemata ei exprobravit. *Pollianus lib. 1.* 15

Acedia.

Eſt acedia ex D. Thoma *2. 2. q. 35.* Tædium bene operandi, & triſtitia de re ſpirituali: vel receſſus mentis à bono ſpirituali divino, cui oportet mentem inhærere & neceſſitare. Unde acedia eſt remiſſio animæ, & reſolutio mentis, puſillanimitas exercitationis, odium profectionis. 1

Acedia *ex Cic. lib. Tuſcul. quæſt.* eſt pigritia, & inertia, & fatigatio animi, quâ quis bonum inchoatum faſtidit. 2

Nemo ſecurus eſſe debet in hac vita, quæ tota tentatio nominatur, ut qui potuit fieri ex deteriore melior; non fiat ex meliore deterior. *Auguſtin. Confeſſ. lib. 10.* 3

Facito aliquid opereris, ut ſemper diabolus inveniat te occupatum. *Hieron. ad Ruſtic. Monach.* 4

Per torporem vires, & ingenium defluunt. *Iſid. lib. 2. Soliloq.* 5

Fugienda eſt accedia mater nugarum, noverca virtutum. Quæ inter ſæculares ſunt nugæ, in ore ſacerdotis blaſphemiæ ſunt. *S. Bern. lib. 2. de conſiderat.* 6

Non

7 Non dormientibus pervenit regnum cœlorum, nec otio, ac deſidiâ torpentibus beatitudo æternitatis repromittitur. *S. Leo ſerm. de Apparit.*

8 Quid facis in paterna domo delicate miles? ubi vallum? ubi foſſa? ubi hyems acta ſub pellibus. Ecce de cœlo tuba canit: ecce cum nubibus debellaturus orbem imperator armatus egreditur; ecce bis acutus gladius ex regis ore procedens, obvia quæque metit: & tu mihi de cubiculo ad aciem, tu de umbra egrederis ad ſolem? corpus aſſuetum tunicis, armorum onus non fert. Pectus ſericis veſtitum ferreæ loricæ non patitur duritiem. Caput opertum linteo, galeam recuſat. Mollem otio manum durus exaſperat capulus. *D. Hieron. epiſt. ad Heliod.*

9 Summam lætitiam, atque laſciviam diuturna quies comparat. *Salluſt. in Catil.*

10 Sicut in unoquóque opere mater invenitur conſtantia: ita univerſæ doctrinæ, ac diſciplinæ noverca eſt negligentia. *Boetius de ſcholaſtica diſciplina.*

11 *Beda* expendens illud proverb. *vult, & non vult piger*, ait: Pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum Deo, & non laborare pro Deo: delectant præmia, cum pollicentur: deterrent certamina, cum jubentur.

12 Generoſos animos labor nutrit *Senec. epiſt. 30.* Nullus mihi per otium dies exit. Partem noctium ſtudijs vendico. Non vaco ſomno, ſed ſuccumbo, & oculos vigiliâ fatigatos, cadentésque in opere detineo. *Senec. epiſt. 8.*

13 *Demetrius* vitam ſecuram, & ſine ullis fortunæ incurſionibus mare mortuum vocat. In otio inconcuſſo jacere non eſt tranquillitas, mallacia eſt. Attalus Stoicus dicere ſolebat: malo ut me fortuna in caſtris, quàm in delicijs habeat. *Seneca epiſt. 68.*

14 Luxurioſo fragilitas pœna eſt: pigro ſupplicij loco labor eſt: delicatis miſeria eſt: deſidioſo ſtudere torqueri eſt. *Senec. epiſt. 27.*

Adjuvare.

1 Opem inopi ferre. Inſontibus opitulari. Auxiliatricem manum alicui præbere. Indigentibus auxiliari. Suppetias petentibus ferre. Alienas miſerias levare. In partem ærumnarum venire. Sublevare alicujus calamitates. Dare alicui operam adjutabilem.

2 Priſci homines Jovem cognomento *opitulum* coluerunt, quod opem indigentibus ferret. Opem quóque Deam venerati ſunt, quòd ipſius ope, atque auxilio vita conſtet.

3 Ego novus Hercules ſolvam hunc Prometheum? *Lipſius.*

4 Aſylum, profugium alicui eſſe. Arcem, turrim, præſidium clypeum, alicui ſe exhibere.

5 Nihil ſic probat amicum, ſicut onera amici portare. *Auguſt. de verb. Domini.*

6 Nil tam ſecundùm naturam eſt, quàm juvare conſortem naturæ. *S. Ambroſ. de offic.*

7 Qui à potentiori vult adjuvari; adjuvet inferiorem, ſi eſt ipſe potentior. *Auguſt. de ſerm. in monte l. 1.*

Illis favemus ſæpiùs, à quibus referendæ gra- 8
tiæ vicem ſperamus. *Ambroſ. de offic. l. 3.*

Cum quis in puteum cecidiſſet, & aquis ſuf- 9
focaretur; acceſſit alius, qui eo viſo admirans interrogavit, quomodo illuc cecidiſſet: cui lapſus: obſecro, cogita quomodo hinc me liberes; non quomodo hinc ceciderim quæras. *Auguſt. epiſt. ad Hieron.*

Qui ſuccurrere perituro poteſt, cum non ſuc-
currit, occidit. *Senec. de Proverb.* 10

Homo in adjutorium mutuum generatus eſt.
Seneca lib. de ira. 11

Rectè feciſſe facti merces eſt. *Senec. 82. epiſt.*

Succurrere paupertati amicorum ſtude; imò 13
potiùs occurrere. *Senec. in Moral.* 12

Alteri vivas oportet, ſi tibi vis vivere. *Senec.*
epiſt. 43. 14

Oleum pietatis quantò copioſiùs in fraternas
neceſſitates effunditur, tantò donis potio- 15
ribus augmentatur.

Admonitio.

Admoneri bonus gaudet: peſſimus quisque 1
correptorem aſperrimè patitur. *Seneca.*

Omnes cum valemus recta conſilia ægrotis da- 2
mus. Thales rogatus, quid eſſet facile? alterum ait admonere. *Eraſm. lib. 7. apophg. ex Laertio.*

Qui tulit cenſuram ex amicitia, pulcherri- 3
mum ejus uſum tulit. *Lipſius.*

Animi firmitate, & cupiditatum diminutione 4
verba rebus proba. *Seneca.*

Urgere aliquem calcaribus, eſt pervicacem re- 5
darguere. Proba indoles non eſt urgenda calcaribus. Aculeis admonitionum aliquem pungere, eſt aliquem acriter corrigere. Stimulos exhortationis adhibere; eſt aliquem ad virtutum ſtudia hortari.

Maximum eſt officium ſapientiæ, ut verbis 6
opera concordent. *Seneca.*

Ne pugnes cum tempore, ſerva te ad meliora 7
fata

Cave ne quid labis, aut maculæ trahas ex cœ- 8
no juventutis maculoſæ. Fuge illos, fuge, qui liberioris vitæ obtentu ad licentiam trahunt, quæ eſt janua, & aditus ad omne ſcelus. *Lipſius.*

Quidam in publico geſtans longam trabem per 9
imprudentiam percuſſerat Diogenem; móxque ex more dixit cave. At Diogenes, Num vis me iterum percutere? Alium monendo ſocium, ut caveret, baculum impegit in caput, & poſt ictum adjecit cave; cum ante læſionem debuiſſet dixiſſe cave. *Laert. lib. 6.*

Cum Philippus rex Macedonum exercitum 10
duceret contra Bizantium; Leo Bizantinus obviam venit Philippo percunctans quid ipſi obtigiſſet, ut bellum Bizantio indiceret. Cui Philippus: ut tua patria civitas pulcherrima huc adducatur, ut intel-

ligat,

ſigat, ſe à me diligi, eóque ad fores amaſiorum meorum venio. Sed Philippo repoſuit Leo: atqui redamari cupiunt, haud quaquam cum gladijs venire conſueverunt ad fores amaſiorum. Amantes enim non egent bellicis inſtrumentis, ſed civilibus. Hoc dicto in adverſum flexo regis animo, patriam ſuam Leo liberavit. *Philoſtratus.*

11 Admonitio tempore opportuno facienda eſt: non enim equis in ipſo curſu frænum injicimus, ſed ante curſum: ita qui propenſi ſunt ad iram, aut libidinem, antea rationibus, ac monitis refrænandi ſunt, priusquam iraſcantur. *Plutarchus.*

12 Nutrices pueros lapſos non objurgant, ſed accurrentes erigunt, & poſtea erectos objurgant. Ita amicus, cum affligitur, adjuvandus eſt, ae erigendus, poſtea monendus, ac objurgandus, quòd vitio ſuo in eam calamitatem inciderit. *Plutarc.*

13 Sicut oculo lippienti non eſt lumen admovendum: ita nec animus affectu laborans admittit gravem monitionem, ſed potiùs lenimentum. *Plutarc.*

14 Salubria monita perinde ac pharmaca initio diſplicent; ſed poſtea placent, súntque jucundiſſima, eò quia ſalutem attulerint.

15 Medici vetant admoveri remedia, cum morbus in acceſſu eſt; ſed adhibent, cum ſe remiſit: ita ad primos illos iræ, aut doloris metus non eſt adhibenda admonitio; ſed alio tempore. *Seneca.*

16 Helleborum tametſi efficax, medici vetant dari ſenibus, aut pueris: ita admonitio ita temperanda eſt, ut ferre is poſſit, quem cupis emendare.

17 Herbæ quamvis ſalutares conſuetudine perdunt vim medendi: ita admonitio ſi aſſidua ſit, non emendat aſſuetum objurgationibus.

18 In agro Harmienſi teſte Plinio *lib. 31. c. 4.* terra imbre fit ſiccior, æſtu humeſcit; adeo ut anſam dederit Ciceroni jocandi, cum dixit: illic ex imbre pulverem, ex ſiccitate fieri lutum. Ita admonitio quosdam reddit deteriores.

19 Nonnulæ gemmæ aceto maceratæ immiteſcunt; pleræque melle decoctæ: Ita quosdam meliores reddit acris objurgatio, quosdam admonitio blandior.

Adverſitas.

1 Beátus qui corripitur à Domino *Job. 5.* mala non eſt, quæ à Deo adverſitas immittitur, quia malos ad ſaniorem trahens frugem, facit bonos, & hos meliores. Perſonata ſunt, quæ adverſitas mala fingit; ſub larva mali, fovent, quod prodeſt; & licèt in extima ſuperficie hominem miſerum oſtendant, non tamen faciunt.

2 Deus qui non poteſt errare in rerum delectu, adverſa immittit ſuis dilectis. Non ergo ſunt mala, quæ dat optimus ut bonos, vel meliores faciat.

Adverſitates ſunt bonorum perennium baſes, ac ſedes beatitudinis. 3

Vaſa figuli probat fornax, ac homines juſtos tentatio tribulationis. *Eccleſiaſt. 27.* 4

Adverſa, quæ à plebe inſipiente cenſentur mala, æternæ præludunt felicitati, ſi æquo animo tolerentur. 5

Nemo frangitur adverſorum moleſtiis, qui proſperorum delectatione non frangitur. *S. Aug. de verb. Domin. lib. 2.* 6

Ideo Deus felicitatibus terrennis amaritudinem miſcet, ut alia quæratur felicitas, cujus dulcedo noo eſt fallax. *Auguſtin. ſerm. 18. in Matth.* 7

Omnes qui ad paradiſum redire deſiderant, oportet tranſire per ignem, & aquam, ſive fuerit Apoſtolus, cui datæ ſunt claves regni cœlorum, ſive Paulus vas electionis, ſive Joannes, cui revelata ſunt ſecreta cœleſtia: neceſſe eſt, ut omnes dicant: per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. *Auguſt. ſerm. ad Lippium.* 8

Nullus hominum ſic juſtitia præditus eſt, cui non ſit neceſſaria tentatio tribulationis, vel ad perficiendam virtutem; vel ad confirmandam, ſeu approbandam. *Auguſt. contra Fauſt.* 9

Quis non tribulari velit? quis non deſideret maledici, ut mereatur cœleſti mercede remunerari? *S. Hieron. epiſt. ad Heliodorum.* 10

Paupertas, fames, dolor, quæ putantur mala, non ſolùm impedimenta non ſunt ad vitam beatam, ſed etiam ad meritum adjuvant: unde dicitur Beati pauperes ſpiritu. *Ambroſ. de offic.* 11

Juſtis ampliùs placet ex adverſitate mala perpeti, quàm ex proſperitate terrenæ diſpenſationis cura fatigari. *Gregor. lib. 7. moral.* 12

Ille verè patiens, qui licèt adverſis, conteratur, non tamen à ſuæ ſpei rectitudine curvatur. *S. Gregor. lib. 11. moral.* 13

Aurem cordis tribulatio aperit, quam ſæpe proſperitas hujus mundi claudit. *S. Greg. lib. 12. moral.* 14

De ſpe æternæ hæreditatis gaudium ſumunt, quos adverſitas vitæ temporalis humiliat. Quia non ſalvandos in perpetuum cerneret, ſi erudiendi ſub diſciplinæ regimine diſpenſatio oon frænaret. *D. Gregor. in Paſtoral. c. 51.* & expendens illud Job. 35. *Qui dedit carmina in nocte,* ait lib. 26. moral. Carmina in nocte eſt lætitia in tribulatione. 15

Semper Deus hîc hos vulnerat, quibus ſalutem perpetuam præparavit. *Iſid. lib. 1. Soliloq.* 16

Omnia adverſa æquo animo toleta. Dum tibi aliena pericula memoras, mitiùs portas tua. *Ibid.* 17

Caſſiodorus expendens illud pſal. *voluntariè ſacrificabo tibi,* ait: Voluntariè Deo ſacrificant, qui inter anguſtias paſſionum jugiter gratias agunt. 18

Demetrius Phalereus, nihil ſibi videri infelicius eo dicebat, cui nihil in vita unquam accidiſſet adverſi: quia oportet talem hominem, aut ſibi ignotum eſſe (ut qui nun-

quam ſui periculum fecerit) aut Dijs inviſum, ut quem præterjerint velut ignavum; nec idoneum ad fortunæ conflictus. *Braſon. l. 3.*

18 *Glimer* rex Vandalorum quum à Belliſario captus, & ad Juſtinianum perductus in Hippodromum perveniſſet, & tam Imperatorem in ſolio ſedentem, quàm undique vulgus adſtans intueretur ſubridens Salomonicum apophthegma ſubalta voce pronuntiavit. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Ni mirum ait Paulus Diaconus *lib. 6. Hiſtor.* Ejus oculos aperuit afflicta & adverſa fortutuna, quos operuerat propſpera.

19 Miſerum te judico, qui nunquam fueris miſer, ſi traxiſti ſine adverſario vitam. Nemo ſcit, quid potueris, neque tu qoidem ipſe. Opus enim eſt ad ſui notitiam experimento. Quid quisque poſſit, nonniſi tentando didicit. *Senec. de Provid.*

20 Magnanimi eſt neque ſecundis rebus inſoleſcere, neque dejici adverſis. *Cic. de offic.*

21 Darius pater Xerxis ajebat, ſe prælijs, ac rebus aſperis reddi prudentiorem, perinde ac crebris ignibus aurum redditur purius. *Xenephon.*

22 Ut arbores ventis agitatæ altiùs radices agunt: ſic boni in virtute magìs perficiuntur, impulſi aliquoties adverſitatum flabris

Adulatio.

1 Eſt adulatio ex D. Thoma *2. 2. quæſt. 115. art. 1.* exceſſus delectandi alios verbis, vel factis: is eſt adulator cum fallaci laude alios ſeducit: unde adulari eſt verbis blandis aliquem delinire; vel ſeducere aliquem phaleratis dictis. Vel auribus aliquid dare ad voluntatem, non ad veritatem. Unde ajebat ille. Peſſum me dediſti blandimentis tuis. Adulatores aures permulcent alijs, quos ad ſua vota trahant. Aſſentariunculæ retibus gratiam adnituntur aucupari alterius, quem blando ſermone deliniunt. Viri cordati non eſt blandicella verba dare.

2 Adulator dicitur palpator: inde palpum nonnulli pro blanditijs uſurpant. Palpo percurere, eſt plauſu blando manus tangere, & velut popyſmo. Popyſmata propriè dicuntur ea vocis blandimenta, quæ fiont equis indomitis, ut manuum tractatione cicurentur.

3 Sicut ſumenda ſunt amata ſalubria: ita ſemper vitanda eſt pernicioſa dulcedo *Aug. de Doct. Chriſti.*

4 Emolliri adulationibus non ſolùm fortitudinis non eſt; ſed ignaviæ eſſe videtur. *Ambroſ. lib. de offic.*

5 Beata mens, quæ nec adulatur aliquando, nec adulanti credit: quæ neque decipit alterum, nec decipitur. *Hieron. epiſt. ad Demetriadem.*

6 Levius non debet putari quod gladio minante, quàm quod lingua inſidiante committitur. *Aug. de Baptiſmo.*

Plus perſequitur lingua adulatoris, quàm ma- 7
nus interfectoris. *S. Aug. in Pſal. 69.*

Docuerunt linguam ſuam grandia loqui. cum 8
operentur exigua; largiſſimi promiſſores, & parciſſimi exhibitores, blandiſſimi adulatores, & mordaciſſimi detractores, ſimpliciſſimi diſſimolatores, & maligniſſimi proditores. *S. Bern. lib. 4. de conſider.*

Adulatores æmulantur chamaleontes excipi- 9
entes colores rerum omnium, quibus adhæſerint; ſiquidem adulatores induunt perſonam omnem incredibili commutationum varietate, ad omnem ſe notum, ac aliorum voluntatem accommodant.

Sicut finis oratoris eſt dictione perſuaſiſſe, ita 10
finis adulatoris ſuaviloquio decepiſſe. *Chryſoſt.*

Caſſiodor. expendens illud pſal. *oleam peccatoris* 11
non impinguet caput, ait: oleum peccatoris eſt dilectio ſimulata verborum, quæ adulationibus, & blandimentis noſtras mentes velut olei pinguedo libenter ingrediens, rigorem veritatis emollit, & ad noxias cogitationes amoris ficti, vel potiùs oſtentationis perducit.

Vitijs ſemper ſerviunt blandimenta, lenoci- 12
nantur dulcia delictis: virtutibus verò auſtera, & fortia ſunt amica. *Pet. Raven. in ſerm.*

Eliminat ab aulis principum adulatio verita- 13
tem: illi ſoli in principis gratiam admittuntur, qui palpant blanditijs, & aures famæ bibulas calice Babylonis inebriant. *Idem.*

Philoxenus Paraſitus cum vidiſſet cœnæ nigrum 14
apponi panem dixit videns atriorem mox apponendum: ne multum attuleris, ne tenebras nobis inducas.

Athenienſes Demogaram decem talentis mul- 15
ctaverunt, quòd Alexandrum Deum appellâſſet. Niceſias videns Alexandrum magnum petitum à muſcis: *quanto* inquit, *hæ cæteris præſtant, quæ ſanguinem tuum deguſtant, imperator.*

Paraſitus Philippi Macedonis claudum ſe fin- 16
xit; eò quia Philippus fractum crus haberet. Auguſtus adeò repreſſit adulâriones, ut ſe dominum appellari, nec à ſuis libertis, aut nepotibus, vel ſeriò, vel joco ſuſtinuerit.

Adulatores plerumque ſunt foris fronte læti, 17
& intus corde anxij; ſubdoli fingendis virtutibus, luxuria, induſtris, comitate, arrogantia, malis, boniſque artibus apri.

Alexander Severus hominum adulatorem pa- 18
lo curavit affigi. Poſtea ingentem juſſit extrui focum ex viridi ligno, ut fumo intermoreretur, & carnificem clamare: *fumo pereat, qui fumum vendidit.*

Zopyrus adeò ſuppalpatus eſt Dario Babylo- 19
nem obſidione prementi, ut ſibi ipſi faciem, & nares inhoneſto vulnere deformaverit, ut ſic Babylonijs fidem faceret, ſe perpetuum fore Dario inimicum. Quo moti Babylonij;

bylonij; illum in urbem acceperunt; quam paulò poſt prodidit ſuo regi: hinc adagium *Zopyritalentū*, & in eos torquetur, qui ſibi nocent, ut alijs proſint.

20 Noli eſſe laudator, ne videaris eſſe adulator. Adulatorum guttur dicitur in pſalmis ſepulchrum patens.

21 Quamdiu fervet olla, tamdiu floret amicitia: de ijs dicitur, qui cœnæ causâ amicitiam contrahunt.

22 Adulatio quamvis pernicioſa nemini nocet niſi eam recipienti.

23 Ut Sirenarum carmina expectant exitium navigantium: ita ſermones adulantium damna intendunt audientium, quorum aures demulcent, & animum feriunt.

24 Democritus ajebat. Rectè quidem facta laudare honeſtum eſſe, mala verò laudibus vehere adulterini eſſe animi, ac impoſtoris.

25 Anaxilaus adulatores ſimiles dicebat vermibus, qui triticum nacti, non diſcedunt, donec vacuum reddiderint: ſic adulatores divitum ſubſtantiam rodunt.

26 Magnæ fortunæ comes eſt adulatio Vellejus *lib. 2.* Adulatio vitiorum altrix. *Ammian. Marcel. lib. 10.*

27 Aulæ in perniciem ſuam alunt laudatores malorum, bonorum juſtitiam ſimulantes. *Nicetas Andronic. lib. 2.*

28 Simia dum hominem imitari conatur, ſæpe capitur: ſed adulator, quos allicit, capit *Plutarc.* ſunt adulationes verba coquinaria. Coquorum enim eſt edulcare fercula aliàs auſtera. Mercenarium præconium: quia adulatores nonniſi in proprium commodum fiunt laudatores.

29 Adulator dicitur *Python formoſus*, quia falſus eſt laudator,

30 *Adulatio Herculana* eſt ſcabies, quæ in eos torquetur, qui blandis adulationibus deliniti veluti jucunda quadam ſcabie pruriunt.

31 *Demulcere caput* eſt eblandiri adulationibus; ſumptum ab adulantium geſtu.

32 *Caudâ eblandiri* de eo dicitur, qui ſpe commodi cuipiam adulatur.

33 *Polycrates matrem paſcit*, de illo dicitur, qui in amico commendando eſt officioſior.

34 *Lethale mulſum* dicitur de adulatione, quæ auditui jucunda, pernicioſa eſt animæ.

35 *Oſcula Joabi, & Judæ proditoris* pernicioſam produnt adulationem.

36 Adulatores conſuunt pulvillos ſub cubito manûs.

Ædes.

1 Ædium partes ſunt area, ſeu ſolum, fundamentum, parietes, muri, ædium frons, & facies, contignationes, cameræ, pavimenta, lacunaria, laquearia, tectum, ſcalæ, oſtium, area, atrium, feneſtræ, conclavia anterjora, interiora, cubicula, aulæ, porticus, muſæum, conclave ſecretius. Pretioſæ ſupellectilis repoſitarium, armamentarium, veſtiarium, horreum, cella vinaria, penuaria, panaria, piſtrina, carnarium, culina, cenaculum, ſtabulum, pecuaria, aviarium, columbarium, Gallinarium, horreum, Zeta, ſpecula voluptaria. Podium, turris, cellarium, ſeptum, forica, caminus, focus.

Peſſulum oſtio obdere eſt idem ac ædes occlude- 2
re. Dicimus januam calcibus inſultare. Amoliri ædium ſenectutem. Ædibus ævo, vel ſenio victis, cadentibus novitatem reddere. Parietum diſidia reſarcire. Lapſus murorum fulcire. Parietem cæcum, ſeu ſine feneſtris. Cubiculum cæcutire; ceu obſcurum eſſe. Peniculo parietes dealbare, dealbato veſtire induſio, Januam firmiter oppeſſulatam.

Humano in conſtructis ædibus luxui non pla- 3
cent parietes, niſi pretioſis aulæia refulſerint; niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſint; niſi Thracius lapis piſcinas noſtras circumdederit. *Seneca.*

Pyramides Ægypti tantæ molis, ac ſtructuræ 4
erant, ut non humanis manibus. ſed Deorum potentia, vel ſaltem gigantæia, putarentur viribus eductæ.

Obeliſci, quos Ægypti Regea in honorem 5
Deorum ex montium venis exciderunt, ſaxa fuerunt ingentis magnitudinis in figuram cujusdam metæ: ſenſim à proceritate in excelſum conſurgentia, & paulatim gracileſcentia, ſpecie quadrata in verticem deſinentia productum, anguſtum, manu lævigatum artificis. Romæ adhuc viſuntur hujusmodi obeliſci præſertim in vaticano juxta ædes D. Petri, éſtque ex omni parte integer. Alter in campo Martio juxta templum D. Rochi. Pyramis verò ex pluribus conſtruebatur quadratis lapidibus; erátque moles prægrandior, ac craſſior; ita conſtructa, ut è lato in acutum tenderet inſtar flammæ, quæ in ima ſui parte latior in acuminatum deſinit faſtigium. Maximæ hujus generis moles in Ægypto fuiſſe ferunt juxta Memphim urbem, ſtructuræ ex quadratis lapidibus admirandæ, faſtigiatæ ultra omnem excelſitatem; quæ manu fieri poſſit ut ſcribit Solinus, ſub quibus reges ſepelirentur Ægypti, ne pleba eſſet otioſa, vel ne pecuniam ſucceſſoribus relinquerent.

De ædificija ſumptuoſis conſule officinam Tex- 6
toris *lib. 4. t. 65. & ſequent.*

Ægritudo.

Senectus ipſa morbus eſt, & quidem inſana- 1
bilis. Neque ſola venit.

Delectu dapum reſtauranda eſt valetudo. Nul- 2
lam jucunditatem triſtis morbi ſenſus admittit: præſertim cum dolor calculi intus viſcera lancinat; & veluti in equuleo torquet calculo laborantes.

Collapſa valetudo reſarcienda eſt optima vi- 3
ctûs ratione.

Omnium membrorum doloribus obſideri. Æ- 4
gritudinis gravedini ſuccumbere. Meliuſculè,

culè, ſed ambiguè valeo, & dies, imò & horæ alternant.

6 Curatio proceſſit ad ſcalpellum. Febris non levatur; ſed æquè concitata continuat. Facilè omnes, cum valemus, recta conſilia ægrotis damus, quæ tamen ægrotantes reſpuimus.

7 Sicut Junonia avis ubi colorem, & plumas circumſpexit, ſibi placet, & fidit: dejicitur, cum ad pedes ſe dejicit. Tale eſt eſt mihi, animæ valeo, & præfido; langueſco, cum ad exteriorem hominem me converto. *Lipſius.*

8 Sum adhuc in valetudinario, & ut lumen, quod extinguitur, flammulas interdum vibrat, ſic mihi fieri videtur. Veluti reſurgo interdum, & exorior, ſed fortaſſe lapſurus.

9 Lien necat, renes dolent, pulmones diſtrahuntur, cruciatur jecur, radices cordis pereunt, hiræ omnes, ſeu inteſtina dolent.

10 *Principijs obſta ſerò medicina paratur.*
Cum mala per longas invaluere moras.

11 Hadrianus Imperator Medicinæ ſtudioſiſſimus Sepulchro ſuo incidi juſſit: *Turba Medicorum perdidit Cæſarem.*

12 Herculana ſcabies dicitur de ſcabie curatu difficili, cujus curatio Herculana balnea deſiderat.

13 Alphonſus Rex interrogatus, cur podagrici loquaciores cæteris eſſent. Reſpondit, Podagricos pedum vitio laborantes ambulare non poſſe; ideóque lingua velut ambulatione quadam eos crebrò uti ſolere.

14 Medicus, ajunt, cum regis filiam curare deberet, nec ſine ferro poſſet, dum tumentem mammam leviter fovit, ſcalpellum ſpongia tectum induxit. Repugnâſſet enim puella remedio palam admoto, ſed quia ſcalpellum non vidit, dolorem tulit, & priſtinæ fuit ſanitati reſtituta.

15 Qui frigidæ ſunt naturæ, ac humeſcentis, ut opifices ſedentarij, quique umbraticam vitam ducunt, mephitim quandam exhalant, atque animæ graveolentiam. Cum enim enim humorum collectiones ob caloris nativi penuriam non concoquant, nec vapores exercitatione diſcutiant, neceſſe eſt, in hujusmodi corporibus magnam eſſe putredinem, indéque triſtes odores, atque inſuaves halitus promanare.

16 Plures habentur emunctæ latinitatis authores formæ ægritudinis exprimendæ; at mea ægritudo omnem reſpuit levationem. Dolor ille fauciat cor meum. Impietas hujus ſæculi malè ſe habet. Miſerijs obtorpeſco. Miſeriarum incendijs abſumor. Miſerâ afficior ærumnâ. Malorum uſus ſenſum mihi ademit. Callum obduxit animo meo diuturna calamitatum conſuetudo. Occalluit animus meus diuturno malorum uſu. Multæ mihi in pectore ſunt curæ torquentes cor meum. Ærumnis deformor. Patientiâ adigor crudum decoquere dolorem. Expectavi gaudij ferre diſpendium. Rerum tuarum amaritudo me mordet. Uno labore nitor plures abſolvere ærumnas. Ego tuo mœrore maceror, conſeneſco, marceſco, & miſer tabeſco. Hæc res mihi pectore, & corde dura eſt.

Dolor dicitur à dolando, eò quia cor hominis edolet, ac minuat. 17

Ut ſerenitas nautis gratior obtingit in tempeſtate: ſic lugenti amico amicus. 18

Ad fauces orci deſtitutus mihi hos menſes fuiſſe videor. 19

Socrates rogatus quomodo poſſet quiſpiam vitam triſtitiâ vacuam ducere: reſpondit, non poſſe fieri, ut qui in civitate, & cum hominibus converſatur, non aliquando triſtetur. 20

Chryſippus tamen aiebat, ſapientem quidem poſſe vexari, & dolere, nunquam tamen torqueri. 21

Epictetus cum interrogaretur, quomodo expellendus eſſet dolor, reſpondit: ſi quæ futura ſunt, ſic æſtimentur, ac ſi jam accidiſſent. 22

Æs alienum Ærarium.

Dicimus eleganter, debitorem eſſe ære alieno gravatum, incidiſſe in æs alienum; laborare ex ære alieno. Non eſſe ſolvendo. Æs alienum multiplicare. Ære devinctum eſſe creditori. Æs alienum conflare, cudere. Obæratum eſſe. Exire ære alieno. Diſſolvere æs alienum. Pro alieno ære ſe devovere emptori. 1

Repetundarum accuſantur, qui in officio conſtituti, pecuniam acceperunt, ut officium impertiantur, quod gratis præſtari oportuit. Tales interdum exilio, interdum quadruplo, triplo, duplo puniuntur. 2

Reſiduorum ſolent accuſari, qui pecuniam publicam ſibi concreditam in alios, quàm oportuit, uſus conſumpſerunt: & qui eam, quæ ex publicis rationibus apud ipſos remanſit, non reſtituerunt. Huius criminis damnati, ampliùs tertia, quam debent, parte puniuntur. 3

Ærarium ab ære dicitur, éſtque locus, in quo pecuniæ principis conduntur, ac ſervantur, eſt ærarium multiplex Politicum, Eccleſiaſticum, œconomicum, privatum. 4

Ærea pecunia priùs in uſu fuit; poſtea argentea; deinde aurea ſubſequuta; ſed ab ea, quæ cœpit, nomen retinuit, unde non dicimus, auro, vel argento alieno, ſed ære gravatum: hinc theſaurus publicus ærarium dicitur; eò quia priùs æs fuerit in uſu, & in loco publico recondebatur, nondum auro, argentòque ſignato: & licèt cusa poſtea fuerit pecunia ex auro, & argento; nomen tamen ærarij permanſit ab eo metallo, à quo ſuum ſumpſit initium, ut notat Iſidorus *lib. 16. c. 17. Orig.* 5

Ærarium populi erat fiſcus principis. *Alciat. de verbor. ſignif.* 6

Trajanus Imper. fiſcum lienem vocare conſueverat, quòd eo areſcente reliqui artus omnes tabeſcerent. 7

8 *Conſtantinus Imp.* ajebat opes publicas meliùs à privatis pluribus haberi, quàm intra unum principis clauſtrum reſervari.

9 Fiſcus ab ærario differt: quia hodie ad fiſcum ſpectant extraordinarij reditus, qui confiſcationes dicuntur. Ad ærarium verò pertinent tributa, & vectigalia.

10 Magno ære rem aliquam cenſere, eſt pluris æſtimare.

Ætas.

11 Ætas per ſyncopen dicitur ab ævitate. Varro diviſit ætatem in infantiam, adoleſcentiam, juventam, & ſenectam, quarum ſingulæ trifariam dividuntur: prima pars viridis dicitur, ſecunda adulta, tertia præceps. Virgil. *Jam ſenior, ſed corda* DEO, *viridique ſenectus.* Dicitur defloccatus ſenex, ſeu calvus. *Sapere iſthac ætate oportet capite candido.* Plautus. Jam plenus ætate. Exceſſit ex ephebis, ſeu factus eſt pubes Teren. Exceſſit mihi ætas ex magiſterio tuo.

12 Ætas à diuturnis laboribus devexa ad oſtium.

13 A cunabulis, à parvulo, à teneris, à puero: ab unguiculis, à lacte materno; ab ineunte ætate, à vitæ prima uſura, à vitæ exordio, à conceptæ lucis uſura, à tyrocinio juventæ, ab uberibus maternis, à prima balbutie.

14. Ætas mea declivis eſt in ſenium, ſum ætate confectus.

15 Senectus morbus inſanabilis. Crudam ſenectutem fovere. Ingraveſcentis ætatis pondere incurvari. *Ego ſeneſco, & caput meum nives ſpargunt* Plautus: Tuæ ſenectuti acriorem hyemem ætas parat.

16 *Seneca*, Diem nox premit; dies in noctem, & æſtas in autumnum deſinit. Autumno hyems inſtat, quæ vere compeſcitur. Omnia tranſeunt, ut revertantur. Tibi autem nemo reſtituet annos tuos, nemo iterum te tibi reddet. Ibit, quà cæpit ætas, nec curſum ſuum, aut revocabit, aut ſupprimet. Non illa regis imperio; non favore populi longiùs procedet.

Virgilius

Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtiſque ſenectus
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

17 Ludovicus Hungariæ Rex vix egreſſus cunabulis adolevit, in prætexta barbam, ante duodevigeſimum canos emiſit.

18 Hermogenes ſophiſta in pueritia ſenem, & in ſenectute puerum egit.

20 Recens lanugo tunc incipit mentum tingere. Primæ lanuginis anni. Nondum roſeis venit umbra genis. Dum lanugo primo flore opacat genas. Jucundum cum ætas florida ver ageret. Viridique genas ſpectabilis ævo.

21 Tremulo gradu venit ægra ſenectus. Tarda gelu, ſæcliſque effecta ſenectus. Venit properata malis inopina ſenectus.

Bis octonis integer annis. Quid mollem pa- 22
tetis luxu torpere juventam:

Poſtquam laſcivæ cecidit color ille juventæ. 23
Primævo flore juventæ inſignis. Poſito fervore juventæ maturus. Temperie medius. Me ſtrenua ſuſtinet ætas.

Ævo maciéque ſeneſcit. Mihi canities pul- 24
ſis melioribus annis venerat.

In rugas totus diffluxit aniles. Frigent effœtæ 25
in corpore nives.

Hic membris, & mole valens, ſed tarda tre- 26
menti genua labant. Vaſtos quatit æger anhelitus artus. Cui plurima mento canities inculta jacet.

Niſi vitrea auxilia ſeniles oculos ſublevent vix 27
legere, ac ſcribere valeo.

Ovid. 6. Faſt.

Tempora labuntur, tacitiſque ſeneſcimus ac vir;
Et fugiunt fræno non remorante dies.

Sineſius lib. 1. de Provid. Quemadmodum via-
rum divortia, primùm quidem parvo inter- 28
vallo diſtant, quod deinceps, quò procedit longius magis, magiſque creſcunt, ut deſinentia illa longiſſimo ſpatio opponantur: Ita cum adoleſcentia animadvertere licet; fieri ſimiliter, ut parva diverſitas multum diſcriminet ætate provectos.

Plinius lib. 10. hiſtor. natur. c. 23. Uti ciconias
nemo advenire ſentit, ſed adveniſſe: nemo 29
diſcedere, ſed diſceſſiſſe: quod noctu clanculum faciunt utrumque. Ita juventutem nemo intelligit diſcedere, ſed diſceſſiſſe, & ſenectutem non ſentimus advenire, ſed adveniſſe.

Sicut vina, & poma ſubacerba vetuſtate mi-
teſcunt, ac dulceſcunt: ſic ætatis inſolen- 30
tia longo rerum uſu mitigatur. E converſo ſicut Apiana vina initio dulcia auſteritatem accipiunt ab annis: ita quidam ætate fiunt inhumaniores.

Affabilitas.

Virtus eſt, quâ homo ſe habet ad converſa-
tionem in dictis, & factis delectabiliter ad 1
omnes non æquabiliter. Eccleſ. 4. *Congregationi pauperum affabilem te facito.* Dicimur in convivijs affabiles. Propino tibi ſalutem plenis faucibus. Multam tibi ſalutem dico. Porrigo tibi ad ſalutem aperta brachia.

Favoris tui aura ſuaviter mihi adhuc adſpirat.
Virum affabilem Gratiæ finxerunt: lepo- 2
res Attici educârunt.

Placet elegantia, & comitas morum viri af-
fabilis. 3

Difficile eſt dictu quantoperè conciliet animos
hominum comitas, & affabilitas ſermo- 4
nis

Antalcidas rogatus à quodam, quo pacto quis
maximè, placere poſſit hominibus, reſpon- 5
dit, ſi quis loquatur illis jucundiſſima.

Demonax cuidam ſciſcitanti quomodo dele-
gatam ſibi provinciam adminiſtrare com- 6
modè poſſet, reſpondit; ſi minimum lo-

quens, plurima audieris. *Eraſm. lib. 8. Apophtheg.*

6 Titus Veſpaſianus admonitus ab amicis, quòd plura pollicererur interpellantibus, quàm præſtare poſſet, reſpondit: non oportet quemquam à Cæſaris colloquio triſtem diſcedere *Suet. in ejus vita.*

7 Qui affabilis eſt in ſermone, jucundus, modeſtus, gratus, comis, lenis, facilis, is magnes eſt cordium, quæ ad ſe rapit, & alienum poſſidet amorem.

8 Affabilitas clementiæ conſociata clypeus eſt, qui principem tuetur, & ornat. Scimus Auguſtum Cinnæ vitæ ſuæ inſidianti, necémque paranti pepercisſe, imò & conſulem feciſſe, fidúmque inter amicos habuiſſe, & Cinnam beneficium beneficio compensâſſe, cum moriens Auguſtum hæredem inſcripſerit. Obſervant hiſtorici, neminem exinde in Auguſtum ampliùs inſurrexiſſe, cujus vitæ plurimi fuerant inſidiati, qui ſcelera ſanguine expiaverant.

9 Titus ob affabilitatem, quâ omnes excipiebat, & alloquebatur, generis humani amor, & deliciæ audjit.

10 Alexander Severus affabilitate, & comitate nefarias Quintij Camilli Senatoris molitiones evertit, amicúmque exinde ex hoſte jurato ſibi paravit.

11 Conſtantinus ſuadentibus, ut promerito ſupplicio deformatores imperatoriæ ſtatuæ puniret, ferróque & igne in contemptores imperatoriæ dignitatis ſæviret, reſpondit, ego nullum vulnus ſentio.

12 Pompejus magnus Tigranem Armeniæ regem benignis verbis, & affabilitate recreatum, diadema quod abjecerat, capiti reponere juſſit: æquè pulchrum eſſe judicans vincere reges, & facere.

13 Scipio Africanus nepotem Maſſaniſſæ agnitum inter capitivos, annulo, fibuláq; aurea, & tunica laticlavia, Hiſpanóque ſagulo, & ornato equo donatum, datis, qui eum comitarentur equitibus, ad Maſaniſſam remiſit: victoriæ maximum fructum ratus Regibus ſanguinem ſuum reſtituere.

14 Antiochus Rex cum filium Scipionis Africani è ſuis interceptum honorariſſimè excepiſſet, regijs muneribus donatum ultrò, & celeriter patri remiſit, quamquam ab eo tunc maximè imperii finibus pelleretur.

15 Magni animi, & imperio digni clariùs non dignoſcuntur, quàm ex affabilitate, & clementia, quâ vel ipſos hoſtes proſequuntur. Ait Seneca: *Magni animi eſt proprium placidum eſſe, tranquillúmque, atque offenſiones ſuperne deſpicere.*

16 Antigonus Helenum Pyrrhi regis filium captivum, cultum, & animum gerere regem juſſit: oſſáque ei Pyrrhi aurea urnâ incluſâ Epirum in patriam ad Alexandrum fratrem portanda dedit.

Afflictio.

Deſcribitur à Tullio *lib. 4. Tuſcul. quæſt.* ægritudo cum vexatione cordis: ex *ad* & *fligo.* 1

Si afflictio ſit diuturna, eleganter dicimus; occaluit animus diuturno malorum uſu. D. Auguſt. *in pſal. 93.* ait. Boni laborant, quia flagellantur ut filij: mali exultant, quia damnantur, ut alieni.

In Pſalm. 121. expendens illud: *qui ſeminant in lachrymis in exultatione metent*, ait: ipſe agricola quando prodit, & portat ſemen, non ne aliquando frigus eſt, ventus, & imber deterret? Aſpicit cœlum, videt triſtem diem; attendit, & expectat diem latam, ne tempus tranſeat, & non inveniat, quod metat. Seminate, & vos in hyeme, ſeminate bona opera. 2

Sicut qui ſeminant per hyemem non deterrentur ab opere propter hyemem: ſic & nos ob preſſuram mundi non debemus à bono opere deterreri: quia qui ſeminant in lacrymis in exultatione metent. *Auguſt. in Pſal. 120.* 3

Palma in noviſſimis pulchra eſt, ut initium ejus à terra ducat: aſpera radix videtur in terra, pulchra coma ſub cœlo eſt. Erit & tua pulchritudo in fine, radix tua fixa ſit: ſed ſurſum verſus habeamus radicem noſtram. *Auguſt. in Pſal. 91.* 4

Niſi præceſſerit pugna non poteſt eſſe victoria: cum fuerit in pugnæ congreſſione victoria; tunc datur vincentibus, & corona Nam gubernator in tempeſtate dignoſcitur; in acie miles probatur: conflictatio in adverſis; probatio eſt veritatis. *Cyprian. ſerm. de immortal.* 5

Nazianzenus in orat. de S. Cypriano. Sol nubibus obtectus lætius poſtea ſplendet, & poſt hyemis triſtitiam ver eſt acceptior, & jucundior tranquillitas. Mare magis arridet quietum poſt procellarum ſeditiones. Sic poſt afflictiones nobis vita tranquillior. 6

Plus dolet: quàm neceſſe eſt: qui ante dolet, quàm neceſſe eſt. *Senec.* 7

Quidnam humile, ac muliebre eſt, quàm conſumendum ſe dolori dare? 8

Ille dolet verè, qui ſine teſte dolet. *Martial.* 9

Niobe filia Tantali ſoror Penelopis, uxoriſque Amphionis in ſaxum verſa eſt ex dolore: quia ex fœcundiſſima matre ad orbitatem reducta fuerit, extinctis filijs, ac filiabus omnibus, quos Apollo & Diana ſagittis confixerunt. In ſaxum obriguit, quatenus ex nimio dolore obmutuit attonita, & veluti lapideſcens malis diripuit. 10

Agricultura.

Agrorum eſt cultura. Et vir agreſtis, qui vitam agit ſylveſtrem. Ruſticus, ruſticellus, qui ruri immoratur excolendi agri causâ. Dicimus. Terræ ſulcum altiùs imprimere. Arridet nobis meſſis ubertas, & vindemiæ libertas. Nobis eſt ſegetis magna opimitas. Libentiùs ruſticis, 1

quam

quàm forenſibus negotijs immoror. Arboribus inſerendis, viribúſque ducendis libentiùs do operam, quàm publicis officijs exercendis, ac negotija inſtituendis. Rubigo ſegeribus obfuit, & avena fruges necavit. Plantarum inſitiones miramur, & hortenſia matrimonia, imò & adulteria, fœtúsque ſuppoſitos inſcia matre, nec invita. Vere novo videmus arbores odora quadam vi ſvavi perſperſas, floridáque innocentia præludere fructibus.

2 Terra magna mater eſt, quàm Brutus fuit oſculatus. Saxa terræ oſſa dicuntur.

Oſſáque poſt tergum magnæ jactate parentis.

3 Agricultura nil meliùs, nil uberiùs, nil dulciùs, nihil homine libero digniùs. *Cic. de offic.*

4 Vita ruſtica, quàm nos agreſtem vocamus patrimonio, diligentiæ, juſtitiæ, magiſtra eſt. *Cic.*

5 Inſtrumenta hortenſis culturæ ſunt, ligo ad fodiendum; pala plana, vel concava ad inutiles herbas ejiciendas, & quiſquilias excutiendas, raſtrum ad planandum, & corradendum; rutrum ad complanandum, & runcandum ſolum, ſarculum ad ſarriendam, & evellendam glebam duriorem, exſtirpandas arbores, & frutices; irpex, ſeu raſter, vel raſtrum denſatum ad herbas ruri conquirendas; bacillus ligneus ferro obductus ad foramina facienda pro plantatione; volvulus, ſeu lignum teres inſtar cylindri, quò ſolum æquatur; vehiculum truſatile ad evehendam terram ejectitiam; vimen ad alligandos frutices; ferculum ſtercorarium ad portandas res omnes hortenſes; furca tricornis, vel tridens ſpargendo fimo apta; culter aptando ramulo inſititio; linum impexum obligandis inſitorum ſtalonum fiſſuris; ceraoum jiſdem inungendis; marra abradendo muſco ab arboribus, & exſcindendis herbis ſinutilibus; falcula ad putandum, forfex ad tondendum, ac abſcindendos nidos erucarum, ac papilionum. uncus ambi dexter redunco roſtro ad ramos partim trahendos, partim reſcindendos; harpagium ad rigandum; pileus ſtramineus, vel teſtaceus ad defendendas plantas à gelu, crates ſcirpeæ ad novella germina adverſùs nocturnum frigus rutanda; ſerra tenuis profundè dentata. Vide Pexenfelder.

6 Inſtrumenta ruſtica præter hactenus recenſita adhuc plura ſunt, pro campis, agríſque excolendis, ut: flagellum, ſudes, palus, vallus, linter, æqualiculus, vectabulum, carruca, ſartacum, plauſtrum, traha, mulctra, ſinum, hauſtrum, urna, pedum, cribrum, cribellum, dolia, vaſa olearia, amurcaria, vinaria, frumentaria, crates ſcirpeæ, facci, labra, infundibula, ſitulæ, trullæ matelliones, alvi, molæ truſalies, torcularia, cuppæ, paviculæ, naſiternæ, corbes, occæ, ligones, præla, aratra, furcæ, tricuſpides, ac tridentes, vel bidentes, falces meſſoriæ. arborariæ, ac ſilvaticæ, paſtinum, merga, dolabra, ſparta, modlj, ſecures, fiſcellæ; Pexenfeld. Appar. Erud.

Agricolæ ſemper ita vivunt, ut quæſtum noſcant nullum, fructum autem eum ſolum colligunt, quem labore pepererint. *Cic. pro Roſcio.* 7

Ruſticis delectabilius eſt laborare, quàm principari. *Ariſtot. lib. 6. Polit.* 8

Marcus Curius quum de Samnitibus, & Sabinis triumphaſſet; & Pyrrhum regem viciſſet, extremum vitæ tempus in horto excolendo inſumpſit. 9

Exculta tellus nunquam ſine uſura reddit, quod accipit, licet aliàs minore, plerúmque majore cum fœnore. *Cic. de ſenect.* 10

Domitianus Imperator referente Suetonio, juſſit excidi vineas; quòd ſtudio colendi vinera negligerentur arva. 11

Diocletianus Imp. teſte Eutropio Cuſpiniano, cum ſe imperio abdicâſſet, ac privatam vitam in ſua villa inſtituiſſet, ab Herculio, & Galerio rogatus ad recipiendum imperium, veluti peſtem aliquam fuit illud deteſtatus ſubdens: Utinam Salonæ poſſetis viſere olera noſtris manibus ſata, & inſtituta; non me vocaretis ad imperij regimen. Fuit Diocletiani villa haud procul à Salonis, ubi ut privatus conſenuit. 12

Stobæus ſerm. 54. pulchrè dixit, agriculturam eſſe aliarum artium parentem, ac nutricem: quâ bene ſe habente cætera valeant, & quâ neglecta terra, maríque jacent omnia in ſqualore, ac deficiunt. 13

Cyrus Perſarum rex agricultura hortenſi delectatus proprijs manibus terram excoluit, plantas rigavit, areolas diſtinxit, flores coluit. 14

Lycurgus ſciens quantum utilitatis humanæ vitæ ſuppeditaret agriculturæ ſtudium, agros omnes civibus ſuis diviſit colendos: ut concordes inter ſe omnes ſimultatem, & pravos affectus deponerent, & ſimili labore victum quærerent. *Plutarc. in Apoph.* 15

Cato major ajebat, fortiſſimos viros, ac ſtrenuiſſimos milites ex agricolis gigni. *Plutarc.* 16

Numa Pompilius, ne populus otio marceſceret, agros diviſit, ut quisque ſuum excoleret. *Plut.* 17

Pertinax Imperator, quicquid inculti ſoli vacabat, occupantibus adjudicavit; decémque annorum immunitatem, ac perpetuam libertatem agricolis conceſſit. *Criſpinianus.* 18

Ambitio.

Eſt dignitatis apperitus immoderatus ratione honoris D. Thomas 2. 2. *quæſt. 131. art. 2.* vel eſt vitioſa cupiditas gloriæ. 1

Nonnulli ſæpe de ſterquilinio ſurgunt, & vixdum lotis manibus rerum publicarum negotia tractant, & veluti licitatione facta, dignitatis faſtigium aſcendunt. 2

Alexander magnus, cum audiviſſet Anaxarchum de mundorum infinitate diſſerentem 3

illa-

illachrymatus eſt, cum unius vix mundi Dominium acquiſiviſſe doleret. Unde D. Bernard. *de conſid. lib. 3. exclamat.* O ambitio ambientium crux! quomodo omnes torques, omnibus places: nil acriùs cruciat, nil moleſtiùs inquietat.

4 Antonius inhians dominatui totius orbis bellum intulit Auguſto. Arrius inſulatum Alexandrinatum appetens, & repulſam paſſus perniciosum dogma de filio DEI movit.

5 Eroſtratus Dianæ Epheſinæ templum incendit. Pauſanias illuſtrium virorum ſanguine ſe polluit. Caligula cum virtute nullam laudem mereretur, ſceleribus voluit innoteſcere. Ambitio Angelum felicitate angelica privavit. Scientiæ appetitus hominem immortalitatis gloriâ ſpoliavit. Non Evam cibus deflexerat, non mandatorum deſtituerat oblivio, ſed promiſſi honoris ambitio illecebroſa decepit.

6 Omnis adeundi honoris eccleſiaſtici abſcinderetur ambitio, ſi ſe judicandos potiùs, quàm judicaturos, hi qui præeſſe volunt populis, cogitarent. *Orig. in epiſt. ad Roman.*

7 Dominandi cupido rarò bonos habet eventus. *Thucid. lib. 6.*

8 Julius Cæſar cum in Hiſpania Gades veniſſet, ibique imaginem Alexandri vidiſſet, in gemitum erupit: heu inquit; nihil ſcio memorabile à me geſtum in ætate, in qua iſte orbem terræ vicit. Alpes pertranſiens, cum comites mapalia ruſticorum, & tuguria riderent incolarum, pauperésque illos cætus flocci facerent, dixit: atqui malim hic primus eſſe, quàm Romæ ſecundus.

9 Ut quiſque ſuis finibus contentus vivat, ambitio non permittit. Libido dominandi cauſam belli indicendi ſemper invenit.

10 Natura mortalium avida eſt imperij, & præceps ad explendam animi cupiditatem.

11 Gloriæ avaritia, & inſatiabilis cupido famæ nihil invium, nihil remotum videri ſinit.

12 Antiſthenes Cynicus cum pallium haberet pertuſum, idque obvertens fiſſuram omnibus daret inſpiciendam: dixit Socrates: per fiſſuram pallij tui video tuam inanitatem; eleganter eum carpens, turpiorem eſſe ambitionem ex vilitate cultûs, quàm ex amictu ſplendido. Plerumque etiam ſordibus delectatur ambitio, pannoſa, & lacerata affectat apparere, & vilibus paſcitur.

13 Semiramis virilem mentita ſexum ampliſſimos duxit exercitus, multos ac magnos ſubivit, & exantlavit labores, pericula immenſa adjit, in diſcrimina ſe injecit præſertim Indico Bello inanis gloriæ causâ. *Sabellius lib. 5. cap. 5.*

15 Artemiſia Cariæ regina Xerxis commilitiam non reſpuit, gloriæ deſiderio, neglecta ſexûs imbecillitate.

16 Agrippina Aſtrologo prædicenti, Neronem filium vix natum, regnaturum quidem, ſed matrem occiſurum reſpondit: occidat, dum imperet.

Amicitia.

1 Eſt amor mutuæ benevolentiæ innixus aliqua communicatione mutua ſive naturalis ſit, ſive domeſtica, civilis, vel divina D. Thom. *2. 2. quæſt. 23. art. 1.*

2 Amicitia ex D. Auguſtino eſt omnium humanarum, divinarúmque rerum cum benevolentia, & charitate ſumma conſenſio. *Epiſt. 41.*

3 Varij ſunt modi exprimendi hunc amorem amicitiæ: ut diſcrucior miſer amore; amor usque in pectoris intimiora, cordisque receſſus penetravit. Arctiſſimo neceſſitudinis vinculo conjuncti ſumus. Medullitùs te amavi. In tuam familiaritatem penitius fui ingreſſus. Pervenit ad ſummum amicitia noſtra. Cordi meo neminem te habeo cariorem.

4 Solem è mundo tollit, qui amicitiam è familiaritate excludit.

5 Ad ineundam amicitiam ſtudiorum, & naturæ ſimilitudo magnam vim habet.

5 Amicus è millibus priùs eligendus, poſtea diligendus.

6 Amicus non ſolùm debet eſſe dilectus, ſed etiam è millibus electus.

7 Maximum humanorum bonorum eſt amicus, proinde ſine delectu non eſt admittendus.

8 Amicus non caſu, non temerè, ſed conſilio, & maturè parandus eſt.

9 Amicitia eſt pretioſa gemma, quam ne emamus adulterinam, ſine periculo, jurejurando, aut vadimonio non emimus.

10 Amicitiæ fomentum eſt ſola virtus, ſine qua eſt virus.

11 Amicitiæ artificium eſt duos in unum cogere. Vera enim amicitia eſt, cum extra ſe agitata mens amantis in amatum transfunditur: quia animus magis eſt, ubi amat, quam ubi animat.

12 Solatium hujus vitæ eſt, ut habeas, cui pectus tuum aperias, cui arcam communices, cui ſecretum tui pectoris committas, ut colloces tibi fidelem virum, qui in proſperis gratuletur tibi, in triſtibus compatiatur, in perſecutionibus adhortetur. *Ambr. de offic. lib. 2.*

13 Morum diſſimilitudo diſſociat amicos. *Ariſtot. lib. 1. œconom. c. 4.*

14 In proſperitate incerta eſt amicitia; quia neſcitur utrum perſona, an felicitas diligatur; ſæpe per ſimulationem colitur amicitia; ut qui non potuit apertè decipere, fraudulenter invadat. *Iſidor. lib. 3. de ſummo bono.*

15 Amicitia parem aut facit, aut accipit. Ubi inæqualitas, ibi non eſt amicitia, ſed adulatio: ſit amicus eadem anima. *D. Hieron. ſuper Michæam Prophetam.*

16 Neceſſitas amicum probat, & intimæ charitatis ardorem ſplendor exhibitæ ſubventionis elucidat. *Caſſian in quadam epiſt.*

17 Novæ digoitates veteres ſolent amicitias immutare. *Caſſian. in Epiſt.*

Qui

18 Qui verè amicus eſt, omni tempore diligit, nam eum tormentum non ſeparat, labor non laxat, theſaurus non diſtinguit, alienus amor non occupat.

19 Jucundiſſima eſt amicitia, quam morum ſimilitudo conjugavit. *Cicero.*

20 Plures adorant ſolem orientem, quàm occidentem; ſeu principi juveni magis adhærent, quàm ſeni.

21 Ita amicum habeas, ut putes, poſſe inimicum eſſe. *Senec.*

22 Amicus in ſecretò mone, palam autem lauda. *Cic. de amic.*

23 Vera amicitia habet idem velle, & idem nolle.

24 Inter amicorum vetuſtiſſima paria numerantur Hercules, & Theſeus: hic illius virtutes, & geſta imitatus eſt: ille hunc ad inferos captivum conatus eſt redimere. *In Theſ. Plutarc.*

25 Hercules & Neſtor amici fuiſſe dicuntur; ille Meſſenem dedit Neſtori; & Neſtor primum inſtituit juramentum per Herculem.

26 Theſeus, & Pirithous amicitiam jurejurando confirmârunt ex Plutarco, qui addit ratione amicitiæ Pirithoum ſe Theſeo aſſociâſſe, & cum ipſo ad inferos deſcendiſſe ad rapiendam Proſerpinam.

27 Socrates, & Chærephon amicitiâ adeò arctè foerunt adglutinati, ut unus ab alio nunquam ſejungeretur.

28 Achates perpetuus fuit Æneæ comes, fidúſque amicus.

29 Damon, & Pythias Pythagorici tam arctam inter ſe amicitiam coluerunt, ut cum alterum ex iſtis Dionyſius interficere vellet, alter ſe vadem dederit Tyranno. *Val. Max. lib. 4. c. 7.*

30 Tarquinius Superbus jam exul factus, dixiſſe fertur, ſe tum denique cognoviſſe, quos habuiſſet amicos fidos, & quos infidos, cum DEO gratiam referre poſſet. *Eraſm. 6. Apoph.*

31 Anacharſis ajebat: Præſtare unicum habere amicum multi pretij, quàm multos nullius.

32 Amicitia, ſi vera ſit, eſt divitibus pro cenſu; exulibus pro patria, pauperibus pro eleemoſyna, ægrotis pro medicina, ſanis pro gratia, imbecillibus pro virtute, robuſtis pro præmio, & mortuis pro vita.

33 Qui plures habet amicos, perinde eſt, ac ſi multis manibus, pedibus, oculis ſit præditus. éſtque veluti Briareus centum inſtructus manibus, Argus centum vigil oculis.

34 Quemadmodum muſcæ non manent in popinis, ſi deſit nidor: ita vulgares divitum amici non perſeverant, ſi non adſit utilitas. *Plutarc. in Moral.*

35 Ut in Diapaſon tantus eſt concentus, ut vox una, ac eadem eſſe videatur, ita plures in amicis voluntates una ſunt, ac eadem.

36 Ut equi virtutem in bello, & conflictu exploramus, ita amicos in calamitate, ac infortunio.

Ovid. 3. Triſt. 4.

Vive ſine invidia, molléſque inglorius annos,
Exige, amicitias, & tibi junge pares.

Amor.

Alius eſt DEI, alius eſt proximi; ille ex D. 1
Auguſtino *de Doctr. Chriſt.* eſt rectiſſima animi affectio, quâ diligitur Deus propter ſe; & proximus propter Deum. Hic eſt charitas, quâ jubemur proximum diligere ſicut nos ipſos. Unde amor eſt genus, & charitas ſpecies. Amor ad omnia pertinet; charitas ad proximum, ſeu ad homines, in quos exercetur.

Nil DEO pretioſior virtute dilectionis; nil de- 2
ſiderabilius diabolo extinctione charitatis. *D. Auguſt.*

Deus vult à nobis diligi non tantùm verbis, 3
ſed corde puro, & operibus juſtis. *Baſil.*

Qui DEI præcepta contemnit, Deum non diligit. Neque regem diligimus, ſi odio habemus, ejus leges. *Iſidor.*

Duas civitates duo faciunt amores. Hieru- 4
ſalem facit amor DEI: Babiloniam facit amor ſæculi. *Auguſt. in Pſal. 64.*

Ama amorem illius, qui amore ſui deſcendit 5
in uterum Virginis, & ibi amorem ſuum amori tuo copulavit, humiliando ſe, ſublimando te, conjungendo lumen ſuæ æternitatis limo tuæ mortalitatis *Auguſt. de Catechiz. rudibus.*

Minus Deum amat; qui aliquid amat, quod 6
propter Deum non amat. *Auguſt. ibid.*

Felix conſcientia illa, & beata virginitas, in 7
cujus corde præter amorem Chriſti, qui eſt ſapientia, caſtitas, patientia, atque juſtiſtitia, cæteræque virtutes, nullus alius verſatur amor. *Hieron. ad Demetriadem.*

Cui portio eſt Deus, non debet quid aliud 8
cupere niſi Deum. *Ambroſ. de fuga ſæculi.*

Theſaurus indeficiens eſt amor divinus; quem 9
qui habet, dives eſt, quo quicunque caret pauper eſt. *Baſil. in Hexam.*

Unguentum ſuave, & optimum eſt amor ſum- 10
mi Boni, quo peſtes mentis ſanantur, & cordis oculi illuminantur. *Baſil. in Hexam.*

Amor mundi à principio dulcis, in fine amarus. Amor DEI ab amaritudine incipit, ſed ultima ejus dulcedine plena ſunt. *Hugo de Ara lib. 1.*

Sicut oculus noſter non poteſt ſimul cœlum, & 11
terram aſpicere: ita nec cor noſtrum ſimul amare Deum, & mundum, niſi creaturæ amentur propter Deum. *Cyprian. de 12. abuſibus.*

Dilectio proximi malum non operatur: & ubi 12
charitas non eſt, non poteſt eſſe juſtitia. *Auguſt.*

Ex Proſpero

Quid ſibi quisque nolit fieri, non inferat ulli.

Xerxes adeò arboris flagravit amore, ut illam 13
oſculari, & amicè brachijs complecti ſoleret, plusque inde ſolatij perciperet, quàm ex hominum conſortio.

15 Athenis fuit Civis, qui adeò impenſè marmoream ſtatuam dilexit, ut ab ea nunquam ſine dolore, & lachrymis diſceſſerit; imò eidem pretioſam impoſuit coronam, elegantioribus induit veſtibus; & quia ab Athenienſibus prohibitus fuit locum hunc frequentare, ex dolore vitam ſibi ademit.

16 Atys filius Regis Crœſi, videns aliquem impetu in parentem irruere, licet à nativitate mutus eſſet, ex violentia amoris in parentem vinculum diſrupit ſilentij, & exclamavit: Gyre Gyre parce patri meo.

17 Scipio Africanus, Scipionis nomen accepit, quòd patri ſenio confecto fulcrum & Scipio fuerit.

18 Plotina tonſo capillo virum mentita,conjugem comitata eſt in exilium euntem, impavida, imperterrita, ærumnáſque plures ex amore in maritum toleravit. Conſule officinam Textoris. *lib. 5. cap. 3.*

Animal.

1 Animal ab anima dictum eſt ſubſtantia animata ſenſibilis, ſeu corpus animale humidum & calidum ſenſibus prædidum. Bipartitur in perfectum, quod propriè generatur, & in imperfectum,quod ex putri naſcitur. Rurſus aliud eſt manſuetum, & aliud ferum; illud ab hominum conſortio non abhorret; iſtud ſylvas incolit, & homines fugit. Animal pedeſtre bipartitur in bipes, & quadrupes; bipes in implume, & pennigerum. Animalia differunt etiam moribus. Alia ſunt mitia & domeſtica, ut feles, canes. Alia pervicacia ut Onager; Alia timida, ut lepores, & cervi. Alia Aſtuta, ac doloſa, callida, ut vulpes. Alia ingenioſa ut apes, aranei, formicæ. Alia inſidioſa ut lupus. Alia docilia, & manſueta, ut Elephantes. Alia generoſa, ac magnanima, ut leones. Alia crudeles, ut tigrides, & Panteræ.

2 Animalia omnia naſcuntur cum dentibus excepto homine.

3 Animal primùm movet pedem dextrum, poſtea ſiniſtrum.

4 Animalia parum ſe moventia ventre pingueſcunt.

5 Omne animal carens pulmone caret voce. Animalium fœminæ graciliōris ſunt vocis, quàm mares. Omnia animalia generantia habent oculos præter talpam.

6 Animal cornutum caret dentibus in ſuperiore mandibula.

7 Natura ſingulis animalibus ſtatuit certa tempora propter generationem, præterquàm homini, qui omni rempore generat.

8 Auguſto adeo familiaris fuit avium garritus,ut contempta ſalutantis picæ acclamatione dixerit; *tales domi habeo ſalutatores multos.*

9 Quod verò admiratione digni fuit eadem pica audito Cæſaris contemptu à tergo tunc acclamavit. *Oleum, & operam perdidi.*

10 Agrippina Claudij Principis conjux turdum habuit hominum ſermones imitantem.

Druſus & Britannicus, ſturnum, & luſciniam habuerunt græco, & latino ſermone dociles. *Fatidica lib. 3. cap. 1.* 11

Veſpertilio mediæ eſt ſpeciei avem inter, & murem, dicitúrque propterea mus alatus, volat enim pinnatis alis. Sed volucribus non accenſetur, quia quatuor graditur pedibus; pullóſque parit, non ova: quos & lacte nutrit. Dicitur veſpertillio, quia ſub veſperam, poſt ſolem occiduum volat. Veſpertiliones per translationem etiam dicuntur, qui ære alieno gravati metu creditorum interdiu domi latent, & nocte pervagantur. 12

Philomela effert numeris ſeptem diſcrimina vocum, ò gratum jucundiſſimæ vocis ſonum! ò ſuaves numeros delicatæ flexionis! ò delectabilem arguti gutturis cantum! nihil hoc concentu feſtivius. Perſonat patrium carmen voce arguta canaris. Santillat exiguo cornu Fringilla; modulos inflectit diſcolor carduelis: ſed philomela cantus inflexione, varietate, ac ſuavitate reliquas canoras aves antecellit. 13

Cornix avis vivaciſſima minor corvo, cæterarum avium dux. Cornices hi etiam dicuntur, qui cæteris videri volunt ſapientiores. Hinc Salomon in Proverb. *Cornicum oculos configere*, perinde eſt, ac veterum ſapientiam novo invento obſcurare. 14

Grues volantes ordine quodam literam y videntur deſcribere, quod Palamedes omnium primus obſervavit: unde Martialis vocat grues Palamedis aves. Excubias nocte dividunt alterno pede inſiſtentes, & lapidem ungibus tenentes ad ſomnum excutiendum.

De quadrupedibus agit Fatidicâ *lib. 3. c. 1.* ſurgebat in pedes Leo, arrectis jubis, & vibrato caudæ flagello, generoſi pectoris robur oſtentabat. Eminebat prodiga corporis magnitudine Elephas, porrectiſque ad paſtum manibus larga ventrem dape explebat. Attollebat oblongum collum, & procera crura Camelus, dorſo ad ferendas ſarcinas tuberante. Circumferebat trucem oculorum aciem informis corpore villoſo Urſus. Spirabat indomitam ſævitiam maculoſa Tigris. Spargebat ſoporiferam vim utróque potens ſexu Hyæna. 15

Animus.

Eſt animus, ait Nonius Marcellus *c. 5.* quo ſapimus; & anima, quâ vivimus. 1

Dicimur cadere animo, ſtare, trepidare, ancipites hærere, incertus animi; in re difficili ſuperatu animum habere. 2

Ne deſpondeas animum, ac abjicias. Sta forti animo. Nitere firma mente. Ne te deſerat animus. Statutum ſic cum animo habeas, ac deliberatum. 3

Magnam fortunam magnus animus decet. Noſtra omnis vis in animo, & corpore ſita eſt. Omnia orta occidunt, & aucta ſeneſcunt, Animus incorruptus, & æternus manet. 4

manet. Eminent ſemper, ſubſiliúntque in animo illi igniculi, qui in his tenebris illuſtrant, in his ſordibus depurgant, in his ambagibus diriguut, & ad conſtantiam ducunt, & virtutem.

5 *Phocion* ajebat debere jugiter homines mente vigilare, cujus ſomnus veræ morti finitimus eſt.

6 *Plutarchus* dixit, conſilia ſenum, haſtàs juvenum eſſe.

7 Opus eſt animo valeamus, quò corpore poſſimus. *Cicer.* Major eſt animi voluptas, quàm corporis. *Cicer. de finib.* voluptate animi nulla poteſt eſſe major. *Cato Major.*

8 Vires corporis conſeneſcuut: ſed animi robur probie in viris ſenectuten pati non poteſt. *Xenophon orat. pro Ageſilao.*

9 Solutis corporis nexibus, animus ſemper vigens, motibus indeſeſſis, ac cogitationibus ſubjectus, & curis, quæ mortalium ſolicitant mentes, colligit vaſa nocturna, quæ nos phantaſias vocamus. *Amian. Marcellinus lib. 14.*

10 Solus animus in nobis Libithinam fugit, reliqua ſunt fluxa brevi duratura ævo.

11 Sicut animo, ita & virtute vivamus. Stobæus *ſerm. 1.*

12 Non facies eſt exteriùs fucanda; ſed animus interiùs virtutibus exornandus. *Laert.*

13 Ut navis, quæ inter fluctus, ſine clavo jactatur: ſic mens, quæ in hac vita ſine ſapientiæ gubernaculo movetur.

14 Nil magni diſcriminis conſilijs tam inimicum, quàm celeritas.

Annus, & Annona.

1 Annus teſte Servio ab annulo ſuam videtur nomenclaturam trahere; eò quia ita fluat, ut in ſe refluat, unde Virgilius *Atque in ſe ſua per veſtigia volvitur annus.* Annus ante inventas literas ab Ægyptijs accommodato Jerogliphico ſignificabatur per ſerpentem in ſe revolutum, ac ſuam mordentem caudam, circulúmque deſcribentem.

2 Tripliciter annus dividitur in lunarem, ſolarem, & magnum; lunarie, qui & menſtruus, eſt, quo luna paulò minus, quàm menſem in zodiaci circuitione conſumit. Annus ſolaris eſt, quo ſol duodecim ſigna zodiaci decurrit, comptehenditqoe menſes duodecim, ſeu dies 365. & quadrantem, quibus ſol totum luſtrat zodiacum, quo fit ut quarto quoque anno dies intercaletur Virgil. *Interea magnum ſol circumvolvitur annum.* Annus magnus continet duodecim millia quingentos, & quinquaginta quatuor annos ſolares, quo tempore omnes planetæ in eundem recurrunt locum, ſuáſque abſolvunt perjodos; ſeu expletur annus magnus, quando cœleſtia omnia ad eandem protſus, & in ſe ipſis, & invicem diſpoſitionem, quàm habent hodie, revertentur.

Ovid. 10. metam.

Labitur occultè, fallitque volubilis ætas,
Et nihil eſt annis velocius.

Virgil. 3. Georg.

Et fugit interea, fugit irreparabile tempus.

Idem 3 Æcneid.

Stat ſua cuique dies, breve & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ

Propertius

Vivitur ingenio, cetera mortis erunt

Horat. lib. 2. Od. 14.

Eheu fugaces Poſtume Poſtume
Labuntur Anni.

Seneca. Diem nox premit, dies in noctem; 3 æſtas in autumnum deſinit; Autumno hiems inſtat, quæ vere compeſcitur; omnia tranſeunt, ut revertantur. Tibi autem nemo reſtituet annos tuos, nemo iterum te tibi reddet. Ibit, quà cœpit ætas, nec curſum ſuum, aut revocabit, aut ſupprimet. Non illa Regis imperio, non favore populi longiùs procedet.

Virgilius

Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtisque ſenectus;
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Annonæ charitas eſt ægeſtas. Mirum in modum annona ercverat. Congerere annonam in proximæ hyemis impendium. Annonæ defectum timere. Res frumentaria in tranquillum deducta eſt. Solennis alimoniæ ſubſidia alicui detrahere. Dicimus flagellare annonam in area. Mittere legationem ob annonæ, vel rei frumentariæ anguſtiam. 4

Annona res eſt omnis, quæ ad annuum victum pertinet. Veteres annonam annuam mercedem vocârunt. *Tacit 1. Annal.* Auguſtus populum annonâ pellexit. 5

Flagellare annonam illi dicuntur, qoi magnas opes clauſas in arcis retinent: & fruges invitas veluti verberibus, & carceribus coërcitas erumpere foras non ſinunt. Hinc Martialis. *Et cujus laxas arca flagellat opes.* Alij dixerunt ſtrangulare opes, & hi dicuntur Dardanarij, quaſi veneficio in horrea ſua fruges contrudant; ut poſtcà cariùs eas vendant, dicti à Dardano inſigni Mago; à quo artes Dardaniæ, ſive magicæ inventæ dicuntur. 6

Avaritia.

Eſt avaritia inordinatus amor habendi D. Tho. 1 *1. part. quæſt. 63. art. 2.* ſeo quarumlibet rerum inſatiabilis, ac inhoneſta cupido.

S. Auguſt. in ſerm. Non ſolum avarus eſt; qui rapit aliena, ſed ille avarus eſt, qui cupidè ſervat ſua. Avarus antequam aliquid lucretur ſe ipſum perdit. Imò eſt avarus æſtuans infernus cupiditarum poſſidendi: infernos quantóſcunque devoraverit nunquam dicit ſatis: hoc idem repetit avarus, licèt omnes theſauri in ipſum confluxerint. Imò ut ait D. *Auguſt. de lib. arbitrio*; quum avari-

tia alicui dominatur, ſubjectus malis omnibus demonſtratur; quia de avaritia mala omnia oriuntur; & peccatorum omnium ſpinæ producuntur.

3 Avarus avido eſt ingenio, inhiat divitijs, ſitit aurum, ac ſi velut pumex exareſceret. ſi rabes avaritiæ animum invadat, totum hominem inficit, ac corrumpit.

4 Avarus, dum de incremento cogitat, oblitus eſt usûs, forum conterit, kalendarium verſat, fit ex domino procurator. *Seneca.*

5 Avaro tam deeſt, quod habet, quàm quod non habet. *S. Hieron. ad Paulinum.*

6 Inflammatur lucro avaritia, ſed non extinguitur. *S. Ambroſ. de Naboth Iſraëlita.*

7 Cum cætera vitia ſeneſcente homine ſeneſcant, ſola avaritia juveneſcit. *S. Hieron.*

8 Avaro pluris eſt auri ſacra fames, quàm cura probæ famæ.

9 Avarus, quia aurum amat, neceſſe eſt, ferrum timeat; non enim ſine rimore congeſtum poſſidet aurum. Ubi enim mutæ divitiæ, ibi plures parantur inſidiæ.

10 Avaro bona deſunt, dum adſunt, divitijs caret, quas poſſidet. Eſtque pauper, dum diteſcit, quia ille pauper, qui plura expetit; & avarus plura ſemper deſiderat, quibus ſuam expleat inextinguibilem ſitim.

11 Divitiæ maximum ſunt infelicitatis inſtrumentum, earum vora anxia ſunt, quæſtus vilis, poſſeſſio periculoſa, uſus imprudens, jactura impatiens.

12 Divitiarum amor inſatiabilis longè ampliùs torquet animam, quàm refrigeret uſu ſuo, quarum acquiſitio quidem laboris, poſſeſſio timoris, amiſſio plena doloris invenitur. *S. Bernard.*

13 *Bion* vocavit avaritiam omnis improbitatis metropolim; & avaros ſuos non poſſidere facultates, ſed à ſuis poſſideri ipſus facultatibus ajebat. *Laërtius lib. 4. cap. 7.*

14 *Chilon* cenſuit, hominum bonitatem perinde auro probari, ac aurum Lydio lapide: oſtendens plures auri aviditate à virtute perſæpe abduci, qui alijs reſtiterint vitiis.

15 *Julianus Imperator* quatuor confecit prandia uno lepore, quem dono acceperat.

16 *Philippus Rex* ajebat, nullam arcem adeò benè munitam eſſe, quin facilè ſuperari poſſit, ſi aſinus auro onuſtus eam ingrediatur.

17 *Parthi* Croeſi avaritiam punituri, eidem capto liquefactum aurum per gulam in ventrem infuderunt additis verbis: ſatia te nunc auro, quo te in vita ſatiare non potuiſti.

18 *Midas* omnia, quæ tangeret, in aurum optavit converti poſſe. Quod cum Bacchus ei indulſiſſet, valdè ſibi placuit. Sed mox voti factus compos doluit amentiam ſuam, ubi ventrem intus obmurmurantem ſentiret, & ſtomachum fame torqueri.

19 *Caligula* tam avarus fertur fuiſſe, ut teſtatores adigeret ad eum hæredem teſtamento ſcribendum: quòd ſi confecto teſtamento ſuperviverent, eos vita ſpoliabat, quò eorum bonis frueretur.

Euchio ollam pecunijs habuit refertam, & abditam terrâ: domo non audebat egredi, ne quis ſuffuraretur. Omnes qui ad ipſum accedebant, furti ſuſpectos habebat. 20

Nero ob avaritiam tabernulas expilabat, & templis dona eripiebat. 21

Caligula fœminarum, mariúmque lupanaria turpiter poſtulata mercede elocavit. 22

Judæi, cum Hyeroſolyma à Tito, & Veſpaſiano expugnaretur, in ſummo vitæ periculo, & jam jam morte imminente, aurum deglutierunt, ne à militibus ſurriperetur. 23

Avaritia Tarpejam Veſtalem, ut hoſtibus Capitolium traderet, peſſimis adegit conſilijs. Danaes pudicitiam tot cuſtodibus munitam, tot catenis aſſervatam ſine armis expugnavit aureus imber. 24

Jugurtha Numidarum rex, quod hodie de multis, olim de Roma, dixit: *venalis eſſet Roma, ſi emptorem haberet.* 25

Plato euipiam pecunijs inhianti dixit, ò improbe, ne poſſeſſioni augendæ ſtudeas, ſed minuendæ cupiditati. 26

Semiramis in monumento, quo poſt mortem erat recondenda; hæc juſſit inſculpi: *Quicunque regum poſt me pecunia indiguerit, recluſo conditorio, ſumat inde, quicquid viſum fuerit.* Darius auri cupiditate ſepulchrum recludi juſſit; in quo tamen pecuniam invenit nullam; ſed hoc tantùm literis ſculptum: *Niſi malus fores, & avarus; non mortuorum loculos moveres.* 27

Polybius avaritiam hydropi pariavit: quia ſicut hydrops nullo poteſt hauſtu ſatiari, nec ſitim, qua laborat extinguere: ita nec avarus ullis congeſtis divitijs ſuam explere cupiditatem. 28

Plutarchus in moralibus, ſcabiei comparavit avaritiam: ſicut enim ſcabioſus ſemper opus habet frictu: ita cupiditas animi, nunquam ſatiatur. 29

A mortuis tributum exigere de ijs dicebatur, qui per fas, nefasque divitias congerunt, & lucrum turpiter aucupantur à rebus minutis, ac ſordibus. Talis fuit Veſpaſianus, qui è lotio vectigal inſtituerat; ſuper quo à filio monitus, diſſimulavit, donec prima penſio eſſet ſoluta. Tunc exactam pecuniam filij naribus admovit ſciſcitans, num odore offenderetur. Neganti filio, reſpondit pater: at hæc pecunia è lotio eſt. 30

Quæ ſparſim legi ſub litera initiali alphabeti diſtributa in ſuas claſſes tibi exhibui, ut tu ſub alijs collecta legas, videàsque modum, quo ſub ſequentibus alphabeti literis ſint à te lecta, legenda, audita, vel audienda ſeriatim, ac in ſuas claſſes diſtribuenda. Non enim mens mea fuit hic integrum florilegium attexere. Conſule Polyantheam Joſephi Langij. Officinam Raviſij Textoris. Florilegium philologicum Reineri Nehuſij; & alia plura ſpicilegia uberem tibi ſuppeditabunt dicendi in quavis materia ſegetem. 31

PRO-

PROLEGOMENUM XX.

De Seceſſu, & Meditatione Eloquentiæ candidato perneceſſarijs.

1 EUm, cui in animo eſt, ſedulò culturæ Eloquentiæ operam præſtare, oportet ſeceſſum quærere, animúmque ab omni moleſtia, curisque gravioribus ſejungere, quia ut Ovidius cecinit,

Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt.

Cui conſonat Poëta Italus vernaculo carmine non Poëtis tantùm, ſed & oratoribus, ac eloquentiæ cultoribus, omnibùsque ſtudioſis accommodando

Lieto nido, eſca dolce, aura cortese,
Bramano i Cigni, e non ſi và in Parnaſſo
Con le cure mordaci.

Eloquentiæ amanti ſeceſſus literarius perneceſſarius eſt, quia curæ; & negotia mentem adgravant, ac præpædiunt, nec ſinunt eam avolare, quò magis libuerit: neque abs re nonnemo ut ſymbolicè proderet literarium hunc ſeceſſum; paſſerem, quem ſolitarium vocant, pingi curaverat procul ab urbe in exeſæ rupis editiſſimo cacumine: addito lemmate *Nullibi ſuaviùs*: ingenium hujus aviculæ eſt ſolitudinis amor, unde ſolitarius paſſer vulgò dicitur: ſolet nidificare deſertis in rupibus, ac nonniſi deſertis gaudet locis, ubi adeò diſertè, ac eleganter canit, ut in magno ſoleat haberi pretio: & Bellonius refert, hujus avis cantum adeo placuiſſe Franciſco Gallorum Regi, & illo tantùm delectatus, ceteros reſpueret, eſt ſiquidem ſuaviſſimus, diu, noctúque præſertim ad lumen candellæ: pro, terea viri ſtudioſi diu, noctúque navantis operam literis eſt aptiſſimum ſymbolum: quia nullibi occinit ſuaviùs ſibi, & orbi, quàm cum ſibi in ſeceſſu attendit, & tacitæ per amica ſilentia noctis ad lucernam in Muſæo receptus nullo diſtrahente mentem externo ſtrepitu, totus eſt in eloquentiæ cultura. Docuit hoc Demoſthenes græcæ eloquentiæ princeps, qui non tantùm opportuniores ad texendas orationes ſelegerat antelucanas horas, verùm etiam muſæum ſibi conſtruxerat ſubterraneum, ne ab ullo poſſet facilè avocari. Eloquentiam excoluit Cato ſenior, ejúsque attigit ſublimiora culmina, de quo Cicero: *Dij boni! mitto Civem, aut Senatorem, aut Imperatorem, Oratorem enim hoc loco quærimus. Quis illo gravior in laudando? acerbior in vituperando? in ſententijs argutior? in docendo, ediſſerendóque ſubtilior?* ac conſtat, Catonem, priùsquam in forum peroraturus deſcenderit in abditiſſimo loco ſe exercuiſſe, ac ſeceſsûs ſtudioſum ſe curis omnibus abdicâſſe. Quotquot igitur acturi Oratorem operam enanciſcendæ eloquentiæ impendunt, literarium ſeceſſum quærant, externa declinent negotia, curáſque ſingulas, quæ mentem occupant humanam, exagitant, ac turbant.

2 Seceſſui literario diutina ſcribendarum rerum adnectenda eſt præmeditatio, ne quicquam permittatur è calamo dilabi, ac in lucem prodire, quod non fuerit ſolicitiùs elaboratum, ac omnibus ſuis abſolutum numeris, quia perenne eſt, & judicium oculorum gravius, quàm aurium; non quæ citò abſolvuntur, hæc laudantur, ſed quæ perfectè. Ferunt ad rem noſtram Pictorem quendam circumforaneum Apelli Pictorum principi tabellam obtuliſſe, quam ſe illo die immo paucis horis delineâſſe audacter jactaret, cui Apelles non erat, inquit, cur moneres temporis anguſtias, quas per ſe opus ipſum ſatis admonet. De Auguſto narrat Suetonius, neque in Senatu, neque ad milites, neque ad populum fuiſſe onquam loquutum niſi meditata, ac ſedulò compoſita oratione; nec ſermones graviores etiam cum Livia conjuge habuiſſe unquam, niſi præmeditatis omnibus, quæ expoſiturus erat: quantò magìs quæ typis, ac chartis mandantur, ſunt ſedula diſcuſſione præmeditanda: hinc Regius Vates *Pſal. 44. Eructavit*, inquit, *cor meum verbum bonum, dico opera mea Regi, lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*: ediſſerit nobis hocce regij Vatis effatum Auguſtinus inquiens: *Quæro quare linguam calamum dixit eſſe ſcribæ velociter ſcribentis? mihi videtur, quantum audet humana intelligentia, & hoc poſſe accipi ex perſona Patris dictum: lingua mea calamus ſcribæ, quia quod lingua dicitur, ſonat, & tranſit: quod ſcribitur, manet: cum ergo dicat Deus Verbum, & Verbum quod dicit, non ſonet, nec tranſeat: ſed ut dicatur, & maneat ſcriptu, hoc maluit DEUS comparare, quàm ſonis.* Ut igitur quod chartis traditur, cum laude perenne ſit, ratum eſſe debet, ſeu præcedenti meditatione firmatum.

Plurimum Orator ex meditatione hauriet utilitatis, ſi diutinè argumentum inventionis venuſtate expoliendum, elegantiarum phaleris ornandum, ſententiarum luminibus illuſtrandum, figurarum varietate pingendum mente revolverit, & quæ circa illud aliàs legerit, annotaverit, modúmque eorundem ordinandorum quæſiverit, & præſertim quibus rationibus firmandum fuerit argumentū, inveſtigaverit, quibus exemplis fulciendum. Aliud meditatio ſuppeditat Oratori commodum, quia quò frequentiùs exercetur, eò ad majora ſemper præparat animum. 3

PROLEGOMENUM XXI.

De Argumenti Delectu, & Propoſitionis ornatu

PRæcipuum Oratoris momentum in deligendo argumento ſitum, novêre quotquot eloquentiam profitentur, quia ut cecinit ille; ſicut: *Non omnis fert omnia tellus*, ita non omnia quæ ſtatim fiunt obvia argumenta viribus reſpondent eloquentiæ ſtudioſi. Plerique ingenio pumiliones, ut Herculem ſe venditent prægrandia aggrediuntur argumenta pertractanda, quibus cum vires pro tanto co- 1

nâtu haud ſufficiant, ipſo moliminis pondere preſſi ſtatim ruunt, neque quò ulterius progrediantur, ipſis ſuppeditatur: qui Hercules non fuerit ſortitus vires, orbi fulciendo ſuppoſiturus humeros, minimè accedat: hoc idem docet Horatius eloquentiæ cultores, inquiens: *Verſate diu quid ferre recuſent, quid valeant humeri*: cum haud dubiè rideres Lapidicidam, qui ligneo ſcalpello diu, noctúque deſudaret in præduro ſcalpendo marmore, ratus ſe poſſe eo imbecilli inſtrumento elegantem effingere ſtatuam: ita ingenio hebetes, ne riſum moveant, ſi quæ ſunt ſubtiliora argumenta, ne pertractent, alia peroraturi proponant proprijs accommodata viribus, captu, & explicatu faciliora: quos natura veſpertiliones effecerat, plerumque jactantia effingit aquilas; ſed veriùs Icaros, cum nec volatu aves, nec natatu piſces imitentur, in quos idem retorqueas carmen, quod in Icarum filium alta nimium tenentem Dædalus Pater apud Poëtam Italum,

Sconſigliato fanciul, ſciocca farfalla,
Già del foco vicin tocchi la sfera,
Ne ti ſouvien, che debili à la ſpalla,
Porti dentro le fiamme ali di cera?
Icaro, oime, tropp'alto Icaro ſali;
Ferma Icaro il volo, abbaſſa l'ali.

2 Sicuti varia ſunt florum, plantarúmve ingenia, ita mira ingeniorum varietas, quædam ſunt aurea, alia argentea, hæc ferrea, pleráque plumbea; illa quaſi cœli cupidine tacta altius agunt iter; alia teſtudineo gradu repunt humi; cum unà & eadem non ſit vis ingenij omnibus ac ſingulis indita; neque unum ac idem argumentum æquo ſplendore, ac decore à ſingulis pertractabitur indiſcriminatim: non parùm igitur adhibeat induſtriæ eloquentiæ cultor in ijs deligendis argumentis, quæ proprij ingenij non excedant vires; faciliùs, ac nervoſiùs pertractantur, quæ infra vires ſunt, quàm quæ ſupra: parùm facit ad excellentiam artis, an materia artefacti plus, minúſque habuerit pretij, non materia ſed opificium excellentiam commendat Artificijs: quid vitro deſpicatiùs? quid tenui cryſtallo fragilliùs: & nihilominus à præexcellenti Matheſis Profeſſore referente Cedreno *pag. 338.* Cryſtallina machinula ea fuit artis induſtria elaborâta, ut in ipſa cœli immenſitas, ſphærarum rotationes, ſyderum curſus, & recurſus, mira motuum varietas, planetarum intercapedines, æternæ ſolis gyrationes, gliſcentis, & decreſcentis lunæ vices, perjodi, eclypſes, eleganti deſcriberentur opificio: & quod eſt mirum dictu, quædam volvebantur machinulæ, è quibus vis aquarum erumperet, quæ modò in minutiſſimos dividerentur imbres, modò in craſſiores rigeſcerent grandines, modò quibusdam diſruptis catarrhactis ruerent in torrentes. Celebris fuit Archimedis ſphœra, eò quod intra exigui vitri anguſtias cœlorum comprehenderit immenſitates, ac ſphærarum omnium amplitudines, & tamen, licèt vitrea, æternam promeruit commendationem: ita non laudatur Orator, ſi nobile, vel mediocre produxerit argumentum, bene tamen ſi illud idem eo tractaverit artificio, eo corroboraverit ſententiarum pondere, ea ornaverit elegantiarum varietate, ut Auditores alliciat, doceat, ac in eam flectat partem, prout ipſi magìs libuerit, quod ſummum eſt totius eloquentiæ momentum.

Non eos tamen laudârim, qui verſatili levitate huc, illúcque deſilientes ſeria quæque negligunt, ut in nugis, & quisquilijs triumphent, ac inflatis buccinis epinicium canant, ubi muſcam inter & papilionem vertitur altercatio: nec eos commendârim abdomini addictos, qui niſi culinæ nidor ſuboleverit, nunquam ab otio excitantur, quo deſides emarceſcerent: ſunt quidem ea deligenda argumenta, quæ vires minimè excedant Oratoris; non tamen puerilia, nec ludicra, nec de rebus deſpicabilibus, quæ ſtomachum moveant: hæc gravem, & candidum Oratorem non decent, cujus non exigua laus eſt, ea duntaxat exhibere, quæ plurimum videntur ponderis præſeferre, cum quibus optimè cohæret dictio, nitida, compta, Rhetoricis ornata coloribus, & crebris elegantiarum veneribus quaſi picta aſarotis vermiculata: hos ſiquidem oratorios flores etiam Athenienſes tenerioris eloquentiæ cultores exhibuêre ad aures demulcendas, animóſque blanda quadam ſuavitate alliciendos; quas dicendi amœnitates non minus Atticos ſales propter ſolertes facetias, quàm mel Atticum ob ſuavitatem loquendi vocârunt.

Plurimùm Oratori proderit in id præſertim incumbere, ad quod naturâ ſuâ propenſior, ac aptior fuerit: hominis natura inſtitutum imitatur planetarum, qui ubi retrogradi volvuntur, parum videntur proficere: non patitur natura contra inditam ſibi propenſionem ad molimen aliquod adigi: hinc ſcitè ajebat Severus Caſſius, etiam politiſſima ingenia vix plusquam in una, vel altera facultate eminere, ad quam ſcilicet naturæ ducebantur inſtinctu: pleráque ſunt exempla obvia, quæ id enucleatiùs nos edocent. Virgilius tametſi grandiori tuba nonniſi heroica cecinerit, in ſolutis texendis orationibus nullum fuit conſecutus dignitatis ſplendorem: Marcus Tullius in ſoluta oratione humanæ attigit culmen eloquentiæ, at in carminibus omni prorſus caruit eloquentiæ nitore. Idque non ingenijs tantùm, verùm & corporibus experimur contingere, quæ licèt viribus apprimè inſtructa non tamen ad omnia æquè molimina valent. Proſiliant laxa in compita ex nervoſioribus infimæ plebis viris ſelectiores, non omnes æquè ad idem valebunt: illi luctando nemo par erit; iſte in vehenda gravioris ponderis ſarcina ceteris antecellet: hic in tollendis exeſis è rupe cautibus, plantíſve bene vegetis eradicandis prævalebit. Quid ni! mira hæc ingeniorum varietas, vel in ipſis elucet animantibus, quibus nullum clareſcit rationis lumen: etenim ex venatico canum grege alij ad leporem, alij ad aprum, quidam ad cervum, iſti ad coturni- 3

ces,

ces, perdices faciunt; equorum alij equitem melius patiuntur, quidam jugum; ita ingeniorum varia eſt conditio, ac indita propenſio: Æſopo ſermo erat de humillimis rebus, & ficta materia omni ad arbitrium, ac libidinem; ipſa quoque dicendi ratio nixa ſimilitudine, & accommodatione quadam ad vitam humanam: è converſo habebatur à Socrate oratio de æquo, & bono, de utili, & honeſto, déque graviſſimis rebus, quibus homines ad rectum humanæ vitæ informarentur inſtitutum, conſueverat Æſopus cum pueris, tabernarijs: ac plebe infima confabulari; Socrates verò nonniſi cum Philoſophis, Rhetoribus, proceribus, ac principibus ſermones inſtituebat; uterque excelluit propria dicendi ratione, quia neuter id declinaverat, ad quod natura propendebat.

5 Quiſque ſtudeat proprium explorare Genium, ac ingenium; & illi adhæreat dicendi rationi, ad quam ſe magis aptum eſſe noverit: ſi eloquentiæ ſtudioſus mediocre argumentum ad amuſſim pertractaverit Rhetoricarum inſtitutionum plus conſequetur commendationis, quàm ſi nobiliſſimum producat, quod validè, ac nervosè exhibere minimè valeat. Ferunt Pireicum pictorem haud obſcurum proprij Genij ſecutum propenſionem pingendis duntaxat ſtabulis præſepibus, ac infimæ notæ animantibus aſſueviſſe: Serapionem verò, ut pictor haberetur nobilior, in delineandis cœlis, Numinibúsque ſeſe occupâſſe, eo tamen diſcrimine, ut præſepia, ac ſtabula Pireici cœleſte quid propter elegantiam præſeferrent: cælos verò Serapionis ſtabula potiùs ſaperent.

6 Proponendum eſt argumentum per venuſtam aliquam propoſitionem, quæ Auditores alliciat, ac demulceat, attentóſque ad orationem efficiat. Oratio, quæ præcipuum eſt oratoris opus, eſt quædam ordinata verborum, ac ſententiarum congeries ad unum aliquod ſuadendum, vel diſſuadendum. Licèt ex pluribus coaleſcat partibus, ex ijſdem tamen ſola propoſitio, ejúſque probatio ſunt neceſſariæ; quibus, ſi deſtitueretur, oratio non eſſet: aliæ partes ut exordium, narratio, & epilogus ſunt integrantes. Ex hiscè Narratio, & probatio docent: exordium animos præparat, attentionem ſibi conciliat: Epilogus commovet.

7 Propoſitio, quæ in fine exordij ſolet exhiberi, debet una eſſe non multiplex, quia ab ipſa ſuam oratio deſumit unitatem; debet tamen extendi ad ea omnia, quæ in oratione tractantur, adeò ut hæc in propoſitione comprehendantur, non ſecus, ac in ſemine tota planta; ſiquidem omnia argumenta in hanc unam propoſitioné probandam collimant. Propterea debet propoſitio eſſe perſpicua, & clara, oaptúque facilis. Et quia propoſitio plurimum habet momenti ad benevolentiam, ac attentionem auditorum ſibi conciliandam; ideo veſtienda eſt aliquo ornatu, quo venuſtior appareat. Ex propoſitionibus illæ reliquis præferuntur, quæ exercitia virtutum, & vitiorum fugam ſuadent, moréſque informant: & ex Concionatoribus illi potiſſimum à populis probantur, qui moralia tractant, corruptos mores corrigunt; & ad virtutum culturam pertrahunt. Ut autem propoſitio attentionem excitet; aliquid debet ei novitatis ineſſe, quæque ad praxim deducatur; ſeu ad opus, ſeu exercitium virtutis: ſi enim fuerit ſpeculativa ad ſolam pertinet cognitionem, & aliquem movendum affectum. Præſertim cohæreat propoſitio loco, tempori, ac perſonis: ſi vitia graſſentur, orator acriùs in ipſa invehat, à verborum phaleris, poëticis cantilenis abſtineat, ne videatur Neronem imitari chelim pulſantem, cum urbs diflagraret, & flammis abſumeretur.

Ut propoſitio attentionem conciliet, neceſſe eſt, præter adſtantium utilitatem, aliquam exhibeat novitatem, non ita tamen ut ex illecebra novitatis in fucos, nugáſque degeneret, vel in ridiculas hyperboles. Propoſitio quamvis trita, & vulgaris tunc novitatem induit, ſi proponatur problematicè. Si dicas: *Perſecutionem plurimum intuliſſe eccleſiæ damni*; propoſitio eſt ſimplex. quæ nil præſefert novitatis: at ſi dicas: *plùsne ut[illegible], an detrimenti intulit perſecutio eccleſiæ?* [illegible]c propoſitio problematica plus habet aucupij, quo attentionem ſibi conciliat; & laxiorem ſibi aperit amplificationis campum. Aliquando propoſitio abſoluta novitatem exhibet, ſi fiat comparativa. Si dicas: *improbos exhibere probis occaſionem exercendi patientiam*, nil novi aſſeris: ſed ſi propoſitio fiat comparativa, & dicas: *Virtutem plus incrementi ab impijs hauſit, quàm à viris probis*: fit propoſitio nova, & venuſta. Ut etiam ſi contradictorijs conſtet: ſi dicas: *Mortem minùs acerbam pauperibus obtingere*, nil propoſitio continet venuſtatis: ſed ſi dicas: *genus quoddam felicitatis eſſe infelicem mori*; hæc contradictio novitatem induit, qua attentionem conciliat. Idem contingit, ſi propoſitio ſimplex fiat paradoxica: Si dicas: *hominem cæteris ſenſibilibus creaturis eſſe præſtantiorem*, nil novi profers; ſed ſi illam reducas ad paradoxum; & dicas: *Minorem mundum majore grandiorem eſſe*: plurimum habet concinnitatis, ac venuſtatis; & excitat ſtatim attentionem. Per oppoſita habetur etiam novitas: ſi dicas: *Adverſa interdum proſunt*, nil profers venuſti: ſed ſi dicas. *Fortuna irata nobis eſt mitior*; novitas animum excitat attentiorem. 8

PROLEGOMENUM XXII.

De Partitione, & ſymmetria membrorum texendæ orationis.

Congeſtâ rerum ſelectarum ſylvâ, ac invento argumento Oratori haud impare, ſupereſt diſponenda materia, quâ argumentum verborum copia, uberi ſententiarum, rerúmque ſegete ritè probetur, ac concinnè ſingula diſtinguantur orationis membra. Parum prodeſſet congeſſiſſe neceſſaria 1

omnia

omnia ad magnificæ ſtructuram domûs, niſi præexcellens accederet Architectus, qui ædificium erigeret, officinas, ſcalas, rectas, cochlites, aulas, cœnationes, muſæa, thalamos, Gynecæa, Andronitides, procœta, doliaria, Hypogæa, cellulas penarias, atria, impluvia, & alia id genus omnia exactè divideret, ac eleganter diſponeret, quæ ad abſolvendam palatij ſtructuram deſiderantur: *ut opera extruentibus ſatìs non eſt, ſaxa, atque materiam, & cætera ædificanti utilia congerere*, ait. Quintilianus præfat. lib. 7. Inſtitut. orat. *niſi diſponendis ijs, collocandiſque artificum manus adhibeatur: ſic in dicendo quælibet abundans rerum copia cumulum tantùm habeat, atque congeſtum, niſi illas eadem diſpoſitio in ordinem digeſtas, atque inter ſe commiſſas devinxerit.*

2 Sicuti recta rerum diſpoſitio, partiúmque legitima diſtributio elegantiam ingerit; ita confuſio fœditatem: neque errant, qui adſtruunt, naturam ipſam non aliter ſtare, quàm ordine, quo confuſo peritura forent omnia: nec abs re Anonymus, ut ſymbolicè adſignificaret pulchritudinem, ac venuſtatem ab ordine, perinde ac nitores à ſole prodire, regium pinxerat palatium adjecto lemmate: *Ab Ordine decor*; etenim ordinem ſi tollas, temerè aggeſta ruderum ſtrues ſtatim emergit; ita oratio hocce deſtituta rerum ordine neceſſe eſt tumultuetur: & certè ordo non minùs orationi pernecesſarius eſt, quàm pugnantium militum cataphractis copijs, ſine quo ſicut bellantium ordo tepeſcit, ac telorum acies infringitur; ita ſi ordinem demas omnis deſloreſcit orationis venuſtas, deficit pulchritudo, decidit robur. Modicus pugnantis Cyri exercitus, ſed ordine ritè diſpoſitus innumeras fregit vecordis Xerxis copias, non alia ratione niſi quia præ nimia multitudine temerè, ac confuſè injêrunt milites cruentum illud bellum.

3 Quid humano corpore elegantius? quid venuſtius? at ſi alterum pedem capiti adnecteres, oculum pedi, monſtrum horreres, quia partes à recto deflecterent ordine. Oratori, qui legitimam negligit partium diſpoſitionem, hoc idem contingit, quod ſtratego milites ſinenti tumultuariò, ac confuſè proſilire ad pugnam, qui ſibimet ſunt potiùs impedimento, & nuſquam epinicion canunt. Eorum certè redarguendam cenſeo imperitiam, qui præfervido ingenij calore eò ducuntur, ut abſque ullo ordine ſeſe ad perorandum accingant, volantem quandam, ac ludibundam exhibentes eruditionum congeriem inanibus permixtam floſculis, neglecto rerum ordine, ac diſpoſitionis elegantiâ.

4 Quemadmodum plurimum conſequitur commendationis ſtrategus, ſi in ipſo pugnantis exercitûs calore equitum, peditúmque probatum ſervaverit ordinem, ſive anceps hæſerit Martis alea, ſive victoria in partem flexerit oppoſitam: ita non imparia laudis incrementa obtinet Orator, ſi tametſi varias rerum copias exhibuerit ... ſemper inVexerit ordinem, in partium diſpoſitione, nimirum ut Horatius cecinit.

Ne primo medium, medio ne diſcrepet imum.

Sed perinde ac in muſico concentu reſpondeant ultima primis. Nulla ineſſet mundo pulchritudo, nulla venuſtas, ſed lurido ſqualore neglecta torpeſcerent omnia; niſi corpora, quibus hæc mundi compingitur machina ſive amico fœdere nexa, ſive concordi diſcordia ſimul illigata ordine conſiſterent, vel ſuos torquerentur in gyros: quinimò tanta eſt, quæ hocce ab ordine rerum conditarum emergit elegantia, ac concinnitas, ut Athanaſius *oratione contra idola* poſt medium non alio fuerit uſus argumento ad evincendam Numinis exiſtentiam, ſcitè ipſe: *Quis cernens contrarias inter ſe naturas, cooptatas tamen eſſe, & concordem harmoniam tenere, velut quis videns ignem frigido, & ſiccum humido commixtum eſſe, atque hæc ſibi invicem non reſiſtere, ſed unum quaſi corpus abſolvere non ſecum cogitet foris, & ſeorſim eſſe cum ab iſtis, qui iſta in hunc modum conjunxerit?* Nonnullis interjectis ſubdit. *Quis animadvertens in ſimilibus, contrariiſque parem, ſimilémque ordinem ex illis conſlari non animo ratiocinetur unam eſſe vim, potentiámque, quæ iſta diſpenſet, & gubernet, pro cujus arbitrio omnia ita ritè in eo ſtatu perſeverant.*

Quid elegantius ordine, quo micantia ſydera, aliáque cœli corpora perniciſſimo curſu ſuas abſolvunt diurnas, menſtruas, annuas perjodos, quaſi ad muſicum moverentur concentum, & choreas viderentur deſcribere; vel ut placuit Nyſſeno in *Hexaëm.* concinnam texere orationem: *Artificioſum, quod in cœlis ex converſionis concentu ſpectaculum viſitur apud peritos munere fungitur orationis.* Boëtius mutua quæ inter ſeſe ineunt fœdera cœli, quia ab ordine promanare noverat, pulchrè cecinit *lib. 1. de conſol. metro. 6.* 5

Aſpice ſummi culmina cœli
Illic juſto fœdere rerum
Veterem ſervant ſydera pacem,
Nec ſol rutilo concitus axe,
Gelidum Phœbes impedit axem.

Ut autem ex legitima partium diſtributione elegans totius orationis conſurgat ſymmetria, hoc unum vel maximè caveat Orator, ne plus æquo rerum copijs orationem farciat, id oratori vertitur vitio, qui ut nihil eorum, quæ legerit, vel ſelegerit è libris, vel mente excogitaverit, omittat; omnia unà congerit ſive frigida, ſive ab inſtituto aliena, ratus ſe oleum perdidiſſe, niſi ſelectis, cogitatiſque omnibus, quam ſcribit orationem ſuffarcinet, cui cum Ippocrate dicas: *Quò plus nutries, eò magis lædes*: non omnia, quæ narrantur, eloquentiæ virtutem produnt, ſed quæ aptè, & quæ directè ad argumentum evincendum collineant. Neceſſe igitur eſt, plurimum Orator impendat operis, adhibeátque judicij in partibus diſponendis, totáque oratione ſuo ordine abſolvenda, ac in eorum delectu, quæ videntur ad rem facere: omnia ſedulo perpendat ... aliena fuerint, repudiet, 6

quæ

quæ nimis trita ; negligat, quæ ſubtilitatis exceſſu obſcuritatem ingerunt, miſſa faciat; uti etiam rara, & abſoleta, niſi ad rem fuerint ; & ea duntaxat ſeligat, quæ pulchra, nervoſa, florida, & argumento accommodata eſſe noverit : pleraque multoties narrantur fucata, quæ tametſi quadam leporis venuſtate imperitos alliciant ; aures tamen gravium virorum, vel maximè offendunt: quæ breves, & ex lectiſſimis rebus, ac rationibus ſunt orationes inſtructæ, plus habent ponderis, acriúſque percellunt animos. Ordini igitur, ac diſpoſitioni tum partium, tum rerum, & rationum ſedulò ſtudeat, quia ut ſcitè monet Quintilianus in Præfar lib. 7. Inſtit. orat. *Sicut artus loco moti perdunt, quo viguerunt uſum; & turbati exercitus ſibi ipſi ſunt impedimento. Sic oratio carens hac virtute, ſeu ordine tumultuetur, neceſſe eſt, & ſine rectore fluitet, nec ſibi cohæreat : multa petat, multa tranſeat, velut nocte in ignotis locis errans.*

PROLEGOMENUM XXIII.

De Cultura Styli.

1 PErarduum ſanè eas oratorio ſtylo habenas injicere, quin ſubinde in campos proſiliat, vel Poëſeos, vel Hiſtoriæ : etenim cum Orator annalium monumenta, poëtarúmque carmina diu, noctúque manibus terat, oculis volvat, mente hauriat, quid poſtea mirum, ſi inter ſcribendum, vel perorandum hæc eadem ipſi occurrant, foráſque erumpant, & coloribus quà Poëticis, quà hiſtoricis depictas prodat orationes ? Maria ipſa experimur, quâ parte fluvios recipiunt eo ipſo aquarum acceſſu dulceſcere : & exteras incolenti regiones aliquid ſemper adhæreſcere tum moris, tum vocis ; ut mirum neutiquam ſit ; ſi diu verſantes inter poëticos, ac hiſtoricos flores odorem attrahant, quem poſtea ſuboleant: hac ratione plerumque Oratores audimus ad muſarum amœnitates, ac vireta divertentes, jocis liberaliùs exùltantes, ac poëticis identidem lenocinijs indulgentes. Hiſtorias crebrò percurrimus poëticis nænijs, ac tragicis lamentationibus refertas ; aut exaggerata oratorum auxeſi ampliantes geſta, deplorantes clades, objurgantes rerum agendarum negotia ; móxque in promovendis animis, argumentorúmque jaculis intorquendis pluries inſiſtentes: & modò in variandis figuris, dolanda perjodo, intermiſcendis elegantijs certa per intervalla numerorum modulantes.

2 Poëſim itidem ipſam audimus, nunc cum Oratoribus liberiori fluxu excurrentem, nunc rationum momenta ſollicitè conquirentem ; nunc cum hiſtoricis ſimplici, ac aperta narratione properantem, adeò ut ſtylus quilibet fines ſibi præſcriptos facilè tranſiliat, cui vitio ij præſertim obnoxij ſunt, qui libros quoslibet manibus terunt, oculo vorant : multiplici tunc rerum copia, variiſque dicendi formis mens imbuitur, quæ inter ſcribendum facilè occurrunt oratori veluti exemplaria imitanda, in quem facilè impingunt errorem, qui eodem dicendi ornatu ubique uti poſſe arbitrantur, ſive ſtylus laxiorem Poëſeos redoleat concinnitatem crebris inſtructam metaphoris, certíſque illigatam numeris ; ſive hiſtoricæ facultatis apertam, ac properantem præſeferat narrationem : ſed iſti probatam procul dubio declinant eloquentiæ rationem.

Debet igitur tale ſeligi dictionis genus, & ſelectum diſponi, quod argumentorum pondere verum evincat, & affectuum concitationibus voluntatem moveat, flectátque in eam partem, quæ Oratori viſa fuerit magis conſentanea. Stylus autem, ut in id collineet, neceſſum eſt, ſit peracutus, gravis, incorruptus, comptus, expolitus, non vagus, nec verbis fluens lapſantibus, nec tumidis vocabulis inflatus, cujusmodi apud veteres dicebatur in ore naſci, non in pectore: generatim plurimum conſequitur commendationis illud dicendi genus, quod non erratico lapſu talos, genúque pertentat, ſed rei verticem nervosè invadit, ac certo, dimensóque ictu jugulum petit. 3

Plerique, qui hoc utuntur dicendi genere fucos omnes, ac phaleras comptæ orationis nihili faciunt, reſpuúntque verborum concinnitates, perjodorum dedolatos circuitus, ac elegantiarum Veneres, quæ aures demulcent, animiſque quodam cultæ Minervæ indulgent blandimento, totámque dicendi rationem in argumentorum aculeis, ſententiarúmque ponderibus collocant. 4

Alij verò ut feliciùs tria obeant perfecti Oratoris munera, ſeu ut delectent, doceant, moveant, argumentorum ponderib' cultas adjiciunt amœnitates, vocibúſque calamiſtro delicatè contortis ſenſus explicant, & ubique flores orationi inſerunt elegantiam redolentes, crebriſque figuris rerum copiæ accommodatis, exhibent varietatem, quâ placeant magis, magiſque animos flectant : hunc putârim meliorem ſtyli characterem ceteris præferendum: ſiquidem ſingulas excolit eloquentiæ virtutes, & finem conſequitur probati Oratoris. 5

Huic diſpliceant roſæ, & balſama, cui non placet ſtylus florens, pictus, expolitus, in quo omnes verborum comprehenduntur elegantiæ, omnes ſententiarum illigantur lepores, omnes cultæ eloquentiæ inſeruntur virtutes; qui perinde, ac hortus varijs arboribus conſitus, innumeríſque florum diſtinctus areolis omnes, ac ſingulos præſefert Rhetorum flores ſuavolentiam eruditionum redolentes; qui totus dulcis, limpidus, fuſus ſine ſalebris fluit, quaſi ſedatus amnis, qui verba lecta, amœna, ſonantia continet; non ſecus, ac micantibus illuſa floſculis aſarota inter ſe ſe venuſtiſſimo nexu cohærentia. Quid enim eo dicendi genere nobilius, quo Orator elegantiarum lenocinijs, figurarum varietate, ac cultiſſimæ orationis flore, veluti quodam blandimento lenitatis, ac ſuavitatis illicio aures demulcet, ac animos aucupatur? quid eo utilius, quod lectiſſimis verbis ſenſus ediſſerit abſtruſiores, crebris eruditionibus nova, & gra- 6

grata in pulvere exhibet literario; & dilucida doctrinarum enucleatione ſublimia ſemper edocet, animóſque excellentioris litteraturæ exornat nitoribus? Quid eo nervoſius, quod rationum momento, argumentorum pondere, figurarum varietate animos movet, & in eam, quæ Oratori magìs idonea viſa fuerit, partem flectit? Stylus hic eſt, quem Rhetores omnibus eloquentiæ numeris abſoluti excolunt, ut elegantiarum phaleris delectent, ſententiarum frequentijs doceant; rationum pondere moveant. Falluntur, qui nihili faciunt Rhetorices colores, nihili pigmenta, & pulchritudines omnes; ac venuſtates orationis aſpernantur, ſectantúrque ſqualidam, impexam, crebriſque rugis triſtem antiquitatem, quâ ſingula exhibentur penitus antiquata: noſtri ævi palato venale nihil eſt, niſi ad haſtam, præconiúmque voluptatis expoſitum, & niſi aliqua delinirum ſuavitatis illecebra.

7 Monet tamen Quintilianus *lib. 12. Inſtit. cap. 10.* ſtylum ſubinde immutandum eſſe pro rerum varietate, adeo ut perinde ſeſe rebus agendis accommodet, ac lux ſingulis coloribus, quos ita afficit, illuſtrat, ut exactè diſtinguat: *Omnibus igitur dicendi formis utatur Orator*, ait Quintilianus, *nec pro cauſa tantùm, ſed etiam pro partibus cauſæ*: nec minor erit cultæ orationis varietas, quàm in theatro ubi diverſi ſemper prodeunt Actores, reges, proceres, famulos, matronas, ancillas imitaturi, ut ſcitè adſignificavit Horatius *in Arte*

Intererit multum Davus loquatur, an Heros.
Maturus ne ſenex, an adhuc florente juventa
Fervidus. An Matrona potens, an ſedula Nutrix
Mercatorne vagus; Cultórne virentis agelli,
Colchus an Aſſyrius, Thebis nutritur, an Argis.

Verba itidem, actus, affectuúmque concitationes debent rebus accommodari, ut ſingula ſingulis rectè reſpondeant, nam ut bellè cecinnit ille

——————— *Triſtitia mœſtum*
Vultum verba decent. Iratum plena minarum,
Ludentem laſciva, ſeverum ſeria dictu.

PROLEGOMENUM XXIV.

De multiplici ſtyli ratione.

1 PErinde natura luſit in mira vultuum varietate, ac in varijs hominum ingenijs, quorum cuilibet eam indidit peculiarem indolem, quâ aliquid ſemper proderet, quo ab alijs ſecerneretur, propriámque oſtenderet virtutem peculiari obſignatam charactere; & ſicuti diverſa ſunt hominum ingenia; ita varia eorum inſtituta, propenſiones, occupationes, & præſertim in ſcribendo, perorandóve, quibus ex eloquentiæ Cultoribus alij illud dicendi genus eligunt, quo elegantiarum phaleris aures demulceant; alij quo ſcommatum aculeis pungant: alij quo ſeveriori dicendi genere in alios invehant: alij quo cultæ elocutionis alliciant viretis; hanc dicendi varietatem, quam loquendi ſarraginem Perſius vocaverat ex corruptis hominum moribus fluxiſſe adſtruit Seneca, cùm quiſque loquendo animi ſui ſenſa patefaciat, qualia hæc fuerint, tale & dicendi genus, adeò ut vulgatum abjerit in adagium: *Talis hominibus fuit oratio, qualis vita*: ut autem diverſa hæc dicendi genera expendamus, raptim varias ſubjiciemus ſtyli rationes, quibus uti ſolent, qui eloquentiæ dant operam.

2 Stylus, quem Miſcellaneum oratores appellare conſuevêre, eſt, qui verborum redundantias, rerúmque indiſcriminatim copias, quà futiles, & nullius ponderis, quà ad rem minimè exhibitas unâ congerit ea duntaxat ratione, ut loqui videatur, perinde ac Albutius relatus à Seneca. *Non quidquid debet, ſed quidquid poteſt*, quâ de cauſa modò inflatur ſupra cothurnos, quos tragicos dicunt; modò infra ſoccum repit; modò inſtar torrentis pluvijs, aquiſque redundantis devolvitur, ſordes, cœmenta, & alia id genus temerè congeſta ſecum deferens; modò inſtar decurrentis rivi ad ſaxa alliſi, vel exeſa delabentis è rupe nonniſi ingratos edit ſtrepitus, quibus miſerè torquentur aures; modò non ſecus ac amnis dulcis, limpidúſque diffluit; hîc abſoleta vocabula à ruderibus effoſſa antiquitatis, alibi ad abſtruſiorem dicendi rationem græca nomina; nunc elegantiarum phaleras, ſcommatum acumina, ſententiarum venuſtates, rationum momenta: & tandem ludicræ dictionis jocos, fucos, nugas ita congerit, ut non orationem edat, ſed ſicut appoſitè cecinit ille *Monſtrum horrendum, informe ingens, cui lumen ademptum*, ſiquidem illud cenſetur monſtroſum, quod eſt præter naturam editum, ac deviat à à recta, conſuetáque ſecundùm ſpeciem diſpoſitione, & quò magìs deflectit, eò plus continet erroris, hinc Juvenalis *Satyr. 2.*

Scilicet horreres, majoráque monſtra putares
Si mulier vitulum, vel ſi bos ederet agnum.

3 Sic monſtrum fuit, quando Meles Sardium Rex genuit ex pellice leonem; fuitque illius parens, qui filius eſſe non poterat: ita ſtylus tunc monſtroſus cenſetur, cum à recta ſui deviat diſpoſitione, & naturam participat alterius, & cum ſtylus miſcellaneus ceteros temerè contineat, abjiciendus eſt tanquam monſtroſus, tot ſiquidem ſcatet vitijs, quot ceterorum rationes unà indiſcriminatim agglomerat. Stylum hunc miſcellaneum nonniſi imperiti adoleſcentes adhibent, rati ſe eloquentiæ culmina aſſecuturos, ſi ceterorum virtutes ſimul nectant, cenſentes tunc elegantiſſimam exhibere Venerem ex ſelectiſſimis univerſæ Græciæ depictam pulchritudinibus, cum orationem proferunt cujusvis ſtyli variatam colore.

4 Aliquid habet oblectamenti ſtylus miſcellaneus, & aliquam eruditionis ſpeciem, cùm figmenta, ſcommata, lepores, venuſtates, aliáve id genus Eloquentiæ ornamenta comprehendat; quia verò diverſis temerè obſignatur characteribus, hoc idem ipſi vertitur vitio, quod alteri, cui ſingillatim congruit, tanquam virtus commendaretur. Nulla igitur ratione ſinceræ cultor eloquentiæ ſtylo

hocce

hocce utatur miſcellaneo, nullam ſiquidem veræ facundiæ præſefert ſpeciem; nullum ſuccoſæ ſuadæ exhibet ſimulachrum: cavebunt præſertim juniores ab hujus ſtyli vitijs, ſi uni tantùm, vel alteri probatæ notæ adhæſerint Authori præſertim Ciceroni.

5 Stylus inflatus, qui à Longino definitur *Exceſſus juſtæ Magnitudinis*: eſt, quo Orator argumenta nullius penè momenti, aliáve exilia grandiori facundiæ apparatu, formis amplificationum, laxioribus, omníque eloquentiæ ſupellectili aggreditur pertractanda. Hujus vitium ſtyli facilè contrahunt quotquot de re quavis ad cultioris perorant eloquentiæ oſtentationem: hinc nitentes altiùs quàm par ſit, in tumidas ineptias, nugáſque phaleratas abripiuntur præcipites. Sunt plerique eos duntaxat ſeligentes, quos imitentur Authores, qui ſupra ceteros eloquentiæ viribus, ac ornatu commendantur, quibus ſubinde hoc idem accidit, quod Æſopi ranæ in apologo captæ ſpecie, ac ſucculenta adſtantis bovis magnitudine, quam ut imitaretur ſe ſupra ſe epotæ frigidæ nimio hauſtu ſaginat, implet; verùm cùm ſupra naturæ intumuit conditionem miſerè crepuit. Qui ſtylo utuntur inflato nonniſi ineptias, nugáſque phaleratas, ac tumidas exhibent auxeſes, quibus ſtomachum ſapientibus, riſum imperitis moveant, ut Nonnio obtigit poëtæ Dioniſyacorum ſcriptori, cùm ſtylo tragicos ſupra cothurnos inflato jactaverat, *ſe aurigaturum cœlum fratrem ſuum (cùm calcaturum vellet innuere) imò ſe aliud octies majus ſupernè facturum, cum in æthere capi non poſſit. Item omnes ſtellas, novis inter ſe ſe nuptijs copulaturum, quo cœlo plenior ſit ſoboles. Mercurium in vincula conjecturum, Lunam habiturum pro famula, quæ ſibi lectos ſternat; quòd ſi lavari velit, Eridano cœleſti pro balneis uſurum*: eo intumuit inflatus homo, ut etiam de maritandis ſtellis poſt tot ſæculorum cœlibatum cogitaverit; quis hiſce auditis prolatas non rideat tumidi viri ineptias? quis puerorum, aut aniculatum ridiculos iſtos toleret tumores? tripliciter poteſt oratio intumeſcere, primò ſolis verbis, & hoc vitium perquam familiare ſemper fuit imperitis, tumidiſque ſcriptoribus, quæ novas affectant rerum appellationes; ut recentis, ac elegantioris idiomatis videantur Authores, vel verba inepte translata, ac hyperbolica exhibent, ut cùm *Grammaticæ Magiſtrum* vocant *ſcientiarum Coriphæum; Reipublicæ principem, populorum Athlantem.* Secundò ſolis ſenſibus, cùm orator res quaslibet, futiles, nulliúſve momenti ſenſibus explicat hyperbolicis, cœlis, ſyderibúſve æquiparat. Tertiò verbis ſimul, & ſenſibus, cùm oratio crebras continet auxeſes depictas verbis abſoletis è ruderibus antiquitatis effoſſis, quæ perſæpe rudiora ſunt recentibus uſitatis, magiſque riſum movent, ut Cauſidico cuidam obtigit, qui ut ſignificaret inopem furfureum eſitare panem, vinúmque turbatum, fœtidúmque potare coram ſapientum virorum frequentia dixit: *Hic eques Romanus apludam edit, & flocces bibit*: aſpexerunt, quotquot aderant alius alium, primò criſpata fronte triſti, ac requirente vultu, quidnam verba illa inuſitata ſignificarent: dein univerſi cognitâ viri inſcitia riſerunt: legerat Cauſidicus *apludam* veteres ruſticos furfureum dixiſſe frumenti; item audierat *flocces* apud priſcos ſignificare vini fœcem è vinaceis expreſſam; ut igitur aliquid promeret elegantioris, rudibus hiſce, & abſoletis verbis propriam prodidit inſcitiam. Hoc ſtyli genus juniores prima eloquentiæ limina ingredientes, plurimùm delectat novitatis aucupio: prudentibus autem viris ſemper fuit invitum, eò quia parum præſeferat roboris ad animos flectendos.

6 Stylo inflato affinis eſt Aſiaticus verborum redundantijs, ſenſuúmque aggeſtu laxiſſimus; & qui ut fatur Scaligerus, *Nullo certo pondere innixus verbis tumidis, ac lapſantibus diffluit, cujus orationem exiſtimatum eſt in ore naſci, non in pectore*, eò quòd quidquid poſſit, aggeratim dicat, non quidquid debeat, opportunè exhibeat: id unicè huic ſtylo vertitur vitio, rerum, verborúmve inanes ſeries translatis etiam audacibus, ac inverecundis paſſim vitiatas unà congerere ad vaniſſimæ oſtentationem eloquentiæ: ceterum ſi uberrima dicendi ratio ad rem fuerit, plurimum à viris prudentibus obtinet commendationis, præſertim ſi nervoſæ eloquentiæ virtutes incluſerit.

7 Aliud dicendi genus corruptum eſt ſtylus, quem vocant frigidum, non quòd languidus ſit, ac remiſſus; ſed quia ſenſus peregrinos ſinceræ pernicioſos eloquentiæ, argutiáſque à re propoſita ſejunctiſſimas producat, quibus eruditorum aures miſerè torqueantur. Hinc differt ſtylus frigidus ab inflato, quia iſte incedit rerum, verborúmve ſtrepitu, laxámque præſefert magnitudinis ſpeciem: ille verò conſtat ſenſibus inuſitatis, putidis, ac quaſdam paſſim concinnitates exhibet, quæ à rei inſtituto alienæ riſum faciliùs movent, quàm ſuavitatis oblectamento delectent. Stylus frigidus fuit, quo Hegias Sophiſta referente Longino laudibus exceperat Alexandrum, eò quia Olympia mater ipſum fuerit enixa eadem ipſa nocte, quà immanis illa Dianæ templi ſubſtructio conflagrarat. *Minimè mirandum eſt*, inquit Sophiſta, *ſi Dianæ templum tam gravi incendio arſerit: quippe Dea in ipſo Olympiæ partu quo Alexander editus eſt, obſtetricandi laboribus; & curis diſtricta ignem non valuit reſtinguere*: ſubdit Plutarchus frigidum hocce epiphonema ad extinguendum tam grande incendium ſupra Dianæ tunc obſtetricantis valiturum vires, ſuppetiáſque adjectas.

8 Stylus puerilis cæterorum vitia agglomerat; ſiquidem pleraque exhibet frigida, tumida, vanida, quæ parum, vel nihil ad inſtitutum faciunt, frequens eſt in deſcriptiunculis, digreſſionibúſque ineptis, alluſionibus minus aptis, quibus incongruè luxuriantes adnectit figuras: facilè occupatur in verbis abſoletis, ſenſibúſque improprijs aggerandis, ut aliquid videat ſemper novi adjicere: illecebras amat vaniſſimæ eloquutionis, luſus minutos, alluſiones rebus minimè cohærentes,

verborum redundantias abſque ullo judicij nitore, leviſſimos vocularum jocos; & alia id genus pueritiæ ludicra, quæ cum legeris (ait Seneca) hoc tibi occurret; hunc eſſe, qui ſolutis tunicis in urbe ſemper inceſſerit nihil præſeferens gravitatis, nihilque majeſtatis reginæ Eloquentiæ. Ideam ſtyli puerilis exhibet Apulejus, in quadam pueri deſcriptiuncula, qua abſque gravitate, ac eloquentiæ decore ita procedit. *Erat intonſus, & genis gratus, & corpore glabellus. Crines ejus præmulſis antijs, promulſis capronen anteventuli, & propenduli. Veſtis textu tenuis, tactu mollis, purpura radians. Quid? quod & Lyra ejus auro fulgurat, ebore candicat, gemmis variegat?* in qua nihil deprehenditur gravis, nihil ad eloquentiæ majeſtatem accommodati. Ab hiſce minutis luſibus, ac vaniſſimæ jucunditatis illecebris, aliiſve ludicris affectatæ elocutionis, quæ nonniſi pueritiam redolent, vel maximè caveat Orator, quia mentis produnt hebetudinem, ac judicij inopiam. Vel quamdam produnt puerilem mollitiem, ut ſunt verſus illi Hadriani Imperatoris.

Animula, vagula, blandula,
Hoſpes, comesque corporis
Quæ nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula!
Nec ut ſoles dabis jocos.

9 Aliud ſtyli vitium eſt, quo Orator veluti inſaniens totus eſt in excitandis intempeſtivis affectibus, commovendis animis, ubi nulla urget neceſſitas, déque re tenui, nulliúſve momenti agitur, quâ ratione ſtylus iſte parenthyrſus dicitur, veluti ad Thyrſum accedens, ac furore percitus. Thyrſus ea vocabatur haſtula frondibus circumornata, quam bacchantes geſtabant. Differt Parenthyrſus ſtylus à puerili, quòd hic vaniſſimæ dictionis illecebras, affectatas rerum deſcriptiunculas, alluſiones ad res tortè uſurpatas, digreſſiones ineptas, minutos jocos, ac verba ad vanam collecta oſtentationem ut plurimum complectatur: parenthyrſus verò occupetur in excitandis intempeſtivis affectibus præſertim triſtitiæ, doloris, iracundiæ, ac indignationis majori exceſſu, quàm res poſtulet, vel etiam ubi nullus deſideraretur. Parenthyrſum ſapit lugubris illa Monodia, quâ Ariſtides exeidio illachrymatur Smirnæ collapſæ, cæteris nænijs adnectit hypotheſim hanc ad immoderatum excitandum doloris affectum inquiens. *Si Gorgones, reviviſcerent non jam Meduſam, aut oculum ſuum flerent, ſed Smyrnam communem Aſiæ oculum deplorarent.* Hoc dicendi vitium facilè contrahunt, qui immodicis aſſueſcunt exaggerationibus, réſque plus æquò augent, modò plorantes, modò iraſcentes, modò in rebus ludicris, nulliúſve ponderis ſydera, ſolem, cœlos invocantes, imò & Numina ipſa, vel ſuppetias allatura, vel ut vibrato fulmine patrata ſcelera ulciſcantur. Qui res quáſque nullius momenti perorantes lugent, eum imitantur apud Lucium Apulejum Oratorem, qui pro tribus utribus ab ebrio juvene repetito ictu perforatis, perinde gemebundis nænijs peroravit, ac ſi totidem fuiſſet inflicto vulnere ſauciatis filijs parentaturus: verùm cùm hi immodicè rei cuilibet levi illachrymantur, riſum potiùs movent, quàm ullum excitent miſerationis affectum.

Alius eſt ſtylus grammaticalis, quo utuntur Syntaxeos Profeſſores, ut pueros doceant latini ſermonis regulas, ad quarum amuſſim, & ipſi componant, de quibus cecinit Poëta. 10

Grammaticos humiles ſolo, qui cortice gaudent.

Hoc eſt verborum conſtructionibus, cohærentijs, ſyllabis, apicibus, interpunctionibus, literis, præpoſitionibus, adverbijs, aliiſque orationis partibus, accentibus, vocum mutationibus, ſyncopis, eliſionibus, & alijs minutijs, quibus ſtylus humi repit abſque ſententiarum acuminibus, ſine figurarum varietate, abſque verborum elegantia. Quòd ſi Orator hoc utatur ſtylo integumentum dici poteſt, ac corticem exhibere abſque medulla ſcientiarum; qua ratione Seneca *epiſt. 95.* vocavit Grammaticos *latini ſermonis cuſtodes.* Nazianzenus orat. 18. *Captatores ſyllabarum*, cui adhærens Alexander Rhetor eos dixit *Vocularum aucupes.* Et nihilominus plerique fuerunt homines, qui licèt ſimplices ſyntaxeos Profeſſores, ſe primos crediderunt Minervæ alumnos, ac prima ſibi deberi ſubſellia, quaſi regulas callere activorum, ac paſſivorum perinde foret, ac ſummum ſcientiarum attigiſſe faſtigium: adeò eſt cæcus amor ſui in hoc ordine Grammaticorum, ut ex hac claſſe nonnulli ſe ſupra omnium hominum faſtigium laudibus extulerint futilibus, ut reſtatur Sextus Empiricus, & præ cæteris refert Clemens Alexandrinus *admon. ad Gent.* Alexarchum. Is cum ſolam calleret grammaticam; cui addiſcendæ plures impenderat annos credens parem in re literaria haud habere poſſe, *ſe ipſum pinxit in ſolis effigie.* Quidam etiam ex hoc hominum grege ita ſupercilium attollunt, tam thraſonicè incedunt, tam magnificè in ſellis ſuis brachiatis ſedent, tam loquuntur graviter, tam glorioſè ſe jactant, ut ſapientiâ, & doctrinâ videantur cæteris omnibus antecellere; excerpunt ex centonibus latinis quaſdam verborum formulas plenas ridiculæ venditationis, quæ apud pueros ac Imperitos admirationem movent; & apud doctos ſtomachum, vel riſum: ſéque ſupra cæteros extollunt inſulsè; adeò ut de quodam hujus pulveris bambalione dixerit Suetonius de Illuſtr. Grammat. *Palæmon Grammaticus arrogantiâ fuit tantâ, ut Marcum Varronem Porcum appellaret, ſecum & natas, & morituras literas jactaret, nomen ſuum in Bucolicis non temerè poſitum, ſed præſagiente Virgilio fore quandoque omnium Poëmatum Palæmonem Judicem.* Quid hoc arroganti faſtu tumidius? quin imò ſe pares cœlitibus prædicant, ac magnum Jovis incrementum, eò quia legant apud Platonem, Minoa Regem juſtitiæ, gloriâ inclytum ab ipſo Jove fuiſſe in Grammaticis inſtitutum.

Sty-

11 Stylum poëticum plurimum oratori prodeſſe fatetur Theophraſtus commendans Poëtarum lectionem ad ſelectioris eloquentiæ flores decerpendos: ſiquidem à Poëtis præſertim ſi clarioris notæ fuerint, & in rebus ſpiritus, & in verbis concinnitas, & in metaphoris elegantia, & in affectibus motus omnis deprehenditur. Theophraſto adhæret Dionyſius Halicarnaſſeus cujusvis ſtyli cenſor acerrimus docens, elegantem orationem, ſuisque omnibus abſolutam numeris Poëſi ſimillimam eſſe debere: nec aliter ſentit Lucianus, quippe Rhetoricæ candidatis, qui ſummi cupiunt eloquentiæ culmina attingere, ac præclariora oratoriæ facultatis ſibi comparare decora ſuadet, ut in primo Rhetoricæ veſtibulo optimos quosque Poetas legant, eorúmque concinna elocutione apprimè inſtruantur, dein ad ſelectiores ſe conferant oratores, quaſi adſtricti metri ſoluti arcta compede, faciliùs amplam, laxámque oratoriæ facultatis percurrant aream: niſi perutilis oratoribus ſtylus poëticus foret; neutiquam viri de eloquentia optimè meriti eum tantopere Eloquentiæ profeſſoribus commendarent: etenim ſi movendis affectibus plurimum cenſentur prodeſſe figuræ pateticæ, has omnes in tragœdijs præſertim Senecæ Orator repetit; ſi elocutionis venuſtates, elegantiarum deliciæ, non levi ſunt Oratori adjumento, ut delectet, has dicendi veneres exhibet Horatius: ſi ſtructura verborum, aptæ metaphorarum phaleræ plurimum, valent ad mulcendos ſuavitatis lenocinio animos, harum concinnitatum uberrimam ſegetem ſuppeditant clarioris notæ Poëtæ.

12 Hi tamen haud dubiè redarguendi ſunt Oratores, qui poëtico ſtylo, ſoluta abutuntur in oratione: etenim qui nimiâ metaphorarum frequentiâ, verbis tumidis, numerisque ſelectis quaſi mutilata carmina canunt, ij poëſeos potius carnifices, quàm oratoriæ facultatis promotores cenſentur: hinc rectè Tullius: *meminerimus*, inquit, *non per omnia Poetas eſſe oratori ſequendos, nec libertate verborum, nec licentia figurarum, pedum neceſſitate.*

13 Caveat igitur Orator, ne ita legendis Poëtis aſſueſcat, ut eorum illectus licentijs, ſe ſe ab oratoriæ legibus ſubtrahat, ac crebris numeris addictus eloquentiam exhibeat enervem. Stylus poëticus ſi pluribus inceſſerit phaleratus metaphoris caligines invehit, & ſi quæ ſunt in ipſo concinnitates in pueriles facilè abeunt nugas, ut obtigit Ammiano hiſtorico, qui poëtarum indulgens licentijs, ita poeticè fatur: *cúmque primùm Aurora ſurgeret, univerſáque videre poteram arvis ſtellantibus coruſcabant, ac ferreus equitatus campos opplebat, & calles.* Aliquibus interiectis hyemem deſcribit inquiens poeticè. *Hyeme verò humus cruſtata frigoribus, & tanquam lævigata, ideòque labilis inceſſum præcipitantem impellit, & patulæ valles per ſpatia plana glacie perfidæ vorant nonnunquam tranſeuntes.* Senſus metaphoris poëtarum corruptiores exhibet Ennodius in Panegyrico Theodor. inquiens. *Interea dum anceps eſſet fortuna certaminis, & pennatæ mortes ſibi æthera vendicarent: tellus concita tremuit concuſſione cornipedum. Excepit te ſonipes hinnorum deſiderijs inquietus, & lancearum imber cælum obtexit.* Ut hæc vitia declinet Orator ab alluſionibus ad res abſoletas, ac frequentes fabellas abſtineat, ſenſus crebris abſtruſis metaphoris non exhibeat; ſed in omnibus candori, ſuccóque ſtudeat eloquentiæ; dicendi venuſtates, ac elegantiarum veneres ita promat, ut moderatæ ſuavitatis aucupio animis indulgeat, & eloquentiæ nervum non infringat. Cæterum inſanas illas metaphorarum translationes, quibus res plus æquo augentur exoſas habeat: cùm præcipuum Oratoris munus ſit perſuadere, ſuo fungitur officio, ſi quæ veritati ſunt conſona protulerit.

Stylus allegoricus, qui & periphraſticus dicitur eſt continuata metaphora, quâ multiplici verborum circuitu, quæ propria ſunt alicujus ſubjecti alteri accommodantur, cui non niſi impropriè congruunt. Subinde continuata hæc translatio apprimè rem explicat, & quodam ſuavitatis aucupio ſenſui veluti ſubjicit, & tunc plurimum præſefert roboris, multúmque amœnitatis, cujusmodi eſt illa Ciceronis Piſon, num. 20. *Neque tam fui timidus, ut qui in maximis turbinibus, ac fluctibus reipublicæ navem gubernaſſem, ſalvámque in portu collocaſſem, frontis tuæ nubeculam, aut collegæ tui contaminatum ſpiritum pertimeſcerem. Alios ego vidi ventos, alias proſpexi animo procellas, alijs impendentibus tempeſtatibus non ceſſi, ſed unum me pro omnium ſalute obtuli.* Trita eſt itidem illa Horatij Ode, 14. 14

O navis referent in mare te novi
fluctus. O quid agis fortiter occupa.
Portum nonne vides, ut
nudum remigio latus?

Pulchrè Leo Sanctius allegorico hoc ſtylo *Lib. 1. flor.* Grammaticam ſub navis metaphora allegoricè deſcribit inquiens: In prætoria illa quadriremi tanti exercitus agmen Priſcianus ignorantiæ caſtra expugnaturus magna per itinera ducit, ac dirigit. Paupertas, & patientia hujus navigationis periti ſſima ſunt ſydera, lucidis inſpiciunt monetas, ex quarum obſervatiône gubernaculum regi jubent. Porrò Priſcianus emblema geſtat in galea, cujus corpus eſt *ferula*, ſub qua legitur epigraphe, ſeu anima: *ſubde manum.* In prora Donatus ſedet, ſuóſque adhortatur illa voce: *Ianua ſum rudibus.* Et proximos ignorantiæ impetus ſuſtinet, ac propulſat, Pueri turmatim remos impellunt lacrymantes per verba activa, ſæpiſſimè etiam per paſſiva, et non ſine cauſa deflectere verbi græcorum Ludi Magiſtri à verbo *Tipto* conſueverint. Navis totius malum procerum, ac ſolidum verbum principale ſubrigit, cui nititur velum latiſſimum, quod ſubtilis textura latinæ orationis, genitivis, dativis ſingularibus, & pluralibus immixta contexuit; in qua tanquam in aulæo picturæ non deſunt: conſtructio figurata conſpicitur, in qua enallage, Zeugma, Syllepſis; & Archaiſmus, Prolepſis, ac Helleniſmus, tria paria deſultorum choreas inſtituunt, ſaltitántque Cytharam pulſante Guarino, In charchelio mali ſuprema 15

ma parte ſuperlativa laſciviunt: bracteolas ornatûa gratiâ concrepantes pleonaſmi conficiunt. Aſſeres ſublicijs concordantijs compacti ſunt. Saburra de ſupinis verborum communium, verbis imperativis nonniſi gubernator, & Ludi Magiſter utitur. Panis biſcoctus diſpenſatur ab arte metrica ad ſyllabarum dimenſionem. Foruli non ſcopis, ſed ferulis everruntur. Sentina ſolœciſmorum, ac barbariſmorum ſcatet colluvione teterrima, exhaurienda ſæpiſſimè, ac purganda puerorum lacrymis.

16 Nonnunquam eadem metaphora non protrahitur, ſed plures aggeruntur, & quæ pluribus, diverſiſque conveniunt ſubjectis uni eidémque accommodantur, talis eſt allegoria Ennodij in Panegyrico Theodorici: *Et adhuc in cano flore degebas adoleſcentiæ, nec virtutum meſſem lacteus ante experimentum culmus attulerat. Adhuc blanda erat imago pubeſcentis, nec tingens faciem lanugo veſtiebat; quando ævi purpura & floſculus ſupervenientis imperij promittebat ſollicitis de gratiæ commutatione terrorem. Cum in perturbationem roboris, & clementiæ ſuæ ruptis vinculis furor emicuit: & eviſceratas diuturna quiete mentes occaſionis pabulo ſubjugavit.*

17 Tametſi allegoricus Stylus potis ſit dicendi veneribus animos aucupari, ac elegantiarum phaleris plurimum præſeferre oblectamenti; attamen ſi metaphorarum frequentia exceſſerit, ſi concinnitatum numeri virtuti non reſponderint vegetæ eloquentiæ; vel ipſas urbanitates faſtidiunt quotquot adſunt, & ipſæ elocutionis deliciæ plus afferunt tœdij, quàm illicij: quidni etiam dulcedo ipſa ſi nimia fuerit nauſeam movet: quid melle ſuavius? & tamen ſi plena manu deglutiatur ſatietatem inducit: metaphoræ perinde ac dulces ferculorum conditus non ad communem quotidiani ſermonis uſum adinventæ ſunt; ſed ad orationis delicias ſummis carpendæ ſunt digitis. Utatur Orator allegorico ſtylo, metaphoras inſerat orationi veluti ſerica amenta, vel aurea petagia, quæ veſtitûs ornatui plurimum adijciunt incrementi, intra tamen moderaminis clarhrum, ut vulgò ajunt, ne obſcuris, tortíſque ſententijs, aut vanis phalerarum illecebris purus, ſanúſque corrumpatur eloquentiæ ſuccus.

18 Stylus humilis, & rudis eſt, qui nec dicendi amœnitates, nec elocutionis venuſtates, nec mentis acumina, nec verborum luſus continet; ſed omni deſtitutus elegantiâ, omnique carens nitore in ſqualore jacet neglectus, incomptus. Dupliciter poteſt humilitas Stylo obringere, vel quia ſenſus exhibeat exiguos, rudes, nullum præſeferentes nobilitatis nitorem, & qui rerum minutarum quiſquilias putidiuſculè expendit: vel quia neglecto verborum delectu nullum cultæ orationis florem, nullúmque elegantiarum continet blandimentum: ſit Oratori nobili ſtylus humilis ſemper inviſus, & eas reſpuat rerum abjectarum narratiunculas, quæ nulla adijciunt orationi decora. Plerique inveniuntur, qui cum Majoragio plurimum impendunt operis, diúque occupantur in laudando luto; ſed hi non minus habentur ridiculi, quàm qui ſtudent pro viribus res ſingulas nullius pretij probato oblinire auro, gemmíſve ad omnem elegantiæ cultum exornare.

Stylo humili proximè accedit ſiccus, & exanguis, quo Orator eò ſe demittit, abjicitque, ut ſuas depromat orationes ſine elocutionis amœnitate ſqualidas, ſine elegantiarum phaleris incomptas, ſine argutiarum acuminibus languidas; ſine facundiæ ornamentis, Rhetorũ fucis inamœnas, inſuaves. Qui humili utuntur ſtylo, ab omnibus abhorrent floribus, omnes negligunt concinnitates; jocos, ſales, veneres, cæteróſque luxuriantis elocutionis lepores uti vitia reſpuunt orationis, rati eos duntaxat facundiæ cultores ſumma attingere eloquentiæ culmina, qui omnia exhibent candidè, ac facillima captu. Verùm ſicut eam laudaveris humani corporis venuſtatem vegetam, quâ neque venæ, neque oſſa, neque cæteri artus prominent, ſed ſingula optimus ſuccus implet, & æquat, ac vividus color ad perfectam pingit elegantiam ſanitatis: ita eam commendaveris orationem, quæ verborum delectu, ac ſententiarum copijs egregiè farta ſingulis inceſſerit depicta cultæ eloquentiæ coloribus: quis perpetuam ariditatem ſuis optaret prædijs? nemo certè; cum hæc eadem vertatur terræ vitio, nullámve colonis ſpondeat meſſis ubertatem, quod ariditas terræ, macies corpori, hoc idem ſtylus exanguis orationi præſtat: & quamvis verborum, rerúmque ſeries exhibeat, quia tamen omni deſtituuntur elegantiâ, nulliſque incedunt phaleratæ ornamentis eruditas mentes, quibus quæ producuntur, jam innotuerant, tædio potiùs afficiunt, quàm blandè alliciant, & plerumque hoc idem præſtant, quod exhibiti Tantalo latices, de quo Seneca 19

In omne medio faucibus ſiccis ſenex
Sectatur undas. Abluit mentem latex
Fidemque cum in ſæpe decepto dedit,
Fugit unda; in ore poma deſtituunt famem.

Falluntur, qui punctum ſe laturos cenſent, cùm verbis, ac fucis plus, quàm par ſit, intumeſcunt; ſtylum ſiquidem inflatum exhibent, plenum inanitate, qui vento ocyor memoriam fugit: ſtylus tunc ad perfectionem videtur accedere, cùm verè olet lucernam, & pluribus eſt inſtructus nitoribus, omnibus ornatus luminibus, ut demorſos ſapiat ungues. Sunt qui humi repentes nonniſi humilia, trita, ac in vulgus effutiunt derivata. Vel abſque delectu ſurſ deque omnia permiſcent, ut chaos potiùs invehere dicantur, quàm è ſuggeſto dicere. 20

Alij neglecto ſenſu ſola venantur verba, præſertim abſoleta, inuſitata, græca, quâ propterea à Græcis *Spermologi* audiunt; hi plerumque ne unum vel alterum omittant verbum, quod ipſis videtur gemmeum, licèt obſcurum, & abſque gemmarum ullo nitore, ſenſum ipſum corrumpunt, vel miſerè detorquent, & ordine præpoſtero volunt ſenſum verbis accommodari, hoc eſt Dominum famulis inſervire. Alij ex phraſiologorum panni- 21

culis

tulis varios centones conſarcinant. Alij ad umbratilium præceptionum minutias putidiuſculè ſingula texentes affectatam producunt orationem maſculâ deſtitutam virtute, ac prorſus enervem.

22 Errant itidem qui poëtica, & phraſi, ac fictione audaciùs abutuntur in ſoluta oratione. Vel græcanicis lacinijs, effoſsiſque antiquati idiomatis ruderibus ſermonem credunt inſtaurare, quem veriùs inficiunt, & obſcurant.. Vel qui ſe putant Atticos ſi jejunum, exangue, abruptum dicendi genus exhibeant. Vel Aſiaticos, ſi ineptis digreſſiunibus, affectatis rerum deſcriptiunculis, luxuriantibus figuris, verbiſque ad oſtentationem ſelectis orationem conſarcinent. Ille ut uno claudam verbo ſtylus eſt optimus, qui ad id, quod decet, accommodatur; ſiquidem & ipſe Tullius cum alibi propiùs ad Aſianos accedat; ad Atticum nonniſi Atticè ſcribit; perfectus Orator rebus ſe accommodat; humilia ſubtiliter tractat, magna graviter, mediocria temperatè, & ſingula explicat perſpicuè, tersè, floridè, ut ſimul aures mulceat, ac animos delectet.

PROLEGOMENUM XXV.

De optimo ſtyli charactere.

1 CUm primùm eloquentia ſuppetias mortalibus allatura ex alto cœli vertice in terras demeavit; nonniſi homines turpes, hiſpidi, longa macie torridi ſub quercu glandem ructantes brutis proximiores, quàm ratione utentibus ſe ſe obviam illi obtulêre: cœpit illa animos agreſtium hominum rudes blanda oratione mulcere, dedolare, à morum barbarie paulatim avertere, & ad elegantiora vitæ inſtituta, urbanioremque ſocietatem allicere verborum delectu, ac ſuaviori orationis concentu, adeò ut homines neglectâ morũ culturâ efferati inciperent miteſcere, mutuàs inire ſocietates, urbes conſtruere, ac mœnibus ſepire, leges condere, mores componere, & omnia exercere ſtudia virtutum; hinc non tot micantium ſtellarum ignibus collucet æther vermiculatus; nec tot prata rident variata floribus, quot floruêre ubique locorum Academiæ, Gymnaſia, Lycæa, quibus aditus cuilibet patebat ad eloquentiæ decora ingenij culturâ ſibi comparanda: neque plures defuêre, qui ſumma attigerint elegantioris culmina dictionis, tales fuerunt Demoſthenes, Lyſias, Hyperides, Cicero, aliique quamplures, quos & eloquentiæ vis, & verborum delectus, & elegantiarum amœnitas toti effecerunt univerſo celeberrimos. Quia verò temporum vices non ſolùm elegantiora, quæ ſurgunt artis molimina corrodunt, deſtruunt; verùm & ipſa devenuſtant facultatum ornamenta: ita ſenſim ſine ſenſu cœpit, & ipſa eloquentia, ac ſtyli amœnitas dilabi à ſua elegantia, ac plura contrahere vitia, quibus miſerè deturpata non ſecus, ac una ex furijs neglecta prodibat ſine cultura inelegans, ſine ornatu incompta, ſine ſplendore rudis. Nati tamen fuêre poſtmodum homines, qui ſedulam impenderunt operam, ut priſtino reſtituerent eloquentiam decori, ac ornatui; cœperûntque illam excolere, ornare phaleris, colluſtrare nitoribus, adeò ut plena ſubinde incedat margaritarum, ſplendeat auro, diteſcat gemmis.

Verùm quia non ubique gentium ijdem vigent mores, ita nec eadem hominum ingenia, 2
nec propenſiones ad jura eloquentiæ promovenda. Plerique neglectis rationum momentis, ac fluidæ orationis candore, vel ipſum Tullium Romanæ Principem eloquentiæ redarguunt, quod ſtylum humi repentem ſine acumine, ſine phaleris adhibuerit; & nugis, rebúſque futilibus duntaxat hærentes putant ſe eloquentiæ culmina attigiſſe, ſi orationem crebris farciant deſcriptiunculis: talis eſt illa Pædariodis oratio apud Cauſinum. Ego verò P. C. dicam quid ſentiam in toto Cicerone: ſi bene pendatur, vix eſt unciola ingenij, dictio ejus humilis, repens, ad plebejum ſermonem abjecta, ſenſus communes, figuræ de trivijs, ornatus qualis eſt Iberarum mulierum, quæ ſe monilibus ferreis pulchras, ac beatas putant. Audite me, audite. Ego ſum Orator pulchellus, bellulus, politulus totus factus ex veneribus, & gratijs, nihil niſi roſas loquor, electrum, balſama, nicerotianos imbres, nectar, & ambroſiam, quæcumque ſcribo apes intexunt floribus, perfundunt melle, complent omni ſuavitate: non tot Argus habet lumina, non tot cœlum ſydera, quot ſunt meæ orationis ornamenta. Papilionem credo noſtis, hunc ego laudans, naturam laudo, cujus induſtria ſolertiùs eſt elaboratus; animalculum eſt, ut in urbibus rarum, ſic in agris frequens, corpus illi plenum, molle, tenerum, flexile, paulatim in exiguam longitudinem graciléſcens, cui ſuperſparſus teneræ lanuginis decor effloreſcit; extant veluti porrecta minutiſſimis filis cornua, quæ intermicantium oculorum jucundus fulgor irradiat: ſed præcipuum in pennulis miraculum, quippe ſupra tenuis corpuſculi modulum explicatæ gemmant floribus, nitent purpurâ, micant auro, ſtellis radiant, his veluti remigijs libratus in aërem, & ridente paſſim verni temporis amœnitate per gemmeam florum luxuriem volitat ludibundus, ad ſingulas pene ſtirpes adhæreſcens, modò delicatiſſima proboſcide foliorum ſuccos pabulatur, modò molliter quieſcit inter odorum delicias, modò iterato volatu ſuperbiens emicat, & inſultantium puerorum manus ſexcentos in aëre meandros, ac flexus pingens eludit. Talis perfectio eſt meus ſtylus, talis meus calamus, fertur, volitat, & vagatur inter amabiliſſimos eloquentiæ flores laſciviens. Audite nunc aliud eloquentiæ palmarium, concham deſcribam. Firmioris jam teſtæ murices, & concharum genera ſæpe vidiſtis, in quibus magna naturæ ludentis varietas, tot colorum differentiæ, tot figuræ, planis, concavis, longis, lunatis, in orbem circinatis, dimidio orbe cæſis, in dorſum elatis, lævibus, rugatis, denticula-

tis, ſtriatis: vertice muricatim intorto, margine in mucronem emiſſo, foris effuſo, intus replicato. Jam diſtinctione virgulata, crinita, criſpa, cuniculatim, pectinatim, imbricatim undata, cancellatim reticulata in obliquum, in rectum expanſa, porrecta, ſinuata brevi nodo ligatis, toto latere convexis, ad plauſum apertis, ad buccinam recurvis.

3 Quid repetitis hiſce deſcriptiunculis levius? quid inſulſius homine ſine rationum momentis has proferente vocularum phaleras. Quid ſunt hujuſmodi deſcriptiones acervatim orationi adnexæ, quàm nullius ponderis nugæ, quibus oratores pueriliter ludunt? Futilia hæc reſpuit regina eloquentia, & eam duntaxat amat dicendi rationem, quæ plurimum continet roboris ad flectendos animos, concitandóſque affectus, plurimum candoris, elegantiæ, ac venuſtatis, ut objecto veluti blanditiarum illicio homines aucupetur; quæ tota eſt in exhibendis rationibus, quibus quæ ſectanda ſint, quæ declinanda nervoſe evincat.

4 Neque illis adhærendum putàrim, qui omnem exoſi culturam ornatûs, phaleras omnes, ac venuſtates negligunt, & eloquentiam ſine figurarum varietate, ſine verborum ambitu, ſine elegantiarum concinnitate devenuſtant, prodúntque ſqualidam Hecubæ haud abſimilem: etenim ſi omnibus foret oratio denudanda phaleris, ſi omnibus expolianda ornatibus, ſi omnibus viduanda coloribus, venuſtatibus, elegantijs; profectò vel ipſa redarguenda eſſet natura, quæ miram invehit ex concinna rerum varietate pulchritudinem; ad quid tot luxuriantes in arvorum amœnis florum varietates? ad quid in ſylvis innumeræ ferarum ſpecies? in plantis ſexcenta virtutum genera? in lapillis tot colores, in gemmis tot nobilitates, niſi ut ex hac mira rerum varietate magis augeretur naturæ ornatus? perperam è ſinu erumperent ſcopulorum, vel è gremio exilirent telluris tot gelidæ fontium perennitates; perperam jugi fluxu longè, latéque diffuſos terrarum percurrerent omnes tractus; perperam diurnas, menſtruas, annuas ſuas abſolverent aſtra periodos, niſi motuum varietate elegantior fieret naturæ ornatus, ad quid pratorum veſtitus viridiſſimi, hortorum florida luxuries; camporum exporrectæ planities; montium editiſſima faſtigia; vallium humillimæ demiſſiones; inſularum frequentes emerſiones; oratum, litorúmque amœnitates, niſi ad uberiorem naturæ elegantiam? cùm igitur ſapientiſſimus rerum opifex Deus tam concinnè, ac eleganter naturam ornaverit, nemini dubium eſſe poterit, quin & oratio naturæ imago, ut ſuum proximùs referat prototypum ſit ornanda dicendi phaleris, elegantiarum venuſtatibus, amœnitatum delicijs, figurarum varietate, acuminum frequentijs: quemadmodum eas deſpiceres abditas, horridas, ac neglectas picturas, quæ nihil proderent elegantis, è converſo eas laudaveris, quæ plurimum continent nitoris, venuſtatis, ac gratiæ: ita niſi oratio crebris fuerit inſtructa elegantijs, ſuáſque habuerit ſententiarum concinnitates, verborum circuitus, argutiarum lepores, amœnitatum aucupia, perinde ac opus incomptum, abditum, incultum contemnitur, flocciq́ue penditur.

Verùm ſicut regina eloquentia eam reſpuit 5
dicendi rationem, quæ nonniſi ſenſus exhibet humiles, tenues, exiles, verborúmque abjectam compoſitionem omni deſtitutam ornatu, ac concinnitate; ita nec illi amat ſtylo copulari, qui neglectis rationum momentis fucos duntaxat, ac phaleras vaniſſimæ eru ditionis vendirat. Periucundum ſanè eſt, quod de Pauſania Lacedæmoniorum Imperatore fertur: hic debellato Mardonio, potitúſque ditiſſima ſupellectili auro, gemmíſque referta juſſit Perſarum piſtores, & coquos ſibi Mardonij parare cœnam: ex adverſo aliam inſtruxit frugalem admodum, ac laconicam. Vidiſſes, ex altera parte menſas auro, gemmiſue fulgentes, conſtructa in aream Chryſtallina pocula, anaglypta eminentibus aſpera imaginibus, vaſa gemmarum frequentis affulgentia ſexcenta fercula, quæ abundè ſingula ſuppeditârunt elementa: ex adverſa verò parte vaſa famia, ligneum ſedile, nigrum juſculum, tenuia fercula parſimoniæ apprimè reſpondentia: verùm quemadmodum primum prandium utpote nimio diffluens luxu non niſi helluonibus placeret: ita diſplicuit alterum Cynico potiùs parandum Diogeni, quàm regiæ Majeſtati: tertiam deſideraſſent cordati uiri ſibi juſtam menſam, quæ nec luxûs redargueretur exceſſu, neque Cynicâ peccaret parſimoniâ: perinde ei libentiùs nubit eloquentia ſtylo, qui neque tumidam, neque luxuriantem; neque ſterilem, neque enectam; ſed gravem, neruoſam, ac moderatè phaleratam dicendi promovet rationem: etenim ſi nimio faſtu turgeat, parum in flectendis animis præſefert roboris; ſi phaleris, ac concinnitatibus duntaxat compta inceſſerit, inepta eſt ad res civiles promovendas, ſi nimis gracilis, ac humilis nihil continet ad percellendum nervi, ac virtutis.

Is igitur optimus cenſendus Oratorij ſtyli 6
character, quo eloquentiæ candidatus accuratè, ac incorruptè perorat, curam diſſimular, & veluti non agens agit, & perinde ac auceps, qui caſſes viretis occulit ut deceptas capiat aviculas, artem ac præceptiones Rhetoricæ apta dicendi ratione contegit; latini, puríque ſermonis incorruptam cuſtodit virtutem ab omni ſejunctam abſoletæ dictionis vitio: nec tenui venula per calculos fluit aritudini obnoxius in concitatæ orationis æſtu; ſed laxâ verborum ſegete ad uberiorem eloquentiæ ſupellectilem direſcit, ubique tutus à metu ſiccitatis, ubique ſententijs gravis; adeo ut orator ubertatis luxuriem ſtylo depaſcat, & ſuavi, ac conſperſâ verborum elegantijs, ſententiarúmque acuminibus ratione ita delectetur, ut ſuavitatem, ac concinnitatem amet, non levem, non puerilem, ſed ſolidam, ac civilem, neque æquabiliter ubique dulcem, ſed ut ratio exegerit etiam auſteram: cuncta

ratio

rationum momentis firmet, partem nullam ſinat exſuccam, otioſam abire: peracutis conceptiſq; ingenioſè ſententijs auditores excitet, alliciat, mulceat: acumina, veneres, lepores adjiciat, dummodo temperatè, ac ſolidè cadant, neque tanquam internitentes noctu per arva cicindelæ ad ſolis exortum illicò evaneſcant: ac demum nova, ac illuſtri dicendi ratione laudem promereatur; nihilque promat, quod jaceat, quod langueſcat, ſed concitato æſtu vehemens feratur, & ſaxa, ut loquitur ille, devolvat, auditorémque licèt obfirmato, ſaxeóque nitentem animo agat ultra, cogátque ire, quò rapiat. Has ſi virtutes oratoris ſtylus excoluerit ſumma facilè attinget eloquentiæ culmina; talem exercuit perorandi rationem Marcus Tullius, talem Demoſthenes, talem Thucydides, & alia eloquentiæ lumina, quæ orbem ſuis illuſtrârunt orationibus.

PROLEGOMENUM XXVI.

De ſtylo ludicro, joculari, & aculeato.

1 PLeríque cum primum oratores audiunt laxa quadam profluentia, continentique, ac nunquam intermittente ſermone volubiles, ac canoros, eos diſſertiſſimos celebrant, ac inter illos recenſent principes oratores, qui humanæ videntur attigiſſe eloquentiæ culmina: an verò uberrimæ huic verborum ſegeti tanquam corpori animus præſit, non ſedulò perpendunt; quaſi cuilibet ſufficiat Oratori fusè, latéque dixiſſe; quod redarguit romanæ princeps eloquentiæ, ratus nil tam furioſum eſſe, quàm verborum ſonitum inanem, nullo adjecto acumine, nullâ exhibitâ venuſtate, quæ oratoris prodat ingenium, & adſtantium mulceat cœtum ſuavitatis illicio.

2 Neque adhærendum ijs puto, qui auſteritati plus æquo addicti omnes dicendi veneres, concinnitates, fucos, ſales, acumina non pluris faciunt, ac pueriles nugas, quæ orationis dedecent gravitatem, etenim quotquot floruêre excellentioris eloquentiæ cultores minimè hæc neglexerunt acumina, ſententiarúmque ictus: ſexcenta poſſem hic ex Cicerone decerpta ſubjicere horum exempla orationis acuminum; & nonnulla ex ubertima hac ſegete referam. In Verrem lib. 4. *Nunquam tam malè eſt Siculis, quin aliquid facete, & commodè dicant: velut in hac re ajebant, in labores Herculis non minus hunc immaniſſimum Verrem, quàm illum aprum erymanthinum referri oportet.* In Verrem lib. t1. *O præclarè conjectum à vulgo in illam provinciam omen communis famæ, atque ſermonis, cum ex nomine iſtius, quid in provincia facturus eſſet, perridiculi homines augurabantur. Quo die Siciliam tetigit, videte ſatiſne paratus ex illo omine urbano ad evertendam provinciam venerit.* In Verrem 1. *Hinc illi homines erant, qui etiam ridiculi inveniebantur ex dolore: quorum alij, ut audiſtis, negabant mirandum eſſe, jus tam nequam Verrinum eſſe: alij etiam frigidiores erant: ſed quia ſtomachabantur, ridiculi videbantur eſſe, cum ſacerdotem execrabantur, qui Verrem tam nequam reliquiſſet.* In Verrem lib. 5. *Homo inertior, ignavior, magis vir inter mulieres nequam, impura inter viros muliercula proferri non poteſt.* Pro domo ſua. *Te obteſtor Veſta mater, cujus ignem illum ſempiternum non ſum paſſus, aut ſanguine civium reſtingui, aut cum totius urbis incendio commiſceri.* Pro Flacco. *Cujus lingua quaſi flabello ſeditionis, illa tum eſt egentium concio ventilata.* In Vatinium cognomento Sturmam. *Hi medentur Reipublicæ, qui execant peſtem aliquam tamquam ſturmam civitatis.* In Antonij Præceptorem mercedis loco agris donatum. *En cur Magiſter ejus ex oratore arator factus ſit.* In teſtes contra Flaccum. *Citat præco voce maxima legatos Æmonenſes prodeant. Procedit un⁹ Aſclepiades. Etiam ne præconem mentiri coëgiſtis.* In Catilinarios. *Verumtamen quid ſibi iſti miſeri volunt? num ſuas ſecum mulierculas ſunt in caſtra ducturi? quemadmodum illis carere poterant, his præſertim jam noctibus? quo autem pacto illi Apenninum, atque illas pruinas, ac nives perferent? ſi niſi idcirco ſe faciliùs hyemem toleraturos putant, quòd in convivijs nudi ſaltare didicerunt?*

Joculari hoc, ac ludicro ſtylo uſi ſunt 3
tum primæ notæ oratores, tum Poetæ, etſi omnes, qui politè eloquentiam coluerunt, vel ingenij vi, memoriave acerrimè ceteris antecellunt. Senes aliquot Dimuum ephebum multiplici apprimè imbutum eruditione quia provocaverant, ut in pulverem proſiliret literarium, ſecúmque accademicè diſputaret: *non faciam*, inquit adoleſcens, *vos pugnam geritis ante domos veſtras, hinc animoſiores eſtis*, erant enim ſenes illi propè cœmeterium. Theochrito reo veniam pollicitus fuerat Antigonus Monoculus, ſi ſupplex ipſum adiviſſet: rogatus à ſuis, ut ante regis oculos ſe ſiſteret jocosè reſpondit: *Impoſſibile eſt: jam actum eſt de me ante regis oculos venire, non poſſum.* Cato cùm primùm vidit exardentem domum cujusdam civis romani, qui abdomini unicè addictus, reliquum patrimonium in culinis, & cauponis conſumpſit, acutè dixit: *ceſſabit nunc ſacrificium, ubi reliquiæ ciborum, quoi ſupererant, flammis aſſumendæ dantur.* Auguſtus ad cœnam perquam frugalem ab amico invitatus, eâ peractâ Domino ſe excuſanti reſpondit: *Non putabam me adeò tibi eſſe familiarem.* Lingua ſine telo vulnerat, ſine gladio ferit, ſine dumis pungit, ídque expertus Scipio Africanus cum ſubactâ Africâ Romæ accuſaretur, quod ærarium nimio ſumptu minuiſſet, dixit, ſe acutiores Romæ ſenſiſſe linguas civium, quàm Carthagine hoſtium enſes. Martialis acutè Poſthumum pupugit, qui ut fœtorem è malè habito efflantem corpore obtegeret multiplici incedebat odore perfuſus.

Hoc mihi ſuſpectum eſt, quod oles bene Poſthume
ſemper.
Non bene ſemper olet, qui bene ſemper olet.

4. Alius non ignobilis Poëta virum uxorium coarguens dixit.

Naturâ Mas eſt, ſed fæmina redditus arte.
Communis generis demque factus homo eſt.

5. Plurimum præſetulit leporis luſus Cæſaris cum Floro, etenim cum dixiſſet Florus

Ego nolo Cæſar eſſe
Ambulare per Britannos
Scythicæ pati pruinas.

Retorſit Cæſar.

Ego nolo Florus eſſe,
Ambulare per tabernas;
Latitare per propinas,
Culices pati rotundos.

6. Nec minorem exhibet amœnitatem jocus Camilli Querni Archipoëtæ cum Leone ſummo Pontifice, cum ambo menſæ inſiderent, dixit Quernus Pontifici.

Archipoëta facit verſus pro mille poëtis,

Subdit Pontifex,

At pro mille alijs Archipoëta bibit.

Reſpondit Quernus,

Porrige, quòd faciam mihi carmina docta falernum.

Concluſit Pontifex,

Hoc etiam enervat, debilitátque pedes.

Laborabat tunc Archipoëta morbo articulari, alluſitque Pontifex ad carminum pedes, qui ſubinde claudicare dicuntur, cùm carmina ad perfecti metri amuſſim non fluunt. Lepidum itidem includit acumen aliud ejuſdem Pontificis ad Archipoëtam reſponſum: *Dis* numen fingitur divitiarum, cujus mater *Opis*, eò quia ad coacervandas divitias neceſſarius videatur Principum, Magnatúmve favor: prima tamen ſyllaba *Opis*, cum ſignificat Deam, producitur; corripitur verò, cum auxilium ac favorem denotat; interrogavit Pontifex Archipoëtam

Dic mihi: cur dites non cernimus eſſe poëtas.

Reſpondit Archipoëta peracutè cum alluſione ad fabellam *Dis* & *Opis*.

Dis fierem, fieret ſi mihi Mater Opis.

Retorſit pulchrè Pontifex

Culpa tua eſt: vitio ignari, nam Carminis Opis
Quam reliqui Longam, *tu facis eſſe* Brevem.

Uſurpaverat ſiquidem Archipoëta vocem *Opis* ad ſignificandum Pontificis auxilium, cujus primam ſyllabam corripuerat, ac ſi non multum ei fuiſſet opus auxilij.

7. Caveat nihilominus eloquentiæ candidatus à nimia horum frequentia luſuum; ſicut moderatus uſus plurimum adfert oblectamenti; ita immodicus levitatem prodit oratoris, & contemptum parit: perinde hujusmodi luſus ſe habent, ac delicatiſſimæ icunculæ punctim penicillo pictæ, quæ quia minutiſſimis, ac oculos ipſos fallentibus expreſſæ ſunt ductibus, intuentes primo aſpectu capiunt quodam illicij aucupio, ac indiſcreta opificij ſubtilitate ancipites tenent: curioſiùs verò, ac exactiùs contemplantibus ſtatim membrorum ſymmetriâ, ac partium commenſu, in quo excellentia eminet artis, peccare multiplici vitio deprehenduntur; ita ſi jocoſæ id genus argutiæ, ſeu ut ajunt aculeata ſcommata crebò obtigerint virtutem inficiunt orationis, & eorum faciliùs deprehenduntur vitia, ſunt etenim argumenta tenuiſſimis laborata lenticulis, quæ perinde, ac fulgetra cum primùm ſplendent deficiunt, cùm micant extinguntur. Plurimum præſeferunt elegantiæ imagunculæ Belgarum typis graphicè delineatæ, at quia ſubtiliter ære inciſæ, ac minùs altè, ſed tenui ac ſuſpenſa manu, ideo ubi aliquoties impreſſæ fuerint, ac in ſubjectam papyrum ſæpius transfuſæ, ſtatim abſumptis, æquatisque tenuiſſimis illis inciſarum linearum ductibus fugiunt ex ære, ac penitus obliterantur: ita id genus ludicræ dictiones, ſeu aculeatæ veneres ſi ſæpius in lucem prodeant, vix aliquid ſervant, quò ulteriùs placeant, præſertim ſi parum præſeferant ponderis, & nihil momenti.

Utatur igitur orator hiſce argutiarum viretis, hac tamen cautione, ne nimia eorum frequentia diſpliceat, ac cordati viri ſtomachum moveat, ſed ad hunc unicè finem, ut horum exhibitione floſculorum Auditores alliciat, ſibique ad reliquam orationem aditum pandat, eo pacto quo Cyclici, ac momi certos ſolent luſus præmittere, ut cœtum congregent, ſibíque ad mercimonia venum danda gradum faciant. 8
Ut id enucleatiùs percipiat Eloquentiæ candidatus, proderit hîc ſubijcere callidam quorundam agonalium circulatorum vafritiem, ac ſubdolam, ſed non illepidam artem, quam Romæ non ſine Adſtantium plauſu exercuerunt. Conſcenderant iſti in frequenti foro conſtructum pegma, expoſitisque, quas ſecum detulerant mercibus, nitebantur hiſtrionali luſu quotquot in viciniis aderant allicere, & ad ſeſe trahere; verùm cum cœtus non fieret, cœperunt nova & exotica promere unguenta abluendis, odorandisq; manibus perquam accommodata, & alia pro dentium munditijs, ac inſtauratione laudibus ſupra ſydera evehere, & nulla adhuc fiebat populi frequentia; nulla ſpes aderat vendendi mercimonij, & re propemodum deſperata extremos adhibent conatus, pelues ſublimes ingenti clamore jaciunt, ſerpentes innocenter pectori admovent, cultris nuda brachia feriunt, clavos, lapillos, vitrum, & alia id genus vorant; verùm cum infrequens eſſet cœtus, indignati deſiſtunt, ſarcinulas colligunt, pegma deſcendunt, abeúntque triſtes; inter eundum quaſi alter alterum ob rem peſſimè actam objurgaret, rixantur omnes, gladijs ſe ſe aggrediuntur, fugiunt illi clamantes, inſequuntur iſti, accurrunt ſtatim quotquot in foro aderant, partim dirimendi, partim ſpectandæ pugnæ causâ: tum callidi circulatores ubi denſatam undique vident turbam gladios ſuis reſtituunt vaginis, ſe ſe mutuis oſculis amplexantur, & ad circumfuſam multitudinem feſtivè converſi: bellè actum eſt, inquiunt, tandem in cœtum vos coëgimus frequentiorem, uti noſtris erat in votis; hanc ſtudiò pugnam inſtituimus, ut noſtrorum tandem luſuum ſpectatores eſſetis, tunc coacta multitudo in riſus, & cachinnos erupit, venale Circulatorum commendantes negotium.

Væ

Vafritiem hanc, callidúmque artificium adhibere ad populos alliciendos oratorem non dedecet, quâ ratione, licet, perparcè tamen, lepores, argutias, ſcommata, aliáque id genus ludicra effundere, ut ſemel exhilarati quotquot adſunt, libentiùs ſolidiora audiant; ne tamen levitatis noxâ redarguatur orator, frequens non ſit in hiſce luſibus immiſcendis. Falluntur recentes quidam oratores, qui ſtudioſè ſimiles venantur nugas, quas ſingulis orationis periodis intemperanter inſerant: ſicut non ubique terrarum laſciviunt flores, nec in quavis cœli parte micant ſydera; ita neque id genus eloquentiæ viret a crebra ſiut, præſertim ſi parum habuerint ponderis; imitantur ſiquidem ſolſtitiales herbulas, quæ quo die naſcuntur, occidunt, & cordato diſplicent viro: non inficior, ſi perparcè exhibeantur, plurimum præſeferre amœnitatis; at ſi frequentia exceſſerit non amplius novitate oblectant, ſed intempeſtiva obruunt, ac fatigant ſatietate. Quotquot ante Ciceronem floruerunt oratores ludicram hanc, & jocularem orationis rationem neglexerunt, & perpauci reperiuntur, qui ridiculas haſce adhibuerint ſententias, tati ſapientes illi, lepores iſtos plus eſſe orationi dedecori, ac gravitati obeſſe, quàm ejuſdem prodeſſe concinnitati: neque ita eſt, ut plerique perperam autumârunt, veteres illos, qui hanc jocandi artem minimè perſpexêre, negligentes, ac incurioſos fuiſſe: tametſi non defuerit ipſis ingenij vis, neque curioſitas, abjecerunt nihilominus hanc jocandi rationem, utì à virtute alienam eloquentiæ, & ejus candori minimè faventem; Cicero Romanæ princeps Eloquentiæ omnium primus ludicras haſce invexit ſententias, ut refert Quintilianus, inquiens: *Hoc quod vulgò ſententias vocamus (veteribus præcipuéque Græcis in uſu non fuit: apud Ciceronem invenio) dum rem contineant, & copiâ non redundent, & ad victoriam ſpectent, quis utile neget? feriunt animum, & uno ictu frequenter impellunt, & ipſa brevitate magis hærent, & dictione perſuadent.*

10 Nolim tamen, me adeo auſterum judicem putes, ut ludicras quaſque videar dictiones damnare, hos floſculos ab Eloquentiæ abradere viridario, cum & ipſe Tullius hæc orationi adjecerit vireta, quibus Auditores alliceret, blandiúſque teneret. Novi noſtri ſæculi ingenia cultiora hiſce delectari viretis, hiſce libentiùs irretiri aucupijs, & orationes deſiderare prænobilium antiquorum cœnis conſimiles, in quibus ut loquitur Gellius *lib. 14. Dum libentiſſimè edis, tunc auſertur, & alia eſca melior, atque amplior ſuccenturiatur. Iſque flos cœnæ habetur.* Quòd ſi orationem illis apponeres nullo ridentem luſu, nullis jocantem viretis, perìnde negligerent, ac faciem, *cui*, ut vulgò dicitur, *Gelaſinus adeſt*.

11 Utatur recens Orator hiſce acuminibus, ſed perparcè, ut aures ſubinde mulceat, animóſque alliciat, ut ad ſolidiora præparet; à nimia tamen frequentia caveat, ne ijſdem, quos in animo erat delectare, diſpliceat. Quæ maximè ſenſus extimos perfundunt voluptate, & quodam commovent blandimento ab ijſdem celerrimè quadam ſatietate, ac faſtidio abalienantur, & tametſi ratio ſit difficilis explicatu, quotidiano nihilominus id nobis comprobatur experimento ex ijs, quæ ſingulis noſtris ſubjiciuntur ſenſibus: nemo inficias ibit, recentes picturas ſuavitate, claritate, ac colorum varietate nos ad ſe ſe quodam jucunditatis blandimento rapere, ac primo intuitu delinire; At experimur etiam, illud ipſum veterum tabularum quod eſt horridum, & abſoletum, ac pœne vetuſtate evaneſcens, & obliteratum multo attentiores tenere aſpicientium oculos.

Nobis conſtat ex ſuavitatib' odorum, quæ ex 12
unguentis afflantur, acriores nos vix naribus ferre poſſe; & eorum diuturnitatem nobis moleſtiæ eſſe: quæ ſi unguenta temperata fuerint, ac condita ſimpliciùs, experimur plurimum recreari olfactum, & mitiori ſuffitu blandiùs deliniri. Quid dulcius melle, ſaccharo, placentâ, & alijs id genus cupedijs, & tamen hæc guſtum licèt ſenſuum avidiſſimum celeriùs ſatiant, eíque faſtidium creant. Delectant oratoris argutiæ, non inficior, at ſi frequentiores fuerint, quàm par ſit, moleſtiæ ſunt Auditoribus, qui citiùs offenduntur, quàm ijs, quæ ſub ſenſus cadunt; quia animus multo acrior judex, ac moroſior clariùs vitioſam hanc deprehendit copiam; quam ut levem, ac nullius ponderis repudiat. Optimum igitur ſit oratoris conſilium perparcè, & ad tem uti aculeatis hiſce luſibus; non decet oratorem ſemper jocari, ſed perſuadere, ac animos flectere,

PROLEGOMENUM XXVII.

Optimus concionalis ſtyli character indicatur, & invehitur in fucatos concionatores.

Concionatorem, ſi appellem, eum in- 13
telligo è ſacro ſuggeſto perorantem virum, qui neglectis fucis, ſpretiſque vanæ eloquentiæ calamiſtris, aliiſque dicendi veneribus totis viribus inſiſtit, deſudat in promovenda virtute, profligando vitio: qui repudiatis verborum phaleris, firmioribus delectatur argumentis, raro fabellas accerſit, & ſi quid humanæ excidit eruditionis contemnendo potiùs uſurpat, quàm oſtentando: qui Prophetarum, Apoſtolorum, & præſertim Chriſti Domini ſententias erebrò depromit, expendit, inculcat, & quaſi malleis eudit, ac imprimit pectoribus, qui ſenſus refugit pueriles, lubricos averſatur verborum flexus, aulicas odit aſſentationes, raro blanditur, nunquam adulatur, ſed minatum tonitru perditos hujus ferrei ſæculi homines terret, ac imminentia vindicis DEI exaggerat flagella: qui luctatur crebrò cum vitijs, coarguit morum corruptelas, reprehendit peccandi licentiam, coërcet effrænes libidinum motus, & toto conatu deflectentes à via veritatis ad meliorem nititur revocare frugem,

Hujus notæ Concionator egregius procul dubio fuit Salvianus, qui ſumma vi, ſummâ acrimoniâ vitia redarguit: ſubjiciam hîc, ut exemplaria imitanda nonnulla fragmenta ex *lib. 6.* decerpta. Equidem, ait ipſe, quia nunc longum eſt dicere de omnibus, amphiteatris ſcilicet, aleis luſorijs, pompis, athletis, petaminarijs, pantomimis, ceteríſque portentis, quæ piget dicere, quia piget malum tale, vel nôſſe, de ſolis circorum, vel theatrorum impuritatibus dico. Talia enim ſunt, quæ illic fiunt, ut ea non ſolùm dicere, ſed etiam recordari aliquis ſine pollutione non poſſit. Alia quippe crimina ſingulas ſibi fermè in nobis vendicant portiones, cogitationes ſordidæ animum inficiunt, impudici aſpectus oculos, ut & cantus improbi aures corrumpunt: ut cum ex his unum aliquid erraverit, reliqua poſſint carere peccatis. In Theatris verò nihil eorum reatu vacat, quia & concupiſcentijs animus, & auditu aures, & aſpectu oculi polluuntur. Quæ quidem omnia tam flagitioſa ſunt, ut etiam explicare ea quispiam atque eloqui ſalvo pudore non valeat. Quis enim integro verecundiæ ſtatu dicere queat illas rerum turpium imitationes, illas vocum, ac verborum obſcœnitates, illas motuum turpitudines, illas geſtuum fœditates: quæ quanti ſint criminis, vel hinc intelligi poteſt, quòd & relationem ſui interdicunt. Nonnulla quippe etiam maxima ſcelera incolumi honeſtate referuntur, ut homicidium, latrocinium, adulterium, ſacrilegium, cæteráque in hunc modum. Solæ theatrorum impuritates ſunt, quæ honeſtè non poſſunt vel accuſari, ita nova in coarguenda harum turpitudinum probroſitate res evenit arguenti, ut cum abſque dubio honeſtus ſit, qui accuſare ea velit, honeſtate tamen integra ea loqui, & accuſare non poſſit. Alia quóque omnia mala agentes polluunt, non videntes, non audientes. Siquidem etſi blasphemum quempiam audias, ſacrilegio non pollueris, quia mente diſſentis: etſi interuenias latrocinio non inquinaris actu, quia abhorres animo: ſolæ ſpectaculorum impuritates ſunt, quæ unum admodum faciunt, & agentium, & aſpicientium crimen. Paucis interjectis ſubdit. An forte in morem veterum paganorum, theatrorum, & circorum nos Deum habere arbitramur? Faciebant enim hæc illi quondam, quia has idolorum ſuorum delicias eſſe credebant. Nos quomodo hæc facimus, qui odiſſe Deum noſtrum hoc certò ſcimus? Aut certò ſi placere DEO has turpitudines novimus, non probibeo quin ſine ceſſatione faciamus. Si verò in conſcientia noſtra hoc eſt, quod DEUS horret, quod execratur, quod ſicut in his eſt paſtus diaboli, ita offenſio DEI, quomodo nos in eccleſia DEI colere DEUM dicimus, qui in obſcœnitate ludorum ſemper diabolo deſervimus, & hæc gnari, ac ſcientes de conſilio, & de induſtria? & quæ nobis quæſo, ſpes erit apud DEUM, qui non caſu, & imprudentia DEUM lædimus, ſed exemplo illorum quondam gigantum, quos inſanis conatibus ſuperna tentâſſe, & quaſi in nubes gradum tuliſſe legimus. Sic nos per injurias, quas in omni modo ſemper inferimus, quaſi conſenſu publico cœlum oppugnamus. Chriſto ergo ò amentia monſtruoſa! Chriſto Circenſes offerimus, & mimos, tunc & hoc maximè cum ab eo aliquid boni capimus, cum proſperitatis aliquid ab eo attribuitur, aut Victoria de hoſtibus à divinitate præſtatur. Et quid aliud hac re facere videmur, quàm ſi quis homini beneficium largienti injurioſus ſit, aut blandientem convicijs cædat, aut oſculantis vultum mucrone transfigat? Interrogo enim omnes potentes, ac divites mundi, cujus piaculi reus dignus ſit ſervus ille, qui bono, ac pio domino malum cogitet, qui bene merenti convicium faciat, qui pro beneficijs, quibus cumulatur, contumeliam reddat. Abſque dubio maximi criminis reus creditur, qui malum pro bono reddit, cui etiam malum pro malo reddere non liceret. Hoc etiam nos, qui Chriſtiani dicimur, facimus; irritamus in nos miſericordem DEUM impuritatibus noſtris, propitiantem ſordibus lædimus; blandientem injurijs verberamus. Chriſto ergo ô amentia monſtruoſa! Chriſto Circenſes offerimus, & Mimos, Chriſto pro beneficijs ſuis theatrorum obſcœna reddimus, Chriſto ludicrorum turpiſſimorum hoſtias immolamus: hactenus Salvianus, cujus dicendi vehementiam, eloquentiæ energiam, coarguendi acrimoniam utinam imitarentur, quotquot è ſacris ſuggeſtis ferreo hocce ſæculo perorant Concionatores, præſertim cum noverint plebis ſeditionibus, jurgijs, adulterijs, homicidijs, aliisque obſcœnitatibus DEUM offendi, lubricas proculdubio præcluderent vias iniquitatis, & ad meliorem frugem, morum perditiſſimorum acceſſerent homines.

Piget Concionatores plerumque audire, 2
qui cum populi impuritatibus, luxurijs, aliisve id genus fœditatibus DEI lædunt bonitatem propitiantem, ac clementiam irritant, ipſi nihilominus ad ingenij oſtentationem verborum phaleras, ac fucatas nugas depromunt, ut aliquid inde plauſûs aucupentur: itane verbi DEI præcones, in quibus venerabilis operum, ac ſermonum ſanctitas affulgere debet, ineptiarum vaniloquia, comptos verborum circuitus, concinnatas vanæ eruditionis veneres, ac fabularum intextas ſeries, quibus proborum aures graviſſimè læduntur ſine ullo fructu inaniter effundunt? itane ſpirituales medici, quorum munus eſt amara pharmaca minarum, ac increpationum ægris animis porrigere; verborum numeris, ac lenocinijs ad aures duntaxat demulcendas perorant, ac favos loquuntur vaniſſimæ elocutionis? itane qui gelidiſſimos animos divino tenentur ſuccendere amore, & ad incrementa inflammare virtutum puerilia ludicra, ac inanium verborum ſpumam, quâ, ut loquitur Claodianus Mamertus, *imperitæ aures conſpuuntur*, ineptè effutiunt, & fucatam eloquentiam tumidis verborum ambagibus ſuperbientem in DEI eccleſias, in ſanctuarium Divinitatis vaniſſimè

in-

invehunt? itane qui æneo pectore, animóque inconcuſſo DEI honorem tenentur unicè tueri, cultúmque promovere, domos DEI publica vertunt in theatra, ubi mox verborum jocis ad cachinnos provocant; mox laſcivientibus fabularum narratiunculis, ne dum aures permulcent, verùm proh dolor! animos ad profana accendunt, ſtimulant: *veh illis*, ait Ezechiel 23. *qui conſtruunt pulvillos ſub omni cubito manûs; & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas.* Eh quibus exactiùs hujus notæ concionatores æquiparavero, quàm ſyrenulis blandulis non vitæ, ſed morti cantu præludentes? quàm ranarum turbis non vinum probatæ ſapientiæ, ſed turbidam vanæ oſtentationis aquam propinantibus? quàm Neronis nauticæ expeditioni ex Ægypto non annonâ ad famelicæ Romæ ſedandam rabiem, ſed macrâ oneratæ arenâ ad magis acuendam? quàm imbelli Priami telo ad infigenda vulnera minimè apto? quàm tormentis bellicis multo oneratis pulvere ad rumorem tantùm, non ad ictum? non veniunt ad pugnam hujusmodi concionatores, ſed ad pompam; ferire non poteſt, qui totus vinctus, & adſtrictus legibus numeroſæ orationis mellea, ac picturata intorquet jacula vanæ eruditionis. Non Niobe lachrymas, non Mercurij ſales, non Pindari pigmenta, non Chariclea ſuſpitia, non Aiacis furores imitentur Evangelij præcones; ſed D. Pauli efficaciam, Chryſoſtomi emphaſin, Salviani acrimoniam, ſi occaſio poſtulet, ſi mores ſint corrupti. *In judicijs, in concione,* ſcribit Cyprianus ad Donatum epiſt. 2. *pro roſtris opulenta facundia volubili ambitione non jactetur, & cum de Domino Deo vox eſt, vocis puræ ſinceritas non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta, ſed rebus. Denique accipe non diſerta, ſed fortia, non ad audientiæ popularis illecebram culto ſermone ambitioſa, ſed ad Divinam indulgentiam prædicandam rudi veritate ſimplicia.* Quid Chriſtus in terris geſſit, quid Apoſtoli, quid tot ſanctorum Patrum cœtus, quàm inextinguibile bellum vitijs indicere? dæmonum vires infringere, animis jam ſubactis inſerere ſapientiam, juventutis ingenia virtutum imbuere ſucco, qui in æternam frugem adoleſcat, vitia eradicare, & ubique terrarum virtutis ſemina jacere

3. Quid ergo? dices, negligendæ igitur ſunt omnes Rhetoricæ præceptiones, repudiandæ omnes dicendi phaleræ, extirpandi omnes elocutionis flores, contemnenda omnia cultæ orationis pigmenta? cum conſtet vel ipſos ſanctos Patres hiſce fuiſſe uſos elegantijs. Nunquam novi me in ea fuiſſe ſententia, ut abjiciendas, cenſuerim exculti ſermonis venuſtates; præſertim cum pleraſque Sanctorum Patrum evoluerim lucubrationes elegantiarum floſculis vernantes, compti ſtyli ſuavitate delibutas, orationis numeris, venuſtatibus, luminibus quaſi pictis aſarotis vermiculatas: & ut aliqua quæ legerim ſubjiciam fragmenta. Nazianzenus in oratione de Sancto paſchate perpulchrè, ac floridè ver ita deſcribit. Regina tempeſtatum pompas ducit Regi dierum & pulcherrimo, eodémque jucundiſſimo ſtipat veluti ſatellitio. Nunc cœlum renidet purius, nunc ſol altior, & auro ſimilior, nunc orbis lunæ pulchrior ſplendet, atque illibati ſtellarum chori clariùs eniteſcunt. Nunc litoribus conciliantur fluctus, ſoli nubes, aëri venti, terra plantis, plantæ oculis. Nunc fontes manant liquidiùs, & hibernis compagibus expediti, largiùs amnes fluunt, prata collucent floribus, turgent gemmis arbores, detonſi nitent herbarum tori, & per ridentes agros agni laſciviunt. Iam naves ut plurimum piis refertæ vectoribus cum celeumate ſolvunt è littore, & alas velorum explicant: mox leni curſu fluentibus aſſultant Delphini, & ſuaviſſimè quidem anhelantes tranquillo mari fidi comites nautas deducunt. Lætus autem Agricola ſerenum intuetur cœlum, & aratrum reſpicit, frugum largitorem Deum appellans, tum ſtrenuè boves aratores cogit ſub jugo, & dulces imprimit ſulcos, totus jam ſpe delibutus: hactenus Nazianzenus ad eloquentiæ ornatum.

4. Neque ſimilibus orationis viretis caruit S. Io. Chryſoſtomus, qui tametſi gravis, ac totus aureus fluat, nihilominus cum ab exilio ad Olympiadem lectiſſimam fœminam ſcriberet, adeo lepidè, & concinnè luſit in tempeſtatis deſcriptione, ut eam oratorijs perfuderit delicijs inquiens. Mare cernimus, & ab imis uſque gurgitibus undique revulſum, nautas mortuos ſumma unda fluitantes, alios peſſum euntes, navium tabulas diſſolutas, perupta, & lacerata vela, malos effractos, remos è nautarum manibus elapſos, naucleros gubernaculorum loco tabulatis inſidentes, manibus ad genua implicitis, ac præ tempeſtatis atrocitate in eum conſilij inopiam reductos, ut tantummodo lugeant, ac gemitus, & ejulatus acerbiſſimos edant. Non cœlum, non mare oculis procella exhibet ſed denſas, atq; obſcuras tenebras, caliginémque tantam, ut ne perpinquos quidem perſpicere ſinat. Ex Patribus latinis, Cyprianus Epiſt. ad Donatum plures immiſcet veneres, plerosque ſpargit floſculos. Petamus, inquit, hanc ſedem, dat ſeceſſum vicinia ſecreta, ubi dum erratici palmitum lapſus pendulis nexibus per arundines bajulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt.

5. Nun igitur eloquentiæ pigmenta, orationis delicias, elegantiarum vireta à ſacro omnino concionatore aliena puto; cum id exigat optimum orationis inſtitutum, ut etiam delectet: ſed in animo tantùm eſt innuere, ne nimia hæc florum profuſio ita adſtantibus placeat, ut gravitati diſpliceat; & eos noſtri ſæculi redarguere concionatores, qui ad ſolam ingenji oſtentationem perorantes totum imponunt ſtudium in hiſce immiſcendis viretis, ac floſculis è ſacro ſuggeſto ſpargendis negligentes interea animarum fruges: ſpargantur flores, ſed ſimul redarguantur vitia, corrigantur mores, avertantur perditi homines à via iniquitatis, alliciantur ad pœnitentiam, inflammentur ad virtutem: hiſce fulcimentis vicerunt ſancti Patres, & quotquot retroactis ſæ-

culis eximij floruerunt concionatores, qui gigantum occluſerunt ora frementibus inferis, ſolo æquârunt omnia dæmonis molimina, vitiorum germina eradicârunt, & virturum maximè promoverunt incrementa: nunquam in minutis controverſijs ſacri iſti luſerunt oratores: unum is ſemper fuit momentum, una ratio omnes adnectere Chriſto gentes, quomodo fuerunt Sancti Patres concionati: non ne ſe ſe oppoſuerunt muros pro domo Dei; clypeos pro fide tuenda, munitiſſimas arces pro religionis defenſione! nonne validiſſima objecerunt arma hæreſum monſtris: non ne ſteterunt in Eccleſiæ propugnaculis, non floridi, non molles, ſed pulverulenti, & calloſi? contra impietatem, contra vitia, contra rerum humanarum molimina non ne fuerunt ad palmas usque eluctari? pugnârunt, vicerunt, ſpolia in cœlum præmiſerunt. Utinam ferrei noſtri ævi concionatores imitarentur majores noſtros, quorum vita perpetua fuit vitiorum cenſura, norma morum, illuſtrium virrurum ſpirans imago, procul dubio ad majus ſanctimoniæ incrementum florerent virtutum germina, & uberiori fructuum meſſe militantis ager Eccleſiæ diteſceret? diſtant longóque tractu abberrant à majoribus noſtris recentes concionatores eâ nitentes depravatæ eloquentiæ licentia, quæ ſine fronte, ſine oculis nihil veretur, nihil videt; quæ Eccleſias ipſas in ſcenas, & conciones in theatrales luſus nititur convertere, cum ea jactentur in templis, quæ digniùs inter ludibundas aures in circulis, vel theatris narrarentur.

6 Sit ſacri concionatoris ſtylus ſanctus, gravis, caſtus, clarus, diſertus, purus, integer, ardens, pugnans, qui phaleratas nugas reſpuat; verſatilis pectoris lubricos luſus rejiciat, rarò blandiatur, aduletur nunquam, charitate ardeat: exemplis, hiſtorijsque ſacris utatur; ſenſus ſculptos, & laſcivos fugiat, nec ad memoriæ oſtentationem per aſcenſum, & deſcenſum plura enumeret, de quo Panigarola dolet, ſe plusquam oporteret, frequentiorem fuiſſe. Concio igitur amat eloquentiam ſed ſine effectatione; candorem ſed ſine fuco; gravitatem ſed ſine tumore; florum amœnitatem ſed ſine nimia profuſione; adeo ut ſit plena Majeſtatis non abjecta; ſuavis non ingrata; vivida, ac ſucci plena non humilis, ac deficiens.

7 Ne igitur ſacræ conciones, quæ veluti frugiferæ arbores plurimo excoluntur labore ſuis deſtituantur fructibus; neceſſe eſt ut Eccleſiaſtes ante omnia unum aliquid certum ſeligat quod velit ſuis perſuadere auditoribus. Hoc unum unicè ante omnia debet concionator in publicum progreſſurus cogitare, ac decernere quid ſua velit concione perſuadere; an culturam humilitatis, ut diſcat humana mens elata non quærere, nec vano tumeſcere faſtu: num exercitium patientiæ, ut rideant homines quæ obtingunt adverſa; num ſtudium temperantiæ, ut immodici iraſcentis, ſive concupiſcentis animi coërceantur motus; an fortitudinem quâ adamantino pectore novercantis fortunæ retundantur ictus. Vel quale velit vitium diſſuadere, ſuperbiam ne? an libidinem; ſocordiam, vel avaritiam. Hoc præeunte delectu; huc momenta rerum, huc rationes omnes, huc cauſæ, & argumenta perinde ac vibrata in ſcopum jacula ſunt dirigenda, & omnia in id unum collineanda: plures ſunt, qui pul itũ editiori orcheſtra ad populum dicturi conſcendunt; pulchras recitant conciones veneribus pictas, elegantijs ornatas, acuminibus ſtructas, eruditionibus refertas, quibus plauſum quidem ferunt; ſed revera nullum capiunt fructum; imò Gomorræa diceres poma, quorum pulchritudo in extimo tantùm cortice oculis illudebat; cum intus nonniſi inanes clauderent cineres. 8

Plures ſunt qui exoticos, acutiſſimos conceptus multum præſeferentes ingenij, amœnas amplificationes, continuatas allegorias, variarum figurarum integrum apparatum, ac diſcurſus omnibus ſuis abſolutos numeris in medium ferunt: Alij qui concitatiori oratione brachia jactant, ore clamant, pulpita manu tundunt: alij qui mare fundunt verborum, ſed ſine ſalis guttula; fluctuant ſine æſtu, enavigant ſine gubernaculo; & hi omnes ex labore ſuſcepto præter inanem vocem, nil ulterius colligunt; cum enim dicendi ſit finis; ſi quæras quid hi eximij concionatores dicere voluerint, vel dixerint, reſpondent viri prudentes; plura & quidem ſelecta, & elegantia recitâſſe; ſed ad eum ſimpliciter finem, ut elegantes ac eruditi viderentur; non ut oratores perſuaderent; vel fuiſſe loquutos ut loqui audirentur varias ſermocinationes, elegantes explicationes, amplas digreſſiones; verborum, ac ſententiarum exornationes & alia pleraque ad aucupium aurium prurientium; non ad utilitatem mentium indigentium; omnia congerunt præter neceſſaria, & utilia; quia finem ſibi præſtituunt, non ſtudia ſuadere virtutum, & fugam vitij; ſed dicere miranda, nunquam audita, quæ ſint auditu grata: quid pro tanto labore præmij ſuſcipiunt? certè non aliud, quàm conſuetas illas vulgi voculas: fuit pulchra concio, plura eruditè narravit: itane tantilla merces labori reſpondet improbo? bene eſt; quia philomelas imitantur, quibus præter voces nil eſt ſpectatu dignum: vox vox prætereáque nihil. Verus concionator, cuj divinus honor eſt cordi non grata auditu curat, ſed animæ proficua, & utilia procurat; neceſſaria, & utilia phaleris præfert, ornati diſcursûs, nititúrque aliquid certum perſuadere; corruptos mores corrigere, pravas conſuetudines abolere; vitiorum radices evellere; ſemina virtutum jacere, ac excolere. In id totis eloquentiæ viribus tendit, huc arcum dirigit, ut optatum fructuum meſſem legere poſſit. Cæterum finis, & ſcopus concionis ſit in toto concionis progreſſu ſemper unus ac idem, in quem collineent omnia argumenta, & tota concio.

PRO-

PROLEGOMENUM XXVIII.

De varijs ſtyli Concionalis characteribus.

1 DEcet virum Concionatorem è ſacro pe-
rorantem ſuggeſto omnibus eſſe appri-
mè inſtructum ſcientijs, omníque ſa-
cra refertum eruditione, quæ uberiorem ſup-
peditet diſertè fandi ſegetem: nec eos putârim
optimè de ſacra concionandi ratione meritos,
qui neglectâ eruditionum ſupellectile, ac ſcien-
tiarum encyclopedia nihil exhibent adipalis
generis, nihil medullarum (quo ad animi
culturam pleræque offerunt facultates) ſed ſen-
ſus mediocres, ac tritos omni deſtitutos culturâ.
Nulla adeſt ſcientia, quæ ad Deũ proximè non
accedat, nulla facultas, quæ concionatori plu-
rimum non ſuppeditet præſidij: etenim ſi Phy-
ſicam adeas ipſa ſubordinationem, connexio-
nem, ac dependentiam cauſarum ſecundarum
à prima luculenter evincit, & ex harmonico
rerum creatarum concentu, directionéque
ad clariorem DEI notitiam laxum pandit adi-
tum. Quis enim (ait Athanaſius orat. con-
tra idola infra medium) cernens contrarias in-
ter ſe naturas, coopratas tamen eſſe, & con-
cordem harmoniam tenere, veluti quis videns
ignem frigido, & ſiccum humido commixtum
eſſe, atque hæc ſibi invicem non reſiſtere, ſed
unum quaſi corpus abſolvere non ſecum cogi-
tet, foris & ſeorſim eſſe eum ab iſtis, qui iſta
in hunc modum conjunxerit. Quis animad-
verſo in diſſimilibus, contrariiſque parem, ſi-
milémque ordinem ex illis conflari non animo
ratiocinetur unam eſſe vim, potentiámque,
quæ iſta diſpenſet, & gubernet, pro cujus ar-
bitrio omnia ita ritè in eo ſtatu perſeverant?
ipſa enim per ſe nunquam: vel conſtiterint,
vel apparuerint, ob mutuam, quæ in illis eſt
naturæ diſcordiam. Non igitur pugnantia, &
contraria ex ipſa natura in unum coaleſcerent,
niſi præſtantior aliquis eſſet, & Dominus, qui
ea conjungeret, cui & ipſa elementa tanquam
ancillæ dominæ ſuæ obſequentes cedant, &
obtemperent. Pulchrè itidem Nyſſenus *in He-
xaëm.* oſtendit, aſtrorum motus concinnæ fungi
munere orationis DEI exiſtentiam contem-
plantibus apprimè ſuadentes; ait ipſe; Artificio-
ſum, quod in cœlis ex converſionis concentu
ſpectaculũ viſitur apud peritos munere fungitur
orationis: rationem adducit Triſmegiſtus
cap. 5. Pimandri. quia cum ſtatuam abſque fa-
bro, & pictore fieri nullus aſſerere audeat, mi-
ram mundi hujus conſtitutionem ſine condito-
re conſtitiſſe putabimus?

2 Si ethicam adeas, ipſa oſtendit, bono-
rum morum legem primariam, ac indefecti-
bilem regulam Deum eſſe: Si Logicam ipſa
veritatem, ac lumen mentis à Deo, qui eſt
prima veritas exhauſit, & omnem veritatem
edocet divinæ conformem ideæ. Si Juris-
prudentiam, ipſa Deum novit ſapientiæ, & æ-
quitatis ſacrarium. Decet igitur ſacrum Con-
cionatorem omnium luminibus ſcientiarum
eſſe apprimè inſtructum, ut uberiori dicendo-
rum ſegete undique aditum ad Deum aperiat:
ſed ſacris præſertim ſtudeat literis; hæ ſiqui-
dem uberrimum exhibent campum omni refer-
tum eruditione: redarguendi hi ſunt, qui ſa-
cras negligentes hiſtorias, congerunt fabulas,
ſtrophas, & alias id genus quisquilias: ſuos
habent ſacræ litteræ Hercules, Aiaces, Ulyſ-
ſes, ſuos pugiles, qui egregie luctati, caſtitate
dejecerunt impudicitiam, fide oppugnârunt
perfidiam, pietate contuderunt ſævitiam,
modeſtiâ petulantiam, fortitudine crudeli-
tatem, virtute vitium.

Neque dulciſſimi deſunt ſacris litteris fru- 3
ctus, non ad eſum tantùm, ſed ad medelam,
nec unjus duntaxat tempeſtatis, ſed cujusvis
menſis, & anni, adeò ut cum illa conferantur
Apocalypſis arbore, de qua dixit Spiritus veri-
tatis, ex utraque parte fluminis lignum vitæ
aſſerens fructus duodecim per menſes ſingulos,
reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſani-
tatem gentium. Qui igitur ſeriò ſacras aggre-
diuntur conciones, pro Eſtere, ſacráſque
hiſtorias non congerant Æſopi è Phrygia fabu-
latoria apologos, nec profanas recitent O-
vidij Metamorphoſes, quæ magis morum
honeſtati obſunt, quàm proſint, ſed ſacras
diu, noctúque volvant ſcripturas, non per-
functoriè, nec illotis, ut vulgò dicitur mani-
bus, ſumma hæc pertractent myſteria, ve-
rum ſedulò ſacratiores illos perpendant ſenſus,
diu ruminent: hocce ſtudium commendans
DEUS Ezechieli munus obituro ſacrarum con-
cionum dixit. *Fili hominis comede volumen i-
ſtud*, quia ut pulchrè expendit D. Hieroymus,
niſi ante comederimus apertum volumen, do-
cere neutiquam poſſumus filios Iſraël, come-
dimus autem volumen, ſi ſacros Interpretes
ſedula diſcuſſione perpendimus, ipſi ſiquidem
elegantiores ubertim exhibent flores, quibus
alliciantur Auditores, & fructus melle, favó-
que dulciores, quibus reficiantur, & ad ſpiri-
tûs pinguedinem farciantur. Allegorias, ſen-
ſúsque anagogicos recludunt Origenes, &
D. Ambroſius: ſententias, ac nitidiſſima lu-
mina ad componendos hominum mores Gre-
gorius, & Chryſoſtomus exhibent; ſenſus
perplexos, ac difficultatibus irretitos præ cæ-
teris explanat D. Auguſtinus. facilem captu
interpretationem dat Lyranus: adſunt Marti-
nij Hypothipoſes, quæ tradunt canones, ac
regulas ad varios ſcripturarum ſenſus elicien-
dos: demum extant pleríque recentes Inter-
pretes, qui tyronibus uberrimam offerunt flo-
rum, fructuúmque meſſem ad ſacras tum e-
xornandas, tum farciendas conciones: præ-
vijs hisce facibus facilior ſternitur via ad ſacro-
rum intelligentiam oraculorum.

Hiſtorijs ſacris addat Concionator eccle- 4
ſiaſticas, quas Baronius locupletiſſimè digeſ-
ſit; proſunt hujusmodi geſta ad magis firman-
das animas in fide, ac Catholica religione,
quam Chriſtus invexit, quam Apoſtoli ubique
terrarum diſſeminârunt, quam Martyres ef-
fuſo ſanguine irrigârunt, ut eccleſia nobilis
cœli planta lætos proderet gemmarum fœtus,
qui in flores jucunditatis, fructúsque gliſcerent
hone-

honeſtatis. Inſtituebantur in ipſis militantis eccleſiæ incunabulis toto terrarum orbe carnificinæ: objiciebantur nova, invisa, ac inaudita ſuppliciorum genera: invehebant, fremebant adverſus prima eccleſiaſtici agri germina imperatores funeſti, exitiales, humani generis laniſtæ potiùs, ac tortores ſæviſſimi, quàm principes, ut novellos illos flores, vel diſtricto gladio ſuccidcrent, vel effuſi cruoris obruerent fluctibus, vel admotis incendijs abſumerent, vel plumbatis virgis decuterent, vel ferreis pectinibus eradicarent, vel alijs id genus immaniſſimis inſtrumentis funditùs perderent: ſed Chriſti Athletæ vegetiores in agone decertantes hiſce ſuppliciorum aculeis quaſi adjectis calcaribus velociores, ac lætiores ad palmas cucurrerunt. Trahebantur ad Prætorum ſubſellia Antiſtites, ſacerdotes, ſenes authoritate graves, religione ſancti, ætate venerandi, quibus ſe comites adnectebant Matronæ, Nuptæ, Virgines, ac tenelli parvulorum floſculi, qui à ſubſelijs ad amphiteatra, publicámque lanienam ducti adeò torquebantur dirè, ut vix vulneri ſuperfuerit locus: cogebantur mugire in Tauris æneis ſubjecto igne ferventibus: objiciebantur veſparum turmis melle undique delibuti: premebantur compreſſis torcularibus, qui dulciſſimo divini amoris muſto jam inebriebantur: torrebantur in ferreis cratibus, qui edulia jam erant cœlo gratiſſima: torquebantur vepribus, ac dumetis lacerati, qui in florum delicias jam creverant Angelicis ſpiritibus. Hæc inquam inconcuſſæ firmitatis exempla. ſi è ſacris ſuggeſtis luculenta promant Concionatores narratione, plurimum præſeferunt roboris, multum incitamenti ad virtutum, & præſertim patientiæ, ac fortitudinis culturam.

5 Falluntur, qui profanis duntaxat addicti hiſtorijs. aliíſque rerum humanarum viciſſitudinibus, opinantur plus ponderis, plúſque momenti pro animis concitandis erui ab ijſdem poſſe, quàm ab alijs, quæ fide duntaxat divina nituntur, eò quia quæ noſtris obtingunt temporibus, utpotè ſenſibus immediatiùs ſubjecta majorem præſeferant commovendi inergiam; & quæ ſacris eruuntur ex ſcripturis, vel quia à nobis remotiora, vel quia millies repetita, ac uſu detrita vim omnem deperdiderint, & nonniſi ut conſuetæ cantilenæ noſtris ſe ſe auribus inſinuent, abſque narratæ rei novitate, quæ mentem moveat: decipiuntur inquam, qui talia effutiunt: eſto millies è ſacris ſubſellijs extremi judicij cataſtrophe narraverint Concionatores, & tremendum Dei vindicis tribunal deſcripſerint, nunquid adhuc terrorem Adſtantibus incutiunt, ſi ſemel, & iterum illud adhuc deſcribant? ſola concipiant mente cum D. Hieronymo tremendam extremæ illius diei ſcenam plenam terrore, quando cœli columnæ inſolenti fragore, ſubitóque fremitu concuſſæ contremiſcent; quando ſtellæ repentino flammarum tractu decuſſæ decident; quando nitidiſſimæ ſolis faces inſiti oblitæ ſplendoris nonniſi tenebrás, atráſque caligines ubique locorum deproment; quando luna vivido delibuta cruore nocturnis cimmerijs funeſtiſſimæ tragœdiæ adjiciet horrores; quando prodeuntes per varios cœli tractus infeſtiſſimi cometæ, & huc illúcque longo ſyrmate diſcurrentes extremum præſagient mundi excidium, quorum alij in ignivomas cœli linguas deſcripti, vel tacitè minabuntur improbis æterna ſupplicia: alij radijs undique veluti ſpiculis obarmati jam jam imminentes prædicent ſtrages; alij triſtes horricomi, ac micabundi in vertice comam ferociter attollentes mundi præibunt diſſolvendam compagem; alij in mucrones, acinaces, pugiones mirificè aculeati, ac in aëre medio penduli terrificam imminentium calamitatum prænunciabunt congeriem: alij tandem in trabem protenſi veluti accenſo quodam ariete harmonicam mundi machinam funditus everrent. ſi ad hæc cogitata toto corpore, totiſque membris non contremiſcunt ad ſtolida dixerim propiùs accedere lapidis ſimulacra, quàm ad humanæ conditionem naturæ. Luculentâ deſcribat Concionator narratione è ſummo cœlo præcipites flammarum cataclyſmos; qui poſt tot hominum jurgia, populorum diſſidia, bellorum ſtrages, poſt morboſam aëris contagionem, peſtilentiúmque febrium ardores in viventium corpora perbacchantes, poſt truculentæ famis rabiem enectis paſtam cadaveribus, poſt immanſuetarum incurſiones ferarum, & tandem poſt enormes carnificinas, ac ſtrages ubique terrarum ad mundi perniciem diflagrabunt, camporum vaſtitates everrent, ſylvarum dilatatos tractus inflammabunt, plantas, flores, vireta abſument; & ubique gentium ſolo æquabunt munitiſſimas arces, florentes urbes, regum palatia, privatorum domus, & quidquid operoſiſſimæ molitionis aſſurgebat inter minuti pulveris quiſquilias dejicient, ubi trophæa, ſtemmata, ſceptra, diademata, tiaræ omnia in pabulum cedent immanis incendij; ubi oloſerica, monilia, gemmæ, & alia id genus, quibus hominum luxus pretium fecerat? voraces inter flammas, crediderim pretioſiſſimis hiſce dapibus lætas, unà cùm cæteris principum ornamentis crepitabunt; ubi quidquid elegantis artes effecerant, quidquid pretioſi, ac divitiarum auri inſatiabilis fames coacervaverat; quidquid doctrinarum ſartis voluminibus univerſa congeſſerat encyclopedia perbrevi oculorum nictatione in favillas, cineréſque abibunt: ſi ad hæc narrata non contremiſcunt divitiarum, aut inanis gloriæ cupidi eos dixerim, vel ſenſûs expertes, vel ratione non utentes.

Deſcribant à ſacris ſuggeſtis Concionatores terrifici illius ſpectaculi ſiccis oculis minimè ſpectandi circumſtantias, cùm Angelicæ tubæ ingenti clangore è medio aëre labentibus cometis coruſco perſonabunt; cum humana corpora, quæ anteactis ſæculis vel pontus hauſerat, vel flumina, & lacus abſorbuerant, vel ignis abſumpſerat, vel ferrum trucidaverat, vel bellum ſauciaverat, vel ferarum den- 6

tes

tes moluerant, vel morbus attrivetat ſtatim pertextis oſſium commiſſutis, ac revireſcente carne veſtita, iterum conſurgent ubique terrarum ſpiritu animata, ut coram Deo vindice judicanda ſe ſiſtant; cùm atta caligine obducti ſinguli tettarum tractus non ampliùs florum pigmenta dabunt, non vernantia vireta, ſed luctus, & ſqualores; cùm magnum crucis ſignum toties à reprobjs deſpectum, toties irriſum, toties conculcatum apparebit ad extremam ſceleratorum perniciem: cùm Judex in throno ſedebit Majeſtatis ſuæ irrevocabilem illam daturus ſententiam, *ite maledicti in ignem æternum:* ire in ignem æternum quotquot luſibus, convivijs, & ſimpoſijs addicti vitiorum indulſiſtis lenociniis: ire in lectos ardentibus prunis conſtratos quotquot laſcivijs, adulterijs totos deturpaſtis alienos: ite in flammarum inextricabiles laqueos, quotquot laxiſſimâ morum licentiâ vias omnium pertranſiſtis iniquitatum: ite in funeſta draconum cubilia, in ſupplicia nunquam ceſſatura: ite quotquot principes, duces, magnates, proceres, divites, juſtitiam prorriviſtis, innocentiam oppreſiſtis, vitia vitijs agglomerâſtis, ite in uno agmine ad inferos æternùm detrudendos: ſi ad hæc deſcripta non teſipiſcunt improbi, eos dixerim in prædura degeneratos marmora, & & ob inolitam peccandi aſſuetudinem penitus inflexibiles. Quid igitur teſpondent, quid animo volvunt, qui opinantur millies jam teperitas factarum terum repetitiones vim omnem animos excitandi deperdidiſſe; moventur ne magìs deſcripto Carulli paſſere, quàm luculenta extremi judicij narratione? ipſosmet judices appello.

7 Oportet autem ut ſacer Concionator, ne dum ſit ſacris litteris apprimè inſtructus, verùm ut ſacram itidem callcat Theologiam, ut cum neceſſitas poſtulaverit ſubtiles de fidei noſtræ myſterijs quæſtiones producat, difficultates explanet, caligines clata explicandi methodo illuſtret, & hac ratione minus peritos doceat. Deus ſiquidem ait Auguſtinus *ad Volus. epiſt. 3.* pleraque ex divinis litteris in aperiiſſima luce poſuit, ut inde paſceremur, & famem pelleremus: alia utiliſſimis obſcuritatibus involvit, ut ijs ſine ulla ſatietate ingenii ſolertiam exerceremus. Sacris proſunt theologicæ quæſtiones concionibus, perinde, ac corpori nervi; non tamen eos laudârim, qui ſuggeſtum ab exhedra minimè diſtinguentes theologica argumenta adeo preſsè coram ſtipati populi cœtu producunt, ut potiùs videantur ſcholaſticè altercari, quàm tes oratotiæ facultatis fultas ſubſidijs depromere: non reſpuunt id genus argumenta elocutionis pigmenta, non ægrè ferunt eloquentiæ venuſtates, comptos verborum circuitus, ſelectas amplificationum formas.

8 Hinc præ ceteris commendantur ij Concionatores, qui Theologicas ſubtilitates oratotiæ facultatis contemperantes delicijs, ac verborum delectu; argumentorum nervo carnem, ac vividos eloquentiæ colotes adjiciunt, concionem profligandis vitijs, ac erroribus objicientes nervoſam, vegetam, ſucco, ac ſanguine plenam, colorisque elegantia venuſtam· quemadmodum corpus horreres ſolo compactum nervis, oſſiúmque compage ſine carne, ſucco, ſanguine, & colote: ita nec illud laudares, quod ſola inſtructum carne, ac ſanguine omni foret nervo deſtitutum.

Cæterùm Concionator ut Christo lucre- 9
tur perditi moris homines, ut meſſes aureas, manipulósque locupletes cœlo inſerat, ſacrúmque ignem mentibus Scythica hyeme frigidioribus ſpargat; aſſueſcat orationi, opem enixè à DEO expoſtulet, divinam exquirat voluntatem, unicum ſit ei conſilium, divinum honorem pro viribus promovere, idque ut aſſequatur, manum mittat ad fortia, generose deſudet in agro Domini excolendo, non parcat laboribus, non cedat blanditijs, non terreatur minis, ſed pro juſtitia propugnanda, pro vitijs oppugnandis ſtet quaſi inconcuſſæ firmitatis munitiſſima turris, ex qua mille pendeant clypei, vel quaſi murus adamantinus, qualem Deus dederat Hieremiam: *Dedi te in civitatem munitam, & columnam ferream, & in murum æneum ſuper omnem terram*

Generatim evangelicus Concionator ne- 10
ceſſe eſt, ſit intentionis putiſſimæ, & ad unius Dei gloriam extrinſecùs propagandam, altiúsque hominum cordibus implantandam directæ. Hinc qui è ſacro ſuggeſto ad populum pro concione dicit, ſtylum adhibeat à familiari colloquio non alienum, non affectatum, non nimia cultura comptum, non plus æquo conquiſitum; ſed planum, facilem, qui ſe blandè in aures inſinuet Auditorum, & ut monet Apoſtolus, non ſe ipſos, ſed Chriſtum prædicent crucifixum; utantur concionatores rebus moralibus, planis, & ad vulgi captum accommodatis; atque ad virtutum ſtudia ingerenda directis; non ad auram popularem captandam conquiſitis: tes ad ſolam curioſitatem exhibendæ, inauditæ, & exoticæ, quæque ſunt veluti arbores folijs eleganter ornatæ & omni viduatæ fructu à ſacro exulent ſuggeſto; à quo nonniſi perſpicua, & moribus corrigendis apta dimanare debent. Hinc orator ſacer in id debet ſtudij incumbere, ut quæ divinæ promovendæ glotiæ idonea viſa fuerint, ſeligat, ſuisque inculcet Auditoribus, ſtylo ijsdem, ut etiam loco, & tempori accommodato; attis enim ac prudentiæ eſt ad ſenſum, captúmque adſtantium ſe ſe attemperare; non ſolùm vitio vertitur oratori, ſi non intelligatur; verùm etiam ſi nonniſi ægrè capiatur.

Plurimum etiam adfert Auditoribus uti- 11
litatis ſi Concionator non ſemel tantùm & iterum; ſed ter etiam, & quater inter dicendum animum colligat, séque omnibus ſenſibus præſentem prodat: hæc enim ſenſuum recollectio quamdam excitat energiam, quâ acriùs orator invehit in vitia, vel efficaciùs ad culturam adhortatur virtutum, hæc animi præſentia tunc præſertim neceſſaria ėſt, cum nervoſiùs aliquid urgendū eſt, & vel maximè in epilogo ubi ſacer orator toto niſu, totisque viribus niti-

tur, ut altiùs hæreat animo adſtantium quod ijsdem perſuaſiſſe autumat; ad id enim ſolet epilogus majori cura, ac ſtudio parari; juxta ſiquidem Rhetorices præcepta firmiora argumenta initio, & fine collocantur, reliqua imbecilliora in medium conjiciuntur, & ſingulis geſtum accommodat, & vocem: non laudantur illi Concionatores, qui eodem fermè tenore, eadémque cantillena, quâ recitare cœperunt concionem, eandem abſolvunt; qui dictionem ſuam eodem vocis ſono, quo orſi ſunt, ad finem perducunt; id enim Auditoribus moleſtum; éſtque ratio, cur ægrè Concionatorem audiant, ac facilè diſtrahantur, & alia cogitent, quàm quæ orator uniſonus recitat. Voce itaque, ac geſtu rerum ſe accommodet varietati; candidè tamen, ac moderatè loquatur; ſacram eruditionem profanæ præferat; quia ſicut ex medicorum judicio ovum unicum plus confert alimenti, quàm præbeat olla braſſicæ; ita unica, quæ ex ſacra Scriptura depromatur ſententia, plus habet ſucci, quàm mille Tullij, Demoſthenis, Socratis ſententiæ: exſucca, & exanguia ſunt, quæ ſuum à divinis voluminibus robur non hauriunt. Hinc craſſè errant, qui neglectis ſacris ſcripturis, nec divinis conſultis codicibus per profanas duntaxat eruditiones volutantur.

PROLEGOMENUM XXIX.

De Themate, Materia, & Forma, ac Diſpoſitione ſacræ Concionis.

1 SAcræ concionis materiam ea voco argumenta, quæ in concionibus pertractantur; formam eorundem accommodam tractationem: eſt concio verborum, ſententiarum, & argumentorum congeries, ad unum aliquid ſuadendum, vel diſſuadendum. Materia bipartitur in primam, & ſecundam; illa eſt thema ex ſacris paginis depromptum, cujus delectus tametſi parum videatur præſeferre difficultatis: non tamen exigui eſt conſilij, ac prudentiæ ea ſeligere themata ad perorandum, quæ rebus, locis, aliíſque circumſtantijs ſe accommodent, ac moribus inſtituendis perquam idonea eſſe cenſeantur. Iſtiusmodi themata varia ſunt, alia exornativa, quæ delectu verborum, dicendi amœnitatibus, elocutionis flore laudes attingunt Cœlitum, hominúmque illuſtrium: neque opus eſt Concionatorem adire Iſocratem, nec Helenam quærere illam Martis ac Veneris luctuoſam facem, in quam venalis linguæ myrothecium luxuriantis ſtyli vireta laſciviens ſophiſta effuderat. Ut dignum Rhetoricis pigmentis inveniatur ſubjectum; adſunt Cœlites, virique culturâ virtutum illuſtres, qui uberem floreſcentis elocutionis ſuppeditant campum, in quorum narrandis laudibus omnes, ac ſingulos poteſt eloquentia colores prodere elegantiores, ac plena utraque manu divitias quaſque effundere. Si Virginis Matris orator laudes attigerit, non Helenæ vanidas recenſebit elegantias, non fucati medicamenta candoris, nec genas ceruſſatas, nec vibratos ferro crines, neque nodos tortiles per inexplicabiles mæandrorum ſinus implexos: ſed virgineum commendabit candorem, vernantes ſingularum virtutum flores, qui hortum hunc concluſum mirificè exornârunt: etenim Maria fuit, in qua nec pudori venuſtas, nec demiſſioni gravitas, nec gravitati comitas, nec Majeſtati ſimplicitas quidquam detraxit, imò quod antea inauditum fuerat, nec Matris nomen virginitati abſuit. Si dotes corporis laudaverit, ea fuit membrorum ſymmetria, ea coloris elegantia, ut cæteras quaſque vicerit fœminarum pulchritudines: quamobrem uberrimum Cœlites ſuppeditant oratori cultiſſimæ elocutionis campum, adeo ut in eorum recenſendis laudibus lepores intexere, venuſtates adjicere, pigmenta miſcere ad omnem ornatûs valeat elegantiam.

Alia ſunt themata exhortativa, quibus potiſſimum innituntur conciones, quæ ad virtutum incrementa, ad charitatis exercitia, patientiæ firmitatem, pœnitentiæ perſeverantiam adhortantur. Alia reprehenſoria, quæ in corrigendis hominum vitijs, in objurgandis legum transgreſſoribus, & avertendis hominibus à via perditionis, verſantur. Alia conſolatoria, quæ abjectis, ac puſillanimis plurimum adferunt ſolatij. Alia didaſcalia, quæ difficultatum tricas ſolvunt, quæſtiones perarduas explanant, fidei myſteria explicant, & Adſtantium cœtum veræ imbuunt doctrinæ nitore. 2

Alia denique ſunt mixta, quæ variarum generum gratam complectuntur temperiem, & pleraque diverſæ rationis immiſcent, quibus ſuaviori illicio capiuntur animi. Varios modos concinnè, & eleganter proponendi thema, ſeu propoſitionem expendimus ſuperiùs in Prolegomeno de argumenti delectu, & propoſitionis ornatu. 3

Materia ſecunda complectitur argumenta, quibus præpoſitum thema probatur, ac illuſtratur: peti ſolent hujusmodi argumenta partim ex locis communibus, partim ex proprijs, ut ex definitione, partium enumeratione, genere, cauſis, & alijs, quæ infra donabimus explicatu. Loca verò Theologica uberiorem ſuppeditant argumentorum ſegetem, uti ſunt ſacræ ſcripturæ, Patrum traditiones, univerſalis eccleſiæ authoritas, ſacrorum conciliorum decreta, ſacrorum Interpretum commentationes, jus canonicum, hiſtoriæ eccleſiaſticæ, & quæ ex ijs dimanant, ut ſunt, promiſſiones, revelationes, comminationes, vaticinia, figuræ, allegoriæ, parabolæ, ritus, & alia id genus ad divinum cultum ſpectantia. Scripturarum ſenſus eſt duplex alter literalis, myſticus alter, qui tripartitur, in tropologicum anagogicum, & allegoricum; literalis viris doctis eſt in delicijs: myſticus populo rudiori magìs placet, quia captu facilior, rebúsque ſenſui obvijs accommodatior. 4

For-

9 Formæ concionum variæ ſunt pro diverſitate materiæ, quemadmodum eum redargueres ſutorem, qui unam, eandémque crepidam omnium vellet pedibus accommodare; ita neque approbandus foret ille Concionator, qui ubique gentium eaſdem ſemper adhiberet formas: cæterum forma veluti materiæ pediſſequa ejus debet conditioné ſequi. Genus exornativum Rhetorices pigmenta, colores, flores, venuſtates, lepores, elegantias, & omnes dicendi delicias, ac divitias expoſcit: tametſi qui habetur de rebus divinis, ac de cœlitibus ſermo plus deberet gravitatis, ac ſanctimoniæ olere, quàm cultæ, ac floridæ elocutionis; nihilominus conſtat, vel ipſos Sanctos Patres in recenſendis cœlitum laudibus politiſſimos flores, ac pigmenta elegantiſſima ornatiùs verborum copija immiſcuiſſe: hoc prædiviti eloquentiæ choragio ad ſummas legentis delicias laudavit D. Agnetem Ambroſius; Paulam Romanam Hyeronymus; Beatiſſimam Virginem Baſilius; & paſſim alij cultiſſimâ elocutione alios commendârunt Cœlites. Genus adhortativum minus exigit venuſtatis, & culturæ, ſed plus energiæ, ac impetûs, quo promptiùs quisque à malo ſe avertat, ac ad virtutum ſectanda veſtigia moveatur. Concionator dehortatur à malo, ſi ſi imminentia exaggeret DEI vindicis flagella, æternos cruciatus: hortatur verò ad virtutum culturam, ſi promiſſa prœmia exponat, virtutis laudes amplificet, honeſtæ vitæ inſtitutum commendet. Genus didaſcalicum quod in explanandis quæſtionum difficultatibus exercetur, dupliciter tractari poteſt; primò demiſsè ad faciliorem rudium captum, quo in ſtudio mirabilis planè fuit D. Auguſtinus, qui mira facilitate, ſingularíque claritate ſubtiliores ſcholaſticæ facultatis quæſtiones, etiam ad rudioris populi intelligentiam expendit, enucleat. Secundò ad ductarum mentium inſtructionem, auriúmque eruditarum uberiorem inſtitutionem; ſi nimirum meliorum delectu argumentorum, cultiorique ſubtilitatum explanatione, quæ obtingunt quæſtiones, explicentur.

6 Concionis diſpoſitio varia itidem eſſe ſolet pro diverſitate argumentorum. Alia ſiquidem omni exhibetur deſtituta præcepto, omnique carens arte, ſed naturali quodam impetu fluit, qualis obtingit in paraphraſi, parabolis, hiſtorijs, homilijs, & alijs id genus, quæ uti extant naturaliter proponuntur. Paraphraſis ſiquidem ſacrum textum explanat ſervato eodem ordine, & duntaxat ſingulis inſiſtit, omnia ſedula diſcutit indagine: hoc tamen dicendi genus proximiùs videtur accedere ad ſacros Interpretes, quàm ad oratores, qui cultiore fandi ratione, artisque ſuppetijs ad præceptionum amuſſim perorant: cœterum paraphrâſis niſi aliunde frequenti veſtiatur amœnitate, condiatur lepore, circumornetur eleganti dicendi flore tædium potiùs, ac moleſtias eruditis præſertim auribus procreat, & prolixitatis exceſſu faſtidium parit. Homilia ob interjectas amplificandi rationes, tametſi familiari diſcurſu ſeriem expendat Evangelij, propiùs oratori adnectitur. Hiſtoria optimam ſuggerit partitionis rationem, ut quæ in Evangelio deſcribitur de divite Epulone, & Lazaro inope, conditionem utriusque in hac mortali vita, & diſparem exitum, diverſúmque poſt obitũ ſtatũ narrat. In parabolis res ſignantes, & ſignatas donamus explic tu, & pleraque ex ipſis eruimus ad morum inſtitutionem, quæ ſingula naturali narratione fluunt liquidiùs. 7

Accommodatior diſponendæ concionis ratio ea cenſetur, quâ ex toto Evangelico contextu duo, vel tria ſeliguntur capita diſcutienda, quæ ordinem mutuò, ac nexum ſeruent, ac ab uno ad alterum commoda habeatur digreſſio; ſit thema, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*: poteſt facilè inſtitui ſermo primò de ipſo actu dilectionis, quo ad Deum ſummum bonum accedimus, & cum ipſo arctiùs nectimur, ac veluti affectivè unificamur: ſecundò de objecto dilectionis, quod eſt Deus; etenim ſi pulchrum, ſi bonum amore proſequimur, quanto intentior s amoris impetu deberemus Deum diligere? corporis pulchritudinem, aptam membrorum ſymmetriam, concinnam artuum compagem, miramur, & amamus in homine, & tamen corporeâ pulchritudine nil brevius: ſicut enim (ait Hieronymus *Epiſt. 139.* manè virens herba, & ſuis floribus vernans delectat oculos contemplantium, paulatimque areſcens amittit pulchritudinem, & in fœnum, quod contemnendum eſt, vertitur: ita omnis ſpecies hominum vernat in parvulis, floret in juvenibus, viget in perfectæ ætatis viris; & repentè decreſcens incaneſcit caput, corrugatur facies, cutis præextenſa contrahitur, & poſtremò veſpere, id eſt in ſenecture vix moveri poteſt, ita ut non cognoſcatur quis prior fuerit, ſed penè in alium commutetur, & venuſtas deficiat, ſi igitur vanidam pulchritudinis ſpeciem tanto in creaturis proſequimur amore, quanto efficaciori impetu deberemus in Deum ferri? cujus pulchritudo, ait Nyſſenus *Lib. de hominis opificio cap. 5.* non ulla forma, vel eximia venuſtate externa reſplendet, ſed in beatitate ſecundùm virtutem ineffabali conſiſtit? 8

Plurimum itidem præſeferunt illicij, & aucupij ea concionis themata, quæ ſymbolicè ſeu per imagines quæ ſub ſenſus cadunt exteriores, exhibentur, pertractantur: quemadmodum multa per vitrum, aut ſuccina pellucent jucundiùs, ait D. Auguſtinus, ita magis delectat veritas per imaginem, & ſymbola collucens: quo pacto concionator ſermonem inſtituturus de dignitate, & excellentia obedientiæ, Iſaacum exhibebit ſub paterno cultro, & in hoc typo ſingulas recenſebit obedientiæ proprietates, eiusdémque dignitatem commendabit. Subinde proponitur thema continuatâ quadam ſimilitudine, cum Pœnitentiæ rationem laborantis febri expendimus typo. Nonnunquam continuata quadam allegoria tota abſolvitur concio, ut cum delabentis huius vitæ viciſſitudines, ſub imagine navis quaſſatæ fluctibus explicamus. Interdum proponitur thema in-

ſtat eleganter depicti emblematis, in cujus explicatione totus perficitur ſermo: ut patientiam commendaturus Concionator, eam poſſet adſtantium oculis honeſtam virginem deſcribere, quam elegantioribus Rhetorices coloribus Tertullianus pinxerat. Frons illi ſerena, ſupercillia dejecta, oculi modeſtiam ſpirantes, os taciturnitatis laude obſignatum, vultus nulla mœroris rugoſitate contractus, color candidus, inceſſus ſegnis, mores mitiſſimi, mens abſque nubilo paccata. Verùm hæc tametſi uberrimam ſuppeditent dicendorum ſegetem, niſi tamen prudenter fuerint pertractata juvenilem quandam redolent levitatem, quæ eruditis auribus tædio eſt.

9 Partitionem concionis cùm aggreditur orator caveat, ne ita addictus ſit exordio, narrationi, confirmationi, & epilogo, ut argumentorum vim, rationúmque infringat efficaciam, quo vitio laborant plerique rethoricia præceptionibus religioſiùs inhærentes, quaſi Spiritus Dei certis illigaretur ſcholæ legibus, & non liberiori gauderet dicendi impetu: non eos approbo, quibus nulla eſt cura regulatim dicendi, & eos improbo, qui adeo ſe vinciunt quibusdam præceptionibus, adeo ſeſe certis præpediunt legibus. ut ad numeros tantùm perorent, non ad animos flectendos Sit concio ſuis inſtructa partibus, ſuis ſit elegantijs exornata, alliciat concinnitatibus, delectet pigmentis, ſed impenſiùs doceat, ac efficaciùa moveat ad culturam virtutis, ad fugam vitij.

PROLEGOMENUM XXX.

De concionalibus argutijs, quæ vulgò conceptus prædicalibes nuncupantur.

1 TAmetſi is cenſeatur optimus concinonis character, qui eloquentiam complectiatur vegetam ſine phaleris, candidam ſine fuco, gravem ſine tumore, efficacem ſine calamiſtro, verbis redundantem ſine luxuria floſculorum; ne tamen ſit concio ſterilis, & ingrata eruditis præſertim auribus, ſuia amet acumirtibus copulari, non ijs tamen, quæ vel in deſcribenda crepida, aut equo phalerato, aut venuſtæ mulieri coma circinnata, aut vultu ceruſſato obludunt; ſed ijs quæ in explanandis ſacrarum ſcripturarum difficultatibus enitent, ac plurimum præſeferunc luminis ad animos inſtruendos, aures etiam ſapientum magis erudiendas.

2 Eſt igitur conceptus prædicabilis argumentum quoddam enucleatiuum ſacri alicujus textûs, & ſimul evincens propoſitionem, quam probare in animo fuerat: ut res prodeat enucleatiùs: ſit thema. *Otium vitia fovet, labor coërcet* probatu perdifficile neutiquam foret ſi expendendum aſſumeretur illud *Geneſ. cap. 39.* ubi illicia deſcribuntur; queis imprudens fœmina Joſephi nitebatur caſtimoniam irretiri *Accidit autem quodam die, ut intraret Joſeph domum, & operis quidpiam abſque arbitris faceret: & illa apprehenſâ laciniâ veſtimenti ejus diceret, Dormi mecum.* Adeo Joſeph otium averſabatur, adeo labore afficiebatur, ut licèt laboribus exemptus à Domino, adhuc deſudarit præfectus; ſed quale inter arbitros fuerat opus aggreſſus? certè non legimus; pulſâſſe citharam, non verſaſſe fritillum, non choream duxiſſe: hæc ſiquidem blandimenta ſunt animi otio indulgentis, ac Veneri lenocinantis; ſed ad ſervilia ſe ſe perquam demiſsè abjeciſſe: capta verò Hera deſudantis Juvenis elegantiâ ad ſcelus pluries allexerat lenocinante riſu; at Joſeph licèt diebus ſingulis ad turpia ſollicitatus, non fertur ſe flagris cruentaſſe, non Venerem coërcuiſſe jejunio, non antra ſeceſſiſſe deſerti. non domo exiviſſe infenſiſſimam declinaturus libidiuem; ſed ſuo intentum muneri, eóque id temporis defunctum ſtudioſiùs unam ſibi otij fugam accerſiviſſe ad ſollicitantem debellandam Venerem: non Parthorum more fugiendo triumphavit, ſed laboris aſſiduitate libidinem arietavit, compreſſit: ejaculanti igitur Cupidini inconcuſſum objiciamus laboris elypeum, otium arceamus; quia ſi labor Venerem enervat, otium fovet.

3 Spatiabatur David meridianum poſt ſoporem deſes, ſegnisque, cum Bethſabeam frigidâ ſemi-merſam lymphâ deperijt, nimirum adeò Cupidini lenocinatur otium, ut Veneris Matris impuros ignes, vel ab ipſo exhauſeric frigidiſſimo latice. Jacebat in ſtragulis Amnon, & in conopæo conſidebat Holofernes cum ambo libidini ceſsêre, hic Judithæ, ille Thamaris captivus. Dimna tunc eum perdidit florem, qui ſemel amiſſus nullo fit ampliùa pretio venalis, eum otio indulgens Sichemio obviavit: ita eſt ſegnities vitium fovet, labor frangit; vix qui deſudat laſcivit, vix laſciviâ eximitur, qui otiatur. Venus laborem magìs reformidat, quàm acinacem, laboris æſtu friget Venus, otij gelu exæſtuat, Hinc Monachia ea fuit texendi cura, tale laborandi ſtudium, ut de victoria carnis deſperârint, niſi jugi labore ad luctam corroborarentur; neque puritatis lilia alio efflorelcunt riguo, quàm effuſi ſudoris, quem labor elicit. Si igitur in exeſis eremi ſpelæis, ſi in ſecretioribus terræ tractibus, Monachi aliàs jejuni abſtemij, ſeſeminudi caſtimoniæ candorem ſine laboris ſubſidio tueri illibatum non valuêre; putabimus nos inter amœna vireta, in ipſo luxuriantis Floræ ſinu deſides, pudicos fore? laboravic D. Paulus operando ſuis manibus, ut ſpititum ſtimulantem carnem defatigaret; & nos ſegnes, otióque emarceſcentes Cupidinem ſperabimus dilaſsâre? Cum oſtenderimus caſtum Joſephum labore Venerem viciſſe, & allicientis fœminæ declinâſſe oblectamenta; probatum æquè remanet, laboribus Cupidinem generatim laſsâri, ac vinci.

4 Id genus conceptus plerumque fundantur in Metaphoris Proportionis, Attributionis, Æquivoci, Hypothipoſis, Hiperbolis, Laconiſmi, Oppoſitionis, Deceptionis, quas expendit Emanuel Theſaurus in ſuo Teleſcopio Ariſtotelico. Ut initium ponamus à Metaphora

ſaphora

Digitized by Google

taphora Proportionis ; ſit Thema : *Libido eſt animi peſtis, ſolo tactu contrahitur, & illicò interficit* : proportio inter luem epidemicam, & libidinem in eo videtur ſita, quòd utráque ſolo contrahitur tactu, & enecat ; ſi expendendum produxerim aliquem ſacræ Scripturæ textum, & evicerim libidinem ſolo tactu interficere, ejusmodi textus explanatio erit conceptus prædicabilis, fundatus in metaphora proportionis per modum argumenti, hoc pacto : Lues epidemica ſolo contrahitur tactu, ac interficit : & libido ſolo tactu contrahitur, ac necem infert: ergò eſt ut peſtis fugienda : Scripturæ textus explanandus eruatur *ex cap. 39. Geneſ.* ubi fertur, Joſephum formâ elegantem, & caſtitatis cultorem ab hera provocatum ad turpia relicto pallio in manu fœminæ aufugiſſet *Relicto in manu ejus pallio fugit, & egreſſus eſt foras.* Cùm primùm Joſeph obſideri ſe ab impudente ſenſerat hera, nullam arripuit fugam, ſed vultu gravi, erectóque ſupercilio, ſategit validiſſimæ rationis ariete, ac labore aggredientis fœminæ molimina evertere, niſus diruere ; ubi verò ultra verba illuſa mulier rem manu aggreditur, veritus caſtitatis Atleta ne venerea lues ulterius ſerperet pallij jactu, pedúmque fugâ periclitanti conſuluit pudori : neque ſatis ſibi conſultum putavit, ſi tantisper à fœmina abſcederet, ſe ſéque in remotius reciperet conclave, ſed domo ipsâ celeri exceſſit fugâ. Eh cur abjecto pallio, quod mulier tetigerat, adeò celeri ſe fugæ dederit? an ut nos doceret nihil pudicitiæ tam conſentaneum, quàm pauperiem? etenim uti rerum copia, luxúsque libidini lenocinatur, ita ſuperflui abdicatio pudori indulget ; raró mendicus Mœchus notatur : an quia libido alium non pavet hoſtem, quàm fugientem, tametſi Venus partus amet ſuorum fructus libidinum, Parthos tamen novimus odiſſe, eò quia Parthorum more contra ejus pugnaturi aſtus tutiùs triumphent? bellè omnia, verius tamen dixerim, noviſſe caſtimoniæ cultorem teterrimam hujusce libidinoſæ peſtis conditionem; contrahitur ſiquidem, ſi vel leviter tangatur, bene igitur abjecto pallio, quod impudentis fœminæ exæſtuantis libidine manus attigerat, aufugit, ne ſcilicet laſcivientis tactûs venenum ab extima veſtitûs pellula ad intimiores transfunderetur animi receſſus.

7 Per Metaphoram attributionis gignuntur conceptus prædicabiles, ſi inſtrumento, vel alicui ex circumſtantijs tribuatur, quod ſubjecto convenit: ſit thema, *Divitiæ vitijs affines viam cuilibet ſceleri ſternunt*, ut id evincatur adduci, commodè poteſt textus Lucæ *15. 12. Pater da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit*, tametſi principalis cauſa, cur filius Prodigus luxurioſè vixerit, non alia fuerit, quàm vitiata filij voluntas ad malum propenſa: quia tamen omnem cum meretriculis ſubſtantiam abligurierat, poſſumus divitijs tribuere, quidquid mali ei obtigit, divitiáſque redarguere, ut vitiorum fomitem, ſcelerúmque radicem ſuccidendam. Quid à patre filius petierit prorſus ignoravit, auri, argentive cumulum petijt, recepturus noxium venenum, teterrimúmque toxicum, quo infectus miſerrimè ſe perdidit ; da divitijs affluentem, & vitijs lenocinantem exhibes, libidini indulgentem ; ne credas deliráſſe poëſim, cum finxit à Plutone opum Numine raptam fuiſſe Virginem, flos enim pudicitiæ, ſi divitiæ acceſſerint, periclitatur : utinam una tantùm inter opes defloruiſſet Proſerpina ab eo conſtuprata, quem vanæ poëſeos ſuperſtitio divitijs præfecerat : utinam huic veritati fabulæ duntaxat adſtipularentur, ſed quot virginitatis Lilia auri pondere opprimuntur, quot dietim miſerè conteruntur? nonne in epulo Balthaſaris prolata vaſa aurea, & argentea innumeras traxêre concubinas? quia ſi adſint opes, vix abeſt Venus : nulla fortaſſis reginarum opulentior Cleopatrâ, ſed nulla inceſtior : nullus fortaſſis Salomone ditior, ſed nullus fœminarum laqueis implicatior : nulli dubium quin ab hisce ſint ceteribus expeditiores quotquot abjicientes ſuperflua ſibi modico ſatisfaciunt, vel inopiâ laborant, nec hoc probatu eſt difficile, cum vel ipſum lilium illuſtre puritatis ſymbolum exeſis efflo reſcat in rupibus, alatur jejunio, ſiccitate rigetur, ac neglectu ipsô colatur ad uberiora candoris incrementa, uti Eſaias 35. prædixerat : *Lætabitur deſerta, & invia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium* : inops igitur, quia lilio ſimilior puritate diteſcit uberiùs : Paupertas, & puritas mutuo confœderantur cultu : ſcimus tunc Romam Lucretias ſpectâſſe, cùm vel prænobiles matronarum cœtus ſacrificio deſtinabantur præſcripto veſtitûs luxu ; at ubi bombycina ſucceſsêre velleribus, textrinámque ludicra exceperunt, & armillas ; muliebrem libidinem cœpiſſe epinicion canere, quia immodica corporis cultura vitio lenocinabatur. Commendatur fœminarum pudiciſſima Rebecca, ſed cum neglecto luxu penulata exibat aquarum hydriâ : caſtiſſima itidem laudatur Rachel, ſed cum pecus ad frigidam ageret, inter decies centena millia unica ſignatur Suſanna opulenta, & caſta, ſed multiplici vexata luctâ, repetito exagitata conatu, & tunc de ſenum triumphavit libidine, cùm nuda cryſtallino inſidebat fonti, quia ſine labaro paupertatis vix pudor è libidinis pulvere victor emergit : immo nec ſponſa ipſa innocuæ promeruit columbæ nomenclaturam, niſi cum exeſa rupium ſaxa incoluit inopiæ addicta *cant. 2. columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*, quia nil ſervandæ pudicitiæ tam conſentaneum, quàm paoperies : at ſi inopia pudori, rerum copia libidini indulget. Noë tunc pudenda proſtituit, cum poſt ſuperata cataclysmi pericula ad uberem vini redundantiam depanxit vineam, *Geneſ. 20. plantavit, vineam inebriatus eſt : & nudatus in tabernaculo ſuo*, & licèt nullo deturpatus ſcelere, ab omni tamen laſciviæ infamia non exivit immunis. Non igitur mirum, ſi prodigus adoleſcens ſuſcepta paternæ ſubſtantiæ copia venereæ indulſerat licentiæ, nil pudori infeſtius auro, nil vitio lenocinatur propenſiùs rerum copiâ. Reſipuit verò, cùm cœpit

egere, & pudor, qui in auro naufragium fuecat paſſus. portum duntaxat in glande reperit, ut doceremur, nil virio lenocinari blandiùs auro, nil pudicitiæ favere fortiùs inopiâ.

8 Metaphora æquivoci uberrimum nobis itidem fontem ſuppeditat conceptus exhauriendi concionales, ſit thema: *Carnis voluptas eſt hilaris pœna, & blanda afflictio*: quod ut evincã, opus eſt, nomen aliquod æquivocum æquè voluptatem denotans, ac afflictiooem producam, hócque eſt *Tannim* hebraicè mundi voluptatem ſignificat, ac ſpiritûs afflictionem: poſſem præmittere linguæ hebraicæ laudes. Eh quis vel modicè eruditus hebraici idiomatis ſuavitatem, quis hebraicam linguam hominibus à à Deo ſub ipſis mundi primordijs traditam ceteris non præferat gentium ſermooibus? is ſiquidem eſt primigenius, ac nativus ille ſermo, qui principe cum homine, ſeu cum ipſa humanitate natus rerum omnium à ſapienriſſimo artifice Deo conditarum proprijs cœpit nominibus diſtinguere, ſingulásque cujuslibet naturæ exprimere proprietates; is eſt, quem aurea mundi infantia, vel ab ipſis balburivit incunaculis; is eſt, qui voluptatis in paradiſo natus nonniſi flores, ac amœna virera depromere didicit eandem redolens ſuavolentiam, quam flores beatæ illius regionis obſtetricante DEI munificentia pepêre: is eſt, quo præpotens Imperator, ac Legislator Deus hominibus ſacroſancta jura præſcripſit, legésque ad morum inſtitutionem apprimè accommodatas ſancivit, quem cœli, terrarúmque amor, ſeu divinus Magiſter Chriſtus hominibus inſtillavit, quique denique in patrio ounquam perituræ felicitatis domicilio æternùm vigebit, ac electa ſupernorũ civium labia blandè, ſuavitérque ſonabunt. Quid ergo eſt, quòd rationes congeram, quòd authoritates proferam, quòd diutiùs inſudem inter probandum, quod paradoxoo videbatur, nimirum voluptatem naturam ipſam contraxiſſe afflictionis, cum id abundè innuerit veritas ipſa nulli obnoxia mendacio, omnique ab errore perpetuò immunis. Deus enim uno eodémque vocabulo voluptatem, & afflictionem hebraicè *Tannim* voluit ſignificari, ut nimium doceremur, voluptatem non tantùm plurimùm habere moleſtiæ, verùm & ipſam eſſe afflictionem, animíque angorem: hinc Propheta regius *Pſal. 43. Humiliaſti nos in loco afflictionis, quia nimirum* reſpondit D. Ambroſius, *ſæculi voluptas nos quadam carnali adulatione delectat, ut decipiat.*

9 Quòd ſi voluptatem ſæculi demulcentem cantu ſirenulam dixerim, nec hilum aberravero, blandè ſiquidem voluptas allicit, ſed ut dirè torqueat: quid aliud hominum libido, quàm intoleranda Tyrannis: hæc totum aggreditur hominem, ſibique vectigales conſtituit cogitationes ſingulas, neque mentem ſinit aliò vagari: væ nutrientibus exitialem Veneris flammam, quæ blandè concepta debacchatur immaniter: væ libidini acquieſcentibus, quæ ſuos non ſinit cultores quieſcere: cetera ſi vitia perpendas, inducias obſeſſis concedunt; ſuperbia, cùm ſola eſt detumet; gulæ ingluvies, vel tandem immodico epularum luxu exſaturatur, vel ſomno altè ſopitos non irritat; at ſola libido, & ſolitariè degentem divexat, & inita ſocietate gaudentem torquet, vigilantem incitat, dormientem excitat, & ubique locorum urit, ſævit, lancinat, hominésque vel ſapientia illuſtres, vel fortitudine ſtrenuos, vel prudentiâ laudabiles miserè profligavit, quis ſapientior Salomone? & hunc Moabithides feminæ libidinum oblectamentis illaqueârunt: quis Sampſone fortior? & hunc adblandientis Dalilæ enervârunt illicia: quis Davide prudentior? & hunc Bethſabeæ venuſtas deturpavit: quis Holoferne potentior? & hunc viduæ ſandalia perdiderunt, O exitioſam voluptatem! omnibus indulget, ut nemini parcat; ubique locorum effreni lenocinatur concupiſcibili, ut blandæ ſævitiei extimeſcenda imprimat veſtigia: octo duntaxat animæ ratione compotes imminente mundi naufragio Noëticæ deſtinantur arcæ, in qua nihilominus juſſu Dei manſiunculæ conſtruuntur diviſim, ut mares ſejungerentur à feminis, quia neque fortaſſis in hoc ipſo ligno naufrago innatante mundo voluptatis evaſiſſent clades: an ſubrepere in arcam valverit libido, adſtruunt quotquot uxorem Cham prægnantem ex arca aſſerunt eggreſſam; tutior ſcilicet à mundi naufragio, quàm ab illecebris adblandientis Veneris Arca fuit. An ſæviat voluptas Lamechum teſtor bigamorum anteſignanum, hic delicijs ſolutus duas inter uxores Adam, & Sellam effæminatur, ſed ſtatim à ſe interempti adoleſcentis effuſo rigeſcit ſanguine, adeo ut dubites plusne efferati, vel effœminati habuerit, ecce quàm bellè uno eodémque vocabilo *tannim* hebraicè voluptas, & afflictio adſignificatur, quia ſi voluptati lenocioaris, afflictionem amplecteris; pulchrè Boëtius. *Lib. 3. de Conſol. metro 7.*

Habet omnis hoc voluptas
Stimulis agit fruentes
Apiúmque par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

Per metaphoram Hypotypoſis arguti conſtruuntur conceptus, quibus Concionatores acriùs in vitia invehuntur: eſt hypotypoſis propoſita quædam forma rerum ſic expreſſa verbis, ut videri potiùs, ac geri, quàm audiri credatur: ſit thema: *Nihil eſt ad ſalutem hominis utilius communi omnium ſapientum judicio, quàm crebrò ſibi proponere extremum Dei in juſtos, & improbos judicium.* Probatu facile id foret primò Sapientis oraculi Eccleſ. *7. memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Secundò Patrum ſuffragijs Auguſtinus ad rem noſtram effatur in Epiſtolis. *Nihil eſt utilius populis, quàm loqui de temporibus futuris* S. Joannes Chryſoſtomus *Homil. 4. in Geneſ.* hoc idem argumentum adeo vult inculcari, ut dicat: *ſingulis diebus, & horis oportet ante oculos noſtros proponere Dei judicium.* Gregorius homil. 32. *Præſentis temporis ita agenda eſt lætitia, ut nunquam amaritudo ſequentis judicij recedat à memoria.* 10

Qui-

11 Quinimò ipſe humani generis Servator jàm cœlis inſidens ad dexteram Patris, volens ubique gentium promulgari Evangelicam doctrinam, dirui vana ſimulachra, everti idola, ſolóque æquari inanium Numinum fana, ac deſtrui aras, adduci gentes ad recentem religionem, excitari omnes ad incrementa virtutum, poſthabitis opibus, neglectis honoribus puſillum ſelegerat gregem ex duodecim compactum piſcatoribus, quos piſcatores hominum conſtituerat; at eh quomodo viri alioquin rudes, abſque ingenij culturâ, omni humana deſtituti ſcientia, adeo arduum, adeo perdifficile perſuadebunt Ethnicis philoſophis opus? quid erunt dicturi coram Iudicibus, Regibus, ac Tyrannis? quibus argumentis confundent Philoſophorum ſapientiam? quo rationum choragio inanium ſimulachrorum evertent cultum? quos adjicient ipſi ſtimulos ad eorum excitandam ſocordiam? certè non alios, quàm extremum Dei in juſtos, & improbos judicium: ecce audite Apoſtolorum principem gentilium ſtipatum frequentia *Act. cap. 10. Ipſe præcepit nobis prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt à Deo Iudex vivorum, & mortuorum* hoc ariete egregij Chriſti milites ſolo æquârunt munitiſſimas vanæ ſuperſtitionis arces, everterunt quæ vanis referta ſimulachris aſſurgebant fana, diruerunt auro, argentóque micantes idolorum aras; demum inter minuti pulveris quisquilias vanam ipſam ſuperſtitionem jam collapſam ſepeliverunt. Tametſi hæc omnia præmiſſum videantur thema evincere; non tamen per hypotypoſim id fuimus aſſecuti: cum ſit hypotypoſis dicendi ratio, quâ res ſic exprimitur verbis, ut ſub ſenſum poni videatur; proponendus erit textus è ſacra eruius ſcriptura, in quo expendenda prodeat hypotypoſis, quæ rem veluti ſenſui exhibeat: ſit thema illud prophetæ *Scrutabor Ieruſalem in lucernis.* Quid eſt ſcrutari Ieruſalem in tam exiguo lucernæ lycno? an non objecta clariùs, diſtinctiùsque meridiana ſecernuntur ſub luce; an fortaſſe quia tunc temporis ſol caligine obductus tenuet tragædiam ſpectare adeo funeſtam? ſed ſi ita eſt, ad quid adhuc lucernas accendere, nonne judici omniſcio cuncta diſtinctè patebunt! nulla ſiquidem res eſt quantumvis abdita, ac minutiſſima, quæ judicantis Dei fugiat oculos: ad quid igitur lucernas parare, & tam exili lumine ſcrutari Ieruſalem? gnoſco myſterium, ſolemus lucernarum ſuppetijs nocte intempeſtâ attentiùs, ac ſolertiori ſtudio minutiſſima quæque domi quærere, *Scrutabor Ieruſalem in lucernis,* hoc eſt judicabit minutias quasque actionum, quas viri licèt pientiſſimi, ac virtutum ſtudiò ſummè addicti elicuerunt: hinc Bernardus, *Quid tutum in Babylone, ſi in Ieruſalem manet ſcrutinium?* quid de ijs erit qui vitijs indulſere, qui laſcivijs, ſtupris, aliiſque vitiorum generibus fuere lenocinati; ſi viri probi, qui antra incoluêre deſerti, qui jejunijs corpus emaciarunt, qui flagris ſe ſe diu, noctúque cruentârunt reddituri erunt de verbulo quovis otioſo rationem. *Væ mihi miſera;* ait Bernardus, *cum venerit dies illa, & aperti fuerint libri, in quibus omnes mei actus, & cogitationes Domino præſente recitabuntur: tunc demiſſo capite præ confuſione meæ conſcientiæ ſtabo trepidus, & anxius cum dicetur de me: ecce homo, & opera ejus.* Tunc innoteſcent jejunia, orationes, lachrymæ, cilicia, flagella, omniúmque auſteritatum genera, quæ viri virtuti, ac auſteriori pœnitentiæ addicti exercuere, ſive religioſi clauſis cellis; ſive teſte luna Anachoritæ in ſpelæis in criptis; ſive Stilitæ operto ſub dio: quid Paulus dux ille aſceticus ſupra ſexaginta annos tenebricoſo in ſpecu exantlavit, quid Antonius nemini viſus, à conſortio hominum ſejunctus egerit; quid Onuphrius jejunijs abſumptus, flagellis cæſus, vigilijs emaciatus cogitaverit, & hæc omnia ſedulo examinabuntur ſcrutinio, ſubtili perpendentur diſcuſſione. *Scrutabitur Ieruſalem* ait D. Bernardus ſerm. 11. in cant. *quia ut ſæcularium manifeſta ſunt opera præcedentia ad judicium, non egent ſcrutinio, ſed ſupplicio; mea autem, qui videar Monachus, & Ieroſolymita, peccata certè occulta ſunt, nomine & habitu Monachi adumbrata, & idcirco neceſſe erit ſubtili ea inveſtigari diſcuſſione, & quaſi admotis lucernis de tenebris in lucem prodi.* 12

Hyperbole cum ſit augendi, minuendive ratio concionales nobis conceptus ſuppeditat quoties, quæ minoris ſunt conditionis, vel exiguæ molis cum rebus conferimus grandioribus, vel è converſo; non ita tamen ut videamur impoſſibile evincere; ſed ut præpoſita veritas illuceſcat clarior: ſit thema: *Decet militantem Eccleſiam munera charitatis æquè probis, ac improbis impertiri* ad quod evincendum aſſumi poſſet expendendum illud *cant. cap. 4.* ubi ſponſus commendans ſponſæ ubera hinnulis Capreæ æquiparat. *Duo ubera tua, ſicut duo hinnuli capreæ, qui paſcuntur in lilijs.* Sponſam militantis Eccleſiæ typum eſſe fatentur ſacri Interpretes, qui ſponſam Eccleſiam intelligunt, quod licèt hyperbolem redoleat ſponſam univerſam eccleſiam dici; congruunt tamen eccleſiæ ſingulæ proprietates ſponſæ: quid eſt igitur quòd uber utrumque dicatur Hinnulus liliorum ſaginatus dulcore: quid cum ubere hinnulus, cum illud lac fundat, iſte ſugat, ? ecce ſponſi acumen; non dicit ſponſæ ubera hinnulos, ſed gemellos capreæ hinnulos, qui paſcuntur in lilijs, quia decet Eccleſiam æquè piis ac impijs ſuppetias exhibere lactis Evangelicæ doctrinæ, ut ſi velint farciantur etiam à ſiniſtris locandi: bellè igitur uberâ ut paria ſint, gemellis hinnulis comparantur; & fortaſſis David æquè apud Deum meruit educando Abſolonem, ac Salomonem, licèt primus Patri bella indixerit: hinc Iſaac vir ſingularis probitatis æqua benevolentia inviſum Deo Eſau fuit proſecutus, ac Iacobum Deo percatum. Servator Judam ipſe minimè à ſui corporis epulo rejecit, tametſi futurum noviſſet proditorem: qui verò uberum defunguntur munere, ij ſunt Doctores, ac Concionatores ſanæ doctrinæ lac cœteris ad morum inſtitutionem elargientes. Meminerint tamen quòd Sponſæ ubera quemadmodum hinnulis æquiparantur gemellis, qui paſcuntur in lilijs, ita cum lac præbent lilijs veſcantur & ipſi, ſeu mentis candorem invehant, ac pudicitiæ culturæ manus adjiciant.

La-

13 Laoniſmus eſt effatum perbreve pluta tâmen complectens explicatu laxiora, & quæ plurimum præſeferunt acuminis ad tectam vitæ rationem promovendam: ſit thema: *qui cæteris præſunt, æquè doceant verbo: ac exemplo*, ſeu adjiciant Prælati verbis, quibus errores redarguuntur ſubditorum, propria opera, quibus hæe eadem exequantur, quæ in ſubditis reprehendunt; vel hæc eadem virtutum incrementa, quæ perſuadent, nitantur & ipſi conſequi: ad id evincendum produci poſſent ea imperantis Dei verba, quibus, cum mundum conderet, dixit: *Fiant luminaria in firmamento cœli*: poſtea addit Moyſes. *Fecitque DEUS duo Luminaria magna*, utraque ſenteutia paucis expreſſa verbis Laconiſmi habet plurimum, quia grandiorem continet ſenſum. Nulla adeſt creaturarum, quæ imperantis DEI ocyſſimè non obſequatur nutui; quæ nativæ etiam oblita conditionis ardua quæque non moliarur DEI executura mandatum. Imperet Deus, & ignis deorſum, terra ſurſum moventur nativas abjicientes ſedes, ut propiùs citiúſque imperio adhæreſcant Creatoris: cur igitur juſſerit DEUS fieri luminaria, quæ poſtea ipſemet fecerit: cur hoc idem exequitur, quod præceperat? an Dei Imperio obſiſtere quit creatura, ac divinæ ſe ſe opponere juſſioni, quo minus ſuos valeat effectus ſortiri? nunquid Deus uberioris eſt efficaciæ? nunquid vires exerit intenſiores? an dices, Deum nemini imperâſſe, proinde feciſſe, quæ nemini facienda mandaverat? at cur cœli ipſi emittere non valuere luminaria, cum ad vocem Dei protulerit terra, tametſi ſensûs expers, vireta, florúmque pigmenta ad intuentium oblectamenta? Præterea dixit Deus: *producant aquæ reptile animæ viventis*, quod ſanè imperantis fuit DEI, & tamen hoc idem fuit ipſe exequutus, quod aquis præceperat: *creavítque Deus cete grandia? & omnem animam viventem, atque motabilem*, ne igitur eas inficias, feciſſe Deum, quæ fieri imperaverat: nimirum ut edocerentur, qui cæteris præſunt manus unà cum ſubditis imperato operi admovere, laborémque minuere ſubditorum: nil dulcius eâ imperantis voce, cui manus opitulantur præcipientis: voluit docere Deus, decere Prælatos ea exequi, quæ jubent, & æquè verbo docere, ac exemplo operis.

14 Antitheſis, ſeu oppoſitio eſt dicendi genus, quo verba verbis, vel ſententiæ ſententijs oppoſitæ referuntur. Plurimum exhibent aucupij, multúmque oblectamenti præſeferunt conceptus concionales ex oppoſitione ſententiarum eruti: ſit thema: *Principis felicitas miſera*: benè noſti, felicitatem miſerijs opponi, etenim illa deſiderium explet, hæ torquent: felicitas quieti, miſeria anxietatibus, animíque angoribus adnectitur. Hoc thema probatu haud difficile erit, ſi expendendum exhibeatur illud cap. 3. cant. canticorum: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael?* Itane fortiſſimorum militum ſexaginta deliguntur ad lectulum, id eſt parvulum exiguum lectum utrinque ſtipandum? itane lectulus dicitur, cujus amplitudo vix ſexaginta cingitur excubijs? itane lectus ille anguſtus, cujus ambitum militum cohors vix coronat? ita ſanè, quia Principibus, ac mundi Magnatibus, quos ambitio tangit, etiam quæ laxiſſima ſunt, arctiſſima videntur, quia vix habet terra, quo turgidam expleat mentem; hæc ſanè ambitionis conditio, ut vel in ipſo dignitatis apice in imum ſeſe fateatur repere miſeriarum, quia nulla ipſi felicitas, quæ miſerijs non cingatur: nulla dignitatis eminentia, quæ humi non videatur repere; nulla amplitudo, quæ limites illi non exhibeat arctiſſimos, ut vel in ipſo humanæ felicitatis apice cumulis adhuc miſeriarum angatur: da humilem Hilarionem, & ipſi tuguriolum, in quo vix orare erectus poterat ſufficiet: da ambitione inflatum Alexandrum, & ipſi juncta Europæ imperio Aſiæ amplitudo anguſtos nimis exhibebit limites: in motu armorum ejus ſteterat terra, quà domita, quà exterrita, & tamen rabida regnorum fames nova ſemper expetjit imperia, nec unus Alexandro ſuffecerat mundus. *Lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt*: quid Salomonis ſopor, ac quies cum armorum ſtrepitu: ecce qualis Regum quies, neque in ipſo lectuli ſopore eſt ſine cuſtode ſecura; dormiente rege vigilant armorum cuſpidibus excubiæ; quia magnates, qui ambitione tanguntur, nusquam à moleſtiarum eximuntur aculeis: ſi dormiunt excubitores cum gladijs lectuli circumambiunt anguſtias, ut diſcant, qui ſceptra tractant, vel expetunt, etiam ſibi proximiores metuere: ut hominis, ita & Regis inimici domeſtici ejus ſunt. Non Semei pertimuit David calumnias, ſed Abſolonis ex ſe nati exitiales inſidias. Adam tametſi à ſerpente tutus, ab uxore tamen malè illectus pomum attigit cœleſti interdicto circumſcriptum, & cum omnia ſciret, ut plura ſciret, deſipere cœpit, & cum profuga conjuge ex Rege Agricola, quia Deum non coluit, terram in ſudore vultûs excoluit. Holophernem non fugârunt Bethulij nimbos jacientes è vallatis muris telorum: at quæ in tentorium Ducis penetravit compta ad muliebrem elegantiam vidua, ita ejus adhæſerat lateri: ut caput è jugulo divelleret: ecce qualis Principum felicitas nullibi ab inſidijs tuta, ubique moleſtijs preſſa, quid miſeriùs hac felicitate?

Per Deceptionem plures poſſumus argu- 15
tos conſtituere conceptus, ſi cauſam aſſignemus rei præpoſitæ, quæ ab inſtituto videbatur aliena: ſit thema: *rarò vitam protrahunt, qui labore improbo, totóque conatu incumbunt in ſtudium literarum*: facilè id probaretur, eò quia aſſiduam dantes ſtudijs operam animalium ſpirituum diſſipatione emacientur, morbos contrahant, ac deficiant: verùm ſi per deceptionem velit, quis id evincere poſſet illud *Geneſ. cap. 2.* adſerre. *De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morieris.* Quid igitur mirum, ſi diu non vivunt, qui acquirendis ſcientijs dant operam, cum vel ipſi ſcientiæ arbori inſcriptum

ptum ſit, in quocunque die comederis ex eo morte morieris: immo hoc mirum, quòd tamdiu vivant, & non illicò moriantur, cum ſcriptum ſit, *in quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* De hiſce argutijs plura libr. 9.

PROLEGOMENUM XXXI.

Memoriæ præſidium Oratori perneceſſarium.

1 PRæ cæteris exculti animi dotibus neceſſum eſt plurimùm orator memoriâ valeat; glorietúrque tanquam penu diſciplinarum, Muſarum parente optima, ac fœcunda ſapientiæ altrice: etenim Muſæ ipſæ diſciplinarum omnium auſpices, cum à Jove in hanc fuiſſent lucem editæ, Junonis lacte neutiquam potuerunt innutriri, ſed aliam neceſſum fuerat illis nutricem deligere; nimirum Mnemoſynem, quam nos memoriam vocamus, quæ nobilibus Jovis partubus adjiciens manus, eos ſinu fovit, aluitque ad debitum perfectionis incrementum: ſcilicet ut hâc edocerentur oratores fabellâ absque obſtetricantis memoriæ ſuppetijs muſas deficere, aliarúmve fœtus ſcientiarum vix editos, veluti lacte carentes, quo nutriantur, perire: Hinc memoriæ beneficio deſtitutus orator, tametſi pleriſque præcellat partibus rudi ſemper, ac imperito videtur perſimilis: parum prodeſt oratori præexcellentes concepiſſe fœtus, quos poſtmodum inter perorandum deficiente obſtetricantis memoriæ neceſſaria ope non enitatur: non plauſu, ſed riſu fuit quondam exceptus Curio, qui cum coram ſapientũ ſtiparo conſeſſu contra Titiniam peroraturus, & totam illicò cauſam oblitus, infortunium hocce Titiniæ veneficijs, ac cantionibus vitio verterat, cum labilem debuiſſet memoriam inculare. Pleróſque novi ego oratores, qui licet cultiſſimas omníque refertas elegantia ediderint orationes, plurimum tamen ex defectu memoriæ amiſerunt dignitatis.

2 Nil excogitari poteſt in oratore dignius memoriâ, nílque deſiderari utiliùs: hæc eſt animi facultas, quam rerum aliarum alijs dietim accedentium laxæ congeries non modò non exæquant, non explent, non cumulant, ſed dilatant uberiùs, laxántque ampliùs, novóſque ſemper ſinus, ac receſſus intus laxè lacunoſos aperiunt. Quid admirabilius, quàm longas rerum, verborúmque congeries ſenſu diſcrepantes, numero pene innumeras, ijs loci anguſtijs, adeò diſtinctè, electéque aſſervari, ut inter ſe ſe rerum copiæ minimè confundantur? quid accommodatius quàm ſimulachrorum ingentes ſeries, veluti addictam ſibi ſacramento militiam, inter ſeſe nexu, & fide conjungere, ut ſive unumquodque ſejunctim, ſive confertim univerſa, ſive ſingula ſeriatim in aciem proferre valeat orator, nihílque in ſumma rerum turba turbetur; ſed ſingula ad oratoris nutum in medium evocata ordinatim proſiliant? Placet hic in memoriæ commendationem adjicere, quod de puero quodam Corſico refert Muretus *lib. 7. variarum lectionum cap. 1.* Audiendum ait ipſe de puero Corſico tenere eum artem quandam memoriæ planè prodigioſam: quare ut aliquod ejus ſpecimen daret, unà omnes, qui aderamus, in proximum cubiculum ingreſsi conſedimus: cœpi ego dictare vocabula plura quà græca, quà latina, quà barbara ſignificantia, non ſignificantia, tam varia, tam nihil inter ſe cohærentia, tam multa ut ego dictando, & puer, cui mandatum erat ſcribendo, cæteri, qui aderant audiendo, ac ſpectando feſſi jam eſſemus omnes; ipſe unus ex omni munere alacer, ac recens aſſiduè plura poſcebat: at cum dixiſſem abundè mihi ſatisfactum iri, ſi vel dimidiam partem eorum, quæ dicta erant, recitare potuiſſet; tum puer fixo ad terram obtutu magna noſtra expectatione tacitus aliquamdiu ſterit. Quid verbis opus eſt, vidi facinus mirificiſſimum, exorſus puer loqui, planè omnia eodem ordine, nunquam inſiſtens, nuſquam hæſitans nobis ſtupentibus reddidit, deinde ab ultimo incipiens, retrogradè omnia iterum redixit; & demum, quo quiſque voluerat ordine ſine ullo errore, omnia referebat.

Plurimum igitur adfert oratoribus commodi memoria; ſiquidem parum referret tam multa legere, tam varia audire, tam inter ſe ſe diverſa animadvertere, niſi hæc eadem memoriæ concredita quaſi tabellis recondita diu aſſervare poſſemus, & prout occaſio poſtulat recenſere: hinc Plutarchus memoriam vocat cellam penuariam diſciplinarum, Plato Muſarum altricem, Seneca abſentium vinculum, mortuorum vitam, ac vivorum magiſtram: ex eo itidem plurimum obtinet memoria commendationis; quòd mater ſit ſapientiæ, filia experientiæ, ſine qua nullus valeat abſolutam conſequi prudentiæ rationem: ſiquidem ad rectè judicandum de jis, quæ agenda ſunt, quod ſpeciale eſt prudentiæ munus, multum confert præteritorum recordatio. Neque eorum unquam adhæſi placito, qui adſtruere haud verentur, memoriæ vim cum præſtantis ingenij acumine cohærere neutiquam poſſe, cum eos faciliùs reminiſci, qui ingenio excellent, pronunciet Ariſtoteles: conſtat itidem viros ingenij præſtantiâ toto orbe celeberrimos, ac ad ſumma ſcientiarum decora natos plurimum valuiſſe memoriâ; nonne Homerus, qui ingenij acumine cæteris ſui ævi Muſarum cultoribus antecelluit, memoriæ vi plurimum fuit commendatus? quid de Ariſtotele loquar, qui ingenio æquè ac memoria excelluit? quid de Julio Cæſare, qui nihil unquam præter inimicos dicitur oblitus, & tamen ingenij acumine ad ſummas hominum laudes efloruit: quid de Seneca Declamatore? in quo ingenium ne magis, an memoriam viguiſſe neſcias. Quid de D. Hieronymo, qui cum linguas gentium omnium calleret, eo fuit exceptus præconio, quo vulgò diceretur, à nullo hominum ſciri, quod Hieronymus ignoraret: & tamen qualis fuerit ejus ingenij præ- 3

ſtantia apprimè norunt; quotquot vel ſummis labijs tanti viri delibârunt elucubrationes: quid de D. Auguſtino qui ingenij præſtantiâ, ac memoriæ vi nemini dicitur fuiſſe ſecundus: demum excellentes fuerunt memoriâ Cyrus Perſarum Rex; qui plura millia hominum proprijs recenſere potuit nominibus; Mithridates Rex Ponti, qui duas ſupra viginti calluit linguas; Themiſtocles, Cyneas, Carneades, Hortenſius, & alij plerique, qui ingenio quoque fuerunt inſigni: ex quibus vel luce meridiana liquet clariùs, memoriam neutiquam officere ingenio.

4 Cæterùm memoria laxo vocabuli ſignificatu trifariè ſumitur: primò pro ipſa facultate, ceu potentia, quâ recordamur: ſecundò pro ipſo recordandi actu: tertiò aliquantulum impropriè pro habitu, ſeu ſpeciebus impreſſis, quarum excitatione, ac interventu memorandi actus exercetur. Facultas recordandi eſt vis animæ, quæ rerum cognitarum imagines, ſeu ſpecies intelligibiles tanquam depoſitum recondit, ac ſervat, ut eas prout opus fuerit exhibeat, qua ratione memoria vocari ſolet penus omnium diſciplinarum, theſaurus rerum cunctarum ferax, cuſtos animi ſenſuum, abſentium vinculum, mortuorum vita, quatenus ejus ope recordamur eorum, quæ perierant: huc pertinet illud Damaſceni *lib. 2 fidei orthodoxæ cap. 2. Vis ea, qua meminimus, eſt memoriæ, ac recordationis origo, & promptuarium.* Porrò hæc memorandi facultas duplex eſt, altera ſenſitiva, quæ in capite propriam conſequitur ſedem; altera intellectiva, quæ in ipſa animi noſtri inſidet ſubſtantia: dari hanc intellectivam memoriam evincit Philoſophus ex eo, quod recordemur rerum univerſalium, ac immaterialium, quarum rationes non poſſunt cadere in potentiam organo corporeo affixam, ſed in aliam præſtantiorem facultatem materiei expertem: præterea cum conſtet, partem ſenſitivam potiri facultate conſervatrice ſpecierum ad memorandum, potiori jure eandem vim obtinebit pars intellectiva, quæ longè excellentior eſt: conſtat etiam animam ſeparatam recordari eorum, quæ in hac vita geſſit, ex ſermone Abrahami ad divitem *Luc. 16. Recordare Fili, quòd recepiſti bona in vita tua, Lazarus autem ſimiliter mala*: quinimmo ipſe dives recordabatur quinque fratrum, quos inter vivos habebat.

5 Præterea memoratricis facultatis duo aſſignantur actus, alter qui denominatus à potentia vocatur memoria: alter Reminiſcentia dicitur. Memoria deſcribitur Rei antea cognitæ, ut cognita eſt, repetita cognitio: ſeu regreſſio ad notitiam ejus, quod fuit ante apprehenſum, quatenus fuit apprehenſum: etenim qui elicit cognitionem rei ſibi antea prorſus, ignotæ, aut rei, quam priùs novit, ſed omnino exciderat, non dicitur recordari, quia non cognoſcit rem ante à ſe cognitam, quâ ratione res, quæ præteriêre, duntaxat ſubjiciuntur memoriæ; ſicuti extremo ſenſui res tantùm præſentes; & ſpei futuræ. Reminiſcentia eſt cum intellectus ex cognitione unius incidit in notitiam alterius: hinc Themiſtius *lib. 2. ſua paraphraſis cap. 4.* definit reminiſcentiam, reducem, & quaſi redivivam memoriam, cum unus motus animi recogitando alterum trahit. Enucleatiùs deſcribitur reminiſcentiæ progreſſio, quâ potentia memorandi ex aliquibus memoria comprehenſis, venit in cognitionem ejus, quod nec memoriæ occurrebat, nec à memoria penitus exciderat. Conveniunt memoria, & reminiſcentia eò quia utraque ſit de re priùs cognita, neque meminiſſe, neque reminiſci poſſumus ejus rei, cujus in nobis ſimulachrum penitus evaneſcit; ut autem memoremur ſatis eſt ſi rem antea cognitam, ut cognitam apprehendamus; ut verò reminiſcamur exigitur præcedens oblivio cum iterata notitia rei alicujus, quæ non exciderat, quâ ducamur in notitiam rei, quam inveſtigamus. 6

Differunt verò quia memoria etiam brutis animantibus competit; reminiſcentia verò duntaxat homini: porrò memoriæ celeritas, ut docet D. Thomas plerumque cum ingenii tarditate cohæret; reminiſcentiæ autem cunctatio celeritatem ingenij comitem habet: cum reminiſcendi vis ſit perveſtigatio quædam rerum in memoria deliteſcentium uno animi motu alios ſecum quaſi conſertis catenulæ annulis educenre, procul dubio mentis agitationem comprehendit, hincque qui ratiocinando ſunt expeditiores, ingenijque pernicitate excellunt, præſtantiori potiuntur reminiſcendi facultate. 7

Memoriæ ſentitivæ organum reſidere in poſteriori parte capitis; quæ occiput dicitur adſtruunt communi ſuffragio Philoſophi; idque ex eo evincunt, quia ſi lædatur occipitium plurimum adfertur memoriæ detrimenti, & parte illa percuſsâ faciliùs oblivio oritur: ſecundò quia partis illius ſoliditas ob id potiſſimum videtur à natura procurata, ut tenaciùs ibi rerum imagines hæreant. Tertiò quia cum recordari volumus, quaſi natura docente occipitium ſcalpimus, ut memorandi vim excitemus. Hinc ut memoria vigeat requiritur ex parte organi tum mollitudo, tum durities, quâ ad congruam mutuò confæderentur temperiē: deſiderabatur mollitudo ut facilè rerum imagines imbiberet, durities ut eaſdem diutiùs conſervaret: ob mollitudinis defectum ſenio jam confecti, quibus humido nativo magna ex parte abſumpto membra inareſcunt, rigéntque difficiliori ſunt memoria, & eorum quæ jam pridem didicerunt dietim obliviſcuntur. Ob defectum congruentis duritiei pueri, qui humido abundant parum memores deprehenduntur. 8

Læditur etiam memoria ex alijs cauſis. Galenus *lib. 3. de loc affecti cap. 5.* agens de lapſa ob ſiccitatem memoria refert ſe noviſſe quendam aſſiduis addictum ſtudijs, qui ob diurnas vigilias memoriam pene amiſerat: verùm potuit id obtingere ex caloris exceſſu, quatenus qui labore improbo dederat operam ſtudijs ex vehementi ſpirituum agitatione in caput ſubeuntium calorem contraxerat intenſiorem, quo nativum humidum abſumebatur. Memoriam etiam labefactat cæterarum exſuperantia qualitatum, præſertim frigoris, quo a-

nimales functiones torpeſcunt: hic memoriæ defectus, ſi ex aliquo proveniat qualitatis exceſſu reparari ex parte poteſt, ſi oppoſitæ adhibeantur qualitates: cui memoriæ defectus ex frigiditate exoritur, volunt plerique inſtaurari memoriam nuce myriſtica, roſmarini flore, melliſophyllone, caſſia, cynamomo, zinzibere viridi melle condito, alijsve calidioris naturæ edulijs, prodeſt etiam memoriæ ſi occiput frigidum vel manu, vel panno, vel linteo aſperiori perfricetur. ſin autem ſiccitas memoriæ officiat inſtauratur pharmaco humido. Cenſent etiam plerique, corda pullorum columbarum combuſta, in pulverem redacta, ac vino epota memoriam ſtabilire. Speciatim ad ſervandam memoriam abſtinendum eſt à nimio vini potu, à cruditate ventriculi, ab oleribus, lacte, & alijs id genus flatus generantibus, præſertim ab ebrietate, cujus præmium authore Plinio *lib. 4. cap. 12.* eſt libido portentoſa, rerum omnium oblivio, mórsque memoriæ; rationem adfert Marſilius Ficinus *lib. de triplici vita*, quia vinum denſis humoribus caput implet, quibus humidum, ac turgidum efficitur cerebrum, in quo rerum, ſi quæ erant impreſſæ imagines, faciliùs obliterantur: è converſo memoriam juvant temperantia, morum integritas, mentis tranquillitas.

9 Communior tamen ars excolendæ memoriæ eſt exercitatio, quâ diebus ſingulis aliquid tradatur memoriæ, hujus exercitij beneficio, vel maximè acuitur, ac perficitur memoria. Quòd ſi prolixior fuerit oratio memoriæ conſignanda, proderit eam per partes ediſcere, quas neque ampliores eſſe oportet; ne faciliùs earum orator obliviſcatur. Plerique ut firmiùs hæreant memoriæ, quæ eidem concrediderint, quibusdam ſolent marginem obſignare notulis, quæ veluti animum excitent: *nam cum in loca aliqua poſt tempus reverſi ſumus*, ait Quintilianus lib. 11. Inſt. orat. cap. 2. *non ipſa agnoviumus tantùm, ſed etiam, quæ in his fecerimus, reminiſcimur, perſonæque ſubeunt, nonnunquam tacitæ etiam cogitationes in mentem revertuntur.* Neq; eſt quiſquam adeò naturæ præſidijs deſtitutus, qui ubi notulas deſcripſerit, non recordetur: itaque ubi in oratione deſcriptio adnectitur navis marinis quaſſatæ fluctibus; & luculenta narratione tempeſtas deſcribitur, *anchora*, vel *navis* affigatur margini; & ita ſi de prælio ſermo inſtituatur, *ſpiculum:* ſi de Principis regimine *ſceptrum;* ſi de charitatis præſtantia *roſa*, adeò ut deſcripta notula aliquod ſubjiciat oculis, vel inſtrumentum, vel ſymbolum ſubjecti, quod tunc in oratione occurrit; cum ſignum referatur ad rem ſignatam, facilè agnito ſigno meminimus ſignati. Sunt, qui præcipiunt, alta voce pronuncianda, quæ memoriæ ſunt tradenda, ut vividiùs imprimantur, hæreántque firmiùs: expeditior tamen ratio, ac facilior deprehenditur eſſe, ſi quis ſedula attentione tacitè animo volvat, quæ ſuſcipit ediſcenda, & præſertim nocte intempeſta, vel alio tempore, quo nullus ad aures fertur ſtrepitus animum diſtrahens.

Præcipua memoriæ ſubſidia duo recenſentur *Ordo*, & *Imaginatio*; ille eſt præcipuum memoriæ adiumentum: quæ enim ſcribimus, ut faciliùs, ac firmiſſimè mandemus memoriæ, neceſſe eſt, ut eadem ordinatè ſcribamus; hinc, qui negligunt ordinem, laborem augent in rebus memoriæ mandandis, quidquid memoriæ tradere cupimus, id priùs in ordinem digeramus, ac in plures ordine ſervato dividamus claſſes, ſeu capita: hinc qui ordinem non curant, veluti in arena, aut etiam aqua ſcribunt, oleum perdentes; ac operam; confuſio rerum tumultuaria rebus ipſis obeſt; quibus plurimum diſtinctio, & Ordo prodeſt; nec quidquam adeò confuſum, ac inordinatum eſt, quod in certum, ac harmonicum ordinem non valeat induſtria adducere. Hac arte Eraſmus Chiliadum ſcriptor ſatetur, Horatium, ac Terentium intra paucas dies à puero memoriæ mandâſſe; quinimo Joſephus Scaliger eadem induſtria intra viginti & unum dies totum Homerum memoriæ teſtatur concrediſſe; ſcilicet geminas Homeri partes, Iliadem, & Odiſſeam: quarum quælibet quatuor ſupra viginti continet libros; & Ilias unum, & triginta millia verſuum, ſexcentos, & circiter ſeptuaginta; & fermè totidem Odiſſea; quod etiam mirabilius intra quatuor menſes fatetur potuiſſe Poetas omnes græcos memorâ apprehendere, quorum cathalogum vix valeo hic calamo recenſere: horum principes conſtat, fuiſſe Æſchylum, Anacreontem, Alcæum, Ariſtophanem, Callimachum, Euripidem, Heſiodum, Lycophronem, Muſæum, Oppianum, Orpheum, Phocylidem, Pindarum, Sophoclem, Steſichorum Theocritum, & alios ſexcentos, quos ſingulos recenſere moleſtum foret. 10

Alterum memoriæ adminiculum adjiciendum ordini eſt *imaginatio*. Plurimum prodeſt res probè diſponere, ac firmiter imaginari; ut 11 autem imaginatio nobis prodeſſe hoc in negotio poſſit; lectio librorum, vel excerptorum non debet eſſe properans, nec tumultuaria, non perfunctoria, nec præcipitans; ſed matura, ſera, & cogitabunda; perinde ac edenti carnis bolos, vel panis fruſtula feſtinanter ac raptim in ſtomachum demittere, eſt eidem gravamini, ac plus infert nocumenti, quàm utilitatis; ita qui feſtinanter legit, plura complectitur, & paucula ſervat, quæ proprio ſine ipſi uſui; celeriter, ac præproperè legere eſt plena manu multam aquam intra pugnum colligere; opus feſtinatum, ac ſubitatium, idémque perfectum, ratus eſt in orbe literatio Phœnix, vixque reperitur; dum legimus, neceſſe eſt inſiſtamus, ac lecta perpendamus, ut beneficio imaginationis diutius hæreant memoriæ: canes, quia in enitendis fœtibus nimis properant, catulos pariunt cœcos, ac multiplici defectu turpes; quia generatim approperata ſunt imperfecta.

Proderit etiam memoriæ excolendæ, cum primùm orationes ſcripſimus eaſdem, memoriæ concredere, quòd ſi ob frequentes lituras

perturbatiores forent, ſecundâ utamur, quam manu propria exarare oportebit: inhærer ſiquidem inter ſcribendum cogiratio omnibus propemodum ſyllabis, quas deinde inter diſcendum ſequimur, ac ijsdem hæremus, quibusdam veluti impreſſis veſtigijs. Poſtquam his vel rer eandem perjodum atrentè legerimus, avocato animo ab oculorum conſuetudine, opus eſt memoriam experiri, & ſi quæ exciderint identidem repetere, ut altiùs hæreanr. Quia verò quies, & ſomnus plurimum adſerunt memoriæ adjumenti, juvabir ſomno interpoſito memoriæ jam pridem demandara irerum revolvere, ac firmare, maturantur ſiquidem, & excoquuntur. Hominibus inquietis pleráque alieni inſtiruti meditantibus, pluribúsque curarum exagitatis ſollicitudinibus vix firma, ac prudens inſider memotia: non torrentes impreſſi ſigilli reddunt imaginem, ſed candidæ, ſtantésque ceræ; quæ apparent in turbatis fluctibus imagines confuſæ ſunt, ac monſtroſè diſtractæ; pacata mente, vel maximè gaudet memoria: acer concitatæ mentis ardor, crebræque curæ cerebrum implenres rerſiſſimi in animo inficiunt ſpeculi nitorem importuno veluti anhelitu.

13 Si inter dicendum fallente memoria hærere contigerit, ſedatè conquieſcat orator, ne ex perturbarione major ſequatur mentis abalienatio: & ſi in promptu fuerit perbreve aliquod effatum, quo è re nata Auditores alloquatur, tempeſtivum erit, ut cuidam obtigit, qui memoriæ defectum in hunc excuſavit modum. *Gaudeo Auditores viris prudentibus nullum lapſum tolerabiliorem videri, quàm memoriæ.* Cæterùm memoriæ oſtentatio vanitas putida, ac puetilis ſemper viſa eſt cordatis viris. Quinimò levis hæſitatio nonnunquam fingenda eſt, ut pendere potiùs videamur à judicio, eáque narrare, quæ internus ſuggerit affectus.

PROLEGOMENUM XXXII.

De ingenii cultura Oratori pernecessaria.

1 SUmma Eloquentiæ decora ij duntaxat Oratores atringunt, qui æquè memoriæ præſtantiâ, ac ingenij acumine gloriantur: opus eſt eloquentiæ cultorem ingenij vi plurimum valere, ut peroraturus ſive ad populum in foro, templóque; ſive in aula, in privatis, publicíſque conſilijs ad Principes viros, ſive in Exedra, & Academia ad homines eruditos, & ſapientes de re quacunque propoſita non perfunctoriè, ſed radicitùs ac diſertè fari queat, doceátque erudita, ac aperta oratione, demulceat verborum delectu, elegantiarum pigmentis, venuſtatum illicijs, moveat rerum gravitate, argumentorum robore; ac eò dirigat orationis momentum, ut quò voluerit, animos flectat, quod præſtantis eſt virtus ingenij: etenim ſi foret orator præexcellentis ingenij deſtitutus acumine, quomodo ſua ſtabilire, aliena refellere, repugnantibus occurrere; fallentia procul rejicere, & omnia certis rationum ponderibus firmare poſſet? falluntur ſanè, qui oratorem ijs contineur limitibus, ut tantùm eleganter, diſſertè, ac ornarè dicat, in quo fortaſſis plus memoriæ, quàm ingenij deſideratur; non hæc eſt oratoriæ provinciæ amplitudo, non rotum diſerti oratoris officium; ſed ulteriùs ut ſuo fungatur munere, debet invenire, quid aptè dicat, quæ fundamenta jaciar orationis, quale negotij momentum promovear, quibus argumentorum præſidijs omnia muniat, ac ſtabiliat, quod ſanè polititiſſimi eſt opus ingenij: & hæc ſingula ad munus pertinere otaroris nemo eſt, qui inficietur, cum huic parti addictus Ariſtoreles Rhetoricam ex invenrione præſertim definiat, ratus principem orarotis virtutem in delectu eorum ſiram eſſe, quæ ad perſuadendum plutimum obtinent momenti, nec eum inter oratores recenſeat, qui in argumentis, rebúſque inveniendis minus excellit. Hanc autem inventionem rerum, quas orator in omnem dicendi occaſionem opportunè expromit, prout perſonæ dignitas, Adſtantium conſeſſus, reique pertractandæ ratio expoſtulant; hanc pernicitatem animi transferentis ſeſe in partes ſingulas, ac omnia ubique ad intimiorem usque medullam rimantis; hanc mentis feracitarem ram multa, rámque varia progignenris opportuna rempori, congrua loco, accommodata perſonis, quisque adſtruet vim maximam eſſe præexcellentis ingenij. Non igirur ea commendatur in oratore memoria, quæ hebes, ſegnisque quoddammodo cæcutit obruſæ mentis circumvolutâ caligine, ſed quæ ſolerti animi ratiocinio, ac præſtantis ingenij adhæreſcit acumini.

Eſt quippè ingenium ea humanæ mentis facultas, ac vis, quâ vera à falſis ſolerti diſcernit obtutu; quâ ſubtili diſcuſſione rerum naturas intimas, abditáſque proprietates inveſtigat, rimatur; quâ volatu perniciſſimo cœlorum immenſirates, aëris dimenſiones, maris amplirudines, terrarum tractus, ac disjunctiſſimas orbis totius partes percurrit: quid ingenio velocius? cupis hanc humanæ mentis præſtantiſſimam facultatem pelagi trajicere immenſirates? jam trajecit: jube in ſublimiorem aëris regionem avolare? jam avolavit: deſideras, cœlos conſcendere, ac micantia luſtrare ſydera? jam conſcendit, jam luſtravit; quia ſingula ſtarim cognitione ſolerti attingit, poſſider. Non igitur humanæ mentis ingenium Empedoclis dicimus ſanguinem, neque Zenonis ignem, neque Ariſtoxeni intentionem, neque Pythagoræ numeros, neque æthereæ ſubſtantiæ particulam; ſed aliquid ſanguine vividius, igne purius, intentione contentius, modulis numeroſius, cœlóque ipſo auguſtius, ſcilicet vim ipſam rationalis animæ, quâ omnia luſtrat, penetrar, rimatur. Prodit ſeſe præſertim mira hæc ingenij facultas in artefactorum præſtantia: ſolertiſſimi ſanè fuit opus ingenij Coſroæ Perſarum regis cryſtallina machinula, quæ ut refert Cedrenus, cœli immenſitatem, ſolis 2

cur-

curſum; laborantis lunæ alternas vices, micantium ſyderum motus, errantium planetarum curſus, & recurſus apprimè comprehendebat: & quod dictu eſt mirabilius machinulas quoque complectebatur, è quibus vis aquarum exiliret, quæ ad nutum artificis, nunc in imbres ſubirent, nunc in grandines glomeratæ rigeſcerent, nunc exagitatos tumeſcerent in fluctus, pleno gurgite in torrentes ruerent; nunc ſpatium cœlum inter, & ſubjectum terraqueum globum denſa nubium obduceretur caligine, nunc diſcuſſo vapore ſerenitate rideret, & auſpicata veluti Eteſiarum amænitate blandiretur.

3 Sagaciſſimi opus ingenij fuit Archimedis onuſta navis, quam, tametſi ingens hominum multitudo nec hillum dimovere poſſet, ſolus dimovit artifex, traxitque mira celeritate, quò voluit. Tanta fuit hujus præſtantis ingenij vis, ut in vulgata illa vitri ſpecula cœli quoque motus, aſtrorúmque periodos luſerit, ſonitum perſtrepuerit, coruſcationes incenderit, ac fulmina ipſa evibraverit. Hac ingenij ſolertis vi Archita volantem effecit columbam, Albertus loquentem ſtatuam, Myrmecides quadrigam eburneam, quæ muſcæ alâ obtegeretur, Leonardus Vincius verſatilem leonem, qui ſuis ſe pedibus movit, & coram Francorum rege Ludovico duodecimo ſtitit, ubi non mel ex ore uti quondam Hæbreo Herculi, ſed gravida ab alvo liliatum nimbum perpluit, ea adſtantium hilaritate ut nunquam tanta viſa ſit celebri Gallorum in Regia Serenitas, quàm florida hac in pluvia: & ut ſexcenta alia reticeam artefacta ad artis miraculum elaborata; nonne humani ſolertia ingenij triumphat in horologijs, quorum alia ſolis, alia Lunæ curſus miro artificio definiunt, alia ſingulis horis æs campanum pulſant, ſoliſque palam editiſſimis è turribus loquuntur curſum, alia ſingulis quadrantibus fugientis temporis indicant pernicitatem; alia nocte intempeſta hominem è ſomno excitant, luménque accendunt; alia ſtatuas accedentes, & recedentes ſingulis ictibus referunt; aliæ annulis incluſa cum ſuis libramentis currentibus, & recurrentibus rotulis ſingulis horis ſubjectum digitum parcè premunt, temporiſque peracta tacitè produnt ſpatia, quotáque ſit hora monent. Ea igitur eſt humani ingenij vis, ea ſolertia, ut cecinerit Manilius *Epilog. lib. 4.*

Exemplúmque DEI quiſque eſt in imagine parva.

4 Ingeniorum ex Peripateticorum principe Ariſtotele tria ſunt genera. Alia inertia, ſtupida rebus gerendis prorſus inepta, quæ quidquam addiſcere non valent, uti fuiſſe traditur Herodis filius, qui nec primas valuit apprehendere litteras: urſit nihilominus Pater, qui ut divitiarum cumulis opulentiores æquabat Principes, ephebos totidem inerti filij conſtituit famulitio, quot alphabeti enumerantur literæ, eò ordine ut natu major *Alpha*, huic proximior *Beta*; tertius *Gamma*, & ita deinceps omnes appellarentur; & tametſi habuerit filius ſtupidus in ſervis quotidianis literas, quas addiſceret, plurimum adhuc fertur elaboraſſe in ipſis apprehendendis. Secundi generis ſunt ingenia illa, quæ nimio furore percita, æſtúque concitata, plerúmque in ſolemnem degenerant amentiam: talis fuit Hermogenes, qui florente adhuc ætate ea fuit ingenij vi præditus, ea inſignitus mentis ſolertia, ut vel extempore de re quavis propoſita ad ſummas diſſeruerit eloquentiæ laudes, cùm verò maturiorem ætatem attigit, in eam fertur incidiſſe mentis hebetudinem, ut vir diceretur inter pueros ſenex, inter ſenes puer. Tertium genus ea obtinent ingenia, quæ ſedata uno ſemper, eodémque tenore univerſam felici pede percurrunt ſcientiarum encyclopediam, & eò perficiuntur magis, quò plus exercentur.

5 Si in cæteris capeſſendis facultatibus ingeniorum habendus eſt delectus, jure potiori in eloquentiæ cultura, quæ utpote cæteris captu & exercitatione difficilior, ita ijs duntaxat amat ingenijs copulari, quæ feraciſſima ita ſuſcepta ſemina fovent, ut hæc in uberrimam facilè matureſcant fructuum meſſem: eáq; rejicit è ſuo ludo eloquentia, quæ verſatili quadam levitate deſultoria huc, illùcque volitant, & in nucis, quisquiliiſque triumphant; aliáque ſordida ſtomachatur, quæ ſegnitie vel otio emarceſcunt, vel abdomini dedita nunquam excitantur, niſi illis popinæ nidor ſuboleverit.

6 Ea igitur nitidiſſimis eloquentiæ facibus inardeſcere poſſunt ingenia, quæ ſimplicia ſunt, candida, ſolertia, exaggerata, non ambitione tumida; non arrogantia, præerupta; non elatione turgida, quæ rerum humanarum non ſint illecebris dedita, quæ adblandientis Veneris non adhæreſcant illicijs, quæ nullius vitij deturpentur cœno, ſed perenni fruantur ſerenatæ mentis malacia, omnes confeſtim diſcutiant pulſantis concupiſcentiæ nebulam, omnes compeſcant urgentis iraſcibilis metus: quibus in animo eſt illuſtriora attingere decora eloquentiæ, eos oportet, ingenium huic accommodatum culturæ ab omnibus expurgare vitiorum vepretis, dein diutina emollire exercitatione, omnigena excolere eruditione, opima fœcundare ſcientiarum ſupellectili, purioris irrigare doctrinæ rivulis, ut tenella germina mitiùs gliſcant in flores, ac tandem maturiant in fructus immortalitatis.

PROLEGOMENUM XXXIII.

De Pronuntiatione, & actione oratoria.

1 QUanti ſit oratoribus pronuntiatio momenti, ex eo liquet, ait Quintilianus *lib. 11. Inſtit. cap. 3.* quia neque probatio ulla, quæ venit ab oratore, tam firma eſt, quæ ſuas non perdat vires, niſi adiuvetur aſſeveratione dicentis. Affectus omnes langueſcant, neceſſe eſt, niſi voce, vultu, totius prope habitu corporis inardeſcant. Docu-

mento ſunt vel ſcenici actores, qui & optimis poëtarum tantùm adjiciunt gratiæ, ut nos infinitè magis eadem illa audita, quàm lecta delectent. Quòd ſi in rebus, quas fictas eſſe ſcimus, & inanes, tantùm pronuntiatio poteſt, ut iram, lachrymas, ſollicitudinem exciret, quanto plus valeat, neceſſe eſt, ubi & credimus? Equidem vel mediocrem orationem commendatam viribus actionis affirmaverim plus habituram eſſe momenti, quàm optimam eâdem deſtitutam. Siquidem & Demoſthenes interrogatus, quod eſſet in toto dicendi opere primum, pronuntiationi palmam dedit.

2 Eſt igitur actio oratoria quædam corporis eloquentia, quâ abdita animi ſenſa, ſeſe veluti in ſpeculo per vultum, per oculos, per manus, per vocem produnt, ſéque in adſtantium mentes juxta actionis vehementiam, vel levitatem, concitatè, vel blandè inſinuant; etenim, quæ videntur, & audiuntur, vehementiùs per ſenſus transfuſa exteriores animum concitant, quàm quæ uni duntaxat ſenſui viſûs ſubjecta leguntur: pleróſque audivi Oratores actione adeo rebus accommodata, & voce, manu, vultúque prout narratio poſtulaverat ita concitatis, ut affectus animi apprimè moverent, ac lachrymas excitarent; typis poſtmodum eædem orationes concreditæ parum vel nihil concitârunt legentes; quia ſi aliquid valent res, quæ narrantur, cum vox propriam vim iiſdem adjiciat; & geſtus, motúſque, aliquid etiam ſignificent, neceſſe eſt, hæc omnia ſimul aggregatim exhibita plus habeant momenti, ac roboris ad animos percellendos. Studeant igitur optimæ actioni ſine affectatione quotquot eloquentiam profitentur, ut ejuſdem conſequantur decora.

3 Virtutes pronuntiationis quatuor ſunt *Puritas*, *Perſpicuitas*, *Cultus*, & *Habitus*; eſt *Puritas* quædam vocis ſuavitas, cui officit, vox rudis, ferrea, rigida, aut tenuis, acerba, puſilla, effœminata: exigit princeps hæc virtus os facile, jucundum, explanatum, nullam promens ruſticitatem, nullámque exilitatem, nec duritiem, quæ minus gratè alienas pulſet aures: qua ratione Cicero *3. de Orat. cap. 41.* vocem excludit ab oratore ad eloquentiæ nato decora mollem, effœminatam, exilem, abſurdam, ruſticam: docétque orationem pronuntiari, non aſperè, non hiulcè, ſed preſsè, leniter, & æquabiliter, quæ gratè, & blandè ſe ſe in aures inſinuet Auditorum conſeſſui. Hac qui deſtituuntur pronuntiationis virtute, illi pro viribus ab ineunte aſſueſcant ætate. *Perſpicuitas* tota relucet in legitima ſingularum ſyllabarum expreſſione ſine liſione; de hac pronuntiationis virtute ita diſſerit Quintilianus *lib. 11. Inſtit. orat. cap. 3.* Dilucida verò erit pronuntiatio, primum ſi verba tota exegerit, quorum pars devorati, pars deſtitui ſolet, pleriſque extremas ſyllabas non proferentibus dum priorum ſono indulgent. Ut autem eſt neceſſaria verborum explanatio, ita omnes computare, & velut numerare litteras moleſtum, ac odioſum eſt. 4

Cultus eſt vocis nitor, ſeu pronuntiatio clara, cui ut innuit Quintilianus *Lib. 22. Inſt. cap. 3.* ſuffragatur vox facilis, magna, beata, flexibilis, firma, dulcis, durabilis, clara, pura, auribus ſedens, tractabilis, habens in ſe omnes qui deſiderantur ſonos, intentionéſque, & toto ut ajunt organo inſtructa: cui aderit lateris firmitas, ſpiritus cum ſpatio pertinax, labori non facilè ceſſurus. Neque graviſſimus, ut in muſica, ſonus; neque acutiſſimus orationibus convenit. Nam & ille parum clarus, nimiúmque plenus difficulter animi ciere affectus poteſt: & iſte pertenuis, & immodicæ claritatis, neque pronuntiatione flectitur, neque diutius ferre intenſionem poteſt. Nam vox, ut nervi, quò remiſſior, eò & gravior, & plenior; & quò tenſior eò tenuior, & alta magìs. Sic vox ima vim non habet, ſumma rumpi periclitatur. Medijs igitur utendum ſonis. 5

Habilitas eſt pronuntiationis varietas accommodata ſubjectæ materiæ: ſicut ſtylus licèt perpetuò æquabilis, ſibique conſtans, variatur nihilominus pro argumentorum diverſitate, adeo ut modò gravis incedat, modò floridus laſciviat cultæ eloquutionis inter vireta, modò pellucidus, ac ſedatus fluat, modò concitatus, ac vehemens ſubſultet: ita vox tametſi à ſua nunquam perfectiore deflectat, plures tamen inflexiones ſubit, ac varietates, quibus argumentorum diverſitati ſe ſe mirificè accommodat, & plurimum inde haurit decoris, & gratiæ: ſi monotonus orator, qui uno ſemper eodemque tenore inflexibiliter progreditur, eſt Auditoribus tædio, ac moleſtiæ; è converſo ſi vocem pro ſubjecta materia preſsè ac leniter variabit plurimum adferet incunditatis, plurimúmque Auditores exhilarabit: ſicut mira univerſi pulchritudo ex creaturarum varietate conſurgit; ita ex varia vocis inflexione mira jucunditas: nunquam tamen ultra vires urgenda eſt vox, quia ſi majori edatur niſu minus clareſcit, & eruditis auribus moleſtiam ingerit.

Variandæ vocis artificium edocet Quinti- 6
lianus *Lib. 11. Inſt. cap. 3.* cum jucundæ exhibentur narrationes commendat vocem plenam, hilarem, argenteam, fluentem: in vitijs coarguendis erectam totis viribus, aſperam, denſam; in blandiendo lenem, hilarem, ſubmiſſam, in adhortationibus fortem, vehementem, quæ plurimum præſeferat roboris; in miſeratione flebilem, & ſtudiò obſcuram, ſubmiſſam; in admonendo virilem, & gravem; in concitandis affectibus iiſdem accommodatam; excitatur ira voce acuta, atroci, incitata; miſeratio flexibili, interrupta, flebili; metus demiſſa, hæſitante, abjecta; amor leni, ſuavi, jucunda; odium concitata, aſpera, atroci; deſiderium ſedata, leni jucunda; ſpes hilari, amœna, plena ſuavitatis.

In dirigenda voce debet concionator dili- 7
gens adhibere ſtudium, ut tardè loquatur, ne unquam ita properet, ut voces præcipitet: incredibile ſanè dictu quantum hæc unica oratoris virtus populum ad audiendum alliciat, ac devin-

Digitized by Google

vinciat: quæ ſine labore percipiuntur grata, ac
jucunda ſunt; & ille orator eſt gratus, qui
non præcipitanter eſt diſertus, Auditor ſi ru-
dis fuerit eruditam nun aſſequitur linguæ vo-
lubilitatem; ſi doctus ægrè patitur tam celeri
vocum tumultu obrui, ac mente defatigari ex
plena attentione. Hinc Seneca facilitatem, ac
tarditatem probat verborum; celeritatem im-
probat. Cicero etiam oratorum princeps non
celer, nec feſtinus in perorando fuit, ſed
gradarius, gravis, ac lentus; adeo ut non cur-
ſu, ſed gradu iverit; plus obtinet ad perſua-
dendum roboris tardiloquium, quàm celeritas;
altiùs hærent animo pauca probè expreſſa,
quàm multa celeriter prolata, plura curſim re-
citate facit ad oratoris copiam potiùs oſtentan-
dam, quàm ad mores Auditorum corrigendos.

8 Vocis virtutes plures recenſentur, uti &
vitia à Julio Polluce *Lib. 2. Onomaſtici cap. 26.*
Commendatur vox ſi alta fuerit, quæ ex fir-
mis emiſſa lateribus aures impleat: ſi exagge-
rata, quæ non modò pleniùs auditur, verùm
& inconcuſſa perſeveret: ſi clara, quæ niti-
diùs perſonet, nulláque infuſcetur labe: ſi gra-
vis, ac fusè explicata: ſi candida, ac pellucida,
quæ aures blandè afficiat: ſi pura quaſi ſordi-
bus omnibus defœcata: ſi ſuavis, quæ jucun-
dè ſe ſe in aures conciliatrix inſinuet: ſi illece-
broſa, quæ delicatis modulis affluens adblan-
diatur: ſi commoda quæ plenè aures occupet: ſi
tractabilis, quæ facilè inflectatur, omnibúsque
ſe accommodet rebus narrandis: ſi volubilis,
quæ pugnet denſiùs: ſi perſpicua, quæ ſit au-
ditu facilis. è converſo redarguit Pollux vo-
cis vitia, eamque cenſet vitiatam vocem, quæ
acuta quàm par ſit aures abſonè percellit: quæ
exilis, ac tenuis difficilior eſt auditu: quæ acer-
ba aures injucundè pulſat: quæ dura, & aſpe-
ra inſuavi ſtrepitu aures lædit: quæ rigida in-
flexiones non patitur: quæ intractabilis eo-
dem ſemper injucundo tono obſtrepit: quæ
confuſa colligatas ſyllabas depromit indiſtin-
ctas: quæ neglecta, & abjecta nihil præſefert
illicij: quæ ſubſurda intercluſo ſpiritu ſonum
intus retinet: quæ immitis auribus eſt impor-
tunè moleſta.

Præ cæteris vitijs ſtudeat orator clamoſam
9 illam, ac ſubſultantem uno fermè tenore næ-
niam, quæ inſuavis cantilena dicitur, prorſus
declinare: facilè in hoc incidunt vocis virium
Tyrones, & qui recitandis carminibus aſſue-
vêre. Quintilianus hunc oratoris cantum vo-
cat caricum vitium, eò quia Cares lamentabili
cantilena plurimum fuerint delectati; non e-
nim dicitur cantus eò quia contineat modulo-
rum diſparitates, quales exhibet cantus: ſed
quia oratoria vox ſit aucupio deſtituta jucundæ
varietatis, & non niſi ad eruditatum mole-
ſtiam aurium inflexiones admittat aſperas, fer-
reas, abſonas, inconcinnas, quæ non parum
perſuaſioni officiunt: difficilè quis ab ea alli-
citur, ac trahitur narratione, quæ ægrè fertur,
nec ſine moleſtia auditur. Non inficior, ple-
roſque viros tum ſanctitate, tum doctrina exi-
mios has negligere legitimæ pronuntiationis
virtutem nullúmve in vocis cultum adhibere
ſtudium, & nihilominus ea juvehere energia
in vitia; eâ ſuadere Auditoribus vehementiâ,
ac efficacia rationum virtutis culturam. ut u-
berrimam fructuum ſegerem colligant; verùm
eſt, aſſentior: at ſi has eloquentiæ maculas elue-
rent, longè gratior, ac utilior prodiret oratio, 10

Neque ij commendantur Oratores, qui
eâ vocis elatione, eâ ſpiritûs contentione pero-
rant, ut ægrè poſtea ſubmittere queant, ac in
demiſſiorem deflectere ſonum: vox enim ſemel
incitata difficilè moderatur, ac debitæ reſtitui-
tur temperiei. Cæterum vocis injucundam,
ac eruditis auribus moleſtam cantilenam, ut
declinent Eloquentiæ cultores neceſſe eſt.
Primò aſſueſcant vel in ipſo limine rebus ſub-
miſſis, ac humilibus rotundè pronuntiandis.
Secundò theatrales nænias uti legitimæ pro-
nuntiationis mutilantes Novereas declinent;
nil viro oratore ſcenicis hiſce modulis indi-
gnius. Tertiò huic ſtudio enixè incumbant,
ut eorum, quæ narrantur, verum ſenſum me-
dullitùs percipiant, & ſubinde vernacula reci-
tent lingua, quæ latinitate donata, narranda
ſunt coram ſapientum conſeſſu; nervoſiùs, &
minus affectatè prodeunt, quæ ab oratore ap-
primè percipiuntur; tunc innoteſcit oratori
quid ſubmiſsè, quid leniter, quid feſtivè, quid
concitatè, quid ſedatè pronuntiandum ſit.
Quartò proderit eximios viros adire, eorúm-
que attentiùs intereſſe concionibus, ac ſedulò
obſervare, quæ frequentiori populo magis ar-
rident, quæ blandiùs aures mulcent, quæ ju-
cundè, quæ concitatè, quæ leniter, quæ al-
tè, quæ ſubmiſsè pronuntiantur, eáque pro
viribus imitari. 11

Caveat tamen orator, ne ut abſonum
declinet cantum in exilem incidat pronuntia-
tionis ſiccitatem rudis plebeculæ quotidiano ſi-
millimam ſermoni, quam redarguit Quintilia-
nus ut à decore, ac gravitate orationis pror-
ſus alienam: debet oratoris actio aliquid
continere ſplendoris, quo magis eniteant, quæ
narrantur: hæc ſi negligatur actionis cultura
neceſſe eſt deflorescat eloquentia, & vis ipſa in-
fringatur orationis; cum eloquentia, vel maxi-
mè decore delectetur & gravitate, hiſce non
erit actio deſtituenda: eſt enim quædam corpo-
ris eloquentia, quæ vultu, oculis, manibus ab-
dita animi ſenſa manifeſtat. 12

Alia notantur pronuntiationis vitia o-
mnino declinanda ab oratore: ſúntque coccyſ-
mus, Branchus, ſuſpiria, blæſæ nares. Eſt
Coccyſmus vox elata nimis, quæ ſupra vires
violenti quodam conatu urgetur, quâ ratione
ſuffocata, obſcura, plerumque prodit. Bran-
chus eſt protracta, plena ac clara vox, non ta-
men firmæ intenſionis, & ideo tremula, mi-
núsve auribus grata. Suſpiria vocantur voces
illæ, quæ cum ſtridore per raritatem dentium
prodeunt: ex ſuſpirioſis oratoribus, quidam
ſunt, qui frequenti anhelitu, & introrſum e-
tiam clarè ſonante jumenta imitantur gravi o-
nere laborantia; ſubinde hæc ſuſpiria ſtudiò
affectant oratores, ut videantur rerum copia
urgeri, rati uberiorem ſe poſſe promereri plau-
ſum. Bleſæ nares dicuntur cum orator majo-

rem

tem ſpiritûs partem per nares emittit; quod vitium cenſetur cæteris turpius.

13 Cæterum vocis modum ipſa neceſſitas qualibet arte exactiùs definiet; ſcilicet loci amplitudo, Auditorum conſtipata frequentia, oratoris latera, & pectus. Licèt edoceant hujus inſtituti Præceptores, exordium ſedatiùs pronunciandum, ne lædantur arteriæ: attamen adeo demiſsè exordiri, ut ab Auditorum corona vix audiatur id vitio vertitur oratori. Sit igitur vox demiſſior, ſed clara, ac diſtincta, quæ nullam Adſtantibus moleſtiam ingerat. In narratione fluat plenior; in contentione intendatur vehementior in rebus amplificandis pro motuum varietate ſit flexibilis, & prout res poſtulaverit mox ſubmiſſa, & lenis, mox gravis, & ſedata, nunc aſpera, nunc concitatior; nunc hilaris, & blanda. Clamorem inter dicendum nimium, & im̃oderatum, violentam vocis elationem opus eſt declinet orator, uti *boare, latrare*, & ut vulgò dicitur *columnas rumpere*. Sit vox perennis, non præceps: ſiquidem torrentes ex pluvijs aquis aggeratim intumeſcentes, quia præcipites dilabuntur agros non oblimant, ſed evertunt. Tullius, Demoſthenes oratorum principes gradarij fuêre, non curſores, nec veredarij. Hocce ruentium verborum impetu enervantur affectus, ac eruditæ obruuntur aures. Nimia itidem tarditas tædium parit, & verba qui vellitant ſomnum conciliant, non attentionem ſibi, & benevolentiam captant: ſcitè, ac jocosè Auguſtinus eos oratores qui *tractim* dicerent *ingenium* ajebat *in numerato habere*.

14 Pleraque ſolent adijci cavenda, eò quia vocem lædant, hujusmodi ſunt, quæ pectus, fauces, & ſtomachum malè afficiunt, recenſenturque humor ſerotinus, intempeſtiva ſtatim à cibo declamatio, antelucanum ſtudium, nocturnæ vigiliæ, immoderata contentio, frigidioris aëris afflatus, cùm incaluerit orator. È converſo voci proſunt, quæ ſtomachum corroborant, ut pruna dulcia, cremor hordei, ova ſorbilia, nux condita, ciborum digeſtio, & alia id genus.

15 Corporis actio ab eloquentiæ profeſſoribus perpolienda eſt, ne quidquam affectetur quod oratorio adverſetur decori. Sunt qui actionem nimis mollem ſtudiosè conteſtantur, quâ plurimùm itidem officitur gravitati: monet Quintilianus, actionem non eſſe delicijs molliendam, ne ſuo deſtituatur robore, ſed naturaliter ſine affectatione rebus narrandis accommodandam. Non tamen nimis mollem, approbat; nec eam, quæ rudis, & incompta ſine cultura prodit, prout quisque animo tulerit: eſt enim ab arte temperata quædam cultura capienda, quâ actio plurimum habeat decoris, ac blandè Adſtantes alliciat: immodicus cultus eſt, qui in actione redarguitur, non verò moderatus, qui decorem invehit, & rebus narrandis congruit. Alij ſunt, qui ſupra meritum actuoſi riſum potiùs movent: hi ſunt qui vultûs torvitate, clamoſis faucibus, vocis ululatu, pedum ſupploſionibus, brachiorum remigationibus, & totius corporis intemperata quadam jactatione non ſecus perorant, ac in conflictu pugnent milites: non ex voce, ait Demoſthenes, neque ex corporis agitatione dignoſcuntur oratores, ſed ex mente; hinc Tullius clamoſos iſtos, ut ipſe loquitur, latratores claudis æquiparat, quia ſicut hi ad equum imbecillitatis ſuæ perfugium; ita illi ad clariorem propriæ ignorantiæ præſidium confugiunt: Tametſi vox firma, & corporis motus plurimum valeant ad flectendos animos, providendum tamen eſt, ne nimia contentione auribus, oculisque Adſtantium officiant. Immodica vocis contentione peccavit Carneades Stoicus, quem cum gymnaſiarcus quidam monuerit, ut vocem attemperaret acutam reſpondit; da mihi tu vocis modum: cui gymnaſiarcus: do eum, qui tecum ſermocinatur. Nimia actionis vehementia ferebatur Quintus Naterius, quem ſufflaminandum Auguſtus Imperator dictitabat: is famulum à tergo habuit, qui herum ardore eloquentiæ vehementius percurrentem, tactu veſtis moneret, ut ad deſideratam revocaret moderationem. Quis inſolentem corporis jactationem commendaret? quis eum laudaret oratorem qui perpetuis manibus ſuggeſtum tereret? qui pede tertiò quoque verbo ſolum quateret? qui digitis capillos velleret, qui ungue frontis cutem dilaceraret? hæc ſiquidem gravitati, ac decori plurimum officiunt: quæ ſine contentionis vehementia voce exprimuntur moderata plus obtinent roboris ad alliciendum, plusque firmitatis ad perſuadendum, videntur enim è mentis mallacia veluti ex oraculo fluere. 16

Plerique tamen ut vitium alterum declinent, in aliud incidunt turpius: adeo miſerè, adeo frigidè perorant, ut, ubi iraſci, tonare, fulgurare oporteret non magis moventur, quàm marmoreæ ſtatuæ, quæ vivere mentiuntur, nec plus exardeſcunt, quàm gallinæ, ut vulgò ajunt, madidæ; ſic incidunt in ſcyllam dum charibdim vitare nituntur. Oratoris actio rebus narrandis accommodanda eſt, eáque donanda moderatione, ut nihil quod indecorum ſit, ac incomptum poſſit redargui: certè moderatus in actione non fuit Manlius Sura, quem cum Domitius Afer multũ in agendo diſcurſantem, ſe moventem, manus jactantem vidiſſet, & etiam togam deijcientem, non agere dixit, ſed ſatagere, ſeu incaſſum conari. Errant igitur qui putant non dedecere oratorem ſacrum Comicorum imitari geſtus, uti manuum remigationes, cubitos per latus ventilare, dentibus frendere, labra contrahere, mordere, detorquere; hæc ſiquidem & alia id genus plurimum gravitati officiunt oratoris, qui ut loquitur Alcuinus ita debet coram ſapientum conſeſſu perorare ac geſtus corrigere, *ut facies ſit recta, ne labra detorqueantur, ne nares corrugentur, ne ſupinus ſit vultus, ne dejecti in terram oculi, ne inclinata ſit cervix, ne elata aut depreſſa ſint ſupercilia, ne oculi ſint torpentes, vividi, laſcivi, aut natantes, & quadam voluptate ſuffuſi, aut poſcentes aliquid: deinde pectus, & ventrem porrigere indecorum eſt.*

Cæ

17 Caveat itidem orator à nimia geſtuum frequentia, puerile ſiquidem eſt, ac indecorum imò Auditoribus moleſtiſſimum verbis ſingulis motum corporis, vultûs, & manûs adijcere, omniáque ſtudioſè exprimere geſtu; uti ſunt qui ſi de citharedo loquantur digitos ſtatim agitant inſtar percutientis nervos; ſi de tibicine ambas manos ad os admovent in modum tubæ; ſi de pugna brachia, vultum, pectus, cæteráque corporis membra ita concitant, ac ſi adeſſet hoſtis, quem confodere niterentur: hæc affectatam nimis ſapiunt imitationem, & gravitati prorſus adverſantur: tametſi plurimùm in oratore obtineant commendationis affectus, rerúmque per geſtus expreſſiones; nunquam tamen hi motus adeo debent eſſe immoderati, ut extra ſe exilire videantur oratores.

PROLEGOMENUM XXXIV.

De Geſtu Oratorio.

1 DEcet virum oratorem per geſtus moderatos, & graves exhibere, quæ narrantur, plurimùm ſiquidem obtinent geſtus dignitatis; ſi non fuerint immodici, neque quàm par ſit frequentiores, ſed rebus narrandis apprimè accommodati: quemadmodum verba, ita & geſtus animum concitant; ſolet enim geſtus dici loquax quoddam ſilentium, & Caſſiodorus vocat *Orcheſtrarum loquaciſſimas manus, linguatos digitos, ſilentium clamoſum*, eò quia per geſtus, per manus orator abdita exprimit animi ſenſa; non ſecus, ac ſi per vocem ea manifeſtaret. Sin autem geſtus fuerit plus æquo frequentior, ac incompoſitus nihil obtinet decoris, & aptior eſt ad riſum movendum; quâ ratione frequentem in utrámque partem nutationem irriſit in Curione patre Junius, quærens, quis in lintre loqueretur. Abſtineat orator ab omni immodica corporis agitatione ne quidquam promat, quod gravitati officiat, ac decori adverſetur: geſtus ideneos rebus manifeſtandis deſcribat: quippe ut loquitur Quintilianus *lib. 11. Inſtitut. cap. 3.* Non manus ſolùm, ſed nutus etiam declarat noſtram voluntatem, & in mutis pro ſermone ſunt; & ſalutatio frequenter ſine voce intelligitur, atque afficit, & ex ingreſſo, vultúque perſpicitur habitus animorum; & animalium quoque ſermone carentium ira, lætitia, adulatio, ex oculis, & quibusdam alijs corporis ſignis deprehenditur. Nec mirum ſi iſta, quæ tamen in aliquo ſunt poſita motu, tantùm in animis valeant, cùm pictura tacens, & ſine motu, abſque nutu ſic intimos penetret affectus, ut ipſam vim dicendi nonnunquam ſuperare videatur. Contra ſi geſtus, ac vultus ab oratione diſſentiant, triſtia dicamus hilares, affirmemus aliqua rennentes, non auctoritas modò verbis, ſed etiam fides deeſt. Præcipuum verò in actione, ſicut in corpore ipſo, caput eſt, quod componitur ad oratoris decorem, ſi ſit rectum, & ſecundùm naturam: nam ex dejecto capite humilitas, ſupino arrogantia, in latus inclinato languor, & præduro, ac rigente babaries quædam mentis oſtenditur.

2 Tum ſeligat aptos ex ipſa actione motus, ut cum geſtu concordet, & manibus, ac lateribus obſequatur. Aſpectus eò vertitur, quò geſtus; exceptis, quæ aut damnare, aut non concedere, aut à nobis removeri volumus: ut idem vultu videantur averſari, & manu repellere. Componendus eſt vultus; hoc ſupplices, hoc minaces, hoc blandi, hoc triſtes, hoc hilares, hoc erecti, hoc ſubmiſſi ſumus, ait Quintil. *l. 11. c. 3.* vultum obſervant homines, hunc intuentur, hunc ſpectant, etiam antequam dicamus. Hic eſt ſæpe pro omnibus verbis. Itaque in ijs, quæ ad Scenam componuntur, fabulis, actores pronuntiandi à perſonis quoque affectus mutuantur: adeò ut Niobe in tragœdia triſtis, atrox Medea, attonitus Ajax, truculentus Hercules. In comœdijs verò præter aliam obſervationem, quâ ſervi, lenones, paraſiti, ruſtici, milites, vetulæ, meretriculæ, ancillæ, ſenes auſteri, ac mites, juvenes ſeveri & luxurioſi, matronæ, & puellæ inter ſe diſcernuntur. Sed in ipſo vultu plurimum valent oculi, per quos maximè animos emanat, ut citra motum quoque ex hilaritate eniteſcant, ex triſtitia quoddam nobilum ducant. Quin etiam lachrymas his natura mentis indices dedit: quæ aut erumpunt dolore, aut lætitia manant.

Fiunt etiam intenſi, remiſſi, ſuperbi, 3
torvi, mites, aſperi: quæ ut actus popoſcerit, finguntur. Multum & ſupercilijs agitur: nam & oculos formant aliquatenus, & fronti imperant. His contrahitur, attollitur, demittitur: & una res in ea plus valeat, ſanguis ille, qui mentis habitu movetur, & cum infirma verecundia cutem accipit, effunditur in ruborem: cum metu refugit, abit omnis, & pallore frigeſcit: temperatus medium quoddam ſerenum efficit. Vitium in ſupercilijs ſi aut immota ſint omninò, aut nimium mobilla, aut inæqualitate diſſident, aut contra id quod dicimus, finguntur. Ira enim contractis, triſtitia deductis, hilaritas remiſſis oſtenditur. Annuendi quoque, & rennendi ratione demittuntur, aut allevantur. Naribus, labiíſque non fere quiſquam decenter oſtendimus; tametſi deriſus, contemptus, faſtidium ſignificari ſolet. Nam & corrugare nares (ut Horatius ait) & inflare, & movere, & digito inquietare, & impulſu ſubito ſpiritum excutere, & diducere ſæpius, & plana manu reſupinare, indecorum eſt. Manus verò, ſine quibus trunca eſſet actio, ac debilis vix dici poteſt, quot motus habeant, cum pene ipſam verborum copiam proſequantur. Nam cæteræ partes loquentem adjuvant; hæ (prope eſt, ut dicam) ipſæ loquuntur. An non his poſcimus? pollicemur? vocamus? dimittimus? minamur, interrogamus? negamus? gaudium, triſtitiam; dubitationem, confeſſionem, pœnitentiam, modum, copiam, numerum, tempus, oſtendimus? Non eadem

dem concitant? ſupplicant? inhibent? probant; admirantur? verecundantur? Non in demonſtrandis locis, atque perſonis, adverbiorum, atque pronominum obtinent vicem? ut in tanta per omnes gentes, nationéſque linguæ diverſitate, hic mihi omnium hominum communis ſermo videatur. Et ij quidem, de quibus locutus ſum, cum ipſis vocibus naturaliter exeunt geſtus: alij ſunt, qui imitatione ſignificant: ut ſi ægrum tentantis venas medici ſimilitudine, aut eithrarœdum formatis admodum percutientis nervos manibus oſtendas, quod eſt genus quàm longiſſimè in actione fugiendum. Abeſſe enim plurimum à ſaltatore debet orator, ut ſit geſtus ad ſenſus magis, quàm ad verba accommodatus, quod etiam hiſtrionibus pauló gravioribus facere moris fuit. Ergo ut ad ſe manum referre, cum de ſe ipſo loquatur, & in eum, quem demonſtret, intendere, & aliqua his ſimilia permiſerim: ita non effingere ſtatus quosdam, & quicquid dieet, oſtendere. Neque id manibus ſolùm, ſed in omni geſtu, ac vóce ſervandum eſt. Non enim aut in illa perjodo *ſtetit Soleatus Prætor populi Romani*, inclinatio incumbentis in mulierculam Verris effingenda eſt: aut in illa: *cædebatur in medio foro Meſſanæ*: motus laterum, qualis eſſe ad verbera ſolet, torquendus: aut vox qualis dolore exprimitur, eruenda. Proſequitur Quintilianus *cap. 3. lib. 11.* & toram exactiſſimè expendit geſtuum œconomiam. Hoc unum duntaxat oratorem monuerim, ut à nimia abſtineat geſtuum frequentia, nullúmque promat corporis motum, qui gravitati videatur adverſari, aut mollitiem redolere muliebrem, aut modum agreſtem, ruſticanum, abſonum, abſurdum, quæ ſingula virum dedecent ad eloquentiæ decora natum. Qui plura de geſtuum concinnitate, ac proportione deſiderant, legant eruditiſſimum librum Ludovici Creſolij, qui totam oratoriæ actionis inſtitutionem accuratè proſequutus eſt.

4 Superſunt duntaxat nonnulla ad uberiorem eruditionem adjicienda, quæ varias produnt geſtuum ſignificationes. Caput demittere mœſtitiam, luctúmque, ac compreſſi cordis mœrorem indicat: hanc fingunt demiſſionem quotquot deprecandæ divinæ iræ cauſa ad luctum, & ſqualorem ſe abjiciunt, qua ratione S. Remigius Clodoveo Francorum regi, quem ad Chriſtianam hortabatur demiſſionem, dixit: *Mitis depone colla Sicamber.* Caput attollere ſuperbientis eſt, & perſæpe arrogantiæ nota, & Nonnus *Dionyſiacon 19.* ut ſuperbientem exprimeret: *Ferocem* inquit, *cervicem erigit.* Caput in pectus parumper flectere annuentis eſt: ruentis verò in gyrum modicè torquere. Caput erectum ovationis eſt nota. Frons rugis criſpata cogitabundi animi cenſetur eharacter: dura ad perfidiam, impudentiámque refertur. Oculi, qui referente Damaſcio in vita Iſidori, ſunt accurata quædam animi ſimulachra, ſi in ſublime eleventur, arrogantiam indicant; ſi demittantur humilitatem, aut verecundiam; in cœlum intenti animum produnt ſuppetias à DEO poſcentem ut apud Virgilium *Ænead. 2. Ad cælum tendens ardentia lumina fruſtra*: oculi averſi faſtidientis, aut negligentis animi ſunt notæ. Apud Virgilium Didonis umbra Æneam reſpuens: *Illa ſolo fixos oculos averſa tenebat.*

Nictantes depravatos indicant mores, cogitationéſque noxias: lachrymis deficientes compreſſi cordis intentiorem dolorem; clauſi meditantem animum; fixi attendentem produnt. Narium latitudo lenitatis eſt nota: nares verò fumo incenſæ iram graviſſimam arguunt, animúmque ultionis cupidum juxta illud Job. *Aſcendit fumus de naribus ejus, & ignis ex ore ejus vorabit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo: & gloria narium ejus terror.* Os manu obſtruere vehementiſſimi eſt nota doloris. Plerumque eos indicat, qui veritate redargui pudefacti obmuteſcunt. Apud Ethuicos referente Apulejo *lib. 4. Met.* Adorantium fuerat ſignum. Labia contrahere, oculiſque innuere irridentis malevoli eſt, uti labia retorquere, mordere, ut innuitur *lib. proverb. cap. 16. 30. qui attonitis oculis cogitat prava mordens labia ſua perficit malum.* Linguam ſibi mordere impatientis, ac iraſcentis eſt animi. 5

Dentes diductis labijs oſtendere inſultantium habetur nota: dentibus ſtridere indignantem hominem prodit. Faciem avertere eſt renuentis, & averſantis habitus: è converſo faciem convertere annuentis, ac præſtantis operam. Faciem demittere eorum eſt; quos conſcientia accuſat *Æneid. 3. Dejecit vultum, & demiſſa voce locuta eſt.* Adorantium Deum, ac ejus majeſtatem trementium eſt etiam indicium. Vultus ut loquitur Quintilianus *lib. 11. Inſtit. cap. 3.* plurium eſt index affectuum; ſiquidem vultu ſupplices, minaces, blandi, triſtes, hilares, erecti, ſubmiſſi ſumus. Vultus, ſi pallidus fuerit timorem prodit, ſi obſcurus animi turbationem; ſi accenſus conceptam indignationem. 6

Brachium elevatum facultatem indicat ad rem gerendam, vel Authoritatem in cæteros exercendam: è converſo brachium contrahere, vel cohibere pudoris eſt character; manus ori admota ſilentium denotat, quo pacto vel pictum, vel ſculptum exhibetur Harpocrati ſimulachrum apud Ægyptios: manum deoſculari cultum ſignificat Job. 31. *Et oſculatus ſum manum meam ore meo.* Manum dare ſignum eſt vel inſtituendi, vel firmandi fœderis. Dextram dextræ adnectere ſymbolum mutui amoris: Manum alterius apprehendere admonentis, vel hortantis: manum porrigere auxilium, opémque præſtantis: ambas manus in cœlum elevare profitentis anguſtias, & Orantis Deum. *Virg. 4. Æneid.* 7

Dicitur ante aras, media inter Numina Divûm,
Multa Jovem manibus ſupplex oráſſe ſupinis.

Manus limphâ abſtergere innocentiam prodit: manibus plaudere irridentium eſt, ac inſultantium; ſubinde gratulantium: manu frontem concutere mœrentium. Digitum ori admovere apud Juvenalem Silentium judicat, *digito compeſce labellum.* Pede ſolum quatere inſultantis eſt.

Extat libellus Ariæ Montani, qui Hieremias inſcribitur de geſtu, & actione, varias expendit geſtuum ſignificationes, qui plura deſiderat, ipſum conſular, plura exibet curioſa, ac ſcitu digna, mihi ſufficit præexpenſâ delibâſſe. g

LIBER II.

De Inventione, ejúsque Locis communibus.

FAlluntur quotquot Eloquentiæ negotium ſolertis duntaxat ingenij viribus opinantur inniti, & eos neutiquam Rhetoricæ præſidio indigere, quibus natura ingenij felicitatem, animíque præſtantiam ſuppeditavit. Libenter conceſſero eam verborum redundantiam, incultæque orationis affluentiam, quæ in primis, ut ajunt, labijs ſponte nata ex-tempore præcipiti linguâ extra dentium ſepta ejicitur oratoriæ facultatis haud multùm indigere præceptionibus: num verò prærupta hæc, ac indigeſta fandi ratio vegetæ mereatur Eloquentiæ nomenclaturam, non facilè dijudicarem; cum non me lateat, id genus Andabatarum imitatores quovis deſtitutos artis præſidio, & coruſcamine dum cæco impetu perorant in frequentes impingere lapſus, ac tumultuario blaterantis linguæ ſtrepitu aëra in caſſum perſæpe diverberare, non ſine eruditorum nauſea. Novi ab oratoria abhorrentibus inſtitutione unum ex ſexcentis mihi objici Leontium Gorgiam, cujus ea fuit perorandi ubertas, ut de re qualibet obiter nata temporario ſtylo effari diſertè potuerit, vel ad allicientis elocutionis lepores, ſi rei enarrandæ amænitas id exigeret; vel ad vegetioris eloquentiæ vires ſi negotij gravioris expoſtularet ratio. Verùm quotquot inficias eunt, oratorem hunc diſſertiſſimum nullo fuiſſe artis ſubſidio inſtructum, eos dixerim in enormen impegiſſe errorem, cum abundè liqueat omnibus, Gorgiam plurimum impendiſſe laboris, multúmque ſtudij in perdiſcendis, exercendíſque oratoriæ facultatis præceptionibus. Quid ſi dedero unum vel alterum ſubinde ſine artis præſidio appoſitè dixiſſe? num in promptu eſt, ut adſtruam poſſe hoc idem omnes præſtare, quoties perorandi contingit occaſio? abſit: ſi quis ita arbitretur, perinde mihi delirare videtur, ac ſi quis pictor feroꝛcientis equi ſpumam, vel anhelantis canis expreſſurus frontem ſpongiam vivido imbutam colore ſubjectæ tabelæ impingeret, & inde fore ſperaret, ut caſus hoc idem eleganter delinearet, quod ipſe picto-

pictoria deſtitutus inſtitutione pingere non valeret, uti contigiſſe ferunt Protogeni, & Healco, quorum ille canem, iſte equum ſimili caſu expreſſerat. Orator non naſcitur, ſed fit, & quidem labore improbo; ac ſtudio. Quòd ſi cæteræ etiam abjectiſſimæ notæ facultates ſuis non carent præceptionibus, quibus tirones erudiant; eò potiori jure debebantur Eloquentiæ præcepta, queis hujus facultatis informarentur ſtudioſi, ne proprijs vitijs perpetuò cæcutirent. Principes igitur eloquentiæ fontes uberrimam oratori ſuppeditantes dicendorum ſupellectilem ſubjiciam, exemplis colluſtrabo, ut ſint captu faciliora, quæ pleriſque fortaſſis viderentur tricis obvoluta.

EXPENSIO I.

De Locis communibus generatim ſumptis.

1 QUanti ſint momenti inventionis fontes, ex eo deprehenditur facilè, quia ſicut ſine militum delectu perperam ſtrategus hoſti minitanti bellum indiceret; ita orator communium locorum deſtitutus præſidio in caſſum pugnantis Minervæ aggreditur arenam, ut partâ victoriâ epinicion occinat: idque animadvertens eruditus Anonymus eleganti ſimilitudine à rebus accerſita militaribus, ita Eloquentiæ partes donat explicatu, ut ſcitè inventionem, ſeu communes Eloquentiæ fontes cum militum delectu conferat; Diſpoſitionem militiæ diſtributis ordinibus æquiparet; Elocutionem armis, ſecuribus, bipennibus, galeis, thoracibus, ferreis maculis, catapultis, jaculis miſſilibus, bullis, ſclopis, armillis, vexillis, & alijs id genus inſtrumentis bellicis; memoriam vallis, munitionibus, propugnaculis, quibus res inventæ, ac diſpoſitæ veluti ſepiuntur; & tandem pronunciationem, ceu actionem oratoriam eruptioni, aſſultui, quo miles in hoſtem irruit.

2 Definiri ſolet inventio cum Cicerone *1. Rhet. cap. 2.* *Rerum verarum, aut veriſimilium excogitatio, quæ cauſam probabilem reddant*, ceu quæ accommodatæ cenſeantur ad id evincendum, quod alteri perſuadere nitimur. Non tamen eum oratorem culmina attigiſſe eloquentiæ putes, qui ab hiſce inventionis fontibus uberem exhaurit dicendi materiem, & argumenta eruit, quæ ſtatim depromat; oportet, oratorem primùm accuratam habere tractandæ quæſtionis cognitionem; adeò ut nullum ei connexum adjunctum, nulla circumſtantia non penitus perſpecta ſit; qui perfunctoriè duntaxat, & veluti in extimo cortice agendæ cauſæ rationem delibat, neceſſe eſt, plura prætereat, eáque perſæpe illuſtriora, ac majoris ponderis, quâ in re falluntur, qui nihil penſi habentes, quid propoſita quæſtio ferat, totum impendunt ſtudium in coacervanda ſegete eruditionum, amplificationum, vel etiam futilium deſcriptiuncularum, quibus loquentes temerè potiùs dicas, quàm eloquentes; cum nihil minus quàm rem propoſitam attingant. Maximum ſanè eſt vitium, res varias, eáſque diſcrepantes unà commiſcere.

3 Errant etiam, qui ut eruditiores, aut prolixiores habeantur, longos amant verborum circuitus, *res*, uti vulgò ajunt, *citant ab ovo usque ad mala*: ſingula, quæ in libris volvendis congeſſerant ad tædium usque, ac nauſeam adferunt, quaſi piaculum foret eorum aliquid præterire, vel alteram ex crebris illis digreſſionibus miſſam facere, quæ eruditas dilacerant aures. *Non quod magnum eſt, bene eſt*, inquit Demoſthenes, *ſed quod bene eſt, magnum eſt.* Si excellentis cenſetur eſſe artis ſcire opportunè manũ de tabula retrahere; excellẽtis eſt oratoris, ita brevitati ſtudere, ut metuat auditor, ne deſinat orator: valdè inconſultum eſt, ait Seneca, ſua prolixitate efficere, ut indignabunda oratio vetus illud immurmuret effatum, *adige equum ad metam.* Orator igitur, ut ſuo cum laude fungatur munere propoſitum ſibi argumentum enixim ſequatur, nervoſis evincat rationibus, inanes verborum circuitus effugiat, digreſſiones tametſi roſis, lilijs, crebriſque ornatas venuſtatibus declinet, prolixas hiſtoriarum, vel aliarum eruditionum ſeries ad memoriæ duntaxat oſtentationem exhibitas prætereat; ad rem veniat.

4 Maximæ Oratori eſt laudi, ſi argumentum deligat proprijs accommodatum viribus, cum quo non colluctetur. Errant proculdubio, qui macrum, aridúmque ſibi proponunt argumentũ, idq; ſtudiò, ut propriá ingenij commendatam habeant induſtriam: ex ſaxeto quantumvis excolatur ſemper *Arida jejunis ſeges interlucet ariſtis*: Arduum ſiquidem eſt in mini-

minimis maximum eſſe: non cenſetur magnus pumilio, licèt in editiſſimi montis ſteterit faſtigio: è converſo coloſſus ſemper magnus habebitur, tametſi in putei imo detruſus. Falluntur etiam, qui ne argumentum exhibeant exile, vaſtius ſibi proponunt, quàm quod oratione comprehendi poſſit; hi rei probandæ cauſam vix attingunt, & cum plura congerunt vix unum, vel alterum Adſtantibus perſuadent. In argumenti delectu examinet Eloquentiæ candidatus vires ſuas, & quid valeat, ſedulò dignoſcat, dein ipſum non pigeat Rhetorices locos, ſeu communes fontes adire, & veluti oſtiatim ſingulos pulſare, ac ſtipem ab ijsdem petere; uberrimam dicendorum ſegetem hæc eadem loca abundè illi ſuppeditabunt. Quemadmodum Dialectici res ſingulas naturales, quæ venire in diſceptationem queunt, decem comprehendunt categorijs: perinde Rhetores Dialecticos imitati quoſdam communes fontes inſtituerunt, è quibus argumenta, & diſſerendi materiem ad res amplificandas, tum ad quæſtionis cujuslibet probationem, tum confutationem haurirent. Hinc deprehenditur ſtatim quanti ſint hæc loca momenti; etenim ſi argumenta tollat orator, quid aliud depromet, quàm loquentiam puerilem, ſine nervo, abſque ſucco. Parum juvat perpendiſſe quæſtionem tractandam, quale præcipuum ſubjectum, quales circumſtantiæ amplificandæ ſint, niſi validis rationibus, quod intendit, perſuadeat.

5 Loci communes ſunt igitur notæ quædam, ſeu argumentorum ſedes; quorum alij ſunt interni; externi alij: illi diſcutiendæ rei ingrediuntur ſubſtantiam, uti ſunt definitio metaphiyſica genus, differentia: vel phyſica materia, & forma, partium enumeratio, conjugata, proprium, totum, partes: extrinſeci ſunt, qui rei tractandæ adnectuntur, ut ſunt cauſa efficiens, finalis, effecta, notatio, adjuncta, contraria, repugnantia, ſimilia, relata, comparata, antecedentia, conſequentia, interpretatio, proportio, tempus, majora, minora, diſparia, veterum teſtimonia; quæ loca poſſunt in alia ſubdividi: ne tamen nimia prolixitate legenti ſim tædio, pretium operæ duxi præcipuos inventionis fontes rudi metro ſubjicere, ut commodiùs memoriæ concredantur; ſuntque

Materia, Interpres, Proprium, Deſcriptio, Forma,
Finis, Definiens, Efficiens, Species,
Exemplum, Totum; Partes, Majora, Minora.
Diſſimile, effectus, Conjugata, Genus,
Diviſa, Obſiſtens, Tranſumpta, Proportio, Tempus,
Uſus præcurrens, Ortus, & Interitus,
Subjectum, Locus, Objectum, Privata, Relata,
Contradictum, Actus, Diſparia, & ſimile,
Par, Directa, Sequens, Comitans, Contraria, Adhærens,
Humanus teſtis, Doctáque dicta Dei.

6 Hæ ſunt principes inventionis ſedes, è quibus orator ad cujuslibet quæſtionis tractationem uberrima poteſt argumenta depromere, ac peramplam deſumere amplificationum ſegetem. Utatur tamen orator in horum delectu fontium prudentiâ, nam ut monet Cicero *In oratore* non ſemper ab omnibus, ac ſingulis ſunt argumenta depromenda, quæ ingerantur: debet ea deligere loca, quæ magis ad rem evincendam viſa fuerint accommodata, alioquin ea ſubinde exhibebit argumenta, quæ plus adverſario, quàm ſibi erunt profutura; vel miſſis validioribus, ijs inhærebit, quæ parum ad rem promovendam obtinebunt dignitatis, & quæ ſatiùs fuiſſet præterire, quàm inani labore ſimul congeſſiſſe. Prolixas itidem amplificationum redundantias, quæ ſolos exhibent verborum circuitus omnino declinet: ſicut nil ineptius, ac moleſtius eſt auditori, quàm redundanti verborum flumine ſine ſalis guttula detineri quod de Anaximene Theocritus olim ferebat: neque enim id eſt eloquentiæ, ſed humidæ cujuſdam, ac lapſantis, uti Gellius loquitur, garrulitatis: ita paucis multa dicere & quæ aptiora fuerint deligere ſummæ
datur oratori laudi. 7

Plurimum refert dicendorum materiam ex pellucidis inventionum fontibus haurire; ne inops unquam habeatur orator. Ad id proderit ſi orator materiam totam prout occurrit mixtim congeſſerit, etiam exordium, epilogum, ſententias, argumenta, rationes, acumina, & quidquid ad concionis ſtructuram viſum fuerit pertinere. Eum neceſſe eſt orator imitetur, qui domum ædificare cogitat; priùs materiem omnem educendæ domûs arenam, gypſum, calcem, lateres, ſaxa, tegulas, trabes, aſſeres, clavos; & alia id genus in unum convehit locum; deinde hæc omnia partitur, ſegregat, componit ac ædificat domum juxta ideam, quam ſibi præfiniverat. Ita facet orator totam futuræ conſtruendæ concionis inventam materiam in aliqua ſeparata charta congerat, in qua certis notis, ac numeris ſibi ordinem præfiniat; ſtatuátque hoc primo, iſtud ſecundo, illud tertio, vel quarto loco ordinatim collocare. Ubi verò omnia fuerint ordinatè notata, quæ ad futuram pertinent orationem; debet orator iterum omnia in pura charta reſcribere incipiendo ab exordio; adeout quæ antea in unum cumulum conjecerat; ordinatè, ac diſtinctè diſtribuat, immutet, perpoliat, ac perficiat; neque omnia prænotata ſubinde quadrant ſtructuræ concionis, vel orationis; hinc plura facilè occurrent immutanda, alia omittenda; hoc pacto, quod in prima ſcriptione confuſa atque indigeſta moles fuit; in ſecunda ordinatum incipit eſſe ædificium. Imò conſultiùs eſt iteratò, & tertiò pulchro charactere eandem reſcribere orationem, magisq; perpolire; per hanc enim iteratam ſcriptionem plura emendantur, & altiùs imprimitur oratio memoriæ, præſertim ſi recta fuerit diviſione congeſta; quia ut vulgò dicitur: ſi bene diviſeris medium facti habes: maximo ſunt præſidio, ac ingenti lumini æquè oratori, ac auditori ordo, & digeſtio rerum; quòd ſi Poëta Venuſinus monet.

Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ
Verbáque prævíſam rem non invita ſequentur

liceat etiam dicere. *Verbáque diviſam rem non invita ſequentur.* Præeuntem rerum partitionem facilis earundem ſequitur apprehenſio: hinc potior artificis laus rerum eſt erudita diſcretio, prout partes poſtulant opificij; ex quibus totius harmonica conſurgat ſtructura.

8 Debent tamen ſingula ad ſenſum, captúmque Auditorum ſe ſe attemperare; ſi enim nimia ſubtilitate captum exceſſerint Adſtantium, ægrè hi erunt oratorem audituri: hinc qui è ſuggeſto pro concione dicunt ad populum rudem; per proſopopœjas, dialogiſmos hypotypoſes, ac ſimilitudines res explicent; hac induſtria ita res exprimuntur, ut cerni potius videantur, quàm audiri, quod rudes vel maximè allicit. Nervoſæ ſcripturarum ſententiæ librato earundem ſenſu non abſre cenſetur ſi iteratò repetantur, ut exactiùs percipiantur, firmiúſque hæreant memoriæ.

EXPENSIO II.

Locus à materia expenſus.

1 TAmetſi cauſarum præſtantiſſima communi Sapientum omnium ſuffragio ſit prima efficiens, ſeu mens æterna omnem continens pulchritudinis ſpeciem, totámque perfectionum plenitudinem, nulli obnoxiam defectui, à qua quidquid pulchri, ac perfecti relucet in creaturis dependet, & à qua cauſæ ſecundæ fluunt, quas philoſophi in quatuor diſtribuunt genera, id eſt in materiam, formam, efficientem, finem; & ex hiſce, cauſa materialis ſit cæteris deterior; nihilominus placuit communium locorum expenſiones exordiri à materia, cum ſit ſenſibus notior, ac cognitu facilior, quâ ratione Ariſtoteles eam formæ præmittit, donátque explicatu priusquam cætera aggrediatur cauſarum genera.

2 Materia propriè eſt cauſa intrinſeca eſſentialis compoſiti materialis, definitúrque à Philoſopho *ex qua aliquid fit cum inſit. 1. Phyſic. tex 80.* Bipartitur in primam, & ſecundam, illa eſt primum ſubjectum ingenerabile, incorruptibila cujusvis formæ ſubſtantialis, & quia compoſitum ſuam haurit à forma pulchritudinem, ac æſtimabilitatem, ideo Syneſius *hymno primo,* hanc materiam vocat *mundi fæcem*, Democritus *obſcurum puteum.* Plotinus *Protheum Homericum,* eò quia una ſemper ac eadem diverſas dietim formas induat in omnibus ſemper informis; alij eam non incongruè nominârunt *eſſentiæ primæ inanem umbram* eò quòd in rerum natura nil ſit Deo diſſimilius.

3 Materia ſecunda eſt omne id cadens ſub ſenſum, ex quo vel ſabrefactū, vel quid aliud cadens ſub exteriores ſenſus dicitur conſtare, quo pacto tres lineæ dicuntur materia trianguli, tres propoſitiones materia ſyllogiſmi, literæ materia dicuntur ſyllabarum, ſyllabæ verborum, & verba orationis. Circa materiam hanc ſecundam verſantur artes ſingulæ: ut aurifabri materia dicitur aurum, argentúmve, ex quo annulos, monilia, armillas, candelabra, & alia id genus fabricat: Sartoris materia eſt pannus, holoſericum; Sutoris corium. Subdividitur hujusmodi materia in remotam, & proximam; ratione domûs conſtruendæ materia remota dicitur ſylva; proxima ſunt ligna jam reciſa, ac dedolata ſtructuræ domûs proximè inſervientia.

4 Materia hæc ſecunda, quæ ad noſtrum facit inſtitutum, adhuc tripartitur in materiam *ex qua, in qua, circa quam*, materia *ex qua* alia eſt permanens, alia tranſiens, illa dicitur, quæ manet in artefacto, uti æs in conflata ſtatua. Facilis eſt negotij præſertim in manufactis laudationis, ac amplificationis uberrimam ſegetem ab hac materia ducere. Scimus immania fuiſſe veterum Romanorum ædificia; quæ ſi amplificare velis, perpendas oportet ſingula, ex quibus ingentes illæ conſtabant ſtructiones, ac eadem verborum delectu recenſere. Ex plebecula infimus jam quisque ſibi videbatur, niſi Ægyptio ſaxo in varia picturæ genera diminuto pavimenta texuerit; vel texellata in pleraſque coëgerit figuras; niſi editiſſima tecta eleganti depicta colore, auróque illita erexerit; niſi dilatatos parietes Numidicis cruſtis veſtierit: dixiſſes uni conſtruendæ domui vix totum ſuffecuiſſe orbem, cum ſingulæ eius deſudaverint partes materiem ſuppeditaturæ; variegata advehebantur marmora ex diſſitiſſimis mundi provincijs, ſolo æquabantur editiora montium faſtigia, exenterabantur profundiores terræ tractus jaciendis duntaxat molitionis fundamentis, ut ad cœlum immenſæ amplitudinis aſſurgeret opus, tanquam non ſibi palatium victuris erigerent, ſed & morituris mauſoleum: non abs re Titanium ex genere Romuleos aſſerviſſes proceres, cum aggeſtis montibus in cœlum conarentur irrumpere. Non Ethnici tantùm, ſed & noſtri ævi luxus, nominiſqua poſthumi deſideriom hæc molitionum concipiunt, parturiúntque monſtra, quod inſanabile eſt prædivitum jam ſenio languentium cacoethes: ipſos jam vires relinquunt, curvantur annorum pondere arida corpora, jam potiori ex parte ſepulchri noctem admiſerunt caligantes oculi; & tamen quam venuſtè, quàm ambitioſè per longas annorum ſeries magnificè habitent diu, noctúque ſludent anxij, quaſi novis ædificiorū ſtructionibus canities amoveretur, & ipſa jam ætas fere tota collapſa innovaretur. O miſeram ſenum ſortem! quibus quo minus ſupereſt vitæ, amplior de viatico, & manſione eſt cura.

5 Ab hoc materiæ fonte laudes hauſit Cedrenus, quibus menſam illam toto orbe celeberrimam, & ab Imperatore Juſtiniano divæ Sophiæ dicatam commendavit, *menſam,* inquit, *Juſtinianus Imperator conſtrui juſſit, opus imitatione nullâ æquandum; conſtabat vero auro, argento, omnisque generis lapillis, lignis, metallis, omnibúsque rebus, quas, & terra fert, & mare, & univerſus mundus Ex omni enim materia pretioſiora plura, ex viliore pauciora collegerat, liquatisque his quæ fluunt, ſicca illis immiſerat atque in formam menſæ abſolverat.* Quòd ſi res commendanda

danda ignobilioris fuerit materiæ, & præſtantioris formæ, omiſsâ materiâ formæ commendabit dignitatem, & excellentiam. Illuſtriùs laudaverit hominem à forma, ſeu ſpiritali anima, quæ funeri ſuperſtes donatur immortalitate, ac ſimilitudinem præſefert Conditoris Dei, quàm à corpore interitui, obnoxio. Huc ſpectant deſcriptiones à materia, uti eſt illa Ciceronis in Verrem vaſa deſcribentis, quæ furatus, cum multiplici alia ſupellectile, fuerat. *Non pauca pocula ex auro, quæ ut mos eſt regius, & maximè in Syria, gemmis erant diſtincta clariſſimis. Erat etiam vas vinarium ex una gemma prægrandi, trulla excavata cum manubrio aureo.* Et illa Virgilij *6. Æneid.* Tartarum deſcribentis.

Porta adverſa ingens, ſolidóque adamante columnæ,
Vis ut nulla virûm, non ipſi exſcindere ferro
Cælicolæ valeant, ſtat ferrea turris ad auras.

6 Materia *in qua* eſt ſubiectum formæ cujusvis ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis ſive phyſicæ, ſive moralis: paries eſt materia in qua recipitur albedo; animæ ſubſtantia eſt materia in qua recipiuntur virtutes, quæ ſunt accidentia moralia. Ab hoc loco Hegeſippus in flebili monodia defloratæ Solymæ illacrymatur emortuæ pulchritudini. Ubi es civitas referta populo, venerabilis regibus, acceptabilis Deo, gratiæ ſedes, pavimenta tua conſtructa lydio lapide, parietes tui fulgentes marmore, portæ tuæ micantes auro, aliæ argento nitentes. D. Auguſtinus *cap. 17. manual.* per remotionem moralium accidentium beatitatem commendat. *Quid hac vita beatius, ubi non eſt paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas? ubi nemo læditur, nemo iraſcitur, invidet nemo; cupiditas nulla exardeſcit, nullum ibi deſiderium, nulla honoris, aut poteſtatis pulſat ambitio. Nullus ibi diaboli metus, inſidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul; mors neque corporis, neque animæ: ſed immortalitatis munere vita jucunda. Nulla erunt tunc mala nuſquam diſcordia.*

7 Ab accidentibus & circumſtantijs etiam arguitur quale ſit ſubjectum; quo pacto poſſumus Meſſanæ temperiem amplificare, locique inacceſſam arcem. Plurimâ ſanè gloriâ coronatur Meſſana civitas, in cujus obſequium ſe ſe circinnant in ejus laureato vertice montium gigantea joga, quibus fortiſſimæ, æquè ac munitiſſimæ arces nobile conſtruunt diadema; diceres fulminales machinas cœlo proximiores cœli inſtar fulmina jacere repetitæ explosionis fragore per inflexos, arduóſque tramites, ac decliva rupium ijſdem patet acceſſus; ad montium radices in exporrecta planitie, quã Mamertini freti tumentes fluctus noniſi blandè deoſculantur, commodè jacet Meſſana civitas in colles ſupera ex parte leniter aſſurgens. Conterminus eſt illi Meſſapiæ, ſeu Calabriæ poſtremus ager, à quo per iſthmum anguſtum avulſa Trinacria ab ora diſtinguitur Italiæ. Ex qua parte Meſſana Calabriæ gaudet proſpectu, portum habet jugi mallacia tutiſſimum; hunc ferunt commenta Poëtarum, delapſam è ſummo cœlo Saturni falcem effinxiſſe; non poterat non eſſe tutus portus, quem deorum arma cuſtodiunt, ac tuentur. Saturniæ falcis curvata cuſpis Arce clauditur munitiſſima, quæ in mare exporrecta, tormentisq; bellicis minoribus, ac majoribꝰ Structa, histricémq; imitata, eminus ferit, & cominus: plures in terſo marmore Hiſpanarum aquilæ ſuſpiciuntur ibi ſculptæ, quaſi crederetur arcium ſol, penes quem accedunt aquilæ explicato alarum remigio: vel ſi ibi cenſetur corpus adeſſe, ubi aquilæ congregantur, credatur hæc Arx nervus, viſque tota urbis, portúſque Meſſanenſis; quin imò Meſſanam, ut arx tueatur, ac ſalvet, nomenclaturâ gaudet Salvatoris. Puteus ibi altus frigidos latices ſervat, qui circumacta rota præſidiario militi ſuppeditantur; adeout Acropolim hanc impugnare quidem poſſit hoſtilis audacia, ſed difficulter expugnare. Ad Saturniæ falcis meditullium præcelſa erigitur turris conſtructa lapidibus quadrangulam, acuminatámque imitantibus adamantum figuram, cujus faſtigiũ multiplici ſplendeſcens noctu lumine, quà ſit eundum trajicientibus Mamertinum fretum navibus præſignat; monetq; cavendos Charybdis vortices non procul in navium exitium colludentes, ac ſe ſe exſorbentes. Ex adverſa parte cingitur portus ad fermè milliarium longè porrecto eleganti domorum frontiſpicio ſibi jugiter reſpondente, credáſque unicum eſſe palatium ab imo ad ſummum portum extenſum ad oculos inſpicientium exterorum alliciendos; ac mœrentes Nautarum demulcendos animos. Hùc appellunt ex Hollandia, & Anglia maritimæ claſſes rei mercatoriæ causâ. Si camporum feracitatem, arvorúmque amœna perluſtrem, fateri adigor, vernam ibi temperiem ſuam collocâſſe ſedem: aër noniſi rarò nubibus fœdus adblandientibus zephiris (quibus æſtivus miteſcit calor) ſemper ſerenus placidè dimovetur: pellucidi, ſalubréſque fluunt variis per mæandros grato murmure fontium rivuli. Tellus hic in planitiem modicè porrigitur; illic in excultos Bachicos colles placidè aſſurgit; in vallium imis herbis veſtitur ſponte natis; vel frugiferis plantis locupletem exhibet Pomonam; per virentes agros, ripáſque frondeſcentes agni laſciviunt, dum opiliones cum bubulcis fiſtulas concinnant, carménque accinunt paſtorale, nunc per gramen abjecti, nunc umbratis rupibus inſidendes.

Demum aprici colles, virides ſaltus, opaca nemora jucunda aperiunt rarioris amœnitatis theatra: & ſi ſol ignivomum percorrens in zodiaco leonem flammantes in terras demittit radios, hos efflantes è ſinu maris Etheſiæ opportunè mitigant, æſtúſque blandè temperant. Quod verò exteris magis volupe; non ſolùm opacatis in ſylvis à venatoribus fugientes feræ capiuntur; ſed gratiori ſpectaculo etiam in mari venationes inſtituuntur, inſequunturque piſces, qui licèt gladio obarmati videntur potiùs ludere, quàm pugnare per fluctus. Occupant Scyllæum tractum haud procùl à litore firmatæ anchoris laxæ, ſed non multum aſſurgentes onerariæ naves ſtationem binæ æquali ſervantes intervallo, ex quarum qualibet præ- 8

cel-

celſus in altum protenditur malus, cujus carcheſium hominem recipit Xiphiæ, ſeu piſcis ſpathæ exploratorem; ad cujus inſtituendam venationem ſuis etiam mare ſylvis inſtruitur: ſingulis ex hisce ſtationarijs navibus ſingulæ adhærent ſcaphæ biremes; in quarum proris venatores cum haſta inſident. Cum primùm verò ſpeculator ex mali carcheſio detegit Xiphiam è ſummo mare gladio, vel toto capite eminere, vernaculo vocabulo indicat propriæ ſcaphæ, quæ per fluctus remis acta perniciſſimè volitat obliquè, rectè, ad dextram, ſiniſtram, donec qui haſtam tenet è prorâ ſcaphæ Xiphiam, & ipſe videat, vocéque remiges moneat, ex qua parte ſcapham dirigant; & propiùs accedens ad piſcem ſpatham, uti vulgò vocant, jactu haſtæ vulnus infligit; intérque Scyllam, & Carybdim ſquammoſi populi nobiliores equites mortis patiuntur naufragium. Vidi ipſemet pluries hanc capiendi Xiphiam maritimam venationem in fretu Mamertino non modici animi oblectamento. Eſt Xiphia, ſeu piſcis gladius, aut Spatha, ut vulgò dicitur, corporis craſſitie, pinnis, lateribus, caudáque lunata ſimilis Thumo, à quo differt inſolenti roſtri figura, cutiſque albeſcente colore; & licèt cutis ſit illi tenuiſſima, habet tamen ſub illa latentes ſquamas. Hujus piſcis roſtrum figuram præſefert horribilis mucronis, quo interdum concitato impetu naves perforat.

9 Materia *circa quam* ea dicitur, circa quam actus, vel habitus verſantur, ut materia circa quam voluntatis eſt bonum, intellectûs verum, deſiderij bonum abſens aſſequibile, Delectationis bonum poſſeſſum. Acutè Martialis ab hac ſede illaudata carmina Baſſi Poëtæ carpit, ut non alia luce digna, quàm ignis.

Cholchida quid ſcribis, quid ſcribis amice Thyeſtem?
Quid Tibi vel Niobe, Baſſe vel Andromache?
Materia eſt mihi, crede tuis aptiſſima chartis,
Deucalion, vel ſi non placet hic; Phaëton.

10 Plurimum hæc ſedes obtinet dignitatis, ac roboris ad hortandum, vel dehortandum, ſi materiam ſpectet orator *circa quam* res verſatur: ſic Prudentia vulgò cæteris præfertur virtutibus moralibus, eò quia circa veritatem indagandam occupetur: & Plinius ſcitè avaritiam carpit, eò quia circa fluxibilia, vel terram croceam, aut candidam, cujusmodi ſunt aurum, & argentum verſetur.

EXPENSIO III.

Locus ab Interpretatione expenſus.

1 TAmetſi materiam forma veluti pediſſequa comitetur, ut tamen loca communia eo ordine expendamus, quo carminibus ſuperiùs exhibitis comprehenduntur, Interpretationem donamus hic explicatu. Eſt igitur Interpretatio orationis ornatus, quo alterius mentem, vel effatum pluribus eruditè interpretamur. Celebre omnique commendatione dignum eſt reſponſum Amedei Allobrogici Ducis ad oratores quoſdam curioſè expoſcentes ubi venatici ejus canes alerentur; annuit Dux pientiſſimus, & in pergula è latere regalium ædium juſſit, illis ingentem mendicorum discumbentium oſtendi multitudinem; tunc Princeps, *Hi venatici ſunt mei canes, quos alo*, quod munificentiſſimi principis reſponſum ſidereis exarandum characteribus ad cæterorum principum eruditionem ſic interpretari licet. Noverat Amedeus hujus dilabentis vitæ oblectamenta, quæ venationum inſtitutiones aſſolent Principibus adferre, fluxa, nulliúsque eſſe momenti; ideóque cœleſtes profuſis eleemoſynis venabatur voluptates, nunquam perituras. Audierat Dux in pauperes profuſiſſimus, cœlorum regnum licèt omnibus refertum delicijs vim maximam pati, & nonniſi adhibitâ violentiâ rapi; chriſtianæ militiæ addictus ſacramento in ejus expugnationem aureo uſus ariete, tunc mœnia ſibi adaperuit, cùm mendicas manus erogatis aureis opplevit, & clauſit. Deſinat nunc in aurum oblatrare Cynicus; non ampliùs pallet, quia inſidias timeat, tutum adinvenit aſylum, egenorum manus. Meminerat piiſſimus Princeps, quanto opere commendetur in ſacro codice eleemoſyna, & quisnam ſit, qui dixerat, date eleemoſynam, & ecce, omnia munda ſunt vobis; quas in mortalis vitæ cœno contraxerat labeculas, ut abſtergeret, profuſi auri adhibuit nitores. Intellexerat ſumma pietate Dux aurea Servatoris verba; ſicut lavacro aquæ ſalutaris gehennæ ignis extinguitur, ſic eleemoſyna delictorum flamma ſopitur; hocce ut adimpleret conſilium neminem gemere, neminem miſerijs angi permiſit. Non ignoraverat ſingularem Nazianzeni commendationem: *Nihil tam divinum habet homo, quàm de alijs bene mereri*, ideóque Princeps beneficentiſſimus mœrentium lachrymas collatis beneficijs exſiccavit, & paternâ charitate ſupplevit novercalem Fortunæ inæqualitatem, quâ innatant alij plaudentibus brachijs pleno divitiarum gurgite; areſcunt alij exſiccata palude inopes. Eat nunc Mytridates per ſeptennium extra regiam; extra urbem, & errantibus feris, vel frigido ſub dio inſidias nectat, vel æſtuante ſole innocuis avicuis caſſes occultet: eat Grimoaldus Longobardorum Rex venatorum ſtipatus catervis, ut truculentiores inſequatur belluas, vel per nemorum abdita, vel per exeſos, ac abruptos montium amphractus: eat Diana multis obarmata jaculis per camporum latè, fuséque porrectas planities; eat Hyppolitus Dianæ comes, tela vibret in ferarum exitium: longè nobiliorem inſtituit Amedeus venationem cùm neglectis venaticorum canum turbis, pauperum gregem ad æternæ gloriæ capturam ſibi adſcivit. Diſcant, qui auro divites gloriam quærunt, ſic per hominum miſerias levandas ad felicitatem ſcandere.

Quanti ſit legitima interpretatio momenti, ex eo liquet, quòd effata quæque paucis perſtricta notis laxiſſimam amplificationis aream Eloquentiæ adapetiant candidatis: præclarum 2

clarum eſt illud D. Vincentij Martyris Tyranno inſultantis, cùm exquiſitiſſimis torqueretur cruciatibus. *Inſurge* (ajebat Chriſti Athleta) *& toto malignitatis ſpiritu debacchare, videbis, me divina virtute plus poſſe dum torqueor, quàm poſſis ipſe, qui torques*, quod dignum inclyto Martyre apophtegma per Ethopæjam poſſet orator interpretari. Appara impie, diræ inſtrumenta lanienæ, terrorem hæc mihi haud incutiunt, poterunt quidem corporis pulverem, & hunc aliquando reparabilem excutere, nunquam animum pungere, aut perimere. Vegetiores efflореſcunt martyrum roſæ, ſi fuerint ſuppliciorum circumſeptæ dumetis; rubeſcunt elegantiores effuſo imburæ cruore. Præclariſſima premam meorum veſtigia majorum, qui per reperita ſaucij corporis vulnera ad perennes avolârunt triumphos.

3 Hoc unum habuerunt in votis Nerones, Domitiani, aliique humani generis laniſtæ potiùs, ac tortores impiiſſimi; quàm principes, ut eccleſiæ plantam jam læto gemmarum partu turgentem, séque per vepres hilariùs efferentem, vel tormentorum iteratis procellis contererent, vel diſtricto ferro radicitùs divellerent, vel effuſi ſanguinis obruerent fluctibus; hoc idem meditantur nunc temporis Diocletianus, Maximianus, ac Dacianus præfectus, ſed hâc ſuppliciorum culturâ, ac ſanguineo imbre vegetior efflоreſcet fructus datura immortalitatis.

4 Fortiſſimi ſunt quotquot Chriſti agonem ingrediuntur Athletæ, nervos, mucrones, acinaces, plumbatas virgas, ferreos pectines, ungulas, & alia ſexcenta id genus cruciatuum inſtrumenta, quæ vel ipſis tortoribus, ac crudelitatis miniſtris neutiquam ſine horrore objiciuntur, pro joco, pro delicijs habebunt. Quidni? ardebunt liquato plumbo perfuſi, lento igne cremati? at clariores fulgebunt triumphi gloriâ, & partâ victoriâ commendabuntur illuſtriores. Mugire cogentur æneis incluſi tauris validiſſima ſubjecti ignis ſuccenſi flammâ? at perennem ad ſymphoniam beatarum mentium ocyus properabunt. Objicientur aculeatis veſparum turmis melle delibuti? at puriſſimis apibus erunt caſtiores. Prementur torcularium anguſtijs? at eorum ſanguis jucundior, & laxior fiet defœcatiſſimi nectaris lætitia, & Cœlitibus gaudia ſuppeditabit uberiora. Inter pœnarum acerbitates, tormentorúmque cruciatus conciſis membratim corporibus unà cum ſanguine vita defluet? at purpuratos principes cœleſte excipiet capitolium æternis donatos triumphis, tótque ſibi ora ad DEI laudes celebrandas putabunt data, quot ſævities infliget corporibus vulnera. *Inſurge igitur, inſurge impie laniſta, & toto malignitatis ſpiritu debacchare, videbis me divina virtute plus poſſe dum torqueor, quàm poſſis ipſe, qui torques.*

5 Plurimum præſefert elegantiæ ea interpretatio, quâ D. Ambroſius præmaturum Satyri fratris commendat obitum. *Raptus eſt: inquit. ne malitia mutaret cor ejus. Raptus eſt, ne in manus incideret barbarorum. raptus eſt, ne totius orbis excidium, mundi finem, propinquorum funera, civium mortes, ne poſtremò Sanctarum Virginum; atque viduarum, quod omni morte acerbius eſt, colluvionem videret. Ego verò te frater, tum vitæ tuæ flore, tum mortis commoditate beatum arbitror; non enim nobis ereptus es, ſed periculis; non vitam amiſiſti, ſed ingruentium acerbitatum formidine caruiſti.*

Quantò magis hæc eadem forent repetenda ad mulcendum cujusvis dolorem ex temporaria præconceptum nece propinqui, vel affinis, vel nobis percari? quanto potiori jure eſſent id ætatis rememoranda, cum ubique locorum vigeant ærumnæ, immineant pericula, & ad ſæculi lubricum vitæ accedant anguſtiæ. 6

EXPENSIO IV.

Locus à Proprio expenſus.

PRoprium, ſi quæras, quid ſit, ſatiùs vel ex ipſo ſe prodit nomine, quàm tibi explicem: eſt enim, quod alicui congruit, ejúſque naturam conſequitur. A Dialecticis Porphyrio Duce quadripartitur: primò in illud, quod ſoli convenit ſpeciei, ſed non ſingulis individuis ſub ipſa comprehenſis, ut eſſe Muſicum, Citharedum, Rhetorem; ſoli homines hiſce potiuntur facultatibus, ſed non ſinguli. Secundò uti convenit omnibus individuis ejusdem ſpeciei, ſed non tantùm, ſicut eſſe lucidum conveniens, igni cuilibet, & ſyderi. Tertiò ut convenit ſoli, & toti ſpeciei, ſed non ſemper, ſicut caneſcere in homine: Quartò ut competit ſoli ſpeciei, omnique illius individuo, & ſemper, ut hominem eſſe riſibilem, admirativum, hócque adhuc ſolet bipartiri in perfectum, & imperfectum; illud eſt ipſa potentia rei naturæ eſſentialiter adnexa; hoc actus ejusdem potentiæ, poteſtque adeſſe, & abeſſe ſine ſubjecti interitu; tametſi Heraclitus, uti referunt, nusquam riſerit, & Democritus fleverit nunquam, uterque tamen ſemper homo fuit. 1

Proprium explicatione poſtrema captum, aliud eſt manifeſtum; occultum aliud: illud dicitur, cujus cauſa nobis innoteſcit; hoc, cujus principum vel omnino nos latet, vel nobis difficillimum eſt captu, id generis ſunt qualitates occultæ rebus à Deo Conditore inditæ ad elegantiorem jocantis naturæ leporem. Plures ſunt rerum naturalium qualitates, & vires, quarum cauſæ minimè nobis pateſiunt, neque poſſumus, id inficias ire, cum adſtruat Eccleſiaſt. *cap. 16. verſ. 20.* plurima Dei opera eſſe in abſconſis: & Plinius egregius naturæ ſcrutator *lib. 2. cap. 96. Multa*, inquit, *ſunt in naturæ majeſtate penitus abdita*, & Scalig. *exercit. 213.* redarguens Cardanum aſſerentem ſe rerum omnium naturalium poſſe cauſas reddere ſubdit, *ad manifeſtas omnia reducere qualitates ſumma impudentia eſt.* 2

5 Pleraque ſanè poſſent ſtatim objici, quæ ſi ita ſunt, uti narrantur, difficillima ſunt captu. Mirabilis ſanè piſciculus Echeneis, qui licèt minutiſſimus ſolo carinæ adhæſu ingentem navim quantumvis remis, veliſque concitatam dicitur remorari, ac ſiſtere immobilem. De alio piſce referunt plerique tantæ eſſe virtutis, ut concitatam navim non modò ſiſtat, verùm etiam contra ventorum impetus retrotrahat, talémque fuiſſe, qui navim quandam Luſitanicam per Mozambiques in Indias decurrentem contra ventorum propellentium afflatus, diebus quatuordecim ipſi adhærens retroegit, & eo rudibus, ac furcis depulſo, navem iterum curſum tenuiſſe optatum. Non tamen ijs adhæſerim, qui remoram autumant Siculo innatare freto, ſeu Porthmo, quo Trinacria per octo vel decem italica milliaria à Maſſapia, ſeu Calabria ſejungitur, eo quòd ſubinde viſæ fuerint naves etiam plenis velis hærere immotæ, perinde ac ſi trabalibus clavis effixæ forent, alijs curſum proſequentibus: aderam ego anno ſexenteſimo ſexageſimo nono ſupra milleſimum Meſſanæ juſſu Superiorum eloquentiæ profeſſor; egreſſus ſpatiarum relaxandi animi gratià freti illius perambulabam littora faventibus ſubſolano, ac euro Holandica claſſis plenis velis eois appulit è partibus, & reluctantibus illius freti vorticibus portum petere ſatagebat, ex ipſis vidimus quotquot aderamus binas naves prætoriam, & præſidiariam quandam remorari, ac ac immotas hærere, móxque retro vehi tametſi Eurus non modico efflaret impetu, quo in portum propellerentur, petiit ex adſtantibus aliquis, num remoræ adhæſu ſiſterent, ac retro agerentur; riſi ego interrogantis ſimplicitatem; an non vides, reſpondi, decurrentis gurgitis impetum? hic eſt, qui naves ambas retropellit: fluit, refluítque rectè, obliquè miriſque modis porthmus iſte, ac anſam dedit, ut vulgatum illud: *Incidit in Scyllam cupiens vitare Carybdim*, abiret in adagium; quia plerumque naves, ut fluxum declinent, quo in charybdim propelluntur, in alium incidunt, quo in ſcyllam vehuntur (éſtque in Meſſapiæ litore prominens ſcopulus, qui ſcylla dicitur non procul à Meſſanenſi portu, & ibi gurges pluribus implicitus vorticibus) fluxus iſti, ac refluxus vulgò *rema* ab incolis hujus regionis dicuntur, & fortaſſis ab hac *rema remoræ* fabella originem traxit.

4 Cœterum pleraſque occultas qualitates neutiquam inficior, cum plura à viris alioquin cordatis enarrentur, quibus facilè evincuntur. Ferunt morſos in Anglia à cane rabido furere, latrare, mordere, ſpumare, aquam horrere, perinde, ac canes. Surius in commentario rerum in orbe geſtarum refert in ducatu Wittenbergenſi, cauponem ſuis hoſpitibus, carnes porci à cane rabido demorſi exhibuiſſe edendas, qui rei hujus prorſus ignari poſt eſum acti in rabiem mutuis ſeſe morſibus dilacerârunt. Pulveris ſympathetici vim, ac efficaciam commendant plures, curantur ſiquidem illo vulnera, & ulcera tametſi vulnerati maxima locorum intercapedine diſtent. Magnetis virtutem mirantur omnes in ferro attrahendo. Ferreus annulus ad contactum hujus malè politi lapidis ſurſum attrahitur, & hic vi magneticâ imbutus alium juxta ſe poſitum attrahit, & ille tertium elevat, tertius quartum, adeout unicus magnes ſubinde decem, vel duodecim ferreos annulos attrahat, catenam conſtruat ſine ullo nexu, ſolo extimo adhæſu.

Cervi itidem dicuntur angues attrahere, 7
uti buſones muſtellas. Aquæ roſarum, & aurantiorum nullum, vel modicum emittunt odorem tempore quo roſæ, & mala medica florent. Torpedo hamo capta, manum dicitur piſcatoris torpefacere. Fertur etiam adeſſe conchilij genus à natura elegantiſſimo elaborarum artificio, quod ſolo ſui attactu ſtuporem, ac ſiderationem membris quibusdam inducit. Mirabiles ſunt plantarum ſympathiæ, & antipathiæ, & explicatu difficillimæ. Vitis gaudet ulmo aſſociari. Lupini juxta vitem ſati plurimum illi proſunt, reddúntque fœcundiorem. Cucumeres, alni, ſalices aquis amant jugiter copulari. Olea viti amicè adnectitur, & arundinetis vel maximè delectatur aſparagus.

Lilia unà cum roſis ſata feliciùs gliſcunt, & redolent fragrantiùs. Roſæ itidem allijs, cepíſque adplantatæ odorem emittunt ſuaviorem. Nymphæa ranunculi gaudet commercio. Polypodium quercui ſi adhæſerit creſcit uberiùs. Ruta, & ficus mutuò afficiuntur. Mas & fœmina palmarum adeo ſe arcto proſequuntur amore, ut ſi ramus unius, alterius ramum tetigerit, ſe in mutuum arctiſſimè complicent amplexum. E converſo Braſſica cyclaminum horret, & ſi vel paululum ei adhæſerit, illicò areſcit. vitis à conſortio braſſicæ abhorret, flectitque ſe in partem adverſam, & paulatim exſiccatur, Lauro eſt ſimiliter inimica. Cucumeres cum olea perpetuam ſervant inimicitiam. Olea juxta quercum tota areſcit. Quercus juglandi proxima emoritur. Nucis umbra cæteris plantis eſt noxia, imò & dormientibus hominibus. Hedera viti adverſatur, & qui illa coronantur ebrietati non cenſentur obnoxij. Putamina fabarum radicibus nocent plantarum. Animalia quoque tenet antipathia. Leo galli cantu, & igne terretur. Agnus nuper enixus lupum timet, & vulpem. Chordæ agninæ lupinis nunquam concordant. Elephas furens ad arietis intuitum miteſcit. Equa ſi lupi veſtigia calcaverit torpeſcit, & gravida abortit. Ciconia veſpertilionem exhorret. Tametſi omnia prærecenſita ad uberiorem eruditionem veritati conſona non cenſerē ſerem, qualitates tâmen occultas rebus à Deo inditas inficiari neutiquam poſſumus, tum plerique nobis innoteſcant effectus, quorum cauſæ noſtrum videntur captum excedere. 8

Cœterùm cum proprium laxè ſumptum prout ad noſtrum pertinet inſtitutum, ſit omne id, quod ad eſſe rei conſequitur, uberrimam ſuppeditat Eloquentiæ ſtudioſo tum argumentorum, tum amplificationum, ac deſcriptionum ſegetem. Ut expendamus quo pacto ab hoc loco ervi poſſint argumenta, ſedulò per-

pen-

pendamus oportet rei cujusvis effecta, quæ
vel jugiter, vel ſaltem ut plurimum conſe-
quuntur. Si evincere vellem, Cajum fuiſſe
Antonij interfectorem, eò quia fuerit Cajus ab
ipſo pridie convicijs, ac contumelijs graviter
læſus & pronus ad iram facilè irruerit aliàs in
ſui contemptores: à proprietate iraſcentis ani-
mi ſimile eſſet conſtruendum argumentum.
Quotquot ſunt ad iram proni, neſciúntque
virtutis culturâ effrænes compeſcere iraſcentis
animi motus, ægrè ferunt illata ſibi convicia,
& contemptores ad necem inſectantur: Ca-
jum ad iram propenſum conſtat heſterna die
fuiſſe ab Antonio pluribus læſum contumelijs:
igitur cum manè Antonius inventus ſit in urbis
pomœrio diſſito ab hominum frequentijs multi-
plici confoſſus vulnere, & Cajus non ſit domi,
nec in urbe, perquam probabile mihi ſuadeo, ad
ulciſcendam illatam ſibi injuriam occidiſſe he-
ſterna die Antonium, procúlque aufugiſſe.

Argumentum hocce tribus conſtat propo-
ſitionibus, quarum quælibet utpote præſſa pa-
rùm à limitibus abſcedit Dialecticæ; ad Rhe-
toricem propiùs accederet; ſi hunc in modum
ſingulæ amplificarentur, à proprietatibus iri-
ſceutis animi. Quas non excir it ira tragœ-
dias? quas non meditatur ſtrages, ac trucu-
lentas neces? niſi rationis coërceatur frænis
erumpit hæc nullo coërcita repagulo ex
intimo iraſcentis pectore, tonitruis, fulmini-
búsque obarmata, & eo in ultionis libidinem
fertur impetu, ut inſanire, furere, debaccha-
ri videatur, nullóque parcens loco, exitiales
evomit ignes, clades minatur, & ſanguinem
fundit, quem ſitit. Furente hac flammâ e-
xarſiſſe pluries Cajum, pronámque fuiſſe natu-
ram ſortitũ ad hos ipſos debac.hantis indigna-
tionis æſtus, noverunt quotquot ipſi, vel ſan-
guine, vel amicitia junguntur. Domi vel inter
epiſtolas ſcribendas adeo fuit calamo craſſum
ægrè reddenti atramentum iratus, ut illum
pluries vel in humum indignabundus dejecerit,
vel minutatim dente contriverit, ſolum pede
quatiens ac ſi dementiâ laboràſſet ſolem-
niori. Aleator coram amicorum frequen-
tijs, quoties ſors ipſi non contigit ſperata teſſe-
ris iratus luſorijs, eas in plateam projecit, mi-
rantibus cœteris impetum iraſcentis. In foro
pluries iraſcentem virum conteſtati ſunt vultus
teter oris pallor, frontis rigor, oculorum ful-
gor, tumentes venæ, oculi nunc trepidi, nunc
exilientes, nunc in uno defixi; ac hæren-
tes obtutu, quoties unus, vel alter etiam ex
amicis nullius momenti ei objecit nugas.

10 Cum igitur toti propemodum conſtet ur-
bi ab Antonio fuiſſe Cajum contumelijs peti-
tum, convicijsque læſum, an putabimus illa-
tæ ſibi injuriæ oblitum fuiſſe, ac iraſcentis a-
nimi, ſeu frementis iracundiæ compeſcuiſſe
flammas? quibus jugiter exarſit etiam in ſibi
vel amicitiâ, vel conſanguinitate conjunctos?
inſcijs amicis, ac domeſticis ſubitæ fugæ ſe
clanculum dedit; enectus jacet in pomœrio An-
tonius multiplici confoſſus vulnere, quid aliud
ſupereſt, niſi ut inferamus probabile, à Cajo ulci-
ſcendæ injuriæ causâ interfectũ fuiſſe Antoniũ

Plurimum obtinet dignitatis, multúm- 11
que roboris locus iſte à proprio in commen-
dandis, vel dilatandis rebus, quæ anſam diſſe-
rendi exhibent oratori. Etenim cum rebus
ſingulis quantumvis minimis, vel neglectis
ſuas indiderit Deus proprietates, quibus vel
morbis curandis, vel ſanitati ſervandæ, vel
varietati inducendæ, vel mundi ornatui pro-
movendo, vel cuique alteri proſint; nil prohi-
bet, quin valeat eloquentiæ candidatus ele-
ganti narratione diutius immorari in recenſen-
dis, commendandíſque rerum ſingularum pro-
prietatibus, vel manifeſtis, vel occultis. Hinc
eſt quod ab hoc loco res etiam deſpectas, nul-
liúſque momenti miro laudârunt artificio plu-
res, qui oratoria in facultate primas occupa-
runt ſedes. Pediculum animarculum licèt
contemptibile, quodque ſtomachum moveat
eleganter commendarunt Puccus monacus, Da-
niel Neinſius; culicem Angelus Politianus
Chriſtophorus Manlius; Cimicem Aldrovan-
dus; pulicem Ioſeph Scaligerus; Formicam En-
ricus Cordius; Araneam Antonius Thyletius;
erinaceum Juſtus Lipſius; muſcam Lucianus.
Gryllum Iacobus Eyndius; Scarabæum Ca-
ſpar Dornavius; Cicadam Joannes Poſthius,
Cicindelam Joannes Thyleſius; vermes Ulyſ-
ſes Aldrovandus; Lutum Majoragius; Rutam
Petrus Lotichius; crambem Iacobus Augu-
ſtinus Thuani; Ficum Joannes Paſſeratius;
Quercum Caſpar Dornavius; Murem Phili-
pus Camerarius; Nucem Cælius Carcagninus;
Linum Michaël Majerus; ſtramen, Fridericus
Widebramus; Arundinem Antonius Thyle-
ſius; pilum Statius Coma; Barbam Antonius
Hottomannus; Lattinam Carolus Liebhar-
dus; Srercus Joannes Ovvenius; calamum
ſcriptorium Janus Doouza; Ouum Ericius Pu-
teanus; fringellam Georgius Gallus; Aſinum
Joannes Lauterbachius; Canem Iacobus Mi-
cyllus; fellem Flora vidua; muſtellam Titus
Stroſſa; Hiſtricem Claudianus; oſtream Mi-
chaël Majerus; Caſeum Bartholomæus Bolla; 12
Chartam Conradus Rittershuſius; umbram
Iacobus Miccyllus; Noctem Nicolaus Gru-
dius; Nihil Cornelius Gorzius; Lanam Ca-
prinam Menalca Caprimulgius; nivem hexan-
gulam Joannes Keplerus; Neminem Theo-
dorus Marſilius; Eſt & non eſt Auſonius.

Si rude aliquod à me petas exemplar,
Braſſicam tibi exhibeo, cujus proprietates cum
recenſuero illam minimè illaudatam dimittam,
ſed pluribus ab hoc loco commendabo, hunc
in modum. Hortorum ſanè principatum te-
nere braſſicam facilè adſtruunt quotquot illam
noverunt: eſt ſiquidem Herbarum gloria,
hortorum decus, totius anni delicium. Su-
bacto in agro, firmo ſurgit è caudice, luxurian-
ti ſe ſe attollit proceritate; corpore in orbem
exporrecto, in latitudinem toroſo, criſpa folia
in ſcutum arcuata prodit, dilatat; receptura
deciduum è ſudo cœlo roſcidum imbrem, cu-
jus ſe guttulis, veluti micantibus coronat mar-
garitis; ſingulis ſeritur anni temporibus, omni
congaudet ſole, omnique in ſolo blandè luxu-

riat nec æſtuantis pavet incendia Sirij; non rigentis brumæ aſperitatem, non ingruentium tempeſtatum inclementiam. Si conglobato agmine aggeratæ prægnantis nubis è ſinu decidant hexangulæ nives braſſicam non minus ornant, ac onerent; ſi è procelloſo aëre nives, grandinéſque exundant braſſicam non obruunt, ſed abluunt; ſi areſcat tellus, & hiante planitie minutum ſolvatur in pulverem, adhuc braſſica firmo aſſurgens è caudice vireſcentium trium, phat foliorum pompâ. Nimirum ludens in orbe terrarum natura, adeo benefico eſt proſecuta braſſicam amore, adeo inconcuſſa ſolidavit firmitate, ut quæ communi debuerat omnium ſaluti deſervire, ſingulas etiam ſive æſtuũ, ſive brumarum eluderet injurias. Eh quis abundè valeat utilitates recenſere, quas braſſica miſellis ſuppeditat? quis beneficia, quæ humano generi impertitur? Laborat quis dolore capitis acerbiſſimo, mœrore correptus langueſcit, ſentit pulſantibus utrinque aculeis feriri tempora, teneriora crudæ braſſicæ pauliſper dentibus atterat folia, dolores declinabit, morbum diſcutiet, ut nos edocet Cato. Miſerè vexat alium inteſtinorum exulceratio, dirioribus torquetur intus doloribus coctam cum ſale braſſicam deglutiat, diſcutietur ægritudo, abſcedet dolor, uti Hippocrates adſtruit. Decumbit alius jam diei extremæ proximus ob contractum ex boletorum eſu venenum, expreſſum è braſſicæ folijs ebibat ſuccum priſtinæ reſtituetur incolumitati, uti ſpondet Apollodorus. Viatorem aſſultat rabidus ab Anglia canis, minatur latratu, ringit vultu, mordet dente, inflicto vulneri braſſicæ, ſi adhæſerit folium convaleſcet, & incolumis iter proſequetur inceptum, uti monet Epicharmus. Eh quis ſingulas valeat braſſicæ proprietates recenſere, quis omnes ejus enarrare virtutes, quis braſſicam ſatis commendare? effoſſas in corpore cicatrices ad debitam revocat planitiem: puerperio exacto lactis aggregat ubertatem: audientium ſurditatem propellit, quovis dolore laborantibus levamen affert, uti Plinius pluribus aſſeverat: morbos expellit, ſanitati vel tuendæ, vel promovendæ plurimum prodeſt, adeo ut populus Romanus ſexcentos per annos non aliud quàm braſſicæ pharmacum adhibuerit. Eh quis braſſicam morborum omnium Mithridaticum non adſtruat? quis braſſicam præſentiſſimum non aſſerat deficientis naturæ amuletum? quis panaceam non dixerit?

14 Plus tamen amplificationes præſeferunt concinnitatis, pluſque leporis, cùm res ab hoc loco, eo dilatatur, vel commendatur artificio, ut proprietates unius ſubjecti argutè cum proprietatibus alterius diſparati conferantur, ut eleganter fuit id metro conſecutus Cœlius Calcagninus cum apes deſcriberet in pharetra amoris ita canens.

Pallentes excepit apes modò Cypride natus
In Pharetram:e pharetra nunc nova mella legit.
Quàm bene Apes, & Amor ſe in mutua fœdera jungunt
Quos natura pares moribus eſſe probat.
15 *Nam ſua ſpicula Apes, & Amor ſua ſpicula torquet,*
Tortáque in impreſſo vulnere fixa ſinunt.
Melle gerunt perfuſa, gerunt perfuſa venena,
Et ſua ſpicula apes, & ſua ſpicula amor.
Diverſum hoc: ſanabile apum, haud ſanabile amoris
Vulnus, apéſque ſemel, non ſemel ille ferit.

Uberrimam argutiarum, leporúmque ſegetem tum Oratoribus, tum Poëtis ſuppeditabit præſens locus, ſi duo ſubjecta ita nectantur, ut eorum proprietates mutuis oppoſitionibus jocoſam videantur pugnam inſtituere, non alio pugnaram telo, quàm varijs ludentis ingenij acuminibus; non alio peractam diſſidio, quàm frequenti antitheſi, uti arguriſſimè effecit Cirus de Pers laudatiſſimus Poëta Italus in jocoſa illa deſcriptione calculo laborantis.

Son nelle rene mie dongue formati
I duri ſaſſi alla mia vita infeſti,
Che fatti ogn'or più gravi, e più moleſti
Han de giorni miei i termini ſegnati?
S'altro con bianche pietre i dì beati
Nota, jo noto con eſſe i dì funeſti
Servono i ſaſſi à fabricar; ma queſti
Per diſtruger la fabrica ſon nati.
Ah ben poſſo chiamar mia ſorte dura
S'ella è di pietra hà preſo à lapidarmi
Dalle parti di dentro la natura.
Si che ſu queſte pietre arruota l'armi
La morte, e che à formar la ſepoltura
Ne le viſcere mie naſcon i marmi.

Iocosè, & argutè confert per antitheſim calculum cum albo lapillo, quo antiquitus dies ſignabantur felices, vel ob partam victoriam, vel ob dignitatem acquiſitam; Dein proprietates marmorei lapidis calculo feſtivè tribuit. 16

EXPENESIO V.

Locus à Deſcriptione expenſus

FErunt plerique, dixiſſe Democritum, orationem umbratile quoddam eſſe operis ſimulachrum, eò quia extima ſit rerum delineatio verborum duntaxat beneficio depicta. Non abs re dixerim id ipſum deſcriptioni congruere, quæ vera cenſetur rei imago non umbratilis, ſed vivida, ac rhetoricis coloribus ad ſui prototypi expreſſa elegantiam. Eſt ſiquidem deſcriptio, uti Cornificius innuit *lib. 4. nu. 52.* Rei pellucida, ac diſtincta cum gravitate expoſitio; ſitque cùm ex aggeratis rei deſcribendæ proprietatibus, adjunctis, concomitantibus, ac conſequentibus verborum delectu, elegantiarúmque venuſtatibus rei naturam dilucidamus. Ab adjunctis elegans eſt torridæ ſolitudinis deſcriptio, quam exhibet Curtius *lib. 4.* inquiens *ſequenti die tolerabilis labor viſus, nondum tam vaſtis ſolitudinibus aditis, jam tamen ſterili, ac moriente terra. Sed ut ſe aperuêre campi alto obruti ſabulo, haud ſecus, quàm profundum æquor ingreſſi; terram oculi requirebant. Nulla arbor, nullum culti ſoli veſtigium occurrebat, aqua etiam defecerat, quam utribus cameli devexerant, & in arido ſolo, ac fervido ſabulo nulli erant rivuli. Ad hæc ſol omnia accendebat, ſiccaque, & arida erant omnia.* Plura enumerat quæ torri- 1

do

do illi adnexa ſolo majorem adferebant laboranti exercitui moleſtiam.

2 E converſo ex ijsdem adjunctis Campaniam, ſeu Neapolitanum agrum ſingulis referrum amœnitatibus hac donarem deſcriptione. Quid campaniâ viſu jucundius, uſu utilius, flore amœnius, ſegere feracius? cœli clementia, aëris benignitas perpetuam hanc ſibi videntur ſedem delegiſſe, nec unquam audet bruma deſævire, nec hyems frigida tetrico rigere vultu, ſed cum ſolo omnigenis redimito floribus jugiter ſerena fronte, hilari vultu ridet cœlum, roſcidas tantùm fundit noctu lachrymulas, quaſi doleat abreptam ſibi lucem, quâ interdiu plurimum è ſubjectæ regionis inſpecta amœnitate exhauriebat oblectamenti; at vel ipſæ cœli lachrymæ ad uberiora gaudia flores excitant, qui manè iterum ſe produnt, alij enaſcentes in gemma, gliſcentes alij ex hyante jam calice, alij ruptâ vaginâ pubeſcentes. Aſſurgentem auroram ſalutant, ubique locorum argutis concentibus huc, illúcque diſcurrentes avicularum turmæ. Solis ortum excipiunt in leniter prominentibus collibus explicatæ vites, in camporum planitie flaveſcentes ſegetes, in pratorum amœnis jocantia vireta, neque ferventiores timent Sirij æſtus, perpetuis ſiquidem miteſcunt favonijs, & ſolutæ plantarum comæ colludentibus zephirorum flabellis ventilatæ gratiſſimo murmure incolarum auribus jugiter adblandiuntur. Nimpharum chori delabentibus exultant rivulis, & dulciſſimos latices gregi exhibent ſitienti. Ea eſt ſoli hujus feracitas, ea plantarum ubertas, ut graventur botris vineta, in humum propendeant olivæ, reclinato capite flaveſcant ſegetes. Habes in exhibita deſcriptione pleraque adjuncta, quæ plurimum obtinent ſplendoris, multúmque dignitatis, ac elegantiæ, præſertim ſi adjuncta aliquo verborum delectu adjiciantur deſcriptioni, ea omnia dicuntur adjuncta, quæ tametſi rem non componant, nec neceſſariò comitentur, illi nihilominus aliquo pacto adnectuntur.

3 Multifariam poſſunt deſcriptiones obtingere. Primò per comparationem conferendo ſubjectum quod deſcribitur cum re alia, cui videatur cohærere, ut ſi vecordem, ſegnem, inertémque virum expreſſurus, cochleam, ſeu limacem deſcriberem hoc pacto. Vidiſtis giboſum animarculum, cochleam repentem, inertem limacem proprio ſub tecto, vivam exhibet oſcitantis, ſtupidi viri effigiem: teſtudineo vix incedit gradu, quia homo piger omnia agit ſegniter, otioſè, negligenter: gemini inſunt ipſi oculi, quos jugiter occulit, ut innuat virum ſocordem nuſquam tantilli ingenij prodere aciem: ad temerandas, inficiendáſque potiùs lividâ ſpumâ, quàm prætentandas cæcas ambages, oculorum quadripartita cornicula protendit, quaſi obvium jugiter expaveſcens hoſtem, nec hilum movetur niſi præcedentibus corniculorum exploratoribus, quæ ad minimum formicæ occurſum ſtatim reſiliunt; nigello clauduntur puncto, quaſi negligentiæ notâ tunc illudatur limax; totum corpus infuſcatur, ut nobis donaret intellectu virum rudem, inertem, nullius nobilitatis & in lentiſſimo reptatu ſuam abundè pigritiam prodere: ſingula membra jugi laborantia otio lentorem frigidum, id eſt ignaviæ ſuccum exudant, viámque ſordidè ſignant; quia vir negligens tam negligenter, tam oſcitanter elaborat, ut potiùs inficere, quám perficere videatur, quæ agit. Dureſcit in oſſiculum limacis caput, & inertis ingeniolum vix emolleſcit ad ſcientiarum utili impreſſione ſuſcipiendas imagines: unum in lentiſſima membrorum mutatione limacis nomen appoſitè retinet, ut limoſam, inertémque inertis viri exprimat indolem.

Feſtivior, amœniórque cenſetur ea deſcriptio, qua per hyperbolem ſive auxeſi, ſive diminutione progredientem, pluribus aggeratim congeſtis deſcribendum æquiparatur ſubjectum: exemplum placet ſubjicere in deſcriptione Pumilionis ſuperbientis heroem ſe venditantis invictum. Quem videtis, imò quem non videtis, homunculi indiculus eſt, tantæ tamen ſuperbiæ, ut difficillimum ſit captu, quomodo tam exili in corpuſculo tanta volumina circummoveri poſſint; tanta eſt ſuperbia inflatus, ut Gerionis de genere, aut Enceladi ſobolem, imò & inter homines hominis ſe venditet hyperbolem: niſi obtutui occurreret ipſum haud difficulter veſpertinam aliquam occaſuri ſolis dijudicaveris cadentem de montibus umbram, vel redivivum Herculem, vel Rhodij Coloſſi vivam effigiem, vel Gigantomachiæ colophonem, vel tertiam ex herculeis columnis, cui veriùs inſcribi poſſit, *Non plus ultra*: & tamen homunculus eſt ſuo nomine brevior, imò homuli fruſtulum, cui metiendo geometricus digitus longè immenſior: propiùs ſi inſpicitis corpuſculi compendium vix artus diſtinguit, ibi membra deſinunt, ubi incipiunt, anceps hæret intellectus, ſi velit judicium promere, an pumilio fulvus ſit, an fuſcus; deformis, an elegans; tantillæ ſubſtantiæ neſcit hærere color. Scio pleroſque homuncium vocare ſalillum animæ, ſomnium ſopiti pueri, indiculum humanæ ſpeciei, naturæ compendium, ſigillum hominis, corporis breviarium, Ledæo ex ovo genitum, ridiculam ex Æſopico monte fœtutam, an iſti à vero aberrent, neſcio, hoc unum tamen adſtruo, murem pumilioni æquiparatum montem eſſe, & lacertæ ovulum immenſum Pantheon; ejus genitrix fœtum enixa ſe peperiſſe vix ſenſerat. Quid ſi tantillus homo nuberet? certè ne violetur tritum illud præceptum, *ſi vis nubere, nube pari* Atomum atomo jungeret Hymenæus, quòd ſi mas, & fœmina thalamum fœcundaret, duo homunculi, non ranam, non culicem, non atomum, ſed putum nihil progignerent. Putârim, voluiſſe naturam jocari in hujus pumilionis efformatione, vel Callichratem imitari, qui plures fertur inſumpſiſſe annos in unius eburneæ formicæ ſtructura, vel Myrmecidem æmulari, qui quadrigam compoſuit adeo exiguam, ut abundè à muſcæ ala tegeretur. Ad ulciſcendam hujus pumilionis ja-

ſtantiam ataneus eſſe carnifex poſſet, ejus tenuiſſimum filum laqueus. Exhibet tibi hæc deſcriptio pumilionem hyperbolicè collatum cum rebus maximis, & minimis.

5 Eleganter Ammianus invidum deſcribit calumniatorem, quem monſtro æquiparat, ſubjicio eadem ipſius verba, quæ plurimum continent roboris. Calumniator, quem videris, non eſt homo, ſed lamia, ſine fronte, ſine oculis, ſioe conſcieotia, monſtrum planè horribile, cui ſolùm prominent dentes turpi rubigine infecti, cui fetalis pallor, cui deformis macies, cui nudatâ carnibus oſſium compages teſtat. Draconis alicujus peſtilentem ſceleton, aut exſiccatum cadaver diceres: dignam fetali effigie vocem, aut potiùs ſibilum emittit, per ſotum medium ſerpit, dentibus aduncis; aſpectu tabido huc, & illuc circumſpectans, ſi quem repetiat, cui aliquid mali adſerat, dignitati, gradui, ſexui non parcit, omnes canino dente lacetat. Fluminis inſtar fortunis ſe ſe complutium repentinus infundit, fertur per ſtrages multiplices, ac ruinas, crimina conſarcioar à veritate longè diſcreta.

6 Venuſtiores habentur deſcriptiones ab effectis: ſumuntur effecta pro concinnis operationibus ab aliqua cauſa prodeuntibus, tunc ſi delectu verborum deſcribatur opus artificioſum, vel naturale plurimum in ipſo opere commendatur cauſa. Si ataneum tibi deſcriberem, cum ſit animal rude, inelegans, inconcinnum, perbrevi, ac fuſco eorpore parum tibi adſerrem oblectamenti; at ſi ejus opificium, elegans, ac propemodum mirabile tibi delineaverit Plinius *lib. 11. cap. 24.* animarculum aliàs ignobile pluribus excipies laudibus, ait ipſe. Miro ſanè artificio, ſolitudine, ac ſilentio ſive in ſpecu, ſive in angulis domuum, ſive aperto ſub dio telas orditur ataneus, tanri operis materiam uterus ipſius abundè ſuppeditat, vel quia ſtato tempore vitium patiatur, ac corrumpatur, ut placuit Democrito, vel quia lanigera quædam intus inſit ipſi fertilitas, tam moderato ungue, tam tereti filo, tam æquali intervallo ipſo ſe pondere uſus deducit ſtamina, ut nulla excellentis artis induſtria valeat tam elegans opificium, tam miram ſtructuram imitatione attingere: ſtamina primùm decuſſatim extendit paribus in medio angulis, & extrema in ambitum ad oppoſita alligat; Dein primis veluti jactis fundamentis texere à medio incipit circinato orbe ſubtegmina adnectens, ac maculas, pari ſemper lege, æqualique diſtantiâ. Mirum eſt dictu quantâ ipſe arte pedicas cælet ſcutulato rete graſſantes, quantâ pexitate, ac politurâ telæ tenacem occultet tramæ rationem, quantâ firmitate expanſum muſcis captandis ſtabiliat rete, quantâ induſtriâ illud adaptet ad ventorum impetus eludendos, non ad ea, quæ venerint reſpuenda: abſoluto opificio ad venationis inſtitutionem aucupum more, ne à circumvolitantibus muſcis conſpiciatur araneus, ſpecum ſibi vel in foramine proximo, vel in angulo elaborati retis concamerat eâ induſtriâ, ut ſpecus contra frigora ſit villoſior; contra cæteras temporis injurias craſſior. Ubi verò muſca minus cauta irretitur in contextis pedicis, vigilans, ſeduliſque araneus accurrit ſtatim, captam muſcam apprehendit, ambas alas fugæ occluſurus aditum ventris glomere implicat, enecat, in ſpecum aſportat, prædamque ſervat leniturus ſtimulantis famis acrimoniam.

Ab inſtituto, mutuis ſocietatibus, ac operibus exercendis nemo eſt, qoi formicas licèt corpore adeo exiguas, ut vel oculum fugiant, plurimùm non commendet: egregijs laudibus fuerunt formicas proſequuti Ulyſſes Aldrovandus, Pantaleon, Candidus, Michaël Gehlerius, Euricius Cordius, Joannes Sprengius, Jeremias Wildius, Eraſmus Ebnerus. Joannes Poſthius, præ cæteris D. Baſilius. Eh cui ſummæ laudis non eſſet argumento formicarum ſedulitas, ac prudentia, ſcio ex Ariſtotele præcipuas prudentiæ virtutes eſſe cautionem, ac providentiam, quarum primâ utitur vir prudens, ut mala arceat, hâc ut quæ commoda ſibi viſa fuerint, ſibi comparet, medijs ad id aptioribus. Has virtutes callere formicas, minimè queunt inficiari, quotquot earum noverunt inſtitutum. Etenim rempublicam habent non Solonis, non Lycurgi legibus inſtitutam; ſed æternis naturæ præſcriptis conſtitutam, & ne aſſiduus in quotidianis operibus labor diſtractionem afferat amicitiarum, nec ſocialis vitæ commercia minuat; ſtatis temporibus quieſcunt, nundinas exercent, ac mitiſſima celebrant hilaritate, unà omnes conveniunt, amicè conſalutantur, invicem nutibus colloquuntur, rametſi à nobis minimè intelligantur; res ſuas egregiè peragunt, recipiunt deinde ſeſe in proprijs domunculis, quas multiplici mæandro flexuoſas ad plures uſus ſibi conſtruxerant, in iſtis ova redeunte vere pariunt, in iſtis diu immorantur, cavernam iridem habent communem rei frumentariæ causâ, hûc omnem aſportant annonam, ſemina corrodunt, ne condita iterum in fruges exeant; madefacta imbre apertum deſerunt ad aërem, & ne putteſcant humore imbuta, aut vitium aliud contrahant, ſiccant ad ſolem, ſiccata iterum condunt. Ubi æſtate cœli facies riſerit nullius rei magis impatientes, quàm otij, ſe ſe foras effundunt, rura proxima pabulantur: unus omnium ardor, una mens, unus ſpiritus, licèt diverſa exerceant munia: aliæ onera forcipe oris apprehenſa per anguſtos calles gerunt: aliæ pedibus averſæ prædas magna corporis contentione convectant; laborat tota formicarum reſpublica; fervent viarum ſemitæ perenni laborantium curſu, & recurſu, teruntur ſilices ipſi ſub itinere, & tamen in frequentiſſima exeuntium, redeuntium, obviantium concurſatione anguſtiſſimo licèt in calle, non ſunt ſibi impedimento, nulla ſit confuſio. 7

Sin autem Opifex, à quo commendandum prodit artificium, aliquid habuerit ſingularis virtutis, vel ſplendoris in natalitio, tunc juvat opificis præmittere deſcriptionem, ut 8

con-

contigit in bombyce. Eſt bombyx laborioſus opifex nendis prænobiliũ veſtibus natus; habes quid in ejus natalitio mireris: ex ſemine adeo tenui, ut vel ipſam fugiat oculorum aciem, enaſcitur exiguus vermiculus, adeo exilis, adeo minimus, ut anceps hæreas, an organis conſtruatur ad ſuſceptionem animæ pernecceſſarijs; vermiculus ſenſim ſine ſenſu in erucam gliſcit, & ex eruca grandeſcit in bombycem, qui eleganti exceptus domicilio, albæque mori ſaginatus frondibus per geniſtarum ſcabritiem ſerpit, pabulum carpit penè aſſiduè, duobus duntaxat intervallis interquieſcens ad exhauſti pabuli concoctionem, donec adoleverit, molem enactus ad æquam magnitudinem ſericum orditur opificium opere continuato, labore non interrupto. Mira eſt ſerici ſtaminis tenuitas, tenax firmitas, pedum unguiculis ſubtiliſſima diducit fila materiem abundè ſuppeditantibus ejus viſceribus, opificium in glomum vacuum ovali figurâ perficit intus ſe claudens: adeo eſt concinnum, adeo elegans ovale domicilium, ut nec Caſtor, nec pollux, nec eorum Soror Helena pretioſiori videantur excepti ovo: ſerica in hac domuncula deliteſcit bombylius quaſi pueilus materna in alvo, nec ijs invidet regum puſionibus, quibus, ferunt collucentes margaritas exhibuiſſe cunas; móxque abſoluto Serificio poſt quadrageſimum diem aliâ indutus formâ in lucem prodit Palingeneſiam æmulatus mirabili metamorphoſi; ex bombyce ſiquidem emergit papilio quatuor alis pennatus, diſruptis enim carceris aurei ſeptis per aëra eleganti fulgens nitore volitat. Paucioribus has bombycis vices deſcripſit Poëta Italus hoc metrò.

Verme che paſcia beve oſtri reali
Pretioſa prigion teſſe col labro;
Indi muore, e rinaſce Augello, e ſabro,
Dedalo al Labirinto, Icaro all' ali

9 Ab eleganti opificio, ſedulitate, induſtria, & ordine, quo apes favos conſtruunt, pluribus apes ipſas commendâruut laudibus ut Virgilius Maro, Michael Majerus, Joannes Stigelius, Cœlius Calcagninus, Saluſtius Barthaſius, Gabriel Lermæus, Nataliel Chythræus, Georgius Gallus, Marius Molſa, Plinius lib. 11. & alij. Nec illaudata dimittam apicularum examina, quæ dulciſſima nobis ſuppeditant mellis commoda, jugique labore delicias nobis conſtruunt. Quieſcuut apes nocte intempeſta caſtrorum more, vigilant enim ad fores excubiæ veluti in ſpeculis, nec obſtrepuut, aut moventur; donec una, cui id ex officio competit emiſſo gemino, aut triplici bombo, veluti buccino quodam ultimâ ex antelucanis horis cœteras è ſomno excitet; tunc omnes provolant; & ſi dies futura eſt ſerena, ac mitis (quod naturæ quodam inſtinctu prædivinant, uti ventos, & imbres) eò agminatim ſe transferunt, ubi tellus benefica vario teſſelata flore ad mella conſtruenda ſuccos exhibet ſuaviſſimos; longè latéque per flores camporum diſperſæ roſcidum cœli humorem, quo flores gravidantur, mirâ legunt induſtria: aliæ flores aggerunt pede, aliæ ad promicantes roſas accedunt, induſtriæ, ac navæ, ſinu inſidẽt, ſuccos hauriunt, ea tamen temperantia, ac dexteritate, ut videantur nihil intuliſſe damni. Tum ad alvearia revertentea favos conſtruunt tenerrimos hexagonis utrinque diſtinctos cellulis, quas ſenis pedunculis in orbem com, meantes perficiunt: cum mella conſtruunt, aliæ aquam ore; aliæ guttas lanugine totius corporis aggerunt, aliæ dividunt, aliæ ſtruunt, & cum cellulæ oppletæ fuerint tenuem ſolerti induſtria membranam obtendunt, ne liquor diſſluat. Ruentes ceras pilarum fulciunt intergerinis è ſolo conſtructis in fornicem ad majorem firmitatem. Apum Ductores, ſeu reges ſunt duplò cæteris proceriores, membrorúmque forma, ac ſymmetriâ venuſtiores, & elegantiores. Pennæ illis inſunt breviores, crura recta, ingreſſus celſior; candicant in capite quodam diademate: cum procedunt, totum præcedunt, ac dirigunt examen, cui imperant. Cæteris laborantibus, vel in ſuccis è ſinu florum legendis, vel in melle conſtruendo, ipſi à labore immunes opificia circumeunt exhortantibus ſimiles; ſine ſpiculo naſcuntur: tanta eſt eorum authoritas, ut illis cæteræ ad ſolos nutus obſequantur. Tota politiæ inſtitutio eſt Platonica. Sunt illis communia tecta, communes liberi, par cura, & ſolertia in omnibus, ut nuper nati liberi rectè educentur; ideóque parvos natos, cum primùm aliquid roboris acceperint, ſecum in paſcua ducunt, adhibent eos ad opera, ut à teneris labori aſſueſcant. Conferunt in commune ſine invidia, ſine avaritia. Pari etiam robore pro patria, pro tectis usque ad extremum ſpiritum fortiſſimè pugnant; tametſi optimè noverint vulnerato hoſte, amiſſóque aculeo ſe vitâ decedere, non propterea inconcuſſa animi firmitaa mortis metu infringitur, ratæ publicam ſalutem privatarum commodis eſſe præferendam.

Temperantiæ, ac parſimoniæ unicè ſtudent, tametſi abundent optimo cibo, illo tamen haud veſcuntur, ſed ſucco aluntur roſcido, nec unquam mel attingunt, niſi extrema fame compulſæ: norunt etiam uſum mellis exitioſum ſibi. Curam tuendæ valetudinis non negligunt: habent ſua exercitia, quæ peccantium humorum juvant abſumptionem; priusquam cibum capiant, dicuntur in loco ſpatioſo diu circumvolitare, & gyratione multiplici corpuſcula movere. Apum virtutes plures ſunt: eminet in ipſis juſtitia, quæ totum complectitur virtutum chorum: eſt autem juſtitia obedientia ſecundùm omnes leges. Excellunt autem apes non ſolùm politiæ accuratiſſima conſtitutione, verùm etiam ſtudio obediendi reipublicæ legibus. Caſtitatem excolunt, nulla enim libido illas progenerat, neque dominatrix omnium animalium Venus quidquam in ipſas valet, abeſt inimica virtutum voluptas, ſolæ fœtus non edunt, ſed faciunt. Magna in ipſis ſeveritas in caſtiganda inertia. Pietatem vel maximè coluut, efferunt enecta 10

cor-

corpora, & ijsdem vel maxima eſt funerum cura. Apum obſequia in regem ſubjecto metro exprimit Cythræus,

Rector apum illuſtris, cui tota examina parent,
Unus præ reliquis ſtimulo caret, at tamen illum
Et venerantur apes, & demirantur; & ipſis
Attollunt humeris; próque hoc ſua corpora bello
Objiciunt; ultróque ineunt per vulnera mortem.
Diſce hinc rex, princeps diſce hinc, populique magiſter.
Quilibet ut gladios, & ſpicula ferrea plebis
Facta in perniciem ponas, & mite ſequaris
Imperium, cujus certum ut clementia fulcrum,
Et baſis eſt, ſic ejusdem vis certa eum a eſt.

11 Non tantum animarculorum opificia verborum delectu expreſſa ſuos commendant authores, quibus videtur natura totum indidiſſe ingenium; verùm etiam diverſæ vocis inflexiones ad harmonicos concentus depromptæ aviculis ſunt laudi. Luſcinia, carduelis, alauda, & aliæ id genus canoræ aviculæ ſuis modulationibus plurimum laudantur. Carduelem exhibeo à cantu commendandum. Quot quot in hisce pratorum viretis ad animi relaxationem ludiris oculos in aviculam conjicite, quam proxima planta foliorum mox allexerat venuſtate, & excepit in gremio. Quam eleganter eſt picta, quàm venuſtè delineata, quàm multiplici variata colore in capite, alis, pectore, cauda: carduelis, à carduis quos avida comedit, habétque in delicijs, vocatur; audite quàm ingenioſam edat ipſe modulationem, gratúmque auribus ſonum, hunc modò continuato ſpiritu protrahit; modò eleganti varietate flectit, nunc concitâ voce diſtinguit, nunc ſibi placens, vel tacitè murmurat, ac ſubmiſſiori voce jam edita modulamina repetit, vel alia experitur edenda; nulla eſt tam abſtruſa, tam difficilis cantio, quam perfecta non attingat carduelis imitatione. Quis in tam exili corpuſculo tam grandem, plenam, gravem, acutam, crebram extenſam, ſummam, mediam, imam, vocem incluſit? quis tam varias, elegantes, gratas aviculam edocuit modulationes? quis tam argutos concentus, tam artificioſas inflexiones, tam ſuaves remiſſiones vocis varietatem valuit aviculam edocere. Eſt quod maximum ingenium miremur in minimo corpuſculo.

12 Ludi quos ſolent juvenes, vel exercitij causâ, vel ad animi relaxationem inſtituere pulchrè deſcribuntur, ſi quæ in ipſis obtingunt ſingulatim recenſeantur. Præ cæteris ludum pilæ deligo, quem ampla, ac præalta in aula crebris ſub tecto patula feneſtris, variiſque tabulatis, ad ſuſtentandam, vel remorandam pilam conſtructa ludunt reticuli pulſu juvenes bifariam auctorati. Factâ in duas oppoſitas partes ſortitione, depoſitiſque craſſioribus indumentis, ut quisque ad motum quemlibet, curſúmque paratior fiat, in adverſum tabulatum reticuli impetu propellitur pila, quæ dum labitur, & adhuc in aëre, vel ſi commodiùs fuerit, eum primum e pavimento reſilit ab altero ex adverſarijs reticulo pulſa, quò venerat, quàm citiſſimè rediit repulſa iterum ab alio adverſæ partis ultrò, citroque pellitur; nunc parieti impacta, móxque reſiliens & ab alio propulſa iterum in partem tranſmittitur adverſam; nunc impulſu motúque deſtituta in ſolum labitur, ſed modicè reſiliens ab alio iterum pulſa uberiores acquirit vires, impulſúmque vehementiorem, quo iterum in partem oppoſitam quàm citiſſimè mittitur, repercuſſa iterum in aëre in adverſum decidit tabulatum: mox cum labitur callidè pulſa in latus volvitur inflexa, nunc ab alio verſa manu retorquetur, nunc ab iſto in transverſum inſecta deprimitur, nunc interjectum radens rete in oppoſitum angulum deprimitur, itque, rediſque nusquam hærens incertâ ſemper lege errans, donec, vel in foramine illatebretur, vel manu fallatur ludentis, vel non repercutiatur attacta: tunc in erroris loco victoria ſignatur adverſariorum.

A varijs inſtitutis deſcribuntur amaſij juvenes, qui vanitati unicè ſtudentes exercitia declinant pietatis, ac ſtudia negligunt literarum. Iuvenes dietim in foro, in plateis fiunt nobis obviam, qui exoticis deliciarum tracti illecebris, ætatis florem miſerè deturpant vitio; animum à pietatis ſtudio ad futiles ineptias; ab exercitijs literarum ad fucatas nugas convertunt: alias non ediſcunt chartas volvere, quàm aleas, nec alias ſciunt muſarum animare fiſtulas, quam Veneris tibias impudicis cantiunculis; lyram arguto digito ſi pulſent Orphæum quidem imitantur non tamen ut Euridicem Phlegetonthæis extrahant ab oris, verùm ut innocentiæ præcipitium adaperiant, alliciunt quippe incautas puellas ad turpia: pedes nunquam tam expeditè movent, quam in choreis inſtituendis; ubi modò totum corpus in altum attollunt, modò flexuoſo tramite pedes lubricant in fugam, modò numeroſum greſſum intercalant; nunc quinto quoque paſſu alios inſerunt modulos, nunc pedes decuſſatim quam citiſſimè ſecant in ſaltum; jam pedem utrumque tremula agitatione alternatim vibrant, & labyrinthum creant, quo minus cautæ irretiantur puellæ: quàm ſint vanitati addicti, quæſita emendicatæ pulchritudinis lenocinia, elaborata veſtimentorum concinnitas produnt: una enim cæſaries quantæ induſtriæ, quanti laboris opus? criſpantur crines ſinuoſis anfractibus, nunc æqualiter pectuntur, ut à cervice veluti è fonte pleno alveo in humeros fluant, nunc per aures depluunt in tam pendulas concinnitates, in anfractus tam flexuoſos, ut novi labyrinthi Dedalum moliotorem adfuiſſe credas, adeo vanitati, fucique ſtudent ut bellè cecinerit ille; homo qui, 13

Natura mas eſt, jam fœmina redditur arte:
Communis generis denique factus homo eſt.

Ite nunc infelices pyrauſtæ, impuræ Veneris adblandientem flammam circumvolitatis ſed æterno cremandi igne: ite excruciandi Promethei in ardentiorem flammam: ite deplumati papyliones: abite infelices infeliciſſimi ignis phœnices alius vos rogus excipiet, 14

non

non tamen regnum, ut quondam Servio, ſed ſervitutem præſagiet æternam. Iuvenem è converſo qui Dei miſerentis obſequutus afflatui poſthabitis opibus, mundíque illecebris religioſum deligit inſtitutum, ac pœnitentiæ unicè addictus quovis cruciatuum genere ad æternam gloriam ſibi viam ſternit deſcriptum tibi ſubjicio. Lilium inter ſpinas, ſeu puritatis cultorem juvenem omnigeno cruciatuum inſtrumento vallatum ad carnis arcendas illecebras nobis exhibet Methanea. Hic primum juventæ florem Deo ſacrum, ut faceret, opes mundíque illicia declinavit, ratus opulentiam morum integritati bellum indicere, & pugnante illâ argenteis haſtis inermem virtutum aciem facilè profligare: optimè noverat, divitias vitijs vel maximè nomine affines, morum licentiæ, carnis illecebris indulgere: noverat opes à ſapiente Lacedæmonio definitas fuiſſe, theſaurum malorum, calamitatis viaticum, improbitatis fomitem; aureis ſiquidem retibus poſſidentium illaqueant voluntatem, & pedicas injicientes argenteas in cœno detinent vitiorum quotquot ipſis inhiant. Non poteſt aurum exenteratæ terræ palleſcens fœtus non implere ſordibus Midas illos, quorum paſcit aviditatem: bene igitur, qui virtutum culturæ enixè ſtudere ſatagebat, licèt educatus in roſa purpuram declinavit arctiùs ſpinis adhæſurus; non eſt paſſus allicientibus divitiarum præſtigijs illudi, non irretiti laqueis voluptatum, non præpediri mundi illecebris, ſed in laxa arridentis fortunæ amplitudine fortunam ipſam riſit, cum arctiori religioſæ vitæ inſtituto cooptatus juges effudit lachrymas contractas labeculas abſterſurus. Abſtinentiæ ſummè addictus, ut vegetior fieret ſpiritus, tenuiſſimo mox utitur victu, modò tertia quoque die herbarum ſucco ſe reficit, nunc panis tantùm fruſtulo, & frigida contentus menſes abſolvit; nunc ſumma inedia integras abſorbet hebdomadas nullâ prorſus re in ſtomachum immiſâ, nec inſtillatâ, ſitim effuſis arcet lachrymis, urgentem ſtimulis famem unico pinguium medullatorum convivio reprimit: informes aſſeres, ligni ſtipites, ſcrupuloſa pavimenta lectulum feſſo, ac exanimato corpori ſternunt, nodoſo ſaxo in pulvinarium erecto, ne ſomnus ipſe immunis ſit à dolore, nec quies à labore: ſexta quoque feria intortis, ac nodoſis funiculis ſeſe diriſſimè cruentat, & tamen hæc ſunt ipſi ſuaviſſimæ lenocinia voluptatis, *quia feciſſe hæc, olim meminiſſe juvabit.*

15 Subjecta etiam, quæ ſub ſenſus non cadunt, animíque paſſiones quemadmodum pictores exprimunt penicillo, ita verbis eleganter deſcribunt oratores, quia verò animi paſſiones ſenſus fugiunt, nec nobis innoteſcunt, niſi quatenus ſe ſe in extrinſecis produnt operationibus, debet orator in hiſce deſcribendis ea deligere ſenſibilia ſubjecta, quæ majorem cum ipſis viſa fuerint præſeferre affinitatem, ut præclarè effecit Lucianus in calumniæ deſcriptione apud Cauſſinū. Ad dexteram conſidet quiſpiam auribus prælongis inſignis, quales ferè illæ Midæ feruntur: manum porrigit procul accedenti calumniæ. Circumſtant eum mulierculæ duæ, Ignorantia, ni fallor, & Suſpicio. Adit aliunde propera calumnia eximiè compta, vultu ipſo, & geſtu corporis effetam rabiem, & iram æſtuante conceptam pectore præſeferens, ſiniſtrâ facem tenens flammivomam: dextra adoleſcentem capillis prehenſum manus ad ſuperos tendentem, obteſtantémque immortalium Deorum fidem, rapit. Anteit vir pallidus in ſpeciem impurus, acie oculorum minimè hebeti, cæterum plane ijs ſimilis, qui ſontico aliquo morbo contabuerunt; hunc facilè conjicias Livorem eſſe. Quin etiam mulierculæ aliquot Calumniæ inſequuntur comites, quarum eſt munus dominam hortari, inſtruere, comere, vocanturque Calliditas, & Fallacia, illa inſidias nectit, hæc crimina meditatur falsò imputanda. A tergo, lugubri habitu, pullata, laceráque Pœnitentia ſubſequitur, quæ capite in tergum deflexo, cum lachrymis, ac pudore procul venientem veritatem excipit.

Melancholiam elegantiſſimè pictam ab 16
Alberto Durero laudatiſſimo per univerſam Germaniam pictore concinnè deſcribit Nicolaus Cauſſinus, adeo ut anceps hæreas penicillo ne, an Rhetoricis coloribus vividior exprimatur. Sedet mulier (ait Cauſſinus) demiſſo capite, manúque cubito nixa, quem genu fulcit, illud ſuſtinet; & vultu ſevero, quaſi in magna conſideratione nusquam aſpicit, ſed palpebris dejectis humum intuetur: omnia autem ſunt circum illam obſcura. Ipſa claves appenſas lateri habet. Capillo eſt neglectiore, & diffuſo: viſuntur infra ipſam pleraque artium inſtrumenta, libri, regulæ, circini, normæ, etiam ferramenta, & lignea quædam opera. Ut autem indicaret, nihil non talibus ab ingenijs comprehendi ſolere, & quòd eâdem ſæpenumero in abſurda deferrentur, ante illam ſcalas in nubes eduxit, per quarum gradus quadratum ſaxum veluti aſcenſionem moliri fecit. Jacet autem prope hanc ad pedes ipſius, contractâ corporis parte, parte etiam porrecta, canis, cujusmodi illa ſolet beſtia in faſtidio eſſe, languida, & ſomniculoſa, & perturbari in quiete. Cernere etiam eſt, quaſi ad feneſtram à pictore aranearum telas, & venationem harum, inter alia hujus naturæ indicia, tenuiſſimis lineis expreſſa.

Fiunt ſubinde deſcriptiones ſi nobiliores 17
rerum deſcribendarum recenſeantur qualitates, ac ſpecies, uti in hac mali limonij, ejúſque cognatorum deprehenditur deſcriptione. Poma hæc omnibus ſemper præſtantiſſima viſa in triplicem ſpeciem gaudent ſuam partire familiam; ceu in mala medica, limonia, & citrea. Prima quorum folia aculeata ſpinoſis faſtigijs hiſpidantur, aureo pinguntur colore in extimo cortice, craſſitie, & figura cum malis cotoneis affinitatem ducunt, ac ſimilitudinem; ſunt aſpero quidem ſapore, ſed venenis inimico; odoris tamen ſuavolentiâ, quodam leno-

cinio animum recreant, naréſque demulcent: ab Etruria aurancia vulgò dicuntur, ut nomen ipſum eam ſonet affinitatem, quæ cum auro metallorum principe, & utilibus hisce malis conſurgit: eorum cortex unguibus facilè avellitur, & ex interiori facie colorem præſefert argenti, ut mala hæc præſtantiſſima omnigenis videantur divitijs, auri, argentive cumulata: avulſus cortex, ſi crudus comedatur myrrhæ diffundit amaritiem, ſi coctus gratiſſimi eſt ſaporis: intus ſacculos fovent, nutriúntque utili oppletos ſucco nunc acido, modo dulci, nunc miſto. Malum limonium flavo extimo in cortice pingitur colore, medicis eſt paulò craſſius, modò ovalem, nunc ſphæricam induit figuram mamillâ craſſiore faſtigiatim terminatam, ejus cortex unguibus evellere nitentibus magis obſiſtit, nobiliorem habet ſaporem, ſuavioremque diffundit fragrantiam; & cubiculum, ubi diu aſſervatur haud facilè corruptioni obnoxium, gratâ opplet ſuavolentiâ, olétque diu. Mala citrea flavi itidem ſunt coloris, magis tamen ad albedinem vergentis, limonijs ſubinde ſunt grandiora, nonnunquam exiguiora: præter odoris ſuavolentiam ſuccum intus fovent adverſus peſtilentes morbos pharmacum præſentiſſimum. Habes in hac limonij, ejúsque cognatorum deſcriptione ſingulas qualitates expreſſas, quæquæ ad oculum, olfactum, guſtum, & tactum pertinent. Eodem fermè pacto ſingula pomorum genera deſcribet orator ad uberiorem eloquentiæ ornatum.

18 Ab accidentibus, ac ſingularum partium varijs figuris luculentæ habentur itidem deſcriptiones, unam ſubjicio ex Ariſtæneto *epiſt. 1.* quâ elegantioribus Rhetoricæ coloribus muliebrem venuſtatem delineat apud Nicolaum Cauſſinum. O vivam ſpirantem per omnia Veneris imaginem! Nam illi, ut veneriam formam quantumcunq; verbis depingam; Mixtæ candidiore, ac tenui rubore genæ nativum roſarum ſplendorem referunt; ſubtilia labra, tenuíque interſtitio diſtincta genarum purpuram vincunt, ſupercilia fuſca puriſſima nigredine, diſparatáque inter ſe æquali meditullio: naſus rectus, & adæquatus tenuitati labiorum, oculi magni flagrantes, & puro lumine ſuffecti, in quibus nigrum pupulæ lactei circuli vicino candore circumfuſum, ex ipſa colorum pugna temperiem pulchritudinis facit excitatius gratam, in qua gratias inſidentes, cuivis adorare promptum eſt. At coma ſuo ingenio fuſa ſimilis eſt criſpitudine (ut Homerus ait) hyacintho flori, & hanc opinor, manus Veneris diſcriminaverunt. Cervix alba, vultus nitori haud diſſimilis, & inornata licèt, ſatis eſſet ſuis delicijs ferox: ſed tamen eam monile præcingit exquiſitis lapillis illuminatum, & formoſæ nomen præferens; cui gemmarum ordo pro literis. Statura procera, veſtis elegans, conveniénsque, & membrorum conformitati adæquata.

Hujusmodi deſcriptiones expurget orator ab omni obſcenitate, ne piorum aures lædantur: puerilia etiam, & mollia, quæ animum dedecent virilem, omnino declinet, quemadmodum eſt illa Papilionis deſcriptio apud Pædarjodem inducentem puellulum ita loquentem. Audite me, audite, ego ſum orator pulchellus, politulus, totus factus ex veneribus, & gratijs, nihil niſi roſas loquor, electrum, balſama, nicerotianos imbres, nectar, & ambroſiam, quæcunque ſcribo, apes intexunt floribus, perfundunt melle, complent omni ſuavitate, Non tot Argus habet lumina, non tot cœlum ſydera, quot ſunt meæ orationis ornamenta. Papilionem credo noſtis, hunc ego laudans, naturam laudo, cujus induſtriâ ſolertiùs eſt elaboratus, animarculum eſt, ut in urbibus rarum, ſic in agris frequens. Corpus illi plenum, molle, tenerum, flexile, paulatim in exiguam longitudinem gracileſcens, cui ſuperſparſus teneræ lanuginis decor effloreſcit, extant veluti porrecta minutiſſimis filis cornua, quæ intermicantium oculorum jucundus fulgor irradiat: ſed præcipuum in penniculis miraculum, quippe ſupra tenuis corpuſculi modulum explicatis gemmant floribus, nitent purpurâ, micant auro, ſtellis radiant, his veluti remigijs libratus in aërem, & ridente paſſim verni temporis amœnitate per gemmeam florum luxuriem volitat ludibundus, ad ſingulas penè ſtirpes adhæreſcens, modò delicatiſſima propoſcide foliorum ſucus pabulatur, modò molliter quieſcit inter odorum delicias, modò reintegrato volatu ſuperbiùs emicat, & inſultantium puerorum manus ſexcentos in aëre mæandros, & flexus pingens eludit. Mox concham deſcribit, à puerilibus nugis paulò recedens, ſubditque. Audite nunc aliud eloquentiæ palmarium, concham deſcribam. Firmioris jam teſtæ murices, & concharum genera ſæpe vidiſtis, in quibus magna naturæ ludentis eſt varietas, tot in ipſa ſunt colorum differentiæ, tot figuræ, planæ, concavæ, longæ, lunatæ, in orbem circinatæ, dimidio orbe cæſæ, in dorſum elatæ, lævigatæ, rugatæ, denticulatæ, ſtriatæ; vertice muricatim intorto, margine in mucronem emiſſo, foris effuſo, intus replicato; & ipſa concha eſt jam diſtinctione virgulata, crinita, criſpa, cuniculatim, pectinatim, imbricatim undata, cancellatim reticulata, in obliquum, in tectum expanſa, porrecta, ſinuata.

Referta hisce deſcriptiunculis reperies 19
poëtarum carmina, & ſoluta ſcripta eorum Authorum qui in ludicra, & jocoſa dictione, vel in philtris, rebúsque amatorijs, aliíſque luſibus totam impenderunt jocantis ingenij ſolertiam: hujusmodi deſcriptiones paſſim exhibent Ariſtophanes, Menander, Theagenes, Lucianus, Plautus, Therentius, Ovidius, Phædrus. Catullus; præ cæteris res amatorias deſcribit Petronius Arbiter, qui (ut loquitur Tacitus) tametſi author impuriſſimus, mundiſſimæ tamen, ac purgatiſſimæ fuit latinitatis, & in rebus venereis deſcribendis cæteros antecelluit, à cujus tamen lectione ſatiùs

ab-

abſtinendum eſt, & ei præferendus S.Hieron. in Epiſtolis.

21 A gravi oratione, multò magìs ſacra concione hujusmodi deſcriptiones alienæ ſunt, hisce duntaxat delectantur, qui ut ait D. Auguſtinus pulchritudinem corporis, quæ eſt infimum bonum à Deo factum, temporale, & carnale malè amant, poſtpoſito intimo, æterno, & ſempiterno Deo. Quis enim ferret in ſacra concione, aut re gravi, ſummíque momenti Petronij phaleras, venerísque incitamenta? ut turpes, ac amatorias reticeam ejus deſcriptiones, fruſtulum ſubjicio ab obſcœnitate expurgatum; deſcribit Petronius *in Satyr.* muliebrem venuſtatem inquiens. Nulla vox eſt, quæ formam ejus poſſit comprehendere, nam quidquid dixero, minus erit. Crines ingenio ſuo flexi per totos ſe humeros effuderant: frons minima, & quæ radices capillorum retrò flexerat; ſupercilia usque ad malarum ſcripturam currentia, & rurſus confinio luminum penè permixta; oculi clariores ſtellis extra lunam fulgentibus: nares paululum inflexæ, & oſculum quale Praxiteles habere Dianam credidit. Jam mentum, jam cervix, jam manus; jam pedum candor intra auri gracile vinculum politus Parium marmor extinxerat. Itaque tunc primùm Doridam amator contempſi.

22 Plurimum obtinent dignitatis, multúmque commendantur deſcriptiones illæ, quibus ſive orator, ſive Poëta captâ anſâ à re ipſa deſcripta morales depromit præceptiones, adeo ut deſcriptio ipſa ad optimam morum inſtitutionem dirigatur; uti eques Hieroſolymitanus Cirus de Pers metro italo ſumma cum laude fuit exequutus in eleganti deſcriptione argentei Crucifixi horologium ſolare exhibentis: cecinit ipſe.

Espoſto à i rai del ſol l'ore m'addita
Stral, che trafigge un Crocifiſſo amore.
Queſte, che mi comparte un Dio, che mere,
Come pon chiamarſi ore di vita?
Gl' error de l'alma à regolar m'invita
Di mobil umbra il regolato errore,
E moſtra ch' io peccando à tutte l'ore
Aggiungo al mio Signor nuova ſcrita.
Quanto ſia pretioſo il tempo apprehendo
Mentre Chriſto il miſura, e pur ſi caro
Teſor mai ſempre in coſe vane io ſpendo.
O d'arte pia, parto ingegnoſo, e raro,
Orologio divin s'io ben l'intendo
A miſurar l'eternitade imparo.

23 Deſcriptio igitur, prout eſt pellucida, & erudita narratio rei per ſingulas partes, alia fit per ſimilitudinem, & comparationem cum re alia extrinſeca: alia per effictionem, ſeu expreſſionem corporis: alia per Notationem, éſtque deſcriptio morum per adjuncta; & alia per Hypothypoſim. Per comparationem deſcribitur homo, & confertur cum mundi machina. Speculum pellucidum hominem diceres diſtinctè, ac laconicè mundum exhibens univerſum: ob id Ethnici Sophi microcoſmum vocârunt; in quo ut in magno mundo rerum omnium varietates, ac ſpecies illigantur; idque cauſæ cur Ægyptij hominem dixerint naturæ miraculum, ac animal adorandum. Exhibet in capite cœlum; ſphæricam ſiquidem præſefert figuram, qualem & ipſum cœlum; nec huic ſphæræ propria deeſt Intelligentia, à qua dirigatur, ac moveatur; regitur enim ab intellectu, quo quæ ſub ſenſus non cadunt, intelligit, comprehendit. Solem ſi quæris aquilino intuitu rationem conſpice, quæ ſuper omnia emicat; ſi lunam mentem inſpice; ſi ſtellas ſuos delegantes noctu nitores virtutes conſidera, quibus homo ornatur. Quatuor elementa ſunt cholera, ſanguis, pituita, atra bilis, quorum primus humor ignis, alter aëris, tertius aquæ, & poſtremus naturam terræ induit. Si in mediam aëris regionem evecti beneficio ſolaris radij terræ vapores, & exhalationes unà condenſantur, in nubes, & addenſati deorſum decidunt, vel in nivea vellera albeſcentes; vel humeſcentes in pluvias: in homine ab imo ſtomachi ſurſum in caput evehuntur, qui ex indigeſtis, crudisque eſculentis ſejunguntur halitus, qui cerebrum obſidentes procellas plerumque excitant, dolores accerſunt, & nonnunquam in imbres ſolvuntur lachrymarum. Si tria ſunt viventium genera, vegetantium, ſentientium, & intelligentium: homo intelligit cum Angelis, ſentit cum brutis, nutritur cum plantis: quinimo numerat ætate illa quadripartita tempora, quibus diſtinguitur annus. Habet in concreta corporis mole terram, in ſpiritu ventos, ac tempeſtates, in venis flumina, in oſſibus ſaxa, quæ ſingula nervis colligantur, ac humanum conſtruunt corpus mundi machinæ perſimile.

Avaritia per comparationem deſcribitur. 24
Eſt avaritia malorum omnium fœcunda parens, vitiorum alpha, quia fluxa fortunæ bona acquirendi nullus ei ineſt finis, quos afficit, ſi non Mydas facit aureos, auri tamen tantâ ſiti inflammat, ut pejori metamorphoſi Tantalos conſtituat aureis, argenteisque fluminibus licèt ore tenus immerſos acriùs ſemper ſitientes; quia avarus habet nihil, etiam cum habuerit omnia; quodque paradoxum cenſeas, bona illi deſunt, dum adſunt; quia eget, dum poſſidet, eſt pauper, cum divitijs affluit: & inter omnia bona ſua nulli eſt bonus, imò & ſibi malus: ſiquidem cui nihil ſatis, eidem nihil non turpe, quia pluris ab ipſo fit auri ſacra fames, quàm cura probæ famæ; & inhians felicitati eò fit infelicior; alienum timet ferrum, quia congeſtum poſſidet aurum; ubi enim plures divitiæ, ibi & multæ inſidiæ. Licèt dives, & felix, adhuc eſt miſer; quia id deſiderat, quo caret: plus eum torquet unum, quod non habet, quàm oblectent omnia, quæ habet: hinc qui avaritiâ ſordeſcit, cum infelicitate non ſolum habet commercium, ſed & contubernium; quia avaritia homines conſtituit perparcè parcos, illiberales, ſordidos, rapaces, qui in luctuoſis conſanguineorum funeribus lætantur; inter lachrymas rident, imò veluti crocitantes corvi cadavera expectant, accipitris unguibus rapturi hæreditatem. Ob-

ſervari ab omnibus putant, ubi pecunias conditas habeant, propterea exoculatos vellent omnes. Imò avaritia homines quamvis ad ſydera erectos incurvat, ut aurum ex intimioribus terræ viſceribus eruant non minori periculo quærendum; quàm anxiâ curâ poſſidendum. Propter aurum acquirendum matris terræ intimiora viſcera dilacerant, deſcendúntque in infernum viventes, utinam non etiam morientes. Profundiores rimantur aurifodinas putantes prope tormentorum locum propriam in auro reperiri felicitatem beatam, ac felicem beatitudinem; licèt crebriùs vel delabente humo, vel cadente ſaxo priùs ſepulti, quàm emortui æternam experiantur damnationem. Vel ſaltem nulli terra mortuo tam gravis, quàm iſtis, quos avaritia urgens terrarum pondere premit, & opprimit; vel quibus auri inextinguibilis ſitis cœli ſplendorem abſtulit, ut in imas detruderet terræ caligines. Eſt avaritia veluti ſpatioſum mare, quod ex fluminum acceſione nullum ſubit incrementum. Eſt veluti lupus famelicis ſemper faucibus prædæ inhians, & ſanguinis ſi non primi, certè ſecundi appetens. Eſt veluti accipiter perniciſſimo volatu ſingulas pertranſiens partes, aves prædaturus imbecilliores. Argus eſt, ut bona videat aliena, quæ rapiat. Talpa verò ne miſeros videat, quibus opituletur; ne pauperum ærumnas aſpiciat, quas ſublevet. Briareus eſt Centimanus, ut aliena rapiat; ſine manibus ne quidquam alijs donet. Exardeat quiſpiam avaritiæ flammâ, & illico in eodem violatur fides, corrumpitur juſtitia, corruit pietas, & ſingula virtutum decora devenuſtantur. Fit oculatus Draco invigilaturus ſi non aureis Heſperidum pomis, ſaltem cuſtodiæ congeſti à ſe auri; imò non ſecus ac aurifera Indorum formica noctes, diéſque ducit inſomnes reconditas opes, ut intueatur, ſimúlque tueatur. Exardeat puella avaritiæ flammâ; & ſtatim cinereſcet ille pudicitiæ flos, qui ſemel deperditus, nullo fit ampliùs pretio venalis; teſtis Danaë, cujus in ſinum nonniſi aureo imbre, ex Poëtarum commentis, Jupiter deſcendit. Exardeat avaritiæ flammâ Romana Tarpeja, & in propriam Patriam ſæviet immani crimine. Exardeat avaritiæ flamma Marcus Craſſus, & ab hoſte captus adigetur aurum, quod ſitivit ebibere; morte ſiquidem damnatus liquefactum igne aurum bibere fuit coactus, ingeminante carnifice: *Qui aurum ſitivit, aurum bibat.* Avarities omni ferro nocentior vulnerat, omni gladio acutior penetrat, omni morbo crudelior interimit: hæc lucri cauſa impalleſcit chartis, inſudat labore, perorat in ſenatu, bellicoſa ardet in campo, audax contemnit pericula, ſacrilega diripit ſacra templa; mercatrix pretium ſtatuit in emporijs, viatrix mare trajicit omne. Crudelis non parcit ſanguini, teſtis Pollineſter Thraciæ rex, qui auri deſiderio captus Polidorum Priami filium interfecit: non parcit proprio decori, teſtis, Caligula qui nudus viſus eſt aureos perambulare acervos: non parcit proprio parenti, teſtis Tullia Romana filia Servi Tullij VI. Romanorum regis, quæ cum Tarquinio Superbo nupſiſſet, viro author fuit patrem ſuum occidendi, regnúmque ejus invadendi: nuntiatâ poſtea patris nece, protinus conſcenſo curru ad virum accurrit, ut ei regni adepti nomine gratularetur: quumque in Patris cadaver in publica via projectum incidiſſet, dubitantem aurigam, & Regis reverentiâ in latus equos flectentem, compulit, ut per medium Patris corpus ageret carpentum; à quo tam immani ſcelere vicus ille nomen retinuit ſcelerati. Non parcit Religioni, teſtis Xerxes, qui plura fana, & ſepulchra deſtrui juſſit, ſolóque æquari, ut auro quod ibi ſepultum ſuſpicabatur, potiretur. Non parcit propriæ vitæ teſtis Myda, cui cum ſolo tactu omnia fierent aurea, deſiderio auri poſſidendi fame perjit. O deteſtandam Avaritiam vitiorum omnium fœcundiſſimam matrem! Qui avaritiâ ſordeſcit, omni deſtituitur ſenſu ad virtutis culturam: accedat Theophraſtus, & proponat ei, beneficentiam eſſe humanæ vitæ vinculum, & tutamen; ipſa non percipiet: accedat Ageſilaus rex, & dicat nil eſſe in regno beatius, quàm poſſe largiri, ipſa non audiet: veniat eloquentiſſimus Dirſi regis Epirotarum legatus, & dicat malle ſe imperare aurum habentibus, quàm aurum habere, ipſa non intelliget. Veniat Philo Athenienſis, & dicat potentiæ eſſe munificam largitatem præferendam; ipſa non audiet, & ridebit Cratem Thebanum immergentem marinis fluctibus divitias, ne ab ijſdem ipſe mergeretur. Concludam cum D. Auguſtino de lib. arbitrio. *Quum avaritia alicui dominatur ſubjectus malis omnibus demonſtratur, quia de avaritia mala omnia oriuntur.* 26

Per effictionem, ſeu expreſſionem corporis deſcribitur S. Cajetanus Thieneus. Statura mediocritatem ſuperavit, grato, ac pleno dignitatis aſpectu; colore album inter & aquilum, qualem cinere conſuevit ſpargere Metanæa; oculis erat ſubniger, ſed aſſiduo lachrymarum fluxu macie confectis; fronte exporrecta, & lata; naſo leniter incurvo, crine nigro, ſed attonſo: capitis apex erat rotundus; labra ſubtilia, neque dilatatis oris angulis ampliata: barba neglecta mentum, genáſque obſcura tingebat lanugine; humeri erant illi teretes, manus patulæ, alter ex pedibus naturali defectu obliquus: & licèt cum viveret pingi ſe non permiſerit in omnibus humanæ gloriæ contemptor egregius; ita tamen poſt obitum eum delineârunt, qui vivum cognoverant; addentes ejus faciem ad pietatem intuentes provocâſſe; ejúſque verba ad culturam flexiſſe virtutum, flammas accendiſſe Divini Amoris. 27

Per notationem, ſeu deſcriptionem morum ab adjunctis deſcribitur adoleſcens moribus depravatus. Vel Juppiter Ganymedem non perdidit, vel aquila ejus adminiſtra in cœlum non rapuit: plures habet ætas noſtra Gany-

Digitized by Google

Ganymedes, qui tamen alio neſciunt igne æſtuare quàm Veneris, infelices Pyrauſtæ flammâ pereunt, quâ alienam cuticulam deperibant. Excruciandi Promethei rapto igne non terræ, ſed ſibi gehenoale excitant incendium. Saniores circumvolitate flammas deplumati papyliones, ne perearis: abite infelices infeliciſſimi ignis Phœnices hæc flamma non thalamum vobis in tumulo apparat; non cunas in cinerario; non gloriæ ſplendorem in Libithinæ umbris; ſed in ipſo fucatæ voluptatis ſolatio æternos crutiatus. Hæc flamma non vobis, ut quondam Servio regnum ſpondet, ſed perpetuam portendit ſervitutem. Talis eſt adoleſcens, qui nobis obviat: Tartari aſſereres Salamandram, cum alio neſciat calore vivere, quàm impudicæ Veneris impuriori flammâ; non ſolùm voluptatum illecebræ eum dementârunt, ſed & reliqua vitia corruperunt: etenim huic ab adoleſcentia bella inteſtina, odia, cædes, rapinæ, diſſidia grata fuerunt. Animus eſt illi ſubdolus, audax, varius, cujuslibet rei ſimulator, ac diſſimulator, alieni appetens, ſui profuſus: quamvis aſpectu videatur eblandiri, intus tamen latet incluſum exitiale virus; intus è clandeſtinis viſceribus ſcatet pernicioſa lues, omniúmque fœdiſſima morum corruptela: intus in imo corde gliſcit inquinatiſſimus fons malorum omnium; ac cœnoſa perennitas deteſtabilium cogitationum: ex eadem fornace erumpunt cupiditatum æſtus, iracundiarum faces, ægritudinum furiæ, perturbationum incendia, diſſidiorum flammæ, ac turbulentæ ſeditiones ſenſuum omnium.

28 Poſtrema ſpecies habetur per hypothypoſim; éſtque expreſſio rei ad vivum repræſentatæ per ſuas partes, ut aſpici oculis potiùs, quàm verbis audiri videatur: hac deſcriptione nil auditur clariùs; nil movet ſuaviùs; nil jucundiùs delectar. Viri melancholici deſcriptionem per hypothypoſim ſubjicio. Pervaganti mihi opacum nemus, lucúmque umbris tetricum collium prominentium clauſum anguſtijs, vir obviavit ex illo hominum genere ſolitario, quod vulgo melancholicum dicitur. Frons ei erat pluribus exarata rugis; diducta, & prominentia ſupercilia, genæ contracta macie decoloratæ; cogitabundus terras incedebat per umbras, capillo fuſco, criſpóque, ſanguineis oculis, ac pellucidis, vultu ſevero, atróque aſpectu, quem non arte dixiſſes conformatum, qualem ſibi olim Caligula ad omnem formidinem, terrorémque compooebat in ſpeculo; ſed ingenio, & natura ſubtriſtem, ac fugandis pueris peraptum, atra ſemper molientem. Hunc perurbanè, cum primùm ſalutaverim, vix capite annuendo ſalutationem excepit; & ubi cœperim interrogare, quorſum iret; hæſitavit lingua, quæ vix unum, vel alterum protulit verbum ori veluti affixum; ut vix percipere potuerim, quid exeſa illa voce ſibi voluerit; mihíque fuit ſpectaculum triſte. S. Joannes Chryſoſtomus *homil. 19. in Matth.* exhibet per hypothypoſim ſpeciem viri crudelis inquiens. *Fingite videre tetrum quemdam hominem, qui ab oculis ignem emittat, cui ex utroque humero Dracones pro manibus dependeant, cujus os cavernæ inſtar pateat ex lingua venenoſus fons ſcaturiat; venter omni fornace ſit ardentior, faciem oſtendat canis, vel lupi, nec hominis vocem emittat, ſed in inſuave quoddam, atque terribile murmur erumpat, ſanguinem ſitiat, aliena morte vivat.*

EXPENSIO VI.

Locus à Forma expenſus.

ELegans quidpiam, & excellens eſt forma, per quam, ut docet Ariſtoteles *1. Phyſic.* res eſt id, quod eſt, & a quovis alio diſcriminatur: ipſa eſt fons pulchritudinis, radix proprietatum, ſeminarium perfectionum, fundamentum qualitatum, ſedes venuſtatis: etenim quidquid pretioſi candicat in margaritis, vireſcit in ſmaragdis, rubet in carbunculis, lucet in adamante, rutilat in opalo, variatur in aſteria ſuos à forma exhaurit nitores: quidquid elegantis aſſurgit in plantis, quidquid amœni luxuriat in floribus, quidquid jucundi ridet in pratis à forma ſuam trahit originem: ſi oculos in cœlum ſuſtuleris, & quæ ſunt infra, ſupráque luſtraveris, cœlum nocte aſtrorum choreis diſtinctum, interdiu ſole luſtratum, montium faſtigiata cacumina, collium flexa, camporum porrecta, herbeſcentem pratorum viriditatem intermicantium florum varietate picturatam; arborum ramuſculos enatis jam floſculis laſcivientes; ariſtas æſtatis beneficio molliter flaveſcentes, pomatiorum delicias vario in fructibus matureſcentibus depictas colore; animalium genera, alia cornibus armata, alia dentibus ſepta, ungulis firmata, aculeis armata, pedum celeritate libera; aves multiplici plumatum cultu micantes; aviculas colorum elegantijs variè pictas, & fractis vocularum modulis melllitiſſimos cantus effundentes, modò pertinaci ſpiritu in longum numeros trahentes, modò ſumma quadam varietate flectentes, modò conciſâ voce diſtinguentes ad gratiſſimam aurium oblectationem; hæc omnia à forma omnium proprietatum fœcunda matre ſuam trahunt originem. 1

2 Forma prout eſt actus præſcindendo ab eo, quòd materiam actuet, vel non, bipartitur in infinitam, & limitatam: illa ex Triſmegiſto eſt verbum divinum, cujus ſcintillæ ſunt formæ limitatæ, quæ rebus inditæ eisdem eſſentiam, ac vim quandam, mirificam præſtantiam, ac dignitatem impertiuntur. Forma limitata eſt, quæ materiam actuat, definitúrque ratio, per quam res eſt, ſeu ipſa rei quidditas, quia cum materia indifferens ſit, ſola forma rebus communicat eſſe ſpecificum, ac quidditativum. Tripartitur forma, ut ad præſens facit inſtitutum, in eſſentialem, accidentalem, & artificialem. Forma eſſentialis eſt, quæ dat eſſe quidditativum intimum, ſeu eſ-

ſentiale rei, ut forma auri dans materiæ primæ eſſe quidditativum auri, anima rationalis, quâ homo conſtituitur in ſuo eſſe. Uberrimam ſuppeditat oratori argumentorum ſegetem locus iſte à forma eſſentiali: ut, Pygmæi utuntur ratione, quæ princeps eſt animæ rationalis dos; ſunt igitur homines. Satyri tametſi extimam præſeferant hominis delineationem, non tamen ratione utuntur: ergo quia rationali anima minimè præditi ſunt: non ſunt igitur homines. Aurum alchimiſticum non habet veram formam auri: non eſt igitur probatum aurum: ſtellæ carent anima ſentiente: non ſunt igitur animalia. Sunt hæc dialectica argumenta in pugnum veluti collecta, quorum propoſitiones uberiori amplificatione, verborúmque delectu deberet Rhetor dilatare, ut ſuo fungeretur munere: manus ſiquidem in pugnum collecta Dialecticam, aperta Rhetoricam denotat. Pulchrè Ovid. *15. metamor.* ex rationalis animæ imortalitate evincit mortem eſſe fortiter, ac generosè contemnendam.

O genus attonitum gelidæ formidine mortis!
Quid Styga? quid tenebras? quid nomina vana timetis?
Morte carent animæ, ſempérque priore relictâ
Sede, novis domibus vivunt, habitántque receptæ.

3 A forma eſſentiali pluribus poteſt homo commendari. Quid hominem contemnis, quid deſpicis, quid improperas eſſe corpore vas fragile, maſſam ex luto compactam, ſimulachrum nudum, ſuapte natura inerme, alienæ opis indigum, ad ſingulas fortunæ contumelias porrectum, alimenta metuens ſua, quorum modo copiâ, modò inopiâ frangitur, innumeris obnoxium ægritudinibus: Tace, non deeſt, quo hominem plurimum commendes, ſi animi præſtantiam paululum introſpexeris. Quid rationali anima nobilius, quid pulchrius? vigent in ipſa facultates intelligendi, recordandi, liberè quodlibet amplectendi, vel repudiandi; intellectûs exercitio res ſingulas ſive ſenſus ferientes exteriores, ſive ſub cortice ſenſibilium accidentium deliteſcentes concipit, perluſtrat, & rerum omnium in ſe veluti pictutas inviſibiles pingit: memoriæ officio easdem firmiùs retinet, & cum opus fuerit in uſum profert: poteſtne quidquam excogitari præſtantius, quàm eam patere in animo capacitatem, quam immenſa rerum aliarum, alijs jugiter accedentium congeries, non modò non exæquet, non expleat, non cumulet, ſed potiùs dilatet, laxétque magis, & novos, ſemper ſinus, ac receſſus intus latè lacunoſos aperiat? quid admirabilius quàm rerum multitudinem propemodum infinitam formis variam, ſenſibus diſcrepantem, numeris innumerabilem ijs loci anguſtijs non confusè, non permixtè, ſed diſtinctè, electéque conſervari? demum voluntatis imperio frœnum injicit iraſcentis animi motibus, ſtimulos compeſcit concupiſcentiæ, cæteras potentias movet, coërcet, quæ ſibi commoda ſunt complectitur, quæ noxia declinat. Quid igitur animò præſtantius: altum eſt cœlum? ab eo ſuperatur: profundi ſunt inferi? ijdem ipſi ab eo penetrantur: quanta eſt humanæ mentis velocitas, quanta ejus aciei perſpicacitas, unico veluti intuitu diſſitiſſimos terrarum tractus peragrat, oceani immenſitates tranat, omnia poteſt; omnia ſuperat, & ut loquitur Plato in capite tanquam in arce poſitus ſedet, & dominatur, nunc cupiditatum gynecæa diſpenſat, nunc acrimoniæ andronem regit, nunc deſideria veluti volitantes prodomos emittis, nunc furiales irarum exercitus è caſtris educit, nunc ſerena luce circumſepius luculentiùs renidet; nunc varijs affectuum turbinibus circumſtrepit, nunc procellas, ac turbines ſedat, placidáque fruitur malaciâ. Quid fortius, quid præſtantius animo rationis compote? & cum potior ſit, ac nobilior hominis pars, ac ipſius divinitatis referens imaginem, ſummis certè laudibus erit homo commendandus.

Forma accidentalis, cujus uſus oratoribus eſt frequentior, ſita eſt in quadam ſpecia externa eleganti, ſuis numeris abſoluta, vel partium ſymmetriâ, vel qualitatum cohærenti mixtura admodum concinna: hujusmodi externæ formæ varietas mira eſt in cujusvis ſpeciei individuis, & præſertim hominibus; ita ut ſi ingentem aliquem exercitum intuearis, nullum reperias, qui cum altero penitus conveniat: cujus miræ varietatis cauſa principalis Deus eſt, ſuam nobis manifeſtans ſapientiam in pulcherrimo hoc creaturarum diſcrimine: cauſa ſecunda partim poſita eſt in utriusque parentis imaginatione, & præſertim matris: etenim ſi ejus imaginatio vehemens fuerit, quodam ſui charactere fœtum obſignat in utero: partim in varia qualitatum diſpoſitione, ac temperamenti diverſitate; ſi qualitates perfectè cohæreant, formoſitatem quandam inducunt, & elegantiam, quæ pulchritudo dicitur, quam Ariſtoteles vocabat præſertim in puellis quâvis epiſtolâ efficaciorem ad commendandum; Theophraſtes ſilentem fraudem; Plato prærogativam naturæ; Carneades regnum ſine ſatellitio. Plerique extimam hanc formoſitatem in triplicem diſtribuunt claſſem. Aliam adſtruunt eſſe laudabilem, ut formoſam faciem: aliam uſui deſervire, ut ſunt inſtrumenta, domus, palatia, & aliæ id genus molitiones uſibus noſtris accommodatæ: tertiam legibus ac ſtudijs conſtare, eámque humanæ vitæ commodis maximè conſulere, hæc pulchritudo utpote perennis eſt cæteris præferenda: hinc ſcitè Ovidius *3. Triſt.* 4

Nempe dat, & quodcunque libet fortuna, rapitque
Irus eſt ſubitò, qui modò Creſus erat.
Singula quid referam? nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis, ingeniíque bonis.

Ab externa corporis ſpecie, venuſtas, elegantésque hauriunt oratores deſcriptiones, recenſentes ſingulatim qualitates, formoſitates, figu- 5

figuras, quæ pulchritudinem invehunt commendandam: præ cæteris frequentiſſimus eſt Apulejus in delineandis externis hiſce formis, cautè tamen eum imitetur orator, ſiquidem durus ſubinde eſt, inſolens, & putidus, licèt plurimum habeat ingenij. Deſcribit ipſe *lib. 1.* Apollinis elegantem ſpeciem inquiens. Contra Apollinem (ridiculum dictu) adverſis virtutibus culpabat: quod Apollo eſſet, & coma intonſus, & genis gratus, & corpore glabellus, & arte multiſcius, & fortunâ opulentus. Jam primum, inquit, crines ejus præmulſis antijs, promulſis caproneis, anteventuli, & propenduli; corpus totum gratiſſimum, membra nitida, lingua fatidica. Quid? quòd veſtis tenuis textu, mollis tactu, pura radians. Quid? quòd & Lyra ejus auro fulgurat, ebore candicat, gemmis variegat? quid? quòd & peritiſſimè, & gratiſſimè cantillat? hæc omnia, inquit, blandimenta, nequaquam virtuti decori, ſed luxuriæ accommodata, circa corporis ſui qualitatem ſpeciem maximam oſtentare. E converſo trucem informem, hiſpidúmque Marſyam cum eleganti Apolline certantem ita exprimit inquiens. Eo genitus Marſyas cum in artificio patriſſaret tibicinij, vultu ferino trux, hiſpidus, ſpinis, ac pilis obſitus: fertur (proh nefas) cum Apolline certaviſſe, turpis cum decoro, agreſtis cum erudito, bellua cum Deo: Muſæ, & Minerva, diſſimulanti gratiâ judices aſtitêre; ad deridendam ſcilicet monſtri illius barbariem, nec minus ad ſtoliditatem illius puniendam: ſed Marſyas, quod ſtultitiæ maximum ſpecimem eſt, non intelligens ſe de ridiculo haberi, priuſquam tibias acciperet inflare, priùs de ſe, & Apolline quædam deliramenta barbarè effutivit, laudans ſe, quod erat, & comâ relicinus, & barbâ ſqualidus, & pectore hirſutus, & arte tibicen, & fortuna egenus. Habes in utráque deſcriptione ſtylo fracto, ac putido delineatam formam externam elegantem, & turpem: nonnulla itidem attingit, quæ ad animi formam faciunt, uti ſunt virtutes Apollinis, & hujus poſtremi vitia.

6 Eodem præfracto ſtylo Sidonius Apollinarius *lib. 3. epiſt. 13.* extimam formam deformis viri pingit inquiens. Enim verò ille ſordidior eſt, atque deformior cadavere regali, quod facibus admotis, ſemicombuſtum, móxque ſidente ſtrue torridum, reddere pyræ jam faſtidioſus pollinctor exhorret. Præter hæc, lumina gerit idem lumine carentia, quæ ſtygiæ vice paludis volvunt lachrymas per tenebras; gerit & aures immanitate barrinas, quarum fiſtulam biforem pellis ulceroſa circumvenit ſaxeis nodis, & tofoſis humore verrucis. Portat, & naſum, qui cum ſit amplus in foraminibus, & ſtrictus in ſpina, ſic pateſcit horrori, quod anguſtatur olfactui. Prætendit os etiam labijs plumbeum, victu ferinum, gingivis purulentum, dentibus buxeum, quod ſpurcat frequenter exhalatus, è concavo molarium conputreſcentium mephiticus odor, quem ſupercumulat eſculenta eructatio de dapibus heſternis, & redundantium ſentina cœnarum. Promit, & frontem, quæ fœdiſſimo geſtu cutem plicat, ſupercilia verò diſtendit. Nutrit barbam, quæ in ſenecture caneſcens fit tamen morbo nigra Syllano. Tota denique eſt miſero facies ita pallida, veluti per horas umbris mœſtificata larvalibus.

7 Juvenem venuſtum, formáque elegantem, ac blandum exprimit Theophraſtus apud Nicolaum Cauſſinum. Intuemini, ſi placet ephebum, ut ab imis unguiculis ad verticem uſque totus eſt pulchellus, quæ renidentis ad ſingula vultûs amœnitas? quot in facie veneres? quot volitant cupidines? quot roſeis labellis inſident ſirenulæ? cernite, ut dentes habet nitidos, indico ebore, vel primâ nive candidiores: ut longos, ac graciles digitos, magnæ, lucentéſque gemmæ incendunt. Venuſtè hanc eandem ephebi elegantiam deſcribit Vates.

Hic juvenis caſtâ redimitus tempora lauro
Eſt viſus noſtra ponere ſede pedem.
Non illo quidquam formoſius, ulla priorum,
Ætas, humanum nec videt illud opus.
Intonſi crines longa cervice fluebant,
Spirabat Syrio myrrhea rore coma.
Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus.
Ut cum contexunt amaranthis alba puellæ
Lilia, & Autumno candida mala rubent.

Extimam hanc corporis venuſtatem eſſe flocci faciendam, ex eo evincit Ovidius 2. *de arte amandi.* quia ſenſim deficit. 8

Forma bonum fragile eſt: quantumque accedit ad annos,
Fit minor, & ſpatio carpitur illa ſuo.
Nec ſemper violæ, nec ſemper lilia florent,
Et riget amiſſâ ſpina relicta roſa.
Et tibi jam venient cani, formoſe capilli
Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent
Jam molire animum, qui duret, & adſtrue formam.
Solus ad extremos permanet ille rogos.

Idem 5. *Triſtium* ad Filiam Perlillam elegantem vultu, venuſtam forma, cui natura ſingula videbatur pulchritudinis ornamenta indidiſſe. 9

Ita decens facies longis vitiabitur annis,
Rugáque in antiqua fronte ſenilis erit.
Injicietque manus formæ damnoſa ſenectus,
Quæ ſtrepitum paſſu non faciente venit.

Sicuti poëtæ & pictores, ita etiam oratores externas has vultuum ſpecies rhetoricis coloribus pingunt, & vel ipſas inconcinnitates, ac turpitudines eleganter delineant, uti cum exprimunt verborum delectu vetulam, edentulam, vietam, annis, & viribus defectiſſimam, ſuffarcinatam, breviculam, aridam, exſuccam, exanguem, buculentam, recedentibus oculis, pendentibus utrinque genis, extante deorſum mento, depreſſo introrſum ore, ſuperſtante naſo. 10

Non ſolùm externa hominis ſpecies, ac delineatio uberrimam deſcriptionum ſegetem 11

ora-

oratoribus exhibet, verùm etiam forma, ac elegantia cujusvis plantæ, vel floris: ab extima figura deſcribit Rovilius *lib. 7.* Violam martiam. Hæc humilis per terram repit fragariæ modo, folia fundens à radice multa, lata, oneroſa, per ambitum leviter ſerrata, hederæ folijs minora, rotundiora; tenuiora, nigrioráque, præſertim parte ſuperiore, inter quæ medij exeunt pediculi tenues, teneriuſculi, ſinguli ſingulos flores ferentes, pulchros, odoratos, colore nigro purpureos, nonnunquam pallidiores, nonnunquam candidos ex quinque folijs compoſitos, ac deinde penſiles folliculos, vaſculave rotunda per maturitatem in tres partes dehiſcentia, ſemen minutum album in rotunditate oblongum, miliaceum, medulloſum complectentia: radices tenues ſunt, ac fibriatæ. Elegantiùs D. Ambroſius *lib. 3. Hexam. cap. 8.* à prima origine, & incremento usque ad flaveſcentem maturitatem ab externa ſpecie, ac delineatione ſegetem deſcribit jucundâ, omnibúsque rhetoricis coloribus picta narratione. Suſcipit granum tritici putris gleba, & ſparſum cohibet occatio, & veluti materno terra gremio fovet, ac comprimit; Inde cum ſe granum illud reſolverit, herbam germinat, gratajam ipſa ſpecies herbeſcentis viriditatis: quæ ſtatim genus ſatum ſimilitudine ſui prodit, ut in ipſo ſuæ ſtirpis exordio, cujus generis herba ſit, cognoſcas, atque in herbis fructus appareat; paulatímque adoleſcit in fœnum, culmóque pubeſcens erigitur, & aſſurgit. Aſt ubi ſe geniculata jam ſpica ſuſtulerit, vaginæ quædam futuræ frugi parantur, in quibus granum formatur interius, ne tenera ejus primordia, vel frigus lædat, aut ſolis æſtus exurat, aut ventorum inclementia, vel imbrium vis ſæva diſcutiat. Succedunt quidam ordines ſpicæ mirabili arte formati, vel ad ſpeciem grati, vel ad tutamen nexu quodam inter ſe naturalis colligationis adſtricti; quos providentia divina formavit; & ne frugis numeroſioris pondere; velut quædam cædat ſultura culmorum; vaginis quibuſdam ipſe culmus includitur, ut geminaris viribus frugem poſſit multiplicem ſuſtinere; nec impar arbor oneri curvetur in terram. Tum ſupra ipſam ſpicam vallum ſtruitur ariſtarum, ut velut quadam in arce prætendat, ne avium minorum morſibus ſuis exuatur fructibus, aut veſtigijs proteratur.

12 Quæ animâ carent tametſi nullo vultu venuſta, nullo oblectamento allicientia eleganter ab externa forma naturali deſcribuntur; commendantur. Speluncam viſu horridam, acceſſu difficilem rhetorico colore concinnè delineat Apulejus ab externa ſpecie inquiens *lib. 4. Metam.* Mons horridus ſylveſtribúsque frondibus umbroſus, & imprimis altus fuit. Hujus per devexa obliqua, quia ſaxis aſperrima, & ob id inacceſſis cingitur: convalles lacunoſæ, caveæq; nimium ſpinetis aggeratæ, & quaquaverſus repoſitæ, naturalem [illegible] ambiebant. De ſummo vertice fons affluens, bullis ingentibus ſcaturiebat, perque prona delapſus evomebat undas argenteas, jamque rivulis pluribus diſperſus, ac valles illas amnibus ſtagnantibus irrigans, in nudum ſtipari maris cuncta cohibebat. Inſurgunt verò ſpeluncæ, quà margines montanæ deſunt, turris ardua, caula firma, ſolidis cratibus, ovilique ſtabulatione commoda porrectis undique lateribus, ante fores: exigui tramites vice ſtructi parietis attenduntur. Forma demum externa artificialis eſt figura, ſeu delineatio, quæ rebus præſertim inanimis veluti materiæ ab artifice mirâ imprimitur elegantiâ, & concinnitate ad res alias exprimendas figuris, quæ ſubjectæ materiæ minimè congruerent; ut forma artificialis marmoreæ ſtatuæ eſt ipſa ſtatua procera corpore, ſecata cruribus, tornata pectore, ſparſa brachijs, rodundata capite, excavata auribus, aperta ore, prominente, explanata fronte, erecto ſupercilio, cincinnata capillitio.

Tametſi argumenta ducta ab hac forma artificiali parum præſeferant ponderis, in re- 13
bus tamen deſcribendis, vel amplificandis plurimum hæc forma obtinet dignitatis. Ab hoc loco lepidè, ac eleganter deſcribit Calliſtratus apud Nicolaum Cauſſinum Cupidinem à Praxitele fabrefactum inquiens. Cupido erat Praxitelis artificium: ipſemet Cupido, puer floridus, tener, pinnatus, arcu, & ſagittis ferox, & ære molliſſimè conformatus: atque ut Cupidinem magnum, & dominatorem Deum affingens, ipſum etiam metallum imperioſius dominari videbatur: non enim jam ferebat omnino æris ſpeciem, ſed quantum naturæ ratio patiebatur, totum cedebat in Cupidinem. Videres quippe æs delicijs affluens; & mirum in modum carnis mollitiâ, teneritudinéque luxurians, atque ut ſummatim dicam, ad neceſſarias quaſque partes explendas materiam ſe ipſa planè contentam; ſiquidem molliculus erat puer, à majeſtate alienus, qui & ipſi quoque æri congruentem colorem nactus, feliciter adoleſcere cernebatur. Jam licèt motionis expers emicanti ſimilis erat, & in firma baſi collocatus ſpectantium fallebat oculos, quaſi jam pinnis aërem everberaret. Quin etiam jactabat ſe ſe profuſior in riſum, igneo quodam, & mellito aſpectu fulgurans, & videre quidem fas erat æs affectui obtemperans, & ad viſûs imitationem belliſſimè compoſitum. Erectus inſuper fuit, brachio ad verticem dextrum inflexo, alterâ manu arcum attollens, & in hac inceſſus æquilibritate paulò ad lævam projectior, etiam ſiniſtri lumbi deflexio propendebat, ad æris facilem tractationem ſoliditate mollitet infractâ. Cincinnuli verò florigeri, & criſpantes caput ejus inumbrabant, juvenili ſubluceſcentes flore, qui plurimum gratiæ metallo aſperſerat: ſed jam intueri robor quidam affulgebat à cincinnorum fimbrijs evibratus: & contrectanti capillus ſurrigebat modica titillatione deluſis ſenſibus blandiante. Mihi certè dum

dum accuratiùs artem contemplarer, ſubjerat animum credere; Dædalum etiam choræam verſatilem elaborâſſe; & colorem ſenſibus animâſſe, quando Praxiteles in muta Cupidinis imagine quædam etiam fermè ſenſa incluſerat, & ipſum alarum remigio aërem celerrimè ſecantem ſolertiùs effinxerat. De hoc elegantiſſimo Praxitelis Cupidine ſcripſerunt plures, Pauſanias in Atticis, Scholiaſtes in Anthologia, Leonides in Epigrammatis.

14 Artefactorum excellentiores formæ rotatis præſertim eminent in horologijs ea elaboratis induſtriâ, ut dicas, humanum ingenium ſe ipſum ſuperâſſe. Ex horologijs alia ſolis, alia lunæ curſus definiunt; alia ſtato tempore ſomno ſopitos excitant; alia lumen nocte intempeſta accendunt; alia ſtatuas accedentes, & recedentes ſingulis ictibus referunt. Rotatum horologium quale in præalta turri æris camp.ni pulſu, vel circumacto ndice aſſolet horas ſingulas notare à form artificiali, hac commendatur deſcriptione. Horologium eximij artificij inſtrumentum ad maximas utilitates humani generis inventum fuiſſe adſtruit Caſſiodorus: irremeabilis ſiquidem temporis menſuram, cujus unica avarities laudabilis eſt, nobis fideliter annuntiat. Hujusmodi horologij ſtructura ex ferro conſtat, & chalybe; tota machina ponderibus deorſum nitentibus mobilis eſt, circumaguntur dentatæ rotæ mutuò innexæ. Ferrea columella ſubtili hærens filo mediam occupat ſedem, ejus vertici transverſa lamina, libratáque ponderibus utrinque pendulis exactè labentis temporis moderatur perjodos in ſubjectos orbes incidens binis ligulis in eorum dentes; quaſi frœnis ex intervallo injectis rotas in orbem raptas dirigit, & in ſingula penè momenta ſoſtent.r & laxat: pendent utrinque è funibus plumbea pondera, quibus veluti anima artificioſo illi corpori tribuitur; ut quod eſt ſoli in immenſo cœlorum ambitu, vel Angelus, ſeu Intelligentia aſſiſtens, vel forma commovens, id appenſa pondera ſint rotatæ machinæ, quæ ſolâ viget mobilitate: nec unas duntaxat horas, verùm & quadrantes horarum mirâ dividit æquab litate: eóſque ex ſuperpoſito ære campano, qood malleolo ſtatis temporibus percutitur univerſæ civitati clarâ, ac diſtinctâ voce annuntiat, ut inde plebi varijs occupatæ exercitijs ingens exoriatur commodum. Artificioſam hanc machinam ſubjecto carmine elegiaco venuſtè delineat Faminaus Strada *libro 1. Proluſ.*

Hæc, quæ metitur vocalis tempora moles,
Cum cælo tacitum, credite, fœdus habet.
Nam cælo ſol quidquid agit noctúve, diúve,
Inſcriptum nobis machina fronte refert.
Artis opus miræ. Ad terram revolubile plumbum
Nititur, & ſpiris throclea verſat onus.
Pondere ab hoc motus: nam dum vi vertitur axis
Dentatas cogit mordicus ire rotas:
Morſu illo implicitas, obversóſque orbibus orbes
Pendula ſuſpenſa examine libra movet.
Æneus hinc monitor turri ſonat, & ſimul horas
Mobilis inſcripto ſingula in orbe notat.
Dividit hinc judex vitam, totámque minutim,
Concidit, ſolidum dilacerátque diem.
At vos Heroes, quorum metimur ab ore,
Et regimus veſtro tempora noſtra ſono,
Diſcite non dare poſcenti reſponſa, priuſquam
Multa agitet ſecum mens operoſa diu:
Diſcite non ullam ſine pondere reddere vocem:
Diſcite (ne multis) ore manúque loqui.

Si luberet emblemate aliquo id genus horologia exornare, non abs re pingeretur Annus, qui in ſe ſua per veſtigia labitur. Idem eleganti colore delineandum exhibet Athenæus, nimirum tragicam perſonam quatuor cubitis ordinariâ ſtaturâ proceriorem, aureum Amaltheæ cornu tenentem, cujus pedibus mulier inſideat auro nitens, dextrâ ferens perſeis frondibus intextam coronam, ſiniſtrâ virgam ex palma, quæ Olympia, ſeu *pentetericos* olim dicebatur: utrumque latus muniunt quatuor anni tempora uti pingi aſſolent: paulò remotior Horoſcopus dextrâ manu horologium tenet, lævâ palmam, Emblemati argutam aliquam poſſes epigraphem adjicere, ut *An mirabilius pedibus, vel dentibus ire?* vel morale aliquid effatum. *Habeant ſua pondera voces.* Venuſtiores cenſentur, magisque commendantur deſcriptiones à formis artificialibus, ſi documenta moralia ipſis inſerantur, ut præſtitit quatuor poſtremis carminibus Famianus; & metro italico ſumma cum laude fuit conſequutus Eques Hieroſolymitanus Cirus de Pers in eleganti illa rotati horologij deſcriptione, quam ſubjicio ut plurimum venuſtatis, ac moralitatis præſeferentem. 15

Mobile ordegno di dentate rote
Lacera il giorno, è lo divide in hore
Eh hà ſcritto di fuor con foſche note
A chi legger le sa, ſempre ſi more.
Mentre il metallo concano percuote
Voce funeſta mi riſuona al core
Ne del fato ſpiegar meglio ſi puote,
Che con voce di bronzo il rio tenore.
Perch io non ſperi mai ripoſo, o pace
Queſto che ſembra in un timpano, e tromba
Mi ſfida ogn' or contro à l' età vorace.
Con quei colpi onde il mettal ribomba
Affreta il corſo al ſecolo fugace
E perche s' apra ogn' or, picchia à la tomba.

Commendatur vel maximè horologium ab Aatone Perſarum rege Carolo Magno Imperatori dono datum. Machina erat ex aurichalco, in qua duodecim horarum perjodicus curſus ad clepſydram vertebatur, cum totidem argenteis pilis, quæ pro horarum numero in ſubjectam argenteam pelvim decidebant, additis ejusdem numeri equitibus mira elegantia elaboratis, qui expletis ſtatis horis exibant, egreſſíque totidem apertas feneſtras impulſu quodam claudebant; adeo ut modò ſinguli, modò bini, modò terni, modò uno agmine omnes turmatim exilierint; exercitum dixiſſes è portis caſtrorum erumpentem. Referunt plerique ab Archimede Matheſis ſtudioſiſſimo miſſum Imperatori Romano horologium eâ ingenij elaboratum ſolertiâ, ut in eo non ſolùm ſeptem planetæ, ac primæ magnitu- 16

dinis ſtellæ, verùm & minutiſſima quæque ſidera noſtros vix oculos ferientia, quaſi cœlo defixa, elegantique ordine operi infixa cernerentur, & à quotidiano primi mobilis curſu raperentur, erranteſque ſtellæ ſuis affixæ orbibus moverentur; inque, earum meditullio fulgentiſſimus ſol proprio motu annum, & alieno diem deſcriberet. Haud tamen crediderim artificioſius eò, quod Carolus Quintus Imperator in annulo digiti geſtabat inſtructum ſuâ campanulâ, quæ melleoli pulſu ſtatis temporum ſpatijs curſum ſolis nuntiabat. Mirum ſanè eſt dictu, ac difficile captu quomodo peritiſſimus artifex in adeo exigua machinula campanulam cum tot libramentis currentibus, & recurrentibus rotulis incluſerit, multum eſt clauſiſſe magnum in parvo.

EXPENSIO VII.

Locus à fine expenſus.

a FInis in cauſarum conſeſſu poſtremam exitu, principem verò deſtinatione ſedem occupat: quia perinde ac ab una radice quam materno terra gremio fovet, caudex, rami, florum laſcivieus amœnitas, foliorum jocoſa viriditas, ac fructuum diſcolor elegantia prodit; ita univerſa operationum ratio à fine initium trahit, nec ullum reperias in rerum natura agens quantumvis rationis expers, cujus operationibus non ſit finis aliquis à natura præfixus. Eſt ſiquidem finis, cujus gratiâ aliquid fit, & agens proprias exerit vires: ſic gravia innato pondere deorſum ruunt, ut deſtinatum finem, ſeu quietem in terræ centro enanciſcantur: lævia ſurſum avolant proprium finem, ſeu nativam ſedem adeptura; nec flamma ullo patitur obice detineri, donec propriam attigerit ſphœram: hæc & alia id genus inanimata inſtinctu ſibi à Deo Conditore indito propter finis aſſecutionem moventur, perinde ac ſagitta ab arcu evibrata tendit in deſtinatum ſcopum impulſu illi à jaculatore impreſſo.

a Variè tamen ſumi aſſolet finis. Alius ſiquidem eſt finis privationis, nimirum rei interitus, quo pacto mors hominis finis dicitur. Alius finis termini, qui rem terminat, ut punctum dicitur finis lineæ, limes agri, mœnia urbis. Alius finis conſumptionis, éſtque ultima particula rei abſumptæ, finis candelæ dicitur poſtrema ejus particula, quâ abſumptâ nil ampliùs eſt ſuperfuturum. Alius finis intentionis,& intenditur à quovis agente propter finem: cuilibet agenti præviâ cognitione perpendendus eſt finis, à quo, ſi rerum omnium œconomia cœperit longè fortunatior erit exitus. Proderit igitur, rerum tractandarum imprimis finem ſedulâ diſcutione perpendere, ſiquidem ex eo prudens orationis diſtributio pendet; alioquin orator cæcis oculis natanti ſimilis erit, qui brachiorum plauſu multum defatigatur, & parum proficit, eò quia litus, quò ſit eundum, non videat. Plerumque contingit, ut ſive propter judicij tenuitatem, ſive ob imbecillitatem ingenij, ſive ob defectum alium in fine perpendendo admodum hallucinentur, ex quo graviſſimi emergunt errores minimè à cordatis viris tolerandi. Deus ipſe cujus ſapientia nullo coërcita limite omnia perfectiſſima attingit cognitione in mundi hujus ſtructura finem ſibi præſtituit nimirum propriæ ſapientiæ manifeſtationem, quâ laudaretur, ac glorificaretur à creaturis, adeò ut finis primarius rerum omnium creatarum ſit laus, & gloria Creatoris juxta illud *Prov. 16. 4. Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, id eſt propter ſemetipſum manifeſtandum, & glorificandum: neque aliud haberi poteſt ex creaturis reſpectu Dei: hinc *Habac. 3. Operuit cœlos gloria ejus, & laudis ejus plena eſt terra*, cujuſmodi ſunt pleraque alia in ſacris literis facilè obvia: quâ ratione regius Pſaltes volens *Pſal. 14.* invitare omnia creata ad laudem, & gloriam Creatoris incipit ab Angelis, utpote perſpicaciùs mundi ſyſtema, & harmonicum omnium creaturarum concentum diſtinctâ notitiâ attingentibus: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelſis. Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus*: bellè igitur ſapientiſſimus artifex Deus hunc conſequuturus finem, quem in harmonica mundi ſtructura ſibi præfixerat; creaturas condidit intellectu præditas, quibus univerſi manifeſtaretur harmonia, & concinnitas: neque ſe voluit gerere uti pictor, qui elegantem picturam ſolis cæcis, & cæcutientibus exponeret; neque ut muſicus artis eximiæ, qui delicatiſſimi concentûs chorum ſolis exhiberet ſurdis, & ſurdaſtris. Hunc Dei finem in orbe condendo attigit Seneca *cap. 32. de otio Sapientis*, ubi pulchrè ait: *curioſum nobis natura ingenium dedit, & artis ſibi, ac pulchritudinis ſuæ conſcia, ſpectatores nos tantis rerum ſpectaculis genuit, perditura fructum ſui, ſi tam magna, tam clara, tam ſubtiliter ducta ſolitudini oſtenderet. Ut ſcias illum ſpectari voluiſſe, non tantùm aſpici, vide, quem locum nobis dederit.* Imò adeò mirum, adeo elegans eſt mundi opificium, ut vel ex ipſis oppoſitis, contrariiſque eius concinnitas uberior aſſurgeret, uti ſacri Interpretes expendunt illud Eccl. 43. *Omnia duplicia unum contra unum, & non fecit quidquam deeſſe*; quod non tam de rebus ſingulis, quàm de omnibus, & ſingulis rerum generibus continentibus lege ubique uniformiter inviolabili binarium differentiarum, alterius perfectæ, alterius imperfectæ accipiendum eſt, ne quid deeſſet mundi perfectioni, ut concinnè exponit D. Auguſtinus *lib. 11. de civit. cap. 18. & cap. 33.* ubi præmittit. *Antitheta enim, quæ appellantur in ornamentis elocutionis, ſunt decentiſſima, quæ latinè appellantur oppoſita, vel quod expreſſiùs dicitur contrapoſita*, deinde paucis interjectis ſubdit, *ſicut ergo iſta contraria contrarijs oppoſita ſermonis pulchritudinem reddunt; ita quadam non verborum, ſed rerum eloquentiâ, contrariorum oppoſitione ſæculi pulchritudo componitur. Apertiſſimè hoc poſitum eſt in libro Eccleſiaſt. hoc modo: Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita. Et ſic intuere in omnia opera Altiſſimi bina, & bina, unum con-*

tra

tra unum. Ecce quàm uberrimam poſuit Deus creaturarum ſupellectilem, quàm laxam argumentorum ſegetem, ut laudaretur, ac glorificaretur à creaturis, ſuúmque finem conſequeretur: hinc ſcitè dixerat Chryſoſtomus, Enarranti DEI miracula, undecunque incœperit luculentum fore prooemium, ſive à cœlo, ſive ab aëre, ſive à terra, ſive à ſeminibus, ſive à plantis, ſive à brutis, & ubique inveniendum immenſum pelagus narrationum.

3 Uſus hujus loci perfamiliaris eſſe debet oratori, ex quo uberrimam tum ad argumenta conſtruenda, tum ad amplificationes inſtituendas decerpit ſegetem. A fine laxiſſimam mihi creaturæ ſingulæ adaperiunt aream commendandi hominis dignitatem. Quid dixerim, hominem DEO unicè in delicijs eſſe? an detortis id evincerem rationibus? verborúmque ambagibus ad aures duntaxat demulcendas aggeratis oſtenderem? miſſas facio rationes, ſed ſingulas creaturas propter hominis eommodum conditas in jus liceat mihi vocare; cum fuerint ipſæ à Deo ſapientiſſimo artifice fabrefactæ ad hunc unicè finem, ut homini jugiter inſervirent, abundè hominis excellentiam, ac dignitatam teſtabuntur. Hominis viatoris ampliſſima domus eſt terra, partim in planitiem extenſa, partim in collibus molliter aſſurgens; partim in editiſſimorum juga montiom conſcendens, ut ex hac varietate plurimum exhauriret oblectamenti, ſedémque ſibi deligeret magis accommodatam, diverſis quippe hominum ingenijs aptiſſima eſt locorum varietas, agreſtes, & rurales montes incolunt; delicijs addicti regiones amœnas, ſitu elegantes, ſpecie eximias, omníque deliciarum genere affluentes, in quibus videas pratorum herbeſcentem viriditatem intermicantium florum varietate picturatam; dulciſſimos, ac limpidiſſimos fontes, qui primùm argenteis aquarum vorticibus ebulientes, mox diffuſi in fluvios ſinuoſis flexibus, ac mæandris conciſi oberrent; colliculos arboribus pomiferis conſitos; plantas modò foliorum pompâ ſuperbientes, modò enatis floſculis laſcivientes, modò fructuum delicijs effluentes. Suſpice eœlum, quàm laxè protenditur, quàm rapidè volvitur, quot noctu emicat aſtris, quâ interdiu clareſcat luce: cœlum hocce inſtar ampliſſimæ teſtudinis extenſum pulcherrimum eſt terræ lacunar, & pretioſiſſimum hominis tectum innumerâ ſtellarum, veluti micantium gemmarum multitudine ad omnem elegantiam diſtinctum: quid colore illo cæruleo oculis gratius? quid rutilantibus illis gemmis purius? quid adamantina illa firmitate, quæ jam tot ſæculis circumacta adhuc inconcuſſa perdurat, nusquam attrita, nusquam abſoleſcens, nusquam fatiſcens ſolidius? quid planetarum curſibus, & recurſibus, converſionibus, incrementis, decrementis elegantius? at pulcherrima hæc cœleſtia corpora ad hunc unicè finem fuerunt à Deo condita, ut homini perpetuò inſervirent famulatu: luculenta ſiquidem non verborum, ſed rerum diſtributione enarrant cœli gloriam Dei, divinámque produnt ſapientiam, eámque homini ediſſerunt, ut Deum colat, lauder, glorificet.

Corpora itidem ſublunaria mirificè ubique locorum aſſurgunt, ut homini uberiora ſuppediteut commoda. Sol etiam proprio motu ſub ecliptica medium æquinoctialem ſecans, & nunc ad ſeptentrionem, nunc ad auſtrum declinans quatuor anni tempeſtates, hiemem, Ver, Æſtatem, & Autumnum rebus ſublunaribus accommodatiſſimas inducit. 4
Hiems enim id ſuo frigore exhibet beneficii, ut ſpiritu, & calore, qui ſeminibus, ac ſtirpibus ineſt, introrſum recepto, omnia interiùs roborentur, humorem, & alimenta colligant, radices figant, turgeantque ſingula, ut vegetiora foras erumpant. Ver ſuo tepore vegetantia quæque ab intimis terræ matris viſceribus foras evocat, & in culmos, in caules, in gemmas, in frondes, flores, & fructus elicit. Æſtas ſuo calore humorem ſupervacaneum abſumit, cruda concoquit, craſſiora attenuat, fructus ad maturitatem perducit. Autumnus moderato frigore omnia temperat, & ſiccitatem quam æſtas rebus impreſſerat, corrigit, terrámque ad nova ſuſcipienda ſemina præparat, ac diſponit: cum autem vegetabilia omnia in commodum hominis fuerint inſtituta, luce meridiana clarius eſt, hominem finem eſſe rerum omnium, quæ noſtros feriunt ſenſus, ac præſtantiſſimum eſſe cæterarum creaturarum, quæ viſibilem mundi conſtituunt pulchritudinem. Quanta igitur ſit hominis præſtantia, quanta excellentia, & dignitas ex eo conjice, quòd ſingula, quæ ad mundi ornatum pertinent, propter hominem fuerint condita; ſine quo fruſtra eſſet in rebus tanta pulchritudo, tam mirum artificium, tam elegans ſtructura, tam diverſa formarum, colorum, ſaporum, odorum varietas. Nihil enim eſſet, quod iſta poſſet percipere, decernere, mirari, & ex ipſis voluptatem capere. Cætera ſiquidem animantia ad paſtum abjecta non apprehendunt quidquam ſub ſpecie boni, niſi quod ventri, & Veneri congruit, idque ex ipſo naturæ impetu. Perſpicuum eſt igitur, ſummam eſſe dignitatem, & excellentiam hominis, in cujus duntaxat commodum, & utilitatem ſapientiſſimus artifex Deus ſingula, quæ ad mundi ornatum, ac pulchritudinem ſpectant, munificentiſſimè condidit.

A fine Horatius *lib. 4.* definit hominem eſſe pulverem, & umbram: *Pulvis & umbra ſumus*, eò quòd poſt fata caro noſtra in ſepulchralem abeat cinerem, & homo inter Manes Libithinæ ſordeſcat pulvere? alibi ab hoc loco pulchrè acceinit Principum, Procerum, Plebeorum, divitum, Pauperum æqualem eſſe conditionem, eò quia ſint omnes Fato obnoxij. *Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regúmque turres,* quod etiam innuit Ovidius *10. Metamorph.* 5

Serius, aut citius ſedem properamus ad unam,
Tendimus huc omnes, hæc eſt domus ultima rerum.

6 Quod argumentum fuit egregiè proſecutus Seneca *epiſt.* 24. inquiens, non repentè in mortem incidimus, ſed minutatim procedimus, quotidie enim dimittitur aliqua pars vitæ: hunc etiam, quem agimus diem, cum morte partimur. *Et epiſt.* 1. In hoc certè fallimur, quòd mortem proſpicimus, magna pars ejus jam præterjit, quicquid ætatis retro eſt, mors tenet. De brevitate vitæ. Quod graviſſimum natura fecit, commune fecit, ut crudelitatem conſolaretur æqualitas. Ægrè morienti dolorem leniebat Poëta arguto diſticho

Plorabas, cum natus eras; fuit ergo voluptas
Nulla tibi naſci, cur dolet ergò mori,

7 Finis uſus in deliberationibus perneceſſarius eſt, ac ad orationis progreſſum aptiſſimus, ad hunc ſingula referri debent argumenta, perinde ac lineæ à peripheria ad centrum ducuntur. Oratores, qui in texenda oratione nullum ſibi certum finem ſtatuunt ijs, haud abſimiles dicas, qui pulvereos globos in pectora jaciunt adverſariorum, qui ſtatim ſolvuntur, antequam eò, quò miſſa fuerint, perveniant. A finis honeſtate, ac utilitate poſſet facilè orator adoleſcenti perſuadere religioſi ſtatûs delectum. Perpende adoleſcens, ad quem te Deus finem condiderit, téque illuſtraverit rationis radio, munjerit mentis præſidio, intellectûs ſagacitate, memoriæ ſubſidio: certè non ſui imaginem nobiliori, quâ conſtas, parri impreſſit, ut mundi blanditijs, carnis illecebris, ſenſuum lenocinijs addictus veluti Circææ ſues in lutulento voluptatum cœno voluteris, aut perinde ac Urſus ſanguine paſtus abdomini inſervias, ac ventrem ingluvie impleas; aut in aggerando auro, argentóve occuperis. Non te creavit Deus, ut immenſa palatia, ſeu inſanas molis ſubſtructiones, atria multo auro radiantia; laxiſſimas porticus ſexcentis ſuſſultas columnis; thalamos fornicatos majorum referros imaginibus; tecta cœlum alta fronte ferientia; pavimenta contexta Ægyptio lapide in varia picturæ genera diminuto tibi conſtruas. Non te creavit Deus ut domus, hortos, flores, fontes, picturas, ſuaviſonas aviculas, cantillantes luſcinias, & alia id genus ſenſuum oblectamenta tibi appares, ut voluptatem ex iſtis haurias: ſed te condidit propter ſe, ut in ipſo æternum quieſcas, ut ipſo fruaris, ac æternæ ſis particeps felicitatis, cœtui puriſſimo adſcitus beatarum mentium, quæ ſedes æternis illuminatas ſideribus incolunt, non minus in æternitate felices; quàm in felicitate æternæ; quæ quoties in divinæ eſſentiæ terſiſſimum ſpeculum oculos defigunt, toties connivent ſplendore lucis obrutæ, ut loquitur Gregorius; & ita obruuntur, ut perfecta donentur beatitate nulli obnoxia defectui, nulla temporum viciſſitudine variabili, ſed æternùm duratura.

8 Quid adoleſcens hæres anceps? cum Deus ad hunc te finem condiderit, ut ſummum poſſideas bonum, ſisque æternæ particeps felicitatis: hanc beatitatem conſequeris ſi poſthabitis mundi illecebris, voluptatum blanditijs, ac periturs mortalis vitæ commodis religioſæ vitæ delegeris inſtitutum; quid differs vocanti Deo patêre? quid hæres anceps? jugum forſan, & onus formidas religionis; at timor iſte vanus eſt, & ignavæ mentis index, cum veritas ipſa dicat, *jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve:* ſi igitur jugum ejus ſuave, & onus leve, cur times, ne oneri ſuccumbas? ſi alij pleriq; delicatiores, ingenio & corpore imbecilliores valuerunt hoc onus alacri animo ferre; nullius eſt hæc excuſatio momenti, nullius ponderis. Mihi procul dubio eris conceſſurus, nihil in hac vita eſſe homini optabilius, quàm carere impedimentis, & abundare ſalutis adminiculis; hisce ſiquidem ſpes maxima datur evadendi ſummum malum, & tutior aperitur via conſequendi ſummum bonum, ſeu finem, ac beatitatem propter quam te Deus condidit, & ad quam tot illuſtrationibus, ac monitis te vocat, & allicit: & hæc impedimenta removet religio, hæc ſalutis conſequendæ adminicula abundè ſuppeditat religioſum inſtitutum: quod impedimenta ſubmoveat, perſpicuum eſt: etenim occurrunt vel in conſuetudine pravorum, vel in appetitu divitiarum, vel in ſectandis mundi illecebris, carnis voluptatibus, vel in captandis honoribus, aliisve id genus, quæ animum miſerè irretiunt, ac à ſummi boni avertunt amore: hæc autem retia diaboli, venena æternæ mortis, inferorum præcipitia removet religioſum inſtitutum, ac ſuccidit peccatorum radices: etenim ſi clauſtra incolis religioſæ domûs, procul abes à pravis ſocijs, nec tibi ampliùs fas eſt cum illis vagari, colludere, nugari: nulla adeſt occaſio, quâ ab ijsdem ſeducaris, ad illicita provoceris; non ampliùs eorum ſcommata, & convitia tibi ſunt moleſtiæ: quantum id ſit boni, ac momenti ad ſalutem conſequendam nemo non videt. Appetitus divitiarum extinguitur profeſſione paupertatis; quot laqueos immodicus iſte appetitus hominibus injiciat, ſatis liquet ex ipſa Servatoris Chriſti ſententia *Matth.* 19. *Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cœlorum.* Et certè nullum eſt flagitium licèt enorme, quod homines divitias coacervantes non deſignent: ſiquidem furta, rapinæ, fraudes in contractibus, homicidia, bella, latrocinia, parricidia ſacrilegia, & alia ſi quæ ſunt id genus ſcelera ab opum amore, veluti ab una radice pullulant.

Divitiæ, ſi poſſideantur inutilibus, & ple- 9
rumq; noxijs curis mentem implent, rectas in Deum cogitationes, piósque affectus perdunt, animum addunt ad audendum, & facultatem præbent ad exequendum: cum igitur religioſa paupertas radicem hanc malorum omnium evellat, ſuccidat, quis non adſtruet pro ſalute conſequenda plurimum adferre præſidij, multúmque adjumenti? Carnis blandimenta, Ve-

neris;

nerisque illicia qualem non inducunt morum corruptionem, fœditatem, abominationem, ac peccatorum colluviem? quot ad interminabilem non trahunt luctum? quot ad æterna non impellunt ſupplicia? cum pauciſſimi ſint, qui letifero hoc non inficiantur veneno, qui venerea non corrumpantur lue. Ii verò, qui matrimonio juncti abſque ſcelere carnis fruuntur voluptate innumeris implentur curis, torquentur moleſtijs, implicantur cogitationibus rei familiaris, præſertim ut domum regant, neceſſaria comparent, uxori ſatisfaciant, liberos educent, eóſque auctis opibus locupletent, & ita in bonis biſce perituris acquirendis occupantur, ut vix tantillum temporis deligant, quo ſeriò de æterna ſalute cogitent, rémque ſummi momenti ſedulò perpendant. At haſce ſollicitudines, hanc veneream luem extinguit amor caſtitatis, puritatis cultura, quæ impuras quaſque fugat cogitationes, mentémque ſanctis imbuit cogitationibus, piiſque inſtruit deſiderijs, ac ſcelera omnia, ſinguláque flagitia, quæ ex una libidinis germinant radice ſuccidit. Quæ impedimenta, quos obices non injicit ad ſalutem conſequendam honoris, & laudis cupiditas, & ambitio, ſi mortalium pectora pulſet? mentem ſalutaribus ſpoliat cogitationibus; perniciosis, ac inutilibus opplet.

11 Tangatur quis ambitione, die, noctúque occupabitur circa ea, quæ ad ſuum honorem, vel conſervandum, vel augendum, vel ad injurias ſibi illatas ulciſcendas, vel ad dedecus depellendum pertinent; ad genera omnia flagitiorum pronior erit; adeò ut ad odia, inimicitias, invidiam alienæ proſperitatis ſtimulos adjiciat ambitio, quæ plerumque cædes enormes, cruenta bella, provinciarum vaſtationes, expilationes, oppreſſiones, duella, occultas machinationes in aliorum perniciem excitat, fovet: atqui radicem hanc pernicioſam evellit honorum contemptus, & humilis ſubjectio ſub Prælati imperium, ſeu obedientiæ profeſſio. Des mihi virum honorum, dignitatum non appetentem, nec vanas hominum laudes curantem, & hunc dicam liberum ab innumeris curis, quibus miſerè ambitioſi torquentur.

12 Si igitur regulare inſtitutum impedimenta quæque ad æternæ ſalutis aſſecutionem declinat, removet; & præſidia plurima ſuppeditat, viámque ſternit faciliorem; cur non ſtatim clauſtralem amplecteris diſciplinam? cur vocanti Deo tot illuſtrationibus, quibus cor ſuum blandè ſuavitérque allicit, trahítque non illicò pares? an mihi objicies pubeſcentem juventæ florem: eh quid laudabilius, quid melius, quàm in primo adoleſcentiæ flore jugum religionis capeſcere? Thren. 3. *Bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua: ſedebit ſolitarius, & jacebit: quia levavit ſe ſupra ſe*, quippe in florente ætate à mundi tumultu ſegregatus, facilè ſupra naturæ ſuæ conditionem ellevatur, erigitúrque ad divina. Primum ætatis florem Deo ſacrârunt clariora ſanctitatis lumina: Sanctus Paulus primus Eremi incola, S. Antonius, S. Hilarion ſolitudinis cultores anno ætatis decimo quinto venditis omnibus, & in pauperes diſtributis ſe in deſertum contulerunt, Deóque ſe manciparunt: Simeonem Stylitam tredecim annorum adoleſcentem ab hominum frequentijs, mundíque tumultu receſſus abſtulit: D. Benedictus vix decimum abſolverat annum, & D. Joannes Calybita quartum decimum annum, ut D. Thomas Aquinas: S. Franciſcus à Paula, & S. Antoninus tertium decimum, quando relictis ædibus, opibúſque paternis, vel in ſolitudines, vel in monaſteria ſe abdidêre, orationi, jejunijs, aliiſve pietatis exercitijs vacaturi. O quam bonum eſt viro, cum portaverit jugum ab adoleſcentia ſua, ac ſe Deo mancipaverit, eò ſcilicet tempore, quo animus prava conſuetudine nondum eſt corruptus, quo ipſum nondum pellices voluptatum illecebræ allexerunt, nondum blanda deliciarum lenocinia illaqueârunt, nondum validiſſimæ vanitatum obſidiones dementârunt: placet ſupremo Numini ſacrificium non coinquinatum, ſed ſanum, integrum, & purum: non igitur eſt, quo diutius differas onus ſubire religionis; non eſt, quo protrahas vocanti Deo parêre; præſertim cum ex diutina mora inter ſæculares tumultus, hominéſque perditos pravæ contrahantur conſuetudines, quæ ægerrimè poſtea deponuntur, ut ſcitè Proverb. 22. *Adoleſcens juxta viam ſuam ambulans, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea*, cui conſonat illud Poetæ. *Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem teſta diu.* Quanta ſit vis conſuetudinis ſive in bonum, ſive in malum ex eo conjice, quod conſuetudo dicatur *altera natura*, quia inſtar novæ, & acceſſoriæ naturæ inclinat, urget, impellit.

13 Si igitur tanta eſt conſuetudinis vis, & efficacia; omni ope, omníque niſu pravas debes conſuetudines anticipare, idque tibi unicè eſſe cordi, ut quàm primùm occaſiones declines, quæ ad malum viam ſternunt, téque Religioſorum cætui adjungas, optimum vitæ ſuſcipias inſtitutum, quò impedimenta quæque removentur; tibique adjumenta; ac præſidia abundè ſuppeditantur, quibus æternam conſequaris beatitatem, propter quam te Deus condidit, téque internis allicit illuſtrationibus, ac blandè vocat à ciſternis voluptatum diſſipatis ad puriſſimos virtutum latices; à tumultu ſæculi ad requiem regularis inſtituti; à mundi illecebris, quæ perinde ac ſirenulæ blandulæ cantu delectant, ut deinde lacerent; ut Hircaniæ ſylvæ Panteræ profuſo alliciunt odore, ſed ungue dilaniant, ut vireta Sardonica riſum excitant, ſed mori cogunt; ad virtutum culturam, ad ea media, ac præſidia amplectenda quibus æternâ doneris felicitate. Optimum ſelige vitæ religioſæ inſtitutum, tametſi ab initio durum tibi videatur; aſſuetudine dulce fiet.

14 Claret jam quanti ſit momenti, quantum habeat ponderis præſens locus à fine præſertim

indeliber tivis orationibus;ſi media ſingula ſedulâ diſcuſſione perpendantur, & ea, quæ faciliùs ad finis aſſecutionem conducunt, ſeligantur, proponantur: ſi via explanetur ad terminum attingendum, obices removeantur; facilè quiſque explanatam ingreditur ſemitam. A fine potiſſima conficiuntur argumenta, præſertim per confutationem: ut ſi velles evincere virum aliàs probum neutiquam facinus perpetrâſſe; poſſes commodè id oſtendere, eò quia nullus occurrat finis aſſignatu facilis, à quo impelli potuerit ad patrandum ſcelus, non egeſtas, non gloriæ cupiditas, non ſitis cumulandi opes, non vindicandæ injuriæ deſiderium, non timor detrimentum aliquod ſubeundi. A fine pulchrè probat Auſonius nomina ipſa, & ſaxa eſſe morti obnoxia: cum ipſi occurriſſent monumenta quædam marmorea Romanorum inſculpta elogiis, ac nominibus Imperatorum temporis edacitate ex parte deletis piè cecinit

Miramur periiſſe homines monumenta fatiſcunt
Mors etiam ſaxis, nominibúſque venit.

Et Poëta Italus etiam urbes regna adnuit interitui obnoxia, ac mortalia, & homines redarguit, quòd mortem timeant

Moiono le città moiòn i regni.
Cuopre i faſti, e le pompe arena, & herba.
E l'huom' d'eſſer mortal par che ſi ſdegni!

EXPENSIO VIII.

Locus à Definitione expenſus.

1 DEfinitio, quæ à Latinis finitio dicitur, ab agrorum finibus ſuam ferunt originem traxiſſe: ſicut fines agros adeo circumſcribunt, ut eorum quidquam extra illos non reperiatur; ita definitio quaquaverſum definitum comprehendit, ut nihil ſit, quod definitione non cingatur: ea omnia, quæ mundi ambitu divina mens complexa eſt ſua dignitate, ac ſplendore definitio illuſtrat. Dicitur igitur definitio à termino rem propriam circumſcribente; unde illa duo exoriuntur poſſeſſiva pronomina *Meum Tuum* omnis litigij, ac diſſidij radices, quæ ſi tollerentur abſque ullo Saturni ortu iterum emergeret aurea illa ætas quando

Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant.

2 Sacros fuiſſe apud Ethnicos terminales lapides ſcimus non alia ratione, niſi quia agrum ab agro diſcriminantes diſſidiorum radices amputarent: ut pulchrè Ovidius alloquitur Terminum, qui ut Numen colebatur.

Tu populos, urbéſque, & regna ingentia finis,
Omnis erit ſine Te litigioſus ager.

Cæterum definitio eſt oratio verborum de-
3 lectu rei naturam explicans; & duplex eſt, alia rei, nominis altera; illa rei eſſentiam exprimit; hæc nominis ſignificationem, quâ ratione ab Ariſtotele nominis interpretatio dicitur. Quòd ſi non abs re fertur Democritus, orationem dixiſſe operis umbram, ea de cauſa, quia apta verborum concinnitate res quaſque delineet, rethoriciſque pergraphicè pingat coloribus; potiori jure id definition congruit, quæ non umbra duntaxat, ſed viva eſt rei imago ſuo undique ſimillima prototypo. Perjucundum ad animi, oculíque oblectamentum fuit certamen Pauſiæ pictoris vix alteri ſecundi, & Glycæræ; hæc omnigena, & florum cultura præſtantiores formâ, odore ſuaviores, & elegantiores colore delegerat, quos in calathis aptè diſpoſitos exhibuerat: ille eorumdem formas, & colores eleganti expreſſerat pennicillo, ac diverſos veluti luxuriantis naturæ luſus excellentioris artis ſtudio dederat: non abs re dixerim definitionem imitari picturæ induſtriam, cum res ſingulas ſive ſenſus ferientes exteriores, ſive eoſdem fugientes, verborum pingat delectu. Immo ea eſt definitionis dignitas, ac ſplendor, ut à Theæteto cum ſole planetarum principe conferatur: quia perinde ac clariſſimum ſydus ignaviæ diſcutiat tenebras, & ad diſciplinas capeſſendas plurimum ſuppeditet præſidij.

Dividi ſolet defininitio à Dialecticis in 4
eſſentialem, deſcriptivam, & cauſalem: Rhetores verò qui laxiori, ac adipali dicendi genere vel maximè delectantur, alias aſſignant definitiones per cauſas, affectus, accidentia, ſimilitudines, negationes, metaphoras conglobatas, quas ſingulas dilucidè expendemus

Definitio eſſentialis, quâ utuntur Dialecti- 5
ci, explicat preſsè rei eſſentiam beneficio generis, quo res rationem participat rebus plurimis diverſarum ſpecierum commune; & differentiæ, quâ ab ijsdem diſcriminatur: ſic homo rectè à Dialectico definitur *animal rationale*, quia per hoc, quòd ſit animal, convenit cum cæteris brutis; differt verò per rationalitatem: orator verò quia ab hoc laconiſmo abhorret, nec res adeò nudè exhibet, ſed quibusdam artis lenocinijs exornat, aſſignatam definitionem laxiùs expendit, uti exequitur Seneca *epiſt. 76.* inquiens. Omnia bono ſuo conſtant. Vitem fertilitas commendat, ſapor vinum, velocitas cervum. Quare fortia dorſo jumenta ſint, quæris? quia eorum hic unus eſt uſus ſarcinam ferre, in cane ſagacitas prima eſt, ſi inveſtigare feras debet; curſus ſi conſequi, ſi mordere, & invadere. Id in quoque optimum eſt, cui naſcitur, quo cenſetur. In homine optimum quid eſt? Ratio: hac antecellit animalia, Deos ſequitur. Ratio ergo perfecta, proprium hominis bonum eſt: cætera illi cum animalibus ſatis communia ſunt. Valet? & Leones. Formatus eſt? & Pavones. Velox eſt? & equi. Non dico in his omnibus vincitur. Non quæro quid in in ſe maximum habeat, ſed quid ſuum. Corpus habet? & arbores. Habet impetum, & motum voluntarium? & beſtia, & vermes. Habet vocem? ſed quantò clariorem canis, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem, mobiliorémque luſciniæ. Quid in homine proprium? Ratio. Hæc recta, & conſummata felicitatem hominis implevit. Lu-

culus

tulenter amplificavit rationes, quibus homo cum brutis convenit, & rationalitatem, quâ longè præſtantiorem ſortitur conditionem, nobilioremque naturam. Generis amplificatio exigit, ut cœtera commendentur animalia, quorum rationem communem participat homo: Laudantur verò animalia à pulchritudine corporis, labore, ſagacitate, fidelitate, prudentia, fortitudine, amore in dominos, gratitudine; ac cæterarum virturum adumbratis ſimulachris, ut effecit in muſcæ laudatione Lucianus, qui tanta induſtria, elegantiarum phaleris, verborúmque delectu eſt proſecutus cuncta, quæ de muſca vel recenſeri, vel excogitari poſſunt, ut nihil videatur poſſe ulterius adjici, nihílque in eo genere inveniri luculentius.

6 Quæ ab hoc definitionis fonte hauriuntur, tum à Dialecticis, tum ab oratoribus argumenta, plurimum præſeferunt roboris, multúmque obtinent præſtantiæ, ac dignitatis. Oratores tamen fuſa methodo, elegantiarum ornatu, ac figurarum varietate illa pertractant: ſecus Dialectici conciſè, ac paucioribus verbis ſine ornatu elocutionis. Ut autem argumenta eruantur à definitione juvat animadvertere ejus regulas, quæ quatuor aſſignantur principaliores. Prima eſt. Quod convenit definitioni, convenit etiam definito: ut inexplebilis cumulandarum divitiarum ſitis arcenda omnino eſt, & immodica auri fames vituperanda: ſed hæc eſt ipſa avaritiæ definitio: igitur avaritia vituperanda eſt. Secunda: quod negatur de definitione, hoc idem de definito inficiatur: ut Satyri non ſunt animalia rationalia. igitur non ſunt homines. Facultas appoſitè dicendi non eſt ſcientia: igitur à cathalogo ſcientiarum eſt Rhetorica expungenda. Tertia: cui tribuitur definitio, tribuitur & definitum: ut Eloquentia eſt, quæ cognitis, penitúſque perſpectis, & in unum exitum ſpectantibus, ac nunquam fallentibus præceptis conſtat: igitur eſt ars. Quarta: à quo removetur definitio; etiam definitum detrahitur: ut ſi Rhetorica non eſt rerum divinarum, ac humanarum cognitio, igitur nec ſapientia dici poteſt. Hæc autem & ſimilia axiomata ad Dialecticum magis pertinent: deberet orator hæc omnia uberiori verborum ſegete amplificare, figuris exornare, ac elegantijs pingere: ſubjicio exemplum; ſi Dialecticus vellet Dolabellam à præconceptis in Reipublicæ perniciem avertere, hoc vel aliud haud diſſimile conſtrueret argumentum: Captandæ gloriæ cauſa ea exequeris, quæ jam pridem fuiſti meditatus: ſed gloria eſt laus rectè factorum, & tu ea moliris, quæ ad reipublicæ ordinantur exitium: igitur gloriam nunquam eris conſequuturus.

7 Hoc idem argumentum pluribus rhetoricè amplificat Cicero, ornat figuris *Phil. 1. num. 29.* inquiens. Te enim intuens Dolabella, qui es mihi chariſſimus, non poſſum de utriusque veſtrûm errore reticere. Credo enim vos homines nobiles magna quædam ſpectantes, non pecuniam, ut quidam nimis creduli ſuſpicantur, quæ ſemper ab ampliſſimo quoque clariſſimóque contempta eſt; non opes violentas, & populo Romano minimè ferendam potentiam, ſed charitatem civium, & gloriam concupiviſſe. Ea autem eſt gloria, laus rectè factorum, magnorúmque in Rempublicam meritorum; quæ cùm optimi cujusque, tum etiam multitudinis teſtimonio comprobatur &c. Eruuntur ab hoc definitionis loco argumenta tum affirmativa, tum negativa. Si quæratur, an gloria ſit appetenda, primùm inveſtiganda eſt gloriæ definitio, nimirum quid propriè gloria ſit: ab hac definitione debet orator procedere ad quæſtionem hoc modo affirmativè: gloria eſt laus rectè factorum, magnorúmque in Rempublicam meritorum; poſita hac Definitione exhibenda eſt minor propoſitio: ſed laus rectè factorum, & approbatio rectè judicantium eſt res bona, quia eſt verum de virtute judicium, quod conſequi minimè poſſumus, niſi ſimul virtutem tueamur: ex utraque propoſitione inferenda eſt hæc alia: igitur gloria appetenda eſt. Negativè procedendum eſſet hoc modo. Approbatio levium hominum, & non rectè judicantium non eſt gloria laude digna, ſed inanis, ac pernicioſus applauſus, ſeu mendacium, vanáque adulatio: ſed Cajus appetit leviſſimorum hominum non rectè judicantium approbationem: appetit igitur inanem gloriam, vanúmque mendacium. Plura non addo exempla, tantùm oratores adhortor, ut inveſtigandis rerum definitionibus aſſueſcant, ex quibus potiſſima deducuntur argumenta præſertim ad confirmanda, vel confutanda, quæ in diſceptationem cadunt: pro confutatione ſit argumentum Crimen læſæ majeſtatis eſt movere bellum contra principem non defenſionis neceſſariæ cauſa: ſed Cajus Cæſar movit bellum contra Principem propter neceſſariam defenſionem: ergo Cajus Cæſar nullum perpetravit crimen læſæ majeſtatis. Pro confirmatione: Qui bellum infert Superiori non neceſſariæ defenſionis cauſâ; ſed ut regnum rapiat contra divinam ordinationem, reus eſt læſæ majeſtatis: ſed Abſolon intulit bellum Patri regi, non ut ſe defenderet (non enim fuerat à Patre læſus) ſed ut regnum raperet contra ordinationem divinam: ergo fuit reus læſæ majeſtatis. Hæc exhibita argumenta, quæ propiùs ad Dialecticam accedunt, amplianda ſunt ab oratore, ornanda figurarum varietate, verborum delectu, elegantiarum phaleris. Ut in latiorem Rhetorum campum me transferam, eas expendam definitiones, quarum uſus frequentior eſt oratoribus.

Quamvis igitur Rhetorica, perinde ac Dialectica res definiat per genus, & differentiam; nihilominus orator perſæpe eandem rem definit, ſeu potius deſcribit per omnes fere locos Rhetoricos, ut per cauſas. effecta, adjuncta, contraria, ſimilia: quo pacto Rhetor, Virtutem *à cauſa* definit eſſe primigeniam æternæ ſapientiæ; portionem divinitatis homini- 8

minibus communicatam; præcipuum hominis ornamentum. *Per effecta* omnium bonorum fœcundam radicem; regulam rectificativam humanarum actionum; magiſtram murum; cultricem pacis, largitricem premiorum. *Per adjuncta* mortalium illicium, ſuperûm delicium, regale ornamentum, Reipublicæ decus, Principum ornamentum. *Per contraria* ſegnitiei inimicam, vitiorum debelatricem, otij expultricem; Veneris, & Bachi naufragium; iraſcibilis moderatricem; concupiſcibilis regulatricem; voluptatis novercam. Quòd ſi *per plura ſimul loca* definiatur virtus; hæc dicenda eſt, quæ nec eripi, nec ſurripi poteſt unquam; quæ nec naufragio, nec incendio amittitur; quæ nec hominum poteſtatibus, nec temporum vicibus mutatur; quæ in clauſtris adoleſcit, & in foro ſplendeſcit; quæ ubique ſecura, ubique tuta, nil timet, & cladibus immota manet.

De Definitione per cauſas.

9 RAtio definiendi rem per cauſas ornatiſſima eſt, plurimúmque præſefert venuſtatis, ac elegantiæ: Cauſæ dicuntur, à quibus effecta promanant; aſſignantúrque quatuor, duæ intrinſecæ materialis, & formalis, ex quibus res definiendæ coaleſcunt: aliæ ſunt extrinſecæ, efficiens & finalis, à quibus effecta profluunt: raro tamen oratores per formas internas utpote latentes, ac ſenſibilibus in extimo cortice obductas accidentibus; & rariùs per cauſam finalem, quæ minus rei exhibet imaginem, definiunt: crebriùs verò per cauſam efficientem, quia cum ſimile nitatur, quantum poteſt ſibi ſimile producere uberiorem definiti notitiam ingenerat mentibus: ſæpiſſimè ſidem per cauſam materialem. A cauſa materiali Virgilius definit Gigantes terream prolem, eò quia ex humo conditi fuerint.

Terrea progenies durum caput extulit antris.

10 A cauſa materiali homo definitur humus: aurum terra rubra. A cauſa efficiente à patre, & patria definitur Æneas á Virgilio 6. Æneid. *Tros Anchiſiades* Simonides à matre vocat mulas *velocium filias equorum.* Ab Inſtitutore Auſonius definit literas *Cadmi nigellas filias*: dicitur Cadmus Author fuiſſe literarum. A cauſa formali definitur homo, *anima immortalitate donata, & beatitate donanda.* A cauſa exemplari definitur à Triſmegiſto *imago divinæ majeſtatis.* A cauſa finali *Animal rationale conditum propter beatitudinem, æternámque felicitatem*

11 Præſtantior tamen erit, ac nobilior definitio, ſi ex quadruplici cauſarum genere coaleſcat, ac laxiorem ſibi aperit luculentæ amplificationis aream orator, ſi ſubjectum definierit per quatuor prærecenſita cauſarum genera, & ſingulas definitiones verborum delectu, figurarum varietate ornabit, dilatabit; ut ſi definiendus occurreret homo: Dialecticus preſſè aſſignaret illam communem ſatis in Philoſophicis Academijs vulgatam definitionem homo eſt *animal rationale*: Orator verò per quatuor cauſarum genera laxiores, ac elegantiores exhiberet definitiones, quibus hominis dignitatem plurimum commendaret. Primò *à cauſa materiali*: Tametſi homo ex humo coagulatus, ac fabrefactus, vas quoddam ſit quaſſum, fragile, corruptioni, ac interitui obnoxium: tametſi corpore conſtet nudo, ſuapte natura inermi, ad omnem fortunæ contumeliam projecto; quod à fletu vitam auſpicatum, ſi ægritudinibus arietetur, facilè ſolvitur, diſſipatur; quod ſi non bene lacertos exercuerit in pabulum, in victimam cedit cuilibet feræ; quod vel propria metuens alimenta eorum modò copiâ, modò inopiâ rumpitur, alienæ opis ſemper indigum, ſempérque detrimentum patiens, fluidis contextum lineamentis, frigore, æſtu, labore ſolubile, cui odor, ſapor, vigilia, ſomnus, humor, cibus, ſine quibus vivere non poteſt, lethalia ſunt vulnera.

Attamen (*à cauſa formali*) animâ conſtat, quæ nobilior eſt hominis pars ab omni materiei depurata craſſitie, Dei opificis præſeferens imaginem nullis fortunæ contumelijs delebilem, aut extinguibilem. Quid præſtantius animâ rationali, quam nulli adverſantis fortunæ ictus; nullæ ægritudinum moleſtiæ, nullæ ærumnarum vexationes poſſunt interimere? Quid rationali animâ dignius? Inſtruantur toto terrarum orbe carnificinæ novis, inviſis, inauditis ſuppliciorum generibus apparatiſſimæ, inſtent minis Imperatores barbati, exitiales, funeſti, humani generis laniſtæ potiùs, ac tortores, quàm Principes: at hæc ſi divino fuerit colluſtrata lumine, ferrum, nervos, acinaces, mucrones, plumbatas virgas, ferreos pectines, & alia ſexcenta ſuppliciorum inſtrumenta ridebit, deſpiciet, quia in ipſam non valent quicquam; nec poſſunt ipſi ullum adferre detrimentum. Quid rationali anima excellentius? hæc veritatis, ac virtutis delectatur pulchritudine, in ipſa tanta eſt intelligendi vis, ut nullo circumſcribatur limite, omnia intelligat, & in ſe ipſa quodammodo formet, ac exprimat, omnia pervadat: altum eſt cœlum, & illuc conſcendit, planetarum motus, converſiones, ortus, occaſus ſedula diſcuſſione rimatur, perpendet: profundi ſunt inferi; & intimos illos terræ receſſus perluſtrat, ad terraquei globi pertingit centrum, & communem illam gravium ſedem occupat cogitatione: longè latéque diffunduntur pelagi tractus; & hos veluti in oculi nictatione trajicit, ac momento in diſitiſſimas ſe ſe confert mundi regiones. Quid de voluntate dicam? cujus imperio coërcentur iraſcentis animi effrænes motus, extinguuntur concupiſcentiæ lethales ignes; ſedantur, vel excitantur, prout magis libuerit affectus omnes. Quid de memoria? quam immenſa rerum aliarum alijs dietim accedentium congeries, non modò non exæquat, non explet, non cumulat, ſed magis dilatat, laxátque ampliùs, novóſque ſemper ſinus, ac 12

receſ-

receſſus intus latè lacunoſos aperit: facultas rationalis animæ eſt memoria, quæ rerum, verborúmque multitudinem formâ variam, ſenſu diſcrepantem, numero propemodum infinitam non confusè, non permiſtè, ſed diſtinctè, electéque conſervat, & ſive ſingula ſeparatim, ſive univerſa confertim profert, adeò ut in tanta rerum turba nihil turbetur, ſed ſingula diſtinctè prodeant.

13 (*A cauſa efficiente*) Quid igitur homine excellentius, opus eſt Sapientiſſimi Artificia Dei, ad omnem fabrefactum elegantiam, omnibus ſuis abſolutum numeris, cujus dotes ex altiſſima fluunt ſapientia, cujus perfectionea ex ipſo æterni Dei ſinu derivantur. Ex eo vel maximè eſt homo commendandus, quòd Deum habeat authorem, nimirum mentem ſapientiſſimam, ſanctiſſimam ab omni mortali concretione ſecretam, quæ ſingulis univerſis partibus accuratiſſimè moderatur, quæ fluentium rerum tanſitum jucundiſſima temperat varietate, cujus pulchritudo non ulla in forma, vel eximia venuſtate externa reſplendet, ſed in bonitate ſecundùm virtutem ineffabili conſiſtit. Mirare quot dotibus, quot perfectionibus, quot excellentijs, ac facultatibus, præ cæteris emineat homo creaturia: licèt omnes, & ſingulæ ab una emanent Sapientiſſimi Dei mente, ac idea ſempiterna: quemadmodum pictores colorum elegantijs figuras humanas in tabulis deſcribunt, ac concinnè exprimunt, ut pulchritudinem exemplaris accuratè in ipſam transferant imaginem: ſic excellentiſſimus Artifex Deus virtutea animis noſtris indidit, & veluti inſenſibilibus quibusdam coloribus imaginem ſui, veluti in animi noſtri tabula graphicè pinxit, elegantiſſimè delineavit, ut hominem ſibi quaſi parem efficeret. Quid humani corporis ſtructura, ſymmetriâ pulchrius, elegantius? at Deus in hoc mirabili opificio ſolidamenta corporis, quæ oſſa dicuntur, nodata, & invicem nexa vinculis alligavit nervorum, viſceribus operuit, quibus venas admiſcuit, quaſi rivos per totum corpus diviſos, per quos diſcurrens humor, & ſanguis univerſa membra ſuccis irrigaret vitalibus, & viſcera miro artificio conſtructa ſuperjectâ pelle contexit: totúmque corpus eâ diſpoſuit elegantiâ, ut primùm caput tornaverit, cui adnexa cervix eſſet: item collo pectus, pectori adhæreret venter, huic ſubnexa eſſent genitalia, quibus adnecterentur femora, & pedes.

14 (*A cauſa finali*) Et ad quem putas finem fuiſſe hominem tam concinnè, tam eleganter à Deo Artifice ſapientiſſimo conditum; certè non ut bonis hiſce perituris adhæreret, non ut in cumulandia divitijs diu, noctúque occuparetur, ſed ut virtutum exercitio æternam conſequeretur beatitatem, triumphis potiretur jugiter duraturis, & in illa æternis ſyderibus illuminata domo beatorum adſcitus cœtui omnibus afflueret gaudijs, gauderétque de pulchritudine habitaculi, & de nobiliſſima Sanctorum ſocietate. Quid ſine iſto præſtantius? ad quem Deus hominem deſtinavit, eſt ſiquidem æterna beatitudo, quâ donatus quicquid dulcedinis, pulchritudinis, & oblectamenti excogitari poteſt, ſuaviſſimè hauriet, puriſſimè deguſtabit: etenim, ſi delectat pulchritudo, fulgebit juſtus ſicut ſol in illo perpetuæ felicitatis regno: ſi velocitas, agilitas corporis, cui nihil poſſit obſiſtere; aſſumet juſtus corpua glorioſum, quod celeritate cætera alia exſuperabit: finge tibi navim per vaſtiſſimos patentis æquoris tractus velis, remíſque concitatiſſimè fluentem: finge telorum è baliſtis emiſſos nimbos; vel ruentia è ſinu præruptæ nubis fulmina: finge Aquilas, Accipitres toto illo plumarum remigio inſtructos concitatiſſimo corporis niſu ruentes in prædam, longè velociùs, ac celeriùs beatorum corpora diſcurrent per disjunctiſſima quæque loca: imò ſi ruentis fulminis perniciſſimum motum contuleris cum velocitate corporis glorioſi, teſtudinem cum aquila comparabis, quia ſeminatur corpus animale, & ſurget corpus ſpirituale. Si placet diuturna, ac ſalubris vita, ibi ſana erit æternitas, & æterna ſanitas, quia juſti in perpetuum vivent: ſi ſapientia, quam nos homuli improbo labore vix addiſcimus, & ægrè ratiocinando colligimus, beatorum mentes omnigena ſcientiarum encyclopedia ſtatim inſtruuntur ſine ullo obviantis difficultatis modo, qui moleſtiam ingerat; quinimo in cognitione matutina res omnes, & ſingulas in Verbo veluti in politiſſimi candoris ſpeculo vegeti coloris flore vividiùs accenſas contemplantur. Quid igitur homine præſtantius? quid excellentius? cujus finis eſt ipſe Deus, cujus Artifex Omnipotens, cujus anima eſt imago Auguſtiſſimæ Trinitatis, cujus corpus elegantiſſimum eſt Dei opificium? Ecce quàm amplum, quàm laxum aperiunt oratori amplificandi campum definitiones per quatuor cauſarum genera. Cum plurimum præſeferant definitiones præſidij, plurimúmque dignitatis præſertim in amplificationibus inſtituendis, & res ipſas rhetoricis pingant coloribus, ornent elegantijs, perpoliant venuſtatibus, earum uſus, ſi frequens fuerit, oratori maximè proderit.

De Definitione per Effecta.

ORatores, qui delectare quærunt, & elocutionis pompam ad aures demulcendas, 15
præter expenſas definitiones per quatuor cauſarum genera alias inſtituunt; in quibus lubentiùs, faciliúſque verſantur, ut uberiorem exhibeant eloquentiæ ſegetem. Definiunt igitur oratores res quaslibet per effecta, quæ ad ipſas conſequuntur, qui definiendi modus frequentiſſimus eſt apud ipſos, & aptiſſimus ad oratorias amplificationes, ac deſcriptiones. Si definienda occurreret oratori, epidemica lues poſſet id eleganter præſtaret per effecta, quæ à peſte humana corpora inficiente cauſantur hiſce, vel ſimilibus verbis. Commentum hactenus putavi, meráſque delirantium nugas Poëtarum, quinquaginta capitibus, ut Heraclites

Ponticus adſtruit, communitam fuiſſe Lerneam Hydram, ceu monſtrum illud horrendum laboris Herculei ſecundam palmam. At monſtrum longè crudelius anno anteacto Viennam Auſtriæ aggreſſum fuit, & debacchatum per mortalium capita; & quidem ea pertinacia, eò ardore, ut labor nullus ſuffecerit, quò extingueretur. Occupabantur imminentis mortis formidine mortalium capita, impalleſcebant virorum, ac mulierum ora, ubique luctus, ubique ſqualor. En qualem invexit lues calamitatem, cum per omnium capita vagaretur inſatiabilis pernicies: en quot ipſa attulit incommoda, quot ſtrages. Vidiſſes orbata fora, viduata palatia, cancellis clauſas plateas, extinctas familias, ſigillis obſignatas fores, vacuas habitatoribus domos, onuſta cadaveribus circumire plauſtra, cadere circa funus ipſas exequias, medentes interire cum ægris, langueſcere plerosque morti proximos, tremere artus, ſiccari ſauces, tabeſcere pectus, frigeſcere membra, vitiari ſanguinem, recedere oculos, impalleſcere genas, comprimi nares, dehiscere in fruſtula marcidas carnes; plurimarum domorum hæres erat nemo, quia nemo ſuperſtes: nullæ lachrymæ, quia dolor nimius. Vidiſſes jacere paſſim utriusque ſexûs cadavera, nuda, lacerata, ulcerata urbis oculos inceſtantia, fœtorem funerum ſpirantia, & mortem de morte exhalari. Vidiſſes plebem aut interemptam, aut lugentem, in ſqualore dejectam, de qua, ſi quid ſupererat, totum calamitatis erat: cuncta aut mœſtitudine anxia erant, aut lachrymis exhauſta, aut orbitate proſtrata, neſciásque penè, cujus erat ſors pejor interfectorum, an ſuperſtitum: urbs tota ferale quoddam buſtum erat, & jacentium acervus. Sunt omnia prærecenſita peſtis effecta, quæ uberrimam exhibent oratori amplificationis ſegetem.

16 D. Ambroſius *lib. de Elia, & jejunio cap. 16.* luculenter deſcribit per cauſas, & effecta ebrietatem, & artificioſiſſimè modum exprimit definiendi ab effectis. Ebrietas (inquit) fomentum eſt libidinis, incentivum inſaniæ, venenum ſapientiæ. Hæc ſenſus hominum mutat, & formas; per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes. Siquidem naturali vapore corporis calidi, & præter naturam vini calore inflammati cohibere ſe non queunt, & in beſtiales libidines excitantur, ut nullum tempus præſcriptum habeant, quod doceat indulgere concubitui. Vocem amittunt, colore variantur, oculis igneſcunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardeſcunt, ſenſu excidunt. Hinc phreneſis periculoſa; hinc calculi gravis pœna; hinc exitialis cruditas; hinc vomitus frequens, hinc viſcera cruorem ſimul, & ſemeſas epulas fundentia; hinc vanæ imagines, incerti viſus, inſtabilis greſſus. Quid ebrijs turpius? nutat his cum capite terra, quæ erigi, & inclinari videtur, & quaſi vertatur; timentes in faciem ruunt, & ſolum manibus apprehendunt, aut concurrentibus montibus ſibi videntur incluſi. Murmur in auribus, tanquam maris fluctuantis fragor, & reſonantia fluctu littora. Canes, ſi viderint, leones arbitrantur, & fugiunt. Alij riſu ſolvuntur incondito. Alij inconſolabili mœrore deplorant. Alij concipiunt irrationabiles pavores. Vigilantes ſomniant, dormientes litigant. Vita his ſomnium eſt, ſomnus mors. Ecce quàm lepidè, & concinnè per effecta ebrietatem expreſſit. Caveat tamen orator ne in effectorum minutijs, & nugis recenſendis diu immoretur: quia ſi in rebus amplificandis nimia prolixitas tœdium parit, in minutijs recenſendis ſtomachum movet.

De Definitione per ſimilitudinem.

REjiciunt plerique modum hunc definiendi 17
ſubjectum per ſimilia, eò quia parum videatur præſeferre roboris, parum dignitatis; etenim cum ſimilia neutiquam ad rei quidditatem pertineant, nec quicquam ejusdem ſint, ab omni probandi ratione arbitrantur eſſe disjuncta: at quantum fallantur ex eo deprenditur; quòd Principes Eloquentiæ cultores: uti fuêre Demoſthenes, Cicero, & alij fere innumeri paſſim uſi fuerint hac definitione per ſimilia, plurimúmque habere præſidij tum ad delectandum, tum ad perſuadendum aſſeruerint: nec immeritò, quia ſicut vultus, quos vivos licet intueri, ſi eleganter in tabulis depicti nobis exhibeantur, blandiùs delectant: ita quæ per ſimilitudinum illecebras proponuntur magis placent, & ſuaviùs in animos perlabuntur, præſertim ſi quæ ſenſus fugiunt exteriores per ſimilia, quæ ſub ſenſus cadunt, vel ſunt captu faciliora explicentur.

Uſus igitur hujus definitionis multum habet elegantiæ, plurimúmque oblectamenti, totque divitias continet, quot ſimilitudines conglobatas, ſi eas præſertim orator delegerit, quæ majorem cum re definienda habent affinitatem: ut ſi definienda contigerit voluptas venerea illicita, qualis eſt, quæ extra conjugium ſenſum titillat, non abs re definiretur, motus concupiſcentiæ ad venerem excitans ſenſum, quodam cum oblectamento, quod cum divinæ legi ſit diſſonum, inducit lethalem culpam, quâ divinâ privatur gratia, qui hisce delectatur oblectamentis: in qua definitione duo occurrunt perpendenda; Primò ſenſûs oblectamentum, quod placet: ſecundò privatio divinæ gratiæ, quæ mors quædam moralis eſt, quemadmodum privatio vitæ, ſeu ſeparatio animæ à corpore mors phyſica dicitur, eò quòd compoſitum phyſicum morte intereat, ac ſolvatur: ut autem orator hanc definitionem exquiſitis ſimilitudinum ornamentis amplificet, ea omnia opus eſt congerat, quæ ſimul placent, & damnum aliquod inferunt, quæ procul dubio ſimilia ſunt peccato, quod phyſicè placet, & moraliter interimit, ſit igitur. Quid aliud eſt venerea voluptas, quàm hilaris pœna, crudele gaudium, blanda mors? Hanc dixerim ſyrenulam

lam blandulam, quæ allicit ad necem, delectat ad ſinteritum: Sodomiticum pomum extimo cortice eleganter pictum, pulchrúmque viſu, ſed veneno opplenum: Hircaniæ ſylvæ Pantheram, quæ odoris ſuavitate oblectat, ſed ferino dente lacerat: Cleopstræ anguem, qui amplectitur, ut enecet: Adblandientem ſimiam, quæ amplexuum blanditijs proprios fœtos jugulat: viretum Sardonicum, quod mori cogit in riſu: roſam, ſed inter vepres: florem, ſed inter colubros: melleum fel: dulce abſcinthium; tormentum gratum. Hanc dixerim florum Eliogaboli nimbum ad necem paratum: Cyrcæum poculum humorem propinans, ut deploranda metamorphoſi homines vertat in bruta: Chryſtallinum Babylonicæ meretricis craterem ad necem dulces exhibentem liquores: Socratis cicutam gemmeo in ciato: aureum Neronis hamum: pretioſam Cyri regis catenam ad ſervitutem compactam, non ad ornatum: perbrevem pyrauſtæ lætitiam multiplici circum lumen volatu: Fabij Cincinanti argenteum poculum, in quo cum primum lac bibit dulciſſimum, amariſſimam per pilum mortem ſubivit. Hanc dixerim Lethæi fluminis undam blandè fluentem, ſed Dei memoriam miſerè abripientem: Neronis ſmaragdum, qui ſuaves effecerat hominum ſtrages, blandos laniatus: Papavera, quæ foliorum pompa ſuperbientia viſum oblectant, & oculos claudunt: Iridem, ſed in colorum varietate fallacem: Avem indicam, quæ teſte Plinio cantu ſuaviſſimo enecat. Ecce quàm laxa patet oratori area, ſi velit per ſimilia rem qoamlibet definire. Peccatum per ſimilitudines definiret, monſtrum quâvis ferâ immanius, quod ſi aſpiciat, Baſiliſcus eſt; ſi loquatur, gladius eſt lingua; ſi palpet Arpiæ, ſunt manus; ſi lugeat, Crocodilli ſunt lachrymæ. Peccatum eſt lethifera omnium malorum radix, peſtis animi, venenum virtutis, labes conſcientiæ, honoris macula, gratiæ naufragium, dolorum artifex, ſuppliciorum origo, fax æterni ignis, naturæ dedecus, & & totius orbis pernicies.

Hominis vita per ſimilia rectè definitur.

Vita quid eſt hominis? folium, flos, fabula, fœnum,
Umbra, ſagitta, vitrum, ſcena, pruina, cinis,
Fumus, arundo, vapor, filum, rota, pluma, vorago,
Nix, pila, teſta, trocus, Bulla, favillá, nihil.

De Definitione per accidentia.

19 Sunt accidentia, quæ tametſi extra rei eſſentiam, plurimum tamen illi conferunt ornatûs, ac elegantiæ, quidquid oblectamenti hauriunt ſenſus, vel à mira colorum varietate, vel à concinna odorum ſuavitate, vel ab exquiſita ſaporum diverſitate, id ſola ſuppeditant accidentia, quæ vel indita ſunt, vel adſcitia; illa inſolubili nexo rebos adhæreſcunt; hæc abſunt, vel adſunt abſque rei interitu. Venuſtiſſimas ab accidentibus conficiunt oratores definitiones, præſertim, ſi verborum delectu, elegantiarum leporibus ea rei definiendæ recenſeant, quæ ſenſibus objiciuntur.

20 Ab hoc loco eleganter definitur pavo à Luciano apud Cauſſinum, pingitúrque rhetoricis coloribus. Pavo (inquit) incipiente vere ad pratum aliquod accedens, quando & flores prodeunt, non amabiliores modò, ſed & (ut dixerit quiſpiam) floridiores; & quod ad colorem, & tincturam attinet, liquidiores: ipſe quoque extentis pennis, iiſque oſtenſis ſoli, & ſublatâ caudâ, eámque undique circa ſe pandens, ſpectandos exhibet, & illius flores, & ver illud pennarum; perinde ut prato ad hujusmodi contentionem, & certamen ipſum provocante: convertit quippe ſeipſum, & circumagit, & quaſi quandam pompam agit ſuæ pulchritudinis: quando etiam admirabilior apparet ad ſolis ſplendorem, variantibus ſe coloribus, & paulatim in alios, atque alios tranſeuntibus, aliámque, ac novam formoſitatis ſpeciem ſubinde recipientibus. Accidit autem hoc potiſſimum in circulis, quos in ſummis pennis habet, quorum quemlibet quaſi quædam irides circumdant. Nam qui antea æreus viſus fuerat, mox inclinante ſe paulum illo aureus conſpicitur Adeo ad luminis viciſſitudinem pennarum ille ornatus variatur. Preſſiùs Tertullianus *lib. de Pallio* ſed venuſtiùs Pavonem ab extimis definit accidentibus. Quamquam, & Pavo pluma veſtis, & quidem de catacliſtis, imò omni conchylio depreſſior, quâ colla florent, omni petagio auratior, quâ terga fulgent, & omni ſyrmate ſolutior, quâ caudæ jacent, multicolor, & diſcolor, & verſicolor, nunquam ipſa, ſemper alia, etſi ſemper ipſa, quando alia, toties denique mutanda, quoties movenda. Plurimum itidem præſefert elegantiæ definitio colli columbæ per accidentia ex Philone de temulentia. Vidiſti ſubinde innocuæ cervicem columbæ radijs expoſitam ſolis, quàm multis modis colores variet, puniceum, cæruleum, igneum, & carbunculi ſpeciem referentem, pallidum itidem, & rubicundum, & alios omnigenos, quorum ne vocabula quidem memorare ſit facile. Vides, quàm graphicè, quàm venuſtè in præexhibitis definitionibus recenſeantur accidentia, quæ ad ornatum attinent orationis.

De Definitione per partium enumerationem.

21 Plerumque oratores ad uberiorem amplificationis ſegetem definitiones exhibent per partium luculentam enumerationem recenſentes ſingula, quæ rei definiendæ ingrediuntur ſtructuram. Idque ut ornatiùs fiat, ac enucleatiùs, non nudè, ſed quodam verborum delectu, ac figurarum varietate ſunt partes ſingulæ exprimendæ: quo pacto aurea Neronis

domus definiretur. Audiſtis laxiſſimum Neronis palatium, ſeu illam inſanæ molis ſubſtructionem, quæ integram, ac laxam videbatur urbem ſuis circumſcribere limitibus, quot moles hæc immanis non habuit aulas in longam aream productas? qnot anticas, poſticas innumeris diſtinctas diverſorijs; quot porticus ad tria milliaria proteuſas? quot impluvia ad equeſtria exercitia accommodata? quot corias, quot inambulationes umbroſis pergulis opacatas; quot ſtagna maris inſtar expanſa? quot cubicula diurna, nocturna multo micantia auro, gemmíſque rutilantia? quot Andromites, thalamos, Gynecæa, muſæa, procætia, aulas, cœnationes, laquearia, ſcalas quà rectas, quà obliquas, cochlites, tortuoſas. Deeſſent mihi verba, & vocabula, ſi partes ſingulas recenſere in animo eſſet, præſertim innumera promptuara, cerealea, penuarias cellulas, hoſpitia, cryptæ porticus, horrea, Doliaria, hypogæa, lithoſtrata, malluvia, ambulacra, ſolaria, ſubdialia, latrinas, ſphæriſteria: hoc unum addam plures incluſiſſe villas omni arborum genere conſitas, non alio cuſtode dracone, quàm ipſo Nerone; præ cæteris autem ferunt, cœnationem habuiſſe figuræ rotunditate verſatilem, quæ diu, noctúque inſtar orbis æterna vertigine circumacta novas ſemper epulas ad omnem lautitiem exhibebat, adeò ut pro nivibus flores, pro imbribus unguenra per fiſtulas funderentur, & pro Jove aſſidebat ille ad menſam; propinabátque in aurea patera non raptus è Phrygia puer, ſed nec puer, nec puella, ſporus.

22 Si petas à Lactantio quo artificio fabrefacta fuerit celeberrima Archimedis ſphæra, & qualis ejus fuerit ſtructura, à partium enumeratione *lib. 4. cap. 5.* hâc venuſtâ definitione perpolitè exprimit, inquiens. Æs fuit concavum varijs circulis, Æquatore, Zodiaco, coluris, tropicis, definitore diſtinctum, in quo Archimedes ſolem, & lunam compoſuit ea artis induſtria, ut inæquales motus, & cœleſtibus ſimiles converſionibus ſingulis quaſi diebus efficerent, & non modò acceſſus ſolis, & receſſus, vel incrementa, ac diminutiones lunæ, verùm etiam ſtellarum, vel errantium, vel vagarum diſpares curſus orbis ille ſua exhiberet jugi vertigine. Hoc idem argumentum proſequutus Claudianus feſtivè luſit, ac pulchrè cecinit.

Jupiter in parvo cum cerneret æthera vitro
Riſit, & ad ſuperos talia verba dedit.
Huccine mortalis progreſſa potentia curæ?
Jam meus in fragili luditur arte labor.
Jura poli, rerúmque fidem, legéſque Deorum
Ecce Syracuſius tranſtulit arte ſenex.
Incluſus varijs famulatur ſpiritus aſtris,
Et circum certis motibus urget opus.
Percurrit proprium mentitus ſignifer annum,
Et ſimulata novo Cynthia menſe redit,
Jamque ſuum volvens audax induſtria mundum.
Gaudet, & humana ſidera mente regit.

23 Ecce quàm venuſtè ſolutâ oratione Lactantius; quàm jocosè ligato metro Claudianus à partium enumeratione æneam Archimedis ſphœram expreſſerunt.

De Definitione per Affirmationem, & Negationem.

MAximo eſt amplificationi ſubſidio, in- 24
gentíque oratoribus præſidio ea definitio, quæ per negationem, & affirmationem rtadi ſolet ab eloquentiæ Cultoribus, & plurimum præſefert dignitatis cùm ad confutandum, tum ad probandum, quod in animo eſt evincere. Hujus definitionis beneficio ea primò rejicimus, quæ rebus definiendis minimè congruunt; dein earundem eſſentiam, ac proprietates enucleatè, ac quodam verborum, figurarúmque lenocinio expendimus. Modus iſte definiendi uſitatiſſimus eſt, húncque paſſim adhibent SS. Patres. D. Auguſtinus *cap. 31. Soliloquiorum* pulchrè oſtendit, non eſſe Deum quicquam eorum, quæ ſenſus feriunt exteriores, neque quæ ſub internos cadunt, inquiens. Oculi dicunt, ſi coloratus non es, per nos non intravit. Aures dicunt, ſi ſonitum non fecit, per nos non tranſivit. Olfactus dicit, ſi non oluit, per me non venit. Guſtus dicit, ſi non ſapuit, per me non introivit. Tactus etiam addit, ſi corpulentus non eſt, nihil me de hac re interroges. Non iſta igitur ſunt in Te Deus meus. Non enim ſpeciem corporis, non decus temporis, non candorem lucis, noo colorem, non dulcium melodiarum cantus, & quæcunque dulce ſonantia; non florum, & unguentorum, vel aromatum odores, non mella, non manna guſtui delectabilia; non cætera ad tangendum, vel amplexandum amabilia; nec omnia alia ſenſibus his ſubjecta quæro, cum Deum meum quæro: quæro tamen quandam lucem ſuper omnem lucem, quam non capit oculus; quandam vocem ſper omnem vocem, quam non capit auris; quendam odorem ſuper omnem odorem, quem non capit naris; quendam dulcorem ſuper omnem dulcorem, quem non capit guſtus; quendam amplexum ſuper omnem amplexum, quem non capit tactus. Iſta lux quidem fulget, ubi locus non capit; iſta vox ſonat, ubi ſpiritus non rapit; odor iſte redoler, ubi flatus non ſpargit; ſapor iſte ſapit, ubi non eſt edacitas, amplexus iſte tangitur, ubi non divellitur. Hic eſt Deus meus, & non æſtimabitur alius ad illum.

Ecce quàm luculenter per ſingulos tranſcurrit ſenſus, quàm eleganrer Deum definit priùs per negationem, dein aſſerendo, quid in Deo quærat. Per negationem D. Ambroſius *lib. de Fide contra Arian. cap. 6.* Nunc pro captu, inquit, pro viribus intueamur, quid Deus ſit, & videamus, an aliquid poſſit ei comparari. Certè hoc eſt Deus, quod, cùm dicitur, non poteſt dici; cùm æſtimatur, non poteſt æſtimari, cùm comparatur non poteſt comparari, cùm definitur, ipſa definitione creſcit. D. Baſilius *homil. 1, Hexaëmeron.* per

affir-

affirmationem. Natura, ait, planè beata eſt Deus, exuberantiſſimè abundans, cuique rationis capaci, mirè amabilis, pulchritudo flagrantibus votis, & exæſtuanti deſiderio nulli non expetenda, omnium quæ ſunt, primaria origo, fons vitæ, ſpiritualis omnis Intelligentiæ lux, ſapientia inattingibilis, nec ulli pervia mortalium. Maximus Tyrius *Orat. de Deo* eadem utitur definitione inquiens. Pulchrum dicam Deum, & pulchrorum omnium pulcherrimum. Haud quidem pulcherrimum corpus, ſed unde pulchritudo in corpora emanat; neque enim pulchrum pratum, ſed unde & prata, & amnes, & mare, cœlum ipſum, cœleſtéſque Dij pulchritudinem decerpunt. Inde enim pulchritudo omnis tanquam ex perenni, puriſſimóque fonte ad nos usque perlabitur; tantúmque, aut fortitudinis, aut firmitatis, aut ſalutis rebus ſingulis, quantum ab eo fonte reſperguntur.

26 Virum religioſum per hanc definiendi ſpeciem hoc pacto exprimerem. Non eum dixerim religioſum, quem veſtis monachalis operit, quem clauſtra recipiunt religionis, quem exigua capit cellula, quem communis menſa reficit: ſed quem virtutes exornant, charitas incendit, humilitas ſubmittit, modeſtia componit, patientia exercet: is verus eſt religioſus, qui nullis concupiſcentiæ illecebris flectitur, ſed caſtitatis culturâ lilia colligit puritatis: qui nullo frangitur bonorum commutabilium affectu; nullâ aggerendarum divitiatum torquetur cupiditate; ſed paupertatis ſtudio ſoli Deo, ſummóque bono nititur copulari: qui nullo relaxatur libertatis illicio; ſed obedientiæ ſummè addictus prælatorum obtemperat nutibus: qui nullo pulſatur ambitionis ſtimulo, ſed gaudet cæteris ſubjici.

27 Plurimum itidem amplificationi prodeſt, multúmque oratori ſuppeditat præſidij. Si commendandi eſſent primi Eccleſiæ militantis homines, orationem facilè texeret orator. Quos putas delegiſſe Chriſtum homines, qui ubique terrarum evangelium promulgarent, Ethnicos ſapientes confunderent, & adoreas militantis eccleſiæ canerent? certè non viros authoritate graves, non principes opulentiâ copioſos; non reges armorum vi præpotentes: non philoſophos doctrinarum præſidio munitos; non oratorijs eloquentiæ præceptis inſtructos; non Doctores ſapientiæ gloriâ celebres; ſed duodecim homulos, quibus nil contemptius, nil infantius, deſpicatius nihil: erant quippe è fluviorum piſcatu recentes, calloſis diuturno labore manibus longa macie torridi, & omnis ſcientiæ, omníſque conciliatriculæ urbanitatis expertes; non in gymnaſijs edocti, ſed è mapalibus educti. Debilia hæc elegit, ut fortia quæque confunderent, Regum triumphos meditarentur, inter ſeſe orbem terrarum dividerent, victorias, & ſpolia definirent, per montium abrupta, per camporum ſpatia, per diſſitiſſimos terrarum tractus, per disjunctiſſima Ethnicorum regna igneis veluti quadrigis evecti volitarent, ac ferrentur per ſqualentes arenarum ſemitas, per toſtas vehementiſſimo ſolis appulſu, ac æſtu regiones, per æternâ brumâ rigentes plagas, mox & que maria trajicientes, ut barbara litora appellerent nullo humani cultûs ſignata veſtigio, ſed feritate immania; nullo virtutis ſtudio exculta, ſed vitiorum ſqualore horrida; ibique inermes, laceri ſeminudi Regib⁹, Satrapis Præſidibus, Philoſophis, J[illegible]ritis, ac gentibus immanitate efferatis bella indicerent, idolorum fana ſolo æquarent, vanæ ſuperſtitionis cultum everterent, innumera mentitæ Deitatis ſimulachra contererent; ac impijs perſuaderent religionem; ſceleſtiſſimis virtutum culturam; avariſſimis paupertatis ſtudium; omni libídine inquinatiſſimis puritatis candorem; & ubique locorum palmas meterent, triumphos inſtituerent, adoreas occinerent.

De Definitione per ſupremum genus, & ſpecies ſub ipſo.

28 QUantum præſeferat hæc definitio ornatûs, quantum dignitatis, ac pompæ ex eo conjice, quòd primæ notæ oratores, ſanctique Patres nervoſioris eloquentiæ cultores eam perſæpe uſurpent: eſt ſiquidem ad amplificationes, ac venuſtiores eloquentiæ lepores unicè nata, flores ſpargit, veneres pingit, & culmina attingit elocutionis; nihil eſt ipsâ facundius, fœcundius nihil; nil ſuavius, nil dulcius, nil gravius, nil ad demulcendas aures accommodatius, nil ad ſuadendum aptius, ad amplificandum jucundius, ad dehortandum nervoſius: orationem verborum delectu, ac ſucci pleno exornat.

29 Ut igitur hæc definitio inſtituatur perpendendum erit ſubjectum definiendum, & ſub quónam genere contineatur: móxque ſumpto ſupremo genere ſuperſunt conſiderandæ omnes, & ſingulæ ſpecies, quæ ſub ipſo militant, & quadam verborum concinnitate, ac delectu erunt de ſubjecto definiendo aſſerendæ. Si ſensûs illicitam voluptatem velit orator definire, quia hæc lethalem culpam inducit, quæ ſummorum eſt malorum, utpotè à ſummo Bono rationalem creaturam avertens; ſumendum erit malum, ut ſic, quod eſt ſupremum genus; tum omnes ſpecies mali ſive moralis, ſive phyſici ſunt de voluptate, ſeu lethali culpa adſtruendæ hoc pacto. Quid aliud eſt voluptas illicita, quàm venenum animi, peſtis ſpiritûs, lues mentis, cæcitas intellectus, ſervitus voluntatis, vulnus cordis, tormentum conſcientiæ, cruciatus memoriæ, dedecus hominis, ignominia creaturæ, infamia Chriſtiani? Quid aliud eſt voluptas, quàm virtutis corruptela, honeſtatis laniena, probitatis carnificina, temperantiæ naufragium, caſtitatis virus, ſanctimoniæ pernicies, morum turpitudo, vitæ opprobrium, divinæ gratiæ occaſus? Quid aliud eſt voluptas, quàm teterrimum monſtrum in inferorum clauſtris erumpens, ardentem præferens facem, quâ in mortalium pectoribus ignem tartareum accendat; quàm

hydra venena ſpargens præſentiſſima ad animorum internecionem; quàm diriſſimus Draco lethales evomens ignes, quibus homines perdat, quàm immaniſſima tigris humanum ſitiens ſanguinem? quid aliud denique eſt voluptas, quam blanda mors, hilaris pœna, crudele gaudium, dulce venenum, gratum vulnus, ſua · ſupplicium?

30 Quòd ſi vellet orator ulterius definire voluptatem, quatenus principium eſt omnium malorum, perpendenda iterum eſſent ea omnia, quæ ſunt principia, origenes, radices, fontes, occaſiones, è quibus alia, vel fluunt, vel à quibus initium trahunt, ſuntque ſpecies principij, ut ſic, quod eſt ſupremum genus, & iterum poſſet in voluptatem invehi. Fugienda ſanè voluptas eſt, cum æternæ mortis ſit occaſio, Cruciatuum origo, dolorum radix, exordium luctûs, fons perennium ſuppliciorum, procœmium perpetuæ monodiæ, artifex pœnarum, Author lachrymarum, ſemen angorum, faber moleſtiarum, fundamentum cujusvis miſeriæ, baſis infortuniorum, ac principium malorum omnium. Fuge igitur quisquis ſalutem amas, fuge voluptatem, declina adblandientem mulierem, quæ hominis eſt confuſio, viri naufragium, indeficiens pugna, ſolitudo perpetua, dœmonis ſagitta; allicientem fuge mulierem, quæ tactu eſt viſcus, viſu baſiliſcus, cantu Syren.

31 Caveat tamen orator ne minima prolixitate, id genus definitiones protrahat, tunc enim nimio tractu affectationem ſapiunt, & frigidis plerumque ſunt metaphoris obnoxiæ, quæ eruditas aures lædunt: metaphoræ non ſint duræ, moroſæ, putidæ, nec violenter accerſitæ, ſed cognationem habeant, ac affinitatem cum ſubjecto, quod definitur.

EXPENSIO IX.

Locus à Definitione Nominis expenſus.

1 ORatores ad elegantiorem eloquentiæ ornatum, ac uberiorem pompam non ſolùm rei, verùm etiam nominis perſæpe definitionem uſurpant, quam Latini Notationem, Græci Etymologiam dicunt: neque hanc contemnendam puto, plus enim præſefert dignitatis, quàm vulgò cenſeatur: neque pigebit in ea tractanda immorari.

2 Definitio igitur Nominis eſt, quâ nominis, ſeu vocis ſignificatio enucleatur, ut toga à tegendo dicitur, quia tegat; Dux quia ducat milites; Rex quia populos regat. Non tamen ſingula nomina ijs congruunt, quæ ſignificant; Codicis ſiquidem, & libri nomina, ſi ſuis referantur originibus, neutrum ei congruit, quod ſignificat, illud enim à caudicibus, ſeu tabulis dictum fuit; hoc arboris corticem ſignificat, quià hac materia rudis vetuſtas ad literas inſcribendas uteretur. Cæterum definitiones nominum ſumuntur, vel à materia, quo pacto *homo* dicitur ab *humo*, eò quia ex humo compactus fuerit. Vel ab effectu, ut *focus* à *fovendo*, quia ejus effectus ſit fovere. Vel à proprietate, quo pacto *Veſta* dicitur à *viſtando*, quia proprietas Veſtæ, ſeu terræ ſit ſtare immobiliter. Vel ab oppoſitis, ut Lucus à lucendo, quia minimè luceat: Parcæ à parcendo, quia minimè parcant, uti Grammaticorum plerique derivant.

Eſt etiam nominis definitio, quâ explicatur obſcurius vocabulum per voces illuſtriores; quo pacto Juriſconſulti explicant *condictionem* eſſe promiſſionem factam: Latini *Triones* vetuſto vocabulo aſſerunt idem eſſe, ac *boves*: Cicero *formidinem* dicit eſſe *metum permanentem*; & *peccare* quaſi lineas *tranſilire*, moraliter verò à recta rationis regula *deflectere*. Non tamen Platoni ac pleriſque alijs ex veteribus adhærendum putârim, qui mundum ex literis compactum putârunt; & nomina eſſe à natura, plurimúmque præſeferre authoritatis, ac dignitatis docuêre: & Adamum cum nomina rebus imponeret, ex ea quâ pollebat rerum ſcientia adhibuiſſe religionem; nec litteras quaſcunque obvias tumultuariè arripuiſſe, ſed eas delegiſſe, quæ influxus ſyderum, rebúſque inditas proprietates ſignificarent. Hoc enim vaniſſimum eſt commentum: quia vel ante mundum conditum adſtruunt extitiſſe literas: vel è converſo emerſiſſe mundum, antequam adinventæ eſſent literæ rerum nomina componentes: ſi primum, neutiquam potuêre literæ aſtrorum ſignificare influxus, cum nondum eſſent ſydera: ſi ſecundum, non fuit igitur compactus mundus ex literis, cum ante ipſas extiterit: ſomniârunt ergo, cum dixerunt fuiſſe mundum compactum ex literis duabus ſupra viginti, quarum tres tribus eſſent elementis accommodatæ; duodecim zodiaci ſignis, ſeptem errantium ſtellarum orbibus; commenta ſunt hæc vanitatis pleniſſima. 3

Omiſſis igitur, quæ putidam redolent levitatem; nominum definitiones oratoribus, atque Poëtis ſales, urbanitates, veneréſque ſuppeditant, & pleráque ex ipſis ſolent argumenta erui feſtiva, jocoſa: ſic Auguſtus, cum primùm audiret civem quemdam romanum defuncti genitoris arâſſe ſepulchrum, æquivocè uſurpavit verbum *colo*, quod venerari, & arare ſignificat, & dixit. Pius ſanè ille fuit, qui eximiè patrem *coluit*; quem jocum imitatus Emmanuel Theſaurus in perarguto de Adamo ænigmate inducens per emphaticam proſopopœjam protoparentem loquentem, ſic fatur: *quâ malè ſuadâ: pomum cæleſti interdicto circumſcriptum, attingens; beatæ ſylvæ fructus dum carpo, ſylvam amitto. Itaque cum profuga conjuge; & Rege Agricola, quia Numen non colui, terram colui. Hoc uno concordes conjuges; quòd uno juncti jugo, Matris uterum tamdiu ſecuimus, donec utero nos recepit.* Pulchrè Poëta luſit ab æquivoco, ac jocosè per ironiam Neronem punxit, quem Æneæ æquiparavit. 4

Quis neget Æneadum magna de gente Neronem?
SUSTULIT hic matrem, SUSTULIT ille patrem.

Ubi

Ubi verbum *ſuſtulit* priori loco ſignificat interimere, fuit ſiquidem Nero matricida; poſteriori defferre, Æneas ut Patrem Anchiſem jam ſenio confectum à Trojano liber:ret, incendio humeris extra urbem aſportavit. Per remotionem acutum eſt illud Actij diſticon de Ferrando

Ex ferro nomen tibi ſit licet, aurea condis
Secula: nam ſub Te Principe nemo metit.

5 Ab æquivoco feſtivum eſt aliud Poëtæ nobilis in commendationem Clementis VIII. cui nomen ante ſuſceptum pontificatum erat Hyppolitus Aldobrandinus.

Sancta pudicitiæ virtus redit exul in urbem,
Quid mirum eſt? Urbi præſidet Hyppolitus.

6 Fuit Hyppolitus Theſei, & Hyppolitæ Amazonis filius pudicitiæ addictus, qui quum cœlibem vitam ducens ſe ſe venatu exerceret, & conſtanti animo, ac pectore inconcuſſo mulierum ſperneret congreſſum, Phædra noverca abſente patre venereo amore capta juvenem caſtitatis cultorem deperjit, cui turpi deſiderio cum obtemperare renuiſſet pudicitiæ fortiſſimus Athleta, apud virum illum detulit, quòd ſibi vim inferre voluiſſet. Quúmque agnoſceret Hyppolitus Patrem dolo Novercæ perſuaſum, ac de nece ſua cogitare, conſcenſo curru fugam arripuit. Sed dum Phocæ, quæ tum in litus exjerant, equorum, & rotarum ſtrepitu perterritæ magno impetu ſe in mare præcipitarunt, exterriti equi fruſtra obluctante Hyppolito currum per ſcopulos, & ſaxa traxerunt, juveoémque infelicem loris implicitum in partes diſcerpſerunt, quem poſtea Æſculapius revocavit ab inferis, & priſtinæ incolumitati reſtituit. Hinc Hyppolitus egregiâ caſtitatis culturâ in ſummo eſt habitus honore.

7 Plerumque joci lepidè ex diſſentaneis inſtituuntur, quatenus ea rejicimus, quæ nomina videntur ſignificare, uti ſunt ſubjecta Poëtæ carmina in commendationem D. Barbaræ Virginis, & Martyris.

Barbara ſum, non ſum, miti ſum pectore Virgo.
Sed qui me genuit, barbarus ille fuit.
Ille meo tragicum rubeſecit ſanguine ferrum,
Et Pater, & lictor meſſuit enſe caput.
Ergo ego tam mitis, cur dicar Barbara, mitte
Quærere, cur non ſim Barbara, facta docent.
Ut Parcæ parcunt, ut luci lumine lucent,
Ut bellum eſt bellum, ſic ego Barbara ſum.

8 Subinde feſtiva texuntur epigrammata per negationem, & affirmationem ſimul eorum, quæ nominibus ſignificantur, ut Poëta conſecutus eſt.

Nominibus credam, nec unquam, nec neque ſemper,
Nec unquam verum, nec neque ſemper habent;
CLARA, AGATHA, AMBROSIUS, STEPHANUS, VINCENTIUS, AGNES,
Conveniunt Sanctis nomina pulchra ſuis.
BARBARA, CÆCILIA, URSINUS, LUPUS, URSULA, ASELLA.
En pugnant Sanctis nomina prava ſuis.

10 Dantur pleraque nomina eximiæ ſignificationis rerum prꝰ ſertim adſignificantia proprietates, ut nomen *El* proprium Dei, & nomen *Adam*, quæ ſi invicem conferantur, oppoſitas produnt proprietates: *El* denotat potentiam, *Adam* miſeriam; *El* fortitudinem, *Adam* imbecillitatem; *El* ſuſtentatorem, *Adam* non poſſe per ſe ipſum ſuſtineri, nec ſtare. Præter nominum etymologias, fatalem quendam nominum cum rebus conſenſum adnotârunt Chronologi, præ cæteris ambo Attyes plurimum ſibi gloriæ comparârunt, alter Syrus, Arſas alter, uterque ab Apro dilaniatus miſerè perjit. Duæ orbes à ſuaviſſimis plantis violæ, & Myrrhæ nomen trahentes Ira, & Smyrna, altera cunas, tumulum altera ſibi vendicat Homeri. Duæ fuerunt Agrippinæ Mater, & Filia, illa Caligula, hæc Neronem peperit. Duæ itidem Juliæ mater, & filia illa Auguſto, hæc Marco Agrippa genita, utraque adulterio deturpata. Fauſtinæ etiam duæ, mater impudica, impudicior filia. Ex Imperatoribus, Cæſares, quibus Caii nomen fuit omnes ferro cæſi, ac interempti ſunt. Non tamen ſemper quibus idem eſt nomen, idem eſt omen; liquet id exemplo Auguſti, & Auguſtuli, Conſtantini primi, & ultimi, quorum primi imperia fundârunt; poſtremi fundatum perdidêre.

EXPENSIO X.

Locus à cauſa Efficiente expenſus.

CAuſarum principem eſſe efficientem nemo eſt, qui eat inficias. Bipartitur 1
in primam, & ſecundam: illa eſt, à qua cæteræ dependent, ipſa verò ab omni dependentia eſt libera, extititque ab æterno, nulli temporum viciſſitudini obnoxia, ſibi ſufficiens, nullios indiga: talis eſt Deus rerum omnium ſapientiſſimus Artifex, qui ab Hermete Triſmegiſto dicitur circulus, cujus centrum ubique eſt, circumferentia nuſquam; quo effato naturam primæ cauſæ ſpiritualem, indiviſam, ſimúlque immenſam ænigmaticè prodit. Alij cum Cœlio Rhodigino, centri nomine Deum intelligunt, per circulũ mentem æternam; lineis verò à peripheria ad centrum, & à centro ad peripheriam exeuntibus ſcientiam hominis ex ſui cognitione ad Deum gradientis; nam pulchrè D. Baſilius expendens illod Regij Vatis *Pſal. 138. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*, ſubdit. Exacta, & diligens tui ipſius conſideratio viam tibi præſtruet ad cognitionem Dei; in te ipſo enim tanquam in mundo quodam diſtinctè adornato, licèt exiguo, exemplari, licebit eximiam Conditoris tui incomparabilem ſapientiam, ut ex anima incorporea Deum eſſe incorporeum nullo circumſcriptum loco, inviſibilem, omniſcium dicas: quia ut loquitur Boëtius *4. de conſ. proſ 6.* Deus in alta ſpecula æternitatis conſtitutus ſtantia habet in conſpectu ſuo tranſe-

pntia

tuntia ſæculorum volumina, ſtántque ante eum currentia, & immobilia immutabiliter durant.

2 Hanc primam cauſam efficientem noverunt ipſi Ethnici ſolo naturali lumine fulti, Deúmque dixerunt, quem in amorem transformatum, cum mundum condere ſtatueret haud inſcitè effinxit Pherecydes, quippe mira creaturarum elegantia, elementorum harmonia, miſtorum pulchritudo, ſyderum micantes nitores efficaciſſimum ſunt divini amoris argumentum, neque Deus ex alio impulſu ſuam impertitus eſt creaturis bonitatem, quàm amoris. Harmonicam igitur viſibilis mundi inchoaturus ſtructuram rudem, ac inertem rerum congeriem digeſſit, in partes diviſit, mirifica naturarum varietate locupletavit, eleganti ſenſibilium accidentium exornavit apparatu; & ſingula, quæ excellenti condiderat opificio in unius hominis commodum, ac utilitatem ſuavi providentia direxit: hancque primæ cauſæ directionem multiplici nomenclaturâ Fatum, Providentiam, Naturam Ethnici Philoſophi dixêre, ut adſtruit Seneca *in proœmio rerum naturalium* inquiens: Vis Deum Fatum vocare? non errabis: hic eſt, ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, ex quo omnes cauſæ cauſarum. Vis illum Providentiam dicere? rectè dices: eſt enim cujus conſilio huic mundo providetur, ut inconcuſſus eat, & actus ſuos explicet. Vis illum naturam vocare? non peccabis; eſt enim, ex quo nata ſunt omnia, cujus ſpiritu vivimus. Demum vis ſcire, quid ſit Deus, mens univerſi, quod vides totum, quod non vides totum, ſi ſolus eſt omnia, opus ſuum, & extra, & intra tenet: noſtri melior pars animus eſt, in illo nulla pars extra animum, totus ratio eſt. Cæterum nomen Fati multipliciter uſurpari ſolet, ut ſcitè advertit Picus Mirandulanus adverſus Aſtrologos, ſubinde ponitur ad ſignificandam naturam, & quæ ex ipſa ſequuntur; quo pacto naturalem corporis mortem Fatum dixerat Demoſthenes: interdum ſumitur pro ſyderum influxibus in hæc inferiora: plerumque ab Aſtrologis impiè uſurpatur pro quadam fatali neceſſitate ſe per æternæ conſequentiæ nodos explicante; quo pacto explicavit Fatum Ptolomæus, qui cauſarum connexionem ex ſyderum curſibus, & recurſibus totam haurire efficaciam ſutiebat; adeò ut nulla vis humana, vel virtus poruerit unquam coërcere, quod fatalis ordo præſcripſit, quaſi ſapiens non dominaretur aſtris, & in homine libera operandi facultas amputaretur: hinc D. Auguſtinus Fatidicos coarguens homines ait: *Fatum non ponere niſi fatuos.*

3 A cauſa prima efficiente pleraque conficiunt oratores argumenta, tum ad excitandos, tum ad leniendos animi affectus plurimum ſuppeditantia præſidii: etenim cum gentes omnes tam barbaræ, quàm literis cultæ, & quidem omnibus ſæculis ſenſerint eſſe Numen aliquod, cui rerum humanarum ſit regimen, quo permittente, vel concurrente contingant ſingula, habet homo, quo divinæ obtemperet voluntati, ſive faveat fortuna proſperis, ſive vexet adverſis; cùm divinæ nutui voluntatis obſiſtere poſſit nihil, opus eſt, acquieſcat homo, qualeſcunque fuerint rerum viciſſitudines. Prodeſt itidem oratorijs amplificationibus cauſæ primæ affectus recenſere. Eſt enim, à qua commoda quibus utimur; lux; quâ fruimur; ſpiritus, quem ducimus, perinde ac rivuli à perenni fonte dimanant: ipſa cœlum effecit ſine colore cœruleum, ſine igne lucidum, ſine fatigatione motum: ipſa aſtra accendit ſcintillantia, aureum ornavit ſolem, lunam argenteis pinxit nitoribus, ut nocturnos mitigaret horrores: ipſa contrarias elementorum naturas adeo concinnè, adeo in mundi commodum coaptavit, ut concordem harmoniam tenerent: ipſa terram undequaque florum, frugum, herbarum, plantarúmque ſtabili varietate conveſtitam in animalium oblectamenta, atque utilitates fundavit: ipſa fontium perennitates, rivulorum latices, amnium undas, ripas eleganti ſemper veſtitas viriditate, abſtruſas aurifodinas, lapidum, gemmarúmque nitores, genera animantium, aviúmque modulantium turmas, ac denique hominem rationi compotem, hiſque omnibus præſidentem miro condidit opificio.

Cauſa efficiens ſecunda eſt, quæ dependenter à prima agit; bipartitur in per ſe, & per accidens; illa eſt, à qua quod efficitur per ſe, ſeu ſua natura pendet, & multipliciter dividitur. Alia eſt principalis, cui eſt princeps vis in efficiendo; de qua intelligendus eſt Cicero 1. *offic.* Honeſtum efficitur animi non corporis viribus, ſed principaliter, quia corporis membra ſunt cauſæ plurium honeſtarum actionum, ſed minus principaliter: rurſus hæc eſt vel ſolitaria, vel aſſociata, illa ſine conſortio alterius cauſæ ſecundæ effectum producit; ſolitaria cauſa fuit Sampſon, cum portam civitatis Philiſtinorum unà cum duobus poſtibus in montis verticem deportavit: aſſociata operatur alterius ope, ac conſortio, quo pacto Cicero in oratione pro Marcello narrat; In ſocietatem victoriæ cum Cæſare veniſſe Duces, Centuriones, Milites. Alia eſt minus principalis, quæ vel impulſiva, vel inſtrumentalis dicitur; illa eſt, quæ principalem efficientem impellit, éſtque vel proëgumena, vel procatarctica, uti Græci vocant; illa principalem efficientem internè movet; ſic ambitio fuit cauſa proëgumena, quæ Pompejum, & Cæſarem ad diſſidia, bellúmque civile impulit; Cicero pro Archia; Trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quiſque maximè gloriâ ducitur. Virgilius 3. *Æneidum* vocat aurum cauſam proëgumenam: *Quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames,* quia ad quæque agenda impellit: Cauſa Procatarctica eſt, quæ efficientem principalem externè movet. Saluſtius *in Catilinam*: Amicitiæ parantur dandis beneficijs. Tacitus *lib. 1. Annalium* de Auguſto Cæſare: Militem donis: populum annonâ, cunctos dulcedine otij illexit. Seneca 4

Digitized by Google

neca *de brevitate vitæ.* Melius beneficijs imperium cuſtoditur, quàm armis: quæ ſingulæ ſunt cauſæ procatarcticæ moventes externè principalem efficientem. Cauſa inſtrumentalis eſt, quæ principali ſubſervit, quâ ratione Plinius in Panegyrico Trajani: Nullum, inquit, majus boni imperij inſtrumentum, quàm boni amici. Inſtrumenta Studioſi ſunt libri, calamus, graphiarium: Militis, enſis, haſta, galea: Fabri ferrarij, malleus, incus, forceps. Cauſa per accidens eſt, à qua effectus nec natura, nec conſilio pendet: ſic piſcatio fuit cauſa per accidens Mileſijs aurei tripodis inveniendi: foſſio ſcrobis fuit cauſa per accidens Timoni reperti theſauri.

5 Uberrimum oratores ab hoc fonte hauriunt amplificationis laticem pellucidum, elegantérque fluentem: ſi vellet militantem in terris Eccleſiam excipere laudibus, perpendenda eſſent ſingula, quæ ab ipſa oriuntur, & verborum delectu unà texêre. Plurimum ſanè majeſtatis habet Eccleſia Servatoris Chriſti fundata cruore; multum adfert orbi Chriſtiano commodi, ac utilitatis: ipſa ſiquidem eſt radix probitatis, fœcunda mater virtutum, perennis fons ſanctitatis, origo ſapientiæ: illa ſcholis Doctores, Infidelibus veritatis præcones, aris ſacerdotes, divino cultui miniſtros abundè ſuppeditat: illa rudes expolit, ignaros erudit, cæcutientes illuminat, virtutum ſemina jacit, ſapientiæ radios emittit, vitia excidit, errores diſſipat, hæreſes profligat: illa fortiſſimos exercet pugiles, invictiſſimos inſtruit Athletas, qui licèt inermes, contra Reges, Satrapas, præſides, ac gentes feritatate barbaras egregiè pugnant, præclarè vincunt, ſuadentes impijs religionem, divitibus paupertatem, abdomini ſervientibus temperantiam, Veneri addictis caſtitatem, vitio obſequentibus virtutis culturam: ac demum contritis dæmonum ſimulachris, templiſque falſorum numinum ſolo æquatis, ubique terrarum triumphantis Crucis defigunt vexilla. Quòd ſi Imperatores exitiales, funeſti, & humani generis potiùs tortores, quàm principes inauditis ſuppliciorum generibus pugnanti Chriſti ſoboli ſe ſe opponant, ut eccleſiam feraciſſimam cœli plantam læto gemmarum partu jugiter turgentem tormentorum procellis, cruoriſque humani obruant fluctibus, jam video laureata martyrum agmina lucentibus quadrigis inter conſita palmis virentibus nemora lætiſſimo curſu cœleſtis patriæ advolare Capitolium, quibus plura ſunt diademata, quàm comæ arborum; plures coronæ, quàm rutilantes ſyderum nitores, plures intexti auro, & margaritis triumphi, quàm ſint litorum arenæ, pratorum vireta, volitantes per aëra aromi.

6 Ecce quam uberem amplificationis ſegetem ſuppeditat oratori efficiens cauſa: ſingulorum quæ recenſui efficiens cauſa, vel principalis, vel inſtrumentalis, aut moralis eſt eccleſia, quatenus ſancti Spiritus illuſtrata fulgoribus Chriſti ſobolem inſtruit, & ad pugnam erudit. Familiare eſt itidem oratoribus in rebus artefactis; opera ab opificibus; libros ab Authoribus; urbes à Fundatoribus commendare. Caveat tamen orator, ne curioſius quàm par ſit, rerum naturalium ſingulas inquirat cauſas, quia philoſophum potius, quàm Rhetorem ageret, ut ſi occurrat ſolis, vel lunæ deliquia memorare, aut terræ motu hauſtas, ſolóque æquatas civitates, non ſtatim debet cauſas omnes ſcrutari, variáſque philoſophorum hiſce de rebus diſcrepantes ſententias producere, ac ſedulo perpendere, examinare, ſed ſatiùs erit, ſi unam, vel alteram promat, prout occaſio exegerit: ut ſi timore fractus noverit animos propter ſolis deliquium, vel lunæ eclypſim, orator ad conceptum timorem diſcutiendum liberiùs oſtendere poterit minimè eſſe mirandum, eò quia ſolis, & lunæ deliquia naturaliter contingant, ut in multos annos ab ijs prænuncientur, qui ſiderum curſus, ac recurſus obſervant. Contingit ſiquidem eclypſis ſolis propter lunæ interpoſitionem ſolem inter, & nos; cum luna opaca ſit; non poteſt ſol eam ſuis pervadere radijs, quo fit ut ſolis deſtituamur tunc lumine, nobiſque ſol ipſe videatur deliquium pati. Solet obtingere ſolaris eclypſis, quoties luna in novilunio caput, vel caudam Draconis attingit. Eclyptica, in qua ſol, & luna jugiter moventur, in duobus interſecatur punctis, quorum alterum ad auſtrum vergit, ad boream alterum, hæcque interſectionis figura Draco vocatur, eò quia laxior in medio ſit, anguſtior in fine: interſectio, quâ luna movetur, verſus ſeptentrionem vocatur caput draconis, quâ verò verſus auſtrum cauda. Eclypſis verò lunæ contingit ex interpoſitione terræ ſolem inter, & lunam, quia luna umbram ingreditur, quam terra opaca projicit; cum ex parte diametraliter oppoſita ſol ſuos evibret radios, luna verò exiſtat in adverſa parte, ſi media terra lunam umbrâ tegat, ad ipſam ſolis radij non pertingunt, & cum luna à ſole ſuos hauriat nitores, neceſſum eſt, quòd tunc temporis obſcuretur: nullum igitur hujuſmodi deliquia nobis terrorem incutiunt, cum ex naturæ contingant neceſſitate. Hoc pacto orator obiter utriúſque eclypſis veram aſſignaret cauſam, & ſuum obiret munus, quatenus à timoris anguſtia adſtantes liberaret.

EXPENSIO XI.

Locus à Specie expenſus.

Multifariè ſumitur ſpecies. Primò pro pulchritudine, quo ſenſu res ſi elegantes, ſi pulchræ fuerint ſpecioſæ dicuntur, ut notat Porphyrius ex Euripide *cap. 2. ſ. 18.* Secundò pro forma externa, & apta corporis ſymmetria, ſic Servator Chriſtus dicitur *ſpecioſus forma præ filijs hominum*, & Ethnicus ille dixerat: *Præſtantem ſpeciem dignam eſſe imperio.* Tertiò pro quavis efformatione, ceu pro quavis imagine ſive mente concepta, ſive

ab artifice picta, vel ſculpta, Quartò pro forma metaphyſica interna generis contractiva, & eſſentiæ conſtitutiva, ut in homine rationalitas, quæ animalitatem contrahit, & hominis eſſentiam conſtituit: hoc modo capta ſpecies definitur à Porphyrio: *ea, quæ ponitur ſub genere, & cui genus attribuitur in quæſtione, quid eſt;* quo pacto temperantia ponitur ſub genere virtutis, circulus ſub genere figuræ; furtum ſub genere vitij.

2 Nervoſa ab hoc fonte hauriunt oratores argumenta, quæ plurimum habent roboris cum ad ſuadendum; tum ad confutandum. Hique ſolent canones aſſignari. Primò quicquid vel inficias imus, vel adſtruimus de omnibus, ac ſingulis ſpeciebus, hoc idem affirmamus, vel negamus de genere; ut ſi vellet orator evincere, vitium nihil præſeferre honeſtatis, proinde omni eſſe ſtudio declinandum poſſet commodè argumentum ducere ab ſpeciebus: Nec furtum, nec ebrietas, nec homicidium, nec avaritia, neque impudicitia quidquam præſeferunt honeſtatis, cum potius animum deturpent, mentem inficiant, hominémque à ſuo fine avertant: ergo nec vitium poteſt quidquam involuere honeſtatis, proinde toto conatu fugiendum à viro utente ratione, cum recta ratio dictet ea duntaxat proſequenda eſſe, quæ honeſta ſunt, & ad finem conſequendum viam ſternunt. Secundò. De quo dicitur aliqua ſpecies, dicitur itidem genus; & èconverſo: ut ſi in ſubeundo Martyrio Epiſcopi, ſacerdotes, ſenes, authoritate, graves, religione ſancti, ætate venerandi; ſi matronæ, virgines, tenerique parvulorum floſculi, cum ad Prætorum ſubſellia, & à ſubſellijs ad amphiteatra, publicámq; lanienam traherentur inconcuſſa fortitudine omnia ſuppliciorum genera ſubierunt: eſt procul dubio fortitudo virtus amplectenda, & exercenda, cum ipſa Martyres faciat, coronet.

3 E converſo ſi in obeundo ſingulari certamine nulla apparet prudentia, nulla fortitudo, nulla iraſcibilis moderatio, nulla juſtitia, nilque quod ſit rectæ conſonum rationi; procul dubio obire ſingulare certamen nulla eſt virtus, cum nullius ſpecialis virtutis involvat honeſtatem. Tertiò, quod de ſingulis adſtruimus individuis, hoc idem opus eſt de ſpecie adſtruamus: ſicque juvat argumentari ab individuis *in Epiſt. ad Hebræos cap. 11.* Abel per fidem Deo placuit; Enoch per fidem Deo placuit; Noë per fidem Deo placuit; Abraham per fidem Deo placuit; Sara per fidem Deo placuit; Iſaac per fidem Deo placuit; Jacob per fidem Deo placuit; Joſeph per fidem Deo placuit; Barac, Sampſon, Jephte, David, Samuel, per fidem Deo placuerunt: ergo omnes homines, qui vera fide credunt, & opera exercent, fidei conſona Deo placent. Quartò quod de aliqua tantùm ſpecie adſtruimus, id generi congruit; ut ſi temperantiâ nihil eſt præſtantius, nihil laudabilius, eò quia effrænes animi tum concupiſcentis, tum iraſcentis motus coërceat, libidines extinguat juxta vulgatum illud effatum: ſine Cerere, & Baccho friget Venus; diſſidia componat, odia divellat, inſanos affectus propellat, corporis incolumitatem tueatur, vires adaugeat, mentis tranquillitatem invehat, aditus ad vitia omnes præcludat, omniúmque virtutum officia pariat: ergo virtus, cujus temperantia eſt ſpecies laudanda erit, commendanda, ac excolenda. Non tamen univerſè concluditur; nec rectè inferres ex eo, quòd homo ſit rationis compos; animal, cujus homo eſt ſpecies, eſſe itidem rationis particeps, quia pleraque conveniunt differentiæ conſtituenti ſpeciem, quæ generi minimè adaptantur.

Per affirmationem valida eruuntur ab hac ſede argumenta: ut potatores ſunt vitio obnoxij, quia ebrietati; eſt ſiquidem ebrietas ſpecies, quæ ſub genere vitij militat; non tamen parcè ac nude eſſet hoc argumentum tractandum, ſed verborum delectu, ac circuitu, figurarúmque varietate, ad eloquentiæ pompam, & animos vehementius concitandos: idque concinnè præſtaret eloquentiæ candidatus, ſi turpia, quæ ex ebrietate pullulant, recenſeret, hoc pacto. Quid ebrietate turpius? ipſa mentis uſum pervertit, omnem vitæ dignitatem commaculat, mores corrumpit, Venerem fovet, ad illicita ſtimulat, diſſidia excitat. Quid ebrietate inconcinnius? ipſa eſt fomes turpitudinum, inſaniæ incentivum, ſapientiæ venenum, honeſtatis corruptela, libidinum fomentum, jurgiorum Seminarium. Quid ebrietate perniciosius? ipſa rationis lumen extinguit, ingenij aciem obtundit, ſana mentis conſilia obtenebrat, ſenſus depravat, ventrem disrumpit; hominem miſerè immutat, abjicitque infra belluas. Vidiſtis unquam abdomini famulantem, immodico ciborum onere gravatum, multóque madidum vino; huic lubricus eſt inceſſus, micant oculi, ſpumat os, deffluunt genæ, languet pectus, titubant pedes: quid ebrio fœdius? neminem novit eorum, qui adſunt, quia mentis lumen nimio vino obrutum penè extinguitur, incerta verba ſui impos cum teterrima crapula ſimul eructat, ſine ſomno ſomniat, ſine mari fluctuat, ſine hoſte terrores patitur, ſine febri toto corpore tremit. Quid igitur comeſſatione, ac ebrietate turpius, cum ipſa animos frangat, hominem infra belluas abjiciat, fortitudinem enervet; teſtis eſt Reſpublica Romana, quæ quamdiu frugalitatem ſervavit, tamdiu adverſus omnes hoſtium inſultus inconcuſſa ſtetit, & poſtquam invicem cœperunt cives luxu certare, miſerè cecidit: teſtis Hannibal, qui tum primùm fuit à Romanis cruento bello fractus, cum ſuas cohortes Capuano luxu permiſit enervari. Unde pullulant tot inſani amores, tot civium diſſidia, tot ſtupra, tot adulteria, quàm ex unica comeſſationis, ac ebrietatis radice? quàm ex otioſorum hominum temulentia? ſunt igitur plerisque imò omnibus obnoxij vitijs, quotquot abdomini famulantur, qui comeſſationibus, & ebrietatibus ſeſe ab artium optimarum, virtutúmque cultura abducunt.

4

Am-

5 Amplificationibus itidem prodeſt, plurimúmque adfert oratori præſidij, ut ſi vellet oſtendere, eſſe aliquem eximium virum omnigenâ inſtructum virtute; poſſet id facilè evincere per affirmationem. Quis inficias ibit, eum virtutis nitore ornatum, in quo eminet juſtitia, ſit nervoſior fortitudo, candicat innocentior puritas, fervet charitas, demiſſæ redolent humilitatis violæ. Vel per negationem. Quis non adſtruet eum ſumma virtute præditum, qui nullâ emollitur illecebrâ, nullo ſuperbit fuco, nullâ ſordeſcit libidine, nullo corrumpitur illicio, nullâ frangitur cupiditate, nullo flectitur luxu, nulla erigitur ambitione; nulliſque eſt vitijs contaminatus? Tranſitus verò à ſpecie ad genus raro fiat, & tantùm prout rei poſtulaverit inopia: neque ij commendantur oratores, qui cum laudanda occurrit ſpecialis aliqua virtus, illicò plenis verborum circuitibus, amplóque argumentorum choragio virtutem commendant in genere; ut ſi laudanda contingat in viro forti animi inconcuſſa firmitas, ſeſe totis eloquentiæ viribus effundunt in laudes virtutis, quo fit, ut priùs quàm ad laudes revertantur commendandæ fortitudinis inutilibus verborum ambagibus, vaniſque dicendi phaleris tempus terant, eruditiſque auribus non modicæ ſint moleſtiæ; qui hus quærunt verborum circuitus ijs, haud abſimiles dixerim, qui ad domum ſuam, quam primùm ingredi poſſunt, per prolixas viarum ambages iter affectant.

6 Tractari hic locus ſolet per negationem, vel affirmationem. Si velles oſtendere aliquem virtutis culturæ eſſe addictum diceres. Virtute eſt præditus, quia nullo inficitur vitio, nulli eſt ebrietati obnoxius; nullis voluptatum illecebris ſinit ſe allici, ac irretiri; nullis rapinis, nulliſque mendacijs deturpati: ſed religionem in Deum, pietatem in parentes, comitatem in cives, humanitatem in hoſpites, liberalitatem in egenos, clementiam in ſupplices, manſuetudinem in efferatos, lenitatem in aſperos, facilitatem in protervos, & amorem in omnes exercet. Virtute ornatus eſt, quia illatæ ſibi offenſæ memoriam oblivione conterit; quia munifica beneficentia omnibus prodeſt; quia ad rationis amuſſim ſingulas ſuas componit actiones, & ſuperatâ divitiarum cupiditate, contemptâ clari nominis inanitate ſoli Deo adhærere illi eſt volupe.

EXPENSIO XII.

Locus ab Exemplo expenſus.

1 EXemplum, ait Quintilianus *lib. 5. Inſtit. Orat. cap. 1.* eſt rei geſtæ, aut ut geſtæ utilis ad perſuadendum id quod intenderis commemoratio. Exemplorum coacervatio tametſi in orationis ſtructura parum videatur ingenij præſeferre, plurimum tamen ad perſuadendum habet roboris, multúmque ad concitandos animos efficaciæ, quia ſi qui laborant oculis, ait D. Hieronymus *hom. 2. de Spirit.* ſpungias, ac veſtitum cyaneo colore, ſeu pannos tenentes frequenter in eos intuentur; & ex eo colore nonnullum capiunt morbi levamen: ſic ſi hominis clementiſſimi, ac humaniſſimi imaginem præ oculis habeas, & in hac aſſiduè oculos defigas, etiam ſi millies exardeat ira mentis oculum perturbans, ad hoc virtutis exemplar reſpiciens perfectam conſequeris ſanitatem, purámque animi tranquillitatem; & philoſophiam. Ut autem exempla cum dignitate orator congerat, caveat, neceſſum eſt, ne quicquam producat violenter accerſitum, aut abs re intruſum, in quo perſæpe tyrones peccant, cum ſingularis alicujus exempli lenocinio capti, illud t imerſi ad rem nan faciat orationi attexunt: exempla niſi ad rem fuerint, plus habent dedecoris, quàm præſtent elegantiæ; & ſi plura fuerint, quàm dignitas rei poſtulet, puerile quoddam choragium produnt ad loquentiam, non eloquentiam coacervatum: parcus ſit orator in congerendis exemplis, & ſeligat ex Annalibus, quæ recentiora fuerint, & plus ad perſuadendum præſetulerint virium; nova quæque magis placent, alliciúntque blandiùs; quæ vetuſtiora fuerint, ac trita latiùs erit reticere.

Si viro aliàs prænobili velit orator ſeceſſum, hortique culturam perſuadere, id ab exemplis haud difficilè præſtaret hoc pacto. 2 An hortorum cultura deſpicienda, quia rudis, ac hominibus infimæ notæ concredita? eh quid optabilius, quàm à curarum procellis ad portum confugere ſolitudinis; à negotiorum dumetis ad innocuas florum delitias ſe transferre. Virum nobilem, imò & principem non dedecet hortorũ cultura, Lucullum teſtor, qui poſt Aſiaticas victorias, qu ſi laurea corona ei non ſuffeciſſet, floream quæſivit domeſticos inter hortos, quos ſuis ipſe manibus excoluit: Syllam voco, qui abdicatâ dictaturâ florum culturæ maluit ſtudere, quàm graviora Reipublicæ negotia tractare: Scipionem appello magnum illum Africæ domitorem, qui apud Linternum jam ſenio confectus in hortis excolendis ſe occupavit, annorum gravitatem omnigeni floris mitigaturus ſuavitate: teſtor Marcum Valerium Corvinum, qui ſepties Conſul, ut curarum declinaret ſpinas ruri voluit immorari, ac immori. Pleróſque alios poſſem recenſere, quà ſceptro clariſſimos, quà enſe commendatiſſios, quales fuêre Antoninus Pius, Claudius, Theodoſius Imperatores, qui præferentes ſceptro ligonem Cæſareo vomere agrum excoluerunt eô vel tempore, quo ipſi ab urbe colerentur & orbe, Eh quid optabilius, quàm abdicatis curarum moleſtijs eum deligere locum, ubi arbores nunquam foliorum grata viriditate nudantur; florum varietas, herbarúmque ubertas jugiter luxuriant; pellucidi latices per multiplicies ſemitarum ambages leniter jugiter decurrentes obmurmurant; Favonij, Zephirique plantarum comis adblandiuntur; areolæ ubique luculentæ reſupinis pulvillorum toris

diſtinguuntur, margines hominum, animantium, navium veſtiuntur figuris è plectilibus ramis, tonſili buxo ad omnem aſſurgentibus elegantiam; areæ labyrinthi meandris, ac diverticulis prope infinitis miro artificio ad animi conſtruuntur oblectamentum: nil ſanè jucundius, nil optabilius, quàm demiſſis negotiorum, curarúmque moleſtijs otio indulgere ruri, florum culturæ corporis exercitia dare. Obeant alij periculoſiora militari labore miniſteria, manus conſerant, ſudent in campo, corporibus ſuis, ac laterum oppoſitu hoſtes arceant. Implicentur alij multiplici Reipublicæ curâ, graventur negotiorum ponderibus diu, noctúque meditentur media, quibus vel diteſcant uberius, vel munera conſequantur præclariora, longè hiſce beatior, qui procul à curis, à cœtu, ac hominum frequentiâ rurali indulget otio.

EXPENSIO XIII.

Locus à majori, minori, & Pari expenſus.

1 QUæ à Majori, Minori, & Pari ducuntur argumenta, multum habent venuſtatis, ſed plus efficaciæ ad ſuadendum, vel diſſuadendum. Ducitur argumentum à majori ad minus, cùm adfertur exemplum alicujus vel Regis, vel Principis, qui hoc idem præſtitit, quod nititur orator Proceris ſuadere; ut ſi velit probare, decere virum equeſtrem illatas ſibi injurias condonare, quinimò & beneficijs hoſtem excipere; id evinceret exemplo Auguſti, qui verus Caj Cæſaris hæres; Cinnam in hoſtium caſtris repertum, non ſolùm ſervavit, verùm quod ad charitatis cumulum proximiùs accedit integrum ei patrimonium reſtituit, inquiens: *Olim tibi hoſti ò Cinna, nunc inſidiatori, ac patricidæ do veniam: jam hinc inter nos amicitia incohetur.* Exemplo Veſpaſiani, qui Vitelij hoſtis filiam matrimonio ſplendidiſſimè locavit ingenitæ ſuæ charitatis, ſuæque clementiæ magìs, quàm paternæ injuriæ memor: ſi igitur Principes Ethnici contumeliæ ſibi illatæ prorſus obliti beneficijs cumulârunt, quos noverunt hoſtes, ac inſidiatores; quanto potiori jure proceres Chriſtiani urgente Servatoris præcepto, & exemplo, convicia, injurias, aliáque ſibi illata damna tenentur dimittere, & quos habuerint hoſtes, ſincero proſequi amore?

2 Ducuntur itidem argumenta à majori, quoties oſtendimus poſſe nos minora pati, vel agere leviora ijs, quæ alij nobis æquales geſſerunt: quo pacto eſſet oratori probatu facile, decere virum quemlibet Chriſtianum Turcarum minas flocci facere: præſto eſſet exemplum tot Martyrum, qui licèt cogerentur in Tauris æneis valentiſſimo igne candentib⁹ mugire; vel obijcerentur veſpis melle deliburi, vel premerentur torcularibus, vel torrerentur in ferreis cratibus, vel concilis carnibus minutatim laceratentur; vel demum plumbatis virgis, ferreis pectinibus, aliiſque exquiſitiſſimorum ſuppliciorum torquerentur inſtrumentis, inconcuſſam nihilominus objecerunt imperatoribus barbaris, funeſtis, exitialibus animi firmitatem, quâ catholicæ religionis veritatem egregiè propugnârunt: ad quid igitur recens Chriſtianus Turcarum pavet minas, non eſt, quò leviora timeat ipſe ſupplicia, cum longè graviora paſſi ſint primi militantis eccleſiæ pugiles, qui palmarum inter dulciſſimos fructus enecti, novis, invitiſque ſuppliciorum generibus properantem ad pereñes triumphos effuderunt ſpiritum.

A minori ad majus ducuntur argumenta, 3
ſi exemplum producatur alicujus vel ſexu imbecillioris, vel ætate immaturioris, vel corpore delicatioris, qui hoc idem fortiter præſtitit, ac viriliter egit, quod alius ætate provectior, corpore vegetior, viribus nervoſior recuſat agere; quo pacto viro forti orator ſuaderet Martyrium ſubire, ſi exemplum Divæ Agnetis exhiberet, quæ licèt ætate puella, ſexu imbellis, corpore delicatior carnificum gladios non timuit, mucrones non expavit, aliáque ſuppliciorum inſtrumenta non exhorruit. Hæc tredecim annorum Martyrium feciſſe traditur. Quò deteſtabilior crudelitas (ait D. Ambroſius *libro de Virginibus*) quæ nec minuſculæ pepercit ætati: immo magna vis fidei, quæ etiam ab illa teſtimonium invenit ætate. Fuit ne in illo corpuſculo vulneri locus? Et quæ non habuit, quo ferrum reciperet, habuit, quò ferrum vinceret. Hæc inter cruentas carnificum impavida manus, hæc ſtridentium gravibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus, mori adhuc neſcia, ſed parata, vel ſi ad aras invita raperetur, tendere Chriſto inter ignes manus, atque in ipſis ſacrilegis focis trophæum Domini ſignare victoris: nunc ferratis colla, manúſque ambas inſerere nexibus; ſed nullus tam tenuia membra poterat nexus includere. Novum Martyrij genus; nondum idonea pœnæ, & jam matura victoriæ: certare difficilis, facilis coronari: imaginem virtutis implevit, quæ præſidium vehebat ætatis. Non ſic ad thalamum nupta properaret, ut ad ſupplicij locum, læta ſucceſſu, gradu feſtina virgo proceſſit. Flere omnes, ipſa ſine fletu. Mirari plerique quòd tam facilè vitæ ſuæ prodiga, quam nondum hauſerat, jam quaſi perfuncta donaret. Stupêre univerſi, quòd jam divinitatis teſtis exiſteret, quæ adhuc arbitra ſui per ætatem eſſe non poſſet. Quanto terrore egit carnifex, ut timeretur; quantis blanditijs, ut ſuaderet; quantorum vota, ut ſibi ad nuptias proveniret? At illa: Et hæc ſponſi injuria eſt, inquit, expectare placituram. Qui me tibi prior elegit, accipiet; quid percuſſor moraris? pereat corpus, quod amari poteſt oculis, quibus nolo. Stetit, oravit, cervicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, quaſi ipſe addictus fuiſſet, tremere percuſſoris dexteram; pallere ora alieno timentis

peri-

periculo cum puella non timeret ſuo: hactenus D. Ambroſius tot elegantijs, quot verbis; tot venuſtatibus, quot vocibus; tot leporibus, quot periodis: mox à recenſito minori poſſet ad majus ſe orator transferre. Non eſt igitur quo Epiſcopi, ſacerdotes, ſenes, authoritate graves, religione ſancti, ætate venerandi pro catholicæ fidei veritate tuenda carnificum exitiales manus, ſuppliciorum invita genera, cruciatuum ſæviora timeant inſtrumenta; ſed paratis nervis, ungulis, mucronibus, plumbatis virgis, ferreis cratibus, aculeatis pectinibus inconcuſſam objiciant pectoris firmitatem: ſi teneriores parvulorum flores alacri animo, inviſtâ conſtantiâ tormentorum procellâ haud timuerunt concuti, atteri, divelli? quanto fortitudinis uberiori incremento, alacriorique animo debent ſupplicia ferre, tormenta pati, ut catholicæ fidei plantam læto gemmarum partu jugiter ſurgentem effuſo è fractis artubus irrigent cruore, & nova militanti eccleſiæ adjiciant purpuræ ornamenta?

4 Lactantius *lib. 5. de orig. err. cap. 5.* eleganter à ſphæra Archimedis Dei Providentiam in orbe condendo, ſeu à minori ad majus evincit. An Archimedes Siracuſius ſenex concavo ære, mundi ſimilitudinem, figuramque ſuo perſimilem prototypo valuit machinari, in quo ita ſolem, lunámque compoſuit, ut inæquales motus, & cœleſtibus ſimiles, converſionibus ſingulis, quaſi diebus efficerent, & non modò acceſſus, & receſſus ſolis, vel incrementa, diminutionéſque lunæ; verùm etiam ſtellarum, vel errantium, vel vagarum diſpares curſus, orbis ille dum vertitur exhiberet? Deus verò illa vera non potuit machinari, & efficere, quæ potuit ſolertia hominis imitatione ſimulare? D. Ambroſius pulchrè à minori ad majus, ſeu ex plantarum ſeminibus corporum evincit reſurectionem, Cum occata, & mortua fuerint ſemina, ſoli genitalis ſuccus ſubnaſcitur, qui quodam calore vitali ſpiritum quendam herbæ viridantis exhalat; deinde teneram ſpicæ adoleſcentis ætatem culmo erigit, & vaginis quibusdam, natura tanquam ſedula mater includit, ne pubeſcentem glacies adurat, mox adultam ne pluvia decutiat, ne aura diſpergat, ne avium minorum morſus interimat, vallo ariſtarum ſepire conſuevit: quid igitur miraris, ſi homines, quos acceperit, terra reſtituat? cum ſeminum corpora, quæcunque ſuſceperit, vivificet, erigat, veſtiat, muniat, atque defendat: deſine igitur dubitare, quod depoſitum generis humani terræ fides ſit redditura, quæ concredita ſibi ſemina uſurario quodam fœnore multiplicata reſtituit.

5 A pari ducuntur argumenta, cum oſtendimus eadem nobis licere, quæ plerique alij nobis æquales fecerunt. Seneca à pari *epiſt. 44.* pulchrè probat poſſe quenquam laurea inſigniri philoſophiæ. Nec rejicit quenquam Philoſophia, inquit, nec eligit: omnibus lucet, Patricius Socrates non fuit. Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus. Platonem non accepit nobilem Philoſophia, ſed fecit. Quid eſt, quare deſperes te poſſe fieri parem? A pari eſt probatu facile, omnes homines morti eſſe obnoxios, teſtante Horatio. *Pallida mors æquo pulſat pede, pauperum tabernas, Regúmque turres.* Quis gravior, ac ſapientior Catone? at hic fato ceſſit: quis Ariſtotele ingenio acrior? at hunc demeſſuit falx una Libithinæ: quis Alexandro triumphis clarior? at hunc, cui totus non ſuffecerat orbis, ſeptempalmaris urna clauſit: quis Salomone elegantior? at hunc pallidi Manes illicò rapuerunt: quis felicior Policrate? at hujus aureum vitæ filum feſtinato forcipe obtruncârunt Parcæ: quis ditior, ac copioſior Creſo? at hunc nudum exigua terræ portio excepit: quis Scipione Africano triumphis clarior? at hunc Manium umbra extinxit: quis Auguſto Cæſare commendatior? at hunc ſcopulus ſepulchralis protrivit: quis beatior Sylla, eloquentior Tullio, illuſtrior Hannibale; & tamen omnes fato ceſſerunt, omnes in cineres abjerunt ſepulchrales, quia *pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regúmque turres.* Ubi nunc tot Cæſarum, Regum, Ducum, purpuræ, diademata, Chlamydes? perinde ac umbra evanuerunt, & quotquot vel Virtus ornavit, vel Fortuna evexit, in tumulis Fatum depreſſit, ubi æquant inæqualia Manes ſceptra ligonibus. Ceſſerunt Fato, qui nulli ceſſerunt.

Plerumque argumenta à pari ducuntur à lepido aliquo apologo; quam probandi rationem commendat Ariſtoteles, eò quia plurimum contineat ſuavitatis, ac tanta ſit ejus vis, ut quod ab oratore potiſſimum deſideratur, perſuadeat, & ſimul delectet. Perpulchra eſt ea probatio ab apologo, quæ refertur ab Ariſtotele inter probationis oratoriæ exempla, & qua Æſopus fertur apud Samios virum reipublicæ principem, repetundarum accuſatum, in ſummo capitis diſcrimine defendiſſe. Vulpes ait Ariſtoteles *lib 2. Rhet. cap. 39.* dum flumen tranſiret in quandam voraginem rapido aquarum curſu detruſa eſt, cumque illinc non poſſet emergere, diu afflictata, & à caninis muſcis ſtimulata jacuit, cum ecce Erinaceus fortè tranſiens miſericordia commotus, quæſivit à vulpe, an illas caninas muſcas diſcuteret, ut miſeram moleſtia expediret. Minimè, reſpondit; quæ me dirè vexant muſcæ, jam meo ſanguine ſunt ſaturæ, ſi eas quaſſaveris, aliæ erunt famelicæ ſuperventuræ, quæ reliquum ebibent ſanguinem, méque interiment. Ita eſt viri Samij, hic quidem homo nihil ampliùs vos lædit, eſt enim dives: ſin autem hunc interficiatis, ſuccedent alij eſurientes, qui vos, veſtráſque fortunas penitus exſugent. 6

EXPENSIO XIV.

Locus à Toto, & partium enumeratione expenſus.

1 DEUS rerum omnium Artifex ſapientiſſimus, quia ſibi ſufficientiſſimus, nec ullius externæ opis indigens, nullam complectitur partium congeriem, quâ ſuæ integritatis abſolvatur ratio; ſed ſummâ gaudet ſimplicitate omnigenæ perfectionis continet pulchritudinem, qua ratione Damaſcenus *lib. 1. de Fide cap 12.* ait, Deum nullam non eſſentiam in ſe complecti, & vaſtum quoddam eſſe, ac immenſum eſſentiæ pelagus nullo circumſcriptum litore, nullo coercitum limite: quæ cauſa eſt, ſi Plotino credimus *Ænnead. 5. lib 1. cap. 8.* cur Ethnici poſt Parmenidem, Deum omnia vocaverint; & præ foribus Delphici templi inſcriptum erat: *omnia noſſe, omnia à fine ad finem immoto obtutu attingere ſolius eſt divini oculi.* Quod ſymbolicè refert oculus circulo incluſus, ad quem lineæ omnes à peripheria ducuntur. At extra Deum quicquid corporea aſſurgit mole, quia limitatum, incremento, vel diminutioni obnoxium, oportet diverſarum partium coaleſcat nexibus, quarum ſpectata cognitio in totius uberiorem notitiam veluti complanato quodam aditu conducit.

2 Mundi totius harmonia, miráque pulchritudo neutiquam nobis innoteſceret, niſi ſingulæ ejus partes in unam, eandémque totius universi conſtitutionem conſpirantes noſtris fierent obviæ ſenſibus; cujusvis opificij elegantia ex ordine, & ordo ex concinna, & apta partium diſpoſitione emergit; quid pulchrius, quid elegantius ordine partium mundum compingentium? eſt ſiquidem ordo iſte quidam veluti naturæ clamor opificem ſuum promulgantis, adeo ut non divinorum librorum tantummodo auctoritas Deum eſſe prædicet, ait D. Auguſtinus *15. de civit. cap. 5.* ſed omnis, quæ nos circumſtat, ad quam nos etiam pertinemus univerſa ipſa rerum natura proclamet habere ſe præſtantiſſimum Conditorem; idque animadvertens Juſtinus *quæſt. 9. Græcorum ad orthodoxos.* ex hoc mundi partium concentu ſcitè Deum intulit: interroganti enim Græco unde liqueat, & evincatur, quòd ſit Deus, reſpondit ex rerum, quæ extant, conſtitutione; etenim connexionem, & contentionem tam variarum naturarum in unam, & eandem totius univerſi conſtitutionem conſpirantium nullo dirigente ſupremo opifice caſu obtigiſſe, ille ſibi duntaxat perſuadere poſſet, qui ut bellè argumentatur Tullius 2. *de natura Deorum*, veriſimile exiſtimaret, Annales Ennij, aliúdve ſpiſſum opus ex innumeris literum formis caſu, & ſine ordine in terram excuſſis, exiſtere potuiſſe, aut elegantiſſimas tabellas, ex fortuito colorum in ipſas delapſu artificioſiſſimè pingi potuiſſe, quod judicium amentium foret ſine rationis ſpiculo judicantium: quis enim (loquitur Athanaſius orat. contra Idola poſt medium) cernens contrarias inter ſe naturas coaptatas tamen eſſe, & concordem harmoniam tenere, veluti quis videns ignem frigido, & ſiccum humido commixtum eſſe, atque hæc ſibi invicem non reſiſtere, ſed unum quaſi corpus abſolvere, non ſecum cogitet, foris, & ſeorſim eſſe eum ab iſtis, qui iſta in hunc modum conjunxerit? Quis animadverſo in diſſimilibus, contrariiſque, parem, ſimilémque ordinem ex illis conflari, non animo ratiocinetur unam eſſe vim, potentiámque, quæ iſta diſpenſet, ac gubernet? Ex apparatu ipſo ait Epictetus apud Arrianum *lib. 1. cap. 6.* operum ſolerti, & artificioſo pronuntiare ſolemus effectorem eſſe artificem aliquem, nec temerè, & caſu eveniſſe iſta. Ergo horum quidvis ſuum nobis declarat artificem: aſpectabilia verò illa in mundo corpora, inſpectiones etiam, & oculis undique lumen effuſum opificem ſuum non teſtabuntur?

Totum eſt, quod omnibus ſuis numeris, ac partibus eſt abſolutum, non fœdè, ac temerè permixtis, ſed concinnè, elegantérque juxta rei exigentiam diſpoſitis. Locus à toto hos habet canones. *Poſito, vel remoto toto, poni vel removeri principes partes neceſſum eſt.* Ut ſi Titius vendidit totam domum, valet hæc conſequentia: ergo etiam vaporarium, præſtegas, ergaſteria, andrones, gynecæa, muſæum, thalamum. Seneca ab hoc loco *lib. 2. de ira*, ſic argumentatur. Nefas eſt nocere patriæ: ergo etiam cuique civi, quia civis pars eſt patriæ. *Quod Toti homogeneo convenit; vel non convenit; id etiam partibus ſingulis convenit, vel non convenit.* Ut ſi tota terra gravitat: ergo & partes ſingulæ gravitant. Si mare totum eſt humidum: ergo etiam fretum quodlibet. Si totus ſanguis rubet: ergo etiam gutta quælibet: ſi plumbi maſſa non tinnit: ergo nec plumbeæ laminæ tinniunt. 3

Eſt autem partium enumeratio, ſeu diſtributio, quâ totum in ſuas partes diſtribuitur; & hic locus ubertate plenus eſt: Cum enim res ſingulæ ſuis conſtent partibus recenſendis, vix quidquam poteſt occurrere, quod amplificandi uberem non ſuppeditet ſegetem. Habet cœlum ſolem, à quo ſuos cætera ſydera mutuant nitores, habet ſphœras, epiciclos, Intelligentias, Motus, Coſtellationes. Suis eſt hortus diſtinctus partibus. Habet ſuas areolas, flores, pulvillos, fontes. Habent campi herbas, ſegetes, gramina. Habent agri planities, prominentias, arbores, plantas, fruges, fructus. Hinc à partium enumeratione poſſunt res omnes probari, quæ ſuis ſunt inſtructæ corporibus. 4

Partes ſunt, quæ totum conſtituunt, ac integrant, ut in humano corpore ſunt humeri, brachia, thorax, pedes. Partes generis ſunt ſingulæ ſpecies, quæ ſub ipſo continentur; ut partes virtutis, prudentia, juſtitia, fortitudo, temperantia. Locus a partium enumeratione plurimum habet ſplendoris, ac laxam ſuppeditat oratori dicendorum ſegetem ac ornatum; 5

narum; ſi tamen partes ſingulas aptè diſtribuerit: etenim ſi nulla ab oratore inſtituatur concinna partium diſtributio, fluctuare orationem, & quadam circumfundi caligine neceſſum eſt, & perinde monſtroſam efficeret amplificationis ſtructuram, ac monſtrum effingeret, qui fœdè, & tumultuaria diſtributione humani corporis partes temerè copularet, ut ſi caput genu, pes collo, brachia pectori, humeros ventri adnecteret. Cæterum partes aliæ ſunt intrinſecæ, quæ ad rei eſſentiam pertinent; aliæ integrantes, quæ ad totius compoſitionem; aliæ adſcititiæ, quæ ad uberiorem ornatum. A partium enumeratione pulchrè Plinius *in panegy. Trajani* triumphalem ingreſſum in urbem amplificat. Ergo non ætas quemquam, non valetudo, non ſexus retardavit, quo minus oculos inſolito ſpectaculo implerent. Te parvuli noſcere voluerunt, aſpicere juvenes, mirari ſenes; ægri quoque neglecto medentium imperio ad conſpectum tui, quaſi ad ſalutem, ſanitatémque accelsêre, unde & alij ſatis ſe vixiſſe, Te viſo, Te reperto; alij non magis eſſe vivendum prædicabant: fœminas etiam tunc fœcunditatis ſuæ maxima voluptas ſubjit, cum cernerent Tibi Principi cives, Tibi Imperatori milites peperiſſe. Videres referta tecta, ac laborantia, imò nec ullum quidem vacantem locum, oppletas undique vias, anguſtúmque tramitem relictum Tibi, alacrem hinc inde oculum, ubique par gaudium, parémque clamorem. E converſo Cicero Piſonis reditum ad urbem omni deſtitutum pompa, ſine ulla populi frequentia amplificat. Confer nunc viciſſim in reditum tuum, quandoquidem amiſſo exercitu nihil incolume domum præter os illud priſtinum tuum retuliſti, quis ſcit? quos tu meandros dum omnes ſolitudines perſequebaris, quæ diverticula, flexionéſque quæſiiſti? quod Te municipium vidit? quis amicus invitavit? quis hoſpes aſpexit? nonne Tibi nox erat pro die? nonne ſolitudo pro frequentia? nonne caupona pro oppido? non ut redires ex Macedonia nobilis Imperator, ſed ut mortuus infamis referri videreris. Romam verò ipſam fœdavit adventus tuus, & nullus Tibi obviam venit. A partium enomeratione venuſtè Poëta commendat adoleſcentem virtutis culturâ inſignem, recenſétque virtutes ſingulas, quæ ſunt partes generis, ſub quo militant, & partes corporis.

Excubat in medio Tibi pulchra modeſtia vultu,
Et niveus roſeo regnat in ore pudor.
Simplicitas oculis ſacra facundia linguâ,
Ridet in ingenuis Gratia viva genis:
Majeſtas humeros, placidam Clementia frontem,
Pura verecundus pectora candor habet.
Præ foribus famuli, video, famulæq; morantur.
Virtutem dominam, quis neget eſſe domi.

6 Uſus igitur amplificationis à partium enumeratione ampliſſimus eſt, & orationis œconomiæ plurimum inſervit: etenim longè, latéque diffuſum ſuppeditat dicendorum ſupellectilem, & perinde ac Ariadnæ filum oratorem dirigit, ne fluctuet in errorum labyrintho; etenim ſi partes ſingulas, & principes ſplendidè, ac ornatè recenſuerit, plurimum adferet Auditoribus oblectamenti, & uberrimâ eloquentiæ pompa ſuô fungetur munere; eſt ſedes iſta fœcunda parens illius amplificationis, quæ oratoria in facultate triumphat, animos flectit, affectibus moderatur, motúſque tum iraſcentis, tum concupiſcentis animi coërcet. Oportet tamen, caveat orator, ne in partium collectione minutias quaſque coacervet, id enim puerile eſt, & tœdium creat, pluſque eloquentiæ obeſt, quàm proſit: ita ſe orator gerat in recenſendis partibus, ut neceſſarias non omittat, ſuperfluas non congerat, diſcrepantes non confundat, jam recenſitas iterum non repetat. Plerique ſunt, qui putidè leviora quæque pertexunt, in ijſque recenſendis ſtaturum temporis ſpatium ferè totum abſumunt, ut vix ſuperſit, quo ab alijs dignioribus, majoriſque momenti ſe expediant, quibus ſatiùs foret has partes, ſeu minutias non receuſuiſſe, quam Adſtantium ità miſerè fallere expectationem: ij haud abſimiles ſunt antiquorum munerarijs, qui cum montes aureos plerumque ſponderent; nihil præter macram arenam exhibebaut. Rejectis igitur, ac ſucciſis, quæ levioris viſa fuerint momenti, eas recenſeat orator partes, quæ ſuſcepto inſtituto magis favent, súntque accommodatiores, prolixitatem declinet, ne ſit Auditori moleſtiæ. Elegans ſemper mihi viſa eſt illa amplificatio à partium enumeratione, quâ Petiot *in Panegy.* Ludovici XIII. glorioſiſſimi Galliarum regis ejus triumphum omnibus Eloquentiæ coloribus deſcribit inquiens. O ſi mos ille vigeret adhuc, quo ſolemni pompa victores portabantur in urbem; quo Roma Marcellos, Scipiones, Lucullos, Pompejos, aliósque Imperatores læto vultu, hilari fronte excipiebat triumphantes? Iſti enim partâ victoriâ, rebúſque pacatis converſas in omnium aures titulorum tubas inflabant; auditio cogebat moras pati, dum longo tractu inſonarent Africani, Aſiatici, Parthici, Germanici, atque alijs captivis appellationibus inſigniti. Tunc terrarum orbis ſe ſe ad ambitionis cognomenta lacerabat. O inquam, ſi mos ille vigeret, quantus foret Ludovici triumphus, quæ gentium acclamationes, quæ monumenta victoriarum? iret ante currum depreſſo collo, ſubjectis cervicibus, ſubacto vultu condemnata rebellio, currum traherent ſimul vincti, ſimul victi cum Rupellenſibus Angli frontibus formulari jugo conjuncti: ſuccederent agmina virorum, uno ſimul omnia loro devincta, ac cæſa flagello virtutum: hic tractus ſonanti compede livor ringeret, fremeret Audacia ſine telo, jaceret Arrogantia ſine ſupercilio, morderet Invidia ſine dente; debaccharetur Impietas ſine voce, mœſta Hæreſis ſine viribus agmen clauderet: qui plauſus interea, quæ in Te laodes à circumfuſis militibus conferrentur: Tu Benearnus, Tu Tranſalpinus,

ſalpinus, Tu Ciſalpinus, Tu Aquitanicus, Tu Britannicus, Tu Galliâ dignior, Tu Patre felicior, Tu Henrico magno Major Ludovicus feſtis vocibus diceréris: ſplendidi prætexta tituli, laureati lemniſci, ſublimes imagines præſeferrentur, viverent adhuc in adamante, quos in campo jugulâſti, cœlaturâ, quàm vitâ nobiliores; Topatijs, & Amethyſtis ſplendorem adderent virtutum tuarum inſculpta miracula, eminerect in auro ſublime propugnaculum Ludoviceum: victi Buhinchamij ſimulachrum ferream domito collo catenam trahens, pedibus ac manibus revictis ſplendidum fieret pompæ ludibrium; nectare ſpumaret artefactus oceanus, ambroſiæ fluctus allíderent gemmarum obicibus, imbres gemmeos frangeret moles in auro. Alij denique ponerent obeliſcos, ut Cæſari: alij columnas erigerent, ut Antonino, ac Trajano: alij tabulas illi figerent, ut Alexandro Macedoni: alij arcus deflecterent, ut Conſtantino, Veſpaſiano, ac Tito: alij pyramides excitarent, ut Nino, alij denique ſtatuas ut victoribus innumeris.

7 Ecce quàm uberem, quàm venuſtam ſuppeditat oratori amplificationem concinna partium enumeratio, præſertim ſi eleganti verborum delectu exhibeatur. Partes cenſentur ea omnia, quæ ad aliquod abſolvendum, perficiendúmque concurrunt; vel ſub aliquo univerſaliori comprehenduntur, ut ſi orator niteretur evincere Gentium mores ubique terrarum diverſos, pulchrè ſuam dilataret propoſitionem, ſi mores ſingularum nationum recenſeret. Sicut varia ſunt hominum inſtituta, varia ingenia, ita & mores diverſos eſſe nemo eſt, qui eat inficias. Licèt una ſit omnium ratio dictans, malum eſſe declinandum, virtutem proſequendam, excolendam, non tamen idem uſus, eadem exercitia. Produnt, qui diverſarum gentium mores, propenſiones inveſtigant, Abydenos Sycophantas haberi; Phryges mancipia; Sardos venales: Lydos caupones; Sybaritas voluptatibus ſummè addictos, Scythas ſolitudinis cultores, Choas transfugas; Siculos dicaces; Cumanos inertes; Chates virtute bellicâ ſtrenuos; Athenienſes fidos; Pœnos perfidiâ infames; Syracuſanos adulatores, Megarenſes fraudulentos; Cretenſes mendaciſſimos, quibus nulla ſit fides præſtanda; Lacedemonios fures; Sicyonios molles, ac mundi illecebris deditos; Archades auxiliares, Gepidas truces, efferatos. Italos cunctatores, ingenio acres; Hiſpanos jactabundos, patienter conſtantes; Gallos fervidos, mobiles, faciles, bellicoſos, audaces: ita eſt ſicut eodem virore non ſuccreſcunt plantæ, nec eodem fructu diteſcunt arbores, nec ijsdem viretis laſciviunt prata, nec eadem purpura roſas pingit, nec eundem exhalant flores odorem; ita nec omnibus ubique locorum ijdem mores, nec eædem ingeniorum propenſiones.

8 Partium enumeratio in deſcriptionibus texendis plurimum habet aucupij, plurimumque oblectamenti. Placet elegantiſſimam ſubjicere terreſtris Paradiſi deſcriptionem, quam ab enumeratione partium exhibet Richcomius apud Nicolaum Cauſſinum. In voluptuarios hortos devenimus, quos ſi nondum videris, animo, & cogitatione efformate. Regio in primis amœna, quippe ſitu præcelſa, ſpecie eximia, bonis opulenta, omni deliciarum genere affluens. Terra partim in planitiem exſpatians, partim in colliculos molliter aſſurgens, vernantem frugiferarum arborum copiam explicat: in ipſo hortorum apice fons eſt eximius, qui primùm argenteis aquarum vorticibus ebulliens, mox diffuſus in fluvium ſinuoſis flexibus, atque mæandris conciſus oberrat, & fœlicia arva perennibus fœcundat rivulis. Ad ſummum, in quatuor ſalientes celeberrimos amnes dividitur, qui varios terrarum tractus interſecantes pingui, & feraci limo rigant. Jam verò pratorum herbeſcens viriditas intermicantium florum varietate picturata, arborum pubes enatis modò floſculis laſciviens, præſentis opinor veris præbet argumentum. Cum eodem ſuas partes agunt reliquæ tempeſtates. Itaque jam æſtatis beneficio ariſtas molliter flaveſcere, & in his pomariorum delicijs fructus matureſcere videas, qui carpentis invitent manum. Ex altera parte autumnus gratam olivitatem, & vites diffuſa corymborum luxurie collibus inſerpentes, & jam prœmaturis racemis veſtitas, etiam ante Noëmi tempora, ſpecioſiùs oſtentat. Nullus hic hyemis rigor; ita vim omnem retundunt, partim clementiores ſolis radij, qui fœlicem plagam circumveſtiunt, partim etiam molles favoniorum animæ, quorum flabellis, & placidiſſimo murmure regio tota circumquaque ventilatur. Diceres quatuor anni tempeſtates hîc una concinere, vere tamen ſuperiores partes ſemper obtinente. Hinc nemorum tractus denſiſſimo frondium veſtitu diffuſi, multiplices plantæ, quarum aliæ ſimpliciori cultu vireſcunt; aliæ paulatim è viridi tum cæruleas, luteáſque, tum purpureas, & igneas jocosè tranſeunt in maculas, quales in arcu cœleſti cum voluptate miramur. Atque eo ipſo tempore Pſittaci, & quæcunque vario plumarum cultu aves emicant, ad gratiſſimum paſtum advolantes, augent oblectationem; cum folia, & fructus, atque adeò ipſæ alites varijs colorum picturis in certamen usque luxurient. Quid? quòd non modò certant pulchritudine aviculæ; ſed fractis vocularum modulis, mellitiſſimos cantus fundunt?

Non poterant luculentiùs, nec elegan- 9
tiori verborum delectu à partium enumeratione deliciæ paradiſiacæ deſcribi. Non ſolùm ad amplificandum paſſim luculenta enumeratio plurimum ſuppeditat oratoribus præſidij, & orationi oblectamenti; verùm etiam argumentorum ſtructuræ perutilis cenſetur. Cicero 1. *offic.* nervosè oſtendit totam humanam vitam officio contineri, quia nulla ejus pars

officio

officio poſſit vacare: ita argumentatur. Nulla vitæ pars, neque publicis, neque privatis, neque forenſibus, neque domeſticis in rebus, neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas vacare officio poteſt. In eóque excolendo ſita eſt vitæ honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo: igitur tota vita humana officio continetur. Poëtæ itidem ab hoc fonte ſuppetias hauriunt, quibus eleg ntiùs canunt. Lactantius pio æquè, ac eleganti carmine à partium enumeratione Dominicæ paſſionis deſcribit cruciatus.

Vertice ad uſque pedes me luſtra; en aſpice crines
Sanguine concretos, & ſanguinolenta ſub ipſis
Colla comis, ſpinisque caput crudelibus hauſtum,
Undique diva pluens vivum ſuper ora cruorem:
Compreſſos ſpeculare oculos, & luce carentes,
Afflictáſque genas: arentem ſuſpice linguam
Felle venenatam, & pallentes funere vultus,
Cerne manus clavis fixas, tractóſque lacertos:
Atque ingens lateri vulnus: cerne inde fluorem
Sanguineum, foſſóſque pedes, artúſque cruentos.
Flecte genu, lignúmque crucis venerabile adora.

10 Martialis *lib. 1. epig. 20.* à remotione partium jocosè vetulam ridet.

Si memini fuerant tibi quatuor Elia dentes,
Expuit una duos tuſſis, & una duos.
Jam ſecura potes totis tuſſire diebus.
Nil iſtinc quod agat tertia tuſſis habet.

11 A partium enumeratione venuſtè deſcribuntur quatuor anni tempeſtates. *Sol* ait Cicero *lib. 2. de natura Deorum*, curſum inflectens cùm ad ſeptemtrionem, tùm ad meridiem æſtates, & hiemes efficit, & ea duo tempora, quorũ alterũ hyemi ſeneſcenti adjunctum eſt; alterum æſtati: Ita ex quatuor temporum mutationibus, omnium quæ terra, maríque gignuntur, initia, cauſ que ducuntur. Hinc ſol modò accedens, nunc recedens binas in ſingulis annis reverſiones facit ab extremo, quarũ in intervallo tum quaſi triſtitia quadam contrahit terram, tum viciſſim lætificat, ut cum cœlo hilarata videatur.

Veris Deſcriptio à partium enumeratione.

12 REvertitur hyemali poſtliminio Regina Tempeſtatum Verna temperies, quæ moderato calore, ac vivifico immiſta humore producendis ſtirpibus, fovendis plantis, promovendis floribus, alendis herbarum viretis, gignentis animalium ſpeciebus, rebúſque ſervandis omnibus eſt mirificè opportuna: & quamvis ſemper eadem, anniſque ſingulis reſtauretur, nemo tamen naturam increpat, quòd eaſdem jugiter redordiatur temporum periodos, ac ultra ſatietatem benigna ſit: quippe rerum, quæ placent, ipſa dos eſt, ut decies, & ampliùs repetitæ placeant adhuc. Præſertim quia redeunte Vere cœlum renidet purius; Sol altior, & auro ſimilior uberioribus influxuum divitijs vegetantia quæq; locupletat; aſtrum arietis beneficum, ac fœcundum arridet ſerenum, & vim totam viventibus inſitam corporeis promovet, rebus naſcentibus amicum. Orbis lunæ clarior ſplendet, & illibati ſtellarum chori pulchriùs enteſcunt. Soli conciliantur nubes, marinis littoribus fluctus, aëreis tractibus venti; terra plantis, & plantæ oculis. Tunc expulſa luridæ hyemis tetricitate, & mutata repentè ſcena exhilaratis auris, vernísque teporibus unà cum aëre tellus ipſa miteſcit; & veluti terra in cœlum mutata ſuo aperit in ſinu tot micantes ſtellas, quot parturit ipſa flores, quorum alij naſcuntur in gemma; alij ex hiante jam calice promicant, pubeſcunt alij ruptâ jam vagina, alij gliſcunt ſponte nati: veſtiuntur ſmaragdino paludamento prata, quæ gemmea laſciviunt herbarum viriditate. Arbores ſuis ornatæ floribus foliorum comas explicant fructuúmque ſpondent ubertatem. Saliunt hybernis ſoluti compedibus Nympharum chori, gratiſſimóque murmure cæli plaudunt ſerenitati, terræque vegetantium varietati: ubi nives ſeneſcentis anni oſtendebant canitiem, purpurant roſæ, candicant lilia, florent Narciſſi, varijs arrident depictæ coloribus tulipæ, ludunt zephiri, ſpirant favonij, ſuſurrant frondoſi arborum rami, & æmulo concentu harmonicæ aviculæ ſimul decertant; ubique vocalis auditur ſylva, ubi luſcinia cantillat, acredula militat, apis bombilat, merula ſtridet, paſſer pipit, progne zinzilulat, hirundo trinſit, perdix cacabat, coturnix gryliſſat, Palumbus plauſitat, milvus lipit, pavo pupillat, ſturnus piſitat, turdus trutilat; extra opacata nemora tellus benigna parens vegetantium omniferos recludit ſinus, ac herbarum vireſcentium, gratéque olentium expromit multitudines; pubeſcunt prata, emicant flores, frondent arbores, efflant favonij, ſaliunt fontes, & quicquid antea pruinis riguerat, benefico innatat rore, ubi nives jacuerunt, virent herbæ, vernant flores. Ecce quàm laxè poſſumus à partium enumeratione res deſcribere.

Æſtivi Temporis à partium enumeratioue deſcirptio.

NOn niveæ frigidi velleris decidunt è ſinu luridæ nubis pluviæ tellurem fœcundaturæ, vitámque ſepultis ſeminibus daturæ; ſed è ſummo cœlo, Syrio è cane flammarum delabuntur torrentes, quibus areſcit terra, dehiſcunt campi, ſiccantur fontes, ſitiunt animalia, ſudore madent homines, viribus deſtituuntur Artifices, corpore langueſcunt operarij, & orbis totus exæſtuat. Sol enim, qui antea veluti Poëtarum Briareus tot quaſi brachijs, manibúſque, quot radijs in hæc inferiora emiſſis Floræ partus in hortorum areolis, ac pratorum amœnis ſublevavit, totúmque vegetantium genus promovit; nunc novus Jupiter in pluvias quidem delabitur, non tamen aureas ſinum fœcundaturus Danaæ, ſed gremium combuſturus communis matris ter- 13

ræ; quippe flammas ſpargit, quibus ardeant campi, areſcant torrentes; & rivuli, qui propria deſtituti aquarum copia, exiguas duntaxat liquantur in guttulas, quaſi amiſſis illachrymarum opibus. Sed ſi areſcunt campi, flaveſcunt tamen ſegetes; maturiunt fructus ex arboribus penduli, aureis coronantur arva ſpicis; Opiliones lanicio oves levant, Ruſtici falcibus Cererem colligunt, plauſtra manipulis onerant, gramina in fœnum demetunt; animantibus paſtum liberaliùs porrigunt; increſcunt racemi, maturiunt poma, turgent oleæ; & omnes Pomonæ fœtus ſua ſubeunt incrementa. Sed quam ruſtica manus in manipulos illigavit flaveſcentem Cererem; hanc varijs torquet cruciatibus; vel equorum pedibus conculcat, vel bacillis diverberat, vel perticis flagellat; verùm ſicut asbeſtinum inter flammas irradiat candidius; & linum dentato ferro excruciatum perficitur; ita purior evadit Ceres, quæ horrea opplet, & divitias auget.

Autumni à partium enumeratione deſcriptio.

14 Rejiciat calamus ſtyli acerbitatem, ubi Pomona dulces matureſcit in fruges; flores reſpuat omnes, ubi Amalthæa ſuo è copiæ cornu nonniſi fructus effundit; exulet Vernæ Juventæ levitas, ubi anni gravitas, & ætas virilis non floribus redimitur, ſed fructibus coronatur; ſeu omnigenis diteſcit frugibus Autumnus ſuam ab augendis opibus trahens nomenclationem; hic eſt, qui hortorum divitias plenis calathis offert; arborum fructus decerpendos porrigit; & omnia pomorum genera ſuis exhibet matura cultoribus. Allicit ficuum ſapor melli etiam præferendus, invitant ex divitibus Arborum ramis pendula poma, hic vivido perfuſa rubore; illic aureis depicta elegantijs: domeſtica cultura Perſicorum melleus ſudat humor; citreorum diffunditur odor; Pyra ad plenam perducta maturitatem proprio preſſa pondere è ramis divulſa cadunt terram matrem locupletatura: hic videntur Amerina ſero proventu ſegnia, alibi muſtea ſucco nativo dulciſſima. Vitiferos tractus collibus amicitiâ devinctus Bacchus appetit, ubi refertus vindemiæ labris ſpumat. Uvidæ amnium ripæ racemis onuſtæ liventibus prælum expoſcunt. Quidquid dulce, ac ſapidum Pomona concipere, fovere, ac parere valuit, Autumnus munifica exhibet largitate, aurea præſertim, ac punica poma, ut ſcias poſſe Autumnum auream parere ætatem, abſque ullo Saturni ortu.

Hyemis à partium enumeratione deſcriptio.

15 Elocutionis flores non expectentur, ubi triſtis, dura, immitis, lurida, nubila, pigra, aſpera, ſqualida, tetrica hyems terram invadit, quam occupat, & mare tranquillitatis fœdera fœdè diſrumpit: qualis poterit inter nives efflorescere ſtylus? vel quos dare flores poteſt ſterilis hyems? Jam montium capita nivium canitie anni produnt ſenectutem; aër atris nubium velis obducitur, ſolem nobis abripit, crebráſque liqueſcit in pluviarum lachrymas anno parentaturus demortuo. Exulant è pratis vireta in luctu, in ſqualore, jacentibus; ſuis ſpoliantur foliorum veſtibus arbores, rigéntque vel concretis pruinis obrutæ; vel adhæreſcentibus nivibus obductæ; & reliquæ plantæ, quas dederant ventis diffundere amabili negligentia comas, deponere adiguntur: vireſcenti exuuntur honore prata, intereunt herbarum luxuriantes pulvilli, ſqualent rura, lugent horti, mœrent ſylvæ, quæ perennibus canæ pruinis venationis prohibent ſolatia; triſtantur colles, concreſcunt glacie flumina, obruuntur nivibus montes, debacchantur Boreæ, iraſcitur mare; cœli facies ſemper turbida, nunquam blanda; ſemper triſtis, nunquam læta; ſemper minax, nunquam adblandiens, ſqualet atrata nubibus; niveſque ſpargit, quibus in luctu in ſqualore jacent omnia. Ruſticus ad focum confugit; Formica in terræ cavernis ſuis laboribus fruitur parto victu; Apis ſuis in alvearijs clauſa collecto veſcitur melle; dum Boreæ graſſantur exteriùs, & ſterili glacie torpent omnia, & præfocatæ in ſemine fruges, gelúque exanimatæ ſpem futuræ meſſis videntur elidere.

Domus magnificæ, ac ſumptuoſè conſtructæ deſcriptio ab enumeratione partium.

Quaſi neſciat homo lætius vivere, quàm 16
cum latius domeſticos ſpatiatur inter parietes; domum ſibi conſtruit, quæ cum urbe videatur magnitudine decertare. Jaciuntur fundamenta eò profundiùs, quò in ſublimius erigi poſſint parietes, eò cœlo proximiores, quò ſunt illa inferis viciniora. Conſurgit ſtructura ſuis diſtincta membris, diviſa partibus tam laxè, ac magnificè, ut ſpeciem potiùs quàm uſum videatur exhibere, cū potiore ſui parte nonniſi ab oculis habitetur. Ad hanc firmius ſtabiliendam ex provincijs exteris vehuntur variegata marmora, quò in delicias oculorum, etiam ſaxa molleſcant rigidiora; quinimò & ipſa pavimenta lapide pretioſo cæſim diminuto in varia picturæ genera diſcriminantur. Summa laquearia citro, vel ebore ſtudioſè excavata columnis fulciuntur multo illitis auro. Parietes vel picturis animantur, vel aulæis auro intextis veſtiuntur. Quòd ſi velles luſtrare atria, perſtylia, gradationes, conclavia, thalamos, antithalamos, veſtibula, areas, contignationes, cameras, cubicula; porticus, aulas, Muſæa, conclavia ſecretiora, repoſitoria, veſtiaria, zetas, horrea, cellaria, ſpecula voluptaria, podia, turres, coquinas, ſtabula, aviaria, cohortes vix integer tibi ſufficeret dies.

Lu-

Luxus in epulis concinnè à partium enumeratione deſcribitur ex varijs tum Græcis tum Latinis apud Cauſſinum.

17 NOn convivium apparatur, ſed deliciarum conſtruitur amphiteatrum, in quo omnes ſenſuum cupiditates de palma videantur decertare. Ad oculorum laſcivientium delicias compoſita cœnatio quicquid auri, & argenti, ac gemmarum uſquam fuit, partim in vaſis, partim in ſimulachris, & partim in parietum ornamentis expendiſſe videtur: qui licèt toti auro, & gemmis collucerent, & parietum ſplendori, pavimentorum reſponderet nitor; nihil tamen laqueari fuit admirabilius; quippe in lucentis globi teſtudinem ad cœli ſpeciem fornicatum noctes, diéſque movebatur, varias identidem micantium ſyderum formas, & cœleſtia ſimulathra non ſine magna admiratione referens: & ne quid perfuſis hac delectatione oculis, vacarent nares, arcanis exinde fiſtulis emiſſa balſama, convivas gratiſſimo omnium ſpectaculo reſpergebant. Ad aurium oblectationem tres chori compoſiti fuerunt; quorum unus Nympharum fuit; alter Apollinis, & Muſarum; tales enim ſibi vultus pueri ſymphoniaci ſumpſerunt: tertius ex aviculis conſtabat, quæ ſtatis legibus quaſi juſſæ mellitiſſimos temperabant cantus. Suæ & tactui fuerunt voluptates, ſed uni guſtui primas omnes deferebant. Is ut expleretur, bellum cœlo terris, & mari ad internecionem uſque fuerat indictum, ut ex omnibus elementorum ſpolijs una menſa conſurgeret. Itaque duo lectiſſima avium genera, ſeptem verò piſcium, mille ordine alphabetico per vices in uno convivio ſunt allata; inter quæ prodigioſa patina novo genere luxuriæ conſecrata; in qua Scarorum jecinora, Phaſianorum, ac Pavonum cerebella, linguæ Phœnicopterorum, Murenarum lactes, à Carpathio uſque fretóque Hiſpaniæ per navarchos, & triremes petitarum. Additæ prôh nefas! aves humani ſermonis dociles, ut inter cætera ciborum portenta imitatio hominis manderetur. Aurei præterea panes, atque aurea obſonia, & ingens vis margaritarum aceto ſubacta delicatiſſimis pulmentis aſpergebatur, ne quid ad luxus nepotinos deeſſe videretur. Miniſtrabant pueri, & virgines ex omni pulchritudine delecti. Additi erant Pincernæ aurei, & cryſtallini, quorum alij myrrhatum vinum, alij calidam, alij frigidam temperabant. Inter hæc ſpectacula ſedebant omnes convivæ coronati, marcidi, ebrij, non tam vino, quàm delicijs.

EXPENSIO XV.

Locus ab Effectis expenſus.

EFfecta quia plerumque ſub ſenſus exteriores cadunt, nobis ſunt notiora cauſis, cum quibus perpetuum habent commercium, & quibus veluti ſoboles ſunt addicta, & à Tullio definiuntur, quæ ſunt orta de cauſa; perinde ac lux à ſole, qui ſui luminis faber ampliſſimo ſyderum ſatellitio ſuos impertitur nitores; effecta quæque ſuis promanant à cauſis, à quibus quicquid nitoris, pulchri, ac elegantiæ poſſident, recipiunt. 1
Hinc Rhetores ab effectis ad omnia cauſarum genera ducunt argumenta validiſſima tum ad ſuadendum, tum ad diſſuadendum. Ab effectus pulchrè Epictetus apud Arrianum *lib. 1. cap. 6.* evincit cauſam primam efficientem. Ex apparatu ipſo inquit operum ſolerti, & artificioſo pronunciare ſolemus effectorem eſſe artificem aliquem, nec temere, & caſu eveniſſe iſta. Ergo horum quidvis ſuum nobis declarat artificem: aſpectabilia verò illa in mundo corpora, inſpectiones etiam, & oculis undique lumen effuſum, opificem ſuum non teſtabuntur? cui conſonat Auguſtinus *15. de civit. cap. 3.* inquiens. Non divinorum librorum tantummodo auctoritas eſſe Deum prædicat, ſed omnis, quæ nos circumſtat, ad quam nos etiam pertinemus, univerſa ipſa rerum natura proclamat habere ſe præſtantiſſimum Conditorem. Luculenter proſequitur hoc idem Argumentum Chryſoſtomus, & inſipientem Atheum dicentem in corde ſuo, non eſſe Deum, elegantiſſimæ mundi machinæ Effectorem, ac Opificem ſapientiſſimum, ridet, & pluribus eleganter congeſtis ad hominem convincit: ait ipſe *in Pſal. 13.* Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Non eſt fundamentum, & quomodo ſtat ædificium? Non eſt carina, & quomodo conſiſtit navigium? Non eſt fabricator navis, & quonam modo navis compacta eſt? Non eſt ædificator, & quonam modo domus facta eſt? Non eſt Agricola, & quomodo agri tulêre manipulos? Non eſt Muſicus, & quomodo in mundi Lyra apparet concentus? Non eſt, qui provideat, & quomodo omnia pervadit providentia? Non eſt auriga, & quomodo quatuor elementorum curſus agitur? Non eſt Statuarius, & quomodo homines veluti quædam ſtatuæ in mundo facti ſunt? Non eſt fornicis conſtructor, & quis tibi cœli fornicem conſtruxit? Non eſt aurifex, & quis veluti diſcum aureum, tanquam in menſa ſolem in cœlo poſuit? Non eſt, qui ferat lampadem, & quis tibi veluti lampadem argenteam dedit lunam in nocte? Non eſt, qui illuminet, & quis tibi clara, & lucem præbentia dedit luminaria? Non eſt, qui faciat ſolus magna lumina, & quis accenſos aſtrorum Lychnos tibi in cœlo poſuit, Non eſt opifex, & quomodo pulchritudo creaturarum teſtatur creatorem? Quæcunque in mundo fiunt, aguntur, exercentur, habent, qui eis

præſit, eáque perficiat; & ſolus mundus non habet, qui eum adminiſtret? Quemadmodum abſque fabro, & pictore ſtatuam fieri nullus aſſerere audeat (ait, Triſmegiſtus *cap. 5.* Pimandri) ita ſine Conditore, & Moderatore Deo harmonica mundi machina conſiſtere neutiquam poteſt. Quis nocte ſerena in ampliſſima cœlorum ſpatia defigens oculos, vidénſque ut loquitur Ambroſius *4. Hexaem. cap. 2.* quomodo per lunæ ac ſtellarum ſulgorem cœlum veluti quibuſdam floribus coronatum, ita ignitis luminaribus micet, ut paradiſo putet vernante depictum, ſpirantium roſarum vivis monilibus renitere; cum Auguſtino *lib. de utilitate credendi cap. 16.* non fateatur, ſpeciem rerum omnium, & præſertim cœleſtium Lychnorum, quam profectò ex aliquo veriſſimæ pulchritudinis fonte manare credendum eſt, interiori neſcio quâ conſcientia, unumquemque noſtrum docere, adeſſe opificem Deum, qui mundi invexit pulchritudinem, & harmoniam?

2 Finalem cauſam itidem ex effectis nervosè evincit orator: ut ſi Princeps ſtrategos ſtrenuos, milites electiſſimos, omniaque armorum genera congreget, legiones conſcribat, & alia inſtruat, ad gerendum bellum pernecesſaria: rectè inferret Principem bellum aliquod meditari, quod eſt finalis cauſa militaris apparatus. Cauſam materialem demonſtrat, ex ijs, quæ ad ipſam conſequuntur, ut ſi homo eſt corporeus, ſi laſſitudine, & labore frangitur, morbis corrumpitur, moleſtijs enervatur, frigore riget, æſtu langueſcit, cibo indiget, ejus exceſſu obruitur, defectu corruit, interitui eſt obnoxius, jugibus mutationibus incrementa ſubit, & decrementa: ritè inferret, eſſe hominem ex materiei compactum craſſitie, quia ſingula prærecenſita effecta proficiſcuntur à materia. Cauſam itidem formalem oſtendit, ſi, quæ ab ipſa ſluunt, recenſeat. Si homini tres inſunt principes facultates, quibus unjus Dei in tribus Perſonis characterem prodit; Intellectus, quô quæ ſenſus ipſos fugiunt attingit, abdita quæque inveſtigat, omnia clarè, ac diſtinctè cognoſcit, dijudicat: voluntas, quâ ſibi commoda complectitur, diſſentanea declinat; cujus imperio obſequuntur cæteræ facultates, cujus nutui obtemperant ſenſus, cujus decreto obediunt tum iraſcentis, tum concupiſcentis animi facultates: memoria, quæ rerum ſimulachra ſibi concredita diſtinctè, electéque conſervat, quis inficiabitur, vigere in homine rationalem animam interitui minimè obnoxiam, ſed immortalitate donatam?

3 Ab effectis, eò quia videantur Dei nutui temporum vices obſequi, efflare ventos, ſcaturire fontes, creſcere meſſium copias, emergere conſepulta ſemina, vireſcere vere redeunte plantas foliorum comis, flaveſcere in exporrectis camporum tractibus ſegetes, fructus mireſcere vinearum, exuberare pomis arbuſta, nemora frondeſcere, prata florere, arva viretis laſcivire, Deum demonſtrat, ejúſque bonitatem commendat D. Cyprianus *lib. de bono patientiæ:* pulchrè ab effectis probat Seneca *lib. 5. nat. quæſt.* ventos bonos eſſe. Dedit (ait ipſe) Deus ventos ad cuſtodiendam cœli terrarúmque temperiem, ad evocandas ſupprimendáſque aquas, ad alendos ſatorum, arborúmque fructus: quos ad maturitatem cum alijs cauſis adducit ipſa jactatio attrahens cibum in ſumma, & ne torpeat promovens. Si poſtea venti lacerent navigia, noſtrum eſt peccatum, qui per avaritiam elementa mundi confundimus.

Amplificationibus plurimum effecta præ- 4
ſidij adferunt, ſi non temerè congerantur, ſed eâ artis induſtriâ, ut verborum delectu, ac legitimo ordine perfectam orationis conſtruant rationem, quo pacto Alexandri Macedonis ebrietatem amplificaret orator. Heu! qui pluries effuſſo hoſtium cruore triumpha les victoriarũ palmas irrigaverat; nunc rubente Bacchi humore madidus fumoſis obruitur vaporibus, ac voluntariæ cedit inſaniæ, cui Martem ipſum pluries ceſſiſſe gloria fuit; populorum debellator egregius, immodico meri hauſtu turpè vincitur, & qui invictus ſteterat tot inter enectorum jacentia cadavera, mox vino temulentus inceſſu lubricus, greſſu incertus totidem enumerat lapſus, quot altero pede greſſus effingit; qui toti fuerat orbi terrori, fit ridiculum vitij ludibrium; jacet ſopore obrutus vino, qui effuſo ſanguine nunquam jacuerat; fœdè titubat, qui conſtanter ad hoſtium inſultus ſemper ſteterat: vocem amittit, colore variatur, oculis igneſcit, ſpumat ore, fremit naribus, excidit ſenſu, qui inconcuſſam firmitatem hoſtili ferro jugiter objecerat: timens in faciem ruit, qui tot inter cruentas pugnas nunquam metuerat.

Luculenter Seneca *cap. 1. de ira* per effecta 5
iraſcentem virum exprimit. Ut autem ſcias, inquit; non eſſe ſanos, quos ira poſſedit, ipſum eorum habitum intuere. Nam ut furentium certa indicia ſunt, audax, & minax vultus, triſtis frons, torva facies, citatus gradus, inquieta manus, crebra, & vehementius acta ſuſpiria: ita iraſcentium eadem ſigna ſunt. Flagrant, & micant oculi, multus toto ore rubor exæſtuante ab imis præcordijs ſanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent, ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus, ac ſtridens, articulorum ſe ipſos torquentium ſonus, gemitus, mugitúſque, & parum explanatis vocibus ſermo præruptus, & comploſæ ſæpius manus, & pulſata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnáſque iræ minas agens, fœda viſu, & horrenda facies depravantium ſe, atque intumeſcentium: neſcias utrùm magis deteſtabile vitium, an defoime. Cætera licet abſcondere, & in abdito alere. Ira ſe profert, & in faciem exit, quantóque major eſt; hoc efferveſcit manifeſtius.

Deſcriptionibus oratorijs plurimum ſup- 6
peditant venuſtatis effecta: ſicque Temperantiam

tiam deſcriberet orator. Quid honeſtius, aut præclarius temperantiâ, omniſque vitæ moderatione? Quid ſine hac vel in civitatum curijs, vel populi concionibus, vel principum aulis, rectè aut conſulitur, aut conſultum facto præſtatur? Hæc virtutum omnium officia parit,& alit; ebrietatem ſiſtit, libidines reprimit, caſtitatem tuetur, effrænes concupiſcentiæ motus coërcet, iras compeſcit, mentem ſerenat, ingenium acuit, animum rectis implet cogitationibus, hominem avocat à noxijs rerum fluxarum curis, magnificè ſentientes, ac loquentes de ſe compeſcit, ſuperbiam contundit, animi fovet moderationem, corporis valetudinem fulcit, mentis ſordes eluit, ſtultam loquacitatem repudiat, vitiorum fluctus è noſtra depellit pernicie, & pectus omnium virtutum moderatione tranquillat.

7 Præter recenſita quatuor cauſarum effecta, alia aſſignantur, quæ fortuita dicuntur, quatenus emanant à cauſa libera præter intentionem agentis. Fortunam Ethnici dixerunt Deam hæc ſublunaria, cui libuerit ſine ratione diſtribuentem. Alij eam cauſam censuêre occultam, à qua effectus, quos fortuitos appellamus, fluunt. Alij apud Plutarchum *in opuſculo de Republica Stoicorum* maluerunt eſſe cauſam quandam per univerſum diffuſam, voluntatem humanam, cum hæret anceps, in partem alteram inclinantem. Ariſtoteles *lib. de Bono Fortunæ* docuit, eſſe impetum quendam à natura provenientem, quo quiſque absque ulla ratione movetur ad aliquid agendum, quod tibi in commodum vertitur, ſi bona eſt; in perniciem ſi adverſa. Demum Fortuna ſummum Numen habebatur apud Ethnicos: huic aræ, fana, delubra erigebantur, ut quiſque in ſua vota illam flecterent: huic omnia expenſa, omnia ferebantur accepta, & in tota ratione mortalium utramque paginam faciebat. Oratores plerumque ad imminuendas adverſariorum laudes, proſperos eorum ſucceſſus arridenti Fortunæ adſcripſerunt, ſic Caſtor Deiotari Regis accuſator, quod ejus ſe inſidijs Cæſar expediviſſet, tribuit Fortunæ Imperatoris. Verum Fortuna nulla eſt, ſed quiſque ſuam ſibi fortunam facit, dum inopinatos rerum, quas gerunt, ſortitur exitus, ut ſcitè Juvenalis

Nullum Numen adeſt, ſi ſit prudentia, ſed nos
Te facimus Fortuna Deam, cæloque locamus.

8 Dedecet igitur Chriſtianum oratorem inania hæc de fortuna commenta recenſere; ut quæ de Fato ethnici futiebant, illud uſurpantes modò pro ſyderibus, modò pro quadam neceſſitate ſe per æternos conſequentiæ modos explicante, quo pacto Seneca *in nat. quæſt.* vocat Fatum rerum omnium neceſſitatem, & actionē, quam nulla vis poteſt interrumpere, cui conſonat illud Ammiani: *Nulla vis humana, vel virtus meruiſſe unquam potuit, ut quod præſcripſit fatalis ordo, non fiat.* Fides enim orthodoxa fatuam hanc Fati neceſſitatem ab humanis exploſit actionibus, & ut pulchrè Auguſtinus *Fatum non ponunt niſi Fatui.*

EXPENSIO XVI.

Locus à Conjugatis expenſus.

Conjugatorum uſus frequens eſt apud O- 1
ratores, & Poëtas, plurimúmque habet aucupij ad delectandum, vim non mediocrem ad perſuadendum. A Cicerone *in Topico* definiuntur conjugata, quæ orta ab uno variè commutantur, ut Rex, regnum, regere: Sapiens, ſapienter, ſapientia, dicuntur conjugata, quaſi eodem jugo juncta.

Conjugatorum plures aſſolent oratores 2
ſpecies aſſignare: alia quæ ſola ſignificatione ſunt talia, ut virtus, & ſtudioſus: pientiſſimus & ſummæ virtuti addictus; alia quæ ſola voce non ſignificatione ut *amo*, & *hamo*, illo proximum amamus; hoc piſces capimus: populus ut ſignificat turbam gentium, & arborem, hujusque generis ſunt omnia æquivoca; alia re, & ſignificatione, ut rex eſt, qui rectè regit; vel pulchrum illud apud Terentium: *Homo ſum, humani nihil à me alienum puto*, & aliud Ciceronis in Piſonem: *Cum eſſet omnis illa cauſa conſularis, auxilio mihi opus fuerat, & Conſulis, & Senatus.*

Nonnunquam venuſtè tractantur conju- 3
gata per hyperbolem: ut parum eſt, ſi Baptiſtam pium dixeris, imò pietas ipſa fuit; ubi à concreto ad abſtractum fit tranſitus: hac hyperbole uſus fuit Cicero *1. Verrina num 26.* Non eſt improbus, ſed ipſa improbitas: in viri laudatione, vel vituperatione hujusmodi hyperboles plurimum ſuppeditant oratoribus præſidij. Subinde per Paronomaſiam; ut Cicero in quarta Verrina *num. 128.* quæ iſte, cum cognoviſſet novus Aſtrologus, qui non tam cœli rationem, quàm cœlati argenti duceret. Perſæpe per traductionem, ut Cicero *Philippica undecima. num. 3.* Animadverti dici jam quibusdam exornari à me etiam nimium Brutum, nimium Caſſium ornari; quos ego orno? nempe eos, qui ſunt ornamenta patriæ. Conjugatorum uſu lepidè jocantur Poëtæ, ut Plautus in Prologo Amphitruonis

Juſtam rem, & facilem eſſe oratum à vobis volo.
Nam juſtè ab juſtis, juſtus ſum orator datus.
Nam injuſta ab juſtis impetrari non decet.
Juſta autem ab injuſtis petere inſipientia eſt.
Quippe illi iniqui jus ignorant, neque tenent.

Argutè itidem luſit Martialis *lib. 2. epig.* in 4
Fannium.

Ut mortem fugeret ſe Fannius ipſe peremit.
Dic rogo, num furor eſt, ne moriare mori.

Canones conjugatorum quatuor aſſignan- 5
tur. Primò quod uni convenit conjugatorum, cæteris itidem congruit. Ut ſi Pietas laudanda eſt, eò quia ſit fundamentum omnium virtutum, radix probitatis, fons omnium bonorum: ergo vir pius laudandus erit. Secundò poſito uno conjugatorum ponitur, & alterum, ut Judex à juſtitia nomen accepit: ergo debet juſtè judicare. Jus, juſtitia, juſtè, judex ſunt conjugata. Tertiò quod non convenit uni Conjugatorum, nec cæteris adaptatur:

tur: ut Poëſis à Republica non eſt excludenda: ergo nec Poëtæ ſunt extrudendi. Quartò à quo removetur unum conjugatorum, removetur etiam aliud; ut Antonius nil iniquè egit: ergo Antonius non fuit iniquus. Sciat tamen orator, ab uno conjugato ad aliud non ſemper legitimam eſſe illationem; ut vir equeſtris tyrannicè rapuit puellam: non valet illatio: ergo vir equeſtris eſt tyrannus. Ratio eſt, quia in conjugatis ambiguis non valet conſequentia: rapere tyrannicè denotat actionem: tyrannus verò ſignificat habitum: eſt enim Tyrannus, qui ſceleratè principatum occupat: ob eandem rationem non valet hæc alia conſequentia: Juſtitia eſt ſeverè punire judices pecuniâ corruptos: ergo Cambyſes, qui pellem detraxit judici iniquo, & eam inſtravit ſedi, fuit princeps juſtus, non eſt legitima conſequentia, quia fit tranſitus de actu ad habitum; in antecedente ſignificatur actio, in conſequentia habitus.

Quintilianus *lib. 5. Inſtit.* parum videtur
6 honorificè ſenſiſſe de hoc conjugatorum loco. His, inquit, aliud adjicere ridiculum putarem, niſi eo Cicero uteretur, quod conjugatum vocant: ut eos, qui rem juſtè faciunt, juſtè facere, quod certè non eget probatione. Unde nec ego diutius immorur in conjugatis expendendis, quia revera modus argumentandi à conjugatis perquam exilis eſt, præſertim ubi res per ſe nota fuerit, ut cum dicimus, eum doctum eſſe, qui doctrina pollet. Cæterum extra uſum argumentationis plerumque aliquid exhibent venuſti, ut cum principes unum conjugatorum approbantes alterum improbant; ſic Auguſtus Cæſar, *Proditionem* inquit, *amo* Proditorem odi: & Philippus Macedo amare ſe dixit *proditores*, non *prodituros*, quorum prius refert Plutarchus in Apophteg. Poſterius Stobæus *ſermone 52.*

EXPENSIO XVII.

Locus à Proportione expenſus.

1 PRoportio eſt, quâ plura unà conveniunt in ratione aliqua fundata in ſimilitudine. Hæc nomina proportio, & proportionalitas deſumpta ſunt ab Arithmeticis, & propriè ſignificant ſimilitudines numerorum inter ſe, cum aliqua diſſimilitudine, ut cum dicimus, ita ſe habent tria ad ſex, ſicut ſex ad duodecim. Cæterum proportio alia fundatur in rebus, & quandam dicit ſimilitudinem, quâ res viciſſim referuntur, ac conveniunt: alia in proportionibus ipſis, dicitúrque proportio ſimilitudinum, ut cum res tametſi inter ſe non ſint ſimiles, habent nihilominns ſimilitudines ſimiles, ut ſicut duo ad quatuor habent proportionem doplam; ita ſex ad duodecim; duo enim & quatuor non ſunt ſimilia ſenario, & duodenario; habent nihilominus ſimilitudines ſimiles, quia ſicut duo ad quatuor habent proportionem duplam; ita ſex ad duodecim; & in hac ratione conveniunt.

Omiſsâ hac ſimilitudine proportionum, 2
quæ Arithmetici eſt inſtituti: utuntur perſæpè oratores proportione fundata in rebus, ſeu rerum ſimilitudine, quæ plurimum habet aucupij, ac utilitatis, præſertim in amplificationibus texendis. Neque eos bene de eloquentia meritos eſſe cenſuerim, qui cum Euclide Megarenſi locum hunc à proportione putant ab eloquentiæ albo expungendum, ut prorſus inutilem: vel enim (ajebat Euclides) quod affertur ſimile alteri, cui accommodatur, rectè congruit, vel ab ejus diſſidet natura: ſi poſtremum hoc adſtruatur, inanis prorſus eſt, ac importuna ea ſimilitudo, quæ id minimè refert, quod exprimere debuerat; perinde ac ignaviæ nota eum redargueres pictorem, qui hominem colorum elegantiâ expreſſurus, arborem foliorum comis luxuriantem pingeret: ſi primum adhuc inſipientis eſt umbram quærere, & corpus quod tenes reſpuere. Facilè tamen diluitur objectio: tametſi ſimilitudines ſint rerum imagines, plurimum tamen habent illicij, magiſque placent; quàm ſi res nuda exhibeatur: vivum hominem minimè admiramur, at ſi eleganti delineatione nobis exhibeatur in tabula expreſſus multum nobis adfert oblectamenti, & ipſius artis, ac induſtriæ illecebris capti, quâdam tenemur voluptate, quæ per oculos in animum illapſa totum recreat hominem intuentem: quinimo monſtra ipſa, quæ nobis objecta ſolemus odiſſe, utpotè à naturæ legibus plurimum deflectentia, ſi graphicè picta fuerint, quandam nobis impertiuntur voluptatem, quâ hæc eadem diligimus: hinc Deus ipſe ſapientiſſimus rerum Opifex, ut nos ad amorem ſui pelliceret, ſuæ pulchritudinis veſtigia creaturis impreſſit, & hominibus elegantiùs; quibus excellentiori quadam majeſtatis notâ penitus effudit, ut uberiori ſimilitudinis elegantiâ capti prototypum eo vehementiori proſequerentur amore, quò ejus effigiem noverint ſibi excellentiùs inditam.

Non tamen proportio neceſſum eſt omni- 3
modam dicat ſimilitudinem, ſatis eſt, ſi aliqualem includat convenientiam, unde metaphoræ in proportione plerumque fundantur, quo pacto amœna pratorum viriditas *riſûs*, *luxuries* dicitur, ut *prata rident, herbulæ laſciviunt, luxuriat ubertas.* Lucretius aquæ guttulas vocavit lachrymas, *uberibus flent omnia guttis.* Ovidius ſaxa *terræ oſſa.* Titus Livius hominum cœtus corpus: *ſui corporis creari Regem volebant.* Ovidius magnas cogitationes molem: *Moles Romani nominis urget.* Quintilianus excultam eloquentiam faſtigium *in faſtigio eloquentiæ ſtetit Cicero.* Seneca natantes turmatim piſces, *Cæruleos Greges Nereidum.* Quæ metaphoræ fundantur ſingulæ in proportione. Allegoriæ itidem oratoriæ proportionibus innituntur: Cicero pulchrè Reipublicæ moderationem cum navis regimine confert; talis eſt illa *Piſon num. 29.* Neque tam fui timidus,

ut

ut qui in maximis turbinibus, ac fluctibus Reipublicæ navem gubernâſſem, ſalvámque in portu collocâſſem frontis tuæ nubeculam, aut collegæ tui contaminatum ſpiritum pertimeſcerem. Alios ego vidi ventos, alias fui paſſus procellas; alia impendentibus tempeſtatibus incurri pericula; ſed unum me, pro omnium ſalute obtuli.

4 Cæterum proportio alia eſt rei, alia nominis: illâ res aliàs diſſitæ unà conferuntur, & quæ uni conveniunt, alteri tribuuntur propter proportionem, ut cum ſingula, quæ de pelagi æſtuantis procella adſtruuntur, Reipublicæ tumultuanti tribuimus: vel unius ſubjecti proprietates alteri accommodamus, ut Cicero in Mil. *num* 32. eleganter proprietates arboris, quæ ſi tenera fuerit, facilè flectitur, ac divellitur, ſin autem creverit, nec flecti facilè, nec divelli poteſt, homini adaptat. Cujus illi conatus, inquit, ut ille ratiocinabatur, nec ſi cuperent, reprimere poſſent; cum tantum beneficium ei ſe debere arbitrarentur: & ſi vellent, fortâſſe vix poſſent frangere hominis ſceleratiſſimi corroboratam jam vetuſtate audaciam.

5 Proportio nominis eſt, quâ nomen pluribus æquiparatur, quo pacto Martialis *lib.* 9. *Epigram.* 11. venuſtè luſit in Earini pueri elegantis nomen.

Nomen cum violis roſisque natum
Quo pars optima nuncupatur anni,
Hyblam quod ſapit. Atticóſque flores,
Quod nidos olet alitis ſuperbæ,
Nomen nectare dulcius beato,
Quo mallet Cybeles puer vocari,
Et qui pocula temperat Tonanti:
Quod ſi Parrhaſia ſones in aula,
Reſpondent Veneres, Cupidineſque,
Nomen nobile, dulce delicatum,
Verſu dicere non rudi volebam:
Sed tu ſyllaba contumax repugnas,
Dicunt Earinon tamen Poetæ.

6 Tametſi hujus loci uſus frequens non ſit apud Rhetores, amplum tamen, ſi ritè adhibeatur, aperit campum ad argutias. Cum ſit proportio quædam in nomine, vel re convenientia duo inter extrema diſtincta, anſam præbet oratori, vel Poëtæ tribuendi uni, quod alteri congruit: & ab hoc loco veluti à pellucido fonte ſcaturiunt argutiæ, quæ in æquivocis fundantur: quia verbum *colo* ſignificat arare terram, & Deum venerari, ab hac proportione nominis dicitur de protoparente Adamo, qui eſu pomi vetiti Divinum fuit præceptum tranſgreſſus: *Quia Deum non coluit, terram coluit*: ſeu quia Deum offendit, nonniſi in ſudore vultus ſui panem comedit, terræ culturâ. A proportione argutè Poëta luſit in Neronem Matricidam.

Quis negat Æneæ magna de gente Neronem?
SUSTULIT hic matrem, SUSTULIT ille Patrem.

7 Æneas Patrem ſuum Anchiſem ſenio confectum, Trojano ut eriperet ab incendio proprijs humeris ſuſtulit, portavitque extra urbem; ſed Nero Matrem ſuam Agripinam ſuſtulit ferro, ſeu interemit. Neque invenuſtum eſt diſtichum in Clementem VIII.

Sancta pudicitiæ virtus redit exul in urbem,
Quid mirum eſt? Urbi præſidet Hyppolitus.

Fuit nomen Pontificis ante Pontificatum Hyppolitus, quem Poëtæ fingunt fuiſſe Theſei, & Hyppolitæ Amazonis filium, qui cum cœlibem vitam duceret, ſe ſe venatu exercuit; & conſtanti animo congreſſum ſprevit mulierum. 8

Per remotionem aliquid etiam præſefert leporis illud Actij Sinceri de Fertando 9

Ex ferro nomen tibi ſit licet, aurea condis
Sæcula: nam ſub Te Principe nemo metit.

Non tamen locus à Notatione nominis valet ad ſuadendum: nam ut cecinit ille 10

Nominibus credam, nec unquam, nec neque ſemper,
Nec nunquam verum, nec neq; ſemper habent;
Clara, Agata, Ambroſius, Stephanus, Vincentius, Agnes.
Conveniunt Sanctis nomina pulchra ſuis.
Barbara, Cæcilia, Urſinus, Lupus, Urſula, Aſella.
En pugnant Sanctis nomina prava ſuis.

Ab hoc loco plura oriuntur arguta æquivoca. Quia Titius Labienus lingua & calamo ſingulos veluti inſani rabie mordebat, vel pungebat, non Labienus, ſed *Rabienus* audijt. Pupillus Orbilius poſt deperditam memoriam *Pupillus Oblivius*. Claudius Tiberius Nero, quia calefactum vinum bibere conſueverat, à militibus *Caldius Biberius Mero* vocabatur. A Legiſperitis Tutores dicuntur quaſi *Tuitores*, qui tamen à Bruno Juriſconſulto dicti fuerunt *Tollitores* à rapinis, quas interdum in Pupillorum bona exercent. Parlamentum *Parium lamentum*. Mulier, quæ juxta Varronem ſuam à mollitie trahit originem dicitur *mollior*. Apud Athenienſes leges ſancitæ à Drogone, quia nimis rigidæ *Draconis leges non hominis* dicebantur. De ſententia mortis inſculpta ſaxo: *Non potuit non eſſe dura hæc ſententia, cum & ipſa ſit ſaxea*. Stratonicus de incompta Carcini compoſitione alludens ad nomen ſignificans piſcem dixit: *Piſcis veriùs, quàm hominis auditur cantio*. Computatores qui multo conſueverunt vino madere. *Compotatores* à Cornificio dicebantur: & Patres Conſcripti, Patres *circumſcripti*. 11

EXPENSIO XVIII.

Locus à Tempore expenſus.

NIl tempore familiarius, ſed nil captu difficilius. *Quid eſt tempus*, ait Auguſtinus, *lib.* 11. *Conf. cap.* 14. *quis hoc facilè, breviterque dicat? Quid eſt ergo tempus? ſi nemo ex me quæſierit, ſcio; ſi quærenti explicare oportet, jam neſcio*. Bipartitur tamen tempus in internum, & externum, illud eſt menſura interna corporis naturalis, ratione cujus corpus naturale qualecunque illud ſit certo principio incipit, hócque ab initio progreditur ad certum finem, quo deſinit: quo pacto tempus inter- 12

internum in viventibus corporeis eſt ipſe internus progreſſus vitæ à nativitate ad interitum. Hoc vitæ noſtræ internum tempus Seneca in tres dividit partes, ſeu in tempus quod eſt, quod fuit, quod futurum eſt; ex his, quod agimus, breve eſt, quod acturi ſumus dubium, quod egimus certum; hoc enim eſt, in quod fortuna jus perdidit, quod in nullius arbitrium reduci poteſt: præſens tempus breviſſimum eſt, ita ut quibusdam nullum eſſe videatur, in curſu ſemper eſt, fluit, & præcipitatur, ante deſinit eſſe, quàm naſci, nec magis moram patitur, quàm mundus, & ſydera, quorum irrequieta ſemper eſt agitatio, nunquam in eodem veſtigio manet, nemo reſtituet annos, nemo iterum ſe tibi reddet: ibit quà cœpit ætas, nec curſum ſuum aut revocabit, aut ſupprimet, nusquam divertet, remorabitur nunquam, niſi occupes fugit; cùm occupaveris, tamen fugiet, itaque contra celeritatem temporis utendi velocitate certandum eſt.

2 Dari tempus hocce internum ex eo liquet, quia cũ omne corpus ſuam peculiarem habeat durationẽ, opus eſt, à principio ad finem progrediatur, tametſi minimè conferatur cum ſolis, vel alterius circumacti ſyderis motu. Maximè, cum teſtetur Moyſes ſolem, & ſidera, quæ tempus conſtituunt externum condita fuiſſe à ſapientiſſimo opifice Deo die quarto: ſi nullum igitur eſſet tempus præter externum, profectò ſequeretur, terram, aquam, aërem, & corpora reliqua condita tribus prævijs diebus neutiquam in tempore fuiſſe creata, quod cenſetur abſurdum, cum disertè referat Moyſes, tria diuturna tempora ſolem præceſſiſſe, ac cætera ſydera.

3 Tempus externum eſt menſura, per quam corporis naturalis duratio, proinde etiam motus, & quies menſuratur, & definitur ab Ariſtotele *tex. 101. Numerus motûs ſecundùm prius, & poſterius*, ceu duratio rei ſucceſſivæ propria. Hac definitione voluit Philoſophus deſcribere tempus cœleſte, quo tanquam menſura communi alios metimur motus, moras, & durationes: adeò ut ſenſus ſit, tempus eſt ipſe motus, quatenus habet partes priores, & poſteriores, quæ ab intellectu aſſumuntur, ut ex ipſis menſuret quascunque alias durationes. Voluit itidem deſcribere cæteras ſucceſſivas durationes aliorum motuum. Eſſentia igitur temporis externi in eo ſita eſt, quòd ſit prius, & poſterius ipſius motûs, cui obtingat, poſſe eſſe menſuram activam, ſi tempus cœleſte fuerit; vel paſſiva ſi ſublunare. Cæterùm Poëtarum fuit commentum ab ortu Saturni ſuam tempus traxiſſe originem, & primam ætatem fuiſſe auream, quâ

Nondum veſanos rabies nudaverat enſes.

4 Vulgò dividitur tempus in diem, horam, hebdomadem, menſem, annum; Dies vel eſt Aſtronomicus, vel Politicus: ille quem Aſtronomi definiunt, bipartitur in naturalem, & artificialem; naturalis eſt illud temporis intervallum, quo Sol ab aliquo cœli puncto, ceu meridiano digreſſus ad eundem revertitur: vel eſt Solis ab aliquo meridiano fixo, ad eundem converſio, quæ ſpatio viginti quatuor horarum perficitur. Dies artificialis eſt duratio temporaria ab exoriente Sole ad ejus occaſum, ceu totum illud temporis ſpatium, quo Sol in noſtro lucet hemiſphærio. Differt igitur dies naturalis ab artificiali, quia naturalis noctem etiam includit, & ubique locorum ſemper eſt idem. Artificialis perpetuis eſt mutationibus obnoxius, præſertim apud illos, qui regiones incolunt ab Æquatore diſſitas; quia cum illud duntaxat complectatur temporis ſpatium interceptum intra Solis ortum, & occaſum; neceſſum eſt jugiter varietur, propter dierum incrementa, & decrementa. Cæterum diei naturalis initia non ſunt eadem apud omnes gentes, ſed diverſa pro diverſis inſtitutis. Judæi, & Babylonij, quos imitantur Inſularum Balearium incolæ, diei initium ducebant ab uno ortu Solis ad alium: è converſo Itali ab uno occaſu ad alium. Romani olim, quem uſum ſequitur Romana Eccleſia, diem producebant à media nocte usque ad proximè ſequentem meridiem, eò quia Sol, & Aſtra eodem ſemper modo ſe habeant reſpectu circuli Meridiani in omni regione; quod non contingit reſpectu Horizontis, qui pro varietate polaris elevationis mutatur.

Hora eſt pars diei, definitúrque pars vigeſima quarta diei naturalis, vel duodecima artificialis inæqualis; ex horis aliæ dicuntur 5
æquales, súntque vigeſima quarta pars diei naturalis, vocantur etiam horæ Aſtronomicæ, & Æquinoctiales, quia ſingulæ earum ſunt ſpatium temporis, quo Æquator quindecim gradibus aſcendit ſupra Horizontem, & quo Sol decurrit quindecim Meridianos: horæ ſingulæ dividuntur in duas medias, vel in quatuor quadrantes, & in ſexaginta minuta. Aliæ vocantur inæquales, súntque partes duodecimæ tum diei artificialis, tum noctis, ceu temporis, quo ſol vel ſupra horizontem ſplendet, vel infra deliteſcit: vocantur inæquales, non quòd horæ diei vel noctis ejusdem non ſint menſuræ; ſed quia cum ſint duodecimæ partes æquales dierum inæqualium æſtivorum, & brumalium, neceſſe eſt, horas brumales, & æſtivas eſſe hoc pacto inæquales. Dicuntur etiam temporariæ, quia pro diverſitate, ſeu longitudine, aut brevitate dierum diverſas ſortiuntur magnitudines. Notat Baronius ad annum Chriſti trigeſimum tertium, Judæos tum diem, tum noctem diviſiſſe non ſolùm in duodecim horas temporarias, verùm etiam in quatuor partes æquales, quaſi in quatuor ſtationes diurnas, & nocturnas; & has vocâſſe vigilias, quarum prima incipiebat ab occaſu Solis, ſecunda deſinebat cum media nocte, à qua tertia incipiebat, & ultima deſinebat, cum primùm Sol oriebatur. Quaternæ partes diei propriè vocabantur *horæ* ex tribus temporarijs conſtantes, adeo ut pars ultima *horæ ſecundæ*, eſſet hora ſexta temporaria, quâm ſequebatur hora tertia propria Judæorum conſtans

ſtans ex ſeprima, octava & nona temporaria: juxta hunc ealculum rectè narrat S. Marcus Chriſtum Dominum Crucifixum fuiſſe *hora tertia* ex quatuor æqualibus, in quas integra dividebarur dies; cum S. Joannes referat fuiſſe Chriſtum à Pilato damnatum *hora quaſi ſexta* ſcilicet temporaria, quæ eſt initium horæ tertiæ æqualis.

6 Hebdomas græcè, ſeptimana latinè dicitur, éſtque perjodus ſeptem dierum in orbem jugiter recurrens. Hebræi primum hebdomadæ diem vocârunt ſabbathum, quaſi diem quietis, ad excolendam memoriam illius diei, quo dicitur Deus quieviſſe abſolurâ mundi fabrica; quinimò hujus diei nomine hebdomas itidem ſignificabarur, adeò ur ſabbathum idem eſſet apud Hebræos, ac hebdomas, & diceretur prima ſabbathi, ſecunda ſabbati, ſeu prima dies hebdomadæ, ſecunda dies hebdomadæ. Erhnici verò diebus ſeptimanæ nomina impoſuêre planetarum ducenres initium à Sole pro die Dominica, quam ſequuntur dies Lunæ, Martis, Mercurij, Jovis, Veneris, Saturni. Chriſtiani maluerunt illos vocare ferias, ut intelligerent feriari ſe debere à rebus prophanis. Feriarum Princeps eſt dies Dominica, quia ea die Servator e mortuis reſurrexerit. Feria ſeprima ſabbathum vocatur, ut ſignificaretur illud Hebræorum Sabbathum quandam duntaxat fuiſſe umbram Dominicæ diei, ſeu paraſcevem, hoc eſt præparationem ad illam celebrandam.

7 Menſis à menſura dictus, eò quia menſibus metiarur annus, bipartirur in menſem ſolarem, & lunarem: ille eſt illud ſparium temporis, quo Sol ſignum unum ex duodecim decurrit, & cum ſol ſupponatur duodecim illa ſigna obire diebus 365. eum aliquibus horis, ac minutis, fir, quòd ſingulis menſibus tribuantur modò rriginta, modo triginta, & unus dies; Februario exeepto, qui olim poſtremus acceſſir ad menſes alios, & tantum reſiduos anni dies conriner. Menſis Lunaris eſt illud remporis ſparium, quo Luna torum percurrit zodiacum: ſeu ſpatium inter duas Solis, & Lunæ ſynodos. Menſis Lunaris alius dicitur Perjodicus, éſtque illud remporis ſparium, quo Luna ab aliquo zodiaci puncto digreſſa ad idem revertitur, & conſtat diebus viginti ſeprem, horis ſeptem, cum aliquibus minutis. Alius dicirur *Synodicus*, ceu menſis Syzigiæ, aur Conjunctionis, éſtque illud temporis ſpatium, quo Luna digreſſa à ſole, iterum cum eo conjungitur, definitúrque diebus viginri novem, horis duodecim, eum dimidia. Dividebanrur olim menſes à Romanis in dies rriplici generis, nimirum in *Calendas, Nonas, & Idus*: primam cujusvis menſis diem vocabanr *Calendas*, quod nomen græcè idem ſignificat, ac vocare, eò quia id temporis vocaretur populus, tum ad nundinas, tum ad Capitolium, ur quæ in menſem illum ad Numinum culrum ſervanda eſſent, acciperet Romana gens à Pontificibus: ſequebantur *Nonæ* quaſi nundinæ, ut pluribus placet. *Iduum* dies ij dicebantur, qui *Nonas* ſequebantur, ab *id iando*, quod ſignificabar dividere 8

Initium anni ducebant Romani à menſe Martio: fuit hic menſium Princeps glorioſa hâc appellatione à Romulo inſignitus, eò quia Marris inchoarentur exerciria. Martium ſequitur Aprilis ſacer dictus ab aperiendo, quia terra ſua promir vireta, ut placuit Ovidio. *Aprilem memorant ab aperto tempore dictum*: Aprilem Majus, à Majoribus, ſeu natu grandioribus, vel à Maja Mercurij genitrice appellatus. Hic menſis pingi ſolet alatus uti cæteri ſocij, florida veſte ſuccinctus, floribus iridem coronatus, qui *Geminos* manu tener: hoc menſe non ducebanrur Romæ uxores, quia medius inter Aprilem, & Junium, ſeu Venerem, & Junonem; urabant non potuiſſe naſci ab Hymenæis hoc menſe celebratis niſi fœtus molles, ac imbecilles Romano nomine minimè dignos: hoc menſe fiebant Romæ ſacra Deo Lari. Junius à Junone Jovis uxore nuncupatus flaveſcit amictu, cancrum habet in manu. Cancer ſidereus dicitur, eò quia retrogradum faciat ſolem; hujus menſis corona erat ſpicea. Julius ſpicis pariter redimitus croceum haber amictum, Leoni inſider. Auguſtus ferocitatem ſpirat è vultu, flammis circumdarus Virginem manu tenet, quæ cum ſterilis ſit, denotat ſolem id remporis ob æſtuum exceſſū minimè fœcundis prodeſſe plantis, nec producere quidquam, ſed ea tantum perficere, quæ nata ſunt. September incedit cum Libra Aſtreæ ſymbolo, fructibus coronatus, qui eo menſe marureſcunt; purpureum habet indumentum, ob munificentiam, quam Regis inſtar exercet, dignus propterea regio palludamento. October deciduis veſtitus folijs, quernea corona redimirur, Scorpio manûs adhæret volæ. November oleæ frondibus coronatur, ſubnigro amictu cum ſagittario. December fulvus incedit cum ſagittario. Januarius niveus cum Aquario, primis hujus menſis Calendis mittebanrur amicis laureæ frondes, quæ cum proſint ſanitati, ſalurem Romani apprecabantur illo munere. Februarius ſubcinericius incedit cum piſce. Pinguntur menſes ſinguli alati, ur eorum ſignificetur pernicitas, ſiquidem ut cecinit Petrarca.

Volan gl'anni, i meſi, i giorni, e l'hore.

Tempus eſſe utiliter impendendum mo- 9
net Seneca *de brevitate vitæ*. *Mirum*, inquit, *re omnium pretioſiſſima luditur, vix eſt, qui tempus æſtimet.* Culpa hæc eſt in omnibus, vel maximè reprehenditur, & præſertim in hominibus, qui tempus in nugis terunt, & meliores fieri negligunt. *Utimur tempore ſegniùs*, ſubdir Seneca, *& cuilibet illud petenti damus, quaſi nihil demus, cùm tamen hoc unum ſit, quod ne gratis quidem poſſit redire.* Prodigimus tempus, ac nihili facimus ejus fluxibilitarem, quia illius irrevocabilirarem minimè perpendimus, & quæ animum graviùs occupant, ægriùs ferimus, faciliusque ea amplectimur, quæ blandiùs ſenſum alliciunt. Quotquot ſtudijs

dant operam literatum alatam Clepſydram, quam liber ſupra cubitum poſitus teneat, pingi ſinant ſuis in muſeis addito lemmate. *Prætervolat, arripe, ſerva,* ut pluris faciant jacturam temporis, cujus poſſeſſio noſtra eſt, & avaritia laudabilis. Memini me legiſſe, Aldum Manutium ſeniorem, ad ſummovendas importunas amicorum confabulationes, ac ſalutationes licèt officioſas oſtio ſui muſei inſcripſiſſe. *Quiſquis es, rogat Te Aldus etiam atque etiam, ut ſiquid eſt, quod à ſe velis, perpaucis agas, deinde abeas: niſi tanquam Hercules defeſſo Athlante veneris ſuppoſiturus humeros: ſemper enim erit, quod & Tu agas, & quotquot huc attulerunt pedes.* Parciſſimus fuit temporis vir doctiſſimus, & in emendandis veterum exemplaribus laborioſiſſimus. Habent, quem imitentur ſtudioſi. Placuit hæc præmittere de tempore ad uberiorem oratoris eruditionem.

20 Cæterum tempus prout ad Rhetoricum pertinet inſtitutum, unum eſt ex adjunctis, quod tum ad argumenta extruenda, cùm ad amplificationes inſtituendas uberrima ſuppeditat oratori adminicula. Cicero pulchrè à temporis celeritate pro lege Manilia, Pompei victoriam commendat *num. 35.* inquiens: *Tantum bellum, tam diuturnum, tam longè, latéque diſperſum, quo bello omnes gentes, ac nationes premebantur Cn. Pompejus extrema hyeme apparavit, vere ſuſcepit, media æſtate confecit.* Orator varios itidem conſiderat temporum eventus, ut ſi ſudum fuerit, ſi nubibus fœdum, ſi caligine tectum, ſi pluvijs humidum, ſi calore, & frigore moleſtum, ſi temperatum, ſerenum, ut ab hac temporis viciſſitudine argumenta deducat. Si Princeps, vel alius magni nominis vir tempore pluvio, ac procellis moleſto diem ſuum objerit, argumentum laudationis, poſſet orator commodè à tempore emere. Tanti Principis præmaturæ neci illachrymarut cœlum ipſum, quod denſata obductum nube, ac repetiti tonitru lamentis in lachrymas ſolvitur. Elementa ipſa eximij viri dolent feſtinatam mortem, & mœrore confecta vel in luctu jacent, & ſqualore; vel quaſi dolorem prodeuntia dilacerantur. Mare diſrupto malaciæ fœdere jugi fragore, fluctuúmque in ſcopulos colliſione ſe ſe veluti dolore corporum dilacerat. Aër nubibus fœdus ſolis prohibet hilaritatem: terra delapſis madida pluvijs communis doloris lachrymas ebibit; dies atrata naſcitur; & quem noſtris agglomeratæ nubes abripiunt oculis Solem, nox tantùm compenſat ſuis ſyderibus, quæ veluti accenſa funalia, ſi non in cereas, in roſcidas tamen liqueſcunt lachrymas.

EXPENSIO XIX.

Locus ab Uſu expenſus.

1 VSus quatenus ad præſens facit inſtitutum eſt quædam inolita conſuetudo, ſeu lex humanarum directiva actionum, qua ratione Pindarus apud Athenæum vocat legem Deorum, ac hominum reginam; definitúrque *ordinatio rationis promulgata ad bonum commune, ab eo qui poteſtatem habet obligandi:* ſeu regula rationi conſona, quâ mundus regitur; niſi lex ſit rectæ rationi conſona, proinde æternæ legi conſimilis futilis habetur, ut rectè innuit D. Auguſtinus: *omnium legum eſt inanis cenſura,* inquit, *niſi divinæ legis imaginem gerat.* Sicut corpus humanum ſine mente torpeſcit, nec ſuis valet facultatibus uti; ita corpus morale, ſeu civile uti Regnum, Reſpublica, Civitas, ſine legibus conſiſtere haudquaquam poteſt. Hinc leges commendantur, quia plurimum habent roboris, ac majeſtatis ad populos moderandos, ac Rempublicam rectè inſtituendam, & Juriſprudentia, quæ tota eſt in legibus tractandis, ſapientiæ dicitur ſeminarium, omniſque prudentiæ uberrima officina, & eo vel maximè, quia conſtat, leges à prudentiſſimis, ac ſapientiſſimis virorum effluxiſſe, ac ſæculorum acceſſione ad immenſum decus effloruiſſe.

2 Dividitur lex in imparticipatam, ſeu æternam, & participatam: illa eſt actus intellectûs divini, dicítque judicium ſuo modo intimativum illius, quod faciendum eſt; quia cum lex æterna reſpiciat ea, quæ ſunt exercenda circa regimen univerſi, debet judicium hocce includere. Lex participata, quæ & temporalis dicitur, eſt quæ creaturæ immediate imponitur: rurſus vel lex eſt naturæ indita, & dicitur naturalis; vel imponitur ab extrinſeco, & conſurgit lex poſitiva, quæ ſi ſit ſecundum poteſtatem divinam, vocatur lex divina, ſin autem ſecundùm poteſtatem humanam dicitur humana; quòd ſi poteſtas humana fuerit ſpiritualis lex denominatur canonica; ſin autem civilis, vel politica conſurgit lex civilis. Dari legem naturalem nobis à Deo inditam, nulli eſt dubium: ait enim D. Paulus *ad Rom. 2. Ejuſmodi legem habemus, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Hinc D. Auguſtinus 2. *Confeſſ. cap. 4. Lex tua Domine in cordibus hominum ſcripta eſt, quæ nec ulla unquam delet, nec delebit iniquitas.* Cum natura rationalis moveatur in finem, neceſſaria illi fuerat regula dirigens hujuſmodi motum intra debitos terminos ſecundùm exigentiam finis, & cum motus iſte ſit naturalis ab intrinſeco, etiam exigebatur lex, quæ eſſet connaturalis, & ab intrinſeco.

3 Lex humana tametſi non fuerit ſimpliciter neceſſaria ad honeſtè, ac laudabiliter inſtituendam vitæ rationem, cum ad id potis ſit lex naturalis; quia tamen plerique ſunt rudioris ingenij, & natura humana ad motus rationi diſſonos proclivior, ac concupiſcentijs obnoxia, opus fuit, ut per aliquas leges inſtitueretur, ac contineretur intra rationis cancellos; quâ ratione fuerunt neceſſariæ leges poſitivæ, ut docet Ariſt. *7. Politic, c. 6.* Hinc Cecrops Athenienſibus leges præſcripſit, Phoroneus Argivis, Minos Cretenſibus, Lycurgus Lacedæmonijs, Zoroaſtres Babylonijs, quas

leges

leges Romani poſtmodum compilârunt, & Juſtinianus congeſſit in codice, quem Juſtinianeum appellamus. Athenienſibus h præ cæteris erant leges ſervandæ. Si quis inſepultum in hominis cadaver incidat, omni parte id terra obruat, & ſepeliat ad occaſum ſpectans. Athei morte mulctentur à Lacedæmonijs; omnes Dij, Deæque colantur armati: nimirum ad mollitiem ab urbe abigendam, & militarem diſciplinam excolendam. Majorum imperium libenter omnes pati aſſuefiant. In legibus Numæ erant iſtæ. Ne quid inauſpicatò publicè gerunto. Deos patrios colunto: externas ſuperſtitiones, aut fabulas, ne admiſcento, Mœnia ſancta exiſtimentur. Patronus, ſi clientis fraudem faxit, ſacer eſto: ſunt aliæ pleræque, in quibus tum Religio, tum Prudentia relucet.

3 Legum neceſſitatem pluribus commendat Cicero pro *Cluent. num. 146.* ubi vocat legem omnis æquitatis regulam, ſacrum humanæ ſocietatis vinculum, innocentiæ propugnaculum, radium æterni luminis; poſtea ſubdit: ut tibi concedam hoc indignum eſſe (quod cujusmodi ſit, jam videro) tu mihi concedas, neceſſe eſt; multò eſſe indignius in ea civitate, quæ legibus contineatur, diſcedi à legibus. Lex enim vinculum eſt hujus dignitatis, qua fruimur: in Republica lex eſt fundamentum libertatis, fons æquitatis, mens, & animus; & conſilium, & ſententia civitatis poſita eſt in legibus; quibus mores inſtituuntur, virtutes florent, Respublicæ vigent.

4 À Legibus, & conſuetudinibus nervoſa ab oratoribus eruuntur argumenta. Ut lex eſt, quâ perjurus mulctetur capite; aliisque torqueatur exquiſitiſſimis ſupplicijs. At eò devenit militis audacia, eò viri perditiſſimi petulentia, ut jusjurandum violaverit, ſanctiores Reipublicæ leges protriverit, Reipublicæ honeſtamenta labefactaverit, nihili faciens probatiſſimas illas conſuetudines tot ſapientum comprobatas ſuffragijs, quáſque per tot ſæcula illibatas ſervavit civitas: igitur puniatur; ac plectatur capite, qui auſus fuerat ſanctiores Reipublicæ leges patratis violare ſceleribus.

5 Licebit ſubinde oratori, ſi gravis momenti negotium exegerit, oſtendere à lege ſancita eſſe deflectendum, præſertim ſi exinde major Reipublicæ utilitas emerſerit, uti ſumma cum laude præſtitit Cæſar Auguſtus, qui Virgilij poëmata maluit ſervare, quàm flammis tradere, ut Poëtarum Princeps teſtamento expreſſerat paulò ante obitum; tametſi juſſiſſet lex obtemperandum teſtamento; nihilominus ad Poſteros in commendationem Defuncti Poëtæ hocce præclarum transmiſit monumentum.

Frangatur potiùs legum veneranda poteſtas,
Quàm tot congeſtos, noctesque, dieſque, labores
Hauſerit una dies.

6 Tertullianus *cap. 4. Apolog.* pulchrè oſtendit, non ſemper ſtandum eſſe legibus omnibus ſcriptis, & prodeſſe ſubinde veteres abrogare leges, nováſque condere. Mirabimini, inquit, hominem aut errare potuiſſe in lege condenda, aut reſipuiſſe in reprobanda? nonne & ipſius Lycurgi leges à Lacedemonijs emendatæ tantùm, dolorem Authori ſuo inuſſerunt, ut in ſeceſſu de ſemetipſo judicârit? nonne & vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis totam illam veterem, & ſqualidam ſylvam legum principalium, reſcriptorum, edictorum ſecuribus truncatis, & cæditis: Etenim cum temporum circumſtantiæ rerum immutentur viciſſitudinibus, plurimum plerumque adferunt leges regno utilitatis graſſante bello, quæ initâ pace gravamini, ac incommodo ſunt populis; ut ſcitè innuit Livius *lib. 33.* ubi de lege Appia abroganda quæritur, ut luxuries muliebris in veſtibus coërceatur, lata in fervore belli Punici ab Appio Tribuno Plebis, contra quam ſic agit. Ego quemadmodum his legibus, quæ non in tempus aliquod, ſed perpetuæ utilitatis cauſa in æternum latæ ſunt nullam abrogari debere fateor, niſi quam aut uſus delevit; aut ſtatus aliquis Reipublicæ inutilem fecit; ſic quas tempora aliqua deſiderârunt leges, ut ita dicam, & temporibus ipſis notabiles eſſe video; quæ in pace latæ ſunt, plerumque bellum abrogat, quæ in bello, pax. Ut in navis adminiſtratione alia in ſecunda, alia in adverſa tempeſtate uſi ſunt. Hæc cum ita natura diſtincta ſint, ex utro tandem genere eſſe videtur ea lex, quam abrogamus?

Contingit ſubinde, ut qui per alteram 7
legem damnatur, ſalvetur per aliam: tunc orator debet prolixius eam legem commendare, quæ ſuo viſa fuerit Clienti favere, & aliam quæ cauſæ tractandæ adverſatur obtundere. Ut Lex eſt: *Exhæredatus bonorum paternorum expers eſto,* Alia: *Qui in naufraga navi remanſerit, navis illius eſto.* Navis Luſitani Mercatoris pretioſiſſimis onuſta mercibus, omníque inſigniori ſupellectile referta ex Indijs Orientalibus Ulyſſiponem favente ſidere, ſecundo ſubſolano revertebatur: jam jam caput, quod vocant Bonæ Spei, attigerat, cum vehemens ab occaſu irruens ventus navim retropellit: videntur paulatim coire nubes, tonare cœlum, micare ignes, ruere noctem tetrâ caligine fœdam, intermicantibus fulgetris, ac reboante crebris fragoribus cœlo: præliantur utrinque Euri, Notíque, tumeſcit pelagus, oppugnant navim urgentes fluctus. Ferveſcit concitatior tempeſtas, & perinde, ac arietibus, & baliſtis oppidorum mœnia, decumanis fluctibus agitatæ navis feriuntur latera, disrumpuntur ventorum impetu vela, auditur rudentium ſtridor, ſequuntur diſſonæ voces, complorantium làchrymæ. Nauclerus, alíique, qui aderant, deſperata ſalute in màre proſiliunt, & natando proximum littus petunt; ſolus Mercatoria exhæredatus filius in navi remanet: interea miteſcit tempeſtas, ceſſant venti, ſubſequitur malacia, & unà cum navi incolumes ſervantur merces, quas filius

ſibi vendicat: Pater exhæredato filio ex priori lege litem intendit. Patronum ſibi deligit filius: objicitur patri altera lex. *Qui in naufraga navi ſolus remanſerit, navis illius eſto.* Ceſſit pater filio fidiſſimo mercium cuſtodi, quem reintegrato amore hæredem conſtituit paternorum bonorum.

EXPENSIO XX.

Locus ab ortu, & interitu expenſus.

1 VEnuſtè hunc locum tractant Panegyriſtæ in genethliacis orationibus, in quibus naſcentis pueri notantur circumſtantiæ à tempore, horoſcopis, planetarum conjunctionibus. Horoſcopus ab Aſtrologis dicitur felix Siderum ſituatio, & tunc ajunt horoſcopum naſcenti auſpicatiſſimum, cùm venienti in lucem ſecundis planetarum occurrentium influxibus, aliquid proſperi aſſulget ex ſideribus: hæc vero Mathematicorum diſciplina, quia ab aſtris errantibus; nil niſi errores conſuevit, vel ediſcere, vel edocere.

2 In ortu præſertim occurrit conſiderandum tempus, ſi vernum, æſtivum, autumnale, brumale fuerit, quo pacto D. Auguſtinus Servatoris natalitium commendat à tempore hyemali, eò quia tunc incipiant dies creſcere, ac prolixiùs illuceſcere. Si tempus fuerit vernum omnigenæ virtutis flores auſpicamur; ſi æſtivum dignitatum clariorum incrementa; ſi autumnale omnia opum genera, cum id temporis maturis diteſcant plantæ fructibus. Conſideratur itidem dies, ſi quid in eo celebre obtigerit. Calendæ præſertim natalibus felices æſtimabantur, uti dies ſeptimus, & nonus cujusvis menſis, quia ſoli erant ſacri: puer, qui hisce naſcebatur diebus, perinde ac ſol futurus illuſtris, vel ſcientiarum nitoribus, vel belli gloriâ cenſebatur, ac beneficus; qui die quarta, quia hæc Minervæ erat ſacra omnigenæ literaturæ cultor eximius prædicebatur triumphis verò illuſtris, ac victorijs clarus, qui die feſto, & eo præſertim, quo ludi inſtituebantur Olimpici. Ethnici in ſummo habuerunt honore natalem Imperatoris diem. Athenienſes celebri exceperunt ſolemnitate diem, quæ mundo Socratem peperit. Perſæ diem coluêre, quâ Xerxes renunciatus fuit Imperator. Syracuſani quot annis ludos inſtituerunt ea die, qua Thimoleon hujus fuit lucis uſuræ editus. Romani ſolemnem habuêre diem, quâ urbis fundamenta poſuerunt. Idus Juliæ Julij Cæſaris ortu nobiles fuerunt, ac illuſtres: Calendæ Januariæ à natalio Titi non parum exceperunt claritatis. Calendæ Decembres jucundiſſimis celebrabantur feſtis, ac ludis ob Nervæ ortum, uti Calandæ Apriles, ac Februariæ, illæ ob natalitium Adriani; hæ Conſtantini.

3 Eleganter ſummâque eloquentiæ culturâ à die Natalitio commendat Eumenius Conſtantinum: De Te igitur mihi, Cæſar invicte hodiernæ gratulationis exordium divinus ille veſtræ majeſtatis ortus, ipſo quo illuxit auſpicio Vere illuſtrior, cui dies ſerenus, atque (ut celebrantes ſenſibus) ultra rationem temporis ſol æſtivus incaluit, auguſtiore fulgens luminis claritate, quàm cùm originem mundi naſcentis animavit; ſiquidem tunc inter illa rerum tenera primordia moderatus dicitur, ut Majeſtate veſtra videretur obſcurior. O felix beatúmque ver novo partu, jam non amœnitate florum, nec viriditate ſegetum, nec gemmis vitium, nec ipſis tantùm favonijs, & luce ſerena lætum, atque venerabile, quantum ortu Cæſarum! ò tempus, quò meritò quondam omnia nata eſſe credantur, cùm eadem nunc confirmata eſſe videamus? ò Calendæ Martiæ ſicuti olim annorum volventium; ita nunc æternorum auſpices Imperatorum. Hactenus Eumenius Rhetor ſingulas recenſens temporis circumſtantias, quibus Imperatoris ortum florentis eloquentiæ delicijs commendat, ac pluribus laudat, auſpicémque futuræ fœlicitatis vocat ipſum diem ſerenum, ſolemque ultra rationem temporis æſtivum. Plurimum itidem habet leporis epigramma, quo Martialis *lib. 6.* ortum filij Domitiani Imperatoris excipit laudibus.

Naſcere Dardanio promiſſum nomen Julo,
Vera Deûm ſoboles, naſcere magne puer.
Cui pater æternas poſt ſæcula tradat habenas,
Quippe regas orbem cum ſeniore ſenex.
Ipſa Tibi niveo trahet aurea pollice fila,
Et totam Phryxi Julia nebit ovem.

4 Proderit ſedula diſcuſſione perpendere, quæ anteactis temporibus eo die contigerunt, quo puer in lucem prodit, quæ ſi præclara fuerint, ac commendanda in omen futuræ fœlicitatis adduci poterunt: ſcirè Plutarchus in vita Numæ Regis obſervat, illum eodem die natum, quo Roma urbium Princeps fuerat à Romulo condita, unde omen ſumpſit imperij. Rhudiginus notavit, Alexandrum Macedonem die ſuo natali Darium viciſſe, ac victoriam toto orbe celeberrimam reportâſſe, & eodem die paucos poſt annos fuiſſe è vivis præmatura morte ereptum. Plinius Secundus ſuum commendat Trajanum à die natalitio inquiens. Nam quòd eum potiſſimum menſem attribuiſti, quem tuus natalis exornat, quàm pulchrum nobis? quibus edicto, quibus ſpectaculo celebrare continget diem illum triplici gaudio lætum? qui principem abſtulit peſſimum, Domitianum: dedit optimum, Nervam: meliorem optimo genuit, Trajanum.

5 Ab Interitu commendantur viri egregij, ſi conſiderentur temporis circumſtantiæ, ut ſi diem ſuum obeat princeps, cum è cœlo decidunt pluviæ ab hac circumſtantia poſſet orator adſtruere, Principi nobis erepto non tantùm proceres, miniſtros, cives, populos; verùm & elementa ipſa illachrymari, & cœlum labentibus pluvijs, aliiſque obductum nubibus hanc ingentem lugere optimi principis jacturam, qua ſollicitantia fata, populorum extin-

tinxêre gaudium. Plerumque oratores, ut ab interitu egregios viros commendent, inconcuſſam producunt pectoris firmitatem, animique conſtantiam, quâ mortem oppetiêre, & dicta recenſent, quæ protulerunt morte jamjam imminente, uti eleganter præſtitit Emanuel Theſaurus in pathetica illa Protomartyris Eleazari concione, quâ per emphaticam proſopopœjam virum inviċtiſſimum inducit loquentem ſtylo conciſo, ſed pleno gravitatis, ac nitoris; in quo quot dicta, tot purpuræ; quot verba, tot flores, quot periodi, tot elegantiarum deliciæ: ſubjicio verba Theſauri, quibus generoſiſſimus Eleazar ſuos alloquitur adſtantes amicos. Quod ſuadetis Amici, etiam hoſtis ſuadet. Bona fide ad cœnam vocatis, quam Tyrannus apparat. Ego perjuris faucibus ſuillas dapes invadam, hoc ipſo virulentas, quia proſcriptas? Hoc ore leges violem, quo legem doceo? Næ, dignus ſim Bruto apponi, quod mihi apponitur. At morieris. Quid ni? Neceſſarium utrique malum minatur annoſus Tortor. Solvendum ſemel hoc vitæ penſum: quod qui perendinat, Morti fœneratur, diu moriens. Non æſtimat annorum meorum pondus, qui morte me leviorem putat. Nonaginta me illaqueant anni. Hanc effugere nec poſſum velle, nec velim poſſe: Veteranam Eleazari pietatem terga vertere? pulcherrimam vitæ fabulam extremo in actu corrumpere? Sine fruge hanc frontem aravit tempus, niſi laureolam meto. Quin ſi me intactum Fata præterirent, Nunc occurrerem Fatis, ut Patrijs pro legibus caderem. In hoc naſcimur, ut honeſte cadamus. Tunc dignum eſt mori, cum indignus es mori. At nimis durus videor: Erratis. Scabræ cuti tenaciùs hærere ſpiritus ſolet. Tamen hunc moriendi metum pellit peccandi metus. Hic ipſe ſemimortuus confector meus conſtantiam docet, qui bene effertur, efferens me. Cur ferre verbera hac ætate non poſſim, quâ ille poteſt infligere? Tam contra ſenectæ mores crudelitas eſt, quàm Fortitudo. Pudor ſit, ſi naturæ imbecillitas vitio ſuppletur, non virtute. At non onerat novitas meum caſum. Jam dudum in hoc ſum initiatus. Sacerdos ſum: mei muneris eſt ſanguinem fundere: neque ſemper ferinum. Quouſque minoribus victimis operor, ignavus myſtes, & de alieno tantùm pius? Tot hoſtias feci, ut hoſtia fieri diſcerem. At ſimula, eſum finge; labris illude; obſequij imitatione circumſcribi Tyrannus poteſt. Addamus & velle: quid hoc erit? Amici ſimulationem ſuadent? Videte, ne fictus amor ſit, qui docet fingere. Nil ſimulat ſenectus; ne ſe ipſam quidem. Fidei colorem oſtendunt cani. At Græcus proditor ſimulationem ſenectâ ſuâ dignam putat, poſt fidem perimens, imò per fidem. Eſto. Nobis cavendum, ne Atticæ Fidei ſimilem faciamus Hebræam. Religio meretrix non eſt: pigmenta reſpuit. Peccat non fictè, qui ficte peccat. Ignotatis, convivales amici, quales oculos in pectorum ſecreta Numen immittat. Conſtat de commentario, quid ſapiant impermiſſæ dapes. Hâc rimâ mors inceſſit. Brevi: obſequi neceſſe eſt, vivere non eſt neceſſe. Malo eſſe eſca, quàm tales eſſe eſcas. Eamus Tyranne: nemo me trahet; omnes antecedo. Mortem appara: bene cautum mihi eſt; non poſſum totus mori. Virgas experi: ſolum pulverem excutient, & hunc reparabilem. Quare, ſeca, reſeca, vulnera ipſa vulnera: tanto ocyùs hoc ſervitutis clauſtrum perrumpes. Rempublicam fulcire integer nequeo, fractus potero. Valete amici; aliquando laudabitis, quod timeris. Ecce quot veneribus, quot elegantiarum floribus, ac ſententiarum ponderibus præclarum Eleazari obitu n exornavit, quàm concinnè ac eleganter inconcuſſam Protomartyris laudavit firmitatem, quam exquiſitiſſimis objecerat ſuppliciorum generibus.

EXPENSIO XXI.

Locus à ſubjecto, Loco, & objecto expenſus.

1 SUbjectum ſumitur hic pro perſona, quam orator tueri, vel damnare intendit, in qua ſpectantur adjuncta tum animi; cùm corporis; prioris generis ſunt affectus omnes tum iraſcentis, tum concupiſcentis animi, ad quem pertinent virtutes commendandæ, & vitia vituperatione digna: quæ ſe tenent ex parte corporis ſunt ornamenta ejuſdem ut membrorum perfecta ſymmetria, vultûs decor, coloris elegantia, frontis majeſtas, corporis proceritas, valetudo, vigentes vires: vel ejus vitia membrorum improportio, oris turpitudo, corporis indecens exilitas, pedis claudicatio, oculi vitium.

2 Ab animi adjunctis nervoſa conſtruuntur argumenta. Salluſtius pulchrè Catilinæ prodit ingenium, ac perditos mores, quibus perniciem moliebatur Reipublicæ. Catilina inquit nobili genere natus, fuit ingenio malo, pravóque, huic ab adoleſcentia bella inteſtina, cædes, rapinæ, jurgia, diſſidia pergrata fuêre. Ejus animus audax fuit, ſubdolus, varius, cujuslibet rei ſimulator, & diſſimulator, ardens in cupiditatibus; ſatis eloquentiæ, ſapientiæ parum; vaſtus animus immoderata ſemper cupiebat; ex hac Salluſtiana deſcriptione ab animi adjunctis, poſſet orator commodè hæc inferre: ergo Catilina vir fuit perniciofus, inſolens, tumultuarius: ergo non abs re pleraque fertur excitâſſe civilia jurgia, populorum diſſidia in Reipublicæ perniciem.

3 Ab adjunctis corporis eleganter Martialis arguit Zoili viri ſubdoli impudentiam, recenſet ea corporis vitia, quæ animi corruptos mores produnt *lib. 4. epig. 12.*

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luſcus,
Rem magnam præſtas Zoile, ſi bonus es.

Cicero ab ijsdem corporis adjunctis ita fatur. Nonne ipſum caput, & ſupercilia illa penitus abraſa olere malitiam, & clamitare crudelitatem videntur? Nonne ab imis unguibus usque ad verticem ſummum, ſi quam conjecturam affert hominis tacita corporis figura, ex fraude, mendacijs, & fallacijs conſtare videtur, qui idcirco capite, & ſupercilijs ſemper eſt raſis, ne pilum ullum boni viri habere videatur. Ex ijsdem adjunctis Ammianus elegantioribus eloquentiæ coloribus delineat Calumniatorem inquiens: Calumniator, quem videtis, non eſt homo, ſed lamia omni diritate teterrima, ſine fronte, ſine oculis, ſine conſcientia monſtrum planè horribile, cui ſoli prominent dentes turpi rubigine infecti, cui feralis pallor, cui deformis macies, cui nudata carnibus oſſium compages reſtat. Draconis alicujus peſtilentem ſceleton, aut exſiccatum cadaver diceres. Quid tum? dignam hanc ferali effigie vocem, aut potiùs ſibilum emittit, per forum medium ſerpit, dentibus aduncis, aſpectu rabido huc, & illuc circumſpectans, ſi quem reperiat, cui aliquid mali faucibus efflare, quem ore attingere, dentibus inſecare, lingua conſpergere poſſit; hinc licentius ſupergreſſus, fluminis modo fortunis ſe complurium repentinus infundit, fertur per ſtrages multiplices, ac ruinas, vinculis corpora ingenuorum affligens: & quosdam contextis amicis, crimina ſcilicet multa conſarcinando à veritate longè diſcreta, ut eſt in complicandis negotiis artifex dirus, inde ex Catena inditum eſt cognomen.

4 Affectiones animi ſubinde ex habitus externi culturâ arguuntur: molles effœminari, ac viri uxorij dicuntur, quotquot luxum affectant veſtium, uti ſi incedant habitu haudquaquam laconico, ſed molli, atque laſcivo, ſi delicijs omnibus affluant, ſi comis delectentur unguento ſtillantibus, abraſis barbis, veſtitu fluxo ad laſciviam petulanter concinnato, ſi quærant corporis fucos, ſi fuligine oculos obumbrent, ſi genas adſcititijs pingant coloribus, ſi calamiſtris vibrent cæſariem. Bellè à capillamenti cultura ephebos hosce redarguit Poëta, ac in muliebrem degenerare levitatem evincit

Sed vitare viros cultum, formámque profeſſos,
Quique ſuas ponunt in ſtatiône comas.
Fœmina quid faciet, cum vir ſit lævior ipſa?
Forſitan ut plures poſſit habere viros.

5 Objectum eſt negotium illud, quod geritur, quidque perſonæ tribuitur, ut redemptionis noſtræ perſona fuit Chriſtus Servator, qui pro nobis factus eſt victor, & victima, ſacerdos, & ſacrificium: objectum prout hìc ſumitur, omnia ſunt ſuppliciorum genera, quæ pro redimendo homine paſſus eſt. Objectum, ſi rectè perpendatur, uberrimam ſuppeditat oratori amplificationum ſegetem: quo pacto ſi orator Chriſti cruciatus ſingulatim recenſeret luculentam ab objecto hauriret amplificationem, quæ verborum delectu, ac figurarum varietate exornanda foret tali pacto. O ſpectaculum ſiccis oculis haud ſpectandum? conſtituitur Dei filius in domo prætoria, accuſatur innocentiſſimus JESUS, nudatur corpus verecundum, puriſſimæ Virginis partus contumeliis afficitur, & ad necem diverberandus fœdiſſimis traditur lorarijs, inſtant temulentiâ vocum, inconditi clamoris ferali ſibilo, & cruore non minùs ebrij, quàm vino ad columnam alligant, per quem homines à peccatorum vinculis ſolvebantur, verberibus contundunt, vulnera vulceribus ingerunt, plagas plagis adjiciunt, & à vertice capitis usque ad pedum ungues flagellorum procellis dilacerant, cui unicè noſtra integritas erat in delicijs; ut eâ ſævitiei carnificinâ, innocentiſſimum corpus proprio cruore penè obrueretur, vixque facies in facie, membra in membris diſtinguerentur. Addunt ſatellites exitiales ſupplicijs contumelias, coronam rigentibus ſpinis aculeatam venerando Servatoris capiti affigunt, lacerum corpus neglecta induunt purpurâ, arundinem levitatis ſimbolum manibus famulari vinculo nexis pro ſceptro adnectunt, & Regem cachinnis, riſuque diſſoluto ſalutant, móxque crucis pondere preſſum ad calvarium ducunt, clavis manus, pedésque configuntur, lanceâ confoditur pectus, convicijs illuditur; pendet è cruce vulneribus confoſſum, plagis lacerum ſacroſanctum Servatoris corpus, innatant effuſo cruore oculi, languet ſpinis obrutum venerandum caput, ſilet os puriſſimum, ex quo mellei depluebant ſavi, ſingulàque membra defluente madida ſanguine lugendum exhibent ſpectaculum in atrato mundi proſcenio, ad cujus aſpectum exhorruit cœlum ipſum, quod atra obductum veſte ſuum eluxit Conditorem, quinimo terra ipſa contremuit, & mundus totus atratus trepidavit coram judice ſuo. Proderit etiam oratori Loci perpendere differentias, ut ſi locus ſit ſacer, profanus, maritimus, ſejunctus à mari, celebris, ignobilis, rupibus aſperrimus, deſertus, ferax, publicus, privatus.

Pulchrè à loci anguſtijs Carthaginenſis 6
Hannibal in Italiam ingreſſus ſuis militibus pugnam ſuadet apud Titum Livium. Vobis acriter pugnandum eſt, quippe à tergo alpibus, ab utroque latere mari clauſi eſtis, adverſos habetis hoſtes; quare nulla vobis ſperanda reſtant effugia, niſi ut vincatis. Cicero Antonij facinus à loco publico pluribus exaggerat, etenim cum eſſet Magiſter Equitum tantum hauſit vini, ut poſtera die fœdè evomuerit in publica Populi Romani concione; ait Tullius *2. Phil. num. 63.* ſed hæc, quæ robuſtioris improbitatis ſunt, omittamus; loquamur potiùs de iniquiſſimo genere levitatis. Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini in Hippiæ nuptijs exhauſſeras, ut tibi neceſſe eſſet in populi Romani conſpectu vomere poſtridie. O rem non modò viſu fœdam, ſed etiam auditu? ſi inter cœnam in tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidiſſet, quis non turpe diceret? in cœtu verò populi Romani ne-

negotium publicum gerens, Magiſter equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens fruſtis eſculentis, vinum redolentibus gremium ſuum, & totum tribunal implevit. A Loco Ovidius 3. *Triſt. Eleg. 8.* ſe excuſat, ſi quæ ſcripſerat carmina purgatam, non redoleant latinitatem.

Si quæ videbuntur caſu non dicta latinè:
In qua ſcribebam barbara terra fuit.

EXPENSIO XXII.

Locus ab Antecedentibus, Concomitantibus. & ſubſequentibus expenſus

1 PErinde ac eleganti colorum varietate illitæ tabellæ blandiùs intuentes demulcent, ac quâdam ſuavitatis illecebrâ titilant: orationes, quæ hisce fuerint adjunctorum præſidijs exornatæ, id obtinent dignitatis, ut ſuaviùs animos alliciant, ac flectant. Sunt tria hæc adjuncta uberrimum ſeminarium tum ad argumenta conſtruenda, tum ad amplificationes oratorias texendas.

2 Antecedentia ſunt, quæ rem, ac negotium præcedunt, ut ſunt cauſæ, conſilia, colloquia, minæ, conſuetudines, promiſſa, ſuſceptum iter, & alia id genus, ex quibus infertur conſequens, quod ſubinde conſequitur neceſſariò, ut ſi animal eſt, ſentit: ſi homo, ratiocinatur. Argumentum ab Antecedenti eſt illud Victorini *pag. 926.* Everſa eſt politia Judaica juxta prædictionem Chriſti *Luc. 19.* Ergo certiſſimum eſt, reſtare illud judicium. Quo argumento utitur etiam D. Auguſtinus. *lib. ult. de civit. Dei.* *Venient, & hæc ſicut iſta venerunt, quæ increduli non putabant eſſe ventura; quippe Deus utráque ventura eſſe prædixit.* In hac delira mundi ſenecta creſcit profanitas Epicurea, quæ contemnit promiſſiones, & comminationes divinas, & cenſet comminationes tantùm eſſe inania quædam terriculamenta excogitata à ſacerdotibus ad populum utcunque in officio retinendum; & promiſſiones blanditias demulcentes animum ſicut narrantur pueris fabellæ. Pulchrè itidem Lactantius argumentatur: Quod diſſolvitur, interit; quod interit, ortum ſit, neceſſe eſt, quod ortum eſt, habuit fontem, unde oriretur, id eſt factorem aliquem, ſentientem, providum, peritúmque faciendi. Tullius ab antecedentibus evincit Sullam non conjuraſſe. Nam quis eſt igitur, qui cum dicat in campum adſpiraſſe Sullam? atqui ſi eum ſecum Catilina ſocietate ſceleris conjunxerat, cur ab eo diſcedebat? cur cum Antonio non erat? cur in pari cauſa non paria ſigna criminis reperiuntur? hoc tempore, cum arderet acerrimè conjuratio, cùm Catilina egrederetur ad exercitum, Lentulus in urbe relinqueretur: Caſſius incendio, Cethegus cædi præponeretur; Antonio ut occuparet Etruriam præſcriberetur: cum omnia ordinarentur, inſtruerentur, & pararentur; ubi fuit Sulla Corneli? num Romæ? imò longè abfuit. Num in Legionibus, quò ſe Catilina referebat? multò etiam longiùs.

Concomitantia dicuntur ea, quæ rem 3 ipſam comitantur, ut locus, tempus, occaſio, modus, facultas, ac inſtrumenta, quibus res ipſa efficitur. A Loci ſanctitate Tullius affectum odij nervosè concitat in Clodianos pro Milone *num. 91.* An ille vivus nihil male feciſſet, qui mortuus, uno ex ſuis ſatellitibus Sex. Clodio duce, curiam incenderit? quo quid miſeriùs, quid acerbiùs, quid luctuoſiùs? vidimus Templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilij publici, caput urbis, aram concionum, portum omnium gentium, ſedem ab univerſo populo Romano conceſſam uni ordini, inflammari, exſcindi, funeſtari? A Tempore valida conſtruuntur argumenta, ut ſi quæratur, num Pythagoras fuerit Numæ Præceptor, à tempore facilè evincitur, quòd non. Quia Pythagoras regnante Numa nondum natus fuerat; ſed vixit regnante Tarquinio ſuperbo ducentis ferè annis poſt Numam: non potuit igitur Pythagoras eſſe præceptor Numæ. A tempore argumentatur Tullius *4. ad Herennium.* Qui adoleſcentum peccatis ignoſci putant oportere, falluntur: propterea quòd ætas illa non eſt impedimento bonis ſtudijs. At hi ſapienter faciunt, qui adoleſcentes maximè caſtigant, ut quibus virtutibus omnem vitam tueri poſſunt, eas in ætate maturiſſima velint comparare. Feſtivè à tempore jocatur Martialis in Naſicam *lib. 2.*

Invitas tunc me, cum ſcis, Naſica vocatum,
Excuſatum habeas, Te rogo, cœno domi.

Occaſio eſt vel temporis, vel loci, vel 4 perſonæ congruentia, quæ viam veluti ſternit agenti: bonas occaſiones in negotijs magni momenti eſſe dona Dei citra dubium ponitur, & illis uti, ſapientia eſt: hoc pacto intelligitur effatum illud vulgatum. *Oportet, homines fabros eſſe ſuæ fortunæ.* quatenus quisque debeat oblatis ſibi occaſionibus rectè uti. Inſtrumenta ſunt, quæ ad rem gerendam neceſſariò deſiderantur, ut in venatione ex Virgilio 4. Æneid.

Retia rara, plagæ, lato venabula ferro.

Quæ Oppianus *lib. 1. venat.* fuſiùs deſcribit Caſséſque, furculáſque, furiúmque ſtridentia vincula, Retia craſſa, benequè plexa vimina, longúmque Pantherem.

Conſequentia dicuntur, quæ vel morâ, 5 vel ordine ſunt poſteriora, ac rem ſubſequuntur, ut pallor, inceſſus titubans, hæſitatio poſt auditas minas. Turpis infamiæ nota, ſupplicij timor, & alia id genus, quæ temeratam produnt conſcientiam. Ex conſequenti rectè arguitur antecedens: ut ſenex eſt: ergo aliquando puer fuit. Metam attigit: ergo iter fecit per priora ſpatia. A conſequenti probat Cicero pro Roſcio, filios non fuiſſe parricidas: Inventi ſunt filii dormientes in cubiculo interfecti patris: ergo rectè judicatum eſt eos non feciſſe cædem; quia probabile haud-

qua-

quicquam videtur, perpetrato parricidio conſperſos paterno ſanguine, mox rurſus potuiſſe filios indormire.

6 A Conſequentibus evinceret orator rationalem animam poſt funera minimè extingui, ſed ſuperſtitem ſua gaudere immortalitate: Humana corpora, quæ vel pontus hauſerat, vel ignis abſumpſerat, vel ferrum minutatim trucidaverat, vel ferarum dentes moluerant, vel lues corruperat, vel alia morborum, vel ſuppliciorum genera perdiderant extremo judicij die; quando ipſæ cœli columnæ ingenti fragore, fremitúque concuſſæ contremiſcent; quando ſtellæ repentino flam̃arum tractu concuſſæ decident; quando cruentabitur luna, obſcurabitur ſol, ac ædificiorum molitiones marmoribus incruſtatæ inter minuti pulveris quisquilias diſlagrabunt, iterum conſurgent carne veſtita, ac ſpiritu animata: ergo rationalis anima adhuc vivit funeri ſuperſtes.

EXPENSIO XXIII.

Locus ab Oppoſitis expenſus.

1 PArum præſeferrent oblectamenti, parum elegantiæ pictæ tabellæ niſi colorum oppoſitionibus illitæ umbrarum adhæſu clariora exhiberent pigmenta; quin ipſe Zeuxis omnium in pingendo ingenioſiſſimus, ut eximiam muliebris formæ dignitatem exprimeret, quinque ſibi virgines ſpecioſiſſimas delegerat, ut in unam omnium elegantias transfunderet effigiem; at nunquam muliebrem delineâſſet ipſe pulchritudinem, niſi delicatiores, quos apparaverat colores, interjectis diſtinxiſſet umbris. Ea ſiquidem eſt oppoſitorum dignitas, ut quidquid decoris, ac elegantiæ rebus ineſt ex contrariorum pugna conſurgat: quinimò ipſa mundi harmonia ſummum nos edocens ſapientiſſimum Conditorem in ipſa elucet elementorum oppoſitione, ut pulchrè expendit Athanaſius *orat. contra Idola.* poſt medium inquiens. *Quis cernens contrarias inter ſe naturas, coaptatas tamen eſſe, & concordem harmoniam tenere, veluti quis videns ignem frigido, & ſiccum humido commixtum eſſe, atque hæc ſibi invicem non reſiſtere, ſed unum quaſi corpus abſolvere, non ſecum cogitet, foris, & ſeorſim eſſe eum ab iſtis, qui iſta in hunc modum conjunxerit? quis animadverſo in diſſimilibus, contrariisque, parem ſimilémque ordinem ex illis conſtari non animo ratiocinetur unam eſſe vim, potentiámque, quæ iſta diſpenſet, & gubernet, pro cujus arbitrio omnia ita rite in eo ſtatu perſeverant?*

2 Immo virtus ipſa nunquam viros fortes commendaret, nunquam faceret, niſi contraria illis objicerentur, ut ex Democrito bellè evincit Seneca *lib. de Providentia*: Nihil infelicius eo, inquit, cui nihil evenit unquam adverſi. Non licuit illi ſe experiri, ubi ex voto illi fluxerunt omnia, malè de illo dij judicârunt. Indignus eſt viſus, à quo vinceretur aliquando fortuna, quæ ignobiliſſimum quémque refugit, contumaciſſimum, id eſt fortiter obviantem quemque, & rectiſſimum aggreditur, adverſus quem vim ſuam intendat. Ignem experitur in Mutio; paupertatem in Fabricio exilium in Rutilio, tormentum in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Gaudent magni viri aliquando adverſis, non aliter, quàm fortes milites bellis. Chriſtiani Doctores, quidquid nobis incommodorum accidit, Deo permittente, ad ſalutem noſtram accidere interpretantur, ac proinde æquam mentem in tribulatione præſtandam monent. Ad rem noſtram ſcitè Ovidius *4. Triſt. 3.*

Quæ latet inque bonis ceſſat non cognita rebus
Apparet virtus, arguitúrque malis.

Uberrimus eloquentiæ triumphus non a- 3
liunde, quàm ex oppoſitis petitur; in his totus eloquentiæ ornatus eminet; in his collidentium inter ſe ſe argumentorum robora gratioſè perſpiciuntur, tutiúsque animos demulcent, ac flectunt. Oppoſita ex Ariſtotele dividuntur in contraria, privantia, relata, contradictoria. Primi generis oppoſita dicuntur, quæ ſub eodem genere ſive phyſico, ſive morali maximè diſtant, ut ſub genere qualitatis phyſicæ calor, & frigus; ſub morali temperantia, & temulentia. Ab hiſce oppoſitis eleganter Tertullianus *in Apol. 47.* Chriſtianos commendat cultores virtutum; ait ipſe: Cæterum ſi de pudicitia provocemus, lego partem ſententiæ Atticæ in Socratem corruptorem adoleſcentium pronunciatam. Chriſtianus uxori ſuæ ſoli maſculus naſcitur. Democritus excæcando ſemetipſum, quòd mulieres ſine concupiſcentia aſpicere non poſſet, & doleret, ſi non eſſet potitus, incontinentiam emendatione profitetur: At Chriſtianus ſalvis oculis fœminam videt, animo adverſus libidinem cœcus eſt. Si de probitate defendam, ecce lutulentis pedibus Diogenes ſuperbos Platonis thoros alia ſuperbia deculcat: Chriſtianus, nec in pauperem ſuperbit. Si de modeſtia certem, ecce Pythagoras apud Thyrios, Zeno apud Prienenſes tyrannidem affectant; Chriſtianus verò, nec ædilitatem. Si de æquanimitate congrediar, Lycurgus conquæritur, quòd leges ejus Lacones emendâſſent; Chriſtianus etiam damnatus gratias agit. Si de fide comparem Anaxagoras depoſitum hoſtibus denegavit; Chriſtianus etiam extra fidelis vocatur. Si de ſimplicitate conſiſtam, Ariſtoteles familiarem ſuum Hermiam turpiter loco excedere fecit; Chriſtianus nec inimicum ſuum lædit. Idem Ariſtoteles tam turpiter Alexandro regendo potiùs adulatur, quàm Plato à Dionyſio ventris gratia venditatur: Ariſtippus in purpura ſub magna gravitatis ſpecie nepotatur, & Hippias dum civitati inſidias diſponit, occiditur: hoc pro ſuis omni acerbitate diſſipatis, nemo unquam tentavit Chriſtianus.

Ecce quàm luculenter, quàm venuſtè, 4
quàm diſertè amplificat Tertullianus mores Chriſtianorum ab oppoſitis, virtutes Chriſtianorum vitijs objiciens Ethnicorum. Si

vellet

vellet orator ebrietatem redarguere, id venuſtè præſtaret oppoſitæ ſobrietatis commendatione. Quid honeſtius, quid præclarius, quid temperantiâ utili⁹ad mores juxta rationis amuſſim inſtituendos? Imò quid ſine temperantia, vel in civitatum curijs, vel in principum aulis, vel in militum tentorijs rectè conſulitur, aut conſultum facto præſtatur? ſola enim ſobrietas eſt humanæ vitæ moderatio, ſani conſilij parens, virtutum cultrix, pacis altrix, tranquillitatis promotrix, bonarum artium tutrix, ſcientiarum mater. At hæc virtutum germina, hæc ſanæ mentis conſilia bibendi perversâ illâ conſuetudine, quæ per mutuas propinationes irrepit, non ſolùm vivere non poſſunt, ſed penitus obruuntur. Temulentiâ ſiquidem obtunditur ingenij acies, turbatur mentis tranquillitas, hebetatur rationis uſus, corrumpitur morum honeſtas, deficit vitæ probitas. Quid ad Venerem turpiùs excitat, quàm temulentia? quid viros fortes fœdiùs emollit, quàm ebrietas? quotquot huic uni indulgent vitio cæteris omnibus miſerè famulantur. Unde tot inſani amores, tot ſtupra, tot adulteria, niſi ex otioſorum hominum temulentiâ? verum eſt vulgatum illud effatum, quo ajunt, ſine Baccho, & Cerere frigere Venerem. Unde tot diſſidia, tot jurgia, tot rixæ, tot vulnera, tot cædes, niſi ex temulentorum compotationibus. Unde tot rei familiaris diſſipationes, tot patrimoniorum abliguritiones, tot bonorum amiſſiones, quàm è convivijs in ebrietatem ſolutis?

5 Argumenta ab hiſce contrarijs ducta plurimum habent roboris: ut ſi vitium declinamus, quia turpe: ergo virtus eſt excolenda, quia honeſta. Subinde ita conſtruuntur, ut negato uno contrariorum, aliud adſtruatur, tale eſt illud Virgilij *Æneid. 11.*

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

Et aliud Martialis

Ebrius es, nec enim faceres hæc ſobrius unquam.

6 Pugnantium, ſeu oppoſitorum hi ſunt canones. Primò: *cui unum oppoſitorum tribuitur, et ſimul, & eodem reſpectu alterum tribui haudquaquam poteſt*: ut ſi boni ſunt imitandi: ergo ergo bonis non eſt invidendum: pulchrè Saluſtius. Bonos imitari, quàm malis invidere præſtat. Secundò: *Quod uni oppoſitorum tribuitur, hoc idem ab alio removetur*: ut Pietas ad omnia utilis eſt etiam ad bona temporalia conſequenda: ergo impietas noxia eſt ad omnia, & omnibus adverſatur etiam hujus vitæ commodis. Hæc tamen regula, ut vera ſit intelligenda eſt de pugnantibus juxta differentias, quibus diſſident non juxta genus: ut Calor eſt qualitas: non valet conſequentia: ergo frigus non eſt qualitas, quia qualitas eſt genus commune calori, & frigori. In oppoſitis moralibus oppoſitio duorum non debet eidem adverſari tertio: Non enim valet conſequentia: audacia eſt aliquid malum: ergo timiditas eſt bonum aliquod, quia utrumque eſt vitium, quod fortitudini adverſatur. Plurimum etiam in carminibus obtinent leporis, ac venuſtatis, ſi concinnè ſimul nectantur, uti in Epigrammate Martialis *lib. 72.*

Difficilis, facilis, jucundus, acerbus es idem:
Nec tecum poſſum vivere, nec ſine te.

7 Privativè oppoſita ſunt habitus, ejúſque privationes, ut lux tenebræ, mors vita, viſus cæcitas. Differunt privantia ab oppoſitis contrarijs; quia privantia nihil ponunt in re ſed duntaxat alterius oppoſiti denotat privationem, ut cæcitas, quæ ſignificat privationem viſûs: tenebræ remotionem lucis, quæ verò opponuntur contrariè ſunt ambo poſitiva, & utrumque ponit formam aliquam in ſubjecto, ut calor, frigus: rurſus contrariè oppoſita poſſunt ſibi invicem ſuccedere, non ita privantia ſi potentiam removeant, non enim viſus ſuccedit cæcitati.

8 Privativè opoſita plurimum præſtant præſidij ad venuſtas amplificationes inſtituendas, præſertim ſi ſubjectu, cui unum congruit oppoſitorum, alterum adaptetur factâ aliquâ tranſitione à corpore ad animum, quo pacto cæcitatem Heleonoræ Auſtriacæ Ferdinandi Secundi ſuroris, quæ cum miſſæ ſacrificio de more intereſſet, paſſa fuit oculorum jacturam ſic amplifico. Si Eleonoram dixeris ex aquila perſpicaciſſima factam cæcutientem talpam, ex Lynce oculatiſſimo exoculatam fœminam, errabis; quippe ſi videre deſijt corpore, clariùs, diſtinctiùsque cœpit animo divina contemplari. Commendavit jam pridem ſuum humana ſapientia Democritum, qui ut fieret mente Argus voluntariam ſubijt oculorum jacturam, meliùs, ac rectiùs viſurus animo, ſi non videret corpore; nimirum ut nitidior fieret humanæ ſapientiæ ſol æquo animo ſyderum frontis tulit eclypſim; vel ſaltem ut clariore frueretur humanæ ſapientiæ die, corporeæ cæcitatis noctem elegerat: Heleonoram Pietas nitidiſſimum effecerat ſolem, cui radiorum illuſtriora incrementa addiderant virtutes ſingulæ, quas ipſa ſummo excoluerat ſtudio; non miror, ſi oculorum paſſa fuit eclypſim, nequeunt unà cum ſole lucere ſidera. Scio geminus habuiſſe Platonem diſcipulos, qui philoſophiæ amore ſuccenſi, ſibi lumina extinxêre oculorum, ut illuſtriora fierent philoſophiæ lumina: Heleonora ſanctioris enacta ſapientiæ lumina corporei luminis gaviſa eſt jactura, ſi tamen jactura vocanda ſit, quâ pleráque dedeclinandi mala exhibetur anſa: quid enim oculi ſunt, quàm impudici amoris duces, quibus æternum ducuntur ad ignem homines, qui veluti deplumati papiliones, ac pyrauſtæ infœlices circum Veneris impudicæ volitant flammam? Quid oculi ſunt, quàm piſcatoris Cupidinis retia, quibus mundi illecebris capti miſerè irretiuntur? Quid oculi ſunt, quàm jaculatoris amoris pharetræ telis gravidæ, quibus ad necem feriuntur, quotquot impudicæ adblandiuntur Veneri? Quid oculi ſunt, quàm bipatentes pectoris fores furibus adapertæ? ſcio, Petrum Abbatem Clarevallenſem unjus oculi amiſſo uſu præ gaudio exilientem dixiſſe, è

duobus inimicis alterius moleſtiam jam evaſiſſe: quantâ tu Heleonora deberes lætitiâ perfundi, cum geminos hoſtes ſcias extinctos. Non te latet, pleroſque vel ipſis oculorum luminibus umbras hauſiſſe dedecoris. Dynna Hebræarum fœminarum pulcherrima, quia exteras mulieres curioſa fuit intuita ab hoſtibus capta illum perdidit florem, qui ſemel amiſſus nullo auri, argentive pretio fit ampliùs venalis. David Paleſtinus quondam Orpheus Berſabeæ in aſpectu, perinde ac baſiliſci ab oculis venenum hauſit lethalis culpæ. Holophernem nonne ſandalia lectiſſimæ Judithæ perdiderunt? ſcilicet pedes unjus fœminæ grande formidandi exercitûs protriverunt caput. Eſt igitur Heleonora quò jacturâ gaudeas oculorum, cum hæc immanem malorum ſylvam ſucciderit. Terram aſpicere, cum deſinis, clariùs cœleſtia intueberis. Orantis acies, ſi lippeſcit, fluxis cæcutit, non æternis. Fluxa cenſeas humana quæque, cum & ipſe cæcus Evangelicus homines viderit veluti arbores ambulantes, ac prætereuntes, quo luminis tirocinio valdè Dominus oblectatus, indulſit lippienti, ut Cenſor rerum foret humanarum. Cœpit & ipſe humana deſpicere, cui non ſtare homines viſi ſunt, ſed decurrere: ita profectò, quia humana non modò non ſtant, ſed ita aufugiunt, ut fulgura ea veriùs arbitreris, quàm fulmina; abeunt ſolà poſt ſe ſtrage ſuperſtite.

9 Locus à privatione hunc habet canonem. Poſito habitu tollitur privatio, & è converſo: ut ſol lucet: ergo tenebræ evanuerunt; hinc Salvator *Joan. 8.* *Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris*, quia ſi lux appulerit, neceſſè eſt, abſcedant tenebræ.

10 Relativè oppoſita ſunt, quæ ſe mutua naturalis affectionis conſociatione complectuntur, ut pater filius, conjux maritus, & per hoc diſſident à cæteris oppoſitis, quòd uno poſito ex relativè oppoſitis ex ſua natura ponitur, & aliud; & hoc ſublato, tollitur aliud: ut dominum non habet: ergo ſervus non eſt: ſimile argumentum lepidè confecit Magnus ille orator L. Craſſus, cui cum Philippus manum injici juberet, ille rejecto lictore: non es, inquit, Philippe mihi Conſul: quia nec ego Tibi Senator ſum. D. Hieronymus ad Nepotianum eandem argumentationem tribuit oratori Domitio: Scitum eſt, inquiens, illud oratoris Domitij: Cur ego Te habeam ut principem, cum Tu me non habeas, ut Senatorem. Martialis feſtivè jocatur ex loco Relativorum *lib. 3.*

Verſiculos in me narratur ſcribere Cinna.
Non ſcribit, cujus carmina nemo legit.

11 Contradictoriè oppoſita ſunt, quorum unum negat, quod aliud affirmat, adeo ut non poſſint ſimul eſſe vera, nec falſa de eodem, eò quia nequeat idem ſimul eſſe, & non eſſe. Hujuſmodi contradicentia plurimum habent roboris ad preſsè, ac ſubtiliter urgendum, & eò acriùs urgent, quò magìs videntur diſſidere. Solent plerumque hæc contradicentia dilemmate aliquo exhiberi; quæ ſi argutè retorqueantur, plurimum habent leporis exemplum exhibet Gellius *lib. 5. cap. 10.* ubi Evathlus diſcipulus dilemma ſibi objectum ingenioſè retorſit in Protagoram Magiſtrum. Lis erat inter Protagoram præceptorem, & Evathlum diſcipulum ſuper pacta mercede. Affluebat divitijs Evathlus, & ſicuti adoleſcens fuerat optimæ indolis captus amore eloquentiæ ſeſe in diſcipulum Protagoræ viri eloquentiſſimi dederat, cui daturum mercedem grandem pecuniam ſpopondit, quantam Protagoras pejerat: dimidiúmque mercedis jam dederat, cum primùm gymnaſio Protagorico cooptatus fuit; aliud dimidium daturus ea die, quâ cauſam coram judice oraſſet, ac viciſſet; verùm cum diutulè jam navâſſet eloquentiæ operam, nec ullam reciperet perorandam inter Judices cauſam, veritus magiſter ne reliquum mercedis daret, & ob id cauſam perorandam ſtudiò protraheret. Petere inſtituit Magiſter ex pacto mercedem integram; litem cum Evathlo conteſtatur, & cum ad Judices conjiciendæ cauſæ gratia ambo veniſſent: tum Protagoras ad diſcipulum: Diſce, inquit, ſtultiſſime adoleſcens, utroque id modo fore, ut reddas, quod pepegiſti, ſive contra te pronunciatum erit, ſive pro te. Etenim ſi contra te data fuerit ſententia, jam merces mihi debetur integra, quia ego vicero: ſin autem contra me judicatum fuerit; merces tota mihi etiam debetur, quia ex inito pacto hæc erit dies, qua tu primò cauſam coram Judice vinces. Ad hæc reſpondit Evathlus: potui huic tuæ ancipiti captioni iſſe ſtatim obviam, ſi ego ipſe verba non facerem, & alium mihi patronum deligerem: ſed magìs mihi in iſta victoria prolubium eſt, cum te non in cauſa tantùm, ſed in argumento quoque vinco. Diſce igitur Tu ſapientiſſime Magiſter, utroque modo fieri, ut non reddam, quod petis, ſive contra pronuntiatum fuerit, ſive pro me: nam ſi judices pro cauſa mea ſenſerint, nil tibi ex ſententia debebitur, quia ego vicero: ſin autem contra me pronuntiaverint, nihil tibi ex pacto debebo, quia non vicero. Tum judices utrinque argumentum pluribus implicitum tricis perpendentes rem injudicatam ad diem alium diſtulerunt.

Amplificationibus inſtituendis proſunt contradicentia, quæ multum præſeferunt venuſtatis, ſi concinnè nectantur, uti eleganter præſtitit Tertullianus *in Apolog. cap. 2.* in edictum Trojani contra Chriſtianos invehens. O ſententiam neceſſitate confuſam, negat inquirendos, ut innocentes, & mandat puniri, ut nocentes: parcit, & ſævit; diſſimulat, & animadvertit. Quid temetipſum cenſurâ circumvenis, ſi damnas, cur non inquiris, cur non abſolvis? Latronibus veſtigandis per univerſas provincias militaris ſtatio ſortitur. In reos Majeſtatis, & publicos hoſtes, omnis homo miles eſt, ad ſocios, ad conſcios uſque inquiſitio extenditur, ſolùm Chriſtianum inquiri non licet, offerri licet, quaſi aliud actura 12

eſſet

eſſet inquiſitio, quàm oblatio. Damnatis ergo oblatum, quem nemo voluit requiſitum; qui puto jam non metuit ideo pœnam, quia nocens eſt: ſed quia non requirendus inventus. A contradicentibus pulchrè Martialis *lib. 6.*

Inſequeris, ſugio; ſugis inſequor: hæc mihi mens eſt.:
Velle tuum nolo, Dindyme, nolle volo.

EXPENSIO XXVI.

Locus à Veterum teſtimonijs expenſus.

1 QUantum obtineant dignitatis veterum teſtimonia ad argumenta, vel conſtruenda, vel firmanda præſertim ſi ab Authoribus fide dignis, ac eruditis emanârint, ex eo facilè quiſque deprehendet, quòd noſtra effata licèt gravia, vel aucta facilius refellantur, & plerumque non alia ratione, niſi quia recentia.

2 Quòd ſi decerpta fuerint ab Authoribus omnium conſenſu probatis, tametſi minus præſetulerint gravitatis, vel acuminis, perinde ac oracula recipiuntur; pudórque ſit illa inficiari. Quapropter optimum putârim conſilium, ſi orator ex ſelectioribus authoribus, qui omnium conſenſu præclarioris ſunt nominis effata hauriat præſtantiora, quæ ſeriatim in peculiari ſignet libello, quibus cum neceſſitas exegerit, utatur ad argumenta firmanda: ſit tamen ſententiarum uſus moderatus, & illis duntaxat adnectantur argumentis, quæ eaſdem videbuntur poſtulare: neque enim, uti vulgò dicitur, ubi Achillis haſta, ibi Achillis eſt manus: parum prodeſſe videtur gladius, niſi brachij accedat robur. Perjerat Imperator Turcarum Schanderbechij invictiſſimi Ducis enſem, quo pluries de Turcis triumphaverat, ratus perinde, ſe potuiſſe palmas demetere; quia verò nec animus, nec vires aderant defuncti ſtrategi ad perniciem, ac dedecus potiùs, quàm ad gloriam eodem fuit gladio uſus, qui Schanderbechio pluries fuerat inſtrumentum victoriæ: ita gravium Authorum ſententiæ niſi commodè, & ad rem afferantur, orationem non parum devenuſtant, eique plus obſunt, quàm proſint: deinde non omnem orationem ſententiæ decent graves: illas reſpuunt, quæ totæ ad ſuavitatem, ac dictionum delicias ſunt compoſitæ, ne ſeria jocis inſerantur: illæ verò orationes, quæ pondera, ac ſenſus magis, quàm verba ſectantur, libentiùs auctoritates amplectuntur, in quibus adhuc tenendus eſt modus, quia ſi frequentiores, ac communes fuerint, ac ſine pondere exhibitæ exile produnt oratoris judicium, & puerilem potiùs redolent levitatem, quàm viri ingenioſi ſagacitatem.

3 In ſententijs recenſendis proderit earundem Authores commendare, idque ut cum dignitate fiat: ſelectæ quædam erunt formulæ uſurpandæ, ne pluries recoctam, ut ajunt, crambem ad nauſeam uſque videatur orator exhibere. Formulæ in hac laudatione adhibendæ eſſe poſſunt plures, quarum aliquot hic ſubjicio in commodum tyronum. Prima erit: mihi gratulor, inveniſſe virum ingenio præſtantem, virtute clariſſimum, omniúmque ſapientum ſuffragijs commendatum, qui aureo effato hoc idem firmari videatur, quod hactenus validiſſimis rationibus vobis ſuaſi. Secunda: Non vos pigeat præſtantiſſimum audire virum, ac optimè de ſacrarum ſcripturarum interpretatione meritum, qui exhibitum vobis aſſertum penitus evincat. Tertia: Quis aures recuſabit ei dare, qui eloquentiæ culturâ omnium gloriam ſuperavit? Quarta: ſi plurimum habent ponderis ad noſtra ſtatuenda argumenta veterum ſapientum effata Tertulliani adferam verba nitida, ac compta, quæ nonniſi dicendi veneres initiant, & quaſi pictis aſarotis vermiculatam diſtingunt orationis ſtructuram. Quinta: ſinite me ad hoc idem evincendum nunquam ſatis laudatum producere Authorem, qui non manem dictionis fucum, nec pueriles calamiſtros, ſed grande judicij in diſſerendo exhibet lumen. Sexta: Interrogate eloquentiſſimum virum, qui veterum oratorum laudem ingenio, ac dicendi ſuavitate vel vicit, vel æquavit. Septima: Quis neſciat egregium virum cornu eſſe quoddam (ut ajunt Amaltheæ) ſingulis eloquentiæ referrum divitijs; at hic eleganter, quæ hactenus diximus, confirmat. Octava: Non ſine magno lætitiæ ſenſu mihi in memoriam revoco, quæ diſertiſſimè dixerat vir ad ſumma eloquentiæ natus decora. Nona: Quid hac de re ſenſerit Plato non linguæ ſolùm, ſed etiam animi, ac virtutis Magiſter lubeat audire. Decima: Sapientiſſimæ mentis effatum eſt, quod maturo judicio vir memorabat. Undecima: Ecce quàm venuſtè, quàm lepidè hoc idem adſtruit navus author, & minimè otioſus, acer, velox, gravis, ſententioſus. Duodecima: Placeat vobis audire floridam eruditiſſimi viri eloquentiam, leni tractu, atque æquabili tenore fluentem. Tertia decima: mentem ſubit recordatio pulcherrimæ ſententiæ prolatæ à Magno Aurelio Caſſiodoro, qui inter Gothici ſæculi barbariem quaſi ſidus quoddam illuxit. Quarta decima: Ne quidquam videar protuliſſe à ſenſu ſapientum virorum alienum illuſtri effato ſingula recenſita comprobat Seneca, qui parem ingenio non habuit, admirandus potiùs, quàm laudandus, quippe cum eo floreret ſæculo, quo verboſo illo periodorum ambitu aures fatigatæ ſententias preſſas, ac ingenioſa acumina deſiderarent, ad hunc ſententioſum ſtylum adjecit animum. Quinta decima: Quanti in principe ſit momenti virtutum cultura, ſatiùs oſtendit Plinius junior in Trajani oratione Panegyrica, quàm ſtudioſiſſimè elaboravit. Vir fuit ingenio acer, politus, ornatus, cujus ſtylum apes melle illinire, ac nectare videantur, quippe in eo inventio eſt generoſa, diſpoſitio apta, lumina figurarum concinnè di-

diſpoſita: audite, qua eloquentiæ ſuavitate principis commender virtutes ſingulas. Sexta decima: Quàm fœdum ſit, quàm turpe, quàm milite Chriſtiano indignum ad minas hæſitare perſecutoris paſſim oſtendit Athanaſius, qui Imperatorum furias, & frementis in ſe penè totius mundi pondus excepit, ſuſtinuit, ſuperavit. Decima ſeptima: Quòd ſi expenſa à me ratio parum fortaſſis videbitur præſeferre roboris; hanc fulciet eloquentiſſimi viri authoritas, cujus ſtylus acer, velox, gravis, ſenrenrioſus, preſſus verbis, ſed rebus affluens, ac ſenſibus dives floridam redolet amœnitatem, quæ noſtras demulceat aures. Decima octava. Favet procul dubio meo aſſerto vir erudítiſſimus, omniumque ſuffragijs commendatus; quippe ſtyli elegantia, verborum delectu, eloquentiæ delicijs mirificè delectat. Decima nona: Non ſit vobis grave, quòd in fulcimen exhibiri argumenti accerſitum habeam authorem nuſquam ſatis commendatum, eò quia lacteum fundat orationis flumen, margaritis refertum: unum quod fui expiſcatus meæ inſeram orationi. Vigeſima: An putatis me inconſultò protuliſſe, quæ hactenus vobis fuerunt exhibita: hæc eadem docuerunt clariora eccleſiæ lumina, quæ inanes ſapientiæ fumos, vanóſque eloquentiæ fucos contempsêre. Hæc edocuit Gregorius Nazianzenus, qui cœleſtis ingenij pennis ſubnixus in arcana Theologiæ myſteria penetravit. Hæc D. Baſilius non minus ad eloquentiæ faſtigia, quàm ad ſanctuaris culmina natus. Hæc Clemens Alexandrinus inter eloquentes ſummè doctus, inter doctos ſummè eloquens. Hæc D. Ambroſius cujus facundia eam ſapit dulcedinem, ac ſuavitatem: ut nectare, & ambroſia videatur imbuta. Hæc D. Auguſtinus ad pugnam aptior, quàm ad pompam. Hæc Arnobius, Lactantius, Minutius, qui ſummæ eloquentiæ culturâ floruerunt.

4 Ad orationis nitorem carmina adducere moderate tamen, oratorem non dedecet, cum D. Paulus in ea nobiliſſima concione, quàm de Deo Athenis habuit, vulgatum illud Arati uſurpaverit. *Ipſius enim, & genus ſumus*, & D. Auguſtinus in ſermone de Sanctis Innocentibus tritum illud carmen. *Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.* Si tamen orator in recenſendis carminibus frequens fuerit ſolutam enervabit orationem, quæ verborum gaudet redundantijs, ac pleno periodorum circuitu. Proderit ſubinde egregij alicujus viri grave inſerere orationi effatum, uti fuit illud Ageſilai, qui percunctatus, quam ob cauſam nullis Sparta mœnibus cingeretur; cives armatos, & ſumma animarum conſenſione junctos oſtendit inquiens: *Hæc pectora mœnia ſunt Spartæ*, quò præberetur oratori anſa commendandi civium concordiam; ac probandi, Reipublicæ ſalutem huic unicè inniti.

5 Cæterum ſententia *eſt dictum univerſale perbreve ad mores pertinens, ac aſſeveranter prolatum.* Cœperunt efflorescere ſententiæ apud Græcos: non primis quidem temporibus, quibus liberiori profluentis naturæ impetu ferri videretur oratio: ſed poſtquam magni nominis ſophiſtæ philoſophiæ præceptis apprimè inſtructi, nec mediocribus eloquentiæ adjumentis innixi, quædam effata aurea ex Lycei, & Academiæ hauſta fontibus, orationi attexere cœperunt, ac veluti cultæ eloquentiæ nitidiſſimo auro gemmas inſerere. Operæ pretium feci nonnullas hic ſententias ſubjicere, quas ex probatis authoribus ſelegi.

Ex Philemone Comico Græco, quòd humana vita moleſtijs, curiſque jugibus angatur. *Paucioribus gaudijs fruimur, quàm dolore, & moleſtia.* Ex Diphilo Comico Græco. *Homo ſum, id ipſum maximam dolendi cauſam fert. Non eſt vita, quæ repleta, non ſit malis, doloribus, curis, morbis.* Ex Terentio. *Homo ſum, humani nihil à me alienum puto.* De Tempore. *Canus artifex eſt tempus, omnes in ſtatum deteriorem transformare gaudet.* In Paupertatem. *Homine paupere nil fortunatiùs, mutationem in deteriorem ſtatum non timet.* Ex Menandro in Plebem. *Tumultum plebis fugito, atque petulantiam, robuſta plebs eſt, at mentem non habet.* Ex Seneca. *Nil prodeſt didiciſſe, ſi ceſſas benefacere. Utendum eſt divitijs non abutendum. Res optima eſt non ſceleratos, ſed ſcelera extirpare. Solitudinem quærat, qui vult cum innocentibus vivere, & ſapientiam adipiſci. In mortem non repente incidimus, ſed minutatim procedimus, quotidiè morimur, quotidie enim diminuitur aliqua pars vitæ, hanc enim quam agimus diem, cum morte partimur. Satis longa vita ſi tota bene collocetur. Quod tacitum eſſe velis, nemini dixeris.* Ex Periandro Corinthio. *Amicis adverſa fortuna utentibus idem eſto. Quidquid promiſeris facito.* Ejuſdem ex Auſonio carmine Phaleucio. *Nunquam diſcrepat utile à decoro. Si fortuna juvat, caveto tolli. Si Fortuna tonat, caveto mergi.* Ex Biante. *Audito multa: loquere pauca.* Ejuſdem ex Auſonio. *Quis dives? qui nil cupit. Quis pauper? avarus. Quæ dos matronis pulcherrima? vita pudica.* Ex Pittaco Mitilenæo. *Quæ facturus es, ea ne prædixeris: fruſtratus enim videberis. A familiaribus in minutis rebus læſus feras. Ne geras imperium priusquam parêre, didiceris. Uxorem ducito ex æqualibus, ne ſi ex ditioribus duxeris dominos tibi pares, non affines.* Ejuſdem ex Auſonio carmine Jambico trimetro. *Loqui ignorabit, qui tacere neſcit. Demens ſuperis invidet fœlicibus. Pareto legi quiſquis legem ſanxeris.* Ex Cleobulo Lindio. *Quod oderis, alteri ne feceris. Lapis auri judex, aurum hominis.* Ejuſdem ex Auſonio carmine Aſclepiadeo. *Ignoſcas alijs multa, nihil tibi. Quantò plus liceat, tam libeat minus.* Ex Chilone Lacedemonio. *Moribus probatus eſto. Multitudini place. Noſce teipſum.* Ejuſdem ex Auſonio carmine Choriambico, ex Choriambis tribus, & Amphibracho. *Tu bene, ſi quid facias, non meminiſſe fas eſt. Grata ſenectus, quæ parilis juventæ.* Ex Solone Athenienſi. *Legibus pareto. Cogita, quod juſtum eſt.* Ejuſdem ex Auſonio carmine Trochaio.

chaio. *Dico tunc vitam beatam, fata cum peracta ſunt.* *Clam coarguas propinquum, ſed palam laudaveris.* *Par pari jugato conjux, diſſidet, quod impar eſt.* Ex Thalete Mileſio. *Quod adeſt boni conſulito.* *A vitijs abſtineto.* Ejuſdem ex Auſonio verſu pentametro. *Vita perit, mortis gloria non moritur.* *Quid facturus eris dicere, ſuſtuleris*

6 Illuſtria ſunt Catonis diſtica ad mores inſtituendos accommodata. Nonnulla ex præclarioribus ſubjicio.

1.

Plus vigila ſemper, nec ſomno deditus eſto:
Nam diuturna quies vitijs alimenta miniſtrat.

2.

Virtutem primam eſſe puta compeſcere linguam
Proximus ille Deo eſt, qui ſcit ratione tacere;

3.

Si vitam inſpicias hominum, ſi denique mores.
Cùm culpent alios, nemo ſine crimine vivit.

4.

Contra verboſos noli contendere verbis.
Sermo datur cunctis, animi ſapientia paucis.

5.

Rumores fuge, ne incipias novus author haberi:
Nam nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum.

6.

Rem tibi promiſſam, certò promittere noli:
Rara fides ideo, quia multi multa loquuntur.

7.

Cum fueris fœlix, quæ ſunt adverſa caveto,
Non eodem curſu reſpondent ultima primis.

8.

Infantem nudum cum te natura creavit,
Paupertatis onus patienter ferre memento.

9. Non convenit Chriſtiano.

Qui ſimulat verbis, nec corde eſt fidus amicus,
Tu quoque fac ſimile; ſic ars deluditur arte.

10.

Noli homines blandos nimium ſermone probare
Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

11.

Vincere cum poſſis, interdum cede ſodali:
Obſequijs quoniam dulces retinentur amici.

12.

Si potes, ignotis etiam prodeſſe memento
Utilius regno meritis acquirere amicos.

13.

Quod nimium eſt fugito, parvo gaudere memento.
Tuta mage eſt puppis, modica quæ flumine fertur.

14.

Quod pudeat ſocies prudens celare memento,
Ne plures culpent id, quod Tibi diſplicet uni.

15.

Corporis exigui vires contemnere noli,
Conſilio pollet, cui vim natura negavit.

16.

Nec te collaudes, nec te culpaveris ipſe.
Hoc faciunt ſtulti, quos gloria vexat inanis.

17.

Succeſſus indignos noli ferre moleſtè,
Indulget fortuna malis, ut lædere poſſit

18.

Rem tibi, quam noſcis aptam dimittere nolis
Fronte capillata, poſt hæc occaſio calva.

19.

Alterius dictum aut factum, ne culpaveris unquam
Exemplo ſimili, ne te derideat alter.

20.

Multorum diſce exemplo, quæ facta ſequaris,
Quæ fugias: vita eſt nobis aliena magiſtra.

Quia verò divini verbi Præcones factam profitentur eloquentiam, quæ tantùm humanæ præſtat, quantùm ſol umbræ, flamma fumo; & ijs lubentiùs utuntur ſententijs, quæ ex ſanctis Patribus decerptæ culturam videntur virtutum commendare; non abs re fore cenſui, ſi pleráſque, & quidem ſelectiores ſententias ex ijsdem depromptas adjicerem, ſuiſque locis digeſtas exhiberem. 7

Jejunium quomodo inſtituendum.

S. Iſidorus (*ſuper Amos Proph.*) qui cibis abſtinent, & mala agunt, dæmones imitantur, quibus culpa adeſt, & cibus deeſt. 1

D. Leo Papa (*ſerm. 4. de Jejun.*) non in ſola abſtinentia cibi ſtat ratio noſtri jejunij, niſi mens ab iniquitate revocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur. 2

D. Ambroſius (*lib. 10. Epiſt. ad Vercell. Eccl.*) Dominus JESUS volens adverſus diaboli tentamenta fortiores reddere creaturas jejunavit, ut ſciremus, quia aliter illecebras mali non poſſemus vincere. 3

Idem (*ſerm. 25.*) Diabolus terretur pallore jejunij, debilitatur inedia, infirmitate proſternitur, quia chriſtiana infirmitas fortitudo eſt, unde Apoſtolus 2. *Corinth. cùm infirmor, tunc fortior ſum.* 4

Cæſarius Arelatenſis Epiſc. (*Homil. 27.*) quid prodeſt afflictio corporalis, ſi linguam nequitijs, & obtrectationibus polluamus? Nonne omnes labores noſtri ad nihilum rediguntur? agnoſcite itáque Fratres chariſſimi, quòd ad ſalutem perpetuam acquirendam abſtinentia ſola corporalis non ſufficit, niſi & animæ quóque jejunium per abſtinentiam vitiorum fuerit ſociatum. 5

S. Auguſtinus (*ſerm. 192. de Tempore.*) imple miſerationis officia, & ſanctificaſti jejunia, ſagina pauperum viſcera, & anima tua muneribus ſanctitatis pingueſcit, peregrinum hoſpitio tuo contende ſuſcipere, ut te Deus in Cœlorum regna ſuſcipiat. 6

D. Hieronymus (*ad Celantiam*) quid prodeſt tenuari corpus abſtinentiâ, ſi animus intumeſcit ſuperbia? quid utilitatis habet vinum non bibere, & ira, & odio inebriari? tunc enim præclara eſt abſtinentia corporis, cùm animus jejunat à vitijs. 7

D. Joan. Chryſoſtomus (*Serm. 1. de Jejun.*) Jejunium ſententiam Dei revocavit, dixit enim, ſubvertetur Ninive, & non eſt ſubverſa, adhibuerunt enim jejunium, & effugerunt. 8

Tertullianus (*lib. contra Pſychos. cap. 6.*) Elias cum in ſpeluncam divertiſſet, quam familiari congreſſu DEI exceptus? quid agis hic

Helias? multo amicior iſta vox, quàm Adam ubi es: illa enim paſto homini minabatur, iſta jejunio blandiebatur; tanta eſt circumſcripti victus prærogativa, ut Deum præſtet hominem contubernalem parem, revera pari.

10 D. Joann. Chryſoſtomus (*Homil. de Pœnitentia expendens illud Geneſis 2. de ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedetis.*) ita, ait ille, ſi in Paradiſo jejunium neceſſarium fuit, extra Paradiſum multò magìs; ſi ante plagam utilis medicina fuerat, multò magis poſt plagam; ſi nondum bello voluptatum inſurgente nobis arma poſuerant opportuna, multò magìs poſt voluptatum, vitiorúmque prœlium à dœmonijs nobis illatum.

Pœnitentiæ neceſſitas, ac utilitas.

11 S. Gregorius (*Homil. 34.*) Pœnitentia eſt perpetuò peccata plangere, & plangendo non committere.

12 D. Ambroſius (*de David lib. 1.*) peccavit, quod ſolent Reges, ſed pœnitentiam geſſit, flevit, ingemuit, quod Reges non ſolent, confeſſus eſt culpam, & obſecravit indulgentiam.

13 D. Auguſtinus (*in lib. 50. Homiliarum Homilia ultima*) non ſufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere; niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat DEO per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium cooperantibus eleemoſynis.

14 Idem (*De Mirabilibus ſacræ Scripturæ*) vis, quod eſt incertum evadere, age pœnitentiam dum ſanus es, ſi ita agis, dico tibi, quòd ſecurus es, & alibi, pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt, quæ verò à moriente vereor, ne & ipſa moriatur.

15 Idem (*in Soliloquijs*) inanis eſt pœnitentia, quam ſequens culpa coinquinat, nihil proſunt lamenta, ſi replicentur peccata: nihil valet de malis veniam poſcere, & mala denuò iterare.

16 Idem (*in libro 50. Homiliarum Homilia ultima*) quid infelicius? quid perverſius, quàm de ipſo vulnere, quod latere non poteſt, non erubeſcere, hoc eſt non erubeſcere de peccato, & poſtea erubeſcere de pœnitentia.

17 D. Baſilius (*ſerm. 58. de Tempore*) quomodo aget pœnitentiam in extremis vitæ finibus conſtitutus? pœnitentia, quæ à moriente petitur, vereor, ne mortua ſit, & ideo dilectiſſimi quicúnque vult invenire miſericordiam DEI, ſanus agat pœnitentiam in hoc ſæculo, ut ſanus eſſe valeat in futuro.

18 Idem (*Serm. 164. de Tempore*) quando te corrigis? quando mutaris? cras inquis, ecce quoties dicis, cras, cras, factus es corvus; ecce dico tibi, cùm facis vocem corvinam, occurrit tibi ruina, & ille corvus, cujus vocem imitaris, exjit de arca, & non redjit.

19 S. Auguſtinus (*Serm. 58. de Tempore*) erit tempus, in quo peccator volet pœnitere, & non poterit, quia quando potuit, noluit; & propter malum velle, perdidit bonum poſſe.

20 Idem (*Serm. 36. ad Fratres in Erem.*) age pœnitentiam, dum ſanus es, & ſi ſic agis, dico tibi; quia ſecurus es, quia pœnitentiam egiſti eo tempore, quando peccare potuiſti, ſi vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te demiſerunt, non tu illa.

21 D. Bernardus (*Serm. 79. in Cantica*) cibus ejus pœnitentia mea, & cibus ejus ego ipſe, an non cinerem, tanquam panem manducat? ego autem; quia peccator ſum, cinis ſum, ut manducer ab eo, mandor cum arguor, glutior, cum inſtruor, decoquor, cum immutor.

Quæ militi Chriſtiano contingunt adverſa, eidem non obſunt, ſed proſunt.

22 D. Auguſt. (*lib. 4. de civit. cap. 3.*) juſtis quidquid malum irrogatur, non eſt pæna criminis, ſed virtutis examen.

23 D. Ambroſius (*in Pſal. 38. in illa verba Hieremiæ cap. 1. quid tu vides virgam vigilantem, ego vidi?*) Hieremia priùs baculum vidit, deinde ollam ferventem, ſed cur priùs baculum poſtea ollam ferventem? quia, qui baculo tribulationis non corrigitur, in ollam Gehennæ mittitur, ut ardeat.

24 Idem (*ſuper illud Pauli, vobis donatum eſt, ut patiamini pro Chriſto*) pati pro Chriſto non datur, niſi amatoribus Chriſti; ſumma dignitas, & gratia illa eſt.

25 D. Auguſt. (*in Enchiridion cap. 11.*) ideo Deus ſuſtinet malos in hac vita, ut miniſtrent bonis, præbendo illis materiam meritorum.

26 Idem (*in Pſalmum 114.*) flagellat omnem filium, quem recipit, nec tam amarum mihi debet eſſe, quod flagellat, quàm dulce, quod recipit, & ſuper Pſalm. 35. nullus ſervus Chriſti ſine tribulatione eſt, ſi putas te nondum habere perſecutiones; nondum cœpiſti eſſe Chriſtianus.

27 Idem (*ſuper verba Pſalm. 133. in noctibus extollite manus veſtras in ſancta, & benedicite. Dominum*) facile eſt benedicere in diebus? quid eſt in diebus; in rebus proſperis: non enim triſtis res eſt, dies res eſt læta: quando tibi bene eſt, benedicis Dominum, quando filium deſideras, & naſcitur benedicis Dominum; ægrotabat, filius liberatur? benedicis Dominum: benedicite igitur Dominum, quando? in noctibus: quando benedixit Job? quando triſtis nox erat; ablata ſunt omnia, quæ poſſidebantur, ablati ſunt filij, quibus ſervabatur; quam triſtis nox? ſed videamus, ſi non in noctibus benedixit; *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt. ſit nomen Domini benedictum.*

Idem

28 Idem (*in illa verba, quem diligit Dominus, corrigit, & quaſi pater in filio complacet ſibi*) flagellat DEUS omnem filium, quem recipit: es tu fortè exceptus à paſſione flagellorum? exceptus es à numero filiorum.

29 D. Bernard. (*Serm. de Aſcenſione Domini, quòd tribulatio ipſam DEUM etiam exaltavit*) Chriſtus cum per naturam divinitatis non haberet, quo creſceret: vel aſcenderet, quia ultra DEUM nihil eſt, per deſcenſum quomodo creſceret, invenit: veniens incarnari, pati, mori, propter quod DEUS exaltavit illum.

30 D. Baſilius (*annotatione 103. lib. 1. Regum*) ſagittæ, quæ juxta nos à potenti DEI manu, interdum jaculantur, non ad interitum ſunt, ſed ad ſalutem, quoniam ſigna ſunt amoris divini, non furoris.

31 D. Anſelmus (*in illa verba 2. ad Corinth. 9. Fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſubſtinere*) illud facit provenire, quod poteſt humana fragilitas ſubſtinere: cum viribus tentamenta modificat, nec permittit ultra virium veſtrarum menſuram, tentationis pondus excreſcere.

32 D. Gregorius (*lib. 16. moralium cap. 16.*) aurum in fornace ad naturæ ſuæ claritatem proficit, dum ſordes amittit; probantur animæ juſtorum, quibus exuſtione tribulationis, & ſubtrahuntur vitia, & merita augentur, *& lib. 12. cap. 15.* reproborum vita, tantò ſine flagello dimittitur, quantò ad nulla præmia ſervatur.

33 Beda (*ſuper illa verba primæ Petri 2. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exempla, ut ſequamini veſtigia ejus, ait Beda*) Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exempla, non quidem deliciarum, ſed tribulationum, contumeliarum, flagellorum, dolorum, opprobriorum, ſpinarum, crucis, vulnerum, & mortis.

34 S. Hieronymus (*in Epiſt. ad Cyprian.*) quando in hoc ſæculo morborum crudelitate fuerimus afflicti, tantò poſt reſurrectionem in futuro majora præmia conſequemur.

35 D. Joan. Chryſoſt. (*Homil. 3. ſuper illud Rachel plorans filios ſuos noluit conſolari, quia non ſunt*) duo diverſa conſpicio, quòd flet, & quòd conſolari contemnit, ſi enim flevit, cur conſolari contempſit? aut ſi noluit conſolari, cur flevit? conditio à matre defletur, ſed ſpe gloriæ conſolatio humana contemnitur, plangit affectus, ſed fide exultat.

36 Seneca ad Chriſtiani erubeſcentiam (*lib. 2. de Providentia DEI cap. 2.*) nullum ſpectaculum Jove dignius, quam virum fortem intueri cum adverſa fortuna luctantem. Et paulò inferiùs, nihil eò infeliciùs, cui nihil evenit adverſi: argumentum eſt, talem à DEO contemni, ut imbellem, & ignavum. Erubeſcat, inquam, Chriſtianus ad hujus Ethnici verba.

37 Origenes (*Homil. 20. in Exodum*) ego opto, ut dum in hoc ſæculo ſum, viſitet Dominus peccata mea, ne in alio audire merear, fili recordare, quòd recepiſti bona in vita tua; *Idem ad illa verba Oſeæ. 4. Non viſitabo ſuper filias veſtras, cum fuerint exfornicatæ, & ſuper ſponſas veſtras, cum adulteraverint, ait Origenes.* vis audire indignantis Dei terribilem vocem, audi, quod dicit per Prophetam? cum enumeraſſet multa nefanda, quæ commiſerat populus, addit etiam hæc (*Et propter hoc non viſitabo ſuper filias veſtras, cum fornicatæ fuerint, & ſuper ſponſas veſtras, cum adulteraverint*) hoc eſt terribile, hoc extremum, cum jam non corripimur pro peccatis, cum jam non corrigimur delinquentes: nunc enim cum exceſſerimus peccandi modo, DEUS zelans avertit à nobis zelum ſuum.

Prælati munus quanti ſit momenti, & quomodo obeundum.

Gloſ (*in cap. 4. Judicum*) Apis habet aculeum pungentem, & facit mel conſolans; & in bono Prælato debet eſſe rigor juſtitiæ, & dulcedo miſericordiæ. 38

S. Thomas à Villa Nova (*Serm. de Dominica 3. Adventus*) felices, qui ſolum de ſe ipſis in die judicij reddituri ſunt rationem; nam altitudo dignitatis officij, quaſi præcipitium, timenda eſt. 39

Origenes (*in illa verba, tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Iſraël, Homilia 20. num. 25.*) populus peccat, & Principes ſuſpenduntur, non enim tantùm pro ſuis arguuntur delictis, pro populo enim coguntur Principes reddere rationem; ne fortè non docuerint, non monuerint, non ſollicitè arguerint eos, qui primùm peccaverint, ne contagio diſpergeretur in populos, in ipſos enim convertetur ira DEI, & ceſſabit à populo; hæc ſi cogitarent homines; dignitatem, ac prælaturam non ambirent, ſufficit enim pro peccatis proprijs argui, & reddere rationem. 40

D. Auguſtinus (*Serm. in Paraſceve, in illa verba Lucæ: memento mei Domine, dum veneris in Regnum tuum*) dic mihi latro regnum petens; quid in eo tale vides, ex quo regnum petis? dic mihi, in perſpicuo eſt, clavem, & Crucem cernis: ſed hæc crux ipſa regni inſignie eſt, & per eam JESUM regem appello; quia video Crucifixum, opus enim Regis eſt pro his vitam, quibus regnat exponere; nam bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. 41

D. Joannes Chryſoſtomus (*ſuper illud Matth. 25. alligant onera gravia*) circa vitam propriam eſto auſterus, circa vitam aliorum benignus: audiant te homines, parva mandantem, & gravia facientem. 42

Oleaſter (*ſuper illa verba Iſaiæ 9. factus eſt principatus ſuper humerum ejus*) putant uſq; hodie inſenſati filij Adam, imperia, regna, & principatus hujus ſæculi honores eſſe, non onera eſſe; quos puer noſter arguit, qui ſuum 43

prin-

principatum, quaſi grave onus ſuper humeros gerit: non ergò Prælare, aut Princeps, cùm ad Prælaturam vocatis, te ad honorem vocari putes, ſed ad onus, & ſub præfectura tibi gerendum puta, ſicut ſub onere gravi. Et Claudianus;

Regis ad exemplar, nec ſic inflectere ſenſus,
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.
Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.

Et Martialis;

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Euchariſtiæ Sacramentum commendatur.

44 D. Ambroſ. (*ſuper illud Matth. cap. 10. eſtote prudentes ſicut ſerpentes*) ſerpens, cum venerit ad bibendum aquam, priusquam bibat, extra fontem evomit venenum ſuum, & poſtea bibit; ita, & nos quando ad Altare Domini communicaturi accedimus, deponamus venenum peſſimum: hoc eſt iracundiam, odium, invidiam, falſitatem, & ſic de Altare, Domini corpore, & ſanguine ejus ſatiemur.

45 Idem (*lib. de Sacramentis cap. 4.*) ſi quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis? accipe quotidie, quod quotidie paſcit.

46 Algerus (*lib. 1. de Sacramentis cap. 18. tomo 6.*) Corpus ejus nobis viaticum eſt, ne moriamur, & deficiamus in via.

48 D. Auguſtinus (*Tractatu 84. in Joann.*) dicere audeo, quòd Deus, cùm ſit omnipotens plus dare non potuit, cum ſit ſapientiſſimus, plus dare neſcivit; cum ſit ditiſſimus, plus dare non habuit.

49 Idem (*ſuper illa verba Matth. 22. Amice quomodo huc intráſti, non habens veſtem nuptialem?*) rogo vos fratres diligenter attendite: ſi ad menſam, cujúſque potentis hominis nemo præſumit, cum veſtibus conſciſſis, & inquinatis accedere; quanto magis à convivio æterni Regis, id eſt ab Altare Domini, debet ſe unusquiſque invidiæ, vel odij veneno percuſſus, vel iracundiæ furore repletus, cum reverentia, & humilitate ſubtrahere: propter illud, quod ſcriptum eſt, amice quomodo huc intrâſti, non habens veſtem nuptialem? de quo legitur, quòd ligatis manibus, & pedibus miſſus eſt in tenebras exteriores, ubi eſt fletus, & ſtridor dentium. Ecce qualem ſententiam merebitur audire, qui ad convivium nuptiale, id eſt ad altare Domini ebrioſus, aut adulter, aut odium in corde retinens, præſumit accedere.

50 Idem (*Serm. 1. in Cœna Domini*) oportebat, ut menſa illa Angelorum lacteſceret, & ad parvulos perveniret, *& alibi tractatu 25. in Joann. 6.* qui manducat hunc panem, inviſibiliter renaſcitur, intus infans eſt.

51 D. Hieronymus (*ad Amand.*) Dominus, ac Salvator noſter, nunc eſt pars in ſingulis, ut in Salomone Sapientia, in David Bonitas, in Job Patientia, in Petro Fides, in Paulo Zelus, in Joanne Virginitas, in cæteris cætera, in Euchariſtia ipſe eſt omnis.

D. Gregorius (*lib. 2. Regum, ſuper illa verba 1. ad Corinth. 15. probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*) quid enim eſt hoc loco ſe probare, niſi evacuata peccatorum nequitia ſe probatum ad dominicam menſam, & purum exhibere? 52

D. Gregorius Papa (*Serm. de Cœna Domini*) magnum quidem bonum eſt, ut Chriſto Domino incorporemur, quod ſit per hoc Sacramentum Euchariſtiæ.

D. Gregorius Nyſſenus (*Orat. in Cant.*) noſtra ad hunc panem edendum præparanda ſunt corda, ut tali epulo refecti ad altiora in fortitudine cibi illius tranſeamus. 53

D. Joann. Chryſoſt. (*Homil. 1. in Pſalm. 50.*) Mater, cum generaverit filium ſtatim eum tradit foris, & pietatis inſignia abſcondit, ſuperbia erubeſcit fieri nutrix, quæ facta eſt mater; Chriſtus autem non ita, ipſe nutritor, & mater eſt, ideo & pro cibo propria nos carne paſcit, & pro potu ſuum ſanguinem propinavit.

Idem (*Homil. 42. in 1. ad Corinth.*) vult comedentes hunc panem Aquilas eſſe ima, & terrena deſerentes ad ipſum accedamus, & ardenti Charitate inde effecti Aquilæ ad ipſum Cœlum evolemus. 54

Idem (*ſuper illud Pſal. 22. paraſti in conſpectu meo menſam*) qui tribulationes carnis habent, veniant ad menſam potentis, & tribulationes fient conſolationes. 55

D. Joannes Damaſcenus (*lib. 4. cap. 14.*) hoc Sacramentum Chriſto nos copulat, atque ejus carnis, Deitatíſque participes efficit, nóſque inter nos in eodem Chriſto conciliat, atque conjungit, & veluti unum corpus coagmentat. 56

D. Joannes Chryſoſtomus (*Homil. 24. ſuper illud Matth. ubicùnque fuerit corpus ibi congregabuntur, & Aquilæ*) Aquilas vocat, oſtendens, quòd oportet eum, qui ad hoc corpus accedit, eſſe ſublimem, & cum terra nihil habere commune, neque deorſum trahi, & ſerpere, ſed aſſiduè ſurſum volare, ad Solem Juſtitiæ conſpicere; acutóſque, & perſpicaces habere mentis oculos: Aquilarum enim; non Gracculorum, hæc eſt menſa. 57

Idem (*ſuper illud Joann. cap. 13. in fine dilexit nos*). quid ampliùs pro amore noſtro præſtare potuit, quàm ut ſe ipſum veſcendum traderet nobis.

Gerſon. (*lib. de Præparatione ad miſſam*) Chriſtus ignis eſt, etiam ſi frigidus ſis, dummodo in peccato mortali non ſis, accede; nam ſæpè accedit homo ad Euchariſtiam frigidus, & indevotus, & poſt illam fervidus incaleſcens invenitur. 58

Tertull. (*lib. de Reſurrectione carnis, cap. 6. loquens de Euchariſtia*) O menſa admiranda, quæ adverſus ſuperbiam, humilitatem; adverſus invidiam, charitatem; adverſus avaritiam, 59

tiam, eleemoſynam, adverſus libidinem, caſtitatem, adverſus vitia omnia, virtutes ſubminiſtrat, adverſus hoſtes arma præbet?

Meditatio mortis præſentiſſimum contra vitia quæque amuletum.

62 D. Auguſtinus (*lib. 2. contra Pelagianos*) nihil ſic hominem à peccato revocat, ſicut frequens mortis meditatio.

63 Idem (*lib. Confeſſionum*) nihil me revocabat à profundiore voluptatum carnalium gurgite, niſi metus mortis.

64 D. Baſilius (*Orat. de morte*) perpende, obſecro plurimos violentis periculorum incurſibus eſſe raptos, quibus ne vocem quidem emittere ob mali irruentis atrocitatem permiſſum eſt? quid igitur expectas? tempus, quod incertum eſt? num cogitationum etiam tuarum Dominus es futurus?

65 Idem, contemplare ſepulchra, diſcerne captivum à Rege, robuſtum ab imbecilli; formoſum à deformi; hoc modo fatalem naturæ curſum ſi expendes; nunquam, mihi crede, intumeſces.

66 D. Hieronymus (*Epiſt. ad Cyprianum*) qui ſe q otidie recordatur moriturum, contemnit præſentia, & ad futura feſtinat.

67 D. Gregorius (*lib. 17. Moral.*) ideo voluit DEUS, ut hic dies nobis incertus, ac incognitus remaneret, ut dum ſemper ignoratur, ſemper etiam proximus eſſe credatur.

68 Ephrem Syrus (*Serm. de vita ſpirituali*) inclinemus nos ad ſepulchra, & conditionis occulta perſpiciamus, ex cadaveribus permixtos oſſium acervos, graniáque cum reliquis oſſibus permixta cernamus, & hæc conſiderantes nos ipſos in illis, veluti in ſpeculo quodam contemplabimur. Ubi juventutis flos, & pulchritudo? ubi venuſtus ille genatum color? hæc nobiſcum cogitantes, carnis deſideria fugiamus, ne in judicij die confundamur.

69 D. Bernardus (*Serm. de villici iniquitate*) mors eſt crux horribilis, ad quam quotidie feſtinas, & non attendis? vide quomodo te crucifigit, crura diſtenduntur, manus, & brachia decidunt, pectus anhelat, cervix langueſcit, labia ſpumant, oculi ſtupeſcunt, vultus horreſcit, facies exudat, & morte peracta palleſcit, & hæc utique, quæ videmus, deforis, & quæ ſentimus levia ſunt ad ea, quæ intus anima miſerabilis jam prægustat.

70 D. Thomas (*in Catena in Matth. 25. ſuper illud dormitaverunt omnes*) dormitare eſt ante mortem langueſcere, quia per pondus ægritudinis pervenitur ad ſomnum mortis.

71 Zeno Epiſc. Veronenſis (*Sermone de præcepto attende tibi*) intuere, & inſpice ſepulchrum, ſi potes diſcernere, quis ſit Dominus, quia pauper, quis ſit dives; vide, ſi potes, ibi diſcernere plebeum à Rege; virum fortem, ab imbecilli; decorum, ab informi; ſi ergo horum omnium memor fueris, nulla tibi orietur elationis occaſio, ſed ſemper memor eris tui.

Tullius (*de Senectute*) quis eſt, quamvis ſit adoleſcens, qui exploratum habeat ſe ad veſperam eſſe victurum? 72

Avaritia carpitur.

D. Anſelmus (*ſuper Epiſt. ad Epheſios*) avari DEUS, nummus eſt. 73

D. Auguſtinus (*Serm. 21. de verbis Domini*) deſideravit guttam, qui non dedit micam. 74

Idem (*Epiſt. ad Joann. Comitem*) Avarus ſimilis eſt inferno; infernus enim quantoſcunque mortuos devoraverit, nunquam dicit; ſatis eſt: ſic & omnes theſauri, ſi circumfluxerint in Avarum, nunquam ſatiabitur. 75

Idem (*Serm. 48. ad Fratres in Eremo*) ò homo avaritia plenus, an ignoras, quod tria ſunt inſatiabilia, & quartum nunquam dicit; ſufficit: & quid eſt, quod nunquam dicit, ſufficit, niſi animus hominis, qui nunquam dicit, ſatis eſt? ò homo non ignoras, quod omnium malorum radix avaritia eſt, & ſervitus Idololatriæ, mater uſuræ, genitrix ſimoniæ? fomes culpæ, pœna vitæ, nutrix gehennæ? ò avaritia abyſſus inſatiabilis, ſemper fameſcis, ſemper doles, ſemper triſtaris in cunctis? ò peſtis interminabilis! ò famelica rabies! nam omnia ſuis terminis clauduntur; ſola avaritia nullo clauditur fine, omnia in homine ſeneſcunt vitia; ſola avaritia juveneſcit; ò rabies omni fine carens, terra ſuis limitibus terminatur, aqua ſuis finibus limitatur, aër ſuo fine concluditur, cœlum ſuis finibus arctatur, ſola avaritia terminum neſcit; ò avare, qui ſi terræ, & cœli Deus fueris, nunquam quieveris; donec fueris ſuperior Altiſſimo; ò peſtis dæmone ſævior, nam dæmon ſimilis Altiſſimo eſſe voluit, ſed avarus ſuper Deum, ſi poſſet, aſcendere vellet. 76

Idem (*in illa verba ad Romanos. 8. quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti, &c. ſerm. 10. de Sanctis*) avarus dicit in corde ſuo, quod fortè non audet lingua ſua: quis nos ſeparabit à cupiditate auri? tribulatio, an anguſtia; an perſecutio? poſſunt, & avari dicere auro, propter te occidimur tota die. 77

D. Baſilius (*Homil. 9. in diteſcentes*) Avarus quanto plus accipit, tanto plura deſiderat. 78

D. Gregorius (*14. Moralium loquens de avaritia*) abundantiâ, quam ob requiem quæſierant, nunc ob cuſtodiam graviùs laborant. 79

D. Hieronymus (*in quodam ſerm.*) omnia vitia cum ætate ſeneſcunt; ſola avaritia ſemper floret. 80

D. Joannes Chryſoſtomus (*Homil. 81. in Matt. de Avaritia*) tantus námque eſt avaritiæ furor, ut hæc Judam, & proditorem nequiſſimum, & ſacrilegum nefandiſſimum faciat; audite hæc omnes avari, qui graviſſimo Judæ

detrahendi: ſi verò triſti; diſcet, non licere, quæ didicit non libenter audiri.

106 D. Gregorius (*Homil. in Ezech. in illa verba Pſal. 17. circumdederunt me ſicut apes*) apes mel habent in ore, & vulnus in aculeo caudæ, & omnes, qui linguâ blandiuntur, & latenter ex malitia feriunt, apes ſunt, quia loquendo dulcedinem mellis propinant, ſed occultè feriendo vulnus inferunt.

Oratio DEUM in noſtra flectit vota.

107 D. Anſelmus (*lib. de meditatione*) abſcondis theſaurum tuum, ut incites, cupidam recondis margaritam, ut augeas quærentis amorem; differs dare, ut doceas petere, diſſimulas audire petentem, ut facias perſeverantem.

108 Idem (*lib. de menſura Crucis Domini*) ſæpe Domine differs, quod petitur, ut excites magis appetitum, non differs, eò quòd non vis dare; ſed ut aucto deſiderio abundantiùs poſſis dare.

109 D. Auguſt. (*Serm. 226.*) oratio juſti clavis eſt cœli, aſcendit precatio, & deſcendit DEI miſeratio.

110 Idem (*in Pſalm. 65.*) ne deficias in oratione, DEUS enim, quod conceſſurus eſt, ſi differt, non auffert.

111 Idem (*in ſententijs 252.*) multa DEUS concedit iratus, quæ negaret propitius.

112 D. Bernardus (*Serm. 4. in Pſalm. 90.*) quid eſt quod inceſſanter orantes, & ſupplicantes non poſſumus ad eam, quam deſideramus gratiæ abundantiam pervenire? putatis forſan, quòd avarus, aut inops factus eſt DEUS? impotens, aut inexorabilis? abſit hoc? ſed ipſe novit figmentum noſtrum, quia dum adhuc infirmi ſumus, oportet ipſa gratia temperari, ne fortè elationis, aut indiſcretionis vitium incurramus: & alibi, priùs quàm oratio eggreſſa ſit ab ore noſtro, DEUS ſcribi ſe jubet in libro ſuo, & unum de duobus ſperare indubitanter debemus, quia aut dabit, quod petimus, aut quod noverit eſſe utilius.

113 D. Gregorius (*in Pſalm. 129. de profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam*) non ait clamo, ſed clamavi, habes in hoc perſeverantiæ documentum, ut ſi primò non exaudiris ab oratione, non deficias, imò precibus, & clamoribus inſiſtas, vult DEUS rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci, ideo tibi dicit, regnum DEI vim patitur, & violenti rapiunt illud, eſto ergo ſedulus in oratione, eſto in precibus importunus, cave, ne ab oratione deficias, ſi diſſimulat audire, quem rogat: eſto raptor, ut Regnum Cœlorum accipias; eſto violentus, ut vim etiam ipſis inferas Cœlis, inferant preces tuæ ipſis Cœlis violentiam, ut Regnum Cœlorum quadam orationis vi rapiant.

Blandiloquia Adulationis declinanda.

Salvianus (*lib. 3. contra Avaritiam prope finem.*) 114
Non te moveant blandimenta eorum: veneno tibi ſunt, non reſpicias adulationes, gladij ſunt, & quidem ferreis hoſtilibus gladijs teteriores. Illos enim homines cuncti vident: iſtos incauti non vident. Illi, quia apertè feriunt, evitantur: iſti, quia occultè inſidiantur, occidunt: ex hoc perculoſiores ſunt, ac novo nocendi genere pejores; quòd illis ferreis gladijs nemo eſt penitus, qui ſe lædi velit: iſtis multi ſe etiam occidi volunt, nova atque inæſtimabilis mali lethalis illecebra. Illis gladijs quicunque percutitur: & timore pariter, & dolore torquetur, iſtis, quicunque occiditur, delectatur. Fuge ergo hoc malum, fuge aſſentationes inſidiantes tibi, fuge obſequelas noxias tibi, iſta ſunt officia, quæ te jugulant.

D. Joan. Chryſoſt. (*Homil. 32. in Epiſt. ad Romanos*) Adulantium obſequia in verbis hærent: mens verò eorum talis non eſt, ſed dolo referta. 115

Iſidorus (*lib. 3. epiſt. 231.*) Nihil meo 116
quidem judicio adulatoribus moleſtius eſt, qui de divitum lingua ſuſpenſi, adhibito jurejurando confirmant, ſi quid illi, etiam quod turpiſſimum, & abſurdiſſimum ſit mirificis laudibus offerre inſtituant, id omnium optimum, ac præſtantiſſimum eſſe: ac è contra, ſi illi etiam virtutem ipſam vituperare aggrediantur, eam quàm celerrimè inteſtantur. Quamobrem cordatis viris utrumque fugiendum eſt, nempe & adulari, & adulationibus deliniri.

Oncos, ſeu tumor ambitionis coërcendus.

D. Gregorius Nazianzenus (*Orat. 10. in funere* 117
Cæſarei Fratris) Hinc ego excuſſa omni ambitione, non ſecus, ac gravi quodam domino, & moleſto morbo, philoſophari, atque ad ſupernæ vitæ ſtudium me ipſum transferre conſtitui.

D. Joannes Chryſoſtomus (*Homil. 11. ad Epheſ.*) 118
Nihil eccleſiam æquè poteſt dividere, ut ambitio, & amor imperij, & gerendi magiſtratus.

Iſidorus Peleuſiota (*lib. 4. epiſt. 55.*) Ambitio 119
& imperandi cupiditas omnium cauſa malorum, quæ etiam benè conſtituta evertere conatur, gravia bella non ſolùm noſtrâ memoriâ, ſed etiam antiquis temporibus invexit in res humanas.

Ennodius (*in Paneg. Theod. cap. 4.*) ſingularis 120
boni fructus eſt ambitionis refrenatio, & præſertim tempore, quo ſuæ opinionis damno poſſit acquiſita retinere.

Reprehenſionis medela commendatur.

121 D. Joannes Chryſoſtomus (*Homil. 15. ad Timotheum 1.*) ut temerè, & indiſcuſsè judicare pernicioſum eſt: ita manifeſta peccata non perſequi virum aperit ad audenda facinora. Sicut enim, ſi impunè peccetur, plurimi delinquunt: ita ſi peccata puniantur, complures virtuti ſtudent.

122 Salvianus (*lib. 8. de Gubernatione DEI ſub initium*) Omnes admodum ſe laudari volunt: nulla grata reprehenſio eſt, imò quod pejus multo eſt, etiam perditus mavult mendaciter prædicari, quàm jure reprehendi; & falſarum laudum irriſionibus decipi, quàm ſaluberrima admonitione ſervari.

123 Iſidorus Peleuſiota (*lib. 4. epiſt. 17.*) ut rudem docere, ſic improbum redarguere oportet.

EXPENSIO VXX.

Locus ab Apophtegmatis expenſus.

1 INter nobiliores teſtimoniorum gemmas recenſentur apophtegmata, quæ ſunt quædam effata brevia, rotunda, ſententioſa, differunt à ſententijs, eò quia hæ laxiùs plerumque ſumantur, ac verborum ſubinde complectuntur circuitus ad aures illicio uberiori demulcendas: apophtegmata verò ſunt ſententiæ paucioribus comprehenſæ verbis ex occaſione quapiam pronuntiatæ, adeò ut hiſtoricum quidpiam adjunctum habeant, aut plerumque ſubintellectum. Autumant plerique apophtegmata à ſententijs duntaxat diſſidere, quia illa decus accipiant ab illuſtribus viris, quales ſunt Pontifices, Reges, Imperatores, Legati clarioris nominis; ſententiæ verò ſunt dicta, à quovis ſapiente prolata tametſi nulla ſit dignitate inſignitus; adeò ut idem effatum ut à Pontifice, Imperatore, vel Rege emanatum dicatur apophtegma; ut prolatum à viro non conſtituto in hiſce dignatibus, licèt ſcientijs apprimè inſtructo vocetur ſententia. Verùm illi exemplis refelluntur ſexcentis, in his, quæ plerique authores congeſſerunt, & per libros digeſſerunt, quæque adhuc hodie congeri, ac digeri facilè ex authoribus poſſunt, quorum permulta ignobilium ſunt virorum, imò & fœminarum: quinimo ipſe Plutarchus, qui eruditiſſimum de Apophtegmatis librum conſcripſit, quem Trajano Imperatori obtulit, Laconarum apophtegmata ſeorſim uno digeſſit libello, ſeu mulierum ex Laconia, quarum plura extant dicta brevia ſententioſa. Cæterum apophtegmata in ea fuêre apud veteres authoritate, & pretio, ut nihil ad majeſtatem orationis exaggerandam putârint excitatius, nil ad ſuadendum nervoſius, & illi oratores ſummam promeruerunt laudem, qui apophtegmatis appoſitè fuerunt uſi, quibus à teneris unguibus erudiri pueros volebant, non ſolùm ut ad rectam virtutum normam gliſcentem ætatulam effingerent, verùm etiam ad eloquentiæ decora, ac uberiora incrementa eruditionis.

Placet hîc in commodum candidati eloquentiæ nonnulla adjicere apophtegmata celebriora, quæ ex probatiſſimis decerpſi authoribus. Carolus V. dicere conſueverat. Quemadmodum Saturnus ex ſeptem Planetis altiſſimis tardiſſimè circumvolvitur: ita Monarchas Auſtriacos, qui ſumma inter homines functione uterentur, quàm minimè præcipites eſſe oportere. Secundò: Ut ſol non alius eſt inopi, alius locupleti, ſed omnibus æquus, ac communis: ita Reges non perſonam, ſed rem ſpectare debere, juſtitiámque, ac benevolentiam omnibus æquè præſtare. Tertiò ſicut ſolis defectio magnorum motuum argumentum plerumque trahit: ſic Regum errores etiam mediocres magnam rebus humanis afferre perturbationem. Quartò: ut ſol ceram liquefacit, lutum indurat: ita eandem Regis munificentiam alios reddere meliores, alios ingratiores, ac nequiores. Quintò: ut Luna præcipuè movet inferiora, non quòd efficacior, ſed quòd vicinior: ita multum habere momenti ad motus belli ſedandos, pacémque curandam proximitatem Regis. Sextò: veluti quædam fulmina æs, & ferrum liquefaciunt, ne cera quidem confuſa: ita divinam vim, ac regiam poteſtatem in obſiſtentes ſævire; mollibus, ac cedentibus parcere. Idem Imperator ajebat, tres belli nervos eſſe, commeatum, pecuniam, & militem; & ſi aliquo horum carendum foret, militem ſe veteranum electurum, bellúmque ſine reliquis duobus adminiſtraturum: reliqua enim duo ſe hoſtibus facilè erepturum promptitudine, & alacritate veteranorum ſperaret. 2

Henricus IV. Francorum potentiſſimus, ac ſegaciſſimus Rex, cujus apophtegmata plurimum commendantur, ajebat. Nil vetare, quo minus Regum liberi Muſicorum audirent acroamata: Muſicam verò eos diſcere, aut fidibus canere nolebat, eo quia hæc ars nihil illis præter amatorias illecebras eſſet profutura, cui congruit Themiſtocles, qui cum ut muſicæ ignarus rideretur ab ijs, qui, ea pollerent. At ego, inquit, lyram aut pſalterium tractare neſcio; urbem tamen, quam parvam acceperim, claram & magnam reddere; id ſcio. Secundò, ajebat Henricus Regum prudentiſſimus. Prudentiæ, juſtitiæ, fortitudinis, cæterarúmque virtutum temperiem regiam planè cantilenam eſſe ſaluberrimam legum aſtrictam numeris, quam quiſque quaternis vocum modulis ſolus canere poſſit. Muſicas artes plebejorum hominum eſſe, non Regum. Tertiò. Regum propria in pace inſtrumenta ſceptrum eſſe, & manum juſtitiæ; in bello gladium. Idque Agamemnoni innuerat Homerus: Eſto bonus Rex in pace, fortis bellator in prælio. Quartò: Pertinaciam optimis imperijs inimicam eſſe, eandémque vecordiæ, & ignaviæ ſobolem, quantumcumque prudentis hominis, ac animoſi perſonam indueret. 3

Quin-

Quintò. Tonſori dicenti barbam ex altera parte magìs caneſcere reſpondit: afflârunt hanc adverſæ fortunæ venti. Sextò. Cuidam ex proceribus ineptum ſcriptorem excuſanti, quòd literas non didiciſſet, ſubdidit rex excuſatio hæc, gemina eſt accuſatio ignorantiæ, & temeritatis; ſatius eſt tacere, quàm ineptè loqui. Septimò. Commendaverat fœminam nobilis Calviniſta, eo quia Calviniſticam acerrimè propugnaret doctrinam. Tum Rex ſubridens, peſſimè, inquit, ſe habet veſtra religio, cui ſolus eſt gladius, dux fœmina. Leo Imperator, dicente quodam Eunucho Martianum Imperatori percharum mandâſſe dari Elogio Philoſopho teſſeram frumentariam, quæ militibus potiùs deberetur, reſpondit. *Utinam is ſemper ſit meorum temporum ſtatus, ut mihi liceat militum ſtipendia in literarum magiſtros transferre.*

4 Ad Leonem X. Pontificem Maximum acceſſerat, qui Chryſopœjam profitebatur, libellum obtulit Pontifici, quem de auro ex quavis propemodum materia conficiendo ingenioſè ſcripſerat? ſed Pontifex non aliud Chimico dedit munus, quàm vacuam crumenam, ſubjungens. *Ego quidem auro te donarem: ſed cum tu ejus efficiendi certam ſcientiam polliceare; ſat erit, ſi habeas, ubi aurum abs te confectum reponas.*

5 Crœſus Lydorum rex referente Laërtio, cum ſe elegantiſſimè ornâſſet, ſublimi in ſolio conſidens, percunctatus eſt Solonem, unquam ne pulchrius ſpectaculum vidiſſet. Reſpondit ſapiens, *Gallos gallinaceos, phaſianos: naturali enim eos nitore, & incredibili venuſtate veſtiri.* Mediocritas in veſtitu præſertim virili laudabilis eſt. Immodicum in veſtitu cultum redarguit D. Hieronymus *Epiſt. 10.* ad Furiam. *Quid facit in facie chriſtiana purpuriſſus, & ceruſſa? quorum alterum ruborem genarum, labiorúmque mentitur: alterum candorem oris, & colli, ignis juvenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia.*

6 Pythagoras cuidam ſtolido dictanti ſe malle cum mulieribus eſſe, quàm cum philoſophis converſari reſpondit: *Et ſues libentius in cœno, quàm in aqua verſantur.*

7 Cato major ajebat: *ſtultos prudentibus afferre plus utilitatis, quàm prudentes ſtultis*: nimirum quia prudentes ſtultorum errata perſpicientes, ea declinant, fiúntque cautiores: non perinde dementiâ laborantes facta valent ſapientum imitari, cui cognata ſunt hæc alia vulgata ſatìs effata. *Sapiens ex alieno periculo corrigit ſuum.* *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.*

8 Scitè admonebat Ariſtoteles *voluptates non venientes, ſed abeuntes contemplandas,* id eſt non à fronte, ſed à tergo, quia cùm veniunt fucoſa ſpecie animis blandiuntur: abſcedentes verò pœnitudinem ingerunt; cui conſonat illud Horatij *Epiſt. 12. lib. 1. ſperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.*

9 Thomas Morus præclariſſimus Martyr licèt carceri incluſus diebus feſtis elegantiorem capeſcebat ornatum, & mirantibus, cur id faceret, cum ſolus eſſet, & ſpectantibus careret, reſpondit: *Non ad conſpectum populi, ſed ad DEI honorem feſtos colo dies*: veſtes ſiquidem elegantiores, ſaltationes, cantus muſici, ſingulares cerimoniæ lætantium animarum habentur argumenta.

10 Socrates cum Calliſta meretrice colloquia inſtituebat, à qua poſtquam audiviſſet: ego quidem ô Socrates multum te ſupero: nam cum tu de meis neminem abducere à me poſſis: ego contra plurimos de tuis avoco, reſpondit Philoſophus: *Nil mirum, Tu ſiquidem ad declivem tramitem omnes rapis: ego ad virtutem cogo, ad quam via eſt ardua, & plerisque difficilis aſcenſus, facilis autem deſcenſus averni.*

11 Julianus Imperator cum Eunuchos, Coquos, & tonſores à palatio ejeciſſet roganti cauſam, reſpondit, *ſibi opus non eſſe Eunuchis, quum uxor jam deceſiſſet: nec opus ſibi videri coquis, quod ſimpliciſſimis cibis veſceretur, & unus ſufficeret: ſicut item unus tonſor.* Perinde Antoninus Pius ignavis, & otio marcentibus, nec quicquam ſtudij, curæque in rempublicam conferentibus ſalaria ſuſtulit.

12 Alphonſus rex Aragoniæ interrogatus, quos civium haberet chariſſimos, reſpondit: *Qui magìs metuunt pro me, quàm me,* indigitans eos ex animo amicos eſſe, qui principem magìs amarent, quàm metuerent. Timeri non eſſe tutum ſignificavit Cicero *1. offic.* *Qui ſe metui volunt, eosdem metuant ipſi, neceſſe eſt,* & alibi. *Rerum omnium,* inquit, *nil aptius eſt quidquam ad opes tuendas, ac retinendas, quàm diligi, nec alienius quàm timeri.* Et Probus in Dione ajebat: Nullum eſſe imperium tutum, niſi benevolentiâ munitum.

13 Heraclitus interrogatus, quidnam deberent optimi cives præſtare: *Cives,* inquit, *non minus oportere pugnare pro legibus, quàm pro mœnibus;* quia absque legum fulcimento ſtare neutiquam poſſet civitas. Et Pythagoras eam civitatem florentiſſimam fore dixit, in qua cives obedirent magiſtratui, & magiſtratus legibus. Hinc honeſtas leges, quibus reſpublica muniretur omnibus triumphis, antepoſuit Plato.

14 Alexander Macedo nunciante quodam milite, adventare Perſarum multa millia reſpondit: *Unus Lanius non timet multas oves;* innuens, non in militum numero, ſed in dextra, & robore ſitam eſſe victoriam: & ſuadentibus amicis nocte cum Dario inſtituendam pugnam, ne ſi luce dimicaretur, tantâ hominum multitudine conſpecta miles conſterneretur, negavit nocte ſe ſe victoriam ſuraturum.

15 Antigonus ſuadentibus amicis, ut ſi Athenas occuparet, valido eam urbem communiret præſidio, ſummâque vigilantia totius Græciæ propugnaculum cuſtodiret, reſpondit, ſe jugiter in ea eſſe ſententia, ut crederet: *Nullum eſſe regni præſidium firmius, quàm civium benevolentiam.*

16 Fridericus III. Imperator ſciſcitantibus, quid cenſeret homini optimum, dignúmque ut omni conatu illud ſibi compararet, aureum

protulit effatum chriſtianæ menti altiùs imprimendum: *Beatus ex hac vita diſceſſus;* quia in extremo illo comediæ actu omnia ſunt poſita, cujus cataſtrophe qualis ſit, diligenter eſt homini providendum.

17 Ariſtippus ajebat: *ſatiùs eſſe fieri mendicum, quàm manere indoctum:* quia mendicus tantùm pecunia egeret, hic humanitate. Tametſi eruditio plerisque conciliaverit pecunias, ac opes, non tamen propter divitias eſt eruditio comparanda; eſt virtus propter ſe expetenda, cum ipſa ſibimet ſit merces, ut pulchrè Claudianus.

Ipſa quidem Virtus pretium ſibi, ſolàque latè
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſúve petit clareſcere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis
Divitijs animoſa ſuis, immotáque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.

18 Plurimum habent dignitatis, multúmque pretij, quæ ex Mimo Publiano prodiêre apophtegmata: aliquot ſelectiora pro hujus capitis coronide ſubjicio, quæ ad vitam ſimilem rectè inſtituendam, vel maximè faciunt.

Beneficium accipere, libertatem vendere eſt.
Amicos res opt mæ parant, adverſa probant.
Amici vitia, ſi feras, facis tua.
Bis vincit, qui ſe vincit in victoria.
Bene cogitata ſi excidunt, non occidunt.
Bonis nocet, quisquis pepercit malis.
Beneficium dignis ubi des, omnes obligas.
Cum inimico nemo in gratiam tutò redit.
Citius venit periculum, cùm contemnitur.
Conſilio melius vincas, quàm iracundia.
Cuivis dolori remedium eſt patientia.
Cui plus licet, quàm par eſt, plus vult, quàm licet.
Diu apparandum eſt bellum, ut vincas celeriùs.
Deliberandum eſt diu, quod ſtatuendum eſt ſemel.
Difficilem oportet aurem habere ad crimina.
Etiam celeritas in deſiderio mora eſt.
Ex vitio alterius ſapiens emendat ſuum.
Etiam oblivisci, quod ſis, interdum expedit.
Ex hominum quæſtu facta Fortuna eſt Dea.
Eripere telum, non dare irato decet.
Etiam capillus unus umbram habet ſuam.
Formoſa facies muta commendatio eſt.
Fortuna nimium quàm fovet, ſtultum facit
Furor fit læſa ſæpius patientia.
Fidem, qui perdit, nil poteſt ultra perdere.
Fer difficilia, ut facilia levius feras.
Fortuna vitrea eſt, quæ cum ſplendet, frangitur.
Feras, quod lædit, ut quod prodeſt, perferas.
Gravior inimicus, qui latet ſub pectore.
Graviſſimum eſt imperium conſuetudinis.
Habet ſuum venenum blanda oratio.
Heu Dolor, quàm miſer eſt, qui in tormento vocem
non habet.
Homo vitæ commendatur, non donatus eſt.
Vel *Vita nobis commendatur, non datur*
Hæredis fletus ſub perſona riſus eſt.
Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriùs.
Ita amicum habeas, poſſe ut fieri inimicum putes.
Injuriarum remedium eſt oblivio.
Inimicum quamvis humilem, docti eſt metuere.
Improbè Neptunum accuſat, qui iterum naufragium facit.
Inconſtans fortuna citò repoſcit, quæ dedit.
Luxuriæ deſunt multa, avaritiæ omnia.
Legem nocens veretur, Fortunam innocens.
Multis minatur, qui uni facit injuriam.
Miſerrima eſt Fortuna, quæ inimico caret.
Malè geritur, quicquid geritur fortunæ fide.
Magno cum periculo cuſtoditur, quod multis placet.
Malè ſecum agit æger, medicum qui hæredem facit.
Multos timere debet, quem multi timent.
Malum conſilium eſt, quod mutari non poteſt.
Nunquam periculum ſine periculo vincitur.
Nimium altercando veritas amittitur.
O vita miſero longa, felici brevis.
Pars beneficij eſt, quod petitur, ſi bene neges.
Quotidie damnatur, qui ſemper timet.
Stultum eſt timere, quod vitari non poteſt.
Tam deeſt avaro, quod habet, quàm quod non habet.

EXPENSIO XXVI.

Locus à ritu priſco, Gentiúmque conſuetudine expenſus.

PRiſcarum gentium uſus, ac conſuetudines, ſeu inſtituta, quibus veteres homines actiones, résque humanas ad normam ſatagebant conformare virtutis, ad eam accedunt varietatem, ut uberrimam ſuppeditent Eloquentiæ cultoribus eruditionum ſegetem; & inter argumenta remota plurimum obtineant dignitatis, multum oblectamenti, rebusque confirmandis, vel maximè accommodentur. Ut quanti ſit momenti, quantæquæ utilitatis mortis recordatio ex eo facilè evincerent Divini verbi Præcones, quòd apud Gentes omnes etiam Ethnicæ ſuperſtitioni addictas ritus inſtituerentur funerei, qui moribus ritè formandis plurimum profuêre, nimirum ut vel ab ipſis mortuis, quorum ſepulchra paſſim viventibus objicerentur, vitæ adiſcerent fluxibilitatem, & ad mores ritè componendos promoverentur. Mos fuit apud Thebanos, quo ædificare domum licebat nemini priusquam ſibi ſepulcrum curâſſet. Lacedæmonij piâ ſolertiâ adverſus Meſſenios pugnaturi non tam de ſalute, quàm de ſepultura ſoliciti, teſſeras *inſculptis* ſuis, patrúmque nominibus brachio adligârunt dextro; ut ſi fortè in acie occumberent, & temporis diuturnitate corrumperentur, ac ipſa ſauciata cadavera confunderentur, his titulorum indicijs facilè internoſcerentur, ac majorum ſepulchris conderentur, quòd ipſis cauſæ erat fortiter pugnandi, ut glorioſiores poſt obitum haberentur. Apud Athenienſes veluti impij extremo plectebantur ſupplicio, qui culpâ ſuâ inſepultum quempiam reliquiſſent. Hinc decem illi duces, qui ex navali pugna omnium maxima, quâ Græci cum Græcis, ſeu Athenienſes cum Lacedæmonijs bello Peloponneſiaco dimicârunt, in patriam reduces, ſpolijs onuſti, palmis præfulgentes populo jubente capite plexi ſunt, eò quia milites ſuos quotquot in acie illa ceciderant, hauſtique

flu-

fluctibus fuerant colligere, ac honeſtiùs ſepelire neglexiſſent, tametſi fœda tempeſtas prohibuerit, quominus id officij perſolverint: tanti faciebant Athenienſes motruorum ſepulchra ob viventium utilitatem, ut nec ipſis victoribus pepercerint ducibus, rati plurimum exinde oriri Reipublicæ damni. Romani, aliíque finitimi populi Romanorum jure donati ſuorum cadavera majorum extra urbis pomœria ſepelire conſueverunt: plerumque in finibus agrorum juxta militares vias, non ſolùm ut mortuis viatores bene precarentur, verùm etiam, ut illuſtrium virorum memoriâ excitarentur ad imitationem virtutis. Conſtruebantur etiã ſepulcra in medijs fundis molitione concinnâ, ut & ædificij elegantia intuentes alliceret, & mortis memoria mentem juvaret, cujus moris meminit Martialis *epigram. 43.*

Septima jam Phileros, tibi conditur uxor in agro.
Plus nulli, Phileros, quàm tibi, reddit ager.

2 Viri autem principes, vel in editis locis ad latiorem conſpectum, vel in montium radicibus tumulabantur ſuperpoſitis pyramidibus, vel columnis, unà cum artium inſignibus, quibus floruere. Virgilius de ſepulcro Miſeni *lib. 6, Æneid.*

At pius Æneas, ingenti mole ſepulchrum
Imponit, ſuáque arma viro, remúmq; tubámque.

3 Hoe idem de Archimedis clariſſimi Mathematici monumento refert Tullius *5. Tuſcul.* inquiens: Ego autem cum omnia colluſtrarem oculis, animadverti columellam non multum à dumis eminentem, in qua inerat ſphæræ figura, & Cylindri. Locus tamen ſepulchris perquam accommodatus, præ cæteris fuit Campus Martius teſte Appiano, qui refert ſolos ibi reges, viróſque clariores ſepeliri conſueviſſe ex ſenatûs decreto. Minutæ verò plebi exiguota ſepulchra extra portam Exquilinam conſtruebantur, quem locum *Puticulos*, vel à puteis, in quos conjiciebantur, vel à putore cadaverum vulgò appellabant. Alia in ſuburbanis fuêre loca delecta, ubi egenorum corpora cremabantur. Cauſa, cur Romani ſepulchra extra urbis pomœria eſſe voluerunt, hæc præ cæteris fuit, ut cives, cum irent ſpatiarum ineluctabilis meminerint fati, & majorum monumentis adagere, & pati fortia, quod Romanum erat, excitarentur. Vel etiam ne cives paterentur hoſtium phalanges in ſuorum monumenta majorum graſſari, ac perinde fortiori animo procul à mœnibus hoſtes arcere niterentur. Laudatiſſimus fuit apud Scythas mos, quo corpus regium plauſtro vectum per urbes ſingulas ſaxi regni veheretur, cujus particulam ſibi quisque decerperet: ex quo ritu poſſet commodè orator Regem hunc defunctum eloquentiæ quadriga vectum traducere, non ut ubique locorum dilanietur à ſubditis, quod plurimum redoleret ſævitiei, ſed ut ſibi quisque virtutis monumentum capiat, utediſcant homines flocci facere humanarum rerum fluxibilitatem, vitæ morti obnoxiæ minimè adhæreant, quæ veluti flos egredietur, & conteritur: ac poſſet vitam per metaphoras conglobatas definire, fumum vanidum, umbræ umbram, bullam minimè conſiſtentem, ſpumam labentem, deciduum rorem, illudentem Iridis arcum, deficientem cereum, exiguum pulverem, doloſum cinerem, ruinoſam domum, araneorum telam, ſolſtitialem herbulam, vilem ſtipulam, perbrevem fabulam, triſtem nebulam, quia ut ſcitè Poëta cecinit, eſt vita,

Somnus, bulla, vitrum, glacies, flos, fabula, fœnum,
Umbra, cinis, punctum, vox, ſonus, aura, nihil.

Unusquisque noſtrum ait Cyprianus, cùm naſcitur, & hoſpitio mundi hujus excipitur, initium ſumit à lachrymis, & cum illis extinguitur, adeò ut unusquisque noſtrum hoc idem canere poſſit, quod Poëta mœrens eluxit. 4

Ut lachrymis cœpi, lachrymis ita finio vitam.
Totum pene meum vivere, flere fuit,
Sic omnes vitam ordimur, ſic claudimus omnes.
Ad fletum flentes naſcimur, & morimur.
Naufraga nos iſtis tempeſtas mergit in undis.
Quisque ſuis merſus ſic ſepelitur aquis.
Ille unus felix, qui fletum jam egerit omnem,
Ne lachrymas ſtillet poſt ſua fata novas.

Operæ pretium feci ad uberiorem eruditionis ſupellectilem aliquot gentium ritus ſubjicere, quos ex probatis authoribus decerpſi. 5

Reges Alexandrini, ut refert Pierius, capite damnatis pridie, quàm ſecuri ferirentur, munera quædam mittebant, quibus mœrorem præconceptum delinirent. Mos iſte adhuc viget in pleríſque Romani Imperij urbibus, ubi extremo ſupplicio damnatis lautiſſimæ apparantur cœnæ, vináque generoſiora exhibentur haurienda, ut quæ ſumma jam eos inceſſit triſtitia, hâc guſtûs voluptate mitigetur, & ab acerbiſſimis cogitationibus vini ſuppetijs animus avertatur. 6

Lacedemonij, eum rogarent cœleſtia Numina, precibus ac votis ſuis enixè expoſcebant, ut æquo animo poſſent ſibi illatas ferre injurias. Nemo ſiquidem vel ad imperium adminiſtrandum, vel ad alias principes dignitates obeundas promovebatur, qui illatis ſibi injurijs commoveretur. Quantò potiori jure decet virum chriſtianum adverſa quæque cum æquanimitate tolerare, ut æterna donetur felicitate. 7

Meminit Plutarchus, conſueviſſe priſcas gentes, Mercurij ſtatuas ſenili habitu effingere, manibus, pedibúsque obtruncatis, arrectis tamen membris; quo commento latenter adſignificabant, in ſenio jam confectis corporis miniſteris parum præſeferre momenti, modò mentem adhuc ingentem & minimè inertem gererent. Conſilium enim, & ratio ſenes commendant. 8

Multiplicem ſupplicandi Numinb⁹ ritum producit Adrianus *lib. 2 cap. 11.* Aſſinij incurvatis membris, manibus poſt tergum rejectis, vultúque penè in humum dejecto Deum ſupplices rogabant. Perſæ Plerumque arrepto dexterâ titione ignito flumen ingrediebantur 9

Nu-

Numini ſupplicaturi, minitantes ſe ignem aquis immiſſurum, niſi voti compotes fierent: ſacroſancto ſiquidem habebatur ignis apud ipſos in honore. Apud Scythas maximum ſupplicandi genus erat, ſi quis eorum extenſo humi corio bibulo, rejectis dorſo manibus preces funderet. Apud Græcos oleaginas virgas ore, manúque præferebant ſupplices, lans circumdatas, & ab Æſchylo olivæ rami ſupplices dicebantur. Macedones, cùm ſupplices ad Numina accederent, ſubuculam duntaxat induebant, rati eo innocentiæ candore poſſe ſatiùs Deum in ſua flectere vota. Vetuſtæ Græciæ inter ſupplicandum mos erat mentum ejus, quem deprecabantur attingere. Refert Homerus, mentum, & dextram, & genua conſueviſſe ſupplices attingere: mentum quidem, ut annueret, aut pro deprecante intercederet, ſi quid faciendum foret ex uſu: dextram ut faceret: genua, ut non ceſſaret, ſed pergeret.

10 Reges olim, & Imperatores ſub Jovis cenſebantur tutelâ: viri militares in tutela Martis, Opifices omnes Minervæ, quæ omnium artium credebatur præſes, & non tantùm literarum: qua ratione Ovidius ſub finem *3. Faſt.* eam varijs opificibus venerandam propoſuit, séque cum ſtudio ſuo illi commendans ita canit.

Mille Dea eſt operum: certè Dea carminis illa eſt.
Si faveat, ſtudijs adſit amica meis.

11 Pſephiſmata referente Mureto *lib. 10. cap. 9.* in Græcia hocce fiebant ritu. Per præconem edicebantur, ut qui hoc ſentirent, manus tollerent: atque ita clamore multitudnis, & ſublatione manuum de rebus graviſſimis temerè, & inconſultò decernebatur.

12 Æſchylus meminit moris, quò veteres, cum Deos nominibus ſuis invocarent, timentes, ne id minus gratum foret, ſæpe veniam errati petebant, totóſque ſe ad eorum voluntatem referebant, in ipſorum arbitrio ponentes, ut multis illud nomen aſciſcerent, quod illis magìs arrideret, quoque plus delectarentur, luæque ignoſcerent culpæ.

13 Romani in extrema neceſſitate conſtituti ſuppetias, opémque implorantes, perinde ac mulier illa apud Comicum clamabant. *Adeſte populares, ferte auxilium, Inopi ſubvenite quotquot adeſtis ô Quirites.*

14 Redarguenda inolevit conſuetudo, quâ nullius pretij hominea, ſi quid indecorè feciſſent, in excuſationem erroris niterentur præclarum aliquem accerſere virum, cui id ipſum contigiſſet, idque ſatìs ſibi eſſe ad defenſionem, imò etiam ad gloriam, & commendationem arbitrabantur: quo pacto jocosè Martialis quendam laudârat, qui inconcinnos compoſuerat verſus, eò quia in hac re Ciceroni haud abſimilis fuerit.

15 Commendabilis fuit mos Romanorum Cæſarum, qui cum ludos publicè inſtituerent, pleráque conſueverunt in populum miſſilia effundere, tum etiam teſſeras quaſdam ligneas projicere, quæ vel frumentariæ rei, vel pretioſorum vaſorum, vel veſtimentorum haberent nomen inſcriptum, taliter, ut quantumque quis harum nactus eſſet, quæ inſcripta reperérant, dono acciperent. Seneca Miſſilia Fortunæ appellavit. Præ cæteris Domitianus juſſerat ſub noctem ſpargi omnis generis miſſilia in populum: de qua effuſione locupletiſſima ait Papinius *1. ſylvarum. Jam noctis propioribus ſub umbris dives ſparſio, quos agit tumultus?*

16 Moris Athenienſium fuit novitijs famulis primùm ingredientibus domum prope focum profundere per illorum capita palmaceos fructus, collybos, ſeu nummos, legumina, caricas, nuces, & id genus pleraque, quæ à conſervis ſic effuſa rapiebantur, & dicebantur catachyſmata, quia catachyſis profuſio eſt: hoc illis erat annuæ ubertatis indicium.

17 Moris itidem fuit non ſolùm barbararum gentium, ſed ipſorum ſubinde Romanorum, ut quem Imperatorem ſalutárent, eum in altum eveherent. Hinc Julianus à Gallicanis militibus impoſitus ſcuto pedeſtri, & altiùs ſublevatus, ac populo ſileme Auguſtus renunciatus, deferre diadema jubebatur.

18 Ethnici veteres, qui capite nudo erant, ſeu calvitio laborabant, ne convitijs forent obnoxij, ad calvitiei probum obtegendum inſtituerunt pelles quaſdam parare, appoſitis crinibus humanis, taliter ut aptata cuti cutis vera, non coma aſcititia videretur. Hiſce pellibus tum mares, tum fœminæ utebantur. Tertullianus de cultu fœminarum. *Affigitis,* inquit, *præterea neſcio, quas enormitates ſutilitium, atque textilium capillamentorum, nunc in galeri modum, quaſi vaginam capitis, & operculum verticis; nunc in cervicem retro ſuggeſtum.*

19 Reges apud Perſas rei, quam ſcire ocyſſimè cupiebant, ut certiores brevi fierent non curſores, ſed exploratores deligebant diurnos, ac nocturnos, qui per vices faces ex editiſſimis locis accenderent, quibus veluti in oculi nictatione res tota ad regem deferebatur. Hunc morem imitatus Franciſcus I. Franciæ Rex; cum Gallias pertranſire decreviſſet Carolus V. ut ſummis honoribus hoſpitem reciperet Imperatorem, tormenta bellica per debita locorum intervalla diſtribui juſſerat à Regni confinio Pariſios uſque, ut cum primum Imperator Franciá ingrederetur, id ſucceſſorijs bumbardarum exploſionibus ad Regem deferretur, quod intra paucas, ferunt, horas contigiſſe.

20 Mos fuit apud Ceos, ut extremo confecti ſenio ad convivium ſe mutuò invitarent, vel ad ſolemne quoddam convenirent ſacrificium, coronatique cicutam biberent: cum ſibi ipſis conſcij eſſent, ſe ad promovenda patriæ commoda inutiles eſſe. Hunc morem viguiſſe apud Caſpios refert Strabo *lib. 10.* hoc duntaxat diſcrimine, quòd Filij parentes ſeptuagenarios domi clauſos, aut in loca inculta, ac deſerta, intimáſque ſolitudines expoſitos fame, ſitíque enectos illuſtriori putârint funere decedere.

Con-

21 Conſuevêre Græci, & Romani poſt cœnam crateras vini in menſam afferre, & ad multam noctem ſermonem protrahere, ex quo vino aliquid in menſam fundebant: cujus moris meminit Virgilius *1. Æneid.* ubi de convivio Didonis ait. *Dixit, & in menſam laticum libavit honorem.*

22 Veteres tum Græci, tum Romani nullo fuerunt uſi capitis tegmine, quod biretum, ſeu pileolum vocamus, ſed nudo incedebant capite. Hinc nulli in veteribus Romanorum ſtatuis, nulli in æneis nummis, qui adhuc extant, viſuntur pilei: nec Homerus ullius pilei meminit. Viget adhuc mos iſte apud Japones, qui capitibus non opertis incedunt. Cæterum pileus nobilitatis, ac libertatis ſignum poſtea fuit apud Græcos, & Romanos, ut refert Pierius *lib. 4.*

23 Ethnici pleriq; tametſi vas nullum argenteum poſſiderent, Salinum tamen, ac patellam deorum argenteam curabant ſibi conſtrui; quia argenteo ſine ſalino profanam eſſe menſam opinabantur. Hinc Arnobius, *ſacras facitis menſas ſalinarum appoſitu, & ſimulacris Deorum.* Horatius hujus meminit moris, *ſplendet in menſa tenui ſalinum.* In ſalino offerebantur Dijs primitiæ cum ſale, ut notat Statius: *Et exiguo placuerunt farra ſalino.*

24 Apud veteres in delicijs habebantur placentæ, in quo genere cupediarum gulæ dediti homines deprehenſi fuerunt. D. Hieronymus ad Marcellam. *Non ſunt ſuaves epulæ, quæ non placentam redolent.* Bion ajebat, non poſſe aliquem omnibus placere, niſi placenta fieret.

25 Mos fuit peculiaris Imperatoribus, quo in ipſorum cubiculis collocaretur Fortunæ ſimulachrum auro fuſo compactum, quod morituri ad eum transferrent, qui ſucceſſurus eſſet in imperio. Meminit hujus moris Budæus *lib. 2 de Philogog.* ubi rationem prodit, ut ſcilicet hoc inſtituto ſignificarent ſe Fortunatiſſimos hominum eſſe, & ad ipſos pertinere hominum regimen, ac pluribus moderari provincijs.

26 Quotquot divitiarum copijs affluebant, ſervorum excubias, ad limen domûs adhibere conſueverunt, de quo more eleganter Quintilianus *Declam. 1. Pro cæco.* Dicitur cæcus ſine rectore, ſine duce per inane longum, per tot oſtenſa limina, per excubantes ſervulos erraſſe cum ferro: cubiculum deinde Patris intraſſe. *Et Declam. 2. pro cæco.* Tu ſentis, quando ſevera vicerit laſſitudo curarum. Scis pariter, an unà quieſcentium fores vallaverit cura ſervorum.

27 Primis Romanæ Reipublicæ moderationibus Dij fictiles erant: poſterioribus aurei, quibus cuſtodes addebantur, non illis, quia vel ligneis, vel Lapideis. Cæterum fictiles magìs propitij fuère, quàm aurei. Seneca: *Exurge, & dignum finge DEO, finges autem non auro, nec argento: non poteſt enim in hac materia DEI imago exprimi: quin cogita, illos fuiſſe fictiles cum propitij Romanis fuère,*

28 Athenienſes duos homines quot annis pro civibus luſtrandis jugulabant pro maribus unum, alterum pro fœminis, quos publica ſervabant cuſtodia, ac lautiſſimè nutriebant, ſtata poſtmodum die ſolemni pomparum religione immolabant.

29 Medici antiquitus in ægris curandis eſum piſcium concedebant, non quòd ſuapte natura admodum conveniret; ſed quia pauci erant, qui in ſanitate non potiùs piſcibus, quam carnibus veſcerentur. ut meminit Plutarchus in ſympoſiacis.

30 Hunnorum mos erat inhumanus, quô matres maribus genas ferro ſulcabant, adhuc lactentibus, & in vagientes barbarè ſæviebant, ut cruenta vulnera, vel ab ipſis cunis perpeti aſſueſcerent, & ephebi ſine venuſtate apparerent, & incompti ſeneſcerent. Fuerunt Hunni imberbes; ad equitandum, & jaculandum paratiſſimi, ſævi, nigra, & torva facie, aſpectu truci, voce horribili, ore ſtudiosè tœdato, ut aëream dœmonum featuram poſſet quis facilè agnoſcere. Hunnorum mores eleganter deſcribit Ammianus *lib. 31.* inquiens. Hunnorum gens monumentis veteribus leviter nota, ultra paludes Mæoticas glacialem oceanum accolens omnem modum feritatis excedit; ubi quoniam ab ipſis naſcendi primitijs infantium ferro ſulcantur altiùs genæ, ut pilorum vigor tempeſtivus emergens corrugatis cicatribus hebetetur; ſeneſcunt imberbes abſque ulla venuſtate, ſpadonibus ſimiles. Compactis omnes, firmíſque membris, & optimis cervicibus prodigiosè deformes, & pandi, ut bipedes exiſtimes beſtias, vel quales commigrandis pontibus effigiati ſtipites, dolantur incomptè in hominum figuras: ſic& in ſua vita viſi ſunt aſperi, ut nec igne, neque ſaporatis indigeant cibis, ſed radicibus herbarum agreſtium, & ſemicruda cujusvis pecoris carne veſcantur, quàm inter fœmora ſua, & equorum terga ſubſertam fotu calefaciunt brevi. Ædificijs nullis unquam tecti, ſed hæc velut ab uſu communi diſcreta ſepulchra declinant. Neque enim apud eos, vel arundine faſtigiatum reperiri tugurium poteſt; ſed vagi, montes peragrantes, & ſylvas pruinas, famem, ſitimque perferre ab incunabulis aſſueti, peregre tecta, niſi adigente maxima neceſſitate non ſubeunt, nec enim apud eos ſecuros exiſtimant eſſe ſub tectis. Indumentis operiuntur linteis, vel ex pellibus ſilveſtrium murium conſarcinatis. Nec alia illis domeſtica veſtis eſt, alia forenſis. Sed ſemel abſoleti coloris tunica collo inſerta, non ante deponitur, aut mutatur, quàm diuturna carie in pannulos defluxit deſruſtata. Galeris incurvis capita tegunt, hirſuta crura corijs munientes hœdinis, eorúmque calcei formulis nullis aptati vetant incedere greſſibus liberis: qua ratione ad pedeſtres parum accomodari ſunt pugnas: verùm equis propè affixi, duris quidem & deformibus, & muliebriter ijsdem nonnunquam inſidentes, funguntur muneribus conſuetis: in ipſis quivis pernox, perdius emit,

& vendit, cibúmque ſumit, & potum, & inclinatus cervici anguſtæ jumenti, in altum ſoporem, ad usque ſatietatem ſuffunditur ſomniorum, & deliberarione ſuper rebus propoſitâ ſerijs hoc habitu omnes in communi conſultant. Pugnant plerumque laceſſiti, ſed ineuntes prælia cuneatim varijs vocibus ſonantibus clamant; usque ad pernicitatem ſunt leves, & repentini, ita ſubito de induſtria diſperſi langeſcunt, & impoſitâ acie cum cæde vaſta diſcurrunt, nec invadentes vallum, nec caſtra inimica pilantes, præ nimia parte decernuntur: eósque omnium acerrimos facilè dixeris bellatores, quòd procul miſſilibus telis, acutis oſſibus pro ſpiculorum acumine arte mira coagmentatis, ſed diſtinctis cominus ferro, ſine vi reſiſtunt; hoſtésque dum mucronum noxias obſervant, contortis lacinijs illig int, ut laqueatis reſiſtentium membris equitaudi, vel gradieudi adimant facultatem. Nemo apud eos arat, nec ſtivam aliquando contingit, omnes enim ſuis ſedibus fixis, atque lari, vel lege, aut ritu ſtabili diſpalantur, ſemper fugientium ſimiles, cum carpentis, in quibus habitant, ubi conjuges ex villis veſtimenta contexunt, & coëunt cum maritis, & pariunt, & ad nsque nutriunt pueros, nullisque apud eos interrogatus, unde oritur, reſpondere poteſt, alibi conceptus, natúsque procul, & longiùs educatus. Per inducias infidi, inconſtantes, ad omnem auram incidentes, ſpei novæ, perquam mobiles totum furori incitatiſſimo tribuentes. Ita Ammi. l. 31.

EXPENSIO XXVII.

Locus ab Hiſtoriis expenſus.

1 NOn eum putes ſumma attigiſſe faſtigia eloquentiæ, qui neglectâ eruditione verborum duntaxat redundantijs ſtudet, ac dolandis perjodis ad aures implendas, animósque demulcendos. Gaudet Eloquentia plena eruditionum ſupellectile, quam qui reſpuunt tametſi orationis ſtructura, verborum expolitione, elegantiatum veneribus polleant, neceſſum eſt, non ſine Adſtantium tædio audiantur: perinde ac florum, herbarum, ſtirpium, plantarúmque mira varietas plurimum intuentibus adfert oblectamenti: oratio ſi non tantùm verborum, ſed & rerum copijs redundaverit, hiſtorijs, doctrinis referta fuerit, uberiùs triumphabit.

2 Nec illi ſunt oratores commendandi, qui eruditionibus, ac doctrinis, veluti indicto bello toti ſunt in ſtructura, ac expolitione verborum; ex quo illud duntaxat aſſequuntur, ut comptè, ac fluidè dicant; rerum autem ſuccum, & opulentiam minimè exhibeant. Hinc Tullius *lib. de Oratore*: ſic ſentio, neminem in Oratorum numero habendum, qui non ſit omnibus his artibus, quæ ſunt viro libero dignæ perpolitus, quibus ipſis, ſi in dicendo non utimur, tamen apparet, atque extat, utrum ſimus earum rudes, an didicerimus. Ut qui pila ludunt, non utuntur in ipſa luſitatione artificio proprio paleſtræ: ſed indicat ipſe motus, didicerintne palæſtram, an neſciant: & qui aliquid pingunt, etſi tum pictura non utantur, tamen utrum ſciant pingere, an neſciant, non obſcurum eſt: ſic in orationibus hisce ipſis judiciorum, concionum, ſenatûs, etiamſi propriæ cæteræ non adhibentur artes, tamen facilè declaratur, utrum is, qui dicat, tantummodo in hoc declamatorio ſit opere exercitat⁹, an ad dicendum omnibus ingenuis actibus accesſerit, hactenus Cicero: ex quo liquet eruditionis cujusvis ſupellectilem; vel maximè orationi conſentaneam eſſe, & hiſtorias callere oratori neceſſarium.

3 Præcipuus eruditionis fons cenſetur communi ſapientum ſuffragio hiſtoria, quæ ad orationem alendam plurimum valet: quid enim ad movendum efficacius, ad docendum aptiùs, ad delectandum ſuavius anteacti temporis hiſtorijs? quibus unius hominis mens, ut loquitur D. Gregorius Nazianzenus, ex omnium mentium, ac ſæculorum perfectione in unum ſapientiæ acervum coaleſcere videtur. Quid divinius, quàm omnia nôſſe, omnia recenſere, omnium ætatum res geſtas, facta, exempla luculenta exhibere narratione? & diſſitiſſimas quasque regiones citiſſimi ſideris more luſtrare? Quid ad animi oblectamentum concinnius, ad regimina ritè inſtituenda opportunius, ad pericula præcavenda accommodatius, quàm imperiorum ſtatûs, ortus, progreſſus, viciſſitudines, decurſus, exitus uno veluti mentis intuitu contemplari, ac verborum delectu recenſere. Quid illuſtrius, quàm præclara militum geſta, ingenioſa ducum ſtratagemata, ſummas imperantium virtutes elegantioribus eloquentiæ coloribus orationi attexere, ac veluti in tabula pingere? & exinde ſalutaria præcepta ad omnem vitæ culturam deligere?

4 Idque cauſæ, cur viri Principes oblectatione hiſtoriarum, vel maximè capti fuerint, quas inter Carolus V. quem ad ſummã gloriam regiminis hiſtoriarum plena notitia provexit. Principia enim, & regulas regnandi Adriano Inſtitutore ex libris Regum, Ducúmq; Hebræorum ſumpſit; Quia ut ſcitè Seneca *Epiſt. 85. Conſilium futuri venit ex præterito*: & S. Gregorius Nazianzenus ad Nicobulum ait: *Hiſtoria eſt conglobata quædam, ac velut coacervata ſapientia, hominúmque multorum mens in unum collecta. Jucundum & ſecurum eſt ex alienis eventibus, vel lætis vel triſtibus diſcere quid in ſimili cauſa agendum ſit.* Humanis enim in rebus tempora fluunt, ſæcula evaneſcunt, homines pereunt, ſed geſtorum cauſæ, & eventa eadem recurrunt.

5 Plurimum igitur obtinent hiſtoriæ dignitatis, cum abundè nobis præcepta ſuppeditent præcavendi pericula, rectéque dirigendi res humanas: : hiſtorias callere alieno damno eſt ſapere, & ſi quæ alijs profuerunt, imitemur geſta, maximum exinde nobis exoritur emolumentum, quia veluti quodam prævio coruſcamine clarior rerum agendarum nobis ape-

aperitur aditus, quo dubias negotiorum periodos aggredimur, & optatis limitibus claudimus. Oportet igitur, ut orator hiſtorias evolvat, ac illuſtrium virorum geſta ad manum habeat, quibus docere, ac permonere valeat, ad quod exequendum clarioris notæ oratores conſueverunt ſibi locos hiſtoriarum communes privato labore contexere, quibus, prout occaſio poſtulaverat, temporiſque opportunitas exegerat uterentur: quia verò poſtremis noſtris temporibus plerique id præſtiterunt, & uberrimam hiſtoriarum ſegetem in certa rerum capita veluti in horrea digeſſerunt commodiora, & quidem ea cum laude, ut improbus labor colligendi hiſtorias è veterum monumentis videatur ſupervacaneus, ſatiùs cenſerem, ſi eloquentiæ cultores hæc hiſtoriarum collectanea ſibi compararent, è quibus decerpere facilè poſſunt, quæ à varijs hiſtoricis longè latéq; diffuſſa narrantur: compendioſior hæc ſemper mihi viſa eſt via: proderit tamen, præſertim ſi orator in alicujus hiſtoriæ narratione noverit totum aſſerationis momentum, eam è ſuis fontibus plenius haurire, quia plerumque in hiſce compendjis multa congeruntur ab authorum germano ſenſu detorta, truncata, vel mala fide aucta.

6 Præterea hiſtoriarum uſus maximè ſpectandus eſt, ne quidquam temerè, & inconſultò enarretur: nec illos cenſeo laude dignos oratores, qui ſine arte, ſine ullo verborum delectu hiſtorias hiſtorijs agglutinant parum curantes, an illas exhibeant ad rem, an ſecus, quos ſatiùs loquentes dicas, quâm eloquentes. Ex hiſtoriarum ſylvis hæ duntaxat deligantur, quæ orationi magis conſentaneæ viſæ fuerint, plúſque ad perſuadendum præſetulerint auctoritatis: vitium eſt hiſtorias congerere, ubi res minimè illas videntur exigere, ad inanem duntaxat aurium delectationem: non eſt hiſtoria gladius Delphicus, qui ad omnem uſum verti poſſit: ſed ſicuti rebus quibusdam adeò accommodatur ut plurimum obtineat dignitatis, & ad res confirmandas momenti: ita ſi alijs attexatur, quibus non congruat, judicij prodit inopiam, rémque totam devenuſtat; perinde ac ſi grandem calceum ſeptennis pueri exiguo pedi quis apponeret.

7 Facturum me operæ pretium ad majorem perſpicuitatem duxi nonnullas hîc hiſtoriolas ſubjicere, quæ rebus confirmandis videntur prodeſſe. Si orator niteretur e vincere ad imperia gerenda, & magiſtratus obeundos non originem generis eſſe perpendendam, ſed eos ad id eſſe viros deligendos, qui ſummis virtutibus, ac præclariſſimis animi dotibus ſunt inſtructi, poſſet id lepidè confirmare Amaſis hiſtoriola, quam producit Herodotus *lib. 2.* Amaſim initio ſui regiminis deſpiciebant Ægyptij ut nulla majorum nobilitate clarum, & humili loco natum, quos ille ad præſtandam reverentiam, & cultum arguto promovit invento. Pelvim auream, in qua pedes convivarum abluere conſueverat, in ſtatuam DEI conflatam celebri, editóque urbis loco conſtituit. Ægyptij concurſantes ſimulacrum ſunt impensè venerati. Tum Amaſis advocatâ concione narrat, Deum illum, quem enixè colerent ex pelvi, in qua nuper pedes fuiſſent abluti conflatum eſſe. Quocirca honorem ſibi nunc habendum, qui licèt nullo ſanguinis ſplendore illuſtris, ſolium tamen occuparet regium, ac ſceptrum tractaret.

Quos ſapientia egregios efficit viros, nec faventis, nec adverſantis fortunæ flectunt, nec movent vices, & inopia magis gaudent, quàm divitiarum copijs: effatum hocce firmaret orator Epaminondæ Thebanorum ducis hiſtoriolâ: hic unicam, cum haberet veſtem haud elegantem, cum ſubinde ad infectorem mitteret, & domi interim ipſe cogeretur ſe continere, nihilominus non modica auri pondera ei à Rege Perſarum dono miſſa reſpuere maluit, quàm arridentis fortunæ commodis diffluere. Fuitne animo celſiore, qui aurum repudiavit, an qui regiâ obtulit munificentiâ? Diogenes cum è ſuo dolio puerum cavâ manu aquam bibentem vidiſſet, cotylam abjecit, ut ſupervacaneam, ratus commodiorem ſibi naturam ſuppeditâſſe craterem, manum cavam. 8

Plerique ab his abhorrent, quæ cæteris placent. Dictum hoc non foret probatu difficile, cum nobis conſtet, viros vel literatura, vel dignitate illuſtres ſine gravi moleſtia ferre non potuiſſe, quæ alijs ſuavi quodam ſolent oblectamento arridere. Germanicus Cæſar nec vocem, nec præſentiam galli gallinacei ſuſtinere poterat referente Plutarcho *de invidia, & odio.* Oliverius Caraffa clariſſimi nominis Cardinalis, ait Pierius *Hieroglyphicorum lib. 8. in Scarabæo* roſarum tempore quot annis ſecedere cogebatur, séque intra ſuos, quos in Quirinali habuit hortulos claudere, cuſtodibus ad oſtia diſpoſitis, ne quis, aut ſalutantium, aut amicorum officij gratiâ ingredientium, roſam inferret, à cujus ſuavolentia, & aſpectu, vel maximè abhorrebat. Petrus Melinus Romana nobilitate inſignis roſarum itidem offendebatur odore, quo tamen cæteris nil obtingit gratius, adeò ut à ſuavolentia odoratus ilos vulgò dicatur: & Tibullus *Eleg. 1. lib. 3.* 9

Fert caſiam non culta ſeges, totóſque per agros
Floret odoratis terra benigna roſis.

Sunt plures, qui ad murem, vel pictum, vel etiam nominatum exhorreſcunt. Alij qui felem propinquum pati neutiquam poſſint, adeò ut illis, frigidus horror membra quatiat. Imò de quodam procero narrârunt mihi nonnulli fide digni, quòd ad felis præſentiam, quanquam eum minimè videret, nec adeſſe à quoquam audiret primùm expalleſceret, ſeæque totum contraheret. Abſtemij aliquot adeò à vino abhorrent, ut nec ejus odorem poſſint tolerare, etiam in extrema ſenectute, tametſi vinum natura ſua ſenij moleſtiam, ac mœrorem diſcutiat. 10

11 Miræ mollitiei cultum vitæ commodis addidit Smyndyrides Sybarita, qui cum in luxuriam, mollitiemque prolapſus fuerit omnem Sybaritarum ſuperavit luxuriam, adeò ut in roſarum folijs recumbens, ſomnúmque carpens expergefactus dixerit, ſe puſtulas ex nimia lecti duritie inflictas habere. Seneca immodicam Sybaritici viri carpens mollitiem ait; quomodo hic, vel humi, vel in ſtragulo, vel in gramine collis acclivis cubare potuiſſet, vel etiam in pelle tauri, ut Diomedes, qualis lectus decet militem fortem, & generoſum? Aliud immodicæ mollitiei exemplum prodit Lipſius. Quidam ex Sybaritico grege Sicyonem ad nuptias Agariſtæ Cliſthenis filiæ ambiendas proficiſcens, aucupes, piſcatores, & coquos mille ad domeſticum luxum ſecum duxerat, & pro ſumma fœlicitate jactabat ſe à viginti annis ſolem nec orientem, nec occidentem vidiſſe unquam, in menſa aut lecto aſſiduè. Quid de Heliogabalo dicendum? qui triclinia, lectos, porticus omni florum genere ſtravit lilijs, violis. hyacinthis, & narciſis per quos ambulare affectabat?

12 Avaritia ad mortem usque diriſſimè torquet. Firmaret commodè aſſertum orator una vel altera hiſtoriola ab Athenæo *lib. 4.* ex Chryſippo producta. Quidam avaritiæ vitio fœdiſſimus imminente extremo fato, ne opibus, quas rapinis congeſſerat, alij potirentur, devoratis non paucis nummis aureis, ſic miſerè mori maluit, quàm ſuperſtites permutere gazas. Alius inſutis nummis in tunicam, ipsâque indutus, mandavit cognatis, ut ſic eum humarent: neque corpus comburerent, aut alium ullum cultum adhiberent, metuens ne latentes opes apparerent, quibus poſt fata ſpoliaretur.

13 Principem egregium ſumma decet clementia: ſcitè Seneca *1. de clem. cap. 3.* Nullum clementia ex omnibus magis, quàm regem decet: ita enim virtutes magnis viris decori, gloriæque ſunt, ſi illis ſalutaris potentia eſt. Nam peſtifera vis eſt valere ad nocendum. Illius demum magnitudo ſtabilis, fundatáque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe, quàm pro ſe ſciunt. Idque lepidè firmaret orator hiſtoriolâ Aureliani Auguſti, qui cum Tyanam Bythyniæ urbem veniſſet, eámque clauſam reperjiſſet, iratus dixiſſe fertur, canem in hoc oppido non relinquam. Tum & militibus acriùs incumbentibus ſpe prædæ, & Heraclammone quodam, timore, ne inter cæteros occideretur patriam ſuam prodente, civitas capta eſt. Sed Aurelianus duo ſtatuit præcipua, quorum uno ſeveritatem oſtenderet, altero lenitatem ex imperatoris mente monſtraret. Nam & Heraclammonem patriæ proditorem occidit: & cum milites juxta quod dixerat, ſe canem non relicturum, everſionem urbis expoſcerent; reſpondit canem negavi, me in hac urbe relicturum: canes omnes occidite; urbem, civésque ſervare.

14 Quæ inventu ſunt difficilia, ſemel facta putantur facilia. Hoc idem facilè probaret Eloquentiæ Cultor lepido illo Chriſtophori Columbi dicto, factóque: cum is nautica illa Ferdinandi Caſtellæ Regis expeditione novum Americæ regnum adinveniſſet; idque cum ei magnæ gloriæ, & ſimul invidiæ fuiſſet; contigit, ut in convivio quodam Hiſpani proceres hanc ei gloriam obſcurarent, vel imminuerent: nimirum rem illam facillimam fuiſſe, navigationem nulli obnoxiam diſcrimini, & appulſum obvium: & illorum quemlibet, qui aderant, potuiſſe easdem inſulas, gentesque repetire. Columbus, qui aderat convivio, cum tacitus diu audiviſſet, è menſa ſurrexit, & quaſi quid aliud acturus eſſet, ovum attulit à gallina, in menſa repoſuit, inquiens: eh quis veſtrûm adeò ſollers, qui exhibitum ovum mihi rectum inſtituat, & in caput? muſſare illi, circumſpicere cœperunt: poſtremo negare id fieri poſſe: imò fiet, ſubdidit Columbus, & ſimul ovum leniter à capite tuſum, modicèque quaſſatum depoſuit erectum: tunc riſus penè & irriſus in omnibus: attamen ait Columbus, renidens; quis veſtrum hoc facile ante me judicem putavit? talis mea novi orbis inventio: inveniendum ante me ſomniavit nemo, à me poſtea inventum tanquam rem facilem omnes quotquot adeſtis flocci facitis.

15 Prudens conſilium ad effrænem populi coërcendam iram plus potens, quàm arma. Firmaret effatum hoc orator hiſtoriola, quam de Alexandro Hieroſolimorum rege refert Joſephus *lib. 13. Antiq. cap. 23.* Is poſtrema preſſus ægritudine, ſcelerúmque ſuorum conſcius, cum timeret, ne ſuum poſt obitum populus in ſuos liberos Hyrcanum, & Ariſtobulum ſæviret, accitam ad ſe Alexandram conjugem monuit, ut cum primùm animam ipſe egiſſet, cadaver in publicum forum efferendum curaret, convocatisque civibus, in defunctum maritum priùs argueret, quòd injuſtus, rapax, impius, nefarius, ac moribus fuiſſet perditiſſimis: inde quaſi commoti populi faveret vindictæ, palam diceret, tradere ſe extincti mariti corpus dilaniandum, diſcerpendum civibus, ut cum in vivum nequiviſſent, in mortuum ſaltem iram exercerent: hæcque ubi indignabunda dixiſſet, commendâret populo ſuperſtites liberos, ut innocentes, impuperes, nihilque mali meritos. Idque cum Alexandra ad prudentiæ laudes fuiſſet executa: ita univerſæ multitudinis animum movit, ut non ſolum liberis, regnóque ſalubriter conſuluerit, verùm mariti etiam funeribus; quippe populus hac delinitus fæminæ liberalitate, juſtóque judicio, regio more defunctum tumulavit. Subjicio Joſephi verba ſcitu digna: Prudentiſſimum ſanè Alexandri morientis conſilium; nec minus Alexandræ poſt conjugis obitum egregium factum, qua in re, etſi ſola prudentia videtur locum obtinuiſſe, nec caruit tamen occulto juſtitiæ præſidio: cum populus ipſe juſtè ſecum agi ab Alexandra judicaret, quæ pro patratis à Tyranno ſceleribus corpus ejus popularium iræ, qui injuriam acceperant, ſpontè quoque

per-

permiſiſſet. Invenit igitur prudentia remedium, quod ratione alia in re admodum perdita adhiberi nullomodo poſſe viſum eſt.

16 Imaginationis vitium plerumque viros dementat, ſeu ad inſaniam impellit. Ad id evincendum narrat Jovianus Pontanus *lib. 4. de Prudentia*, de quodam procere, qui vi imaginatrice vitiata ſe inter vivos eſſe, minimè ſibi perſuadebat: ob id cibo, potúque omni abſtinebat, quod mortuis neutro opus eſſe diceret; & inediâ perjiſſet miſer, niſi vitio huic imaginationia remediũ fuiſſet prudenter adhibitum. Projicitur igitur in ejus lectum, qui ſe pariter mortuum ſimulabat, linteo rectus. Ajebant enim percunctantibus, exanimes oportere ſimul eſſe. Menſa interim referta dapibus extruitur non procul inde. Poſt aliquantam moram mortuus hic ſeſe commovet, linteum abjicit, aſſurgit, menſæ accumbit. Quærit alter, quid ſibi velit, num inſaniat, cum exploratum ſit, mortuos minimè comedere. Imò ait alter & mortui ſuum habent cibum, ac potum, an tu hoc ignoras? Experire. Reſpondet alter, ego ſanè iſtuc neſciebam: age igitur; ſimul ineamus paratum hocce mortuis epulum. Surgit & ipſe, unà accumbit, comedit, ac bibit, ridentibus domeſticis mortuos concœnantes ſpectantibus: lepido hoc pharmaco priſtinæ reſtitutus eſt ſanitati, qui ex veſana opinione brevi perjiſſet. Vehementiori detortæ imaginationis vitio laboravit alius, qui cum è vivis ſe putaret jam pridem emigratum, non ſolùm ab omni cibo, & potu abſtinuit, verùm etiam enixè à parentibus, & amicis poſtulavit, ut antequam putreſceret, & vitiati odoris fœditate omnibus moleſtiæ eſſet, tumulo concrederetur. Quid ni? ex medicorum conſilio ſandapilæ imponitur, ad tumulum effertur: at in foro quidam ſtudiò petunt clara voce, cujúſnam eſſet illud funus. Cognito nomine: ſobdunt, bellè factum eſt, quòd tandem homo nequam, ſycophanta pluribus inquinatus ſceleribus, quibus patriam fœdiſſimè deturpaverat, moreretur. Sibi illata convicia audit pſeudomortuus, in iram acta caput è feretro attollit, inquiens indignabundus: ô bipedum nequiſſimi, ſi adhuc viverem, docerem vos de viro innocente melius loqui, nunc impunè blateratis, quia à me mortuo nihil timetis. Tum illi acriùs in ejus invehunt nequitiam, quodque vir fuerit perditiſſimus, ſéque etiam cum mortuis paratos eſſe contendere, imò & pugnare. Ad hæc iteratò è pheretro proſilijt pſeudomortuus, & mala verba verberibus, pugníſque confutavit, donec delaſſatus, alterariſque humoribus, ac ſolutis, veluti è longo ſomno expergefactus ſanitati reſtitutus fuerit, domúmque redux cibum ſumpſerit, ac potum.

17 A præpotente ſuppetias petere periculoſum eſt. Politicum effatum probaret orator hiſtoriolâ Solimani Turcarum Imperatoris. Quo tempore Carolus Cæſar Imperij Conventum Ratisbonæ ageret, Ferdinandus Romanorum Rex Budam principem Hungariæ urbem obſidione vallavit, in qua tunc erat Vayvodæ Joannis uxor vidua, cum infante ſuo Stephano, cujus Tutores, cæteríque proceres Turcicum implorarunt auxilium. Legatum Turca miſit cum militum copijs, à quibus Ferdinandi exercitus depulſus eſt non ſine ingenti clade; occupato etiam Pæſto, quod eſt oppidum contra Budam expugnatu haud facile. Interea Imperator Turcarum infanti Stephano munera mittit, veſtes auro contextas, equos ſpecioſiſſimos, matríque nuntiat, cupere ſe puerum videre, petítque ut ad ſe in caſtra mittatur. Mulier perterrita, cum aliod non poſſet, hortatu procerum, unà cum nutrice, ingentíque nobilium comitatu infantem ſiſtendum Turcæ permiſit, à quo perhumaniter exceptus fuit, mox Hungariæ nobilibus ſignificat, velle ſibi Budam in poteſtatem tradi, cauſam apperuit, non poſſe ipſos ab hoſtibus eam tueri, & ſibi ſubinde huc redeundum cum exercitu copioſiſſimo, quod ſine maximo ſumptu, ingentíque moleſtia fieri haud poterit. Quamobrem multo ſatiùs videri ſi ipſemet urbem occuparet, ac præſidiario milite tueretur. Hungarici procares de ſuo periculo ſolliciti cunctabundi petierunt à Turca, ut in urbem cum infante Stephano reduces conſilium cum regina matre inirent; abnuit Turca, & Janizarorum præfecto negotium mandavit occupandæ urbis: neque priùs ad matrem remiſſus eſt filius, quàm res confecta. Cum jam urbem tenerent Turcæ, & cives arma depoſuiſſent, arcem quoque ſibi dari expoſtulârunt, in qua Regina tunc erat, quam Solimanus in Tranſylvaniam cum puero ſecedere jubet: quò tumultuariò collecta ſupellectile à Præfectis, ac milite Turca deducta, Budam ipſe cum duobua filijs venit die ſecundo Septembris, templúmque ingreſſos, expiatum, actíſque DEO gratijs propter rem bene geſtam in caſtra reverſus eſt relictis Budæ, & Pæſti præſidijs.

In recenſendis hiſtorijs orator verborum circuitus declinet, narrationis prolixitatem fugiat, minutias negligat, rémque geſtam paucis, ſed ſelectis verbis aperiat, exhibitóque argumento appoſitè adnectat; adeò ut non intrudi, ſed ſuaptè natura influere videatur, quæ producitur hiſtoriola: tametſi hiſtoria plurimum videatur præſeferre nitoris; ſi tamen violenter fuerit accerſita, parum obtinebit ad ſuadendum præſtantiæ, imò multum detrahet de opinione ſolertis judicij. 18

EXPENSIO XXVIII.

Locus ab Apologis, & Parabolis expenſus.

DEcet virum Oratorem omnigenâ eſſe inſtructum eruditione, omniúmque rerum pollere cognitione, ut ſuadeat cultiùs, doceátque blandiùs accerſitis erudi- 1

tionum ſuppetijs, quæ plurimum ingerunt oblectamenti, multúmque venuſtatis. Quotquot floruerunt, Græci oratores ſedulam eruditioni impenderunt operam, & ex Homero aliiſque primæ notæ poëtis apologos hauſerunt, qui varijs ſenſibus orationi accommodati multum adtulere ſuavitatis, plurimum feſtivitatis. Græcos oratores imitati ſunt Latini, præſertim Cicero, qui ſumma cultæ eloquentiæ faſtigia nunquam attigiſſet, niſi à puero poëtarum lectioni, ac Græcorum ſtudijs addictus fuiſſet: tametſi omnium ſapientum ſuffragio habeatur oratorum maximus, adhuc univerſam, quâ pollebat, eruditionem à Græcis acceptam refert: ait *libro 1.* ad Q. Fratrem *epiſtola prima*: Cùm verò ei generi hominum præſimus, non modò in quo ipſa ſit, ſed etiam à quo ad alios perveniſſe putetur humanitas: certè ijs eam potiſſimum tribuere debemus, à quibus accepimus. Non enim me hoc jam dicere pudebit, præſertim in ea vita, atque in ijs rebus geſtis, in quibus non poteſt reſidere, inertiæ, aut levitatis ulla ſuſpicio, non ea, quæ conſequuti ſumus, ijs ſtudijs, & artibus eſſe adeptos, quæ ſint nobis Græciæ monimentis diſciplinisque traditæ. Quare præter communem fidem, quæ omnibus debetur, præterea nos iſti hominum generi præcipuè debere videmur; ut quorum præceptis ſimus eruditi, apud eos ipſos, quod ab ijs didicerimus, velimus exprimere. Virgilius itidem Latinorum princeps poëtarum adſtruit, facultates liberales uberiùs, elegantiúſque apud Græcos floruiſſe ait *6. Æneidos*

Excudent alij ſpirantia mollius æra:
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus.
Orabunt melius cauſas, cœlique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane, memento.

2 Fuerunt Græci omnium conſenſu venuſtiſſimi, ac feſtiviſſimi, ad dicta arguta depromenda ingenio, & natura promptiſſimi, ad omnigenæ eruditionis explicandam in orationibus, veluti in ditiſſimis nundinis ſupellectilem elegantiſſimi: præſertim Athenienſes omnium doctrinarum, ac eruditionum cultores eximij: hi ſiquidem uberem hunc, ac lætum apologorum fructum veluti nobiliorem, ac jucundiorem eloquentiæ particulam extulerunt, adeò ut non modò Atticos ſales propter crebras, ac ſolertes facetias, verùm etiam mel Atticum ob eruditionum, & apologorum ſuaves narratiunculas loqui dicerentur. Demoſthenes Græcanæ eloquentiæ ſplendor fabellas opportunè adhibuit: præ cæteris tritiſſima eſt illa, quam oſcitantibus Athenienſibus feſtivè narravit. Athenienſes inquit, ferventioribus æſtatis diebus adoleſcens ſtudioſus aſinum Athenis Megaram conduxerat, cúmque æſtuante meridiano ſole calor eſſet ferventior, ſub aſini ventrem ſe conjecit, umbram capturus: aſinarius ſeriò ephebum perturbavit aſſerens, ſe aſinum non umbram aſini locâſſe. Hinc lites excitatæ: tunc Athenienſes arrectis auribus, ac attentiores facti oratoris plauſerunt ſolertiæ: ex quo liquet, quantum mirifica apologorum jucunditas obtineat elegantiæ, ac venuſtatis, quantum præſeferant apologi oblectamenti, ſi ſerijs narrationibus opportunè attexantur. Imò eò retroactis ſæculis fuerunt apologi in pretio, ut graviſſimæ legationes nonniſi per apologos perficerentur: Agrippæ reſponſa Caduceatoribus data plerumque fuerunt meri apologi. Cyrus itidem legatis Jonum, & Aolenſium nonniſi per argutos reſpondit apologos: quinimo præter legationes ſummi momenti negotia per apologos acta, & peracta fuiſſe conſtat: talis fuit fabella Themiſtoclis de vulpe, & muſcis; Demoſthenis de lupis, & paſtoribus; Syllæ de agricolis, & pediculis.

Apologorum uberrimam ſegetem exhibet Æſopus ſapientiſſimus è Phrygia fabulator: 3
qui ſive non auderet palam verum loqui vir ignobilis, ac ſervili conditione; ſive ſatiùs exiſtimaret, ſi veritatem feſtiviſſimis commentis ad jucundius rudium virorum oblectamentum aperiret, lenimentis apologorum maluit vitia redarguere, ac præcepta tradere mores ritè componendi: cumque cæteri philoſophi id ſeverè, ac imperioſè præſtarent; cœpit hic omnium primus philoſophari ridendo; & cum argumenta hæc leviſſima, & fabellas, quas effinxit, pari voluerit ſtylo proſequi, nulli viro magnati fuit infenſus, cum loquentes induceret perſonas humiles nullius notæ, ac dignitatis, imò & pecudes, & alia id genus bruta; réſque mutas ſenſûs omnis experres.

Cæterùm apologi perutilia ad mores inſti- 4
tuendos exhibent documenta, ut liquet ex Æſopi fabellis, quarum nonnullas hic ſubjicere operæ pretium feci, ut orator, quâ apodoſi ſint apologi moribus accommodandi ſatiùs dignoſcat. Leo ranam altè coaxantem cum audiret, ſuſpicatus prægrandem eſſe beſtiam, ſecutúſque ſonitum eam in crepidine lacûs ſeſſitantem invenit; accedens Leo indignabundus altero pede ranam obſtrepentem contrivit. Apodoſis: Flocci ſunt faciendi minimi, quibus ſola, quâ ſe vindicent, ineſt vox. Bellè Theocritus Bizantium veniens, civéſque illos verborum prodigos expertus: rectè, inquit, de vobis dicitur; omnem ſupellectilem vos in ore geſtare.

Natura buxum ad Jovem adlegaverat, ut 5
virorem perpetuum herbis, arboríbusq; indulgeret: verùm non communem, ſed privatam potiùs, ac propriam egit cauſam, enixè ſiquidem Jovem exoravit, ut ipſa jugis viriditatis munere donaretur, & in ſuum votum Numen flexit; at domum redux id cæteris fuit invidiæ; & Natura ipſa adeò in illam exarſit, ut æternâ eam ſterilitate damnâret. Humanitas, beneficentia, amor, in homines, ut naturæ conſortes, à contrario commendantur; quò ſciamus neminem ſibi ſoli natum, ſed dandis, accipiendíſque beneficijs hominum.

Gallus Gallinaceus à callida vulpe captus 6
non ſine ingenti difficultate ejus dentes evaſit: paulò poſt viſâ pelle vulpina vehementer

ex-

exterritus, iterum aufugit pernici volatu,
cúmque à cæteris alitibus, ut inani timore
concuſſus irrideretur; ſubdit; at ſi vos inter
vulpis ungues, uti ego, fuiſſetis; procul du-
bio etiam ejus declinaretis veſtigia. Apodo-
ſis: ſatiùs eſt nimium cavere, quàm nimium
audere. Pulchrè Æmilius Probus in Thraſy-
bulo dixerat, matrem timidi flere non ſolere,
nihílque in bello oportere contemni, quia
qui cautus eſt, is à periculo fermè tutus eſt.

7 Vulpem ſupplex acceſſetat rogatum ſimia,
ut partem ſuæ caudæ ſibi impertiri non gra-
varetur, quâ eam corporis partem contegeret,
qua ciborum excrementa egeruntur; ſubdeus
illi eſſe oneri, quod ſibi foret honori: renuit
callida vulpecula, inquiens, nihil ſe habere ſu-
pervacaneum, malléque humum ſuâ caudâ
verri, quam eâdem ſimiæ nates operiri. A-
podoſis: ſunt plerique, quibus deeſt, & qui-
bus ſupereſt: pauci reperiuntur, qui ex ſu-
perfluis aliorum conſulant indigentiæ. Si vis
mercator eſſe, ait D. Auguſtinus, aut fœne-
rator optimus, da, quod nou potes retinere,
ut recipias, quod non potes amittere. Da
modicum, ut recipias centuplum: da tempo-
tariam poſſeſſionem, ut conſequaris hæredi-
tatem æternam.

8 Aves de rege deligendo ſolicitæ comitia
inſtituêre. Cæteras enixè rogat Pavo, ut
ipſum veliut regio hoc donare titulo: ſuam
producit elegantiam, & pulchritudinem, quâ
omnibus antecellit: objecit monedula; ſed ſi
te regem ſalutaverimus; & nos aquila inſe-
cuta fuerit, eh quale tu uobis auxilium ſuppe-
ditabis? Apodoſis: in Principe deligendo non
corporis elegantia, non formæ præſtantia,
nou ſanguinis claritas; ſed virtus ſpectanda
eſt.

9 Canis molloſſus ferocienti lupo, cum quo
diſſidia exercebat, cum imparem ſe viribus
noſceret, ſocium ſibi adſcivit aſinum lupo
vocaliorem, clitellíſque velut thorace obar-
matum, ratus idonenm fore commilitonem:
inita igitur ſocietate pugnam indixit lupo: at
ubi ad primum lupi aſpectum fugientem vidit
aſinum, ac emittentem duntaxat inconditum
ruditum, crepitúſque ſonoros; ipſe quoque
perniciorem arripuit fugam; & ſocium aſinum
lupo, & vulturibus deſtinavit pabulum. Apo-
doſis. Verborum ampullis, corporíſque pro-
ceritati neglectâ virtute, cæteriſque egregij
animi dotibus, qui fidunt; plerumque deci-
piantur, neceſſe eſt: non extima corporis mo-
les, ſed virtutis magnitudo virum commen-
dat.

10 Recentem, & oblectiſſimum caſeum qui-
dam ſua reconditerat in ciſta, quem mus vo-
raci arrodebat dente, ex amici couſilio felem
muri inimicum, ibidem intruſit, quidni mure
interempto felis totum fermè abſumpſit caſe-
um. Apodoſis: tales ſunt cuſtodes adhiben-
di, qui alijs non indigeant cuſtodibus, & qui
obeſſe minimè poſſint. Pulchrè Tereutianus
in M. Antonium, qui ſe urbis jactabat cuſto-
dem vigilem: *O præclarum cuſtodem ovium, ut
ajunt lupum rapacem.*

Extremo confectus ſenio mortem, à qua 11
raperetur, ad ſe viderat venientem, rogavit è
vivis rapiendus, ut paululum differret, donec
ſua bona diſponeret, teſtamentum conderet,
& alia ad hunc tranſitum perneceſſaria ſibi
compararet: cui mors; hæc hacteous diſtuli-
ſti? reſpondit ſenex, Te adeo proximam uon
crediſſem; cui iterum mors, an non meum
acceſſum abundè tibi adſignificârunt fatiſcentia
corporis membra, deficientes ſenſus, dimi-
nutæ vires? Noneſt, quo ultra debeam differ-
re. Tibi vertitur culpæ. Apodoſis: Lethi
memoriam vir prudens nunquam deponat,
ſibi, ſuiſque conſulat hodie, quid ei cras de-
beat contingere prorſus ignorat. Velim al-
tiùs menti, imprimeretur Senecæ præceptum
Epiſt. 26. Egregia res eſt mortem condiſcere
ſupervacuum forſan putas id diſcere, quo ſe-
mel utendum eſt: meditare mortem, qui hoc
didicit, ſervire dedidicit. Supra omnem po-
tentiam eſt: certè extra omnem. Quid ad
illum carcer. & cuſtodia, & clauſtra? libe-
rum oſtium habet; una eſt catena, quæ nos
alligatos tenet, amor vitæ: qui, ut non eſt
abjiciendus, ita minuendus eſt, ut ſi quando
res exigat, nihil nos detineat, nec impediat,
quò minus parati ſimus, quod quandoque fa-
cieudum eſt, ſtatim facere.

Vulpes ruralem ingreſſa caſam gallinam
invenit ovis incubantem: rogante gallina vul- 12
pem, ne tunc adeo emaciatam occideret, ex-
pectaret adhuc per diem, donec pulli prodirent:
quos ut teneros abſque dentium labore devora-
ret. Subdidit calliditiſſima vulpes, at ego vul-
pes non eſſem, ſi nunc ſtimulante fame, ſpe
pullorum, qui nondum nati ſunt, paratam
mihi eſcam omitterem: hæc cum diceret, gal-
linam devoravit. Apodoſis: Quotquot in-
certa ſpe rerum meliorum præſentes negli-
gunt; hi profectò redarguendi ſunt; quia ple-
rumque ijsdem utraque deſunt.

Invehebat acriùs in hirundinem aranea, 13
quòd muſcas ſibi in alimoniam deſtinatas in-
terciperet per aëra volitantes, cum ipſa ſum-
mo ſtudio, improbóque labore telas texeret
muſcarum retia. Quid? ne inultum dimitte-
ret illatum ſibi damnum: retia in foribus,
per quas volitabat hirundo, apparat ejusdem
capiundæ. Mox advolans hirundo retia,
cum ipſa textrice rapit, per aëra volitans ad-
vehit. Tum aranea in aëre pendens, immi-
nénsq; cognoſcens periculum exclamavit: Me-
ritò hoc mihi contingit, quæ cum minutiora
inſecta vix capere potui, aves magnas arbi-
trata ſum potuiſſe mihi in prædam cedere.
Apodoſis. Viribus uoſtris ne nimium fida-
mus: néve ultra conditionem noſtram nos
efferamus, ſed ut bellè Horatius *epiſt. 7. lib. 1.*
Metiri ſe quemque ſuo modulo; ac pede verum eſt.
Quotquot ſe ſupra ſe evehunt, facilè ruunt de-
vij, abundè id produnt Phaëthon, & Icarus,
quorum alter currum ſolis conſcendere, ac
moderari; alter tenui cera agglutinatis plu-
mis fretum tranſvolare, cum auderet; uter-
que in undis extinctus eſt. Leoni famulatui addi-
cta vulpes, ejus obtemperabat nutibus, ac de

præ-

prædæ illius victitabat reliquijs: mox ſenio confectus leo, vulpem jubet victum pro ipſo quærere, ídque cum pluries præſtitiſſet, quodam die blandè à leone jam penitus emaciato petit unde illi tanta macies, ac imbecillitas corporis? ex intimis doloribus reſpondit, qui nonniſi per cor, & aures aſininas miteſcere, ac curari poſſunt: ex pietate in beneficum herum ſolicitiùs pharmacum hocce præſentiſſimum quærit callida vulpes, prope fluvium inambulans panificem videt, qui aſinum pannis onuſtum in proxima ſylva paſcentem reliquerat; ad quem accedens vulpes amicè illum ſalutat, inquiens: eh cur te adeò macrum, viribúſque deſtitutum video; accuſavit aſinus importunitatē, ac avaritiem heri, qui parciſſimam ei daret alimoniam, & plerumque inſipidas, macráſque duntaxat palleas; & onera imponeret graviſſima: ſi ab improbo hoc labore, jugóque barbaro poſſem me ſubtrahere mutatâ ſede, id libentiùs facerem: ſed hæc mea eſt conditio, ut aſinus ſemper ſit aſinus, & animal laboriferum abſque heri ſumptu: tum vulpes ego te ſubtraham à vili tua conditione, ſi meo parens conſilio, me ſequaris, ducam te ad meliorem frugem: hoc promiſſo lætiſſimus aſinus vulpem ſequitur, ut autem ventum eſt ad leonem, hic hoſpitem invaſiſſet, niſi corporis obſtitiſſet imbecillitas: timore perculſus aſinus illicò fugit inconditum emittens ruditum: irata vulpes leonem interrogat, cur exhibitum pharmacum dimiſerit: anceps hæret leo quale debeat reſponſum interroganti dare; nam ſi dicat præ infirmitate, quâ ei haud vires ſufficerent, ut aſinum invaderet, veretur ne callida vulpes famulatui ſuo nuntium remittat: ſi aſinum ſponte ſua fugiſſe, noverat ſe mendacem habitum iri: has inter ambages reſpondet, ſe reſponſum daturum ſi iterum reducat aſinum: cui vulpes, negotium planè difficile, cum fraudem meam jam noverit: tentabo tamen, ut tuis annuam votis. Deoneraverat interea pannifex aſinum, quem iterum ad ſylvæ paſcua remiſerat; mox ut venientem videt vulpem: i peſſum, inquit, animal aſtutum, eas in malam crucem, ad quid iterum me accedis, an ut denuo me decipias? abſit hoc à me, ſubdit vulpes, ſed venio me tibi purgatum. Quicquid tibi paulo ante contigit, ſcias id abſque dolo factum. Si paululum manſiſſes impenſiùs ab innumerabilium aſinorum grege te venerari vidiſſes. Idque adhuc fiet, ſi mecum eos adibis. Aſinus ſua celebris ſtoliditate impoſtricem ſequitur vulpem. Conſpicit accedentem prædam leo, irruit toto niſu, lacera incautæ beſtiæ dilacerat, vulpíque mandat, ut enectum animal fidè cuſtodiat, donec ſe fœdum ſanguine in proximo flumine abluat: interea callida beſtiola cor, & aures aſini depaſcitur. Redux leo; ubi hæc membra ſint, quærit. Subridens vulpes reſpondit, cogitare potes mi here; ſi hic aſellus aures habuiſſet, quas debuit, & technam meam animadvertiſſet; ad diſcrimen, quod vix evaſerat, ſtultus non rediiſſet. Apodoſis: ubique locorum præſto eſt aſtutia ad decipiendum, cautè procedendum cum callidis, & inſidis nunquam fidendum.

Caupo cæteris eſculentorum, poculento- 14
rúmque venditoribus ditior picam alebat in eleganti cavea, quam edocuerat humanas voces imitari, cúmque perſæpe audiviſſet heri famulum vinum quatuor denarijs vendibile promulgantem, hoc idem & ipſa proclamare conſueverat. Contigit ut nocte perfrigida vites parturientes à pruina graviter læderentur, adeò ut ſequenti die vini pretium duobus denarijs creſceret: pica verò aſſueta prærecenſitis vocibus vinum quatuor denarijs vendibile adhuc promulgabat: hinc frequens ad ædes Cauponis empturientium concurſus, eò quia vinum alibi ſex denarijs daretur venum: cúmque renueret caupo hoc vili pretio vinum vendere, cœperunt emptores jurgijs caupone lacesſere, qui actus in iram è cavea extractam picam in lutum medium projicit: hæc verò cum ſe ſuſtuliſſet, vidiſſetque porcum obvium cœno fœdum, tu ne etiam, inquit, vinum quatuor denarijs promulgâſti vendibile? Apodoſis: conſuetudo, ſi ſemel inoleverit, difficulter ſuperatur, & in eoſdem propenſiùs incidimus mores, quibus jam pridem aſſuevimus.

Animadverterant ſimiæ humanarum imi- 15
tatrices actionum, quantum utilitatis urbium ſuppeditarent hominibus ædificia, nimirum quod tecta arcerent pluvias, parietes excluderent fures, mœnia feras, ac hoſtes impedirent; quædam ſimiæ, quibus urbanitas vel maximè arriſerat, convocari ſui generis cœtum juſsêre, quibus ſuaſerunt urbem humano more condi, has producentes utilitates; mœnia ſe objecturas leonibus, & lupis; tecta imbribus, parietes frigori; victitaturas fructibus, quos urbis exculti producerent horti, habituras ſe humano more, quotidianos congreſſus, ludos, theatra, ſpectacula ad animi luculentum oblectamentum. Placuit conſilium potiori ſimiarum parti: at cum materia cædenda eſſet ad domos ædificandas, & ingentis molis paranda lingua, ac dolanda, ad quæ minimè illis ſufficerent vires, ab opere ſuſcipiendo ſe averterunt. Apodoſis: quæ ſupra noſtras fuerint vires, tentanda non ſunt: idque Eloquentiæ cultoribus, vel maximè congruit, qui argumenta plerumque deligunt ſupra ingenium, ſupra vires tractanda. Pulchrè Horatius de Arte poëtica.

Sumite materiam, veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent.
Quid valeant humeri.

Graveolentiam, quæ ab ore leonis pro- 17
dibat, cætera averſabantur animantia. Is cum beſtiam ſocia vulpe advocaſſet, ut verum de halitûs fœditate dignoſceret, eam; quæ nares illi admovebat, mox præfocavit; hocce terrefacta vulpes exemplo, cum & ipſa interrogaretur de eadem graveolentia, egregiè ſe excuſavit, inquiens, pituitâ graviter laboro mi generoſiſſime here, ut de bono tetróque odore nullum prorſus queam judicium ferre. Apodoſis. Principum, Magnatúmque re-

redarguere periculoſum eſt, ac plerumqoe in perniciem cedit infimæ plebeculæ.

18 In hiſce apologis recenſendis orator ſit parcos, ſi enim plures fabellas ſeriatim congerat, tametſi idonea apodoſi moribus inſtituendis illas accommodaverit, à gravitate, quæ vel maximè virum cordatum decet, neceſſe eſt, deflectat, uti etiam ab orationis nobilitate, cum plerumque apologi, animantia prodant humilia, & quæ riſum moveant; à dictione nimis faceta, quæ ad ſcurrilitatem accedat, omnino abſtineat. Demum meminerint eloquentiæ cultores, ſe non comœdos, ſed oratores agere.

EXPENSIO XXIX.

Locus à ſacris literis expenſus.

1 SAcræ literæ ſunt, quæ ſolum Deum authorem ſuum ſapientiſſimum, & parentem optimum agnoſcunt, ſeu quæ ab illo divinæ ſapientiæ perenni fonte diſfluunt humanæ mentis ariditatem cœleſti rore aſperſoræ, divitias ſingulas ſuppeditaturæ egentibus; imò ſcriptura ſacra paradiſus eſt ad omnem conſitus elegantiam, vernantibus jugiter floribus depictus, pellucidis irriguus fontibus; pulchrè Mediolanenſis Præſul, cujus ſtilus nonniſi ambroſiam, ac ſuavitatem ſapit: *Deambulat* (inquit lib. 4. epiſt. 31.) *in paradiſo DEUS, quando divinas ſcripturas lego. Paradiſus eſt Geneſis liber, in quo pullulant virtutes Patriarcharum: Paradiſus Deuteronomium, in quo germinant legis præcepta: Paradiſus Evangelium, in quo arbor vitæ bonos fructus facit.*

2 Iſidorus Peleuſiota docet, divinas ſcripturas eſſe prata fœliciſſima, Athanaſius peramœnum hortum; & Caſſiodorus ait; hunc ſcripturarum hortum, poma continere innumera, quibus ſuaviter humana mens ſaginata pingueſcit: Cæteris luculentiùs Chryſoſtomus *homil. in Eutropiam* ſacrarum amœnitatem literarum prætulit Heſperidum, & Alcinoi hortis, omnibus viridariorum elegantijs, quæ fingi poſſint utilitate fructuum, ſuavitate odorum, perennitate florum, & alijs id genus oblectamentis commendandæ; ait ipſe: ſuave quidem eſt pratum, & hortus: utroque tamen ſuaviùs ſpirat divinæ ſcripturæ lectio: reperies quidem illic flores, verùm qui tempore marceſcunt, hic occurrunt ſententiæ in nativo vigore permanentes: illic adſpirat favonius: hic efflat aura Spiritus ſancti: illic ſpinæ pro muro ſepiunt hortum; hic DEI providentia tutum reddit lectorem: illic cicadæ ſtridore ſuo obſtrepunt: hic Prophetæ ſuavi jubilo perſonant: illic ex ipſo aſpectu quiddam delectationis concipitur; hic autem ex ipſa mox lectione plurimum decerpitur utilitatis: hortus utique pro temporum qualitate ſervit neceſſitatibus; ſcripturæ autem perinde hiberno, ac æſtivo tempore perennant comantibus undique folijs. Hic non olera Alcinoi ſpectanda, ait D. Ambroſius *in Luc. lib. 4. cap.* 23. ſed Sacramenta ſunt Chriſti: & ut loquitur Irenæus ipſe DEI filius inſeminatus eſt ubique in ſcripturis.

3 Recenſe, ſi potis es, flores ſingulos, quos elegantiùs natura pinxit exoticos, vernaculos, domeſticos, hortenſes, colore ſpectabiles, varietate elegantes, odore ſuaves, ſucco ſalutares, quique blandiùs ludunt, vel in ſinu pratorum, vel in vallium imis, vel in editioribus montium faſtigijs, vel domeſticos inter parietes ſeduliori luxuriant culturâ: omnes à viola florum primula, ac pumilione, ac redeuntis veris flore prodromo fidiſſimo, ad usque crocum in ſacris jugiter vernant areolis; & præ cæteris habes florem ex virga Jeſſe ait Tertullianus *de corona militum cap.* 13. ſuper quem tota Spiritus Divini gratia requievit, florem incomptum, immarceſcibilem, ſempiternum. Carpis illic ſubdit Ambroſius *ſerm. 24. in Pſal. 818.* novum florem, qui bonum odorem dedit reſurrectionis: carpis lilium, in quo ſit ſplendor æternitatis: carpis roſam, hoc eſt Dominici corporis ſanguinem. Habent ſacræ paginæ ampliſſimum forum, in quo ut loquitur Cyprianus *lib. de ſpectaculis ſacris*, mira exhibentur ad animi oblectamentum: Incumbat Chriſtianus ſacris literis, ibi inveniet condigna fidei ſpectacula, videbit Deum inſtituentem mundum, & cum cæteris animalibus hominis illam admirabilem fabricam, melioremque facientem: ſpectabit mundum in delictis ſuis: juſta naufragia, piorum præmia, impiorúmque ſupplicia: maria populo ſiccata: & de petra rurſus populo maria porrecta: ſpectabit de cœlo deſcendentes meſſes, non ex areis; inſpiciet flumina tranſitus ſiccos refrænatis aquarum agminibus exhibentia. Videbit in quibusdam fidem cum igne luctantem, religione ſuperatas feras, & in manſuetudinem converſas, intuebitur, & animas ab ipſa morte revocatas.

4 Nil certè ſacris paginis ad animi oblectamentum jucundius, nil ad prodigiorum enarrationem uberiùs, nil ad mores ritè inſtituendos accommodatius, nil ad vitam componendam ſanctius, ad virtutem promovendam aptius, ad fidem ſtabiliendam firmius, ad ſanctimoniam excolendam opportunius, cum doctrinam contineant, quæ ab Authore Deo perenni fluxu dimanat, ut mortalium pectora hocce ſalutifero irrigata ſucco pingueſcant uberius. Imò ſacræ paginæ, ut pulchrè Beatus Eucherius *ſerm. 4. poſt Domin. Paſſion.* evincit, quædam ſunt Numina, quæ divini Spiritûs afflatu nos alloquuntur, nóſque erudiunt: etenim argumentatur Eucherius: ſi illi dicuntur Dij, ad quos ſermo Dei factus eſt, & ideo dicuntur Dij, quia ſermonem Dei cuſtodiunt; quare non magis ipſe ſermo Dei dicatur Deus? certè inficias ire neutiquam poſſumus, eſſe ſacras paginas, ſapientiæ Verbi ſpeculum, divinitatis armarium, Theologorum hæreditatem, divinæ ſapientiæ feraciſſimum agrum: ex quo mirum ſanè, quòd plerique ex ſacris Verbi Dei preconibus, neglecta

adeò venerandæ ſapientiæ dignitate, ac utilitate, ad ſteriles Adonidis, ac Alcinoi hortos, ſeu ad profanum humanæ ſapientiæ deflectant choragium: hi frumentum reſpuunt, ut paleas congerant, aurum negligunt, ut nonnisi in luto verſentur, & cœnum ipſum cœlo miſerè præferunt: quibus demandata provincia eſt perditos mores redarguendi, hi ſacris literis neceſſe eſt dent operam, ut divini verbi gladio validiùs impetant vitia quæque. Quam ſanctè, quàm religioſè agunt, qui nonnisi in ſacris impaleſcunt paginis, eáſque volvunt aperto capite, lotis manibus, flexo poplite, aut in pedes erecti venerationis, ac obſequij gratiâ: quod ſanctè præceperat B. Petrus Damianus Chriſtianum Doctorem ita alloquens *opuſc. 15. de ſuæ Congreg. inſtitutis cap. 18. Libros ſanctos ita cuſtodiat, ut nunquam manus ſuper literas teneat, nunquam fumo nigreſcere, vel ignis odorem ſentire permittat.*

5 Commendatur Theodoſius Imperator, qui propriâ manu aureis characteribus Evangeliorum volumen elegantiſſimè deſcripſerat. Laudatur Carolus Magnus, qui in novo teſtamento aureis literis tranſcribendo docuit, quanta veneratione ſacras paginas proſequi debeamus: utriusque Imperatoris æmulati alij principes pictatem, thecas, involucra, capſas auro, gemmiſque nitentes, elegantique elaboratas opificio ſervandis ſacris voluminibus dedicârunt, quod factum fuiſſe à Childeberto ex ſpolijs Amalarici produnt hiſtoriæ: in Sacrarijs eodem religionis ſtudio elegantiſſima collocabantur pegmata, in quibus evangelia veluti ſub auguſtali reponebantur. Joſuè commendatiſſimus Hebræorum heros eo habuit in honore librum legis, ut eum in bellis gerendis pro vexillo geſtaret, ratus, tutiùs pugnas initurum hocce fultum præſidio.

6 Cæterum quod ad ſacros attinet oratores operæ pretium me facturum duxi, ſi varios ſingillatim expenderem ſenſus, quibus divinæ aſſolent ſcripturæ enucleari. Sunt ſubinde nonnulli Divini Verbi præcones, qui nullis linguarum ſubſidijs inſtructi, nullis ſacræ ſcripturæ lectionibus exercitati, ſuggeſtū conſcendunt, concionéſque ad populum habent, quas vel ab alijs ſibi uſurpatas, vel malè congeſtas, aut non intellectas proferunt, qui ſi interrogentur rubore ſuffunduntur, ac ludibrio exponuntur, eò quia quid reſpondere debeant, aut quomodo interrogantibus ſatisfacere prorſus ignorent: regulam igitur hîc ſubjiciemus, quâ è verborum involucris Spiritûs ſancti mentem facilè poſſint eruere, adhibitis ſcilicet pluribus ſenſibus, quibus divinas poſſumus paginas interpretari.

7 Senſus, ſi propriè velimus loqui facultatem ſignificat ſenſitivam, quâ objecta attingimus, quæ ſub ſenſus dicuntur cadere, quo pacto auditus ſonum attingit, viſus coloratum: transfertur ſenſus ad ſignificandum munus intellectûs, & ipſam intelligentiam, ſeu animi ſententiam, quo pacto *Sapientiæ 7.* dicitur: *Optavi, & datus eſt mihi ſenſus*, ſeu intelligentia: & *1. Corinth. 12. Nos autem ſenſum Chriſti habemus*, ſeu mentem Chriſti.

8 Dividitur ſenſus hoc modo ſumptus in literalem, & myſticum: ille eſt, quem Spiritus ſanctus Auctor divinæ ſcripturæ per verba ſive propria, ſive impropria ſignificatione nobis aperit: unde ſenſus literalis alius eſt proprius, alius improprius, ille dicitur res ipſa primùm à Deo ſignificata per vocem in propria ſignificatione ex primaria hominum impoſitione acceptam, uti ſunt illa Decalogi præcepta: *non occides: non furtum facies.* Senſus literalis improprius, ſeu metaphoricus eſt res primò ſignificata per vocem in impropria ſignificatione, juxta novam loquentis impoſitionem acceptam: uti habetur Geneſeos 49. *Catulus Leonis Juda:* propriè Judas non fuit leo, nec tribus ab eo deſcendens catulus leonis propriè: unde debet id metaphoricè ſumi, quia ſicuti Judas inſtar leonis fortiſſimus fuit; ita generoſa ejus tribus erit inſtar catuli leonis. Per metaphoram proportionis viri fortes, & generoſi dicuntur Leones, quia conveniunt in fortitudine, & animi generoſitate: eadem metaphora uſus fuit Lucretius cum cavæ, ac exælæ rupis ſtillicidium vocavit *frigidas lapidum lachrymas.*

9 Rurſus ſenſus literalis multiplicem ſubinde ſortitur ſenſum itidem literalem, quia poteſt Deus una, eadémque loquutione plures ſenſus inter ſe congruentes ſignificare; etenim ſi poteſt ſcriptor profanus per aliquam vocem æquivocam plura ſignificata includere, multò magis poterit Deus plures ſenſus literales per varias voces ambiguas, & æquivocas exprimere: hinc Concilium Lateranenſe in capite *Firmiter* ex illo Geneſeos. *In principio creavit DEUS cœlum, & terram*, duas, colligit propoſitiones de Fide; prima eſt, ſpiritualem creaturam non fuiſſe conditam ante creationem cœli, & terræ, ſed unà cum rebus viſibilibus fuiſſe à DEO ſapientiſſimo Opifice productam: ſecunda, mundum contra Ariſtotelem non fuiſſe ab æterno creatum. Ratio, cur ſcripturæ multiplicem patiantur ſenſum literalem eſt, quia lingua Hebræa, plures comprehendit voces ambiguas, quæ plures referunt ſenſus, ut vox *anima*, quæ *Levit. 4.* ſumitur pro toto homine. *Pſal. 15.* pro nobiliore hominis parte: *Ne derelinquas animam meam in inferno.* Joannis 3. pro vita. *Bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis. Eccleſ. 14.* pro conſcientia: *Juſtifica animam tuam. Pſalm. 25.* pro ratione: *Qui non accepit in vanũ animam ſuam*: ex hac vocum fœcunditate pluralitas deſumitur ſenſus literalis.

10 Regulæ dignoſcendi ſenſum literalem plures ſunt: ſubjicio principes, quarum prima eruitur ex D. Auguſtino *lib. 16. de civit. cap. 2.* Senſus literalis alicujus loci eſt, in quo nec minimum verbum reperitur, quod illi ſenſui ex omni parte non conveniat. Secunda ex D. Hieronymo *Iſaiæ cap. 9.* Quando verba ſcripturæ propriè accepta aliquid enuntiant, quod nec à fide, nec à morum deflectit rectitudine,

tudine, & benè cohæret cum præcedentibus, & ſubſequentibus. Tertia ex eodem D. Hieronymo *Iſa cap. 5.* Quando ſcriptura licèt aliqua includat metaphorica, tamen uno vel altero verbo in propria ſignificatione capto ſe ipſam explicat: ut eſt illud Iſaiæ 11. *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice eius aſcendet*, quæ verba licèt metaphorica, explicantur tamen per ſubſequentia: *& requieſcet ſuper eum Spiritus Domini*, quæ apartè declarant, ſcripturam non eſſe intelligendam de proprio flore, ſed metaphoricè de Verbo carnem aſſumente.

11 Significatur etiam ſenſus literalis rebus imaginarijs, ſeu objectis, quæ Prophetæ in ſomnis, vel vigilijs contemplati ſunt, cujuſmodi eſt illud *Geneſeos 15. Cum occubuiſſet ſol, facta eſt caligo tenebroſa, & apparuit clibanus fumans, & lampas tranſiens, inter diviſiones illas*: ubi per clibanum ſignificabatur Iſraëlitici populi ſervitus Ægyptiaca in luto, & latere, quem in ſuis furnis coquebant Hebræi; per lampadem ipſum Deum, vel Angelum, qui tranſiens per medias victimas diviſas firmabat fœdus cum Abraham.

12 Senſus myſticus, qui & ſpiritualis dicitur, definiri ſolet is, qui nec propriè, nec metaphoricè vocibus proximè ſignificatur: ſed ſub rebus ſignificatis per voces, quaſi ſub umbra, & figura occluditur, quâ ratione myſticus, ſeu arcanus, ac reconditus vocatur: dicitur verò ſpiritualis, eò quia lateat ſub rebus, perinde ac ſpiritus ſub corpore. Loquitur plerumque Deus per parabolas, ac ſymbola, quibus abſtruſiora nobis enucleat myſteria, ut pulchrè loquitur Tragicus Sophocles

Myſteria Numen tecta ſapientes docet
Fatuis Magiſter prorſus eſt inutilis.

13 Tripartitur ſenſus myſticus in Tropologicum, Allegoricum, & Anagogicum: ſic aqua, quæ in ſenſu literali ſignificat aquam elementarem, *ut cap. 1. Geneſ. Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, & appareat arida*: tropologicè ſignificat tribulationem Pſal. 65. *Tranſivimus per ignem, & aquam, & deduxiſti nos in refrigerium*: allegoricè baptiſmum Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis*: anagogicè Deum Jerem. cap. 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ.*

14 Senſus Tropologicus eſt, qui ſub figurarum, ac ſimilitudinum umbris nos docet documenta moralia inſtar emblematum, cujuſmodi eſt illud: *quidquid obtuleris ſacrificij ſale condies*: ad ſignificandam liberalitatem, ac munificentiam à viro principe prudenter exercendam: quia ut bellè Ariſtoteles; *liberalitas ſine prudentia non eſt virtus, ſed prodigalitas.* Tropologicè itidem explicatur hoc aliud præceptum. *Sacerdotes barbam ne radunto*, ut intelligerent à divino addictis cultui animo virili, pectoriſque inconcuſſa firmitate promovendas eſſe, ac tuendas res divinas: barba prolixè enutrita virum fortem prodit: hinc Diogenes rigidus ille Cynicus interroganti, cur barbam non tonderet, reſpondit, *ut me virum eſſe meminerim.* D. Thomas tropologicè expendit illud Iſaiæ: *Ecce, virgo concipiet, & pariet filium, & nomen eius vocabitur Emanuel*, ait Angelicus Doctor: *Ad hoc DEI filius veniebat in mundum carne aſſumptâ, ut nos ad reſurrectionis ſtatum promoveret, in quo neque nubent, ſed erunt ſicut Angeli DEI in cœlo*: veniebat ut evangelicam conderet legem, ad cujus normam, quotquot in ipſa erudiebantur, ſuos componerent mores: ſenſus enim tropologicus propriè ad mores ritè componendos pertinet.

Venantius Fortunatus commendans virtutem Virginitatis, ait de Virgine Matre 15

Virginitas fœlix, quæ partu eſt digna Tonantis:
Quæ meruit Dominum, progenerare ſuum.

In eodem ſenſu D. Joannes Chryſoſtomus *homil. 10. in c. 1. Joann.* expendens illud *Exod. 32. Aut dimitte eis hanc noxam; aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti*, ait tropologicè. *Tales oportet eſſe eos, quibus animarum cura commiſſa eſt, ut perire malint cum his, qui ſibi ſunt concrediti, quàm ſine illis ſalvi eſſe.* Idque cauſæ, cur in ſolio Salomonis, de quo ſcriptum eſt, non eſſe factum ſimile opus in univerſis regnis, duodecim adfuerint Leones, qui ſymbolum eſſe dicuntur vigilantiæ; Decet enim hæc virum principem; cum Hieremias oculatam, ac vigilantem virgam, quam vidit, faſſus fuerit ſceptrum fuiſſe regale, in cujus faſtigio, ut moris fuit apud Ægyptios, oculus vigilabat adapertus. Hierem. cap. 12. *virgam vigilantem ego video*, ſeu ut alij legunt *oculatam.*

Alciatus in ſuis emblematis exhibet manum principis adapertam, & oculatam additis verbis *oculata manus.* Imò non ſolùm princeps, ſed etiam ſubditos, & omnes homines decet vigilantia; quapropter vidit Ezechiel plura animalia oculis plena: & Servator Chriſtus nos monuit, ut vigiles ſimus. *Vigilate itaque, quia neſcitis, quâ hora Dominus veſter venturus ſit*: quæ verba expendens tropologicè Ugo Cardinalis ait: *Hortatur Dominus omnes ad vigilandum, & maximè Prælatos ad vigilantiam, & diligentiam; quos non tantùm vult eſſe vigilantes, ſed etiam vigiles. Unde Chriſtus Matth. 14. reprehendit Petrum, Simon dormis? non potuiſti una hora vigilare mecum.* 16

Senſus Allegoricus eſt, qui ſub metaphorarum umbris, rerúmque materialium ſimulacris nos docet myſteria fidei, quæ ad militantem eccleſiam attinent: allegoricum eſt illud. *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet*, ut nobis ſignificaretur, quòd Beata Virgo erat naſcitura ex Davide filio Jeſſe, & Meſſia ex Virgine veluti flos elegantiſſimus è caudice lectiſſimæ virgæ. 17

Vel hoc aliud de Verbo incarnato dum nox in ſuo curſu medium iter haberet, quatenus naſcente Chriſto ſol à templo Hieroſolimitano longiùs abfuit, & Antipodas Illuminavit, quò ſignificaretur, poſt humani generis Reparatoris adventum lucem fidei diſceſſuram à Judaico populo, illuſtraturam Ethnicos tunc verſantes in errorum tenebris, ut prædixerat 18

Propheta Iſaiæ cap. 9.: *Ambulantibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis.* Fabulantur Poëtæ ſub initium ædificij Trojanæ urbis Palladium, ſeu Minervæ ſimulacrum fuiſſe è Summo cœlo illuc delapſum, hoc monito: quòd tamdiu civitas ſtaret, quamdiu Palladium in eadem ſervaretur indemne. Natalis Comes in Mythologia *lib. 40. cap. 5.* perpendens hujus fabulæ allegoriam, dixit, Poetas hoc apologo innuiſſe ſapientiæ neceſſitatem in ijs, qui reipublicæ præſunt, ut civitates conſiſtere valeant; ait Natalis Comes: *Civitas illa, in qua ſapientia deſit in rebus publicis adminiſtrandis, diutius conſiſtere non poteſt.* Troja ob Regis Priami inſipientiam fuit everſa: hinc Hugo Cardinalis in Pſal. 108. ait: *Pœna magna eſt habere Prælatum cupidum, vel avarum, ſed major eum habere inſipientem.*

20 Senſus Anagogicus eſt, qui arcana DEI, & ſecreta cœleſtia per ea, quæ facta ſunt, nobis oſtendit; cujusmodi eſt illud: *Beati qui lavant ſtolas ſuas in ſanguine agni, ut fiat poteſtas eorum in ligno vitæ:* ad indicandum, neminem æternâ donandum beatitate, niſi per merita Servatoris Chriſti ſanguine ſuo noſtras emundantis conſcientias.

21 In ſenſu anagogico D. Leo Papa expendens unguentum pretioſum emptum à reſipiſcente Magdalena, ut Chriſtum ungeret mortuum juxta Hebræorum conſuetudinem; ut teſtatur Chriſtus, *Unguendum hoc ad ſepeliendum me fecit:* ait, Chriſtum noluiſſe ungi poſt mortem, ſed in vita; quia poſt mortem debuiſſet adhuc per tres dies expectare; ne gratitudinis compenſatio protraheretur, ungi volit, cum viveret: verba D. Leonis ſunt. *Ut gratias tantò citiùs redderet Magdalenæ de ſuo unguento: ungi voluit in vita.* Triumphum Chriſti, quô cum palmis fuit Hieroſolimam ingreſſus in ſenſu Anagogico, explicat Richardus: quærit, cur Chriſtus vili voluerit inſidere jumento; & non potius equo regio; & reſpondet, prætuliſſe aſinum ad compenſandum beneficium: in cunis Bethlemiticis Bos, & Aſinus puerum JESUM caleſecerant rigorem brumæ halitu temperantes. Hoc beneficium compenſaturus Aſinum ſecum duxit in triumphum, quem benefactorem habuit in caula.

22 Multiplex iſte ſacræ paginæ ſenſus eſt locupletiſſima aurifodina, ex qua Concionatores, ſacríque Interpretes miro populorum oblectamento conceptus eruunt, qui vulgò prædicabiles dicuntur. Conceptus prædicabilis duo includit, materiam ſactam, ſeu textum è ſacris paginis depromptum, & formam aliquam argutam, quâ aliter expendatur textus, ac verbis ſonat. Exodi 1. *Videns Pharao, quòd populus Iſraël creſcebat, & quaſi germinans multiplicabatur, præcepit obſtetricibus dicens: quidquid maſculini ſexûs Hebræis natum fuerit in flumen projicite:* hunc textum expendens tropologicè Petrus Ravennas egregium morale documentum nobis exhibet: per Pharaonem Diabolum intelligit ſatagentem primitias divellere virtutum; ait ipſe; *Diabolus ſemper primordia bona pulſat, captat rudimenta virtutum, ſi quæ ſunt, & in ipſo ortu feſtinat extinguere, ſciens, quòd ea ſubvertere funditus, non poſſet.* Idque firmat Regius Vates Pſalm, 63. *Quanta malignatus eſt inimicus in ſancta.*

23 Definitur conceptus prædicabilis, ab Emanuele Theſauro in Teleſcopio Ariſtotelico italicè conſcripto. *Argutia ſymbolica leviter à DEO in ſacris paginis indicata, eleganter ab intellectu humano enucleata, & authoritate firmata alicujus ſacri Interpretis.* Si conceptus nulla fulciantur authoritate, tunc vocantur ſimplices argutiæ, quæ plerumque à circumſtantijs eruuntur, & plurimum præſeferunt oblectamenti, ſi pro vera cauſa aſſignetur non cauſa, quæ tamen ſubjectæ materiæ accommodetur. Ut ſi velimus natalem diem Servatoris Chriſti expendere, neceſſum eſt ſingulas perpendamus circumſtantias temporis, loci, perſonarum, ac cæterorum, quæ interfuerunt: à circumſtantia palearum, quæ cunas infantis JESU compoſuerunt, à tauro rigiditatem frigoris anhelitu temperante, & Virgine Matre adorante, quem pepererat; prima eruitur argutia tali pacto. Naſcitur in paleis hyberna tempeſtate, quia frumentum electorum citiùs voluit in paleis matureſcere. In bonam terram ceciderat, non expectavit æſtatem, tametſi æſtas credi poſſet exoriente juſtitiæ ſole taurum inter, & Virginem. Sumuntur Taurus, & Virgo æquivocè pro ſignis Zodiaci utrinque claudentibus, ac terminantibus æſtatem.

24 Secunda deſumitur à patria. Naſcitur Bethlehem, quæ interpretatur civitas panis: nimirum venerat de ſe ipſo jejunis hominibus epulas parare pretioſiſſimas, ſeu convivium euchariſticum, & ne obſonia deeſſent, in civitate panis factus eſt caro. Tertia, ab animantibus, quæ Incarnati Verbi natalitio interſuerunt. Naſcitur in medio animalium, ut vel in ipſis mortalis vitæ crepundijs nos edoceret virtutem, quæ nonniſi in medio ſedet: hanc etiam magiſter bonus moriens medius inter latrones nobis commendavit.

25 Quarta, ab occurrentibus paſtoribus. Agnus erat decuit inter paſtores naſci, mactandus poſtea in ara crucis noſtra expiaturus piacula.

26 Quinta, ab exigua caſa. In parvula naſcitur caula, quia dilatare charitatem etiam ex anguſtijs venerat.

27 Sexta ab humanitate aſſumpta. Naſcitur noſtra indutus humanitate, ut ſperare inciperent Rei mitiorem judicem: inhumanus eſſe non poterit, adeò humanitati addictus, ut ab ipſa ſeparari ampliùs noluerit.

28 Septima à prodigio in cœlis viſo. Naſcitur, cum ſol viſus eſt incedere ſpicis coronatus: decuit ut homines in cœlis ſpicas ſuſpicerent flaveſcentes, ut de cœlo panem ſperarent Euchariſticum.

29 Octava à fonte olei Romæ è ſinu telluris ſcaturiente. Naſcitur, cùm tellus oleum abundè miniſtrat: ſcilicet ut ſuos milites, egregios faceret pugiles, oleum ſtatim apparavit,

cum

tum & ipſe de cœleſti gymnade nobilis agoniſta nudus in arenam deſcenderit. Vel ſi mavis oleum ſecum in terras detulit curaturus vulnera noſtra, nullis antea circumligata faſcijs, nec fota oleo.

29 Nona à prodigio in terris. Naſcente Domino Engaddi vineæ floruerunt, nimirum ſenſerant divinum ſolem non longè à Tauro natum. Latet æquivocatio in Tauro, ſignificat enim animal, & ſignum Zodiaci, quod cùm primùm ſol attingit, verna exoritur in terris temperies, & flores è ſinu telluris, & plantarum foras erumpunt.

30 Decima ab Horoſcopo. Naſcitur rutilante Aſtræa ſupra Horizontem, & regnante Saturno in medio cœlo, quia auream veneat redemptionis ætatem inſtituere, idque præſagivit Sybilla Cumana illis duobus carminibus, quæ tametſi ab Ethnicis de nativitate Octaviani Cæſaris fuerint interpretata; D. Auguſtinus, Juſtinus Martyr, plerique alij ex ſanctis Patribus de Servatoris natalitio illa intelligunt, ſuntque

Jam redit, & Virgo, & redeunt Saturnia regna.
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.

31 Undecima à ſummo hybernalium noctium incremento. *Vides noctem*, ait Niſſenus, ad ſummam longitudinem perveniſſe, & cum progredi ulterius nequeat, nec conſiſtere, debet regredi: cogita exitialem peccati noctem, quæ malis omnibus aucta ad ſummum malitiæ creverat, hodie receſſam eſſe, ne longiùs ſerperet: atque illuc ſenſim redactam, ut planè deficiat, ac dilabatur.

32 Duodecima à ſolſtitio hyemali, quo dies incipiunt creſcere, à qua circumſtantia pulchrè D. Auguſtinus natale Chriſti confert cum D. Joannis Baptiſtæ nativitate, quæ eò contigit tempore, quo minui, dies incipiunt; ait S. Doctor: ſi myſterium intelligimus, hoc eſt, ut humilietur homo, & exaltetur Deus, ſecundùm illud, quod de Domino ipſe Joannes dixerat: illum oportet creſcere, me autem minui; ut humilietur homo, natus eſt Joannes tempore, quo incipiunt decreſcere dies: ut exaltetur Deus, eo die natus eſt Chriſtus, quo incipiunt dies creſcere.

33 Tertia decima ab Auguſto nomine Octaviano Cæſari Romæ indito, quod gloriæ ſonat augmentum. Ajmonius: naſcitur humani generis Reparator eo tempore, quo Romæ Octavianus Cæſar Auguſto nomine donatus gloriæ augmentum Imperatoriæ adjecit dignitati, ut Electi æternæ gloriæ ſperarent beatitatem.

34 Quarta decima à circumſtantia noctis bellè per antithesim cecinit Poëta

Fallimur in media natum, qui nocte putamus;
Nam ſecum nobis naſcitur ipſa dies.

35 Quarta decima ab humanitate aſſumpta.

Omne bonum Deus eſt: homo nil eſt, at Deus ipſe,
Poſtquam nil fieret, omnia factus homo eſt.

36 Sexta decima ab eadem humanitate, ut aſſumpta in utero Matris Virginis præter conſuetas naturæ leges, alijsve prodigijs.

Omnia nunc fiunt, fieri, quæ poſſe negabam,
Cum Deus alter homo factus, homoque Deus.
Et rupes oleum fundunt, & balſama quercus,
Et ſterilis ramus lilia, ſpina roſas.
Omnia mira quidem, tamen hoc ſuperantur ab uno.
Quod Patrem generet filia, Virgo virum.

Decima ſeptima à tenebris univerſam obducentibus Judæam. 37

O nox clara nimis, qua lux oſtenditur ipſa!
O nimium cæcus, quem latet ipſa dies:
Naſcitur in cæcis tenebris, ſed nox lux incipit eſſe.
Quid mirum eſt? & homo cœperat eſſe Deus.

Decima octava à rigente bruma per oppoſita. 38

Naſcitur in mundum, cum frigore cuncta rigerent,
Ignibus accendi debuit iſte ſuis.

Decima nona à loco paſtoribus accommodato, itidem per oppoſita. 39

Nato caula fuit, paſtoribus illa patebat,
Sed tamen & patuit regibus, aula fuit.
Quidquid delirent alij, Regesque, Ducésve
Dux facit iſte aulam, non facit aula ducem.

Vigeſima à loci humilitate, redarguitur protoparentis ſuperbia. 40

Cur cœlum quæris? ſi par cupis eſſe tonanti:
Debueras ſtabulum quærere Adame priùs.
Peccâſti ſimilem, dum Te ſcis eſſe ſupremo.
Peccabis rurſum: ni cupis eſſe modò.

Vigeſima prima à carne aſſumpta. Redarguuntur carnis addicti oblectamentis, & alliciuntur ad amorem hujus carnis aſſumptæ. 41

Hic carnalis homo, qui ſpiritualia neſcis,
Hîc tibi delicias carnis amare licet.
Spiritus hîc quondam oppreſſus ſub carnis amore eſt.
Ne noceat poſt hac, en Deus ipſe, caro eſt.

Vigeſima ſecunda à nimia charitate, quâ Deus dilexit nos. 42

Ignis amor, veteres quondam ſenſêre Poëtæ.
In Te crediderim, non fuit ignis amor.
In terram Te traxit amor, petit ignis olimpum,
Aut amor hic non eſt; aut gravis ignis Amor.

Vigeſima tertia à caula paſtoritia cunas infantis JESU ſternente. 43

Plaudite Paſtores, veſtra hæc eſt gloria, Chriſtus
In ſtabulo naſci debuit, Agnus erat.

Vigeſima quarta à nocte intempeſta, quâ Virgo Mater diverſorium quærit. 44

Cur intempeſta noctis diſcurrit in umbra
Hoſpitio nondum Virgo recepta ſuo?
Forſitan Auroram decuit ſub nocte vagari,
Cum medijs oriens ſurgeret in tenebris.

Vigeſima quinta à moralibus peccati tenebris, quæ univerſum obduxerant. 45

Non poteras aliter medio, quàm noctis oriri
Cynthie, quòd nullus ſtaret in orbe dies.

Vigeſima ſexta à tenebris phyſicis in terræ viſceribus, è quibus plerumque theſauri efodiuntur. Si Verbum incarnatum theſaurum dixeris nobis cœlitùs donatum, à vero non errabis, quippe hocce theſauro redimendum erat humanum genus à tartarea ſervitute. 46

Cur latet quæris? Theſaurus crede Tonantis
Obſcuris tenebris defodiendus erat.

Vigeſima ſeptima ab hyberna tempeſtate,
47 quâ omnia gelu concreta rigerent, inducitur Virgo mater alloquens Adſtantes Paſtores.

Frigore non lædor; Boreæ non ſenſio flatus.
Dum meus in medio frigore fervet amor.

48 Vigeſima octava ab incommodo loci, ac moleſtia brumæ.

Cur ita nude jaces? cur Te tua frigora lædunt?
Hæccine ſunt ſpinæ floſcule parve tuæ.

49 Ecce quot argutias Poëtis, quot conceptus prædicabiles ſacro ſuppeditant Præconi Verbi Incarnati circumſtantiæ, quà à loco, quà à tempore, cæteriſque, quæ ſive in cœlis, ſive in terris ineffabile hocce fuerunt natalitium comitatæ, Non cauſa pro cauſa non erit aſſignatu difficilis, ſi cujuslibet rei tractandæ ſedula diſcuſſione perpenderimus circumſtantias ſingulas, quæ rem ipſam videbuntur commendare. Oportet tamen ut orator in aſſignandis non cauſis pro cauſis ad animum, plerumque transferat, quæ corpori congruunt; & nugas declinet pueriles, hæ ſiquidem gravitati obſunt orationis.

EXPENSIO XXX.

Locus à Hieroglyphicis expenſus.

1 AMœnam exhibent hieroglyhica eruditionem, plurimúmque ſuppeditant orationi venuſtatis, ac elegantiæ, ſi parcè, & prudenter illis utatur Orator, rerúmque accommodaverit exigentijs: tametſi plurimum obtineant hieroglyphica oblectamenti; ſi crebriora fuerint, quàm res exegerint, orationis devenuſtant elegantiam, & ipſa pulchritudinis ſatietate ſenſus invehunt eruditis auribus minimè arridentes: non quæ pulchra; ſed quæ rebus accommodata, orationem fulciunt, & elegantiæ adferunt incrementa.

2 Primi hieroglyphicorum inventores produntur Ægyptij, qui arcanam Philoſophiam ſymbolorum involucris, ac ænigmatum velis maluerunt adumbrare, quàm ſinere, ut in plebejorum intelligentiam ſecretioris ſapientiæ myſteria promanarent. Erant autem hujusmodi hieroglyphica, quædam rerum, vel animalium ſculptæ figuræ, quæ aliud Indigitabant ab ipſis figuris alienum, quod tamen cum ſculpti animalis conveniret proprietatibus: non enim temerè quodlibet animal obvium ad rem aliam ſignificandam deligebatur: ſed ea duntaxat quorum proprietates proximiùs accederent ad rem aliam ſignificandam: quo pacto accipiter, quia volatûs pernicitate cæteris antecellit avibus, aſſumebatur ad indicandam rem feſtinatò confectam. Oculus juſtitiæ ſervator interpretabatur; & regalis ſceptri faſtigium claudebat oculus adapertus, ac vigil, ut addiſcerent reges in adminiſtranda juſtitia vigilantiam, ac rectitudinem: & Juſtitiam oculatiſſimam fingebant, ſeu oculo vegetiſſimo, aciéque perſpicaci cuncta perſpiciente; quam Chryſippus effingi ſolitam prodidit, aſpectu formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis, neque atrocis, ſed reverendæ cujusdam triſtitiæ dignitate. Plato itidem *9. de Legibus*, Juſtitiam vocat omnium ſpeculatricem, ac vindicem. Ex cæteris humani corporis partibus dextra manus digitis paſſis libertatem denotabat, ac munificentiam: læva compreſſis avaritiam. Nulli igitur dubium quin primi hieroglyphicorum inventores Ægyptij fuerint, idque refert luculenter Cornelius Tacitus *lib.* 11. Auguſti hiſtoriæ inquiens: Primi per figuras animalium Ægyptij ſenſus mentis effinxerunt, & antiquiſſima monumenta impreſſa ſaxis cernuntur, & literarum ſemel inventores idem perhibent.

3 Ægyptios imitati ſunt Græci, & Romani, quorum pleráque adhuc extant monumenta innumeris formarum notis inciſa; idque ut ſuaviùs ſenſus titillarent, jucundiúsque in animos intuentium philoſophiæ inſtillarent arcana: quemadmodum multa per vitrum, aut ſuccina pellucent jucundiùs, ait D. Auguſtinus *epiſt.* 11. ita blandiùs delectat veritas per imagines, ac ſymbola collucens. Si dicas Romam *Mundi caput*, pigriùs incitas: ſin autem in numiſmate videas mulieris caput galeatum tibi urbem Romam exhibens, eò quia ſuam ad Martem Romani originem referant, ſuaviùs imaginis expreſſio ſenſum titillat, blandiúſque animum demulcet. Apud Græcos, & Latinos cæſaries mollitiei fuit hieroglyphicum; & comatum puerum poſuêre Græci ad probrum indicandum. Cicero virum mundi illecebris addictum nunc vocat capillum impoſitum, & delibutum, nunc comptum, & madentem, móxque calamiſtro concinnè ornatum. E converſo per occipitium calvum ſenectus ſignificabatur infelix, quæque inopia laboraret. Sacerdotes Ægyptij ſingulis diebus caput raſitabant, adeò ut nullum toto capite paſſi fuerint cerni capillorum veſtigium, ſignificantes hieroglyphicè ſuperflua omnia ſummovenda. Apud Græcos, & Latinos capitis raſitatio ſervitutis fuit ſymbolum. Hinc Agrippæ Poſthumi ſervus, cui nomen Clemens, magna auſurus, ut pro Agrippa jam necato, cui nonnihil omnino ſimilis erat, ſe ſe ferret, & res novas in Republica concitaret, furatus heri ſui cineres, Coram Hetruriæ promontorium vectus ignotis ſe ſe abdiddit locis, donec, inquit Tacitus, crinem barbámque promitteret, quia ſervi caput raſitabant. Barba verò prolixiùs enutrita virilis, ac fortis animi hieroglyphicum habebatur: tametſi pleraque alia ſint ſigna, quæ marem à fœmina ſecernant: quia tamen virorum plerique dicuntur effœminari, & plures fœminæ identidem viros àgere, barba apud ſapientes veteres aſſumpta fuit, non ad utriusque ſexûs indicandum diſcrimen, ſed ad virilem ſignificandam virtutem, ac inconcuſſam animi firmitatem: quo ſenſu fœminæ inconcuſſæ firmitatis dicebantur viriliter agere,

ut

ut Horatius de Cleopatra: *Nec muliebriter expavit enſem.* Cervix ferocientis, ac ſuperbientis animi fuit ſymbolum, etiam in ſacris paginis Pſalm. 129. *Dominus juſtus concidit cervices peccatorum*, ſeu edumabit ſuperbiam. Supercilium ſeveritatis habebatur hieroglyphicum. Naſus ſagacitatis, hinc ſagaces vulgò Naſuti vocantur, eò quia uniuſcujusque rei odorem ſtatim explorent. Aures obedientiæ, ut apud Horatium *Epiſt. 1.*

Nemo adeo ferus eſt, ut non miteſcere poſſit,
Si modò culturæ patientem accommodet aurem.

4 Lingua Mercurio ſacra culti, elegantisque fuit eloquij ſymbolum: è converſo linguam præſcindere paſſim pro ſilere uſurpabatur. Homerus *Odyſſ. lib. 3. Jamdudum incidite linguas*: hoc eſt, *ſilentium capeſſite.* Os verecundiæ: hinc argutè Cato major dixerat Lentulo, qui ſputum in ejus faciem fuerat ejaculatus: *Affirmabo omnibus Lentule, falli eos, qui te negant os habere*: ironicè hominis impudentiam coarguit. Cor humanum ardenti inſidens ara, thuribulóve, regionem ſymbolicè deſignabat Ægypti, eò quia calida ſit, ac humida. Plutarchus verò cœlum indicare contendit, ac divinam mentem nulli unquam ſenectuti obnoxiam. Umbilici exculpta figura medium cujusvis rei ſignificabat, ſubinde finem; hinc Martialis *lib. 1. jam pervenimus usque ad umbilicum*, id eſt ad finem. Exciſus umbilicus ſymbolicè culturam adſignificabat caſtimoniæ: & Ezechiel de proſtituta Hieroſolyma lamentabatur: *in qua die nata es, non eſt exciſus umbilicus tuus*: hoc eſt adhuc mundi illecebris, Veneriſque adhæreſcis blandimentis. Pellis hieroglyphicum eſt in ſacris paginis caſtrorum: móſque fuit apud veteres tentoria ex conſutis conficere pellibus Abac. cap. 3. *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian*: id eſt Madianitarum caſtra vertentur in fugam, & diſſipabuntur. Manus apud ſacerdotes Ægyptios operis hieroglyphicum fuit, eáque ſive picta, ſive ſculpta hominem denotabat ædificationis ſtudioſum, eò quia in quovis opuſcio perficiendo manus adhibeamus: *Natura*, inquit Cicero, *dedit homini manus multarum artium miniſtras.* Manus eſt etiam in ſacris paginis hieroglyphicum operis, & ex eo deducitur, quòd Deus mandavit Moyſi, ut ſerpentis caudam apprehenderet manu, ubi actio per manum ſignificatur, ut expendit Philo, quia minimè poſſumus vitium per ſerpentem denotatum coërcere, ac declinare; niſi priùs manus, ſeu ſinceros animi affectus bonorum operum miniſtros expediamus, habeamúſque paratiſſimas ad obeunda pietatis miniſteria. Apud Poëtas tum græcos, tum latinos paſſim legimus centimanum Briareum, centimanúmque Gygem, ut per Briareũ vernam denotarent tempeſtatem, ob herbarum, florum, ac frondium copiam, quam affluenter vernum tempus nobis ſuppeditat: per Gygem brumale tempus ob ea plura, quæ jam dudum collecta, ac congeſta in varios mox uſus diſtribuit, negotiisq; ſuis accommodat. Dextera manus paſſis digitis opis ferendæ fuit hieroglyphicum: hinc *manum admovere* uſurpamus, pro adjutricem operam alicui negotio adjicere. Palinurus apud Virgilium *Æneid. 6.* opem expoſcens ita Æneam alloquitur.

Da dextram miſero, & tecum me tolle per undas.

Pedes in ſolida baſi, jactum, firmúmque 5
ſignificant fundamentum: & Juris-Conſulti *pedem ponere* uſurpant pro *fundamentum ponere.* Apud Onirocritas pedes ſervitutis erant indicia, eò quia totius corporis pondus ſuſtineant, & qui ex ſervis malè ſuo fungebantur munere, hi compedum puniebantur ſupplicio.

Non humanis corporis duntaxat membra 6
ſelegerunt Ægyptij ad ſymbolicè ſignificanda ſapientiæ arcana; verùm & animalium, volucrúmque proprietates, quæ uberrimam Eloquentiæ cultoribus ſuppeditant eruditionum ſegetem. Principis vigilantiam ſculptum Leonis caput oculis adapertis deſignabat, eò quia ex animalibus recurvos habentibus ungues leo parciſſimi ſit ſomni, oculiſque indormiat apertis, quod in vigilantiæ Hieroglyphicum receptum fuit; & ut indicarent, principem decere vigilantiam: Fanorum itidem valvis, ſacrarúmque ædium veſtibulis ſculptos leones, veluti divinorum cuſtodes collocare conſueverunt veteres ſapientiæ cultores. Fuit etiam leo terrifici hieroglyphicum ducis, ac ſtrategi, eò quia leo ſolo aſpectu cætera conſternat animantia, qua de cauſa leonis ſimulachrum ſculptum fuiſſe in Agamemnonis clypeo meminit Pauſanias ad terrorem, ac formidinem hoſti incutiendam, adjecta inſcriptione *Terror hic eſt hominum, quique hunc gerit, eſt Agamemnon.* Hominem regem ſymbolicè exprimebat Elephas; non ea duntaxat ratione, quia cum id genus animantia gregatim progrediuntur, Elephas natu major cæteros præcedat, totúmque gregem ducat, quia in regibus deligendis plurimarum gentium mos fuit, ut id muneris ſeniori, ac ſapientiſſimo demandaretur: verùm etiam quòd hoc animi regij habeat peculiare, ut genua nusquam flectat, ſed tantùm calcaneum leviter incurvet: ſiquidem genua non flectere prodit ſupplicabundum non eſſe: flectere verò calcaneum humanitatem oſtendit, quâ maximè præditus dicitur elephas. Formica hieroglyphicum habebatur providentiæ, eò quia memor hyemis cibaria ſibi comparet, & recondat, cellas promptuarias conſtruat, ſemina ne naſcantur, morſu laceret, corrodat, & abroſa recondat, ne germinent, exeántque in fruges; & ſi imbre madefacta fuerint, ſub dio proferat, exſiccétque, idque cum ſerenum præſenſerit cœlum. Anguem Ægyptij, Romani, & Græci hieroglyphicum poſuêre ſalutis, & Æſculapio ſacrârunt, idque teſtantur pleraque numiſmata, plurimæque ſtatuæ, per quarum crura ſerpentes flexuoſis voluminibus implicantur. Ineſſe angui remedia plura experimento compertum eſt: aſſerit Dioſcorides, homines, qui viperis conditis uti in alimoniam conſueve-

rint

rint longiora vitæ ſpatia protrahere, ac ad ſummam ſenectutem incolumes pervenire. Refert Iſigonus Cirnos Indorum genus centenis quadragenis annis vivere, eò quia viperinis alantur carnibus: non immeritò igitur plura fuêre numiſmata cuſa ſerpentum exhibentia imagines cum inſcriptione *ſalutis*. In numiſmate M. Aurelij Severi, ſedenti ſimulacro, paterámque porrigenti aſſurgit anguis, cum epigraphe *ſalus publica*. In ſacris paginis ſerpens ponitur hieroglyphycum prudentiæ, monet ſiquidem Servator nos debere prudentes eſſe, ſicut ſerpentes: quia vero peculiare prudentiæ munus eſt non præſentia tantùm, verùm & jam elapſa, ac futura meditari, ac veluti edita ex ſpecula proſpectari, ac ſedula diſcuſſione penſare, id hieroglyphycè per tricipitium in Apollinis ſimulacro indicarunt veteres ſophi, cujus pedibus ingentis molis triceps ſubjiciebatur ſerpens, caput canis, lupi, ac leonis exhibens.

7 Ex volucrum genere ciconia ſymbolum fuit pietatis, quippe ciconia parentes nunquam deſerit: & in extremo ſenio eſcas illis ſuppeditat, quibus alantur: qua ratione aſſumpta fuit ad ſymbolicè ſignificandam hominem erga parentes pium, ac ſinceræ charitatis officijs inſignem: pleraque Hadriani numiſmata cuſam exhibent ciconiam, adjectâ inſcriptione *Pietas Auguſta*. Oportet ut parentes in filijs ritè inſtituendis ſedulam impendant operam, totum ſiquidem vitæ momentum à legitima pendet inſtitutione, hæcque eſt pietas parentum in filios exercenda. Ad rem noſtram hiſtoriolam refert Boetius à parentibus altiùs animo imprimendam. Filius à patre malè inſtitutus, cum poſt innumera flagitia ex patris indulgentia perpetrata traheretur ad ſupplicium, accerſito ad ſe patre, quaſi pietatis officio veniam anteactæ vitæ petiturus, dum oſculum ſe ferre ſimulat, naſum illi dentibus amputavit, patríſque excedentem indulgentiam produxit ſuorum ſcelerum cauſam. Ciconia hieroglyphicè itidem ponitur, ad indicandum animum ſupra terrenas fæces elatum, diviniſque addictum meditationibus; eò quia ciconia editiſſima ſemper quæritet turrium faſtigia: vel quia illi aſſiduè cum ſerpentibus bellum ſit: terreſtre ſiquidem eſt hoc animantium genus, quia humi jugiter repat, vel in abditiſſimas ſe terræ latebras occultet: animus, qui mundi illecebras averſatur, & Deo unicè adhæreſcit, terrenos affectus humi propemodum repentes, vel latentes longè ſummovet.

8 Vultur hieroglyphicum erat juſtitiæ apud Ægyptios, eò quia nihil attingat animantium, nihilque interficiat, quod vivat, ſed ſolis contentus cadaveribus nullum inferat animantibus, ac plantis damnum. Aquila hieroglyphicum haberi ſolet oblatæ divinitùs proſperitatis, eò quia, ut refert Anacreon, eum Jupiter bellum adverſus Titanas iniviſſet, aquilæ volatus proſpero auſpicio victoriam ei portenderit. Imperatoriæ dignitatis fuit itidem ſymbolum haud ignobile, quia verò plures ſunt aquilarum ſpecies, eam ad id ſignificandum Ægyptij ſacerdotes deligebant, quæ à nigricante colore fulva dicitur, in ea ſiquidem virtutes eluceſcunt, quæ animum regium decent; eſt quippe viribus omnium præſtantiſſima, fœtus ſuos alit, ſerpentes inſequitur, dracones profligat; ſtrenua eſt, intrepida, liberalis, concinna, ac polita: non clangit, non lippit, non murmurat, ſed regios mores prorſus imitatur. Pietatis fuit itidem ſymbolum, quam ut proderet Pertinax Imperator cudi in numiſmate aquilam curavit pilæ inſidentem adjectâ Inſcriptione *Divus Pertinax Pius Pater*. Pindarus ingenij velocitatem per aquilam adſignificavit, quia ſicuti prædam etiam valde procul diſtantem mira enanciſcitur pernicitate, ac intuitu adeo pollet, ut profundiſſima quæque proſpectet; ita ingenium prodit, quod perſpicacitate polleat, & abdita quæque veluti in oculi nictatione attingat.

Phœnix, de quo Tertullianus *lib. de Reſurrect. carnis. Ille ſeipſum libenter funerans renovat natali fine decedens, atque ſuccedens iterum Phœnix: ubi tam nemo, iterum ipſe, qui non jam alius idem*: hieroglyphicum reſurrectionis ponitur, à 9
Sanctis Patribus: in canticis canticorum ait cœleſtis ſponſus *lectulus noſter floridus*. Lectulus Chriſti dicitur caro, quam aſſumpſit propter duos lecti uſus; quippe in lecto laborat homo in infirmitate, quieſcit in ſanitate: ſimiliter Filius Dei factus homo in carne humana, laboravit humanis preſſus infirmitatibus ante paſſionem, quieſcit in eadem carne poſt reſurrectionem: hinc dicitur *lectulus noſter floridus*: quia caro Chriſti, quæ prius in vita floruit, poſt mortem efflorуit, & per reſurrectionem refloruit: juxta illud Regij Vatis *Pſalm. 27. & refloruit caro mea*. Pietatem parentum in filios ſymbolicè expreſſerunt Ægyptij ſacerdotes per Pelicanum, eò quia nulla ſignetur ex avium turmis, quæ tam ſincero, quos peperit pullos proſequatur amore, ſicut Pelicanus avis Ægyptia. Si fames urgeat, ſi neceſſitas poſtulet inflicto vulnere ſanguinem expectorat, ſibique vitam adimit, quam filijs impertiatur.

Eſt etiam Pelicanus Servatoris Chriſti 10
hieroglyphicum, quia nos ſoſpitaturus atrociſſima voluit morte torqueri, ac ſanguinem fundere ut tanto nos pretio redimeret. Noctua Minervæ ſacra præſtantis ponitur hieroglyphicum ingenij ob cæſium oculorum colorem, quo qui præditi ſunt præſtantioris, & acutioris eſſe cenſentur ingenij; vel ob lucubrandi, contemplandive munus, quod nocte intempeſta felicius Muſarum obeunt cultores. Ægyptij noctuam poſuêre mortis hieroglyphicum, putantes lethale aliquid, ac inauſpicatiſſimum infortunium nocturno præſagire clamore, uti Pyrrho Epirotarum Regi contigiſſe ferunt, qui cum Argos expugnaturus exercitum duceret infeliciſſimæ mortis ſignum à noctua accepit, eò quia illius haſtæ ex itinere inſederit. Is ſiquidem cum detracto in-

ſigni

ſigni è galea, ne internoſceretur, cædem in Argivos inchoâſſet oppidanos, aniculæ cujuſdam filius eum leviter haſtâ vulneravit: & cum Pyrrhus impetum in percuſſorem feciſſet, Argivi Mater, quæ ſupernè ſpectabat imminens filij intuita periculum, tegulam utraque manu arreptam in regia effudit galeam, quo ictu cum ferè exanimatus concidiſſet, Zopyrus, qui ſub Antigono militabat, rege cognito accurrit, & detractâ galeâ gladium gutturi admovit, confoditque. Cornix ab Heſiodo hyemis ponitur hieroglyphicum, eò quia pluvias, nivéſque videatur accire, uti occinuit Virgilius *Georgic. lib. 1.*

Tum cornix plena pluviam vocat improba voce,
Et ſola in ſicca ſecum ſpatiatur arena.

11 Ægyptij paſſerem annui temporis poſuêre hieroglyphicum: & Calchas ex paſſerum numero, quos ſerpens devorâſſet belli Trojani tempus auguratus eſt, quippe pro paſſeribus annos, pro angue tempus intellexit. Accipiter hieroglyphicè filiorum adſignificat abdicationem, eò quia ſi tria pariat ova, unum duntaxat ſeligat, foveat, ac alat; cætera roſtro configat, qua ratione Ægyptij ſacerdotes, ut Patrem ſymbolicè iudicarent filios domo exactos ablegantem ſculpi, vel pingi curârunt accipitrem ovis incubantem. Diodorus per accipitrem volantem celeritatem voluit ſignificari, eò quia volatûs pernicitate cæteras antecellat aves: hinc victoriæ fuit itidem hieroglyphicum, & vulgò victoriæ ſimulacrum fingitur alatum. Columba pudicæ fuit uxoris hieroglyphicum, quia tametſi procaciſſimæ ſalacitatis, ac laſciviæ notam apud gentes contraxiſſet, incomparabile tamen continentiæ exemplum, ſummámque pudicitiam in ipſa deprehendebant Ægyptij ſacerdotes, eò quia marito fidem ſervet inviolatam: & fœminam, quæ viduata marito pudicitiæ ſtudio clareſceret per ſubnigram expreſsêre columbam, ut refert Tertullianus in ſua Monogamia, inquiens: *Nigram Ægyptij fecerunt columbam, id ſcilicet indicantes, quod ad ſecundas nuptias non tranſiret, ſed atrata viri prioris deſiderium præſeferret.* Per duas utriuſque ſexus columbas ſe invicem exoſculantes illecebras amatorias indicârunt Ægyptij: hinc habetur illud apud Senecam Mæcenatis effatum, *columbatim labris inſerens labra.*

12 Turtur pudicam, ac continentem ſymbolicè prodit viduitatem, quia marito vitâ functo adeò ſe ab aliarum volucrum abdicat conſortio, illudque exhibet mœroris exemplum, ut nunquam inde cum alio volucre iterè pariatur ſocietatem, ſed reliquum vitæ abſque conjuge in perpetuo ducat cœlibatu, ſola ramo, eaque [illegible] frondeſcenti unquam inſideat [illegible] ad luctum, ac parentalia videntur pertinere. [illegible] producit Baſilius exemplum viduis ſuaſurus continentiam: *Audiant:* inquit, *mulieres ipſa, ut animalia rationis expertia viduitatis honeſtatem in decore iterati connubij anteponant; ſi hæc avicula, recordatione conſortis, conjugium alterius abnuit, ſua contenta ſolitudine.* Hirundo ſuis ſuppeditans pullis alimoniam patrem hieroglyphicè indicabat hæreditaria jure æquè filijs impertientem: imò & Principem æquè in omnes juſtitiam adminiſtrantem. Plerique calathum cum hirundineis pullis in aliquibus veterum monumentis inſculptum, hieroglyphicum inſtitutionis eſſe autumant. Alij hirundinem nidum conſtruentem hieroglyghicum poſuêre hominis Architecturæ ſtudioſi. Quippe nos hirundo edocuit, aggeres redundantium inſultibus fluminum objicere, domóſque cæmentitias imbribus, ac ventis opponere irruentibus. Mirum ſanè hujus aviculæ ingenium in conſtruendo nido, etenim cum nidum luto conſtruit, ſtramento roborat ad lutarij palearij exempla, & ſi contingat ut luti copia ei non ſufficiat, ipſamet ſe totam aqua madefacit, móxque volutat in pulvere, & pennis ſingulis ita lutum contrahit, ut illi ampliùs materia non deſit ad inceptum opus perficiendum. Per hirundineos pullos hiante ore in nidulo pictos ſignificari voluêre Ægyptij ſacerdotes, populos ſuppetias à Numine expoſcentes, quâ ratione Ezechias cant. ait *ſicut pullus hirundinis ſic clamabo.* Cæterum hirundines gregatim è mari convolantes, verni temporis habentur indicium, non tamen ſi ſola advenerit juxta vulgatum adagium, *una hirundo non facit ver.*

Virum ſenem muſicæ ſtudioſum apud Ægyptios ſculpta, vel depicta Cygni effigies referebat, quia eò ſuaviùs moduletur Cygnus, quò propiùs in ſenium vergit. Ferunt plerique, Cygnos extremo propemodum confectos ſenio argutiores, ſuavioréſque ob gutturis exilitatem emittere cantus, idque eos ſymbolicè poëtas exprimit, qui ætate provecti ſcribere aſſolent elegantius, ac ſuaviùs canere. Id etiam habent olores peculiare, quòd alter alterum depaſcatur; crebras ex invidia, ac æmulatione pugnas ineant, ſeſéque mutuis dilacerent morſibus. Congruit id etiam poëtis: quorum alter alteri invidet, quia ut bellè cecinit ille. 13

Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Elegantis muſicæ hieroglyphicum ubique gentium Luſcinia cenſetur, ob multiplicem vocis varietatem; ac ſuavitatem, vel pertinacem in cantu continuationem, ac delectabile oblectamentum: præ cæteris canoris volucribus cantum emittit ſuaviſſimum, quem nunc continuato ſpiritu in longum trahit, nunc inflexo variat, mox conciſo diſtinguit, intorto copulat, promittit, revocat, & ex inopinatò infuſcat. Autumant non pauci, hanc avem homines muſicem edocuiſſe. Alij nocturnarum lucubrationum hieroglyphicum poſuere Luſciniam, quia verno tempore per totam fere noctem dulciſono delectetur modulamine. [illegible] ſymbolicè virum prodit eloquentiâ inſignem, quia [illegible] avibus humanas articulatiùs explicet voces. [illegible] duntaxat id præſtat, quia linguam habeat latiorem, ac carnotiorem humanæ propemodum 14

nibus: *apud eos*, inquit Diodorus Siculus, *ars literaria non compoſitione ſyllabarum, ſed deſcriptarum imaginum ſignificatu, & translatione per excitationem memoriæ inſculpta, ſubjectam orationem exprimit, & abſolvit.*

3 Cæterum res abſtractæ, quæque noſtros minimè feriunt ſenſus multipliciter poſſunt figuratè repræſentari. Obvia fit omnibus mors, cujus teretrum, ut loquitur D. Gregorius Nyſſenus *orat. contra baptiſmum dilatum* omnem efferi ætatem, hodie ſenem, cras florentem, ac elegantem adoleſcentem, mox virum robuſtum: cum ſit mors, vitæ privatio, ſeu ſejunctio rationalis animæ à corpore non cadit ipſa ſub ullum ex ſenſibus: nihilominus per rerum corporearum imagines multifariè illam ſolemus ſenſibus objicere. Primò ſi oſſuatiam, vel cadaver exhibeamus inflictis vulneribus ſaucium. Secundò, ſi oſſeum ſimulacrum quod ſpiculum manu præferat. Tertiò, ſi alatum, falciferúmque ſenem, cui adjiciamus clepſydram, quæ jam effluxit, aut curſores in ſtadij metâ ſubſiſtentes. Quartò, ſi hiſtoriam aliquam curemus pingi, uti foret Lucretia ferro jugulata pro caſtitate tuenda. Quintò, ſi apologum adumbremus, ut ſi enectum exhiberemus leonem, cui inſultantes adderemus lepores, ad imbellium jactationem jacente hocce prodendam. Vel atratam Libitinam animas interſectorum in cymbam Charontis adigentem. Vel Parcam compreſſo forfice ſtamina reſcindentem. Sextò, ſi funereos ritus vulgò uſurpatos adferamus: uti ſi fingeremus Cæmentarium lateres aliquot ſedenti in ſolio Imperatori offerentem pro ſepulchri ſtructura, uti ajunt, Conſtantinopli quondam uſitatum ad extremæ diei memoriam juvandam. Septimò, ſi hieroglyphica labentis principatûs adſtantium oculis ſubjiciamus, uti roſam deciduam pro Britanico regno occumbente; vel diſcerptam aquilam pro diviſo imperio, aut multiplici vulnere confoſſo principe. Octavò, ſi cœleſtia ſigna producamus, uti ſolis eclipſim ad patientis Servatoris Chriſti exhibendam necem. Hæc imaginum varietas plurimum præſefert oblectamenti, quo res iconomiſticâ arte repræſentatæ ſuaviùs animum titillant.

4 Cæterùm ſi ea contingant pingenda, quæ ſenſus fugiunt, adumbrandum id erit per eas rerum ſenſibilium imagines, quæ cum rerum delineandarum proprietatibus ſimilitudinem præſeferunt. Sic *Tempus* ſubjiceret ſenſui ſenex verſicolore veſtitu, varijs floribus, ſpicíſque coronatus, quique dextrâ ſerpentem caudam ore mordentem, alatúmque; ſiniſtrâ zodiaci circulum gereret. *Æternitatem* mulier triceps amicta ſindone, anguem circularem, orbem, ſolem, lunámque gremio gerens, haſtam dextrâ, baſiliſcum capite. *Ætatem auream* puella elegans virentis oleæ innixa caudici, aureo capillitio naturaliter ſparſo, veſte itidem aurea, cum cornu copiæ flores, fructúſque effundente. *Ætatem argenteam* puella formoſa, elegantiâ tamen paulò inferior priori, ornatu capitis, ac totius corporis argenteo, minoribus ocreis induta, dextrâ aratro innixa, læva ſpicas gerens flaveſcentes. *Ætatem æream* puella erecto ſupercilio ſuperbiens, armata, & galeata, quæ dextrâ haſtam teneat. *Ætatem ferream* puella omni armorum genere inſtructa, veſtitu ferrugineo, dextrâ enſem vibrans, ſiniſtrâ ſcutum ferens monſtro inſignitum horribili. *Vernam temperiem* puella formoſa, jucunda veſtitu multiplici diſtincto flore, roſis, tulipis, hiacintis, aliiſque floribus redimita, ſiniſtra aviculam cantu argutam tenet, cui colludit; ſertum dextrà omnigeno compactum flore. *Æſtatem* puella vegeta, robuſtiórque amictu flavo cum cornu flaveſcentibus referto ſpicis, dextrâ accenſam deferens facem. *Autumnum* virago veſte prolixa uvis coronata ſpumantibus, cornu inverſo ſingulos ſpargit fructus, qui id temporis maturiunt. *Hyemem* ſenex capillitio caneſcente, craſſiori indutus panno, ambas manus, pedéſque proximo admovens igni. *Diem artificialem* illud dumtaxat comprehendentem temporis ſpatium, quo ſol in noſtro illuceſcit emiſphærio, puer formâ inſignis, alatus, multiplici coronatus flore præſertim heliotropio, veſtitu albo cum face accenſa, quâ manu tenet. *Diem naturalem* complectentem illud temporis intervallum, quo ſol ab aliquo cœli puncto, ſeu meridiano digreſſus ad eundem revertitur puer itidem alatus, heliotropijs, lilijs tum albicantibus, tum nigricantibus coronatus; veſtitu partim albo, partim nigro; curru vehitur, quem trahunt equi duo: quorum alter albus, alter niger ad horas diurnas, ac nocturnas indicandas, ex quibus dies naturalis conſtat. *Noctem* puella veſtitu cœruleo, adjectis humero alis, papavere conciliante ſoporem coronata, ſtellis quaquaverſus ornata.

5 Facultates, quas liberas vocant, eò quia viro libero cenſeantur dignæ, ſubjici pulchrè poſſunt oculis penicillo, ſi figuris facultati pingendæ accommodatis inſtrumenta adjiciantur, quibus depictæ facultatis cultores utuntur, quo pacto *Matheſim* exhiberet puella veſtitu albo, notis, figuriſque mathematicis eleganter depicto, cujus capiti ineſſent alæ, manui dextræ circinus, ſiniſtræ ſolare horologium. *Aſtrologiam* elegans puella ſerto redimita ſtellifero adjectis utrique humero alis, quæ dextrâ ſphœram cœleſtem, læva ſceptrum oſtentat. *Geometriam* puella viridi amictu dextrâ circinum, ſiniſtrâ triangulum gerit. *Medicinam* Matrona gravitate inſignis, baculóque innixa, cui ſerpens ſpiratim involvatur. *Philoſophiam* puella veſte ſubtili circumamicta, quæ dextra librum teneat, lævâ ſceptrum, in cujus pectore magnum T. in veſtium extremitate P. & inter utramque literam ſcalæ videantur depictæ. *Ethicam* puella perpendiculum dextrâ tenens, ſiniſtrâ frænum, quo leonem compeſcat. *Muſicam* formoſa, & elegans puella, cujus veſtis diſcolor, dextra tubam tenens, cui luſcinia inſideat, lævâ ſchedam muſicis depictam notis. *Rhetoricam* ele-

elegantiſſimis pingit Lucianus coloribus: ſedet puella in edito ſolio, formoſa aſpectu, vegeta corpore, veſtitu diſcolore perelegans, dextrâ ſceptrum complectitur, cornúque Amalsheæ omnigeno fructu, ac flore refertum, ex altera parte aſtantem indicat Plutum adoleſcentem penitus aureum, vultúque amabilem, quem Gloria, Potentia, aliæque id genus Divæ frequenti ſtipant comitatu: ex alia Laudes pleraſque puſillis amoribus perſimiles. *Artem Nauticam* exhibet puella alata, anchoræ innitens, ac nauticam pixidem manu tenens. *Picturam*, puella aſpectu perelegans, veſtitu diſcolore circumamicta, quæ dextrâ penicillum, ſiniſtrâ bacillum cum pictoria chonca gerat. *Venationem* Diana habitu ſuccincto, cum arcu, canibúſque venaticis, in cujus capite ſemiluna ſpectetur.

6 Virtutes etiam, & vitia hæc ars Iconomyſtica ſuis delineat coloribus. *Abſtinentiam* oculis ſubjicit puella gracilis, quæ dextrâ os ſibi claudat, ſiniſtrâ diſcum omnigenis refertum dapibus prætendat; cum epigraphe *non amor, nec clamor.* *Æquitatem* Virgo erecta, quæ dextrâ bilancem pondere utrinque teneat æquatam; lævâ Scipionem ulnis, palmis, ſemipalmjs diſtinctum, ut hac menſurâ æquet omnia. *Amorem* muliebrem puella veſte candidâ, redimita ſerto roſis utriuſque coloris intexto, dextra facem accenſam, lævâ arcum deferens, duáſque anchoras per cor humanum decuſſatas juxta ſe habens. *Amorem* virtutis puellus nudus, alacer, coronatus lauro, cum arcu, & face accenſa. *Avaritiam* mulier macilenta, cogitabunda, crinibus ſubnigris, ac neglectis, aſpectu triſtis, veſte lacera. *Audaciam* vir cataphractus erecto ſupercilio cum epigraphe *per tela per enſes.* *Benignitatem* mulier amictu cæruleo aureis ornato ſtellis, utraque manu ex uberibus lac pueris exprimens. *Bonitatem* puella perelegans, ac decora veſtitu cæruleo, cœlum ſuſpiciens paſſis manibus, quæque in gremio pelicanum foveat fuſo de præcordiis ſanguine pullos enutrientem. *Calumniam* ex Luciano mulier eximiè compta, vultu, geſtúque corporis efferam rabiem, & iram æſtuaote conceptam pectore præſeferens, ſiniſtrâ facem tenens flammivomam; dextrâ adoleſcentem capillis prehenſum, manus ad ſuperos tendentem, ac obteſtantem immortalium Numinum fidem rapit. Anteit vir palleſcens ore, impurus, acie oculorum minimè hebeti, quem facilè conjicias, Livorem eſſe. Mulierculæ aliquot inſequuntur Calumniæ comites, quarum munus deprehendas eſſe Dominam ornare, inſtruere, comere, ot conjicias Inſidias eſſe. A tergo atrata veſte, pullata, ac lacera ſubſequitur Pœnitentia, quæ capite in tergum deflexo pudore perfuſa, ac lachrymis madida procul accedentem excipiat Veritatem. *Cædem* repræſentat mulier veſte ſanguinea, dextram anſato gladio, lævam face armatam oſtendens, quæ aſpectu terrifico ſaucia intuetur cadavera rubenti ſanguine madida. *Clementiam* Matrona vultu decora, quæ Lauri ramum virentibus folijs ornatum dextrâ complectitur, lævâ baculum authoritaria ſymbolum. *Concordiam* Matrona ſtans haſtæ innixa quaſi peracto bello otium quærat, facie decoram, cornu complectitur Amaltheæ omnigeno refertum fructo: non procul duo turtures nonnihil diffuſum Sceptrum duplici Lauri ramo colligare nituntur cum epigraphe: *Revincta virebunt.* *Conſuetudinem* vir jam ſenio confectus barbâ prolixâ, baculo innixus, humero deferens faſces plurium inſtrumentorum cum inſcriptione *vires acquirit eundo.* *Detractionem* mulier ſedens veſte ſubnigra, & lacera, quæ linguam exerat, pedibus tubam premat, dextrâ gladium vibret, lævâ oculos abducat. *Diſcordiam* mulier teterrima, veluti altera ex Averni furijs, capilitio viperis implicito, ſupino capite, liventibus labris, oculis putridis, lachrymis fluentibus, dextra accenſam tenens face, læva ventoſum follem ſymbolum diſſidij excitandi. *Dolorem* vir aſpectu triſti, oculis fletu madidis, corpore ſeminudus, cujus pedes ferreæ obſtringant catenæ, pectus ſerpens in ſpiras convolutus dilaceret, quique abſynthij ramum manu teneat. *Errorem* adoleſcens, qui præferat io ſcuto virum pictum, & obvolutis oculis in trivio viam baculo exploret. *Famam* mulier ſubtili panno induta, tubam inflans, ac expanſis alis hac, illácque diſcurſans. *Felicitatem* in numiſmate Antonini Pij mulier lauri gerens ramum. In numiſmate verò Commodi Cæſaris duplex cornucopiæ interjecto caduceo complectitur. *Fortitudinem* virago querno redimita ſerto, clavam manu gerens, rictúque leonino caput obtegit, adſtat camellus indefeſſi laboris hieroglyphicum. *Furiam* vetula rugoſa, horrido, ac neglecto capillitio, dextrâ ſcuticam, læva accenſam deferens facem. *Gloriam* puella formoſa, elegans, ac jucunda, auro gemmiſque coronata, quæque dextra librum cum olivæ ramo, ſiniſtrâ clypeum aureum complectatur. *Honorem* in numiſmate Marci Aurelij Antonini vir gravis togâ pacificâ latâ, clavo, & habitu ſenatorio inſignis. *Humanitatem* Mulieg in ſcuto elephantum gerens, cui Æthiops inſidens canem contrectat. *Ignorantiam* Puella deformis, cæca, eleganter veſtita, papavere coronata, nudo pede inter urticas incedens. *Iram* mulier ambabus maxillis tumida, oculie ſanguine rubeſcentibus, naribus apertis, humeriſque elatis iracundiam ſpirans, obarmata caſſide flam̃am exhibente eidem appictam, dextrâ gladium diſtrictum, lævâ facem præferens accenſam, ſubnigro induta panno. *Laſciviam* tres Satyri pleno hauſtu ſibi propinantes. Vel puella procumbens, ad omnem indota elegantiam, quæ ſiniſtrâ ſpeculum gerat, in quod ſe intueatur, dextrâ comas pectat. *Magnanimitatem* virago leonino rictu galeata, ſceptrum manu gerens, non procul adſtat aquila expanſis alis, ac irretorto vultu ſolem intuens. *Moleſtiam* puella reti involuta quæque ſpinas nudipes calcet. *Melancholiam* ex Alberto Durero pictore elegantiſſimo mulieg

de-

Digitized by Google

demiſſo capite ſedens, manúque cubito innixa, quem genu fulcit, vultu ſevero, quaſi in profunda meditatione, quæque nuſquam aſpicit, ſed dejectis palpebris humum intuetur, omnia ſunt circum illam obſcura. Ipſa claves habet lateri appenſas, capillitio eſt neglectiore, ac diffuſo, circum illam viſuntur plurium inſtrumenta artium, regulæ, circini, normæ, ferramenta, & lignea quædam opera. Jacet itidem non procul canis, altera corporis parte contractâ, alterâ exporrectâ, cujuſmodi ſolet hæc beſtia in faſtidio eſſe, ac languaſcere. *Negligentiam* puella deformis procumbens capillitio ſparſo, veſte lacerâ, manu tenet horrologium inverſum, ceu clepſydram minimè fluentem. *Occaſionem* mulier occipitio calva capillis frontem operiens, feminuda, pedibus alaris rotæ inſtans dextrâ novaculam gerit. *Pacem* in numiſmate Cæſaris puer dextrâ oleæ ramum tenens, lævâ accenſum funale, quo armorum inflammat acervum. *Plauſum* adoleſcens ſpecioſus elatis manibus crepitaculo, ac æneis annulis tinniens.

EXPENSIO XXXII.

Locus ab Adagijs expenſus.

1 ADagia, quæ ſi appoſitè inſerantur orationibus, plurimum valent ad erudiendum, ac animos demulcendum: ſunt *dicta arguta communiter uſurpata, & uſu trita, quæ à paucis ad plura ſimilia transferri commodè poſſunt;* non tamen obſcura, ſi quæ ſunt, admiſceri debent orationi; neque frequenter; ſed ut res tantùm poſtulat. Adagio perquàm affinis eſt parœmia, quæ definitur, *celebre dictum quapiam novitate inſigne.* Vel ut placet alijs: *proverbium accommodatum rebus, ac temporibus:* unde adagium latiùs patet quàm Parœmia: debet adagium eſſe effatum celebre vulgò jactatum, ac ſcitum; ut aliqua ſpeciali nota ſecernatur à ſermone communi. Oritur celebritas adagiorum ex oraculis Numinum, dictis Sapientum, fabularum argumentis, Apologis, hiſtorijs apophtegmatis. Novitatem plerumque res ipſa ſecum adfert, vel eam conciliat metaphora, quæ pene ſemper adeſt, vel ænigma, quod eſt obſcurior allegoria. Hinc adagium differt ab apophtegmate, quod eſt argutum dictum illuſtrium virorum; ſeu brevis, & acuta ſententia. Differt etiam à ſcommate, quod eſt ſalsè dictum, ſeu morſus figuratus, qui ſæpe fraude, vel urbanitate tegitur, ut aliud ſonet, & aliud intelligatur, ut eſt illud in Salſamentarij filium: Tace tu, cujus Pater ſe cubito ſolet emungere. Vel illud Ciceronis in Caninium unjus diei conſulem: Olim flamines, nunc Conſules ſunt Diales. Differt à Lœdoriâ, quæ eſt manifeſta contumelia, ſeu apertum convitium. Conciliant adagia decus, & gratiam orationi. Verùm ſicut non eſt mediocris artificij gemmulas ſcitè includere annulis, aurúmque intertexere purpuræ; ita non eſt exigui ingenij adagia appoſitè inſerere orationi. De Adagijs præ cæteris eruditè ſcripſit noſter Aloyſius Novarinus.

Proderit meminiſſe, ut, quod Ariſtoteles monuit de epithetis, id in adagijs uſurpandis obſervetur: nimirum ut illis parcè utamur, non tanquam cibis, ſed ut condimentis, ſeu non ad ſatietatem, ſed ad gratiam, & venuſtatem. In epiſtolis licebit paulò liberiùs hoc genere adagiorum ludere. Fontes, e quibus adagia hauriuntur, plures ſunt: ſiquidem poſſunt deſumi ex gentium moribus, ut cum quis dicitur Pœno perfidior, Scytâ aſperior, Parthis varior, Thracibus bibacior, Care vilior, Perſis mollior, Hiſpanis gravior, Gallis elegantior. Interdum eruuntur adagia ab officijs, ac muneribus, quæ in Republica exercentur; ut cum dicimus; Lenone magìs perjurus, Carnifica crudelior, milite glorioſior, excubijs vigilantior, meretrice petulantior. Deſumuntur etiam adagia à perſonis, ut cum quis dicitur Crœſo ditior, Codro pauperior, Catone ſeverior, Zoilo invidentior, Samſone fortior, Timone averſior, Salomone ſapientior, Numâ religioſior. Vel à perſonis comicis, Davo verſutior, Euclione parcior, Phormione confidentior, Thaide blandior. Vel à perſonis fabuloſis; Hectore facundior, Hercule fortior, Ulyſſe callidior, Tantalo eſurientior, Oreſte inſanior, Cyclope immanior, Iro pauperior. A fabulis proverbialiter dicimus: Serò Jupiter Diphteram inſpexit. Tydæus corpore, animo Hercules. Herculis ſacrificium: Ajacis riſus. Marſyæ mors. Medææ veneficium. Niobes archetypum. A perſonis Deorum: Dianâ intactior. Hypolitho caſtior. Venere formoſior, Mercurio facundior, Charitibus blandior. Baccho temulentior; Cerere opulentior, Pallade doctior, Marte ferocior. Ab animantibus, paſſere ſalacior, hirco libidinoſior, Cygno candidior, agno innocentior, luſcinia vocalior, corvo tetrior, cervo vivacior, vulpe fraudulentior, lepore timidior, piſce ſanior, aquilâ velocior, prudentior ſerpente. A rebus ſimilibue in qualitate. Melle dicitur quiſpiam dulcior, nive candidior, nocte obſcurior, ſole meridiano clarior.

Aliquando proponuntur adagia per modum ſententiæ. Ut *Magnus eſt magnes* proverbialem Salem ſapiunt hæc verba. Princeps ad ſe trahens ſubditorum pecunias per impoſita tributa Magnes dicitur, veluti magnetica vi imbutus, quia ſi magnes ferrum; princeps aurum, & argentum ad ſe trahit. Utimur etiam hoc adagio ad rem indicandam, quæ magnas in animis hominum movendis, ac alliciendis, & flectendis vires præſefert, ut vi quadam abdita eos ad ſe trahat, cujuſmodi ſunt *lucrum, voluptas, dignitas.* Etenim ſi lucrum, & voluptas animum ſubeant, ad ſe trahunt totum hominem, cujus ſunt rapaciſſimi magnetes. Manus itidem avari dicuntur vim habere magneticam: ſcitè Jovinus. 3

Pro dextra cupido lapis eſt Magnetis avaro :
Scilicet occultis viribus æra trahit.

4 Generarim quidquid nos allicit, ac in ſui
rapit deſiderium, vel amorem Magnes dicitur;
unde cecinit ille

Et ferrum magnes, & viles ſuccina culmos ;
Et ſibi quid amat jungere, quiſque cupit.

5 *Quicquid eſt pulchrum, ſequitur Momus.* Mo-
mus Numinum cœtui adſcitus, eorum vitia
ita carpebat, ut nemini parceret; ſed in o-
mnes linguam & dentes acueret. Hinc Mo-
mus dicitur ſeverus quiſque, cenſor, qui in a-
liena luce umbras redarguit. Clemens Alexan-
drinus lib. 7. Strom. *Quidquid eſt pulchrum,*
ſequitur Momus.

6 *Se proprio baculo percutere* olet hæc formula
loquendi proverbium; & in eos torquetur,
qui ſibi obſunt, cum deberent ſibi prodeſſe;
vel qui ut alijs inferant damnum, ſibi magis
nocent.

7 *Neſtore eſt provectior* de ſene capulario dici-
tur. Auſonius ad uxorem.

Neſtore ſis quamvis provectior, æmulaque annis
Vincas Cumanam, tu quoque Deiphoben,
Non ignoremus, quid ſit matura ſenectus :
Scire ævi meritum, non numerare decet.

8 *Ad Phœniceos, & Neſtorios annos vivere.* U-
timur hoc adagio, cum diuturnam alicui vi-
tam precamur, quæ enim de phœnicis ævo,
& Neſtoris ætate produntur, obvia cuique
ſunt. Hinc ad amicum ſcribimus, vale ad
Phœniceos, ac Neſtorios annos.

9 *Sola temporis avaritia utilis eſt*, experimen-
to docemur, omnem avaritiam præſertim pe-
cuniarum eſſe noxiam, & ſolam illam tempo-
ris probandam. Ideóque ſunt plures corri-
piendi, qui tempus flocci facientes illud pro-
digunt: ait Seneca de brevitate vitæ. *Mi-*
num re omnium pretioſiſſima luditur, vix eſt, qui tem-
pus æſtimet : culpa in paucis non reprehenden-
da; & in hominibus, qui nullo non momen-
to meliores effici poſſunt, eſt prorſus intole-
rabilis. *Utimur tempore ſegniùs* ſubdit Seneca,
& cuilibet illud petenti damus, quaſi nihil demus ;
cùm tamen hoc unum ſit, quod ne gratus quidem
poſſit reddere. Profuſionis cauſa, hæc forſan,
quia rei fluxæ jactura videtur levis; vel quia
nos piget injecta manu velociſſimæ rei moram
facere.

10 *Ovis cum leæna non pabulatur.* Utimur hoc
adagio ad indicandum aliqua inter ſe minimè
cohærere, & quod vir probus improbi debeat
conſortium fugere.

11 *Scarabeorum verba loqui.* Hâc dicendi for-
mulâ eos redarguimus, qui nonniſi ſcurrilia,
impura, & obſcœna verba loquuntur: Scara-
bei in cœno ſe volutant.

12 *Adverſa præſtant, quæ negant proſpera.* Quia
vexatio dat intellectum, quò fit, ut plerum-
que utiliora ſint, quæ nobis obeſſe videntur,
quàm quæ prodeſſe.

13 *Aurea clavis omnem januam aperit*, hâc for-
mulâ ſignificamus, quanti ſit aurum roboris:
ejus ſplendore plerumque cæcutiunt munitiſſi-
marū arcium Præfecti, & arces, quas ferrū ever-
tere nequit, aurum vincit: hinc vulgò aurea
clavis omnem dicitur januam aperire, & D.
Gregorius Nazianzenus pulchrè ait: *Auro lo-*
quente iners eſt omnis oratio ; perſuadet, etiam
ſi vocem nullam edat. Quinimò eſt aurum in
litibus plerumque arbiter, in affectibus tyran-
nus, in deliniendo ſirenula: Tulliani tuba
rauceſcit eloquij, ubi pecunia loquitur; He-
ctoreæ militiæ fulgura compeſcuntur, ubi
nummus decertat, virtus frangitur Herculea
ubi haſtis pugnatur argenteis.

Neſcit vox miſſa reverti : olent proverbi- 14
um hæc verba, quibus indicamus, verba ſe-
mel prolata non poſſe revocari; & eſſe ſilen-
tio ſepelienda, quæ nolumus alijs innoteſce-
re.

Nec ſi pactolum dares. Aurigerum hoc 15
flumen in adagium abjit; celebre eſt aureis a-
renis, & innuimus, rem nobis percharam eſſe,
quâ nec pro quavis pecunia privari volumus,
quia nullo pretio eam venum damus.

Æthiopem dealbare conamur. De caſſo ir- 16
ritóque labore hæc verba proſeruntur, hinc
Peluſiota *lib. 2. epiſt. 16.* ait: Nos, qui te ad
pœnitentiam cohortamur, tanquam Æthio-
pem dealbare conantes, comicis dicterijs inſe-
ctamur.

Pandoræ pyxis hisce temporibus eſt aperta. In- 17
dicamus hâc formulâ calamitates, & ærum-
nas, quibus divexamur, vel bella; quibus pre-
mimur; vel peſtem, quâ interficimur. Fa-
bulantur Poëtæ, Pandoram puellam ad ho-
mines tranſmiſſam cum vaſe omnia intus ca-
lamitatum genera includente; quo Epimethei
imprudentia aperto in omnem partem morbi,
& calamitates effluxerunt.

Fidelis Achates. Significamus hac formu- 18
la amicum fidelem, imò & ipſam virtutem,
quæ ſuos cultores nunquam deſerit: & Joan-
nes Euſebius *lib. 5. c. 25.* ad ſpem tranſtulit, in-
quiens: *Exemplo amicorum ſpes triſtioribus nun-*
quam deeſt rebus, nunquam illa ſequitur fortunam;
cùm autem nos derelinquunt amici, adeſt ſpes ſola
fidelis Achates.

Alter Antheus. Finxerunt Poëtæ, An- 19
theum ex lapſu in humum, & tactu terræ ro-
buſtiorem ſurrexiſſe ad pugnam: quoties vi-
ctus ab Hercule in terram cecidit, fortior inſur-
rexit ad pugnam; hoc adagio etiam utimur,
cùm quis ob ærumnas, & adverſitates, qui-
bus videbatur depreſſus, ſerenior ac lætior ap-
paret, vel intimiùs Deo adhæreſcit, ac virtu-
tes excolit uberiùs.

Frons Democriti foris, cor Heracliti intus: 20
uſurpamus hanc dicendi formulam ad indican-
dum quempiam lætitiam, & riſum in extimo
vultu præſeferre, cùm intus lurida prematur
triſtitia. A contrario ſeorſim etiam dicitur frons
Heracliti foris, cor Democriti intus, quando
aliud foris patet, & aliud intus latet, & ſub
triſtitiæ larvá internum gaudium occulitur.

Cœnum de cœlo facere, in illos torquetur, 21
qui cœleſtia contemnentes terræ duntaxat
commodis adhæreſcunt.

Cor-

22 *Corvus oculum Corvi non eruit*, uſurpamus hanc dicendi formulam, ut ſignificemus ſimiles, vel pares in dignitate, gradu, vel moribus non facilè ſibi damnum inferre: nec amicitiæ leges eos frangere, qui in morum rectitudine conveniunt.

23 *Pandoræ ſum filiæ.* Proverbium olet hæc ſententia, & torqueri ſolet in mulieres procaces, quæ verecundiam omnem ejuraverint, ac ſuis blanditijs, vel lenocinijs ad necem incautos alliciunt juvenes. Cùm Promerheus ignem furtim in cœlo ſurripuiſſet; Pandora vindicandi hujus ſceleris cauſa in terram fertur deſcendiſſe, & pro cœleſti, ac utili igne alium pernicioſum, ac peſtiferum detuliſſe, eóque hominum animos inflammâſſe.

24 *Honor Cyclopicus* de his dicitur, qui ad ſummam elati dignitatem Icario lapſu in miſeriarum ruunt Oceanum. Tritus eſt Amani lapſus in aula Artaxerxis, ejus honor cyclopicus fuit, cum è patibulo pependerit, quos Mardochæo paraverat, hujus adagij originem refert Elias Crethenſis: poſt Trojæ excidium Ulyſſes huc, illucque aberrans, & loca permutans in Cyclopum Inſulam appulit, cúmque è navi deſcendiſſet, & per Inſulam aberraſſet, in antrum incidit obſcurum; illic ſigna quædam nactus incolarom conſedit. Venit vir quidam prodigioſæ, ac inuſitatæ magnitudinis, *ſimilis*, ut utar verbis Homeri, *viro frumentum edenti*. Cyclops hic erat armenta paſcens, eáque in antrum reducens, qui cum Ulyſſem ejúſque ſocios conſpexiſſet, interrogavit, quinam eſſent: cúmque Ulyſſes proprium, & ſociorum, nomina exponeret, ille duos ex ipſis ſimul arripuit, contrivit, eorúmque corporibus cœnam ſibi apparavit, hinc metu perterritus Ulyſſes vinum, quod ſecum in utre detulerat, ſtuduit eum delinire, ac blandis verbis demulcere. Sed Cyclops hoc inqoit hoſpitale munus tibi do, quòd te poſtremum comedam, & hic honor Cyclopicus dicitur.

25 *Litteræ Uriæ* notæ ſunt in ſacra hiſtoria. ſiquidem Uriæ à Davide datæ ad Joabum Præfectum exercitûs, quibus injungebatur, ut Uriam ab hoſtibus occidendum exponeret. Proverbiali hoc ſchemate illi dicuntur Uriæ litteras deferre, qui in proprium damnum litteras deferunt commendatitias, quæ ipſis magìs nocent.

26 *Res in Democbriti puteo adhuc latet.* In Demochriti puteo veritas dicebatur latere, eò qoia non regnaret inter homines, qui mendacijs magis gaudebant. De quovis etiam arduo negotio, quod non facilè ſuum valeat finem ſortiri, dicimus adagiali ſale rem adhuc in De[illegible]

27 *Dignitatibus homines dandi, non dignitates hominibus*: hac proverbiali formula indicamus quærendos potiùs eſſe viros dignitatibus dignos, quàm viris dignitates.

28 *Filo Ariadnæo duci.* Vulgata eſt Ariadnæ fabula, ejúſque filum, quo ex Cretenſi labyrintho Theſeum extraxit, ne interficeretur à Minotauro, unde hic dicendi modus uſurpatur, & dicitur de eo, qui certa regula in re ambigua, & in qua difficilis eſt exitus, ab aliquo perito Doctore ducitur, ut in negotio perdifficili; dicitur hic Filo Ariadnæo duci.

29 *Eſt nodus pluſquam Gordianus*: uſurpamus hanc formulam, cum negotium pluribus eſt difficultatibus involutum, & extricatu difficile.

30 *Briarei manus alienis bonis injicere*: torquetur in principes avaros, qui pluribus oneribus ſubditorum divitias exſugunt: unde S. Gregorius Nazianzenus *orat. 29.* ait: *Ut alios cerneret publicu bonis Briarei manus injicientes, ac malis lucris turgentes.*

31 *Semper uxor Loth retro reſpicit*: dicitur de eo, qui ab inchoato bono recedit.

32 *Siſyphus in montem faciliùs urgeret*, de eo dicitur, qui irrito conatu in aliquod negotium, quod vix fieri poteſt, incumbit, & in caſſum deſudat.

33 *Echneide tardior* uſurpatur, cùm negotium aliquod ob exilem difficultatem remoratur: ut etiam de aureis pomis, quæ Athalantæ curſum detinuerunt, hinc dicimus, ſuas habere aurum remoras, quibus curſus ad cœleſtem patriam retardatur.

34 *De Sylla in Charybdin transferri*, utimur adagiali hac formula, cum indicamus ad effugiendum aliquod malum in aliud gravius hominem prolabi.

35 *Ex Lethæo gurgite aquam bibere*, uſurpamus hoc adagium, cùm quis obliviſcitur rei jam memoriæ datæ: ei enim intorquemus, nunquid Lethæos latices bibiſti? vel cùm volumus aliquem obliviſci injuriarum, hortamur, ut lethæi undas velit ebibere.

36 *Tantaleum poculum libare*: ad firmandam amicitiam adagiali hac formula utimur. De Tantali poculo ſcribit Beroäldus, inquiens. Iarchas apud Indos Philoſophorum erat princeps, penes quem Tantàli ſtatua ſubſcriptione notata eſt, quatuor cubitorum longitudinis, qui ſimilis propioanti phialam porrigit, in quam humor diſtillat incorruptibilis: ex hoc Tantali poculo conſueverunt Philoſophi Indici bibere, apud quos amicitiæ firmandæ causâ hæc compotatio inventa eſt.

37 *Spes alit, & fallit*, jacitur adagiàlis hæc formola in eos, qui ſpem ſuam in rebus caducis, ac fluxis collocant: ſuos enim Deus ſpe alit, & non fallit, quia infinitè verax: ſpes enim mundi dicitur alere, & fallere, & ſpumæ ſimilis.

38 *Methanæa non laborare* eſt vitam ita inſtituere, & in re aliqua ita ſe gerere, ut non facilè aliquod committatur, cujus nos pœnitere debeat.

39 *Semper inops quicumque cupit*: Convenit avaris, qui divitijs affluentes ſemper plura cupiunt poſſidere, unde ajebat Evangelicus Dives *Luc. 12. v 17. Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos*, ait S. Zeno: audis egentis voces, quis non talis miſereatur? quis non felicttatem ejus doleat, anguſtiatur ex abundantia; conſtringitur, & coarctatur ex opu-

Digitized by Google

opulentiâ; infelix in præſentibus bonis, infelicior io futuris, & ideò ager ei non tam reditus largiores, quàm gemitus attulit graviores: terra ei non fructuum copiam, ſed curarum moleſtiam germinavit.

40 *Pomum Athalantæ ſequi.* De ijs proverbialiter dicitur, qui à propoſito inſtituto digrediuntur, & aliena ſectantur Athalaota Cenæi filia cum Hippomene pedum celeritate decertans, victa fuit, quia in ipſo curſu objecta ſibi ab Hippomene aurea poma colligeret, curſúmque retardaret.

41 *Inter ſecunda Theſeus, inter adverſa Protheus:* feſtivè torquetur in eum, qui amicis adhæret, cum proſpera eis fortuna favet, fugit verò cum adverſitatum fluctibus premuntur. Sidonius Apollinaris *lib. 3. epiſt. 13.* ait: *Hoc fabricatu Dedalus noſter amicitiarum culmen ædificat, qui ſicut ſodalibus velut Theſeus inter ſecunda ſociatur; ſic ab ijs poſtmodum velut Protheus inter adverſa dilabitur.*

42 *Alter Anaxarchus ærumnas ridet*: dicitur de animo forti, ac conſtante in adverſis. Anaxarchus, cum tunderetur in mortario, dixit: Anaxarchi follem tunde, non Anaxarchum; ac ſi carnis imbecillitatem omnem exuiſſe videretur.

43 *Amicos de Mammona ſibi fabricare* eſt opum largitione benevolos ſibi pauperes facere, ſcitè Tertullianus lib. de pat. cap. 7. *Non pigeat donare eum, qui non timet perdere; alioquin quomodo duas habens tunicas alteram earum dabit nudo, niſi idem ſit, qui offerendo tunicam etiam pallium offerre poſſit? quomodo amicos de Mammona fabricabimus nobis, ſi eum in tantum amaverimus, ut amiſſum non ſufferamus.*

44 *Ad rei Colophonem ſe conferre*, eſt ultimam manum alicui operi imponere.

45 *Mel Atticæ*, adhibemus hanc formam, ut oratorem ſignificemus ſuaviſſimæ eloquentiæ: quo pacto Meleſius Presbyter in Ponto eloquentiâ laudatiſſimus Mel Atticæ nuncupabatur. *Ars enim oratoria*, ait Nicephorus, *in eo viſa eſt nativa.*

46 *Aurea fræna meliorem equum non faciunt*, adagium olent hæc verba, ſignificamus divitias, & facultates non augere virtutem divitis.

47 *Quod tacitum eſſe velis, nemini dixeris.* Hoc proverbio alios monemus, ne cordis ſecreta facilè alijs concredant, qui enim prodi non vult ab alijs, neceſſe eſt alijs ſecretum ſuum, non prodat: difficiliùs ab alijs impetrabit, quod à ſe non valuit obtinere. Non tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum.

48 *Lutum exornare* de ijs dicitur, qui inepti ad dignitatem efferuntur.

49 *Mens labyrinthea* dicitur, quæ multiplici eſt confuſione obvoluta: & etiam de illo, qui pluribus ſimulationum involucris, ſinuoſis amphractibus, ac flexuoſis aſtutiarum fraudibus à mentis candore, & veritate aberrat.

50 *Ægyptia templa referre*. olet hæc phraſis proverbium, quo indicamus, aliquem totum eſſe in externo corporis cultu, & intus in animo omnia negligere. Ægyptiorum templa omni pretioſo ornatu auro, etiam, & argento erant ſplendida, ſed intus Deus, qui quærebatur, minimè aderat: ſed felis, vel Crocodillus, vel ſerpens, qui ſuper veſtem ſtragulam purpuream volutaretur.

51 *Ferociâ, & confidentiâ Salmoneum ſuperare*; dicitur de ſuperbo magna quæque moliente, & terrores ſpargente, metúmque alijs incutiente. Fuit Salmoneus Æoli filius, & Rex Elidis, qui cum divinos ſibi honores petulantiùs arrogaret, Jovémque ſtructo æneo ponte tonando, & in jaciendis fulminibus imitaretur, ab eodem fulmine ictus, ad inferos detruſus eſt. De Salmoneo ait Ferrarius *orat. 23. Hic enim verò non poſſum, quin inter ſeria rideam Salmonei Regis ridendam inſaniam, tonitrua, & fulmina æneo ſuper ponte quadrigarum ſtrepitu, & flammarum ictu unus laborioſè imitantis.*

52 *Arte Pelaſca laborare*: torquetur in eum, qui ſumma calliditate, & aſtu pollet, ſtudétque nectendis, tuendiſque fraudibus. Pelaſci erant populi vetuſtiſſimi Græciæ, qui hoc vitio laborârunt, ex Arcadia oriundi. Hinc Silius lib. 4.

Calliditas Graia, atque aſtus pollentior armis.

53 *Rota Ixionis torqueri* dicitur de ambitioſo, vel avaro, qui ad illicita rapitur, ſunt mundi deſideria volubiles rotæ, quibus ambitioſi veluti Ixiones jugiter volvuntur, & à Regio Vate dicuntur in circuitu ambulare.

1 Ad uberiorem eruditionum ſegetem producuntur, exhibentúrque pleraque alia ſelectiora adagia petita ex hiſtorijs, fabulis, rebúſque naturalibus; & ſcommata, paræmias, redolentia.

2 *Abderæ ſtagno ſe credere.* In eum torquetur, qui in apertum vitæ diſcrimen proſilit, fidítque inimico, à quo ſtruuntur inſidiæ. Urbs eſt Abdera, cui imminere fertur Byſtonium ſtagnum, in quo natantia omnia, navéſque trajicientes demerguntur.

3 *Abdera ſupereſt pulchra Tejorum Colonia.* Hoc proverbiali ænigmate ait Herodotus *lib. 1.* innuimus non deeſſe, quo confugiamus, ſi quis præter modum in nos inſoleſcat, pergátque eſſe moleſtus, & huc fortaſſis alluſit M. Tullius *4. & 7. Epiſt. ad Attic.*

4 *Abderæ depaſci vireta.* Jacitur in Beneficiorum immemores, quique iraſcuntur in benefactores; ait Plinius *lib. 23. cap. 8. Circa Abderam, & limitem, quem Diomedis vocant, equi paſti inflammantur rabie.*

5 *Abderitano cribro aquam haurire.* Eſt ſtolidè agere.

6 *Eſt mihi fidus Achates.* Id eſt verus amicus, qualem fuit Æneas expertus. Fuit Achates aſſiduus Æneæ comes, dictus à cura, quæ perpetuò reges comitatur.

7 *Acheloia pocula propinare* eſt alios ſub ſpe boni obtinendi illudere, Acheloja pocula plena ſunt aqua. Veteres aquam omnem Acheloum dixerunt à fluvio Acheloo, qui primus poſt diluvium fertur erupiſſe è terra: Virgil. Georg. *Poculaque inventis Acheolia miſcuit uvis,*

Acaſti

8 *Acaſti ſagittas in feras vibrare.* De peritiſſi-
mo dicitur Venatore, qui nunquam fruſtrato
ictu in feras jaculatur. Fuit Acaſtus Peliæ,
Theſſalorum regis filius venator ſagittis clariſ-
ſimus, cujus meminit Ovid. *metam. 8.*

9 *Acheronticum ingredimur ſpecum*, id eſt lo-
cum horridum, cavernarum multiplici hiatu,
non vacuum timore. Acheronticus ſpecus fuit,
per quem Cerberus ad ſuperos extractus eſt.

10 *Achilleum producere argumentum.* Scilicet
inſuperabile, ac inſolubile. Fuit Achilles
Pelei, & Thetidis filius datus Chironi nutrien-
dus. Tantæ fuit fortitudinis, ut teſte Gellio
lib. 2. cap. 11. inſigni fortitudine duces Achillem
audiant.

11 *Acroceraunij nobis montes objiciuntur*; ſci-
licet difficultates ſuperatu difficiles. Montes
Acroceraunij; eminent in fronte Epiri diri-
mentes Jonium mare ab Adriatico, dicti Acro-
ceraunij; eò quia editiſſimi ſunt, & quaſi im-
pervij, Horat. *lib.* 1. *carm.*

Qui ſiccis oculis monſtra natantia
Qui vidit mare turgidum, & infames ſcopulos
Acroceraunia.

12 *Actæi pavimus canes*; ſeu beneficia plura
fuimus impertiti viris, qui nunc nos inſequun-
tur, bonúmque noſtrum dilacerant nomen.
Actæon Autenoës filius dicitur à Diana in cer-
vum converſus, & à ſuis diſceptus canibus
venaticis, quos nutrierat.

13 *Suum optat Minerval Acuſilai ludus*, ſcilicet
omnis labor ſuum exigit præmium. Fuit A-
cuſilaus Athenienſis Rhetor, qui Galba Im-
perante ſe ſe Romam contulit, ubi eo ſucceſſu
ludum aperuit, ut moriens Athenienſibus de-
cem myriades ex fœnore partas legaverit.
Minerval à Minerva deductum præmium e-
rat, quod dabatur Præceptori ob impenſum
laborem in docendis pueris.

14 *Adonidem fucu imitari*: eſt formoſi juvenis
affectare venuſtatem.

15 *Adonidis hortos excolere*: eſt tempus terere
in rebus levibus, ac nugis.

16 *Æcidæ nos minæ terrent.* Scilicet graves
irati Principis minæ timorem nobis incutiunt.

17 *Ægide invidorum tela retundere.* Eſt do-
ctrina adverſarios nobis infenſos confundere.
Fuit Ægis clypeus Jovis, & Palladis, in cujus
meditullio Gorgoneum caput inſpiciebatur
ſculptum contra obtrectatores munimen.

18 *Ægiſtho turpior.* De viro dicitur adultero,
omni Veneris infectus cœno.

19 *Nil cedit Æneæ*, id eſt quoad pietatem in
patriam, & patrem.

20 *Æolia ſuam videtur huc ſedem tranſtuliſſe.* Ad
indicandum locum ventis irruentibus infe-
ſtum, ac turbinibus obnoxium. Æolia una
eſt ex Inſulis, quæ à Græcis Hephæſtiades,
à Latinis Vulcaniæ nuncupantur non procul
à Sicilia. Æolia verò dicitur ab Æolo, qui
fertur ſuum in ipſa habuiſſe domicilium.

21 *Æſculapius redivivus*, ſeu inſignis ac eru-
ditiſſimus Medicus.

22 *Æſopico madere ſanguine*, ſeu præter me-
rita acerba pati. Fuit Æſopus Philoſophus
Phryx genere, conditione ſervus Xanthi, li-
bertate donatus, ſuas ſcripſit fabulas, quas
Cræſo Lydorum Regi dicavit; adeò in vulgus
fuerunt promulgatæ, ut rem notam ignoran-
ti objiceretur illud adagium, *nec Æſopum qui-
dem trivisti.* Ferunt Æſopum nihil commeri-
tum interemptum fuiſſe à Delphis, idque lo-
cum dedit adagio *Æſopico madere ſanguine.*

Æthnam ſub canitiei fovere nivibus. Senem 23
indicat ad iras pronum, vel concupiſcentiæ de-
pravatis ignibus æſtuantem. Æthna mons eſt
ignivomus in agro Catanenſi alta rigens nive,
ac internis ignibus exæſtuans. Incendij cau-
ſas explicat Juſtinus *lib.* 4. inquiens. Sicilia
terra eſt cavernoſa, & fiſtuloſa, ut ventorum
flatibus pateat, ac ignis concipiatur. Intrin-
ſecus enim ſulphur habet, ac bitumen, quo
ubi ventus per ſpiramenta cavernarum incu-
buit, diu luctatus concipit ignem. In viro
ſene plerumque motus concupiſcentiæ vento-
rum inſtar flammas excitant venereas.

Quid novi fert Africa, dicitur quoties ali- 24
quid obtingit inſolens, inexpectatum, ac
præter opinionem. Africa Monſtrorum eſt
patria, & altrix.

Agamemnonis obviavimus hoſtiæ, id eſt, in- 25
cidimus in virum durum, inflexibilem ac per-
ſuaſu difficilem: eò quia Agamemnoni Nu-
mini ſacrificaturo bos effugerit, & vix multo
negotio, ac labore comprehendi iterum po-
tuit.

Agamemnon Iphigeniam ducit in Aulidem. Il- 26
lis congruit, qui inviti, & nolentes adigun-
tur ad aliquid agendum. Agamemnon in Au-
lide filiam Iphigeniam ſacrificavit, ſed admo-
dum invitus.

Agamemnonij patent putei de admirandis di- 27
cuntur operibus. Agamemnon puteos in Au-
lide effodit prorſus mirabiles

Fluit cum Aganippe Poema. id eſt, carmi- 28
na ab excellenti Poëta fuerunt compoſita. A-
ganippe fuit fons in Bœotia, qui erupit ex Pe-
gaſi equi ungula, ut fabulantur Poetæ, fuit-
que Muſis ſacer.

Agathoclis memoria tumorem compeſcit. Ijs 29
congruit, qui ad pinguiorem provecti fortu-
nam priſtinæ memores conditionis intra limi-
tes ſe continent modeſtiæ. Fuit Agathocles
Siculus tyrannus ex ſordido natus genere, cúm-
que ex figuli filio fuerit Rex ſalutatus vaſis au-
reis conſueverat fictilia immiſcere, ne ſuper-
biret priſtinæ memor fortunæ.

Agrippinæ amor in filium dicitur de quavis 30
matre, quæ cum filio indulſerit, ab eodem
moleſtijs poſtea afficitur, & ad necem adigi-
tur. Nupſit Agrippina Domitio Ænobar-
bo, ex quo Neronem peperit. Extincto Do-
mitio cum Claudio Cæſare patruo ſuo ſecun-
das contraxit nuptias, quem venenato ſuſtu-
lit boleto, ut Neroni filio expeditiorem ad
imperium viam ſterneret; ſed juſſu Neronis
multis poſtea vulneribus confoſſa eſt.

Alcinoi ſylvæ dicuntur de arboribus pomi- 31
feris. Ferunt harum arborum tantam fuiſſe
fertilitatem, ut maturis fructibus novi ſuc-

cederent. Dicuntur etiam *Alcinoi horti*, ſeu ad omnem effloreſcentem exculti elegantiam. *Alcioni menſa*, eſt lautiſſima.

32 *Alexandri gladio indiget Gordius nodus*: ſcilicet eſt argumentum adeò implicatum, ſolutúque difficile, ut nonniſi à ſubtiliſſimo ingenio ſolvi queat.

33 *Amaltheæ cornu nobis ſuppeditat*, hoc eſt rerum omnium copiam, & ubertatem. Fingitur Amalthea fuiſſe nutrix Jovis infantis in capram verſa, ut placet Parmenio Poëtæ Græco, quæ propterea in cœlum elara, inter ſydera cum geminis hædis collacata fuit; ejus ortus, & occaſus pluviarum dicuntur prænunrii. Sunt, qui aſſerunt, ex altero Amaltheæ cornu fluere ambroſiam, ex altero nectar. Alij volunt cornu Amaltheæ omnia comprehendiſſe Numinum dona.

34 *Amazonem ſpirare* dicimus de fœmina bellicoſa caſtra inſequente. Fuerunt Amazones fœminæ bellicoſiſſimæ Thermodoonta incolentes, quæ virtute bellica potiorem occupârunt Aſiæ partem. Dictæ Amazones, quia mammis caruerint.

35 *Plus valet Amphionis lyra, quàm tuba Amphiarai.* Nimirum eloquij ſuavitate faciliùs homines rudes, incultis moribus ad obſequia civilia flectuntur, quàm exaſperatis verbis, vel imperij rigore. Amphion lyra adeò ſuaviter canebat, ut ſaxa ad conſtruendos muros Thebanos traxerit: qua ratione dicitur Amphion Thebanæ Conditor urbis, ſonóque teſtudinis ſaxa moviſſe. Amphiaraus verò Vates invitus ad bella pertractus terræ hiatum, quem prævideras, non potuit declinare; cecinit carmina grandiori tuba, ſed epicediâ ſibi.

36 *Amphitrites lenocinanti malaciæ non fidendum.* Seu arridenti fortunæ, quia alternis vicibus obnoxiæ, eſtque modò noverca, quæ mater fuerat. Amphitrite fingitur fuiſſe uxor Neptuni, & ſumitur pro mari, quod plerumque blanda malacia allicit ad illud trajiciendum, ſed illicò ſuborta procella decumanos inter fluctus naufragium apparat.

37 *Anaxarchi tundere follem, non ipſum Anaxarchum*: congruit viro patienti, convicia inter & verbera hilari vultu perinde ac inter flores ridenti, floccíque adverſa quæque facienti. Fuit Anaxarchus præclarus Philoſophus, qui cum à tyranno torqueretur, dixiſſe fertur, Anaxarchi tunde follem: at Anaxarchum ipſum non tundes.

38 *Anacreontis acinum deglutire*: eſt ex re modica ingens ſubire damnum, refert Plinius *lib. 7. cap. 7.* Anacreontem perjiſſe acino uvæ paſſæ ſtrangulatum.

39 *Aludubatarum more pugnare* eſt cæco impetu irruere in hoſtes. *Plus damni Capua intulit Annibali roſa, quàm Roma gladio.* Plerumque faciliùs magni in bello Duces franguntur luxu, quàm ferro.

40 *Antæi lapſus*, de quovis dicitur peccatore reſipiſcente, & poſt lapſum ferventiùs Deo inſerviente. Antæus Gigas ab Hercule proſtratus, fortior ex terræ contactu ſurrexit.

Antæi pocula ſupremis labris oſculari. Ijs 41
convenit, qui congeſtis multo labore divitijs ijsdem non fruuntur morte præveniente. Fuit Antæus Samiorum Rex, & ſolertiſſimus Agricola. Huic, cum famulos nimio labore premeret, prænunciatum fuit, eum non biburum vinum vineæ recèns plantatæ. Sed triennio dilapſo coacta ejusdem vineæ vindemia juſſit ſibi vinum hauriri, cúmque eum increparet, qui prædixerat, ſe non biburum ex tali vinea vinum, oríque calicem hauriendum admoveret, accedit famulus, nuncians, aprum miræ magnitudinis vaſtare vineam: abjecto tunc Antæus poculo antequam vinum libâſſet, nititur venatorijs inſtrumentis aprum interimere, ſed apri dente ictus Antæus interjit.

Angeronæ litare: eſt voluptatibus indul- 42
gere. Fingebatur Angerona, quæ & volupia dicebatur. Dea voluptatis, cui ſacra à Romanis fuerunt inſtituta.

Angitiæ implorare opem, dicimus, cum ſu- 43
ſpicamur aliquem venena hauſiſſe. Fuit Angitia ſoror Medeæ, quæ prima Marſijs remedia contra venena fertur oſtendiſſe.

Antigoni obliqua effigies uſurpatur, 44
cum in aliquo opere occultatur defectus. Apelles Antigonum regem pinxit obliquo vultu, cujus tantùm media pars inſpiceretur, idque ea arte, ut orbitatem tegeret alterius oculi.

Opus Apelleum dicitur de pictura inſigni, 45
& omnibus ſuis numeris abſoluta.

Antinoi oleum in Penelopem perdere, retor- 46
quemus in eos amaſios, qui renitentes, & caſtas puellas ad turpia fruſtra alliciunt. Fuit Antinous unus ex procis Penelopes, quæ ſuos omnes deluſit procos.

Apicio aſſociari eſt gulæ indulgere, ac in 47
ſympoſijs divitias inſumere. Apicius non ſolum Principum Congiaria, & Capitolij vectigal comeſſationibus devoravit, verùm etiam bona omnia avitæ domûs.

Apinas, & Tricas dare venum, eſt res nullius 48
pretij exhibere venales: Apina, & Trica fuerunt oppida Apuliæ, quæ Diomedes evertit, tanta ignominia, ut in proverbij ludibrium tranſierint. *Apinas, & Tricas oſtendere*, eſt res viliſſimas exhibere Martial. *lib. 13. Sunt Apinæ: Tricæque, & ſiquid vilius iſtis.* Apinas, & Tricas objicere eſt argumentum nullius momenti producere.

Arachnem texturâ ſuperare dicitur de puel- 49
la acu ſubtiliſſima Sericum ſumo artificio pingente. Fuit Arachne puella Lydiæ, quæ de lanificio cum Pallade certavit, à qua in araneam commutata eſt.

Araxe tumidior dicitur de viro ſuperbo, 50
qui nulli vult ſubjici. Eſt Araxes fluvius in Armenia; fluit ſub initijs placidè, cum autem ad aſperiora devenit, hinc atque illinc rapitur rupibus preſſus pernicior, tumidiórque fluit. Frangit ſe ſubinde ad oppoſita cautium: atque ob id ingenti cum murmure delabitur, pontium ſtructuras dirumpit, nec patitur rate trajici. Hinc de viro ſuperbo, qui nulli vult

ſi

ſe ſubjicere proverbiali ſale dicitur, *Pontem indignatur Araxes.*

51 *Arcadium germen olere* dicitur de viro ſtupido nullius ingenij, nulliúsque literaturæ. Hinc audire luſciniam Arcadiam, eſt ignorantem, rudémque auſcultare Poëtam. Arcades olim malè audierunt ob ingenij ruditatem, ac ſtuporem.

52 *Archimedis ſphærâ cœlos comprehendere* eſt paucis plurima indigitare. Fuit Archimedes Mathematicus Syracuſius, Geometriæ Machinalis, & Syderalis ſcientiæ conſultiſſimus, totóque orbe celeberrimus. Is vitrea ſphœra motus, calculóſque cœlorum repræſentavit. In obſidione Syracuſarum ſpeculis encauſticis naves incendit Romanorum.

53 *Archimedes non poſſet meliùs deſcribere*, dicitur de opere quovis Mechanico eleganter, ac perfectè elaborato.

54 *Archytæ crepitaculo aures verberare* torquetur in virum garrulum, verborum mare effundentem abſque ſalis guttula. Fuit Archytas Philoſophus Pythagoricus, patria Tarentinus: dicitur primus inveniſſe Platagen, ſeu crepitaculum puerorum, quo pueros nunquam interquieſcentes à ludis advocaret. Hinc abjit in adagium *Archytæ Crepitaculum*: quo garruli deſipientes, & puerilia tractantes, ad Archytæ Platagen dicuntur reciditiſſe. Hic in Mathematicis adeò profeciſſe fertur, ut Cubum invenerit: ajunt columbam ligneam tam affabrè effinxiſſe, libràſſe, ac inflâſſe, ut vivam imitaretur per aëra volantem.

55 *Areopagita taciturnior* dicitur de Judice rigido, ſilentij cuſtode, & juſto.

56 *Argivâ calumniâ honori detrahi viri probi*: dicitur, cum vir probus falſi criminis accuſatur à viro nequam. Argivi olim Sicophantæ habebantur, & calumniatores, ut notat Pauſania.

57 *Argolico eſſe clypeo munitum* perinde ſumitur, ac protegi à magno Principe, hinc vir excellens in aliqua facultate dicitur dignus Argivo clypeo.

58 *Argonautis aſſociari* eſt viros fortiſſimos imitari. Fuerunt Argonautæ viri fortes, qui Duce Jaſone in Colchidem enavigarunt, vellúsque aureum rapuerunt ſopito Dracone, taurísque ignes flantibus ſuperatis.

59 *Argum fallere* proverbiali ſale dicimus de ſummè aſtuto, callidóque ad hominem etiam oculatiſſimum decipiendum. Mythologi Argum interpretantur ſphætam ſtelliferam innumeris oculis noctu vigilem, ſeu ſtellis refulgentem. Mercurium ſolem eſſe fingunt, qui tunc Argum occidit, tunc diurno ſuo lumine ſtellas à noſtro abripit aſpectu. Argus centicolus dicitur quilibet homo oculatiſſimus, ac ingenio perſpicax futura ſingula prævidens.

60 *Ariadneo indigere filo* dicimur varijs preſſi difficultatibus, & nulla nobis via patet, eas evadendi. Fuit Ariadna filia Minois regia Cretæ, cujus ope Theſeus ab Athenienſibus Cretam miſſus à Minotauro devorandus, quod imminebat jam periculum evaſit duce filo, quod labyrinthum ingreſſus ab Ariadna acceperat.

61 *Arimapſum obiicere Argo* eſt virum hebetem, ac ingenio rudiſſimum æquiparare homini perſpicaciſſimo, ac ingenio plurimum valenti. Arimaſpi dicebantur populi Scythiæ, quibus unius inerat in media fronte oculus, erántque mente hebetes. Dicuntur etiam cum gryphis auri cuſtodibus acriter pugnâſſe.

62 *Arionis cantu hoſtes deludere* ijs congruit, qui cum in graſſatores, ac prædones inciderint blandis verbis, mellitiſque pollicitationibus ab eorundem ſe manibus ſubducunt. Arion fuit Poëta Lyricus, fertúrque Dithyrambos inveniſſe; cum verò ex Italia Corinthum trajiceret, & nautæ ejus inhiantes opibus lethales illi ſtruerent inſidias: nonnihil temporis ſibi concedi blandè expoſtulavit, ut Cygni inſtar moriturus epicedia ſibi caneret, idque cum impetrâſſet ſtans editiori in puppi carmen orthium Dijs cecinit marinis, eóque abſoluto ſe in mare præcipitem dedit, ſed à Delphino exceptus ad Tænarum Laconiæ promontorium eſt incolumis pervectus.

63 *Ariſtarcho rigidior* dicitur de cenſore Severo, qui aliena ſcripta rigidè carpit. Fuit Ariſtarchus quidam Grammaticus, qui plura Homeri carmina veluti partus ſuppoſititios ab Homeri familia ſubmovit.

64 *Artemiſiæ hauſit mores, & amores* de conjuge fideli, intenſioríque amore proſequente maritum dicitur. Artemiſia adeo ſuum adamavit ſponſum, ut huic vitâ functo mauſoleum extruxerit, ejusque cineres vino ebiberit.

65 *Aſtomorum de genere natus*, illi congruit, qui vanæ gloriæ inhiat, paſcitúrque aurâ populari. Aſtomorum populus fingitur ſine ore, ſolóque habitu, ac odore nutriri, ac vivere.

66 *Aſdrubalis ſervi illaudata fortitudo* dicitur de viro nequam, & ſicophanta, quem non pœnitet flagitiorum, & inter cruciatus ridet, affectátque fortitudinem. Aſdrubal fuit gener Amilcaris patris Annibalis, qui à ſervo fuit interemptus. Comprehenſus homicida haud facti pœnitens inter cruciatus hilarem finxit vultum.

67 *Aſtræa cœlum repetiit*, ut ſignificetur juſtitiæ exercitium ceſsâſſe in terris, vel loco aliquo. Dicitur Aſtræa Juſtitiæ antiſtita, Poëtæ fabulantur aureo ſæculo è cœlo in terram deſcendiſſe, & mortalium ſceleribus offenſam iterum in cœlum migrâſſe.

68 *Atalantam velocitate ſuperare* dicimus de quovis expeditiſſimo in ſuis obeundis muneribus, negotiíſque abſolvendis. Fuit Atalanta Jaſij Argivorum regis filia, virago forma corporis, ac viribus præſtans, & tantæ agilitatis ut velocitate cæteros anteiret. Prima aprum Caledonium ſagittâ vulneravit.

69 *Atlanti ſuffectus* dicitur de quovis Imperatore, qui in imperij regimen ſuccedit alteri. Atlas fingitur fuiſſe Mauritaniæ Rex, qui humeris cœlum dicitur ſuſtinuiſſe. Sumitur e-

tiam Atlas pro viro, qui eſt Reipublicæ Columen.

70 *Athos celat latera Lemniæ ovis*, de quovia fertur, qui gloriam obſcurat alterius. Eſt Athos mons Macedoniam inter, & Thraciam tantæ altitudinis, ut ad Inſulam usque Lemnon umbram dicatur porrigere, & plura obſcurara loca.

71 *Atho hic adeſt ſculptus* hoc proverbiali ſale Injuſta, ac inſolens conditur adulatio. Animum, manúmque Staſicrates adjecit, ut ax Atho monte ſtatuam effingaret Alexandri; in cujus dextra ampla extendaretur civitas: in ſiniſtra perennis fluvius è phiala arumperat, *Quot lepores in Atho, quot apes paſcuntur in Hybla*, dicitur proverbialitar de quavis rerum copia.

72 *Atrees intorquere oculos* de homine crudeli dicimus, qui torvo, truculentóque aſpectu alijs timorem incurit. Atraus fuit Palopis, & Hippodamiæ filius, fratrem habuit Thyeſtem, qui fratris uxori ſtuprum intulit; ob hoc facinus ſol ne pollueretur, dicitur curſum ratrorſum egiſſe.

73 *Attalicis diteſcit opibus*, dicitur de viro locuplate, qui pratioſiori delectatur ſupellectila: & atiam da orationa omnibus exculta alegantijs. Atticæ opes ſunt omnia ſplandida ornamenta, ut aulæa, ſtromata, veſtes, & alia id ganus.

74 *Attica fluit eloquentia*, id eſt ſumma. *Attica bellaria* pro lautitijs, & cupedijs, dicuntur da re quavis ſuavi, nobisqua jucunda. *Attica Muſa* pro venuſta, ac lapida. Attica raman fides, petinda ac græca eſt infida.

75 *Babylonijs numeris occupari* aſt operam dare Aſtrologiæ.

76 *Bacchantium veſtigia premere* intorquetur in eos, qui multo vino madidi furunt, ac inſaniunt.

77 *Bacchanalia vivere* eſt ſenſui, ac libertati prorſus laxara habenas, omnique vitio ſe inquinare.

78 *Baccho indulgere* eſt vinum liberiùs bibere. *Plures Thyrſigeros, paucos eſt cernere Bacchos*, olet proverbialem aruditionem, qua ſignificamus, plures nomen ſibi comparâſſe viri eruditi, qui tamen aruditiona carent.

79 *Balcarica fundâ plumbum jacere* de viro perito dicitur, qui in ſcopum agregiè collimat. Balleares matres filijs non priùs concedebant panem, quàm ſibi jaculando promeruiſſent, ſaxóqua è funda amiſſo attigiſſent.

80 *Belidum implere dolium* ſcilicet pertuſum, eſt ludera operam. *Cribro aquam haurire*, in caſſum laborare.

81 *Bellonæ adoleſcere in ſinu* dicitur de ijs, qui à prima juventute bello aſſuaſcunt.

82 *Blanduſiæ fonte clarius*, dicitur de quovis argumento dilucidè pertractato. Blanduſiæ in agro Sabino fons aſt nitidiſſimus, quam Horatius commendat in Ode, cui initium eſt, *O fons Blanduſiæ ſplendidior vitro.*

83 *Cadmeâ gloriari victoriâ*; eſt laudes exigere de re nullius momenti. Cadmea victoria, ſeu Thebanorum in vulgus prodjit, ad indicandam victoriam dubiam, qua non multum intersit inter victoris, & victi ſortem.

84 *Camerinam movere* eſt ſibi malum accerſere. Camerina Palus eſt Siciliæ, cujus corrupti latices cum ſuo fœtore peſtem inganerarent, conſuluerunt illius incolæ regionis Apollinem, conſultiúsne foret, ſi Camerina exiccaretur, quibus ab Apollina reſponſum fuit Camerinam non eſſe movandá: neglacto tamen Oraculo paludem ſiccaverunt, per quam mox ingreſſi hoſtes populum illum internecione delaverunt.

85 *Caphareos incidere in ſcopulos* dicimus quoties in vitæ quis reperitur diſcrimine. Caphareus ſcopulus fuit naufragijs infamis.

86 *Caſtor Pollucem ſequitur*, de varo dicitur amico, qui nunquam ab altaro ſejungitur amico. Caſtor, & Pollux gemini finguntur fuiſſe fratres Jovis, & Ledæ filij, Tyndaridæ à Mythologis vocantur, ſicut aorum ſoror Helana Tyndaris: cum Caſtor diem ſuum objiſſet, Farunt Pollucem à Jova petijſſe, ut immortalitatem ſuam poſſet cum fratra partiri; ne quos amor junxerat, mors divideret, fuit Caſtor equitum, & Pollux pugilum præſes.

87 *Caucaſum conſcendere* eſt divina myſteria penetrare, ſuperant enim noſtrum captum. Eſt Caucaſus mons editiſſimus apud Indos, quos dirimit à Scythis, aſtque cautibus inacceſſus Virg. 4. Æneid. *Sed duris genuit te cautibus horrens Caucaſus.*

88 *Cecropiâ madidus Latia, ſartáſque Minerva* dicitur de viro doctiſſimo, Græcam, & Latinam callanta linguam, & utriusque eruditione apprimè inſtructo.

89 *Ceres ſi abſit, & Bachus, friget Venus.* Id eſt jajunio motus coärceutur concupiſcentiæ, & abſtinentiâ impurus extinguitur amor.

90 *Chaldæorum vendere Aſtrologiam*: aſt quæſtûs gratiâ mendacia profarra; & ax aſtris futuros prænunciare rerum eventus, ſeu ex planetis errantibus errores.

91 *Chaô antiquior* dicitur de qualibet re jam pridem culpata, quando ut recèns orta profertur.

92 *Charites tuis videntur labijs inſidere.* Id eſt, adeò blandè loqueris, ac ſuavia profers verba, ut ſummè allicias, quotquot te audiunt. Tres à Mythologis finguntur Charites, Aglaia, Thalia, & Euphroſine prima dat beneficium, quod ſecunda accipit, & tertia reddit. Pinguntur nudæ, quia inter amicos non decet gratias eſſe fucatas. Juvenes, quia non convenit ſuſcapti beneficij memoriam conſeneſaere. Mellea, & roſea ſunt illis labia, ut deſcribuntur à Mantuano.

——————— properate ſorores.
Gratiæ ab Orchomeno: tu primum Aglaia decoro,
Lætitiam præ te Ore ferens, tecúmque Thalia,
Cincta ſacrum viridi ſtrophio caput, Euphroſynéq;
Læta genas, læta os roſeum, vaga lumina læta.

93 *Charybdim trajicere* eſt in pericula cum vitæ diſcrimina ſa injicere: eſt Charybdis fretum inter Rhegium, & Maſſanam, quo bravi intervallo diſtat Sicilia à continente: eſt hic

maris tractus periculis obnoxius, quia contrarijs fluctuum curſibus colliſionem efficit, & rapta quæque in gyros agit, & abſorbet. Hinc Charybdis patrimonium ſumitur pro decoctore.

94 *Non deeſt cuique Chimæræ Bellerophon* ſcilicet habent Chriſti hoſtes ſuos oppugnatores, à quibus interimuntur. Fuit Chimæra monſtrom ore evomens ignes, & pectore leonem, ventre capram, cauda draconem referebat, ut cecinit Lucretius.

Quoque Chimæra jugis medijs in partibus hircum.
Rectus & ora leæ, caudam ſerpentis habebat.

95 Hoc monſtrum Bellerophon occidit, quia montem infecerat.

96 *Chorœbo ſtultior* dicitur de homine agente contra dictamina rectæ rationis, & operante quæ non ſunt digna homine; vel de illo, qui dolo non virtute aliquid aſſequitur. Turpiſſima enim cenſetur victoria, quæ dolo quæritur.

97 *Cimmerijs verſari in tenebris* eſt deſtitui veræ rei notitia, & agere cæco modo abſque conſideratione finis. Sumuntur proverbialiter Cimmeriæ tenebræ pro ignorantia, & denſa caligine. Lactantius lib. 4. *O cæcum pectus, ò mentem Cimmerijs, ut ajunt, atriorem.*

98 *Cimone munificentior* dicitur de homine ſplendido, ac ſummè liberali, Cimon Athenienſis tantâ fertur munificentia clarus, ut refractis agrorum ſuorum, hortorúmque ſepibus facultatem fecerit civibus fructus, & olera decerpendi, prout magis libuiſſet; & pauperibus abundè ad ipſum confluentibus non modicas erogaverit pecunias.

99 *Circæis blanditijs irretiri* eſt à voluptatibus venereis ſinere ſe allici, quibus, ſi homo indulſerit, à recta dejicitur ratione. Circe, ut fertur, cum Glaucum deperiret Scyllam puellam, Glauci amaſiam in monſtrum convertit; & ſocios Ulyſſis, quos hoſpitio receperat, in porcos.

100 *Clodius accuſet Mæchos, Catilina Cethegos?* retorquetur in eos, qui alios accuſant vitiorum, quibus ipſi turpiùs inficiuntur. Fuit Clodius ex nobiliſſima Claudiorum familia, ſed libidinibus turpiſſimè addictus, adeò ut tres ſorores per inceſtum polluerit.

101 *Colophonem addere* eſt ultimam manum incepto operi apponere, ſeu rem totaliter perficere.

102 *Cræſo, Craſſóque ditior*, de illo dicitur, qui opibus, omniúmque rerum copia affluit.

103 *Cumanum aſinum ornare phaleris*: eſt exterum ignotum, ac ignobilem provehere ad illuſtria officia. Aſinus fugitivus apud Cumanos ita ſe geſſit, ac ſi eſſet leo.

104 *Cymba Charontis te expectat*, de viro dicitur ſenio confecto, ac morti proximo. De quo etiam dicitur, alterum pedem in Cymba Charontis habere.

105 *Corybantes agere*, dicitur de ſacerdotibus, qui multo vino madidi greſſu titubant, ſcurrilia proferunt, ſéque inconditè agitant. Corybantes dicebantur ſacerdotes, qui inſanientium more corpus agitabant.

Cyclopis munus offerre eſt rem inutilem ex- 106
hibere. *Honor Cyclopicus* eò reſilit, ut quis poſtremo loco pereat. Hunc honorem exhibuit Cyclops Ulyſſi, cui pro hoſpitali munere exhibuit, ut poſtremus eſſet ab eo devorandus. Cyclopes fuerunt Gygantes juxta Æthnam uno oculo in fronte, & miniſtri Vulcani, qui omnium primi æris fabricam inveniſſe creduntur, & Jovi fulmina cudiſſe, inter hos celebrantur præcipuè Brontes, Steropes, & Pyracmon Virgil. 8. Æneï.

Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro,
Brontéſque, Steropéſque, & nudus membra Pyracmon.

Cyprius bos dicitur de viro prorſus ignavo, 107
ac ſtolido. Cyprij boves cæteris dicuntur ſtolidiores, quia humano paſcerentur ſtercore. Feſtus ex Ennio citat hoc aliud adagium. *Cyprio bovi aptum obſonium exhibere*, hoc eſt. Convivæ ſordido ſordidum apponere prandium: vel apud ſcurriles ſcurrilia loqui.

Opus Dædaleo implicatius dicitur de quovis 108
opere, vel negotio pluribus implicito tricis, & extricatu perdifficili. Dædali opus fuit labyrinthus, cui Minotaurum incluſit. Fuit Dædalus Icari Pater, qui ſerram, aſciam, perpendiculum, terebram, glutinum, ichthyocollum fertur inveniſſe.

Danaes imbre madere eſt vitijs ſe inquinare. 109
Danaë Acriſij filia à Jove in aureum imbrem converſo fingitur fuiſſe corrupta, & Perſeum peperiſſe. Imber aureus ſunt divitiæ, quibus vitia cognato nomine junguntur.

Daphnes ex lauro triumphus de puella caſta, 110
quæ procos declinatura, onus ſubit religionis inter Sanctimoniales. Daphne puella ſpecioſa, & elegans, cum vim Apollinis non poſſet effugere implorato paterno nomine verſa eſt in laurum.

Dares Entellum provocat, id eſt imbecillis 111
fortem, pigmæus Gygantem. Fuit Dares quidam ex comitibus Æneæ, qui cum Entello ſiculo in certamen veniſſet, victus ſuccubuit. Dares fuit juvenis temerarius imbecillis corpore, & gracilis: Entellus robuſtus, ac in certamine peritus.

Davum non Oedippum accerſere ad ſolvendam 112
quæſtionem, id eſt non ſatis doctum, ut ſatisfaciat difficultati.

Dejaniræ amore inſanire, torquetur in eos, 113
qui ex pravo amore ſibi damnum inferunt. Fuit Dejanira puella adeò formoſa, ut procos plures habuerit: cumque audiviſſet, Herculem ſe in ardentem pyram in Ætna monte conſtructam conjeciſſe dolore percita Herculis clavâ ſe interfecit.

Delio natatore rem indigere dicimus, quoties 114
res eſt obſcura, ac implicata, Delius fuit, natator peritiſſimus, quique poſſet ſub aquis, quæ minimè apparerent invenire.

Delphicum Oraculum premere eſt verum ſem- 115
per aſſerere. Delphis Apollinis erat oraculum toti terrarum orbi celeberrimus: unde & ipſe

Apollo Delphicus dictus eſt. Delphica laurus dicebatur, quâ victores Pythiorum (qui ludi Phœbo ſacri erant) coronarentur. *Delphicus gladius* dicitur de re quavis pluribus accommodata uſibus. Meminit hujus adagij Ariſtoteles *lib. 1. politic.* & *lib. 4. de part. Animal.* Gladius Delphicus ea erat arte fabrefactus, ut eodem mactarentur victimæ, & nocentes afficerentur ſupplicio.

116 *Deucalionea progenies* dicitur de quovis homine rudi, duro, inflexili, qui non ſinit ſe perſuaderi. Deucalion poſt diluvium fingitur oraculum adijſſe conſulturus de humani generis reſtitutione. Reſponſio fuit, ut oſſa magnæ matris poſt tergum jacerent. Conjectiſque poſt tergum lapidibus homines ex ijſdem naſcebantur.

117 *Diogenis verſare dolium* eſt abjecta ſolicitudine rerum humanarum pauperem ac philoſophicam vitam agere. Fuit Diogenes Philoſophus Cinicus Antiſthenis diſcipulus, quem cum clavâ minatus eſſet, niſi abiret, fertur reſpondiſſe, nullum tam durum baculum poſſe ei unquam obtingere: quo ab ejus poſſet ſe obſequio ſeparare. Dolio poſtea pro domo uſus, cum ſe illo contorqueret, volubilem ſe domum habere jocabatur, ſeque cum temporibus immutantem, rigente ſiquidem frigore os dolij in meridiem vertebat: æſtate ad ſeptentrionem. Ferunt, accedentem Alexandrum rogaſſe, ne ſibi apricanti à ſole obſtaret.

118 *Dionyſij Corinthi meminiſſe juvat*: dicimus, quando ne ab officio dimoveamur, illo nitimur egregiè fungi. Dionyſius Syracuſius fuit Rex Siciliæ, à qua pulſus extorris Corinthum profectus in ſordidiſſimæ vitæ genus deſcendit, in popinis, ac lupanaribus recidens, ut contemnendus magis, quàm metuendus videretur. Hinc *Dionyſius Corinthi* in adagium abijt, quo ſignificamus, aliquem è ſumma dignitate ad humilem, & abjectam redactum fortunam.

119 *Diphtera antiquiora loqui* proverbialem ſapit ſalem, quo eos carpimus, qui nugas abſoletas in medium adducunt. Diphtera fuit pellis capræ Amaltheæ, quæ Jovem lactavit, in qua Jupiter arcana ſua ſcripſit. Inſpiciet Jupiter Diphteram ſuam quantvis ſerò. Pœna manet ſceleſtum.

120 *Dealbare Æthiopem* eſt operam perdere, ut cum quis noſtris non flectitur ſuaſionibus. Nativus Æthiopum nigror, quem Plinius cenſet oriri ex vicini ſyderis vapore, nulla poteſt aqua ablui, neque deleri flumine.

121 *Deterere penulam æſtate* in eos jacitur, qui res neceſſarias temerè abſque neceſſitate profundunt; cum poſſent inſervire, ſi ſervarentur.

122 *De antiquitate cum Codro contendere* ijs congruit, qui antiquiſſimam jactant nobilitatem. Fuit Codrus antiquiſſimus Aſiæ Rex.

123 *De hoc dicemus anno magno Platonis*, id eſt nunquam, quia putant nonnulli, hunc annum nunquam futurum. Ut cum dicitur; Quando mula pepererit.

Dodonæum æs dicitur de homine impensè 124
loquaci. Fuit Dodonæum æs tintinnabuli quoddam genus die, noctúque crepitans. Auſonius proverbialiter illud tranſtulit in hominem juſto loquaciorem: *Nec Dodonæi ceſſat tinnitus aheni.* Dodonæa quercua, fatidica ſumitur pro loco ſacro, quia Jupiter in Dodonæo nemore coleretur.

Domi Mileſia in eos torquetur, qui in ex- 125
teris regionibus contra morem incolarum patrio utuntur luxu. Ut refert Suidas. Mileſius apud Lacedæmones profectus ſuppetias contra Perſas petiturus, prodjit inſolita apud Lacedæmonios veſtitus munditie, aliiſque delicijs Jonicis affluens: quidam ex Ephoris eum ſubmonuit, dicens *Domi Mileſia*; id eſt, hic ornatus tibi congruit in partia, non hîc.

Duos inſequens lepores neutrum capit, ſcili- 126
cet qui duplex captat commodum, utroque fruſtratur.

Duos parietes eadem dealbare fidelia eſt eadem 127
operâ duos pariter demereri.

De toga ad pallium eſt de fortuna honeſtio- 128
re ad humiliorem deprimi. Toga Romanorum erat, pallium Græcorum.

Echino aſperior dicitur de homine auſtero, 128
rudi, intractabili.

E cantu dignoſcitur avis, ſeu ex verbis, ac 192
ſermone vir.

Ex culmo ſpicam conjicere congruit ſeni, ex 130
moribus apparet, qualis fuerit juvenis.

Elyſios incolere campos eſt omnibus bonis 131
diffluere, ac felicitate donari.

Encelads buſtum ſemper fumat, dicitur de 132
viro iracundo. Enceladus fuit Gigantum maximus, Titanis, & terræ filius, quem Jupiter fulmine ictum Ætnæ monti ſuppoſuit.

Endymionis ſomnum dormire, in eos quadrat, 133
qui ſe immodico ſomno ſaginant. Endymion à luna adamatus ab eadem in Latmio Cariæ monte fuit ſopitus; ad eum finem, ut illum oſcularetur. *Endymionem ſequi* eſt diuturno in otio verſari, neque ullis ſe negotijs exercere, mollémque, ac feriatam vitam agere.

Elephantus non capit murem. Scilicet vir 134
generoſus negligit prædas viles.

Eloquentia Attica, lepos Atticus. Dicitur 135
de culta, & eleganti oratione.

Præ cæteris Græciæ popolis Attici feſtivè 136
ſemper loquebantur.

Empedoclis ſimultas, dicitur de viro per- 137
tinaci, & irreconciliabili.

Emunctæ naris vir dicitur de homine pur- 138
gati judicij, & perſpicacis ingenij.

E patroclis domo oriundus dicitur de viro ſor- 139
dido. Deſumitur adagium è Patrocli moribus. Fuit hic Athenienſis divitijs affluens; ſed impendio parcus, ac ſordidus: quem vetus Comœdia talem depingit, qualem Plautus Euclionem.

Enyo ſanguinem ſitit. Bellum cruorem 140
fundit. Enyo bellorum præſes, & ſumitur pro ipſo bello.

Epicuri de ſella torquetur in hominem vo- 141
luptatibus indulgentem.

141 *Ex Circæo poculo mores haurire* dicitur de
homine mores mutante in deterius.

142 *E crambe recocta menſam ſtruere* eſt repetere,
quæ antea diſplicuere. Refert Suidas conſue-
viſſe Veteres, cramben in convivijs adhibere.
Sed recoctam adeò nauſeam attuliſſe, ac fuiſſe
faſtidio, ut Græcis in Faſtidij proverbium
abjerit. Eandem crambem ad nauſeam reco-
quere, de re jam pluries objecta, ac rejecta.

143 *Exhaurire cribro puteum* in obliviosos tor-
quetur. Sumitúrque à fabula Danaidum puel-
larum, quas Plato ſcripſit apud inferos hoc
genere pœnæ cruciari, ut aſſiduè aquam in do-
lium pertuſum, vaſis itidem pertuſis infe-
rant.

144 *Epimetheus malorum* dicitur de eo, qui cau-
ſam dedit malis, quæ obtingunt. Epime-
theus cum incautè aperuiſſet Pandoræ Pyxi-
dem, genus omne malorum in orbem inve-
xit.

145 *Eridis pomum* dicitur, quod cauſa eſt bel-
lorum, ac diſcordiarum. Pomum Eridis fuit
cauſa litium inter Deos Paride judice, ac ma-
teria rixæ.

146 *Erinnes mentes in ſcelus rapientes* dicuntur
fœdæ aniculæ meretricium quæſtum exhiben-
tes.

147 *Euripo mutabilior* de viro inconſtante. Eu-
ripus reciprocis undis æſtuans, ſemper eſt va-
rius nunquam idem.

148 *E trivio ad ſceptrum* de viro plebeio, ac ne-
glecto ad ſummam evecto dignitatem.

149 *E vitatâ Charybdi in Scillam incidi.* Hoc
eſt, cum unum declinaverim malum, in aliud
incidi deterius.

150 *Eundem calceum omni pedi inducere* eſt idem
pharmacum omnibus admovere: & uno col-
lyrio omnes oculos velle curare.

151 *Euporyphus ex comœdia* ex Plutarcho in
Sympoſio hominem indicat ſplendidè, ac ele-
ganter veſtitum; Servorum catervam poſt ſe
trahentem.

152 *Ex amphitheto bibere* torquetur in eum, qui
veraciùs, ac largiùs potat. Amphithetum
erat poculi genus taliter elaboratum, ut ex
quavis parte poſitum ſtatet, nullúmque cer-
tum haberet fundum.

153 *Ex oculis naſcitur amor*: quia oculi præci-
pui ſunt amoris illices.

154 *Ex Jovis tabulis teſtis*, de teſte certo, ac in-
dubitabili. Alluditur ad Diphteram, ſeu pel-
lem capræ Amaltheæ, in qua Jupiter omnium
mortalium acta deſcribere fingitur.

155 *Ex Phelleo venire* eſt ex humili fortuna, a-
ſperáque vita ad dignitatem provehi. Phel-
leus Græcis eſt locus paſcendis capris ido-
neus.

156 *Fabarum arroſor* dicebatur, qui in creandis
magiſtratibus propria vendebat ſuffragia, eó-
que quæſtûs gratia verſabatur in comitijs.
Hinc fabis victitare erat ex tali quæſtu ſibi con-
ſulere.

157 *Faciunt & Sphaceli immunitatem.* Fuit A-
thenis tritum proverbium de his, qui quovis
prætextu, quod volunt, aſſequuntur. Spha-
celus morbus eſt, qui ex immodica defatiga-
tione ſolet accidere.

Fallacia alia aliam trudit, in eos quadrat, 158
qui ex conſuetudine alios etiam fallentes fal-
lunt, ac propterea dolos dolis conſarcinant,
ne deprehendantur fallere. Dicuntur etiam
dolos conſuere.

Fames mellæa id eſt extrema, déque rebus 159
difficillimis. Eſt Mellus oppidum Theſſaliæ,
quod Nicias Athenienſium Dux obſedit, &
expugnavit, non tam bellicis machinis, quàm
fame, ut meminit Thucydides.

Fenellæ pomum exhibere, eſt rem gratam 160
dare, quæ tamen damnum inferat accipienti:
ut eſt blanda mundi voluptas: hinc fœmina-
rum blanditiæ, & illicia ad turpia, Fenellæ
dicuntur poma. Fuit Fenellæ pomum au-
reum, gemmis refertum tanquam jaculis ad ra-
ctum erumpentibus: voluptas eſt pomum, quod
allicit, & enecat; placet, & nocet.

Farcire centones torquetur in hominem va- 161
num & glorioſum mendacium mendacio ne-
ctentem. Centones dicuntur veſtes è varijs
panniculis, diverſiſque coloribus conſarcina-
tæ.

Fervet olla, vivit amicitia, in eos torque- 162
tur, quos patina, non benevolentia conci-
liat.

Figulus figulo invidet. Faber fabro. Hoc 163
eſt, invidet par pari, quia ei æquatur.

Flere ad Novercæ tumulum eſt lachrymas ſi- 164
mulare, geſtúque dolorem fingere, cum re-
vera quis intus gaudeat. Dicitur etiam de
hæredibus alicujus prædivitis.

Fortunatior ſtrobilis Corcini eſt ironia pro- 165
verbialis in infelicem, ac improbum. Corci-
nus Poëta quiſpiam fuit, cujus filij dicti ſunt
ſtrobili. Græcè Corcinus Cancrum, ſtrobili
Cochlear ſignificant; utrumque genus diſtor-
tum, & fœdum.

Gallos quid execas? in eum torquetur, qui 166
quod actum eſt, iterum agit: nam Galli Cy-
beles ſacerdotes ſua ſponte ſunt exectis teſti-
bus.

Gallorum incuſare ventrem torquetur in e- 167
daces ſympoſijs indulgentes.

Galli Phrigij molles dicti à flumine Gallo 168
in Phrygia torquetur in viros uxorios.

Ganymede formoſior de ephebo dicitur ele- 169
ganti, ac ſpecioſo, Regique charo. Fuit Ga-
nymedes puer formoſiſſimus, quem cum Jupi-
ter deperiret, juſſit in cœlum ab aquila defer-
ri.

Ad Garamantes, & Indos ire exulatum, id 170
eſt in locum prorſus ignotum, ac prorſus in-
gratum. Garamantes ſunt populi interioris
Libyæ Pſyllis finitimi à Garamante Apollinis
filio nuncupati.

Gargani querceta aquilonibus laborant. Sci- 171
licet magni viri ſunt invidiæ, & adverſitatibus
obnoxij.

Gemonias adire ſcalas in eos torquemus, 172
qui ob patrata flagiria digni ſunt patibulo. Ge-
moniæ ſcalæ locus ſuppliciorum olim Romæ
fuit.

Gem-

173 *Generoſior Codro* dicitur ironicè de illo, qui avita nobilitate gloriatur. Codrus fuit Melanthi filius, qui ſingulari in patriam pietate nobilis extitit.

174 *Generoſior Sparta* de viro excellente, ac ſplendido, nunquàm timido, ac humili. Spartanis fuit olim indoles generoſa, & ingenium ſervitutis impatiens, ac veluti imperio natum; ut nec mœnibus Sparta cingeretur.

175 *Genuino dente mordere.* Torquetur in eos, qui clanculum obtrectant, & detrahunt alijs, quorum honorem lacerant. Dentes genuini ſunt omnium reconditiſſimi, ac propemodum operti gingivâ. Serò in homine emergunt.

176 *Gigantum arrogantiâ duci* in eos quadrat, qui proprijs freti viribus temerè, & abſque conſilio res non tentandas moliuntur. Gigantes temerè cœlum oppugnârunt, & inde fulminibus icti. Congruit rebelli populo punito.

177 *Gorgonium Perſeus aggreditur.* Congruit cuique operam danti alicui præclaro geſto. Gorgones fuerunt fœminæ in Africa bellicoſiſſimæ, contra quas Perſeus pugnavit, & earum reginam Meduſam interfecit. *Gorgoneum caput objicere*, eſt horribilem, ac formidabilem ſe oſtendere alteri.

178 *Graculus inter Muſas* eſt indoctus inter doctiſſimos, ignarus inter ſapientes. Dicitur etiam de hominibus jactantibus ſe doctos, cum craſſâ laborent ignorantia. Eſt Graculus avis minimè canora, ſed odioſè garrula, & obſtrepera.

179 *Graviora Sambico pati* eſt exquiſitiſſimis torqueri cruciatibus, vel plura tolerare adverſa. Sambicus Eleus unà cum ſocijs æreas plures ſtatuas confregit, ac vendidit. Deinde Dianæ præſidijs templum diripuit. Comprehenſus tamen acerbiſſimis eſt ipſe tormentis dilaceratus.

180 *Gygis annulo exornari* eſt fortunam habere ſibi arridentem, & ſingula, quæ ſunt in voto conſequi. Fingitur Gyges in terræ hiatum deſcendiſſe, & ex digito reperti ibi cadaveris annulum extraxiſſe aureum, quo pro arbitrio viſibilis, aut inviſibilis reddebatur, & plura conſequebatur.

181 *Hærere in vado* eſt in quovis negotio incurrere difficultatem ſuperatu haud facilem. Ducitur metaphora à navigio, quod vado illiſum fruſtra circumagitur.

182 *Halcyonios agere dies* eſt tranquillam, ac commodam ducere vitam. Ducitur adagium ab ave marina, quæ cum nidificat, tranquillum eſt mare.

183 *Harmodij Cantilena* dicebatur de re lugubri, triſti, minimè grata.

184 *Haſtam caduceo inſerere* eſt pacem inire cum animo feliciùs bellum movendi. Haſta caduceum. Dicitur de Principe, qui bellum minatur, niſi pax ineatur cum exhibitis conditionibus. Haſtam abjicere eſt contentionem relinquere.

185 *Hedera poſt Ancheſteria* dicitur, cum ſerò quidpiam adhibetur.

Harpocratis ſtudioſus id eſt cuſtos ſilentij. 186
Harpocrates, & Angerona ſilentij finguntur Numina.

Hecala pauperior dixit, Plautus, de quovis 187
ad extremam adacto neceſſitatem.

Hecate turpior pro vetula turpiſſima. He- 188
cates cœna pro præparca.

Hecuba deterior de muliere rixoſa. Fuit 189
propterea Hecuba in canem mutata.

Helena gratioſior de puella pulcherrima, ac 190
venuſtiſſima.

Heraclitus lugens dicitur de homine que- 191
rulo, nunquam contento, rèſque proprias jugiter deplorante. Heraclitus flens, & Democritus ridens ſatis noti.

Herculis Gallicani catenâ animos vincire. Di- 192
citur de inſigni Oratore, qui culta & nervoſa eloquentia perſuadet, quid ipſi magìs placet.

Nec Hercules contra duos. Cedendum plu- 193
ribus cum vires non ſuppetunt.

Herculanus nodus pro vinculo arctiſſimo, 194
ac indiſſolubili. Seneca ad Lucilium: *Unus tibi nodus, ſed Herculeus reſtat*; id eſt ſyllogiſmus, qui vix diſſolvi poſſit. His etiam congruit, qui arctiſſima conſuetudine ſunt copulati.

Herculi Cothurnos adaptare infanti: eſt jux- 195
ta Quintilianum *de Perorat.* in parvis litibus tragœdias movere. *Herculis quæſtus* dicitur de magnis impendijs. *Herculis clavam extorquere* eſt fruſtra conari.

Hermionis ara. Id eſt, ero tibi pro aſylo, 196
inſtar ſacræ aræ. Hermiones fuit templum in Peloponeſo Cereri, ac Proſerpinæ ſacrum, ad quod confugientes tuti erant propter loci religionem.

Hic Rhodus, hic Saltus. In eum torque- 197
tur, qui ſe ſe de negotijs jactat inſolentiùs, cujus fides non extaret. Congruit etiam illi, qui adigitur ad rem præſtandam, quam alibi ſe feciſſe jactat.

Hoc calceamentum Hiſtiæus conſuit, Ariſtago- 198
ras induit. Congruit quoties in aſtutis, ac improbis conſilijs alteri alter eſt auxilio, ac mutua ſe opera juvant.

Hinnulus leonem læſit. Dicitur de viro im- 199
becilli, ac imperito provocante alium peritiſſimum. Generatim dicitur, quoties præpoſtero ordine, qui viribus eſt imbecillior, provocat ſuperiorem, ac fortiorem.

Hydram ſecare eſt ita aliquod tollere in- 200
commodum, ut ejus loco plura alia incurrantur. Deſumitur ex hydra Lernæa, cum qua diu conflictatus fuit Hercules, quia uno reciſo capite plura alia renaſcerentur.

Jalemo frigidior dicitur de oratione, vel 201
argumento, aut joco ſupra modum frigido, & etiam de Oratore frigido. Putant aliqui, *Jalemon* eſſe vocem lugentis

Jani bifrons dicitur de viro prudente præ- 202
terita, & futura examinans.

Idem Accij, quod Titij hoc adagio ſignifica- 203
batur eodem jure futurum filium menſe decimo natum, ac undecimo.

Ircit

204 *Jecit Achiles duas teſſeras, & quatuor*: de ijs dicitur, qui in rebus omnibus vincunt, & quibus teſſeratum jactus eſt felix.

205 *Ilias malorum nos manet.* Id eſt, ingentia imminent nobis mala.

206 *In Antro Triphonij vaticinatus eſt*, torquetur in hominem admodum triſtem, ac tetricoſum. Qui in antrum Triphonij olim deſcenderant, à riſu poſtea perpetuò abſtinuerunt; fuerúntque ſemper triſtes.

207 *Indoctior Libethrijs* dicitur de homine admodum idiota, ab omni ſejuncto Muſarum commercio. Libethrij fuerunt populi rudes, & agreſtes prorsúſque imperiti.

208 *In holmo cubabo* dicebatur ab illis, qui ſe quippiam divinatione cognitum ire minitabantur. Cenſent plerique Apollinis tripodes fuiſſe holmos appellatos. Ariſtophanes refert eos, qui holmis indormiviſſent, illicò divinandi ſpiritum hauſiſſe.

209 *Inſana laurus adeſt*, dicitur de viro rixoſo, diſſidia, ac jurgia excitante. Ait Plinius lib. 26. cap. 44. *In eodem tractu portus eſt. Amyci Bebryce rege interfecto clarus. Ejus tumulus à ſupremo die lauro tegitur: quam inſanam vocant: quoniam ſi quiddam ex ea decerptum navibus inferatur: jurgia fiant, donec abjiciatur.*

210 *Invitâ Minervâ aliquid aggredi*, id eſt refragante ingenio, repugnante natura, non favente tempore.

211 *Iro pauperior* de homine ex pinguiore fortuna dejecto ad extremam pauperiem. Ovidius. *Irus erit ſubito, qui modo Crœſus erat.*

212 *Iſthmum perfodere* dicitur de illo, qui magno conatu, ſed irrito, aliquid molitur. Deſumptum fuit adagium ab Iſthmo Corinthiaco, quo naves longo, & ancipiti ambitu juxta per inſulam circumagebantur.

213 *Iterum atque iterum apud Pythum via* de ijs dicitur, qui moleſti ſunt eadem de re percunctando: quo pacto ſolent ignavi viæ obvios quoſque de via rogare.

214 *Jugulare mortuos*, eſt detrahere vitâ functis honorem.

215 *Labrax Mileſius* torquebatur in hominem ſtolidum, & avidum. Labrax piſcis eſt lato oris rictu eſcam totam cum hamo faucibus corripiens facilè capitur.

216 *Labyrinthum ingredi* dicitur de quovis negotio intricato.

217 *Laconæ Virgines* dicuntur puellæ pudicæ, frugales, & laborioſæ. Lacones pueri dicuntur de adoleſcentibus malè, ac duriter educatis Laconicè vivere eſt frugaliter, ac modicè comedere.

218 *Lachryma nil citiùs areſcit*: quia vehemens affectus facilè vertitur in tædium, & cum quandam invehat violentiam, non eſt durabilis.

219 *Laidis locare noctes* torquetur in mulieres, quæ causâ quæſtûs faciunt ſui corporis copiam. Lais fuit meretrix, quæ ob raram pulchritudinem exteros ad ſe trahebat. Corinthi habitavit, nullum tamen admittebat, niſi daret, quod poſceret. Hinc profectum creditur proverbium, *non cujusvis hominis eſſe adire Corinthum.* Adeò carè Lais ſuas locabat noctes, ut vel ditiſſimi homines pretij magnitudine deterrerentur. Inter quos Demoſthenes fuiſſe fertur, qui cum tam nobilis ſcorti causâ Corinthum navigâſſet: & Lais ab ipſo poſtulâſſet decem millia Drachmarum pro unica tantùm nocte. Reſpondit Demoſthenes *Tanti non emo pœnitere.*

Lerna malorum, ſumitur pro congerie in- 220
fortuniorum.

Lethæas haurire aquas eſt memoriam perdere, 221
& præteritorum obliviſci.

Lityerſam cantionem canere eſt non ex ani- 222
mo canere. Fuit Lityerſes nothus Mydæ regis, qui inſtituit, ut in honorem Mydæ Meſſorius hymnus caneretur etiam ab invitis.

Loripedem rectus derideat, torquetur in eos, 223
qui alijs id exprobrant, cui ſunt ipſi obnoxij.

Lydio concredere lapidi: eſt opus dare cenſo- 224
ri examinandum.

Lynceus homo, dicitur de perſpicaci, & o- 225
culato.

Lydorum carycas exhibere eſt obſonium ap- 226
ponere varijs conditum cupedijs. Caryca genus eſt cibi lydij ex multijugis lautitiis apparatum. *Lydus in meridie*, dicitur de homine inſatiatæ libidinis.

Lydus cauponatur, torquetur in hominem 227
effœminatum, ac voluptatibus addictum.

Mæandris ſcatere, de re quavis dicitur à recto 228
deflectente. Eſt Mæander ſinuoſus fluvius, ac variè flexuoſus. Hinc obliquitates omnes Mæandros veteres dixerunt: ut cum res agitur non ſimpliciter, ſed vafris, & obliquis conſilijs.

Maleæ raucæ circonſonat ira, habet hoc ada- 229
gium Statius *lib. 7. Thebaid.*

——— *Rauca circonſonat ira Maleæ.*

illo utimur ad ſignificandum imminens vitæ diſcrimen. Malea eſt promontorium Laconiæ per quinquaginta millia paſſuum in mare protenſum, ubi periculoſa eſt navigatio ob varios ventorum flatus, eſtque naufragijs infame.

Malè parta, malè dilabuntur, habet hoc a- 230
dagium Plautus in Pœnulo.

Meſſem miſeram metere, eſt pro flagitijs pœ- 231
nas luere. Ut ſementem feceris, ita metes.

Mali Corvi, malum ovum. Hoc eſt è ma- 232
lo præceptore diſcipulus malus oritur; ex improbo patre filius improbus.

Mali thripes, mali ipes uſurpatur hoc ada- 233
gium, quando ex duobus malis ferè æqualibus, neceſſe eſt alterum incurramus: adeò ut non magni referat, utrum elegerimus. Thrips Græcis vermiculus eſt, qui lignis innaſcitur, & materias vitiat, Ips itidem cornibus eſt vitibus infeſtus.

Marſyas Apollinem provocat, id eſt ineptus 234
petitiſſimum, indoctus doctum.

Mæcenates, ſi adfuerint, non deerunt Maro- 235
nes, ſcilicet faveant Principes liberalibus artibus, ſi plures velint earundem habere cultores.

236 *Medea hic videtur furere*, dicitur de fœmina ira, & furore percita. Fuit Medea crudelis mater venefica, ac perfida in patrem, & interfectrix fratris, & natorum.

237 *Meduſæ crines fallaces*, hoc eſt fœminæ cogitationes variæ, & inconſtantes, quibus non ſit fidendum. Meduſa fuit formâ, inſignis, crines habuit aureos, quorum ſplendore captus Neptunus in Minervæ templo cum eâ concubuit, in quo natus Pagaſus equus: quam injuriam iniquo ferens animo Minerva, Meduſæ crines in angues mutavit, qui ea vi eſſent, ut omnes eam aſpicientes in lapides verterentur.

238 *Megeræ nupſit*, hoc eſt fœminæ rixoſæ, querulæ, ac intolerabili.

239 *Mercurij talaria inter pugnandum induere*, eſt ſe dare præcipiti fugæ.

240 *Midæ inſigniri auriculis* torquetur in homines ſtolidos, craſſis auribus, pinguique judicio.

241 *Minervæ felem comparare*, dicimus cum multa inferiora, cum præſtantioribus comparantur.

242 *Mœnia Semiramidis*: id eſt muri expugnatu difficillimi, & egregiè muniti.

143 *Moſchus canens Bœoticum* torquetur in multiloquos, ſed tamen ineptè loquaces.

244 *Mithragyrtes, non Daduchus* torquetur in eum, qui in comœdijs viliſſimam agit perſonam. Mirthragyrtæ dicuntur, qui obambulant cum ſimulatis myſterijs, ac rudibus imponunt.

245 *Momo ſatisfacere* eſt omninò inculpatè operari, vel ſcribere.

246 *Nemeſim timere* eſt ſe à ſcelere patrando abſtinere ob timorem pœnæ ſubeundæ. Nemeſis eſt Dea vindictæ, ſcelerum ultrix, quò tardiùs, eò graviùs.

247 *Neptuno ſavente mare trajicere* eſt rem urgere, quando favet occaſio.

248 *Neoptholemei vindicta* torquetur in eos, qui ea patiuntur, quæ in alios patrâtunt. *Qui gladio ferit, gladio perit.*

249 *Nemo læditur niſi à ſeipſo.* Quia nemini fit injuria, ſi eam exiſtimet ad ſe non pertinere.

250 *Non ex omni ligno fit Mercurius*, non omnia ingenia ſunt accommodata Diſciplinis. Non omnes ſunt dignitatibus digni.

251 *Non eſt pharmacum adverſus ſycophantæ morſum.* Id eſt, detrahentium calumniæ ſunt inevitabiles; cum clanculò plerumque proferantur.

252 *Non potes Thetydem ſimul, & Galateam amare.* Hoc eſt ſervire mundo, & Deo. Nec pluribus contrarijs ſimul placere.

253 *Nutu atque renutu* dicitur de eo, cui ſummam potentiam adſcribimus; dicimus enim ejus nutu, ac renutu geri omnia.

254 *Objicere canibus agnos*: eſt imbellem, & litium imperitum calumniatoribus, & exercitatis exponere.

255 *Obſequium amicos, veritas odium parit*: quia vulgaris amicitia conſtat obſequijs. Quæ tamen vera eſt amicitia, veritate gaudet.

Obtrudere palpum: eſt arte, fucóque deci- 256
pere. Palpari pro adulari, accipitur; & palpones dicuntur adulatores. Sumitur metaphora ab equiſonibus, qui ferocientibus equis plauſu manûs adblandiuntur.

Oculis magìs habenda fides, quàm auribus: 257
quia certiora ſunt, quæ videntur, quàm quæ audiuntur.

Ocyor accipitre. Dicitur de homine velo- 258
ciſſimo, & etiam celeris ingenij.

Odi puerulos præcoci ſapientia quia pueri 259
maturiùs ſapientes non cenſentur fore vitales.

Odium novercale dicitur irrevocabile: quia 260
novercis innatum eſt fatale in privignos odium. *Odium agreſte* eſt odium atrox, quia ruſtici implacabiliùs oderunt. *Odium Vatinianum* eſt capitale.

Oderint, dum metuant. Uſurpatur per 261
jocum, veluti ſi quis eruditione alijs præcellens de clanculis hoſtibus, qui tamen ob metum hiſcere non audeant, dicat: *Oderint, qui metuunt.*

Omne tulit punctum de re calculis omnibus 262
comprobata. Horatius

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

Oppedere contra tonitrua: eſt reclamare; vel 263
irripere.

Oſtrei in morem hærere, eſt alicui intenſiori af- 264
fectu ahærere.

Pactoli opes congerere dicitur de cupido di- 265
vitiarum, quique in illis acervandis omnem inſumit induſtriam nunquam ſatur. Pactolus eſt fluvius Lydiæ aureis ſcatens arenis, dicitúrque Pactolus aurifer.

Palmarium facinus: pro inſigni, dignóque 266
triumphis.

Palinodiam canere: eſt recantare, ſeu di- 267
verſum ab his, quæ priùs quis dixerit, dicere, ac fateri proprium errorem, séque corrigere.

Panagæa Diana dicitur de fœmina errabunda; inſtabili, quæ nulla certa ſede conſiſtat. Diana à Mythologis vagari dicitur.

Paſtillos Rufillus olet, Gorgonius hircum, tor- 268
quetur in duos laborantes diverſis vitijs.

Patroclo ſordidior dicitur de divite avaro, 269
parco, ac ſordido Patroclus prædives fuit, ſed adeò ſordidus, ut nunquam fuerit balneo uſus, parſimoniæ causâ, ne pecunias inſumeret.

Pannico timore correptus: dicitur de ſubito 270
timore, ac animorum tumultu, ſed inani. Panicon veteres vocabant hunc ſubitum animorum tumultum inanem. Exiſtimabant, Panem Deum repentinos terrores, animíque conſternationes immittere, lymphaticis ſimillimas; & hiſce ſemel correptos homines fieri prorſus impotentes, ac veluti ratione, ac mente carentes.

Paries dealbatus eſt ſacerdos, vel religioſus 271
fictus; Omnes qui Chriſti ſimulant ſanctimoniam, & moribus non reſpondent, dicuntur ſepulchra dealbata.

Pellem caninam roddere apud Martialem eſt, 272
hominem maledicum, ac improbum convicijs ſectari.

273 *Palinuro Navarcho æquora trajicere* eſt duci ab infelici nauclero per loca periculis obnoxia. Fuit Palinurus gubernator navis Æneæ, qui ſomno oppreſſus unà cum gubernaculo in mare delapſus ad promontorium Lucaniæ natando pervenit, cui poſtea nomen Palinurus fuit.

273 *Palladium corruit*, ſumebatur pro infelici, infauſtóque ſigno. Fuit Palladium antiquiſſimum ſimulacrum Palladis in urbe Troja, & habebatur pro re fatali, unde ſalus, vel exitium penderet.

274 *Panchaiam ſecum defert*: hoc eſt odorum copiam. Panchaja eſt reigio Arabiæ tota arenoſa, in qua arbores ſponte natæ thus emittunt.

275 *Pandoræ Pyxidem invertere* in eum torquetur, qui cauſa eſt plurium malorum. Fuit Pandora fœmina leviſſima.

276 *Panſonis equus* dicitur de illo, qui facilè genio ſe accommodat cæterorum. Fuit Pauſonis equus ita pictus, ut prout verteretur tabula, vel volutari in pulvere; vel currere videretur.

277 *Pegaſo velocior* dicitur de Poëta celeris ingenij, qui abſque mora carmina componit.

278 *Peleï, & Thetidis nuptiæ* ſcilicet ſplendidiſſimæ.

279 *Pelion adjunctus oſſi* uſurpatur, quando difficultati additur difficultas.

280 *Penelopes telam texere* eſt inanem operam ſumere, & rurſus deſtruere jam factum. Hac arte Penelope uxor Ulyſſis Procos deluſit.

281 *Perdere oleum, & operam* dicitur, quando fruſtra quis laboravit.

282 *Pergræcari* ſumitur pro eo, quod eſt genialem vitam agere, ac laxè bibere.

283 *Perſico apparatu incedere*; eſt magnificè, ac ſplendidè apparere.

284 *Phædram non matrem nacti* dicitur de natis primæ conjugis, cujus maritus ad ſecundas tranſijt nuptias; ſolet ſecunda conjux filios odiſſe primæ. Phædra ſumitur pro noverca, ſcelerata, & impudica.

285 *Phaëtontis ſequi veſtigia* dicitur de adoleſcente temerario. Phaëton parentis indulgentiâ abuſus, patriæ perniciem intulit.

286 *Phalaridis imperium* in eos torquetur, qui crudelius exercent imperium. Sumptum adagium à Phalaride Agrigentinorum tyranno, quem ſua crudelitas clarum effecit.

287 *Pharos turris* pro re nos in periculis, vitæque diſcrimine illuminante.

188 *Pharſalicos innovare campos* dicimus, cum multum ſanguinis bello civili funditur. Noti Pharſaliæ ſunt campi, ubi multum fuderunt ſanguinis Cæſar, & Pompejus.

289 *Phidiaca manu ſculptus*, ſeu eleganter, ac perfectè. Fuit Phidias nobilis, & excellens Statuarius.

290 *Philemon, & Baucis*, dicuntur conjuges, pauperes quidem, ſed concordes, ac hoſpitales, ſuáque ſorte contenti.

291 *Philoctetis cudere tela*, eſt propria damna ſibi inferre. Philoctetes Pæantis filius, & comes Herculis unius ſagittæ caſu in pede, quo Herculis tumulum monſtraverat ictus, vulnere immedicabili affectus eſt.

Philomelæ luctus eſt ſceleris pœnitere. Phi- 292
lomela à Tereo violata, Deorum miſeratione in avem ſui nominis converſa eſt, quæ & luſcinia dicitur, quam etiam deflere dicunt cantu dulciſſimo injuriam, quam paſſa eſt.

Philoxeni collum ſibi optare torquetur in vi- 293
rum guloſum, ac potatorem. Fuit Philoxenus paraſſitus quidam, qui gruis ſibi collum optaverat, ut diutiùs ſentiret dulcedinem cibi, ac potûs.

Phlegra etiam magnos manet, ſcilicet ſepul- 294
chrum etiam Principes expectat. Phlegra eſt vallis in Macedonia, ubi conſepulti ſunt Gigantes, qui olim cum dijs conflixerunt.

Phryges ſerò ſapiunt, in eos torquetur, quos 295
ſtultè factorum ſerò pœniret.

Phryx plagis emendatur: de barbaris, ſervi- 296
lique ingenio hominibus dicitur, qui non pudore, neque monitis, ſed verberibus fiunt meliores.

Pica certat cum Luſcinia, rudis cum perito: 297
Pica moleſtæ eſt garrulitatis, Luſcinia eleganter canora.

Polycratis annulum abjicere ſolet de jis dici, 298
qui adverſum aliquid ſibi cupiunt. Polycrates vir fuit fortunatiſſimus, omnia ei ſemper juxta vota obtigerunt. Annulum habuiſſe fertur incredibilis pretij, ſibique chariſſimum, quem in mare abjecit, ut ſibi plus æquo adblandientem fortunam temperaret: ſed eundem in ventre piſcis inventum recuperavit.

Polyphemus ducens gregem dicitur de imperito 299
exercitus præfecto, quique vino indulgeat, & uſu facilè deſtituatur rationis. Polyphemus eſt typus ebrij, ac voratoris hominis. Excæcatus fuit in ebrietate.

Priſcianum dilacerare eſt ſolæciſmos gram- 300
maticales committere. Fuit Priſcianus nobilis grammaticus, qui regulas tradidit grammaticales.

Proteo mutabilior dicitur de viro inconſtan- 301
te. Proteus enim omnes fingitur formas induiſſe.

Priamus noſtri ſæculi dicitur de ſene infelice. 302

Promothei vulture torqueri, dicitur de ijs, 303
quos conſcientia mala rodit.

Pythagoræ literam incurrimus, ſeu Y deſig- 304
nantem bivium hominis dubitantis.

Punica fides, ſeu mendax, & fallax. Pœ- 305
norum perfidia in proverbium abjit, quia Pœni peculiariter perjurij notati fuerunt: unde pœni fœdifragi ſemper habiti.

Pygmæorum acrothinia coloſſo adaptare: eſt 306
præter decorem minima maximis adaptare. Acrothinia apud Græcos dicebantur primitiæ ſolitæ è ſummo acervi tolli.

Pyræus non fert vaſa inania. Torquetur in 307
eos, qui gaudent ſemper cibo, potuque diſtendi. Pyræus portus erat Atticæ. Huc appellebant vaſa oneribus onuſta.

308 *Quævis terra patria.* Scilicet vir ſapiens ubique gentium eſt acceptus, & ſemper eſt felix.

309 *Qualis hera, talis pediſſequa* exemplis majorum moventur inferiores.

310 *Quærens obſonium veſtem perdidit.* Id eſt, cum puſilla quædam captamus, perdimus majora.

311 *Qui circa ſalem, & fabam* in eos torquebatur, qui ſe ſimularent ſcire, quod neſcirent. Etenim divina reſponſuris fabam, & ſalem apponebant.

312 *Quid Achivos è turre judicatis?* torquetur in eos, qui in tuto poſiti de ijs judicant, qui in periculo verſantur. Ut qui è litore ſpectant periclitantes in mari.

313 *Radere usque ad cutem* eſt exigere rigorosè usque ad minimum theruntium.

314 *Rhadamantheum judicium* ſumitur pro ſervo.

315 *Ranis vinum propinare* eſt exhibere alicui, quo opus non habet, vel Ruſticis multa de Philoſophia dicere.

316 *Refricare cicatricem* eſt, quæ ſemel diſplicuerunt, repetere.

317 *Res ad triarios rediit* dicebatur de ultimis remedijs, ac conſilijs in extremis periculis ſuſcipiendis.

Rex, aut aſinus, id eſt aut victor, aut victus.

318 *Rem novam aggredi,* eſt rem difficilem moliri.

319 *Rete ventos venari* eſt fruſtra niti.

320 *Saliares apponere dapes,* eſt lautiſſimum parare prandium.

321 *Salmonei honores quærere* torquetur in eos, qui ſe ſupra ſe extollentes ea appetunt, quibus miſerè pereunt. Salmoneus cum divinos ſibi honores petulantiùs quæreret, Jovemque ſtructo æneo ponte tonando, & jaciendis fulminibus imitaretur, ab eo fulmine ictus ad inferos detruſus eſt.

322 *Salillum animæ* apud Plautum ſignificat hominis vitam breviſſimam.

323 *Samiorum mala metuere,* de ijs dicitur, qui proditionem metuunt. Athenienſes olim in Samios, quoscunque cepiſſent, inclementiùs ſævierunt, plures confixerunt. Sama fuit quoddam ſupplicij genus. Samij viciſſim in Athenienſes crudelitatem exercuerunt.

324 *Sardanapali mores induere,* eſt ſenſui omnique voluptati indulgere, ac delicijs innutriri. Sardanapalus ob inſignem hominis mollitiem abjit in proverbium. Fuit enim deliciis, adeò effœminatus, ut inter Eunuchos, & puellas, ipſe puellari cultu deſidere conſueverit.

325 *Sardonicus riſus* proverbij ſale dicitur de riſu ficto, amarulento, perſonato, cui ſi larvam detraxeris, luctus emergit. Riſus Sardonicus congruit ementitis mundi gaudijs, fucatis voluptatibus, fictæ lætitiæ: de hiſce enim ait Eccleſiaſt. 2. *Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi; quid fruſtra deciperis.* Deſumitur hoc adagium à Sardoa herba, quæ ora hominum, & rictus dolore contrahit, & quaſi ridentes interimit.

126 *Saturni podex* olim dicebatur de carnibus vetulis fœtentibus, putreſcentibus, quidquid enim putre, & effœtum erat, id Saturnium vocabatur.

Saturno compedes dicare eſt libertati reſtitui, 327 olim ſervi libertate donati Saturno compedes dedicabant. Saturnia tempora, aurea, & felicia.

Scarabæi terreri umbra eſt inani timore cor- 328 ripi: quia hoc inſectum repente advolans, horribili bombo nonnunquam terrere ſolet parum attentum.

Serò Jupiter Diphteram inſpexit quadrat in 329 eos, qui ſerò quidem, ſed aliquando pro flagitijs perpetratis promeritas luunt pœnas, Mythologi putant, Jovem, omnia in ſua diphtera, ſeu pelle caprina ſcribere, & multa quidem pro tempore diſſimulare; verùm aliquando de improbis pœnas ſumere.

Silenus Alcibiadis: dicitur de homine, qui ha- 330 bitu, vultúque longè minus præſeferat, quàm in animo claudat. Sunt enim viri aſpectu contemptibiles, qui tamen virtutibus cæteros antecellunt. Ajunt, Silenos icunculas quaspiam fuiſſe fictiles; ita tamen fabrefactas, ut diduci, ac explicari poſſent: quæ clauſæ cùm erant, ridiculam ac monſtroſam tibicinis ſpeciem habebant; cum intus mira continerent.

Sibyllæ folium invenire eſt rei veritatem oc- 331 cultam deprehendere.

Sileno ſe jungere eſt ex nimio vini hauſtu 332 mente hebetari. Silenus potator improbus, ac ſtolidus fuit.

Sirenulis aures denegare eſt non ſinere ſe alli- 333 ci mulierculartum blanditija, mundíque voluptatibus. Sirenes dicuntur mulieres ſeductrices.

In Sirenum ſcopulos impingere eſt vinci volu- 334 ptate.

Siſyphi volvere ſaxum torquetur in eos, qui 335 inani labore diu defatigantur.

Smyndiride delicatior dicitur de juvene mol- 336 li, et effœminato, querulo in ipſis delicijs. Smindyrides fertur de roſis conqueſtus.

Sophocleo cothurno incedere eſt carmine in tra- 337 gœdijs uti alto.

Spartham, quam nactus es, hanc orna: hoc eſt, 338 rectè adminiſtra officium, quo fungeris, vel te accommoda loco, ubi degis.

Sphingem objicere eſt involutam quæſtionem 339 proponere.

Spurina formoſior dicitur de adoleſcente li- 340 beralis formæ, & caſto.

Stoicus homo: pro tetrico, ac cerebroſo 341 Philoſopho.

Sybariticam ſtruere menſam eſt delectationes 342 cibos ac cupedias exhibere. Sybarita ſumitur pro homine molli, ac delicato.

In Syrtibus hærere dicimur, cum graves no- 343 bis occurrunt difficultates, à quibus difficulter nos extricamus. Syrtes ſunt loca navigantibus periculoſa.

Taciturnior Pythagoræis dicitur de ſummè ta- 344 citurno. Deſumitur adagium à Pythagoræ ſchola, in qua quinquenne ſilentium indicebatur auditoribus.

345 *Talaria induere* de ijs dicimus, qui in caſtris
ſe parant fugæ.

346 *Tanagræus Cetus.* Dicitur de homine obe-
ſo, & prægrandi corporis mole.

347 *Tagum ſi totum biberet, adhuc ſitiret:* torque-
tur in avaros, & coacervatores divitiarum,
qui congeſtis divitijs ſemper novas addunt;
nunquam contenti. Tagus aurifer ſumitur
pro divitijs.

348 *Tantali eſt domus* ſcilicet funeſta familia in-
fortunijs obnoxia. Plato in Cratylo ait, Tan-
talum dictum eſſe quaſi infeliciſſimum.

349 *Tantali pomis, ac laticibus diteſcere* torquetur
in avaros, qui partis divitijs non fruuntur,
ſemper pauperes etiam cum diteſcunt. Nar-
rant Mithologi, Tantalum convivio Deos
excepiſſe eorum experturum divinitatem; &
Pelopem filium membratim diſcerptum, co-
ctúmque iiſdem appoſuiſſe comedendum. Il-
li verò nefandis ab epulis abſtinuere, exceptâ
Cerere, quæ pueri humerum devoravit, pro
quo Numina eburneum reſtituerunt humerum.
Revocatâ ab inferis animâ per Mercurium, Pe-
lopem ad vitam revocârunt. Tantalum verò
ejus patrem nefandi ſceleris authorem ad Infe-
ros detruſerunt, ubi perpetua fame, & ſiti
torqueretur. Eridani fluvij aquis, & pomis,
quæ ejus imminebant capiti fugientibus, dum
ea niteretur attingere.

350 *Tauri incolere montem* eſt in loco inhoſpitali
degere.

351 *Telephi vulnere ſaucius* dicitur de morbo in-
ſanabili, vel perpetua dementia. Telephi
ulcus dicitur etiam de inimicitia irreconcilia-
bili.

352 *Theagenis hecateum* torquetur in ſuperſtitio-
ſos, ac ridiculè meticuloſos.

353 *Theagenes* adeò fuit ſuperſtitioſus, ut do-
mi haberet Hecates ſimulachrum, neque os-
quam pedem moveret, niſi illo conſulto.

354 *Therſitæ facies* dicitur de prodigiosè defor-
mi. Scribit Homerus, Therſitem fuiſſe om-
nium fœdiſſimum, qui Trojam venerunt.

355 *Theſſalorum commentum:* pro re infida u-
ſurpari ſolet, & torquetur etiam in eos, qui
in acie locum deſerunt. Theſſala venena.
Theſſalica mulier pro venefica.

356 *Thulem ultimam petere* eſt longè à patria e-
xulare: Thule eſt inſula in ditione Scotorum
vergens ad Septentrionem ultra Orcadas. Pro-
verbialiter ſumitur pro exilio, locóque ultimo.
Virg. 1. Georg. *Tibi ſerviat ultima Thule.*

357 *Tibicem vapulat.* Dici ſolet de illo, qui
pro alio pœnas luit. Eubulus apud Athenæ-
um *lib. 9.* ait, morem fuiſſe, ſi quid peccâſſet
coquus tibicinem ſolere vapulare.

358 *Timidior es proſpiciente*, ſeu formidoloſior
eo, qui proſpectat: dicitur de homine ſupra
modum pavido. *Umbram ſuam timere* dicitur
de illo, qui pueriliter trepidat, ubi nihil ad-
eſt periculi. Homines timidiſſimi fuerunt
Piſander apud Zenodotum; & Epeus apud
Ariſtophanem, & Plautum.

359 *Timidi unnquam ſtatuerunt trophæum:* tor-
quetur in eos, qui per animi ſocordiam, ac
inertiam nihil egregium, nilque arduum au-
dent aggredi: aut qui metu periculi à m..nis
abſtinent negotijs.

Tinctura Cyzicena apud Atticos erat dede- 360
cus non eluendum, in eós torquebatur, qui
ratione metus indecora agebant. Cyzici no-
tati timiditatis & mollitiei erant infames. Et
ut dixerat Plato *ibi timor, ibi pudor.* Multos
non pudet turpi quæſtu vivere.

Tireſia cæcior: torquetur in luſcum, qui 361
vix videt; transfertur ad animum, & dicitur
de prorſus ſtolido, ac ignorante.

Titij vulture dilacerari eſt verme torqueri con- 362
ſcientiæ.

Tithoni ſenecta pro decrepita. Tithonus in 363
extrema ſenecta iterum potuit repueraſcere.

Trojano ex equo prodire ſcilicet ex inſidijs. 364
Vel heroum de ſanguine.

Trophonij ex antro prodire: dicitur de homi- 365
ne vel maximè tetrico, & triſti.

Tuo te pede metire. Monet hoc adagium, ne 366
quis ſe dilatet ultra conditionem ſuam; neve
ſe ipſum ex aſſentatorum laudibus, aut vulgi
opinione, aut fortunæ favore; ſed proprijs
dotibus, animique virtutibus æſtimet.

Vadimonium deſerere torquetur in eum, qui 367
ſuæ non ſtat ſponſioni. Eſt vadimonium
ſponſio comparendi in judicio ad diem præſti-
tutam; & turpe erat deſerere vadimonium,
neque excuſabatur vadimonij promiſſor niſi ob
graviſſimas cauſas. Apud Plinium in *Præfat.*
Naturalis hiſtor. dicitur. *Inſcriptiones propter*
quas vadimonium deſeri poſſit: id eſt, Inſcriptio-
nes librorum tam magnifica pollicentes, ut
propter eorum lectionem vadimonium deſeri
poſſit.

Vana eſt ſine viribus ira, torquetur in eos, 368
qui minantur clades, quibus tamen vires non
ſuppetunt.

Ucalegon ardet proximus, id eſt, imminet 369
periculum.

Valere pancraticè Plautus dixit de eo, qui 370
firma eſt valetudine, quia in Pancratiſtis ro-
bur corporis potiſſimum ſpectaretur: eodem
pacto dicitur valere athleticè, valere pugi-
licè.

Veſpa Cicadæ obſtrepens: torquetur in eum, 371
qui certat longè impar cum ſuperiore, vel qui
negotium faceſſit longè ſe præſtantioribus:
quo ſenſu dicimus: Pica cum luſcinia certat.
Upupa cum Cygnis.

Vino vendibili ſuſpenſa hedera nihil eſt opus, 372
dicitur de re quavis excellente, quæ non indi-
get aliena laude, cum ſe ipſam commendet.

Ultra res Callicratis: dicebatur de immenſis
opibus.

Ultro, citróque refertur ad mutuam altercal- 373
tionem & rixam. Cicero ait multis verbis
ultro, citróque habitis. Dicitur ultro, citró-
que agitata cauſa.

Ultra Epimenidem dormire torquetur in eos, 374
qui perpetuo marceſcunt otio. Epimenides
Cretenſis ex itinere feſſus in quandam ſubjit
ſpecum, ubi indormivit; neque experrectus
fuit à ſomno ante exactos annos ſeptem ſupra

quadraginta, ut refert Gellius. *Endimionis ſomnum dormire*, ijs objicitur, qui ſe immodico ſomno ſaginant, vel feriatam agunt vitam.

375 *Vale amicum lumen.* Rex quidam Anglorum vino cum oculorum detrimento indulgens juſſus fuerat à Medicis abſtinere à meri hauſtu, ne in eodem naufraga totaliter vis oculorum viſiva periret, & ipſe penitus cæcutiret. Sed Rex Medicorum contemnens conſilium laxum cyathum generoſiore oppletum vino exſiccavit, dicens. *Vale amicum lumen*, & tali hauſtu lucem ſibi extinxit, & miſerè cæcutijt. Inde abjit in adagium. *Vale amicum lumen*, diciturque, cum fit rei cujuspiam nobis pergratæ jactura.

376 *Usque ad aras amicus* monet adagium, eſſe quidem commodis conſulendum amicorum, ſed citra Numinis offenſam: absque detrimento propriæ animæ, ac rectitudinis læſione, à qua nefas eſt deflectere.

377 *Ubi amici, ibi opes*: quia amici ad vitæ præſidium potiores ſunt pecuniâ; plusque habent momenti amici citra pecuniam; quàm opes ſine amicis.

378 *Ubi quis dolet, ibi & manum habet*: hoc adagio innuimus, quempiam ea tractare, deque ijs libenter verba facere, quæ movent animum, vel volupe eſt agere.

379 *Undecunque lucrum captant*; torquetur in advocatos, in calumniatores, in avaros. medicos, alióſque divitijs inhiantes; qui lucrum captant, ſi quis in eorundem incidat caſſes, quem poſſint expilare.

380 *Unde venis fabarum arroſor*, de eo dicebatur, qui in creandis magiſtratibus vendebat ſua ſuffragia, eóque queſtûs gratiâ verſabatur in comitijs.

381 *Vela ventis permittere*; eſt editionis ancipitem eventum, utcunque cadat experiri. Hinc Quintilianus: Permittamus vela ventis; & ora ſolventibus bene precemur.

382 *Vel Megaram usque*; deſumptum eſt hoc adagium ex Socrate apud Plutarchum, ubi ait: Mihi ſanè cupiditas eſt audiendi, ut ſi pedibus, vel Megaram usque ambules. Hinc de aliquo à nobis vel maximè expetito, licèt debeamus, vel magnum pretium ſolvere, vel ingentes exantlare labores, ut illud enanciſcamur, dicimus; hujus rei gratia, vel in Indiam usque proficiſcerer.

383 *Ultra Hyperbolum.* Hyperbolus quispiam erat mirum in modum apperens litium; & in eos torquetur, qui ſimili laborant morbo.

384 *Velocem tardus aſſequitur*, ei congruit, qui licèt viribus imbecillior; arte tamen, & ingenio, vincit potentiorem. Huc acceſſitur apologus de vulpe, & corvo eandem prædam curſu petentibus, quam vulpes celeritate impar ingenio ſibi vendicavit.

385 *Venereum jusiurandum* in amaſios torquetur ſpondentes, quæ ſunt ipſis impoſſibilia; unde Venereum jusjurandum non punitur, quia habetur irritum; ac veluti jocoſum; ex cœco proveniens amore, qui quod ſpondet, non videt.

386 *Venire ad ſummam lineam* perinde eſt ac ad extremum, vel finem inſtituti negotij devenire. Horatius. Venimus ad ſummum.

387 *Venter auribus caret*: quia ubi de paſtu agitur, non admittuntur honeſtæ cogitationes, nec rationes. Contra famem nulla contradictio.

388 *Vento loqui* uſurpatur pro verbis inaniter prolatis, & abſque ullo effectu: quia ventus omnia diſſipat. Huic ſimile eſt aliud: *Aquam in mortario tundere*, in eos, qui laborant ſine fructu.

389 *Verbis conceptis pejerare* eſt ſanctè, ac religioſè ſe obligare ad ſervanda promiſſa; moris olim fuit, quò jurans manu aram tangeret, quò major eſt jusjurandi religio. Sanctiſſimum propterea, & inviolabile habebatur jusjurandum.

390 *Utrem cædere.* Eſt minis obſtrepere inanibus. Depromptum eſt adagium è ſacris Bacchi. Vel ab ijs, qui percuſſis utribus, ac perforatis inanem edunt ſtrepitum.

391 *Veſpa Cicadæ obſtrepit.* Ijs congruit, qui viribus impares certant vel armis, vel literis, gladio, vel calamo cum longè ſuperioribus. huic adagio ſimilia ſunt hæc alia. *Pica cum luſcinia certat. Upupa cum Cygnis.*

392 *Vincula Tyrrhena* dicebantur negotia odioſa, vel explicatu perardua, quibus aliquis diſtringebatur. Moris fuit, quò Tyrrheni captivos vinculis moleſtiſſimis vincirent, ac torquerent.

393 *Vinum vendibile hedera non indiget.* Quod in ſe eſt perfectum, non indiget aliena laude, ut deprædicetur perfectum.

394 *Ultra crepidam non audeat Sutor.* Nemo de ijs judicet, quæ ſunt ab ejus profeſſione aliena.

395 *Virtute duce, comite fortuna* depromptum ex M. Tullio Cic. epiſt. famil. l. 10. ad Plancum. Virtus eligit, quod eſt optimum, quod ſi non ſuccedit, in rebus tamen præclaris voluiſſe pulchrum. Si ſuccedit, prima laus datur virtuti, ſecunda Fortunæ, quæ virtuti ſubſervit.

396 *Ultra penſum vivere*, depromptum ex Luciano in Philopſeude eſt vitam ultro conſuetos producere terminos; & dicitur etiam *ultra fuſum*, & alluditur ad Parcarum fuſos, quibus ævum mortalium evolvi fabulantur Poëtæ, & ad fila, quæ nere finguntur. Dicitur etiam proverbialiter vivere ultra cathalogum, ſeu in longam ætatem, quæ Neſtorea dicitur. Neſtoris ætas à Latinis parœmialiter dicitur, quia Neſtor fertur tria hominis ſæcula vixiſſe.

397 *Ululas Athenas mittis*: ijs congruit negotiatoribus, qui merces eò comportant, ubi per ſe magis abundant; ut ſi in Ciliciam Crocum, in Ægyptum frumentum, in Italiam vinum, quis è partibus Germaniæ aſportaret, eadem ſaliva dicimus, ligna deferri in ſylvam; & aquam in mare.

398 *Ventos colere* in eos contorquetur, qui ex ſuis laboribus nullum percipiunt fructum.

Una

Digitized by Google

399 *Una domus duos non nutrit canes*, in eos jacitur, qui minimè conveniunt; Dicimus etiam, regnum non capere duos reges.

400 *Unus contra multos*, ſeu perdifficile eſt, unum compeſcere multos.

401 *Unguis in ulcere*, depromptum à Cicerone in Clodium, qui populum fame jam exaſperatum concionibus ſeditioſis in rabiem agebat. Eſt etiam renovare dolores.

402 *Uno die conſeneſcere*; tribuitur Theocrito; & ſenſus eſt: quos vehemens aliqua paſſio animi tum concupiſcentis, tum iraſcentis angit, una luce ſeu die ſeneſcunt. Nulla res citius accelerat ſenium, quàm animi curæ, amor, odium, invidentia, metus, mœror.

403 *Unicum arbuſtum haud alit duos erithacos*: in eos torquetur, qui in eodem munere, vel officio concorditer verſari nequeunt. Eſt Erithacus avis ſolitaria, ut in eodem ſaltu non temerè niſi unum invenias. De Alexandro Macedone fertur dixiſſe: Mundum duos non capere ſoles.

404 *Unum in occipitio oculum gerunt*: tribuitur Plauto in Aulularia, dicitúrque de viris verſutis, & circumſpectis, quique propterea rarò fallunt.

405 *Unus vir nullus vir*: depromptum eſt ex Platone: ſenſus eſt, ut nihil egregij præſtari poſſit ab uno viro omnibus deſtituto auxilijs.

406 *Volam pedis oſtendere*: de ijs dicitur in bello timidis militibus, qui ad primas conflictûs velitationes euro citiùs fugiunt: hi dicuntur volam pedis oſtendere adverſario, cum quo pugnare timet. Perinde eſt ac calcaneum oſtendere.

407 *Volantia ſectari* de ijs dicitur, qui nullum certum vitæ ſcopum ſibi proponunt; ſed ex tempore vivunt, ad quamlibet occaſionem mutabiles.

408 *Voluere ſaxum* de ijs dicitur, qui inexhauſto, ac inutili quopiam labore defatigantur. Adagium hoc depromptum eſt ex fabula Siſyphi, ſaxum apud inferos ſurſum, & deorſum volventis absque ulla quiete.

409 *Volvitur dolium* de viro temulento, & inconſtante, quique pronus eſt ad mutandum propoſitum parœmialiter dicitur. Quia dolium facili impulſu volvitur, quò vis. Secus vir prudens, & ſapiens lapidi pariatur quadrato, qui ſemper fixus eſt, & non facilè movetur.

410 *Vorare hamum* depromptum ex Plauto de illo dicitur, qui ſe ſinit voluptatis illicio irretiri, vel ſpecioſa aliqua ſponſione capi; & inde plurimum patitur detrimenti.

411 *Ut canes è nilo* de illis dicitur, qui nonniſi leviter, veluti in extima ſuperficie, & perfunctoriè artem quampiam addiſcunt: hi ut canes è nilo deguſtare dicuntur: quia canis in Ægypto ſitiens nonniſi raptim, & in curſu aquas nili lambit timens latentem in turbidis illis aquis crocodilum. Poſt fugam Mutinenſem quærentibus quid ageret Antonius: fuit, qui reſponderit; quod canis in Ægypto, bibit, & fugit.

Ut Phrygius amavit Pjeriam. Refert Plu- 412
tarchus hoc adagium ſuo tempore fuiſſe in uſu; & quia ſingularis fuit amor, quo Phrygius Pjeriam amavit: uxores ſic amari à viris ſuis optârunt.

Vulpes bovem agit, de illo dicitur, qui rem 413
ad proprium non pertinentem inſtitutum abſurdè adit. Nihil enim vulpi cum agricolatione, ut ſi ſutor vellet poëtam agere, cui retorquetur: *ne ſutor ſupra crepitam.*

Ulyſſes pannos exuit, habet hanc parœmiam 414
Homerus, & ijs accommodatur, qui ex tenui ad pinguiorem provehuntur fortunam; è ſqualidis fiunt nitidi, è triſtibus hilares.

Uſque ad ravim, ſeu ſatietatem, Plautus di- 415
xit de improbè, ſæpius, & clamosè loquente, ut vox toties vociferanti raucescat.

Xantippe moroſior dicitur de uxore jurgioſa, 416
ac moleſtâ. Fuit Xantippe uxor Socratis ſupra modum moroſa, moleſta, ac jurgioſa.

Xenocratis caſeolus dicitur de avaro, qui eun- 417
dem cibum menſæ apponit, & parcè comedit, quò diu duret: Appoſitè dicitur de quibusdam ſordidis, qui omnem penum eousque ſervant, quoad fuerit corruptus. Nota eſt Xenocratis frugalitas, cui caſeus unus per totum fermè annum menſam totam conſtruebat.

Zeleuci lex dicitur de edicto, vel mandato 418
plus ſatis rigido. Zeleucus Locrenſibus leges tulit perquam acerbas: cumque ejus filius ob patratum adulterium utroque deberet oculo ex ſancita lege carere; & populus rogaret, ut filio parceret, diu repugnavit, tandem victus precibus populi; ſuo priùs, deinde filij oculo eruto, ſalva lege ſupplicij modum temperavit: pœnam maluit dividere, quàm legem frangere.

Zenone moderatior dicitur de viro frugaliſſimo 419
in victu & veſtitu. Refert Laertius in vita Zenonis, hunc Philoſophum parciſſimum fuiſſe in victu, veſtitu, & voluptatibus, fructibus tantùm & oleribus jisque crudis veſcebatur; pertenui, & detrita penula tectus.

Zephyros audire ſpirare ſecundos. Eſt for- 420
tunam experiri ſibi adblaudientem.

Zoili dente morderi, eſt ab obtrectatore ma- 421
ledico carpi. Zoilus fuit Homeri flagellum.

LIBER III.

De Argumentatione.

EXpendimus in præcedenti libro loca omnia intrinſeca, & extrinſeca, è quibus veluti ab armamenrario ſua poreſt Oraror deſumere arma, & argumenta: ſicut generoſus miles omni armorum genere muniri debet, ut ſe omnibus ferocem faciat, hoſtibus vulnera, cædéſque cruentas minetur, Martíſque nepos audiat, & macheram futurâ hoſtium ſtrage conſoletur, legiones hoſtiles ſolo territet aſpectu, ad conflictum primus accedat, poſtremus diſcedat, tela ſpargat, & nudaro ferro feriat cæſim, punctim, cominùs, eminùs: perinde excellens Orator, ur animos flectat in ſua vota, & vincat, neceſſe eſt, omni argumentorum genere obarmetur: ſiquidem ex Ariſtorele *1. Rhetor. cap. 2.* tria ſunr, quæ potiſſimum ad perſuadendum valenr, mores oratoris, Motus auditoris, & argumentorum tractatio, de qua in præſenti.

EXPENSIO I.

De Argumentatione in genere.

INter omnia Rhetoricæ inſtrumenta argumentatio principem occupat ſedem: eſt enim quâ veritas deprehenditur, & quæ latebat ignota, eruitur, fitque nota: quapropter perpendenda eſt priùs diligenter propoſitio, quæ ab oratore probari poſſit, & ad id præſtandum eruuntur argumenta ex locis communibus in præcedenti libro expenſis, ex ijs enim, & propoſitione coaleſcit oratio, quæ nil aliud eſt, niſi ordinata quædam verborum, & argumentorum congeries ad unum aliquid ſuadendum, vel diſſuadendum: & quamvis pluribus conſter partibus, duæ tantùm ſunt illi neceſſariæ propoſitio, & ejus probario beneficio argumentorum; reliquæ partes, ut Exordium, Narratio, Peroratio ſunt tantùm integrantes. Hinc definitur oratio, ſermo artificioſus ad perſuadendum, vel diſſuadendum, ſeu ad animos hominum potenter permovendos accommodatus: neque alius eſt finis oratoris, quàm auditores flectere, ac impellere ad agendum, ſive ad proſequendum bonum, ſive ad ſugiendum malum.

Ut autem artificioſus hic ſermo ad flectendos animos, eóſque conciliandos, ac permovendos habeatur; inventâ propoſitione eruenda ſunt ex locis communibus ſuperiùs expenſis argumenta, quibus probetur, quod orator intendit auditoribus perſuadere; ad quod plurimum requiritur induſtriæ, & artis, quâ auditores in eam flectantur, & trahantur partem, prout magìs oratori libuerit: idque cauſæ, cur à pleriſque oratio dicatur aurea illa catenula, quæ juxta Poëtarum commenta ex ore Herculis prodibat, ut auditorum animos licèt reluctantes, & inviros ſuaviter ſtringeret, & vi blanda in ſuam ſententiam pertraheret. Alij eam dixerunt Mercurij virgam: quæ pugnantes inter ſe ſerpentes reconciliavit, & in mutuum amoris complexum coëgit. Eſt enim vis orationis adeò potens, ut diſſidentes animos componat, iram extinguat, odium proſcribat, inimicitias deleat; & prædura corda emolliat, flectátque in exercitium virtutis. Hinc alijs viſa eſt blandiſſima Orphei cythara, quæ cum ſaxeis ac efferatis hominum animis dominaretur; ita Orator eos in partem, quam vult, impellit, & blanda

quā

quadam violentia rapit. Imò tubæ pariatur, quâ clangente olim Jerichontis muri corruerunt: flagitioſorum quippe hominum corrupti, ac perverſi mores evertuntur, & vitia quæque victa proſternuntur. Ad id autem requiruntur valida argumenta, in quibus ſeligendis non rarò deficiunt Oratores, eò quia vel parum præſeferant energiæ, vel ab inſtituto deflectant propoſitionis probandæ, quæ propterea debet una eſſe, cum ex illius unitate deſumatur unitas orationis, quapropter extendi debet ad id totum, quod in oratione tractatur, ut in illam veluti in metam omnia argumenta eruta ex locis communibus colliment. Debet itidem propoſitio clara eſſe, ut ſit captu facilis: & quia à propoſitione dependet potiſſimum captatio benevolentiæ, non debet eſſe levis, nec puerilis; ſed gravis, & auditoribus accommodata, cujusmodi ſunt, quæ ad commodum noſtrum redundant, ut propoſitiones, quæ continent morum correctionem, vitiorum fugam, virtutum exercitia; vel quæ ſpectant ad politicam, & Oeconomiam. Idque cauſæ, cur audiamus eos potiſſimum Concionatores populari plauſu excipi, & probari, qui moralia tractant, & facilia captu, quæ ad mores formandos faciunt: & eos improbari, qui ſpeculativa disquirunt, & difficilia captu exhibent, à vulgi cognitione remota.

3 Cæterum propoſitio excitat in auditoribus benevolentiam, ſi aliquid præſeferat novitatis, ſeu non ſit ita trita, dummodo ſit practica, vel ſi ſit ſpeculativa, ſpectet ad cognitionem, & conducat ad excitandum affectum aliquem, quem veluti aculeum relinquat in animo audientis. In id vel maximè debet orator incumbere ſtudij, ut eam ſeligat propoſitionem, quæ benè cohæreat loco, tempori, Oratori, & Auditoribus. Cavendum tamen eſt, ne Orator dum nimis ſtudioſè ſatagit auditorum benevolentiam, & attentionem aucupari degeneret in ineptias, ut ſi aliquem ex cœlitibus, ſeu hominibus ſanctis ſupparem faceret Trinitati: ſi ærumnas, & adverſitates vellet probare jucundiores eſſe paradiſi gloriâ: in his enim & ſimilibus propoſitionibus cum illecebrâ novitatis eſt temeritas admixta, aptior riſui excitando, quàm benevolentiæ reconciliandæ.

4 Argumenta; quibus propoſitio ab Oratore evincitur, alia dicuntur proxima, & alia remota, illa ſunt, quæ primariò, & principaliter ad rem ſuam probandam Orator eruit ex locis rhetoricis; & in quavis oratione poſſunt adhiberi duo, vel tria, aut etiam quatuor. Remota dicuntur, quibus proxima probantur, & explicantur, & poſſunt itidem eſſe plura juxta menſuram brevem, vel prolixiorem orationis. Si ab effectis dico mundi voluptatem, & carnis illecebras eſſe necem animæ, hæc eſt propoſitio; quæ probanda eſt, quia ſub verborum umbris adhuc latet veritas; probatur verò beneficio argumentationis, quæ eſt inventæ propoſitionis ulterior explicatio, & probatio. Si vellem ſuadere exercitium virtutis; ad id evincendum poſſem uti triplici argumento proximo deſumpto ab effectis virtutis, quorum primum poſſet eſſe, quia virtus nos Deo amicos, & amabiles conſtituit. Verùm hæc propoſitio, niſi ulteriùs probetur auditores, non convinceret: ideò per argumenta remota deberem ulteriùs progredi, & probare per exercitia virtutum homines ſibi comparare Dei amicitiâ ope ſuæ gratiæ. Quòd verò virtus nos reddat Deo gratos, & amabiles, poſſem probare argumento remoto deſumpto à ſimili, & dicere: virtutes in homine non poſſe cœlitibus non placere, cùm ſint veluti ſydera in cœlis nocte illuni micantia; veluti vernantes flores in exculcis areolis, ut lactantia vireta in pratis, nitentes gemmulæ in annulis, quarum pretium, & pulchritudinem cogimur amare. Poſſet etiam id à teſtimonio alicujus probi Authoris evinci, præſertim Senecæ, qui de virtute ait. *Tam gratioſa eſt virtus, ut inſitum etiam ſit malis meliora probare.* 5

Quòd ſi perverſis hominibus, non poteſt virtus non eſſe grata, quantò magìs Cœlitibus, & Deo: hoc pacto probarem exercitia virtutum nos reddere Deo gratos, ideóque eſſe operam præſtandam virtuti exercendæ. Si vellem probare, jejunium eſſe perutile hominibus ad id ſuadendum opus mihi eſſet oſtendere bona, quæ ex jejunio oriuntur, idque præſtarem, ſi recenſerem bona, quæ beneficio jejunij redundant in corpus, & animam, & enumerarem bona corporis, & animæ, quo pacto mihi pateret amplior campus ad id evincendum: ſubdividerem animam in ſuas potentias, & dicerem, jejunium memoriæ prodeſſe, intellectum acuere, voluntatem perficere, & totam animam reficere. Deinde deſcenderem ad bona corporis, cui eſt jejunium perutile, ſanitatem enim conſervat, ſuperfluos humores abſumit, fluxiones capitis exiccat, vultûs pulchritudinem conſervat, & totius corporis agilitatem promovet: ex his omnibus plura poſſem argumenta eruere ex bonis jejunij, ejúsque utilitatem fusè non ſolum per unam, verùm & plures conciones evincere: præſertim, ſi etiam argumenta ducerem ex malis, quæ beneficio jejunij declinantur, cujusmodi ſunt ea, quæ ex temulentia oriuntur, ex crapula proveniunt, quæ ferè omnibus opponuntur bonis, quibus homo benè ſe 2
habet, etenim ex Ariſtotele 1. *Rhetoric. cap. de felicitate:* Bona hominis vel pertinent ad animam, vel ad corpus, illa ſunt, memoriæ, ingenium, ſcientia, habitus virtutum, artes: bona corporis ſanitas, robur, agilitas. Si probarem per jejunium, hæc omnia bona promoveri utiq; ejus utilitatem evincerem: non enim argumenta rhetorum ſunt arcta, & paucis comprehenſa verbis, ſicut Dialectica ſuas exhibet argumentationes: vulgatum eſt effatum illud Zenonis Stoici, qui Dialecticam manui in pugnum collectæ, & Rhetoricam expanſæ, & adapertæ ſimilem dixit.

EXPENSIO II.

De Diſpoſitione, & ordine Argumentorum.

1 CONſtituta propoſitione præſeferente aliquam novitatis illecebram ad auditorum benevolentiã, & attentionem conciliandam; & erutis argumentis ex locis communibus, ſunt hæc diſponenda; non enim promiſcuè, & confusè exhibenda ſunt, ſed validiora ſtatim ab initio, ne auditores diſtrahantur ad alia, ſed illicò percipiant propoſitionem nervosè probari: quæ imbeciliora medium locum debent occupare, & alia validiora in fine proponi: hæc partitio etiam mirificè juvat memoriam Oratoris. Non tameo hæc diviſio ſemper propalam collocanda eſt, nec ita Orator inſiſtit in uno capite, ut terreatur auditor, ſi tamdiu debeat immorari in cæteris audiendis. Ex argumentis illud cæteris præponitur, ex cujus explicatione reliqua faciliùs percipiuntur: cavendum tamen eſt, ne ab initio argumentum leve ſtatim poſt propoſitionem exhibeatur, quia niſi auditor grave aliquod audiat argumentum, quod propoſitionem recèns auditam nervosè probet, de tota cauſa deſperat, & faciliùs diſtrahitur, mentémque aliò vertit: quæ enim argumenta parum videntur præſeferre roboris, conglobanda potiùs ſunt in medio per figuras præteritionis, vel conceſſionis, aut alio modo: non enim hujusmodi argumenta ſemper negligenda ſunt, quando nervoſiora non ſuppetunt, etenim etiam in exercitu, ubi virtus deficit, numerus prodeſt. Si quæ verò ſunt argumenta movendis affectibus accommodata, locum hæc occupant extremum; quia in fine infigendus eſt aculeus auditori, & cum eodem dimittendus: in ciendis affectibus præſertim lachrymis eliciendis, quæ citiùs areſcont, non debemus diutiùs immorari, ſed cùm primùm excitatur affectus, ſeu infigitur aculeus, dimittendus eſt auditor, qui compunctus abit, & utiliter concioni interfuit. Non enim probantur hi oratores, qui media in concione nituntur affectus ciere, & poſtea ad alia tranſeunt, vel frigida, vel parvi momenti, quibus excitati affectus illicò repeſcunt, vel extioguuntur.

2 Argumenta igitur ita diſponenda ſunt, ut non ſolùm unum poſt aliud proferatur, ſed etiam ea arte, & induſtria, ut unum ex alio deduci videatur; unde perpendendum eſt, quæ argumenta affinitatem habeant, ut faciliùs poſſit Orator ea ſimul connectere, ad quod potiſſimum juvant tranſitiones, de quibus infra dicemus. Debent itidem argumenta ita diſponi, ut oratio non deficat, ſed potiùs validior creſcat, & ſemper plus aliquid, & majus videamur dicere, quia tunc nobis conciliamus auditorum attentionem. Gravia enim oportet eſſe argumenta, per quæ gravitas excutrat orationis, ſuntque hæc in quatuor diſtincta ſpecies, ut notavit Hermogenes. Primò ea argumenta, quæ ſermonem inſtituunt, de Deo graviſſima ſunt, quale eſt illud Ciceronis in oratione Milloniana, ubi Clodium fato quodam, & Dei voluntate interfectum, ut oſtendat; altiùs ex Philoſophia repetit ſermonem de Dei providentia, & ad forenſe dicendi genus eum accommodat incredibili orationis magnitudine, & gravitate. In ſecunda ſpecie gravitatis, ſunt ea argumenta, quæ pertinent ad univerſi naturam, & mundi Oeconomiam, quæ ubi ſplendida oratione explicantur, quandam ingerunt admirabilitatis ſpeciem, id præſtitit Cicero in Somnio, inquiens: *Novem tibi urbibus, vel potiùs globis connexa ſunt omnia, quorum unus eſt cæleſtis extimus, qui reliquos omnes complectitur, ſummus ipſe Deus arcens, & continens cæteros, in quo infixi ſunt illi, qui volvuntur ſtellarum curſus ſempiterni, & cui ſubjecti ſunt ſeptem, qui verſantur retro contrario motu, atque cælum, ex quibus unum globum poſſidet illa, quam in terris ſaturniam nominant.* In tertia gravitatis ſpecie ponuntur ea argumenta, quæ de immortalitate animæ, & juſtitia ſermooem habent, hæc etiam eò plus præſeferunt authoritatis, quò ex gravioribus deſumuntur authoribus. In quarta ſpecie ponuntur argumenta, quæ de rebus humanis loquuntur, non tamen de levibus, ſed gravioribus, cujusmodi ſunt bella, expeditiones, pompæ, triumphi, regimina, everſiones regnorum, & alia id genus.

Quia verò tria ſunt oratioois genera demonſtrativum, ſeu exornativum, cujus munus eſt laudare, vel vituperare actiones præſentes, vel præteritas, & verſatur circa honeſtatem, & turpitudinem: deliberativum, cujus officium eſt ſuadere, vel diſſuadere futurum, proinde exhibere utilitatem, vel detrimentum; & judiciale, quod occupatur in reis accuſandis, vel defendendis, & verſatur circa præteritum, ac reſpicit punitionem; vel impunitatem, ideo juxta hæc tria genera ſunt argumenta diſponenda. 3 In genere exornativo, ſeu demonſtrativo ipſa propoſitio ſecum afferens diviſionem, videtur etiam argumenta ſuppeditare, quibus confirmetur, non enim in hoc genere argumenta, alia ſunt, quàm quæ geſſit is, qui laudatur, vel vituperatur. Ad hoc genus pertinent etiam omnes quæſtiones, quarum finis eſt ſcientia, & veritatis cognitio, ut ſi quæramus, num cœli ſolidi ſint, an fluidi? luna an minor ſit ſole? ſol an ſit verè igneus? hæc omnia quæruntur, ut eorum veritas nobis innoteſcat. Dicitur hoc genus etiam exornativum, encomiaſticum, Panegyricum, quia orator in hoc genere præcipuè agit de rerum ſubſtantijs, earúmque proprietatibus, accidentibus, & actionibus, & inquirit, an dignæ ſint laude, vel vituperio; & ejus argumenta in id collimant, ut veritas oſtendatur. In hoc genere diſſerit Orator de rebus omnibus, quorum proprietates, virtutes, & actiones inveſtigat, & oſtendit. Imò ad hoc genus pertinent etiam orationes gratulatoriæ, epiniciæ, quibus victoribus gratulamur.

ſamur, prophoneticas, quibus Principi in patriam reduci applaudimus, ut etiam orationes natalitiæ, nuptiales, funebres, actoriæ gratiarum.

4 Ad genus deliberativum pertinent omnes illæ quæſtiones, quæ fiunt, non ſolùm in ordine ad ſcientiam; verùm etiam ad aliquid agendum, & huc pertinent orationes ſuaſoriæ, diſſuaſoriæ, monitoriæ, adhortatoriæ, dehortatoriæ, conſolatoriæ, petitoriæ, commendatitiæ. conciliatoriæ, & aliæ hujusmodi, quæ pro fine habent, ut ab auditore aliquid fiat, & agatur. In genere judiciali cauſa ipſa, ejúsque circumſtantiæ ſuppeditant argumenta, circumſtantiæ autem comprehenduntur hoc verſu *Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando, Quis* reſpicit perſonam, *quid* rei magnitudinem, *ubi* locum, *quibus auxilijs* præſidia ad rem ipſam, *cur* finem, *quomodo* ipſum modum, & *quando* circumſtantias temporis. Differt hoc genus à duobus præcedentibus accidentaliter, nam ſicut in his tractari poſſunt quæſtiones de quacunque materia, in quovis loco, & coram quibuslibet auditoribus, ita in hoc genere tractantur quæſtiones de materia judiciali, de legibus, teſtamentis, juribus, operibus benè, aut malè factis, de præmijs, & pœnis, idque in foro, & coram Judice. Quia verò in genere judiciali occurrunt etiam quæſtiones merè ſpeculativæ in ordine ad ſolam ſcientiam, ut cùm quærimus, an verba ſancitæ legis dubia ſint, vel clara, & ſi ambigua, quo ſenſu ſint accipienda? An qui ſolis minis alium ab ingreſſu propriæ domûs prohibuit, dicendus ſit vim alteri intuliſſe: & aliæ ſunt quæſtiones practicæ in ordine ad aliquid agendum, ut an reus ſit torturæ ſubjiciendus? an patratum crimen ſit morte mulctandum? an qui primus hoſtem repulerit, ſit prœmio donandus, ideò hoc genus participat de demonſtrativo, & deliberativo, & ad hoc genus pertinent orationes objurgatoriæ, defenſoriæ, accuſatoriæ, invectivæ, expoſtulatoriæ, quæ ingratitudinem in benefactores oſtendunt: purgatoriæ, quibus noſtra, aut aliorum facta excuſamus, & ſine noxa fuiſſe oſtendimus. Ut etiam deprecatoriæ, quæ veniam petunt commiſſi criminis.

EXPENSIO III.

De varijs argumentationis ſpeciebus.

1 Argumentatio in plura partitur membra, in ſyllogiſmum, Enthymema, inductionem, exemplar, dilema, & Soritem. Eſt Syllogiſmus diſcurſus, ſeu actus humanæ mentis à noto ad ignotum, priorum, & poſteriorum congrua collatione ſe ſe promoventis: ſeu eſt diſcurſus, in quo ex duabus propoſitionibus tertia infertur, unde materia complexa ſyllogiſmi ſunt tres propoſitiones, ut cum dicimus, *omnes arbores ſunt vegetabiles, amigdalus eſt arbor, ergo eſt vegetabilis:* hæc ultima propoſitio dicitur illata, quia ex præmiſſis colligitur, & à Cicerone vocatur complexio, à Quintiliano connexio, quatenus unà nectit terminos præmiſſarum.

Enthymema eſt ſyllogiſmus, in quo alterutra præmiſſarum reticetur: ob brevitatem perſæpe una omittitur præmiſſarum, vel quia etiam nota ſit, & tunc tacitè animo concipitur. Dupliciter uſurpatur enthymema interdum laxè pro omni ſyllogiſmo, cui unà præmiſſarum deeſt, unde Ariſtoteles *1. Rhetoric. cap. 2.* ait: *In omnibus diſciplinis ex proprijs pronuntiatis enthymemata formantur* 2

Nonnunquam ſtrictè, & iterum dupliciter ſumitur. Primò pro argumentatione ex contrarijs; ut quod ſcis, prodeſt; nihil id, quod neſcis, obeſt, quo pacto uſurpatur à Cicerone. Secundò pro argumentatione ex cauſis, effectis, antecedentibus, & conſequentibus, ſeu ex ſignis, quorum alia ſunt neceſſaria, & alia contingentia. Cæterum enthymema facilè reducitur ad ſyllogiſmum per additionem propoſitionis, quæ deeſt, ut Petrus eſt animal, ergo ſentit: deeſt major propoſitio, quæ, ſi addatur, efficitur perfectus ſyllogiſmus: omne animal ſentit. Petrus eſt animal, ergo ſentit. 3

Inductio eſt argumentatio, in qua ex pluribus particularibus ſufficienter enumeratis, elicitur generalis concluſio. Fundamentum hujus argumentationis, eſt æquipollentia generis, & omnium ſpecierum, ut etiam omnium individuorum. Neque in inductione probatur idem per idem, eò quia ex pluribus particularibus, vel ſingularibus eliciatur generalis concluſio: quia ſingularia ſimul ſumpta non ſunt idem cum univerſali, & quamvis eſſent idem, non tamen ſunt nobis idem, quia ſingularia, cum cadant ſub ſenſus, ſunt ſemper nobis notiora. Hoc genus argumentationis aptiſſimum eſt ad declaranda, & conſtituenda generalia principia diſciplinarum: etenim cum ſenſus noſter à ſingularibus procedat ad generalia, & intellectui notificentur univerſalia, per ſingularia ſenſui occurrentia, ideo eſt inductio aptiſſimum inſtrumentum ad conſtituenda generalia principia diſciplinarum. Si velles probare, omne vinum calefacere per inductionem rectè recenſeres omnes vinorum ſpecies per ſingulas mundi partes, ut ſi diceres vinum Aſianum, Africanum, Europeum, Americanum. Cretenſe, Spanicum, Italicum, Moſelanum, Rhenanum, Neckaricum, Auſtriacum, & Hungaricum calefaciunt, ex hiſce particularibus recenſitis rectè eliceres generalem hanc concluſionem, ergo omne vinum calefacit, hâc inductione probat Apoſtolus *ad Hebræos 11.* nonniſi per fidem, & bona opera homines ſalvari, & adducit Abelem, Enochum, Abrahamum, Saram, Iſaacum, Jacobum, Joſephum, Moyſem, Gedeonem, Samſonem, Jephtem, Davidem, ex eo, quod hi omnes per fidem de Chriſto venturo, & per exercitia virtutum 5

fuerint ſalutem conſecuti, infert; Hominee non eſſe ſalvandos niſi per fidem, & bona opera. Hâc eâdem argumentatione Medici ſuae conſtruxerunt generales regulas: ex eo eoin quòd Glycyrrhiza profuit Julio, Franciſco, Joanni, Petro, Sempronio, & alijs pluribus tuſſientibus, inferunt, glycyrrhizam optimum eſſe alexipharmacum cootra tuſſim: item quie Rhebeibarum evacuavir bilem Franciſco, Joenni, Antonio, & alijs pluribus, ſtatuerunt Rhebarbarum opportunum eſſe pharmacum contra bilem.

5 Exemplar eſt argumentatio, in qua ex uno, vel pluribus ſingularibus aliud ſingulare propter ſimilitudinem inferimus, ut cum dicimus, Deue pepercit Nioivitis, Magdalenæ; Petro, & latroni reſipiſcentibus: ergo etiam mihi parcet, ſi reſipuero; & licèt exemplorum ratio minùs habeat ingenij, ſi tamen rectè fiat, efficax eſt ad perſuadendum, cùm præſertim omnes faciliùs ducamur exemplie, quàm verbie, quibue ad incitamenta virtutis non mediocres adduntur ſtimuli.

6 Dilemma eſt argumentario bicornis, in qua duæ partes proponuntur, quarum alteram nequeat edverſatius effugere, ſed alterutrâ earum ſit capiendus, ut vel navaviſti operam literis, vel non: ſi non; ergo negligens es, & tempus inutilitet inſumpſiſti: ſi operam navâſti, & non profeciſti, ergo rudis es, ac ignarus.

7 Sotites eſt argumentario, quæ acervatim multas involvit argumentationes. Cicero *lib. de Divinatione* ait: Si neceſſe ſit latino verbo, liceet acervalem appellare, ſed nihil opus eſt, ut enim ipſa Philoſophia, & multa alia Græcorum verba; ſic Sorites ſatie latino ſermone eſt dictus. Hisce argumentationibus debent Oratores uti magna dexteritate, & induſtria, adeò ut oratio in hisce non videatur argumentationibus ita preſſis, & coarctatis fundata: queproptet ſunt argumenta dilatanda, ac pluribue ornanda eruditionibue, figurie, aliiſque venuſtatibue, quæ tamen ita benevolentiam ſibi auditorum concilient, ut ijsdem, etiam perſuadeant exercitium virtutie, vel fugam vitij, quapropter ut monet Cicero, quæ in hisce argumentis adhibentur vera eſſe debent, vel veriſimilia, alioquin nulle ijsdem vis ineſſet ad perſuadendum. Præterea non ſunt argumente ſemper ex omnibus locis comunibus eruenda, ſed ex ijs tantùm, quæ videntur rei magìs favere, ac nervoſiùs præfixam ſibi propoſitionem probare.

8 Neque hujusmodi argumenta ſunt confusè ingerenda, ſed tali ordine ut potiora ſtatim poſt propoſitionem, & in fine orationie proferantur. Plurimum obtinet roboris ordo in argumeotis diſponendis, perinde ac in bonarum artiom ſtudijs, reique familiaris adminiſtratione: in ordinis, ac venuſtæ, congruæque collocationis ſerie, ac diſtributione potior rerum eleganria, ac concinnitae conſiſtit. Ut enim in prædivire domo omnia ornamenta, aulæa, picturæ, ſpecula, ſcrinia, horologia, ſedes, vaſa aurea, argentea, criſtallina, & alia id genus ad domeſticam ſupellectilem pertinentia beneficio ordinis in ſuis definitis locie collocentur, ut non ſolùm domum ornent, verùm etiam aſpicientibus arrideant: ita in eloquentiæ emporio plurimum ordo ſibi concilier dignitatie, ac roboris, & etiam maximo eſt præſidio memoriæ, quæ licèt ves ſit multorum capax, eſt tamen rimarum plenum, & niſi juvetur beneficio ordinis, & exercitij foras effundit, quæ intue continet.

EXPENSIO IV.

De prima ſpecie argumentationis, ſeu de ſyllogiſmo.

SYllogiſmus, quem Græci Epicherema vocant, eſt, in quo ex duabus præmiſſis propoſitiooibus tertia alia infertur, quæ complexio à Cicerone vocatur, ut omnis homo eſt animal rationale: Petrue eſt homo; ergo eſt animal rationale. Verùm quia hæc Dialecticorum retiocinatio eſt nimie conciſa, & laconica, & Orator non tantùm docere, ſed etiam delectare, ac flectere debet, ſyllogiſmum in quinque dividit pertes, ſeu membra, quorum ſingula amplificat, hinc ſyllogiſmus rhetoricus conſtat ex propoſitione, cui ſubjicitur ratio; deinde aſſumptione, cui ednectitur ejus probatio, & complexione, quæ deducitur ex præcedentibus. Propoſitio eſt, quâ rem tractandam ſignificamus; ejus probatio, qua quod expoſitum eſt, varije rationibus evincimus: aſſumptio eſt, per quam ſignificatum in propoſitione aſſumitur; & ejus probatio, per quam, quod aſſumitur probandum varijs corroboratur probationibus. Demum complexio, quâ breviter ſignificatur, quod ex quavis argumentatione deducitur. 1

Exemplo res clariùs explicatur: volo adoleſcenti perſuadere exercitia virtutum. Primò quærenda eſt ratio ex locis communibue, quæ adoleſcenti ſuadeat eſſe præſtandam operam virtuti, ſic ab effectis: virtutes conſtituunt hominem illuſtrem, quem etiam ad gloriæ evehunt culmen: propoſitio igitur ſit hæc: gloria eſt ab omnibus comparanda: ratio hujus propoſitionis ab effectis eſt, quia gloria hominem reddit illuſtrem, commendabilem, laude dignum: aſſumptio propoſitionis eſt: ſed ſolâ virtute homo ſibi comparat veram, & non fucatam gloriam: hujus aſſumptionie probatio eſt, quia virtus hominem magìs DEO unit, & beneficio virtutie proximiùs ad DEUM accedit, qui eſt omnium perfectionum pelagus, nullo clauſum litore, nullo definitum termino: ex hisce infertur complexio deducta ex præcedentibus, ergò navanda eſt opera virtuti. 2

Vides, quomodo ſyllogiſmus in quinque dividatur membra, ut latior pateat Oratori ad amplificandum campus: nihilominus ſive argumentatio ſit quinque partita, ſive tripar- 3

tita

citanil refert, ut etiam ſi propoſitionem, ejúſque rationem unam cenſeamus partem; & alteram aſſumptionem, & ejus probationem, quæ eſt argumentatio tripartita, ſi ex iiſdem inferatur complexio, ut

Propoſitio. *Quod ad æternam ducit gloriam, Deique amicitiam conciliat, eſt omni ſtudio acquirendum.*

Aſſumptio. *Sed virtus ducit ad æternam gloriam, Deique amicitiam conciliat.*

Complexio. *Ergo virtus eſt omnibus modis comparanda.*

Hæc argumentatio, quæ eſt tripartita, facilè poteſt fieri quinquepartita, ſi aſſignentur tam propoſitionis, quàm aſſumptionis probationes, tali pacto.

Propoſitio. *Quod ad æternam ducit gloriam, Deique amicitiam conciliat, eſt comparandum.*

Ratio propoſitionis *Quia homo debet tendere in ſuum finem, qui eſt gloria æterna, ac Deus in Patria clarè viſus.*

Aſſumptio. *Sed virtus ducit ad æternam gloriam, & ad Deum.*

Ratio aſſumptionis. *Quia nobis conciliat DEI amicitiam, nóſque facit DEO magis ſimiles.*

Complexio. *Igitur virtus eſt omnibus modis acquirenda.*

4 Has ſingulas partes debet orator ex arte pertractare, eáſque amplificare, ornare figuris, veſtire ſententijs, illuſtrare adagijs, quo pacto amplificaret propoſitionem, ſi diceret: Nil optabilius poteſt homini obtingere, quàm æterna gloria, unà cùm cæteris beatis cœleſti in Patria donari; nil poteſt ab eo deſiderari illuſtrius, nil utiliùs, quàm æternam conſequi gloriam, lumine illuſtrari beatifico, & Deum ipſum facie ad faciem intueri. Nil poteſt delectabiliùs ei obvenire inter fluxas mundi illecebras, fucatáſque voluptates, quàm Deum optare, eique per virtutum exercitia adhæreſcere, ut poſtquam mortalitatem exuerit, Deum valeat intueri, uti in ſe eſt, cùm tota plenitudine ſuarum perfectionum. Quòd ſi gloria eſt expetenda, eò quia veluti immortales conſtituat homines, & ob quam Alexander Macedo plura ſubjugavit regna, evertit provincias, ſubvertit imperia, debellavit hoſtes, quorum ſanguinem effudit, victrices ſuas rigaturus lauros: ob quam Scipio marinos trajecit fluctus, Africam invaſit, quâ potiretur, & onuſtus palmis Romam redux monumentum relinqueret poſteris bellicæ ſuæ virtutis: ob quam Carthaginenſis Annibal gloriam magis, quàm Tyberis ſitiens latices ingenti exercitu ex Africa in Italiam venit, eam everſurus, & triumphis onuſtus in patriam reverſurus poſtquam, ſi non læneam, ut Hercules feram, ſeptena ſaltem urbis colla profligâſſet, ob quam reliqua Gradivi fulmina Bellonæ in campo pugnârunt, conflixerunt uſque ad ſanguinis effuſionem, plures ſubjerunt labores, ſuperârunt imminentia pericula, idque ob gloriolam, quæ aurâ citiùs evaneſcit; quantò magis per exercitia virtutum debent laboribus inſudare chriſtiani, ut æternam enanciſcantur gloriam nunquam perituram in cœleſti patria, & Capitolio.

Propoſitionis ratio hoc pacto etiam amplificatur. Honeſtum eſt, omnique laude dignum in proprium niti finem ad Deum accedere, propter quem ſunt omnia condita: ſi enim cuncta, quæ in elementis, miſtis, rebúſque omnibus moventur, ad proprios ſeſe dirigunt fines, adeò ut flumina per declivia montium, prærupta ſexorum fluant, pluréſque ſe dividant in amnes; ut celerius per compendia viarum proprium conſequantur finem: ſi flamma, ut ſurſum nitatur, & ad ſuam avolet ſphœram, etiam è ſinu montium irrumpit, & rupes ipſas inacceſſas diſrumpit: ſi graviaquæque deorſum toto niſu feruntur, ſua ut quieſcant in propria ſede, finémque aſſequantur in terræ centro: ſi reliqua ſenſu deſtituta naturali pondere in proprium feruntur finem; quantò magis homo ratione præditus, Deique ope fulſultus in ſuum debet finem tendere, ac Deo adhæreſcere. 5

Aſſumptio ſic amplificatur. Quid celeriùs ad gloriæ apicem homines evehit ipſa virtute? quæ animum exornat, quæ nec naufragijs obrui, nec elementorum injurijs violari, nec bellorum detrimentis amitti poteſt? virtus enim illa eſt, per quam, ſi vivimus, honeſtè vivimus; in cujus ſtudio ſi morimur, beati ſumus; quam qui deſerunt, humanitatem fugiunt. Virtus ea eſt, per quam ſalutaribus conſilijs urbes vigent, quâ amiſsâ violatur juſtitia, temeratur æquitas, ac tota virtutum cohors nefando corruit lapſu, ejus ope civium continetur ſalus; per quam florent in templis honeſtamenta pietatis, ac ſacerdotia ſanctiùs adminiſtrantur. Virtus expeditiſſimus eſt ad cœlum aſcenſus, utinam homines ad virtutis præſtantiam animos converterent? fugerent profectò hanc diſſolutioris vitæ rationem, nec ſe tot noxarum ſordibus coinquinarent; ac declinarent vitium hominem anxium reddens ad bonorum operum illiceia, humilem ad timorem; enervatum ad labores, proclivem ad libidines; in rebus attritis deſperatione fractum: in florentibus elatum; ac inſolentem: utinam intelligerent homines, quantum momentum in virtute poſitum ſit, ſtatim ejus veſtigia ſectarentur, ac euntes, ut loquitur Regius Vates de virtute in virtutem; ad cœleſtem pervenirent gloriam, æternæ malaciæ portum appellerent. 6

Ratio aſſumptionis ſic poteſt dilatari. Maxima eſt virtutis præſtantia, quæ homines Deo ſimiles facit, per quam Deum aſſequimur, qui omnia continet; & non ambit; portat omnia, & onus non ſentit; ſemper agit, & non quieſcit; ſemper quieſcit, & aſſiduè operatur, qui undique collucet, & omnia illuſtrat; cui eſt pro domicilio ſplendor inacceſſus; pro amictu circumfuſum lumen; qui nullo temporum ſpatio, nulla locorum regione circumſcribitur: ſine acceſſione cumulatur, ſine deceſſione diffunditur; Virtus inquam ea eſt, 7

eſt, per quam divina mens nulla rerum corporearum contagione fœdata hominem ſummo amore complectitur.

Concluſio denique, ſic erit extendenda. Quis igitur negabit, virtutem eſſe unicum humani generis honorem, præclarum mentis ornamentum? intellectûs ſplendorem? ac compendioſam quandam viam, quâ ad Deum propiùs accedimus: ſi homines ut opes cumulent, nulli parcunt labori, Maria ſcindunt, tumentes fluctus frangunt; cum ventis pugnant; elementis bella movent; & hoc ut acquirant caduca, ac fragilia; ſcilicet opes, quæ citò effluunt; repentè dilabuntur; quæ nullo in loco, nulla in perſona ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt; ſed incertiſſimo fortunæ ſtatu hùc, illúcque actæ, quos in ſublime extulerant, extemporaneo decurſu deſtitutos profundo ærumnarum miſerabiliter immergunt: quantò magis igitur debent homines virtutem aſſequi, quæ ad veræ gloriæ apicé ſuos cultores evehit; quæ veluti prælucens fax in huj9 mortalis vitæ caligante itinere rectos nobis tramites ſignat; ac ſævientes inter procellas decumanis fluctibus intumeſcentes æternæ portum tranquillitatis nobis indicat.

EXPENSIO V.

De Enthymemate.

1 EST enthymema argumentatio trunca, quæ etiam Epicherema dicitur, quatenus nomen epicherematis, ſi ratio ipſius ſpectetur, cuique argumentationi eſt commune, quapropter Alexander in *Topicis lib. 8.* vocat epicherema ſyllogiſmum dialecticum, & & Valgius aggreſſionem: Celſus autem cenſet enthymema non eſſe argumentationis tractationem, & œconomiam, ſed rem ipſam, quam aggredimur, vel argumentum, quo aliquid ſumus probaturi, nondum tamen verbis enucleatum. Verùm ut pertinet ad præſens inſtitutum eſt enthymema ſyllogiſmus truncus, quatenus omiſſa majore propoſitione, minor tantùm indicatur, ex qua concluſio elicitur, ut expeditiùs in adverſarium feramur, eſt ſiquidem enthymema acutum jaculum, quod ſi vibretur in adverſarios, non exiguum iiſdem vulnus infligit. Hoc genere argumentorum præ cæteris uſus eſt Chryſippus, qui laconiſmo delectatus brevitati ſtuduit; eáſque ſemper adamavit argumentationes, quæ punctim feriunt, ſúntque reliquis acutiores.

2 Hinc Oratores, qui circa hypotheſes verſantur, recitant majorem propoſitionem veluti notam, & communem, & totius eloquentiæ apparatu in probationem minoris verſantur: hácque ratione ſolent Rhetores in perorando omiſſa theſi fuſiùs pertractare hypotheſin, id præſtitit Cicero *pro Murena num 3.* inquiens: *A quo tandem Marcus Cato eſt æquiùs Conſulem defendi, quàm à Conſule. Quis mihi in Republica poteſt, aut debet eſſe conjunctior: quàm is, cui respublica à me uno traditur ſuſtinenda magnis meis laboribus, ac periculis ſuſtentata.* In confutandis præſertim accuſationibus, & repellendis adverſarijs plurimum habet roboris enthymema, ſeu argumentatio, in qua omiſſa majore propoſitione univerſali minor tantùm indicatur particularis, quæ nervoſioribus eloquentiæ viribus fulcitur, & corroboratur ad inferendam adverſarij falſitatem: proderit exemplum hìc ſubjicere ex Gorgia Leontino utpote acutum, & nervoſum, quo Palamedes crimen diluit proditionis apud Cauſſinum: Proditionis initium aliquid fieri oportuit, & id per colloquium: occultarum enim rerum index eſt oratio: quo pacto autem colloquium fuiſſet inter nos ſine congreſſu? qui verò congreſſus eſſe potuit, cùm nec ego ad illum venerim, nec ipſe ad me unquam venerit, nec literæ ſine tabellario ullæ à nobis ultrò, citróque mitti potuerint? ſed finge congreſſum, finge etiam inter nos mutuum colloquium. Quid deinde locutus eſt græcus cum barbaro? quomodo dicens, & audiens, an ſolus cum ſolo? ſed nullum eſt nobis linguæ commercium: Atqui factum eſt per interpretem, jam tertium ſtatuis nobis indicem eorum, quæ maximè occulta eſſe oportebat. Sed eſto factum fuerit, quod tamen eſt infectum; fidem dare, & accipere viciſſim nos oportuit; & quænam iſta fides? Jusjurandum dices? quis verò mihi proditori, vel jurato credidiſſet? at obſides dati, qui? fratrem unum habeo, præterea neminem, quem neque imprudentibus vobis dare, neque ab hoſte ullum filium, aut affinem accipere potui. Eſt, pecunia inquit, tentata res eſt, & perfecta; utrum grandi, an exigua? exiguam tanta res non capiebat, grandem multos aſportare oportuit, & tot conjurationis teſtes fieri, verùm & de iſtis ſcire velim, pecuniam an interdiu tulerint, an nocte? noctem variæ & multiplices vallant cuſtodiæ, quas ne muſca quidem declinaret: die, opinor, ſed lux iſtis ſceleribus adverſatur. Eſto & illud, quamquam abſurdum, & iniquum concedatur: in caſtra hoſtium penetravi, pecuniam cepi, aut ad me ab hoſte delata eſt; qui potui ego circumſtantem exercitum, & ſexcentos oculos latere? age jam, quo pacto iſtam, quam dicis, pecuniam recondidi, quo pacto ſervavi? uſus ego ſum? non latuiſſem: defoſſam reliqui? nihil profuiſſet: concedantur tamen, omnia, quæ aſſumis quamquam ineptiſſima ſunt, convenimus, colloquuti ſumus, pecunias accepi, latui, recondidi; oportebat me, quod caput eſt, rei proditionem perficere? non eſt opus, ut ſcitis, unius. Conſpirârunt mecum alij, qui ſervine, an liberi? ſi quis veſtrûm, quotquot eſtis ingenui, reſciverit, ante judices deferat: ſervorum igitur operâ uſus ſum; infida res. Dij boni! & non ſatis efficax: quid tum? cum ſervili manu mille naves prodidiſſem? alios, inquit, induxiſſes: difficile eſt vobis ſuperiores invenire: ſed unde adduxiſſem: quomodo intromiſiſſem? Per portas? Principes claves habent, & ſervant vigilantiſſimè:

ſimè: per ſcalas: quà? cùm ſint omnia propugnacula militibus circumſepta? diruiſſem, inquit, murum, & tum credo cuſtodiæ, quaſi ſtatuæ æneæ me ſpectaſſent otioſè? omnino incredile eſt. Hactenus ille.

3 Enthymema interdum plures admittit propoſitiones ſimul conglobatas, è quibus tamen una ſola concluſio educitur; & dicitur enthymema compoſitum, ut ſi quæras, cur pœnitentiæ addictus auſteritatibus ſe flagellis cruentet, cur carnis concupiſcentiam ferreis, & acutis coërceat catenulis? cur cilicijs nuda membra excruciet? cur abſtinentiâ carnis petulantiam infringat? cur lachrymis madeat, preces jugiter fundat, caſtitatem excolat, charitatem exerceat, amorem in Deum foveat, ac reliquas omnes exerceat virtutes, & è contra iram coërceat, odium deleat, voluptates fugiat, prava deſideria compeſcat, & reliquis pravis affectibus rationi reluctantibus frœna injiciat: quia æternam cupit beatitudinem aſſequi: hæc enim ultima propoſitio veluti concluſio ritè infertur ex reliquis præcedentibus. E converſo ex unica tantùm propoſitione plures poſſunt educi concluſiones, ut ſi vera, & non fucata beatitudo in ſolo Deo reperitur: ergo perperam agit, qui ad beatitatem acquirendam auri, argentíque cumulos coacervat: ergò malè agit, qui ut felicitate donetur, non ſine gravi vitæ diſpendio Oceanum trajicit, pericula ſubit, ut exteras merces ſibi comparet, quas aucto fœnore vendat: ergo à ſana mente dejicitur, qui in faſtigio dignitatis, quam ambit, ſperat, fore, ut poſſit vera frui felicitate: ergò ſtultè operatur, qui fluxis, caducis, & perituris adhæret, ut firmam, ac ſtabilem acquirat felicitatem, ergò à veritate aberrat, qui fucatis, ac larvatis mundi voluptatibus indulget, ut vera poſſit felicitate frui. Vides, quomodo ex unica tantùm propoſitione plures inferantur concluſiones ad uberiorem eloquentiæ pompam.

EXPENSIO VI.

De Inductione.

1 INductio Oratoribus perquam familiaris, & ornandæ, ac fulciendæ orationi peridonea, eſt argumentatio, quæ ex pluribus collectionibus educitur concluſio: ſeu eſt oratio, in qua pluribus ſimilibus inductis propoſitio confirmatur. Per inductionem D. Ambroſius ſcitè probat, virtutem magnum in minoribus experimentum capere: per exercitationem verò frequentem ad illuſtriora progredi 1. *offic. cap. 10.* ait: Qui diſciplinam bellicam vult aſſequi, quotidie exercitatur armis, & tanquam in procinctu poſitus præludit prælium, & velut coram poſito contendit hoſte; atque ad peritiam, viréſque jaculandùm, vel ſuos explorat lacertos, vel adverſariorum declinat ictus; & vigilanti exit obtutu. Qui navim in mare regere gubernaculis ſtudet, vel remis ducere; priùs in fluvio, vel portu præludit. Qui canendi ſuavitatem, & vocis affectant præſtantiam, priùs ſenſim canendo vocem excitant: & qui viribus corporis, legitimóque luctandi certamine coram petunt, quotidiano uſu palæſtræ durantes membra, nutrientes patientiam, laboribus aſſueſcunt: nec non ipſa natura nos in parvulis docet, qui priùs ſonos meditantur loquendi, ut loqui diſcant. Hactenus ille.

Hoc genere argumentationis uſus eſt Seneca *epiſt. 67. inquiens: Navis bona dicitur, non quæ pretioſis coloribus picta eſt, nec cui argenteum, aut aureum roſtrum eſt, nec cujus tutela ebore cælata eſt, nec quæ fiſcis, ac opibus regijs preſſa eſt: ſed quæ ſtabilis, firma, & juncturis aquam excludentibus ſpiſſa, ad ferendum incurſum maris ſolida, gubernaculo parens, velox, & conſentiens vento.* Eodem pacto per inductionem dicimus gladium eſſe bonum, non cui deauratus eſt baltheus, nec cui vagina gemmis diſtinguitur; ſed cui ad ſecandum ſubtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus eſt. Ovidius etiam uſus eſt hac argumentatione, & per inductionem conſolatur uxorem, cui oſtendit, res aſperas, & triſtes uberem ſuppeditare materiam gloriæ. Triſt. 9. epiſt. 3.

Materiámque tuam triſtem virtutibus imple,
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis noſcet, felix ſi Troja fuiſſet?
Publica virtutis per mala facta via eſt.
Ars tua Typhi jacet, ſi non ſit in æquore fluctus;
Si valent homines, ars tua Phœbe jacet.
Quæ latet, inque bonis ceſſat non cognita rebus.
Apparet virtus, arguitúrque malis.

Plurimum etiam obtinet roboris, & artificij Inductio, qua utitur Tertullianus in *Apolog. cap. 12.* qua oſtendit ſupplicia, quibus Chriſtiani ab Ethnicis torquentur, ab ijſdem priùs uſurpari in ſua idola, ait: *Crucibus, & ſtipitibus imponitis Chriſtianos, quod ſimulachrum non priùs argilla deformat cruci, & ſtipiti ſuperſtructa? in patibulo primùm corpus DEI veſtri dedicatur. Ungulis deraditis latera Chriſtianorum, at in Deos veſtros per omnia membra validiùs incumbunt aſciæ, & runcinæ, & ſcobinæ. Cervices ponimus ante plumbum, & glutinum, & gomphos, ſine capite ſunt Dij veſtri. Ad beſtias impellimur, certè quas Libero, & Cybele, & Cereri applicatis ignibus urimur: & hoc & illi à prima quidem maſſa. In metalla damnamur: inde cenſentur Dij veſtri. In Inſulis relegamur: ſolet & in Inſulis aliquis Deus veſter aut naſci, aut mori. Si per hæc conſtat divinitas aliqua, ergò qui puniuntur, conſecrantur: & Numina erunt dicenda ſupplicia.* 2

EX-

eſt, per quam divina mens nulla rerum corporearum contagione fœdata hominem ſummo amore complectitur.

8 Concluſio denique, ſic erit extendenda. Quis igitur negabit, virtutem eſſe unicum humani generis honorem, præclarum mentis ornamentum? intellectûs ſplendorem? ac compendioſam quandam viam, quâ ad Deum propiùs accedimus: ſi homines ut opes cumulent, nulli parcunt labori, Maria ſcindunt, tumentes fluctus frangunt; cum ventis pugnant; elementis bella movent; & hoc ut acquirant caduca, ac fragilia; ſcilicet opes, quæ citò effluunt; repentè dilabuntur; quæ nullo in loco, nulla in perſona ſtabilibus nixa radicibus conſiſtunt; ſed incertiſſimo fortunæ ſtatu hùc, illúcque actæ, quos in ſublime extulerant, extemporaneo decurſu deſtitutos profundo ærumnarum miſerabiliter immergunt: quantò magis igitur debent homines virtutem aſſequi, quæ ad veræ gloriæ apicē ſuos cultores evehit; quæ veluti prælucens fax in huj[9] mortalis vitæ caligante itinere tectos nobis tramites ſignat; & ſævientes inter procellas decumanis fluctibus intumeſcentes æternæ portum tranquillitatis nobis indicat.

EXPENSIO V.

De Enthymemate.

1 Est enthymema argumentatio trunca, quæ etiam Epicherema dicitur, quatenus nomen epicherematis, ſi ratio ipſius ſpectetur, cuique argumentationi eſt commune, quapropter Alexander in *Topicis lib. 8.* vocat epicherema ſyllogiſmum dialecticum, & & Valgius aggreſſionem: Celſus autem cenſet enthymema non eſſe argumentationis tractationem, & œconomiam, ſed rem ipſam, quam aggredimur, vel argumentum, quo aliquid ſumus probaturi, nondum tamen verbis enucleatum. Verùm ut pertinet ad præſens inſtitutum eſt enthymema ſyllogiſmus truncus, quatenus omiſſa majore propoſitione, minor tantùm indicatur, ex qua concluſio elicitur, ut expeditiùs in adverſarium feramur, eſt ſiquidem enthymema acutum jaculum, quod ſi vibretur in adverſarios, non exiguum iiſdem vulnus infligit. Hoc genere argumentorum præ cæteris uſus eſt Chryſippus, qui laconiſmo delectatus brevitati ſtuduit; eáſque ſemper adamavit argumentationes, quæ punctim feriunt, ſúntque reliquis acutiores.

2 Hinc Oratores, qui circa hypotheſes verſantur, recitant majorem propoſitionem vulgò notam, & communem, & totius eloquentiæ apparatu in probationem minoris verſantur: hácque ratione ſolent Rhetores in perorando omiſſa theſi fuſiùs pertractare hypotheſim, id præſtitit Cicero *pro Murena num 3.* inquiens: *A quo tandem Marcus Cato eſt æquiùs Conſulem defendi, quàm à Conſule. Quis mihi in Republica poteſt, aut debet eſſe conjunctior: quàm is, cui respublica à me nuo traditur ſuſtinenda magnis meis laboribus, ac periculis ſuſtentata.* In confutandis præſertim accuſationibus, & repellendis adverſarijs plurimum habet roboris enthymema, ſeu argumentatio, in qua omiſſa majore propoſitione univerſali minor tantùm indicatur particularis, quæ nervoſioribus eloquentiæ viribus fulcitur, & corroboratur ad inferendam adverſarij falſitatem: proderit exemplum hîc ſubjicere ex Gorgia Leontino utpote acutum, & nervoſum, quo Palamedes crimen diluit proditionis apud Cauſſinum: Proditionis initium aliquid fieri oportuit, & id per colloquium: occultarum enim rerum index eſt oratio: quo pacto autem colloquium fuiſſet inter nos ſine congreſſu? qui vero congreſſus eſſe potuit, cùm nec ego ad illum venerim, nec ipſe ad me unquam venerit, nec literæ ſine tabellario ullæ à nobis ultrò, citróque mitti potuerint? ſed finge congreſſum, finge etiam inter nos mutuum colloquium. Quid deinde locutus eſt græcus cum barbaro? quomodo dicens, & audiens, an ſolus cum ſolo? ſed nullum eſt nobis linguæ commercium: Atqui factum eſt per interpretem, jam tertium ſtatuis nobis indicem eorum, quæ maximè occulta eſſe oportebat. Sed eſto factum fuerit, quod tamen eſt infectum; fidem dare, & accipere viciſſim nos oportuit; & quænam iſta fides? Jusjurandum dices? quis verò mihi proditori, vel jurato credidiſſet? at obſides dati, qui? fratrem unum habeo, præterea neminem, quem neque imprudentibus vobis dare, neque ab hoſte ullum filium, aut affinem accipere potui. Eſt, pecunia inquir, tentata res eſt, & perfecta; utrum grandi, an exigua? exiguam tanta res non capiebat, grandem multos aſportare oportuit, & tot conjurationis teſtes fieri, verùm & de iſtis ſcire velim, pecuniam an interdiu tulerint, an nocte? noctem variæ & multiplices vallant cuſtodiæ, quas ne muſca quidem declinaret: die, opinor, ſed lux iſtis ſceleribus adverſatur. Eſto & illud, quamquam abſurdum, & iniquum concedatur: in caſtra hoſtium penetravi, pecuniam cepi. aut ad me ab hoſte delata eſt; qui potui ego circumſtantem exercitum, & ſexcentos oculus latere? age jam, quo pacto iſtam, quam dicis, pecuniam recondidi, quo pacto ſervavi? uſus ego ſum? non latuiſſem: defoſſam reliqui? nihil profuiſſet: concedantur tamen, omnia, quæ aſſumis quamquam ineptiſſima ſunt, convenimus, colloquuti ſumus, pecunias accepi, latui, recondidi; oportebat me, quod caput eſt, rei proditionem perficere? non eſt opus, ut ſcitis, unius. Conſpirârunt mecum alij, qui ſervine, an liberi? ſi quis veſtrûm, quotquot eſtis ingenui, reſciverit, ante judices deferat: ſervorum igitur operâ uſus ſum; infida res. Dij boni! & non ſatis efficax: quid tum? cum ſervili manu mille naves prodidiſſem? alios, inquit, induxiſſes: difficile eſt vobis ſuperiores invenire: ſed unde adduxiſſem: quomodo intromiſiſſem? Per portas? Principes claves habent, & ſervant vigilantiſſimè:

ſimè: per ſcalas: quà? cùm ſint omnia propugnacula militibus circumſe;ta? diruiſſem, inquit, murum, & tum credo cuſtodiæ, quaſi ſtatuæ æneæ me ſpectaſſent otiosè? omnino incredile eſt. Hactenus ille.

3 Enthymema interdum plures admittit propoſitiones ſimul conglobatas, è quibus tamen una ſola concluſio educitur; & dicitur enthymema compoſitum, ut ſi quæras, cur pœnitentiæ addictus auſteritatibus ſe flagellis cruentet, cur carnis concupiſcentiam ferreis, & acutis coërceat catenulis? cur cilicijs nuda membra excruciet? cur abſtinentiâ carnis petulantiam infringat? cur lachrymis madeat, preces jugiter fundat, caſtitatem excolat, charitatem exerceat, amorem in Deum foveat, ac reliquas omnes exerceat virtutes, & è contra iram coërceat, odium deleat, voluptates fugiat, prava deſideria compeſcat, & reliquis pravis affectibus rationi reluctantibus frœna injiciat: quia æternam cupit beatitudinem aſſequi: hæc enim ultima propoſitio veluti concluſio ritè infertur ex reliquis præcedentibus. E converſo ex unica tantùm propoſitione plures poſſunt educi concluſiones, ut ſi vera, & non fucata beatitudo in ſolo Deo reperitur: ergo perperam agit, qui ad beatitatem acquirendam auri, argentique cumulos coacervat: ergò malè agit, qui ut felicitate donetur, non ſine gravi vitæ diſpendio Oceanum trajicit, pericula ſubit, ut exteras merces ſibi comparet, quas aucto fœnore vendat: ergo à ſana mente dejicitur, qui in faſtigio dignitatis, quam ambit, ſperat, fore, ut poſſit vera frui felicitate: ergò ſtultè operatur, qui fluxis, caducis, & perituris adhæret, ut firmam, ac ſtabilem acquirat felicitatem, ergò à veritate aberrat, qui fucatis, ac larvatis mundi voluptatibus indulget, ut vera poſſit felicitate frui. Vides, quomodo ex unica tantùm propoſitione plures inferantur concluſiones ad uberiorem eloquentiæ pompam.

EXPENSIO VI.

De Inductione.

1 INductio Oratoribus perquam familiaris, & ornandæ, ac fulciendæ orationi peridonea, eſt argumentatio, quæ ex pluribus collectionibus educitur concluſio: ſeu eſt oratio, in qua pluribus ſimilibus inductis propoſitio confirmatur. Per inductionem D. Ambroſius ſcitè probat, virtutem magnum in minoribus experimentum capere: per exercitationem verò frequentem ad illuſtriora progredi *1. offic. cap. 10.* ait: Qui diſciplinam bellicam vult aſſequi, quotidie exercitatur armis, & tanquam in procinctu poſitus præludit prælium, & velut coram poſito contendit hoſte; atque ad peritiam, viréſque jaculandùm, vel ſuos explorat lacertos, vel adverſariorum declinat ictus; & vigilanti exit obtutu. Qui navim in mare regere gubernaculis ſtudet, vel remis ducere; priùs in fluvio, vel portu prætludit. Qui canendi ſuavitatem, & vocis affectant præſtantiam, priùs ſenſim canendo vocem excitant: & qui viribus corporis, legitimóque luctandi certamine coram petunt, quotidiano uſu palæſtræ durantes membra, nutrientes patientiam, laboribus aſſueſcunt: nec non ipſa natura nos in parvulis docet, qui priùs ſonos meditantur loquendi, ut loqui diſcant. Hactenus ille.

Hoc genere argumentationis uſus eſt Seneca *epiſt. 67.* inquiens: *Navis bona dicitur, non quæ pretioſis coloribus picta eſt, nec cui argenteum, aut aureum roſtrum eſt, nec cujus tutela ebore cælata eſt, nec quæ fiſcis, ac opibus regijs preſſa eſt: ſed quæ ſtabilis, firma, & juncturis aquam excludentibus ſpiſſa, ad ferendum incurſum maris ſolida, gubernaculo parens, velox, & conſentiens vento.* Eodem pacto per inductionem dicimus gladium eſſe bonum, non cui deauratus eſt baltheus, nec cui vagina gemmis diſtinguitur; ſed cui ad ſecandum ſubtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus eſt. Ovidius etiam uſus eſt hac argumentatione, & per inductionem conſolatur uxorem, cui oſtendit, res aſperas, & triſtes uberem ſuppeditare materiam gloriæ. Triſt. 9. epiſt. 3.

Materiámque tuam triſtem virtutibus imple,
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis noſcet, felix ſi Troja fuiſſet?
Publica virtutis per mala facta via eſt.
Ars tua Typhi jacet, ſi non ſit in æquore fluctus;
Si valent homines, ars tua Phœbe jacet.
Quæ latet, inque bonis ceſſat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguitúrque malis.

3 Plurimum etiam obtinet roboris, & artificij Inductio, qua utitur Tertullianus in *Apolog. cap. 12.* qua oſtendit ſupplicia, quibus Chriſtiani ab Ethnicis torquentur, ab ijſdem priùs uſurpari in ſua idola, ait: *Crucibus, & ſtipitibus imponitis Chriſtianos, quod ſimulacrum non priùs argilla deformat cruci, & ſtipiti ſuperſtructa? in patibulo primùm corpus DEI veſtri dedicatur. Ungulis deraditis, latera Chriſtianorum, at in Deos veſtros per omnia membra validiùs incumbunt aſciæ, & runcinæ, & ſcobinæ. Cervices ponimus ante plumbum, & glutinum, & gomphos, ſine capite ſunt Dij veſtri. Ad beſtias impellimur, certè quas Libero, & Cybele, & Cereri applicatis ignibus urimur: & hoc & illi à prima quidem maſſa. In metalla damnamur: inde cenſentur Dij veſtri. In Inſulis relegamur: ſolet & in Inſulis aliquis Deus veſter aut naſci, aut mori. Si per hæc conſtat divinitas aliqua, ergò qui puniuntur, conſecrantur: & Numina erunt dicenda ſupplicia.*

EXPENSIO VII.

De Exemplo.

1 Eſt exemplum inductio rhetorica, ſeu argumentatio impefecta, quâ multa exempla una coacervantur eleganti diſtributione ad confirmandam propoſitionem, quæ erat probanda. Quamvis exemplorum ratio non multum videatur habere ingenij, & jucunditatis, ſi tamen appoſitè adhibeatur, plurimum habet efficaciæ ad perſuadendum, præſertim cùm faciliùs, promptiùſque ducamur exemplis, quàm verbis, & Præceptores, aliique, qui præſunt, fortiùs dicantur edocere exemplo, quàm verbo: addunt enim exempla ſtimulos ad probè agendum, idque evincit D. Hieronymus *homil. 2. de ſpect.* inquiens: Quemadmodum ſi qui laborant oculis, ſpongias, ac veſtium cyaneo colore pannos tenentes, frequenter in ea intueantur, ex eo colore nonnullum capiunt morbi levamen: ſic hominis clementiſſimi, & humaniſſimi imaginem præ oculis habeat; & in hac aſſiduè oculos defigat; etiam ſi millies abundet ira meoris oculum perturbans; ad hoc virtutis exemplar reſpiciens perfectam conſequitur ſanitatem, puramque animi philoſophiam, & tranquillitatem. Ex quo liquet, exempla eſſe plurimi facienda. Si velim probare homines, & Principes flocci facientes divinam legem puniri, & ponerem hanc propoſitionem, *qui me contemnunt, erunt ignobiles*, hanc ab exemplis facilè probarem, ſi adducerem eos vel Principes, vel Reges, qui divinum cultum contemnentes promeritas luerunt pœnas. Talis fuit Nabuchodoſor, qui inſoleſcens imperij ſui potentiâ, quòd tantùm præcelleret reliquis regnis, quantum aurũ pretio vilioribus antecellit metallis, in conflato coloſſo voluit eum ſibi exhiberi cultum, qui ſoli Deo debetur, ſive ſuſpicionem judaicæ religionis à ſe amoliturus, ſive procerum invidiæ velificaturus; ſive opulentiam dominatûs oſtentaturus, ſuam in Coloſſo effigiem jubet erigi ſexaginta cubitorum altitudine aureis laminis obducto. Caput aureum erat, quod novus Enceladus ſyderibus adnecteret: ſed quaſi cœleſti fulmine divinæ vindictæ ſideratus, ac percuſſus, de mentis dejicitur poteſtate, & eum, qui ſe Numinibus miſcuit, ultrix Nemeſis ne hominem quidem eſſe paſſa eſt. Brutis ſiquidem adſcitus repit per terram quadrupes, qui bipedum neminem parem ſuſtinuit; furit in obvios quoſque, qui neque mitis in Numen fuit. Nabuchodonoſor, quia divinitatem affectavit, mox inſtar beſtiæ pronus in paſtum abjicitur, fugit urbes, ſylvas ingreditur, ſe feris aggregat, totóque ſeptennio ſaltus, & avia manibus, & pedibus perreptat; capillis & unguibus in morem aquilarum excreſcentibus: & bene; quia ait Deus: *qui me contemnunt, erunt ignobiles.* Profanus Balthaſar, quia ſacra ſupellectili ad profanas delicias abuſus fuerat, eadem nocte vino madidus interficitur. Quid ad funeream cataſtrophen triſtius? Inſoleſcente luxu in epulis unà cum vino effluit ſanguis: pro choreis eunt in orbem ſtrages funerum; pro riſu, & cantu reſonant luctus, gemitus, ejulatus morientium, & clamores occidentium, pro ſuaviſſimis odoribus cruentæ clades ſparguntur, ac fœtores malè concoctæ crapulæ: pro convivijs, & epulis trucidatio, vaſtatio, excidium, quia ait Deus: *qui me contemnunt, erunt ignobiles*, auſus fuerat Heliodorus ſacrilega manu templum expilare Jeroſolymitanum, & ſtatim graviſſimo plectitur ſupplicio: immiſſus illicò fuit cœleſtis eques, aureis quidem armis ſplendidus; ſed æris, oculorúmque fulgurantium aſpectu terribilis, qui in ſacrilegi Heliodori frōtem, & pectus dedit impetum; eíque ferocis equi ferratas pedum anteriorum ungulas illiſit. Alij etiam duo flagris atrocibus, ac indefeſſa verberum ingeminatione ſacrilegum toto corpore diverberant, ut cum lachrymis ſanguinem funderet, & rectè quia ait Deus: *qui me contemnunt, erunt ignobiles.* Vix purpuram induerat Antiochus, & veluti cruentatus cometa ultimum viſus eſt excidium religioni minitari: ſacerdotes, ut victimas accerſivit, non alteri mactandas Numini, quàm proprio furori, ſed putreſcente correptus morbo, exitiali febri inflammatus, vermibus abſumitur, quia ait Deus: *qui me contemnunt, erunt ignobiles.* Ita eſt omnes divinæ legis, ac religionis contemptores, & everſores vel repentinus morbus perdidit, ut Decium; vel voluntaria mors confodit, ut Diocletianum, vel tabes corripuit, ut Maxentium; vel epidemica lues interfecit, ut Copronium; vel inſana febris excruciavit, ut Copronimi filium; vel putida lacuna ſuffocavit ut Neronem; vel ventris profluvius abſumpſit ut Arium, quia ait Deus, *qui me contemnunt, erunt ignobiles.*

Exempla colliguntur, vel à majore ad minus, aut è contra, à minore ad majus, vel à pari. A majori ad minus oſtendimus, aut licere nobis parva, eò quia æqualibus noſtris ſint majora permiſſa; vel poſſe pati, vel facere quidpiam levius, qui graviora, ac difficiliora antea ſuperavimus: & huc revocantur oratoriæ gradationes, ut eſt illa Ciceronis: *Neque verò ſe populo ſolùm tradidit, ſed etiam Senatus; neque Senatui modò, ſed etiam præſidijs publicis, neque ijs ſolùm; verùm etiam ejus poteſtati.* 2

A minori ad majus etiam ducuntur argumenta, & Lactantius *lib. 5. de Orig. err. cap. 1.* A ſphæra Archimedis DEI providentiam evincit, inquiens: *An Archimedes ſiculus concavo ære ſimilitudinem mundi, ac figuram potuit machinari, in quo ita ſolem, & lunam compoſuit, ut inæquales motus, & cæleſtibus ſimilor converſionibus ſingulis quaſi diebus efficere, & non modò acceſſus ſolis, & receſſus, vel incrementa, diminutionéſque lunæ, verùm etiam ſtellarum, vel errantium, vel vagarum diſpares curſus, orbis ille dum vertitur, exhiberet? Deus ergo illa vera non potuit machinari, & efficere, quæ potuit ſolertia hominis imitatione ſimulare?* 3

A

4 A pari eruditè Seneca *epiſt. 44.* argumentatur, inquiens: Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc ſumus nobilea: nec rejicit quemquam Philoſophia, nec eligit: omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit; Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus: Platonem non accepit nobilem Philoſophia, ſed fecit. Quid eſt, quare deſperes te poſſe fieri parem? omnes hi majores tui ſunt, ſi te illis geris dignum.

5 Tertullianus in *Apologet. cap. 11.* redarguens Ethnicos, qui non in pari honore cùm Dijs poſuerint homines, qui præclarè geſtis non erant inferiores, ait: Suggillatio eſt in cœlo veſtra juſtitia, Deos facitis criminoſiſſimos quosque, ut placeatis Dijs veſtris, illorum eſt honor conſecratio coæqualium. Sed ut omittam hujus indignitatis tractatum, probi, & integri & boni fuerint. Quot tamen potiores viros apud inferos reliquiſtis, aliquem de ſapientia Socratem, de Juſtitia Ariſtidem, de Militia Themiſtoclem, de ſublimitate Alexandrum, de felicitate Polycratem, de eloquentia Demoſthenem. Quis ex illis Dijs veſtris gravior, & ſapientior Catone? Juſtior, & militarior Scipione; Quis ſublimior Pompejo? felicior Sylla? Copioſior Craſſo? eloquentior Tullio? Quanto digniùs iſtos Deos ille aſſumendos expectâſſet, præſciùs utique potiorum. Hactenus Tertullianus.

6 Poſſunt etiam exempla congeri ex hiſtorijs, Apologis, fabulis, rerum proprietatibus, ac ſimilibus: idque etiam cum laudibus excipimus plantas, vel flores. Si Orator vellet roſam utpote florum reginam commendare, non deeſſent plura exempla eorum, qui ad honorem hujus floris fuerint roſis uſi. Etenim gratiæ ſorores nunquam conſueverunt ſine roſis incedere. Apud Ethnicos tantò fuit roſa in honore, ut ſi quiſpiam ex Oratoribus eleganter loqueretur, roſas loqui diceretur. Imò de Oratoribus eloquentiſſimis dicimus, *audivimus roſas loquentes*, Tanmantidi os roſeum tribuiſſe Poëtas notum eſt omnibus. Scipio triumphis celebris in patriam redux non lauro victrice, ſed roſis voluit coronari, ut ſanguinei, & armati ſpinis flores participes eſſent triumphi poſt fuſum in conflictu ſanguinem. Ægyptij ad Romanos rerum Dominos roſeum quot annis mittebant munus. Arpocrati pariter, ſeu ſilentij Numini ſacra erat roſa, quæ itidem dicata fuit Veneri, eò quia Venereæ voluptatis ſit ſymbolũ ſua brevitate, quia roſæ dum incipiunt aperta foliorum pompa efflorеſcere, deficiunt; & ut vulgò dicitur: *cùm naſcuntur, conſenuêre roſæ.* Candidam olim fuiſſe roſam aſſerunt Poëtæ, rubuiſſe poſtea punctæ Veneris imbutam ſanguine: & D. Ambroſius cenſet, in primo innocentium deliciarum horto ſine ſentibus roſam floruiſſe.

EXPENSIO VIII.

De Dilemmate, & Sorite.

Dilemma ex Ariſtotele *lib. 2. Rhetor.* eſt 1
argumentatio bicornis, qua duæ partes proponuntur, quarum alteram nequeat adverſarius effugere, quapropter à Suida definitur argumentum ab utraque parte concludens adverſarium, quodque plurimum habet roboris in confutationibus, ut cum adoleſcentem ignarum, vel negligentem redarguimus hoc dilemmate: Vel ex animo vacâſti ſtudio literario vel non: ſi non ergò negligens fuiſti, & tempus inutiliter prodegiſti absq; ullo profectu; ſi vacaſti ergò rudis es, & ingenio hebes. Ariſtoteles *l. 2. Rhet.* proponit etiam hoc dilemma. Sacerdos diſſuadebat filio, ne verba faceret ad populum. Nam ſi injuſtè ſuaſeris, Deos habebis iratos: ſi juſta homines efficies tibi averſos. Sed adoleſcens egregiè retorſit argumentum. Imò convenit orationem habere ad populum: quia ſi juſta dixero; Dij me amabunt: ſin verò injuſta me 2
homines amore proſequentur.

In hac ſpecie argumentationis habetur etiam illud epigramma, quo Lucretia Romana pro morte ſibi inflicta carpitur.

Si fuit illa tibi Lucretia gradus adulter;
Immerita ex meritâ præmia morte petis.
Sin potiùs caſto vis eſt allata pudori,
Quis furor eſt hoſtis crimine velle mori?
Fruſtra igitur laudem capias Lucretia. Namque
Vel furioſa ruis; vel ſcelerata cadis.

Nec minorem vim habet dilemma Martialis, quo arguit Cinnam officij immemorem, & promiſſionis contemptorem *l. 7. epig. 42.*

Primum eſt, ut præſtes, ſi quid te Cinne rogabo.
Illud deinde ſequens, ut citò Cinna neges.
Diligo præſtantem, non odi Cinna negantem,
Sed tu nec præſtas, nec citò Cinna negas.

Seneca eloquenti dilemmate evincit inju- 3
ſtum eſſe luctum, quamvis juſtæ ſint rationes dolendi: ait ille: *De Conſol. ad Polyb. cap. 27.* Illud quoque magno tibi erit levamento, ſi ſæpe te ſic interrogaveris: utrúmne meo nomine doleo, an ejus qui deceſſit? Si meo, perit meæ indulgentiæ jactatio, & incipit dolor, hoc uno excuſatus, quòd honeſtus eſt, cum ad utilitatem reſpiciat, à pietate deſciſcens. Nihil autem minus bono viro convenit, quàm in fratris luctu calculos ponere. Si illius nomine doleo, neceſsè eſt, alterutrum ex his duobus eſſe judicem. Nam ſi nullus defunctis ſenſus eſt, evaſit omnia frater meus vitæ incommoda, & in eum reſtiturus eſt locum, in quo fuerat, antequam naſceretur, & expers omnis mali nihil timet, nihil cupit, nihil patitur. Quis iſte eſt furor, pro eo me nunquam dolere deſinere, qui nunquam doliturus eſt: ſi eſt aliquis defunctis ſenſus, nunc animus fratris mei vel ex diutino carcere miſſus, tandem ſui juris, & arbitrij geſtit, & rerum naturæ ſpectaculo fruitur, & humana omnia ex ſuperiore loco deſpicit, divina verò, quorum rationem tamdiu fruſtra quæſierat, pro-

pius intuetur. Quid itaque ejus deſiderio maceror, qui aut beatus, aut nullus eſt? beatum deflere, invidiæ eſt: nullum dementiæ. Hactenus Seneca.

4 Sorites nomen græcum latinè acervatio eſt, eò quia acervatim plures complectitur propoſitiones, ut per quoſdam veluti gradus ad concluſionem deſcendat, quapropter Cicero *lib. 2. de Divinat.* vocat Soritem, acervalem ſyllogiſmum. Eſt autem hæc ſpecies argumentationis apud Oratores minus frequens, quia ad captioſas potiùs accedat quæſtiones, quàm ad rem propoſitam evincendam; & Ulpianus de verborum, & rerum ſignificatione recenſet, Soritem inter cavillationes. Eſt cavillatio, quâ ab evidenter veris per breviſſimas mutationes diſputatio ad ea, quæ evidenter falſa ſunt, perducitur; talis fuit illa Themiſtoclis, qua probavit filium ſuum vix trimulum totius terrarum orbis potentiſſimum eſſe, inquiens per Soritem Europa dominatur orbi, Europæ Græcia, Græciæ Athenæ, Athenis Themiſtocles, Themiſtocli uxor, uxori filius: ergò filius orbi: eſt enim argumentum fallax, in quo debet Orator ſingula retexere, & cautè cavere, ne in tranſcurſu, quidquam concedatur illegitimum, aut minùs conſequens: quia ſicut parva ſcintilla magnum plerumque excitat incendium; ita error quamvis exiguus totam argumentationis maſſam, ac propoſitionum acervationem corrumpit: ut, Qui aſſiduè docta librorum volumina pervolvit, ac præ manibus habet, multum ſtudet: qui multum ſtudet, eſt doctus: qui eſt doctus, magni eſt faciendus, ac magno dignus honore: ſed bibliopola ſemper libros pervolvit, habétque præ manibus, ergò bibliopola eſt doctus, magni æſtimandus, & honore dignus. Fallacia hujus argumentationis latet in illa æqnivocatione, qui libros volvit, eſt doctus, & multum ſtudet, quæ propoſitio tantùm eſt vera, quandò volvuntur libri aſſidua lectione, & intelligentia doctrinarum, quæ in libris continentur: Bibliopola autem non volvit libros, nec præ manibus habet, ut illos legat, intelligat, & percipiat doctrinas, quæ in ijsdem continentur, ſed tantùm materialiter, ut illos det venum, & ex ijsdem poſſit aliquid lucrari.

5 Interdum tamen Sorites rectè concludit, quando propoſitiones, quæ ſimul acervantur, connexionem ſervant, quâ una citè infertur ex altera: quo pacto Apoſtolus hac ſpecie argumentationis probat oportuiſſe in omnium ſalutem evangelium prædicari; ait ipſe: Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit, quomodo verò invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo prædicabunt, niſi mittantur. D. Ambroſius etiam utitur hac argumentationis ſpecie *lib. de fuga ſæculi cap. 8. Quod quæritur, invenitur, quod invenitur temporis eſt; quod temporis eſt, utique diligentiæ eſt: quod autem prævenit uſum temporis, Deus fundit, Deus dat: quod Deus dat, naturæ, non diligentiæ eſt: ingenium igitur divini eſt muneris: quod autem divini eſt muneris, hoc naturæ: ingenium ergo naturæ eſt, inventio diligentiæ; illud ſine tempore, hoc indiget tempore.*

Cæterum Orator ſterilis: ac jejunus eſſe non debet in recenſendis argumentis, nec ea exhibere dialectico more laconicè, ſed ſingulæ propoſitiones amplificandæ ſunt, ac ornandæ figuris. 6

EXPENSIO IX.

De medio probabili adhibendo in argumentis ex locis intrinſecis, & extrinſecis.

LOci ſyllogiſtæ inventionis alij ſunt interni; externi alij; illi ſunt, qui rei, de qua agimus, inhæreſcunt; ſeu quæ in rebus ipſis naſcuntur; quapropter à Tullio dicuntur deſumi ex viſceribus cauſæ; cujuſmodi ſunt definitio, genus, ſpecies, differentia, proprium; totum, Pars, cauſæ, effectus. Loci externi dicuntur, qui à principijs extrinſecis petuntur; & à natura rei longiùs diſtant; ut ſimilia, pugnantia. Et quamvis ea cenſenda ſit optima ratio, quæ ſumitur ex viſceribus cauſæ, ſeu locis intrinſecis; plerumque tamen à locis extrinſecis deſumuntur argumenta oratoriæ facultati deſervientia. 1

Ab individuo tamen uno, aut altero ad inferendum genus, vel ſpeciem nonniſi contingens eſt illatio. Non enim ab individuo ad univerſale ſemper neceſſariò procedit illatio; licèt in materijs, practicis circa proſecutionem virtutum, & fugam vitiorum plerumque valeat conſequentia. Individuum enim quod pro generali ſententia Ethica, Oeconomica, & Politica confirmanda adducitur; potiùs exempli, quàm nomine gaudet argumenti: in loco tamen parium videtur præſeferre vim argumenti; quâ ratione Lucianus ab individuo ſic argumentatur *omniſque poteſtas* 2

Impatiens conſortis erat

—— Nec longè factorum exempla petuntur

Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Probat Romulum, & Remum ambos urbis Romæ Reges fuiſſe, & ex fraterna cæde clarè oſtendit, non poſſe Regnum in conſortium mitti; interfecit enim Romulus Remum; ut ſolus regnaret: ſingularitas enim per excluſionem paris eſt excellentia quædam præſtantiori cenſenda honore; quapropter in dominatu, multo magìs excellit, qui cæteris præeſt, quàm qui cum pari; nec aliunde diſſidia, & jurgia inter collegas, niſi quia alter alteri præeſſe nititur, & uterque excellentiæ inhiat ſingularitatis; ſcitè Minutius in Octavio: *Quando unquam regni ſocietas, aut cum fide cæpit; aut ſine errore diſceſſit?* Hinc Seneca in Thyeſt. *non capit regnum Duos.* Seneca Rhetor in Epiſtolis exemplo Annibalis Chartaginenſis evincit, etiam bellicoſiſſimos viros otio, & luxuria molleſcere, ac à bellica deficere virtute: ait ipſe. Una Annibalem hyberna ſolverunt; & indomitum illum nivibus, at- 3

que

que alpibus, enervârunt fomenta Campaniæ: armis vicit, vitijs victus eſt. Ab exemplo etiam Cicero congeſtis illuſtrium exemplis virorum ad virtutum ſtudia hortatur, inquiens *Orat. pro Sext.* Imitemur noſtros Brutos, Camillos, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, & Æmilios; Amemus patriam, conſulamus bonis, præſentes fructus negligamus; Poſteritati, & gloriæ ſerviamus. Nulli dubium quin exempla ex antiquis excerpta monumentis plurimum obtineant roboris ad perſuadendum, ac plena ſint dignitatis; plurimum etiam habeant authoritatis ad probandum, & multum jucunditatis ad delectandum.

4 A cauſa efficiente remota probabiliter ſolet effectus inferri. ſi Rhetorices candidatus acri ſit ingenio præditus inferimus fore virum amœnioribus litteris ornatum. Sublatâ causâ impellente infertur remotio effectus; ex quo loco Martialis probat, non eſſe mirum, ſi deſint excellentes Poëtæ, cum deceſſerint Mœcenates, deſintque Patroni, quibus tanquam cauſis procatarcticis alliciuntur Poëtæ ad Muſarum inflandas fiſtulas, ait lib. 8. ad Flaccum.

Ingenium ſacri miraris abeſſe Maronis,
Nec quemquam tantâ bella ſonare tubâ:
Sint Mæcenates, non deerunt Flacce Marones
Virgiliúmque tibi, vel tua rura dabunt.

Poſitis, vel ſublatis inſtrumentis infertur tanquam probabile poſitum, aut remotum ini artis exercitium: non enim eſt neceſſariò excellens citarœdus, qui domi uberem habet ſupellectilem fidium, plectorum, ac cithararum, ut arguto epigrammate argumentatur Auſonius, probans non ſemper eum eſſe doctum, qui libris refertam poſſidet Bibliothecam.

Emptis quòd libris tibi Bibliotheca referta eſt,
Doctum, & Grammaticum Te, Philomuſe putas:
Hoc genere & Chordas, & plectra, & barbita conde,
Omnia mercatus, cras citharœdus eris.

5 Ex poſitione totius infertur probabiliter poſitio partis integralis minus principalis. Ut puer eſt octennis; ergò jam omnes emiſit dentes; hæc enim conſequentia nonniſi probabiliter infertur; potuit ſiquidem obtigiſſe, ut adhuc uno, vel altero caruerit maxillari. Fœtus editus in lucem eſt abſque cute: ergo mortuus materna exivit ab alvo: illatio tantùm probabilis eſt; non neceſſaria. ſiquidem de Ludovico ſecundo Hungariæ, & Bohemiæ Rege refert Dubravius in Hiſtoria Bohemica, natum fuiſſe ſine pelle; quam tamen Medicorum arte, ac peritorum induſtria enactus fuit. Fuit Ludovicus præcox natus, & præmaturus denatus, anno ſcilicet ætatis primo ſupra vigeſimum poſt infelicem cum Solimano Turcarum Imperatore conflictum. Tria itidem in ipſo fuere præcocia; quòd citò adoleverit, ante tempus barbam emiſerit, & decimo octavo ætatis anno cœperit incaneſcere.

A circumſtantia loci ſua etiam orator depromit argumenta: a loco pulchrè Livius in oratione Camilli dixerat non eſſe in templo rixandum, nec in ganeo philoſophandum. Cicero *in orat. pro Milone*, fatetur ſe timore correptum, ac hærentem ancipitem ob inſolitam fori faciem; & prima argumenta deducit ab hac loci circumſtantia. Seneca in Ludo Claudium ridet a loco, quia cum Romæ fuiſſet audaciſſimus; alibi ſpuere non fuerit auſus; additque etiam gallos gallinaceos in proprio ſterquillinio audaces eſſe, ac plurimum poſſe. 6

Adjuncta ſua itidem Oratori ſuppeditant argumenta; ea omnia dicuntur adjuncta; quæ rei adjunguntur, cujusmodi ſunt veſtes, arma, & alia id genus. Ab hisce adjunctis Turnus, apud Virgilium exprobrat Trojanis nimium in veſtibus luxum, qui muliebrem potiùs redolet mollitiem, quàm militem.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula myrrhæ.

Cicero itidem ex elegantiori amictu, & usque ad talos demiſſa purpura arguit diſſolutum, mollémque Quintij animum. Solent enim viri prudentes ex ſermone, habitu, inceſſu internam animi judicare indolem, quæ in externis adjunctis perinde, ac in totidem ſpeculis ſe prodit. Hoc argumento uſus fuerat Auguſtus Imperator, cum Romanos objurgaret, quòd peregrino delectarentur veſtitu; idque egit, ut ad uſum togæ eos revocaret; citavitque Virgilij carmen, ubi vocat Romanos togatam gentem. 7

Romanos rerum dominos, gentémque togatam.

Xenophon refert, Lacedemonios ſuis præcepiſſe inſtitutis, ut pueri in publico manus intra veſtes continerent, & ne caput, & oculos huc, illúcque motitarent, idque ut Lacedœmonij à pueritia verecundiæ aſſuefierent, atque modeſtiæ, ad quam totum componerent corpus. 8

Ex alijs locis topicis in præcedenti libro enucleatis tum intrinſecis, tum extrinſecis depromuntur oratoria argumenta, in quibus ſeligendis non parum debet orator impendere ſtudij: ſiquidem ex quinque Rhetoricæ partibus præcipuum oratoris officium eſt invenire argumenta; ſeu quasdam rationes ſaltem probabiles, quibus rei veritatem, de qua perorat eâ claritate, auditoribus oſtendat, ut non ſolùm intellectus convincatur ad præbendum aſſenſum rei ab oratore propoſitæ; verùm etiam voluntas adigatur, ut ſe flectat ad eum excitandum affectum, qui rei propoſitæ viſus fuerit magis congruere, ſive ſit dolor de malo præſenti, ſive metus de imminenti, ſive gaudium de bono præſenti; ſive deſiderium de abſenti, ſicque de cæteris. 9

EXPENSIO X.

De fontibus, è quibus hauriuntur argumenta firmandis concionibus accommodata.

1 QUia Orator è ſuggeſto ad populum dicturus pro varietate materiæ, in quam verſatur, diverſa neceſſè eſt, argumenta producat, quæ plurimum obtineant roboris ad ea perſuadendum, quæ ab Oratore populo exhibentur; ideò non ſemper eodem debet concio tenore fluere. Præclarè Chryſoſtomus *Orat. 2. adverſ. Judæos* Concionatores paſtoribus fiſtulâ inſtructis, & fundâ, ſaxóque armatis pariavit: etenim ſi noxiæ feræ nihil adferant moleſtiarum, ſi lupi procul abſint; jucundi ſub ilicem, aut populum, ſedentes fiſtulâ ludunt, ſinúntque errantes per arvorum clivoſa oves liberè, próque ſuo arbitratu paſcere. Sin verò ſenſerint aliunde luporum incurſiones imminere abjecta ſtatim fiſtulâ fundam arripiunt, ſaxa vulneribus inſligendis validiora ſeligunt, collectiſque in unum agmen ovibus ſe pro ſeptis, pro vallo, ac Propugnáculo conſiſtentes, magno emiſſo clamore, ingentique edito ululatu, ſaxa funda ejaculantes, baculo ſentes, vepréſque diverberantes, inhiantes ovibus feras priùs abigunt, quàm irrumpant. Hos imitatur Concionator Paſtores. Modò ad piorum ſulatium, cœleſtiſque lætitiæ delibandos fructus, ſuaviſſimis adluit orationis lenimentis, quibus paradiſiaca perfunduntur adſtantes dulcedine: modò in hominum flagitia, ac vitia gladios exerit, tela vibrat, quibus Achille felicior vulnerat, ut ſanitatem impertiat.

2 In id tamen Concionator incumbat ſtudij ut argumentum ex pellucidis illis hauriat fontibus, qui plurimum ſuppeditant ad perſuadendum roboris, ac gravitatis. Tametſi dignitatem, gravitatémque dicendi omnes affectent, natura ipſa propenſione inſita ad ea, quæ ſublimia ſunt adigente; non tamen omnes ad hujus aſſecutionem ſibi viam ſternunt; nec viam gravitatia omnea norunt. Petenda hæc eſt ab argumentis, per quæ gravitas excurrit concionis. Ut concinnè notavit Hermogenes: ſermonea de Deo graviſſimi ſunt omnium; fluunt ſine ſalebris, absque murmure; non verò quales à Poëtis finguntur, ineptijs ſcatent. Gravitatem etiam exigunt, quæ ad univerſi ſupellectilem, ac œconomiam attinent, quia ubi hæc ſplendidâ explanantur oratione, ſpeciem ingenerant admirationis. Quæ verò conciones ſtudia, & culturam ſuadent populo virtutum plenæ ſunt vigore, nil habent humile, nil repens, nihil demiſſum, aut otioſum; ſed plena ſunt omnia ſucco, quo oratio efflorescit. Quæ verò à vitijs nituntur avertere, corruptóſque mores corrigere, nervoſioribus urgent argumentis; teliſque vulneribus inſligendis idoneis armantur; tunc enim perſæpe verba graviter, & honeſtè dicta id poſſunt, quod acicula corio impingens elephanti. Ea ad id argumenta deſiderantur, quæ increpent, arguant, deterreant, timorem incutiant; idque non ſolùm argumentorum apparatu; ſed etiam prout Dei ſpiritus ſuggeſſerit; prudenter tamen; quia niſi prudentiæ ſale condiantur objurgationes; plus plerumque obſunt, quàm proſint: afflante divino ſpiritu invehendum eſt. Præpotens eſt enim Deus, qui apud S. Job *facit ventis pondus*, armat concionatores, & linguas facit eſſe diſertas, eorum maximè, quos huic deſtinavit muneri, & quibus per Iſaiam dixit: *In gutture tuo ſit tuba, quaſi aquila ſuper domum Domini.* Clament, urgeant, increpent, prout Spiritus S. dat eloqui illis.

3 Cæterum argumenta, quæ ſuſceptam in concione cauſam ita ſuadent, ut perſuadeant, alia ſunt inſita, alia aſſumpta; illa, quæ & intrinſeca dicuntur, ex ipſius rei probandæ viſceribus eruuntur; & dicuntur argumenta deſumpta ex viſceribus cauſæ; ſeu ex prædicatis intrinſecè identificatis cum cauſa, vel dicentia relationem ad illam, de qua agitur: ut ſi velim perſuadere culturam virtutis dignam eſſe viro nobili, ac generoſo; argumenta intrinſeca peti poſſent ab honeſtate, bonitate, laudabilitate, & alia id genus prædicata, quæ identificantur cum ipſa virtute, cui propterea dicuntur intrinſeca, & argumenta eruta è viſceribus cauſæ. Aſſumpta, ſeu extrinſeca argumenta deſumuntur ab ijs, quæ ſunt extra cauſam, & cui propterea non identificantur. Ut ſi velim perſuadere dilectionem inimicorum argumentum extrinſecum peteretur ex eo, quòd ſancti plurimi, & ipſe Chriſtus non voce tantùm, ſed etiam proprio exemplo illam docuerunt; ex quo exemplo præclarè S. Baſilius urget, inquiens: *Quorum ergò, dic mihi, tu cupis eſſe diſcipulus? Beatorúmne hominum, ac DEO gratorum; an eorum, qui Spiritu maligno ſunt referti? approbas illorum facta, confiteriſque illa ipſis fuiſſe honorifica; & tibi, credis, in dedecus cedere inimico parcere.* Loci intrinſeci ſunt ſexdecim: Definitio, Notatio, Partium enumeratio, Conjugata, Genus, ſpecies, ſeu Forma, Similitudo, Diſſimilitudo, ſeu Differentia, Contraria, Repugnantia, Adjuncta, Antecedentia, Conſequentia, Cauſæ, Effectus, Comparatio. Tametſi hæc omnia prærecenſita non ſint prædicata intrinſeca rei, de qua agitur, nec eidem identificentur; nihilominùs dicuntur laxè loci intrinſeci, quia ſaltem terminantur relativè ad rem probandã Loci extrinſeci, qui & remoti dicuntur, ſunt Exempla cæterorum, Præjudicia, Fama, Tormenta, Tabulæ, Jusjurandum, Teſtes. Seneca exemplo Annibalis probat viros bellicoſiſſimos otio, & luxuriâ fieri enerves, inquiens: *Una Annibalem hyberna ſolverunt, & indomitum illam nivibus, atque alpibus enervarunt fomenta Campaniæ; armis vicit, vitijs victus eſt.* Hic locus extrinſecus ab exemplo eſt in concionibus uſitatior. Quia verò de utriſque locis fusè egimus in libro præcedente de Inventione: hic tantùm attexam in commodum

dum

dum Concionatorum præcipuos fontes, è quibus hauriuntur argumenta principalioribus inſervientia Concionibus, ut ad praxim rem totam deducam.

4 Si concio fuerit de ſuadendo jejunio, Argumenta hauriri poſſunt ex hisce fontibus. Primò quia Jejunium divinum nobis conciliat miſericordiam, quæ eſt potiſſimus jejunij effectus; idque firmari poteſt exemplo Ninivitarum, qui jejunio Dei iram à ſe averterunt. Secundò quia Orationes noſtræ jejunio munitæ plus obtinent roboris ad Deum in vota noſtra flectendum. *Bona enim eſt oratio cum jejunio:* Tertiò quia beneficio jejunij veluti impenetrabilis clypei objectu tela retundimus nequiſſimi hoſtis: *Hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, niſi oratione, & jejunio.* Quartò quia jejunium frœnum eſt coërcendis inſurgentis, rebellantisque concupiſcentiæ motibus peraptum: *ſine Baccho, & Cerere friget Venus.* Quintò quia per jejunium ſimiles efficimur Angelis, qui ab omni abſtinent corporali cibo. Sextò quia jejunium confert ad tuendam valetudinem. *Pone gulæ metas, ut ſit tibi grandior ætas.* Vires etiam ſuppeditat ad proſternendos hoſtes etenim *Judic.* In trecentis viris, qui aquas lambebant, & moderatè bibebant, liberavit Dominus Iſraël de manu Madian.

5 Ad excutiendam Acediam, abigendúmque otium, argumenta peti poſſunt. Primò ab exemplo ipſius DEI, cujus eſſe eſt operari; & Spiritui Sancto nomen tribuitur ignis, quia ſicut elementum hoc ſemper eſt activum; ita Spiritus S. ſemper agit, eſtque ipſum amoris exercitium: & cum primùm mundo ſe manifeſtum exhibuit, id non aliter præſtitit, quàm operando. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Neque Deus in mundo condendo priùs quievit ſeptima die, quàm operatus fuerit integro ſex præcedentium dierum ſpatio; ut inde diſceremus non ſperare requiem niſi poſt exantlatos labores. Secundò ab exemplo Chriſti, qui pauper fuit, & in laboribus à prima juventa; neque laborare deſtitit: noſtrámque operari ſalutem, donec in laboribus, ac doloribus per vulnerum ſpiracula emitteret ſpiritum. Tertiò exemplo Angelorum, per quos Deus jugiter operatur, facitque miniſtros ſuos ignem urentem. Quartò quia filij hujus ſæculi, ſeu inhiantes divitijs, indulgentes vitijs, prudentiores, ſeu ſagaciores, & aſtutiores ſunt in temporalibus negotijs; in ſubeundis laboribus, ad coacervanda bona labentia; quàm filij lucis, ſeu dediti vitæ ſpirituali, & Chriſtianæ. Quintò quia æterna beatitudo, quâ donabimur in cœleſti patria eſt longè pluris facienda, quàm bona omnia, quibus Reges, & Imperatores diteſcunt: unde ſi pro hiſce congerendis nulli parcunt etiam principes labori; bello indicunt alijs; vitæ ſubeunt diſcrimina; quanto magìs tenemur allaborare, ut cœleſte regnum enanciſcamur? Pudor ſanè ait Auguſtinus *ſerm. 22. de verb. Apoſt.* quòd Chriſtiani laborent in juſſione avaritiæ, & in juſſione Chriſti laborare detrectent. Sextò quia plus debemus diligentiæ, ac laboris impendere pro ſalute animæ, quàm corporis; & tamen ut concinnè S. Chryſoſtmus *lib. de compunct.* Si vel parum aliquid in corpore morbi pulſaverit, ſtatim medicos adhibemus, & pecuniam profundimus, & omni obſervantiâ, quæ competunt, gerimus; nec priùs ceſſatur, quàm quæ moleſta ſunt, mitigentur: anima verò cum continuò vulneretur, cum per ſingula ſcelera lanietur, ut atur, modis omnibus pereat, nec parva quidem pro ea nos cura ſollicitat? Septimò exemplo formicarum deſides, & pigras exſuſcitantium, ut homines mortali hac in vita ſatagant, per bona opera fruges recondere, ſeu merita cumulare ad futuram ſibi requiem parandam.

Ad reprimendum ambitionis tumorem argumenta erui poſſunt. Primò exemplo Chriſti, de quo ait S. Gregor. *part. 1. paſt. cap. 3.* Rex fieri noluit, ad crucis verò patibulum venit; oblatam ſibi gloriam fugit, pœnam probroſæ mortis appetijt, ut membra ejus diſcerent mundi honores fugere. Secundò quia honores, dignitates fucatæ ſunt, ac umbratiles, quibus ſi larvam detrahas nonniſi ſentes, ac ſpinas complectuntur, quibus lacerant, ac cruentant. Tertiò, quia dignitates quas mundus exhibet veluti fulgur, vix ſplendent, & extinguuntur, vix ortæ intereunt. Si enim catalogum Imperatorum, & Regum recenſeamus, liquebit, potiorem eorundem partem violenta nece perijſſe; & alios corruiſſe præmatura morte raptos, cum primùm ſupremæ attigerunt dignitatis faſtigia: adeò ut proprius ſit hic divinæ providentiæ modus ad humanam tanto efficaciùs coërcendam ſuperbiam; quanto impenſiùs, eidem mortales inhiant. Quartò quia dignitates, perinde ac res cæteræ humanæ ſunt viciſſitudinibus obnoxiæ; quâ ratione Tertullianus *lib. de pallio cap. 2.* ambitionem vocat *verſiformem* quaſi Protheus foret novas jugiter induens formas, in omnibus ſemper informis: hinc Iſaias *cap. 48.* de ijs loquens, quorum pectora ambitio pulſat, ait: *Ecce gentes, quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt*, & Sapiens cap. 11. Iſaiæ adhærens eandem adfert ſimilitudinem, inquiens: *Tanquam momentum ſtateræ, ſic & ante te orbis terrarum; & tanquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram*: ſed quæ proportio inter dominium, & guttam roris antelucani? quid habet ſtatera commune cum diademate? quid bilances cum ſceptro? ſed concinnè bilances naturam produnt dignitatum; quibus mundus ſuos ad ſublimia evehit aſſeclas: Bilances enim eriguntur, & deprimuntur, aſcendunt ſurſum, & deſcendunt deorſum: ita coram Deo ſe habent mundi honores, quos ſuperbi ambiunt: aſcendunt iſti, ut mox in tartara deſcendant. Bellè guttæ roris antelucani pariantur mundi dignitates, quia ſtatim exſiccantur, evaneſcunt. Pone in ſtatera minimam æternæ felicitatis particulam, eámque compara cum mundi imperijs, dignitatibus, & honoribus, excutiet illa ſuo ponder 6

dere mundum univerſum cum pompis ſuis tanquam folium, quod vento rapitur. Quintò quia ſceptra, coronæ, & reliquæ dignitates, ſi rectè æſtimentur, nil aliud ſunt, quàm fulgidæ compedes, & ſplendentes miſeriæ; quæ ſi plenè hominibus innoteſcerent, nunquam de ſeptro litigarent; & plura eſſent in mundo regna, quàm reges. Magna ſervitus eſt præcelſa dignitas; libertas enim major eſt in parvis, & minor in magnis; minor enim licentia in principe, quàm ruſtico; minor in rege clamidato, quàm in paupere denudato; quò altior eſt homo, eò magis ejus vitia apparent. Non latet, qui in faſtigio eminet. Sextò ex eo quòd dignitates, quibus ambitioſi inhiant, timorem ſecum advehunt, quo jugiter torquentur. Fruſtra enim ibi quæritur requies, ubi omnes periculum, & multi miſerum vitæ invenerunt exitum. Non capiunt ſecura fercula principum menſæ, etiam in auro, & gemmis bibuntur venena. Lubrica in ſummo ſtatio eſt, pendula ibi omnia, & præcipitio proxima; tutiùs itur per plana, quàm per editiſſima montium faſtigia.

7 Ad ſuadendam populo Dei dilectionem hauriri poſſunt argumenta ex ſeptem præcipuè fontibus. Primò quia Deus totum comprehendit eſſe, includitque totam perfectionum plenitudinem, éſtque pelagus nullo coërcitum litore interminæ bonitatis; & nos ſumus hujus bonitatis partes, quâtenus eam participamus: pars autem inſita vi, innatóque pondere nititur ſuo toti uniri, quod naturaliter amat: ignis omnes periculæ ſurſum avolant; flumina in mare devolvuntur; deorſum gravia quæque feruntur, & quidem amore naturali, ut ſuo toti copulentur. Secundò quia Deus in agro animæ rationalis plantavit frugiferam voluntatis arborem; cujus præcipui fructus ſunt actus amoris, qui propterea debentur Deo habenti plenum dominium in omnes noſtras potentias, facultates, & actus, è cujus dominio nulla poteſt ſe creatura ſubtrahere. Juſtitia exigit, ut cuíque tribuatur jus ſuum. Tertiò quia omnes cauſæ amoris, quas Ethnici conſueverunt aſſignare ad excitandum amorem, perfectiſſimo modo effloreſcunt in Deo, nempe Bonitas, Pulchritudo, Amor, Similitudo, Beneficentia. Quartò quia Deus *Exod* 23. juſſit deferri in Domum DEI, ſibique offerri primitias frugum terræ: fructus autem cordis noſtri eſt amor; qui propterea offerri DEO debet. Quintò quia Deus hominem condidit, ut Deum amaret; & ideo ultimus conditus fuit poſt cæteras creaturas, ne aliud ei ſupereſſet, quàm Deus, quem toto corde amaret, totíſque viſceribus diligeret. Sextò quia amor ex natura ſua, & per ſe eſt bonum: ergò ex natura ſua debetur ſummo bono, ſeu DEO. Septimò quia nil utiliùs, jucundiùs nihil poteſt homini obtingere, quàm amore Deum, eíque per affectum copulari, ac jugiter adhærere ſummo bono: hinc S. Bernardus de diligendo DEO exclamat. *O felix amor! ex quo oritur ſtrenuitas morum puritas affectionum, ſubtilitas intellectus, deſiderium ſanctitatis, operum claritas, virtutum fæcunditas, meritorum dignitas, præmiorum ſublimitas.*

Servandæ caſtitatis petuntur argumenta. 8
Primò ex dignitate hujus præclaræ virtutis, quæ tanta eſt, ut homines Angelis æquet, & ad faſtigium evehat ſanctitatis: hæc enim virtus inſignivit Caſimirum Regis Poloniæ filium, qui neglecto medicorum conſilio nuptias repudiavit, & mori maluit, quàm virginitatis jacturam pati. S. Thomam Aquinatem, qui caſtitatis cingulo ab Angelis meruit præmuniri. S. Benedictum, qui per ſpeciem mulieris aliquandò à ſe viſæ graviter tentatus ſpinis ſe involvit, proprióque cruore prurientem extinxit libidinem. Secundò exemplo Chriſti, qui caſtos habere voluit parentes, & diſcipulos; & à diabolo nequidem tentari voluit contra caſtitatem. Tertiò ab utilitate in hominem caſtum derivata; Virginitas enim æquat ſe Angelis; triumphat de mundi voluptatibus; vincit adverſa quæque: tres ſiquidem pueri virginitatem colentes flammas ignis evaſerunt; in Danielem virginitate loricatum nil potuerunt Leonum dentes. Suſanna patrocinante caſtitate ſenum calumnias infregit. Scitè *S. Athanaſius lib. de Virginit.* recenſens utilitates hujus virtutis ait: O virginitas! corona, quæ nunquam marceſcit, templum DEI, ſacrarium Spiritus ſancti, gemma pretioſiſſima à paucis inventa. O continentia mortem deſtruens, poſſidens immortalitatem. Quartò ex eo, quòd voluptas Venerea ſub riſûs perſona fletum, & lachrymas eliciat; fucatos exhibeat flores, quibus ſpinas abducit; umbratilem præſeferat dulcedinem, quâ venenum propinat; Sardonico riſu rideat, & irrideat; blanditiarum larvâ alliciat, & irretiat, ac interimat; extima cute ſpeciem oſtendat jucunditatis; & intus turpis, vilis, brevis, noxia tum corpori, tum animæ ſit. Quintò quia turpe ac indignum eſt, cœleſtem ſponſum pro tam brevi voluptate, pro umbratili lætitia, pro fluxa delectatione repudiare. Sextò quia caſtitatis cultura flores cæterarum virtutum promovet, hominémque tuetur à pleríſque morbis, quibus ſunt incontinentes obnoxij.

Ad inimicorum ſuadendam dilectionem 9
hauriuntur argumenta. Primò quia Chriſtus non verbis tantùm, ſed exemplo ſuo hanc nos docuit dilectionem, cum cruci affixus vulneribus confoſſus oravit pro crucifigentibus, *Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt.* Secundò quia Sancti plurimi, ut Chriſti ſe proderent diſcipulos ultro injuriarum oblìti inimicis pepercerunt, quos plenis ulnis amplexi ſunt. S. Stephanus cum lapidibus obrueretur, Deum enixim rogavit, ne lapidantibus ſtatueret hoc peccatum. S. Jacobus Apoſtolus à Judæis de pinnaculo templi præcipitatus dixit, *Domine, da illis veniam.* S. Paulus Apoſtolus, cum malediceretur, benedicebat. Joſeph Patriarcha non ſolùm ſuis pepercit fratribus, ſed etiam eos pavit, doníſ-

que

que cumulavit. David cum à Semei maledi-ceretur, ultrò illatas ſibi injurias condonavit. Tertiò quia vel ipſi Ethnici ex ſolo amore virtutis illatas ſibi injurias condonârunt. Pericles conviriatorem ſuum tota die ſuſtinens noćte diſcedentem cum lumine comitatus eſt, blandè, ac leniter fuit de ipſo loquutus. Socrates calce à quopiam petitus in publico cum moneretur, ut hominem repercuteret; an inquit, ſi aſinus mihi calcem impegiſſet, in eum recalcitrarem? Quartò, quia parcere inimico conducit ad propriũ honorem augendum, & ad gloriæ incrementum, Deúmque nobis conciliandum, & Diabolum vincendum. Etenim volens Deus teſte D. Paulo *ad Rom. 9.* notam facere potentiam ſuam inſtituit vaſa iræ apta ad interitum in multa patientia; unde Petrarcha *lib. 1. Dial. 101. multo formoſius eſt*, ait *oblivisci injuriarum, quàm ulciſci*: generoſior nulla eſt oblivio, quàm offenſæ. Vincitur etiam Dœmon, quia ut ſcitè S. Auguſtinus enarrat. *in Pſalm. 54.* Homo hominem vincit humana quadam felicitate, Diabolum autem vincit inimici dilećtione. Quintò quia omnes fratres ſumus non ſolùm natura, ſed etiam gratia *Matth. 23.* Unus eſt Pater veſter, qui in cœlis eſt, ut autem ait Ambroſius *Serm. 20. de temp.*. Major eſt fraternitas Chriſti, quàm ſanguinis, quia hæc corporis, illa unanimitatem cordis, & animæ demonſtrat; ſicut ſcriptum eſt, multitudo credentium erat cor unum, & anima una. Sextò quia id natura exigit humana: ſi homines dici velimus, conſervanda eſt humanitas, ait Lactantius *lib. 6. divin. Inſtit. cap. 10.* Conſervare autem humanitatem, perinde eſt, ac diligere hominem, eò quia homo naturam humanam participet perinde, ac nos. Septimò ex eo, quòd omnes ſimus membra Chriſti. Nam ſicut anima non vivificat membra, niſi ſint hæc ſibi invicem copulata; ita cum omnes ſimus unum corpus in Chriſto 1. *Corinth. 10.* Spiritus S. non vivificat nos, niſi per charitatem uniti ſimus. Ożtavò quia conducit ad inimicum conciliandum; quo pacto Jacob fratrem ſuum Eſau, David Saulem, Pilatus Herodem conciliavit. Nonò quia pax inter homines gloriam DEI extrinſecam promovet, quam inimicitia deprimit. Sic nato Chriſto Angeli Pacis cecinerunt *Gloria in Excelſis DEO*, non ob aliam rationem niſi quia, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

10 Si concio fuerit de utilitate, & neceſſitate fidei argumenta concinnè deſumi poſſunt ex fidei cum ſole comparatione, ut præſtiterunt SS. Patres. Primò quia ſicut Deus in mundo magno duo produxit lumina, unum quod præeſſet diei, & alterum nocti, ſolem ſcilicet & lunam; ita in parvo mundo, ſeu homine duo poſuit ſpiritualia lumina Fidem, quæ diei, ſeu ſtatui gratiæ præeſſet, & ſcientiam naturalem, quæ nocti, & tenebris ignorantiæ congenitis inſerviret. Et ſicut quidquid ineſt floribus elegantiæ, plantis virtutis, metallis pretij, gemmis nitoris, pratis decoris, arboribus pulchritudinis, hoc totum mundus à ſole mutuat: ita quidquid gratiæ, virtutis, meriti, & gloriæ homini ineſt ſuam à virtute fidei, trahit originem. Secundò ſicut cæteri planetæ ſuos à ſole hauriunt nitores; ita omnes veritates ſupernaturales à virtute fidei hauriuntur: hinc S. Auguſtinus *in Joan.* Noli intelligere ut credas, ſed crede, ut intelligas, intellectus merces fidei eſt. Tertiò vegetabilia in mundo omnia, & ſenſitiva vitam æquè, ac conſervationem habent à ſole: & in homine initium, & progreſſus vitæ ſupernaturalis à fide hauritur: hinc D. Paulus Galat *2. cap. 20.* ait in fide vivo filij DEI. Quartò à ſole rerum omnium ſublunarium naſcitur ordo, & harmonia, quam mundus tenet; & à fide eſt tota pulchritudo, rectus ordo, & harmonia vitæ Chriſtianæ in eo ſita, ut mores fidei reſpondeant, & vita cum fide conſentiat. Quintò ſingula in mundo ſuos à ſole motus auſpicantur, & calorem contrahunt, quo ad proprias depromendas virtutes, exercendas vires promoventur, eſt enim ſol, qui vim promovet inſitam rebus omnibus: homo itidem charitatis calorem, viréſque ſupernaturales beneficio fidei exerit: unde diſcipuli euntes in Emaus *Luc. 24.* dixerunt: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas*, ſeu myſteria fidei. Sextò cum primùm ſol Eoo emergit mane ab horizonte lætitiâ perfundit animantia quæque, ſuis exilientia è nocturnis receptaculis: ita omnis vera cordis lætitia à virtute oritur fidei.

Gratitudinis promovendæ argumenta 11 petuntur ex eo, quòd Deus innumeris propemodum beneficijs hominem cumulaverit. *Quid eſt homo*, ajebat David Pſalm. 8. *quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam viſitas eum*, tot beneficijs eum præveniendo. Secundò à conferente beneficia, quid enim ſe DEO æquare poteſt, & DEI filio; à quo tot in nos beneficia derivârunt? Dat verò Filius DEI ſeipſum pro redemptione noſtra, & in Sacramento Euchariſtiæ in noſtrum cibum, quo ſpiritualiter nutrimur, viréſque detritas reficimus. Tertiò à conſtantia, & longanimitate Benefactoris, DEUS ſiquidem toties à nobis offenſus, ac irritatus, adhuc non deſiſtit nobis benefacere. Quartò ab utilitate beneficiorum; nobis ea impertitur ut tantùm benefactorem cognoſcamus, atque in ejus amorem accendamur, eíque vices rependamus. Quintò ab æquitate, ſi enim canis fideliter adhæret Domino ſoo, à quo panem accipit; ſi Aſinus cognoſcit præſepe Domini ſui; & bos poſſeſſorem ſoum; æquum eſt ut homo DEO ſibi benefacienti ſe gratum exhibeat, debitáſque rependat gratias, cum & ipſæ beſtiæ nomen refugiant ingratitudinis.

Ad ſuadendum humilitatis ſtudium pe- 12 tuntur argumenta. Primò ex eo, quòd humilitas fundamentum ſit, quò cæteræ virtutes nituntur, & ædificium ſpirituale extructum creſcit in templum DEI. Secundò quia ſicut ſuperbia eſt radix omnium malorum; ita humi-

militas omnium bonorum, ut poſſit verè humilis fateri, quòd venerint ſibi omnia bona pariter cum illa. Tertiò ex neceſſitate, quia ſicut, qui peregrè proficiſcitur, nequit de pellucido terreno fonte latices haurire ad ſitim extinguendam, niſi priùs ſe inclinaverit: ita de vivo fonte Chriſto non haurimus aquam vivam niſi beneficio humilitatis, quia DEUS ſuperbis reſiſtit. Et ſicut arbuſta niſi profundè radices fixerint in ſolo, facilè flante vento concutiuntur, & evelluntur, ita qui culturâ humilitatis non ſe profundè depreſſerit, quovis adverſitatis vento proteritur: quia ſicut flos à radice dependet, ita ab humilitate totum ſpirituale ædificium: avulsâ radice exſiccatur flos; & ſublata humilitate exareſcit vigor cæterarum virtutum. Quartò ex utilitate; quia perinde cæteræ virtutes cuſtodiuntur obſcuro ſub cortice humilitatis; ſicut ignis conſervatur ſub cinere. Quintò ex dignitate, quia nil DEO gratiùs viro verè humili; evehit ſiquidem humilitas ſuos cultores usque ad thronum DEI; cum dicat ipſe, *ſinite parvulos*, id eſt humiles *venire ad me*. Sextò ex æquitate; quia cum homò ex ſe nihil ſit; æquum eſt, diſcat detumeſcere; velitque flocci ab alijs fieri.

13 Ad manſuetudinis ſtudium perſuadendum eruuntur argumenta; Primò quia hæc virtus gratiſſima eſt DEO. Moyſes teſte S. Dionyſio ideò ſingularem cum Deo familiaritatem contraxerat, quia fuit mitiſſimus: concinnè Chryſoſtomus *in Pſalm 14.* ait: Deus non ita diligit homines propter virginitatem, jejunium, contemptum divitiarum, hilarem eleemoſynarum largitionem; ut propter mites, benéque compoſitos mores. Secundò quia præ cæteris virtutibus decet manſuedo virum Chriſtianum; ſiquidem ut ait S. Chryſoſtomus *ſerm. 25. ex var.* In hoc ſervi Dei eos, qui ignorant veritatem, potiſſimum antecellunt; ſi in manſuetudine converſentur. Servus Chriſti magìs à morum mititate, quàm à nomine, quod ei parentes impoſuere vocandus eſt. Hinc Chriſtus nos hoc docturus exemplo fortiùs quàm voce ait, *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Tertiò quia manſuetudo humanæ naturæ, vel maximè conſentanea eſt ob ſocietatem civilem, quam inter ſe homines ineunt: hinc Seneca *Epiſt. 95.* ait. *Natura nos cognatos genuit cum ex ijsdem, & in eodem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & non ſociabiles fecit;* qua ratione ajebat ille: *Homo ſum, humani nihil à me alienum puto.* Quartò quia manſuetudo optimum alijs regendis eſt inſtrumentum; idque natura in Apum Rege edocuit, quem voluit inermem, ac ſine aculeo cæteras præcedere: Unde fuit, qui Apum Regi examen ducenti ſcripſerit hanc epigraphem. *Decet clementia Regem*, ut non puderet principem hanc virtutem ab exiguo ediſcere animalculo. Quintò, quia manſuetudo eſt inſtrumentum efficax ad flectendos animos, & homines conciliandos: hinc Chriſtus cum dixiſſet: *Diſcite à me, quia mitis ſum*, poſtea addidit: & *invenietis requiem animabus veſtris*, non proprijs tantùm; ſed etiam alienis noſtræ curæ concreditis.

Ad exercitia miſericordiæ perſuadenda per largitionem præſertim eleemoſynæ argumenta hauriri poſſunt è varijs fontibus. Primò quia quod damus pauperibus, id elargimur ipſi Chriſto dicenti, quamdiu feciſtis uni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis *Matth. 25.* unde Cyprianus, quid potuit Chriſtus nobis majus edicere? quomodo potuit magìs miſericordiæ noſtræ opera provocare, quàm quod præſtari ſibi dixit, quidquid egenti præſtatur, & pauperi? Secundò quia natura hanc nos miſericordiam edocet; & ad illam exercendam ſtimulos addit nobis ſuggerens præſtandum alijs, quæ vellemus nobis fieri. Tertiò ex obligatione, qua tenemur egenis opitulari orta ex præcepto naturali, & charitatis: hinc ſcitè S. Bernardus: Ne putes gratuitum, quod impendis pauperi; velis, nolis, debitor es. Quartò quia quidquid pauperi damus, Deus accipit ut depoſitum: unde Chryſoſtomus *tom. 5. homil.* 2. hortaturus populum ad ſtudia miſericordiæ ait: Quid quæris homo, ubi pecuniam deponas, Chriſtus ſuſcipere paratus eſt, & depoſita tibi ſervare: nec ſervare tantùm, ſed etiam multiplicare, & cum fœnore multo reddere. Quintò quia pauperes ſunt Fratres noſtri, & cohæredes regni cœleſtis. Sextò quia Deum faciunt nobis propitium; nos defendunt ab inſidijs Tartareis, nobísque impetrant cœlitùs vires contra diabolicos aſſultus. Septimò quia teſte Salomone *Proverb. 16.* miſericordiâ redimitur iniquitas: & eleemoſyna extinguitur peccatum. Quòd ſi omnis injuſtitiæ, ac ſceleris fomes eſt avaritia; hanc iniquitatē abſtergit eleemoſyna; quia ut concinnè S. Ambroſius *ſerm. 15.* eſt eleemoſyna quæ ardentium criminum globos benevolentiæ ſuæ fonte refrigerat, & quodam irriguo largitatis obruit incendia delictorum. Octavò quia eſt ex certioribus ſignis prædeſtinationis ad vitam æternam: hinc Anſelmus in illud, *Induite viſcera miſericordiæ*, ait: miſericordia teſtabitur vos DEI ſapientia præcognitos, & à maſſa perdendorum ſeparatos.

Ex ijs, quæ exhibuimus, facilè deprehendet Concionator, ex quibus fontibus haurienda ſint argumenta circa cæteras materias, quæ pro concionibus ſeliguntur.

EXPENSIO XI.

De varianda argumentatione.

1 VArietatem in argumentatione adhibendã eſſe docet Romanæ eloquentiæ Princeps, quia ſicut varietas delectationis eſt radix, ita ſons ſatietatis, at tædij eſt ſimilitudo, hinc Cicero 2. *de orat. num.* 177. ait. *Tractatio autem varia eſſe debet, ne aut cognoſcat artem, qui audit; aut ſatigetur ſimilitudinis ſatietate.* & 2. *de orat.* 161. loquens de Carneade ait: *Carneadis verò vis incredibilis illa dicendi, & varietas, per quam eſſet optanda nobis; qui nullam unquam in illis ſuis diſputationibus rem defendit, quam non probavit; nullam oppugnavit, quam non evertit.*

2 Peramplum variandæ argumentationis theatrum Oratori aperiunt loca topica in præcedenti libro fusè expenſa, ex illis enim veluti è plenis fontibus argumentorum rivuli ſcaturiunt, quapropter unum, & idem argumentum tot poteſt modis variari, quot ſunt loca communia: ut ſi exhibeatur varianda hæc propoſitio contra Stoicos: *Paſſiones, ſeu affectiones animi non eſſe ab eodem evellendas, neque eradicandas, ut perperam, cenſuerunt Stoici*: perpendendum eſt, è quibus locis poſſint commodiùs argumenta depromi validiora ad eandem probandam. Quia homo conſtat ex ſpiritu, & corpore, ex quibus integratur veluti ex tota materia, ideò probari poteſt, & argumentum deduci à materia; hoc pacto: quod in homine eſt ſpirituale; non eſt evellendum, cùm tota hominis nobilitas ſit ſpiritus, à quo omnia ſua haurit ornamenta, imò & vitam, qua viget; ſiquidem homo per ſpiritum, quo à plantis diſtinguitur, vivit, videt, audit, loquitur, olfacit, deambulat: eſt enim ſpiritus in homine, quo etiam diſtinguitur à brutis, & ſimilitudinem ducit cum DEO: eſt ſpiritus, per quem homo cognoſcit, quæ ſub ſenſus non cadunt, per quem apprehendit futura, recordatur præteritorum: ergò ſi animi affectiones, ut cenſent Stoici, radicantur in ſpiritu, cujus ſunt actus eliciti, non ſunt evellendæ, ne deſtituatur homo ſpiritu; ſed tantùm coërcendæ, ſi pravæ fuerint, ac rectæ rationis dictaminibus diſſonæ.

3 *A forma* probatur eadem propoſitio: quæ ad hominis ornatum pertinent, eúmque perficiunt, nullo modo amputanda ſunt ab eodem, quin potiùs magni facienda, cum hominem perfectiorem efficiant: ſed animi affectiones hanc inducunt perfectionem, ad quam pertinet dolere de perpetrato malo; timere prudenter de imminenti periculo; lætari de alieno bono, fugere malum, deſiderare honeſtum: hæc autem omnia præſtant animi affectiones, quæ proinde nullo modo ſunt ab homine evellendæ.

4 *A cauſa finali.* Ea non ſunt ab homine eradicanda, quæ eidem ſunt honori, & gloriæ, ac plurimum adferunt ſplendoris, ubérémque laudum ſegetem ſuppeditant. Sed nulla major acquiri ab homine gloria poteſt, quàm à debellatis animi immoderatis paſſionibus, pravisque affectionibus: quid enim homini laudabilius, quàm pravis concupiſcentijs frœnum injicere, & immoderatas coërcere affectiones à rectitudine declinantes? quid glorioſiùs, quàm ſe ipſum vincere, ſuósque affectus imperio ſubjicere rectæ rationis, cùm ex Seneca verum imperium ſit ſibi imperare? quid honeſtiùs, quàm occaſionem exhibere reginæ in homine rationi, ut ſuum exerceat in animi paſſiones, & immodicas affectiones imperium: ergò cùm animi affectiones uberrimam exhibeant homini triumphorum ſegetem, ac meſſem palmarum; nullus ſit, qui putridæ Stoicorum adhæreſcens ſententiæ cenſeat evellendas animi paſſiones: id enim perinde eſſet, ac occaſiones declinare victoriarum, honoris, & gloriæ, quod nullus ſani judicij dixerit.

A cauſa efficiente. Quis aſſerat ea eſſe radicitùs amputanda in homine, quæ pectoribus noſtris natura fœcunda, ac benefica parens inſeruit? quæ Deus hominibus impertivit; è quibus occaſiones haberent merendi, & per exercitia virtutum ad ipſum accedendi? quis naturam redarguat, eò quia has immiſerit paſſiones, cùm hæc nil ſupervacanei admittat; & qua renuente, quidquid fit violentum eſt, & qua annuente omnis labor eſt ſuavis, & quodvis onus leve: ſed natura fœcunda rerum parens pectoribus noſtris has omnes inſeruit animi affectiones: ergò minimè ſunt evellendæ. 5

Ab effectu, quæ virtutum præbent exercitium, non exitium, minimè ab animo ſunt evellenda: coërcere autem effrœnem concupiſcentiam, carniſque compeſcere depravatos ſtimulos, exercitium eſt caſtitatis: avaritiæ habenas laxare, liberalitas eſt; frœna injicere iracundiæ, fortitudo; ambitionem deprimere, animi magnitudo: non igitur animi affectiones amputandæ ſunt, cùm ſint nobis exercitia virtutum, ſi depravatæ coërceantur. Ab effectis Henricus Abrienſis Poëta Anglus optimè, ac feſtivè probat, eos inconſultiùs ſanitatem prodigere, qui cereviſiâ ſeſe ingurgitant. Hic potus alibi dulcis, ac turbidus, alibi pellucidus, ac vinaceus: alibi tumentes ventris folles implet, alibi facilè ſolubilis diffluit, nuſquam ſanitati favet, ſemper noxius: cecinit ille. 6

Neſcio, quid ſtygiæ eſt monſtrum deforme paludis,
Cerviſiam plerique vocant. Nil ſpiſſius illâ.
Dum bibitur: nil clariùs eſt, dum mingitur: ergò
Conſtat, quòd multas fæces in ventre relinquat.

A partium enumeratione. Natura fœcunda parens unicuique affectioni peculiarem ſuam conceſſit ſedem, ita enim in felle nutritur, cupiditas in jecore reſidet, timor in corde palleſcit, gaudium itidem dilatatur in corde, odium ſtabulatur in felle, amor nu- 7

nutritur in voluntate: at ſi hæc omnia evellantur ab homine, hic vitâ deſtituitur, ergò ne pereat amputandæ non ſunt in homine paſſiones.

8 *A conjugatis*: plura pati, & adverſantis fortunæ jacula retundère, ac inconcuſſa pectoris firmitate adverſa tolerare hominis eſt fortis, ac magnanimi, quapropter ajebat ille: Pati fortia Romanum eſt; & milites Alexandri apud Curtium varijs excipiuntur encomijs, quia laboribus aſſueti durârunt in armis; æneum pectus objecerunt temporum injurijs, plura contraria intrepidè tolerârunt: ergò ſi ærumnas fortiter pati animi eſt heroici, nulli dubium, quin ſi animi affectiones ritè ad normam rectæ rationis regantur, & pravarum impetus coërceantur, animum prodant fortem.

9 *A contrarijs*: ſine paſſione fortitudo non exercetur; abſque cupiditate langueſcit temperantia; ſecluſo timore corruit prudentia, abſque iracundia deficit clementia: & ſine animi perturbationibus potior pars langueſcit virtutum: igitur ne flores virtutum exareſcant, vepreta paſſionum non ſunt eradicanda, cùm virtutibus proſint potiùs, quàm obſint.

10 *A ſimili.* Sicuti per inolitam conſuetudinem feræ licèt naturâ crudeles, cicures fiunt, eò quia tranſeat conſuetudo in alteram naturam: ſicut in agro ſolerti culturâ ſylveſcentes plantæ manſueſcunt, & ſteriles fœcundæ fiunt: ſicut in collibus baccho amicis excultæ vites, & amputatæ ſpumantem promittunt vindemiam: ſicut rudiora, ac duriora marmora diligenti ſcalpro expoliuntur, & artificis obtemperant ideæ, cui conformantur: ſicut aurum igne purgatur: ita affectiones licèt in homine inſoleſcentes, ſi tamen ritè coërceantur, manſueſcunt, dictamini obtemperant rectæ rationis, fructus parturiunt meritorum, & laudis, ac gloriæ uberrimam ſuppeditant homini ſegetem.

Ab exemplo. Poſſet adduci, quod olim 11
in ſenatu Romano fuit propoſitum, ac diſcuſſum de Carthagine evertenda: an everſio urbis æmulæ majorem adferret Reipublicæ utilitatem, quàm permittere eandem ſtare: & Patres Conſcripti maluerunt Carthaginem ſtantem, quàm everſam, ut Fabius, & Scipio, eò quia æmula civitas incitamentum eſſet Romanæ virtutis, ferrique Romani exercitium, quòd ſi ceſſaret, otium, & rubigo ſplendorem obſcuraret Romanorum, & forraſſis juventus Romana in propria ſua viſcera gladios acueret: ergò cum animi affectiones exercitium præbeant virtutis non exitium, non ſunt amputandæ, ſed coërcendæ.

LI-

Digitized by Google

LIBER IV.

De Amplificatione.

HActenus explicuimus rationem inveniendi propoſitiones, & argumenta, & in præcedente libro etiam hæc conficiendi; ſed quia Orator non debet, ut Logicus arctè, & preſsè propoſitiones, & argumenta proponere; ſed fusè amplè, ac magno eloquentiæ apparatu; ideò progredimur, nunc ad rem omnium difficillimam, ſeu ad praxim; quâ hujusmodi propoſitiones, & argumenta dilatantur per amplificationes oratorias: eſt enim amplificatio fundamentum, cui innititur tota eloquentiæ ratio: hæc enim, ut aſſerit Fabius, totum ſuum in Amplificatione decorem habet: quapropter Orator, ne videatur Arator, ut loquitur Quintilianus, debet in id incumbere ſtudij, ut ritè, & appoſitè res amplificet juxta earundem exigentias: idque cauſæ, cur Socrates apud Platonem in Euthydemo Oratores Protheos eſſe vocandos cenſuerit, quia perinde ac Ægyptius ille Protheus in omnes rerum formas, debet Orator in multiplices amplificationum ſpecies devolvi: non tamen in eam, quam Athenæus fallendi artem appellavit, de qua etiam Zeno dixit eſſe facultatem, quâ probatur idem poſſe, & non poſſe fieri. Plures hac in parte irrepunt tenuiorum Rhetorum errores, qui cenſentes ſummum eloquentiæ decus attigiſſe, ſi amplificent, nullum tenent modum, neque res circumſpectè obſervant: & hi dum augendi ſtudio pruriunt, importuniſſimâ garrulitate adſtantium aures non demulcent, ſed obruunt: tametſi Rhetor in rebus amplificandis ſuas admiſceat auxeſes, ea tamen utitur moderatione, ut à vero non aberret, nec abhorreat. Plures etiam ſunt hac in re tyronum errores, qui nullam in rebus amplificandis adhibentes artem incircumſcriptè ſine lege hinc inde vagantur, & errant: nil enim magis à vera, ac germana eloquentia eſt alienum, quàm inepta hæc amplificandi ratio, quæ in vano verborum ſtrepitu intemperanter laſcivit, cui meritò retorqueas illud Philomelæ *Vox, vox prætereàq; nihil.* Eſt prudentia potior pars eloquentiæ, quæ propterea, ſi deſit, inepti fiunt Oratores. Plus habet roboris unica ſententia appoſitè dicta, quàm ampla redundantia ineptæ amplificationis. Ad pueriles igitur reſpuendas amplificationes plures in præſenti libro expendam formas, & regulas amplificandi.

EXPENSIO I.

Quid ſit vera, & nervoſa Amplificatio.

1 AMplificatio eſt gravis argumentatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem: & petitur ex ijſdem locis, è quibus argumenta dimanant; non tamen ex omnibus locis extrudenda eſt amplificatio; verùm ex illis duntaxat, quæ rei magìs videntur favere. Sic à ſimili metaphoras poſſum ſimul conglobare, ac ſapientiam amplificare. Sapientia eſt lux quædam, eſt formoſior Empirei jubaris ſtilla, in difficultatum Oceano polare ſydus, in maris littore Pharus, in ſapientiæ turribus auſpicatiſſima lampas, in tenebris nitidiſſimum lumen, in dubijs radius, fax in conſilijs, in tertendo fulmen, flumen in narrando, animi decus, ornamentum hominis, ſplendens Cynoſura callem oſtendens, ne fatua errantique vaniloquentiæ flamma deceptus Orator in ignorantiæ Syrtes impingat, naufragiúmque patiatur; Sed ex vitio triumphet, ac ignorantiæ cæcis cimmerijs victor emergat.

2 Differt recta, ac legitima amplificatio, à ſpuria, ac puerili, per hoc, quòd recta amplificatio eſt anima, & vita orationis, & ſententiarum ſertum, cùm juſta circumſpectorum verborum pondera contineat: hæc è converſo verbis, & nugis inani quodam ſtrepitu, ad imperitarum aurium inſidias luxurians humiliter intumeſcit.

3 Differt etiam amplificatio ab argumentatione, quòd argumentatio ſimplici rationis expoſitione rem enucleat; amplificatio verò in unum velut acervum plurima congerendo ſingula dilatat figurarum varietate, ac argutiarum lenocinijs. Argumentatio habet genus dicendi accommodatum argumentis explicandis, conciſum ſcilicet, & tenue: è contra amplificatio ſententiarum pondere, orationis ubertate, ambitus magnitudine, & ingenti quadam vi comprehenſionis impellit: Argumentatio duntaxat ad omnia quæſtionum genera, quæ in dubium cadunt, adhibetur: amplificatio verò noñiſi ad magnas, graveſque cauſas; tum quia finis argumentationis proximus eſt cognitio rei: Amplificationis verò motus: unde nonniſi re jam expoſita, & confirmata adhibetur amplificatio.

4 Ab alijs etiam definitur amplificatio plenitudo quædam, quæ ex omnibus rerum adjunctis, circumſtantijs, & locis commemoratis corroborat orationem, dicitur plenitudo non redundantia ad indicandum omne vaniloquium eſſe effugiendum, plenitudo enim non petitur ex inani verborum fuco, ſed ex optimis, quibúſque rerum adjunctis.

Fateor tamen nonnunquam evenire, ut tales ſint auditores, ut malint fuſo, ac luxuriantis ſermonis ambitu capi, quales ſunt Tyronum pueriles aures; unde ſolent cum iſtis Oratores veluti ſinuoſis orationis flexibus, ac meandris inter ſe recurrentibus ludere. Cæterû ſolida, ac aurea amplificatio preſſis illigata rationibus, & quæ ad ſuadendum nervum habeat, eſt omnino anteponenda tumidæ amplificationi, quæ verborum redundantia, ac fucis luxuriat.

Legitima enim amplifiatio eſt gravior di- 5
cendi modus, qui ex præexpenſis locis topicis non ſolúm intellectui Auditoris oſtendit probabile, quod Orator adſtruit; verùm etiam voluntatem ad eum movet affectum, imò vi quadam tacita impellit, quem Orator intendit. Hæcque amplificatio duplex eſt, rerum, ac verborum, illa ex ijſdem hauritur fontibus; è quibus argumentatio; à qua tamen differt, quia hæc in confirmatione diviſim, ac ſparſim ſua pertractat argumenta: illa verò plura argumenta unà congerit, quibus fortiùs animum moveat, flectat, ac vincat Auditoris. Ut ſi congerantur diverſæ ejuſdem rei definitiones, varij ejuſdem rei effectus, varia antecedentia, plura contraria, ſimilia, vel diſſimilia: exempla, teſtimonia, & alia id generis. Ut ſi virtus definiatur ſplendor humanæ mentis, nitidiſſima animæ rationalis gemma; ornamentum ſpiritûs; hominum decus; Numinis delicium, nitidiſſima orbis lampas, cujus ſplendore mortales æquè, ac cœlites illuſtrantur; ſerenum maris ſydus, quod ſubortos decumanos fluctus blandè componit; aurea anchora, quæ tumentes inter mundi procellas fluctuantem animæ ratem firmat, ac ſtabiliter figit; theſaurus, qui bellorum detrimentis non amittitur; navis, quæ naufragijs non obruitur; Serenitas, quæ non fœdatur nubibus, non temeratur caligine, non obſcuratur vapore; aura illa blanda; per quam, ſi vivimus, honeſtè vivimus, in cujus ſtudio, ſi morimur, beati ſumus; quam qui negligunt, humanitatem fugiunt, qui reſpuunt, lucem oderunt. Eſt virtus cujus beneficio ſalutaribus conſilijs viget Reſpublica; cujus ope floret humana ſocietas, cujus ſtudio conſervatur ſalus publica; optimis legibus muniuntur civitates; præclaris civibus replentur urbes, & benè conſtitutis urbibus mundus abundat. Amplificatio verborum fit per verba graviora, magiſque ſonantia, per tropos, per figuras ad animi affectiones, vel excitandas, vel coërcendas.

EX-

EXPENSIO II.

Exhibentur, & expenduntur germanæ amplificationis Formæ.

1 Dionyſius Longinus formam, ac methodum amplificationis, ex qua totus conſurgit orationis vigor, explicaturus noluit certis definire limitibus; aſſeritque formas amplificationis, ſexcentas eſſe, ſeu propemodum innumeras. Verùm ſi ſigillatim omnes ſpectentur, facilè reducuntur ad locos communes in ſecundo libro expenſos, vel ad diviſionem partium, vel ad ea, quæ ſub ſenſus cadunt exteriores. Cicero, qui in Senatu Romano civili eloquentia ſupra reliquos floruit Oratores *lib. 2. ad Hermium.* modum amplificandi in cauſis civilibus ad decem coarctavit capita; quorum primum ſumitur ab authoritate, quando commemoramus, quantæ curæ ea res fuerit Dijs immortalibus, vel Majoribus noſtris, aut Regibus, civitatibus, Nationibus, ac hominibus ſapientiſſimis: & ad hoc caput reducuntur teſtimonia tum divina, tum humana; & quò gravior authoritas eſt, eò illuſtrior conſurgit amplificatio. Secundùm, cùm conſideramus perſonas, in quas illatum fuit crimen, vel injuria, ut ſi totam lædat Rempublicam; ſi Superiores, & tunc eò creſcit delictum, & graviùs, ac acerbiùs mulctatur, quò creſcit dignitas perſonæ, cui eſt injuria illata. Tertium, cùm conſideramus, quæ pericula, incommoda, & mala ſint in Republica naſcitura, ſi delinquentes non puniantur, & ſcelera permittantur impunè graſſari. Quartum, cùm demonſtramus ex condonatione ſceleris, ac remiſſione patrati criminis plures audaciores fieri, ac paratiores ad ſimilia flagitia perpetranda, quos adhuc expectatio judicij remoratur. Quintum, per quod oſtendimus, quòd ſi aliter judicium feratur circa punitionem ſcelerum, nullam rem fore, quæ incommodo mederi, aut erratum judicium poſſit corrigere: & tunc non incongruum eſt exempla deducere, quibus oſtendimus res poſſe, aut vetuſtate ſedari, aut conſilio corrigi. Sextum eruitur ab animo præmeditato, ut cum oſtendimus ſtudio, & animo præmeditato patratum fuiſſe ſcelus, & voluntariū crimen omnem reſpuere excuſationem. Septimum petitur ab ipſa patrati criminis crudelitate, & oſtendimus acerbitatem ſceleris, ut graviùs puniatur. Octavum, quò oſtendimus crimen non eſſe vulgare, & obvium, ſed ob atrocitatem ſingulare, vel maleficium inuſitatum, & ad alios deterrendos à ſimili ſcelere eſſe graviùs puniendum. Nonum, quo patratum crimen conferimus cum alijs ſceleribus, ut cùm dicimus, majus eſſe, ac atrocius delictum Neroniana barbarie trucidare materna viſcera, quàm amicum interficere. Decimum, cùm omnia, quæ in gerendo negotio acta ſunt, quæque rem conſequi ſolent, exponimus, & per ſingulas circumſtantias amplificamus. Verùm hæ Ciceronianæ præceptiones ad eloquentiam potiùs pertinent civilem, & ad crimina damnanda, ac ſceleratos mulctandos.

Cæterum fontes, è quibus ſcaturiunt veluti pellucidi rivuli oratoriæ amplificationes, petuntur ab ijs fermè locis, ex quibus argumenta eruuntur; & præſertim ex illis, quæ uberiorem ſuppeditant dicendi ſegetem: Hinc valent primò ad amplificandum definitiones conglobatæ, conſequentia, concomitantia, antecedentia, contraria, exempla, & ſimilitudines. Secundò plurimùm afferunt ſubſidij figuræ, ut cùm exaggeramus aliquid per exclamationem, admirationem, objurgationem; figuræ ipſæ viam Oratori ſternunt ad amplificandum. Tertiò petitur amplificatio ab ijs, quæ cadunt ſub ſenſus externos, & tunc amplificatio tractatur per affirmationem, vel negationem, & ſolet plurimum habere aucupij, & ſuavitatis, ſi appoſitè fiat. Quarta à partium enumeratione recenſendo ſingulas ſubjecti partes, non ſermonis ſterilitate, ſed verborum redundantia per Hypothypoſin, ut ad vivum videatur res exprimi. Quintò ab effectis: & poriſſimum ab adjunctis, quæ ſunt antecedentia, concomitantia, & ſubſequentia. Sextò comparativè cum id, quod eſt amplificandum, cum alijs exemplis comparatur; vel cum alijs confertur actionibus, quæ vel minores ſunt, vel majores, vel pares, contrariæ, aut ſimiles. Septimò univerſaliter, ſeu à circumſtantijs, quia hæ ſequuntur univerſaliter perſonam quamlibet, & actionem. Octavò particulariter, & petitur hæc amplificatio à particularibus circumſtantijs perſonæ, ut à nobilitate, deſcendentia, ſcientia, virtute, fortitudine, juſtitia, temperantia, à beneficijs acceptis: hæ circumſtantiæ, quia non ſemper ſunt communes, dicuntur particulares. Nonò fit amplificatio pathetice ad movendos affectus animi, qui ſunt undecim ſex in parte concupiſcibili, amor, odium, gaudium, triſtitia, deſiderium, fuga: quinque in parte iraſcibili, ſpes, deſperatio, timor, audacia, ira. Decimò fit etiam amplificatio exornativè, & coaleſcit ex floribus compti ſermonis, & excultæ eloquentiæ: qui verò ſint hi flores amplificationibus inſerendi, dicemus infra. Undecimò ab hiſtorijs præcipuè, quæ eruuntur à gravioribus Authoribus, & quæ rem videntur aptiùs corroborare. Duodecimò ab adjunctis comprehenſis in illo verſu. *Quis, quid, ubi, quibus, auxilijs, cur, quomodo, quando.* Quamvis ſint plures aliæ amplificationum formæ, hæ tamen ſunt frequentiores, quæ uſurpantur à Rhetoricis Oratoribus.

Ut autem cum dignitate hiſce Orator formis utatur amplificationum, in id præſertim, neceſſè eſt, incumbat ſtudij, ut incorruptè dicat, & accuratè; artem, quâ utitur, non oſtendat, & quaſi non agens agat; ac non tenui venula per calculos fluat ariditati haud obnoxius in ipſo æſtu dicendi, ſed pleno amne redundet ubique tutus à metu ſiccitatis. Ille ſiquidem eſt verus Orator, qui verborum tor- 3

torrentem ita profundit; ut ſimul coërceat; ita laxat, ut ſi res poſtulaverit, eidem fræna injiciat, qui verborum, ſententiarúmque floribus alliciat, ac moveat; peracutis, conceptisque ingenioſè luminibus auditores excitet, ac rationum momentis ita cuncta firmet, ut partem nullam ſinat eſſe otioſam, ita ſuadeat argumentis, & exemplis, ut plenè perſuadeat; ac pugnaci dicendi genere, modò ad iracundiam; & indignationem animos inflammet; modò lenitate, ac manſuetudine mitiget, amore trahat, odio avertat, confidentia rapiat, timore retrahat, pudore ſuffundat, miſericordia flectat, æmulatione ſtimulet, deſpicientia retardet, ac tandem inquam partem ipſi placuerit, animos flectat adſtantium, ac pro arbitratu laxet, vel coërceat.

4 Non ſufficit, ſi Orator verborum redundantijs res minimas amplificet, & grandioribus æquet; ſed neceſsè eſt, in orationis ſtructura id præſtet, prout occaſio poſtulaverit, adeò ut ſimul ſuadeat utilia, laudet honeſta, decernat ſalutaria, tueatur æquitatem, alliciat ad virtutum culturam, avertat à vitijs. Amplificationibus uti debet Orator, ſed quæ ſint exculta eloquentia politæ, elegantijs ornatæ, figuris variæ; quæ divinarum rerum myſterijs obſcuris lucem immittant; nodos implicatarum difficultatum expeditè ſolvant; quæ res obſcuras verborum perſpicuitate illuſtrent, & verborum nexibus ſint veloces, graves, incitatæ, ſeveræ, fuſæ, adſtrictæ, & rebus accommodatæ, quæ circuitus complectantur verborum, & licèt pompam non reſpuant elegantiarum, à redundantia tamen, & affectatione prudenter abhorreant: quæ includant theſauros ſapientiæ, ſenſus opulentos, tractus leniſſimos, figuras, quà dignitate, quà venuſtate decoras. Quia verò diverſas plerumque perſonas Orator agit, non uno eodemque ſemper tenore fluere debet oratio, ſed modò melle dulcior blandè adſtantium animos pervadit; modò torrente concitatior præceps ruit; modò flumine gravior fluit, & exundat; modò blanda, lenis, pacata, ſedata, ſenſim in intimos audientium ſanſus irrepit, modò exaſperata crimen accuſat, & reum ad extremas injicit anguſtias, eò quia Orator videatur fulguribus tonare ſimul, & fulminibus ferire. Prudenter igitur Orator debet amplificationibus uti juxta exigentias rerum, & finem, quem intendit aſſequi.

5 Cæterum amplificatio ſolet etiam bipartiri in illam rerum, & verborum. Amplificatio rerum ex ijsdem petitur locis, è quibus eruuntur argumenta: differt tamen ab argumentatione, quæ in probatione, & confirmatione ſparſim ſua tractat argumenta: amplificatio verò plura ſimul argumenta congerit, ac veluti tela in unum colligit, quo valentiùs animum vincat audientis. Ut ſi Orator ſimul coacervet varias, & graves ejuſdem rei definitiones, vel effectus, vel antecedentia, vel plura contraria, aut ſimilia, vel diſſimilia, plura exempla, vel teſtimonia, quæ rem validiùs ſubjiciant. Conglobatè ab effectis virtutem amplificares, ſi diceres: Eſſe Numinis, & hominis delicium; humanæ mentis præſidium; animi ornamentum; opobalſamum ſuaviſſimum, poſt cujus odorem Cœlites ipſi currunt, & homines trahontur, nitidiſſimam gemmam, cujus ſplendore homines clareſcunt; ſplendentem cynoſuram, cujus nitore ſubortas tempeſtates in pelago hujus fluctuantis vitæ declinamus; tutam anchoram, quæ inter fluctus ratem animæ ſtabiliter figit; auream clavem, quæ cœli januam nobis aperit. De hac amplificatione per conglobatas definitiones, & metaphoras fuſiùs in ſequenti capite. Amplificatio verborum fit per graviora, ac magis ſonantia, & adhibentur tropi, ac figuræ ad motos animi excitandos: exigit hæc amplificatio delectum verborum, ut præcipit Cicero aſſerens: eſſe ponenda verba illuſtria ſelecta, quæ aures demulceant, & blandè in animum ſe inſinuent. Verba illuſtria ſunt, quæ habet Cicero pro Plancio: *O acerbam mihi (Judices) temporis illius memoriam, & loci, cùm hic in me incidit, complexus eſt, conſperſitque lachrymis.* Per verba gravia habet idem Cicero pro Milone ot: *Præmiorum ampliſſimum gloria, quæ brevitatem vitæ poſteritatis memoria conſolatur.* Per verba ſonantia ait idem Cicero: *polluerat ſtupro ſanctiſſimas religiones, Senatûs graviſſima decreta perfregerat.*

6 Sin verò velles virtutem amplificare, ſcitè diceres. Nil pulchriùs, jucundiùs nihil eſſe in homine poteſt virtute, quâ exornatus animus veluti in clariſſima, & ſublimi ſpecula poſitus infra ſe cæcutientes homines videt varijs implicatos erroribus, & pro veris bonis inanes, bonorum umbras proſequentes, pro vera felicitate fucatas, ac larvatas mundi ſectantes voluptates. Virtutem, qui excolit, aſt pius in Deum, comis in cives, humanus in hoſpites, liberalis in egenos, clemens in ſupplices, manſuetus, facilis, ac lenis in omnes, in promiſſis conſtans, in rebus contractis fidelis. Cicero amplificans Marcelli virtutem ait: Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes, ſed tamen ea viciſti, quæ & naturam, & conditionem ut vinci poſſent, habent. Nulla eſt enim tanta vis, tantáque copia, quæ non ferro, ac viribus debilitari, frangíque poſſit: verùm animum vincere, iracundiam cohibera, victoriam temperare, adverſarium nobilitate, ingenio, virtute præſtantem non modò extollere jacentem, ſed etiam amplificare ejus priſtinam dignitatem; hæc qui facit, non ego eum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum DEO judico.

EX-

EXPENSIO III.

De Amplificatione per metaphoras conglobatas.

1 HÆc amplificandi forma, quæ petitur à pluribus definitionibus fundatis in metaphora ſimilitudinis, ſeu proportionis, cum re definita, fit, cùm plures definitiones metaphoricæ rei ſimul coacervantur, ut cum recta, & munda conſcientia definitur ab Hugone: *Ager benedictionis; titulus religionis, templum Salomonis, hortus deliciarum, gaudium Angelorum, Arca fœderis, theſaurus Regis, aula divini Numinis, liber ſignatus, & clauſus, in die judicij aperiendus.* Vides agrum, titulum, templum, hortum, Arcam, theſaurum, aulam, librum eſſe metaphoras fundatas in proportione, quam præſeferunt, cum conſcientia munda, & pura.

2 Per has metaphoras conglobatas poſſumus amplificare adoleſcentem, qui inter perditos, ac corruptos ſæculi mores innocentiâ vixit incorruptâ. Cùm viderim Asbeſtinum Linum clareſcere purius, ac candicare illuſtrius inter flammas: cum viderim aurum metallorum purpuratum Regem inter flammarum globos uri, ſed non comburi, quid aliud mihi ſignificatur, quàm inviolata hujus adoleſcentis integritas inter corruptos depravati ſæculi mores? ipſe ut Asbeſtinum Linum illuxit candidior; ut aurum ſplenduit nitidior; ut lilium inter ſpinas, floruit integrior: imò veluti Arethuſa ſuis pellucidis laticibus per ſalſos maris fluctus citra noxam effluxit. Dixerim hujus adoleſcentis innocentiam victricem palmam, quæ ſterileſceores inter ſylvas ſata, fructibus fœta ubertioribus diteſcit locupletior; & quamvis pondere prematur, non tamen opprimitur: eſt ejus innocentia fulgentis ſolis deauratus radius, qui licèt cœnoſos, ac ſordeſcentes terræ tractus pertranſeat, nullam tamen inde labem contrahit: eſt concha fœcunda unionis, ſeu margaritæ parens, quæ turbidis in Erithrei fluctibus non infuſcatur; eſt Moyſis Rubus in Orebo monte, qui citra noxam flammis obruitur, quæ, ſi cingunt, coronant; ſi murmurant, plaudunt. Exardeant inſano igne impudici adoleſcentes; hujus innocentia erit velut adblandiens nix innocuæ lunæ prope ſphæram ignei elementi illæſa: exardeant inſanis flammis depravati ſæculi cæteri adoleſcentes; hujus innocentia Moſaici Rubri illuſtriora renovat miracula: eſt veluti nitidiſſimum ſydus, quod nocturnis involutum umbris irradiat clariùs: an non dixeris ſolemnes de Salamandra triumphos referre? cùm Venerei ignis inter prunas citra læſionem innocua ſervetur? An non dixeris eſſe candidiſſimum lilium inter punctæ Veneris ſpinas purius effloreſcens? An non Noëticam dixeris Arcam fluctuantes cataclyſmi procellas eludentem, & victrici carina aquarum vortices oon tam prementem, quàm perimentem? Deierant angues pellem, ſéque ſpolient veteribus exuvijs inter prærupta rupium ſaxa, ut novam induant juventam; quid ni innocentia inter adverſa effloreſcit vegetior, & adoleſcit pulchrior. Non me latet; Antheum ex lapſu, tactúque terræ Matris vegetiorem ſurrexiſſe ad pugnam: ſed innocentia ſine lapſu ſtat firmior, & ſi non de Hercule, de hoſte tamen tartareo triumphat illuſtrior. Pulchrior rideat Iris pluvij cœli inter lachrymas, nubiúmque gemitus altiùs eveharur ex ictu luſorius follis: immobilis perſeveret lux ipſa inter ventorum pugnas, & afflatus: frontem ſemper ſerenam, ac tranquillam ſervet Olympus, multo utrinque ad latera fulmine cinctus, & veluti montium rex ita emineat, ut ſyderibus videatur coronari. Spernat laurus accenſas irati cœli faces, contemnat fulmina, non timeat ſagittas. Splendeant nobiliores non contemnendæ Pactoli fluvij arenæ lutoſo in alveo. Illæſus perſeveret ſcopulus in maris gremio decumanis fluctibus diverberatus. Suos enitantur fœtus, cùm riget aſperior hyems in maris littore Alcyones citra timorem damni inferendi à fluctibus. Ercinia volucris in tenebris, nocturniſque caliginibus emicet ſplendidior. Illæſus maneat Trochilus in ore Crochodilli. Quidni innocentia noſtri adoleſcentis æquè naturæ, ac artis ſuperans portenta, & miracula inter corruptos ſæculi mores, inſanóſque Veneris ignes floret innocentior, fulget pulchrior, viget vegetior, & de hactenus enarratis naturæ prodigijs gratiæ adjutricis beneficio glorioſiùs triumphat. Vides in hac amplificatione, quomodo adoleſcentis innocentiam contulerim, cum pluribus rebus alijs tum animatis, tum inanimatis ob ſolam metaphoram proportionis, quâ innocentia inter ſæculi corruptos mores illæſa cum jisdem convenit. Vides, quomodo metaphoræ conglobatæ non exhibeantur uno, eodémque ſemper tenore, ſed per figuras varias, quibus blandiùs definitiones metaphoricæ alliciunt animos, auréſque demulcent auditorum.

Si velles inſignem aliquem commendare 3
Concionatorem, eumque promeritis excipere laudibus; rectè per metaphoras conglobatas ejus amplificares virtutes: Orator enim inſignis è ſacro ſuggeſto docet, delectat, movet, terret, deterret a vitijs, inflammat ad virtutum culturam: per metaphoras conglobatas dicerem; inſignes Concionatores ſacros eſſe Mercurios, cùm pacis caduceo, ſeu nervoſa ſuada Martis diſſidia, concepta odia, & excitata jurgia coërceant. Dicerem divinos eſſe Amphiones, qui eloquentiæ lyris non Thebanos, ſed militantis eccleſiæ muros conſtruunt. Dicerem eſſe Harmonicos Ariones, qui dulci concentuum ſono, ſi non marinos delphinos, peccatores tamen ad ſe trahunt, quos à procelloſo vitiorum pelago avocantes ad exercitia alliciunt virtutum: dicerem Herculés eſſe Gallicanos, qui ſi non aureis catenulis, aurea tamen eloquentia virtutis hoſtes vinciunt, ut vincant. Quidni ſunt hujuſmodi

Concionatores totidem cynoſuræ nocturno in hujus ærumnoſæ vitæ itinere rectam viam ad cœleſtem portum præſignantes: Sunt Phoſphori vincinæ autoræ, ſeu æternæ gloriæ prænuntij: ſunt nitidiſſimi ſoles, qui tot radijs, quot aureis verbis vitiorum caligines ab hominum animis excutiunt, veræque cognitionis diem parturiunt: ſunt ſagittæ: ſed divini amoris evibratæ ab arcu, quæ feriunt quidem, ſed Achilleo more, ſeu feriunt, ut ſanent; vulnera infligunt, ut altiùs virtutum radices figant: ſunt fulmina ſceleratorum hominum feras deterrentia: ſunt ſacri Orphei, qui non unicam tantùm extrahunt gratiſſimo lyræ ſono Phlegetontheis ab oris Euridicem, ſed plures hominum turbas in ſqualore peccati jacentes demortuas: ſunt Ariadnea fila, quæ è vitiorum labyrintho confuſos, ac implicatos extrahunt Theſeos.

4 Ab hac eadem forma amplificandi per conglobatas definitiones fundatas in metaphora ſimilitudinis amplifico larvatas carnis illecebras, & fucatas mundi voluptates, quæ licèt ridentem, ac arridentem exhibeant faciem, ſi tamen larvam iſdem detrahamus, nonniſi luctus produnt, & lachrymis ſcatent. Hinc quia nunquam meliùs loquimur, quàm cùm peſſimè de voluptate loquimur, acuenda eſt lingua, & calamus ſtringendus contra larvatas mundi voluptates; jugulanda eſt carnis voluptas, ne ipſa nos jugulet. Ut autem per definitiones conglobatas fundatas in metaphora ſimilitudinis amplificemus, & ſimul redarguamus hanc mundi voluptatem, neceſſe eſt, perpendamus omne id, quod in mundo ſimul placet, & damnum infert; mulcet, & torquet; blanditur, & cruciat: & ex hoc veluti alto genere obſtetricante tropica figura debemus excerpere metaphoras, ſeu res illas, quæ ſimul placent, & nocent, & proportionem habent cum voluptate hoc pacto. Quid ſunt mundi voluptates, quàm maris blandæ ſirenulæ, quæ voce, & cantu alliciunt, & placent, ut ungue & dente dilacerent, & interimant? Quid aliud? quàm Sodomiticæ telluris corrupta poma, quæ extimo cortice arridente colorum elegantiâ alliciunt, cùm intus non niſi lethale claudant virus, ac inanes cineres, ut nos edoceant, quàm futiles, quàm fucatæ, quàm inanes ſint blandæ Veneris allicientes voluptates, quæ vix prægustatæ pereunt; vix ortæ occidunt, vix natæ extinguuntur, quæ dulce propinant venenum, & ſub pulchro cortice ſerpentem fovent; ſub extima venuſtate putidam nutriunt turpitudinem. Quid aliud ſunt mundi voluptates, quàm Hyrcaniæ ſylvæ adblandientes pantheræ, quæ odoris ſuavitate viatores alliciunt, quos interficiant, & devorent? Voluptates adblandiuntur, ſed ut ſimiæ matres, quæ proprios fœtus inter amplexus ſtrangulant, & perimunt. Sunt roſæ purpureæ quidem, quia ob amorem igneæ, ſed quæ non effloreſcunt niſi inter vepres, quibus vulneratur ad necem, qui voluptatum floribus adhæreſcit. Sardonicæ ſunt herbulæ ad riſum quidem provocantes, ſed quæ mori cogunt in riſu: Sunt dulcia flumina, ſed quæ in mare devolvuntur amaritie refertum: Quid carnis illecebra eſt, quàm viſcus, qui alas implicat, & explicare ad volatum pennas prohibet, ne ſurſum feratur, qui ſinit ſe carnis voluptatibus allici: eſt hæc voluptas lympha, ſed maritima, quæ ſitim auget, non minuit: babylonicæ meretricis cryſtallinus crater, qui aureo voluptatis poculo venenum porrigit hauriendum, quo necem inferat bibenti: eſt papaver, quod oculos cœlo claudit: eſt avis illa indica, quæ teſte Plinio ſuaviſſimo cantu enecat. Hactenus recenſita, quia ſimul placent, & nocent; delectant, & damnum inferunt, conveniunt cum voluptate, quæ eruditè amplificarut per conglobatas definitiones fundatas in metaphora proportionis, & ſimilitudinis.

S. Chryſologus *ſerm. 3.* pacem amplificat à metaphoricis definitionibus conglobatis hoc pacto: *Pax inter fratres voluntas eſt DEI, jucunditas Chriſti, perfectio ſanctitatis, juſtitiæ regula, magiſtra doctrinæ; morum cuſtodia, dilectionis mater, concordiæ vinculum, puræ mentis indicium manifeſtum, Prophetarum vehiculum, Martyrum ſolatium, Virginum tripudium.* Subjicio amplificandum calamum D. Thomæ per metaphoras conglobatas, qui inter atramenti tenebras nitidiſſimum veluti ſydus illuxit. Redimendus eſt laude hujus Doctoris calamus, qui doctrinis literariam facultatem coronavit. Herculea fuit clava, quâ errorum monſtra profligavit. Achillis haſta infligens vulnera, ſed ad ſanitatem, & vitam: Aaronica virga, quæ ſimul flore eruditionis coronatur, & fructuũ pondere ornatur, vernam temperiem gravi cum autumno maritans: ingenioſiſſima acus, quâ D. Petri pluribus in partibus diſciſſum rete refarcivit: divini ſolis nitidiſſimus radius, qui ignorantiæ caligines, & errorum tenebras excuſſit, abegit: divini ſpiritûs aura, quâ ſteriliſcentia fœcundavit ingenia, & frigida inflammavit ad virtutem corda: formidandi cometæ accenſus crinis exitium prænuntians tartaro: Apellis ſanctioris penicillus tot imprimens miracula, quot lineas virgineis in chartis: flammeus enſis, qui ſi non deliciarum paradiſi Cuſtos, horti tamen militantis eccleſiæ vigil fuit excubitor: Noëticæ columbæ oleæ ramus, quo pacem toti præſagivit orbi, ac vitiorum cataclyſmo metas impoſuit. Phidiacum ſcalprum, quo divinæ ſapientiæ ſimulachrum ad prodigium usque ſculpſit. Mirum non ſit, ſi tantus Doctor in primo juventæ flore bos mutus diceretur; quid aliud fuit ejus calamus, niſi argentei aratri perſpicuus vomer, ut eccleſiæ agrum excoleret, ex cujus culcura plures eruditionis flores germinârunt, ac virtutum fructus eccleſiæ campus protulit. Fuit aquilæ calamus, cum præ cæteris Doctoribus altiùs avolaverit: imò melioris Promothei facula, quâ totum illuſtravit orbem, & ad feliciorem gloriam inflammavit; 5

movit: quis neget, hunc calamum ſanctioris Jonatæ fuiſſe melleum thyrſum, quo dulcedine hujus vitæ amaritudines aſperſit. Fuit Ariadnæ filum, quo è variorum errorum labyrintho plures extraxit Theſeos. Imò fuit errantis horologij certus ac verus index, dum & temporum brevitatem hujus vitæ, & totius æternitatis immenſitates ſignavit. Melioris Tarquinij fuit virga, quæ plura depreſſit capita errorum; aurea fuit clavis; ſed davidica, quæ veræ ſapientiæ ærarium adaperuit; imò fuit clavus navis eccleſiæ, quo moderante procellas, & naufragia declinavit.

EXPENSIO VI.

De Amplificatione petita ab eruditionibus conglobatis.

1 ID ornamenti eruditiones eleganti, ac excultæ conferunt orationi, quod hortorum nitelis, ac areolis tonſa diſtinctis myrto ingerunt flores; cum in earum ſinu adoleſcunt, è calice, è vagina protuberantes; ea depicti elegantia, tributi ordine, ut Midæ roſetum, Alcinoi amœnitates, ac Theſſalica Tempe elegantiâ ſuperent, ac venuſtate: Eodem ſiquidem munere funguntur eruditiones in oratione; ac gemmæ in annulis; nobiles cælaturæ in auro, vireta in pratis, uniones in conchis, roſæ in dumetis, ſydera in cœlo, purpura in prætexta; phaleræ in equis, ornatus in veſtibus; plurimum enim obtinent dignitatis, ſplendoris, ac decoris, ſi ſuis locis ritè adhibeantur. Sicut multiplex eruditio præſtantem reddit oratorem; ita neceſsè eſt, ut is plurimum impendat laboris in excerpenda à probis authoribus eruditionum variarum ſylva, quæ tamen non ſterileſcat, ſed gravida ſit fructu: ille laudandus, qui ad ſtudiorum finem, quem ſibi præfixit, opportuna excerpſit.

2 Declinanda omnino eſt, ac prorſus vitanda infelix illa diligentia, quæ nugas ſingulas, & apinas, affaniâſque ſolerti colligit ſtudio, vix unquam uſui futuras. Ad rem noſtram lepidum eſt, quod narrat Gellius: Homo nobis familiaris (ait ipſe) in literarum cultu haud ignobilis, librum grandi volumine mihi dedit doctrinis omnigenis (ut ipſe aſſeverabat) præſcatentem, quem ſibi elaboratum eſſe ait ex multis, varijs, ac remotis lectionibus, ut ex eo haurirem, quantum liberet rerum memoriâ dignârum. Accipio lubens tanquam copiæ cornu nactus eſſem, & recondo me penitus, ut ſine arbitris legam. At quæ ibi ſcripta erant proh Jupiter, mera Grammaticorum miracula! quo nomine fuerit, qui omnium primus Grammaticus appellatus: quot fuerint Pythagoræ nobiles, quot Hippocrates: Euriclia Telemachum quo genere clauſtri incluſerit, & quapropter idem Poëta roſam non nôrit; & oleum ex roſa nôrit: quæ nomina fuerint ſociorum Ulyſis, qui à Scylla rapti, laceratique ſunt: quis adeò verſus ſit, qui per ſingula vocabula ſingulis ſyllabis increſcat: & ex quinque operimentis, quibus Achillis clypeus munitus eſt, quod factum ex auro eſt, ſummum ſit an medium; quæ omnia, & alia id genus vix oratori ſunt uſui: propterea hæc excerpere perinde eſt, ac oleum perdere; & atramento virgineum papyri temerare candorem. Ad eruditiones referuntur hiſtoriæ ſacræ, & profanæ præſertim Romanæ, & Græcæ, quas breviter comprehendunt Florus, & Juſtinus ritus, & conſuetudines veterum, de quibus plura in Aloyſio Novarino, & Pontano in Atticis Bellarijs: fabulæ, & commenta Poëtarum: ſymbola, emblemata, Hieroglyphica, adagia, ſententiæ, dicta gravia, doctrinæ.

Poteſt Orator hos eruditionum flores amplificationibus attexere comparativè ſi ſubjectum, de quo eſt ſermo, comparetur cum re alia ex hiſtorijs, vel fabulis petita; ut ſi ſtrenuum exercitûs præfectum ſtaturâ corporis puſillum; ſed bellica virtute maximum vellet comparativè laudare; diceret: ſi corpore Alexandrum non excellit: virtute tamen æquavit: vel ſtaturâ corporis ſi fuit minor Scipione; longè tamen major fuit animo. Ex eo quòd Sereniſſimi Maximilianus Emanuel Elector Bavaricus; & Carolus Lotharingiæ Dux ſtrenuè in Hungaria pugnaverint pro Imperatore Leopoldo primo, ac pluries Turcas profligaverint, arcibus pluribus, ac urbibus occupatis, pulchrè dicitur. Cùm noluerit Imperiū Cæſaris ſanguinem Turcæ apponere; alios miſit invictiſſimos Duces, qui fuerunt pro Theodoſio Stilicones; tot ſiquidem legerunt triumphos, quot pugnas injecunt: terruerunt hæc duo belli fulmina Odryſias phalanges; concuſſerunt propugnacula; & cruentæ ſtrages; cæſorum clades Cæſari totam ceſsêre Hungariam. Habuit Imperator in Electore Bavarico Cæſarem redivivum, qui non priùs hoſtem viderit, quàm vicerit: habuit in Lotharingiæ Duce è Manium regione reducem Fabium cunctatorem; ille ubi in celeritate plurimum eſt momenti, difficultates ſuperavit, Turcas proſtravit, orbes ſubegit: hic cum morâ opprimendus fuit Odrylius Annibal cunctando deſtituit rem; reſtituit Religioni amiſſa regna; erexit collapſa altaria: inſtauravit temerata templa. Ille à Icone, quem gentilitiu defert in ſtemmate fortitudinem, ac ſpiritus generoſos mutuatus alter Pericles viſus eſt, qui in bello Athenis Leo crederetur. Hic veluti alter Perſeus, ſi non Andromedam, ſaltem defloratam, ac deploratam vindicavit Hungariam à Turcica fera. Per comparationem ad eruditiones excerptas à rebus inanimatis; ſi virum æquo animo tolerantem plura adverſa laudibus velles promeritis excipere; eruditè diceres. Ad novercantis fortunæ ictus perinde ac malleatus adamas nullum promit doloris ſenſum. Marpeſiam diceres cautem ſævientes eludentem procellas, vel ludentem follem luſorium ex ictu ſublimiùs aſſurgentem: Nubilum, ac tonantem injuſtè Princi- 3

pem illæſa excepit ſerenitate, ac crederes, mentis ſublimitate montis Olympi altitudinem exceſſiſſe; excelſior enim fuit, quàm ut ad eum doloris fulmina pertingerent; imò vibrata ab illo Joſue tela tantum in eum potuerunt, quantum gladius ſtellari Orionis contra ſolem; aut contra Perſei ſcutum trucior aſpectus. Decumanos adverſantis fortunæ fluct⁹ perinde ac æneus è ſinu maris emergens ſcopulus contudit. Hæc alia propoſitio; milites præmijs ad fortiter pugnandum alliciuntur, poteſt hoc pacto dilatari. Mihi crede, rete aureum, abſque mendacij ſuſpicione, promiſſa militibus ſunt præmia: hisce ſiquidem citra Timothei ſomnium veriùs victoriæ, & civitates; quin & militum animi capiuntur. Plures reperirentur Liſimachi, ſi quilibet ſuum haberet Alexandrum, qui delatas pro patria cicatrices congiarijs obſtrueret, ac vulneribus auro mederetur. Per ſimplicem verò comparationem eadem propoſitio dilatatur. Promiſſa militibus præmia imbres ſunt aurei, virtutem bellicam adeò proficuè irrigant, ut uberem palmarum meſſem ſpondeant, ac donent; aurea hac pluvia nutritur vireſcens ſpes Principum, nec ſuo fruſtratur fructu; aureo Macedonis aſello panduntur omnes januæ, etiam illa Jani; aureo pluat imbre martio in campo Princeps, & in hoc palmæ germinabunt, geminabunt milites victorias.

4 Per periphraſim eruditè amplificatur etiam propoſitio: ſit hæc dilatanda: Vir pius munificus, ac liberalis eſt in pauperes: ſic per periphraſim diceres. Miſerias, quibus in imum homines dejiciuntur egeſtatis vir addictus virtutum ſtudio veluti centimanus Briareus levat omnes, ut qui earum pondere premerentur, ſolatio recreentur: anguſtias eorundem maximis dilatare largitionibus id ei unicè volupe; nec unquam ſibi videtur beatior, quàm cum miſeros profuſis beat muneribus; nunquam felicior, quàm cum alienam abigit infelicitatem. Solem æmulatus calamitatum umbras aureo pecuniarum ſplendore è pauperum caſis diſpellit; adeò ut ejus appulſu dies ipſis videatur oriri; & nox atra triſtitiæ occidere. Tunc fortunam ſibi arridere autumat, cum alios fortunatos reddit; & opes aucto fœnore lucrati, cum gratuitò ultrò donat opem habentibus; eas perdere, niſi ſic eroget; plura tantùm appetens, quò dare plura poſſit. Quoties in carceribus inviſere miſeros cupit, eos voce & manu munera largiente ita ſolatur, ut ipſum ergaſtulum in Inſulam fortunatam videatur mutari; eam cenſens diem nigro ſignandam lapillo, quâ miſeris non profuit. Per periphraſim verò eruditam carpitur Petronius Arbiter, quem Tacitus vocat puriſſimæ latinitatis authorem admodum impurum; ſcripſit eleganti ſtylo orationes ligatas, & ſolutas. Qui calamum non acuit, quò hunc potiùs impudicæ Veneris aſſeclam, quàm Minervæ alumnum pungat, expungátque è Cithæriadum cathalogo; Parnaſſum non petat, ne impetant eum Heliconiades ſorores verbere acriùs, quàm verbo; expungatur è Vatum numero, qui quantumvis inter caſtalios hauſtus, caſtioris venæ rudis omninò vates meliùs de Nymphis, ac lenonibus; quàm de Muſis meritus eſt; myrto potiùs coronetur, ac baculo honoretur; quàm Apollinea donetur lauro; meretur verberibus puniri, qui verbis caſtas defloravit ſorores. Licèt ſplendentes veneres atramenti umbris effuderit; non tamen ipſe pulcher, cum ipſas turpitudines ſtyli floribus immiſcuerit, ac flores Latij eloquij impuro corrûperit calamo. Dignum nec putes laude ingenioſi capitis; capite ſiquidem caruit, cum frontem amiſerit totus effrons; omniqúe ſpoliatus verecundia: dignus potiùs, qui Tomitano Vati hic haud impar, ijsdem quibus paginam inceſſavit pedibus, in Ponticam ſolitudinem deportaretur, ut Scythicas inter nives multum calere dediſceret; ac Pontico gelu impunè calentem temperaret entheum; pectúsque refrigeraret entheatum.

Per quamdam prælationem, vel poſtpoſitionem ſcitè eruditiones orationi attexuntur. De Sereniſſimo Electore Bavarico Savum fluvium ratibus remo actis militari ſtratagemate nocte intempeſtâ unà cum Chriſtianorum exercitu trajiciente; obſidione vallaturo Albam Græcam, quam diſtricto gladio occupavit pulſis, vel cæſis Turcarum copijs cum ex Hungaria Monachium redux publico ſalutaretur plauſu, de præfato Savo fluvio per prælationem dixi. Tutiùs ac auſpicatiùs huic fluvio concredita fuit Chriſtianorum felicitas; quàm olim oceano, ejúsque decumanis fluctibus Fortuna Cæſaris: adeò exarſit bellicus ardor, ut fluminis fluctus eum remorari non valuerint; ceſſit aqua igni, ut hic aſſuetus in ſublime niti lunam Turcicam in propia ſphœra imperetet, eámque propriam ſibi ſedem faceret. Fortiùs tua hæc trophæa heroum bucinatricem formam urgebunt ad plenioribus buccis inflandas tubas; quàm olim bellica Cæſarum geſta: auſpicatiùs poſteros ad imitandum ſtimulabunt; quàm Themiſtoclem Milthiadis victoriæ. Ibi Martia tua virtus palmas victori gladio demetere didicit; ubi plures alij cum Tullo Hoſtilio iterato Pavori, ac Pallori templa voviſſent. Omnem ut excuteres timorem; ſpiritus, animúmque militibus addidiſti, cum plures aureos munifica manu fudiſti; pluribus tunc à tua liberalitate, quàm à ſeptenis Nili oſtijs ad hoſtes profligandos profluxerunt congiaria: æquè certâſti ferro, & auro; fortitudine, & liberalitate; illâ Julio Cæſari; hac Tito gloriam ademiſti.

Inſeruntur etiam venuſtè eruditiones per modum quaſi cauſæ; quo pacto de Galba Imperatore, qui regimen imperij, tribus concredidit Libertis acutè, ac eruditè dicitur. Tres conſtituit Libertos, qui libertatem imperio minuerent, urbi ſolatia; ne pauciores Romam; quàm Avernum furiæ affligerent. De milite Germano, qui in conflictu ferream 6

pe-

pectoris fortitudinem hoſtili gladio objecit; dicitur: reperita vulnera, fortiter objectu pectoris excepit, ut cæteris documento foret, Germanis æquè ac Spartanis pectus pro muro eſſe, non tamen credas vulneribus confoſſum cecidiſſe; quia ideo cecidit, ut ad uberius aſſurgeret honoris incrementum; plus enim gloriæ hauſit per aperta vulnera, quàm fuderit ſanguinis. De Maximiliano Emanuele Bavariæ Electore, qui bellica virtute victorias plures in Hungaria, & Belgio legit, dixi. Ultra Bavariæ limites, tuarúmque ditionom terminos tua promoves trophæa: gloriæ ſemina ſeris, quæ in fructus maturiunt incorruptibilis honoris, ut doceres magnos principes; quòd non ſolùm Macedonia Alexandrum non capit; ſed neque Bavaria Emanuelem.

7 Plerumque eruditiones plurimum præſeferunt illicij, ac delicij, ſi non fuſa narratione, absque verborum circuitu unà conglomerentur: hâc amplificandi formâ uſus eſt Clemens Alexandrinus, ut probet, diſcipulos ut plurimum cum doctrina mores exſugere magiſtri, ait: ſi quis Isomacho ſtuduerit, agricola fiet; ſi Lampridio, Naucletus; ſi Charidemo Imperator; ſi Crobilo, Coquus; ſi Perdici, Caupo; ſi Archelao, ſaltator; ſi Chryſippo, Dialecticus; ſi Ariſtoteli, Phyſicus; ſi Homero, Poëta; ſi Tullio, orator. Vides absque verborum circuitu recenſitas eruditiones; ac in unum conglobatas ſertum. Pari pacto varia corporis exercitia recenſeres, ſi in oratione diceres: Habet etiam hæc noſtra ætas plures, qui cum Annibale etiam in caſtris franguntur delicijs; qui cum Caligula didicerunt Conchas legere; inebriari cum Macedone; natare cum Julio Cæſare, piſcari cum Nerone, lucos adire cum Auguſto, ſylvas degere cum Academo, colles obequitare cum Carolo, metere colla papaverum cum Tarquinio; Muſcas venari cum Domitiano, prandere inter arbores cum Trajano; certare cum tergeminis Romanorum Horatijs. Si velles amplificare hanc propoſitionem. *Non omnes ijsdem delectantur homines.*, poſſes hoc pacto conglobare eruditiones: ſicut non omnibus idem genius, nec ingenium, ita rebus varijs delectantur homines: Athenienſes noctuâ; Perſas aquilâ aureâ; Oſiridem cane; Polyxenem juſtitia; Thebanos ſphinge; Aſſyrios columba, Demoſthenem donis fortunæ; Neronem piſcibus, Domitianum muſcis ſcimus delectatos fuiſſe. Diverſis itidem voluerunt nomenclaturis donari: Attila enim ſe dixit iram Dei; Tamerlanes flagellum irati Numinis; fulmen Pericles; Xerxem Togarum Lucullus; bellatorum terrorem Havius; Nerva principem bonum; Trajanus optimum; Alexander Macedo magnum; Titus aſpernatorem injuriarum; Theodoſius Condonatorem conviciorum. Eadem amplificandi formâ eruditè dilatatur hæc alia propoſitio. *Non omnis fert omnia tellus*, ſi dicas. Ut ſocietatis vinculo confœderarentur homines, qui longè, latéque diffuſos terrarum incolunt tractus, Id Dei præſtitit ſapientia, ne omnis ferret omnia tellus, ut homines hominibus exteris indigentes amicitias inirent mutuas, quas negotijs, & commercijs foverent: etenim Tyrus purpuras ſuppeditat; Hymettus, & Attica mel condiendis ferculis optimum; Trinacria ſaccarum, Apulia frumentum, Liguria oleum; colles Etruriæ, & Campaniæ vina; mare Tirenum corallium; Jonium Apuas; Iſthmus ſiculus piſces Xiphias cæteris delicariores, mare Ægeum pumices; erithræum uniones; Æthna, & Veſuvius flammas; Libanus Cedros; Olympus ſentes; Creta cupreſſos; Ægyptus palmas; Paphlagonia perdices; Arabia odores; Inſulæ Moluccæ caryophylum; Mollucæ, & Sumatra aromata; Zocotora Inſula Aloë; ſinus Arabicus margarita; Cambaya argentum; Ormus, & Arabia aurum; Nullum in Æthiopia timetur fulmen; nullis Olympi juga ventorum flabellis diverberantur; nullis nubium peplis obducuntur, nullis pluviarum humore madefiunt; terræ motus frequenter Græciam quatit; Gallias fere nunquam concutit; lupos non nutrit Anglia, Aſinos Pontus neſcit; fera nulla Cretam infeſtat; Ægyptus Crocodilos profert; Africa monſtrorũ fœcunda parens feras omnes nutrit in ſinu; Numidia dat Leones; Hyrcania tigrides, India elephantos; America Pſitacos, Peruana regio metalla pretioſiora. Sardinia noxia dat virera, plúsque dicitur habere aloës, quàm mellis; è contra Sicilia plus adfert mellis, parum felis. Ex fluminibus Pactolus auro fluit, Hydaſpes gemmeis fluctibus intumeſcit, Tagus divitijs ſuperbit; Padus populis eſt clarus; Fons Caſtrius olores educat. Cholchis phaſidem, Strymon grues parturit. Ex montibus Erymanthus cupreſſo ſqualet, Parnaſſus lauro vireſcit; Libanus Cedris grandeſcit; Imolus viribus coronatur; Vulcanus in Inſula Liparia perpetuo igne clareſcit; montes Anticyræ helleboro abundant; Theſſalia generoſos fert equos; Pontus venenis ſcatet; Carpatij montes reconditum in imis viſceribus conſervant aurum, Moſcovia ſylveſtribus feris, mercibúsque pellitis abundat; Polonia cera, & melle liqueſcit; Bohemia non fructus tantùm ſuis exhibet in campis; verùm etiam gemmas producit; Saxonia argenteis eſt dives Mineris; & Bavaria in Ilzio fluvio pretioſa margaritis. Immo in hominum etiam ingenijs varius eſt virtutis odor, ut & vitij fœtor. Græci enim ſunt ut plurimum incertæ fidei, ac dolis aſſueti; Cretenſes mendaces, Cilices ſubdoli; Alexandrini deriſores, Aſiatici molles, Perſæ otioſi, Scyri cupidi; Campani arrogantes; Galli agiles, & bellicoſi; Hiſpani graves, & meditabundi; Germani candidi, & conſtantes, Pœni fraudulenti; Itali ſinceri, & graves. Scitè Stob.

Nec omne cœlum proſpicit undique
Terras, nec omnis parturit omnia
Tellus, & in magnis relucet,
Diſcolor ingenijs venuſtas.

8 Quòd ſi eruditio non fuerit, obvia tunc Orator fuſiùs, & eleganter eam deſcribet, ut plenè innoteſcat: quia non omnes ſciunt eruditionem, nec virtutem Roſæ Hierichuntinæ: ſic poſſet deſcribi. Venoſus eſt frutex, odoratus ſi recens, ramulis duriuſculis, ac ſpinoſis, colore ſubflavo; bacculas habet racimatim cohærentes; foliola olivæ ſimilia, flores violæ candidos: non altè ab humo conſurgit; ſtudet humilitati, quàm exemplo fortiùs, religioſos homines edocet. Refert Saligniacus, prope fontem Eliſæi, hujus generis effloreſcere roſaria, quorum fœtus hujuſmodi ſunt Roſæ, vulgò Hierichuntinæ nuncupatæ. Cæterum quod mirabile eſt dictu: nocte quâ natus eſt Salvator mundi; hæ roſæ tametſi aridæ, & exſuccæ ſint, etiam centum annorum paulatim ſponte ſua incipiunt hiare, ac ſenſim ſe totas pandere, ut quæ priùs contractæ, ac prorſus areſcentes erant; mox expanſæ, vegetæ, ac quaſi vireſcere videantur; & dilapſa nocte natalitia ramuſculos iterum contrahunt, ac in priſtinum ſeſe glomum colligunt. Hæc omnia ipſemet meis diligenter obſervavi oculis Monachij in Bavaria. Accepi à quodam nobili viro hanc Roſam Hierichuntinam, quam per plures dies habui in meo cubiculo: ſub initium ejuſdem natalitiæ noctis Roſam extraxi è ciſtula, in qua Dominus ſervare conſueverat; caulem prorſus exſuccum, & aridum pauxilla ſub aqua intra vitreum vas merſi, ut tamen ramuſculi prorſus contracti in glomum non madefierent; hora decima ante mediam noctem luſtravi diligenter fruticem, in quo nihil novi potui deprehendere; abivi, ut precibus matutinis, ac ſolemniori miſſæ in choro cum cæteris intereſſem; hora ſecunda poſt mediam noctem iterum adivi cubiculum, & Roſam Hierichuntinam vidi pleno ſinu pandere, ac ramuſculos ad virorem vergentes omninò dilatari; ſequenti nocte cœperunt iterum ſe contrahere, caule in eadem aqua licèt merſo. hoc admirandum pia fidelium devotio Virginei partûs honori communibus ſuffragijs adjudicat. Cæterum variæ ſunt, ac multiformes roſarum ſpecies: aliæ anguſto foliorum galero totæ conrectæ, faſtigiatum pyramidis acumen primùm abſolvunt, corpus reliquum viridanti vagina continent. Aliæ diu collectos in ſinu amictus lætæ exſinuant, ac foliorum totam oſtendunt pompam, patulóque ridentis calathi honore incluſi ſeminis aureum produnt crocum. Sed umbratilis, ac caduca eſt omnis roſarum gloria, fucatus luxus; florent, luxuriántque virgineæ roſæ rore matutino refectæ, ac veluti cœleſti lacte ad pinguedinem fartæ; ſed pauculas poſt horas concidunt devenuſtæ, & deficiunt veluti inter fœminas aniculæ, quæ decus omne amiſerunt edentulæ, exſuccæ. Heu quàm præceps jactura formæ! vix ortæ, vix gloriam nactæ conſeneſcunt, terrámq; nutricem deciduis ſuis obducunt exuvijs: quæ denſâ comarum purpura riſerant; modò collapsâ foliorum pompâ ſqualidæ languent, ac lugent. Talis vitæ noſtræ conditio: fugit ætas, avolat juventus, evaneſcit virilitas, ac ſenectus deficit.

9 Scitè itidem eruditiones nectuntur orationi per modum ſententiæ, ut ſi dicas, vix ex centum unum in caſtris militem invenies, qui ſenſûs non vincatur illicijs; pulchriùs hoc idem ſignificares hoc alio modo: Rarus eſt Annibal, quem Cannæ non vincant: Rarus Mars, quem Venus non ſpoliet; in Martis caſtris fortiùs illicijs, ac blandimentis pugnat, expugnátque milites Venus, quàm Bellona, gladio & haſtâ. Hæc alia propoſitio citiùs auro, quàm ferro expugnantur in bello arces ſic eruditè exhibetur. Auri præeunte ſplendore patet ad arces omnes acceſſus; & aureus Macedonis illuc penetrat aſellus, ubi bellico ariete in caſſum milites mœnia quatiunt. Hæc itidem propoſitio: qui victoriâ abutuntur, plerumque victoriam amittunt: ſic eruditè vertitur. Qui non rectè victoriâ utuntur poſt collectas palmas, ferales congerunt cupreſſos; ſæpius bellicis laboribus diu conquiſitam gloriam, ut Annibali, Capua extinxit; & quam bellica virtus in campo martio complexa eſt laurum, Venus in Gynæceis infregit. Per oppoſitionem, ſeu oppoſita, veluti antitheta eleganter orationi eruditiones inſeruntur: ut mallem videri Oſyrides, quàm Typhon (ille ſobrius, hic obeſus, ac ſtupidus fuit) vel Felicitas Codrum ſequitur; Crœſum perſequitur, (ille pauperrimus fuit; hic divitijs abundavit.) Vel plures hæc ætas dat Ægiſthos, quàm Hippolitos (fuit Hippolitus ſtudioſus caſtitatis; & Ægiſthus ſceleribus patrandis propenſus, de quo Ovidius de Remed. amor. lib. 1. *Quæritur Ægiſthus quare ſit factus Adulter. In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat.*) Vel à fœminis, plures recenſeres Phædras, quàm Penelopes (fuit hæc cultrix caſtitatis: Phædra verò Minois Cretenſis regis filia amore Hippolyti privigni capta paternum thalamum fœdare nitebatur) Per confutationem etiam venuſtè utimur eruditionibus in oratione; ut cum dicimus: Apage ferale Herodis convivium; ubi non plus hauritur vini, quàm ſanguinis. Conſueverunt Græci in Philotheſijs propinare plenis faucibus amico ſalutem; hic innocenti Joanni Baptiſtæ capitis amputationem: & in vino ubi luxuria plenis velis enavigat, innocentia naufragium patitur. Non hic Sybaritico luxu infames cœnæ terminantur faſtidio; ſed clauduntur ſanguine Innocentis. Non contenta libido vinum fudiſſe; ſanguine è ſecto capite ſaliente voluit etiam inebriari; ut quæ more comederat Lapitharum; amore biberet correptæ libidinis. Apage ad umbras Tartareas ferale convivium, ne cæteris ſis ampliùs horrori.

10 Si velles laudibus excipere Chriſti præcurſorem, eò quia exultaverit in utero Matris, poſſes quaſi contemptim per confutationem rejicere eas non obvias eruditiones, quæ infantibus, in ipſis cunabulis ſunt laudi; hoc pacto: ſileant garrulæ Thebæ primam ſui Herculis victoriam, cum vix natus Martium cam-

campum nactus in cunis aptavit lacteos ungues ad angues diſcerpendos. Taceant anteacta ſæcula Seleuci anchoram miro ludentis naturæ artificio in ejus crure antequam naſceretur; ſculptam; ut inſtrumentum ſpei non niſi præclara de puero ſponderet. Nil dicant de Zoroaſtro, qui vix natus, gaudio primam hujus lucis ſalutavit uſuram, & uſitatis humano generi lachrymis riſum ſubſtituit: Certè majus Gratia conceſſit Joanni Baptiſtæ privilegium, cum materna nondum eductum ab alvo edocuit repetito ſaltu in cœlum niti.

11 Si vellet Orator hortum amœniſſimum amplificare, per rejectas eruditiones diceret: quemadmodum nullam cum cryſtallo adamas, cum ſydere lucerna, cum auro plumbum cognationem habent; ita noſtri amœnitas horti longè cæteras excedit delicias, quas Semiramidi exhibuerunt toties decantati horti penſiles, quibus cœlum ſuam terris videretur felicitatem communicâſſe. Nullus de grege Poëtarum huic Heſperidum objiciat hortos; licèt proceræ arbores poma non dent aurea, nec vigili indigeant Dracone; fructus tamen ferunt, quibus neque auri pretium æquares: nil profuit Mydæ aurea ſupellex pellendæ fami minus apta, oculos poteſt ſuo ſplendore oblectari aurum; non deficientes corporis vires reficere. Veris Eliſijs in hoc Tibure commenta fabularum neceſſe eſt, palmas cedant. Hujus nitelæ, ac areolæ id exhibent amœniſſimæ elegantiæ floribus è calice, è vagina protuberantibus, ut Midæ roſetum, Alcinoi Amœnitates, & Theſſalica Tempe in campos ſentibus impervios, urticis obſitos, vepribúſque obductos videantur degenerâſſe: cæteræ enim hortorum deliciæ inamœnæ ſunt, ſi hiſce conferantur amœnitatibus, quas ſuas luſtrantibus areolas, ac itinera exhibet hortus noſter: eſt enim irriguus ubertate fontium, ac purpurea lucis amœnitate lætus; ſpecies ipſa diſcoloris amœnitatis lætiſſima eſt; odorum ſuavitas, quæ è ſinu diſſlatur florum, adeò varia, adeò blanda, ut paradiſum videatur exhalare: variarum avicularum concentus jucundiſſimus, ac bellè cadentium aquarum obmurmuratio; nec non auræ per ſylvarum umbrifera diſcrimina adſibilantes, tantam affundunt animo jucunditatem, ut oblivionem inducant omnium curarum. Plerumque eruditiones confutantur per particulas nequidem, nec ipſe; ut: hanc cum Momo inire ſocietatem nequidem ipſe Conſus, qui à conſilijs dicitur Numinum fuiſſe, mihi ſuaderet. Nuptias cum Lucina contrahere nec ipſa mihi Suada perſuaderet. Nequidem ipſe Ulyſſes hujus adblandientis Syrenulæ inſidias eluſiſſet. Nec Syracuſæ tanti ſuum facerent Archimedem, ſi Coſrois fabrefacta moles ad Matheſis regulas adduceretur inſpicienda.

12 Eruditio, hiſtorica præſertim, ita per confutationem attexitur orationi, ut priùs fusè, ac ornatè recenſeatur; poſtea per alterius prælationem rejiciatur; hac arte principem bellica virtute invictiſſimum, delatiſque victorijs toto orbe celeberrimum orator commendaret recenſendo priùs geſta Alexandri Macedonis, cui laudandum poſtea præferat Principem; hoc pacto. Nun me latet Macedonem Alexandrum fulmen illud tonantis Martis, ac terrorem totius Eoi fuiſſe trophæis inſignem, victorijs celeberrimum; eò in Macedone exarſit gloriæ ſitis, eò crevit provehendi nominis fames, ut nec Ganges, nec Eufrates ſitim illam valuerint extinguere; neque Perſarum fructus, nec totius Aſiæ Annona rabidam illam explere famem. Non ſolùm parùm illi fuerat, Macedoniam à Philippo Parente, & Græciam recepiſſe; parum totam Perſidem armis domuiſſe; totam Aſiam hoſtili ſanguine irrigâſſe, ac proprio ſubieciſſe dominio; verùm & deſiderio tenebatur expugnandi, quos Democritus ſomniaverat, plures mundos; tanta fuit generoſæ indolis vis. Sed ſinat Curtius Alexandrum ſuo jam quieſcere in cinerario; Manes parva in coryla jam poſſident Magnum illum; cui univerſi totius poſſeſſio exigua fuit. Ne Macedonia ſuo deinceps Alexandro inſolenter tumida aduletur. Alium hæc ætas noſtra admiratur Alexandro Magno longè majorem, qui non Macedoniam tantùm; ſed orbem totum ſujs illuſtrat bellicis facibus, ornat victorijs, exhilarat triumphis. Fateor Macedonem fuſo cruore Aſiæ agros irrigâſſe, ut ampliorem colligeret palmarum meſſem; ſed adhuc anceps hæreo, an plus vini fuderit, quàm ſanguinis; cum aſſerant hiſtoriarum monumenta fuiſſe æquè trophæis inclytum, ac temulentiâ infamem: neque in Macedone virtus bellica citra vitij probrum adolevit; cum & ipſas laureas cæde fœdaverit amicorum; certè Alexander Macedo licèt alios vicerit; ſe ipſum neſcivit vincere; ſecus noſter Princeps ita hoſtes ſuos profligavit, ut ſe ipſum ſemper vicerit; ita exercitum duxit, & alios ad nutum flectere potuit, ut ſibi ipſi jugiter imperaverit; dupliciter victor hoſtis, & ſui. Hinc ſuæ propaginis arbor præcelſa bellica virtute ad triumphos exculta, Martióque ſudore irrigata triumphalem ſuccrevit in palmam; ut etiam nunc flectatur in arcus, & aſſurgat in trophæa; ac de ipſa verius credatur, quàm quod olim de ſylva Dodonæa, ex qua nonniſi Deorum inſignia, Ducum clavæ, ac victoriarum trophæa fiebant.

13 Venuſtè poſſunt itidem eruditiones in acumen trahi, quo pacto de Nerone, qui cùm Roma flammis flagraret citharam è præcelſæ turris faſtigio pulſavit tali delectatus ſpectaculo, cecinit ille.

Vincere Thebani tentat miracula fabri:
Condidit ille urbem, deſtruit iſte lyrâ.

14 De Principe, qui bellica virtute, & probata prudentia obvias quáſque ſuperat difficultates, eruditè dicimus: non mirum, ſi difficultates rideat, eſt contra nodos Gordios gladios Alexandri; non Macedonia tantùm; ſed etiam Bavaria ſuos parturit Alexandros.

De Matre Machabæorum ſiccis oculis ſuadente filijs ut fortiter mortem ſubeant, ſcitè dicitur. Maternus dolor Niobem effecerat; & in fœmineo pectore maſcula fortitudo non in ſaxum, ſed adamantem ſolidavit.

15 Cùm verò eruditiones inſeruntur orationi per rei deſcriptionem; tunc brevitati neceſſe eſt orator ſtudeat, ac claritati, ſimúlque ſtylo utatur preſſo, & eleganti, qui præſeferat aliquid ingenij, & acuminis pro ut res patitur, ut nonnihil habeat illicij, & aucupij; ut ſi diceret. Achates nobile obſtetricantis naturæ opificium in Regis Pyrrhi annulo Apollinem citharæ pulſantem fides, novémque Aonides ſorores proprijs diſtinctas inſignibus effinxit. Quòd ſi tantùm vocem, ſonúmq; addidiſſet, fuiſſet ibi verus Parnaſſus factus, non fictus; nec rudi in rupe, ſed nobili in gemma. Ponuntur etiam eruditiones obiter, & quaſi perfunctoriè ad majorem rei claritatem: ut ſi velles laudare ad vivum delineatam aliquam effigiem omninò prototypo ſimilem; eruditè diceres: ſuperat hæc una pictura Parrhaſij linteum, uvas Zeuzidis, elaboratas omnes Timanthis effigies.

EXPENSIO V.

De Amplificatione petita à fonte ſententiarum.

1 SEntentiæ non invenuſtè orationi inſeruntur, quam efficiunt gravem, ac majeſtate decoram; ſi plures fuerit oratio ſententias complexa, perinde fluit, ac regale flumen, quod pleno alveo citra omnem ſiccitatis ſuſpicionem delabitur ſine murmure, absque ſalebris. Tametſi ſententia ſit judicialis definitio, quæ controverſijs ſolet finem imponere, & cui tenentur partes oppoſitæ acquieſcere; eò quia cenſeatur ſemper ſententis ex Ariſtotele eſſe æqui, boníque viri judicium rectum; nihilominus juxta noſtrum inſtitutum eſt ſententia pronunciatum quoddam de his univerſalibus, quorum actionibus proſequimur, vel declinamus, quæ vitam reſpiciunt humanam. Hac amplificandi formâ matres ululantes contra carnifices enecantes pueros innocentes juſſu impij Herodis Regis dehortamur à fletu, ac ejulatu. Parcite flentibus ululantes matres nato in terris DEO innocentes debentur victimæ. Regem decet purpura; non fulget hæc nitidiùs, quàm innocenti imbuta cruore. Si ſanguinei imbres terram irrigant, roſas hæc dabit, cœlo, quàm terra digniores. Innocentiæ flores nunquam ſuaviùs olent, quàm inter cuſpides, ſive ſpinarum, ſive gladiorum; Agneli erant immolandi, cum Agnus in ara crucis ſit crucifigendus. Nil ſanctiùs impenditur, quàm quod Deo immolatur. Non amittitur, quod DEO datur, ſed in cœleſtem admittitur theſaurum aucto fœnore iterum recipiendum. Licèt tyrannus ſæviat in cæſam prolem, cæſariem ne lacerętis ſtolatæ matres; innocentia, quò vulneribus magis ſaucia; eò triumphat integrior; hæc vulnera plus fundunt gloriæ, quàm ſanguinis. Ubi ad cœlum tranſit oblatio parvulorum, æquum eſt, ceſſet in terris matrum ululantium lamentatio. Nullibi pulchrior patet ad cœleſtes triumphos ingreſſus, quàm per inflicta hæc vulnera. Manum arcere tyranni non pietatis hoc opus, ſed proprium crudelitatis officium: non æquo animo innocentes parvulos has per cruentas cædes dimittere, perinde eſt, ac eos ad gloriam nolle admitti. Parcite igitur ululatui; perperam pretium pro filijs lachrymas funditis, non emollitur lachrymis, quæ ferrea igneſcit rabies; ululatus non audit furor, ubi cladibus inhiat: non flectitur barbaries precibus, ſed irritatur. Vides in hac amplificatione conciſas perjodos tot includentes ſententias, quot varios complectentes ſenſus. Si dicas; præſente Principe generoſiores hauriunt ſpiritus milites, qui de hoſte triumphant; habet hæc perjodus ſenſum nimis vulgarem, & obvium; plurimum tamen includeret elegantiæ ſi per modum ſententiæ diceres. Te in aciem prodeunte confeſtim patuit, quantum in caſtris poſſit galeata majeſtas. Nullum ad victorias actius incitamentum principis præſentiâ.

2 Plerumque gravi quodam epiphonemate ſolet veritati ſententiæ acclamari, ut cum dicimus. Hæc eſt rerum humanarum deploranda conditio; hæ ſunt vices, ut calamitas calamitati viam emolliat; & ſuborta infelicitas alteri mox naſcituræ opem ferat obſtetricis. Satis innoteſcit toti orbi, infortunia perinde ac tonitrua, quæ pugnantium ſunt minæ nubium, raró ſolitaria incedere: quia ea obtigit homini ſors poſt paradiſiaci mali eſum, ut malorum catenam traheret à primo illo malo malè deglutito prodeuntium; poſt unam procellam neceſſe eſt, aliam exſpectet. Vix Libithina nobis præmaturo obitu Principem eripuit: & nova jam exoritur belli procella. Vix ceſſavimus à lachrymis; & jam adigimur ferro ſanguinem fundere. Fractis oculis fractum ab inexorabili Fato flevimus Principem; nunc fractis membris ſanguineo fluxu Reipublicæ lugemus excidium; extrema noſtri gaudij bini luctus occupârunt; illud Princeps, eum viveret, invexit; in id incubuit ſtudij, ut omnibus foret ſolatio, nulli moleſtiæ; ſubditorum miſerias ſcire voluit, ut levaret: hæc enim dos maxima Principis, miſeros feciſſe felices: oris comitate agreſtia dedolavit ingenia, & à morum barbarie ad elegantiora, ac mitiora inflexit inſtituta: ubique miſerorũ vota præoccupavit, precariá peroſus gratiam; non ignarus, illud inter beneficia principe loco donandum, quod gratuitò quis elargitur. Non ſolo ſtemmatis pretio, ſed geſtorum etiam nobilitate laudem ſuam conſtare voluit, miſeram arbitratur conditionem, ubi nihil moribus, ſed omnia majoribus tribuuntur. Avorum præclaris geſtis umbras injiciunt Poſteri, ſi virtutis deſtituantur

tur nitore. Nil turpiùs quàm ab ijs degenerare, à quibus in ſtemmate nobilitas derivatur. Princeps, quem nobis invidia Libithinæ eripuit, nonniſi propia paſſus eſt clarêre virtute; ſolem imitatus, qui ſui luminis eſt faber; non ſydera, quæ ſuos à ſole mutuantur nitores; ej⁹
2 culturâ floruerunt civitates, viguerunt leges, militiæ præſidijs fuerunt oppida firmata; ſcientiæ, & artes ſua ſuſceperunt incrementa; nec tot prata floribꝰ luxuriant, nec tot margaritis fulget Erithræum; non tot micantium ſtellarum ignibus nocturnum emicat cœlum; quot fuerat ipſe ornatus virtutibus, quas ad ſummam excoluit laudem; iraſcibilem, ac concupiſcibilem ita coërcuit, ac ſi non habuiſſet; verè princeps, veriſque Imperator, quia ſibi imperavit.

3 Scitè ſententiæ eo artificio inſeruntur orationi, ut vicem gerant cauſæ rei, de qua occurrit ſermo, quo pacto de cultore Virginis matris dicitur. Ita tu Domino inhæſiſti, ut Ancillam quoque Domini à cultu non excludas, & affectu; & quidem rectè; quia ille non bene vitam deligit, qui non diligit vitæ matrem; hiſce poſtremis verbis per modum ſententiæ aſſignatur cauſa, cur Virgini Matri debeatur cultus. De Juvene præcoci virtute claro eadem forma inſerendi ſententiam loco cauſæ dicimus: quæris, cur ipſo ætatis Vere virtutum exhibuerit fructus, quos alij vix in Autumno donant; exiſtimavit ſterilis ingenij argumentum in ſola herba diu præconceptam ſpem alere; ratus plerumque ſpem alere, & fallere; vides cauſas per modum ſententiæ aſſignatas.

4 Referuntur etiam ſententiæ non invenuſtè, ſi ex poſitione unjus alia oppoſita referatur, ut in hoc exemplo. Credas mihi, Palinodiam canet, quisquis hactenus autumaverat, in bello plurimum conferre momenti celeritatem: nam cunctatorem illi Fabium morâ invictum ſtatim Romanorum objiciunt monumenta; is ſiquidem Pœnum lento moderamine luſit; quòd ſi velis utrumque componere; feſtina tu lentè. Hoc aliud poteſt exemplum produci. Falleris, qui putas iram cotam eſſe virtutis, & hujus præbere exercitium non exitium; falſitatis re redarguet Claudianus inquiens: *Dijs proximus ille eſt —— quem ratio, non ira movet.* Uſus ſententiarum venuſtus in oratione eſt per ſenſus ſynonimos; ſeu ſi ſimilibus ſententijs, etſi ſub diverſis allegorijs res eadem confirmetur. Ab hoc loco Juglaris hanc propoſitionem: Plerique ſibi perniciem in clientibus educant; ſic amplificat. Lactamus ſæpe catulos miſeræ matres, qui noſtra poſtea depaſcuntur ubera. Rigamus aſſiduo ſudore cicutam, quæ mox in culmum adulta nos enecat. In noſtris incudibus ferrum acuimus, quo vulnerati cadamus. Non unum ſuus torquet vitulus Perillum.

EXPENSIO VI.

De Amplificatione ab enumeratione partium.

Laxus amplificandi campus peti etiam ſolet ab Oratoribus à partium enumeratione, ſeu à diviſione totius in ſuas partes, vel generis in ſpecies: ſitque, cum quod ſummatim dici poteſt, latiùs per diſtributionem totius in ſuas partes verborum redundantiâ, ac figurarum varietate explicatur. Omnis enim propoſitio, cujus ſubjectum, & prædicatum eſt totum diviſibile, amplificari poteſt per inductionem in ſuas partes. Ut ſi dicas; Vitam hominis pluribus eſſe miſerijs obnoxiam: hoc totum, quod eſt vita hominis, & ſimul ſubjectum propoſitionis, amplificatur, ſi dividatur vita in ætates, quibus conſtat, ut ſunt infantia, adoleſcentia, juventus, ætas adultior, & ultima ſenectus, quæ ſingulæ, ſi probentur eſſe plenæ miſerijs, amplus patet amplificandi campus, rurſus etiam prædicatum poteſt in ſuas partes dividi: miſeriæ enim, quæ ſunt prædicatum præfatæ propoſitionis dividi poſſunt in illas, quæ animam affligunt; & alias, quæ corpus torquent: ruſus ex miſerijs aliæ ſunt à nobis ipſis, aliæ proveniunt ab extrinſeco, ut à fortuna; vel ab adverſarijs: & ſi Orator has omnes recenſeat miſerias latiſſimus ei campus aperitur ad oratoriam amplificationem. Perſius varia hominum ſtudia ſcitè amplificavit à partium enumeratione. 1

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus,
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat ſub ſole recenti.
Rugoſum piper, & pallentis grana Cymini.
Hic ſatur irriguo mavult turgeſcere ſomno,
Hic campo indulgens, hinc alea decoquit ille.

Et Ovidius 2. *Metamorph.* à partium enumeratione per Hypotypoſim ſic deſcribit invidiam. 2

Surgit humo pigrè, ſemeſorùmque relinquit
Corpora ſerpentum, paſſùque incedit inerti,
Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto;
Nuſquam recta acies, livent rubigine dentes;
Pectora felle virent: lingua eſt ſuffuſa veneno.
Rurſus abeſt niſi, quem viſi movere dolores,
Nec fruitur ſomno vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo
Succeſſus hominum, carpitque, & carpitur una,
Suppliciúmque ſuum eſt;

A Partium enumeratione amplificatur hortus domeſticus, quem ad omnes amœniores delicias hortulanus excolit. Hic in quatuor angulos quatuor areolas extrinſecùs rectis lateribus, intrinſecùs autem voluptuoſe cuſpidatas, vel in ſpiram convolutas deſcribit. In meditullio virentem ſtellam radios utrinque ſpargentem ex Tarentina myrto effingit, areolas immiſſis teſſellis diſtinguit, & teſſellas pulvinis munit: tenuiores ſulcos ducit, ſtrias, lyráſque minores interponit. Quatuor latera in crucem interſecat, & ipſas 3

areo-

areolas bivijs, trivijs, & quadrivijs decuſſat, latera, tamen ſpatiantem ſemitam, & per quatuor latera pertinentem, quaſi pomœrium deſcribit. Horto confecto, & extructo, flores in areolas, teſſellas, pulvinos, thoróſque diſtribuit, viarum crepidines, vel roſario, aut alio ſpinoſo propugnaculo obvallat: ex floribus diligenter notat, qui ſint humiliores, qui medij, qui proceri ad colorum etiam attendit varietatem, cœruleas violas, nigra vaccinia, alba liguſta ſuos centuriat in manipulos. In umbilico horti heliotropium figit ſolis æmulum, cui prætoriam cohortem deſcribunt haſtata lilia, purpurei anemones, cerulei hyacinti, candicantes Narciſſi, & reliqui fœcundæ Floræ fœtus ad tam ſingularem amœnitatem, ut Adonidis, vel Alcinoi dixeris hortum, vel campos Elyſios ſuam hic ſedem fixiſſe, cùm omnia ſint aptè in areolas, & pulvinos diſpoſita, & è floribus illi è calice, iſti è vagina, alij è gemma protuberent tali ordine, temporibus, ac ſpatio, ut ſi unus moriatur, alius illicò ſubnaſcatur, ne horti amœnitas exareſcat.

4 Cicero à partium enumeratione frequentes habet amplificationes. Oratores itidem ſi ſingulas partes recenſeant, laxè amplificant, ſit propoſitio amplificanda: *graſſante bello milites nullo coërciti fræno ſingula ſus dèque evertunt.* A partium enumeratione poteſt hoc pacto amplificari: Irruentes in urbem milites nudato non tam vagina ferro, quàm corde omni pietate, huc, illucque effrœnes diſcurrunt, æquè aurum, ac ſanguinem ſitientes: pede ſacrilego ſacra templa ingrediuntur, ſanctuaria profanant, rapaci manu altaria ſpoliant, ſacra vaſa, in profanos uſus commutantur, penſiles extinguunt lampades lucem averſantes, ac propterea malè agentes. Vides, ſed non ſiccis oculis obtruncatas, laceratas, deturpatas per ludibrium Sanctorum imagines, & omnia tum divina; tum humana jura peſſumdata; inflammatas arces, diruta mœnia, ſolo æquatas domos; vides adoleſcentes in ſervitutem adductos, pubeſcentes pueros è gremio plorantium matrum per vim abreptos, & partim in ipſo ſinu trucidatos, ac vulneratos ipſarum matrum artus, deflotatas puellas, deploratas matronas, conſtupratas conjuges, longo catenarum tractu vinctos adoleſcentes frigido tegentes ora pallore, qualis ſolet hominis vultum fœdare, cum ad necem trahitur. In luctu, in ſqualore, in cæde, & ſanguine jacent omnia: ubique ſauciata cadavera, quorum aliqua cernuntur membratim trucidata, alia per lutum circumvoluta, alia adhuc recentem ſanguinem fundentia: & nullus eſt locus tutus non forum plenum ſicarijs, non templum à militibus expilatum, non privatæ domus inſidijs expoſitæ, non plateæ, cùm plures fuerint in ipſis per vim occiſi: bellicus enim furor nullis coërcitus repagulis in omnes cæco impetu irruit, nemini parcit; ſanguinem ſitiens, quem fundat; auri appetens, quod rapiat, domos ingrediens, quas everrat, vel expilet. O tempora! ò mores! extra civitatis mænia vides proculcatas ſegetes, ſubacta pecora, incenſos vicos, & pagos, everſas arces, neglectam camporum culturam, fugitivos colonos, & undique funera, luctus, clades, excidia, & neces.

Ab hiſtorijs, fabulis, eruditionibus promiſcuè latiſſimus patet campus amplificandi per partium enumerationem. Sit propoſitio *Non omnis fert omnia tellus*, vel *non omnia poſſumus omnes*, ita à partium enumeratione dilatur. Quis non aſſerat, judicétque non omnia poſſe omnes? nec omnem tellurem omnes producere fructus. Etenim ſicula Ceres camporum tantùm amat amplitudines, & temperato ſub dio creſcit uberior, ac ferventiori ſub ſole flaveſcit ditior. Veneris amicus Bacchus apricis cupit collibus aſſociari. Pacificæ oleæ temperato in climate macra deſidetant vivere in tellure. India auro, argentóque dives pluribus deſtituitur terræ fructibus, quos alij terræ tractus ſuppeditant copioſiùs. Trojana Regio bellicoſiſſimos olim gignebat, & nutriebat equos. Oriens etiamnum cinnama, & obobalſama fundit. Sudat Sabæa Regio, & odoras ſui thuris animas nobis inhalat. Syria, & Tyrium probatiſſimum muricem, ac purpuram regalem, reliquis miniſtrat regionibus. Idumæa, & Numidia Elephantes nutriunt, & ebur Europæ ſuppeditant. Mauritania ſerpentes alit viſu horribiles, veneno exitiales. Paphlagonia perdices gemino munitas corde generat. Argentum Peruana montium viſcera, hominum avaritiæ exhibent. Hiſpania dat vellera. Quòd non omnes poſſimus omnia, ex hiſtorijs ritè recenſitis facilè evincitur, & eruditè dilatatur propoſitio, hoc pacto: Fœcunda fuit Lya, ſed turpis: formoſa Rachaël, ſed ſterilis: fortis Samſon, ſed mollis: elegantiſſimus Abſolon, ſed parricida: Martialis Annibal, ſed deliciarum nimis appetens: victorioſiſſimus Alexander, ſed ebrioſus: Artifices pariter, ac pictores non omnes potuêre omnia: Zeuſis in pingendis avibus emicuit: Apelles in delineandis equis claruit: Parraſius in obumbrandis velis fuit inſignis, ac inter colorum umbras ſuo nomini ſplendores addidit: Prothogenes in colorandis hominibus perfecta partium ſimmetria enituit: Ariſtilles in affectibus pingendis fuit ſingularis: Titianus in animandis pennicillo capitibus caput extitit omnium pictorum: Michaël Angelus Bonarota in figuris, quæ in diſtantia aliqua poſitæ erant viſæ, eminuit. Inter illos pariter, qui liberalium artium diſciplinas fuêre aſſecuti, nullus eſt, qui ſe jactare poſſit ſe potuiſſe omnia. Romanæ eloquentiæ parens fuit Tullius, muſam tamen filiam non potuit habere: eminuit Poëtarum princeps Virgilius heroico carmine, elegiaco autem in metro nullam habuit excellentiam: Ovidius amores ſuos leniori fiſtula potuit modulari, grandi tamen tubâ, ut ipſe fatetur præſtantiſſima Heroum facinora, non valuit canere: tibiam ſuam,

ac

ac lyram non imperito plectro repetijt ſæpe Horatius, non idem omnem Apollinis Cytharam: acutus fuit Martialis non grandis: grandis Statius non acutus: Hiſtoricus Lucanus, non Poëta.

6 Eques Marinus italici carminis ferè princeps dividens per partes ſingulas hominis ætates: eundem hominem pulchrè deſcribit, ejúſque miſerias amplificat, quibus eſt obnoxius.

Apre l'homo infelice all'hor, che naſce
In queſta vita di miſerie piena,
Pria ch'al ſol, gli occhi al pianto, e nato appena,
Va prigionier frà le tenaci faſce;
Fanciullo poi, che non più latte il paſce,
Sotto rigida sferza i giorni mena,
Indi in età più ferma, e più ſerena,
Tra fortuna, & amor more, è rinaſce.
Quante paſcia ſoſtien triſto, e mendico,
Fatiche, è morti, in fin, che curvo, e laſſo
Apoggia à debil legno il fianco antico.
Chiude al fin le ſue ſpoglie anguſto ſaſſo,
Ratto così, che ſoſpirando io dico,
Da la cuna alla tomba vn breue paſſo.

Id eſt. Cum primùm homo materna ab alvo hujus lucis datur uſuræ, oculóſque adaperiens, ad obvias hujus mortalis vitæ ærumnas liqueſcit in lachrymas, incipitque in cunabulis premi, & agitari. Lacte paſtus, vix illius dulcedine delectatus, verberum experitur puer amarorem; ſi floreſcit adoleſcens, ſuis non deſtituitur in juventa ſpinis, Fortunæ utriúſque ſcopus, pungitur proprijs affectibus, nunc cadens timore, mox reſurgens ſpe & amore. Ætate provectior laboribus fractus, viribus deficiens Scipioni innixus ſupperias ab arido ligno expoſcit. Tandem annorum pondere preſſus ac recurvus, fateri adigitur à cunis ad ſepulchrum, à talamo ad tumulum parum interjectæ diſtantiæ adeſſe.

EXPENSIO VII.

De amplificatione per ſimilitudinem, & exempla.

1 QUæ aliquam præſeferunt, eum alio ſimilitudinem adhiberi poſſunt non ſine eloquentiæ decore, & orationis venuſtate in amplificatione rei, cùm qua dicunt ſimilitudinem. Perpendenda ſunt in rerum natura ſingula; quæ ſimilitudinem ac proportionem præſeferunt cum ſubjecto amplificando, quod ſi ijsdem æquiparetur, ampla, & nobilis conſurgit amplificatio. Sit propoſitio: *Exercitium præbent, non exitium animo heroico res adverſæ.* Si conſiderentur omnia, quæ dum nocere creduntur, proſunt, eò quia aliquid præſeferant utilitatis, ſerimus majorum conceptuum ſemina, quæ fœcundo excepta campo uberrimam ſurgunt in meſſem hoc pacto: Quemadmodum erumpentibus è luridæ nubis atrato ſinu fulminibus, ac terrores incutientibus tonitruum minis puriores gignuntur uniones in ſinu conchæ matris, ſeu innocentiæ ſoboles; ac innocentiùs candicant fluctuante in turbidi erythrei gremio; non ſecus dixerim Heroum prægrandes animas à novercantis fortunæ ſagittis, nullum trahere damnum, quia eisdem adverſa exitium non præbent, ſed exercitium exhibent excultæ virtutis: quia ſicut aratri vomer aſſiduo attritu, ac labore in communis matris ſcindendis, ac evertendis viſceribus fit illuſtrior; ita magni viri ferreum pectus objicientes adverſantis fortunæ ictibus, ac moleſtijs eò ſplendent clariores, quò ærumnis premuntur acerbiùs: nec mirum; etiam Asbeſtinum Linum candicat purius, & irradiat clarius inter accenſi rogi flammas: ſicut baſilica herba regia hortorum proles cum ateritur, grandeſcit ſublimior: palma triumphantium gloria dum illigatur arctior, creſcit eminentior: Cryſtallus ipſa, ſeu gelu illud pretioſum, quod adeo inflammat hominum avaritiam, ut neſcias, an gelu dicenda ſit Cryſtallus, an flamma; inter furentis Boreæ rigidiores flatus obdureſcit pretioſior; non enim Cryſtallus ex gelu gemma fit ad hominum pectora inflammanda in ſui poſſeſſionem, niſi cùm hyems riget aſperior: non igitur mirum, ſi animo grandi, & heroico adverſa non exitium, ſed virtutis exercitium præſtent, & perinde ac cryſtallus ſplendet clarior, ut palma creſcit eminentior, ut regia hortorum proles baſilica herba grandeſcit ſublimior, ut Asbeſtinum Linum candicat deſœcatior, ut aratri vomer ſplendet clarior. Quidni nec Iris ipſa unquam viveret, ſi nunquam moreretur ſerenitas, cùm ejus gaudium nonniſi ex lachrymis ridentis Olympi alatur. Nec ſilex fulguraret ſplendidior, nec veluti inter lapides ſol tot coronaretur ſtellulis, quot emittit ſcintillulas, niſi præduro Chalybe repetito vulnere ſauciaretur. Neque Sabea hilaris lachryma thus gratum, & ſuave exhalaret odoramentum, ut videatur animam nobis inhalare, dum ſuam exhalat, niſi in accenſa acerra torqueretur, tunc fragrat, dum flagrat: Obobalſami Orientalis ille ab Occidente exoptatus ſudor ſupra odorum Alexandri ſudorem odorus nobis non prodeſſet, niſi ferro balſami planta ſui theſauri tenax multiplici vulnere ſauciaretur, ut noſtris vulneribus ſuo vulnere mederetur: nunquam tabellæ, & typo impreſſæ paginæ grandia poſteritati Heroum, ac principum geſta loquerentur, & enarrarent, niſi priùs torculari premerentur, umbríſque litterarum animarentur, quaſi lux virtutis ab alia non enaſcatur genitrice, quàm ab umbra matre adverſitatis. Nec mirum etiam Æolia maria furentibus ventorum turbinibus dum fluctibus agitantur decumanis, & procelloſiùs turbantur, altiùs extolluntur. Etiam luna planetarum regina nunquam eluceſceret nocturno in theatro halonibus coronata, niſi præcederet vel ſubſecutura eſſet tempeſtas. Etiam librorum volumina, quæ inſtar æternitatis præterita cogunt eſſe præſentia, nunquam vel

tacito loquerentur ſilentio prægrandia heroum facinora, niſi pergravi prælo torquerentur. Conſtantis igitur, ac magni viri eſt premi quidem adverſitatibus, ſed non opprimi: Cedere fortunæ adverſanti fœmineum eſt; non virile; nec mea me fallit opinio, quid levius palea, & ideo igne illicò perit, vixque flammas ſentit, & inanes ſolvitur in cineres: è converſo aurum obriſum grandis ſcilicet anima, & metallorum princeps flammarum volumina non timet, ſed in ijsdem triumphat, cum pugnat; & defæcatius ſplendeſcit, ut vera ſit ooſtra propoſitio; res adverſas animo heroico virtutis præbere exercitium, non exitium. Torqueatur dentato ferro, ac ferreo dente dilaceretur linum, eò melius evadet, quò diriùs tractatur, imò & cum Phœnice de ævo contendet, ſi enim Aſiria volucris ſe parit, cum igne perit, & ſurgit immortalis, cum morte cadit: ab aqua itidem emergit linum immortalitate donandum, dum ſi non in volucrem, in chartam mira mutatur metamorphoſi, cùm enim perit aquis merſum, tunc ligneis tuſum malleis ſe parit. Etiàm Olympi cor intimiùs niveam marmoris complectitur venam; cum tamen exteriùs jugiter vel nivibus rigeat, vel pluvijs madeat. Neque marmora ipſa, & ſaxa, quæ in montibus rigent, miteſcerent in officinis, & ſcalpro obſequentia ſe flecterent, ut prægrandes homines exprimerent, qui in ſaxis finguntur vivere. niſi hæc malleis, & ſcalpris plura ſubirent vulnera: nunquam effigies præſeferrent ſaxa hominum, nec iratas repræſentarent feras, neque extollerentur in obeliſcos, nec flecterentur in arcus, niſi priùs ferro torquerentur, & erudito ſcalpro dilacerarentur: eſt ſculptura, quæ vel frigida accendit ad vitam marmora, & ſuæ artis ingenio ſaxeo pectori animam videtur infundere, ſed minimè id præſtaret, niſi multiplici vulnere ſaxa priùs feriret, diſcruciaret; quò inde diſcamus, adverſa non ſemper obeſſe, ſed plerumque prodeſſe. Quis Alcidem commendaret in cunis adhuc vagientem, niſi tenella manu ſerpentes prævocâſſet, & innocuum lac cum venenato illo anguium ſanguine miſcuiſſet? Quis cognoſceret Achillem, niſi cum Hectore dimicâſſet? Quis laudibus exciperet Jaſonem, niſi priùs pugnam cum monſtris iniviſſet? quis commendaret Atlantem, niſi incurvatus, & pondere preſſus ſuis humeris omnium ponderum maximum ſuſtinuiſſet? Quis Herculis recenſeret miracula, niſi Heſperidum coſtodem draconem occidiſſet, niſi ſeptemplici armatam capite Hydram enecâſſet? niſi Nemæum leonem, ſeu ferarum principem ferociſſimum proſtrâſſet? Ita eſt: animo heroico adverſa virtutis ſunt exercitio, non exitio. Ecce quàm laxum amplificandi campum aperit hæc forma dilatandi ſubjectum per ſimilitudines, & exempla.

2 Hac amplificandi forma poſſumus linguam acuere, ut ingratitudinem pungamus. Nullum eſt vitium turpius, nullum magis ferinum ingratitudine, quæ ſecundùm Angelici Doctoris opinionem tollit honeſtatis debitum, obliterat humanitatis beneficium, delet ſuſceptæ gratiæ memoriam. Primus enim ingratitudinis gradus eſt gratias non rependere pro recepto beneficio. Secundus oblivisci beneficiorum. Tertius ſpernere, ac contemnere benefactorem, qood perinde eſt, ac beneficium maleficio compenſare. Quis igitur ſatyrico dente ingratitudinem non mordeat? Quis calamum non acuat, ut illam pungat? Quis linguam in gladium non flectat, ut eam vulneret? An non crudelis fuit Nero, quia ingratus in proprium Magiſtrum Senecam, cui poſt tot beoeficia ſuſcepta, & ſana conſilia percepta non aliud dedit minerval, quàm ultimum mortis ſupplicium? nonne ingratus fuit Ariſtoteles in Platonem, quem mulum appellâſſe ſcimus, non ob aliam cauſam, niſi ut ſciremus ingratos facilè in belluas, ac feras degenerare? nonne Athenienſes hoc laborârunt vitio, cùm eorum Magiſtrum Socratem ad hauſtum Cicutæ coëgerint, ac mortem bibendam? An non ingrati fuerunt, & ipſi Romani in Africanum Scipionem magnum ſcilicet illum Romanæ gentis Martem, qui mortem pro patriæ ſalute contempſit, cum à Peſilio accuſatus, quòd commune ærarium Reipublicæ pecuniâ non ditâſſet, excluſus fuit extorris è patria, & in exilium miſſus? expertus Romæ acutiores ad vulnera infligenda lethalia linguas, quàm Carthaginenſes, & gladios. Ingratitudinem dicerem Acteonis canem, qui Herum momordit, diſcerpſit, interfecit, à quo nutritus fuerat: dicerem ingratitudinem angues eſſe Cleopatræ, quos cùm in ſinu foveret ab ijsdem venenato morſu interfecta fuit: imò à vero neque latum unguem erraveris, ſi ingratitudinem viperam dixeris, quæ propriam vulnerans genitricem mortis præmio, vitæ ſuſceptæ compenſat beneficium: ſi hiſtrici pariaveris ingratitudinem matrem ſuis ſpiculis confodienti, ut dum vitam accipit, mortem inferat: ſi lapidem dixeris Sithinium, qui ſi oleo liniatur, & calefiat, dureſcit aſperior: ſi corallio, quod miteſcentis auræ blanditijs, lapideſcit durius: ſi eum igne contuleris, qui lignum, à quo alimentum ſumit, abſumit, & deſtruit, ſi cum terreno putreſcentis, ac cœnoſæ paludis vapore, qui à ſole ſurſum elatus, ſolem ipſum poſtea obſcurat, & pulcherrimum mundi oculum tetra nube obcæcat, mundique accenſam lampadem delabentibus pluvijs extinguit. Ita eſt, qui beneficijs ingratum cumulat, cum ariete ludit, cujus deinde cornibus impetitur; hinc verè dixit magnæ Angliæ Cancellarius Thomas Morus moribus candidiſſimus: *Ingratitudinem beneficia inſculpere in arenis litoris, & in præduro marmore injurias.*

Refert Strabo, Auguſtum Cæſarem è ſuo Romæ palatio equum vidiſſe in platea deambulantem, & fune, quem trahebat, ita pedes implicâſſe, & ulterius progredi non poſſet; 3

cum-

cumque adeſſet Quintus Fabius militum Tribunus, & equum ab illo diſcrimine liberâſſet, quique ab eodem mox ſoluto fuit calcibus petitus; ac malè pulſatus, exclamavit Imperator. *O verè equina remuneratio*, indicavit Cæſar equi ingratitudinem, qui calcibus compenſavit ſuſceptum beneficium, unde meritò nos monet David: *Nolite fieri ſicut equus, & mulus.* Plato interrogatus, quo nomine eſſent ingrati vocandi, reſpondit, pejores canibus, nec immeritò, quia quam canes exercent gratitudinem, hanc ingrati obliterant. Referunt monumenta Romanæ gentis, ad ultimum ſupplicium damnatum Romæ fuiſſe Titum Fabinum, cui canis erat fidus, quique ab Hero nonquam ſejungebatur: cúmque Titus capite plecteretur, canis oblattans diu, noctúque cadaver cuſtodivit, à quo nunquam ſejungi voluit, quamvis verberibusq; pulſatus, imò cum Titi Fabini cadaver juſſu Imperatoris fuiſſet in Tyberim projectum, canis flumen ingreſſus Heri cadaver dentibus tamdiu detinuit, ne mergeretur, donec deficientibus viribus unà cum Hero ſimul mergeretur.

EXPENSIO VIII.

De forma amplificandi ſubjectum per hiſtorias conglobatas, & figurarum varietatem.

1 FOEcunda eſt præſens amplificandi forma, quæ tot floribus, quot figuris, tot venuſtatibus, quot hiſtorijs orationem exornat, & Oratori amplum aperit dilatandi propoſitionem campum, non ſterilitate laborantem, ſed ubertima ſegete locupletatum. Si vellet Orator fidei orthodoxæ triumphum amplificare, per hiſtorias, eos, vel Reges, vel Imperatores recenſeret, qui ad Chriſtum converſi ſubjectas ſibi gentes triumphatrici fidei ſubjecerunt, ſit propoſitio amplificanda: *Romanum debetur capitolium fidei triumphantium omnium triumphatrici.* Grandis equidem cœleſtis fidei virtus, quæ ſteriles Regum virgas, & ſceptra in lauros coëgit vireſcere, ac triumphales excreſcere in palmas: idque ut evincatur, accedat coronaria illa principum gloria, purpuratorum illud Chriſtianorum decus, ac prima Catholicorum Imperatorum pompa ab Orientali imperio Conſtantinopolitanus Conſtantinus, quem vel ipſa Roma, quæ nihil propemodum admirari conſueverat, veluti grande miraculum eſt admirata, quando fides hunc triumphantium omnium triumphatorem ſibi non armorum violentiâ, ſed crucis humilitate ſubjugavit, cum luſtrali baptiſmi undâ Ethnicam ſuperſtitionem abſterſit; & fides non erit triumphalis? Accedat è fœcunda Regum parente, ac populorum ferè omnium dominatrice Gallia Clodoveus, qui inter ferrea Martis prælia aureus religione effectus, nemini unquam ceſſit, niſi orthodoxæ fidei, quando ſcilicet ſui victor, & à fide non tam victus, quàm vinctus remanſit; & fides non erit triumphalis? Accedat ab illa ſingularum Principum ſede, ac felicitatis quondam Regia, ac Regiæ ſuæ felicitate Jacobus à Suetia, qui omnium primus regali in ſolio Chriſtianam excepit religionem, & cum religione fidem, cum fide virtutes, cum virtutibus ornamentum, cum ornamento gloriam, cum gloria immortalitatem, & cum immortalitate beatitudinem, & fides non erit triumphalis? Accedat non tam Franciæ, quàm puritatis Angelicæ ornatus lilijs Sanctus Ludovicus, qui chriſtianæ militiæ laureata ſecutus vexilla, magnus inter Reges, evaſit poſtea maximus; & fides non erit triumphalis? Accedat Auguſta Helena, quæ Ethnicæ quondam ſuperſtitionis trabeatus faſtus, ac ſuperbiens pompa, poſtea Sanctimoniæ Cæſareum coronamentum, præclaram ſe fecit triumphatricis fidei prædam, & ne ſupremum crucis decus ignominiam pareret, ſummum habuit, ac vertic in honorem, Grajáque fœmina ſanctior urbem, & orbem virtute frigeſcentem cœlo inflammavit, & fides non erit triumphalis? Solaribus hic radiis eſſet exprimenda aurea Perſarum Princeps Cæſarea, qui Aſtrorum Principem radiantem ſolem licèt Ethnicæ ſuperſtitionis circumvoluta tenebris, ut Numen olim colens, tenebras cum luce monſtroſo fœdere conjunxit, ac in ſole planè cæcutiens, perſpicaces ut oculos impetraret, chriſtianæ fidei ſuum dedit nomen, & faſces ſubmiſit ſuas fidei; & fides non erit triumphalis? Germanicam purpuram candore fidei cùm primùm diſtinxit Cudbertus Rex, glaciales ſeptentrionales Germaniæ tractus ſanctiori exardeſcere flammâ juſſit, brumales inter algores cœlo feliciter æſtuante, & Numinis gratia adjuvante; & fides non erit triumphalis? Accedat ex Britania toto orbe diviſa illuſtre Angliæ decus Eduinus, qui primus catholicam Romanæ urbis veritatem Anglicum traxit in orbem, & de vitio tunc triumphavit, cum fidei ceſſit triumphatrici; & fides non erit triumphalis? Accedat ex Dania glorioſus tenebrarum transfuga, multò cum honore lucis arma ſecutus Araldus Auguſtus, qui ut chriſtianæ fidei manum dedit, non minus palmâ victor, quàm oleâ pacatus, hoſtili cruore ſibi purpuram ad uberiorem nitorem tinxit, & fides non erit triumphalis? Accedat Tartarorum Cæſar, cujus ut exhorreſcimus nomen, ſic ejus arma totus extimeſcebat orbis, & nomen orthodoxæ fidei donet, & illicò laureatus ſuæ gentis invictus propugnator, vel Tartara ipſa in cœlum tranſmiſit; & fides non erit triumphalis? Accedat ab Hiſpania Hercaredus, qui Hiberorum Regum oculatiſſimus Argus, cùm primùm inter ſuperſtitionis caligines fidei veritatem circumſpexit, ejuſdem ſplendore ſuos illuſtravit populos, & de proſtrato hoſte victor ſuæ gentis meruit plauſus; & fidei non eric triumphalis? Accedat è Saxonia Cynigillus, qui ut meliùs regnaret, ac cæteris valentiùs imperaret, orthodoxæ ſe fidei ſubjecit,

& gemino meruit diademate coronari in terris, & cœlo; & fides non erit triumphalis? Accedat ex Luſitania Heroicæ Majeſtatis altrice, quæ tametſi luſitare didicerit in nomine, nunquam tamen jocari conſueverit in bello, seriò triumphando, Henricus, qui primus majeſtatem ſuam fidei ſubmiſit, & hoſtes ſibi ſubjecit; & fides non erit triumphalis? Accedat Biſantina ex urbe Eudoxia, quæ nunquam illuſtriùs peregrinis illuxit virtutibus, quàm cùm peregrina totum pererravit orbem citra ullum errorem, ab aula exul, à patria extorris, ut fidei orthodoxæ ſe ſubjiceret; & fides non erit triumphalis? Accedat ex Armata, & cataphracta ferè ſemper Polonia belli turbine jugiter agitata, nunquam tamen proſtrata, Miegislaus, qui regnum ſuum hilari Hymenæo, ac inſolubili maritali vinculo fidei copulavit orthodoxæ, ſub cujus vexillo in hoſtes irruens ſemper inimicos proſtravit, ſtetitque ipſe victor, cruci innixus; & fides non erit triumphalis? Accedat ex Bohemia cœleſtis ille virtutum colonus Borivorius, qui ſylvarum tractus furialium olim monſtrorum parentes in catholicæ pietatis delicias, ac in excultæ omnigenæ virtutis hortum commutavit, & ipſe loricà fidei communitus hoſtiles impetus coërcuit, gladios hebetavit, & adverſarios victos proſtravit; & fides non erit triumphalis? Accedat ex Hungaria Auguſtus Geiſa, & fidei clypeo munitus non tam ferro manuſ, quàm virtutibus animum obarmet, hoſtéſque proſternat, & eorum ſanguine victrices ſibi irriget palmas; & fides non erit triumphalis? Accedat denique ex forti, & inconcuſſo Scotorum regno clarum illud jubar Donaldus, qui caligante in inſula, fidei lumen invexit, & gloriæ ſplendorem occasûs neſcium ſibi comparavit; & fides non erit triumphalis? Vides, quot hiſtoriæ conglobentur, ſimúlq; nectantur ſub una eadémq; figura, & quàm laxus pateat campus amplificandi eandem propoſitionem.

2 Per figurarum varietatem muliebris in cultu luxus, fœmineúſque ornatus contra phaleras præſertim noſtri temporis amplificatur, ſimúlque confutatur. O quantarum neces animarum ex unius ornatæ mulieris pendent phaleris! utinam quæ corpus poliunt mulieres, & faciem fucant, animam non devenuſtarent! utinam quæ holoſericis membra ornant, ſpiritum culpis non onerarent! O corruptam noſtri ævi ætatem! ſplendent corporis membra plurimo veſtita ornatu, & in cœno ſordeſcit anima vitiorum: an non negligitur virtutum cultus, & totum in corpus ponitur ſtudium? Si muliebrem luxum velimus luſtrare, mundum univerſum uni ornandæ mulieri ancillari deprehendemus, præſertim ſi perpendamus cometrias pectendis capillis artefactas, pelves aureas ad corpus abluendum; ciniflones calamiſtro capillos criſpantes; gutturnia argentea odoratis repleta aquis; ſpecula nitidiſſima, ex quibus muliebris fragilitas conſilia ſuſcipit, ſeu decuiſ ſexum fragiliorem nonniſi fragiles conſulere conſiliarios; pyxidum turbas ad picturæ, ac fuci cuſtodiam, ferramentorum ſuppellectilem ad cincinnos implicandos, pelliculas moſci ad ſuffitus inhalandos, ut nihil hac ætate videantur fœminæ olere, niſi totam redoleant Arabiam. Illis deſervit India auro mittendo, Arabia odoribus afflandis Phœnicia coloribus miniſtrandis, Erithrea Inſula gemmis ſuggerendis, China holoſericis ſubminiſtrandis. Suam Pandoram non jactent commenta Poëtarum multiplici Deorum munere locupletatam: plures corrupta noſtra ætas enumerat Pandoras, in quas ſingula ſua transfundit ornamenta. Qualis non eſt immodicus mulierum cultus? formæ gratiâ atramento illiniunt ſupercilia, varijs genas adſcititijs coloribus pingunt, & alias ſe faciunt, quia ſe inficiunt: crederes ſerpentum naturam induere, cùm videantur, & pellem ipſam mutare, & exuere. Hæc ſunt ſtudia fœminarum levitati ancillantium; venuſtati ſtudere, vanitati incumbere, vitijs lenocinari; ſenſum, & concupiſcentiam in præceps ruentem provocare; molliter inceſſum componere, nutus ad excitandos improbos affectus fingere, oculos ad cupidinis flammas accendendas movere; frontem ſine nube ſerenam prodere, ad procellas profani amoris ciendas: vultum pingere, & fingere, comam calamiſtrare, ornatu veſtes diſcriminare: pulchritudinem ore, gratiam voce, elegantiam corpore affectare; juvenes minùs cautos allicere, virorum amorem blandimentis venuſtatis aucupari; formæ elegantia placere hominibus, ſed diſplicere cœlitibus: hac in gymnade tota deſudat muliebris induſtria, hac in palæſtra exercitia inſtituuntur vanitatis. Imò immodicus mulierum cultus vernantia videtur prata æmulari, cùm in fronte Narciſi, in genis roſæ, in dentibus lilia videantur florere etiam brumali tempore, cùm prata altis inſepulta nivibus ingemiſcunt: ſed ſi hortum, vel pratum æmulatur muliebris ſpecies; latent & in ipſarum viretis angues ſuo veneno inficientes, & exitium inferentes. Mulieres chriſtianæ ornent ſe, ſed holoſericis virtutum, gemmâ caſtitatis, purpura charitatis non atramento ſupercilia illiniant, ſed in umbris humilitatis ſplendeant illuſtriores, omnis alius ornatus inornatus eſt, ac devenuſtus, niſi à virtute proceſſerit.

Sententiæ per figuras etiam argutè amplificantur, ſi ritè adhibeantur, & præſertim 3
per Apoſtrophen, Antitheta, Periphraſin, expoſtulationes, agnominationes, ſit hæc propoſitio: *Deploranda eſt prematura mors Præfecti exercitus, qui in conflictu contra Turcas occubuit.* Amplificatur per figuras hoc pacto. Ergóne adhuc ſtamus, ubi virorum fortiſſimus cecidit? Itáne ſiccis inſpicimus oculis tumulum, in quo jacet, qui fortiſſimè ſemper ſtetit, & ſtando plurimum fudit hoſtilis ſanguinis; ut ſtaret Religio, ejus bellica virtute hoſtes propemodum innumeri ceciderunt: qui triumphales meruit plauſus, noſtros, licèt ex-

tinctus,

cinctus, planctus extorqueat; noſtris eſt dignus lachrymis, qui noſtra gaudia propugnavit, & propagavit. Heu deplorandam ſortem! etiam illuſtriores animæ in Manium umbras abeunt, & belli ſplendidiores faces extinguuntur. Heu qui palmas meſſuit victrices, nunc cupreſſus legit parentales: non tamen mortuum credas, cum famæ tubas adhuc inflet: mori non poterat, neſcia mori fortitudo.

4 Detur dilatanda hæc alia propoſitio: *Avarus ſe ipſum liberalitate vincat*: ſic amplificatur. Si trophæum tibi placet à re ipſo illud exige. Unicus ſit tibi hoſtis avaritia, quam ſi viceris, pulcherrimè triumphâſti. Alibi hoſtes fundere; hic opes effundere palmare eſt. Imò minùs flagitioſum eſt armis, quàm liberalitate vinci; qui potis non eſt ferro hoſtes proſternere, auro vincat, etiam extra conflictum manus vincit, ſi non ferrea compede vinciat, ſed aureis muneribus miſeros cumulet, quos inopia in imum detruſit paupertatis: in Bellonæ campo is Victor proclamatur, qui ferro hoſtem proſternit: ſed in caſtris pietatis ille triumphat, qui argento, vel auro miſerijs preſſos ſublevat.

EXPENSIO IX.

De Amplificatione ab jis, quæ cadunt ſub ſenſus.

1 FOrma hæc amplificandi laxum etiam aperit dilatandi propoſitionem ſpatium, præſertim per affirmationem, & negationem. Senſus quinque ſunt, Viſus, Auditus, Olfactus, Guſtus, & Tactus: tunc laxior creſcit amplificandi ſeges, ſi objecta omnia, quæ ſub hos cadunt ſenſus, recenſeantur, quo pacto beatitudinem, quâ in cœleſti patria Beati donantur per negationem, & affirmationem amplificamus. Eſt beatitudo, quæ omnem expellit angorem, excludit dolorem, abigit miſeriam, & omne includit gaudium, accerſit voluptatem, ac veram nutrit lætitiam: eſt ſiquidem Viſio clara DEI, quâ Beati divinam contemplantur naturam, ejúſque vident perfectiones in cœleſti patria, ubi nullus aures pulſabit ululatus, nulla obſtrepet querela, nulla ingemiſcet lamentatio, nullúſque præ dolore audietur ploratus: ſed aures ad delicias demulcebunt gratiſſimi ſonitus, muſicales concentus, & unica omnium vox benedicentium Deum. Nullum ibi aſpiciemus ſolitudinis horrorem: nullæ dimicantium militum clades, nulla saucij corporis vulnera oculos infeſtabunt, ſed ingenti animi voluptate videbimus jugiter vernare virtutum flores; ridere beatorum ora; germinare Martyrum palmas; ſplendorem emittere ſaucios artus. Nullus ibi fœtor olfactui nocebit, ſed virtutum odor ubique Arabiam inhalabit feliciſſimam.

2 Amœna regio amœnè etiam amplificatur per ea, quæ cadunt ſub ſenſus. Imaginare tibi amphitheatrum aliquod immenſum, quale ſola natura poſſit effingere, ubi lata, & fusè exporrecta planities vitiferis coronatur collibus, ubi aſſiduè rident, ac incolis arrident aëris temperies, cœli ſerenitas, terræ amœnitas, quæ frigidam hyemem ita mitigant, ut ſuis non audeat nivibus ibi rigere, & ita fervidam temperant æſtatem, ut perpetuis miteſcat favonijs, & autumnus non ſolùm dulci ſpumet vindemia, verum & fructibus diteſcat omnibus. Ibi ver cum primum ſol arieti aſſociatur ſuos, veluti in theatro, prodit flores, quà purpura rubeſcentes, quà nive candidos, cianeos, violaceos, quorum alij gliſcunt foliorum pompa promicantes, alij hiante calice ſuperbientes; alij rupta vagina pubeſcentes; ubi audiuntur lympharum Chori, rivulorúmque latices grato murmure diu, noctúque exultantes; æmulóque concentu inter ſe ſe ad voluptatem certare luſciniæ canoræ, aliæque aviculæ garrulæ; ubi candicantia lilia, & purpuraſcentes roſæ ſuaviſſimos exhalant afflatus: penduli ex arborum ramis fructus guſtui adblandiuntur: attica mella dulcedinem exhibent: ibi manus nonniſi vernantes flores, & maturos fructus tangunt. Prata florida, ac gemmea teneras, molléſque alunt herbuſculas, ridéntque jugiter omni exuta mœſtitudine, & grato perennium rivulorum murmure modulantes provocant aviculas ad harmonicos concentus, cantúſque alliciunt: nec alibi crederes campos florere Eliſios, quàm hac una in regione, cujus temperies, elegantia, & cultus Adonidis longè ſuperant hortenſes voluptates. Sunt etiam hic hortorum nitellæ, areolæ tonſa diſtinctæ myrto, in quarum ſinu adoleſcunt flores, è calice, vagina, & gemma protuberantes, eâ depictæ elegantiâ, diſtributi ordine, perfuſi ſuavitate, ut ſenſus omnes delicijs perfundant, & Mydæ roſetum, Alcinoi amœnitates, & Theſala Tempe in campos ſentibus impervios, urticis obſitos, vepribúſque obductos videantur degeneráſſe.

Hæc amplificatio per ea, quæ cadunt ſub ſenſus, quia ut plurimum petitur à negatione, & affirmatione operæ pretium cenſeo adjicere amœnam amplificationem per negationem contextam à D. Gregorio Theologo *homil. de ſeptem Machabæis*, amplificat enim matris adamantinam conſtantiam, & cor virile, licèt in pectore fœmineo, ait ipſe: *Matris verò robur, animíque conſtantiam nihil flectere, emollire, ac debilitare potuit; non inſtrumenta luxandis artubus accommodata; non rotæ propoſitæ; non exquiſitiſſima tormentorum genera, non ferrearum ungularum acies, non furentes beſtiæ, non enſes, qui acuebantur, non ferventes ollæ; non ignis, qui excitabatur, non miſcellanea turba; non urgentes ſatellites; non deficientis in proprio genere ſanguinis aſpectus; non membra, quæ diſcerpebantur; non carnes; quæ lacerabantur; non defluentes ſanguinis rivi; non flos ætatis, qui abſumebatur, non præſentia mala; non impendentes acerbitates.* 3

EXPENSIO X.

De Amplificatione repræſentativa per Hypotypoſin.

1 PLena eſt gravitatis præſens amplificandi forma, quæ principem videtur ſedem occupare, ac præ cæteris eminere, ſi per vivam hypotypoſin ſingulæ ſubjecti partes recenſeantur, & ad vivum repræſentetur res, quam amplificare intendimus: quo pacto carnem noſtram perduellem, ac rebellantem in ſpiritum amplificamus. Nulla eſt peſtis perniciosior ad nocendum, nulla fera crudelior ad dilaniandum, nulla panthera ferocior ad interimendum, quàm caro noſtra, quæ eò eſt magis timenda, quò nobis eſt proximior; eóque nocentior, quò blandior; hæc eſt ignis in gremio, qui ſi ſplendet, comburit, & nocet; Cleopatræ anguis, qui dum fovetur in ſinu, venena evomit, & interficit; ſerpens virulentus, qui quò nutritur vegetior, interficit, & nocet truculentior. Eſt caro uxor hominis litigioſa, quæ licèt vexata doloribus, repleta illuſionibus, infecta ſordibus, afflicta infirmitatibus, obnoxia paſſionibus, flagellis trita, plagis cæſa, & morti deputata, adhuc aculeis contradictionum hiſpida, rebellis, ſuperba, murmuroſa, contumax, inquieta, in ſuum, & animæ conjurat exitium: neque poſſe ſibi ſatisfieri putat, donec ſe, & animam in gehennam præcipitet. Cur non perpendit caro nobilem, quem habet hoſpitem, ſibique beneficum, cujus favore ſuſtentatur, & regitur, cujus ſpiritu vivit, & viget, cujus ſocietate regitur, & honeſtatur? quòd caro audiat, videat, ſentiat, olfaciat, guſtet, moveatur beneficia ſunt à ſuo ſibi impertita hoſpite ſpiritu, cujus ſi deſtituatur favore, quaſi terra exareſcit ſine aqua, adeò ut rectè dixerit de carne noſtra D. Gregorius *lib. 5. Moral. cap. 28.* expendens verba Huſſæi Principis Job: *Caro noſtra conſumetur velut à tinea*, inquiens: *Tinea de veſte naſcitur, & eandem veſtem; de qua oritur, corrodendo corrumpit; quaſi quædam veſtis animæ caro eſt: ſed hæc nimirum veſtis habet tineam ſuam, quia ab ipſa carnalis tentatio oritur, ex qua laceratur veluti à tinea homo, ac conſumitur*, & Sanctus Leo Papa ſerm. 4. de Jejun. Pentec. *Terra enim carnis noſtræ, niſi aſſiduis fuerit ſubacta culturis, cuò de ſegni otio. ſpinas, tribulosque producit, & partu degeneri dabit fructum, non horreis inſerendum, ſed ignibus concremandum.*

2 Per Hypotypoſin graviter, & acutè D. Gregorius Theologus apud Cauſſinum amplificat atrox ſupplicium, quo Presbyter cum navi æquora trajiceret, interfectus fuit. Navis Presbyterum unum portans, eúmque non ſceleris ullius, ſed fidei causâ periclitantem, in mare demittitur, non ut vectorem ſervet, ſed ut perdat. Atque is quidem qui vehebatur utpote vir pietate præſtans, animo erat prompto, & alacri. Cumes autem illi ignis adjungitur, ac novitate pœnæ majorem in modum lætatur perſecutor. Proh ſpectaculum grave! Proh acerbam tragœdiam! navis mari fertur ſpectantium multitudo ad litus effunditur, partim lætantium, partim lugentium. Quonam pacto rem tantam paucis exprimam, atque in aſpectu collocabo: Ignis accenditur, navis unà cum onere ſuo abſumitur, ignis aquæ miſcetur, resque inter ſe contrariæ ad pij viri ſupplicium concurrunt; duóque elementa corpus unum partiuntur, & novo, atque inaudito more fax ſuper mare attollitur: ad quam ut benignam, & humanam fortaſſe quispiam acceſſit, propior autem factus, miſerandum, atque incredibile ſpectaculum reperit, navigationem ſine gubernatione, naufragium ſine tempeſtate. Si Presbyter cinis efficitur, immo ne cinis quidem utpote in aquis ſparſus. Nec verò ſacerdotij dignitas tanta fuit, ut honeſtiorem ſaltem mortem conſequeretur, aut ſi non mortem, at certè ſepulturam, quæ impijs etiam, & ſacrilegis hominibus debetur. Hactenus ille.

3 Per hanc amplificandi formam hominem ſubjicio venerea lue infectum. Noſocomium ingreſſus, ubi pleraque morborum genera multifariè humana corpora torquebant, oculos non lachrymis ſiccos in hominem injeci jacentem, quem adeò venerea lues infecerat, ac corruperat, ut in ipſo jam naturam puderet hominis, Medicos tæderet artis, ac famulos pigeret officij: non ſolùm vitalis color membra deſeruerat, & pallor vultum infecerat; verùm & totius oris, ac corporis color vividus evanuerat, & veluti concreto gelu cœperat ſanguis corruptus in venis conſiſtere, imò & membra deficere, artus rigere, & animus defluere: jacebat corpus exangue extrema infectum macie; vidi oculos in cavernas contruſos, es Cloacæ referre ſpiraculum, faciem igneo humore corroſam, caput comarum ornatu expilatum: vidi in reliquo corpore diffluentem ſaniem, dehiſcentes in fruſta marcidas cârnes, ebullientium vermium greges: & ne ſtomachum moveam, & nauſeam creem, nihil dico de teſſelata puſtulis cute; nihil de formicante ſcabie membra ſingula obducente; nihil de jacentis ſordibus, nec de albicantibus animalculorum legionibus; ſed ut uno plura complectar verbo non hominem in homine vidi; ſed piaculum peccati, pœnarum ſedem, miſeriarum epilogum, dolorum officinam, umbram hominis, veſtigium humanæ figuræ, vivum mortis ſimulachrum, & tandem ſepulchrum animatum.

4 Proſequor, & per eandem formam mortem ipſam amplifico, quæ tamen de morte loquor, velim firmiùs, ac diutiùs menti immorari, & non ſtatim emori. Morimur omnes, ſuo omnia clauduntur fine, lucem diei extinguunt ſuccedentes noctis tenebræ, pelagi malaciam, aërisque tranquillitatem interrumpunt, & abigunt ſuborræ procellæ; proſperitati annexa eſt adverſitas; felicitati ærumnæ illudunt; ſanitatem morborum congeries corrumpunt; & Libithina omnes ſua

falce

falce cominùs metit, & telo eminùs interfecit etiam nobiles, Principes, Reges, Imperatores, ipſa clauſas præfefert aures, & nullum audit; orbata eſt oculis, neminem agnoſcit: jubet Parcas nemini parcere, ſed omnium ſtamina vitæ ſuccidi. Ut autem mortis imaginem ob oculos ponam, conjiciamus intuitus in torulum funebrem, & agentem animam ſpectemus: dignus eſt enim ſpectari, qui neminem ampliùs ſpectare poteſt: ecce jacet frigidus in extremæ ſenectutis hyeme, pedes marmore ſunt gelidiores, manus non tam colore, quàm frigore nives referunt; oculi frequenter in orbem converſi turbidiores apparent, pupillarum vigor penitus deficit, naſus longior ſenſim acumen trahit, & pallorem; jam exaruit genarum flos, & roſæ labiorum deflorurerunt; frons pluribus criſpata rugis, umbriſque obnubilata, gelidos ſudorum imbres effundit, qui calorem vitalem totaliter extinguunt: jam agit animam ad primam revocatam labra, mox emoritur, evaneſcit, & ejus memoria unà cum ſono æris campani perit, licèt ipſe plurimo clamore, & ſtrepitu vixerit. Non moriatur in nobis mortis memoria, ſed frequenter refricata frœnum injiciat pravis noſtris affectibus; noſtra coërceat perverſa deſideria, ac inſoleſcentes compeſcat concupiſcentias: idque cauſæ, cur Deus voluerit poſt lapſum, Protoparentes pelliceis indutos veſtibus, & non alio potiùs indumenti genere, ut mortem mortis exuvijs viderent, & seriò cogitarent, quo à culpis impoſterum abſtinerent, ut notat Abulenſis *quæſt. 18. cap. 3. in Geneſ.* inquiens: *Dedit DEUS primis parentibus pelliceas veſtes, ut notaret eos jam eſſe mortales, quia eos mortuorum pellibus contegebat, & beneficio mortis excogitatæ à peccatis abſtinerent.*

5 Quàm laxum aperiat campum hæc amplificandi forma à partium enumeratione per Hypotypoſin, magìs patebit ex hac propoſitione amplificanda: *Inimicus hominis eſt homo:* quæ quamvis à Sanctis Patribus ita intelligatur, ut homo ſit ſibi inimicus, eò quia caro inſurgat adverſus ſpiritum, quem nititur evertere, & quatere motibus utriusque appetitûs inferioris concupiſcentis, & iraſcentis: nihilominus ſi explicetur juxta ſenſum literalem, unus homo alteri adverſatur, cui eſt inimicus: poteſt propoſitio amplificari recenſendo eos omnes Principes, Reges, vel Imperatores, qui bella exteris Nationibus indixerunt, & cruenta clade ubique terrarum humanum ſanguinem effuderunt hoc pacto. Lugete ſydera, plorate elementa, depravatas hominum paſſiones, quæ Saturni ætatem, quam Poëtæ auream vocârunt ab hominum conſortio abegerunt, & ferream accerſiverunt: ſiquidem evanuerunt ſæcula illa, quæ nondum inimicitiæ fœdaverant, nec illa corruperant. Quia

Nondum veſanos rabies nudaverat enſes.

Durior nunc regnat ætas, quia ferrea: poſtquam enim Saturnus à filio pulſus in Latium delatus fuit.

Ille malum virus ſerpentibus addidit atris.

Seu odia, inimicitias, invidias, jurgia, dolos, rixas in hominibus excitavit, ut perinde ac venenati ſerpentes ſe ipſos morderent, ferirent, interficerent, ac inimicus hominis fieret homo. Hoc mihi exploratum eſt, exteras Nationes ab ineunte ætate aſſueviſſe armis durare, quò adultiores in homines canina rabie, animóque ferino ſævirent. Scio Tartaros per domeſtica, & quotidiana certamina armis inſtructos; Turcas per legitimam pugnandi rationem; Indos per bellicorum violentiam tormentorum; Japones per invictam audaciam; Chinenſes per rei militaris diſciplinam; Romanos per armorum exercitia; Macedones per pugnarum continuatum uſum; Parthos per militarem peritiam; Aſiaticos per excellentem dimicandi dexteritatem, exterarum gentium fudiſſe ſanguinem, & ubique terrarum cruentas ſtrages ſparſiſſe, ut ex aliorum lapſu ſurgerent ipſi ad illuſtriorès triumphos; Scio Parthos everſis, ac proſtratis ſex legionibus Antonium fugâſſe; Craſſum cum filio interfeciſſe: Scio Scytharum copijs, & excurſionibus non ſemel flammis incenſam, ac in cineres redactam Græciam. Quid dicam de Gedeone? à quo centum viginti millia Madianitarum fuerunt interfecta; quid de Turcis, qui non tam dimidiatâ lunâ, quàm mente deficientes poſtquam Syriam, & Perſiam terruerunt, eò miſeriarum redacti ſunt à Tartaris, ut everſis urbibus; ſuperatis regnis, debellatis Provincijs, Azatines è fuga dilapſus, ſimúlque à regia dignitate Biſanzium venit auxilium ſupplex poſtulaturus à Joanne Duca Cæſare, quò populum imbellem, ac penè exciſum ab hoſtium incurſionibus vendicaret. Quid de Gilimere Africæ Rege à Beliſario capto, gente Vandalica totaliter everſa? Quid de Gothis à bellicoſiſſimo Narſete per amœnas Italiæ oras una vi exciſis? quid de Bajazete, qui occiſis Turcarum ducentis millibus, à Tamburlano captus, in caveam volucrum, ferarum more conjectus tandem fuit? Quid de Tauricæ Rege, qui octingentos mille Moſchos, quos partim vendidit, partim occidendos pueris tradidit, armis ſuæ ſubjugavit Tyrannidi? Quid de Coſdroë, qui non paulò poſt nongena millia hominum proſtravit, interfecit, & totam Palæſtinam everrit? Quid de Sionis Rege, qui uno conflictu decies centena millia fertur Peguanorum ferro, flammiſque deleviſſe? Quid ad hæc? nonne *inimicus hominis eſt homo*, quas cupreſſos, quæ vitæ ſtamina, quæ corporis membra, & hominum capita non amputârunt Medi? quorum nomen expavit Græcia. Quantum ſanguinis ex inflictis vulneribus non effuderunt Perſæ, quò victrices lauros irrigarent. Quas urbes, & Provincias, quæ regna, & Imperia; quæ jura, & dominia non everterunt, ac penitus deleverunt Aſyrij, Chaldei, Arabes, Armeni, Saraceni, Barbari, & Turcæ, non ut calamo attamento madido, ſed gladio ſanguine imbuto noſtræ ſe ſubſcriberent

berent

betent propoſitioni, *inimicus hominis eſt homo.*

6 Per Hypotypoſim, ſeu repræſentativè amplifico Ætnæ montis ignivomam eruptionem; quæ obtigit anno ſexcenteſimo ſexageſimo nono ſupra milleſimum undecima Martij, cujus tragœdiæ ſpectator fui, cum Meſſanæ tunc temporis degerem. Ætna mons aſſiduo clarus incendio Poëtis fuit ſemper clariſſimus; neque obſcurus eſſe potuit mons perpetuis flammatum globis coronatus: ab igne, ſaxiſque ignitis, quæ ſurſum evibrat, hunc montem Poëtæ Vulcani regiam eſſe finxerunt; cenſentes unà cum Cyclopibus miniſtris Vulcanum ibi fulmina Jovi cudiſſe, & arma contra gigantes effeciſſe. Montis igitur juga repentino clangore paulò ante occiduum ſolem horribili mugierunt boatu, quo veluti Martialia tubæ horriſono clangore bellicum conflictum cecinit. Cœpit aër ipſe circumfuſo impalleſcere cinere, qui arenæ immixtus, & per aëra agitatus diem abripuit: terra ipſa tota contremuit ob incluſos ſpiritus, qui in proprijs terræ viſceribus vi caloris rareſacti foras erumpere nitebantur; hinc plura oppida corruerunt non tam ex motu telluris, quàm ex ſaxis in ſublime flammarum violentiâ delatis, & in ſubjectos terræ tractus ruentibus: tantæ enim molis, ac multitudinis cautes in ſublime vehebantur unà cum flammarum voluminibus, ut in aëre à Tiranibus nova fieri lapidatio videretur: minores lapides veluti è bellicis tormentis excuſſi in aëra ferebantur quantum oculorum acies vix ſequi poterat, qui poſtea delabentes domos, ædificia, & pagos obruebant. Ignis verò ſpiſſiſſimus qualem bituminoſa ſuppeditat materies, moræ impatiens, foras erupit ex hiante crateris voragine, & fluminis inſtar cœpit deorſum per montis declivia devolvi in perniciem non ſolùm plantarum, arborum, agrorum, ſed etiam pagorum, & ædificiorum, quorum plura corruerunt, univerſaque in exitium fluens ignis trahebat; quinimò Catanam urbem invaſit, cinxit, & evertiſſet, niſi Catanenſes ad tumulum Sanctæ Agathæ confugientes, ejuſdem Virginis velum igniferis objeciſſent torrentibus, qui ad præſentiam virginei veli à recto deflectentes tramite aliò fluxerunt ad maris littus: tanta fuit nivea virginis puritas, ut igneos torrentes potis fuerit coërcere, qui poſtea indureſcentes lateritium colorem, ac duritiem etiamnum præſeferunt. Hujus montis meminit Virgilius

—— Quoties Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam
Flammarúmque globos, liquefactáque volvere ſaxa.

Et Ovidius 2. *de Ponto;*

Vidimus Ætnea Cœlum ſplendeſcere flammâ,
Suppoſitus Montis, quam vomit ore Gigas.

7 Ut luctuoſa jucundis temperentur repræſentativè per Hypotypoſin lectiſſimam æquè, ac nobiliſſimam, & pudicam puellam amplifico. Tametſi ſanguinis claritate plurimum ſplendeat; longè tamen illuſtrior eſt culturâ virtutis; infra quam veluti repit generis excelſitas, ſplendor enim familiæ meritorum adnexus claritudini, perinde eclypſim patitur, ac ſplendens antelucanis horis ſtellula, cùm primùm Eoo ab horizonte ſol pleno jubare clarus emergit. Procerâ, & eleganti eminet corporis ſtaturâ, ſed excelſior eſt animi ornatu; inceſſu dignitatem præſefert, ac majeſtatem, quæ plurimum ſibi conciliat auctoritatis; ſed exercitio virtutum plus ſibi comparat venerationis. Splendent in oculis, blandiores, ac puriores illecebræ. Frons apertà animi prodit ſerenitatem; ipſius ore nil abſolutius, nil ad decorem venuſtius; candore dentium Erithræi vincit margaritas; & labiorum purpuriſſo cedit coralliorum minium; vultus nonniſi lepores ſpirat gratiarum; non ridet, quin amorem pariat; quin benevolentiam conciliet: manus oblongæ colore, & formâ elegantiam exprimunt. Roſeus color lilijs attemperatus toto effloreſcit corpore, quod adſcititia reſpuit ornamenta; quod propria fulget elegantia, non indiget alieno fulgore, ut niteat, ſatis ſpecioſa forma ſe ipſam commendat. Vera pulchritudo eſt, quam virtus pingit, non quam minium fingit, & fucus tingit.

8 Luſciniæ cantantis varias modulationes à partium enumeratione per Hypotypoſin ſubjicio amplificatas. Quis in tam exili corpuſculo vocem non admiretur, tam variam, tam ſuavem, tam argutam, quâ luſcinia cum Cytharedis decertans in victoriæ prœmium Nemorum ſalutatur Orpheus? Inter aligerum turmas avicula eſt exiguo corpore, ſed grandiori ſpiritu. Cùm primùm verno tempore incipiunt arbores frondêre, herbæ pubeſcere in liquidiſſimos cantus tenui in primis gutture ſe ſe difundit, dein pleniori ſpiritu voces geminat, cantus variat, modulationes producit; ut neſcias, quomodo in tam exigua avicula tam pertinax contineatur ſpiritus; tam perfecta Muſices ſcientia, tam ingenioſa modulatio, tam dulcis ſonus; qui mox in longum trahitur continuato ſpiritu; mox variatur inflexo, nunc interſeccatur conciſo, copulatur intorto, promittitur revocato, & tandem infuſcatur ex inopinato. Sed exiguâ interjectâ morulâ iterum vocem ab imo pectore revocat, & integra comprehenſione alternas repetit modulationes, quas ex-tempore vel variat, vel remittit, quaſi ſecum obmurmurtans. Nulla auditur cantio, quam luſcinia non imitetur: nulla modulatio, quam non referat: nullus concentus, quem non edat: nulla harmonia, quam non exprimat voce plena, gravi; acuta, crebra, contracta, diffuſa, attenuata, inflexa, continente, ſempérque varia, ut plus injiciat aucupij, pluſque mirâ varietate delectet.

EX-

EXPENSIO XI.

De Amplificatione abſoluta.

1 Nervoſa eſt hæc amplificatio, quæ ab effectis rei hauritur, non enim ſummatim, & tenuiter ſubjectum exhibet amplificandum, ſed omnia recenſens ejus effecta verborum redundantijs, ac elegantiarum venuſtatibus orationem exornat. Quanta ſparſerit avaritia damna, edocet Conſtantinus Manaſſes in Annalibus inquiens. Crudelis hominum perſecutor aurum eſt, nulla res in hominum vita venire poteſt in certamen, de qua aurum non triumphet: cor durum emollit, molle indurat; linguam licèt mutam ſolvit, loquacem comprimit; corda inflammat, & voluptate quadam demulcet; leges & jura proculcat, verecundiam, & pudorem abigit; ſepulchra violat, parietes perforat; nihil habet non venale, nihil quod non prodat: nimirum fabula eſt, quod vulgò dicitur, adamantem tantùm ſanguine emolliri: quid auro efficacius etiam in ſaxis emolliendis? Per effecta S. Joannes Chryſoſtomus *in tractatu quòd nemo læditur, niſi à ſe ipſo*, eleganter apud Cauſſinum amplificat avaritiam, inquiens: Rabies quædam deſperata, furor effrœnatus, morbus inſanabilis omnium animos obtinet: Hic amor omnem funditùs amorem extinctum, atque oppreſſum ejicit ex animo. Neque amicitiæ ratio habetur, neque cognationis; quid dico amicitiæ, & cognationis? non uxoris, & liberûm, quo quid vivis, poteſt eſſe charius? ſed omnia humi abjecta & conculcata ſunt, ubi crudelis iſthæc, & inhumana mancipiorum domina, tanquam ſævus tyrannus, aut barbara quædam immanis, aut meretrix publica, & ſumptuoſa omnia dedecorat, conficit, & ſexcentis objicit periculis ac pœnis, eos, qui illi ſervire in animum induxerunt. Cúmque ſit terribilis, acerba, crudelis, ſæva, vultu barbarico, quin potiùs ferino, & quàm lupus, ac leo tetriore; manſueta tamen, & expetenda, & melle dulcior ſuis captivis eſſe videtur: cùm etiam gladios, & arma quotidiè contra eos cudat, ac barathra effodiat, ad præcipitia ducat, & ſcopulos, infinita ſupplicij retia texat, beatos eos tamen præſtare cenſetur, tum ipſis captis, tum ijs, qui in eoſdem laqueos ſe inducunt, atque ut in cloaca, & cœno ſus cum voluptate, & delicijs volutatur; aut ut ſcarabeus in ſtercore continenter verſantur, ita etiam avaritiâ capti iſtis animantibus ſunt miſeriores. Hactenus ille.

2 Horatius ab effectis *lib. 1. epiſt. 5.* ad Torquatum ebrietatem amplificat.

Quid non ebrietas deſignat? aperta recludit,
Spes jubet eſſe ratas, jam prælia trudit inermem:
Sollicitis animis onus eximit, eddocet arteis.
Fœcundi calices, quem non fecêre diſertum,
Contracta, quem non in paupertate ſolutum.

3 Pugnam Theodoſij Imperatoris contra perduelles venuſtè, ac nervosè Pacatus per effecta amplificat. *Jam omnis campus horrebat; diviſi in cornua equites, leves ante ſigna velites, diſpoſitæ manipulatim cohortes, & gradu pleno ferentes agmina, quadratæ legiones, univerſa laté qua viſus agi poterat, occuparant, nondum ſe virtus experiebatur; jam diſciplina vincebat: at poſtquam intra conjectum teli, acies utraque promovit, hæc effuſis hinc inde ſagittarum nimbis, & confeſtim armati, inermes, integri, ſaucij, primi, poſtremique viderentur miſceri, miles ſurgere eminus, cominus, gladijs, haſtis ferire cæſim, punctim, alij videbantur terga conficere, alij jaculis occupare, prona, & ſupina corpora paſſim in acervo jacere: illi mutilibus, extiſiſque membris fugiebant, iſti dolores vulnerum ſequebantur, & mortes receptas in ſylvas, & flumina deferebant.* Hactenus ille.

Ab effectis virum probum amplificat Cicero pro Aulo Cæcina num 78. *Vereor de tali viro ne plus dicam, quàm vos, aut ſentiatis; aut apud vos commemorari velitis. Quapropter hoc dicam, nunquam ejus auctoritatem nimium valere, cujus prudentiam populus Romanus in cavendo, non in decipiendo perſpexerit: qui juris civilis rationem nunquam ab æquitate ſejunxerit, qui tot annos, ingenium, laborem, fidem ſuam P. Romano promptam, expoſitámque præbuerit; qui ita bonus, & juſtus vir eſt, ut natura, non diſciplina, conſultus eſſe videatur; ita peritus ac prudens, ut ex jure civili, non ſcientia ſolùm quædam, verùm etiam bonitas nata videatur; cujus tantum eſt ingenium; ita prompta fides, ut quidquid inde haurias, purum, liquidúmque te haurire ſentias.* 4

Per hanc formam amplificandi rem abſolutè per effecta equeſtris decurſio ad annulum, ita amplificatur. Generoſo, ac flexili inſidens equo nobilis adoleſcens, cujus præcordia Martem ſpirant, cœpit ſenſim equum urgere, molliquе greſſu areæ metiri ſpatia, quaſi ſtadij exploraturus naturam: mox propiùs ad columnam accedens annulum inde penſilem recto ſtatuit ſitu, & ita direxit, ut aſpectu altiùs non emineret: expotrecta mox ab uno ex famulis lancea dextram obarmavit, & pari, quo venerat, gradu ad ſtadij redjit carceres, ubi per tubicines inflantes tubas dato ſigno, dimidium ſtimulato equo egit in ſtadio gyrum; mox admotis calcaribus, laxatiſque habenis pleno curſu ea cucurrit velocitate, ut irruens fulgur aſſequi viſus fuerit: quam verò initio curſus tota explicati brachij porrectione haſtam erexerat ſublimem, mox in curſus proceſſu ſenſim acclinatam, arrectámque in annulum non ſolerter minùs, quàm feliciter trajecit cuſpide penduli annuli anguſtum orbem, & hac prima decurſione communi plauſu palmam retulit: equo mox ad metam inhibito poſt aliquot ex arte in ſublime ſaltus; quò venerat remorato greſſu ovans revertitur. Repetita decurſione ſecundò eandem retulit palmam; ut etiam tertiò parem laudem pari felicitate. Cùm è contra æmulus nimio actus victoriæ deſiderio victoriam quam nimio æſtu quæſierat, amiſerit, nunquam ſiquidem collineavit rectâ; haſtâ vel in obli- 5

quum ad latera, vel in ipſum annularem longurium victoriam fugiente.

Ovidius hac dilatandæ rei aptiſſima forma Vernam temperiem amplificat

Omnia tunc florent, tunc eſt nova temporis ætas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Et modo formatis operitur frondibus arbor,
Prodit & in ſummum ſeminis herba ſolum.
Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,
Ludit & in pratis, luxuriátque pecus.
Tunc blandi ſoles, ignotáque prodit hirundo,
a *Et luteum celſa ſub trabe fingit opus.*

7 a Recenſet Ovidius varia vernæ temperiei effecta, cujusmodi ſunt vernantes in ſinu pratorum herbuſculæ, gemmantes in vitibus palmites, frondentes in ſylvis arbores, canentes in aëre volucres, ludentes in pratis oves, micantes in areolis hortorum flores, ſplendentia in cœlo ſereno ſydera, & luxuriantia ubique terrarum germina, florum, herbarum, ac plantarum.

8 Subjicio per eandem formam, ſeu per effecta, amplificandam navim, quæ cum æquora trajiceret, igne abſumpta, naufraga perjit. Flantibus ad votum Favonijs plenis velis longè, latéque exporrectos maris tractus jam trajecerat navis prædivite onuſta mercium ſupellectile: cùm neſcio quo infortunio cœpit concepta in puppi flamma ſtimulante ventorum flatu vires ex aſſumpto jam extimo puppis ornatu vires colligere, ac validiùs excreſcere, latiúsque in cæteras navis partes flammas ſpargere: nec priùs valuerunt nautæ imminenti occurrere periculo conflagrantis puppis, quàm repens flamma protam, antennas, ac vela corripuerit: confectæ mox, coactæque ex omni regione flammæ, ac reciprocante ventorum flatu exagitatæ, & veluti exaſperatæ in extremum flagrantis navis conſpirabant excidium. Cúmque terreret oculos, & aures, exitiales flammarum crepitantium fulgor, tectorum delabentium fragor, Nautæ & vectores partim igne combuſti unà cum ipſo navigio igne, & aqua perjerunt.

EXPENSIO XII.

De Amplificatione comparativa.

1 FEſtivæ Palladis in viridario hac amplificandi forma ludere conſueverunt Oratores tot legentes elocutionis flores, quibus reginam Eloquentiam jucundo cingunt diademate, quo evolvendo, vel Oratorum monumenta, vel Poëtarum commenta, hiſtorias, vel fabellas, aut alias eruditiones, rerúmque proprietates ſelegerunt, quas cùm re ab ijsdem amplificanda laudabiliter contulerunt. Hinc forma hæc amplificandi rem comparativè quodam lenocinio aures demulcet audientium, & blanda ſuavitate animos perfundit. Sicut purpureo redimitus paludamento planetarum princeps inter ſyderum turbas, quæ ab ipſo veluti fœcundiſſimo è fonte ſuos hauriunt ſplendores, quibus nocturno in theatro lucent clariora; ita hæc amplificatio comparativa præ cæteris ſplendet illuſtrior, & emicat clarior. Exemplum hujus amplificationis habetur etiam in ſacro Codice, eſtque amplificatio illa, qua Mathathias imminente jam morte filios ad leges patrias propugnandas fortiter ſuadet, pluribus congeſtis exemplis, & ad mortem potiùs ſubeundam, quàm leges transgredi adhortatur *1. Machabæor. cap. 2.*

Regij pectoris auguſtam munificentiam, 2
& munificam liberalitatem, ac liliatam puritatem beati Amedei Allobrogum Ducis à comparatis amplificatam exhibeo: Excelluit Princeps charitate in proximum, & præſertim munificentia, ac liberalitate in pauperes, quibus cùm omnia dediſſet, cùm nil ſupereſſet ex ſuperfluis; proprias exuit veſtes, quibus nuditatem cooperuit pauperis opem petentis: quia hæc virtus digna eſt encomio, à comparatione commendatur, ſimúlque amplificatur hoc pacto. Quis non videat planetarum principem eò in cœlis ſplendere pulchriorem, ac emicare puriorem, quò nudior absque ullo nubium tegumento cœleſtes ſphœras ſine errore pererrat? Quidni in cœlo ſanctitatis, & excultæ virtutis Amedeus tot nitidiſſimis redimitus radijs, quot ornatus virtutibus ſol fuerat: rectè igitur, ut clarior ſplenderet cœlo, veſtibus denudatur in terris. Puritatis lilium ut candidius eſfloreſceret in excultis virtutum areolis, quocunque erat ſpoliandum tegumento, ut ſine fucatæ pompæ coloribus innocentiùs efflореſceret: adſcititio non indigent lilia ornatu, pulchriùs proprio florent. Angelum dixiſſem Amedeum ſine veſtium pondere celeriùs Olympi tramites percurrentem. Jactet, & multiplici laude excipiat Ethnica vetuſtas pugiles ſuos, & Athletas, qui ut citiùs ad palmas, & victorias properarent, omnes conſueverunt veſtes abjicere, omnéque onus deponere. Amedeus pugil felicior luctaturus cum Tartaro non ſolùm veſtes exuit, verùm & pauperi concredidit, cujus nuditati conſuleret, quo perniciſſimo curſu non ad vanos triumphorum plauſus, verùm ad æternæ gloriæ evolaret faſtigium. Cœleſtis Patriæ civis adſcribitur, licèt terræ incola, quia terreno quovis ſpoliatus affectu conſortio adſciſcitur Angelorum. Etiam Saul regio ſpoliatus paludamento cœpit Prophetam agere, & Achabus pannoſa, ac detrita indutus lacerna divino fuit ſpiritu animatus: & D. Hieronymus palmarum D. Pauli tunicam regiæ prætulit purpuræ. Veſtiantur holoſericis auro intextis Lacedemonij milites: induatur coccinea veſte Cyri bellatoris exercitus: chriſtiana militia eos præſtantiores, ac de tartareis hoſtibus triumphatores recenſet, & laudibus excipit, quos nudos charitas facit; ſi tamen nudi dicendi ſunt, quos virtus heroica ſuo ornat indumento, non onerat. Fuit ſuperbia illa Tullij Hoſtilij, qui primus Romano in imperio purpuram induit, nam Romulus, & Numa Pompilius ob varias regni viciſſitudines nunquam leguntur purpuram

in-

induiſſe. Fuit ſuperbia illa Sinarum Regis, qui alias non admiſit veſtes, quàm ſerico, & auro intextas, draconum, ac leonum feritatem inſpirantes, terrores incuſſurus, vel in ipſo auri blandimento. Fuit ſuperbia illa Conſtantinopolitani naſcentis Imperatoris, qui nonniſi purpureis involvebatur faſciolis: fuit ſuperbia illa militantis Juſtiniani, qui ſepulchrum veſte juſſit ſtragula tegi, in qua opere Phrygio victoriarum, urbium, Regúmque barbarorum, quos ipſe debellaverat, eſſent effigies intertextæ: fuit ſuperbia etiam illa Orientalium Imperatorum prohibentium, ne obducti veſtibus nigris, fulvíſque Imperatorium ingrederentur palatium. Sed virtus fuit heroica illa Amadei, qui regias veſtes non induit, ſed exuit, quibus pauperes tegeret, & protegeret, ſimúlque tartarum impugnaret, & expugnaret; debuit nobilis Athleta dimiſſis veſtibus cœleſte ingredi Capitolium æternis donandus triumphis; ſi tamen nudus fuit, quem purpura charitatis veſtivit.

3 Ut per comparata pluribus laudibus excipiamus, & amplificemus Divi Laurentij illuſtre martyrium, & celebrem hujus Herois victoriam licèt è corporis jactura, & membrorum aduſtione emerſam; per varias ignium, flammarúmque comparationes clarius erit illuſtrandum inſigne hoc martyrium. Dignus eſt gloriâ, qui ſuccenſo è rogo ſurſum celeriùs flammâ evolavit, cœleſtis Phœnix nonniſi è rogo flammarum debuit ad vitam nulli ampliùs morti obnoxiam, & ad gloriam nunquam perituram reſurgere. Rarum ſanè ſpectaculum? urebantur inter prunas nivea Laurentij membra, cujus tamen ſpiritus decoctis epulabatur carnibus. Neque obſcura cenſenda eſt hæc victoria, quæ illuſtrior inter flammarum ſplendores clareſcit. Quòd ſi Vulcanus olim fulminum, nunc palmarum eſt faber; flammas, ſi excitat, illuſtriores cudit triumphos, & Laurentio lauream procudit, quia Chriſti Athleta Olympium ſtadium nactus in pyra; flamma, ſi murmurat, triumpho plaudit, ſi in conum erigitur, fit gloriæ monumentum; ſi circumdat, amplectitur, ſi cingit, coronat, quia carbones ipſi in gemmeos cedunt carbunculos victricis coronæ, ut in honorem triumphi etiam tranſeant inſtrumenta ſupplicij.

4 Ut igitur noſtra fiat amplificatio deſumenda erit comparatio ab illis omnibus incendijs, quæ ſcimus fuiſſe toto orbe celeberrima, & ſunt vel confutanda, vel æquiparanda hoc pacto: Procul hinc philoſophantium turbæ illæ, quæ ſterilitatis probro auſæ ſunt, vel ipſos ignis ſplendores denigrare, lucémque ipſam obſcurare: quis ſterilem dicat ignem, cùm tam inſignem palmam Laurentio parturierit? Lethale fuit excitatum incendium in urbe Roma ab illo Imperatore, qui nec in ipſo nomine candorem paſſus fuit, ut urbium illa regina proprijs ſepulta cineribus, non ad immortalitatem redivivus Phœnix reſurgeret, ſed pallidæ mortis in umbris extincta jaceret.

Ad perniciem accenſum fuit Siracuſana ab arce incendium Archimedis induſtriâ maritimam contra Marcelli claſſem, quæ medijs in undis igne perijt, quem ſua arte Archimedes, vel in ipſis aquis accendit. Ad interitum hominúmque perniciem flammarum globos eructant Ætnæ juga, & Veſuvij cacumina; dum Ætnæa incendia Empedoclem abſorbuêre; & Veſuvij flammæ imperante Veſpeſiano Plinium abſumpſerunt: incendia vero, quæ armata barbaries excitat in Martyrem Laurentium, necem non inferunt, ſed vitam adferunt, Manium umbras non accerſunt, ſed gloriæ ſplendorem adducunt. Illuſtris eſt Calani pyra coram Alexandro ſuccenſa, ut Regum ſolem flammarum ſtellæ ad pompam coronarent illuſtriorem: ſed obſcura erit, ſi rogo æquiparetur Laurentij, cum non flammis coronam texuerit, ſed gemmeum æternæ gloriæ diadema ei compoſuerit. Vulgatum eſt à Chaldæis cultum Numinis fuiſſe igni exhibitum, qui tamen non valuit Ethnicæ ſuperſtitionis caligines, & umbras ſuo excutere ſplendore: claruit tamen longè ſplendidior Laurentij gloria flammeis aucta nitoribus. Non ita ſuis facibus armata Bellona de hoſte triumphatura pugnavit, quò illuſtrior fieret victoria, quò accenſæ faces ſplenderent clariores. Non ita olim Cæſariani accenſa ejaculabantur in hoſtes tela, quò citiùs ſolverentur in cineres adverſarij. Non ita antiqua in acie milites igneis tædis amicis loquebantur copijs, etiam longo diſſitis intervallo; ut invictiſſimus Martyr Laurentius ſubjectis prunis, flammiſque ſuccenſis de tyranno triumphavit, & amicis Beatorum copijs illuſtre exhibuit ſpectaculum, feſtivè ſpectandum. Scio Germanici Imperatoris cor in flammis comburi non potuiſſe, licèt in cineres ſoluto toto corpore, quia veneno erat infectum, ſed invicta Laurentij conſtantia lædi ab igne non potuit, non quia ferrea, ſed divino amore aurea, quæ propterea igne illuxit purior, & ſplenduit fortior: Quòd ſi Pyromantæ ex igne futuros prænuntiant eventus; multò certiùs ex Laurentij igne plaudentibus flammarum linguis ejus poſſumus gloriam præſagire nunquam perituram. Accendant Perſicæ mulieres velato vultu igni ſacrificaturæ: Laurentius nudato corpore meliorem accedit ad ignem, non ut flammas adoret Perſico more, ſed ut beatus adoretur ipſe à tota poſteritate. Ite nunc excruciandi infelices Promethei æternùm in gehennam ob ſuſceptam impudico, ac fœmineo ab igne ferulam; ite infelices infeliciſſimi ignis phœnices; ite debilis flammæ deplumati papiliones; ite, abite Salamandræ æternum in ignem, non ut vitam hauriatis, ſed cruciatus æternos exhauriatis, non vobis hæc flamma, ut olim Servio Regnum, ſed ſervitutem prædicit æternam. Sola Laurentij gloria igne ſplendet illuſtrior, & flammis emicat clarior, quia comitante flammâ ad cœleſtem avolat ſphæram.

5 Virtutes cum bono ſolent odore comparari, ut is dicatur bene olere, qui virtutum culturâ efflorefcit: alioquin ſi ſpiritus ornamento deſtituatur virtutis, corporis fragrantiam malè olere innuit S. Chryſoſtomus *Concion. 1. de Lazar.* inquiens: *Non oportet te olere unguentum, ſed ſpirare virtutem: nihil immundius anima, quando corpus talem habet fragrantiam. Corporis enim, & veſtium fragrantiam arguit intus latere animum immundum.* Ut aliqua excerpta de odoribus exhibeam, apum aculeum calamus noſter imitabitur; punget unguentis madidos, & virtute exſuccos ait Theophraſtus lib. 6. cap. 4. *Pugnant apes vehementer in eos, qui unguentis ſunt uncti.* & lib. 4. de plantis cap. 22. ait: *Ex fructibus nullus bene olet, nam & mala dulcia odorem minimè reddunt, ac retinent; & eò minùs quò dulciora ſunt, quia ſuccus dulcis craſſior, & terreſtrior eſt: odor autem corporis tenuioris, ac ſiccioris eſt: itaque luxus, & carnis craſſitie laborat, nil tenue habet, nil ſpirituale.* Suas odor in ſicca ſubſtantia radices agit, rejicítque corporis pinguedinem, ac luxum non ſecus ac virtus, quæ tantùm ſpiritui adhæret, hic enim tunc tantùm incipit malè olere, cùm corpus luxu ſaginarum bene olet, ſcitè D. Chryſoſtomus *homil. 82. Non unguento ungitur Athleta, eorum enim eſt, qui jam victi ſunt, tale ſtudium; Nihil animâ immundius, quando corpus talem habet odoris ſuavitatem.* Magìs tamen videtur ad rem noſtram pertinere illud Veſpaſiani Imperatoris. Cùm ad ipſum acceſſiſſet adoleſcens eximio ornatu elegans, & exotico fragrans unguento gratias pro impetrata præfectura acturus, Imperator nutu fuit ipſum aſpernatus, quinimò & voce graviſſima eum redarguit, inquiens: *Maluiſſem allium adoluiſſes.* & illico literas revocavit, nóſque edocuit ſapiens Princeps, dignitates non corporis luxu, nec veſtium pompâ, ſed virtutum odore, & exercitio eſſe excolendas, charitatíſque purpurâ ornandas. Verùm perinde vitium pariatur fœtori, ac virtus bono odori, argutè D. Chryſologus ſerm. 19. *Diſcedente DEO ab anima confeſtim venit in animam peccatorum fœtor, vanitatum cinis,* & D. Auguſtinus in Pſalm. 37. ait: *Habeat aliquis ſanum olfactum animæ; ſentit, quomodo puteant peccata; unde ait Divinus Sponſus; poſt odorem unguentorum tuorum curremus, advertimus à putatoribus peccatorum olfactum.*

6 Tractari etiam ſolet præſens amplificandi forma per continuam allegoricam conferendo unum ſubjectum ſemper cum alio: quo pacto comparatur D. Hieronymus cum leone, ſi omnia pertinentia ad naturam leonis conferantur cum D. Hieronymo, & quæ eruditè fuerunt ſcripta de quadrupedum Rege, dicantur de hoc Eccleſiæ Doctore, cui adaptentur, vel per ſimilitudinem, vel per confutationem, vel à majori ad minùs. D. Hieronymus contemnens mundi divitias, & illecebras vaſtam ſeceſſit in eremum, ſterileſcente in ſolo eas exculturus virtutes, quæ hominum inter frequentias rarò efflorefcunt: Bethlehemiticum incoluit antrum, ubi tales emiſit rugitus, ut adverſarios ex Oriente perterrefaceret in occidente: ibi plura ſcripſit doctiſſima volumina, plures confutavit errores; per amorem, & charitatem unicè DEO adhæſit; cujus ſitim lachrymarum profluvijs acuit, non extinxit: ibi manu ſaxo præduro armata pectus pulſavit ſuum, diſcordes cordis affectus, ac diſſentientes appetitiones compoſiturus cùm recta ratione, & actionum dulciſonam harmoniam cœlitibus exhibiturus. Ex varia igitur eruditionum ſylva, quæ eruditè decerpſi de ferarum Rege per continuatam allegoriam conferri poſſunt cum D. Hieronymo hoc pacto. Quis neſciat ſingularem eſſe leonis prærogativam ſolo rugitu extinctos ſuos ſuſcitare leunculos: at Hieronymus, ſeu Leo noſter Bethleemiticus voce, & eloquio, imò & calamo plures divinæ gratiæ emortuos, & in ſqualore peccati jacentes, ac ſepultos ad ſanctiorem revocavit vitam. Scio eximiam fuiſſe dotem leonis Nemæi, qui licèt ab Hercule proſtratus adhuc ſyderibus adſcitus ſplendet, etiamnum ferventiùs; ſed Bethleemiticus noſter Leo poſt hujus vitæ curſum in cœlum evectus æternâ fuit ibi gloriâ donatus; & ſi non æſtuat ferventior, emicat tamen gloriæ ſplendore clarior. Scio non exiguam eſſe leonis laudem, quòd oves ejus non metuant præſentiam ex Virgilio, *nec magnos metuent armenta leones*, eò quia grandis ſit animæ prærogativa parcere ſubjectis, & tantùm debellare ſuperbos: & D. Hieronymus, qui pauperes & humiles propugnavit, ſolùm ſuperbis, hoſtibúſque eccleſiæ fuit terrori. Non exigua eſt leonis dos, quòd oculis indormiat apertis, ſoleántque propterea in vigilantiæ ſymbolum ad ſacrarum ædium ampliſſimas januas exſculpti in marmore leones apponi, imò & ſacer ipſe Codex eburneo Salomonis in ſolio refert duodecim fuiſſe leones locatos, ut ferarum vigilantiſſimi ad cuſtodiam regij throni die, noctúque invigilarent: ſed Hieronymus nunquam indormivit, ut hoſtes propulſaret, & vigil virtutes, quas ad ſummum faſtigium excoluit, cuſtodiret, & eccleſiam defenderet. Exterret leonem galli cantus; & D. Hieronymus cantus omnes voluptatum exhorruit, nec blandulæ ſirenulæ voces unquam admiſit, ſed Ulyſſe fortior aures ijsdem clauſit. Præclarum ſimul, ac rarum eſt illud Leonardi Vincij pictoris æquè, & ſculptoris excellentiſſimi inventum: varijs iſte machinulis verſatilem compoſuerat leonem, qui ſuis ſe pedibus ad Regem Francorum Ludovicum XII. contulit; ubi cùm ad regiam perveniſſet præſentiam, non mel ex ore, ut quondam Hebræo Herculi Samſoni, ſed gravida ab alvo liliatum perpluit nimbum: nec unquam major viſa eſt celebri Gallorum in regia ſerenitas, quàm in hac florida pluvia: quid ni etiam Bethleemiticus noſter leo virtutum omnium flores non per unam tantùm regiam, ſed totum per orbem effudit, cum ſanam doctrinam, & ſanctitatem, ubique diſſeminaverit, ut redo-

letet

leret laxiùs. Excitantur mirum in modum magnanimi leonis partus auream quaſſante jubam leone parente: ſed quos Hieronymus Deo & fidei peperit, hos voce, & exemplo ad virtutum culturam, & in fide conſtantiam mirè excitavit. Scio, leones Hermiæ Regis ſepulchro fuiſſe appoſitos, ut Vigiles Cuſtodes, quamvis lapideos, eorum ſiquidem oculi Smaragdini terrori fuerunt Squammeo gregi, quaſi oculorum acies, quacunque ferri acie acriùs ferirent. Sed Hieronymus leo Bethleemiticus non ſolùm vigil Servatoris ſepulchrum cuſtodivit, verùm etiam ab Eccleſia tota hoſtes excluſit, quibus acie calami terrorem incuſſit. Silentio non eſt prætereundum, quod de leone fertur apud Dionem, refert is paulò ante, mortem Antonini Caracallæ Imperatoris fuiſſe hunc regalis ſui palatij in limine à leone agreſſum, qui abreptâ dentibus veſte illum detinere adnixus eſt: ſed egreſſus nihilominus ipſe domo in conjuratores incidit, à quibus fuit infeliciter interfectus: noſter autem Bethleemiticus leo non ſolùm plures detinuit, ne æternam incurrerent mortem, verùm etiam à morte ipſa peccati ferè innumeros extraxit. Commendatur leonis generoſitas ac magnanimitas, eò quià armato non cedat hoſti; fueritque propterea, qui ſymbolicè expreſſurus virum fortem leonem pinxerit irruentem in hoſtes armatos addito lemmate: *Per tela, per hoſtes:* & Bethleemiticus noſter leo, quos habuit adverſarios, & eccleſiæ infenſos, non ſolùm non timuit, ſed inconcuſſa pectoris firmitate, cum ijsdem non gladio, ſed calamo pugnavit, quos etiam expugnavit. Quòd ſi nulla gloria major poteſt ſylveſtrium ferarum Regi congruere illâ, quam leoni tribuit Chriſtus Dominus, cum tali ſe nomine voluerit inſignire, cùm dixit Propheticum Oraculum, *Vicit Leo, de tribu Juda*, quid ni etiam Bethleemiticus noſter leo pugnavit, hoſtes vicit, tartareas phalanges fugavit, & hoſtes eccleſiæ profligavit. Vides quàm laxum aperiat campum Oratori dilatandi quamlibet propoſitionē hæc forma amplificandi per comparata præſertim in allegorijs continuatis, quibus facilè orationes panagyricæ texuntur in commendationem cujusvis cœlitis. Poſſunt etiam eruditiones per confutationem æquiparari ſubjecto, quod laudare intendimus: quo pacto per confutationem poſſent plura alia de leone addi. Placuit quondam Lyſſandro leoninam induere pellem, & ubi deerant generoſæ hujus feræ nobiles exuviæ vulpinas addebat; & innuit Militi deſtituto fortitudine leonis recurrendum eſſe ad vulpinam vafritiem. Marcus Antonius primus omnium Romæ ſubactos currui alligavit leones, ut victor exciperetur Romano in Capitolio, eò quia de hoſtibus fortitudine inſignes triumphaverit. Scimus Agamemnonis clypeum leonino animatum capite additâ epigraphe: *Hic hominum terror*, timorem hoſtibus incuſſiſſe, quos vel vicit, vel fugavit: ſcimus Chyronem hominum fuiſſe fortiſſimum, quia non alio enutritum alimento, quàm ex oſſium leonum medulla. Alexander Magnus, quia leonem præfocavit: ac interemit à Legato Lacedæmonum hoc encomio fuit ſtatim commendatus; *Bellâſti, ac debellâſti Regnum.* David etiam alter Cyrus inter paſtores, ut & inter Reges Paſtor adoleſcens contra leones perinde ac adverſus Achilles vires exercuit ſuas, nec minorem ſibi gloriam comparavit leone devicto, quàm quondam Achilles proſtrato Hectore. Febri tamen laborat, urinirque frequenter leo, cujus æſtu furoris flamma miteſcit, nimirum nos edocet ipſa natura etiam ſublimes animas ſuis torqueri moleſtijs. Singularis eſt etiam leonis prærogativa, qui cum luna totum implet orbem, fortior, & vegetior eſt, & cum planeta lumine deſtituitur, etiam leo viribus deficiat: cum tamen viri ſtudio virtutum addicti inter adverſariis fortunæ tenebras, & ærumnarum caligines clariores ſplendeant exercitio patientiæ, ac illuſtriores emineant infracta conſtantia. Neque ſilentio prætereunda eſt leonis gratitudo in ſibi beneficum hominem. Luſitanus miles ſylvam ingreſſus propè Africæ littus leonem vidit cum Dracone decertantem: nudavit ſtatim gladium miles, & plura draconi vulnera inflixit, hoſtemque leonis interemit, qui tanti beneficij memor è latere ſui propugnatoris disjungi ampliùs noluit; & quia miles debuit navim conſcendere, & æquora trajicere in Americam navigaturus; leo defenſorem ſuum militem ſecutus pluries adnixus eſt navim conſcendere, ſed repulſam paſſus, depoſita feritate marinis fluctibus tamdiu innatavit, quamdiu vires ſuperfuerunt: ſic exarſit amoris igne in aquis leo, ut pelagi ipſius fluctus non valuerint ardorem extinguere. Hactenus de leone excerpta ex varijs Authoribus facilè conferri poſſunt cum D. Hieronymo, ejúsque accommodari virtutibus, vel per comparationem, aut confutationem, præſertim ſi oratio in commendationem hujus Doctoris texenda eſſet.

Per confutationem poſſunt adduci omnes 7
illæ eruditiones, quæ vel minùs excellunt, neque æquiparantur rei, quam commendandam ſuſcipimus, eò quia ejus excellentiam minimè attingant, ut ſi aliquid opificium omnino rarum, & ſingulare, in quo materiam ipſam pretioſiſſimam opus ſuperaret, vellem laudibus excipere per comparata, poſſem omnia illa in mundo fabrefacta coacervare, quæ plurimum meruerunt laudis, vel ob magnitudinem ædificij, vel operis artificium. ſicque poſſet Orator ea comparativè confutare Superat hoc opus omnia ea, quæ homines veluti mundi miracula commendârunt, ac fuerunt admirati: unde cavendum, ne cum hoc opere componamus Ægypti pyramides arte, pretióque certantes; Phariæ turris ingentem molem, dignúmque Ptolomæo opus; Rhodium ſolis Coloſſum ſitu, & mole vaſtiſſimum; Epheſinæ Dianæ ampliſſimum templum; giganteos Babylonis muros; ſublime Mauſoli ſepulchrum; ſimulachrum Jovis, opus excellen-

celſentiſſimum Phidiæ; Minois Labyrinthum intricatiſſimum, Coſrois regiam nobiliſſimam; Neronis domum auream; Pompei amphiteatrum, Apellis Alexandrum depictum, Zeuxidis Uvas delineatas, Paraſij linteum; Doriphori ſtatuam; Praxitelis Venerem Coam; Minervæ Clypeum Meduſæ inſculpto capite inſignem; inciſa Soleæ Lapitarum cum Centauris prælia: quia hæc, & alia ſexcenta, quæ habentur ut artis miracula, ſi ad noſtrum acceſerint opus, perinde ac ſydera acceſſu ſolis, neceſſe eſt, eclypſim patiantur, & umbras. Quamobrem comparativè per confutationem amplificamus rem: ſi ea omnia congeramus, quæ cum eadem comparari poſſunt; verùm non ſunt ſine ornatu elocutionis, & figurarum varietate exhibenda: quia verò praxis, & exemplum rem magìs illuſtrant, & explicant; exhibeatur amplificanda hæc propoſitio; *Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie viſus eſt*, recenſendæ ſunt per figuram confutationis illæ omnes eruditiones, quas de columbis decerpſimus à varijs Authoribus, & in noſtra rerum ſylva congeſſimus ſub titulo columbæ. Si Orator ſuam paraverit ſylvam, facilè inveniet materiam ſibi ſufficientem ad propoſitionem amplificandam, imò & ad orationem integram in laudem Spiritûs Sancti texendam. Hoc pacto

8 Sileant Noëtica tempora pacificam columbam, quæ cum Olivæ ramo in arcam redux, perinde ac caduceator Mercurius terram cœlo perpetuo fœdere reconciliavit: id enim indicavit variis depicta coloribus iris, ut ſignificaret, cœleſte Numen depoſitâ irâ in homines delinquentes nubium clavo ſuum appendiſſe arcum, ne impoſterum vibratis nimborum telis homines ferret ad internecionem, nec terram obrueret naufragam. Diceres cœlum hoc arcu ſua veluti aperuiſſe, ac extendiſſe brachia amicè, ac in pacis teſſeram amplexurum terram, & homines ex Cataclyſmo ſuperſtires: imò aſſereres, hoc arcu cœlum pontem conſtruxiſſe, quo ſibi terram conjungeret, cum qua amica impoſterum necteret commercia, ac beneficis ſuis influxibus locupleraret. Deſinat Poëtarum Princeps decantare columbam fauſtiſſimum fuiſſe Æneæ omen: ſtatuerat hic ludum, in quo alligatâ ad arboris ſuprema ramaria columbâ ſuos invitavit milites ad eandem telis ab arcu emiſſis trajiciendam; cúmque acceſſiſſent omnes, primus ramum tetigit, ſecundus nodum ſolvit, tertius ipſam volantem interemit, quartus cum nihil ampliùs ſupereſſet, ſagittam tamen ab arcu emiſit, & cœlum flammam in terram demiſit. Sileat Archytas Tarentinus columbam varijs machinulis, ac libramentis ita à ſe conſtructam, ut per aëris ſpatia perinde avolaret, ac ſi non ficta & artefacta, ſed vera eſſet. Taceat Solimanus Imperator Tabellarias ſuas columbas, quarum pedi illigatis epiſtolis, non currentes per terrarum ſpatia homines, ſed avolantes per aëris tractus columbas nuntias ad alios Principes mitteret. Deſinant Poëtarum commenta Veneri impuri amoris Deæ illibatas præ candore columbas conſecrare, & currui impuræ Deæ pudicas adnectere aves: non decet pudicitiæ volucres Deæ aſſociari impudicitiæ. Sileant venatui cum Diana addicti velociſſimum columbæ volatum jactare, quia ſi volatûs pernicitate plures alias ſuparat volucres; naturæ manſuetudine cæteris omnibus antecellit, adeò ut in parœmiam abjerit *columbâ mitior*: ad hominem manſuetiſſimum indicandum. Scio à plerisque ſummis fuiſſe laudibus exceptam columbæ venuſtatem, eò quia ejus collum ſoli expoſitum iridem deſcribat in terris, non absque Thaumantiadis invidia in cœlo, dicatúrque de columba *in luce lucidior*. Non amplius bellatrix Semiramis ſuo pingat in ſtemmate columbas, quarum candore proprias contegat ſordes, quibus non modicè denigrata malè apud alios audijt. Nam divini Spiritus columba eſt duntaxat ſummis laudibus commendanda, quæ ſingulari prodigio cum puritatis nivibus amoris flammas copulavit, nec flammæ nivibus aſſociatæ, quidquam patiuntur detrimenti, nec nives flammarum incendijs confœderatæ diſſolvuntur: *niveus* fuit divinus Spiritus, cùm in columbæ ſpecie apparuerit: ſed etiam *igneus* cum facto de cœlo repente ſono multiplices diſpertitus flammeas in linguas, in terras deſcendit: quàm benè flammeas perpluit in linguas divini Spiritûs columba, quia ſi olim ſupremus rerum Conditor plurium confuſione linguarum inſanientium gigantum temerarios auſus coërcuit, irritósque effecit labores in Babylonicæ turris ſtructura impenſos: ita quia nunc eccleſiæ turris erigenda erat ad cœlum usque; decuit, ut varietate quoque linguarum conſtrueretur; & ſicut Babylonica turris fuit olim diverſitate linguarum everſa; nunc converſa ethnica ſuperſtitio varietate linguarum Eccleſiam ingrederetur. Quòd ſi victimarum linguæ ſacris olim tribuerentur præconibus, nunc cœlum igneas Apoſtolis linguas ſuppeditavit, quia cum futuri eſſent veræ religionis Magiſtri, legiſque evangelicæ præcones linguæ iiſdem debebantur, ut ubique terrarum vocales fierent: vel ut eloquentiæ armari fulminibus ethnicæ ſuperſtitionis interimerent hydram non ſeptenis tantùm, ſed & centenis ſuperbientem capitibus. Mirum tamen non ſit, ſi delabentibus è ſummo cœlo in imum terrarum flammis auditus ſtatim fuerit ſonus; quia cùm vocales eſſent linguæ vix cum ſilentio deſcendere poterant, quin audirentur. Neque amorem ſuum patitur DEUS ſentiri ab hominibus, niſi igneis linguis: neque laudari ipſe vult niſi ab igneis linguis, quæ vel amoris exardeant igne, vel ſaltem virtutum ſplendeant nitoribus: idque cauſæ, cur rerum Conditor ſub mundi initijs poſt conditos cœlos, & creata elementa Solem illuminaverit, à quo veluti è ſuo fonte nitores haurirent, quibus emicant reliqua omnia aſtra, ut ſcilicet cœlum tot igneis linguis, quot ſtellis coruſcum DEI Conditoris,

mundive ſapientiſſimi Artificis loquerentur gloriam Pſalm. 18. *Cœli enarrant gloriam DEI, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Rectè igitur in hac ſecunda mundi reſtauratione, ut Apoſtoli Magnalia DEI Gentibus annuntiarent, igneis & ipſi erant linguis muniendi. Idque fortaſſis cauſæ, cur in lege Moſaica per Angelos Deus loqueretur ad homines, non ita ampliùs in lege evangelica; quia poſtquam flammeæ DEI linguæ è cœlo in terras deſcenderunt, opus ampliùs non fuit, Angelorum linguas audire loquentes. Quòd ſi olim Eois Regibus relictâ propriâ aulâ in Bethleemitica caula humani generis Reparatorem inviſuris unicum duntaxat ſydus illuxit: chriſtianæ religionis præconibus multiplices affulſerunt ſtellæ è cœlis in terras delapſæ, quibus validiùs tanto ſplendore, & ardore linguarum ethnicæ ſuperſtitionis caligines excurerent, & umbras fugarent. Divini igitur Spiritûs columba, quia ſine ſtrepitu, & aëris colliſione non evolat, ita nec ſine ſono, quapropter diſpertita, ac ſoluta in linguas ſonum edit vehementem: *Et factus eſt repentè de cœlo ſonus*: ſine fragore non ruunt è cœlo fulmina: & quia eloquentiæ fulmen dandum erat Apoſtolis, quo ſuperſtitionis monſtrum everterent, & Gentes ad veram religionem converterent, non abſque ſtrepitu debuit hoc fulmen in terras ruere. Vel ſi ſonus factus fuit tanquam advenientis ſpiritus vehementis: ventus erat non tamen adverſæ, ſed faventis Fortunæ, quo Eccleſiæ navis per Apoſtolos gubernatores è Judææ littore ſolveret, ac alia trajiceret maria: lumen enim veræ religionis ingratos Judæos ſtatim deſeruit, & Ethnicos populos illuminavit: *Populus qui ambulabat in tenebris, & umbra mortis, lux orta eſt ejs.* Vel factus eſt repentè de cœlo ſonus, quia harmonicum ſonum, & muſicam duntaxat edocet amor: quòd ſi moris fuit, ut Ethnicorum leges nonniſi gratiſſimo carminum ſono promulgarentur, quæ jucundiùs in aures, animóſque ſubditorum illaberentur, & feſtivè cum gaudio reciperentur à populis: congruum erat, ut lex evangelica utpote lex amoris, & dilectionis nonniſi harmonico ſono promulgaretur in terris. Quod olim delirante mente aſſeruit Pithagoras, cœleſtes ſphœras velociſſimo ſuo curſu invicem colliſas obſtrepere, & harmonicum edere ſonum, fabula fuit, ſed quòd tunc fictum; nunc factum eſſe deprehendimus, ut Orpheos ſuos videatur habere cœlum, quorum harmonico ſono non unicam tantùm Euridicem, ſed innumeras Ethnicorum gentes è Tartari faucibus extraheret. Oh certè fauſtiſſimum divini Spiritus nomen, omen veræ felicitatis, nomen igneum, pariter & niveum, igneum ob flammeas linguas, ſeu amoris tædas; & niveum ob ſpecimen columbæ

9 Per ſuſpenſionem, quæ figura eſt plura præmittens, ac prædicens priusquam, quod concludendum eſt, producatur, ſeu Orator ſuam aperiat mentem, poteſt ſubjectum amplificari à comparatis. Ut autem praxi enucleatiùs explicetur; ſit propoſitio amplificanda: *Aureus Chriſti Domini vertex aliquo diadematis honore debet irradiare, cum in ſuæ paſſionis conflictu non ſolùm de hoſte triumphaverit tartareo; verùm etiam ſua morte mortem ipſam proſtraverit.* Grande procul dubio diadematis decus Chriſto debetur triumphatori, cùm ſit æterni Patris æternus Filius, Angelorum deliciæ, beatorum felicitas, Princeps pacis, humanæ ſalutis parens, noſtræ libertatis Aſſertor, mundi collapſi reſtaurator, in quo nec minima fuit pars corporis, quæ majeſtatem ſimul, & divinitatem non ſpiraret: fuit ejus frons plena majeſtate, ejus facies ita gravis, ut terreret; ita amabilis, ut alliceret; ita comis, ut humiles, & abjectos erigeret; imò inter ſuæ paſſionis tempeſtates, & procellas tam ſerena renitebat tranquillitate, & tam clara ſplendebat ſerenitate, ut non illuſtriùs micarent ſtellæ, nec ſereniùs luceret lacteus circulus, nec eteſiæ placidiùs ſpirarent: oculi infra ſuperciliorum arcus adeò eblandiebantur, ut non geminæ ſtellæ, ſed nitidiſſimi ſoles viderentur; licèt cum increparet, fulgura dixiſſes, imò & fulmina, improborũ in animos evibrare. Ejus labia gratiarum ſedem dixiſſes, in quibus omnis affluebat lepos: ex ijsdem nectaris rivi cœleſtis ſapientiæ flumina exundabant; & tota ejus vita clariſſimum fuit virtutum exemplar; ad cujus imperium febris ardores extinguebantur; aquæ intrà cutem veternoſæ exiccabantur, & corporis omnes cruciatus ſtatim fugiebant: ad cujus nutum claudi ſtatim cucurrerunt, capti membris ſurrexerunt, & repentè lectulos ſuos aliò deportârunt, licèt ipſi alienis paulò ante cervicibus fuerint delati: cæci aperuerunt oculos, & clariùs cœlum, quàm terram viderunt. Ipſe fuit, ad cujus imperium inſana ſe coërcuerunt maria, procellârum turbines, ac tempeſtates ſe tranquillârunt. Ipſe fuit, qui fluxi elementi terga leniſſimis paſſibus impunè calcavit, fluctibus ipſis ſtupentibus; Ipſe fuit, qui numeroſiſſimam hominum multitudinem, quæ fuerat eum in ſolitudine ſequuta quinque panibus exſaturavit, & ne præſtygiæ viderentur incredulis, ſex ſportarum ſinus reliquiarum implevit fragminibus. Ipſe fuit, qui cum miraculis, & prodigijs terram, & maria impleſſet, etiam vectes inferorum, & mortis repagula confregit, & in triduo funeris rediviva cadavera ex faſcijs expedivit polinctorum. Cùm igitur tot fuerit triumphis celebris, & in ſua paſſione non ſolùm de Tartaro triumphaverit, verùm etiam mortem ipſam ſua morte vicerit, æquum eſt, ut ſacer ejus vertex aliquo irradiet diadematis honore. Sed qualis erit hæc coronæ pompa? an illa nocturni planetæ, quæ halos dicitur, ſed ſi lunæ coronamentum in aëre tempeſtates præſagire aſſolet; Chriſtus inter cruciatuum procellas cœli ſerenitatem nobis ſpopondit. Sit corona ex auro cuſa, & gemmis illuminata; vel ovalis ex myrto, vel navalis ex roſtris,

vel vallaris ex gramine, vel civica ex quercu, vel ex amarantis immortalibus, vel ex roſis ſuaviter olentibus, ut olim triumphator Scipio ex floribus, & roſis intextam habuit; certè hisce omnibus eſſet ſacer Chriſti vertex ornandus coronis, cùm triumphos omnes fuerit complexus, & hoſtes ſingulos etiam tartareum proſtraverit: ſed aliud coronarum genus aureum hunc verticem cingat: at quænam erit hæc corona forſan ex hedera, vel myrto compacta? cùm felicior Orpheus non unam tantùm Euridicem, ſed innumeras hominum turbas ex tartareo ſpecu feliciter extraxerit? & fortunatior Hymenæus ſordeſcentem terram ſuo purgatam ſanguine maritali fœdere cœlo conjunxerit? Non inficior hujus coronamenti decus Chriſti deberi vertici: ſed alia debet diadematis pompâ irradiare: at quænam erit hæc corona? An illa apud Scythicas gentes, quæ in caſtris ſagittis conſueverunt caput cingere, quò expeditiùs tela in hoſtes ejacularentur? ſed frons Chriſti non ſagittis armata terruit, ſed gratiæ radijs coronata allexit. An ex contextis crinibus erit Chriſti Domini corona componenda? ut olim apud Perſas ſcimus, nonnullas fœminas ita fuiſſe bellicoſas, ut loco reticuli, vittæque mulíebris fundam adhibuerint militarem ad ſaxa in hoſtes vibranda: ſed aureus Chriſti vertex omnem abegit duritiem, cùm vel ipſa hominum ſaxea corda ad reſipiſcendum amollierit, & ad virtutum exercitia flexerit. Quo igitur diadematis genere erit coronandus Chriſti vertex? An Ariadnæ corona ne pote in cœlo fulgens, tot ornata gemmis, quot ſyderibus illuminata Chriſti caput ornabit? vel iris verſicolor inter procellas terenitatem ſpondens? Non inficias eo Chriſto vero juſtitiæ ſoli ſydereum deberi coronamentum, ſed aliam exigit Chriſti vertex diadematis pompam: non tamen credas, ei deberi Bacci coronam pampineam, nec cupreſſinam Plutonis, alio enim diadematis genere debet irradiare. Sed quænam erit hæc corona? An una ex illis, quas Barbari quondam populi ex anguibus, ac ferarum carnibus, quas in venatione interfecerant ſibi componere conſueverant? Sed Chriſtus nullum hominibus damnum intulit, quibus & vitam attulit, & venatores effecit, ut cœlum laborioſo venatu ſibi acquirerent. Scio Aaronis Pontificis coronam ex auro conflatam multiplici gemmarum genere irradiâſſe: Scio Antiochum Epiphanij poſt ſuperatum Paulum Conſulem Romanum ſui triumphi pompam illuſtrem effeciſſe quatuor millenis coronis aureis multiplici gemma illuminatis, quæ triumphum clauſerunt: ſed Chriſti vertex paupertate delectatus auri nitorem, & gemmarum fulgores reſpuit; quâ igitur coronâ erit Chriſti vertex cingendus? An laureâ cùm Chriſtus tartareos hoſtes, & mortem ipſam debellaverit? at hujus coronæ pompam eligat Lucius Sylla, qui ſuo in funere plures voluit coronarum laurearum habere acervos. Circumvolvantur igitur ſuis circulis in aliam partem prærecenſita omnia coronarum genera quia Chriſti vertici corona ex marinis juncis intexta imponitur, ut ejus nobilitas clareſcat illuſtrior, & dignitas emineat clarior. Apud Tertullianum ſpinæ marini junci magnitudinem produnt, & nobilitatem indicant: idque cauſæ, cur in domibus virorum illuſtrium, ac nobilium corona appenderetur ex marinis juncis compacta ad eorum nobilitatem, ac dignitatem indicandam. Quamobrem, ut probabilior fert opinio ex marinis juncis, fuit Chriſti Domini corona intexta, ut contra inſaniam Hebræorum ejus dignitas oſtenderetur, & divinitas manifeſtaretur; quapropter Præſul ille, cujus nomen ambroſiam ſapit *lib. 10. in Lucam cap. 23.* ait: *Sic coronatur, ut victor, & adoratur ut Deus, ac Dominus.* Quidni? flos campi, & lilium convallium fuerat ſacer Sponſus ex atteſtatione ſponſæ in ſacris Epithalamijs; ideo quò ſuaviùs oleret, ſpinis cingebatur, ſed cur non potiùs ex ſyderibus compactum fuit Chriſti diadema, quàm ſentibus compunctum ſacrum ejus caput? Scio populos quoſdam in acie pugnaturos ſagittas in morem radiorum in ſpeciem coronæ compoſuiſſe, & capiti impoſuiſſe, ut promptiores in hoſtem poſſent jacula intorquere: ſed non coronatur ſentibus, nec aculeatis dumis bellator noſter Chriſtus, ut tartareum hoſtem confodiat; ſed ut firmiùs nos cœlo figeret. Non tamen ſuæ deſunt hisce ſpinis roſæ, quæ ex fertiliſſimo Chriſti capite progerminantes ſanguineam effloreſcunt in purpuram, ut tota poſteritas ex hisce ſpinis nonniſi vernantes roſas legeret, quæ charitatis, & amoris ſunt flores. Quis neget Dominum vitæ fuiſſe Chriſtum? cùm in ejus vertice affixi aridiſſimi, & emortui ſentes ſenſerunt ſtatim vitam, & in purpureas eruperunt roſas. Scio DEI Verbum, ne moriatur inter ſpinas non eſſe ſuffocandum: at nunc Verbum æterni Patris, quia has cecidit inter ſpinas, non mortem accerſivit, ſed vitam nobis præſagivit: ceciderunt procul dubio in terram bonam hæc ſpinarum ſemina, cùm ſtatim germinaverint in flores, & effloruerint in roſas. Senſerat hoſtis tartareus harum coragium ſpinarum, & aculeorum, cum hisce coronatus Chriſtus bellator, & in Calvariæ colle occurrens tenebrarum principi illum in luce ſagittarum ſuarum, & ſplendore fulgurantis haſtæ perterritum vicit, ac proſtravit. Sepire vineam ſuam, ſeu Eccleſiam, quam plantaverat, & ſuo ſanguine irrigaverat, bonus agricola venerat, ideo collegerat ex qualibet parte materiam ſepium, ſeu ſpinas. Id tamen mirum, quòd cùm maledicta non fuerit terra, ſed benedicta, adhuc ſpinas ferret. Sed gaudeat poſteritas, quæ cœleſti in hac vite etiam de ſpinis uvas colliget, quibus ſitim non ſolùm extinguat terrenarum voluptatum, verùm etiam divino inebrietur Amore. Veſtram commendo nobilitatem fortunatiſſimæ ſpinæ, quæ non ampliùs ad inſidiam hominum in vepreta germinatis, ſed in flores, ac

pur-

purpureas roſas, ſeu in exculto Chriſti verticis horto veriores delicias effloreſcitis: quòd ſi ex Poëtarum commentis, cùm primùm ſpinæ pedes Veneris cruentârunt, caput hominis lethaliter vulnetârunt: nunc quia Chriſti verticem pupugerunt, ſanitatem hominibus impertiverunt. Ethnica ſuperſtitio, quæ ſingulis rebus ſuos ſtatuerat peculiares Deos, ut Sapientiæ Palladem, Eloquentiæ Mercurium, amori Venerem, Vino Bacchum, armis Martem, Venationi Dianam, cœlo Jovem, Tartaro Plutonem, ſepulchris Manes, Segetibus, & annonæ Ceterem, mari, & aquis Neptunum, domeſticis parietibus, & domibus Penates, etiam ſpinis ſuum effinxit Deum; ſed Hebræorum crudelitas ſpinarum Deum non finxit, ſed fecit: quid aliud ſunt cruentatæ in Chriſti vertice ſpinæ, quàm quidam divinitatis radij: Volubilia ſunt, & fluxa omnia regna, quorum diademata figuram præſeferunt ſphœræ, quæ inconſtantiæ eſt ſymbolum: unicum Chriſti regnum nec volubile, nec labile eſt, cùm tot figatur clavis, quot pungitur Chriſti vertex ſpinis. Sed ſi Rex fuit gloriæ, cur non potiùs floribus redimitur? Divina erat veritas, cùm de ſe ipſo dixerit Chriſtus: *Ego ſum via, veritas, & vita*: ſine phaleris, & fucis voluit veritas inveniri, maluitque propterea dumos tolerare, quàm frondes.

EXPENSIO XIII.

De amplificatione univerſali.

1 NOn niſi laxum, & grandem orationis ornatum exhibet hæc amplificatio, quæ petitur à circumſtantijs: dicitur univerſalis, quia circumſtantiæ ſequuntur generatim, & univerſaliter omnem perſonam, & actionem: Sunt hujusmodi circumſtantiæ præſertim tempus, locus, antecedentia, & conſequentia, & aliæ, quæ comprehenduntur in illo verſu: *Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.* *Quis* perſonam ſpectat, *quid* rei magnitudinem, *ubi* locum, *quibus auxilijs* præſidia ad rem ipſam, *cur* finem, *quomodo* modum ipſum, & *quando* circumſtantiam temporis. Hæ circumſtantiæ potiſſimum valent in genere deliberativo, & judiciali. Locus præſertim, in quo patratum fuit flagitium, attendendus eſt ab Oratore, cum poſſit illud minuere, vel augere; ut ſi locus ſit ſacer, publicus, ſi in foro, platea, campo, ſylva; major enim vel minor criminis ſuſpicio ingeritur à loco. Cicero à loco probat Clodium potiùs, quàm Milonem inſidias ſtruxiſſe, cùm Clodius in ſuo prædio extra urbem commoraretur armatus; & num. 49. pro Milone eundem Clodium inſidiatorem fuiſſe arguit à tempore inquiens. *Age; ſi ita factum, quæ cauſa? cur Romam properaret? cur in noctem ſe conjiceret? quid afferebat feſtinationem? deinde ſi quid eſſet, quid tandem erat, quod ea nocte conſequi poſſet? committeret actum; ſi poſtridie manè Romam veniſſet, atque ut illi nocturnus ad urbem adventus vitandus potiùs, quàm expetendus fuit, ſic Miloni cùm inſidiator eſſet, ſi illum ad urbem noctu acceſſum ſciebat, expectandum fuit.* Eodem pacto à reliquis circumſtantijs quodlibet poteſt amplificari ſubjectum, ut à conſequentibus effrœnem militum licentiam amplifico. Militum turbæ campos invadunt, flaveſcentes ſegetes vel pede proterunt, vel flammâ ſuccendunt, ac in cineres redigunt: vidimus abacta pecora, incenſos paſſim vicos, diruta ædificia, multiplici vulnere ſauciata corpora, trucidata membra, ſepultos homines, deflotatas virgines, deſertos agros, expilatas domos, violatas leges: nec quid aliud audimus, quàm ululatus plorantium, clamores flentium, querelas pauperum, & ubique fracta præ dolore verba, peſſumdata omnia divina, & humana.

Nervoſâ eloquentiâ, ac mirificâ acrimoniâ à circumſtantijs Salvianus Maſſilienſis Antiſtes, quem Demoſtheni parem dicas, amplificat Trevirorum inſaniam, cùm in ſumma calamitate Circenſes peterent, ait ipſe: Jacebant paſſim utriúſque ſexus cadavera nuda, lacerata, urbis oculos inceſtantia, avibus, canibúſque laniata; lues erat viventium, fœtor funereus mortuorum, mors de morte exhalabatur, ac ſic etiam, qui excidijs ſupradictæ urbis non interfuerant, mala alieni excidij præferebant. Et quid poſt hæc inquam, quid poſt hæc omnia; quis æſtimare hoc amentiæ genus poſſit? Pauci nobiles qui excidio ſuperfuerant, quaſi pro ſummo deletæ urbis remedio, Circenſes ab Imperatoribus poſtulabant. Vellem mihi hoc loco ad exequendam rerum indignitatem parem negotio eloquentiam dari, ſcilicet ut tantum virtutis eſſet in querimonia, quantum doloris in cauſa. Quis enim exiſtimare poſſit, quid primùm in his, de quibus diximus, accuſandum ſit, irreligioſitas, an ſtultitia, an luxuria, an amentia? totum quippe in illis eſt. Quid enim aut irreligioſius, quàm petere aliquid in injuria Dei? aut quid ſtultius, quàm quid petas, non conſiderare. Aut quid tam perditi luxus, quàm in luctu res deſiderare luxuriæ? aut quid amentius, quàm in malis eſſe, & malorum intelligentiam non habere? Quamquam in ijs omnibus nulla res minus culpanda eſt, quàm amentia: quia voluntas crimen non habet, ubi furore peccatur. Quo magis hi, de quibus loquimur, accuſandi ſunt, quia ſani inſaniebant: Circenſes ergo Treviri, deſideratis, & hoc vaſtati; hoc expugnati; poſt cladem, poſt ſanguinem, poſt ſupplicia, poſt captivitatem; poſt tot everſæ urbis excidia; quid lachrymabilius hac ſtultitia? quid luctuoſius hac amentiâ? fateor, miſerrimos eſſe vos credidi, cum excidia paſſi eſtis; ſed miſeriores vos video, cùm & ſpectacola poſtularis. Putabam enim, vos in excidijs rem tantùm atque ſubſtantiam, neſciebam etiam ſenſum, atque intelligentiam, perdidiſſe. Theatra igitur quæritis, circum à Principibus

poſtulatis? quæſo cui ſtatui, cui populo, cui civitati? Urbi exuſtæ, ac perditæ, plebi captivæ. & interemptæ, quæ aut perjit, aut luget! De qua etiamſi quid ſupereſt, totum calamitatis eſt; quæ cuncta aut mœſtitudine eſt anxia, aut lachrymis exhauſta, aut orbitate proſtratâ, in qua neſcias penè, cujus ſit ſors pejor, ac durior interfectorum, aut viventium. Tantæ enim ſunt miſeriæ ſuperſtitum, ut infelicitatem vicerint mortuorum. Ludicra ergo publica Treviri petitis, ubi quæſo exercenda? an ſuper buſta, & cineres, ſuper oſſa, & ſanguinem peremptorum? Quæ enim urbis pars his malis omnibus vacat? ubi non ſtrata corpora, ubi non conciſorum membra lacerata? ubique facies captæ urbis, ubique terror captivitatis, ubique imago mortis. Jacent reliquiæ infeliciſſimæ plebis ſuper tumulos defunctorum ſuorum; & tu Circenſes rogas; Nigra eſt incendio civitas, & tu vultum feſtivitatis uſurpas? Lugent cuncta, tu lætus es? Inſuper etiam illecebris flagitioſiſſimis DEUM provocas, & ſuperſtitionibus peſſimis iram divinitatis irritas. Non miror planè, non miror, tibi eveniſſe mala, quæ conſecuta ſunt: Nam quia tertia excidia non correxerunt, quarto perire meruiſti. Hactenus Salvianus

8 Hæc amplificatio univerſalis fieri poteſt non ſolùm à circumſtantijs, verùm etiam ab ijs, quæ communia ſunt alicui Nationi: dicitur amplificatio univerſalis, quatenus recenſet, quæ univerſalia ſunt à partium enumeratione. Univerſale non eſt ita rigoroſè ſumendum; ut ſemper debeat complecti omnes, & ſingulas perſonas, ſed ſufficit, ſi potiorem partem ejuſdem univerſitatis comprehendat: ſicut non omnia mali punici grana quamvis eodem tegantur cortice, eundem ſervant purpureum colorem, neque eundem ſaporem: perinde non omnes alicujus Nationis homines, qui imperio ſubjiciuntur alicujus Principis inviolatas ejuſdem ſemper ſervant leges. Subjicio hic amplificandam collapſam à ſuo ſcientiarum, ac virtutum ornatu Græciam à Turcico nunc occupatam imperio. Quæ priùs omni virtutum flore ad ſingularem pompam coronabatur Græcia, liberalium artium cultrix, doctrinarum magiſtra, ſcientiarum altrix, & virtutum omnium fœcunda parens; nunc ſuo inſordeſcens pulvere jacet ſine ſcientiarum ornatu neglecta, abſque doctrinarum ſplendore obſcura, ſine virtutum decore abjecta, deplorata, deturpatâ. Surgunt virgulta, germinant ſentes, ubi flores vernârunt omnium virtutum; coaxant ranarum turmæ, ubi eloquentiores perorârunt Oratores: ſerpunt angues venena evomentes, ubi illuſtres toto orbe viri leges ſanxerunt, quibus populi regerentur: & quæ ad ignorantiæ caligines, ac inſcitiæ tenebras illuſtrandas Atticæ elocutionis ſplendores in exteras delegavit gentes, nunc nonniſi barbara, purida, ac abſoleta pronunciat vocabula ab antiqua vernaculæ linguæ venuſtate deficientia: verba enim profert, quæ potiùs aures verberant, quàm demulceant. Non ampliùs reperitur in Græcia Græcia, ſed ſurgunt duntaxat ex antiquis ruinis diruta ædificia: jacent in pulverem detritæ domus, & urbes ſolo æquatæ; ut quod de Troja Poëta cecinerit, de tota Græcia dici poſſit: ſeu hic campus ubi Athenæ culturâ ſcientiarum floruerunt; hic campus ubi Thebæ omnium artium exercitio claruerunt; hic campus ubi Lacedœmones armorũ peritiâ terrori fuerunt exteris Nationibus: quòd ſi ex tot urbibus, & ædificijs muti aliquot exeſi ſtant ſuperſtites, multiplici hiatu, ac rimis dilacerati, tot videntur ora aperire propria enarraturi luculentiùs ſilentio, quàm verbis detrimenta, & damna, ijsdem non tam à temporis mordente dente, quàm à Turcarum furente impetu illata: ſiquidem à Barbaris debellata, ac victa Turcico paret nunc imperio, barbara compede illigata, & everſa. Gens eſt Turcica, rudis, ac indole demiſſa, libertatis indigna, quam non curat vindicare: ejus Imperator Ottomanus nuncupatur, quaſi octo ſint illi manus ad laxiùs, promptiùsque aliena rapienda, & præſertim, quæ propria ſunt Chriſtianorum, teſtes ſunt Græcia, Ægyptus, Cyprus, Servia, Creta, & plures aliæ Chriſtianorum Provinciæ, quæ Turcico nunc ſubjiciuntur imperio; cujus ſtemma dimidiatam, ac bicornem prodit lunam, quâ conjiciamus Turcarum animos nullo ſcientiarum ornatu, nullóque virtutum ſplendore illuſtres eſſe, ſed incultos, rudes, qui ne ulla ſcientiarum humanitate miteſcerent Mahumetes lege cavit; quo faciliùs legibus adhæreſcerent, quas ſancivit, ſenſui, ac mundi voluptatibus indulgentes. Hæc eſt gens illa, quæ alium non excolit campum, quàm militarem, alio non metitur pulvere clepſydram, quàm caſtrenſi; nec aliud Palladis, quàm armatæ Bellonæ concipit Sacramentum, nec alijs aſſueſcit ingenij, ac verborum acuminibus, quàm ferri, & armorum: Omne reſpuit commercium Regina Eloquentia cum barbara illa gente, quæ ab ineunte ætate priùs ediſcit acuere gladios, quàm calamum; ferro indureſcere, & aſſueſcere, quàm Palladis ſudore madeſcere; tela ab arcu ejaculari, quàm ſubtilia conſtruere argumenta; priùs per inflicta vulnera Chriſtianos cruentare, quàm virgines paginas atramento violare; priùs hoſtili cruore acinacem madefacere quàm erudito humore calamum imbuere; priùs rubiginem tergere ex ferro, quàm inſcitiam excutere ab animo; priùs gladio certare, quàm ingenio decertare; priùs alienum ſanguinem fundere, quàm attamentum profundere; priùs iraſci martiali in campo, quàm Minervæ in palæſtra impalleſcere; priùs alieno madere cruore, quàm proprio ſtillare ſudore. Quid Regina Eloquentia cum barbara, ac indomita illa gente, quæ alia neſcit ediſcere rudimenta virtutum, quàm Martis furores, cæcóſque impetus; nec alia ſequi veſtigia, quàm Bellonæ; nec aliam adamare libertatem, quàm vitæ ad vitia omnia ſolutæ; non alio regere

per

pectos indumento, quàm ferreo; quæ alio neſcit incaleſcere igne, quàm Martis, & Veneris, quia ut cecinit Lucanus.

Nulla fides, pietáſque viris, qui caſtra ſequuntur.

Quid cum Regina Eloquentia ea inculta, rudis, ac demiſſa gentium indoles, quarum tellus quaſi Cholchida de ferali duntaxat ſagittarum fœcunditate certat, ac pugnat; quarum ſegetes, haſtati ſunt campi; quarum nobiliores viri veluti Gigantes Phlegræa in area cœlum videntur laceſſere, & terras omnes interturbare; quarum artifices alia non effingunt ſimulacra, quàm Martis; alia non cudunt inſtrumenta, quàm mortis; non acuunt ingenia, niſi in telorum acuminibus, ac ſagittarum cuſpidibus; non accendunt ignes, niſi ut fetales Libithinæ umbras ſpargant. Quid Regina Eloquentia cum barbara illa gente, cujus infantiam, ſi quærimus, nonniſi galeas tractat; cujus juventutem, ſi aſpicimus, nonniſi Chriſtiadum ſanguinem ſitit, cædéſque anhelat: ſi adultam exquirimus ætatem ferinis imbutam moribus, hæc non delectatur niſi cruenta clade, niſi enectis cadaveribus, expilatione domorum, everſione urbium: ſi exactæ jam vitæ ſenium penſamus, adhuc flagrant ſub capitis nivibua Martis flammæ, mortis jungendæ cineribus: Et ſine fruge araræ ſenio frontes nonniſi triſtes pariunt cupreſſos, & oculorum acies nonniſi cædes, ac ſtrages ſpirant; manus effuſo ſanguine adhuc fumant; ipſique in Sarcophago cineres, licèt in ipſa manium pace, & quiete, bellorum non extinctos, ſed conſopitos ſervent ignes. Id cauſæ, cur rudes animos, ne ulla ſcientiarum culturâ, ac virtutum humanitate mitigent Turcæ Mahumetes lege cavit, ut armis durare, bello aſſueſcere, & alienum ſanguinem ſitire tantùm addiſcerent. Imò non ſolùm ſcientiarum culturæ nulla eſt Turcis cura, verùm nec domorum, cum ædificia vix ad uſum extruant ſine cultu, absque elegantia; ſive adhuc Scythicæ Originis memores, ac vitæ in plauſtris errantis: ſive quòd quisque ſuum agrum jure precario poſſidet, & ad Principis nutum non fundos tantùm, ſed & Provinciam mutaturus: hinc ut peregrè proficiſcentes domibus utuntur ut diverſorijs, in quibus ſi ſint à latronibus, à frigore, à ſole, ab imbre tuti, reliqua commoda nihili faciunt, neque perquirunt: num tectum perpluat, num paries vitium faciat, num mapalia ſint ruinoſa, parum curant, modò ſit ubi in ſicco equum collocent, ſibique lectum ex ſtramine ſternant. Turcici eſt inſtituti ab ædificiorum magnificentia aborrere, ut in tota Turcia, ſi Metropolim excipias vix ædificia ad aliquam conſtructa elegantiam reperiantur: quia caſtris aſſueta gens curam ſemper neglexit elegantes, & ad plenum commodum domos ædificandi. Magnæ tamen eſt Turcis curæ, ut benevalentes, tutóſque ab injuria temporum milites alant; hinc commodiùs videas veſtitum Turcam, quàm armatum: timetur à Turcis præſertim frigus, quod etiam æſtivo tempore tribus arcent veſtimentis; quorum intimum craſſiori contextum filo calorem fovet, ac ſervat: ejusdem frigoris depellendi cauſa tentoria in campum circumferunt, in quibus tantum cuique tribuitur loci, quantum corpore occopant capita, quæ etiam cidaribus, ſeu globis contegunt turbinatis, ſeu candidiſſimis bombycinis in multiplici ſpira circumvolutis. Gregales milites veſtitu utuntur prolixo, & ferè ad talos usque demiſſo, qui ut eſt honeſtior, ita quandam eisdem videtur proceritatem ſimul, & majeſtatem conciliare. Uſus vini Turcis non permittitur, & ejus hauſtus turpi ſceleri ijsdem datur, præſertim ſi ætate ſint provecti, quia verò non minores pœnas poſt hanc vitam ſibi paratas arbitrantur, ſi minimum vini biberint, quàm ſi plurimum: juniores, ſi ſemel vinum guſtaverint, potare pergunt, quaſi mox peccantes impunè, ac propterea ebrietatem ponentes in lucro. Quod verò non absque riſu excipitur, narrat Busbechius, ſe vidiſſe Conſtantinopoli Turcam, qui cum calicem generoſo ſpumantem vino bibiturꝰ ſumpſiſſet, ingentes priùs edidit clamores; & cùm interrogâſſet Busbechius amicos, quid clamores illi ſignificarent: reſponderunt, ſenem illum calicem exſiccaturum clamoribus illis commoniram velle animam, ut ſe recipiat in aliquem corporis angulum; vel à corpore prorſus diſcedat, ne rea fieret ejus delicti; ne ſcilicet vino, quod erat in ſtomachum infuſurus ipſa anima pollueretur.

Hac eadem forma amplificandi à circumſtantijs utitur Salvianus *lib. 6.* ubi redarguit Carthaginenſes in armorum terrore libidini indulgentes in Circo: & quia amplificatio eſt plena gravitate, & nervo, eam ſubjicio, jisdem verbis; ait ipſe: Quis æſtimare hoc malum poſſit? circumſonabant armis muros Cirtæ Carthaginis populi barbarorum: & eccleſia Carthaginenſis inſaniebat in Circis, luxuriabat in theatris; alij foris jugulabantur, alij intus fornicabantur; pars plebis erat foris captiva hoſtium, pars intus captiva vitiorum. Cujus ſors pejor fuerit, incertum eſt. Illi quidem erant extrinſecus carne, ſed iſti intus mente captivi: & ex duobus lethalibus malis, levius, utreor, captivitatem corporis, Chriſtianum, quàm captivitatem animæ ſuſtinere; ſecundùm illud, quod docet Salvator ipſe in Evangelio, gravius multo animorum mortem eſſe, quàm corporum. An credimus fortè, quod captivus animo populus ille non fuerit, qui lætus tunc in ſuorum captivitatibus fuit? Captivus corde, & ſenſu non erat, qui inter ſuorum ſupplicia ridebat, qui jugulari ſe in ſuorum jugulis non intelligebat: qui mori ſe in ſuorum mortibus non putabat? Fragor, ut ita dixerim extra muros, & intra muros, præliorum, & ludicrorum confundebatur vox morientium, vóxque bacchantium; ac vix diſcerni forſitan poterat plebis ejulatio, quæ cadebat in bello, & ſonus populi, qui clamabat in Circo: Et cùm hæc omnia fierent, qui aliud talis populus agebat, niſi ut cùm eum 4

Deus perdere adhuc fortaſſe nollet, tamen ipſe exigeret, ut periret?

EXPENSIO XIV.

De amplificatione à particularibus circumſtantijs ſubjecti.

1 IN panegyricis orationibus præſertim adhibetur forma hæc amplificandi, quâ perpendimus peculiares perſonæ commendandæ virtutes, & qualitates, quapropter dicitur amplificatio particularis, quia petitur à particularibus circumſtantijs proprijs perſonæ, ut à nobilitate, dignitate, ſcientiâ, fortitudine, & alijs hujusmodi: hæc amplificandi forma tantùm obtinet ornamenti, ac ſplendoris, ut pantarbæ gemmæ nitidæ æquè, ac pretioſæ pariaveris. Pantarba ait Hiarchas apud Philoſtratum, gemma eſt pretioſa, rara, ac pulchritudine inſignis, æquè & virtute admirabilis, quippe veluti accenſo in rogo ardere videtur, quodam fulgore, & vi tam ſoavi, ut non alias, quàm amoris flammas ejus cenſeas ſplendores eſſe. Quod verò miteris, id ipſum lumen, quod oculos perſtringens diem, vel media in nocte accendit, ſpiritus eſt, adeò efficax, ut quemadmodum pretioſitate, ac virtute decantatur lapis iſte magnus; ſic magnes eſſe credatur gemmarum, cùm longè à ſe disjunctos lapides attrahat, tantùmque in eoſdem obtineat imperij, ut acervos lapidum perinde ac apum examina ad ſe trahat; Verùm natura parens ne pretioſum hoc munus vileſceret, non ſolùm occultis terræ viſceribus abdidit, ſed & facultatem eidem indidit, quâ ex capientium manibus effluat. Ita præſens amplificandi forma tantùm obtinet ſplendoris, ut ſolem videatur æmolari; & homines, quos commendat ſibi conciliare; tantæ enim eſt virtutis, ut ſingulos alliciat. In perſona commendanda plura ſunt perpendenda, præſertim natura, indoles, nobilitas, fortuna, conditio, actiones, & virtutes omnes, quibus ornatur. Natura comprehendit corpus, & animum: in animo florent virtutes, & vigent ſcientiæ; in corpore pulchritudo, robur, agilitas, ſanitas, fortitudo laudantur. Fortuna complectitur divitiarum copiam, ſupellectilis pretium, natalium ſplendores, dignitatis eminentiam; hæ & aliæ hujusmodi circumſtantiæ, quæ ſunt peculiares, particularem denominant amplificationem. Principem locum in commendanda perſona illuſtri occupat nobilitas, ſeu claritas ſanguinis: in hoc laudandi genere ita ordo ſervatur, ut ſi velimus panegyricam texere orationem in laudem alicujus; commendandi ſint ejus parentes, deinde adgratulandum ei, qoi in ſe transfuſam habet tantam ſanguinis claritatem. Illuſtre hujus amplificationis à nobilitate exemplum habetur in panegyrico Conſtantini Magni ab Oratore Belga apud Treviros recitato.

Amplificatio à Nobilitate.

A Primo incipiam originis tuæ exordio, quod plerique adhuc fortaſſe neſciunt, ſed qui te amant, plurimum ſciunt; ab illo enim D. Claudio manet in te avita cognatio, qui Romæ Imperij ſolutam, ac perditam diſciplinam priùs reformavit, immanéſque Gothorum copias Ponti faucibus, & Iſtri ore proruptas terra, marique delevit: utinam diuturnior recreator omnium hominum, quàm maturior Deorum comes extitiſſet: ab illo generis authore in te omnis Imperij fortuna deſcendit; deinde omnes inter participes majeſtatis tuæ, hoc adeſt Conſtantiæ præcipuum, quod tanta eſt nobilitas originis tuæ, ut nihil tibi addiderit honoris Imperium; ne poſſit fortuna numini ſuo imputare, quod tuum eſt amiſſo ambitu, & ſuffragatione: non fortuita hominum conventio, non repentinus aliquis favoris eventus te principem fecit; Imperium naſcendo meruiſti; quod quidem mihi Deorum immortalium munus, & maximum videtur. Hactenus ille. Igitur nobilitas non tantùm laudanda eſt: verùm etiam omnium laudum eſt radix, ac Oriens: hinc Claudianus; 2

—— Nobilitas cunctis exordia pandit
Laudibus, atque omnes redeunt in ſemine cauſæ.

Sic Arc..des Majores ſuos ante Lunam ortos jactabant, de quibus Statius 4. *Thebaid.*

Arcades hinc veteres aſtris, lunâque priores

Julius Cæſar ſuam à Venere originem repetebar, & Triumvir Antonius ab Hercule.

Amplificatio à Nativitate.

QUia omnis laus ad honeſtatem, ac decus pertinet, ideo quidquid laudandum ſuſcipitur honeſtæ laudis debet ſegetem ſuppeditare. Nonnunquam non ſolùm ſanguinis nobilitas, verùm etiam ipſæ nativitatis circumſtantiæ uberem exhibent amplificandi ſegetem; quia amplam laudum meſſem præbent. Laus à Nativitate petitur præſertim à circumſtantijs temporis, quod præceſſit, à prodigijs, geſtis, quæ tunc temporis contigêre, à rebus concomitantibus nativitatem, à modo, & ordine nativitatis. Scimus priſcos homines conſueviſſe dies atros, & infauſtos nigro ſignare lapillo; & felices albo diſtinguere. Eumenius *in Panegyr. Conſtantij* laudat Imperatorem à nativitate, inquiens: De te igitur mihi eſt Cæſar invicte hodiernæ gratulationis exordium; divinus ille veſtræ majeſtatis ortus, ipſo quo illuxit auſpicio verè illuſtrior, cui dies ſerenus, atque ultra rationem temporis ſol æſtivus incaluit; auguſtiore fulgens luminis claritate, quàm cum originem mundi naſcentis animavit; ſiquidem tunc inter illa rerum tenera primordia moderatus dicitur; ne majeſtate veſtra videretur obſcurior: oh felix, beatúmque ver novo partu, jam non amœnitate florum, nec viriditate ſegetum, nec gemmis vitium, nec ipſis tantum favonijs, & luce ſerena lætum, atque venerabile, quantum 3

ortu

ortu Cæſarum? Oh tempus! quo meritò omnia nata eſſe credantur, cum eadem nunc confirmata eſſe videamus? Oh Kalendæ Martiæ ſicut olim annorum volventium; ita nunc æternorum auſpices Imperatorum.

A circumſtantia Nativitatis Plinius ſecundus in Panegyrico Trajani utitur hac laude; quod natali ſuo die conſulatum injiſſet; *Nam quod eum potiſſimum menſem attribuiſti, quem tuus natalis exornat, quàm pulchrum nobis, quibus edicto, quibus ſpectaculo celebrare contingit diem illum triplici gaudio lætum, qui Principem abſtulit peſſimum Domitianum: dedit optimum Nervam, meliorem optimo genuit Trajanum.*

Amplificatio à corporis pulchritudine.

5 INter bona, quæ extrinſecus homini dicuntur obtingere, præclarum occupat locum corporis pulchritudo, quæ nonnunquam ſimulacrum eſt egregiæ mentis, proditque exteriùs qualis ſit intus ſpiritus. Maximus Tyrius pulchrum animum in pulchro corpore, pellucido æquiparat fluvio, qui per floridas camporum ambages, ripáſque viretis luxuriantes grato murmure diffluit. Eſt pulchritudo corporis apta quædam membrorum proportio, ſeu ſymmetria cum quadam coloris ſuavitate, quæ in viris dignitas, in fœminis venuſtas dicitur. In viris tamen heroibus laudatur proceritas corporis, Majeſtas capitis, oris dignitas, ætatis maturitas, fulgor oculorum, & in ſenio confectis veneranda capitis canities. Ad hanc corporis pulchritudinem pertinent quædam etiam nonnullæ expreſſæ notæ per corporis membra, ut fuit in Seleuci crure anchora & in Auguſti pectore ſtella Capricorni. Petitur etiàm hæc amplificatio præſertim ab amabili vultûs honeſtate, ac venuſtate: ſiquidem in humano vultu oculi, genæ, & labra per ſe pulchritudinem illam efficiunt, quæ delectatione quadam capit intuentes, præſertim ſi liberalis quædam humanitas, & gratia in toto ſplendeat vultu: Imò etiam à colore ac membrorum debita proportione, quâ inter ſe aptè diſpoſitæ ſingulæ corporis partes, & ſuavitate quadam coloris perfuſæ lepore quodam delibutæ conſentiunt, illam tunc venuſtatem efficiunt, quâ homo alienum ſibi amorem conciliat, & dignus conſtituitur commendatione, eò quia pulchritudo corporis quædam ſit veluti animi imago, cujus venuſtatem prodit exteriùs, quapropter Tertullianus *de cultu fœminco cap. 2.* vocat pulchritudinem corporis decoram animæ veſtem, in cujus commendationem ait Sophyſta Tyrius *diſſertat. 9.* nil aliud eſſe pulchritudinem corporis, quàm futuræ virtutis florem, ac intimioris venuſtatis præludium. Ut enim ſolis ortum fulgor quidam præcedit, qui in montium faſtigijs ejus ad nos indicat acceſſum, & uberioris luminis ſpem certam affert: ſic animæ gratus decor, ita in ſuperficie corporis affulget, ut interiorem animi venuſtatem manifeſtet. Hinc non fruſtra dicunt viri doctiſſimi, naturam ipſam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi poſſe, quantus ſit intus animus inhabitator. Formæ dignitatem eſſe regium ornamentum aſſerit Plinius in Panegyrico Traiani, quem à pulchritudine corporis commendat inquiens: Jam firmitas, jam proceritas corporis, jam honor capitis, & dignitas oris in hoc leniter affulgent, & ad hoc ætatis ſequitur indeflexa maturitas, nec ſine quodam munere Numinum feſtinatis ſenectutis inſignibus ad augendam Majeſtatem, Cæſarem te longè, latéque Principem oſtentant? talem eſſe oportuit, quem non bella civilia, ſed pax, & adoptio dederunt: & Pacatus de Theodoſio ſic ait, Oh digna Imperatoris nobilitas, qui hunc Romani faſtigij apicem non ſolùm fortitudine, atque ſapientia, ſed decore etiam corporis, & dignitate potuerit æquare, velut tua hæc forma venerabilis, quàm fortunæ tuæ par eſt; quàm longè, lateque conſpicua commendat Imperium.

Amplificatio ab agilitate corporis.

PErinde corporis agilitas ſui eſt digna laudibus, ſicut pulchritudo commendari meretur: laudatur agilitas præſertim ab effectis in currendo, jaculando, luctando, venando, ſaltando, ut etiam in campeſtri exercitatione. Auſonius Gratiani Imperatoris agilitatē commendat inquiens: *quis curſum tam pernicem incitavit, quis palæſtram tam lubricus expedivit? quis ſaltum in tam ſublime collegit? nemo adductiùs jacula contorſit; nemo ſpicula crebriùs conjecit, aut tertiùs deſtinata percuſſit.* 6

Agilitas corporis in venatione præſertim triumphat cùm fugientes feras venator inſequitur, vel earum impetus declinat; & ſicut venatio innocens eſt exercitium dignum viro Principe ad remittendum animum à curis, & negotijs; ita agilitas, quæ venatione exercetur commendari meretur, non enim poteſt eſſe Laus invenuſta, cujus decore etiam viri Principes inſigniuntur: ab agilitate in venationibus laudibus excipiuntur Mithridates, Hadrianus, Carolus Magnus, Henricus primus, & Albertus Imperatores, imò non in viris tantùm eminuit hæc agilitas, ſed etiam ſuas vires exercere in mulieribus voluit, ut in Euphroſyna Alexij Imperatoris Byſantini uxore, hæc enim referente Niceta *Lib. 3.* accipitrem aurea ſuſtinuit Chirotheca inter aucupes, & venatores frequens. Hæc tamen commendatio ab agilitate, quæ inter venandum exercetur condienda eſt temperamento prudentiæ, neque quiſque laudandus, qui agilitatem corporis in feris inſequendis exercuit: Neque ille princeps laudandus eſſet, qui neglecto regimine aſſiduis ſe venationibus exerceret; neque Bajazetes commendatur, quòd majorum curarum expers ſeptem mille virorum conſtituit, 7

qui venaticos accipitres alerent: neque alius princeps dignè commendaretur, qui multa canum millia ſumptu ruſticorum vicatim alenda diſtribueret non abſque incolarum detrimento, & agrorum devaſtatione. Ille Princeps laudatur ob agilitatem in venatione, ſi poſtquam ſacro interfuerit, ſuas preces matutinas Deo fuderit, & gravioribus negotijs ſatisfecerit; exercitationis, vel etiam remiſſionis causâ ſine ruſticorum damno venationem inſtituat in ſylvis, vel montium viridiſſimo veſtitu: quo pacto Plinius Trajanum ſuum commendat in Panegyr. inquiens: *Quòd ſi quando cum fluentibus negotijs paria feciſti inſtar refectionis exiſtimas mutationem laboris. Quæ enim remiſſio tibi, niſi luſtrare ſaltus; excutere cubilibus feras? ſuperare immenſa montium juga, & horrentibus ſcopulis gradum inferre; nullius manu, nullius veſtigio adjutum; atque inter hæc pia mente adire lucos, & occurſare Numinibus; olim hæc experentia juventutis: hæc voluptas erat, his artibus futuri duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris curſu, cum audacibus robore, cum callidis aſtu, nec mediocre pacis habebatur decus ſubmota campis irruptio ferarum, & obſidione quadam liberatus agreſtium labor.*

8 Quia venatio quædam eſt proluſio, ſeu imago rei militaris etiam agilitas, quæ adhibetur in campeſtri exercitatione ſuis meretur laudibus commendari, & Cicero in ſuo Pompejo pro lege Manilia *num.* 10. diſſertè militarem artem commendat inquiens: quis igitur hoc homine ſcientior unquam, aut fuit, aut eſſe debuit? qui è ludo & pueritiæ diſciplina, bello maximo atque accerrimis hoſtibus, ad patris exercitum, atque in militiæ diſciplinam profectus eſt? qui extrema pueritia miles fuit ſummi Imperatoris? Ineunte adoleſcentia maximi ipſe exercitûs Imperator? qui ſæpius cum hoſte conflixit, quam quisquam cum inimico decertavit? plura bella geſſit, quàm alij legerunt? plures Provincias confecit, quàm alij concupiverunt? Cujus adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris non alienis præceptis, ſed ſuis imperijs; non offenſionibus belli, ſed victorijs; non ſtipendijs, ſed triumphis eſt erudita? quod denique genus belli eſſe poteſt, in quo illum non exercuerit fortuna Reip. Civile, Africanum, Tranſalpinum, Hiſpanienſe, miſtum ex civitatibus atque ex bellicoſiſſimis nationibus, ſervile, navale & varia, & diſperſa genera, & bellorum, & hoſtium non ſolùm geſta ab hoc uno, ſed etiam confecta? nullam rem eſſe declarant, in uſu militari poſitam, quem hujus viri ſcientiam fugere poſſit. Hactenus Tullius.

9 Plinius etiam ſuum laudat Trajanum à re militari inquiens: *quid apud milites, quàm admirationem quemadmodum comparaſti: cum tecum inediam, tecum ferrent ſitim? cum in illa meditatione campeſtri militaribus turmis imperatorium pulverem ſudoremque miſceres? nihil à cæteris, niſi robore, ac præſtantiâ differens? cùm eminùs libero Marte tela vibrares, nunc vibrata ſuſciperes, alacer virtute militum, & lætus, quoties aut caſſidi tuæ, aut clypeo gravior ictus incideret? laudabas quippe ipſe ferientes, hortabariſque ut auderent, & audebant jam cum ſpectator, moderatórque ineuntium certamina virorum, arma componeres, tela tentares, ac ſi quid durius accipienti videretur, ipſe vibrares.*

Amplificatio à virtute Animi, & primùm à Prudentia.

Bona animi digniora eſſe laude, quàm illa corporis, nulli dubium; cùm illa ſit longè nobilior, ac præſtantior corpore, quod quidquid habet venuſtatis, ac decoris à ſola haurit anima, cujus virtutes eò ſunt majores cæteris, quò ſpiritus eſt corpore nobilior. Eſt autem virtus unicum animi ornamentum, quia ut cecinit Claudianus. 10

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque latè.
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſúve petit clareſcere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nihil indiga laudis,
Divitijs animoſa ſuis immotaque cunctis
Cladibus, ex alta mortalia deſpicit arce.

Plurimi æſtimanda eſt virtus, quæ neque eripi unquam poteſt, neque ſurripi, neque naufragio mergitur, neque incendio abſumitur. neque procellis obruitur, neque temporum viciſſitudinibus mutatur; quâ qui ornantur divitijs affluunt, quia ſua ſorte contenti nil appetunt, quia nihil ſibi deeſſe ſentiunt, virtus nullius rei indiga immota manet, & pedibus fortunam premit, honores, & divitias deſpiciens, ſola ſibi eſt merces, cujus ſpecies ſunt Prudentia, juſtitia, magnanimitas, fortitudo, temperantia, charitas, ſpes, pietas, & aliæ, quæ animum ornant; ut autem incipiamus à Prudentia: petitur laus prudentiæ ab eo, quòd hæc virtus ſit animi dux, ac lumen, cujus beneficio omnia videt, ac perficit, quapropter definitur ab Ariſtotele *habitus cum recta ratione in bonis, maliſque activus*, ſeu clariùs: diſpoſitio rerũ ad conſecutionem finis. Hæc virtus maximè in viris Principibus, ac Prælatis enitere debet, quia ut ait Tacitus *Annal 13. Plura in ſumma fortuna auſpicijs, & conſilijs, quàm telis, & navibus geruntur.* Quamobrem præcipua laus hujus virtutis ſumitur ab eo, quòd vir prudens omnia rectè, & ritè gerat, cuncta videat, & proſpiciat. Plinius ab hac virtute laudans ſuum Trajanum ait: *O ſumma Principis prudentia, quæ æmulas valuit reconciliare civitates, tumentéſque populos non imperio, magis, quàm ratione compeſcere; intercedere iniquitatibus Magiſtratum, infactúmque reddere quidquid fieri non oportuerit, poſtremo velociſſimi ſyderis more omnia inviſere, omnia audire, & ubique ſtatim adeſſe, aſſiſtere.* 11

Secundò commendatur prudentia, eò quia aliena conſilia non reſpuat in ſuis negotijs; ab eo quod ſtudioſè eligat, quos conſulat, nec adulatoribus utatur. Homerus vir prudentiâ, ac purgato judicio pollens excellentiſſimi Principis exhibens ſpecimen aſſignat illi Conſiliarios prudentiâ illuſtres, maturi- 13

ruri-

turitate graves, ſapientiâ claros, in negotijs agendis peritus: neque exiſtimavit perfectam Principis dignitatem ſuum poſſidere Agamemnonem niſi haberet apud ſe Neſtorem, cujus uteretur conſilio, & ſine quo parum prodeſſet Achilles animoſus, vel Ajax Clypeatus, vel egregius ſagittator Teucer, vel ſtrenuus Diomedes, vel inſignis ſceptro Menelaus, vel callidus Ulyſſes. Hinc Livius *dec. 5. Lib. 4.* eum, qui de ſua unius ſententia omnia gerit ſuperbum magis, quàm ſapientem judicat: & Antoninus Imperator apud Julium Capitolinum ait: *Æquius eſt, ut ego tot amicorum conſilia ſequar, quàm ut tot meam unius voluntatem ſequantur.*

24 Tertiò commendatur etiam Princeps prudens ex eo, quòd conſiliarios ſeligat in rebus adminiſtrandis non avaritiâ ſordidos, neque lucri cupidos, & D. Ambroſius ait: Tales debere Principum Conſiliarios eſſe, ut in ijsdem ſit prudentia, quæ cæteras complectatur virtutes: nam quomodo poteſt quis rectum dare conſilium, niſi juſtitiam excolat, induat conſtantiam, mortem non formidet, nullo revocetur terrore, nullo moveatur metu, nulla adulatione à vero deflectendum putet; exilium non fugiat; qui noverit ſapienti patriam mundum eſſe; egeſtatem non timeat, qui nihil deeſſe ſapienti ſciat, quid enim præcelſius illo viro, qui auro moveri neſciat? contemptui habeat pecunias? & velut ex arce quadam deſpiciat hominum cupiditates? hinc Juvenalis Sat. 14.

Nullus fidelior tibi ad conſilium eſſe poteſt.
Quàm qui non tua, ſed te diligit.

25 Quartò, encomijs etiam excipitur vir prudens ab eo, quòd loco, tempore, & ratione auditâ ſententiam mutare non dubitet, quod levitatem non indicat, ſed egregiam prudentiam, unde Seneca quartò de beneficijs cap. 38. *Non eſt*, inquit, *levitas à cognito, & damnato errore diſcedere: ſed ingenuè fatendum eſt: aliud putavi: deceptus ſum. Hæc verò ſuperbæ ſtultitiæ perſeverantia eſt: prudenter igitur aget, qui depoſita mentis pertinacia libenter, & audit, & amplectitur aliorum ſententias.*

Amplificatio à Juſtitia.

26 IN Prinipce, quem decet æquitas, præ cæteris virtutibus laudanda eſt juſtitia, cujus faciem auream, & oculos gemmeos effingit Pindarus apud Atheneum *lib. 12.* & à D. Cypriano *lib. 12. de Abu.* per metaphoras conglobatas definitur Juſtitia: Pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, hominum gaudium, aëris temperies, maris ſerenitas, terræ fœcunditas, ſolatium pauperum: & à Cicerone definitur *lib. 2. de offic.* Quòd ſit virtus unicuique tribuens ſuum. Commendatur hæc virtus primùm ex eo, quòd reſpiciat, quæ ſunt religionis, & dicitur Juſtitia erga Deum, quæ eſt vis quædam menti inſita, quâ Deum cognoſcimus, eúmque timemus, & de qua Nazianzenus in Conſtantino ait loquens de Deo: *Spectat enim nos ex alto rerum arbiter Deus, & quamvis humanæ mentes profundos gerant cogitationum receſſus; inſinuat tamen ſeſe totam ſervata Divinitas, nec fieri poteſt. ut cùm ſpiritum quem ducimus; cum tot commoda, quibus alimur, divinum nobis lumen impertiat terrarum ſe curis abdicaverit, nec inter eorum vitas dijudicet, quorum utilitates gubernat.* Hæc eadem Juſtitia divini Numinis ad ſe trahit ſuppetias, quæ viris pijs, & prodeſſe ſolent, & eblandiri: quo pacto cœleſtes ſpiritus mentita ſpecie veluti Martis fulmina è ſummo cœlo in terras ruerunt in auxilium Conſtantini Imperatoris? ait Nazianzenus: *Flagrabat verendum, neſcio quid Umbone coruſci, & cœleſtium armorum lux terribilis ardebat, tales enim venerant, ut tum crederentur ab hoſtibus.* Nonnullis interjectis ſubdit. *Habent profectò, & divina jactantiam, & cœleſtia quoque tangit ambitio, illi è cœlo lapſi, illi divinitùs miſſi gloriabantur, quòd tibi militabant.* Pugnâſſe cœlites in favorem Principum, qui religionis cultui addicti erant, plura fatentur hiſtoriarum monumenta: ſiquidem Theodoſius ſi Perſas jugulavit, & Saracenos proſtravit, terrorem populis barbaris incuſſerunt cœlites: ſi Heraclius Coſrois exercitum rupit, proſtravit; non armis, ſed prece, bellum abſolvit. Vincebatur Clodoveus, & victor inſoleſcebat hoſtis, quidni? proſilijt Rex ad vota, preces fudit, divinam opem enixim petijt, & Chriſtianum ſe futurum ſpopondit, ſi vinceret; laceſſivit ad ſecundum conflictum hoſtes, pugnavit ope divina armatus, & de proſtrato hoſte triumphavit, ſimúlque Chriſtianæ religioni primus inter Francorum Reges nomen dedit. Petitur etiam à Juſtitia ex eo, quòd vir juſtus magnam ſoleat authoritatem præſeferre, ac pietatem in ſubditos exercere, ſimúlque reverentiam in Deum: hujus rei ſpecimen illuſtre dedit Theodoſius Junior, eum prohibuit in ædes ſacras arma inferri. *Nam & nos* ait ipſe Tom. 5. Conciliorum cap. 21. *DEI templum ingreſſuri, foris arma relinquimus; & ipſum etiam diadema Regiæ majeſtatis inſigne deponimus, & ſacra Altaria munerum tantùm offerendorum causâ accedimus, quibus quoque oblatis ad extimum, communeque atrium, mox nos recipimus.* Commendatur etiam Juſtitia ex eo, quòd inſontes, ac pupillos tueatur; impios, & delinquentes puniat, reos cruciatibus torqueat; juxta patrata delicta crimina accuſet, deferat, cognoſcat, inquirat, damnet, & ſupplicijs afficiat: acta, contractus, leges, decreta publica, & pacta juſta ſanciat, ſancita defendat, injuſta reſcindat, iniqua fœdera abroget; res, & fortunas legitimis dominis reſtituat, nummos adulterinos excludat, menſuras, & pondera æquet, fidem ſervet patriæ, Principi, Magiſtratui, civibus, imò etiam exteris, & hoſtibus, & dignis digna retribuat.

Amplificatio ab animi fortitudine.

17 EST fortitudo, quâ vir fortis ardua quæque aggreditur, & gravia, ac adverſa invicto animo tolerat: eſt enim fortitudo murus ille Semiramidis, quo humana vita contra impendentes adverſitatum tempeſtates munitur, quo adverſantis fortunæ impetus retundit, & hoſtium tela imperterrito animo recipit. Fortitudinis enim prima laus petitur ab eo, quòd vir fortis adverſa contemnat, labores imperturbato animo toleret; injurias non ſentiat, in ærumnis, & adverſitatibus mens ſervetur impavida, ac ſemper rtanquilla; conſtans ſit in exercitio virtutis, adeò ut res adverſæ animo forti exercitium præbeant virtutis, non exitium: quinimò ut Asbeſtinum irradiat candidius, & purgatur defœcatius flammis injectum, ſic animus fortis in adverſis clareſcit illuſtrior, & nobilitatur præclarior: quippe vir fortis eſt veluti palma triumphorum vulgatum ſymbolum, quæ cum pondere premitur, creſcit ſublimior; & dum ſtringitur, ac illigatur arctior, dilatatur auguſtior; quinimò æmulatur hilarem illam lachrymam rhus gratum nobis exhalans odoramentum, ſuámque nobis inhalans animam cum ſuam inter flammas exhalat: imò parem eam dixeris iridi, quæ pulchrior ſplendet inter procellas. Eſt fortitudo dimicantis Bellonæ clypeus, quo adverſantis fortunæ retundimus ictus, coërcemus impetus, infringimus tela, hinc Seneca *epiſt. 104.* ait: *Unus eſt hu'us vitæ fluctuantis, & tarbidæ portus, ſtare confidenter, adverſæ tela fortunæ adverſo pectore excipere non latitaatem; non tergiverſantem magna animum fortnua produxit*: & paulò inferius animum fortem ſic exprimit: *Nemo mutatum Catonem, eundem ſe in omni ſtatu præſtitit in prætura, in repulſa, in accuſatione, in Provincia, in Concione, in exercitu, in morte: vides poſſe homines labores pati per medias Africæ ſolitudines duxit exercitum, vides poſſe tolerare ſitim in collibus arentibus, ſine ullis impedimentis victi exercitus reliquias trahens, inopiam humoris loricatus tulit; & quoties aquæ fuerat occaſio, noviſſimus bibit; vides honorem poſſe contemni eodem, quo repulſus eſt die, pila luſit. Vides poſſe non timeri potentiam ſuperiorum, & Pompejum, & Cæſarem, quorum nemo alterum offendere audebat, niſi ut alterum demereretur, ſimul provocavit: Vides tam mortem poſſe contemni, quàm exilium, & exilium ſibi indicit, & necem,* Eſt igitur fortitudo, quæ in magno, & excelſo animo poſita pro juſtitia, & æquitate pugnat; quæ pro communi utilitate, honeſtate, dignitate, pro gloria pericula quæque adit, parata cruciatus ſubire, quin & mortem ipſam: Virtus eſt, quæ injuriam à ſe, & à ſuis propulſat, quæ nullo metu, nulla cupiditate frangitur, quæ iovicta ſe à labore, & tolerantia non ſubtrahit, quæ nunquam in rebus aſperis perturbatur, quæ in omni re gerenda, conſilióque capiendo conſtantiam ſervat. Hæc eſt illa, quæ res humanas deſpicit; & infra ſe poſitas arbitratur, neque fortunæ fulmina ulla pertimeſcit, nec ulla ægritudine concutitur, neque ullis cedit malis.

Commendatur etiam fortitudo, eò quia 18
affectus pravos à rectitudine deflectentes, animíque paſſiones inſoleſcentes coërceat, propriósque frangat animi motus, nec ullum patiatur vitium; adeò ut ſit hæc virtus veluti robuſtus, ac inexpugnabilis Atleta, qui non in Olympico certamine, aut Pythico, non in ſtadio Græcorum, aut palæſtra manus atque humeros, ſed in ſupplantandis affectibus animum exerceat, & in pravis coërcendis paſſionibus deſudet. Eſt hæc virtus, quæ non ſuem Erymanthium, ut Poëtæ nugantur, neque leonem Nemæum, neque lernæam hydram, ſed ferocientes animi paſſiones, iram, odium, vindictæ deſiderium generosè proſternit: hæc eſt illa, quæ cum ſpe, & metu; cum dolore, & voluptate; cum gaudio, & triſtitia, cum amore, & averſione; cum iracundia, & audacia certamen inſtituit, quibus non clypeum, aut peltam, ſed mentis conſtantiam vacuam terrore, & tranquillitate muniram objicit, quia ut ſcitè D. Ambroſius *1. offic. cap. 36.* *Revera jure ea fortitudo vocatur, quando unuſquiſque ſe ipſum vincit, iram compeſcit, nullis emollitur illecebris, ac inflectitur.*

Maxima tamen vis hujus virtutis ſplendet 20
in tolerandis rebus adverſis, qua ratione ut vir fortis commendatur Mitridates, qui regno ſpoliatus hanc emiſit vocem: *Fortuna regiam, animum verò regium nunquam eripere potuit.* Vulgatum eſt etiam illud Anaxarchi, qui cùm tunderetur in mortario, dixiſſe fertur: *Anaxarchi follem tunde, non Anaxarchum*, ac ſi carnis ſenſus omnes, & humanitatis imbecillitatem exuiſſet, & non carneus, ſed ferreus eſſet. Quòd ſi de Monocerote dicitur, quòd interimi quidem poſſit, nunquam tamen capi, id procul dubio viro forti congruit, qui adverſitatibus obrui quidem poteſt, & ærumnis inſepeliri, nunquam tamen proſterni, & vinci; ſtat enim ſemper animo imperterritus, corpore fatiſcente, & licèt hoſtes ſucciderint genua, ſauciaverint membra, multiplici vulnere cruentaverint pectus, mens tamen ſemper immota manet, nec unquam à ſua dejicitur tranquillitate. Quamobrem laus fortitudinis præcipuè petenda eſt ab eo, quòd vir fortis nil metuat, ærumnas ſerena fronte ſufferat, convicia mente tranquilla toleret, labores libenter ſuſcipiat, & ſemper impavidus ſit etiam in periculis, ut nunquam difficultatibus frangatur, infortunijs cedat; ſed ſpontè gravia, & acerba patiatur. Illuſtre fortitudinis ſpecimen nobis exhibent Sancti Martyres præſertim D. Bartholomæus, qui tam arctam, & anguſtam cœli viam invenit, ut non ſolùm proprijs exutus veſtibus, verùm etiam nonniſi propria ſpoliatus pelle hanc credidit potuiſſe pertranſire. Fortes fuerunt reliqui Martyres, qui adamantinam objecerunt conſtantiam ſævienti Tyranno, quamvis lento igne comburerentur, nudato ferro ſauciarentur,

tur, candentibus prunis aſſerentur. Plures fortiter caput gladio amputandum exhibuerunt, alij securi cædendos poplites portexerunt, alij cruorem è fractis artubus fuderunt: ſed illuſtriùs fortitudinis exemplar viſa eſt exhibuiſſe invicta Mater Machabæorum ſuadens filijs pro religione mortem fortiter oppetere, adducens veras regulas perſuaſionis petitas à bono, utili, honeſto, & delectabili.

Vera fortitudinis Idea, & ſuaſoriæ Orationis Imago in Matre Sanctorum Machabæorum exprimitur.

20 FErreo quovis armorum genere cataphracta barbaries ſanguinem ſitiat, quem fundat, aureum effundet, ac pariet purpuratorum Martyrum ſæculum: non nato tantùm Saturno, ſed morientibus etiam Martyribus aurea renaſcuntur ſæcula. Regia vix indutus purpurâ Antiochus veluti trabeatus cometa ſanguineo illo colore excidium religionis, & necem Machabæis viſus eſt portendiſſe. Nullus ſacris dabat operam ſacerdos, quin victima ejus mactanda furori non caderet exanguis: nullum ſurgebat templum, quod aureis, & holoſericis non ſpoliaret ornamentis regia barbaries: ò infelix metallum! nullibi tutum, ne quidem in ipſo templo, licèt aliàs etiam ſceleribus ſecurum ſit aſylum: meritò impalleſcit, cùm ubique inſidias ſibi paratas paveat, etiam in aris: quinimò pavet aurum, cum aura levius, ſtatim evaneſcat. Pallore obductum metallum, quaſi in agonia falcem timet pulſantis Libithinæ, quia auro inhiantes mortis ineunt pericula; & quamvis ſuperbiat in Nabuchodonoſoris ſimulacro; lapillo tamen adverſantis fortunæ concutitur, corruit, ac in pulveres ſolvitur.

21 Antiochus igitur in ſanctam heroinam, ac fortiſſimam Machabæorum Matrem ſævit, ac cruentam minatur ſtragem æquè ipſi, ac ſeptenis ejus gnatis; ni impio obſequantur præcepto, ac ſuiles carnes edant contra patrias leges: ſed non contra imbellem *matrem*, ſed in *Martem* invictum arma acuit: licèt fœmina, virile tamen, imò & adamantinum, ac inflexile pectus turbæ objecit gladiatorum. Circumſepiunt, imò coronant virilem matrem ſeptena filiorum capita: hydram dixiſſes ſacri ſeptenæ prolis avidam ſanguinis, in quam tamen Hercule crudelior ſævjit furens Antiochus, qui ferreum in fœmina expertus pectus, pungere quidem potuit extimam cutem, non animi fortitudinem pongere, nec expungere. Non pavet Tyrannum pia Mater, ſed ad filios converſa maſcula eloquentia, ac virili ſuaſione ad mortem fortiter obeundam hortatur, ſicque fatur. Gloriæ non fucatæ, & fluxæ, ſed æternæ ſplendor, Libithinæ in umbris, Manium in tenebris vos manet ò mei Gnati, fortiter pugnate, ferrea objicite pectora Tortorum ferro; Tyrannus poterit quidem plura vobis infligere vulnera, imò & corpus interficere gladio, nunquam tamen animum interimère, nec veſtram vulnerare, nec lædere virtutem: religionis integritas hiſce non læditur vulneribus, ſed magis perficitur, & illuſtriùs emicat: pugnate igitur, & patrias leges fortiter propugnate ò meum Gnatorum agmen; ſanguineam non exhorreat animus mortem; eò nobilior erit gloria, & vita ſuperſtes diuturnior, ac illuſtrior, quò ſanguine magis purpurea mors veſtra madebit, ſimul ac fulgebit: hoc in agone, ſi ferrum hoſtile vitæ ſtamina ſuccidit, victoriæ palmas vobis metet, has proprio rigate cruore, quò citiùs ad decus creſcant immortale: mei non eſtis liberi, niſi liberi pugnetis: hac in palæſtra ſub ſecuri cadere, eſt ſecuriùs ſtare; vinci a Tyranno eſt triumphos adire, quòd ſi è fractis artubus ſanguinem funderis, purpuram nobiliorem indueris. Quòd ſi Antiochi barbaries cremanda igne veſtra aſſabit membra, ne timeatis decoctis carnibus lautiùs epulabitur ſpiritus: gaudete inter incendii ſplendores, quia ſplendidiùs veſtra nomina lucebunt poſteritati, non ſolùm in terris, ſed perinde ac ſydera in ſummo cœlo: immortalitatis phœnices nonniſi accenſo è rogo ad vitam evolant immortalem: ſi nimbos ſagittarum Antiochi barbaries in vos ejaculabitur, omnem excutite timorem; ſed potiùs exultate, Achillis erunt tela ad ſanitatem, non ad necem vulnera infligent, vel potiùs alas vobis ſuppeditabunt, quibos citiùs ad gloriam avolabitis; non paveatis mortem, ſed moram timere, hoc mortis genus compendioſa eſt via ad triumphum: ſub ſecuri cadentes ſecuriùs ad triomphos ſurgetis; quia inde glorioſiores reſurgetis: ſi pedes Tyrannus amputabit, membrorum, ne timeatis mutilationem, non indiget pede, qui non ambulat; ſed evolat ad gloriam: manus, ſi ſcindet, citius mortuæ, ac reciſæ palmæ palmas rapient: ſi veſtras Tyrannica violentia lingoas eradicabit, cruenti erunt cálami reciſa fruſtula fortitudinem veſtram illuſtriùs ſcribent, quàm loquantur: ſi corporis corticem, & extimam cutem deglubet Barbarus, nil habebit veſtri miſi vacuam vaginam: virtus gladij non in vagina, ſed in ferro conſiſtit; forti in pectore, ac in cordis intimo veſtra reſideat conſtantia, vigeat virtus. Si Sartagines ſubjecto igni adaptabunt oleo adipatas tortorum turbæ, ac in ebulliente humore veſtra frigent corporis membra, horrorem carnificinæ non paveat animus, veros Athletas vos peperi, & tales cœlum conſtituit, ideo nudi liniendi eſtis oleo, quò hac in lucta triumphetis: imò ſepteni conſtaoriæ Lychni olei copiâ ſplendidiùs debetis eluceſcere. Si varij tormentorum generibus diuturniorem vobis Antiochus mortem minabitur, nihili facite inſanas minas; ſolvendum eſt ſemel hujus vitæ fluxæ penſum, gloriam incrementat, ac fœnerat mors diuturnior. Veſtium, ſi Tyrannus ſanguinem fundet, exultate, nobiliores inde evadetis purpurati: ſi vulneribus vulnera addet, totiúſque corporis artus franget, veſtræ conſulet integritati: mortem igitur obite, & hinc glorioſiores abite; mei nati eſtis, ſi ita denati pal-

palmas de Tyranno reportabitis. Sic faſſa eſt virilis mulier, quam propterea dixeris veram conſtantiæ Ideam, quæ ſuperſtes filiorum ſupplicijs huc, illúcque invicta diſcurrens Martyres filios ad conſtantiam in ſupplicijs iterum hortatur, ſubdens: Euge filij legis patriæ, & canæ meæ ſenectutis, urbiſque veſtræ præſidium, & propugnaculum, paululum adhuc ſuſtinete, & triumphabitis, & ego inter mulieres beata, ſi vos inter ſupplicia ſequar; matris deſiderium vos non angat, vos ſequar, quos deſerere nec poſſum velle, nec nolim poſſe; longa annorum ſeries me illaqueat, mortem effugere non poſſum: nihil ſimulat ſenectus, neque ſe ipſam; fidei colorem oſtendunt cani: aureum objicite ſupplicijs pectus, veſtram non flectat animi conſtantiam ferrum, ego vos ſequar, ut veſtræ fiam gloriæ particeps. Oh inflexilem fœminæ fortitudinem! pugnabat in ipſa cum gratia etiam natura, hæc illi cedens, victoriam etiam ceſſit. Una in ſeptem filijs decertavit nil omittens eorum, quibus eos ad victoriam paratiores & alacriores redderet: modò ſanguineis filiorum guttis linteum imbuebat, nunc lacerata membrorum fragmenta colligebat, nunc venerabiles Martyrum reliquias flexo poplite adorabat, alium inter amplexus oſculabatur. Oh vivam fortitudinis Ideam! ſeptenis filiorum funeribus ſuperſtes Mater non doluit: conſtantiæ ſtatuam dixiſſes, non tamen ſaxeam ut Niobem, ſed ad mantinam, quæ ſic ſtetit, ut nec flecti, nec frangi potuerit.

Amplificatio à liberalitate.

22 Liberalitatis ſplendor heroici animi præcipuum eſt ornamentum, ſublimem enim, & grandem prodit Spiritum: quinimò Clemens Alexandrinus liberalitatem ait eſſe expreſſam, ac ſpirantem Dei viventis imaginem: nec ulla eſt virtus, quæ elegantiùs in Principe laudetur, & quidem ab effectis, in quibus ea conſiderantur, quæ ſolent erogari, & ij etiam in quos pecuniæ, vel beneficia erogantur. Splendet hæc virtus præſertim in urbibus condendis, vel reſtaurandis, in aquarum, ac fluminum ob publicum commodum derivationibus, in templis erigendis, Monaſterijs conſtruendis, Xenodochijs fundandis, ſcholis inſtituendis, theatris, amphitheatris Circis, vijs publicis muniendis, ſternendis; in pontibus arcuandis, in turribus erigendis, arcibus muniendis: & licèt hæc opera ad munificentiam videantur pertinere, non tamen à liberalitate abhorrent, quia ut aſſerit D. Ambroſius *in Pſal. 100. Proprius eſt Principis character liberalitas, & munificentia. Principale eſt virtutis inchoare à beneficijs, & proſeminare gratiam, eatenus enim Rex eſt, quatenus ſubditis ſuis prodeſt.*

Idque cauſæ cur Perillus Alexandrum ro-
23 gaverit, ut illũ ad parandam filiæ dotem juvaret; cui cùm Alexander quinquaginta dari talenta juſſiſſet, & Perillus decem ſibi ſatis eſſe dixiſſet, reſpondit Alexander: *quamquam tibi, qui ea accepturus es, decem ſint ſatis; mihi à quo dantur, ea non ſufficiunt.* Magnus, ac liberalis animus non tam honeſtam amici neceſſitatem, quàm fortunæ ſuæ vires metitur. Rurſus cùm Alexander ſuo præcepiſſet Oeconomo, ut Anaxarcho Philoſopho daret, quantum popoſciſſet, & ipſe centum petijſſet talenta; veritus Oeconomus tantam pecuniarum copiam dare; Philoſophi petitionem voluit priùs Alexandro ſignificare, qui reſpondit, Anaxarchum noſſe eum ſe habere amicum, qui hanc ſummam, & longè etiam majorem dare poſſet, & vellet. Titus Imperator hac etiam virtute ſplenduit ratus diem perdidiſſe, niſi beneficijs alios cumulâſſet, inquiens: *Diem perdidi, hodie non imperavi, in nullum beneficus fui.* Utinam Principes omnes hanc exercerent munificentiam, ac liberalitatem præſertim in pauperes, pretium præmitterent, quo cœleſte regnum ſibi coëmerent. Tullius Hoſtilius unus ex ſeptem Romanis Regibus proventus, quos cæteri Reges in proprium uſum conſueverant ſervare, pauperibus diſtribuit; plurium certè Regum moribus diſſimilis, qui non proprium argentum pauperibus diſtribuunt, ſed propria pauperum ſibi uſurpant. Nerva itidem liberalis princeps ſenio confectus, ſeu ætate, quæ aurum avidiùs ſitire ſolet, menſibus quibus imperavit in egenorum uſum decies, & quinquies centum millium aureorum ſummam diſtribuit Præfectis Senatoribus, ut agros coëmerent in ſubſidium pauperum, quinimò ad alienas miſerias levandas vaſa propria aurea, & divitem ſuppellectilem divendidit, ut pretio pauperum conſuleret indigentijs. Veſpaſianus itidem à liberalitate, quam imperans exercuit plurimum commendatur: inopes enim Conſulares quingentis ſeſtertijs annuis ſuſtentavit; plures vel terræ motu collapſas, vel incendio abſumptas, vel alijs miſerijs afflictas urbes reſtauravit, Poëtarum & Oratorum ingenia fovit: quod etiam præſtitit Theodoricus, qui ajebat, non alium eſſe Principis characterem, quàm liberalitatem apud Caſſiodorum *lib. 3. Epiſt. 11. Optamus omnem diem plenum beneficijs noſtris excurrere: optamus ubique præſtita noſtra irradiare; quia in ævum micuit, quod munificentia principalis indulſit. Meliùs donativo, quàm ſceptro regia manus radiat, & ſplendeſcit.*

Laudatur igitur liberalitas, eò quia ſit 24
proprius character Principis, ac animi heroici, & grandis, ex eo, quòd alienas miſerias levet, pauperum indigentijs conſulat, vectigalia remittat, onera removeat, miſeros conſoletur, collapſos in miſerias erigat, bonum publicum promoveat, & ſolo amore honeſtatis ducatur: etiam commendatur in urbibus condendis, templis conſtruendis, monaſterijs, & xenodochijs fundandis. A donativis Plinius ſuum laudat Trajanum; *Niſi verò leviter attingi placeat locupletatas tribus, datúmque congiarium populo, & datum totum, cum donativi*

par-

partes milites accepiſſent, enim verò qua benignitate diviſum eſt, quantæ curæ tibi fuit, ne quis expers liberalitatis tuæ fieret? tu ne rogari quidem ſuſtinuiſti. Idem Trajanus Impe laudatur à reparatis urbibus, ac locupletatis populis, ſequitur Plinius in Panegyrico Trajani, *nec verò illo civiliùs, quàm parens noſter authoritate, conſilio, fide, recluſit vias, portus patefecit, itinera terris, littoribus mare, littera mari reſtituit, diverſáſque gentes, ita commercio miſcuit; ut quod genitum eſſet uſquam id apud omnes natum eſſe videretur; devehunt ipſi, quod terra genuit, quod ſydus aluit, quod annus tulit.*

25 Rhetor Eumenius Conſtantinum Imperatorem à dandi celeritate commendat inquiens: Neſcis Imperator tua commendare beneficia, præſtandi celeritate tempus occupas optandi, & indulgentiæ celeritate viciſti clementiam ipſam, diu venturi hominis paratus optatur, diu vagitus inconditi loquuturam differunt vocem, diu fruges hyems cohibet; ver elicit; æſtas flore ſolidat, calor ematurat: tu nobis vitam pariter totam dediſti; tu fructus meritorum tuorum nos metere juſſiſti.

26 A gratuita liberalitate etiam commendatur Princeps à Latino Pacato in Panegyrico Theodoſij, *Nullam majorem crediderim eſſe Principum felicitatem, quàm feciſſe felicem: Itáque Imperatori propriam majeſtatem æſtimanti non tam illud ſuum videri debet, quod abſtulit, quàm quod dedit; nam cum intra ipſum voluantur omnia, & ut ille qui cuncta ambit Oceanus, quas ſuggerit quas terris recipit è terris, itaque quidquid in cives manat à Principe, redundat in Principem.* Splendet etiam Principis munificentia in erigendis templis, ſacellis, aris, Obeliſcis, columnis, quo in genere impenſarum retroactis ſæculis munifici Reges ac Dynaſtæ illuſtres vixerunt, qui hiſce ſumptibus plurimum ſibi comparârunt gloriæ. Nervæ meminit tranquillus *cap. 4.* inquiens: Novam autem excitavit ædem in Capitolio cuſtodi Jovi, & forum, quod nunc Nervæ vocatur: item Flaviæ gentis templum, & ſtudium, & Methodium, & Naumachiam è cujus poſtea lapide maximus Circus uſtis utrinque lateribus exſtructus eſt.

Amplificatio à Temperantia.

27 Coërcendis inſoleſcentis concupiſcentiæ motibus, carniſque compeſcendæ petulantiæ nullum frœnum accommodatius ipſa temperantia, quæ ea utitur in victu regula, ut nonniſi tantum cibi, hauſtúſque ſumat, quantum ſatis fiat, non ad ſatiandam, ſed ad mitigandam famis, ſitiſque cupiditatem, ſciens nullo modo fieri poſſe, ut pinguis venter tenuem ſenſum, atque intelligentiam gignat. Hæc eſt illa virtus, quæ cæteras fovet, & ſua abſtinentia nutrit, qui enim temperatè vivit, continentiæ eſt deditus à nullis ſe patitur voluptatibus ſuperari, cibo eſuriem magis concitat, quàm reſtinguat: hæc eſt fidiſſima illa nutrix integritatis, arx animi munitiſſima, ad vitiorum turbas propulſandas, & carnis illicia coërcenda: ideóque cum caro noſtra terra ſit, temperantiæ vomere eſt excolenda: ait D. Leo Papa ſerm. 4. de jejun. Pent. *Terra carnis noſtræ niſi aſſiduis fuerit ſubacta culturis citò de ſegni otio ſpinas, tribuléſque producet, & partu degeneri dabit fructum, non horreis inferendum, ſed horridis ignibus concremandum.* Prematur igitur, & excolatur caro noſtra temperantiæ vomere, ut hujus virtutis exculta exercitio victrices lauros proferat, quibus anima coronetur, quia ut ſcitè D. Auguſtinus in Pſal. 139. *Preſſa eſt caro, coronata eſt anima:* ſunt carnis preſſuræ pellucidæ veluti gemmæ, quibus ſpiritus coronâ fulget illuminatâ: non poteſt temperantiæ virtus non triumphare cum ipſa coërceat corporis libidines, carnis concupiſcentias, pravorum affectuum impetus, ipſa tuetur caſtitatem, avocat mentem à curis viliſſimis rerum fluxarum, & ad divina contemplanda mentem acuit, intellectum illuminat, memoriam corroborat: ipſa calcaria exhibet, quibus celeriùs ad cœleſtem Patriam curramus: ipſa magnificé de ſe loquentes compeſcit; ſuperbiam, & contumaciam contundit, è converſo vitijs frœnum injicit, quorum impetus compeſcit, & pectus omnium virtutum moderatione tranquillat. Eſt ſiquidem temperantia rationis regulæ conſona, quæ animi, ac pravorum affectuum diſſonos impetus compeſcit. Solet in tres partiri ſpecies, ſeu in continentiam, quâ ratione, & conſilio inordinatæ continentur cupiditates; in clementiam, quæ eſt lenitas in puniendo; & modeſtiam, quæ eſt pudor honeſtus, & in honoribus moderatio.

Hanc virtutem temperantiæ præ cæteris 28
excoluit Diogenes Cynicus, quem Alexander munerum oblatione vincere non potuit; cum ad illum in ſole ſedentem Rex acceſſiſſet, & hortaretur, ut ſi quid ſibi præſtari vellet; indicaret: Diogenes nil aliud reſpondit, niſi: *velim ut à ſole mihi non obſtes, umbram enim mihi facis.* Excelluit etiam temperantiâ Philopœmones Megalopolitanus, Cupientibus enim Lacedemonijs aliquam gratitudinis teſſeram, ei elargiri pro ſuſceptis ab eodem beneficijs; Oratores qui ad eum cum centum viginti talentis miſſi fuerant, perſpectâ ejus vitæ abſtinentiâ nunquam de danda ea pecunia verbum facere auſi ſunt; & cùm palliatis verbis gratum Lacedemoniorum animum ei oſtendiſſent turbarus ſtatim fuit Philopœmones, qui & in Senatu Lacedemonios graviter redarguit, quòd amicum, quem ſine ulla impenſa nacti fuerant, pecuniâ coëmere vellent. Illuſtris etiam fuit temperantia, animíque moderatio Socratis Philoſophi, de quo fertur, riſiſſe nunquam, nunquam fleviſſe; ſed uno ſemper eodémque vultu omnes aſpexiſſe: neque hanc animi moderationem variare potuerunt infortunia, quæ ſubivit, neque nuptialis lætitia, neque triſtitia illius diei, quo venenum hauſit. Inſigne itidem temperantiæ, ac mo-

derationis exemplum exhibuit Tamburlanus Scytharum ac Perſarum Rex: qui cùm per Syriam proficiſceretur in oratorem offendit, qui arando vas ingens aureæ monetæ repletum invenerat: cùmque omnes, qui cum Rege erant, inventam à ruſtico pecuniam ad Regem Pertinere aſſererent, eò quia inventi, qui occultantur theſauri juxta legem Regis eſſe putentur; juſſit Rex agricolam ad ſe monetam deferre, quâ inſpectâ Rex petijt ab adſtantibus, putaréntne Patris ſui eſſe imaginem, quæ pecunijs incuſa erat: cúmque illi reſpondiſſent Romanorum Principum effigies eſſe: tum Rex ſi ergo pecunia hæc à meis non fuit Majoribus tuſa, æquum eſt, ut eam aratori relinquamus, cui Deus bonorum omnium largitor eſt impertitus. A temperantia laudatur etiam Alexander Macedo, qui poſt Darium proſtratum campeſtri conflictu, cùm fugientes inſequeretur, & extrema ſiti æſtuaret, ac incidiſſet in quoſdam è ſuis ducentes jumenta aquis onuſta, & ex ijsdem unus ſitienti Alexandro aquam in galea porrexiſſet: petijt Alexander, antequam biberet, ad quóſnam deferrent aquam illam, & cùm reſpondiſſent ad filios, noluit Rex bibere, ne ſi ipſe ſitim extingueret, alij augerent.

29 Laudibus etiam excipitur temperantia ex eo, quòd delicatiorem cultum reſpuat, neque ornatum ferat muliebrem, nec quidquam molle ac effæminatum patiatur in victu, & veſtitu: hunc contra immodicum cultum, calamum acuit Seneca *Lib. de brevit, vitæ cap. 12. Quibus apud tonſorem multæ horæ transmittuntur, dum decerpitur, ſi quid proxima nocte ab ordine erraverit, de ſingulis capillis itur in conſilium, dum aut disjecta coma reſtituitur, aut deficiens hinc, atque illinc compellitur; iraſcuntur: ſi tonſor paulò negligentior fuit, & tanquam virum tonderet, excandeſcunt, ſi quid ex jubâ ſua deciſum eſt, ſi quid extra ordinem, jacuit; quid igitur ſperas ab ijs, qui corporis venuſtatem, cinnósque humeris, & collo illudentes pro DEO venerantur, niſi fæmineum, & mollem animum.*

30 Laudatur etiam hæc virtus, eò quia ejus munus ſit coërcere concupiſcentias, præſertim Vene em compeſcere, pravarum paſſionum motus coërcere, gaudere integritate corporis, excolere pudicitiæ florem, & caſtitatis ſuavitatem olere. Bellerophon caſtitate adeò fuit inſignis, ut ejus temperantia parœmiæ locum dederit: ſed Bellerophonti præferendus eſt Joſeph Patriarcha: ſiquidem pudicitia, quæ impudicæ mulieris artes vincit, omni eſt ſuperior laude, & linguas vincit omnium; ait Origioes lib. 4. contra Celſum: *Multò Bellerophonte præſtantior hac in parte Joſephus, qui in carcere includi maluit, quàm caſtitatem amittere*: & D. Cyprianus de bono pudicitiæ ait. *Pudicus Juvenis, qui delicto conſcientiam non fœdavit, in carcerem truditur; ſed ſola non eſt in carcere pudicitia; nam eſt cum Joſeph DEUS.* Potuit mulier in adoleſcentis pudicitiam ſævire, ſed non valuit caſtimoniam evertere, neque impuro ſuo igne denigrare; quapropter, ſi Joſephi pudicitiam tribus pariaveris adoleſcentibus Babylonica clauſis in fornace, & Ægyptiacæ mulieris impuritatem flammis in fornace Hebræos adoleſcentes circumambientibus, tecum ſentiet D. Chryſoſtomus *epiſt 3.* inquiens: *Ut Perſicæ illæ manus Babylonicam fornacem magno ſtudio accendebant, copioſo igni alimoniam præbentes; eodem quoque modo tunc infelix illa, & ærumnoſa mulier flammam fornace illa graviorem, ac periculoſiorem accendebat, unguenta nimirũ olens, genarum frictionibus, oculorum picturis; fracta, & enervata voce, motibus laſciviens, mollis veſtitu, auri ambitu, ac ſexcentis alijs ejuſdem generis illecebris, & impoſturis.* Imò hac in re adeò temperatus fuit, & caſtus, ut nec ſermonem audire vellet, niſi qui caſtitatem, ac pudicitiam oleret, ait enim D. Ambroſius lib. 1. Offic. cap. 17. *Joſeph ita caſtus fuit, ut ne ſermonem quidem audire vellet niſi pudicum*; quia à verbis impudicis facilis eſt lapſus ad res impudicas: quin imò adeò inſignis fuit, ac illuſtris Joſephi temperantia, ut ne tangi quidem ab Ægyptia muliere pateretur, quapropter dixit Apoſtolus, Bonum eſſe homini mulierem non tangere, non dixit à muliere abſtinere, ſed mulierem non tangere, innuens nudum contactum ab opere, & noxa nudum non eſſe, acutè D. Hieronymus *epiſt. 50.* quæ eſt ad Pammachium. *Apoſtolus ait, bonum erit homini non tangere mulierem, quaſi in tactu ejus periculum ſit, quaſi, qui eam tetigerit, non evadat.*

Joſeph igitur ne ab Ægyptia tangeretur 31
muliere exiliens ex ejus manibus pallium abjecit, quod mulier tetigerat, ne peſtis per contactum intus irreperet in animum: fugæ ſe dedit, cujus beneficio vicit: ſolet fuga militis timiditatem prodere, ſed in caſtris pudicitiæ pugnantis fortitudo in fuga clareſcit illuſtrior: inermis eſt, qui non fugit, ac imbecillis; fortis verò, & armatus, qui fugâ ſe munit: eſſe fugam armaturam ad retundendos concupiſcentiæ impetus, ac eludendos Veneris aſſultus, ediſſerit Baſilius Seleuciæ Antiſtes, qui *homil. 8.* Joſephi factum expendens ait: *Tenacibus manibus retentam permittens veſtem, libidinis effugit anſas, fugâ uſus pro armis, tradit veſtem, ut temperantiam teneat, denique nudatur veſte, ne nudetur temperantia.* Fugit ab Ægyptia muliere Joſeph, ne ſi ab illa tangeretur, cum interitu caſtitatis moreretur; ab impudica tangi magis noxium eſt, quàm à fera morderi. Scitè D. Hieronymus *lib. 1. contra Jovinian. cap. 4.* ait: *Noſter Joſeph, quia tangere eum volebat Ægyptia ex manibus ejus fugit, & quaſi ad morſum rabidiſſimi canis: ne paulatim virus ſerperet, pallium, quod tetigerat, abjecit.* O præclarum temperantiæ exemplum, nudatur paludamento, ne ſpolietur pudicitiâ, veſtes abjicit, ut caſtitatem retineat, indumentum exuit, ut fortis Athleta in caſtris temperantiæ, & caſtitatis ad triumphum pugnaret; pallium reliquit, & fugit; ut palmam raperet: neque enim cum veſtium impedimentis luctare unquam homines conſueverunt; hac autem in palæſtra, qui veſtium ſuperflua

perflua non dimittit, victoriam amittit. Sed quàm procul à noſtro Joſepho diſtant hujus ſæculi Juvenes, qui non ſolùm indumentum non abjiciunt in libidinis pugna, ſed elegantioribus induti veſtibus concupiſcentiæ movendæ, & excitandæ accommodatis palæſtram Impudicitiæ ingrediuntur. Caſtitatem, qui excolit, fœminas fugiat; carnem non foveat, ne hoſtem nutriat; blanditur caro voluptatum illecebris, ſed lethalius vulnus, ut infligat: ſævior eſt caro omni fera, tunc magìs efferatur, cùm blandiùs delinitur: pugnat contra nos caro, quam dum fovemus, acriùs nos impetit, & plerumque expugnat. Caveant incauti Juvenes, qui infeliciſſimi veluti pyrauſtæ inſanæ Veneris, quam deperennt, flammam circumeunt, quâ pereunt: tunc acriùs ſævit in virum fœmina, cum blanditijs voluptuoſiùs eum allicit; tunc novercali odio virilia pectora crudeliùs proſequitur, cùm illecebras ferit.

32 Dimicandum eſt in palæſtra caſtitatis, ſed temperantiæ armis, quibus palmas merere poſſimus, caſtitatis coronâ redimitur Joſeph, quia ſervire noluit impudicæ mulieri; factus propterea heræ Dominus, qui venditione ſervus evaſerat: huc acceſſendus Baſilius Seleucienſis *orat. 8.* inquiens: *O quanta continentiæ dignitas, quanta gravitatis corona, ut ſervus venditus eſt, & ut Domino domina ſit ſupplex. Oh quanta eſt intemperantiæ labes, ſiquidem ſervo Dominam ſervam ſubijcit. nam quæ amoris jugo, quaſi per venditionem animam ſubjecerat, externæ quoque dignitatis jacturam fecit.* Quis Joſepho glorioſior? hic gigantem virginitatis hoſtem, ſeu carnis petulantiam coërcuit, cedat ipſi aſini Maxilla, quâ Samſon mille interfecit Philiſthæos, quia Joſeph caſtimoniæ vindex in muliere propulſanda beneficio fugæ hoſtem vicit validiorem: cedat Eleazari mucro, quo ſubiens audacter Elephantum loricâ munitum, & onuſtum turri bellica immanem manu forti occidit; Joſeph enim armatura ſolidiore præmunitus de concupiſcentia quovis externo hoſte truculentiore triumphavit. Cedat Holophernis pugio, quo diſtricto Judith formoſiſſima æquè ac caſtiſſima vidua virili pectore, ac militari brachio barbari ducis caput gemino abſcidit ictu, ac ingentes pedeſtres, ac equeſtres copias armatorum præfecti cæde tremefactas in turpem fugam vertit? ſiquidem glorioſa Joſephi fuga non hoſtem timuit, ſed profligavit, ac vicit. Clarioris etiam notæ Principes hanc temperantiæ virtutem excoluerunt, rati, nullum Principi poſſe ornamentum nobilius accidere virtute temperantiæ, id innuit Baſilius Imperator, Conſtantinum filium ſuum ſic alloquens cap. 63. *Purpurâ bene veſtieris, ſi temperantia in omnibus tuis, & dictis, & factis efflorebit.* Agapetus Juſtinianum Imperatorem à cultura temperantiæ commendat, inquiens. *Te revera Imperatorem aſſerimus, qui & imperare, ac dominari voluptatibus vales, dum coronâ caſtitatis revinctus, dum temperantiæ ſplendoribus ſuffultus, dum purpurâ juſtitiæ inſignitus incedis.*

Amplificatio à Caſtitate.

33 QUamvis ſancta, ac illibata pudicitia ſpecies ſit ipſius temperantiæ, nonnulla tamen de ipſa par eſt ſubjicere, cùm ſit nitidiſſimum animi ornamentum, conſcientiæ tranquillitas, mentis libata ſerenitas, & ad cujus culturam excitamur exemplo Joſephi Patriarchæ, ut monet D. Gregorius *Homil. 15.* in Ezech. Inquiens: *Conamur carnis illecebras vincere, Joſeph ad memoriam redeat, qui tentante Domina ſtuduit carnis continentiam, etiam cum vitæ periculo cuſtodire, ſi ſuis adblanditur illecebris caro, ſi æſtuat, ſi ad luxuriam illicijs excitat, in mentem revocemus egregium Joſephi factum.* An non Chriſtianos Joſeph redarguit? ille nondum Chriſti lavacro ablutus pudicitiam illibatam ſervavit, & inter libidinis flammas illæſam conſervavit, cùm ſe à conſortio mulieris ſubtraxit: & Chriſtiani luſtrali aqua baptiſmi abluti, Sacramento confirmationis corroborati, & alijs præmuniti ſanctam non excolunt pudicitiam, caſtitatem non tuentur illibatam, quam tanti fecerunt Ethnici, ut non ſolùm ſanguine, verùm & morte ipſa eam propugnaverint, ut Lucretia, quæ manu impavida, ferro armatâ pectus ſuum trajecit. Cajus Julius Cæſar tanti pudicitiam fecit, ut ſuam uxorem maluerit repudio remittere, quàm infamiæ ſuſpicionem ferre, eò quia domeſticos inter parietes Publium Clodium fœmineo ementito habitu deprehenderit: & interrogatus, cur uxorem dimiſiſſet, fertur reſpondiſſe, uxorem Cæſaris non crimine tantùm, ſed & criminis ſuſpicione carere oportere. Præclarum itidem propugnatæ pudicitiæ exemplum poſteritati tranſmiſit Thebana illa virgo, quam hoſtis Macedo violaverat, eúmque corruperat florem, qui ſemel amiſſus, nullo fit ampliùs pretio venalis: diſſimulato enim pauliſper dolore violatorem jugulavit, & ſe ipſam interfecit, ne ſuperſtes viveret poſt emortuam in ipſa caſtitatem.

34 Hinc quanta ſit pudicitiæ dignitas, ex eo conjicitur, quòd tanti eam Ethnici fecerint, ut maluerint vitâ carere, quàm pudicitia non clarere: quia ut Vates cecinit: *Caſta placent ſuperis.* Commendatur igitur pudicitia, eò quia virtus ſit præſtantiſſima, quæ Deo placet, Cœliribus arridet, voluptatis illecebras coërcet, motus concupiſcentiæ compeſcit, carnis impetus comprimit; niſque in ædibus, in cubiculo ferat, quod oculos offendat, turpia fugiat ſpectacula, oculos cuſtodiat.

35 A virtute caſtitatis commendatur Alexander, qui fertur ad Parmenionem hæc ſcripſiſſe. *Ego non ſolùm non vidiſſe inveniar Darij uxorem, aut de illius pulchritudine cogitâſſe, ſed ne verba quidem de ejus venuſtate facientes audire ſuſtinuiſſe.* Expavit Alexander, quòd Cyrus olim ſe timere dixit; invitatus ſiquidem ab Araſpo ad aſpiciendam venuſtæ mulieris formoſiſſimam faciem; non faciam, reſpondit Rex, meliùs eſt, ut abſtineam, ne facies faces meo accendat in corde; non ſine pudicitiæ detrimento. Dignum obſervatu eſt, verbum

videndi in ſacris litteris uſurpari pro verbo *amandi*: ideóque cum mulier Ægyptia oculos in Joſephum injeciſſet, dicitur eum amâſſe *Geneſ. 37. num. 7. Injecit Domina oculos ſuos in Joſeph*, quæ verba expendens D. Auguſtinus ait: *Et miſit uxor Domini ejus oculos ſuos in Joſeph*, quem impudicè deperivit: & poſtea ſubdit Auguſtinus: *Solet & apud nos vulgò eſſe uſitata locutio pro eo, quod eſt, amavit eum.* Obiter advertendum eſt verbum *videndi* ampliorem habere latitudinem, quàm primo intuitu appareat. D. Auguſtinus ad omnes quinque ſenſus illud transfert, ait ſerm. 33. de Verbis Domini: *Ipſum videre per omnes quinque ſenſus currit.* Hinc illud Jeremiæ 2. *Videte verbum Domini*, ſeptuaginta Interpretes explicant: *Audite verbum Domini.* Illud Abacuch in Cant. *Viderunt te aquæ Deus*, quod expendens Ag lius ait: *Vidiſſe autem dicit, quamvis ea facta non viderint, ſed audierint, quod enim tanquam certum auditur, dicitur videri.* De Patriarcha Jacob etiam dicitur; vidiſſe, quòd eſſent alimenta in Ægypto, quod D. Hieronymus vertit, *Audiens autem Jacob.* In adoleſcentibus præſertim debet hæc virtus eminere, quæ in ijsdem tanto apparet illuſtrior, quantò magìs in fluxu ætatis lubrica verſatur juventus, & in vitium proclivis facilè flectitur. Proinde ut hanc adoleſcentes virtutem excolant omnes allicientis carnis illecebras, motúsque concupiſcentiæ compeſcere debent, & præſertim occaſiones fugere: adagialis eſt formula, quâ dicitur: *Caſtitatis Athleta libidinis eſt fugitivus*, qui in Veneris caſtris glorioſiores, quàm in Bellonæ area cupit palmas metere, Parthorum more neceſſe eſt fugiendo pugnet; caſtitatis propugnator, & libidinis expugnator non pectus, ſed tergum dat hoſtibus, quia in ſola fuga victoria eſt. Ex eo itidem ſummis excipitur caſtitas laudibus, quia ſenſus omnes exteriores coërcet, ne divagentur cum detrimento pudicitiæ: oculos ita in alios jacit, ut in neminem figat; quia perinde eſt oculos figere in mulierem, ac pudicitiæ lethale vulnus infligere. Sunt oculi naturales quidam animi cuniculi: & ſicut cum arx munitiſſima obſidetur, ducto cuniculo ſubterraneo fit reſticula pulveris tormentarij, quæ in lineam ducitur ad arcis fundamentum, ut paulatim ſerpens flamma per apertam ſibi viam, & exigui fomitis continuatione innutrita inducitur, ubi tormentarius pulvis congeſtus, ac in uno coactus vaſe in vaſtum, & horribile erumpit incendium, & muros diſrumpit, aditúmque hoſtibus obſidentibus aperit ad arcem occupandam: pari pacto fœminea venuſtas per oculos, ut per animi cuniculos mentem ſubit: ſi aſpectûs continuatione, ut igneo fomite ardor concupiſcentiæ, animum pervadat, & tunc æſtus augetur libidinis non ſine caſtitatis everſione. Eſſe oculos corporis cuniculos animæ, nos edocet David, licèt ſanctitate, quàm purpurâ clarior: poſt ſomnum meridianum liberiorem capturus auram cum deambularet in ſolario regiæ domûs oculos incautè jecit in Bethſabeam lavantem ſe in fonte 2. *Reg. cap. 11. Viditque mulierem ſe lavantem ex adverſo*, hoc eſt, ut ait D. Auguſtinus in Pſalm. 50. *mulier longè fuit, ſed libido propè*, ex frigidis illis laticibus flammas hauſit libidinis, & ubi fœmina beneficio fontis maculas exuit, David pravis cogitationibus ſordes induit, & naufraga perjit caſtitas in pellucida unda, licèt nulla ſæviret procella, ſed malacia eblandiretur amoris. Tunc potuit David dicere cum Jeremia *Thren. 3. 51. Oculus meus deprædatus eſt animam meam.*

36 Caſtitatis vita ab oculorum petenda eſt cuſtodia, cùm ab incuſtoditis ijsdem interitus oriatur caſtitatis. Id fortaſſis cauſæ, cur Eliſæus. *4. Reg. 4.* filium ſuſcitaturus Sunamitidis ſuos poſuit oculos ſuper demortui pueri oculos, quo doceremur, peccatoris oculos à ſuperflua evagatione eſſe inhibendos, ut revocetur ad vitam beneficio veræ reſipiſcentiæ: hinc D. Baccharius de recipiendis lapſis ait: *Appone oculos tuos oculis ipſius, cuſtodi oculos ipſius, ne in perditionem evagentur.* D. Petrus Chryſologus expendens oculorum exilitatem ait ſerm. 139. *Dei eſt, quod oculus in orbem ſit, apertus, arctatus, anguſtiſſimus in pupilla, quatenus moderatè viſum videat, non invideat: prævideat, non proripiat: proſpiciat, non deſpiciat. Oculus ſit animæ feneſtra, ſpeculum ſit mentis, ſit lumen corporis, ſit dux membrorum, non introitus vitiorum.* Claudendi ſunt oculi, ne incautè videns homo miſerè in barathro claudatur peccati; cecidit Adam interdicto fructûs eſu; non facilè caſurus ſi oculos cohibuiſſet, hinc ſingularis in hoc aſſulget Dei providentia, dum oculum & videndi inſtrumentum fecit, & plorandi ut qui facilè per oculum peccavit, in eodem oculo eſſent lachrymæ, quibus contracta macula abſtergeretur.

37 Cautela eſt etiam à cultore caſtitatis, vel maximè adhibenda circa aures, quæ ſicut exiguo ab oculis diſtant ſpatio, eidem ſunt obnoxiæ periculo, quia ut ſcitè ait S. Valerianus Nicienſis & Cemelienſis Antiſtes Homil. 6. *Quotieſcunque dulci voce mulcetur auditus, ad turpe facinus invitatur aſpectus*: facilis eſt tranſitus ab oculis ad aures, quæ niſi claudantur verbis impudicis patulæ ſunt januæ, per quas hoſtes ingrediuntur caſtitatis, quam etiam interimunt. Neque abs re Plutarchus incuſtoditas aures, & quæ obſcœnis patent ſermonibus illis pariavit urbium portis, quæ abominandæ habentur, eò quia per eaſdem exeant, qui à carnifice ſunt, vel patibulo ſuſpendendi, vel capite amputandi: & ſola piacula inducuntur: ita quæ impudicis patent verbis aures portæ ſunt, per quas eunt, ac redeunt plauſtra immundirijs onuſta ad mentem deturpandam ad animam devenuſtandam, & caſtitatem interimendam: tunc ſordibus oppletur mens, quæ pravis cogitationibus interitus præludit caſtitatis. Cuſtodiendus eſt etiam odoratus à cultore pudicitiæ, quia afflata odorum ſuavitas animum emollit, effæminat, & in petulantis cujusdam laſciviæ trahit ſocordiam. Eſt enim ſuffimentum ait Cyril-

lus

lus Ieroſolymitanus Catheches. 12. *Voluptatis ineſcativum*: quia ſicut piſces eſcato capiuntur hamo, ita ſuffimentis irretitur homo, ut vix invenias, qui hiſce delectetur odorum ſuavitatibus, & Venerem non oleat, qua propter ait Seneca Epiſt. 10. *Optimus odor in corpore eſt nullus.* Iudæi tunc ſolutis fuerunt moribus, cùm in omnia deliciarum genera effuſi odoribus delectabantur, quos redarguens Iſaias 3. 23. ait: *Et erit pro ſuavi odore fœtor*, ſeu ut vertit Vatablus: *Et erit pro muſco tabes.* Non igitur unguenta ex Arabia, odores ex muſco mure quæramus; ſed ut bene cælitibus oleamus, id beneficio excultæ caſtitatis ſatagamus. Senſus itidem guſtûs coërcendus eſt à cultore caſtitatis. Eſt hic ſenſus totus materiæ immerſus in id incumbens ſtudij, ut pingui Arvina corpus farciat. Cibus ita ſumendus ut vires reficiantur, non ut concupiſcentia inſoleſcat, ait D. Auguſtinus *Lib. 10. confeſs. cap. 31.* alloquens Deum: *Hoc me docuiſti, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam.* Caro, quò plus nutritur, eò magis inſoleſcit, ideòque coërcenda per ſubtractionem ferculorum, ut caſtitas hac cultura pulchrior efflореſcat. Senſus itidem tactus omnino coërcendus eſt, eò quia tactus, & joci interitui præludant caſtitatis, eſt hic ſenſus omnium infimus, & ad fœcem materiæ proximiùs accedens: quapropter in hoc ſenſu compeſcendo ſumma eſt cura adhibenda, quia ſi tactûs voluptas caſtitatis cultorem afficiat, neceſſe eſt pudicitiam in eodem inficiat: incipit enim tunc concupiſcentia libidinis æſtu furere, & caſtitatem evertere. Eſt tactus impudicus leno libidinis, qui florem pudicitiæ facilè evellit: nulla palea, vel ſtuppa eſt, quæ ſi ignem tetigerit, non cineteſcat; & pudicitia per hujuſmodi tactus exareſcit.

Amplificatio à Clementia

35 EſT clementia vera animi tranquillitas, & mentis ſerenitas, quæ iraſcentis animi proceloſas nubes abigit, imò adeò eſt hæc virtus ſublimis, ut nos ſimiles Deo conſtituat: ait Stoicus. 1. de Clementia. cap. 3. *Nullum clementia ex omnibus magis, quàm Regem decet; ita enim virtutes magnis viris decori, gloriæque ſunt, ſi illis ſalutaris potentia eſt. Nam peſtiſera vis eſt valere ad nocendum*: & cap. 26. in ſola clementia totum Principis ornamentum collocat, ait enim, *Nullum ornamentum Principis faſtigio dignius, pulchriúsque ipſâ clementiâ; ejus eſt virtutis interdum tranſilire terminos æquitatis, quando ſola eſt miſericordia, cui omnes virtutes cedere non dedignantur.* Hanc virtutem excoluiſſe viros Principes, præſertim Romano in Imperio liquet in Auguſto, qui Cinnæ vitæ ſuæ inſidianti, necémque paranti pepercit, & ad conſulatum promovit: Cinna tamen beneficium beneficio compenſavit, cùm moriens hæredem Auguſtum inſcripſit: Auguſtum imitatus Titus patritijs duobus adoleſcentibus, qui ferrũ paraverant ad necem principis, quamvis ut Rei tenerentur, ultrò ignovit, ait Sueton; *Duos Patricij generis convictos in affectatione Imperij, nil amplius, quàm ut deſiſterent monuit, dicens: Principatum fato dari. Si quid præterea deſiderarent, promittens ſe tributurum. Nec ſolùm illos familiari cœnæ adhibuit, ſed & in ſequenti die gladiatorum ſpectaculo circa ſe ex induſtria locavit.* Et ob hanc clementiæ culturam, & exercitium meruit Titus, ut amor, ac deliciæ humani generis nuncuparetur. Adrianus Cæſar beneficijs cumulavit, quos privatos hoſtes tulit. Alexander Severus benignitate, & comitate nefarias Quinctij Camilli Senarotis moliriones avertit, & ex hoſte imposterum amicum habuit. Conſtantinus Imperator cùm urgeretur à Proceribus, ut pro meritis pœnis eos puniret, qui in ſtatuam Imperatoria ferro, & igne ſævire auſi fuerant reſpondiſſe fertur, *licet meam percuſſerint ſtatuam, ego nullum vulnus ſentio.* Commendatur, ſummiſque excipitur laudibus ob exercitium clementiæ Pompejus cognomento Magnus, cùm Tigranem Armeniæ Regem benignis verbis tectatum, diadema quod abjecerat, capiti reponere juſſit, certiſque rebus imperatis in priſtinum etiam fortunæ ſtatum reſtituit, æquè heroicum putans eſſe Reges vincere, & facere. Claruit etiam clementiâ Philippus Macedoniæ Rex, eámque exercuit in Nicanorem, qui ubique locorum Philippi famam denigraverat: cùm enim Philippi amici ei ſuaderent, ut virum perniciosum deleret, id recuſavit Rex, quinimò cùm inopiâ Nicanor laboraret plurimum auri, & argenti fuit eidem Rex clementiſſimus elargitus: Neque minorem exercuit clementiam Veſpaſianus Auguſtus in Vitellium, qui licèt Sabinum ejus fratrem occidiſſet, nihilominus Vitellij filiam ingenti dote locupleravit. Iuſtinianus Imperator hanc itidem virtutem exercuit in Vittigem Gotthorum Regem populi Romani implacabilem hoſtem; is cùm à Belliſario captus Conſtantinopolim miſſus fuiſſet, non ut hoſtem Iuſtinianus, ſed ut amicum excepit Patritia dignitate eum decoravit, varijsque affecit honoribus, cumulavit divitijs. Eminuit etiam clementiâ Alphonſus Cathalauniæ Rex, qui cùm Algazaram urbem à Mauris poſſeſſam obſideret; Maurus quidam veluti novus Scevola Alphonſi exercitum ingreſſus ad Regem penetravit, quem interimere conatus eſt; ſed detectus, & captus ad regiam ducitur Majeſtatem apud quam ſuum faſſus eſt crimen: ſed Regis clementia militem non juſſit occidi, ſed recentibus amictum veſtibus, & data inſuper pecuniâ ad Palmarim Regem miſit, cui Maurus parebat. Scitè Seneca ait: *Magni animi eſt, ſemper placidum eſſe, tranquillúmque, atque offenſiones ſupernè deſpicere*: quinimò per hujus virtutis culturam ſunt Principes Deo propiores, quia nulla virtute magis Deo aſſimilantur, quàm clementia: id Deo proprium, quem nulla poteſt injuria tangere, omnem ex alto offenſam deſpicere. Id præſtitit, cum injurijs ab hominibus laceſſitus, eoſdem ſuis

bene-

beneficijs, & gratijs cumulavit, & ad reſipiſcentiam traxit: exempla ſunt luce meridiana clariora in Magdalena, Publicano, Zachæo, Latrone.

39 Laudatur clementia ex eo, quia ſit regium ornamentum, Principum decus, nóſque magis Deo ſimiles conſtituat. Ab eo, quòd iraſcentis animi motus compeſcat, ab humani ſanguinis effuſione abhorreat, ſævitiem omnem à ſe abigat; impertitis beneficijs benevolentiam hominum ſibi conciliet; pacato animo ſponte inimicis etiam victis, & proſtratis parcat, illatas ſibi injurias condonet, & oblivione omnino deleat. A moderatione animi iraſcentis Tullius pro Marco Marcello *num. 8* ait in commendationem clementiæ, quam amplificat: *Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes; ſed tamen ea viciſti, quæ & naturam, & conditionem, ut vinci poſſent, habebant; nulla enim eſt tanta vis, tanta copia, quæ ferro, & viribus debellari frangique non poſſit: verùm animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adverſarium nobilitate, ingenio, virtute præſtantem non modò extollere jacentem; ſed etiam amplificare ejus priſtinam dignitatem; hæc qui facit, non ego cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo judico.*

40 Ab eo, quod illatas injurias ſpontè remittat Seneca *1. de Clementia. cap. 10.* Auguſtum laudat, ut bonum Principem, ac clementem, ac benè ei convenire patentis nomen fatetur, non ob aliam cauſam niſi quia contumelias quoque ſuas, quæ acerbiores ſolent contingere Principibus, quàm injuriæ, nulla crudelitate exequeretur. Ab eo, quòd vir Clemens à crudelitate abhorreat Panegyriſta Gallicanus Conſtantinum Imperatorem commendat inquiens: *gratulare Conſtantine naturæ, & moribus tuis, quod talem te Conſtantinus prius genuerit, talem ſyderum decreta formaverint, ut crudelis eſſe non poſſis.* Ab eo, quòd parcat victis hoſtibus Pacatus Rhetor Theodoſium laudibus excipit inquiens: *Utcunque virtutes tuæ operam curioſæ poſteritatis oculis artificum manus reddet; cùm te vel Alpium dorſa ſuperantem; vel flumina objecta tranantem; vel agmen hoſtile triumphalibus veſtigijsque aſſequentem pictorum, atque fictorum aſſequetur imitatio; Clementiæ Imperator tua, quo cœlo, quo pigmento, quo ære, auróue ducetur? quá tu ipſius victoriæ victor, ita omnem cum armis iram depoſuiſti; ut cecideris nemo poſt bellum, ſed cuncti domibus ſuis, cuncti conjugibus, ac liberis; cuncti denique innocentiæ, quod eſt dulcius reſtituti ſunt* In laudem clementiæ extat elegans illa, ac præclara Themiſtij oratio de Clementia, & humanitate Theodoſij Imperatoris habita in Senatu.

Amplificatio ab Honoribus.

41 AB Honorum ſplendoribus ſolent Principes laudari, eò quia ſit honor virtutis pediſſequus, ad quam ſequitur, cùm ſit virtus honore digna; neque ullus virtute eminuerit, quin aliquo fuerit honore inſignitus: habet enim virtutis, imò & cujusvis artis præſtantia gloriam ſuam, nec præmio caret juſti, ac debiti honoris. Apelles ſtatuam meruit inſignis Pictoris; Polycletus ſimulacrum excellentis ſculptoris; habuit ſuam laurum Homerus, ſuam coronam Scipio, ſuum triumphum Cæſar: & reliqui omnes quos egregia virtus à poſteritatis oblivione vindicavit, ſuos obtinuerunt honores, quia virtus ad honorem ſuos promovet cultores: Patricius Socrates non fuit, ex marmorario genitus; Clianthes rigando hortulo manum locavit; Platonem nobilem non excepit Philoſophia; ſed fecit: incunabula Tulli Hoſtilij aggreſte tugurium excepit; Demoſthenis parentes ruſticana mapalia inhabitârunt; Euripidis Pater agrum ligone excoluit; Tarquinius Priſcus genitorem habuit Mercatorem; Servius Tullius è ſervo imperium tenuit, protuliſque Imperio conditionis ſuæ nomen: ex taberna Macellaria ad conſulatum Varro conſcendit; Plebei fuerunt Decij, & tamen virtus eos conſulatu inſignivit, quia quos virtus cultores habuit, hos ad ſummos evexit honores: hinc ait Xenophon pulchra quædam res eſt honos ſuo amore mortales incitari, quæ non pericula adierunt? quas ærumnas non exſorbuerunt? quos labores non exantlârunt, quas difficultates non ſuperârunt; quæ bella non ſuſceperunt: quæ facinora, quos plauſus, quam admirationem, quos triumphos ab eorundem manibus, ac virutibus non impetravit, expreſſit, extorſit honoris cupiditas. Verùm plerumque nullum onus gravius Principes premit, quàm honos, quia acerbiùs regium animum mordet ſubjecti populi cura, quàm caput illuſtriùs ornet diadema. Rem verſat D. Chryſoſtomus *homil. 66. ad populum Antiochenum* inquiens. *Non ita corona caput circumdat, ſicut animum ſolicitudo. Nec in ſatellitum catervam, ſed in moleſtiarum multitudinem ſpectet; nec enim privata domus tot curis plena reperiri poteſt, quàm ſunt regio in palatio moleſtiæ, ac ſolicitudines:* imò ſi rem expendamus Regium diadema coronam eſſe tribulationum inveniemus; ac curarum potiùs eſſe inſigne, quàm dignitatis: unde cecinit D. Paulinus *epiſt.* ad Romanianum.

Blandum nomen honos, mala ſervitus, exitus æger,
Quæ nunc velle juvat; mox voluiſſe piget.

Et ſcitè Seneca *cap. 2. de brevitate vitæ* ait, 42
eſſe inter onus, & honorem non tam alluſionem vocis, quàm rei ipſius expreſſam veritatem: & S. Iſidorus *lib. 1. cap. 26.* cenſet honorem ex onere ſuam trahere nomenclationem, vel potiùs ex honore onus, videntur enim idem eſſe nomine, & re *honos*, & *onus*, hinc Iſaias *9.* ait: *Cujus Imperium ſuper humerum ejus*, vel ut alij explicant, cujus Principatus ſuper humerum ejus, ut inde deprehendamus, quàm grave ſit principatus onus, cùm nonniſi humeris fulciatur; appoſitè Oleaſter; *Principa-*

tus

tus ſuper humerum Chriſti, quia illi potiùs fuit oneri, quàm honori; ſolent enim ſervi onera ſuper humeros portare. Hoc onus Regia deliteſcens ſub purpura, hieroglyphyci involucro innuerunt Ægyptij, ut tradit Horus, per anguem in orbem revolutum, & caudam ſuam mordentem, eò quia animum Principis plures angunt curæ, ac multæ mordent ſolicitudines, quas expertus Antiochus apud Stobeum *ſerm. 47.* ſuum alloquens regium diadema dixit: *Ob pannum miſerum, qui tot curas, tótque pericula procreas! plures enim cruciatus regia purpura habet, multæ curæ ſub majeſtatis veſte latent.* Si moleſtiss, curas, ac ſolicitudines, quas ſecum trahunt dignitatum culmina ſeriò perpenderent, non ſinerent hominum mentes, veluti montes præcelſi, magnis impleri cogitationibus, neque ambitione intumeſcerent. Quos dignitatum faſtigia excipiunt, ac ſublimiores honores afficiunt, pares ſunambulis facit D. Gregorius Nazianzenus. Varijs exhibent iſti periculis obnoxium ſpectaculum, ubi per extenſum funem non ſolùm gradiuntur, verùm etism vibrato ſurſum corpore choreas ducunt ad perſonantis cytharedi harmoniam adjunctis ad pedes orbiculis, ac muricibus, tabuliſque ſuppoſitis per funem ambulant extenſum, incedunt, retrocedunt, & multiplici ſaltatione ſpectaculum exhibent plenum periculis; putant tamen tutiorem vitam ducere è fune pendentem, cùm vita hominis extra funem pendeat tantùm à filo, quod Parcæ, quæ minimè parcunt, avarè nent, quò faciliùs ſuccidatur. Pari pacto Principes, & quotquot eminent dignitatibus inſigniti præcipitio eò ſunt proximiores, quò alijs eminent ſublimiores. Principes itidem ita ſuper legum funes incedunt, & æquitatis ponderibus librantur, ut ſi vel leviter deflexerint præcipites ruant; adduco D. Gregorij Nazianzenij verba, ait ipſe orat. 1. de fuga ſua in Pontum. *Quemadmodum in ſublimi, & pendulo fune gradientibus in hanc, vel illam partem deflectere minimè tutum eſt. nec etiam parva inclinatio parvum periculum facit, verùm ſalus in æquilibrio poſita eſt: ad eundem quoque modum utramvis in partem quiſpiam ſive ob vitæ improbitatem; ſivè ob imperitiam propenderit, haud leve periculum tum ipſi, tum ijs quibus præeſt, imminet.*

Ad ſuadendum igitur aljcui fugam ho-
43 norum, & dignitatum amplificanda ſunt pericula, & præcipitia, quibus ſunt obnoxij in culminibus conſtituti dignitatum, quæ ut plurimum mores corrumpunt: vulgatum eſt adagium, quo honores dicuntur mores mutare, & rarò in meliores: plures, qui in obſcuro poſiti, perinde ac gemma virtutum ſplendoribus emicuerunt, honoribus affecti, & in dignitatibus conſtituti non ſolùm nitore virtutum non ſplenduerunt; verùm etiam vitiorum umbris honoris claritatem denigrârunt; & veluti ſydera ad ſolis, ſeu dignitatis acceſſum eclypſin paſſi ab omni virtutis coruſcamine defecerunt.

Cæterum laudantur etiam Principes ab 44
honoribus, & dignitatibus, ſi virtutis eminentia celſitudini reſpondeat dignitatis, tunc commendantur à ſtatu, conditione, authoritate, potentiâ, divitijs, & præſertim à perſona, quæ honorem defert, & à meritis perſonæ, cui defertur; ut etiam à modeſtia, quæ in dignitate ſervatur à morum ſuavitate, quâ alios ad ſe allicit; à virtutum cultura, quâ effloreſcit. A meritis Eumenius Conſtantinum Imperatorem laudat, inquiens: *Magna, & admirabilis eſt felicitas, quæ in ordinem militis, & militiæ aſcendit; & ſolis virtutis nixa radicibus ad tantum potentiæ robur invaluit, quod etiam tu, quantum per ætatem licuit, conſecutus es.* Meritò laudatur à meritis in dignitate conſtitutus, quia honor ſine meritis à Salviano *4. de Provid.* honoris titulo ſine homine pariatur, ait ipſe. *Quid eſt aliud Principatus ſine meritorum ſublimitate, niſi honoris titulus ſine homine: aut quid eſt dignitas in indigno niſi ornamentum in luto.* A modeſtia poſt ſuſceptos honores Trajanum commendat Plinius, eò quia verùm non fuit in ipſo adagium illud, *honores mutant mores*, quia Trajanum ad imperij culmen evectum modeſtia commendavit, & cultura reliquarum virtutum admirabilem fecit; ait Plinius alloquens Imperatorem. Non tu Civium amplexus ad pedes tuos deprimis; non oſculo manum retrahis, manet Imperatori, quæ priùs humanitas, & pietas. Incedebas pedibus? incedis: Lætabaris labore? lætaris: eadémque omnia exerces, quæ priùs; nihil ipſa te fortuna mutavit. Similia de Alexandro Severo dixit Lampridius, eò quia tantæ moderationis fuerit, ut nemo unquam ab ejus latere ſubmoveretur, ſed omnibus ſe blandum, ac affabilem præberet, ut amicos non ſolùm primi, & ſecundi loci, ſed etiam inferiores ægrotantes viſeret; in jocis dulciſſimus eſſet, in fabulis amabilis, in convivijs affabilis, ita ut poſceret, quiſque quod vellet.

Amplificatio à felicitate, ac arridente fortuna.

QUamvis vera felicitas in ſinu ferrei hujus 45
ſæculi non adoleſcat, cùm omnia virtutis prœmia malæ poſſideant artes, & avaritia fidem, probitatem, reliquas virtutes evertat; dignitates, & honores venales exhibeat, & homines in deterius prolapſi nonniſi dolis, & fallacijs glorientur; & amicitiæ ſanctum, ac venerabile nomen intermiſſione officiorum vileſcat, libidinum incendijs etiam ſub canitiei nivibus frigida exæſtuet ſenectus; & illicitis Veneris illicijs flos exareſcat pudicitiæ, & candor fœdetur, ac corrumpatur innocentiæ, & invidia plurium corda corrodat, odium exitia moliatur: & ſi qua videtur efflore ſcere felicitas nil ſolidi, nilque firmi præſeferat, cum larvata ſit, imò fictum felicitatis ſomnium, non vera felicitas, ut ſcitè dixerit ille ſomnium eſſe vitæ imaginem, cujus felicitas per phantaſmata tranſit. Nihilominus, ſi qua

florer vera felicitas hanc non illecebræ voluptatum, non blandimenta deliciarum, non divitiarum copiæ pariunt; ſed ſola virtus, à qua naſcitur obſtetricantibus licèt adverſitatibus, ut fusè probat, & amplificat Seneca *lib. cur bonis viris mala fiant cap. 3.* inquiens: Fortuna fortiſſimos ſibi pares quærit, quoſdam faſtidio tranſit. Contumaciſſimum quemque, & rectiſſimum aggreditur, adverſus quem vim ſuam intendat. Ignem experitur in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Magnum exemplum, niſi mala fortuna, non invenit. Infelix eſt Mucius, quòd dextera ignes hoſtium premit? & ipſe à ſe exigit erroris ſui pœnas: quòd Regem, quem armata manu non potuit, exuſta fugat? quid ergò? felicior eſſet, ſi in ſinu amicæ foveret manum? Infelix eſt Fabricius, quòd jus ſuum, quantum à republica vacavit, fodit? quod bellum tam cum Pyrrho, quàm cum divitijs gerit? quod ad focum cœnat illas ipſas radices, & herbas, quas in agro repurgando triumphalis ſenex vulſit. Quid ergò? felicior eſſet, ſi in ventrem ſuum longinqui litoris piſces, & peregrina aucupia congereret? Si conchylijs ſuperi, atque inferi maris, pigritiam ſtomachi nauſeantis erigeret; ſi ingenti pomorum ſtrue cingeret primæ formæ feras, captas multa cæde venantium? Infelix eſt Rutilius, quod qui illum damnaverunt, cauſam dicent omnibus ſæculis? quod æquiore animo paſſus eſt ſe patriæ eripi, quàm ſibi exilium? quod Sullæ dictatori ſolus aliquid negavit, & revocatus non tantùm recroceſſit, ſed longiùs fugit? Viderint, inquit, hoc iſti, quos Romæ deprehendit felicitas tua. Videant largum in foro ſanguinem, & ſupra Servilium calum (id enim proſcriptionis Sullanæ ſpoliarium eſt) Senatorum capita, & paſſim vagantes per urbem percuſſorum greges, & multa millia civium Romanorum, uno loco poſt fidem, immo per ipſam fidem trucidata. Videant iſta, qui exulare non poſſunt. Quid ergò? felix eſt L. Sylla, quòd illi deſcendenti ad forum gladio ſubmovetur, quòd capita Conſularium virorum patitur appendi, & pretium cædis per quæſtorem, ac tabulas publicas numerat? & hæc omnia facit ille, qui legem Corneliam tulit. Veniamus ad Regulum, quid illi fortuna nocuit, quod illum nocumentum fidei, documentum patientiæ fecit? Figunt cutem clavi, & quocunque fatigatum corpus reclinavit, vulneri incumbit, & in perpetuam vigiliam ſuſpenſa ſunt lumina. Quantò plus tormenti, tantò plus erit gloriæ. Vis ſcire quam non pœniteat hoc pretio æſtimâſſe virtutem? Refice tu illum, & mitte in ſenatum: eandem ſententiam dicet. Feliciorem ergò tu Mœcenatem putas, cui amoribus anxio, & moroſæ uxoris quotidiana repudia deflenti ſomnus per ſymphoniarum cantum ex longinquo lene reſonantium quæritur? Mero ſe licèt ſopiat, & aquarum fragoribus avocet, & mille voluptatibus mentem anxiam fallat: tam vigilabit in pluma: quàm ille in cruce. Sed illi ſolatium eſt, pro honeſto dura tolerare. Hactenus Seneca.

Si qua autem videtur abſque cultura virtutum efflorere in mundo felicitas, fucata eſt, & non vera, cui ſi larvam detrahas, miſerijs refertam deprehendis: quinimò regiæ dignitates ſomnia ſunt, ut expreſſit Poëta, qui cum ſibi in ſomnijs videretur cum Præpotenti Rege de regni gubernatione, regijſque virtutibus diſputare, à ſomno excitatus deprehenſa manu, ut vulgò ajunt, muſcis tantùm plena, cecinit triſtis, qui priùs felix Rex credebatur. 46

Preſſerat optatus Languenti lumina ſomnus,
Dum ſol ſydereas vicerat axe choros:
Regnandi præcepta dabam, formámque Tyranni
Fingebam Domina Regius arte faber;
Somnia vaneſcunt pariter, & ſceptra, cadúntque.
Nec mirere ipſa, ut ſomnia, regna fluunt.

Huc ſpectat etiam illud Iſæi Aſſirij Sophiſtarum non ignobilis, qui eleganter dixit, voluptates eſſe fructus è Tantalei Viridarij arboribus pendulos, nimirum eſſe umbras, & colores fallaces; meliùs tamen divitiæ, opúmque ſuperfluitates aureis Heſperidum pomis poſſunt æquiparari; fructus enim ſunt, qui nonniſi draconis vigilantia, hoc eſt ingenti cura cuſtodiuntur; ſe ſomnijs credit, qui rebus terrenis, ac caducis cor ſuum concredit: eleganter Billius in Anthologia ſacra rem expreſſit; 47

Stultus ut eſt levibus ventis, qui fidit, & umbræ,
Et noctis placidæ ſomnia certa putat.
Scribere quique in aquis molitur? ſic quoque figit,
Qui ſpes in mundi proſperitate ſuas.
Atque ideò in terris firmi nil prorſus, ut eſſet
Conſtituit ſupera, qui manet arce pater:
Scilicet ut firmi nihil hîc, ſtabiliſque videntes;
Tendamus celeri ſemper ad aſtra pede.

Mundi dignitates eſſe veluti ſomnia illicò evaneſcentia expertus fuit Belliſarius, populorum domitor, qui poſt proſtratas barbaras nationes, pluries ſuperatos & victos hoſtium exercitus, expugnatas urbes, everſas provincias, collectas triumphales palmas; tandem adverſantis fortunæ impetu è culmine honoris, è ſummo dignitatis faſtigio in imum detruditur ærumnarum, & è ſolio in ſolum dejicitur, ubi qui Regum fortunas, ac divitias ſuperbo quondam pede calcavit, mox pulvere ſordidus, detritis, ac laceratis veſtibus pannoſus hæret templi januis ſupplicaturus ingredientibus pro ſtipe, ac vitæ ſuſtentatione, ingeminans non ſine gemitu: date obolum Belliſario. Imperij ſceptrum in pannoſi baculum abjit, quò fulcro validiùs miſeriarum onera fulciret, quibus premebatur: purpura lacerata mutata in lacernam è ſuo ſplendore nonniſi fumum emiſit, quo à Belliſarij oculis lachrymas eliceret, qui miſer, & infelix obolum petit, cujus armis Principes precariam debent vitam; miſerum, indigum, & infelicem ſpectat orbis, cujus robore & virtute 48

ſtete-

ſteterat Imperij felicitas. O fortunæ inconſtantiam! ò inconſtantiæ temeritatem! itáne ludis in capita Principum? non miror nihil ſolidi, nihil firmi habet mundi felicitas, quæ perinde ac ſomnium evaneſcit, quò diſcamus, ſpes noſtras in DEO duntaxat figere, qui ſolus immutabilis eſt, ſempérque idem per circulos æternitatis. Imò non ſolùm felicitas, ſed nec amicitia firma reperitur inter rerum fluxibilitates: Belliſarius arridente fortuna omnium ad ſe traxit obſequia, amicorum copijs ſtipatus; nunc quia infelix ab omnibus deſpicitur, quia ut vulgò dicitur: ad januam tabernæ multi fratres, & amici; ad januam carceris nec fratres, nec amici. Non ſolùm dignitates, verùm & voluptates umbratiles ſunt, licèt aliquid videantur præſeferre felicitatis: quod innuit D. Paulinus *epiſt. 2.* ad Severum inquiens: *Tota hujus mundi figura, quæ præterit, & per oculos corda torquet alliciendo, in qualibet ſui ſpecie laqueus menti, & gladius eſt. Credamus Prophetæ, quia in medio Muſcipularum ambulamus, & inter opertos doli gladios vita transfigitur: excipit nos mundus iſte vanis voluptatibus florens, & fallentibus veneratur illecebris: excipit nos innumeris anguium inſidijs, quibus nomina mille, mille nocendi artes, ac ſæpe aperto certamine violentus aggreditur, & cadentibus ferit telis, ſi latentibus non capit laqueis.*

Quomodo igitur à felicitate, ac adblan-
49 dientis fortunæ favore erunt Principes commendandi, ſi nulla vera, ac permanens felicitas in hujus vitæ fugaci umbra reperitur? nulla afloreſcens voluptatis roſa ſine ſpina manum cruentante carpantis? nulla ſine reciprocante æſtu malacia? Nihilominus prout humana felicitas ex hominum opinione ſita eſt in rerum felici eventu, in promotione ad dignitates, & favore fortunæ, ſolent homines dici felices, ab ijſdem commendari, & præſertim à prolixitate fortunæ faventis; quam felicitatem Plutarchus Romæ attribuit aſſerens, fortunam expanſis alis, & innata ſua levitate orbis partes univerſas fuiſſe pervagatam, nunc has, nunc illas attollens, depriménſque nationes, ſed tandem Romam appuliſſe, ubi alas, rotam, globúmque abjecit in Tyberim, ut immobilis ipſa media conſederet in urbe, Romaniſque hilari fronte jugiter arrideret. Quia verò verior felicitas eſt, quam virtutes fovent; ille veriùs felix dicitur, qui omnium virtutum genere exornatus ſplendet; & ab hac felicitate Plinius ſuum laudat Trajanum in Panegyrico, inquiens. *O te felicem, quòd cùm diceremus non opes tuas, ſed animum mirabamur: eſt enim vera felicitas felicitate dignum videri*, & nonnullis interjectis heroica, & eleganti periodo ſubdit: *Quòd ſi quis Barbarus Rex eò inſolentiæ, furoriſque proceſſerit, ut iram tuam, indignationémque mereatur, & ille ſive interfuſo mari, ſive fluminibus immenſis, ſive præcipiti monte defenditur: omnia hæc tam prona; tamque cedentia virtutibus tuis, ut ſubjediſſe montes, flumina exarniſſe, interceptum mare, illatáſque ſibi non eſſe claſſes, ſed terras ipſas arbitretur.*

Verani Pantheon Tomo I.

Rhetor Pacatus Theodoſij felicitatem felici calamo, & florido ſtylo commendat inquiens: Auguſte fortunam tuam Imperator expendit quisquis id de re tantum, quod fieri poteſt, credit: ego cum ab alpibus Julij otioſo, feriatóque ferro, non prælium fuiſſe videam, ſed triumphum; dubitaverim, illam ſpecialem quandam felicitatis tuæ dixiſſe militiam? Scimus quidem Imperator ita te cuncta adminiſtrâſſe, ut non poſſint ſe tibi impugnare ſucceſſus, ſed fatearis neceſſe eſt, quantum ſe in bello, tantum fortunam tuam egiſſe poſt bellum: cui ſi vocem demus; & Judicem; nonne prolixè ſuam enumerabit operam, & ut virtutibus tuis multa concedat; ſibi aliqua vindicabit? & cur quæſo non demus, ut accipiamus utriusque partis aſſertæ; cùm ſit, quæ vicerit tua? & paulò infra ſequitur. Audio Conſtantiam dicere bellum atrox, atque periculoſum ſuſcepi. Audio memorare Patientiam, immenſum iter, ſemper armata, ſemper jejuna toleravi. Audio repetere Prudentiam; partita ſum militem, & multiplicavi arte terrorem. Audio aſſerere fortitudinem bis conflixi cum hoſte; bis vici. Audio omnes poſtremo clamare, quid tibi debemus fortuna, quam fecimus? ſed ſi illa dicat; ego propulſationem militum juvi, ego in muros coëgi, & quem vos cogebatis mori vivum, Domino reſervavi. 50

A modeſtia animi, & moderatione paſſionum, & ab eo, quòd honores, & res ſecundæ non mutaverint mores Juliani Imperatoris, Mamertinus Rhetor ejúſdem Imperatoris felicitatem commendat inquiens: Ac mutant ſecundæ res animos? noſtrum Principem ſi nondum mutaverint, quando mutabunt? cujus, inquam, divinior felicitas fuit? paulò ante in laceratis Galliæ Provincijs lapſus inimicorum capitalium apertis armis, occultis inſidijs; quæ majora expectabimus Dei præmia, quæ uberiora dona fortunæ? videre num ſecundis rebus elatus aliquid prioris vitæ manſuetudine, & moderatione mutaverit; mutavit planè mutavit: nam civilior factus proſperorum infregit invidiam. 51

Amplificatio à pluribus virtutibus ſimul.

QUemadmodum ex decerpta in hortorum areolis florum diſcolore varietate perelegans, ac ſuave componitur ſertum, oculis gratum, & odoratui delectabile, perinde ex plurium virtutum commendatione Principum dotes amplificamus: ſunt virtutes veluti ſydera, quæ ſuo nitore Principem veluti inter homines ſolem coronant. Per plures igitur virtutes ſimul hanc amplificationem in exile obſequij monumentum dedico Regali Celſitudini Caróli Emanuelis Sabaudiæ Ducis, ac Pedemontij Principis potentiſſimi, ac Cypri Regis. Sedatis gradivi 52

Mavortis in area bellorum procellis, effuſiſque jam ad ſatietatem ſanguineis imbribus, mundo affulſit Carolus Emanuel Iridi ſimilis, ſeu admirationis filiæ, poſt tempeſtates, pluviáſque cruentas; illuxit in cunabulis poſt bellorum tonitrua, & furentes procellas Principum miraculum cœli miraculo ſimile. Vix materna ex alvo caput extulit, cum Allobrogica juga ſalutari hoc nomine (Emanuel) omine pacis exultârunt reſonantis æris multiplici plauſu: qui enim Iridi ſimilis poſt procellas oritur, nonniſi in ſignum fœderis naſci debuit; dilapſo Martio menſe, ſeu bellorum Marte, hunc Principum ſolem pacifica redimitum iride ortum in Tauro admiratæ ſunt Subalpinæ regiones. Gaudeant Allobrogica juga: ſol in Tauro ac Taurina in urbe nonniſi virtutum flores excolet, ut ſuavi hoc odore omnium animos ad ſe alliciat, ſibique conciliet. Puer ſine pueritia, vel in ipſa ætatis levitate graviores mores enactus, ætatem virtute ſuperavit: ejus mens omni gaza ditior; & animus ſupra homines ingens, Olympica ingenij ſublimitas, osque multiſcium, linguarum varietate, quales ſint intus animi ornatus, exteriùs produnt; ut etiam totius corporis adamuſſim compacta ſymmetria; frons ſublimis, in qua ridet candidata Majeſtas, pectus omnium ſcientiarum fonte irriguum; facies, in qua tota ſe ſe componit magnanimitas; genæ, in quibus cum lilijs nivei candoris purpuratæ vernant roſæ; dentes, in quibus Eritræum ſuos videtur uniones peperiſſe; ut etiam reliqui corporis forma longiſſimis brevior, procerior, ac eminentior mediocribus; capitis apex rotundus, in qoo paululum à planitie frontis in verticem Cæſaries refuga criſpatur: teretes humeri, validi lacerti, dura brachia, patulæ ad liberalitatem manus, vel ſine verborum ſtrepitu ſatis ejus loquuntur venuſtatem. In ipſo Carolus Emanuel avus revixit, cujus prudentiam, bellicam gloriam, reliquáſque virtutes in ſe ipſo delineavit. A Cottijs Alpibus, quibus imperat inconcuſſam animi firmitatem didicit; ab Allobrogicis jugis, quibus hoſtibus inconcuſſos obijcit clypeos mentis apprehendit celſitudinem. A fœcundiſſima Pedemontis tellure capacitatem ad virtutes omnes excolendas. Ab amœno Niciæ celo, quo Neptuni regnum occupat, talem cum lacte ſuxit morum amœnitatem, ac dulcedinem, ut vel aſperos ſibi conciliet hoſtes. Neque ulli erit ejus Imperium lapſui obnoxium, ſtabitque immobile per circulos æternitatis, ob quod è cælo Thebeorum legionis duces Mauritius, & Lazarus militant, & equeſtres turmæ lactea crucis teſſera centuriantur. Quid dicam de regia veſtra in catholicam fidem pietate? quam neſcio, an à candore niveam, vel ab ardore, quo illam tueris igneam, vel à puritate lacteam, vel quia regales decet animos, purpuream appellaverim: illa eſt, quæ ita mentis veſtræ celſitudini humani generis Reparatoris crucem adglutinavit, ut hæc, & in Sabaudico ſtemmate, & veſtro triumphet in pectore.

EXPENSIO XV.

De Amplificatione Pathetica.

53 Hæc amplificandi forma tota ſita eſt in movendis affectibus, in quibus ciendis, vel coërcendis triumphat Orator, quia hominibus imperat, proinde nil in oratore admirabilius, quàm habenas inijcere, vel laxare animi affectibus; quorum alij Ethici, & alij pathetici dicuntur. Illi lenes ſunt, comes, jucundi: iſti vehementiores, & perinde ac fulmina incenſi, ut procellæ tumultuantes, & horrentes incitati, & fermè circa odium, iram, metum, invidiam verſantur; ad hos ciendos plurimum adferunt adminiculi rerũ deſcriptiones per hypotypoſes, partium enumerationem, aliáſque figuras patheticas ciendis, vel coërcendis affectibus peraptas, ut ſunt ad ciendos affectus vehementiores exclamationes, deteſtationes, diræ, querimoniæ, apoſtrophe, exempla comparata. Oriuntur etiam affectus ex perſonis, earùmque adjunctis, ut etiam à verborum, ac ſententiarum energia. Illuſtris eſt amplificatio pathetica Manlij à proprio parente ultimo damnati ſupplicio, eo quia ejus injuſſu pugnaverit, licèt hoſtes cruenta clade proſtraverit. Subijcio Manlij orationem, quæ tota eſt in ciendis affectibus.

54 Ergóne manus etiam triumphales ad infamem deligabuntur palum? caput hoc ultricem virtutis ſecurim exeipiet? feram vincula, qui ex hoſte tuli ſpolia? At qua cauſa? quod vicerim? victoribus ergo ignavi feliciores, ut pulchriùs fuerit non viciſſe? Præclarè ſanè facta fortia rependuntur, quibus par reponis præmium, ac facinoroſis ſupplicium! O fata Imperij noſtri miſera! ubi jam & virtutes plectuntur! at contra edictum Conſulis pugnavi! Non piget ſic pugnâſſe, ubi victoria delictum ſatis expiat. Si quod in prælianrem redundat dedecus, major in victoris facinore latet gloria. Ad hæc infringi auctoritatem Imperij doles, non etiam jura pietatis? hanc expungit, & retinere laboras diſciplinam? Non ducem te ſolum, & Conſulem, ſed & parentem cogita. Times nè non diſciplinæ amans videare, non item nè crudelis? aut ne crimini ſua deſint ſupplicia, non item nè rectè factis præmia? Iiáne corruet diſciplina Filio non occiſo, hoſte victo? quid ſi corruat fortitudo? quid ſi alacritas juvenum? mitto, quòd edictum tuleras, ut pugnare prohibueris, non vincere? vetueras pugnam, ſed ſine comite victoria: quis enim certus victoriæ, pugnam vel prohibeat, vel detrectet? periculum à te edictum extorſerat; illud cùm hic abfuerit, quæ fuerit noxa vel vincere, vel pugnare? ſed ſi parens ita Filij mortem amas; ſi vincere non licuit, quin & vivere; En ju-

gu-

gulum; habes paratum mori pectus, non ita vincere didici, ut mori extimeſcam; occumbere mihi probrum non fuerit, dum victor moriar: amitto vitam, ſed non gloriam. Pertime lictor Victorem Manlium, Manlij famam non extingues. Tu jam cadentis Filij ultimas voces audi, & æternum vale.

55 Debet igitur Orator ut animos flectat, & in eam, quam voluerit partem trahat, affectus ciere, vel coërcere, quapropter D. Auguſtinus adhærens Ciceroni, & Quintiliano *Lib. 3. de doct. Chriſt. cap. 13.* ait: *Probet Orator, ut inſtruat; delectet, ut teneat; moveat, ut vincat.* Tunc ſuo fungitur Orator munere, ſi in fabulis clarum imitetur Eolum luctantes ventos, ac ſonoras (ut ajunt) tempeſtates moderantem, ventos ſcilicet cientem, vel coërcentem. Modò ſiquidem ingenti ſonitu, & veluti tubarum clangore armatas ventorum acies emittit, quæ ſus, déque in aere, mari, & terra omnia vertunt, & evertunt: & modò veluti receptui canens ventos coërcet. Perinde Orator peridoneis amplificationibus debet affectibus animi habenas injicere, eóſque coercere, vel prout opus fuerit ciere. Sunt animi affectus motus quidam, quibus impellimur vehementiùs ad aliquid appetendum, vel averſandum, & præcipui undecim enumerantur, ſex in appetitu concupiſcibili, Odium, deſiderium, fuga, gaudium, triſtitia; & quinque in iraſcibili Spes, deſperatio, timor, audacia, ira. Amor eſt motus animi, qui verſatur circa bonum ſimpliciter ſpectatum. Deſiderium circa bonum ut abſens, ſiquidem deſideramus, quæ non poſſidemus, ac nobis deſunt. Gaudium verſatur circa bonum ut præſens, & de cujus poſſeſſione gaudemus. Odium circa malum ſimpliciter ſpectatum, & opponitur directè amori. Fuga circa malum ut abſens. Triſtitia verò, ſeu dolor circa malum præſens, quod nos torquet, vel lædit. In appetitu iraſcenti ſpes verſatur circa bonum abſens, quod tamen ſperatur obtineri. Deſperatio circa bonum, quod nullo modo poſſumus attingere. Ira circa malum arduum, & præſens. Timor circa malum vehementer apprehenſum, quodque totis viribus refugitur. Audacia circa malum arduum, ac ſuperatu difficile. Licèt non ſit cujuſque, affectus illos præcipuè vehementes, & intenſos excitare, aut remittere, ſed miſerentis Dei ſit donum; cujus & in ſenſus, & in mentes hominum ſummum eſt imperium; eſt enim divina gratia, quæ pios animi motus, affectúſque probos excitat, & voluntatem ad exercitia virtutum inflammat. Nihilominus prout imbecillitas noſtra divino ſuffulta auxilio potis eſt humanos affectus ciere, vel coercere, Orator in id vel maximè debet ſtudij incumbere, ut hos cieat, vel coercear, pro ut occaſio exegerit.

56 Quia verò diverſa ſunt dicendi genera, ideo pro diverſis diverſi etiam poſſunt affectus cieri, ut in genere demonſtrativo excitantur motus gaudij, amoris, gratiæ, deſiderij in commendatione alicujus: in vituperatione verò cieotur motus Triſtitiæ, odij, & indignitationis. In genere deliberativo in ſuaſione cientur Deſiderium, ſpes, fiducia: in diſſuaſione, moventur fuga, timor, deſperatio. Pro genere judicali in accuſatione, & damnatione criminis, & Rei, excitantur motus iræ, ac indignationis. In defenſione verò cientur motus commiſerationis, amoris, clementiæ, ac pietatis in reos. In quocunque tamen dicendi genere affectus amoris, qui eſt vis bono adhæreſcens, ſeu propenſio in bonum, excitatur, ſi oſtendamus modeſtiam, innocentiam, æquitatem, conſtantiam, liberalitatem, fidelitatem, & reliquas virtutes, quas is excolit, quem volumus ab alijs amari. Excitatur odium, quod verſatur circa malum, eſtque averſio animi, à malo, ſi oſtendamus; talem perſonam, contra quam volumus odium excitare animum habere ferinum, aliorum nocumenta ſemper moliri, deſideria pernicioſa fovere, plurima adferre incommoda omnibus, & eſſe moribus corruptis, animo maligno, lingua detractrice; & rixas, jurgia, & diſſidia excitare, ac fovere. Deſiderium, quod verſatur circa bonum ut abſens, eſtque appetitus boni delectabilis abſentis excitatur, ſi exponatur rei deſideratæ honeſtas, ſi ejus proponatur utilitas, & explicetur facilitas eam obtinendi. Affectus fugæ, quia verſatur circa malum, ut abſens cietur, ſi oſtendamus, rem malam eſſe, pluribus fuiſſe incommodo, nullam ſecum trahere voluptatem, & eſſe plurium malorum radicem. Gaudium; quod verſatur circa bonum ut præſens, eſtque motus animi, quo tendimus in bonum præſens excitatur à ſpe fortunæ melioris; a bono inſperato, à deſcriptione triumphorum, celebritatis, pompæ, à juſtitia adminiſtrata, à præmijs virtutum, & vitiorum ſupplicijs. Triſtitia, quæ verſatur circa malum præſens, eſtque motus animi concupiſcentis, quo dolemus, de malo præſenti excitatur, ſi oſtendamus aliquem nobis charum deceſſiſſe, ſi exponamus, ærumnas, miſerias, calamitates, quæ nobis charos premunt, & torquent.

In appetitu iraſcibili excitatur ſpes, quæ eſt animi motus tendens in bonum arduum, quod tamen diligentia, & labore obtineri poteſt, ſi oſtendamus honeſtatem, utilitatem, & magnitudinem rei, quam ſperamus, & ad quam obtinendam evincamus ſufficere vires corporis, animíque induſtriam, & ſolertiam illius, cujus in animo ſpei motum excitamus, & è converſo adverſarij imbecillitatem palam faciamus. Deſperatio, quæ eſt animi motus, quo diffidimus, ac deſperamus de bono aliquo obtinendo, vel malo à nobis propulſando, excitatur per oſtenſionem difficultatis rei, imbecillitatis, ac virium non ſufficientium, ut etiam, ſi oſtendamus, nulla adeſſe ſubſidia, nulla ſubterfugia. Metus, ſeu timor, qui eſt animi iraſcentis motus, 57

quo malum abſens refugimus, excitatur, ſi proponamus pericula imminentia rerum familiarium jacturam, prognoſtica malorum, ut Cometas in aëre, portenta, calamitates, minas; nocendi poteſtatem in hoſte, experimentum ſuſcepti damni, ſuſpicionem diſſimulatæ iræ, ſcelerum notitiam, & DEI ultionem, ac vindictam. Audacia, quæ reſpicit malum imminens, éſtque confidentia quædam ſalutis inter imminentia pericula; ſeu eſt contemptus rerum horribilium longè remotarum, excitatur, ſi proponantur difficultates poſſe ſuperari, ſobſidia ſperari, & vires ſuppetere; ut etiam ſi oſtendatur rei honeſtas, æquitas cauſæ, facilitas victoriæ, gloriæ acquirendæ ſpes. Ira, quæ ab Ariſtotele definitur ulciſcendi ſui cum dolore conjuncta cupiditas, & oritur ex opinione contemptus veri, vel putati, excitatur opinione illatæ injuriæ, contemptu dignitatis propriæ, fruſtrata ſpe auxilij; vel honoris; vituperatione eorum, quæ laudamus; vel laudatione eorum, quæ vituperamus, maledictis in nos collatis, conatuum noſtrorum retardatione, officij, vel beneficij negatione. Sunt etiam alij affectus, ſed ad hactenus recenſitos reducuntur, ut Zelotypia, & gratia ad amorem: æmulatio ad deſiderium: miſericordia, & invidia ad triſtitiam: admiratio ad lætitiam: verecundia, & reverentia ad timorem: indignatio ad iram. Ex his affectibus amor deſiderium, & gaudium ſunt comes, lenes, quibus utitur Orator, cum delectare intendit, reliqui ſunt graves, & concitati, ad quos pertinent objurgationes, & invectivæ, exprobrationes. Ideam amplificationis per hos affectus concitatiores exhibuit Demoſthenes, cujus oratio fulguribus, & coruſcationibus armata videtur, ipſe verò bellum in lingua gerere. Illuſtre exemplum etiam dedit Tullius in Catilinam, Verrem, Antonium, Vatinium, in quos omnia eloquentiæ fulmina vibravit. Seneca Tragœdus in jisdem affectibus excitandis totus etiam fuit præſertim in Medæa inſaniente, & Hercule furente.

58 Prodeſt Patheticæ amplificationi narratio hiſtoriarum, quæ vel cruentas clades, repentina excidia, urbium everſiones, hoſtium crudelitates repræſentent. Ad ciendum miſerationis affectum non incongrua foret hiſtoria Matris Jeroſolymitanæ ad proprij filioli necem, & eſum ſe accingentis, quam deſcribit Joſeph Hebræus de bello Judaico *lib. 7. cap. 11.* ubi introducit matrem ita filium alloquentem: *Miſera ſoboles, cui te reſervo in bello, & fame, & ſeditione; apud Romanos, ſi vixeris, ſerviturus es; vel certè fames præveniet ſervitutem: ſed omni ſervitute, & fame crudeliores ſunt ſeditioſi. morere igitur chare gnate, & eſto matri cibus, ſeditionis furia, & humanæ vitæ fabula, quæ ſola deeſt calamitatibus Judæorum.* Debent etiam in movendis affectibus crebræ, & acutæ figuræ præſertim Patheticæ adhiberi, quia plerumque earundem varietas incentivum eſt affectuum, ut apud Ciceronem mulier abjecta ad Victoris pedes ſic per Apoſtrophem exclamat; *Miſerere noſtri, noli extinguere extinctos, fuimus aliquando felices, memento te eſſe hominem.* Efficaciores figuræ ad ciendos affectus doloris ſunt exclamationes, ut. O inter nefarios, ac perditos viros perditiſſimus! itáne ſupremi violas legem DEI, transgrederis præcepta divina, conculcas mandata! itáne DEUM ipſum contemnis, ut ſenſuum illicijs adhæreas! O ingratum hominem! itáne tot immemor beneficiorum injurias infers, à quo bona omnia recepiſti, ſic pergis inſane, ſic proſequeris DEUM offendere? væ tibi, qui perniciem tuam adamas, qui caduca, & vitrea æternis anteponis, & DEUM nihili facis. Vel per apoſtrophem: lugete ſydera, obſtupeſcite cœli, deſolamini elementa omnia, DEUS cujus immenſitas non comprehenditur, cujus bonitas cuncta condidit, cujus miſericordia homines redemit, modò ab homine ingrato læditur? quid non fecit DEUS, ut hominem redimeret? humanam induit carnem, ſupplicia usque ad necem ſuſtinuit, ſanguinem ſuum fudit, cujus pretio redemit, cujus lavacro ſordes ex tua abſterſit conſcientia, & tu vir nequam tot immemor beneficiorum DEUM offendis! Vel per exclamationem, & apoſtrophem ſimul, ut eſt illud in laudatione Cæſaris Marci Antonij epicedium. *Heu canos ſanguine cruentatos! heu veſtem laceram! Cæſar invictiſſime, invictiſſime Cæſar! hanc ideo togam ſumpſeras, ut in ea morereris!* Vel per juramentum. Juro per mala mea, per infelicem conſcientiam, per Manes, Numina doloris mei. Ad excitandum timorem efficaciam habent Hyperbole, & Proſopopæja ſimul, ut ſunt verba illa: *tacui, ſemper ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar, diſſipabo, ſimul, & abſorbebo, deſertos faciam montes, & colles, & omne gramen eorum exiccabo.* Motus fugæ per adjurationem præſertim excitatur, ut adjuro te quisquis es, ut perpendas, quàm miſera ſit ſors hominum, qui ob puſillum telluris immenſam negligunt cœleſtis Regni amplitudinem poſſidere. Vel per optationem. Utinam ſaperent homines, ac ſeriò perpenderent annos æternos, quos in mente jugiter haberent! carnis illecebras deſpicerent, mundi vanitates fugerent, peccata declinarent, & honeſtè agerent.

Varij affectus ſimul excitantur in narra- 59
tione naufragij Emanuelis Souſæ Indiarum Proregis, ac Leonoræ conjugis. Revertebatur placido æquore, faventibus ventis ex Indijs in Europam Emanuel Souſa unà cùm conjuge, & tota familia; jam Bonæ Spei Promontorium appulerant, cùm vehemens ab Occaſu obſtitit ventus, quo paulatim cœperunt coire nubes, tonare cœlum, micare ignes, ruere fulmina, inhorreſcere mare, debacchari incerti fluctus, tetra caligo diem arripere, lucem extinguere, proſpectum adimere, & inſanientes undæ regimen navis impedire: pavidi, ac timore perculſi Nautæ propter anni tempus, abjectâmque ſpem ſu-

peran-

perendi promontorium quod Bonæ Spei nil habet niſi nomen, omen cùm ſit naufragij, excidij, & deſperationis, retrocedere, & in Indiam pari conſenſu vela dare conſtituunt; extra votum tamen fuit eventus; exorti ſiquidem violenti, ac repentini etiam ab Oriente venti pugnare, & ſimul confligere cum flantibus ex Occidente cœperunt in perniciem quaſſatæ navis, in cujus naufragium viſi ſunt quaſi ſpiràſſe, & conſpiràſſe; eorundem impetu diſciſſa vela ſpem ſaluris etiam fregerunt; malus ſiquidem in fruſta diſrumpitur, & fruſtra nititur Nauclerus navis clavo æquoris fluctus declinare, quia ſæviebat acriùs procella, & aquarum montes volvebantur tumidiores; ac fluctibus decumanis velut arietibus, & baliſtis terribili cum ſonitu navis latera feriebantur, & ſubſudibus revulſis, laxatíſque compagibus per rimas, ac dilaceratæ navis hiatus via fluctibus in navim patebat, quos egerere ſitulis fruſtra Nautæ nitebantur, & cùm luctarentur inter ſe ſe venti navis ſurgentibus fluctibus ad ſydera vehebatur, & mox dehiſcente unda ad Manes uſque deprimebatur, adeò ut nunc veluti ex editiſſimo undarum monte valles depreſſas, ac Plutonia regna videretur deſpicere, & nunc veluti ex inferis cœlum ſuſpicere, & licèt ad officium trepidi Nautæ diſcurrerent, ac laborarent, ut navim tempeſtati ſubducerent; procella tamen acrior ſemper furebat: & poſtremo urgentibus à Meridie ventis certum ad naufragium Africæ littua navis appulit, ubi dejectis utrinque anchoris Souſa cum Leonora uxore, & liberis ſumptâ pecuniâ; gemmarúmque acervo terras petunt ſcaphis vecti poſt unum vel alterum trajectum in dorſuoſa brevia impactis, comminutis, non abſque Souſæ, & Leonoræ læſione, qui barbarè à Barbaris bonis omnibus etiam veſtibus ſpoliati inedia conſummuntur, cum litus illud nonniſi macram, ac ſterileſcentem exhiberet arenam. Leonora mulier caſtiſſima nuditatem erubeſcens litorali in arena caſta ſepelit membra, priuſquam mortua, & ibi fame abſumpta, fletu madida jacet exanimis, lugétque filios inediâ abſumptos, & interemptos.

60 Per excitatos affectus intruduco Leonoram matrem præmaturæ filiorum neci illacrymantem, & extinctos gnatos alloquentem. Heu me miſeram? itanè ad id miſeriarum me calamitas detruſit, ut infelix viverem gnatis meis ſuperſtes! itáne poſt filiorum funera vivit infelix mater ſævientis fortunæ ludus, marinæ tempeſtatis ejectamentum, & calamitatum omnium receptaculum! erumpite è fractis oculis non in imbrium ſtillicidia, ſed in pleniores rivos lachrymæ; ululate gemitus teſtes extremæ calamitatis, & miſeriæ vindices; diſrumpantur ſinguli infelicis genitricis artus: & tot oculis, quot vulneribus ſanguineis lacrymis acerba gnatorum fata funeſtent, & cum infelice parente extinctis filijs acerbiùs parentent. Heu infelicis genitricis infeliciora pignora! quæ fera acri doloris morſu perſtricta manes veſtros non ulularet? quæ Hircaniæ Tigrides ad objectas acerbiſſimi fati reliquias, non cicures fierent, ac in planctus diſſolverentur? quæ adamantina corda ad innocentum filiorum acerbum, ac immaturum excidium præ dolore non diſrumperentur? quæ ſylvæ, quæ antra, quæ ſolitudines hunc miſeriarum cumulum non perhorreſcerent? O fatum non hominibus tantùm, ſed & feris ipſis luctuoſum! ò ſpectaculum non ſiccis ſpectandum oculis, ſed ſanguineis rigandum lacrymis? ò cœlum! ò ſydera! lugendum ſanguineis ſtillicidijs exitum ſortitus eſt deficientis matris præ dolore, & inedia ſuperſtes ſpiritus! meum, meum eſt crimen, mea culpa, quæ chara pignora peperi; mihi imputetur tota calamitas, quæ innocentes filios mecum duxi, ut & ipſi adverſantis fortunæ ludibrium fierent, & præmaturæ mortis acerba præda. Mihi imputetur infortunium, quæ barbara litora appuli, ubi cogor invenire pro beata rerum copia extremam egeſtatem, pro arridentis aulæ blanditijs, & ſupellectile Barbarorum arenoſa litora; pro adblandiente ac divite libertate non exſpectatam ſervitutem; pro delicato ferculorum apparatu putres cetorum artus, & alia maris ejectamenta; pro veſtibus holoſericis, auro, gemmíſque fulgentibus, indignam, & verecundam nuditatem, quæ ad luctum moveat homines, & ad pietatem cœlos provocet, & ſydera. Meum meum eſt crimen, mihi debent ærumnæ omnes imputari, quæ lucis uſuræ dedi extincta mea pignora: heu infelicem poſt tot ærumnas ac miſeriarum cumulos Leonoram, quid eſt quòd me deinceps in hoc reciprocante miſeriarum æſtu conſoletur, cùm tota ſpes mea aruerit in filijs fato extinctis præmaturo! en orbata filijs, bonis omnibus deſtituta; nil mihi aliud ſupereſt, quàm fractis oculis chara mea pignora lugere, plangere; ita eſt, mortuos natos perfundam lacrymis, frigeſcentibus cadaveribus extrema impendam oſcula. Quodque vereor eſt, ne objecta feris filiorum extincta cadavera in earundem cedant paſtum, & meis etiam eædem ſaturentur viſceribus; nihilque ſuperſit, quod ſepulchro inferatur, & de cujus aſpectu recrudeſcat doloris memoria. Si defuncti fuiſſent filij, & mortalitatem exuiſſent domeſticos inter parietes dixiſſem mecum: perſolutum eſt naturæ penſum, noli triſtari; brevis ævi ſunt omnes homines, nam qui longævus fuit, tantillum temporis tantùm vixit, ſi cum æternitate conferatur. At ſi denatis omnis terra ſepulchrum eſt, quid aliud mihi ſupereſt, niſi ut has areſcentes fodiam arenas, extinctos meos ſepeliam natos, & ipſamet poſt natorum funera poſt tot fuſas lacrymas altera Niobes ſepulchralem in lapidem extincta cadam, & extinctos tegam emortuos meos filios.

61 D. Ambroſius 3. de Virgin. Patheticè amplificat D. Joannis Baptiſtæ funua, ſeu Chriſti Prodromi, qui ſaltatricis impudentis optione jugulatus fuit. *Præmium ſaltatricis mors*

eſt

eſt Prophetæ, quid priùs horreſcam, neſcia; quis non tum è convivio ad carcerem, curſari videret, putaret Prophetam juſſum eſſe dimitti? quis inquam, cùm audiſſet natalem eſſe Herodis, ſolemne convivium puellæ optionem eligendi, quod vellet datum, miſſam puellam ad Joannis abſolutionem non arbitraretur! rapitur ad pœnam Propheta convivali tempore, convivali præcepta; qui non cuperet vel abſolvi: perimitur gladio, caput ejus affertur in diſco, hoc crudelitati ferculum debebatur, quo inſatiata epulis feritas veſceretur. Intuere Rex acerbiſſimè tuo ſpectacula digna convivio, porrige dexteram; ne quid ſævitiei tuæ deſit, ut inter digitos tuos rivi defluant ſacri cruoris. Et quoniam non exſaturata epulis fames non potuit reſtingui poculis, potuit inauditæ ſævitiei ſitu; bibe ſanguinem ſcaturientibus adhuc venis, ac ex obtruncato capite profluentem, cerne oculos in ipſa morte ſceleris tui teſtes adverſantes conſpectum deliciarum, clauduntur lumina non tam mortis neceſſitate, quàm horrore luxuriæ. Os aureum exangue, cujus ſententiam ferre non poteras conticeſcit, & adhuc timetur; lingua tamen, quæ ſolet etiam poſt mortem officium ſervare viventis palpitante licèt motu damnabit inceſtum.

62 Affectum miſerationis excitat Hegeſippus in lamentabili monodia, quâ deplorat exciſæ Hieroſolymæ calamitates, quas amplificat per ſententias graves, movendis affectibus accommodatas, & eò ornatiùs, quò per Antitheſes eloquenter procedit, inquiens. Ubi eſt maxima civitas Hieruſalem? ubi decora Sion? ubi templum admirabile? ubi ſanctitatis illud ſactarium, quod ſemel in anno ſummus Pontifex, rem divinam facturus, ingrediebatur? Proh dolor, nunc id ipſum in cineres converſum ſceleratis veſtigijs hoſtes polluerunt. Ubi es civitas referta populis? venerabilis Regibus: Dei domicilium, gratiarum omnium ſedes? Parietum tuorum ſplendori pavimentorum reſpondebat nitor; incruſtata marmoribus tecta fulgebant, partim auro, partim argento radiabant portæ: tibi uni omnes ornamentorum deliciæ affloreſcebant: nunc nudata ſplendoribus ſquales viduata civibus, deſtitura ſacerdotibus mœrea, & collapſa à culminibus jaces, everſa, ab ipſis diruta fundamentis, & qui ex omni terrarum plaga, ad te confluxerant, tecum occubuerunt; mortui cum civibus inquilini, ut non dubium ſit, torum in una urbe mundum perjiſſe. Nonnullis interjectis addit. Quocumque oculos circumferimus, ubique occurſant funera. Urbs tota vacua civibus, plena cadaveribus, mortuorum ſepulchrum eſt, & ferale quoddam buſtum, è quo excitatæ favillæ ſolem ipſum mœſtitiâ confundunt. Hunc patriæ communem tumulum ſoli nunc incolunt macilenti ſenes inſtar larvarum, cinerulenta canitie, ſciſſa veſte, ſqualore, & lacrymis obruti, nudis propè filiorum mortuorum oſſibus incubant; ſi forte avium rapacitatem cohibere poſſint: mulieres paucæ, incolumes è patrio ſolo abducuntur, quas miles non ad viſam, ſed ad libidinem ſervavit. Deinde nos ſemivivi cœlum intueri poſſumus? ut ſydera etiam habeamus nobis æternarum conſcia miſeriarum? 63

Affectus doloris, & amoris ſimul excitantur ab anima reſipiſcente & contrita, quæ avertens ſe à mundi illecebris lugens proprias noxas convertitur poſt plura perpetrata ſcelera ad Deum inquiens. Ad te tandem revertor mi IESU, & quæ tua beneficia in ſcelus converti, ad tuæ pietatis pedes plorans, & ex corde reſipiſcens verecunda procumbo; utinam nunquam à vanis mundi illecebris, larvatis ſæculi voluptatibus, noxijs concupiſcentiæ blandimentis permiſiſſem me allici, trahi, & illaqueari; à tua infinita bonitate non receſiſſem, nec à te bonorum omnium fonte inexhauſto me avertiſſem; utinam nunquam roſeus naſcentis auroræ ſplendor me vidiſſet; utinam ſuis ſol radijs mihi non illuxiſſet, vias iniquitatis non perambulâſſem, nec per patrata tot ſcelera plures tibi injurias intuliſſem. Utinam nunquam mihi illuxiſſet dies illa, quâ genitrix mea mundo me peperit, quia in tot crimina non fuiſſem prolapſa, ingratitudinem meam in tuam non exercuiſſem clementiam, nec à te receſſiſſem averſata te Angelorum gaudium, oblita viſcerum, doloſum, vulnerum, & totius tuæ paſſionis immemor: ſed ingrata tanto ſanguine lethales mundi umbras ſecuta ex Babylonicæ meretricis calice venena ebibi voluptatum, & tandem perij. Heu quàm turpiter ignorâſti te ò pulcherrima, ò pretioſiſſima anima mea! tibi mundus eſt conditus, tibi ſervus eſt Angelus, tibi excelſus fit parvulus, tibi omnipotens patitur, tibi IESU emoritur, tibi Deus fit epulum, & ignorâſti te ò pulcherrima, ò pretioſa ad Dei imaginem condita anima mea. Utinam non te illaqueâſſent mundi illæcebræ à Deo te non avertiſſes, & in cloacam voluptatum, & abyſſum culparum non fuiſſes prolapſa. Ah excute crucifixè mi JESU ſemivivam hanc animam, ſiſte tuam redifugam ſponſam, amplectere reſipiſcentem dilectam; extorque pie JESU ex intimo mei cordis, quæ tibi pro tot mihi impertitis beneficijs debet anima mea: doleo ex intimis viſceribus, me receſſiſſe à te; utinam tortores me pluribus confoderent vulneribus, ut ſinceriùs teſtificarer dolorem, qui torquet peccatorem animum, eò quia tuam Majeſtatem contemptui habuerit per ſexcenta imò, & millia pudendarum, ac ſceleratarum præteritæ vitæ actionum; quarum tamen ita me pudet, ut non audeam coram te me ſiſtere, nec tuis procumbere pedibus, cùm non merear cœlo oculos elevare: Quia tamen miſerationes tuæ nullo clauduntur numero, & bonitas tua oriri facit ſuper bonos, & malos ſolem gratiæ tuæ, ideo lachrymis madidus, corde contritus, animo dolens, audebo ad tuos accedere pedes, tibiſque ſupplicare maximo doloris ſenſu, ut velis ſceleribus vitæ meæ ignoſcere, quæ generatim omnia, & ſingula ſingillatim deteſtor, abhorreo, & lacrymis deleo, quia læſæ Majeſtatis tuæ crimina ſunt, & à te ſine animæ

mea

meæ ultimo exerrantes actiones: mihique firmiſſimè Propono mediante gratiæ tuæ ope ſeriam emendationem, & mille potiùs mori, ac cruciatus omnes tolerare, quam vel unicum deinceps actum elicere, quo per lethalem noxam à te recedam. Doleo igitur dolore cordis mei penitiſſimo, quòd te offenderim, & meas pravas cupiditates, meóſque à rectitudine deflectentes affectus tuæ antetulerim Majeſtati, ſed id tibi promitto cum inviolabili proteſtatione reparaturum me damna hæc honoris tui meis obſequijs, quæ ſumma cum fidelitate ero poſthac tibi exhibiturus; & millies potiùs moriar, quàm ſemel impoſterum te offendere. Non amplius à te avertat ò bene JESU, tua corroboratus gratiâ; intorqueat cœlum fulmina, erumpant fulgetra gravido è nubium ſino, & tartara omnia in me conſpirent, potiùs moriar, contundat, diſcerpat, quàm à te ampliùs recedere. Pœnitet me meorum ſcelerum, quæ lacrymis obliterare ſatagam, utinam etiam ſanguine.

64 Efficax in ciendis affectibus fuit Tragicus Seneca, qui per varios affectus patheticè, & artificioſiſſimè Medeam liberorum necem meditantem repræſentat, & iram excitat.

Incumbe in iras, téque languentem excita:
Penitúsque veteres pectore ex imo impetus,
Violentus hauri: quidquid admiſſum eſt adhuc
Pietas vocetur.
Medea nunc ſum crevit ingenium malis; Deinde
——— ——— *Stulta properavi nimis*
Ex pellice, utinam liberos, hoſtis meus
Aliquos haberet.

65 Vides quàm artificioſè in vehementiſſimum illum, quem intendit motum dilabitur, quàm nervoſè, efficaciter, & patheticè iræ motus excitet, & exprimat. Nonnullis interjectis pergit, & excitat audaciam.

——— ——— *Quidquid ex illo tuum eſt.*
Creuſa peperit: placuit hoc pœnæ genus,
Meritóque placuit. Ultimum magno ſcelus
Animo parandum eſt: liberi quondam mei;
Vos pro paternis ſceleribus pœnas date.

66 Excitat verecundiam, metum, & miſericordiam.

Cor pepulit horror, membra torpeſcunt gelu,
Pectúſque tremuit, ira diſceſſit loco:
Materque tota conjuge expulſa redit.
Ergo ut meorum liberûm, ac prolis meæ,
Fundam cruorem? melius: ah demens furia.

EXPENSIO XVI.

De Amplificatione per Antitheta, acutas, ac vellicantes ſententias, Periphraſes, comparationes eruditas, & ſenſus argutos.

1 PRæſentes amplificandi formæ plurimum habent roboris, ac venuſtatis, ſi ſententiæ vellicantes ritè adhibeantur. Dupliciter poſſunt hujuſmodi amplificationes adhiberi, in ſententia, & in tota oratione; amplificatio ſententiæ brevis eſt; alia verò amplior, quia eſt dilatatio totius argumenti, ſéque extendit ad totam orationem. Ut praxis illuſtriùs id nos edoceat, proponatur amplificanda hæc ſententia: *Avaro tam deeſt, quod habet, quàm quod non habet*: amplificatur breviter intra limites ſententiæ hoc pacto. Paradoxum exhibet avarus, cui bona deſunt, cùm adſunt; & ijs caret, quæ poſſidet: paupertate laborat, cùm divitijs affluit, indiget, cùm cumulatiùs auri acervos congerit: & quamvis plura videatur bona poſſidere, nulli tamen eſt bonus, cùm & ſibimet ſit malus: is bonus, qui alijs benefacit, cùm ſit bonitas ſui diffuſiva in alios; & avarus, quas habet pecunias, in alios non diffundit, ſed arca profundè inſepelit, & quia ipſi nihil ſatis eſt, nihil quoque non turpe eidem ineſt: pluris ipſi eſt auri ſacra fames, quàm cura famæ, incrementum honoris detrimento metallorum poſthabet; quid turpius? quærit in auro felicitatem, & tunc eò fit infelicior, quò plùs congeſſit auri, quippe neceſſe eſt, alienum timeat ferrum, qui congeſtum poſſidet aurum: ubi multæ divitiæ, ibi plures ſtruuntur inſidiæ. Vides quomodo eadem ſententia amplificetur per alias vellicantes ſententias, & antitheta.

Amplificatio Argumenti in tota oratione, ut fiat, & latior pateat dilatandi campus, opportunè fit tranſitus de concreto in abſtractum, ſicut enim in ſententia amplificavi avarum in concreto: Mox in argumento, & oratione poteſt dilatari avaritia in abſtracto. 2
Quid nocentiùs, quid turpiùs, quàm avaritiâ ſordeſcere, & bona poſſidere, quæ nec poſſeſſori proſint, & alijs obſint? Quid deteſtabiliùs avaritia, eſt hæc humani generis peſtis, & hominis tortor, quem non ſinit die, vel nocte quieſcere, non enim viciſſitudo noctium quietem, nec ætas ingraveſcens miſſionem à curis, & ſolicitudinibus poteſt impetrare. Neque ullus eſt tyrannus, qui tam acriter ſubditos excruciet, & torqueat, ſicut avaritia, quos inficit: nec ullus eſt dominus, qui empta de lapide mancipia tot laboribus, & cruciatibus exhauriat, ſicut auri fames avaritiâ ſordeſcentes, quia ut ſcitè Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 233. *Quos avaritia ceperit tyranno quovis acerbiùs torquet, & inſultans excruciat: nec tantillum quidem ad reſpirandum quietis permittit, ſed acerbiorem infligit pœnam, quàm ij luant, qui ad metalla damnati ſunt. Ijs ſiquidem abſoluto opere licet ſomno frui, & quiete: avaris verò ſomni portu velut aggeſta terra obſtructo noctu quoque vario æſtu fluctuantibus ſæva illa, & inhumana edicta propent.* Procul dubio tolerabiliùs eſt ſervili compede premi, ac illaqueari, quàm avaritiâ ſordeſcere, quia licèt ſervitus labores, & afflictiones corporis ad ſe trahat: curæ tamen, & ſolicitudines, quæ animum torquent, non famulos tangunt; ſed heros excruciant: avaritia verò ſua mancipia, non ſolùm laboribus, & afflictionibus corporis, verùm & curis, ac ſolicitudinibus animi die, noctúque torquet, hinc ex-

hinc exclamat Seneca epiſt. 115. *O quantum lachrymarum, quantum laborum exigit! quàm miſera deſideratis, quàm miſera partis eſt! adjice quotidianas ſolicitudines, quæ pro modo habendi quemque diſcruciant: adde, quod maiore tormento pecunia poſſidetur, quàm quæritur:* quia quò uberiori creſcunt incremento divitiæ, eò majores adferunt curas, & ſolicitudines, quæ continuo morſu animum abſumunt. Canis latrat? furem adeſſe ſuſpicatur avarus. Mus dente famelico aſſerem corrodit? noctumi furis putat avarus limam audire, quâ ſerulam ſcrinij adaperiat. Quinimo proprios etiam filios velut inſidiatores intuetur, quaſi parentis vitam non ferant ſuis obſtare votis; putat parentis inhiare filios divitijs, mortémque patris moliri, quò citiùs congeſtis à ſe impenſo labore divitijs fruantur. Verùm perinde ac equi molam circumagentes capiſtro cæcantur, ut fructus ignari nil præter laborem in ipſo labore ſentiant: ita avari veluti mente capti, dum improbis atteruntur laboribus, ex labore nonniſi labores colligunt, quia fructus avaritiæ, curæ ſunt, & ſolicitudines, ut ſcitè cecinit Horatius lib. 3. Oda 16. *Creſcentem ſequitur cura pecuniam, majorúmque fames.* Non enim, ut ait Pacatus in Panegyrico Theodoſij, copiam ſatietas ſequitur, ſed creſcit in dies habendi fames; & parandi rabiem, quæ parta ſunt, irritant. Neque avaritia cùm provectiore ætate ſeneſcit, ac viribus deſtituitur, cùm ſenes, quos avaritia tenet, avidiùs pecunijs cumulandis inhiant, quàm juvenes. Neque intelligit ſpecioſa ſe pati ſupplicia, & auro alligatum per labores, & cruciatus raptari. Hominis enim avari divitiæ ajebat Socrates apud Srobæum *ſerm. 18.* perinde ac ſol poſt occaſum neminem viventium exhilarant. Hoc pacto amplificatur totum argumentum, & ſi plura addantur, integra etiam coaleſcit oratio.

3 Sententia amplificatur etiam per Periphraſin, ut ſi velimus commendare, & laudibus excipere virum liberalem, & munificum in pauperes, ſit ſententia dilatanda illa D. Leonis Papæ in appar. Dom. *Nulli parvus eſt cenſus, cui magnus eſt animus.* Definit Ariſtoteles *lib. 4. Ethic. cap. 1.* liberalitatem *mediocritatem circa pecunias*, eò quia proprium ſit cujusvis virtutis mediam occupare ſedem inter utrumque extremum, & liberalitas, ne labatur in avaritiæ ſordes, nil dando alijs, nec in nimiam profuſionem, quæ alterum eſt extremum vitioſum, ſeu prodigalitas, in medio ſiſtit utriúsque extremi, quæ propterea mediocritas dicitur circa pecunias, ac earum uſum. Præcipua liberalitatis laus eſt alijs elargiri pecunias, prout recta ratio dictat, & præſertim levare alienas miſerias. Præfata igitur ſententia per periphraſin dilatatur hoc pacto. Vir munificus, ac liberalitate illuſtris nullis ſe finit anguſtijs premi, quas non maximis largitionibus dilatet, neque ſibi videtur beatior, quàm cùm plurimos propriæ pecuniæ effuſione felices reddit. Plura ad eum tantùm finem appetit, quò plura dare poſſit; alienam fortunam propriam cenſet: nec aliam ſibi poſſe fortunam obtingere auſpicatiorem putat, quàm cum alienis miſerijs opitulatur, ærumnas miſerorum abigit, & pauperum indigentijs abundè occurrit. Illuſtris eſt laus, quam S. Fulgentius Thraſemundo Regi Wandalorum tribuit *lib. 1. cap. 2.* inquiens: *Sic Africano præſides moderando regimini; ut magis deſideres animi ſpatia dilatare, quàm Regni.* Nulla eſt dextera manus ditior, quàm cùm munificâ largitate in pauperum ſubſidia pecunias fundit, & regia manus illuſtriùs donativo, quàm ſceptro ſplendeſcit, quapropter Xenophon ajebat. Eſſe longè honeſtiùs beneficiorum, quàm trophæorum multitudinem relinquere: & Artaxerxes Longimanus dicere conſueverat: *Regalius eſſe addere, quàm adimere.* Hac munifica liberalitate claruit Alexander Macedo, qui cùm dono daret civitatem cuidam dicenti, non convenire civitatem humili ſuæ fortunæ, reſpondit: *Non quæro, quid oporteat te accipere: ſed quid deceat me dare.*

Amplificationem miſeriarum per antitheta, & ſententias acutas, ac vellicantes, ſtylo picto, & declamatorio habet Quintilianus *lib. 6. Declamat. 6.* cujus argumentum eſt: Qui in calamitate parentes deſeruerit, inſepultus abjiciatur. Qui habebat uxorem, & filium captus à piratis inſcripſit domum de redemptione, uxor flendo oculos amiſit, filius renitente matre profectus vicarijs manibus redemit patrem. Idem in vinculis deceſſit. Abjectus in mare, & appulſus ad litus patrium eſt ejectus. Vult illum ſepelire pater, mater prohibet. 4

Quid enim paſſus ſum tam leve, ut non comparatio mei, felices aliorum etiam miſerias faciat? Grave eſt à piratis alligari, magis dicat hoc, qui ſciat, quàm citò capti moriantur. Alligatus ſum, ſed tamen miſer magis queror, quòd ſolutus ſum. Indigna eſt impietas in ſuos, quæ quanta verſetur in hoc judicio, videtis. Sed mihi hoc quoque querendum eſt, quod me, & uxor nimium dilexit, & filius. Quid ego putarem in rerum natura poſſe reperiri, quod orbitate acerbius viderertur? Non contingit mihi, quod cæteris miſerrimum eſt, filium efferre. Parum eſt, quod Juveni ſingularis exempli cauſa mortis fui, & tam pretioſâ redemptus animâ, ſenex odioſus morte filij mei vivo. Parum eſt, quòd mihi luctum meum fluctus nunciârunt, & aliud agenti patri ſubito ad littus orbitas appulſa eſt, quod miſerrimum juvenem toto jactatum mari, etiam ſi nemo interpellâſſet, ſerò ſepelirem: adhuc ſupremo prohibeor officio, & ne quid ſolatij contingat, perdo etiam matris miſericordiam. Injicit erranti corpori manum mulier, & piratis, & tempeſtate crudelior: atque ut accedat dolori meo cumulus, quæ hoc facit, uxor mea eſt. Ne quis tamen erret ignotus, non eſt filij mei noverca, ſed mater. O facinus! ô cladibus noſtris mutata natura! Mater ignem ultimum filio negat, 5

&

& mulier, quæ maritum quoque ſuum debilitata deſiderat. Quis hoc de iſta credat? Filium non fiet funditus everſa, fulmen hoc, gladiúmque non ſentit. Comparet dolorem, quanto minore cauſa excæcata eſt? Hujus, judices, pœnæ ab ipſa morte repetite crimen. Ego ſum, ego & alligavi filium meum, & infamavi, & ne non accedat graviſſimi doloris comes pœnitentia in illum mortiferum carcerem merſi. Quo fato parentes miſer ſortitus eſt, ut illi vitam pater, ſepulturam mater auferret? Nam ut pietatem filij mei ſemel indicem, patrem redemit.

6 Per acutas, & vellicantes ſententias Scipio Africanus cladem Cannenſem amplificat, inquiens. Ducem me Commilitones, adoptavit Roma eo tempore, quo & ignavus nolit vincere, & magnanimus non ſperet. Ducis titulo me non invitus evolverem, niſi piaculum ducerem, ruenti Patriæ vel negare ſubſidia, vel ejusdem imperia detrectare. Accepit hodie vulnus Italia, cui vix ætas poſthuma medeatur. Fuit Aunibal, quantum nec Amilcar Romæ ſemper obliquus, nec Carthago ab eo fieri voluiſſet. Nec altiùs victoris Gentium populi antè Fortuna aſſurgere, nec ſub Annibale magis potuit peſſum ire. Adeò nec ſumma Imperia extra fortunæ ictum. Erubuit ad rei indignitatem ante Thraſymenus, nunc Aufidus, poſtquam noſtro cruore diu decolor, paluſtres inter vortices ſcuta virûm, galeásque cœpit volvere. Credéntne Poſteri conflatum ad Cannas tantum Romæ dedecus? duos Romanorum cæſos exercitus, donec Annibal militi diceret: Parce ferro, &c.

7 Propoſitiones verò ſolent breviùs amplificari, ut ſit propoſitio: *Virtus bellica præmijs excitatur ad fortia quæque agenda.* Quæ Princeps ſuis ſpondet militibus prœmia, aureos dixerim imbres, quibus bellica virtus irrigata effloreſcit in illuſtria geſta. Quinimò hac pluvia, quæ areſcebat virtus, vegetior viret, & creſcit uberior: non mollis fit hac pluvia in Martis campo virtus, ſed indureſcit præclarior, & adamantinam fortitudinem hoſtili gladio objicit. Sic amplificatur hæc alia propoſitio: *Languet ſine pari adverſario virtus.* Illa laurus viret ad victoriam illuſtrior, quæ de fortiori, vel æquè valido hoſte decerpitur. Non leo in agnum irruit, neque moloſſus in innocuam columbam. Magni non fit, ſi elephas cum leopardo congrediatur, quem ſua mole opprimat, & perimat, non valles fulmina feriunt, ſed præcelſas turres, vel montium petunt cacumina. Per comparationem eruditam ſic amplificatur hæc propoſitio, *Virum fortem adverſa non frangunt*: Adamantinæ, qui aſſuevit fortitudini adverſantis fortunæ tela, ei non obſunt, quia adverſitatum impetus ridet, ſtátque veluti Marpeſia cautes, vel perinde ac immobile Capitolij ſaxum. Nubilam novercantis fortunæ frontem ſerenata excipit mente, ut credas, mentis altitudine Olympi montis excedere faſtigium cum celſior ſit, quàm ut ad eum doloris tela pertingant. Quinimò Jovis ipſius fulmina tantum videntur in eum poſſe, quantum mucro ſtellati Orionis contra ſolem; aut contra Perſei clypeum atrox aſpectus. Sit hæc alia propoſitio: *Aſinus auro onuſtus quamlibet ingreditur arcem, licèt munitiſſimam.* Quid fortiùs auro, cui ferrum cedit, & arces licèt propugnaculis munitiſſimas, & ferro inexpugnabiles, ac igne, vincit, & occupat? Auri ſplendor oculos excæcat, eidem inhiantis, & veluti prælucens fax viam præmonſtrat, etiam per calles inacceſſos, per cautes, & ſaxa prærupta ad Agropolim quamlibet naturæ ſitu licèt munitiſſimam occupandam. Eſt aurum quo citra Timothei ſomnium veriùs urbes, & arces, quin & militum animi capiuntur. Quòd ſi Timothei ſomniata retia urbes expiſcabantur: milites vigiles auro præeunte urbem quamlibet faciunt ſui juris. Per oppoſita etiam amplificatur propoſitio, ut: *ex milite promovetur ad infulas.* Quàm felix tranſitus é caſtris Bellonæ ad clauſtra tranſit religionis, diſcinctus baltheo cingitur infulâ, armíſque abjectis pedo innititur. Et ab armis transfertur ad aras non hoſtium cruore, ſed ſanctioribus hoſtijs litaturus: claſſico ſi antea aſſueverat, ac lituis, nunc vocalior harmonicas laudes Numini occinit, & palmas triumphales in mitiores convertit oleas, ut & galeam in infulam, chlamydem in ſacram purpuram, gladium in præſulis ſcipionem, & ut cecinit ille

Succedunt vittæ lituis, haſtilibus aræ.

EXPENSIO XVII.

De Amplificatione arguta.

Flores excolit ſuos flexanima Pallas, qui tamen in eloquentiæ fructus creſcunt; ac maturiunt, ut ſimul proſint, & delectent. Quamobrem hoc amplificandi genus argutè ſicut plurimùm habet aucupij, & gratiæ, ita aures permulcet, & animos ſuavi quadam delectatione replet, ac illicijs perfundit. Ornata hæc eloquentia non ſemper floruit, ſed perinde ac veſtes priùs pannoſas, & rudes neceſſitas contexuit ad temporum injurias, hyemiſque rigores arcendos; & homines lanigeros clypeos priùs objicere conſueverunt frigori; ne corporis membra læderentur, & poſtea cœperunt eaſdem expolire ornamentis, imò & ad luxum holoſericas etiam adhibere veſtes auro, argento fulgentes, imò & nonnunquam in viris Principibus etiam gemmis illuminatas: ita dixerim eloquentiam, quâ res civiles adminiſtrantur, neceſſitas priùs effudit; quam ars poſtea, & prolixus uſus varijs cœpit argutiarum floribus ornare. Quamobrem Sciti homines eloquentiæ rationem maturiùs perpendentes eam ex litigioſo tabularum clamore, turbulentíſque dicendi fluctibus extraxerunt, & in longè ornatiore elocutionis faſtigio evexerunt multiplici flore ornatam, imò & argutiarum acuminibus velut totidem gemmis ad omnem 1

p etioſiorem cultum illuminatam. Hoc enim dicendi genus Auditores quadam perfundit delectatione, & licèt privatis tantùm in Gymnaſijs enutrita fuiſſet exercendi ingenij causâ, in publicum poſtea prodjit, & in Athenæis, theatris, ſuggeſtis communi excepta fuit plauſu: & hoc dicendi genere Plinius Trajani magnanimitatem, Pacatus Theodoſij prudentiam, Nazarius Conſtantini victorias, Lampridius Alexandri Severi pietatem, T citus Germanici modeſtiam, & Mamertinus Rhetor Juliani Imperatoris virtutes in ſuis panegyricis argutè, ac feſtivè commendâtunr. Interdum adeò areſcit materia, quæ oratori exhibetur dilatanda; quæ ſi argutiarum floribus, & acuminibus deſtituatur, videatur Orator in texenda oratione potiùs otiari, & quandóque arare, & non orare.

a Amplificatio arguta ea eſt, quæ ſuavitet in animum dilabitur; & plura paucis verborum luminibus perſtringit, & in ipſa ſententiarum copia brevitate litat, quin & ipſæ vibratæ ſententiæ non ſolùm quia aculeatæ punctim, verùm etiam qui argutæ cæſim feriunt: cum elocutionis floribus ita acumina nectuntur, ut flores delectent, & arguriæ ſuis acuminibus ſimul feriant: & ita elegantiam ſales condiunt, ut elegantia ſalibus gratiam addat. Fons à quo argutiæ veluti pellucidi rivuli ſcaturiunt, petitur ab aſſignatione non cauſæ, pro cauſa, ut ſi quæramus: cur Verbum divinum noſtram voluerit humanitatem induere, & homo fieri in ſexta mundi ætate, & cur non potiùs ſtatim à primo mundi exordio: à non cauſa pro cauſa dicimus; veniſſe æterni Patris Filium curaturum noſtrorum criminum vulnera, proinde expectâſſe, ut mundus totus vulneribus ſaucius langueſceret, & quia hac ægritudine non laboravit in mundi exordio, ideo in ſexta ætate voluit homo fieri languores noſtros curaturus.

3 Argutiarum fons ex jocantis ingenij acuminibus etiam ſcaturit, in hoc enim fonte plures ſolent Oratores argutias veluti gemmas expiſcari, quibus ſuas ornant, & locupletant orationes, ut etiam ab oppoſitis venuſtè eruuntur, ſi ritè conſerantur, quo pacto de Davide Rege dicimus; è caula ad aulam fuiſſe vocatum, ut gregis opilio Regis ageret perſonam; & plectrum cum ſceptro conjungeret; eò quia cùm arundinem adhue inflaret paſtoritiam digna calamo geſſerit, & forti tunc non clava, ſed manu præluſerit majoribus bellis, cùm pugnaret cum belluis, quas expugnavit. Non potuit virtus bellica non evehere ad ſummum dignitatis faſtigium Davidem, cùm ſuperior fuerit gigante, quem proſtravit. Virtus gigante eminentior humilem reſpuit ſedem. Proſtravit adoleſcena unico lapidis ictu carneam turrim cùm funda gigantem fudit; ſecitque proſtrati Philiſthæi occaſum ortum renaſcentis ad gaudia, & triũphos Patriæ. Sed ſi gigantem habuit hoſtem, acriorem expertus etiam fuit in filio inimicum, qui cum deſuturus eſſet pietate in parentem, triplex haſta excordem invenit; ideóque perijt ex quercu pendulus, capiſtrúmque in capillis invenit, qui ad patris obſequia non venit.

Hauriuntur etiam argutiæ à concordi quadam ſententiarum diſcordia, ſeu oppoſitorum connexa coacervatione, quo pacto de propheta Elia, qui per triennium cœlo ſerenitatem imperavit, & obtinuit, ut & pluvias; raptúsque fuerit in cœlum curru igneo, dicitur. Quis neget virorum fuiſſe ſublimiſſimum Eliam, quem terrarum ima detinere non valentia, ſydera ipſa curru rapuerunt igneo; ſeu virtus in cœlum extulit, quem in terris illuſtrem fecerat: ſupra naturam fuit, cùm naturæ jura poſuerit: juſſit, & ad ejus nutum cœlum in æreum tranſijt, & ſi iterum imperavit, cereum fecit, quod æreum erat. Nubes excuſſit ab aëre, quas in tetras mœroris caligines ad ſe homines traxerunt mutatas, cum nil triſtius videre valuerint, quàm ſerenatum toto triennio cœlum: nunquam tanta mœroris nubes offuſa eſt, quàm tunc, cùm dies ſemper illuceſcerent ſine nube ſereni. Tunc verò primùm terram ſerenavit, cùm cœlum nubilum fecit; exhilaravit plantas & homines, cùm nubes in pluvias ſolvi cœperunt, ſiccavit lachrymas, cùm aquas fudit; & cùm cœlum ſerenavit, pluvias lacrymarum à terræ incolis elicuit. Si in impios exarſit, illicò concitatus ad ſuum imperium aër, vel exundavit in imbres, vel exarſit in flammas. Tantæ fuit virtutis, ut tellus, cùm impar ei ſedes eſſet, immenſus eum excepit æther; nimirum homo cœleſtis nil voluit commune cum pulvere, cùm fuerit etiam à cinere ſepulchrali immunis, ac Libithinæ falcem declinaverit, eò vel ipſo ſole illuſtrior, quia occaſum neſcivit.

Sumuntur etiam argutiæ à pluribus alijs fontibus, de quibus infra dicemus. Ut autem amplificatio fiat per conglobatas argutias debent hæ inter ſe venuſtè connecti. Sit propoſito argutè amplificanda: *Niveum Canonicorum Regularium habitum D. Antonius Patavinus in ſubcinericium D. Franciſci pannum mutavit.* A non cauſis pro cauſis amplificatur hoc pacto: Non mireris, ſi Antonius cineres quærat, non potuit jacere in nivibus, qui totus erat charitate igneus; quinimò charitate conſumptus divinique amoris igne accenſus non potuit niſi in cineres Seraphici Franciſci ſolvi. Eum non latuit conſueviſſe Methanæam ſedere in cinere, ut & ipſum Jobum vniverſa in Arabia grande patientiæ exemplum, & ſummæ virtutis perenne monumentum; quid ni Methaneæ, ſeu Pœnitentiæ, vitæque auſterioris diſcipulus non niſi in cinere jacere voluit, ut quem divini amoris ignem ſenſerat in ſe accenſum, diutiùs foveret, ac ſub cinere Seraphici Franciſci ſervaret indemnem. Quòd ſi David Regius Vates, qui tot dedit mundo oracula, quot cecinit in pſalmodia verſus, panem tanquam cinerem manducavit; etiam Antonius Prophetam acturus, non alibi nutriri voluit, quàm in cinere. Scio bellicoſiſſimam

mu-

mulierem & Hebræarum ſœminarum gloriam, ac ſplendorem æternùm duraturum, Juditham, ut de Holopherno triumpharet, cinere caput conſperſiſſe, ſed Antonius hoſtem debellaturus tartareum, & validiùs Orcum expugnaturus toto corpore cinere tegitur; ut dicas mentitam fuiſſe Philoſophiam cum probro ſterilitatis cineres devenuſtavit: non ſterileſcunt Antonij cineres, cùm uberrimam victricium palmarum ſegetem ei germinaverint. Sed cur Antonius niveum Canonicorum Regularium habitum in ſubcinericium Seraphici Franciſci mutavit? cur candicantia veſtium lilia in pannoſæ veſtis pulveres? An ut palæſtrico ſordeſceret pulvere Athleta nobilis, & in hujus vitæ lucta de triplici triumpharet hoſte? An ut quidquid ſanguinis ſupererat & carnis in cinere deponeret? non me latet Menelao lethalem fuiſſe cinerem, cum ex alta turre dejectus in pulverem concidit extinctus: ſed Antonio Seraphicus cinis vitalis fuit, à quo ad immortalitatem, & gloriam nunquam perituram avolavit. Non cenſeas ſingulare Phœnicis miraculum, ſi audias ſuo è cinerario ad recentis vitæ reſurgere uſuram: Antonius Seraphico cinere ad vitam ſurrexit nulli amplius interitui obnoxiam. An Seraphici cineres eos æmulantur cineres, qui Junonis in ara perflantibus ventis immobiles perſeverârunt? Antonius ſiquidem Seraphico in cinere conſtans, ac immobilis perſeveravit in cultura virtutum, & in eodem cinere immorari, & mori conſtanter voluit. Scio in Olympi montis vertice inſcriptos pulvere characteres nullo ventorum flatu deleti, & Antonius Seraphico ſub cinere adeo eminuit, ut terrenarum deſideria voluptatum nunquam ejus mentem attigerint, neque virtutes, quas eidem impreſſerat minuere valuerint. Dixerim hoc Seraphico cinere omnium paſſionum certamina velut dimicantium inter ſe ſe apum examina ſedare voluiſſe, ſcimus enim ex Poëtarum Principe.

——— *Hæc certamina tanta*
Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcunt.

Hoc igitur è cinere Religioſo, ut phœnix Antonius ad vitam avolavit immortalem, hoc tectus cinere veluti adamantino protectus clypeo omnia nequiſſimi hoſtis tela vel hebetavit, vel fregit, à ſua integritate nec latum unguem abſcedens. Si nonnullas literas fugare aſpectum notat Plinius aceto, vel Tithymalæ herba notatas, & tunc fieri ſpectabiles ſi cinere ſint aſperſæ; Quidni plura ſcripſerat, ac geſſerat Antonius, quæ ut fierent illuſtriora, & cœlo, ac terræ ſpectabiliora hoc Seraphico erant cinere aſpergenda. Scio conſueviſſe olim milites, referente Suida ſecum adferre in caſtris utres, favillâ, & cinere oppletos; ut orificijs poſtea præruptis pulveream excitarent nubem in hoſtium oculos: quàm ſcitè igitur Antonius niveum Canonicorum Regularium habitum cum Seraphico cinere commutavit dimicaturus cum mundo, carne, & dæmone? quò certiùs triumpharet de triplici hoſte cinerem ſecum attulit, quocunque ivit. Sunt, qui aſſerant, apes ſemimortuas aſperſas oleo, ac cinere reviviſcere: quidni Antonius, ut omni ex parte Deo reviviſceret toto corpore Seraphico hoc cinere tegi voluit, ne ulla ſupereſſet corporis pars, quæ Deo non viveret, & mundo moreretur. Notat Vegetius tria bellatori præſtantiſſimo eſſe neceſſariò advertenda, antequam in arenam deſcendat, & cum hoſte congrediatur, ſcilicet ſolem, pulverem, & ventum; Antonius in caſtris Chriſtianæ virtutis dimicaturus adverſus tartareas legiones, & vitiorum phalangas ſolem habet propitium divinum ſcilicet, cujus radio, ſeu gratiâ fovetur, ac reficitur; ventum habet ſecundum, & faventem auram ſcilicet divini Spiritûs: unus ei deerat cinis, hunc ſuppeditavit Seraphicus Franciſcus, quo tectus & protectus pugnas inivit, tartarum expugnavit, vitia quæque fugavit, & mundi, carniſque deſideria proſtravit. Quàm feraces & fertiles ſunt Seraphici cineres? è cujus fœcundo ſolo tot victrices germinant palmæ, & triumphales virent lauri. Quotquot ſub D. Franciſci militant vexillo caſtrenſem quemcunque alium ſpernant pulverem; hoc armati cinere etiam ſine Davidis lapide tumidum proſternent ſuperbiæ Goliam.

Herodias Chriſti prodomi, ſeu Præcurſoris Joannis Baptiſtæ caput ſaltationum pretio poſcit.

Amplificatio Arguta.

PArcite ſaltatrici puellæ, bene caput expoſcit, quia demens, ac judicio vacua egebat capite: totum ingenium ad pedes fluxerat in choreis ducendis, vacuum remanſerat caput, illud petijt Joannis, ne ſine capite, & mente diceretur. Vox erat Prodromus clamantis in deſerto, ſed huic voci ſilentium indixit Herodias: nunquid ex Epicurea maluiſti fieri Pythagorea? falleris ah falleris; hæc vox licèt in ſilentio poſita epicedium tibi canit, epinicium Chriſto, Euchariſticum ſibi, Paræneticum Aulæ. Quid mirum ſi Chriſti Prodromus in aula interimitur Herodis? lupa non potuit niſi agnum perdere. Qui materna adhuc in alvo ſalijt, nunc puellæ ſaltu cecidit; initijs ſuis affines ſemper ſunt fines, vitam Prodromus Joannes à choreis auſpicatus, in choreis perdidit, licèt luxus eſſet in epulis, & tripudium in convivio, luporum erat cœna in agni excidium, quo inſatiata epulis feritas veſceretur: extincti tamen Prodromi ſervantur carnes; quia ex impia Herodis cœna hæc analecta Cœlitibus debebantur, ut idem ferculum DEO ſimul, & Herodi placeret. Quæſiturus DEUS, quem perdiderat in mundo hominem per peccatum averſum à ſuo Creatore, & jacentem in tenebris, & umbræ mortis in terram venerat, lucernam in Joanne ſibi accenderat, cujus ſplendore, & prædicatione homines ex atra peccati nocte ad diem divinæ gratiæ, ac lucem reſipiſcentiæ traheret: quidni extinguitur nunc in aula Herodis

hæc lucerna, recedite hinc convivæ, immane aliquod imminet facinus non ſiccis oculis ſpectandum, quia non ſine fuſione cruoris patrandum; nam *qui malè agit, lucem odit.* Impudicitiæ in aula caſtitas non poterat non perire, & nivei Verbi præco propè impudicas amoris flammas non potuit, non ſolvi in cineres, qui etiamnum Genuæ aſſervantur. Paleſtinum Orpheum fractis oculis lugere Muſæ nova à Bacchante occiſum: imò triſtes ululate gentes, orbata lumina corrumpite fletu, extincto lucernæ lumine; & diſcite plus feritatis habere aulas, quàm ſylvas, & caulas, immaniores eſſe puellas in convivio, quàm Pantheras in luco. Venerat Joannes cilicio aſper, ut Herodem pungeret, cùm dixit: *non licet tibi habere uxorem fratris tui*; ſed quia veritas in aula conſuevit ſemper odium parere, pungitur ipſe Joannes ferro ab impio Herode: pium monitorem, ac fidelem, niſi ſylvæ donent, aulæ Principum non habent: rectè dixit ille: *Exeat aula, qui vult eſſe pius*; nam pietas ipſa vix aulam ingreſſa in præmium ſaltatricis occiditur: non petjit dimidium regni ex facta ſibi optione: quia maluit dividere Prodromum, quàm regnum. Adeò pretioſum fuit Joannis caput, ut pretium exceſſerit dimidij regni, cùm huic caput præferatur Joannis: ſed impudicitia in aula Herodis aliud non poterat expoſcere, quàm interitum caſtitatis: non fuit puella amens, quia amans, ſi relicto regni dimidio caput Joannis petjit, illud noverat, quocunque regno pretioſius: cæcus non eſt amor, cùm ſic benè videat, ut pretioſius eligat, quod forſan non agnoviſſet oculatiſſimus Argus: At i peſſum pejor mercatrix, cùm tantum theſaurum poſcas, non ut habeas, ſed ut perdas: Joannem non petjit integrum, ne tantæ virtutis integritas fractos matris mores ampliùs redargueret: ſed falleris ſaltatrix puella, Joannes nervoſiùs fractus, quàm integer vitium coarguit; ſectis faucibus ampliori ore altiùs vox iſta inclaclamabit, ut adulterium corrigat: caput ſitiente ferro ſanguinem amputatur; tam grandis anima per anguſtiorem januam non poterat è corporis carcere egredi ad libertatem migratura. Si in aula Herodis ad mobilem ſaltatricis pedem caput poſcitur, mirum non ſit; quia hæc Veneris proles capiti hominis libidinis pedibus inſidiatur; novum non ſit, ſi in aula Herodis pes ſaltatricis puellæ tam grande caput perdidit; etiam regnante Nabuchodonoſore limoſus ſimulacri pes giganteam protrivit ſtatuam: etiam Judithæ Sandalia, hoc eſt Amazonis pedes Holopherni caput perdiderunt: novum tamen, & horrendum eſt, quòd præmium ſaltatricis mors ſit Prophetæ, & (quod etiam omnes Barbari horrere conſueverunt) inter epulas, & convivia conſumendæ crudelitatis proferatur edictum, ut ait Antiſtes ille, qui re, & nomine ambroſiam ſapit: Clauduntur enim Joannis oculi, ac lumina, non tam mortis neceſſitate, quàm horrore luxuriæ: vel ut cum Auguſtino loquar: factum eſt Joanni, quod ipſe prædixerat; de Chriſto enim JESU dixerat, Illum oportet creſcere, me autem minui; iſte minutus eſt in capite, ille crevit in cruce. Odium peperit veritas in aula Herodis, non potuit æquo animo tolerari, & conceptam inter aras victimam lictor immolat, non ſacerdos: at vulnus, quo crudelitas caput amputavit, coronam implantavit, quâ victus Joannes in cœleſte recipitur capitolium, æternùm triumphaturus.

Margarita Juſtiniana nobilis Veneta Monialium Cœnobium ingrediens comam reſecat.

Amplificatio Arguta.

Tibi gratulor Margarita; retia, quæ in alijs homines mundi illecebris aucupan- 8
tur, nunc DEUM ipſum irretiunt, & in clauſtro DEI gratiam ijsdem expiſcaris. Deſinat Judæa in pretio habere aureos Abſolonis crines: honor tibi crevit dempto tui capitis honore: non ut olim in notam ſervitutis obraduntur capilli, ſed in teſſeram libertatis, quæ meliùs non acquiritur, quàm inter arcta religionis clauſtra, quorum anguſtiæ auguſtiorem reconſtituunt. Obtonſum gerat occiput fortuna, & occaſio calva; feliciorem te dicam ipsâ fortunâ, cùm & occiput, & ſinciput obraſum exhibeas, Deo abſque impedimentis capillorum, ac vanarum cogitationum firmiùs adhæſura. Capitis crines mentis cogitationum dicuntur ſymbola, tibi gratulor, quæ mentem à mundana quavis cogitatione obraſeris, quam divinis impleres contemplationibus. Venale cœlum auro crinium textili tibi feceras; quàm providè regnum cœlorum mox emptura pretium ſolvis capillorum tonſione. Totam deponis comam, ut non uno tantùm crine, ſed tota coma cœleſtem tuum ſponſum alligas, illique adhæreas firmiùs. Suas non jactet mulieres Aquileja, quæ reciſos crines in arcuum funiculos torquerent ad vibrandos telorum nimbos, hoſtémque fugandum: Margarita ſuos ſi crines deponit, ſagittas evibrat, quibus de triplici hoſte carne, mundo, & tartaro triumphat. Olim ſacrificaturæ mulieres ſuos reſecâſſe crines dicuntur: tota erat DEO ſacrificanda Margarita, quàm benè antiquo ne recederet ab inſtituto, crines abradit omnes. Scio Poëtarum commenta inter ſydera Berenices comam collocâſſe, ſed de fabula ipſa triumphat Margaritha, dum comam reſecat, quò arctiùs ſe cœlo alliget. Jubam quaſſent auream leones, ut animos concipiant bellicoſiores: majores tu concipies ſpiritus contra Tartarum forfice reſecante tuam cæſariem. Megeræ caput ideo Tartari fingitur furia, quia ſerpentes in crinibus nutrit: ſed Margaritæ caput ſine coma ſit Angeli vertex. Scio aquilam etiam calvam, ac deplumatam magis ſolem pellicere; ſed Margarita divino ſole illuſtriùs fruitura voluntariè totam deponit comam, ut caput, & mentem divinis tantùm impleat cogitationibus, quibus ſublimior fiat aquila, &

al-

altiùs avolet. Depone igitur auream comam, ſuam ſplendidiorem tibi ſol præparat, quâ clarior cœlo, & terræ lucebis. At ſi non deſunt tibi divini ſolis radij, nec æſtus tibi deeſſe poterat, ardet námque tuo in pectore perpetua divini amoris flamma: hoc igne, quia fiebas nova Veſtalis, erat tibi coma reſecanda, ut ſine capillorum cauda, non jam nocentem te homines cometam crederent, ſed innocentem ſtellam beneficè influentem. Gratulor igitur tibi inter ſydera brevi collocandæ, quòd ſi coronam ſtellæ Regi dicuntur texere Planetarum, tu quia pretioſiſſima gemma Margarita, & benefica ſtella non poteris niſi in divini ſolis diademate collocari, ac ſplendeſcere. Permitte auream tuam comam ferro reſecari, hæc tua cæſaries in alas vertetur, quibus ovans per elyſios campos aſportaberis. Alexander, quem Macedonia genuit Magnum, & virtus bellica maximum effecit, juſſit milites ſuos ante pugnam deponere ſub novacula crines, quid aliud eſt cœnobij clauſtrum, quàm Martialis area, in qua pugnamus inextinguibili bello cum Tartaro; debebas, & tu Chriſtianas inter Amazones bellicoſiſſima vix martialem ingreſſa campum comam deponere, ne tibi hoc in conflictu eſſet impedimento ad victoriam. Si Semiramis Babyloniæ Regina non decora molliter, ſed fortiter pulchra amabili, imò & terribili capillamenti negligentia ruit in hoſtes, quaſi crinium libertas nullo ligata vinculo hoſtes non tantùm vincere, quam vincire poſſet; an non tu comam teſecas, ut funem intorqueas, tartarúmque non tam vincas, quàm vincias? libertatis ſit indicium apud Lacedemones ſumma diligentia comam colere, ac alere; hoc unum ſcio, ſciſſam & neglectam tuam comam alas tibi texere, ut non curras, ſed volites ad libertatem cœleſtis patriæ per exercitia virtutum. Scio Bizantinas fœminas, ne deeſſent navibus funes intortos ſuos miniſtrâſſe capillos: Scio Romanas mulieres ut Gallos propellerent comam reciſam in funium ſupplementum ſuo miniſtrâſſe Imperatori: ſed reciſa Margaritæ coma non ſecus ac inſtrumentum bellicum inſerviet ad fortiùs hoſtes proſternendos, & ad victrices palmas legendas.

EXPENSIO XVIII.

Aperiuntur pellucidi aliquot fontes rebus amplificandis per argutias conglobatas idonei.

1 TAmetſi Atticis plurimum ſemper eruditæ Minervæ lycæa detulerint, in quibus eloquentia faſces tenuit in Pericle, culmen in Demoſthene, ac ſummum faſtigium in Iſocrate; ex ijs tamen, quæ id temporis florent non mella tantùm ex Attica, verùm & melleus in dicendo profluit lepos; adeò ut eloquentiæ ſuggeſta etiam extra Græciam, & Athenas ſuum dent Atticiſmum. Eſt Attica Achaiæ regio, ab agro Megarenſi uſque ad Sunium promontorium extenſa; urbes præcipuas habuit Athenas, Eleuſinem, Marathonem, pleraſque alias minoris claritatis, quò fit, ut Atticum diceretur, quidquid ad Athenienſem pertineret elegantiam; & Attica eloquentia pro florentiſſima, arguriſſima, ac ſumma haberetur; & Attica bellaria etiam de cupedijs dicerentur; hinc attica Muſa pro venuſta, lepida, & arguta etiam nunc habetur; & Poëta venuſtè ſua componens carmina *atticizzare* dicitur; ſeu atticè, ac ornatiſſimè ſcribere. Quia verò hac noſtra ætate Oratores, qui è ſuggeſto ad populum dicunt; non inter Græculos, graculóſque, neque Athenarum noctuas; ſed inter ingeniorum Aquilas perorant; nec quidquam produnt, quod ex Attico penu non fuerit excerptum, ne faſtidium moveant, ſintque tædio nauſeantis ſæculi delicatiori genio; ideò operæ pretium duxi, aliquot hic fontes innuere hujus atticiſmi deſervientis ornatui amplificationum, & argutijs texendis, ac veluti acu Phrygia pingendis.

Primum igitur fontem ſuppeditant ſenſus non ſtatim obvij, neque expectati; quique argumentum alioquin humile, ac veluti humi repens in ſublime evehunt, & ex abjecta veſpertilionum turba inter aquilas attollunt; verùm tamen, quòd non à cujuſvis Jovis capite, ac ingenio facilè hæc ſperanda eſt Pallas. Senſus verò non obvij hauriuntur, vel ex paradoxis, vel ex hyperbole inſigniori; vel à grata rerum, ac verborum pugna; vel à vibrantibus, florentibuſque ſententijs; vel illuſtris ingenij arguto acumine, ludente antitheſi; eleganti alluſione; vel à cauſis ingenioſè, ac præter opinionem adhibitis. Hujuſmodi cauſæ pro non cauſis eruuntur, vel ex eruditionibus ingenioſè accommodatis, vel ex aliqua feſtiva, ac inſperata oppoſitorum pugna; vel connexione arguta effectus cum cauſa, cui propriè non convenit. 2

A cauſis ingenioſè excogitatis Sanctus Gregorius Thaumaturgus dicitur, frigido ſub cœlo natus, ut illud ipſum ad ſtudia virtutum incenderet: S. Greg. Nazian. dicitur profectus Athenas, ut Minervam raperet, quia fuit Athenas profectus addiſcendarũ ſcientiarum causâ; ſumitur Dea, quæ ſcientijs præeſt pro ipſis ſcientijs; & rapere Minervam intelligitur æquivocè, non de ſimulacro argenteo Minervæ; ſed de ſcientijs, quibus Minerva præeſt. Arguta eſt etiam aſſignatio cauſæ ab oppoſitione, ut cùm de Nerone dicitur, quòd Romam incenderit, ut extingueret, ſeu deleret, deſtrueret. E contra de Phaëtonte argutè dicitur, quod fabulas illuſtravit, quia imperitus ſolis auriga mundum accendit; eſt proprium accenſi ignis illuſtrare. 3

Ab oppoſitione non ſine ſale circumfertur illud Veſpaſiani Imperatoris: Hieroſolymæ ut clauderet januas; Romæ Jani fores aperuit; ut pacem gigneret, Bellonæ nupſit: ut ſuum poſteritati nomen nunquam periturum ſcriberet, urbem illam delevit. De quodam Apoſtolicæ Sedis Nuntio eloquentiſſimo, col- 3

legio

legio Card'nalium adſcito; fuit Romæ, qui ſcitè dixit: inter purpuratos Patres adſcitus eſt, ne ſuu . deeſſet Mercurio galerus: eſt enim galerus tegumentum capitis, quod Mercurio tribuitur. Pulchrè etiam à pluribus cauſis unà conglobatis de D. Thoma Aquinate, qui adhuc in cunis ſchedam deglutivit inſcriptam Angelica ſalutatione dicitur: Jacentem humi nuntiam ſalutis ſchedam, bonam ut aleret indolem, deglutivit; ut mirandum non ſit, ſi ſapientia citiùs, quàm ætas in ipſo adoleverit: hanc enim guttatim cum lacte ſuxit; unico illam hauſtu exſorbuit, bolo unico aſſumpſit. Argutè itidem commendatur S. Cyprianus. Ut Africæ geminaret ardores natus in Africa, & nactus igneam charitatem, regionem illam æquè illuſtravit, ac inflammavit ad pietatis ſtudia. Suum etiam Carthagini Tullium dedit; ut quando deſierat armis cum Roma contendere, eam conaretur facundiâ ſuperare: idem ut virtutes meteret, vitia avulſit; ut veritatem firmaret, errores penitus eradicavit. Inſontem Athanaſium damnare abnuens, ne ſe quoque damnaret; peccata neſciens, niſi ut corrigeret; ærumnas omnium ſcire ambjit, ut leniret: alienas miſerias ſibi notas voluit, ut levaret.

5 De viro Theologo, ac prudente, quem plures in dubijs conſcientiæ conſuluerunt, non nemo etiam dixit: Ne ſolus Apollo ſuis ſe commendaret oraculis; à Te quoque reſponſa petuntur. Solet etiam ad cauſam ingenioſam revocari ſententia vibrans, quæque aliquid contineat leporis, & acuminis; cujusmodi eſt illud de Rege Antiocho: Ac ne perturbatè peccet Antiochus, ordinem tenet in ſcelere; à grandiori filio crudelitatem suſpicatur. Averſanti ſcelus Martyri linguam præcidi jubet: nam prima Tyranni cautio eſt in linguas. Poſt linguam Martyr utramque manum poſtulatus citiùs porrigit, quàm jubeatur; & hoc Tyrannicum eſt, manus formidare poſt linguas.

6 Secundus fons petitur à paradoxis, vel etiam hyperbole. Sunt paradoxa admirabilia, ceu inaudita, quæ ſunt præter opinionem omnium; quæque pugnantia videntur reconciliare; adeò ut paradoxum ſenſum efficiat ingenioſum, ac admirabilem ex oppoſitorum nova conjunctione, ac veluti quadam transmutatione unius oppoſiti in aliud, reddátque credibile, quod aliàs videtur fidem fugere: ut eſt illud de Oratore: diſertiſſimus etiam fuit, cum taceret; nunquam avidius audiri optabatur, quàm cum auditus diutiùs fuiſſet. Et illud de Claudio Imperatore: Ante imperium ſine fama fuit, quia latuit: in imperio infamis, quia non latuit; clarior futurus, ſi fuiſſet obſcurior: vides paradoxum plurimum habere aucupij in illo *Clarior futurus, ſi fuiſſet obſcurior.* Per arguta Paradoxa de S. Paulino Antiſtite Nolano dicitur: omnium infeliciſſimus ſibi viſus, ſi ullo feliciore xtitiſſet, nunquam liberalior, quàm cum non haberet, ultra quod daret. Nunquam ille illuſtrior, quàm inter tenebras carceris; quò anguſtiùs detinebatur, eò auguſtiùs dilatabatur, & liberiùs in cœlum evolavit, tunc primùm ſibi victor viſus, cùm deeſſet, quod vinceret. Hæc omnia prærecenſita paradoxa eleganter extrema oppoſita, conjunctione inſperata unà conciliant, ſensúsque adferunt ingenioſos, quique plurimum præſeferunt acuminis. Per hyperbolem argutè etiam amplificantur propoſitiones; ſit hæc propoſitio dilatanda. *Diva MARIA MAGDALENA lachrymis contractas peccatorum deterſit maculas, ac æternùm gaudium ſibi promeruit.* Si Magdalena infelix fuit peccatrix; felix tamen fuit piſcatrix, lachrymarum fluminibus mare omni Eritræo pretioſius ſibi aperuit; uniones expiſcari conata eſt, quibus arctiùs cœleſti Sponſo uniretur, eorúmque pretio regnum cœlorum in nundinis Pœnitentiæ ſibi coëmeret. Auſpicatiſſima Iris è piarum fertili pluvia lachrymarum ſublimior ſplenduit, ac formoſior enituit, ac terras ipſas, ſeu terræ incolas novo ponte junxit Olympo: facilè lachrymæ, quas Metanœa elicit, igneſcunt in ſydera, quia liquores ſunt amoris, quia opobalſami induentes virtutem non ſolùm vulneribus, quæ peccatum inflixerat, ad diuturniorem medentur ſalutem; verùm à corruptione mortalis vitæ ad gloriam incorruptam flentes transferunt. Non enim occaſum habet ea felicitas, cui vel ærumnoſæ, ac fluentis lachrymæ unda lætiſſimus eſt Oriens. 7

Non tamen omnes hyperboles Oratori congruunt; plures ſunt, quæ à ſolis uſurpantur Poëtis, ut illud Virgilij. 12. Æneid. *Qui candore nives antejerent curſibus auras;* & illud *fulminis occupor alis* & aliud: *Volantis te ſalsi ſonitus terret:* & *vox oſſibus hærent.* Propriæ Oratoris hyperboles paradoxum continent, adeo ut ex Cicerone *in Top.* Conceſſum ſit oratoribus, ut muta etiam loquantur, ut mortui ab Inferis excitentur; aut aliquid, quod nullo modo fieri poſſit augendæ rei gratiâ, aut minuendæ dicatur fieri; cujusmodi eſt illa hyperbole, quâ dicitur, cœlum ſuos è noſtra mortalitate reparare Luciferos; quatenus ope divinæ gratiæ homines ſanctitate celebres elevantur ad occupandas ſedes, è quibus Angeli miſerè per peccatum cecidêre; dicuntur illis tot provenire ſidera, ipſo etiam, quo capiuntur majora cœlo, uno minora Deo; quæ omnia hyperbolem redolent: ut etiam hoc aliud de S. Hermenegildo minis Patris fortiter obſiſtente. Nubiloſum, tonantémque Patrem illæſa ſerenitate excipiens credi potuit altitudine mentis Olympum exceſſiſſe. De præcoci cujusdam adoleſcentis virtute, pulchrè itidem per ſenſus hyperbolicos dicitur: Ejus prætexta multorum togas vicit; ſemper ille pollicitus majora, cùm daret maxima: in ipſa ætatis aurora quendam exhibuit meridiem, & ubi vernant alij, autumnavit; ubi adoleſcunt, inſenuit, adeo ut hæreas anceps, neſciásque, an virtutem ex inſtitutione traxerit; an materna ex alvo, an verò hanc cum lacte ſuxerit, quam ætate corroboravit;

vie; puerile nihil præter ætatem unquam præſetulit. De Principis munificentia, ac liberalitate non ſine elegantia hyperbolicè dicitur: Totam ſibi gloriam exhauſit; munificentiæ genio adeo aſſuetus fuit; ita ſtudio addictus liberalitatis, ut nec horam perdiderit, nec permiſerit ſtudio hujus virtutis vacuam fluxiſſe, ubi Titus nonnunquam diem perdidit integrum. Oceanus eſt, quem affundit; non modicus latex gratiarum. Plura quàm ex Ægypti fluminis oſtijs, aut quàm Thebarũ è portis exeunt ab ipſo congiaria; & adhuc exhauriri nequit ejus beneficentiæ Nilus.

8 Tertius fons hauriri ſolet à concordi quadam ſententiarum diſcordia, ſeu oppoſitorum ſuavi reconciliatione, ac connexa coacervatione; quâ artis induſtriâ de S. Auguſtino, qui ſuas evulgavit confeſſiones, propriáſque imperfectiones luci dedit, ut omnibus paterent; dicitur. Vera gaudia auſpicatus à gemitu; tenebras ſuas dum in lucem edidit, illuſtravit; nunquam videlicet puduit ſolem è tenebris erupiſſe; umbras dum prodidit, delevit. De Comite Veterano, qui fortiter in Tranſiluania rem Cæſaris propugnavit dici potuit: Nemo tantum diſtricto valuit gladio, quantum tu enſe, licèt in vagina recondito; poſuiſti militiæ rudimenta victorias; hoſtes viciſti fortiùs blandimentis, quàm ferro. Veteranum ſi de peritia æſtimem, nomine æquè & omine ſemper veteranum, nunquam in Bellonæ caſtris tironem te cenſeo; militiæ tirocinium virtute bellica præcelſiſti; priusquam bella diſceres iam edocebas; antequam diſtricto aſſueſceres gladio; jam palmas metere aſſueviſti: cùm nullas adhuc haberes à fama ſuppetias, ſola virtute pugnâſti; mentes omnes Martios effeciſti, ut ſinguli Marti ſervirent, ac Cæſari obſequerentur. Montibus trans ſylvas non deterius uſus, quàm Martijs campis; docuiſti non loca, ſed virtutem fortunæ prodeſſe; nec locorum fortunam bella decernere; ſed virtutis incrementa de bellis triumphare. Quòd ſi in conflictu irruentibus pluries Turcarum copijs pluribus confoſſus vulneribus occubuiſti, fractis membris fidei conſuluiſti integritati; cum cecidiſti, ſublimius ſurrexiſti, ſiquidem erigitur ad gloriæ faſtigium, qui ſic cadit: ruina hic altiùs evehitur: vivere incipit, qui ſic moritur, quia non moritur, ſed oritur ad gloriam nunquam morituram; morte enim conſtituitur immortalis. Vivat igitur Veteranus, nunquam ejus gloria veteraſcat. Pulchrum eſt itidem illud de Elia: Nil triſtius videre potuerunt mortales, quàm ridentem toto triennio cœli ſerenitatem: hilaraſti terram, cùm triſte feciſti cœlum: ſiccâſti lacrymas, cùm fudiſti pluvias; excitâſti in terris gaudia, cùm lacrymas è nubibus eliciuiſti. Iucundè etiam dicit in quodam elogio Iuglaris de S. Ambroſio Mediolanenſi Antiſtite. Re quàm nomine dulcior mel ante habuit in ore, quàm voces: idem avorum gloriâ illuſtris, illuſtrior ſuâ, Chriſtianus eſſe cœpit, priusquam fieret; miſeros ita ad ſe vocavit, ut felices dimitteret, ita feliciores admonuit, ut redderet infelices; in hoc timendus, quod neminem formidaret; ſæpe depreſſus in cautam erigeret oppreſſurum: probis factus aſylum, flagellum improbis; ara ſupplici, reo ſcopulus. Denique eò meliorem reliquit urbem, quo deteriorem acceperat: laborum nunquam avidior, quàm cùm diutiùs laboraſſet. Per pugnantia habentur hæc de Tiberio. Avorum geſta ſuo teſtatus calamo, ſua geſta nepotum calamo reliquit deteſtanda. Triumphavit ſemel pugnavit nunquam: Omnia in imperio habuit præter imperium: octies ſine conſilio conſul: gladium fugiens ſceptrum invenit. 9

Quartus fons eruitur è gravibus ſententijs unà conglobatis, quibus laude, vel vituperio excipimus geſtum aliquod. ſunt autem ſententiæ graves, quæ pueriles reſpuunt phaleras, vanóſque fucos; & nonnihil ſenſus continent plenos gravitate, ac documentis moribus corrigendis, vitæque emendandæ perceptis; vel quæ ad virtutis ſtudia provocent, cujusmodi eſt pulcherrima illa oratio plena authoritate, & gravitate, qua Elazarus ridens Tyranni minas mandere detrectat porcinas carnes lege vetitas: ait Emanuel Theſaurus inducens Eleazarum loquentem. *Quod ſuadetis amici, etiam hoſtis ſuadet: ad cœnam vocor, quam Tyrannus parat? At egone hoc ore legem violem, quo legem doceo? mortar? neceſſarium utrique malum minatur annoſus tortor: ſolvendum hoc vitæ penſum, quod qui perendinat, morti fœneratur diu moriens. Non æſtimat annorum meorum pondus, qui morte me leviorem putat; ergo pulcherrimam vitæ fabulam in extremo actu corrumpam? ſine fruge hanc frontem aravit tempus niſi lauream metam. In hoc naſcimur, ut honeſtè cadamus: tunc dignum eſt mori, cùm indignus es mori. Cur ferre verbera hac ætate non poſſim, quá Tyrannus poteſt infligere? tam contra ſenectæ mores crudelitas eſt, quàm fortitudo; pudor ſit, ſi naturæ imbecillitas vitio ſuppletur, non virtute. Jamdudum in hoc initiatus ſum ſacerdos; mei muneris eſt ſanguinem fundere, nec ſemper ferinum. Quousque minoribus victimis operor ignavus Myſtes? tot hoſtias feci, ut ſemel hoſtia fieri diſcerem. Ergo mortem appara Tyranne, bene mihi cautum eſt, non poſſum totus mori. Virgas expedi ſolum pulverem excutient, & hunc aliquando reparabilem*. Hactenus Emanuel Theſaurus in ſuis Elogijs Patriarcarum; inducit per gravem Proſopopæjam loquentem ſenem Eleazarũ verbis redolentibus ſenilem venerationem, & gravitatem, ut decebat ſacerdotem jam ſenio Confectum, mortis cupidum, ut viverent patriæ leges; eſſétque poſteritati exemplo, non timendi membrorum vulnera, dummodo fracti artus integritati conſulant legum ſancitarum. Propriũ eſt ſenectutis mortem honeſtam oppetere pro patria; eſt ſenectudo propria prudentiæ ſedes; & annoſa arbor, quæ licèt inverſa in homine; ab ea tamen pendet maturus conſilij fructus. 10

Hi ſenſus graves haud invenuſtè adhibentur in oratorijs narrationibus, & plurimum præſeferunt roboris ſi ijsdem graves ſenten-

tiæ permiſceantur; quo pacto de viro Principe electo ad regimen Reipublicæ, & paucos poſt menſes è vivis abraſo non ſine ingenti gemente Reipublicæ damno dici poteſt. Ad principatum cùm permiſiſſet ſe rapi, Libithinæ Invidia ſtatim eum principatui rapuit: æternitatem promeritus temporum, nec integram menſium hebdomadem ſedit in throno, ut æternùm ſtaret, dignior cœlo, quàm terrâ; rarò bona eximia ſunt in terris diuturna. Primus illi labor fuit invidiam magnæ fortunæ parem eludere; ubique enim magnæ felicitatis comes eſt invidia; nec ulla tam modeſta hactenus fortuna extitit, quæ malignantium dentes viraverit. Principum diſſidijs turbata nonnihil quievit Reſpublica, omnino reſpiratura, niſi ille expiraſſet. Heu ut nulli ſereno non inimicus turbo! Perſtrinxerat ſerenitas hoſtium animos, quòd ſi cauſam quæris non alia certè fuit, quàm fortuna, quæ in pleriſque pro culpa eſt.

11 Quintus fons ex jocantis ingenij acuminibus ſcaturit: in hoc fonte margaritas, aliaſque gemmas ſolent Oratores expiſcari, quibus ſuas mirè exornant orationes; cujuſmodi eſt illud apud Maſculum de Joſepho Patriarcha à fratribus in ciſternam detruſo: ex ſicca ciſterna tibi manavit fons gloriæ. Addi poſſet, ut firmiora jaceres fundamenta melioris fortunæ invidia te ad ima detruſit ſiccæ ciſternæ, ſed ut melius ſubterranea illa in caligine initia explorares tuæ mox emerſuræ in Ægypto granditatis: perinde ac ſol Ægyptiacam aulam ut virtutibus illuſtrares, luſtrare priùs imas terras debueras; neque ſol noſtrum conſcenderet horizontem, niſi quæ nobis ima videntur priùs percurreret. Etas bonæ frugis optimum ſemen, terræ te exceperunt intimiora viſcera, non ut perderent, ſed foverent, alerentque: quæ terræ concreduntur ſemina in uberem fructuum meſſem creſcunt, ac maturiunt. Plurimum etiam habet acuminis illud Valerij Maximi: *Ex ejus vulneribus non plus ſanguinis, quàm gloriæ emanavit.* Ut etiam quæ de D. Nicolao Antiſtite Mirenſi dicuntur ob erogatam auream ſtipem in egenarum dotem puellarum. Hodie tandem dies aureus illuxit; imò ſæculum diceres aſſulſiſſe aureum, cùm aurea ſubſidia pudicitiam fulciant, ne cadat; quod in Mida fabuloſum fuit, in hiſtoriam Nicolaus tranſtulit, cum in aurum etiam dies mutaverit. Mens aurea nonniſi aurea excogitare poterat, ac facere: addictus Nicolaus virtutum culturæ, pudicitiam ne ſentes dilacerarent, ac vepres corrumperent, auro excoluit; Pactoli aureis laticibus irrigavit; non in areſcente arena, ſed in pingui charitatis tellure. Manat nunc aurum in ſubſidium virtutis, quando datur pulcherrimis, quæ impares numero, pari cumulantur beneficio; ne tanto muneri ſuæ deſint gratiæ. Non amplius fabula foret, quod de Phryxæo vellere circumfertur, ſi ſæpius paſtores gregem ſuum hoc aureo vellere obtegerent, nec illum nuditatis puderet, nec quo erubeſceret, ei objiceretur. Plurimum etiam habent leporis, quæ de aranea telam texente, quâ hoſtibus occultaretur S. Felix, argutè feruntur. Araneæ telâ pro clypeo, uſus tela irruentium hoſtium evaſiſti. Felicem te nomen loquitur; ſed felicitati nominis minima beſtiola maximum addidit incrementum cùm retia intexuit, ne innocentiam nefarij caperent; capiendis piſcibus peridonea ſunt in aquis retia; in terris ne viria virtutem expiſcentur: retia objicit araneus, ſub cujus tere irretitus hoſtilis furor, irritus cadit. Felicem celat aranea, etiam tunc felicem, cùm videri potuiſſet infelix. Hoc illud velum eſt, quod imagini ſuæ non ſine prodigio divinus Apelles obtenderat. Amœnè de Venatore dixi aliàs. Venationibus non tam feras, quàm otia perſecutus; nunquam à venatione vacuus receſſit, quia inceſſit otia fugaturus, innocentioribus inter ſylvas exercitijs, ſi non feras occidit, otia jugulavit. Huc etiam revocatur illud de Moyſe: ſanctum ductorem, ut ſeductorem plebs infida criminatur; ut diſcamus nec probos immunes eſſe à probris. Profuit Moyſi paſtoritia, obfuit principatus, tutiùs quievit in caula, quàm vigilaverit in aula, humanitatem inter feras expertus, feritatem inter homines ſenſit. 12

In virum ſuperbum in agro tumulatum acutè intorquetur: Avituro illi ſepulchrum interdicitur, agro, quem coluit tumulatus; adeò ſuperborum viciniam horrent etiam mortui. De ſanctis Innocentibus olim dixi: Vix è materni ſinûs portu ſolverant, acri jactatati tempeſtate, ac ſæviente iræ æſtu ferreos impegerunt in ſcopulos, & proprio in cruore ut in fluctibus pluſquam decumanis præmaturum ſunt naufragium paſſi. Habet etiam mare rubrum ſuos uniones candoris blandimento innocentiam exhibentes; & habet ſua naufragia, quibus etiam innocentia mergitur; ſi tamen naufragium eſt, quo naufragus ad æternæ ſalutis evehitur portum. De S. Alexio per Antitheſes. In patria extra patriam vixit; domûs paternæ incolens veſtibulum ita humilitatem excoluit, ut umbras illuſtraverit; domûs paternæ uſus ſcalâ, quâ ad cœleſtem patriam ſcanderet; eo ſublimior, quò depreſſior; & ideo magis claruit, quia obſcurior latuit. Hunc quæſitæ domûs tenebræ illuſtrârunt: neque alia præ illis ad lucem potior ei patuit via; etiam per noctem ad diem patet acceſſus; niſi ſplendorem, ac lucem ſic odiſſet, obſcurior foret: nunquam illuſtrior ſplendet virtus, quàm tenebris obducta; auroram æmulatur, quæ nocturnis ex umbris diem adfert. Naturæ, & gratiæ idem eſt genium; idémque ingenium cum utraque, pretioſa, quæ habet obducta celat, ut foveat, ac tueatur: gemmarum nitores in conchis natura abdidit, & fulgores auri intra obſcuriora claudit montium viſcera: gratia itidem virtutum germina feliciùs, ut adoleſcant, intra cordis excolit arcana. Latent plerumque in obſcuris locis clariores gemmæ; & in imis vallium

ſum feliciùs luxuriant plantæ, quàm in editiſſimorum jugis montium; caligines quas maſcula virtus invehit, nubes ſunt, quæ ſolem tegunt, non lædunt: etiam nucleus non niſi in putamine latet; & margaritæ in rudi cortice pretium claudunt; & marini æſtus, qui naves hauriunt, unions fundunt. Non tamen obſcurum credas, quem virtutis ſplendor ornat; imò ſolem cenſeas meridiano clariorem; in ejus jubar non quævis palpebra obtutus intorquet, neque virtus ſe omnibus prodit; licèt omnibus luceat: Quis in meridianum ſolem defixos oculos impunè conijciat, quin vindex lumen acies obtundat? neque modicam tantæ lucis uſuram cœlum fert abſque caliginis fœna.

13 Non ſine acumine de militum lanceis, ac gladijs pugnantium in caſtris dicimus. Hebeſcit in caſtris Bellonæ ferrum, ſi Principis aurum illud non acuat; quia ſine ſtipendijs martia virtus torpet; & bellatorum gladij rubiginem contrahunt. Neque mirandum ſi deficiente in caſtris auro langueſcant Mars, & Bellona; eſt aurum belli fortior nervus, ubi nervus militis deficit, ac ſolidare deſinit vires, neceſſe eſt bellica virtus enervis, ac languida concidat: perinde corruit virtus abſque æmulo, ac deficit ſine præmio: neque hoc ſemper aurum; plerumque etiam aura præſtat popularis, nominisque claritas, quæ fortiùs viros ſtimulat ſtrenuos. Neque per ignaviam arduos gloriæ conſcendit miles tramites. Nemo hactenus fuit, qui ſolius ignaviæ teſtudineo greſſu immortalitatis attigerit faſtigium; non alpes Annibali; non excelſioris famæ juga citra labores ulli patuêre: nominis claritas quandam ſecum ſerenitatem trahit, ad quam non itur niſi per prævios ſudorum imbres; non ſinit fama ſe vili dari venum, pretium extorquet laboris improbi. Odit inertes gloria; neque benè inertiæ manibus tanti pretij teritur gemma; per mortis diſcrimina patet ad immortalitatem acceſſus. Conjurata ventorum agmina, fluctúsque decumanos per longè, latéque diffuſos procelloſi æquoris tractus neceſſe eſt toleret. qui Indorum inhiat auro, gemmis, alijsque gazis; ferocientes procellas neceſſe eſt, patiatur, antequam ad beata illa appellat littora, portúmque teneat. Falluntur qui meritorum deſtituti gemmis ad ſudum putant poſſe immortalitatis evehi. Jacent, ac in tumulo ſqualent oblivionis quotquot maluerunt otio torpeſcere, quàm labori aſſueſcere; perinde eſt deſidiâ diffluere, ac ſine gloria in ſinum floere oblivionis: qui olim cum Annibale milites campanis emolliti delicijs Sybaritarum luxu virtutem corrumpi paſſi ſunt, inglorij ex Italia deceſſêre.

14 Plerumque argutiæ ab aliqua eruditione, vel inſigni Allegoria petuntur; de præmijs neceſſarijs, ut ad virtutum ſtudia homines alliciantur ſcitè dicimus. Strenuo Jaſoni nave in Colchidem ſolventi non ſunt formidini ſævientes procellæ; non terrori decumani fluctus; non timori ignivomi Tauri, auri ſiquidem alliciebatur ſplendore in aureo vellere. De Principibus protrahentibus ſolvere debita militibus ſtipendia eruditè dicimus: unum olim Roma Cunctatorem laudavit Fabium: plures modò vituperant caſtra Principes cunctatores, qui dum externum expugnant, ſi non Annibalem, certè Turcam; adhuc meritis parſimoniam nequeunt domi expugnare. Stipendia militum bellicæ virtuti adijciunt calcaria; & effuſa in milites congiaria pluviæ ſunt illæ aureæ, quæ ferrum acuunt, campúmque martium fœcundant ad uberiorem victoriarum ſegetem. Hos ſæpe depluat Bellonæ cœlum aureos imbres, reviveſcet in florem virtus bellica; dabitque tropheorum fructus: nil uberiùs fœcundat Martium campum, quàm aurea pluvia à munificentia Principis delapſa in milites; eſt illa Jovis aurea pluvia, quæ non Danaë ſinum fœcundat, ſed virtutem ſtimulat bellicam ad victorias parturiendas. 15

Per periphraſim argutè res obvias donamus explicatu, quo pacto de S. Scholaſtica, quæ ut diutiùs loquentem res divinas audiret S. Benedictum fratrem extempore pluviam cœlitus impetravit, dicitur. Divina diutiùs ut audiret cœlum ipſum repetito tonitru vocale fecit; cœleſtia ut in cordis ſolo ſemina exciperet, cœlum prece in ſua flexit vota; ut foveret, pluvias impetravit. Mentem ſerenatura nubes unà coëgit, ut exhilararet cœli uſa patrocinio pluviam lacrymarum effudit, quâ extinctam aëris ſerenitatem excitavit in corde; ad pluviam tacitæ preces fulmina evocârunt; clariùs inter fulgura virtus emicat. Quid tam mirum quàm quòd ſoror cœlum armaverit in fratrem cœli amicum? uſa fuit armis, quibus Pietas in caſtris divini amoris vinceret, ac triumpharet. Per Periphraſim feſtivè, & argutè Emanuel Theſaurus de illo, qui primus omnium artem invenit characteres formandi ait. Nulli adhuc legebantur characteres, niſi frontibus ſervorum, vel humeris inuſti famulorum; tandem ille veloci dextera fugientia verba moratus, calamo in tabella defixit: certavit cum loquentis lingua ſcribentis manus; novóque miraculo audijt oculus, non colores tantùm, ſed & prolata percipiens verba, quæ digiti prepetes loquebantur. Quale portentum! in fertili pagellarum tellure, Moſcarum agello, nigerrimum notatum ſemen committi, ut aratus calamo campus, ſepiâ rigatus, legendam doctrinarum meſſem exhibeat? D. Thomas Aquinas amœnè per periphraſim ex appicto ſole in ejus pectore laudatur. Non nubibus fœdum credas aëtem cum ſolem videamus in ſigno Virginis ſplendeſcere; Autumni fluunt dies, cùm ſol ſtationarius virgineo hæret pectori; neque ſuis deſtituuntur fructibus cum plena doctrinarum vindemia dulciſſimis ſpumet labris. Calamus ſuſpenſus digitis ſolaris eſt radius paginis illuſtrandis duntaxat aptus, fovendiſque doctrinarum ſeminibus. Licèt hunc ſolem cœlis terra addiderit, adhuc tamen lucet in pectore Virginis, ne fructus terræ unquam deſint.

EXPENSIO XIX.

De Amplificatione mixta.

1 EXpendimus in præcedentibus ſingulas formas amplificandi ſubjectum; ſupereſt in calce hujus libri adjiciendus modus, quo res eadem poſſit per plures formas ſimul dilatari: & quia docet Iſocrates Rhetorum ferè Princeps, munus eſſe Oratoris ex parvis magna facere; videamus, num poſſimus ex nihilo per mixtam amplificationem maxima facere, ſive per comparationem, vel confutationem, vel ſimilia, hiſtorias, fabellas, & alia id genus.

Nihili Amplificatio mixta.

2 UT ex nihilo poſſimus facere maxima, quatuor, vel quinque ſaltem ſunt modi amplificationis adhibendi; primus erit negativus; ſecundus comparativus; tertius ab his, quæ cadunt ſub ſenſus; quartus à conglobatis; quintus à diviſione partium. Incipiamus à primo.

3 Nihilo quid pauperius? quid infelicius? quid miſerius, & quid deterius? nullâ ipſum ſubſtantiâ vivit, nulla illud metitur quantitas, nullo veſtitur habitu, nullo movetur in loco; nec ſpatiatur cum atomis in aëre, neque jacet in imo terræ cum umbris, nec ullus illud comprehendit ſitus: quis ex peritiſſimis Ægyptijs illud hieroglyphicis exprimat, & ſymbolorum involucris ejus depromat naturam? quis ex Platonicis illud numeris recenſebit? quis ex Pythagoricis illud emblematis illuſtrabit? Nemo. Quàm parvum, quàm exile, quàm minutum, exiguum, & vanum eſt nihil! nihil illo exanguius, nihil exiguius, nihil vanius, & nihil inferius: mus in comparatione illius mons eſt; arenæ granulum in provinciam excreſcit; imbris guttula in mare dilatatur; atomus per aëra volitans, alter eſt orbis: nihil non eſt elegans, non invenuſtum, non fatuum, non fuſcum; oculus illud non aſſequitur, quia nullo diſtinguitur colore, quo aſpicienti objiciatur, nullo tegitur cortice, nulla induitur veſte, imò neque nuditate gaudet, quia eſt nihil, quod ex Ledæo ovo crederem genitum, ſi tamen genitum eſſet, & hujus lucis poſſet uſurâ frui. Quòd ſi ejus vires metiri volueris non cum muſca, ſed ne quidem cum formica æquo Marte certabit, quia cum nihil ſit, nihil agere valet, nihil poteſt, imò & nihil pati; ignem non pavet, nec gelu expavet; quia neque rareſcere poteſt, nec condenſari; licèt rigeat hyems, ejus rigorem ridet, quia non timet: ſi viveret obſeſſum in arce, militum obſidionem arceret, quia unica hordei mica in plures ei ſufficeret annos citra ſubſtantiæ detrimentum: illud à Libithina non obſervatur, cujus oculos fugit, & falcem declinat, ipſum mori prætetit, quia in majora collinear: quod ſi capax eſſet mortis, araneus carnifex eſſet, & ejus filum laqueus: ſi Mathematico puncto copuletur, perfectam tangeret planitiem, & in puncto impartibili partes totius globi terraquei permearet: ſi pedeſtri itinere defeſſum ad vires reſtaurandas veheretur, Myrmecidis quadriga grandior eſſet laxiſſimâ navi: ſi ſederet, in Pyrri Achate majorem occuparet locum Apollo inter Camenas: ſi domicilium habitaret, illi ampliſſimum theatrum exhiberet Lymacis Cochlea: ſi mergeretur, in Cochleari, perinde ac in vaſto gurgite, & amplo Oceano naufragium pateretur: ſi animum laxaret, in frumenti gluma pilâ luderet, & per aciculæ forulum iret, ac rediret ſpatiatum. Accedat Peripateticus, & aquilina mentis acie intimiora nihili penetret; quid credis ipſum tandem inventurum? Non atomum, non formicam, non punctum inſectile, non umbram, ſed ipſum nihil; quod nulla conſtat materia, nullâ diſtinguitur forma, nullo cum alijs communicat genere, nullo venuſtatur colore: quòd ſi illud in aliqua rerum ſpecie quæras, in nulla illud reperis, quia quælibet rei ſpecies illud reſpuit. An illud invenies in cœlo? At cum locus ſit Beatorum omnium rerum infeliciſſimum nihil, nullam poteſt ibi ſedem occupare. Si in ſphærico ignei elementi orbe illud quæras, ibi à te fugiet, quia licèt Salamandra frigidius, nec flammis delectatur, nec ullo fruitur igne. Nihil non offendit, nec offenditur; nulli obviat, quia nullum novit, laſſitudini non eſt obnoxium, quia non movetur, ſtare neſcit, quia non didicit quieſcere: Quàm immane monſtrum eſt nihil, quàm magnum phantaſma! imò & maximum ſomnium mentem implet, quam vacuam efficit; linguam defatigat, quæ nihil loquitur: eſt ante oculos, & oculum fugit; tangitur, & non patitur tangi; ſi fugit, nulla eſt Parthorum ſagitta, quæ illud perniciſſimo volatu valeat aſſequi: ſi pugnas ineat, & in caſtris dimicet, nullo Perſico acinace poteſt vulnerari, nullo Macedonico clypeo retundi, nullâ Romana haſta cruentari; non cadit in conflictu, & tamen non ſtat; non vincitur ab hoſte, & palmas non metit. Si humaniſſima voce in hoſpitium, & amicitiam vocetur, ipſum nihil reſpondendo, nec hoſpitium violat, nec amicitiam frangit. Nihil ſolius linguæ eſt grandis fœtus, aërem verberat, & nullum infert damnum, quia adeò exiguum eſt, ut capax non ſit detrimenti alteri inferendi: parva eſt bipennis cuſpis, parva Babylonicæ acûs extrema acies, parvus argumentoſæ, ac ingenioſæ apis aculeus; parvum haſtati Hiſtricis miſſile telum; parva aëris fluctuantis atomus; parvum illud vitæ punctum, quod Pumilionem vocamus; ſed hæc omnia licèt exigua, ſi cum nihilo conferantur, in montes excreſcunt ingentes, ac immania ſunt corpora, quia nihil vix poteſt cogitatione comprehendi, quid ſit: omnia quæ ſub ſenſus cadunt, & cognitioni objiciuntur, cùm entia ſint, non valent nobis nihili proponere imaginem: neque quid ſit nihil, conjicere poſſumus ex minimis granulis, pulveris, arenæ,

&

& cineris; quia hæc, res ſunt, quæ ſuam habent ſubſtantiam, nec ſua carent quantitate, ſuùmque occupant locum: & nihil nullam nobis poteſt ſui imaginem exhibere, quia ſine colore, abſque calore, ſine vita, abſque loco, ſine quantitate, abſque ſubſtantia nihil eſt. Lux illud non diſtinguit, umbra non involvit, color non pingit, odor non ſecernit, tenebræ non tegunt, dies non illuſtrat: quo igitur te nomine appellem, cùm te non cognoſcam? grande prodigium! imò minimum, quia nihil. Quòd ſi formicæ ovum cum ipſo conferas, Pantheon eſt; culicis pupilla lunæ globus, lacerta in Elephantem grandeſcit. Quòd ſi nihil pariaveris formicæ ex ebore compactæ, ad quam conſtruendam pluribus deſudaverit Callicrates annis, & tantæ fuit exilitatis, ut oculi fugeret aſpectum, adhuc exilius eſt nihil, quia minus eſt materia ſine forma, & ente illo, quod Sophorum claſſes vocant rationis. Quid igitur eſt nihil, figmentum ingenij? fallor; ſatis dixi, quid ſit in hac fuſa, ac mixta amplificatione,

ſcilicet *vox, vox prætereáque*,

NIHIL.

LIBER V.

De Diſpoſitione, & partibus Orationis.

SI argumentorum inventio multum exigit ingenij; diſpoſitionis ſymmetria plurimum expoſtulat judicij, neque ulla ad orationis pulchritudinem aptior reperitur virtus, quàm legitima partium diſpoſitio, à qua omnis venuſtas, & vigor, imò & decor dimanat orationis. Irriti gradivi Martis eſſent in caſtris auſus, ſi militum turmæ ad ſangnineam pugnam non ritè diſponerentur: ordo ſiquidem inter dimicantes milites ad palmarum metendas ſegetes viam ſternit. Martius campus, non quia haſtata ſegete inhorreſcat, victrices lauros nutrit; ſed quia armorum ſpiculis ritè, & ordinatè communitus palmas ſpondet: ſi in acri conflictu caſtra caſtris conſerantur, ſi prout opportunitas exigit, equitum turmæ ita diſponantur, ut modò curventur in cornu lunatæ; nunc acuminentur in pyramides, modò faſtigientur in obeliſcos; & bellator fortis exercitûs alas, & latera validiſſimis circumſepiat militibus, quos nunc in ſerram ſeparet, modò in forficem dividat, modò in cuneum acuat, & modò in globum agglomeret, & cum belli clangor perſonat, acies ritè inſtructa non ferream, ſed adamantinam objiciat hoſtibus pectoris conſtantiam, animíque firmitatem: tunc cùm bellica obſtrepunt timpana, tonant fulminales machinæ, ſtatim pugnat gladiatoria fortitudo, & benè diſpoſita acies, eò de proſtrato inimico illuſtriùs triumphat, quò militaris diſpoſitio, & totius exercitus ordo fuit hoſti terrori. Tanti eſt roboris, ac muniminis in bello bellè diſpoſitus exercitus, ut plerumque pauciores militum turmæ ingentem frangant, ſuperent, ac proſternant exercitum. Non viribus validioribus, non multitudine militum Cy-

ri pugnantis exercitûs, ſed ordine ritè inſtructus, & probè diſpoſitus ingentes vecordis Xerxis copias confodit, cruentavit, fugavit, & vicit. Quanta igitur ſit diſpoſitionis virtus, ex eo conjicitur, quòd neque exercitum confuſa, ac promiſcua hominum copia conſtituat palmis victricibus metendis idoneum; nec temerè inventa materia domum conſtruat; neque membrorum varietas humanum corpus componat, ſed ſolus ordo; & diſpoſitio domui venuſtatem, ac formam; exercitui nervum, & corpori tribuit pulchritudinem; eſt enim diſpoſitio, à qua omnis concinnitas, & decor in ſtructura dimanat. Ait Quintilianus *lib. 7. Neque enim quamquam fuſis omnibus membris ſtatua ſurgit, niſi collocetur: & ſi quam in corporibus noſtris, aliorúmve animalium partem permutes, atque transferas, licèt habeat eadem omnia, adhuc propria deſtituitur elegantia, & venuſtate. Nec mihi videntur errare, qui ipſam naturam ſtare ordine putant, quo confuſo peritura ſint omnia.* Sic Oratio carens diſpoſitione partium, ſeu apta membrorum diſtributione neceſse eſt, tumultuetur, & confuſè procedat. Parum prodeſt Oratori, ſi res invenerit, materiam congeſſerit, niſi res inventæ benè diſponantur, quia ſine diſpoſitione, & proba partium diſtributione non oratio, ſed chaos efficitur, ubi omnia ſunt promiſcua, & confuſa.

EXPENSIO I.

Quid ſit Diſpoſitio, & quæ res inventæ ſint diſponendæ.

1 Vtilitatem probæ diſpoſitionis nullus eſt Oratorum, qui pleno ore non fateatur, ait Quintilianus *lib. 7. cap. 1. præfat. Quid enim diligenter argumenta inveniſſe prodeſſet, niſi pari diligentia, quæ inventa ſunt, collocentur?* Excellentis in exercitu præfecti, & ſtrategi virtus non magìs in deligendo fortiſſimo, ac ſtrenuiſſimo quoque milite ad bellum, quàm in inſtruendo ad pugnam, & aciem diſponendo dignoſcitur: idque cauſæ, cur olim theatra varijs patuerint exercitationibus: ait Apulejus, Mimus allucinatur, Comœdus ſermocinatur. Tragœdus vociferatur, Præſtigiator furatur, Hiſtrio geſticulatur: pari ratione eloquentia hisce gaudet exercitationum generibus, quibus Oratores in ritè diſponendis rebus inventis inſtruat, & exerceat.

2 Eſt diſpoſitio, quæ inventionem ſequitur; rerum inventarum per ordinem diſtributio: copia rerum vel ex lectione petenda eſt, vel ex varia eruditionum ſylva decerpenda: ita tamen, ut ex ampla rerum copia, quas ſive lectio Authorum ſuggeſſerit, ſive parata ſylva ſuppeditaverit, vel etiam fœcunditas proprij ingenij ſubminiſtraverit, ea tantùm ſeligantur, quæ oratio exigit, & propoſitio probanda expoſtulat. Errant plerique cenſentes, in eo decus ſitum eſſe eloquentiæ, ſi prolixas producant orationes, & nihil eorum, quæ excogitaverint, legerint, vel invenerint, omittant: ſicut non omnis calceus eidem aptatur pedi, ita neque res inventæ eidem omnes orationi accommodantur, neque robur præſeferunt ad propoſitionem eandam probandam: ex hoc errore oritur, quòd Orator non ſolùm communia, & aliena ab inſtituto, ſed etiam frigida, & inepta intrudat, ad faſtidium potiùs movendum in Auditoribus, quàm ad propoſitionem promovendam. Non ſi plura, ſed ſi apta, & nervoſa proferantur, hæc animos movent, propoſitionem evincunt, & orationem ritè conſtruunt. Sicut Alexandri exercitus ex modico, ſed lectiſſimo militum numero conſtructus hoſtes terruit, & victrices palmas collegit; & è contra ingentes, ac propemodum innumerabiles Darij copiæ ſuis diſtractæ viribus, ac confuſæ ſine diſpoſitione, non palmas, ſed lugubres amputavit cupreſſos: ita in orationibus contingit, quæ ſi breves fuerint, rebúsque ſelectis, & ad rem facientibus, quæque propoſitionem nervosè evincant, fuerint inſtructæ, longè acriùs animos

mos percellunt, quos in eam, quam Orator voluerit, partem etiam flectunt: è contra quæ prolixæ ſunt, rerúmque promiſcuam comprehendunt farraginem, nec propoſitionem evincunt, nec animos movent, quibus potius ſunt tædio, & Orator operam, & oleum perdit. Ex nimia cupiditate inſerendi orationi quidquid Orator excogitaverit, vel invenerit, oritur error ille; quo pueriles, ac importunæ dicendi phaleræ vaniſſimæ jucunditatis illecebræ, digreſſiones ineptæ, luſus minuti, & affectatæ rerum deſcripriunculæ, ac verba denique ad oſtentationem collecta, & ad ſolam ſermonis redundantiam frigida, & tumida congeruntur. Putant uberem plauſuum ſegetem metere, ſi totum orationis campum hiſce ſerant rebus à ſe inventis; cùm tamen apud eruditos nonniſi ignorantiæ notam ſibi vindicent: ex nimia ſiquidem copia inopes fiunt, poſsitque tunc non immeritò de ſe Orator dicere: *inopem me copia fecit.*

3 Non ex quovis herbarum genere (ut vulgò ajunt) eſt orationis faſciculus componendus, ſed ex ijs duntaxat rebus, quæ majorem vim, ac nervum videntur præſeferre ad ſuadendum, vel majorem venuſtatem ad delectandum, ac mulcendum animum. Orator igitur res orationi inſerendas, & à ſe inventas maturè priùs examinet, eas ſeligat, quæ plus cæteris habent roboris ad evincendam propoſitionem, animóſque movendos; ineptas dicendi phaleras auribus ſervet puerorum; quæ communia ſunt, negligat, & tantùm efficaciora ſeligat, quibus ita ſuadeat, ut plenè perſuadeat. Ad id autem limatum deſideratur judicium, quod veluti cenſor ea tantùm admittat, quæ rectà ad rem collineant, alia minus apta ad propoſitionem evincendam, quamvis pulchra, florida, ac venuſta videantur, non gravatè relinquat, ne orationem rebus aggravet non neceſſarijs.

EXPENSIO II.

Quotuplex ſit Diſpoſitio in genere, & qualis ſpecifica.

1 Diſpoſitionis genus in plures partitur ſpecies, in naturalem, arbitrariam, & artificialem. Prima eſt, quam ſervat natura rerum omnium magiſtra, eſtque ordo ipſe naturalis, quem ſervat in frugibus producendis, ut in ſpica: priùs enim tellus gremio emollito, ac ſubacto aratri culturæ, ſparſum excipit ſemen, non ſine fœnore agricolæ reſtituendum. Idque occatum cohibet, & tabefactum benigno fovet in ſinu, humorem ei ſuppeditat, quo ipſum nutrit proprio in ſinu, ex quo herbeſcentem elicit viriditatem, quæ fibris innixa ſtirpium, ſenſim incipit adoleſcere; móxque ſublimior erecta, quaſi pubeſcens, vaginis, perinde, ac cunabulis includitur, è quibus mox veluti è carcere ad libertatẽ emergit, frugémque ſpicæ magnæ vireſcentis ſpei pompa aperit; & ut tutum ſervet fructum exiguæ Cereris, minutarúmque avium morſus arceat, exaſperata ſpica à ſagaci natura vallo munitur ariſtarum, donec ruſtica falx camporum comas tundens ipſam metat, & in horreis aſſervetur annona. Ordo igitur naturalis ipſam imitatur naturæ diſpoſitionem in rebus præſertim quatuor, ſeu tempore, natura, loco, & dignitate, ut docet Ariſtoteles. Tempore aliud eſt alio prius, vel poſterius dicitur, ut bellum Punicum prius Macedonico. Naturâ alia alijs priora ſunt exiſtendi neceſſitate, quo pacto ſol eſt prior luce, & cauſa ſuo effectu. Loco priora dicuntur, quorum unum præcedit aliud poſitione. Dignitate demum, quod præſtantius, ac dignius eſt, præfertur alteri minus digno.

2 Diſpoſitio arbitraria eſt, quæ ſine ulla arte, abſque ulla certa ratione fit, & tantùm pro arbitrio, vel dicentis, vel ſcribentis ponitur: ut ſi quis peroraturus pergeret ad Principem, & loco exordij quid aliud narraret, quo ſibi benevolum faceret animum Principis; deinde abſque ullo artificio; ac præceptorum regula, rem ſuam tumultuariè exponeret, expoſitam probaret, probatam confirmaret: diceretur hæc diſpoſitio arbitraria, ſeu ad arbitrium perorantis poſita: tales ſunt libri Plinij de plantis, avibus, gemmis, & animalibus. Tale eſt opus Æliani de animalibus, ubi omnia permiſcet, prout ſcribenti dictavit arbitrium.

3 Diſpoſitio artificioſa eſt, quæ ab arte ponitur, & ad ſpecialem deſtinatum finem ſive ad delectandum, ſive movendum dirigitur; ad quem attingendum finem ars nos edocet uſum harum partium, quomodo ſint adhibendæ, ac diſponendæ; ut eſt illa argumentorum diſpoſitio à me recenſita in locis communibus, in quibus dixi, probationis initium roborandum eſſe efficaci aliquo argumento, quo propoſitio evincatur, & Auditoribus ejus veritas ſuadeatur: quæ verò minus habent roboris veluti imbellem turbam, mediam occupant ſedem, & finis iterum efficaciſſimo argumento clauditur, ut Auditores convicti de veritate propoſitionis diſcedant. In ordine igitur artificiali ſervantur artis præcepta, & ex induſtria diſtribuuntur argumenta. Talis eſt etiam ordo Poëtarum, qui ex induſtria res non citant, ut vulgò dicitur (ab ovo) ſed interdum incipiunt à fine, vel medio, & plerumque principia data occaſione intermiſcent, ut animos ſuſpendant, ut plus poſtea ex inopinato rerum eventu adferant lenocinij, quo benevolentiam Auditorum aucupentur.

4 Diſtributio ſpecifica, ſeu oratoria in genere demonſtrativo, & judiciali ita ordinatur, ut inter partes orationis primum locum occupet exordium, quod ſequitur propoſitio, vel narratio rei probandæ, aut criminis damnandi: ad narrationem ſequitur probatio quam valida conſtituunt argumenta, & probationem, ut etiam totam orationem claudit epilogus. In judicijs id dignum eſt obſervatu, ut ſi quæ ab adverſarijs proponuntur con-

tra nos, in id eſt incumbendum ſtudij, ut eadem initio repellantur: quia oratio parùm eſſet ponderis habitura, ſi ab adverſarijs oppoſita non priùs rejicerentur, & eorum vis ab animis propulſaretur audientium. Id præſtiterunt in Græcia Demoſthenes, & Romæ Cicero, ut & alibi cæteri Oratores. Quòd ſi malè affecti animi mediocribus vix poſſunt rationibus perſuaderi, efficaciores ſunt præferendæ, quarum vi, ſi quæ ſupereſt impreſſa contraria opinio impetu convellatur valentiori.

5 In ſacris verò concionibus, quæ narratione carent partes ita diſtribuuntur, ut præcedat exordium, cujus in fine alligatur propoſitio probanda, quam ſequitur probatio, ſive per argumenta, & amplificationes; ſive per conceptus prædicabiles: probationem ſequitur confirmatio, quæ clauditur epilogo: ex hiſce partibus ita diſtributis prima ad conciliandos animos valet, & ad benevolentiam ſibi comparandam; ultima ijsdem movendis debet accommodari: mediæ propoſitionem probandam debent nervosè evincere, ut omnem abigant ſcrupulum, omne deleant dubium. In Panegyricis orationibus, in quibus oratores vitam gradatim, & geſta exponunt perſonæ commendandæ, exordium præcedit, ad quod ſequitur narratio, quæ in aliqua virtutum capita partitur, & initium ducitur ab ordine naturæ, ſeu à patria, parentibus, nativitate, infantia, adoleſcentia, ætate provecta, & ſenectute: ſolent etiam ſub allegoria aliqua continuata recenſeri geſta omnia, quæ commendantur, & eidem ſemper alligantur allegoriæ. In narratione oratoria, ſi nil aliud obſtiterit ordo temporum ſervandus eſt. Sin verò primæ narrationis partes paulò fuerint duriores, vel non multum præſetulerint dignitatis, conſultiùs omittuntur, & à gravioribus, & uberiori laude dignis initium ponitur, ut auditores nonniſi grandia concipiant de perſona laudanda. Non tamen eſt alienum ab ijs etiam inchoare, quæ avidiùs audiuntur, quia tunc Orator animos præoccupat, quos ſibi benevolentia devincit. Quæ verò minùs grata ſunt, ſatiùs præciduntur.

6 Hinc infertur quatuor eſſe partes concionis Rhetoris Chriſtiani, exordium, propoſitio, probatio, & epilogus, & licèt plerique Confirmationem, & confutationem addant; hæ tamen partes à probatione non videntur differre. Si quæras, quænam partes orationis ſint eſſentiales, reſpondetur, eas, ſine quibus non eſſet oratio, perinde ac ſine materia, & forma ſubſtantiali non eſſet compoſitum phyſicum: & quia ſine propoſitione, & probatione non eſſet concio, hæ duæ partes ſunt de eſſentia illius; exordium verò, & epilogus ſunt tantùm partes adſcititiæ. In probatione argumenta ita diſponuntur, ut quæ eruuntur à genere, definitione, partium enumeratione, cauſis, effectis habeantur nervoſiora, & proximiora; ac principem occupent ſedem, quæ verò petuntur ab hiſtorijs, teſtimonijs exemplis ſunt remota, quæ tamen licèt minus præſeferant roboris, plurimum tamen ſubinde habent aucupij ad aures, & animos Auditorum demulcendos.

7 Oratio igitur, quæ perelegans eſt humanæ mentis opus, in quo perficiendo omnes tum eloquentiæ, tum ingenij vires ſplendidè eminent; definitur optimorum verborum, efficacium argumentorum, ac ſelectarum ſententiarum adunatio ad ſuadendum vel diſſuadendum ordinata, ex qua definitione liquet, finem orationis eſſe ſuadere, vel diſſuadere, ex quo tria oriuntur in oratore munera, docere, delectare, & flectere; docet Orator novitate propoſitionis, argumentorum efficaciâ, ſententiarum copiâ: delectat, figurarum varietate, argutiarum ſalibus, Styli amœnitate: flectit, ac movet, affectuum excitatione, & argumentorum efficacia. Moventur præſertim animi in epilogo, ut cum aculeo ijsdem infixo diſcedant: in epilogo verò ſi repetantur jam recenſita, non tamen ijsdem verbis, & ſententijs; imò & quæ dicta ſunt, debent ordine variari.

EXPENSIO III.

De varjis tranſitionibus adhibendis in diſpoſitione.

8 UT apta in orationis diſpoſitione rerum fiat ordinatio, neceſſe eſt ſingula ſingulis ſuis reſpondeant locis, ne oratio ſine ordine fluctuet; & abſque vinculo, quo res una alteri nectatur, acervus videatur temerè congeſtus. Adhibenda eſt in diſpoſitione apta rerum collocatio, ut omnia ordinatim dicantur, ne pes capiti, vel pectus cruri jungatur, ſed apta, & concinna membrorum compage totum corpus exurgat: ad quod aſſequendum Hermogenes duas notat perneceſſarias eſſe figuras ad perſpicuitatem, & res ſimul nectendas accommodatas; tranſitionem ſcilicet, & ratiocinationem. Eſt tranſitio, cujus beneficio ab uno ad aliud cum ordinis dignitate gradimur: ratiocinatione verò noſmetipſos interrogamus, & facti rationes ſubijcimus. Quantum ſit tranſitio momenti, ex eo liquet, quia hâc unâ neglectâ oratio ſua deſtituitur venuſtate, & res ſingulæ ſolutæ, ac ſeparatæ vires deperdunt. Eſt tranſitio *oratio brevis, quæ quod dictum eſt laconicè tangit, & quod dicendum ſupereſt, indicat.* Beneficio illius non ſolùm ab una argumentatione ad aliam tranſimus, verùm etiam à partibus unius argumentationis ad alias ejuſdem: quapropter non ſolùm orationis connexio, ſed etiam totus ejus nervus à tranſitione dependet, quæ multiplex, & varia eſt, prout diverſa eſt materia, de qua agitur. Debet tranſitio, ſi fieri poteſt, aliquid continere acuminis, quo Orator Auditores alliciat, magisque attentos habeat.

9 Hujuſmodi tranſitiones plurimum præſeferunt venuſtatis, & roboris, ſi fiant per figuras Patheticas exprimentes aliquem animi

mo-

motum, ſive intellectûs, ſive voluntaris. Per patheticas figuras indicantes motum intellectûs, & varios ejuſdem actus poſſunt fieri tranſitiones hoc pacto.

Per figuram cognitionis cognoſco me diutius in rebus jam tritis, ac omnium ore celebratia fuiſſe immoratum, ſed ea dos eſt rerum, ut quæ placent decies, & ampliùs repetita placeant adhuc, nunc ad non ità vulgaria tranſeamus.

Per ignorationem. Neſcio, an quæ fuerunt à me recenſita veſtros in admirationem traxerint animos; ſed quæ ſuperſunt recenſenda, magis allicient.

Per oſtentationem: En attendite, quàm nervosè, & ad hominem, quæ prolata ſunt, argumenta mox producenda evincent.

Per narrationem: magna enarravi fateor, ſed majora ſuperſunt narranda, ac paucis nota.

Per Didaſchiam, Didiciſtis, quæ doceant in moribus corrigendis virtutibus excolendis Ethnicorum gymnaſia: diſcite nunc quæ ſancta hortodoxa fides edoceat, ac ſancti Patres ediſſerant.

Per affirmationem. Fateor aliquid roboris habuiſſe hactenus à me dicta, ſed majorem præſeferunt efficaciam, quæ ſuperſunt dicenda.

Per Correctionem, quidni omnia quæ noſtram poterant theſin, probare vobis exhibui? nequaquam nervoſiora veſtram exigunt attentionem, ſi tamen attentio dicenda erit, & & non potiùs admiratio.

Per memorationem. Si bene memini, unum erat reliquum, ut doceremus, ſcientias conferre multum ad ſtabiliendam vitæ, morúmque probitatem; id nunc aggredior, attendite.

Per reticentiam. Poſſem hic latiùs vagari, & quod hactenus probavi vivis corroborare exemplis, conſolidare ſententijs, confirmare authoritate prudentum virorum, ſed ne patientiâ veſtrâ abutar, nec mea prolixitate ſim vobis moleſtus, hæc, & illa cenſeo conſultiùs reticenda, alioquin poſſem hæc, & illa adhuc vobis proponere.

Per præteritionem. Omitto plura, quæ poſſem hic congerere, ſed nervoſiora ſuperſunt, quæ non ſinunt imbecilliora vobis exhiberi.

Per admirationem. Quid mirum ſi vir Apoſtolicus lucris inhians animarum ignorantiæ caligines excuſſerit ab intellectu Ethnicorum, diémque pepererit verioris cognitionis? ſol erat, ut vobis probandum expoſui ſub initijs, non potuit niſi lucem, & aureos veritatis evangelicæ radios ubíque diffundere; at ſi ſol eſt, ne dum habet de cæcis cymmerijs triumphare; verùm novus Juppiter aureas ſuorum radiorum in pluvias videtur in humum deſcendiſſe, non ad fœcundandum mentitæ Danaæ ſinum; verùm, ut nobiliori gravidata partu tellus in copioſiorem erumpat fructuum meſſem, ſic ſi vidimus noſtrum ſolem Ethnicæ ſuperſtitionis fugâſſe tenebras; attendite nunc beneficia; quæ in mortalium capita perpluit.

Per Interrogationem. Quid? majora expectatis? attendite.

Per imaginationem. Mihi imaginor, vos in ea verſari opinione, ut cenſeatis, omnia me dixiſſe; ſed præclariora ſuperſunt vobis proponenda, ad quæ me oratio vocat.

Per Apoſtrophem. Nihili facite, quæ hactenus dixi: attendite majora, quæ longè pluris ſunt facienda.

Per Ethypoſim. Aberravit tantiſper à propoſitione oratio ſed licèt placuerint, quæ diximus; filum nunc noſtrum redordiamur.

Per Reprehenſionem. Satis ne putatis probatum vitium carnificem eſſe animarum? Erratis; majora audite.

Per repetitionem: Ut reticeam, quæ leviora videntur; quid ad gratiam opportunius? quid ad dignitatem illuſtrius, quid ad ornatum elegantius, quid ad majeſtatem præſtantius ſit, exponam.

Tranſitiones per figuras Patheticas exprimentes motum voluntatis. 3

Per Imperium. Magis attendite, qui aures hactenus præbuiſtis, ut rariora, quæ ſuperſunt, admirari poſſitis.

Per admonitionem. Quàm ſint noxiæ avaro divitiæ, quàm ſint pernicioſæ mundi voluptates, & fluxa ejus commoda, monebunt vos exempla mox recenſenda.

Per recuſationem. Nolo hac in re prolixum texere ſermonem. jam vocor ad alteram orationis partem, & quæ vobis propoſueram paratus ſum exhibere, ſi benevolentiam veſtram æquè mihi faventem experiar.

Per pœnitentiam. Pœnitet me, brevitatem, quam ſpoponderam, non ſervâſſe, ſed materiæ gravitas hunc exigebat excurſum.

Per audaciam. Dicam fortaſſis audaciùs, ſed tamen veriùs.

Per lætitiam. Gaudeo orationem eò rediiſſe, unde deflexerat, & ut ſim ſemel in opinione mea conſtans, & ne abutar patientia veſtra quod vobis propoſui, breviùs evincam.

Per deſiderium. Utinam mihi tantum eſſet otij, ut quæ ad rem meam maximè faciunt, poſſem proferre, plura dicerem.

Per vocationem. Adeſte omnes, & attendite illuſtrius geſtum.

Sunt etiam aliæ tranſitiones, quibus uſus fuit ſuis in orationibus Cicero, quarum nonnullas ſubijcio.

Dictum eſt Judices de decumano frumento, dictum de emptore, reliquum eſt de æſtimato,

Vultus veſtri Judices me invitant, ut quæ reticenda putaveram libeat jam liberè edicere.

Propoſuimus faciliora, venimus nunc ad magis ardua.

Nolite Judices, quæ ſeparatim dixi ſpectare, ſed omnia, & ſingula in unum colligite.

Dixi de imminente periculo, quod Antonio antiſtabat, dicam nunc de ejus nece,

Sed hæc improbitatis ſcelera omittamus: loquamur potiùs de iniquiſſimo genere parricidij.

Satis dixi de turpitudine vitij, dicam nunc de honeſtate virtutis.

Dixi me omnia, quæ in hoc genere eſſent non enumeraturum, ne in infinitum procederet oratio, ſed ſelecturum, quæ magis excellerent. Attendite nunc, quæ illuſtriora ſunt in hoc genere.

Unum erat reliquum, ſi bene meminiſtis, ut docerem, hoc aggredior.

Poſſem hoc in loco latiùs evagari, niſi me temporis ratio admoneret: ſed ab hac moleſta narratione avocemus animos, & ad jucundiora tranſeamus.

Pudet me à brevitate, quam mihj propoſueram, aberrâſſe, ſed materiæ gravitas id exigebat; ad utiliora nunc me accingo.

Nunc quoniam temporis anguſtiæ tantam rerum multitudinem capere non poſſunt, ego humanitate veſtra fretus à gravioribus ad mitiora meam convertam orationem.

Verùm hæc prætermittamus, feſtinat oratio ad præcipuum caput.

EXPENSIO IV.

De Exordio in genere.

1 ADſcititium orationis membrum eſſe exordium innui ſuperiùs, quamvis pleriqᵹ attentiùs interdum videantur inſudare in exordij ſtructura, quàm in texenda tota oratione. Non eſſe exordium partem eſſentialem ex eo evincitur, quod vetus Areopagitarum lex juſſerit, Oratores amputato exordio è ſuggeſto ad populum dicere; ne verborum circuitus, ac phaleratæ dictionis garrulitas adſtantium auribus officeret. Voluerunt Judices Areopagi non verborum ambagibus, nec elegantiarum phaleris; ſed ſapientiâ, & virtute animorum benevolentiam comparari; idque cauſæ, cur in Athenienſium Areopago omnis de exordiendi ratione præceptio omnino futilis, ac ſupervacanea cenſeretur. Hæc Areopagitica ſeveritas duas tantùm admittebat in dicendo partes propoſitionem ſcilicet, & probationem, ut omnia ſuperflua amputarentur: hócque rigidum in perorando ſilentium in adagium abjit: quo cùm intempeſtivo ſilentio addictum redarguimus, dicimus *Areopagitâ eſſe taciturniorem*. Hanc in perorando avaritiam fortaſſis ab Amyclis didicerunt Areopagi Judices: Amyclæ ſilentio litârunt, & taciturnitati, & ob hunc ſilentij rigorem locum dederunt adagio, quod uſurpatur à Sidonio Apollinari *lib. 8. epiſt. 5.* ubi ait. *Si ſupra dictum confirmo aſſenſum Athenis loquacior ero, ſi minus Amyclis ipſis ero taciturnior:* fortaſſis Zenonis fuerunt Amyclæ adſciri gymnaſio, cuius præcepta religiosè ſervantes ſilentio tam religiosè litârunt; dixiſſes Zenonis Lycæum ſtatuariam officinam, cùm nonnulli muti ſtarent diſcipuli. Summi enim ſilentij cultor, qui vix linguæ nodos ſolvat ad loquelam, ſtatuæ ſolet æquipatari, à qua nec ullum poteſt verbum extorqueri.

Sed quieſcat conſepulta nunc ſub diruti Areopagi ruderibus, ac cineribus rigida hæc taciturnitas, cùm enim uſus, & conſuetudo inoleverit, ut exordium orationi præmittatur, & nullus ſit ex Oratoribus, qui exordium negligat, & omittat, ideo cenſeo ſaltem ob uſum, qui invaluit, eſſe exordia orationibus prætexenda, ne ſi omittantur, acephalos videantur oratores literarios fœtus producere. Hanc exordiorum neceſſitatem agnovit Polibius vir eruditione clarus: ait enim fieri non poſſe, ut finem conſequatur, qui principium non rectè fuerit auſpicatus; & videtur exinde conjicere, nullam eſſe partem orationis majoris momenti exordio; quod tamen non admittitur; cùm ſit pars adſcititia ad animos potiùs conciliandos. 2

Quamvis dicamus, orationem coaleſcere ex quatuor partibus exordio, propoſitione, probatione, & epilogo, non ita tamen id eſt intelligendum, ut nulla poſſit amputari. Exordium, ſi prudentia ſuggeſſerit, interdum omittitur. Cæterum ex Ariſtotele, duo ſunt exordiorum genera, neceſſitatis unum, & pompæ alterum: illud indicat finem, cujus gratiâ oratio fit, & verborum phaleras, ac deſcriptionum fucos reſpuit gaudens gravi ſermone incedere, pleno majeſtate. Exordium verò ad pompam elocutionis, ornatum affectat, ac elegantiarum venuſtatem; & dici non poteſt, quanti ſint in hac parte ex præceptorum redundantijs ſuperfluitates, quæ ſatiùs omitterentur: ſufficit enim, ſi orationi tale prætexatur exordium, quo orator introducatur ad ea, quæ in oratione Auditoribus proponere ſibi præfixit, & ſimul eorundem ſibi captet benevolentiam, ac attentionem. 3

EXPENSIO V.

De Exordiorum muneribus, & qualitatibus.

EXordium, quo Auditorum animi per quandam inſinuationem ad reliquam præparantur orationem, tria exercet munera, nempe facit Auditores attentos, benevolos, ac dociles. Attentionem ſibi conciliat Orator in exordio, ſi rei tractandæ magnitudinem enucleet, ut eſt illud Ciceronis *in Verrem. 7. Quid eſt! proh Deûm hominumque fidem! in quo ego Reipub. plus hoc tempore prodeſſe poſſim? Quid eſt, quòd aut populo Romano gratius eſſe debet; aut ſocijs, exteriſque nationibus optatius eſſe poſſit, aut ſaluti, fortuniſque magis accommodatum*, excitatur etiam attentio, ſi Orator dicat damna, quæ ex hac neglecta attentione oriri poſſunt, ut eſt illud Ciceronis in Catil. num. 4. *Atque ego, ut vidi, quos maximo furore, & ſcelere eſſe inflammatos, ſciebam eos eſſe nobiſcum, & Romæ remanſiſſe, in eo omnes dies, noctéſque conſumpſi; ut quid agerent, quid molirentur,* 1

rentur, ſentirem, ac viderem; ut quoniam auribus veſtris propter incredibilem magnitudinem ſceleris fidem faceret orationem, ut eam demum animis ſalutique veſtræ prævidiſtis, & cum oculis maleficium ipſum videritis.

2 Docilis redditur Auditor rei novitate, & promiſsâ, ac ſervatâ brevitate, adeò ut in exordio non protrahat Orator verborum ambages, ſed tantùm, quæ neceſſaria ſunt, ad conciliandam benevolentiam producat: ſunt enim, qui inani verborum garrulitate moleſtias potiùs ingerunt, quàm benevolentiam ſibi concilient; ſimiles pueris, qui ut ad interrogata non reſpondeant directè, per circuitus verborum ſatagunt, vel reſponſionem effugere, vel mendacium tegere. A propoſita brevitate Cicero attentos, ac benevolos Auditores ſibi effecit orat. pro Clu. 160. *Quibus de rebus mihi pro Cluentij voluntate nimium; pro Reipubl. dignitate parum; pro veſtra prudentia ſatis dixiſſe videor, atque ut exiſtimetis neceſſariò, me de his rebus, de quibus jam dixerim pluribus egiſſe verbis; attendite reliqua, profectò intelligetis: & quæ paucis demonſtrari potuerunt, breviſſimè eſſe defenſa.* A ſtructura etiam exordij excluditur verbum omne inſolens, abſoletum, antiquatum, Poëticum, & luxu diffluens. Benevolentia petitur à perſonis, à rebus, ab adjunctis perſonarum, & rerum. In perſona Oratoris ſpectatur modeſtia, officium, æquitas, publica utilitas. In Auditoribus ut eorum concilietur benevolentia commendanda eſt eorum nobilitas, innocentia, virtus, eruditio, ut monet Cicero Par 26. inquiens. *E quibus initia benevolentiæ conciliandæ parantur, aut meritis noſtris, aut dignitate, vel aliquo genere virtutis, & maximè liberalitatis officij, juſtitiæ, fidei.*

An verò exordium, quo orator reddit
3 Auditores ſibi benevolos, dociles, & attentos, componendum ſit poſt cætera omnia in oratione: plerique id adſtruunt; quod & verum cenſeo, ſed in ordine tantùm intentionis, non verò executionis; priùs enim, quò tendat, neceſſe eſt, Orator ſciat, ut viam, quæ illuc ducit, ingrediatur, cæterum in executione conſultiùs eſt ab exordio inchoare compoſitionem, cui meliùs connectitur propoſitio.

Poſſunt exordia ex pluribus erui fontibus.
4 In genere exornativo commodè deducuntur à viſceribus cauſæ, ſi explicentur proprietates rei, à qua metaphora deducitur. Si vellem orationem in genere exornativo texere in commendationem D. Hieronymi, qui Palæſtinam incoluit, & in Ægypto fuit commoratus pœnitentiæ causâ, per metaphoram poſſem eum Nilo fluvio æquiparare, eò quia flumine ſuæ eloquentiæ non tantùm Ægypti tractus, ſed orbem totum beneficè irrigaverit. Exordium igitur poſſet erui à deſcriptione Nili, cujus proprietates eſſent breviter recenſendæ; deinde per continuatam allegoriam in tota narratione virtutes Divi Hieronymi, & præſertim doctrinam, & eloquentiam, ac geſta omnia deberem Nilo æquiparare, & probare non ſolùm eloquentiâ, verùm etiam virtutum redundantiâ fuiſſe Nilum, ſeu flumen aquarum copiâ ditiſſimum, omnibus beneficum; & quia Nilus ſolet ſtatis temporibus Ægypti campos percurrere, & ſimul fœcundare, in quibus poſtea germinant locupletiores ſegetes, vernant amœniores flores, & fructus maturiunt dulciores, ita D. Hieronymus calamo, & voce adeò fuit in alios beneficus, ut ad culturam virtutem, ad ſtudia bonorum operum omnes allexerit. Si probare vellem Divum Cajetanum lampadem fuiſſe ardentem, & lucentem, poſſem exordium deducere à lucis præſtantia, & dignitate. Poſtea in narratione tranſirem à luce corporis ad lucem animi, & ſanctitatis, & ſplendorem virtutum, quibus Cajetanus enituit. Poſſem itidem in duo membra orationem partiri, ac evincere, non ſolùm exercitio virtutum luxiſſe, verùm etiam operibus charitatis exarſiſſe, ac propterea fuiſſe lampadem ardentem, & lucentem. In ſolemnitatibus illuſtrioribus, ut in die Natalis Domini, Paſchatis, Pentecoſtes, vel etiam in Paraſceve, & oratione funebri, exordia commodè etiam eruuntur ex abrupto, & tunc inſerimus ad excitandam lætitiam, argutias: vel ad ciendum affectum doloris triſte fatum, vel præmaturam mortem à circumſtantijs explicamus.

In Concionibus verò, quia plerumque 5
propoſitio probanda eſt particularis, & minor in ſyllogiſmo dialectico; tunc factu optimum eſt, ſi Orator majorem aſſumat pro exordio propoſitionem. Ut ſi velim probare eleemoſynas, quibus pauperibus opitulamur, pretium eſſe, quo regnum cœleſte emimus, hæc propoſito eſt particularis actus charitatis, Major propoſitio eſſet iſta, Charitas, quæ exercetur in proximum, nos beatos efficit: hæc igitur major propoſitio poſſet aſſumi pro exordio, & breviter poſſent amplificari prærogativæ charitatis. Poteſt etiam erui exordium ab ipſa occaſione orationis, quæ petitur ex parte argumenti comparati ad Oratorem, ad locum, & Auditores, ut à tempore, quo dicit; à materia, de qua loquitur, & hujuſmodi exordia plurimum habent connexionia eum re, de qua Orator loquitur; ſuntque exordia etiam particularia, & propria, eò quia difficulter alijs poſſunt accommodari materijs, quæ jisdem non veſtiuntur circumſtantijs. Quòd ſi propoſitio contineat paradoxum, non incongruum eſt, ſtatim in exordio concordare terminos diſcordantes, & oſtendere paradoxicam propoſitionem non eſſe incredibilem. Ut ſi fortunam adverſam vocarem *minorem iratâ*, quia propoſitio hæc eſt paradoxica in exordio explicarem nobis adverſantem fortunam occaſionem eſſe virtutis exercendæ; & uberioris meriti cumulandi, eò quia *de ſpe æternæ hæreditatis gaudium ſumant; quos adverſitas vitæ temporalis humiliat*, ut loquitur S. Gregorius *in Paſtoral.* Hinc probarem: *præ propitia, & favente fortuna adverſam eſſe eligendam.* Si vellem hanc aliam paradoxicam propoſitionem probare: *minorem mundum, majore eſſe grandiorem*, quia minor mund[…]s in-

telligitur homo in exordio, ut credibilem ſtatim oſtenderem propoſitionem, hominis prærogativas, & dotes oſtenderem, & quia ad imaginem DEI facta eſt anima, cujus capacitatem ſolus DEUS implere poteſt, declararem hoc pacto, quomodo minor mundus majore ſit grandior, cum D. Bernardus *in ſerm. dedic.* dicat: *Ad imaginem quippe DEI facta anima rationalis cæteris omnibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt; capacem enim DEI quidquid DEO minus eſt, non implebit.*

Quòd ſi ſupponamus in Auditoribus aliquod incommodum, vel præjudicium, ratione cujus ſuſpicari poſſimus non eſſe Oratori benevolos, tunc non abs re eſſet, exordium deducere à ſolutione hujus ſuſpicionis, & præjudicij, & proponere cauſas, quæ nos retrahere debuiſſent ab oratione. Cicero exordium ſuæ orationis in Verrem hoc pacto deduxit. Cauſas ſtatim attulit, cur licèt alios ſemper defendiſſet, nunc adigatur in Verrem invehere, eúmque accuſare. In concionibus tamen pulchriùs eſt à propoſitione particulari, quam probare Orator intendit, retrocedere ad univerſalem, adeò ut ab hac in exordio declarata ad particularem probandam in tota concione deſcendat, ut ſi vellem probare, nil nobilius, ac illuſtrius poſſe in viro Principe commendari exercitio juſtitiæ; quia eſt juſtitia virtus particularis, cujus nobilitas, & neceſſitas probanda eſſet in tota oratione; exordium deduci poſſet à commendatione, præſtantia, & dignitate virtutis in genere.

EXPENSIO VI.

1 *De Exordiorum diverſitate.*

Exordium à texendo ſuam ſortitur nomenclationem, eſtque metaphora deducta à textoribus, perinde ac procemium à Cytharedis, ut ait Magnus Aurelius Caſſiodorus in compendio Rhetoricæ: Munus præcipuum exordij eſt animum Auditoris ſuavitate, & gratia ita occupare, ut ad ſecuturam orationem ex toto audiendam non abſque deſiderio præparetur. Ut autem id muneris exerceat, exordium debet eſſe acuratum, in quo nil ſuperfluat, nilque ſit ſupervacaneum: ſit acutum, & contineat, quæ rara, & ingenioſa ſunt: plerumque etiam ſuis eſt ſententijs inſtructum, ſeu brevibus pronuntiatis complectentibus congruam doctrinam ad vitam, moreſque hominum ſpectantem. Si in exordio nihil redundet, & in eo offerantur rara, ac ingenioſa, intermiſceantúrque hinc inde ad docendum, & ſuadendum perbreves ſententiæ, Auditores non poteſt ſibi non conciliare, eóſque allicere, ac præparare ad totam concionem attentè audiendam: in quo ſenſu Rhetores aſſerunt, eam eſſe exordium orationis partem, in qua ſit motus, quod intelligitur diſpoſitivè, quatenus per exordium diſponuntur Auditores ad ſubſecuturum motum, ſeu ad affectum, quem Orator ciere intendit.

Exordia in plures dividuntur partes pro diverſitate fontium, è quibus hauriuntur, & præſertim ex locis communibus, quæ Oratori tot ſuppetunt exordia, quot ſunt ipſa loca. Quia verò ex ſexcentis, qui de arte Rhetorica ſcripſerunt, præſertim ex recentioribus paucos inveni, qui ad præcepta Rhetorica praxim addant, & tantùm nuda præcepta tradant, vel ſolum Ciceronem, vel alium ex antiquis Oratoribus citent, non videntur ſuis ſcriptis multum prodeſſe Concionatoribus, & Eccleſiaſticis Oratoribus. Marcus Tullius in Senatu peroravit, dundaxat in genere judiciali, & deliberativo in ordine ad Reos, vel defendendos, vel accuſandos: Concionatores verò ut plurimum in genere demonſtrativo, & deliberativo orant, ſuáſque orationes ornant ſerie eruditionum, ſelectis ſententijs: ac reconditis ſcripturarum interpretamentis, unde ſatiùs ſi producerentur in exemplar conciones Sanctorum Patrum præſertim Joannis Chryſoſtomi, qui fuit Orator nomine, & re aureus, & validiùs praxi edocet præcepta ſuadendi ad culturam virtutis, & fugam vitiorum.

Quia igitur puto, non fore opus inutile, operæ pretium duxi, præcepta tradere conficiendi exordia, & ijſdem ſubjicere praxin, ſeu exordium compoſitum ad methodum Concionis, ſeu orationis eccleſiaſticæ. In facultate Rhetorica ſicut nil faciliùs, quàm regulas tradere texendi orationem, omneſque ſuas partes, & amplificandi propoſitiones; ita nil difficilius, quàm ijſdem praxim addere accommodatam elocutioni, quæ magis huic ſæculo videtur arridere. 2

Primus igitur fons, à quo oriuntur exordia, poteſt eſſe ex abrupto, ut ſi vellem probare, militum licentiam eſſe omninò deteſtandam, ac coërcendam poſſem ex abrupto ſtatim in exordio redarguere militum licentiam, ac inſolentiam graſſante bello. Fit exordium ex abrupto ſine præparatione animi, ac conciliatione benevolentiæ, per quandam dicendi libertatem; & ſine lege proferuntur, quæ ſunt dicenda; quæ exordia, ſicut magis fervida ſunt, & incenſa, peculiarem habent dicendi modum. Hæc tamen exordiorum ſpecies duplicem exigit virtutem, quâ & animetur, & ornetur. Hæ virtutes ſunt prudentia & dignitas, quia ſine dignitate peccat nimia audacia; ſine prudentia non abruptum, ſed abſurdum erit exordium. 3

Idea exordij ex abrupto.

ITáne vindictæ rabies veſanos nudat gladios ad cruenta vulnera infligenda, humanos artus confodiendos, corporis membra trucidanda, & aliena corpora multiplici ſciſſu dilaceranda, quæ tot videntur ora aperire, quot vulnera, quibus humanam barbariem redarguant, deteſtentur? Itáne adhuc diremptum eſt fœdus humanæ ſocietatis, & homines ſanguinem ſitientes, non quem bibant, ſed quem fundant inter ſe ſæ manus conſe- 4

rentes humano cruore ſe ipſos nefandè temerant, furúntque inaudita barbarie? Itáne regalia ſceptra, & imperialia diademata ad id tegunt, & imperant, aliiſque leges imponunt, ut gladiorum terrore, ac bellicorum tormentorum exitiali tonitru populos evertant, interimant, ac perdant? Itáne magiſtratuum porpuræ non alio rubent colore, quàm ſanguine, & malæ artes omnia virtutis præmia poſſident? quæ non infert damna militum audacia? fidem violat, probitatem corrumpit, juſtitiam interimit, & virtutes reliquas ſubvertit. An non inſoleſcens militum licentia ſus, deque omnia vertit, & ſacra profanis ſacrilegè miſcet? humana jura proterens audet ſacra templa profanare, altaria ſpoliare, ac diripere; ſacerdotes ut victimas mactare? Itáne eò devenit vitium, ut tartareo dogmate edoceat ſacra polluere, divina contemnere, & ornamenta virtutum fœdare? Itáne amicitiæ ſanctum, ac venerabile nomen intermiſſione officiorum vileſcit, & capitalibus odijs adhuc diſſident fratres? & quos ſanguinis neceſſitudo ſimul junxit, exitiale odium dividit, ſuadétque nudare enſes, vibrare ſicas, cruentare gladios? Ita eſt vitium inſoleſcens, & non bellica virtus triumphat; & adhuc libidinum incendijs ſenectus ipſa frigida ſub canitiei nivibus æſtuat, nefandíſque amoribus tam Matronarum, quàm puellarum violatur pudicitia; adhuc homo divinæ legis contemptor vitiorum tyrannide ipſo judice damnatur, ipſo teſte convincitur, ipſo tortore cruciatur; ut hoc radicitùs extirpetur vitium: probabo, crudelem hominis tyrannum eſſe vitium, quod præſertim in militibus inſoleſcentibus pudicitiam violat, juſtitiam corrumpit, pietatem eliminat, candorem innocentiæ temerat, bonos mores corrumpit, & animam ipſam lethali noxa interimit.

5 Aliquando hæc ſpecies exordiorum fit per oſtenſionem propriæ dignitatis, ac virtutis, quo pacto Mutius Scevola, qui errorem brachij igne punivit, & extincto poſtea carbone accenſæ, ac abſomptæ manus ſuum inſcripſit nomen ære perennius: cùm furtim in hoſtium caſtra penetrâſſet, ut Porſennam Regem gladio confoderet, jamque ad regium ſiſtens tentorium, cùm ignotâſſet, quis Rex eſſet, Scribam pro Rege interfecit, ob quod comprehenſus & ad Regem ductus: ex abrupto per oſtenſionem propriæ virtutis orationem incepit apud Livium *lib. 2. Romanus ſum civis Caj, Mutium me vocant; hoſtis hoſtem occidere volui, nec ad mortem minus promptus animus eſt, quàm fuit ad cædem, & facere, & pati fortia Romanum eſt.* Nonnunquã fit per interrogationẽ, ut eſt illud exordium Ciceronis in Catilinam: *quoadusque tandem abuteris patientia noſtra Catilina? &c.* Qua dicendi forma videtur violenter impetere Auditores, & ſimul quaſi impatiens ſine introductione arguit ſcelus Catilinæ.

6 Secundus fons petitur à viſceribus cauſæ, ſeu ab intrinſecis rei principijs: ut ſi quis vellet milites fortes in bello laudare, poſſet orationem inchoare ab hoc Theoremate: gloriam non comparari niſi poſt exantlatos labores, & virtutem ſine adverſario marceſcere: ſuámque haurire virtutem nomenclationem à viro, eò quia virtus inſtar fortiſſimi viri, magna, & ardua aggreditur, quapropter dicitur à Seneca eſſe avida periculi, & cogitare quò tendat, non quid paſſura ſit, eò quia in tenebris adverſitatum ſplendeat clarior, & tunc floreſcit vegetior cum imbre rigatur ſudoris, vel etiam ſanguineis madet pluvijs, quia victrices palmæ alio non creſcunt epotæ liquore, niſi eo, quem frons laboribus defatigata ſpargit, vel quem inflicta vulnera fundunt. Ut ad Lydium lapidem aurum, ſic in adverſis, & cùm adverſarijs virtus probatur: probant enim adverſa homines virtute præditos: neque clareſcerent viri fortes, ſi adverſarijs caruiſſent. Hercules cum Centauros fuit aggreſſus, eóſque debellavit, ſpecimen dedit propriæ virtutis: Jaſoni ideo Poëtarum commenta plaudunt, quia ingentia pericula in navigatione Colchica exantlanti, & horrenda diſcrimina in rapiendo aureo velle generosè deſpicienti. In Panegyricis orationibus ſolet etiam adhiberi exordium erutum à viſceribus cauſæ; ut ſi vellem probare D. Dominicum fuiſſe facem ſplendentem, & ardentem, qualem in ore canis vidit pia mater in ſomnio; eò quia ſplenduerit ſanctitate, & omnigenæ virtutis radio; & exarſerit charitate: exordium panegyricæ orationis poſſet à viſceribus cauſæ fieri de lucis præſtantia, & dignitate, & hoc præmiſſo grata concinnitate poſſet ab Oratore fieri decurſus, ſeu tranſitus à luce corporis ad lucem animæ, ſeu ſanctitatis, & ut laxior pateat amplificandi campus, & uberior ſuppetat dicendi ſeges, in plures partes poteſt dividi propoſitio probanda, ſcilicet D. Dominicum arſiſſe, ut accenſam facem è cœlo in terras delapſam charitate, quâ mundum inflammavit ad Dei amorem; & zelo, quo plures animarum myriades è faucibus orci extraxit: & ſplenduiſſe ſapientiâ, quâ jacentes in tenebris, vel errorum, vel peccati illuminavit; fulſiſſe humilitate, patientia, pietate, prudentiâ, miraculorum patratione &c. A viſceribus cauſæ ſi oratione panegyrica vellem immaculatam Virginis Matris Conceptionem commendare, non quærerem ut alij apud Iſocratem Helenam illam Martis, Veneris luctuoſam facem, in quam venalis linguæ Myrocheria, laſcivientis ingenij divitias Sophiſta Pictor effudit. Verùm, quod præſtò ſtatim eſſet Virginis immaculatam conceptionem Auroræ compararem in lucem poſtea edituræ divinum ſolem Chriſtum. Exordium igitur à viſceribus cauſæ texerem commendando ipſam lucem, quæ tenebras fugat, & umbras excutit.

Idea Exordij eruti à viſceribus cauſæ.

7 TAndem puella toties mundi jam propè ſeneſcentis, ac ærumnarum pondere preſſi, ac oppreſſi, precibus, ac votis expetita, fœcunda in Annæ alvo concipitur, quinquaginta fermè ſæculorum opus, quæ à mundi cunabulis uſque ad ejus conceptionem effluxêre. Iudeæ, Montana, & juga, imò & omnes terrarum regiones ſalutari hoc nomine conceptionis Virginis Matris exultaverunt, & divinum ſolem è Virgine naſciturum omnes mundi plagæ ſunt lætatæ. Auroram ſplendidam, & umbras omnes fugantem, omniſque virtutis nitore fulgentem fateamur conceptionem Virginis; quia Solis Mater, & filia non ſolùm omnes mœroris, ac triſtitiæ tenebras abegit, & divinæ gratiæ radijs fugavit, verùm etiam umbram Originalis labis, quam cæteri contrahunt, quia gratiâ plena, ſplendoris plenitudine longiùs à ſe excluſit, & prohibuit. Auroram fateamur hanc conceptionem, ex quâ ingentes tartari caligines naſciturus divinus Sol erit excuſſurus. Auroram fateamur hujus Puellæ conceptionem, quæ nullam contraxit caliginoſæ labis umbram; imò divini amoris roſas, ac puritatis lilia per vniverſos terræ campos diffudit, perinde ac Aurora floridos dicitur imbres ſpargere. Salve igitur Solis Mater, è cujus ſinu veluti è ſponſæ thalamo eſt proceſſurus, qui ut gigas exultabit. Salvam te advenire gaudeo ex noſtræ originis nocturna caligine ſine nube ſerenam, ſine labe candidam, ſine umbris ſplendidam, ſine ſpinis roſeam, ſine ſentibus floridam: & meritò; cùm enim ſit aurora Solis pictura, umbram non habet, ſed peccati tenebras fugat, & tota ſplendeſcit immaculata, tota candida ſine macula: cæleſtis Pictor lucidus phæbus aureis radiorum penicillis, cùm ſurgit aurora montium capita pingit, ſed ſine umbris, quas fugat; ſine tenebris, quas excutit. Decuit igitur divinum ſolem propriam pinxiſſe Auroram abſque umbra peccati originalis: Eja igitur Virgo, & Mater, quàm bene, quàm beatè poſſum cum Eccleſia mirari, ac dicere: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens.* Probabo igitur decuiſſe, hanc auroram ſine umbra orriginalis peccati concipi.

8 Tertius fons peti ſolet ab adjunctis, quorum uberrima ſeges eſt, ac multiplex: ſumitur hæc ſpecies exordij, vel à perſona adverſarij, vel à propria perſona oratoris, vel à tempore, vel à loco, adeo ut ex hoc fonte tot ſcaturiant exordia, quot ſunt adjuncta, ſi Princeps mortalitatem exuat tempore, quo pluviæ cadunt, ab adjuncto temporis poſſet exordium peri, & ab Oratore dici: adeo ingens eſſe damnum, quod mundus totus in nece Principis eſt paſſus, ut elementa ipſa triſtata ſint, & in pluvias fuerint lacrymarum ſoluta, proprium expreſſura dolorem, aërem atraro nubium velo obduci voluiſſe, ut huic Principi parentaret. Sed detur hoc thema *inimicus hominis eſt homo*, ſi tempore belli vellet Orator hanc propoſitionem probare ab adjunctis præſertim temporis, & loci poſſet exordium eruere.

Idea Exordij deducti ab adjunctis.

HIſce triumphantis Libithinæ diebus, quibus Bellonæ in area diremptum eſt fœdus humanæ ſocietatis, & homines inter ſe ſe manus conſerentes, & gladios gladijs inſerentes, ac vulnera infligentes gloriam ſibi ex humano ſanguine comparant, vobis concionaturus de familiari, ac intrinſeco hominis hoſte ſub initijs ſtatim in pugnas, conflictus, ſtrages, ac cruentas clades offendi Gradivi in campo, ubi victrices non germinant palmæ neque triumphatrices vireſcunt lauri, niſi humano ſanguine irrigatæ: ubi orbatæ Libithinæ truculenta falce non ſcinditur gloriæ meſſis niſi haſtata ſegete priùs horreſcant campi; ubi non lætantur, nec gaudent *Martis*, veriùs dixerim *Mortis* aſſeclæ, niſi undantia explicentur vexilla infauſta procellarum omina, bellica obſtrepant timpana, ac fulminales retonent machinæ: ubi ferro judice, & violentia accuſatrice nulla agitatur lis, niſi feriatur cæſim, punctim, eminus, cominùs, & ſanguine madeant ſaucia corpora, & mucro, quamvis cruore ebrius adhuc ſitiat, hominum neces, ac ſtrages. Sed ſi hæc bella graſſantur exteriùs; pejora ſunt, quæ in ſtatu naturæ lapſæ interiùs pravi affectus commovent contra rationem, quam iraſcibilis nititur evertere, & concupiſcibilis tetra caligine obſcurare, & interimere: inſurgunt utriuſque appetitus iraſcentis, & concupiſcentis pravi, ac effrænee affectus, qui toto niſu, totóque conatu ſatagunt eam adoriri, laceſſere, oppugnare, expugnare, ut expugnata cecidit in noſtro Protoparente. Neque ſuis deſtituuntur armis rebellantes in portionem hominis ſuperiorem, ac nobiliorem utriuſque appetitus inferioris inſurgentes paſſiones: ænea tormenta flammas evomentia inflammatæ iræ ſunt rixæ: caſtrenſis pulveris emiſſa caligo lucem, diémque abripiens fumus eſt ſuperbiæ, quæ non ſolùm ſerenum rationis ſplendorem plerumque extinguit; verùm etiam totum hominem ad lacrymas cogit. Mucrones, enſes, gladij, acinaces, & alia armorum faſtigiata genera punctæ Veneris ſunt illicia. Probabo igitur hoſtes hominis eſſe ſenſum, ac carnem rebellem Rationi, & inimicum hominis eſſe hominem, ac ſe ipſum. 9 10

Quartus fons petitur ex abundanti, ſeu à diviſione, & fit, cùm Orator aſſerit, tantam copiam eſſe ſibi dicendorum, ut neceſſe habeat multa præterire, quò libentiùs aliquibus tantùm inhæreat, quæ præ cæteris velit laudibus excipere: & hæc exordiorum ſpecies adhiberi potiſſimùm poteſt in orationibus panegyricis quando merita, & virtutes alicujus

Cœ-

Cœlitis laudamus. Si vellem commendare paupertatem Divi Franciſci Seraphici ex abundanti ita texerem exordium.

Idea Exordij deducti ex abundanti,

11 Icareos me erupiſſe in auſus fateor, dum cereis imbecillis eloquentiæ alis ad ſolem Seraphici Franciſci propiùs auſim avolare. An non quot nitidiſſimis coronatur veluti Phœbus radijs, tot ſplendet Franciſcus virtutibus? ſi ſyderum turmæ planetarum à principe, qui proprij luminis eſt faber, ſuos hauriunt ſplendores, quibus aëreo rutilantes in theatro ſuo famulantur principi: ego tamen perinde ac Mercurius planetarum infimus, qui propè Solem perpetua quaſi cæcutit eclypſi omni deſtitutus luce; ante tot Franciſci virtutes quaſi opprimor, & eclypſim paſſus, ac cæcutiens, quo me vertam, neſcio; hoc unum tantùm fateor, inopem me copiam feciſſe. Nam quem virtutis ſplendorem cæteris præferam? Juſtitiam? Eſt quidem præſtantiſſima virtus, quæ integritatis amaſia nullo patitur vitio frangi; ſed fortitudo ei non cedit. Fortitudinem præferam? At obedientia, quia flexilis ad omnem nutum palmam ei ſurripit. An præponam temperantiam? Non inficior, maximum eſt animi ornamentum, ſed ſapientia claret illuſtrior: ergo anteponam ſapientiam? ſed hæc temperantiæ juncta laudabilior eſt. An præponam animi ſubmiſſionem, quæ virtus gaudet in umbris clareſcere? At huic non cedit magnificentia, quæ altior erigitur. Præferam caſtitatem? quæ nitidiſſimum lilium in areola animæ excultum ſuaviſſimum Cœlitibus efflat odorem? At puritatis nivibus non cedunt charitatis flammæ, inter quas virtutum cultor perinde ac metallorum princeps aurum perficitur purius, & nobilitatur illuſtrius. An miſericordiam præ cæteris virtutibus commendabo? Quâ Franciſcus in alienis miſerijs levandis, in pauperum ærumnis abigendis, in plorantium lachrymis exſiccandis, in afflictorum doloribus leniendis aſſiduus fuit, & ægrotantium xenodochia frequenter luſtravit; cibo, & hauſtu languentes inſtauravit, & ſpiritualia pharmaca dulciſſimæ elocutionis alienis adhibuit infirmitatibus? At huic non cedit paupertas ſpiritus, quæ eſt animi gemma rutilans, pudicitiæ decor, comes naturæ, commendatio famæ, cuſtos virtutis, fundamentum honeſtatis, norma innocentiæ, teſtis puritatis, ornamentum vitæ, ac reliquarum virtutum ſplendor. Ne igitur omnino inopem me copia faciat, & elinguem cæteris omiſſis virtutibus hanc unicam commendabo, quam Franciſcus excoluit, paupertatem ſcilicet, quâ aurea Saturni ſæcula revocavit. quando homines.

Malebant tenui contenti vivere cultu,
Nec ſignare quidem, aut partire limine campum.

Probabo igitur, D. Franciſci paupertatem auream revocâſſe Saturni ætatem, &c.

12 Quintus fons petitur ab excitatione deſiderij, quo Orator cuperet uberiori diteſcere eloquentia, & ut virium incrementa ei ſuppeditarentur, ut condignis laudibus ſapientiam, vel virtutem alicujus inſignis viri poſſet, ut par eſt, commendare. Ut ſi vellem D. Joannem Chryſoſtomum laudibus excipere ob auream ejus eloquentiam, & in animo eſſet probare excelluiſſe ſupra Demoſthenem Athenis, & ſupra Ciceronem Romæ, ac veræ Chriſtianæ eloquentiæ attigiſſe ſuprema faſtigia, exordium deducerem per optationem.

Idea Exordij deducti ab excitatione deſiderij.

13 Utinam ea mihi fandi facultas à ſapientiſſimo rerum omnium Opifice daretur, ut Chriſtianam eloquentiam, auream Chryſoſtomi ſuadam, & flexanimam ejus facundiam, ſeu admirabilem illam ſcientiarum omnium reginam aliqua poſſem hodierna die in tabula vivis adumbrare coloribus, ſuiſque abſolvere numeris, ac vobis ſiſtere, veſtriſque ſubjicere oculis. Videretis potentiſſimam illam animorum dominam, quam Areopagi Judices adeò pertimuerunt, ut illam viribus deſtituerint, ejúſque membra mutilaverint jubentes Oratores, ut exordium, & epilogum, quæ maxima ſunt animorum pertractandorum inſtrumenta, amputarent. Videretis illam artium reginam, quæ reliquas ſcientias omnes in lucem publicam, & in ipſius gloriæ theatrum pertrahit. Videretis illam regnorum gubernatricem, quæ Reſpublicas ſancitis legibus ſtabilit, & eaſdem vigente juſtitia florere facit. Videretis illam animorum imperatricem, quæ ignavis ſpiritus addit, ſeditioſis impetum, & audaciam detrahit, cordis duritiem emollit, concupiſcentiæ motus coërcet, prava deſideria compeſcit, iraſcentis animi impetus retundit, voluntatem ad culturam virtutum inflammat, & hominem, prout ipſi magis libuerit, flectit, & in eam, quam voluerit, partem pertrahit: ſed quia ad id mihi vires non ſuppetunt, vos ipſi vobis repræſentare, quam poſſitis clariùs intueri viraginem aliquam naturæ dotibus omnibus exornatam, gemmis, monilibus, annulis illuminatam, armillis decoratam, corporis decore venuſtam, faciei ſplendore amabilem, ex cujus ore catenulæ tenues auro, electróque confectæ pendeant, ac multitudinis circumfuſæ auribus alligatæ per aures animos attrahat, taliter ut nemo de fuga cogitet, ſed omnes, & ſinguli ſinant ſe trahi. Probabo ergo hanc viraginem auream eſſe eloquentiam, quâ D. Chryſoſtomus innumeras gentium multitudines ad virtutum culturam, Numiníſque obſequia pertraxit.

14 Sextus fons peti poteſt ab aliquo Apologo, cui adnectatur invocatio, ut ſi in laudem D. Joſephi panegyricam vellem orationem texere, poſſem probare tantæ fuiſſe virtutis, ut

ut eam aſſequi non valeam, & exordium deducerem à fabula hoc pacto.

Idea Exordij deducti à fabula per apoſtrophem.

15 Fingite Poëtarum commenta Phaëtontem illum ſolis filium, cùm ad ſui Patris regiam acceſſiſſet, & in radiantem multiplici ſplendore vultum conjeciſſet, ſtatim contriſtiſſe purpurea veſte, & in fonte lucis caligines hauſiſſe, quibus cæcutijt, adeo ut divinum ejus ferre lumen non valuerit, & facem ſuam contexerit.

—— Donec genitor circum caput omne micantes
Depoſuit radios, propiuſque accedere juſſit.

Hoc idem mihi hodierno die obtingere experior, nam dum accedere ad Divi Joſephi laudationem contendo, ejus virtutis jubare adeo afficior, ut perſtricta oculorum acies propemodum cæcutiat, & quò ſit eundum, non videat: argumenti magnitudo animum percellit, & ſanctitatis claritas caligines offundit, quibus perſtricta mens, quas præ cæteris debeat virtutes commendare, non videat. Tu igitur Mariæ Sponſe, & JESU Nutricie, cœlitúmque Auguſtiſſime, ne caligantibus oculis te hodie aſpiciam, depone parum promicantes illos tuarum virtutum radios, & propiùs me ad te accedere permitte, ut laudationibus corollam tibi ſiſtere valeam. Non me latet, non eſſe humani ingenij ſumma tuarum virtutum attingere faſtigia, propterea aliquot duntaxat è tuis areolis, quos ad ſummam ſanctitatem excoluiſti, decerptos flores delibabo; ut ex ijsdem perinde, ac ex ungue conjicere poſſimus leonem.

16 Septimus fons petitur à contrario, & fit cùm Orator ſtatim ab initio probandam ſuſcipit cauſam contrariam; deinde confutato oppoſito id probat, quod intendit in exordio. Ut ſi vellet Orator probare veras divitias non acquiri, niſi in paupertate ſpiritus, poſſet ſtatim confutare divitias, hoc pacto.

Idea Exordij deducti à contrario.

17 MOntium ſylvas in maris planities transferant auro, qui inhiant, ac divitias ſitiunt, & amputatas proceres arbores ſcalpro carnifice in navium dilacerent ſtructuram, ut artis induſtria ſimul compingat ad procelloſi pelagi coërcendos fluctus. Procelloſa enavigent maria, vaſtos trajiciant ſinus, luctaturæ cum Euris, Notiſque naves, ut è Peroanis viſceribus erutum aurum vaniſſimæ ambitionis aurâ impellente in Europam transvehant, ubi aurum, & argentum veluti terrena Numina à pleriſque coluntur, non ſecus ac olim inſanus populus immane Nabuchodonoſoris ſimulacrum. Argenteæ fiat divitum menſæ, aurea vaſa, gemmis illuminata ſcrinia, in thalamis auro illitis ſopitis ſenſibus indormiant divitijs affluentes; in auro cœnent, aureis poculis ſalutem amicis propinent, ut quod Regum capita conſueverat metallum tantum cingere, nunc etiam Bacchum coronet: auri, & argenti acervos cumulent; Provinciæ fiant tributariæ, & non minus quàm flumina mari ſuas profundant divitibus opes. Fœcunda Ceres horrea repleat, Erithrei litora pretioſiores uniones ſuppeditent; frigidæ Scytarum cautes prælucentes adamantes: aurum excruciata Indiarum viſcera. Quid ni? non ideò dives quis, & felix cenſendus erit, ſed pauper, & miſer, ſi cenſu deſtituatur meritorum: quamvis gemmis, & auro clareat, ſi careat ornamento virtutis, non illuſtris fulget, ſed obſcurus ſordeſcit, quia veræ divitiæ virtutes ſunt animi. Probabo igitur pauperes eſſe mundi divites ſine cenſu virtutis.

Octavus fons petitur ab aliqua quæſtione inſigni; quæ exordij forma ob rei novitatem animos Auditorum demulcet. Ut ſi vellem probare, aurum plus mali adſerre mundo, quàm ferrum exordium à quæſtione inſigni poſſem deducere proponendo an plus boni, vel mali mundo aurum attulerit. 18

Idea Exordij eruti à quæſtione inſigni.

QUis non aſſereret maximè eſſe hominibus utilitati aurum, cum ipſum domus conſtruat; magnifica, ac ſuperba palatia erigat tantæ celſitudinis, ut videantur homines quaſi Titanes cœlum conſcendere, & lapidibus ſydera ipſa expugnare: vel audaces Promethei non amplius ignem, ſed lucem ipſam ſolis abripere, cùm in terras nonniſi prægrandes umbras transferant, quæ ab ipſis ſparguntur ædificija, ſolis radio parietum clypeos objicientibus. Quis non aſſereret aurum maximæ eſſe utilitati, cùm ejus beneficio, ac profuſione artium exercitia vigeant, urbes in immenſum dilatentur, mœnija, ac propugnaculis muniantur; templa omni ſupellectili ornata aperiantur; Baſilicæ ampliſſimæ conſtruantur, & ut loquitur Amianus de antiquis Romanorum ædificijs in modum Provinciarum, erigantur non ad uſum tantùm rerum ſacrarum, ſed ad jucundiſſimam etiam oculorum oblectationem, ubi enim etiam prædura marmora inflectuntur effigies expreſſura Divorum, qui adhuc finguntur in ſaxis vivere, licèt æterna donentur in cœlis beatitate. Adſunt in noſtræ ætatis templis columnarum ſylvæ, quæ parietes non ſolùm fulciunt, verùm etiam ad ſingularem magnificentiam ornant: Epiſtylia columnis ipſis imponimus, quà Dorica leviſſimo ſupercilio guttis, tœniiſque per oram, & marginem flexis; quà Jonica orbiculis diſtincta creberrimis, volutis, involucriſque quaſi capillamento quodam utrinque criſpata; ubi aſpiciuntur fornices mira inter ſe arte coeuntea: auro fulgentia laquearia, diſcoloribus incruſtata marmoribus ipſa ſacella, vermiculato opere contexta pavimenta. Be- 19

nè

nè hæc omnia, ſed ſi damna perpendimus, quæ mundo aurum attulit, longè majora ſunt, quàm ipſa commoda hactenus recenſita. Video enim ab auri ſacra fame fractam fidem, violatam juſtitiam, effuſum innocentem ſanguinem, horrere haſtata ſegete campos, ſuccendi mapalia, & domos; diripi aliena, dimicare milites, vulnera infligi, humanum ſanguinem fundi, & in eodem vitam hominis extingui, æquari ſolo civitates, in pulveres ruere ædificia, violari ſanctas leges, & omnia ſus déque verti, & everti. Probabo igitur aurum putidam eſſe radicem malorum omnium, pluſque afferre incommodi, quàm ferrum, imò & ferrum ipſum acuere in perniciem hominis.

Nonus fons petitur à ſimilitudine, quando ea exhibemus, quæ aliquam præſeferunt ſimilitudinem cum propoſitione ab Oratore probanda. Ut ſi vellem evincere, virtutem non acquiri niſi poſt plures ſuperatas difficultates, à ſimili ducerem exordium.

Idea Exordij deducti á ſimilitudine.

81 NUnquam rideret tellus, illíque arrideret cœlum, niſi ſeneſcentis anni poſtliminio redux verna temperies niveam rigiditatem fuiſſet annus expertus. Nunquam telluris facies rideret floribus, luderet viretis, arrideret amœnitate, niſi priùs gelu concreta obriguiſſet, & alta nive ſepulta jacuiſſet; nunquam mutata ſcena vernis teporibus cœlum inciperet omne miteſcere, nec terra mille aperiret deliciarum theatra, niſi gelidis priùs ſoluta compedibus ab aſperis dulcia exoriri didiciſſet: nunquam admirationis ille partus Iris nomine decoratus tot characteribus, quot fulget variatus coloribus in ipſis aëris procellis ſpem futuræ ſerenitatis pictam in nube nobis ſuſpiciendam exhiberet; niſi gravidæ minarum nubes veluti gigantes aëreo in campo, Phlegræa tanquam in area cœlum laceſſere, terrámque interturbare priùs viderentur. Perinde virtutis gem̃a nunquam acquireretur, niſi illius indagatores difficultatem in Oceano, veluti in Erittæo fluctuantes eam expiſcarentur, ac ſi virtus nonniſi è pelago effuſi ſudoris, ut nobiliſſimus unio, & margaritum pretioſiſſimum conſurgat. Probabo igitur pellucidam virtutis gemmam non acquiri niſi poſt multas ſuperatas difficultates.

Decimus fons petitur à comparatione, vel à majori ad minus, vel à pari. Si vellem probare, eloquentiam eſſe veram rerum dominatricem, & per eam gubernari civitates, ac ſanctiſſimis legibus muniri; poſſem exordium texere comparando eloquentiam cum Imperatore.

Idea Exordij deducti à comparatione.

QUid magis commendandum in Imperatore putamus? An quia mira corporis agilitate, artuúmque dexteritate equum generoſum in crepidine peranguſta moderari, ac flectere ſciat? vel quia equo morſum reſpuenti inſidens recto corpore, cruribúſque compoſitis eundem minimè cicurem habenis, & calcaribus exerceat, quem repetito curſu, & recurſu ſurſum, deorſum defatiget, frœnóque moderetur? An quia ſciat in caſtris milites ducere, ad pugnam ſtimulare, ſimul componere, aptare campum, & ad certum ſcopum dirigere agmina, ordines diſtribuere, percurrere, ſubſiſtere, circuire, reſiſtere, inſtare, diſſimulare, & phalanges mutare in cornu, dividere in forficem, acuminare in pyramidem? ſed licét hæc in caſtris dentur viro imperanti laudi: etiam flexanima eloquentia animos movet, quos flectit, verborum lenocinijs mulcet, dicendi venuſtate delectat, & orationem veluti exercitum diſponit, argumentorum ſpiculis munit, reſponſionum clypeis vallat; hoſtem aggreditur Palladis in area, ubi claſſicum canit, cùm proludit, militaria explicat vexilla cùm propoſitionem profert, telorum nimbos evibrat, cùm argumenta intellectus acumine producit; tonant fulminales machinæ, cùm inardeſcit in ciendis affectibus, & tandem pugnat cum adverſario, & triumphat, cùm in eam, quam vòluerit partem flectit, & trahit: ipſa eſt, quæ animos flectendo in liberis etiam mentibus dominatum exercet. Probabo igitur, talem eſſe eloquentiæ vim, & authoritatem, ut rerum, & animorum cenſenda ſit dominatrix.

In Panegyricis orationibus hæc ſpecies exordij plurimum habet aucupij; ſi pro Immaculata Conceptione Virginis Matris probanda ſumerem illud thema Canticor. 7. *Caput tuum ſicut Carmelus*, in exordio poſſem deſcribere montem illum; deinde comparare eum cum conceptione Immaculatæ Virginis tali pacto. Ut enim ſublimi faſtigio Carmelus veluti propinquos inter montes aquila altiùs ſe extollit, ac ſupereminet; ita ut montiũ Regi ipſa ſydera videantur coronam ex piropis, ſeu carbunculis intexere: ſic Virginum Regina ſupra humanæ Majeſtatis limites decora proceritate excellit, ac toto vertice ſupereminet, ut mirandum nemini ſit, ſi communem hominum ſtaturam auguſta magnitudine excedit, quæ ſervile ſceleris hæreditarij jugum non ſubierit: unde ſi Carmelo ſydera ipſa diadema intexunt, etiam Joannes ſyderibus illam vidit redimitam, *Et in capite ejus corona ſtellarum duodecim.*

Undecimus fons deducitur à tempore præſenti, & circumſtantijs, ut ſi Orator vellet probare, licitum eſſe, animum ab ſtudijs remittere ferijs Bacchanalium poſſet exordium texere à circumſtatijs temporis.

Idea Exordij deducti à tempore præſenti, & circumſtantijs.

26 FAs eſt ſinamus calamum quieſcere, ac libros indormire, ut animi relaxationi genio, & ingenio geſtientes indulgeamus. Fluunt ter optati dies, quibus à ſtudijs ſolet animus remitti, ut vires, & ſpiritus reſtaurentur, cùm reſplendeant apparatu menſæ, gula triumphet, venter exultet, culinæ laborent, penuaria vacuentur, cœnaeula repleantur, amicorum domus frequententur, plateæ lætis vocibus reſonent, & in foro ſingula grato permiſceantur tumultu. Cùm pueri, juvenes, viri, ſenes, puellæ, & matronæ, heri, & famuli, herulæ, & ancillæ ſerenam exporrigant frontem lætantes, diéſque feſtos agant, æquum eſt, ut gymnaſia claudantur, ſcholæ taceant, Magiſtri ſileant, ſtudioſi exhilarentur, nihilque cum libris habeant negotij, ſed cum cibis; nihil cum intellectu, ſed cum hauſtu, ita tamen ut per eſculenta, & poculenta vires reſtaurentur, non opprimantur; ſpiritus reſarciantur, non mores diſſolvantur; & mens vegetior poſſit ſtudia reſumere. Probabo igitur animum eſſe ſubinde remittendum, quò validiùs interruptis ſtudijs operam præſtet.

27 Duodecimus fons petitur ab hiſtoria eruenda ex antiquis monumentis; & tunc narramus præclaram aliquam hiſtoriam, quâ initium demus Orationi. Si vellem concionem texere, & oſtendere, nihil firmi, ac conſtantis habere dignitates, ac divitias, poſſem exordium ducere ab hiſtoria Belliſarij, qui licèt ſummis inſignitus dignitatibus, ac divitijs affluens, ad eam devenit paupertatem, ut adactus fuerit ſtipem quærere mendicatò.

Idea Exordij deducti ab hiſtoria.

28 QUamvis in ſummo dignitatis faſtigio ſplenduerit Belliſarius populorum ille terror, Martiſque fulmen, qui hoſtium ſanguine pluries ſibi purpuram tinxerat, & victrices palmas irrigaverat, impetitus tamen novercantis fortunæ impetu in imum delabitur ærumnarum factus fortunæ ludibrium, qui fortunas Regum, ac divitias victore quondam pede conculcaverat. Spectat nunc orbis Belliſarium ærumnoſum, ac infelicem, cujus virtute bellica, & gladio ſteterat Imperij felicitas: videt Roma pannoſum, lacerum, ſordidum, ac inopem, quem paulò ante militum copiæ cinxerunt ad terrorem incutiendum hoſtibus: audit Belliſarium petentem obolum, quem antea viderat divitijs affluentem; videt ſeminudum, quem auri, & argenti laminæ in morbido holoſerico induebant: videt imbres lachrymarum fundere eum, qui Bellonæ in campo flumina effuderat hoſtilis ſanguinis. Hiccine ille Belliſarius imperij gloria, Regum deliciæ, Barbarorum terror, hæret mendicus ad fores templi, & obolo caret, qui pluribus victorijs claruit? Hiccine Belliſarius populorum quondam amor, imperij clypeus, Martis nervus, militum gloria, hoſt.ium terror, nunc ſedet mendicus, jacet in pulvere, ſqualore obſitus, fame exhauſtus, vir ibus deſtitutus? Hiccine Belliſarius! qui ſceptru.m manu tractavit, nunc ſcipionem gerit, cui labentes innitantur vires, & cumulos miſeriarum, pondera ærumnarum, quibus premitur curvis humeris, baculô ſuſtentet? Hiccine Belliſarius! qui antea plurimo auro fulgens ſolem videbatur æmulari, quot micantibus gemmis ornatus, tot veluti redimitus ſtellulis; nunc detritis pannoſis veſtibus ſordeſcit in pulvere ſimul ludibrium puerorum, ac temporis? Oh fortunæ temeritatem! itáne ludis in capita Principum? modò blandiris, nunc ſævis; modò erigis, nunc deprimis: Oh fluxas rerum humanarum viciſſitudines! ſphœricus eſt mundus, ſtare difficultet poteſt, ad minimum auræ flatum circumvolvitur, ut diſcamus nil ſtabile eſſe in hac mortali vita, ſed omnia fluxa. Probabo igitur hujus ſphœrici globi inconſtantiam, ut veluti in ſpeculo mundi vanitates, ac rerum vices inſpiciatis.

29 Tertius Decimus fons poteſt peti à deſcriptione alicujus rei comparandæ cum ſubjecto, in cujus commendationem orationem teximus. Si vellem perorare in laudem D. Bernardi, qui ob aſſiduam Dominicæ paſſionis meditationem pingi ſolet cum inſtrumentis ejuſdem, pro inventione, ſeu allegoria continuata ſumerem florem Granadillam, qui omnia Dominicæ Paſſionis inſtrumenta exhibet, & probarem D. Bernardum excellentiâ virtutis æquâſſe hunc florem, ex cujus deſcriptione conficerem exordium.

Idea Exordij deducti à deſcriptione.

E Pervana, & Mexicana ditione ortus florum patientiſſimus divini amoris digito vitalibus inſcriptus doloribus ad noſtram tandem appulit Europam à tellure fœcunda, facundo exceptus plauſu, ubi hortorum excultæ areolæ, ac virenti coronatæ myrtho benefico hunc florem fovent in ſinu, cuj & aura adblandiens favet. Flos eſt nomine Granadilla, in quo pœnæ tranſeunt in voluptates; ſupplicia in delicias, & cruciatus in floridas amœnitates; ſingulos non patientiſſimi Arabiæ Principis cruciatus, ſed Redemptoris dolores, & omnia dominicæ Paſſionis inſtrumenta in florum patientiſſimo expreſſa videmus. Extima per ambitum ſolia in aculeos extenuantur, ne lanceæ deſint cuſtodiæ floris acceſſitæ; purpureo diſtinguitur flos filamine, ne tantæ paſſioni effuſus deſit ſanguis: intus cruenta flagra licèt in floridæ voluptatis pompam contexta vireſcunt: quin & ſaxum in germen emollitum columnam exhibet ex atrio crudelitatis ad piam floris ſtructuram transmigratam: intumeſcit ſpongia quondam felle imbuta, quæ licèt in ſinu floris reſideat, amaritudine tamen animum replet contemplantis refricatâ Dominicæ paſſionis memoriâ; ſurgunt ibi modò

ter-

terni, modò quaterni clavi anim'a dulciter configendis ad pietatem acc mmodati. Fiorei & ſpinea corona, quæ licèt floreis compacta frondibus, ſi non caput, mentem tamen pungit intuentis, qui ſi non comp ngatur, ſaxeus ſit. Videmus etiam hoc in flore lanceam ſine acumine, eò quia in vulnerato noſtri Redemptoris pectore retuſa fuit. Quòd ſi non placet Dominicæ Paſſionis inſtrumenta in floridas contracta notas rele ere; vivam magisque expreſſam Dominicæ Paſſionis imaginem exhibebit D. Bernardus, qui verus Granadillæ flos ſingula Dominicæ Paſſionis inſtrumenta jugiter memoriâ fovit, quo ijsdem configeretur.

31 Quartus decimus fons petitur ab aliqua fabula; hæcque exordiorum ſpecies plurimum habet amœnitatis, ac leporis: rideretur tamen Orator ſi in narranda fabula graves ſententiarum figuras adhiberet: quodam potiùs lepore eſt fabulæ narratio condienda, & tunc plurimum præſefert venuſtatis, & ad excitandos, ac exhilarandos Auditorum animos non parum conſequitur roboris. Exordium ductum à fabula fit hoc pacto. Primò amœnâ, ac feſtivâ narratione producitur fabula comparanda in fine exordij cùm ſubjecto, de quo loquimur. Inſignis eſt fabula Dodonei fontis, ſi tamen fabula eſt, cùm à pleriſque verus habeatur naturæ luſus; fons eſt, qui varios diffluens mane per Meandros, aquarum copiâ inter ſaxa blandè admurmurat placidè ludit; à Meridie tamen, horíſque ſingulis pomeridianis ad occaſum ſolis uſque deficit omni deſtitutus humore. Fons iſte ijs congruit, qui exercitia virtutum exorſi, ſenſim poſtea tepeſcunt, & in medio curſu totaliter deficiunt: unde Orator in genere deliberativo ad perſuadendam Auditoribus perſeverantiam à deſcriptione hujus fontis poſſet exordiri.

Idea Exordij petiti à fabula.

32 DUlciſono murmure per ora eruditorum ſemper effluxit fons ille Dodoneus, ſuis clarus laticibus, cujus ſcaturigo prærupto exiliens ex ſcopulo pellucidas ſuas undas in ſubjectam ſcrobem conchæ ſimillimam effundit elegantia naturæ mirabili, tanquam artis ingenio marginatam: argenteam crederes concham, in qua argentei ludunt latices, qui foras exilientes per pratorum amœna ripas oſculantur, floribus redimitas; defluentis enim rivi crepido floſculis veluti monilibus vermiculata, viridíque gramine veſtita plurimum adfert ſolatij, & hauſtûs, quo vireſcit vegetior, & floret jucundior: at ubi admurmurantes latices per Floræ ſinum flexuoſo Meandro diffluunt, illicò evaneſcunt: quia cùm primùm ſol pleno jubare meridiem attingit ſuum ſubit fons occaſum, exicatur, emoritur, evaneſcit. An non eos fons Dodoneus exhibet, qui licèt cum laude exercitia exorſi virtutum, ſenſim poſtea tepeſcunt, & medio in curſu deficiunt. Probabo igitur perſeverantiæ neceſſitatem, ſi aures veſtræ grato ſilentio meæ patebunt concioni.

33 Quintus decimus fons exordiri etiam poteſt præſertim in genere demonſtrativo cum laudamus aliquem ex præcipuis Cœlitibus à præclaro aliquo effato, vel dicto viri, vel dignitate inſignis, vel ſanctitate celebris.

Idea Exordij deſumpti à dicto illuſtri. 34

REgius Vates magnanimus ille Iudæorum Rex, qui è caula ad aulam per jugulatos leones, proſtratos gigantes, debellatos Philiſtæos ac victoriarum cumulos ſibi ſtravit, David inquam Sanctiſſimus Propheta Numinis immenſitatem, ac divinarum perfectionum pelagum nullo circumſcriptum litore explicaturus timuit, ne magnitudine perfectionum obrueretur, maluítque in has duntaxat erumpere voces, quibus & propriam ſatius eſt exilitatem, & ſimul Dei incomprehenſibilem explicuit magnitudinem, inquiens: *Confitebor tibi Domine quoniam terribiliter magnificatus es.* Hoc idem mihi obtingere non ſolum animadverto, verùm etiam ſentio, cùm vaſtum, ac propemodum immenſum illud laudationis Virginis Matris Oceanum parvâ meæ orationis cymbâ traijcere præſumo. Quis enim fundum ſperet, ubi nullus eſt finis? Quis appelere ad portum poſſit, ubi laudum immenſitas in immenſum extenditur. Etenim ſi ejus humilitatem intueor, abyſſus eſt; ſi pudicitiam prodigium; ſi celſitudinem, vadum ſine fundo; ſi gratiam, eſt cœleſtiis doni miraculum inenarrabile. Hinc vereor, ne hunc ſi traijciam pelagum exigua mea laudationum navis in ſcopulos, ſyrthéſque impingat. Verùm quia non omnis ſpes abeſt ex hoc Oceano aliquas ſaltem adnitar guttulas extrahere, vobíſque exhibere, nam ut ait Poëta: ſi deficiant vires, audacia juvat, &c.

Laus erit in magnis, & voluiſſe ſat eſt.

35 Sextus decimus fons peti etiam ſolet ab aliquo proverbio; etenim vellem probare grandi dignitate inſignitum, non tyrannidem, ſed clementiam debere exercere, exordium texerem à vulgato aliquo adagio, cujus veritas hominum mentes occupet.

Idea Exordij elaborati ab adagio.

36 TRitum eſt illud adagium, *Honores vel mutant, vel monſtrant mores.* Quippe qui dignitas tanquam Lydius lapis illius mores indicat, qui ad honorem, ac dignitatem evehitur; nam vitia, quæ ſtatûs humilitate tegebantur, ac veluti umbris obducta latebant, honoris ſplendore deteguntur; unde adveniente honoria luce, ac ſplendore, qualia ſint vitia Principis patet; diu enim nequeunt latere,

quæ ſuper montis cacumina collocantur: non poſſunt non irradiare gemmarum turmæ Regium ornantes diadema: non poſſunt non elucеſcere planetarum principis aurei radij, quibus tota depingitur tellus; non poſſunt non patere ſublimium arborum pendula poma; ſic vel vitia, vel virtutes inſigniti dignitate ſtatim gradûs ſublimitate omnibus pateſiunt; juxta tritum illud adagium. *Honores monſtrant mores*: Probabo igitur dignitatis adminiſtrationem à virtutum nobilitate non debere degenerare; nec ullam elationis, ac gloriæ titillationem virtutis ſplendorem obnubilare; ſed debere in Prælato virtutum omnium ornamenta emicare: adeò ut cùm hilaritate gravitas, cum majeſtate humanitas cohæteant.

37 Decimus ſeptimus fons petitur ab aliquo apophthegmate præclaro, ac illuſtri: Apophthegma autem ſemper eſt dictum breve, rotundum, ac ſententioſum; plurimum autem accipit decoris ab illuſtribus perſonis, quibus maximè tribuuntur Apophthegmata; ut ſunt Pontifices, Imperatores, Reges, ut eſt major para Apophthegmatum Plutarchi, qui in hoc genere libellum inſcripſit, quem Trajano Imperatori dicavit, ab apophthegmate ſic conficere poſſem exordium. Probabo divites non vivere ſine curis, ac timore amittendi ea, quæ poſſident.

Idea Exordij deducti ab Apophthegmate

38 CYnicus ille Diogenes, qui canino dente improbos omnes mordebat, cui Magni Alexandri ſplendores umbræ fuiſſe vetuſtatis fatentur monumenta: qui divitias veluti vitia aureo pectore fugiebat, interrogatus à quodam Phyſico, cur aurum metallorum ſcilicet purpuratus princeps, hominúmque Numen impalleſceret, quod homines non minùs, quàm Nabuchi ſimulacrum hiſce temporibus flexo poplite colunt. Reſpondit Cynicus: *Palleſcit aurum, quia plurimos habet inſidiatores; pallent enim, qui metuunt.* Oh dignam immortalitatis ſententiam benè! inſidias debet extimeſcere aurum, quod omnes lædit leges, ac jura proculcat, verecundiam, ac pudorem abigit, pudicitiam violat, juſtitiam temerat; integritatem frangit; dignitates facit eſſe venales; imò fabula mera credatur, quod vulgò dicitur adamantem ſolùm ſanguine emolliri. Quid enim auro eſt efficacius etiam in ſaxis emolliendis? Jure igitur expaveſcit, cùm tot ſit ſcelerum reus. Irruit in Hieroſolymitanum templum Eleazari cupiditas, auri ſcilicet magnes, ſed ibi etiam ferrum invenit, quo temeritas puniretur. Infelix metallum, nullibi tutum, neque in ipſo templo! meritò impalleſcit, cùm ubique inſidias paveat. Oſtendam igitur divitias non poſſideri ab hominibus ſine curis, ac ſolicitudinibus, cùm aurum ipſum ſemper inſidias timeat, ait Seneca. *Propter hoc uxorum, maritorúmque noctes obſtrepunt litibus, & Tribunalia Magiſtratuum premit turba.*

A pluribus alijs fontibus poſſunt exordia hauriri, ſed hactenus recenſiti ſunt communiores. Recordor, me concionatores etiam primæ notæ audiviſſe ſuas exordiri conciones à ſimplici expoſitione, ac diviſione concionis: an verò melius ſit partiri orationem; an ingenioſius artem occultare, & Auditorem ſuſpenſum tenere, utrumque mihi videtur opportunum pro diverſitate temporis, & perſonæ. Alij etiam exordiuntur à laude Auditorum, vel ſacræ ſcripturæ, vel ab aliqua prophetia, vel figura veteris teſtamenti, vel etiam ab aliquo axiomate theologico, aut à gravi ſanctorum Patrum ſententia. 39

EXPENSIO VII.

De Exordijs in genere demonſtrativo, deliberativo, & Judiciali.

GEnus demonſtrativum ſicut occupatur in alienas laudes promovendas, & virtutum decora commendanda, natum eſt ad pompam; quapropter ejus exordia multiplici debent flore variare, veſtiri phaleris, ac ornari elegantijs. Ut plurimum exordia in genere demonſtrativo petuntur ab adjunctis perſonarum, locorum, temporum, ac rerum: & ea videntur illuſtriora, quæ per inſignem aliquam hiſtoriam fiunt, cui ſtatim ſubjectum laudandum accommodetur. Ut ſi vellem laudare magnificam ſtructuram templi Divi Petri Romæ in Vaticano à munificentia Pontificum conſtructam, poſſem orationem in genere demonſtrativo exordiri ab hiſtorijs, vel alijs ædificijs, quæ à mundo condito fuerunt illuſtriora, cujuſmodi fuerunt ſeptem illa, quæ inter mundi miracula recenſentur. 1

Idea Exordij in genere demonſtrativo.

NOn me latet ſeptena illa prodigioſa magnitudinis in mundo opera, tantum ſibi conciliâſſe laudis, ut inter mundi miracula fuerint recenſita; cùm tamen fuerint vaniſſimæ jactantiæ argumenta. Mirum ſanè quantum mundus deprædicaverit, ac pluribus exceperit laudibus ſimulacrum illud Olympij Jovis, quod ex Ebore, & auro Phydias ſupra cæterorum Artificum æmulationem eximius conſtruxit. Mirum quantum commendaverit Coloſſum illum in Rhodo Inſula tam ingentis molis, ut ſub ejus pondere tremere terra ipſa videretur; quemque Cares Lydius conſtruxit. Mirum quantum laudaverit ingens illud Epheſinæ Dianæ templum, in quod Aſia tota ſupra centum annos deſudavit, & Reges opes ſuas inſumpſerint, architecto Cteſiphonte. Mirum quantum extulerit laudibus giganteos illos Babylonis muros, quos trecenta hominum millia imperante Semiramide conſtruxerunt. Mirum quantum laudaverit portentoſum illud Mauſoli Cariæ Regis ſepulchrum, quod evocatis ex orbe toto præſtantiſſimis ar- 2

phici-

tificibus Artimiſiæ in maritum amor elaboravit. Mirum quot præconijs exceperit memoratiſſimas illas Ægypti pyramides, quarum maximam trecenta ſexaginta ſex hominum millia vix annorum viginti ſpatio perfecerunt. Mirum quantum commendaverit celſiſſimam illam turrim nomine Pharum Regis Ptolomæi opus, quæ trajicientibus maria ſuo ſplendore nocte illuni portum præſignabat. Sed licèt non diffitear hæc ædificiorum molitiones plurimum fuiſſe ab hominibus commendatas, imò & veluti Orbis, & artis miracula omnium admirationem ad ſe traxiſſe, neceſsè tamen eſt, uni cedant artis, & munificentiæ miraculo, quod Pontificum liberalitas Romæ in Vaticano in honorem conſtruxit Principis Apoſtolorum: *ut unum præ cunctis fama loquatur opus.* Oſtendam quanta ſit ejus magnificentia; quam facilè poteſtis vobis imaginari, ſi conſidereris vaſtiſſimam molitionem, & in ea quadratas opere lateritio pilas, quibus tholus: totúmque ædificium nititur: ingentes ſupra pilarum abacos fornices impoſitos, concamerata tecta, roſis aureis collucentia; lunularum hæmisphœrium muſivo depictum; aras, ac ſacella Numidico, Luculeo, Punico contecta marmore, cruſtulis, ac teſſellis inſititijs ad omnem elegantiam vermiculata, lithoſtratum pavimentum nunc quadrata, nunc orbiculari figura, nunc varia, ac propemodum infinita coagmentatione diſtinctum; extremum templi proſpectum perpetuo Tiburtino lapide definitum, veſtem & ſupellectilem ſacram, lucernas, aulæa, periſtromata.

3 Cæterum Exordia in genere demonſtrativo potiſſimùm deſumuntur ab adjunctis, ut habet Lucianus de ſaltatione apud Cauſſinum, inquiens: Antiochiam, locum nobilem celebrem quondam urbem copioſam, audiviſtis; at quid de Antiochenis ſim narraturus, nemo veſtrûm fortaſſe cognovit. Fuerunt illi non ſolùm vernulæ urbanitatis, ſed & ſaltationum, ut ſcenica urbs ferebat, quàm ſtudioſiſſimi; tum in judicando ita acres ut exilia quæque ad cenſuram revocarent ſuam. Illic hiſtrio ſanè non invenuſtus: ſed ut belliſſimis ingenijs amplam iſtam corporis ſpeciem plerumque natura denegavit, corpore erat perpuſillo: hic cum in ſcenam prodjiſſet Hectorem ſaltaturus omnium exclamatio audita eſt: *Hectorem expectabamus, Aſtyanactem videmus;* quod ridiculum, ſi quis in me non magnæ expectationis homulum, feſtiviùs hodie torqueret, ferrem naturæ vicem, neque hominis inurbanitati ſuccenſerem; ſed tamen oratum vellem, ne quid ante datam ſaltationem diceret.

4 In genere deliberativo exordia plena ſunt gravitatis, neque curioſiùs elaborantur, nil tamen vetat, ut ab exemplo aliquando deſumantur. Quia verò hoc exordiorum genus dirigitur ad ſuadendum, vel diſſuadendum, ideò debent exordia in genere deliberativo ſemper peti ab aliquo fonte, ex quo rivuli ſcaturiant pleniores, quique ſitim penitus extinguant, ſeu plenè perſuadeant oratione, quam exordiuntur: quinimò interdum majorem habent efficaciam præſertim in diſſuadendo, ſi fiant ex abrupto. Ut ſi Orator vellet diſſuadere Bacchanalia, quæ à Chriſtianis inſtituuntur, & mores ſolent corrumpi, poſſet ex abrupto in genere deliberativo ſuam ordiri orationem hoc pacto.

Idea Exordij in genere deliberativo.

INtima cordis dolor occupet, & acerbior 5
cruciatus viſcera torqueat, ſimúlque iræ, ac indignationis flammas accendat, quibus ferventiori æſtu poſſit lingua contra effrœnem bachanalium licentiam invehere. Itáne orgiophantæ fœdiſſimi, oppleri ventris mancipia, & vitiorum aſſeclæ facti ſunt, qui Chriſti ſequi veſtigia profitentur? Itáne hisce diebus, quibus nullo coërcita frœno licentia mores corrumpit, pudicitiæ candorem deturpat, & virtutis honeſtamenta fœdè coinquinat; ventri, Baccho, & Veneri inſerviunt Chriſtiani divina contemnentes præcepta, & virtutum exercitia à ſe longiùs abigentes, ac ipſis belluis deteriores liberi hominis naturam violant; & rationis præſtantiam communi cum brutis commercio confundunt? Prô DEUM immortalem; vivunt Chriſtiani, ſed qua luce, quo pabulo, quo hauſtu? Pro luce vitiorum ingrediuntur caligines, pro eſculentis ventrem onerant, & opprimunt, pro hauſtu mentis lumen extinguunt ebrietatis caligine. Ubi nunc Chriſtiani nominis dignitas, ubi decor honeſtatis, ubi exercitium virtutis, ſi vitium omnia corrumpit honeſtamenta virtutum? Si luxuria impuro ſuo æſtu pudicitiam labefactat? & effrœnis licentia modeſtiæ repagula disrumpit? Adeò ne hominem piget hominis, ut monſtroſam malit formam induere, & larvâ aſcititiâ propriam delere ſpeciem, quàm qualis ſit homo prodere? Adeóne Chriſtianos nos eſſe tædet, ut vitæ turpitudine nomen velimus religioſum mentiri; & pro Chriſto Bacchum, pro cœlo ventrem colere? Mihi concedite, quotquot adeſtis, ut quo poſſum ſpiritu, qua valeo energia, ac voce deteſter hodierna die hunc bacchanalium morem, ut radicitùs extirpetur. Demonſtrabo enim, quantas parturiant bacchanalia malorum congeries in hominum detrimentum, in exitium animæ.

In genere Judiciali exordia plerumque 6
eruuntur ab adjunctis rei, perſonæ, & cauſæ gravis. Libanius in Oreſte à cauſa gravi utitur hoc exordio in genere judiciali. Equidem hic arbitrabar, & ſic in animum inducebam meum, mihi poſt infinitos angores, atque ærumnas, quas ego formidoloſi temporis acerbitate animo, & corpore exantlavi, æquiorem tandem aliquando fortunam noſtris rebus fore. Videbam enim omnes quotquot ſunt mortales, modò quidem miſeros, modò fortuna-

tunatos, & me hominum conditione natum, ſperabam tempus illud viſurum, quo ſi non planè recrearer animo, ſaltem inter ſaxa, & ſolitudines ferarum comes perpetuus, meas deplorarem miſerias, & repentino lachrymarum fonte dolorum incendia reſtinguerem. Sed longè ſecus accidit, quàm opinarer, ita me dirus & inſatiabilis Alaſtor exercet, & calamitates per ſua veluti veſtigia reflectuntur, & nunc integer ille homo me ad veſtrum tribunal adducit, ut miſeram animam, quàm Scyllæ, & charybdes, aut miſericordia, aut contemptu reliquerunt, ante veſtrum tribunal, ſi poſſit, exhauriat.

7 Plurimum in genere judiciali habent roboria exordia, ſi petantur à circumſtantije rei, perſonarum temporis, loci, ac inſtrumentorum.

Idea Exordij in genere Judiciali.

INtueor vultus veſtros aliàs ſerenos, & pacatos Judicee nunc perturbatos, & indiguatione quadam accenſos, & præ indignitate patrati homicidij confuſos, quia animos veſtros diei illiue recordatio ſubit, quo hic reus vir ſumma audacia nihili faciens ſancitas leges in omnium civium conſpectu nulla exorta cauſa miſerum hujue urbis civem inflictie pluries vulnerbus crudeliſſimè confodit, trucidavit, occidit. Sed ſi mihi de veſtrorum ſenſu animorum liceat judicare, adhuc mihi videre videmini objectum, confoſſum, cruentatum, ac multiplici vulnere ſaucium, calamitoſi hominis cadaver, quod omnium civium lachrymae excitat, querelas movet, & omnium triſtitiam fovet: neſciunt viri lachrymas continere, neque matronæ querelas comprimere, quia juvenes, & ſenes, puellæ, & matrimonio junctæ patratum ſcelus deteſtantur, ac promeritas pœnas expoſcunt, ut terrore ſuppliciorum coërceantur alij ab hisce deteſtandis ſceleribue patrandis. Quòd ſi hæc cogitatio veſtros animes ingenti dolore perfodit, adhuc tamen lætantur ſperantes fore, ut ab hac urbe hujusmodi ſcelera non ſint impunè abitura, quia ſedent pro tribunali, qui jura æquitatis tuentes, mala quæque, & ſcelera ab urbe ſatagunt averrere. Idque cauſæ, cur hodie ad hanc accuſandi Provinciam conſurgam, cum hoc officium à me jure quodam ſuo etiam exigere videantur triſtiſſimæ urbis querelæ, & præſertim mœſtiſſima contrucidati civis conjux nunc vidua, ejúsque multiplex proles derelicta, & miſerijs oppreſſa. Veſtrum igitur eſt, Judices, forti eſſe in hac cauſa animo, & qua par eſt conſtantiâ judicare, & quamquam patratum homicidium non ignoreris, quomodo tamen, quo loco, tempore, quibus inſtrumentis, & absque ulla legitima cauſa, geſtum ſit vobis, exponam.

De Exordij virtutibus, & vitijs 9

Expendimus formas texendi exordia in quovis dicendi genere, quod verò ad ſacram exordiendi rationem pertinet; exordia concionum puerilia quæque reſpuunt; verborum redundantias excludunt; & vanæ elocutionis phaleras abigunt. Continent enim eloquentiam, ſed ſine affectatione; candorem, ſed ſine fuco; gravitatem, ſed ſine tumore, quia tamen exordia Auditorum animos etiam in ſacris concionibus permulcent, & alliciunt, neceſſe eſt ſint accurata, & acuta, apta verbis, inſtructa ſententijs, ornata venuſtatibus; illuminata acuminibus, & brevia, quia prolixitas attentioni ubeſt, & benevolentiæ officit: rurſus debet exordium proportionem ſervare cum tota concione, adeo ut exordium ſit nona, vel octava pars concionis, perinde ac caput per ſymmetriam perfectam humano corpori correſpondens nonam non excedit partem. 10

Exordij vitia ex Quintiliano *lib. 1.* ſeptem recenſentur, vulgare, commune, commutabile, longum, ſeparatum, translatum, contra præcepta. Vulgare eſt, quod in plures cauſas eſt accommodatu facile, & ab omnibus paſſim uſurpatur: Commune quod multiplici materiæ poteſt convenire: commutabile, quod paucis mutatis facilè eſt in plures partes flectere: longum, quod verborum redundantia, ac ſententiarum flexibus ultra quam par ſit, producitur? ſeparatum eſt, quod non ex ipſa cauſa ducitur, nec ad cauſam pertinet, de qua agitur: translatum eſt, cum ignorato genere cauſæ, aut dociles pro attentis, aut attentos pro benevolis faciendis Auditorum animos mutat: contra præcepta, quia nullo modo Auditorum animos ſibi comparat, nec conciliat. 11

Præ cæteris illud exordium commendatur, quod clarè, ac dilucidè rem probandam veluti pollitum, terſúmque ſpeculum exhibet, & ad illam ſternit viam: ut eſt, quod deducitur ab hiſtoria, quæ cum ſubjecto, de quo loquimur, confertur. Ut ſi Orator probare intenderet B. Virginem ab Archangelo Gabriele ſalutatam fuiſſe ſplendentem Auroram mox pariturum mundo ſolem juſtitiæ; poſſet exordium cum Porcenſibus deſumere ab hiſtoria Hadriani Imperatoris hoc pacto. Non me latet, Hadrianum Cæſarem concitato curioſæ voluptatis affectu perculſum emergentem horis antelucanis Auroram Eoo ab horizonte, ut aſpiceret, Martiano teſte, montem Æthnam conſcendiſſe: atque inde ſurgentem tremulis primo radijs veluti arcum in cœlo pulcherrimum; tum aureum quaſi circulum non ſine ingenti geſtientis animi lætitia conſpexiſſe. Sed ut imitari hunc videar Imperatorem; auroram divinum ſolem ſecum deferentem vobis prævio coruſcamine oſtendam, in editiſſimos ſacræ ſcripturæ colles verecundo modeſtæ orationis conatu conſcendere nitar, atque inde prodeunte è cœlo primum legatione ſuſceptâ Gabrielem ſalutantem

Mariam auroram, tum exortum juſtitiæ ſolem IEſum Chriſtum è ſinu virginali prodeuntem intuebimur. At quid hic me aſſecuturum ſpero, cùm Salomon ipſe Regum ſapientiſſimus ingenuè fateatur à ſe penitus ignorari viam viri in adoleſcentia, ſeu æterni Verbi ex Virgine generationem? quid balbutire hîc potero, ubi Prophetarum linguæ ſilent, & ſapientia ipſa hebeſcit? non enim cùm ſermo inſtituitur de Verbo ab æterno Patre, & mente divina prolato, & noſtra induto humanitate: quid aliud ratio poteſt, quàm admirari, neque eloquentia quid aliud meditari quàm ſilentium: ſiquidem conſulere humani ingenij vires, cùm divina Majeſtas, ut noſtræ conſulat infirmitati, humanam ſibi aſſumit naturam; & factâ tranſlatione de loco proprio ad non proprium metaphoram virgineo facit in utero, temeritati mihi verteretur, & arrogantiæ. Ornamenta, totámque eloquentiæ pompam tumido faſtu extollere, ubi divinitas ipſa ſubmittitur, in concinnam foret Antitheſim exhibere: ad jocantis elocutionis confugere argutias, ubi inter anguſtias uteri virginalis immenſitas coarctatur, perinde eſſet ac ex oppoſitorum pugna cupreſſos legere, non palmas metere. Facundiæ aperire rivulos, ubi æternitas in humanitate aſſumpta tempore clauditur, & gloria miſerias induit, ſuperbientis animi eſſet notâ redargui: nam ſi tot inter rerum naturalium cauſas, quas è naturæ ſinu diligens eruit inveſtigator reperta nondum eſt Rinocerotis origo; certè fas eſt deſperet hic humana induſtria, ſi incarnati Verbi imaginetur poſſe originem invenire, ac explicare. Idque cùm ita ſit, pluſque admirationis, quàm eloquentiæ myſterium hoc cœlis adorandum, & terris obſtupeſcendum, ac venerandum exigat, ſublimes conſcendam ſacræ ſcripturæ colles, ut hujus auroræ ſplendorem aliquem intueri valeam, vobiſque indicare.

EXPENSIO IX.

De Propoſitione.

1 IN Concionibus nulla ut plurimum adhibetur narratio, ſed ſtatim in calce exordij additur propoſitio probanda in concione, quæ eſt ſynopſis, ac ſumma totius concionis: eudem enim pacto, quo fruges in ſemine continentur, ita tota vis, & ratio concionis includitur in ipſa propoſitione, quæ plurimum ſolet habere aucupij, ſi proponatur cum aliqua novitate. Eſt propoſitio, ut ſuperiùs innuimus pars eſſentialis, non aſcititia, & circa quam verſatur tota oratio, & ad quam evincendam omnia diriguntur concionis argumenta. Sed ſi propoſitio vulgaris fuerit; & trita, plena eſt tædij, præſertim apud eruditas aures.

Hinc ut propoſitio Auditorum animos ſibi conciliet, & attentos faciat, veſtienda eſt
2 aliqua novitate, quæ tamen intra limites veri contineatur. Si dicam tribulationem Dei amicos vexare, & probare, continetur intra limites veri; ſin autem dicam, tribulationem eſſe paradiſum hujus vitæ mortalis eſt ultra verum. Poteſt propoſitio proponi interdum ſub duplici capite ad uberiorem amplificandi ſegetem, ut in Evangelio de ſurdo, & muto poteſt propoſitio dupliciter diſcuti, primò agi poteſt de obſtinatione peccatoris detrectantis Dei verbum audire: & poſtea, quòd neſciat loqui, ſeu rectè operari.

Poteſt etiam exhiberi propoſitio ſymbo- 3
licè, & tunc contingit, cùm per ſymbola, & imagines exponitur; & hic modus exhibendi propoſitionem plurimum habet illicij, ac delectationis; ut ſi concionator acturus de obedientia proponeret commendandum Iſaacum ſub paterno cultro, & ſub hoc typo omnes obedientiæ proprietates expenderet. Vel poteſt proponi cum aliqua ſimilitudine, ut ſi ſub ægroti imagine tota pœnitentiæ ratio explicetur, & loco propoſitionis diceret Concionator velle ſe modum docere curandi infirmum optimis pharmacis abſque ullo ſumptu. Vel poteſt pingi aliqua figura inſtar inſtrumenti, ut ſi orator acturus de puritate diceret, ſe velle deſcribere, & eloquentiæ coloribus pingere formoſam Virginē, nobilem, venuſtam, gracilem; cui vultus ſit tranquillus, frons ſerena, nulla mæroris, aut iræ rugoſitate contracta; cui ſupercilia non ſint ad audaciæ notam convexa, ſed oculi humilitate dejecti, os multiſcium, color albus, quo veſtiuntur in hortis lilia.

Trita eſt in hoc genere avaritiæ quadriga 4
apud D. Bernardum à quatuor enim vehitur vitiorum rotis, quæ ſunt puſillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis oblivio. Jumenta quadrigam trahentia ſunt tenacitas, & rapacitas, quibus unus præeſt auriga, habendi ratio. Propoſitio ut attentionem conciliet, poteſt etiam proponi problematicè ſuſpendendo Auditorum animos, ut ſi Orator probare velit mundi illecebras declinandas eſſe ut noxias poteſt propoſitionem problematicè proponere: utrum potiora, ac graviora ſint mala, vel bona quæ è mundi illecebris oriuntur: hæc propoſito eſt problema utrinque diſcutiendum, ut etiam hæc alia: an aurum plus utilitatis, quàm damni mundo attulerit. Propoſitio ita problematicè expoſita, latiorem aperit campum amplificandi, & uberiorem ſuggerit Oratori materiam diſcurrendi. Propoſitio abſoluta plurimum continet amœnitatis, ac illicij, ſi fiat comparativa. Sit propoſitio abſoluta: pœnitentia utilis eſt animæ, & corpori: ſi fiat comparativa hoc pacto: Pœnitentia majorem affert utilitatem tum animæ, tum corpori, quàm quælibet lætitia hujus vitæ, uberrimam ſuppeditat amplificandi ſegetem, quia poteſt inde Orator percurrere omnia hujus vitæ ſolatia à partium
enumeratione. 5

In propoſitione etiam poteſt fieri tranſlatio de genere ad genus, ut ſi velim commendare virtutem, a contrario dicerem nil eſſe deteſtabilius vitio. Vel ſi velim probare nil honeſtius, ac utilius, quàm Deo ſervire, dicetem

rem n'l turpius inveniri poſſe, quàm mundo, carni, ac diabolo famulari, in fine tamen laudanda eſſet virtus, & commendandum Dei ſervitium. Reduci etiam poteſt propoſitio in paradoxum, ſi proponatur inſtar ſententiæ, quæ ſit præter hominum opinionem, & quæ conſtetur ex contradictorijs, ut ſi dicas, paupertatem divitijs abundare, & è converſo divitias paupertate laborare. Vel tunc DEUM maximè noſtrûm meminiſſe, cùm maximè videtur obliviſci; & in hiſce propoſitionibus ſemper fit tranſitus de corpore ad animam: ſi enim dicatur paupertas dives; *paupertas* connotat privationem auri, & argenti. *Dives* indicat virtutes animæ: & hoc tranſitu de corpore ad animum plures fiunt propoſitiones paradoxicæ, quæ Auditores maximè alliciunt, & quadam ſuavitate perfundunt.

6 Propoſitio præſertim in panegyricis, ut ſingularis ſit, ac plurimum contineat aucupij ad benevolentiam Auditorum captivandam aliqui ſolent tradi modi, quibus diverſimodè variatur.

7 Primò comparativè; ut ſi dicam, licèt hodierna die ſol in cœlis nobis non illuceſcat, neque arrideat, utpote nubibus obductus: vobis tamen ex hoc ſuggeſto ſolem oſtendam ſine nube ſplendidum, ſine vapore coruſcum, ſine eclypſi decorum: is eſt D. Thomas Aquinas, qui ſuæ doctrinæ radijs totam illuſtrat eccleſiam.

8 Secundò problematicè; ut nondum Græcia apud ſe concluſit, utet magis grande illud magni cognomentum promeruerit Gregoriuſne, an Baſilius: nec mihi minus labori dum id dubij diſſolvo, obruor enim utriusque magnitudine.

9 Tertiò ſi vitam alicujus; ſeu normam, quam ſervavit in omnibus, ac ſingulis ſuis actionibus pro regula proponamus, quam cæteri imirentur, & ad cujus amuſſim proprias componant actiones. Ut ſi laudandus ſit vir æquiſſimus illum proponamus, ut ideam viri juſti, quem cæteri ſtudio addicti juſtitiæ imitentur.

10 Quartò ſi propoſitio exhibeatur per modum allegoriæ continuandæ in tota panegyrica oratione: ut ſi Sanctum Cajetanum dixerim vetum in terris fuiſſe Phœnicem, qui in divini amoris rogo vitam hauſit, non ampliùs Libithinæ obnoxiam, & è Methanææ cinerario ad melioris lucis uſuram evolavit. Debet poſtea in oratione panegyrica tota Sancti Cajetani vita allegoricè cum phœnice conferri.

11 Quintò ſi ex triplici bono animi, corporis, & fortunæ ſeligatur laudandum bonum animi cæteris perfunctoriè tantùm inſinuatis: ut ſi dicam D. Franciſcum eò fuiſſe quovis terrigena locupletiorem, quò virtutibus, quæ veræ ſunt animæ divitiæ, alios antecelluit.

12 Sextò ſi propoſitio exhibeatur per modum quæſtionis; ut ſi quæram quanto honore fuiſſent Ethnici Philoſophi proſecuti S. Antonium Abbatem, ſi ſummis virtutibus, quas ipſe inter ſentes, & vepreta eremi excoluit, noviſſent. Quas enim diviſas, & ſparſas commendârunt in pluribus, collectas in uno Antonio ſummis excepiſſent laudibus.

Septimò ſi proponatur per concordiam diſcordem, ſeu oppoſitorum conflictum, ut cum dicimus, humilitatem ad id ejus cultores in ima demittere, ut ad ſublimiora elevet; umbras clariores eſſe meridiano ſole, & ipſam de fabula triumphare Anthei, cum ex depreſſione vegetior erigatur, fabulam enim Anthei in hiſtoriam transfert. 14

Octavò ſi per modum Paradoxi dicas, fame, & ſiti lautè virtutem refici. Opum neglectu, & paupertate diteſcere virum religioſum. De viro aſceta, qui ad libidinem atteudam manum igni admovit, diceres. Primus hic docuit extinguere ignibus ignes. 15

Nonò cùm aſſumitur res inventu difficilis, ut ſi dicerem, D. Cajetanum fuiſſe motum illum perpetuum, quem Philoſophi hactenus non invenetunt, eò quia in procuranda proximorum ſalute nunquam quievetit. 16

Decimò ſi ſubjectum, de quo loquimur, omen ferat ex nomine ejusdem, tunc idem omen aſſumitur in propoſitione, ut ſi locuturus de Immaculata Virginis Matris conceptione eam æquipararem ſurgenti Auroræ: propoſitio poſſet eſſe hæc, ex ortu rutilantis hujus auroræ abſque originalis labis nube oſtendam, qualem poſſit inde orbis diem ſperare. Si velit Orator laudare virum probum, cujus acta ipſum lateant, poteſt cauſas inquirere, cur hominibus non innoteſcant: an quia ſtudio humilitatis latere maluit, quàm clarere terræ, & conſcientia teſte contentus, cœlo tantùm enitere? 17

EXPENSIO X.

De Narratione.

IN ſacris concionibus, quæ fiunt in genere demonſtrativo, & deliberativo, narratio non adhibetur, niſi rariſſimè, ſed immediatè poſt propoſitionem exhibitam in calce exordij ſuccedunt argumenta, quibus eadem propoſitio evincitur: non tamen deſunt, qui narrationem confundunt cum prima probatione, vel etiam propoſitione. Quamvis tamen in ſacris concionibus non ſit narratio neceſſaria; adhuc non deſunt ex Oratoribus, qui poſt exordium ſubjiciunt quandam introductionem, ſeu perbrevem tractationem alicujus rei, quæ licèt non pertineat ad argumentum, eidem tamen connectitur, ut videatur ejus ratio: ut ſi Concionator velit agere de mundi vanitate, & contemptu, poſt exordium poteſt quærere, quænam ſit vera hominis felicitas, & in quo ſita. Vel ſi Concionator ageret de inimicorum dilectione, poſt exordium poſſet Orator introduci, ex eo, quia ſit magis obtemperandum divino, quàm humano mandato. 1

Narratio adhibenda eſt in genere judiciali, ubi in Senatu coram Judice à Cauſidico narratur crimen à reo patratum, ut illud vel excuſet, aut condemnet. Plures hanc narrationem ad eas adduxerunt anguſtias, ut non excedat cædes, furta, ſacrilegia, & alia, quæ à viris nequam, ac ſeditioſis ſolent ſcelera committi. Obſervat tamen Quintilianus, aliud eſſe narrationem cauſæ, & aliud eorum, quæ pertinent ad cauſam: ſiquidem cauſæ narratio tota judicialis eſt, quæ rei, de qua quæritur, continet dilucidationem, ut eſt apud Ciceronem explicatio cædis Clodianæ in oratione Miloniana. Quæ verò pertinent ad cauſam, ſumuntur laxiùs pro cujusque rei, vel facti dilucida expoſitione.

3 Suis etiam inficitur narratio vitijs, quorum primum eſt nimia prolixitas, de qua loquens D. Gregorius Nazianzenus ad Helladium ait: rebus metiri maximè oportet, non verſibus, aut verbis. Vitioſa eſſet narratio, ſi res narranda ab ovo quæreretur, ubi nihil eſt opus, vel ſi plura narrationi admiſceantur minimè neceſſaria, hæc enim Judices potiùs diſtrahunt, quàm ad attentionem trahant, ut ſunt crebræ parentheſes, quæ inſtitutum ſermonem aliò trahunt, ac diſtrahunt. Secundum vitium eſt ambiguitas verborum, & ſententiarum, ut ſi Orator ignorans, quisnam in conflictu vicerit, narret prolixè plura non neceſſaria, nec deliberet, cuinam palma debeatur. Tertium nimia perſonarum, ac rerum multitudo confusè, & uno veluti impetu ſenſibus objecta animum confundit Auditoris: diſtinguenda enim ſunt in narratione, quæ exponuntur, ne confuſionem ingerant. Quartum, ſi ſit aliquid incredibile, eò quia præter communem naturæ ordinem, tunc quia narratio vera non creditur, vitiatur. Quintum dictio humilis, obſcura, & impropria. Sextum diſſolutio ſine ullo decore, nexu, & articulis. Septimum, ſi eadem verba ſæpiùs repetantur, quia inepta repetitio narrationem deturpat.

4 Virtutes narrationum plures recenſentur, quarum prima eſt, ut ſit brevis, & expedita, ita tamen ut nihil mancum, conciſum, nihil in ea deprehendatur, non enim Orator debet Timantis pictoris tabulas Auditoribus exhibere, in quibus plus intelligebatur, quàm penicillus delineâſſet. Rurſus debet narratio eſſe perſpicua, ut veluti pellucidus amnis fluat, ſine ſalebris, ac ulla admixtione rei alterius extra inſtitutum. Debet eſſe probabilis, ac credibilis non nimis compta, nec expolita, ſed naturalis authoritate ſulta, ponderibus rationum, ac verborum firmata. Debet itidem eſſe ſuavis, quæ admirationem excitet, ut nova, & inaudita. Eſt ſuavis narratio, ſi motus animi interponantur, quia ut docet Ariſtoteles, in quovis animi motu ineſt quædam jucunditas, ſi contineat exitus inopinatos, quia ſi ſint felices, ſummam afferunt jucunditatem. Lætitiæ itidem jucundam conſtituunt narrationem, ut etiam expectationes concitatæ multum enim delectant, cùm dubitent Auditores, quo res ſit evaſura.

Idea Narrationis *de Cajo Canio*

Cicer. 3. offic.

5 CAnjus eques Romanus, nec infacetus, & ſatis litteratus, cum Syracuſas otiandi causâ, non negotiandi, ut ipſe dicere ſolebat, ſe contuliſſet, dictitabat, ſe hortulos aliquos emere velle, quo invitaret amicos, & ubi ſe oblectare ſine interpellatoribus poſſet. Quod cum percrebuiſſet, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracuſis, dixit, venales quidem ſe hortos non habere, ſed licere uti, Canio, ſi vellet, ut ſuis. Et ſimul ad cœnam hominem in hortos invitavit in poſterum diem. Cúmque ille promiſiſſet, tum Pythius, ut argentarius, & qui eſſet apud omnes ordines gratioſus piſcatores ad ſe convocavit, & ab ijs petivit, ut ante ſuos hortulos poſtridie piſcarentur, dixitque, quid eos facere vellet. Ad cœnam venit Canjus, erat opipare à Pythio apparatum convivium. Cymbarum ante hortulos multitudo, pro ſe quisque quod ceperat, afferebat: ante pedes Pythij piſces projiciebantur. Tum Canjus: Quæſo inquit, quid eſt hoc Pythi? tantúmne piſcium? tantúmne Cymbarum? Et ille: quid mirum inquit? hoc loco eſt, Syracuſis quidquid eſt piſcium; hic aquatio; hac villa iſti carere non poſſunt. Incenſus Canjus cupiditate, contendit à Pythio, ut venderet, gravatur ille primò. Quid multa? impetrat. Emit homo cupidus, & locuples, tanti quanti Pythius voluit; & emit inſtructos; nomina facit, negotium conficit. Invitat Canjus poſtera die familiarès ſuos venit ipſe maturè. Scalmum nullum videt, quærit ex proximo vicino, num feriæ quædam piſcatorum eſſent, quod eos nullos videret. Nullæ (quod ſciam) ille inquit, ſed hic piſcari nulli ſolent. Itaque mirabar heri, quid accidiſſet. Stomachari cœpit Canjus, ſed quid faceret? &c.

6 Variæ ſunt Narrationes nonnullæ in genere exornativo, quæ coïncidunt cum amplificatione, & probatione: aliæ tragicæ præſeferentes quandam ſeveritatem, & gravitatem animis commovendis accommodatam: aliæ comicæ, & lepidæ, quæ ad lætitiam, & riſum excitandum inſtituuntur, & continent crebras formulas plebejas: aliæ ſunt funebres ciendis lachrymis, & triſtitiæ excitandæ peraptæ, & ijsdem narrantur cruentæ clades, repentinæ neces, infelicia naufragia, graſſantis peſtis ſtrages, & alia id genus.

EXPENSIO XI.

De Probatione Propoſitionis.

1 PRopoſitionem, ut & narrationem ſequitur probatio, in qua tota vis perſuadendi poſita eſt, ac nervus, ſanguíſque orationis, adeò ut neglecta probatione tota

langueſcat oratio. Beneficio probationis noſtraa evincimus propoſitiones, quas corroboramus, & quæ adverſarijs objiciuntur, rejicimus, in quo plurimum requiritur laboris, ac operæ; ne quid Orator omittat ex ijs, quæ opponi poſſunt, quod non infirmet: idque fit, ſi neget, quæ falſa videntur; vel ſi negari omnino non poſſunt; debet ſaltem oſtendere, non eſſe ita vera, nec probabilia, ut putant adverſarij.

2 In argumentorum ſerie, quia noſtras probamus, & corroboramus propoſitiones ſervandus eſt Ordo, adeò ut primùm locum occupet, efficax aliquod, & nervoſum argumentum, quo ſtatim Auditores convincantur de veritate propoſitionia. Quæ infirmiora ſunt, ac minùa habent roboris, coacervanda ſunt in medio, ut ſunt hiſtoriæ, exempla, teſtimonia ſanctorum Patrum, & omnia ea argumenta, quæ petuntur à locis extrinſecis. Sin verò adſit aliquod argumentum, ex cujus explicatione cætera dependeant, proponendum eſt primo loco; alioquin ſi Orator ſtatim efficaci aliquo argumento non evinceret veritatem propoſitionis, Auditores facilè diſtraherentur. Hinc moris eſt in Italia, quò conciones magis accuratè compoſitæ, & quæ pluribus ornantur eruditiunibus, plúsque roboris obtinent, non ſolùm ad benevolentiam Auditorum ſibi conciliandam, ſed etiam ad animos flectendos primis proponantur diebus quadragesimæ, ut fama concionatoris diffundatur, & populus accedat frequentior. Caveat Orator, ne in probatione ſterilis ſit, ac jeiunus res non exhibeat dialecticè, & ſimpliciter, ſed probis utatur amplificationibus, verbis ſelectia, ne ſtylus humi repat: caveat itidem, ne rem eandem pluries repetat abſque figurarum, & ſententiarum varietate, nil enim fœdius, quàm eandem ſententiam ijsdem verbis crebrò repetere, nauſeam id movet, & Auditores eandem faſtidiunt repetitionem. Rurſus cùm ab uno argumento ad aliud Orator procedit, neceſsè eſt, ea connectat ſimul beneficio alicujus tranſitionis, ſeu figuræ patheticæ: ſunt hujusmodi tranſitionea veluti ſerica amenta auro intexta, quæ ſimul ornant orationem, & ligant, nectúntque, quæ aliàs eſſent diſparata.

3 Argumenta, ſi Oratio non multum protrahatur, debent ſimul congeri abſque ullo verborum circuitu, ac redundantia. Si viro indocto, avaro, pecunijs inhianti vellet Orator diſſuadere ſtatum Eccleſiaſticum, ac deſiderium euanciſcendi dignitatem, cujus proventus ſunt pingues, poſſet plures ſimul coacervare perbreves probationes hoc pacto. Sacræ adſciſci militiæ eccleſia non approbat eum, qui cultum reprobat Deo debitum, qui virtutum culturæ non eſt addictus, qui ſtudio pietatis ſedulam non dat operam. Cum ipſe tibi ſim amicitiâ devinctus uſque ad aras, neutiquam poſſum tibi aras perſuadere, cùm non bonum opus, ut ait Apoſtolus, ſed bonas opes percupias; & non lucro animarum, ſed acervis divitiarum inhies; nec tibi vires ſuppetunt ad tam arduum regimen ſuſcipiendum, cui vix ſufficit vir ſumma doctrinâ, & probitate inſignis. Metire igitur te ipſum, & quod ambis, ſedula, & matura diſcuſſione perpende; ſeu quid valeant humeri, quid ferre recuſent. Cave ne in tuam retorqueatur audaciam, quod antehac in Phaëtontem Poëta retorſit.

Alta petis Phaëton, non eſt mortale quod optas.

Cælites ipſi formidant, quòd ambitio aggreditur, à qua te ſentis pulſari, velim non lucra tantùm hîc cogites, ſed longè majora lucro diſpendia. Quòd ſi lucrum tantùm ſpectes, ac opes, quas congeras, jam non hîc religio, ſed quæſtus promovetur. Exhibente auro ſtimulos malè ad aras curritur. Umbras quærit vanitatis, qui non alia præeunte face, quàm ſplendore auri ad culmina pergit Eccleſiaſticæ dignitatis. Hunc ambitio ad ſublimia evehit, ut lapſu ruat graviore. Numinis ara, vel ipſos ſolet Seraphinos odiſſe, ſi hi ſolis ſint avaritiæ alis inſtructi, nec alio æſtuent igne, niſi quem auri ſacra fames, ac divitiarum ſitis accendunt. Non horrea implere, ſed marſupia evacuare, auri argenti pondera ſpargere ad levandas proximi miſerias id virum commendat eccleſiaſticom, qui ſi ſecus fecerit, interitum congeſtis opibus ſibi emit. Non niſi demens ſit, qui tanti emit æternùm pœnitere. 4

Si Rhetoricæ Profeſſor vellet alicui adoleſcenti ſtudia ſuadere amœniorum literarum, ac Rhetoricæ; poſſet plures perbreves ſimul coacervare rationes, quibus ipſum illiceret ad hujusmodi ſtudia hoc pacto. Quid in adoleſcente ad ſublimia nato laudabilius, quàm eloquentiæ faſcibus ornari; mella non ſolùm Attica verbis effundere; ſed & melleos loquendo proferre lepores, caſtas, ac pudicas exhibere dicendi veneres? quid optabilius, quàm pro arbitrio hominum ciere affectus, voluntates pro libito flectere, & concupiſcentiæ habenas reſtringere, vel laxare? An non perinde hoc eſt ac plenum in homines exercere Dominium? Imò non in homines tantùm, ſed & in feras ipſas, quæ hac induſtria cicurantur: etenim ſi Orator leni affectu aures permulceat, feræ propriæ oblitæ feritatis manſueſcunt: ſi minarum reboatu tonet ſeveriùs, quaſi claſicum canat, bellicas accendit in animis faces, & cum Pericle fulgura; & tonitrua videtur emittere. Hæc autem omnia ſuos Rhetorica edocet Cultores, quos Jovis alites, ſeu aquilas inſtituit, ut fulmina diſcant jaculari, ſimulque aureis eblandiri pluvijs. Obeunda ad Principes, & Regas eſt legatio? diſſertum hæc Sparta poſtulat, & eloquentem Oratorem, qui facundiæ adminiculis ſit apprimè inſtructus. Neque Oſſolinio nomen tam illuſtre, ac ſplendidum, quid aliud peperit, quàm eloquentia adhibita cum munere fungeretur legationis. 5

Hinc ſi quis peroret in ſenatu flocci fit ſine eloquentis ſuadæ ſuppetijs. Si in foro cau- 6

ſas

ſis agit, nullus habetur, ſi genere non utatur judiciali; Si ex ſacro ſuggeſto ad populum :a-tor dicat, flexanimam neceſſe eſt artem calleat: Quid quòd nec Mars eloquentiam excludat: probè haſtaræ Palladi Bellona ſociatur; & Martis gladio Appollinis nectitur laurus. Ne igitur Rhetoricæ ſtudia negligas ſive miles, ſive Eccleſiaſtes, ſine Aulicus, ſive forenſis ſis futurus.

EXPENSIO XII.

De Confirmatione, & Conſultatione.

1 QUamvis confirmatio propoſitionem etiam probet, & ſit itidem ipſa probatio, nihilominus poſt argumentorum amplificationem ſelet confirmatio addi, quæ eſt ſeries exemplorum, vel hiſtoriarum confirmantium argumenta. Fit etiam per illam coacervationem plurium argumentorum, quæ ſolent preſsè, & paucis verbis exhiberi, ſed hæc coacervatio probatio potiùs dicenda eſt, quàm confirmatio. Si probatum fuerit varijs argumentis amplificatis, parcere inimico eſſe rem honeſtam, poteſt hoc idem confirmari exemplo Chriſti, qui à Judæis cruci affixus Patrem æternum pro ijsdem oravit; *Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt*; Divi Stephani orantis pro lapidantibus ſe; vel etiam exemplis Imperatorum Ethnicorum; quæ tamen omnia nectenda ſunt aliqua figura repetitionis, vel alia ut paucioribus verbis congerantur; & etiam aliquo dicendi flore ornari; vel etiam argutijs illuminari: exempla enim quamvis trita, ſi hac induſtria ſimul nectantur, ac exhibeantur Auditorum animos alliciunt, ſimúlque convincunt. Honeſtum eſſe, inimico parcere, confirmare poſſet Orator ſi odium, quod inimici fovent omnino deleat, ſiquidem ex odio, quod à pluribus fovetur veluti ex peſſimo ovo peſſimus naſcitur pullus, ſeu inimicitia, quam qui diu fovet, & ſibi, & alijs eſt exitio: illi ſiquidem quibus ita vitium odij occaluit, ut nunquam velint deponere inimicitias ſemper volunt inimicum odiſſe: & quia nunquam ſepeliunt offenſas, & mortuas nolunt injurias ſibi illatas; cum odio quod diu foverunt, in foveam cadunt, ac ſepeliuntur ipſi: ubi per totum vitæ curſum aſſuevit homo odijs, cùm ijsdem vitam claudit, & tunc tantùm ceſſant odiſſe, cùm deſinunt vivere. Nonniſi difficulter qui fovendæ inimicitiæ aſſuevit in ultima ſenecta exulceratam mentem, ac privatæ ultionis deſiderium exuit.

2 Confutatio tota inſudat in enervandis, ac rejiciendis argumentis, quæ ab adverſarijs adferuntur. Eſt enim confutatio pars contentionis, in qua quæ ab adverſarijs allata ſunt, diſſolvimus hoc ordine, priùs enervatur, ſi qua ſit efficax aliqua ratio, ut etiam in medio confutantur fortiora argumenta, in fine verò imbecilliora.

Multipliciter fit confutatio primò per 3 contemptum, negando indecorum eſſe, & contra nobilitatem parcere inimico, eò quia Chriſtus nil indecorum egit, nec quod vi tuti, & rectæ rationi adverſetur; & tamen Chriſtus ſuis pepercit inimicis pro quibus oravit. Pudeat igitur hominem efferari in rabiem & verbulum paulò aſperiùs prolatum alieno ſanguine expiare. Eſt inimicitia, quæ diu fovetur, fons putidiſſimus, à quo ſcaturiunt triſtes exitus, funeſtæ tragædiæ, lamentabiles cataſtrophæ. Plures perdidit ira, quam temporis diuturnitas fovit: inimicitiæ ſi ſemel radices fixerint implacabiles fiunt, quapropter nemo ſibi laqueum injiciat ea innixus fiducia, quaſi vindictam poſſit, pro ut ipſi magis libuerit ab animo excutere, & injurias æterna oblivione delere; eſt enim hæc perſuaſio manifeſta illuſio, cum conſuetudo in alteram degeneret naturam. Quòd ſi charitatem non exhibuit quis proximo, quomodo ad Deum, qui Charitas eſt, accedere proſumet? coquere longas iras, nutrire uſque ad ſenium inimicitias, & æternas moliri vindictas, perinde eſt ac in odio incaleſcere, ac emori. 4

Secundò fit confutatio per increpationem cum indignatione rejiciendo, quæ nobis opponuntur, ut Dij te perdant fugitive, qui hæc nobis objicis, ſermo hic tuus non à recta procedit ratione, ſed à perverſa oritur paſſione. 5

Tertiò ſi probetur factum, aut dictum adverſarij pugnare contra bonos mores, & conditionem quam profitemur, ut in exemplo allato odium fovere in proximum, & vindictam moliri repugnat Chriſti fidelis ſtatui, ac conditioni: debet enim Chriſtianus ſequi Chriſti veſtigis, cùm, ut loquitur Apoſtolus, nobis reliquerit exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus, & quia ipſe pepercit ſuis inimicis, à quibus fuit cruci affixus, debent & Chriſtiani injurias ſibi illatas, & damna allata perpetua oblivione delere. 6

Quartò à repugnantibus probando rationes allatas ab adverſario non eſſe ad rem, nec veritati conſonas. Vindictam moliri plus ſecum trahit dedecoris, quàm honoris: maxima enim gloria eſt, maximúmque imperium ſibi imperare, ac iraſcentis animi motus coërcere.

Quintò per antiſagoge cùm afferimus 7 rem, vel parem, vel majorem, cuj adverſarius nequeat reſpondere, cujusmodi eſt illa altercatio paſtorum apud Virgilium: unus enim difficilem propoſuit alteri quæſtionem

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cœli ſpatium non amplius ulnas.

quam quæſtionem confutavit ſtatim alter proponendo æquè aliam difficilem.

Dic quibus in terris inſcripti nomina Regum.
Naſcantur flores?

EXPENSIO XIII.

De Peroratione, & extremo orationis actu.

1 ESſe finem rerum omnium optimum, ac operis coronam, vulgatum eſt effatum, & quia peroratio finem imponit orationi, negligenda minimè eſt ab Oratore, quamvis pars ſit aſcititia, non eſſentialis. Imò eò accuratiùs excolenda, quò ultimo loco poſita aculeum mentibus Auditorum inſigere, ac more apum relinquere debet. Idque cauſæ cur Henricus non tam politica, quàm oratoria facultate illuſtris, & Rex invictiſſimus dixerit, Oratores ex perorationibus præſertim cognoſci; contingit enim plerumque, ut ſplendidis initijs, humilis, & obſcurus reſpondeat exitus. Ut reſpondeant ultima primis, neceſſe eſt, ut Orator non minus ſtudij exerceat in texendo exordio, ac in componenda peroratione. Quapropter prudentis eſt Oratoris prævidere, quæ locanda ſint in epilogo, & initio: non ita magnificis eloquentiæ propylæis, & Jonicæ ſtructuræ delicijs capi debet, quin ſedulò, ac maturè conſideret, qua porta commodiſſimè poſſit excedere. Idque cùm noviſſet Tullius non minus impoſuit ſtudij, & laboris in texenda peroratione, quàm in tota oratione componenda, fuerítque propterea in perorationibus eximia ejus felicitas. Non tamen debet Orator in peroratione prolixus eſſe, nec minutias inutiles exquirere, quæ à gravioribus facilè rebus abſorbentur, alioquin tædio afficerentur Auditores. Debet igitur peroratio imitari Achatem lapillum pretioſum Pyrrhi Epyrotarum Regis, in cujus anguſtijs non ſolùm Apollo cum lyra, verùm etiam novæ Muſæ inſpiciebantur inſculptæ; vel Imperatoris Iuſtiniani menſam in templo divæ Sophiæ expoſitam, in qua compendioſè omne Orientalium lapillorum genus inſitum erat: vel caſum Phaëtontis in gemmula annuli expreſſum admirabili artificio, cujus meminit Galenus *lib. 17. de uſu partium cap.* 1. videbatur enim ſculptus in gemma adoleſcens ſolis filius crinito radijs capite, manu flagellum tenens, aureo inſidens curru, quem equi trahebant ea ſculptri ſubtilitate, ut ſexdecim pedes minutiſſimis lineolis diſtincti eminerent. Aſpiciebatur inſuper ignita cœli facies, Jovis accenſa ira, infelicis patris deſperatio: hinc caſus novitate attoniti Cœlites hærebant: illinc decreſcebat mare, ebulliebant aquæ, terrarum tractus conflagrabant; & longè, latéque ſparſi flammarum globi, ſylvas, montes, prata, & pecudes abſumebant. Has gemmulas neceſsè eſt, imitetur Orator in peroratione, in qua quæ per totam concionem ſparſerat uno intuitu ob oculos, debet ponere, ut acriùs animos moveat, & aculeum ijsdem infigat. Non tamen debet ijsdem verbis eadem repetere licèt breviùs, ſed neceſsè eſt, coquos imitetur, qui eundem cibum varijs præparant condimentis, ut novum videatur ferculum apponi: perinde Orator varietate verborum, figurarum, ac ſententiarum, quæ propoſuerat in tota oratione, fusè, debet ſtrictè, ac in compendio coarctare in peroratione. Præcipuum perorationis munus eſt movere affectus, qui tamen non clamoribus excitandi ſunt, ſed rationibus ciendi. Quo fit ut plerique perorantes non repetant antedicta argumenta, ſed increpent: & alij non ſuggerunt, quæ per totam orationem longè, latéque ſparſa fuerunt, ſed per acrem quandam exhortationem novas adferunt rationes, vel ex concione efficaciores ſeligunt, quibus infixos aculeos intimis Auditorum pectoribus relinquant per apoſtrophem, vel interrogationem, quibus adverſarios urgeant; vel per Proſopopæjam rerum inanimatarum, vel per Æthopæjam perſonarum, vel per aliquam gravem reprehenſionem.

2 Amplificatio eſt etiam in epilogo adhibenda, magis tamen accuratè, cùm Auditor flectendus ſit, & à turpi actione deterrendus, propterea debet amplificatio eſſe vehementior. peracta enim oratione, veluti ſtrue lignorum compactâ, flam̃a accenditur affectuum, quæ tantò erit ardentior, quantò probatio fuerit firmior, & efficacior. Huc accerſendus D. Auguſtinus *lib. 4. de Doctr. Chriſt.* Si qui audiunt, movendi ſunt potiùs, quàm docendi, ut in eo, quod ſciant, agendo non torpeant, & rebus aſſenſum, quas veras eſſe fatentur, accommodent, majoribus dicendi viribus opus eſt. Ibi obſecrationes, & increpationes concitationes, & coërcitiones, & quæcunque alia, quæ valent ad commovendos animos, ſunt neceſſaria; cùm id docetur, quod agendum eſt, & ideo docetur, ut agatur: fruſtra perſuadetur verum eſſe, quod dicitur; ſi non ita dicitur, ut agatur; oportet igitur, eloquentem Eccleſiaſtem, quando ſuadet aliquid, quod, agendum eſt; non ſolùm docere, ut inſtruat; & delectare, ut teneat; verùm etiam flectere, ut vincat. Eſt igitur ita auditor flectendus, ut moveatur ad agendum; & ſicut delectatur, ſi ſuaviter loquaris; ita flectitur, ſi amet, quod polliceris; timeat, quod minaris; oderit, quod arguis; quod commendas, amplectatur; quod dolendum exaggeras, doleat; cùm quid delectandum prædicas, gaudeat; miſereatur eorum, quos miſerendos ante oculos dicendo conſtituis; fugiat eos, quos cavendos terrendo proponis, & quidquid aliud grandi eloquentia fieri poteſt ad commovendos animos auditorum, non quid agendum ſit, ut ſciant; ſed ut agant, quod agendum eſſe jam ſciunt: ſi autem neſciunt, priùs utique docendi ſunt, quàm movendi: hæc Auguſtinus, qui eleganter Rhetoricæ finem, eloquentiæ vim, & orationis officium expreſſit.

3 Peroratio etiam epilogus dicitur, quia paucioribus verbis, quæ fusè per varias amplificationes fuerunt in oratione dilatata comprehendit, & reſtringit: dicitur etiam con-

cluſio.

cluſio, quia orationem claudit. Quamobrem in peroratione, ſunt breviter repetenda argumenta orationis ſaltem efficaciora, non quidem ijsdem verbis, quia tæderet Auditores eadem iteratò audire, ſed figurarum varietate, verborúmque, ac argutiarum ornatu. In texenda peroratione inſignis fuit ex noſtra Congregatione Pater D. Placidus Caraſa vir non minus nobilitate ſanguinis, quàm eloquentiæ facundia, & ingenij acumine clarus, cujus conciones prima Italiæ ſuggeſta illuſtrârunt: is medietatem concionis Romæ in noſtro templo S. Andreæ de Valle jam recitaverat, cum ex-tempore concionem auditurus acceſſit eminentiſſimus Cardinalis Sforzia: cœpit ille, quæ antea recitaverat, tanta dexteritate repetere ac figurarum varietate, ut concionis epiphonema videretur didiciſſe.

Idea Perorationis flebilis *per Apoſtrophem ad animam demortui. ex Quint. declam. 8.*

4 CONvenitur hoc loco, Judices, mulier infelix, & velut ad quandam præſentiam amiſſi juvenis. Sive inquit tandem ſecuritate mortis explicitus, in aliquo ſedis æternæ pudore requieſcis; ſive excluſus, ac vagus, & inter fabuloſa ſupplicia metuendus, adhuc laceratione per ſtupentes, horrentéſque Manes umbra diſcurris, audi miſerrimæ matris iniquiſſimam complorationem. Non quidem licuit mihi in illud cubiculum conditorium tuæ mortis irrumpere, nec ſupra chariſſima membra proſtrata meis vulnera tua regere viſcerib⁹, quod ſolùm tamen potui, corpus quod medicus, quod reliquerat Pater, hoc ſinu miſera collegi, ac vacuum pectus frigidis, abjectíſque viſceribus rurſus implevi, ſparſos artus amplexibus junxi, membra diducta compoſui, & de triſti, terribilíque facie, tandem ægri cadaver imitata ſum. Hoc eſt tamen, quod de triſtiſſima orbitate præcipuè ferre non poſſum, propter fratrem videris occiſus, nec tamen unquam conſtare poterit, an tu ſanaveris fratrem.

EXPENSIO XIV.

De Legitimo Concionum Eccleſiaſticarum charactere. Invehitur in fucatos Concionatores, & ſubjicitur Apologia Argutæ Elocutionis.

1 DIvus Joannes Chryſoſtomus, qui licèt contra perſecutionum procellas, adverſitatum impetus, & æmulorum ictus ferreus fuerit; ac æneum pectus objecerit ſævientis fortunæ aſſultibus; eloquentiâ tamen aureus veram Chriſtiani Rhetoris, & eccleſiaſtici Concionatoris ſuis in homilijs expreſſit ideam: utinam in hac ferrea hominum ætate aureum hunc Rhetorem imitarentur Concionatores, certè non vanas fucatæ eloquentiæ phaleras ſpargerent, ſed aculeato germanæ elocutionis telo hominum pectora confoderent; à vitio improbos deterrerent, quos ad ſtudia virtutum pertraherent: utinam inquam imitarentur Chryſoſtomum nomine, & eloquentia verè aureum, cujus vita perpetua fuit vitiorum cenſura; viva, & efficax virtutis imago, norma morum; cujus mens virtutibus, & ſapientia ferax nunquam rerum aſperitatibus, neque adverſitatum procellis potuit torpeſcere; certè pueriles verborum redundantiæ ineptè non audirentur è ſacro ſuggeſto obſtrepere ad piarum aurium faſtidium. Non laudibus exciperentur ingenia Simearum, quæ verſatili levitate deſultoria huc, illúcque divagantur, ut in nugis, ac quiſquilijs triumphent, & rebus levioribus hebeſcant. Sordent hi concionatores viris cordatis, quaſi enim abdomini dediti niſi culinæ nidor ſuboluerit, non excitantur, & tunc ſententijs frivolis, argumentis infirmis, excurſionibus ad fabellas, & nugas, jocis frigidis, improprijs translationibus, crebris figuris ſimiliter cadentibus, ac deſinentibus, nimirum compoſitionis perorant ad plauſus puerorum aucupandos.

2 Quid aliud ſunt hujuſmodi Concionatores, qui fucos duntaxat, & phaleras ad populum ſpargunt, quàm Cytharæ alijs harmonicæ, & vocales, & ſibi mutæ? quàm tormenta bellica multo onerata pulvere, ſed ad rumorem tantùm, non ad ictum? quàm cibelis, ſed Davidicæ oppoſita ad accendendos, non extinguendos inſanos ſpiritus? quàm Prothei à priſcis Poëtis ficti, qui licèt aquarum haberentur Numina, nonniſi inſanos ignes accenderent? quid aliud eſt horum Concionatorum eloquentia fucis picta, phaleris larvata, calamiſtris ornata, quàm floreus hortulus ad voluptatem, non pomarium ad utilitatem conſitum? ſterile ver, non fœcundus autumnus? melleus favus, ſed in faucibus extincti, ac enecti à Samſone leonis? frigidus pretioſi carbunculi ignis? Heliogabal. floreus nimbus? aqua è canali non è fonte ſcaturiens? Quid nunquam ſunt horum Concionatorum verba, quàm blandulæ ſirenulæ, quæ non epinicia virtuti, ſed epicedia canunt? quid eſt eorum elocutio, quàm Priami imbelle telum ad confodienda pectora neutiquam validum? Quódque deterius nec ſine lachrymis indicandum, etiam cum plauſu excipiuntur ineptiæ, audiuntur nugæ, & joci, ac ſi veri eſſent eloquentiæ flores. Oh inſcitiam deplorandam! commendant alij mellitos verborum globulos, quibus tota perpluit concio. Alij ſolis deſcriptionem, qui tamen propiùs ad ſolem accedentes Icario lapſu in imum apud cordatos viros ruunt inſcitiæ. Alij deſcriptam auroram roſeis depictam labijs, ac delicatiſſimis expreſſam lineamentis, vivíſque illuſtratam coloribus ad ſydera evehunt, quæ omnia tamen ita inter ſe ſe cohærent ſicut cervix equina cum humano capite, ut cecinit Horatius. Non hos dixeris laudatores, ſed adulatores.

Procul à chriſtiano Oratore vaniſſimæ,
3 fucatæ, ac puerilis eloquentiæ phaleræ, quæ eccleſias ipſas, templa divino cultui dicata, domus orationis in ſcenas vertunt vanitatum, & conciones in ludos mutant theatrales. Procul à Chriſtiano Oratore futiles comparationes Audromachæ cum humana natura; Perſei cum Chriſto; Jovis cum Spiritu Sancto: Danaë cum Virgine Matre; Pandoræ cornu cum æterna beatitudine; Siſiphi cum inferno; Anguis caudam ſibi mordentis cum æternitate; humani generis Reparatoris cum Orpheo; Attici cum Divo Paulo; Tucididis cum Divo Petro; Apollinis cum Divo Luca, & Helenæ (non audeo dicere) cum immaculata Virgine. Quid aliud hoc eſt, niſi divina, & humana omnia confundere, & ſacra profanis miſcere? ſi verùm fatear perinde ac gigantes tumidi, & ſuperbientes linguas confundunt, & dum divina humanis, & facta fictis ſimul miſcent, non concionem, ſed Babylonicam turrim conſtruunt. Quis hos nugatores, ac germanæ eloquentiæ corruptores non redarguat? Procul à virili, ac vegeta eloquentia fucorum vanitates, & phalerarum minutiæ: procul à Chriſtianis Oratoribus hæ literæ, quæ puritatem obliterant: procul è ſacris ſuggeſtis profani Oratores, qui noxio blandimento ita aures demulcent, ut mentem devenuſtent: velo fucatæ eruditionis venenum tegunt, quod effundunt; lenocinantis eruditionis ſpongiâ novaculam obtegunt, quâ Auditorum mentes ſecent, in quos invehens D. Hieronymus ait: *Sua omnes ſuavitate delectant, & dum aures verſibus dulci modulamine currentibus capiunt, animum quoque penetrant, & pectoris interna devinciunt.* Quia mellitis verbis venena propinant, & feſtivis ſalibus toxica ſpargunt.

Objicere tamen quis mihi poſſet, ergóne
4 Ethnicæ elocutionis luxuriantes, & ſuaviſſimi flores emarceſcere debent in oblivionis ſarcophago? an non & ſancti Patres hiſce veneribus, ac eloquentiæ phaleris ſuas ad pompam exornârunt conciones, quas & ſalibus Atticæ elocutionis conditas voluerunt? Non diffiteor floribus eloquentiæ ſuas ſanctos Patres ornâſſe etiam ad delicias conciones: ſed utinam hujus tempeſtatis intempeſtivi Concionatores hanc SS. PP. eruditionem ſibi proponerent, quam imitarentur: non audirentur tot verborum ſuperfluæ redundantiæ, neque tot fucatæ elocutionis ineptiæ; ſed eloquentia candida, maſcula, nervoſa, erudita aures, & animos demulceret, quos ad culturam virtutum alliceret, ac flecteret: alliciunt floridâ eloquentiâ SS. PP. ut doctrinâ erudiant, ac validis argumentis moveant.

Sunt adhibendæ eruditiones ad ornatum
5 nervoſæ eloquentiæ, non ad vanitatem puerilis locutionis, volve, & lege SS. Patrum homilias, an non triumphet in ijsdem eloquentia floribus ornata, ut delectet; argumentis corroborata, ut doceat; exemplis confirmata, ut moveat, flectárque animos ad culturam virtutum; ut improbos removeat, retrahárque à via iniquitatis? An non D. Auguſtinus, qui moribus, & doctrina æquè fidem ornavit, æquè ſcribenda faciens, ac legenda ſcribens, qui perinde, ac ſol licèt ex orientis juventutis emerſerit tenebris, omnium poſtea errorum umbras ſuæ eloquentiæ, ac doctrinæ radijs fugavit; qui tenebras ſuas, dum in lucem edidit, illuſtravit (quia nunquam ſolem puduit è tenebris emerſiſſe) nonne inquam D. Auguſtinus *de doct. Chriſt. cap. 40.* ait: *Aſpiciamus quanto auro, & argento, & veſte ſuffarcinatus exierit ex Ægypto Cyprianus doctor ſuaviſſimus, ac Martyr beatiſſimus, quantò Lactantius, quantò Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam.* Uſi ſunt ſancti Patres Atticis amœnitatibus, non tamen ad phaleras, ſed ad nervoſæ eloquentiæ maſculam ſuadam, uſi ſunt floribus elocutionis, ſed non ſolùm ut delectent, ſed etiam, ut doceant, ac inconcuſſis argumentis moveant, ac promoveant virtutum culturam.

Divus Baſilius non minùs ſanctitate vi- 6
tæ integerrimus, quàm caſtitatis lilio, & floreſcentis eloquentiæ puritate candidiſſimus in illa oratione, quam habuit *ad juv. de utilitate ex græcorum ſcriptis percipienda*, apertè ſuadet adoleſcentibus, ut Poëtas, hiſtoricos, Oratores frequentent, à quibus plura poſſint utilia decerpere. Nonne ſcripta D. Ambroſij eruditionum redolent amœnitatem, & varijs eloquentiæ floribus conſperſa odorem ſpirant ſuaviſſimum, tanta orationis Majeſtate, ut ſuavi quodam terrore ſimul mulceant, & terreant? Nonne D. Zenonis Epiſcopi Veronenſis ſermones floribus luxuriant, & Rhetorum coloribus depicti gravitatem ſimul, & amœnitatem feſtivè complectuntur? Nonne Divus Leo Papa vir non minus ſanctitate vitæ, quàm ingenij præſtantia clariſſimus, unà cùm gravitate periodorum, ac rotunditate; ornatæ elocutionis floribus ver aperit amœniſſimum ſuis legendum in concionibus ad animi oblectamentum? Nonne divus Gregorius Nazianzenus æquè benedicendi, ac bene vivendi arte conſpicuus, qui bonarum duntaxat artium capax, malarum omnino incapax; ut Minervam raperet, Athenas perrexit, ubi ſcientiarum Dea grandi ſurgebat in ſtatua ſculpta, quam ita coluit, ut poſſidere meruerit, ac ſecum ferre in alias urbes, quas cœleſtis agricola ita excoluit, ut jacta ſapientiæ ſemina ſtatim in fœcundam fructuum ſpiritualium ſegetem germinarent, nonne inquam aureus vir in ad-
amantinis ſuis homilijs lepore, ac feſtivitate 7
quadam ingenuæ dulcedinis varias proponit deſcriptionès, plura recenſet Ethnicorum commenta? nonne poëſi uſus non minus utilis, quàm amœnus omnis eruditionis flores velut in emporio legendos oculis exponit, ac manibus excerpendos? Nonne in ipſis naſcentis eccleſiæ cunabulis D Clemens Papa epiſtolas, ac recognitionum libros tam limpido, ac puro ſcripſit ſtylo, ut inſtar Chryſtallini,

ac redundantis amnis fluat ſine turbida ſorde? An non Juſtinus Martyr ob fœcundam multarum rerum eruditionem, caſtámque robuſtæ orationis ſobrietatem plurimum meruit commendari à viris eruditis? Nonne divus Maximus præſul Taurinenſis, qui capaciſſimam menſuram ſui nominis omni eruditione æquavit, ac ingenij claritatem eloquij venuſtate compoſuit: nonne inquam illuſtri ſua eruditione in eruditorum animos feſtiviſſimè ſe ſe inſinuat, & candido eloquentiæ latice eruditorum ſitim potis eſt plenè extinguere? Nonne divus Joannes Chryſoſtomus non minus tolerantiâ ferreus, quàm eleganti elocutione aureus ſinuoſis dicendi flexibus in omnem dicendi eruditionem amœnè devolvitur, ac delicatiſſimis exhibet Rhetoricæ coloribus depictam eloquentiam? Nonne D. Paulinus Nolanus ſanguinis, & eruditionis charitate illuſtris; in ſinu Muſarum educatus, & Apollini charus, quia carmine clarus; cum dicendi ardore, ac candore omnes argutæ elocutionis flores perfudit? Nonne & ipſe Huſſæus Princeps Job præſtantis ingenij acrimoniâ eruditis etiam luxuriat dicendi floribus? ecce quàm amœnè, quàm feſtivè equum deſcribit ad bellum inſtructum, *Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum? nunquid ſuſcitabis eum, quaſi locuſtas? gloria narium ejus terror, terram ungula fodit exultat audacter, & in occurſum pergit armatis: contemnit pavorem, nec cedit gladio, ſuper ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta, & Clypeus. Fervens, & fremens ſorbet terram, nec reputat tubæ ſonare clangorem; ubi audierit buccinam, dicit vah! procul odoratur bellum, & hortationem ducum, & ululatum exercitûs.*

Quid de Divo Hieronymo dicam de leone illo Bethleemitico, qui doctrinæ ſuæ rugitu ex oriente etiam in Occidente perterruit quotquot pugnârunt contra Eccleſiam, quam feliciter propugnavit? quid inquam de Hieronymo dicam, cujus ingenium olympica ſublimitate mortalium metas exceſſit; cujus mens omni gaza ditior fuit; cujus os multiſcium eruditarum linguarum varietate admirationem excitavit; cujus pectus ne dum omnium ſcientiarum fontibus irriguum, ſed in quo veluti in ſpeculo ſe ſe contemplaretur ſanctitas, & virtus ad ſummas exculta laudes ſuas aſpiceret venuſtates, intueretur prærogativas: nonne inquam hic doctor omni eruditionum genere ornatus ſtructuram orationum tanta concinnat dexteritate, ac ornat eruditionum flore, ac venuſtatum amœnitate, ut lector credat ſe non orationes legere, ſed jucundiſſimum aliquod carmen ſuis auribus inſtillari? quid dicam de D. Gregorio Papa, qui ſuis in moralibus lugubrationibus unà cum gravitate, ac nervo eloquentiæ, ita venuſtæ elocutionis flores conjunxit, ut neſcias an ejus eloquentia hortum referat floribus conſitum, an pomarium fructibus onuſtum? quid de D Clemente Alexandrino viro perfecti judicij, & limatiſſimi ingenij, qui tantùm à fuco, & calamiſtris puerilibus diſceſſit, quantum amplitudine, ac eruditionum varietate, ut & orationis granditate ad veræ eloquentiæ culmen aſſurgit? quid de Cyrillo, qui inter eloquentes ſummè doctus, & inter doctos ſummè eloquens fluido, ac probè compto orationis flumine compoſitionum ſuarum ſtructuram ita concinnavit elegantem, ita argutijs illuminavit, ut animos legentium delicijs perfundat, eóſque ſimul ad virtutum culturam alliciat? quid de Chriſtiano Pindaro, ſeu de purpurato ob ſanguinis effuſionem Juſtino Martyre loquar, cujus in ſcriptis tot ſplendent eruditionum lumina, quot in cœlo ſydera? quid de melliſluo D. Bernardo, qui ſumma dictionis felicitate præditus lacteos latices ob eloquentiæ candorem, ac eruditionum dulcedinem perfundit?

Probus igitur concionis character ſanctorum Patrum ſtylo, ac methodo ſit conformis, dictio ſuavis, ac pellucens, quæ vocibus utatur temperatis, nec nimis atticis, ut venuſtas non nativam ſermonis gratiam corrumpat, ſed augeat, nec in contemptam degeneret exilitatem, fucóſque pueriles, ſed ſummam ſine affectatione præſeferat ſimplicitatem, ac jucunditatem, ut etiam in narrandis hiſtorijs gravitatem, periodóſque habeat contortulas, & elegantes: ſtylus ſit ita candidus, & eloquens, ac ſplendidus, ut omnis obſcuritatis umbram abigat, longéque excutiat: perſæpe orationis gratiam, & venuſtatem ſola obſcuritas verborum devenuſtat. Cavendum itidem eſt, ne figurarum affectatione in plura frigida delabatur concio, ac intempeſtivos excitet animi affectus; quem errorem notavit D. Joannes Chryſoſtomus in Libanio ævi ſui florentiſſimo Sophiſta, qui norma fuit Atticæ dictionis; cujus tamen intempeſtivos affectus irriſit D. Joannes Chryſoſtomus in *Orat. de S. Babyla Martyre.* Demum ſacra concio ſit virilis, magni ponderis, profundæ intelligentiæ, clara tamen ut intelligatur, ac argumentis ſolidis contexta.

EXPENSIO XV.

De gravitate, Acrimonia, & ſuavitate Concionum.

ELegans Orator, qui verborum fucos, & inanes venuſtatum phaleras reſpuit, neceſſe eſt gravitate in dicendo excellat, & orationem proferat plenam Majeſtate: quia verò non omnes ſciunt, in quo ſita ſit hæc gravitas, & Majeſtas orationis, inde fit, ut nonnulli gravem producturi orationem inflatum potiùs dicendi genus exhibeant, quàm aſſurgant ad ſolidam Majeſtatem eloquentiæ. Oratoriæ igitur gravitatis ſubjectum argumenta ſunt, quorum pondere oratio fulcitur: ſita eſt etiam gravitas in apta quadam rerum diſpoſitione, quâ ſingula ordine diſponuntur, proferuntur, ne pes capiti, aut pectus cruri jungatur; ſed ex pulchra,

aliarum virtutum exercitia hortantur; aliæ in genere reprehenſorio, quæ moribus corrigendis, vitijs increpandis, corruptis moribus componendis accommodantur, cujusmodi ſunt Prophetarum minæ, Iſaiæ oracula; Jeremiæ lamentationes. Aliæ conſolatoriæ, quæ conſtruuntur ad puſillanimos erigendos, ac recreandos. Aliæ didaſcalicæ, quæ in quæſtionibus explicandis laborant, cujusmodi ſunt conciones, quæ agunt de fide, beatitudine, clara DEI viſione, gehennæ tormentis. Aliæ in genere exornativo, quæ majores exigunt dicendi urbanitates, & flores: & licèt omnis, quæ de rebus divinis concio habetur, plus debeat olere ſanctitatis, ac gravitatis, quàm artis, & culturæ: nihilominus quæ habentur conciones de Chriſti Nativitate, de Virgine Matre, aliíſque Cœlitibus uberiori cultura, & accuratiori ſtylo ſunt texendæ, ut etiam floribus ornandæ, & in ijsdem eiendi ſunt affectus gaudij, amoris, benevolentiæ, deſiderij, ſpei.

3 Quia verò præcepta ſine praxi ſemper mihi viſa ſunt horolologia ſine motu, & corpus humanum ſine ſpiritu; non incongruum mihi videtur ideam exhibere totius concionis. Si vellem hortari in genere deliberativo ad exercitia virtutum, & præſertim patientiæ in adverſitatibus, & ærumnis, quibus premimur, eò quia tribulationes probent DEI amicos, ſintque nobis occaſio cumulandi plura merita, & exercendi virtutes. Pro themate ſeligerem illud ex Cantico Prophetæ Abacuc 4. ubi de juſtis, & amicis DEI ait. *In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.*

Idea concionis in genere deliberativo.

1 NUnquam planetarum princeps aureis radiorum jaculis nocturnas proſterneret, abigeret, ac fugaret tenebras, victórque ſplendenti inſidens curru cœleſtes percurreret campos, niſi priùs occaſus detrimenta fuiſſet paſſus, & ſyderum turmæ atratis indutæ veſtibus in roſcidas didiciſſent lachrymas coliqueſcere defuncto ſuo principi ſepulto antea in occasûs ſarcophago parentaturæ. Nunquam verna temperies exhilaratis auris, placidisque teporibus luxuriaret in campis, pratis, & plantis, ubi feſtivè gliſcunt flores, alij in gemma naſcentes, alij ex hiante jam calice promicantes, alij ex ruptâ vaginâ pubeſcentes, & alij foliorum pompa ſuperbientes, niſi præceſſiſſet triſtis, dura, immitis, aſpera, ac deformis hyems; niſi plantæ, & arbores proprias priùs amiſiſſent foliorum comas, ac fructuum opes: non riderent prata redeunte vere, niſi priùs hyeme ſqualerent; floribus non coronarentur horti, niſi hyeme in luctu, in ſqualore jacerent deflorati: neque natura tota reſtauraretur, niſi priùs glacie concreſcerent flumina; montes, ſylvæ, & campi nivibus obruerentur; Euri, notique procellas excitarent, ac maris prohiberent trajectionem; humus crebris albicaret pruinis, & cœli facies ſemper turbida, rigida, minax, nives ſpargeret quibus terrarum tractus ſepelirentur. Nunquam rideret, & arrideret ſol, cùm tauro ludens menſe Aprili, ubi veluti Jupiter in aureas videtur pluvias in terram deſcendere, fœcundaturus non fictam à Poëtis Danaëm, ſed beneficis influxibus telluris ſinum; ubi quaſi cœleſtis Briareus ſua explicat radiorũ brachia liberaturus è terræ carceribus Floræ totam familiam: & veluti urſa mater quot radijs, tot linguis, rudes perpoliturus naturæ fœtus; niſi priùs hyemali poſtliminio veluti è mortis tumulo phœnicio more ad thalamum lætioris ſtatus conſurgeret. Nunquam multiplici depicta colore, ſplenderet iris, qua videtur cœlum ſua aperire, ac porrigere brachia in telluris amplexum, vel pacis oſculum in amicitiæ teſſeram, eidem figere; vel ſuum appendere arcum in nubis clavo in ſignum fœderis; vel pontem conſtruere ad mutua commeria cœli cum terra, ac ſocietatem ineundam, niſi tempeſtas præceſſiſſet, & vel delapſus grando adultam ſegetem protriviſſet; vel pluviarum copiæ torrentes, & flumina ad damna inferenda arvis, & campis excitâſſent: quia ſolatium poſt ærumnas uberiùs animum recreat, & poſt procellas, & hyemales tetricitates feliciùs reſtauratur natura. Non igitur mirum, ſi quos Deus amicos habet, plerúmque permittat adverſitatibus premi, tunc enim ijsdem viam aperit ad cœleſtem beatitatem. *In luce ſagittarum tuarum ibunt in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.* Probabo igitur ærumnas, & adverſitates mala non eſſe, cum ad felicitatem viam ſternant, cum ijsdem DEI amici perficiantur, virtutes exerceant, & ad cœleſtem beatitudinem ſe promoveant.

Mala non eſſe, ſed bona, ac utilia, quæ 2
nobis videntur adverſari, ac nocere ex eo probatu ſit ſtatim obvium, quia Deus, qui errare non poteſt in rerum delectu, tribulationes permittit, ærumnas accerſit, & adverſa immittit ſuis dilectis; non igitur mala ſunt, quæ nobis impertitur Deus optimus, ut per exercitia virtutum ad cœleſtem curramus beatitatem. Non igitur mala ſunt adverſa, cùm ex Chriſti oraculo ſint perennium bonorum baſes, ſeu beatitudinis ſedes. An non Chriſto ipſi in delicijs fuerunt labores, ærumnæ, paupertas? Nonne gloria eidem fuit humilitas, opprobrium honor, mœror gaudium, patibulum ſolatium, cruenta vulnera florulentæ roſæ, ſpinæ caput vulnerantes flores ſuavitatem redolentes? cur igitur inſipienter credimus mala eſſe, quæ in Chriſti ſacratiſſima anima, & corpore fuerunt ſanctificata, & ad gradum quaſi divinitatis evecta: quid hæremus ancipites? an non ſummam merentur tribulationes, & ærumnæ reverentiam, cum eaſdem humani generis Reparator aſſumpſerit, ut ſanctificaret, nobísque impertiret, ut ſancti ſimus, & æterna donemur beatitate? Dementis eſt judicare mala eſſe, quæ Chriſtus

ipſe, ut bona ad virtutum exercitia probavit, & approbavit, nobis commendavit. Si igitur ærumnæ, dolores, paupertas, ignominiæ, tribulatio, perſecutio ſpirant quid divinum, eò quis per contactum perſonæ divinæ hauſerint divinitatem, cur mala à nobis erunt cenſenda? Reliquias virorum, qui cum fama ſanctitatis mortalitaré exuerunt in veneratione habemus, quas & colimus, eò quis referantur ad ſanctitatem eorum, quorum ſunt reliquiæ: quidni etiam paupertas, labor, humilitas, perſecutio, ignominia, vulnera, dolores, reliquiæ ſunt Chriſti, cur igitur ſacra hæc pignora libenti animo non ſuſcipimus; cur apertis brachijs non amplectimur? cur toto corde non deſideramus, ſi Chriſti ſunt reliquiæ, quæ nobis ex ejus paſſione quaſi dono cœlitùs donantur?

6 Quòd ſi corporum reliquias colimus, cur eas negligimus animorum; ſi veneramur inſtrumenta, quibus ſancti Martyres paſſi ſunt, cur illa velimus deſpicere, quæ conſecravit ipſe Filius æterni Patris, propter quem paſſi ſunt Martyres? corporum reliquiæ ſunt oſſa, vel eorum cineres, animorum verò virtutes, & earundem exercitia: non modò corporis Chriſti ſacra Lypſana nobis conceduntur, ſed etiam animæ, quæ eſt pars nobilior, reliquiæ exhibentur poſſidendæ, ſúntque virtutes heroicæ, exercitia patientiæ in adverſitatibus, tolerantiæ in paupertate, fortitudinis in perſecutionibus; & amoris etiam in perſecutores: hæ ſunt Chriſti reliquiæ, quas venerari, colere, ac poſſidere æquo animo debemus, flectamus igitur genu perſecutionibus, inclinemus verticem ærumnis, pectus conſacremus patientiæ, crucem toto corde adoremus, eò quia clavis ſit, quâ cœli januæ nobis patent.

7 Sunt hæc, quæ viam ſternunt ad cœleſtem beatitatem; quia per exercitia virtutum nos perpoliunt, ac perficiunt. Idque nos edocet natura ipſa, quæ in anguſtijs ſuam uberiùs virtutem ampliat, in adverſis creſcit vegetior, in inopia diteſcit ſplendidior. Uniones innocentiæ ſoboles tunc concipiuntur in conchæ matris ſinu, cùm fulmina è procelloſo aëre ruunt, & cœlum repetito tonitru cædes, & clades minatur: & ſi tunc innocentiùs margaritæ candicant, perinde amicitiâ DEO devincti adverſitatibus preſſi perficiuntur uberiùs, quia adverſitates exercitia ijsdem præbent virtutis, non exitium. Aratri vomer continuato attritu in communis matris dilacerandis viſceribus fit illuſtrior. Asbeſtinum Linum inter accenſi rogi flammas irradiat candidius, ſordes exuit, & puriùs evadit. Baſilica herba regia hortorum proles, cùm atteritur, ſurgit vegetior. Palma triumphantium gloria, dum ſtringitur, ac premitur, creſcit ſublimior, & dum pondere deprimitur, grandeſcit altior. Chryſtallus, ſeu gelu illud pretioſum, quod hominum inflammat avaritiam furente borea, & rigente lurida hyeme dureſcit pretioſior. Silex tunc ſplendidiùs coronatur ror ſtellis circumdatus, quot ſcintillulis ſplendens, cum prædurο chalybe vulneratur. Sabæa illa hilaris lachryma thus tunc gratiſſimum exhalat odoramentum, ut videatur animam nobis inhalare, cum ſuam exhalat, & dum in accenſa acerra *flagrat*, ſuaviùs *fragrat*. Balſami Orientis ille ab Occidente exoptatus ſudor ſuper odorum Alexandri ſudorem odorus, niſi ejus mater planta ſui theſauri tenax ferro vulneraretur, minimè ſuo vulnere noſtris mederetur vulneribus. Aurum metallorum princeps tunc illuſtrius ſplendet, & pretioſius perficitur, cum igne torquetur, è cujus flammis nobilius ſurgit. Linum cum dentato ferro dilaceratur, eò melius evadit. Lilia ceparum inter ollera, ac alliorum capita floreſcunt proceriora, & olent uberiùs. Roſæ florum reginæ purpuratæ, quò ſpinis cinguntur acriùs, olent ſuaviùs: quia adverſa proſunt, & perficiunt; & quos DEUS amicos habet, ijsdem contraria non obſunt.

Finxerunt Poëtarum commenta non 8
conantem, ſed armatum Jovem, qui dextera acutum ſtringeret telum, quod tamen in terram nequaquam evibraret, niſi Vulcani in officina inflammandum tradidiſſet, ſomnium certè Poëtarum fuit iſtud: veritas tamen eſt infallibilis, ſummum Deum tribulationum jacula in homines non torquere, niſi priùs in ardentiſſimi ſui amoris igne ea inflammet, juxta Davidicum oraculum, *Sagittas ſuas ardentibus effecit*; hoc eſt, ut legunt alij, *Sagittas ſuas cum amore implevit.*

Hoc idem purpureis vulnerum characte- 9
ribus in propriæ pellis papyro exaratis nobis legendum exhibet Huſſæus Princeps Job. Erat patientiæ, & ſanctitatis vera idea, vir ſimplex, rectus, ac timens Deum: ſed quia amicitiâ DEO erat devinctus, adverſitatibus exercetur, tribulationibus perficitur, ærumnis illuſtratur, quia per exercitia virtutum ad gloriam nunquam perituram ſibi viam ſtravit. Irruit in ipſum hoſtis tartareus, qui pluribus conceptis pugnandi artibus, ac dolis, bellum eidem indicit, quem perpetuis calamitatibus vincat, ac proſternat. Belli incitamentum invidia fuit non tam ab hominibus, quàm Orco excitata. Urebat tartareum hoſtem, & excruciabat integritas, & ſanctimonia Huſſæi Principis, & in experimentum Jobeæ virtutis poteſtatem à DEO obtinet modis omnibus eum divexandi. Quidni Sabæos ſtatim Huſſææ regionis conterminos excitavit, ut in Jobi campos irruptione factâ adultas ſegetes contererent: omnia ſus deque verterent, & mille quingenta majoris pecoris capita boum, & aſinorum abigerent, cuſtodibus ferro peremptis uno excepto, qui paſſa bonorum detrimenta Jobo nuntiaret. Vix enarravit primus nuntius illatas à Sabæis ruinas; alius ſupervenit, qui ſenſu ſtupens dixit, cœlum ô Princeps adverſum fuimus experti, iratus DEUS voraces flammas è ſummo cœlo in pluvias fecit, & ſuper tuos greges effudit, quos unà cum opilionibus abſumpſit, ne unâ quidem ſuperſtita victimâ, quâ DEUM placare

poſſis;

poſſis: ego ſolus è flammis vorantibus incolumis evaſi hæc tibi nuntiaturus. Extrema vix protulit verba; & ecce tertius accedit famulus, qui memorat, Chaldæos equites raptò vivere aſſuetos in tres partitos turmas tria Camellorum millia fuiſſe prædatos occiſis famulis extra unum, qui ad te acceſſit damnum illarum nunciaturus. Adfuit ſtatim quartus, qui lugens, & per aliquid temporis ſilens, ægróque anhelitu ſingultiens tandem in hæc verba erupit: exortus turbo ſeptem filios, & tres filias eadem convivantes in domo perdidit: concuſſis enim à fundamento quatuor ædium angulis priùs ſepulti omnes, una, eadémque ruina fuerunt, quàm mortui.

10 Quid ni Jobus tot ærumnis preſſus, tot adverſitatibus vexatus, tot cladibus ad extremas redactus inciras, tot infortunijs preſſus filijs, & filiabus deſtitutus non prædones, non adverſantem fortunam, non cacodæmones ipſos accuſavit, ſed veſtium duntaxat dilaceratione dolorem ſuum teſtatum voluit, caput more lugentium, ac triſtantium raſit, moxque coram luctuoſis nuntijs procumbens in genua Deo flagellanti ſe demiſiſſimè ſubjecit, & cùm nudum ſe noviſſet mundo natum, deſideravit, ut etiam nudum terra mater ſuo in ſinu eum exciperet denatum, ſeu ſpoliatum fortunis omnibus, & ſicut Deus dedit, ita & abſtulit, cujus propterea nomini benedixit. Nihil in Jobum Fatum valuit, nihil odij fortuna noverca in ipſum fovit, nihil infortunij caſus egit, ſed Deus, qui bona omnia dederat, eadem abſtulit, cui propterea benedixit Jobus. Quid ni amicitia fuerat Job Deo devinctus, quia vir juxta cor ejus, nihil mali egit, & per exercitia virtutum Deo arctiùs adhærebat, & tamen adverſitatibus premitur, tribulationibus affligitur, ærumnis coanguſtatur, bonis omnibus ſpoliatur, filijs deſtituitur: quia quos Deus amat, hos & flagellat, ut probet, & exerceat in ſtudijs virtutum, quia ut ait Propheta de juſtis, & amicis Deo: *In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.*

11 Sagittæ tribulationum lucem emittunt, qua Dei amici clareſcunt illuſtriores, & haſtæ fulgurantes ſplendores impertiuntur, quibus per tolerantiam, & patientiæ exercitia fiant nitidiores. Sed non in Jobi tantùm externa bona ſævijt tartareus hoſtis, ſed novis collectis viribus invictum ejus animum fategit perpetua calamitatum ſerie proſternere, vel ſaltem ejus linguam impellere in maledicta contra cœlum, horrendo enim ulcere totum corpus infecit, corrupit, & cum illo morborum omnium ampliſſimam cohortem acceſſivit, ut nulla eſſet in corpore pars à pede ad verticem, quæ aliquo non torqueretur dolore, vel corrumperetur ægritudine. Morborum genera, quæ Jobi corpus affligerunt quatuor ſupra viginti ab aliquibus recenſentur, initio enim ulcus ſerpens per totum corpus membra ſingula infecit, corrupit: acceſſit huic ſacer ignis per poplites, & tibias ſæviens, & graſſans, cui mox adnectitur cancer, qui totum corpus puri objecit, ac tumori. Neque defuit frequens animi deiectio, ut ſimilior agenti animam videretur. Lepra ad ipſa deſcendit oſſa plumbeum effecit ſanguinem, mœrores excitavit, & angores peperit. Podagra pedes illa queavit, quos & torſit; Chiragra manus, arthritis in membris omnibus doloriferos excitavit cruciatus, vermes in pure, & ulcere ebullierunt, tabes purulentæ auribus, naribus, ori dolores fovebant acerbiſſimos non ſine cordis palpitatione. Hiſce ægritudinibus adduntur viſcerum putredo, nephritis, ſeu renum exulceratio, halitus malè olens, ſputum ſanioſum, aſthma, angina, colli glandulæ, marcor, & corruptio totius corporis orta ex inedia, & ſiccitate, adeo ut ſpectrum potius videretur Jobus, quàm homo, cujus corpus erat merum pus, & vomica, in quam vermes ebullirent.

Quòd ſi Socrates naturam redarguit, eò quia feneſtram non aperuerit humano in pectore; hic naturæ error non fuiſſet a Socrate corrigendus in Jobo, cujus in pectore quot vulnera, totidem patebant feneſtræ, ſed quis crederet ſagittas has contra Jobum vibratas tela fuiſſe amoris? ita eſt, quia Jobus exarſit amore in Deum, ſagittas ſuas in eundem vibravit juxta Davidicum oraculum *Sagittas ſuas ardentibus effecit,* ſeu ut alij legunt *cum amore implevit:* ita eſt, cùm Deus ſuos deprimit amicos, evehit ſublimiores; cùm premit anguſtijs, dilatat glorioſiores; cùm ſpoliat bonis uberioribus cumulat divitijs; cùm ignominijs, calumnijs, adverſitatibus permittit eos divexari, illuſtriùs eos perficit, huc accerſendus aureus Chryſoſtomus, qui loquens de Jobo ait: *Neque enim in Throno ſedens tam illuſtris fuit, quàm ille tunc in ſterquilinio; ſic clarus, ac celſus erat: ideo ſauciabatur, quia diligebatur.* 12

Jacula fuerunt divini amoris, quæ Jobo vulnera inflixerunt, è quibus ſi ſanguis fluxit, ejus virtus purpurata illuſtrior illuxit. Spoliatus bonis omnibus, ac facultatibus tunc fortior Athleta nudus ad acriorem pugnam contra tartareum hoſtem inſurrexit; tunc ſtetit victor, & firmior, cum in fimeto jacuit: adverſa, ægritudines, dolores toto in corpore vulnera inflixerunt, ſed Achilleo more ad animi ſanitatem, ad gloriæ incrementum: quia virtus in infirmitate perficitur, & imbecillitas humana ærumnis vexata corroboratur. Hinc Jobi ſanctitatem coram Angelorum cœtu veluti in peramplo theatro Deus excepit laudibus, alloquens enim Cacodæmonem Job. cap. 1. v. 8. ait. *Conſideraſti ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis in terra homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum;* ad quæ Sathan retorſit, vir quidem ſimplex, ſi nulla divexetur adverſitate; vir rectus, ſi nulla novercantis fortunæ obliquitas eum tangat, vir timens Deum, ſi cuncta proſpera ei obtingant, ſi cœli ſerenitas ei arrideat, ſi terræ fœcunditas eum locupletet: ſed ſi calamitate obruatur; ſi bonis, quæ poſſidet, deſtituatur; ſi 13

ærumnis affligatur, tunc & ipſe animo cadet, nec tibi amplius benedicet. *Tange cuncta, quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi.* Perperam judicavit Cacodæmon de Jobo, priusquam adverſitatibus quateretur, ærumnis premeretur, *ſed ſi*, ut ait Stoicus, *marcet ſine adverſario virtus, tunc apparet, quanta ſit, quantum valeat, polleátque, cùm quid poſſit, patientia oſtendit.*

14 Idque fortaſſis cauſa, cur Jobus ante toleratas ærumnas, ægritudines, & calamitates, ante productum patientiæ teſtimonium vocetur *homo* Job. cap. 1. v. 8. *Nunquid conſideráſti ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis in terra* HOMO *ſimplex, & rectus*: & poſt toleratas patienter ærumnas, poſt ſuperatas adverſitates, poſt exhibita documenta virtutum, & ſpecimina invictæ patientiæ non ampliùs homo, ſed *vir* dicatur; ait Deus alloquens Cacodæmonem poſt ærumnas, ægritudines, & bonorum jacturas, quas paſſus fuit Job. cap. 2. v. 3. *Nunquid conſideráſti ſervum meum Job. quòd non ſit ei ſimilis in terra* VIR *ſimplex*; ante initam pugnam, ante inchoatum certamen *homo* vocatur; qui poſt conflictum *vir* dicitur: quia nimirum patientiæ virtus, ægritudines, adverſitates, & ærumnæ, quas paſſus fuit fortem, virilem, ac invincibilem effecerunt, ac declarârunt; laudanti Deo Jobum Cacodæmon fuerat refragatus, donec ærumnarum, ac tribulationum teſtimonijs certioratus de illius virtute fuerit. Ironicè fortaſſis putavit dæmon laudâſſe Deum Jobum, quem nullæ hactenus adverſitates pulſaverant, quem nulla mala exercuerant, ideóque poſt divinum teſtimonium, ab ærumnis, vexationibus, & calamitatibus aliud teſtimonium quæſivit; & poſt exantlatos labores non fuit ampliùs auſua refragari: pulchrè exclamat Tertullianus lib. de patientia. cap. 14. *O feliciſſimum illum quem nec abacti greges, non illæ in pecore divitiæ, non filij uno ruinæ impetu adempti, non ipſius denique corporis in vulnere cruciatus à patientia fide Domino dedita excluſit. Quem diabolus totis viribus fruſtra cecidit: nec enim à reſpectu Dei tot doloribus avocatus ille eſt, ſed conſtitit nobis in exemplum, & teſtimonium.* Ecce ærumnæ, ægritudines, & adverſitates divinæ veritati fidem adſtruunt; Jobus ante toleratas adverſitates non approbatur *vir*, ſed tantùm *homo*, à quo fragilitas, & imbecillitas non ſejungitur; ſed poſt paſſas calamitates, & toleratas ærumnas *vir*, ſeu fortis & invictus approbatur, quia ab exercitio *virtus* probatur, ait Tertullianus cap. 5. *Patientia virum approbat*, quia adverſitates hominis corroborant imbecillitatem, arctiúsque Deo agglutinant, à quo proſpera potiùs avertunt.

15 Idque nos edocuit Sponſa in Canticis; cùm enim delicijs afflueret, & gaudio felix exundaret, ac fortunata proſperis frueretur, quia mellis dulcedine farta, vinóque, & lacte madida dixit Cantic. 5. v. 1. *Comedi favum cum melle meo: bibi vinum cum lacte meo.* Quid tum? dulci, ac delicato ferculo paſta, blandus irrepſit ſopor, & molli culcitra recubans placidiſſimè indormivit, ſed ecce ſponſi vox dormientem Sponſam interpellat, foréſque ſibi aperiri enixim rogat: *Aperi mihi ſoror mea amica mea, columba mea*: quid ad hæc Sponſa? an moras ſtatim rumpit omnes, & ſuccinctè tecta, quia à Sponſo protecta ad januam currit Sponſo apertura. Non ſurgit ſponſa, ſed ſe excuſat, *Exſpoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* ſurgere recuſavit inurbana, tantillum laboris & incommodi ſubire detrectavit, & advenrantem Sponſum incivilibus fugavit reſponſionibus; ſed hæc eadem, quæ neglexit pulſanti Sponſo aperire: nunc excuſſa omni ſegnitie, nihili faciens labores, & nocturna diſcrimina, anxia perquirit, ſolicita vicos, & plateas percurrit, ut quem diligit Sponſum inveniat Cant. 3. v. 1. *In lectulo meo per noctem quæſivi, quem diligit anima mea; ſurgam, & circuibo civitatem*: ſed ſi nunc nec pudore detinetur, nec periculis impeditur, nec nocturnis tenebris arcetur, ſed anxia ſponſum per vicos, & plateas perveſtigat, cur antea ad fores pulſantem, & introduci petentem recipere otioſa neglexit? An quia amatorijs à Sponſo laudibus prolecta ſuperbè turget, & turgida ſponſum reſpuit. Sed cur abſentem quærit, quem præſentem non recipit? diſcrimina ſunt circumſtantiarum perpendenda, tunc ſponſa pulſanti Sponſo aperire neglexit, quia melle, vino, & lacte ſatura, quia delicijs affluens, quia mundi proſpera jam delibaverat; & à cœleſti Sponſo mundi deliciæ avertunt, ad quem convertunt adverſitates, ærumnæ, tribulationes; & calamitates; tunc cœpit Sponſa quærere anxia Sponſum cum nox tribulationis ingruit, & calamitatibus ſe premi ſentiebat Cant. 3. v. 1. *In lectulo meo per noctes quæſivi, quem diligit anima mea, ſurgam, & circuibo civitatem.* Ecce per tribulationis noctem, qua in ſcripturis adverſa quæque adumbrantur Sponſum quæſivit, quia tribulatio ſplendida eſt fax viam præſignans, qua ad Deum ſit eundum. Quia adverſis Sponſa urgetur, quia ærumnis angitur, quærit ſolicita per vicos, & plateas Sponſum abſentem, quem delicijs affluens recipere noluit præſentem, & mundi proſperia potita repulerat invitantem, ſcitè D. Ambroſius in Pſal. 118. *Quæſivit in noctibus, in perſecutionibus, in adverſis, in tribulationibus, in laboribus duris.* Ita eſt proſperis inebriata Sponſa iners torpet, & Sponſo detrectat pulſanti aperire, quæ mox ærumnis preſſa, calamitatibus afflicta, tribulationibus anguſtiata, non ſolùm pulſanti aperit, ſed etiam abſentem anxia pervéſtigat, & quem repulerat in proſperitatis die, in nocte quæſivit ærumnarum, ac tribulationum, *quæſivit in noctibus*, ait Ambroſius: *in perſecutionibus, in adverſis.*

Quam felix, & proficua eſt calamitas? 16
quæ ad Deum allicit; quàm illuſtris eſt, & optabilis ærumnarum nox? quæ mentem illuminat, cor ſerenat, animum tranquillat, & iter oſtendit, ut ad Deum accedamus, eíque

ar-

arctiùs adhæreamus. An non ſagittæ tribulationis, tela ſunt amoris, quibus DEUS quos diligit, vulnerat, ut in ſanitate corroboret?

17 Quotquot fuerunt DEO amicitiâ devincti, nonniſi per dolores, & cruciatus, ærumnas, & perſecutiones ad eum acceſſerunt, eique firmiùs adhæſerunt, idque nos edocent purpurati Martyres: figite, ſi placet mentis acies in prima naſcentis Eccleſiæ cunabula, & grato ſpectaculo cognoſcetis aurea Saturni ſæcula feliciùs non regnâſſe, quàm ſub Tyrannide Neronis, & Diocletiani. Ferrea perſecutionum ætas fidelium ſanguinem, licet ebria, adhuc ſitiebat: ſed ſi ſæviebat in Martyres; ſagittæ, quibus vulnerati fuerunt alas compoſuerunt, quibus velociùs in cœlum avolarent; tunc laureas triumphi coronas promeruerunt Chriſti pugiles, ſed cum gladij, & ſecures Martyrum artus amputârunt; tunc ſplendidior fulſit Chriſti militum conſtantia, ſed inter voracis flammæ ſplendores, quibus corpora Martyrum abſumebantur; tunc fœcundiùs germinârunt palmæ, cùm reciſæ corporis venæ fuſo cruore terram irrigârunt: gliſcebant lauri, ſed madefiebant lachrymis; ſplendebant Martyrum purpuræ, ſed fuſus ex inflictis vulneribus cruor colorem ſuppeditabat; innocentiores placebant cœlitibus columbæ, ſed inter accipitrum rapaces ungues; pulchriora candicabant puritatis lilia, ſed inter enſium, ac gladiorum acumina, ut florerent amœniùs inter ſpinas: ſuaviùs canebant caſtitatis cygni, ſed in extremis vitæ conſtituti; nitidiora ſplendebant veluti ſydera fideles, ſed atra carcerum nocte: defœcatiùs, ac pretioſiùs eruebatur aurum, ſed ex ſubterraneæ Romæ viſceribus, & catacumbis; tutiora erant ad cœleſtem Patriam itinera, ſed quando frequentiores erant inſidiæ; brevior erat via, ſed quando prolixior fuit pugna; velocior curſus, quando gladiorum acumina, veluti calcaria non tantùm ſtimulos addebant, ſed vulnera infligebant; tunc triumphabat ſpiritus, ſed quando caro proſtrata cadebat; coronabatur patientia, ſed quando prolixiora erant ſupplicia; epulabatur anima, ſed quando in craticulis aſſabatur corpus; inebriebatur divino amore ſpiritus, ſed quando è fractis artubus ſanguinei fluebant rivuli: tunc vigilantiores proprium cuſtodiebant Paſtores gregem, ſed quando exitiali ira perciti fremebant lupi; ſanctiores erant ſacerdotes, ſed mox futuri barbaræ perſecutionis victimæ: ecce quàm uberi palmarum ſegete primos naſcentis Eccleſiæ fideles perſecutio, & adverſitas locupletavit.

18 Et quis neget, tribulationes eſſe divini amoris pignora, cùm DEUS, quos impenſiùs diligit, acriùs adverſitatum jaculis feriat, ac tribulationibus exerceat? An non dilexit DEUS Martyrem Clementem Ancyranum? Et tamen nonniſi per ignem, & aquam deductus fuit in refrigerium cœleſtis Patriæ. An non dilexit DEUS Martyrem Laurentium? & tamen nonniſi ignita conſumptus craticula perinde ac ſuaviſſimum thus è flammis in cœlum avolavit? An non dilexit DEUS Divum Policarpum? & tamen alter Phœnix, nonniſi ex ſuccenſo rogo ad novam ſurrexit vitam, nulli ampliùs morti obnoxiam.

Veritas igitur eſt meridiano ſole clarior, 19
Deum, quos amicos ſibi devinxit, doloribus, ærumnis, & cruciatibus affligere, & exercere, ut inde uberiorem meritorum ſegetem colligant. Dilexit DEUS Protoparentem Adamum etiam poſt deglutitum prohibitum pomum, & malè carptum malum mali totius originem, quando è paradiſo eum excluſit voluptatis, ut quia DEUM non coleret, terram excoleret; quia noverat DEUS, quòd ſudore, quem per exantlatos labores erat fuſurus, divinam iram extingueret, & dum ſinum terræ matris araret, ex telluris tactu vires ad reſurgendum hauriret. Dilexit DEUS Davidem, quando ut à perſecutione Saulis ſe ſubtraheret per montium juga fugiens, ab Abimalecho panis fruſtulum petijt, quia tunc, ut ſcitè ait D. Hieronymus, *Quamvis non eſſet de numero ſacerdotum, nec ei liceret panes comedere propoſitionis; tamen quia perſecutio Saulis urgebat, propterea antiſtes efficitur, panes propoſitionis accipit, nec mandatum violat.* Dilexit DEUS, quando Tobias oculorum jactura lucis amiſit uſuram, quia tunc factus cæcutiens talpa corpore, animo oculatiſſimus Argus evaſit; & ſi oculorum ſydera eclypſin fuerunt paſſa, mentis acie intimiùs ſolem divinum introſpexit, & uberiori ſplendore virtutis claruit, cùm mortuos ſepelivit. Quòd ſi Democritus ſapientiæ ſolem contemplaturus voluntaria oculorum jactura perpetuam acceſſivit cæcitatis noctem; Tobias hac oculorum jactura clariùs ſolem aſpexit, ad quem propiùs per exercitia charitatis acceſſit. *Tobias* ait D. Cyprianus: *Poſt opera magnifica cæcitatem corporis paſſus laudans, ac timens DEUM per ipſam ſui corporis cladem crevit ad laudem.* Dilexit DEUS Ananiam, Azariam, & Miſaëlem in fornacem ignis à Nabuchodonoſore projectos, quia inter flammas clarior ſplenduit eorum conſtantia, quæ de flammis ipſis triumphavit. Ita eſt, ait Auguſtinus in Pſal. 114. *DEUS flagellat omnem filium, quem recipit, nec tam amarum mihi debet eſſe, quod flagellat, quàm dulce, quod recipit.* & in Pſal. 35. *Nullus ſervus Chriſti ſine tribulatione eſt.* & in Pſal. 36. *Amoris ſigna ſunt flagella, hæc dedit filio ſuo unico DEUS, ut pro omnibus pateretur.*

Lætare igitur, & gaude, qui adverſita- 20
tum anguſtijs premeris, ærumnarum cruciatibus torqueris, tribulationum flagellis exciperis, ſunt enim hæc adverſa, quæ proſunt, non obſunt; ſunt corporis ægritudines, quæ ſanitatem adferunt. Cùm adverſitates, & ægritudines corporis ſint à DEO, malæ eſſe nequeunt, cùm veluti rivuli ab inexhauſto divinæ bonitatis fonte ſcaturiant: non poteſt non eſſe beneficium, quod à DEO provenit beneficentiſſimo, ſi morbus à DEO permitti-

tur, qui medicum non minus agit, cùm ſanat, quàm cùm ſanitatem tollit, cur conquerimur de bono, quod nobis beneficus DEUS impertitur? Corporis ægritudo id ſaltem adfert boni etiam malis, quia hominem homini objicit; dum enim ægritudine decumbit, viribus deſtituitur, humanæ naturæ detegit infirmitatem; ex cujus cognitione validius corroboratur in exercitio virtutis: ſinit DEUS nos dolorem ſentire morbi, ut dolorem concipiamus peccati, & ſic accedentes ad ſummum medicum diſcamus deteſtari ſummum malum. Perpendamus an dolor, quem morbus infert remiſſus ſit, vel intenſus; ſi remiſſus facilè patientia ejus retundit aculeum; ſi intenſus occaſionem nobis exhibet majora cumulandi merita, non igitur mali ſunt morbi, quia cum prodomi ſint mortis, & æternitatis nuntij, à peccatis nos avocant, & ad DEUM ſummum bonum vocant; & hi ſunt, de quibus dixerat Abacuc. *In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.* Gaude igitur, cùm tribularis, quia ſi probavi amicos DEI afflictionum cruciatibus probari; cùm affligeris, DEO amicus efficeris: alloquere igitur DEUM cum D. Auguſtino, & dic.

Hîc ure, hîc ſeca, ut in æternùm parcas.

LIBER VI.

De Epidictica Elocutione.

MAjeſtas eloquentiæ gaudet interdum inter vireta, floréſque elocutionis jocari, præſertim in alienis laudibus recenſendis, & elocutione tunc utitur epidictica, eò quia plurimium habeat floris, & gratiæ ad aures demulcendas; animóſque quadam perfundendos delectatione: hócque perorandi genus ſuum duxit initium, cum excluſo litigioſo tabularum clamore, elocutionis condimenta cœpérunt magis ſapere; talis eſt ſtylus Sancti Ambroſij, in quo totas vires ſuas eloquentia experitur, in eo enim collecta in unum omnium ingeniorum perfectio, nectare, & ambroſiâ diffluit ad legentium delicias, & in quo dubites, an ſit ipſe totus ex eloquentia, vel ex ipſo tota eloquentia confëcta. Talis etiam eſt ſtylus Epidicticus S. Leonis Papæ, Baſilij, Zenonis, Chryſologi, Chryſoſtomi, & aliorum, quorum ſtylo nil facundius, & fœcundius nihil; in ipſo, quot dicta, tot purpuræ; quot verba, tot flores; quot perjodi, tot virtutes, ſítque propterea veluti arbor Xerxis aurea, læta, ſublimis, florum amœnitate venuſta, & fructuum copiâ diteſcens.

EXPENSIO I.

De genere Epidictico, ſeu demonſtrativo.

EPidicticum genus in id incumbit ſtudij, ut promeritis laudibus exercitia virtutum excipiat, & vitiorum turpitudines redarguat, ut deleantur; pungat, ut expungantur: unde ſtylus Epidictici generis hortum imitatur varijs arboribus conſitum, innumeris florum diſtinctum areolis, è quibus ſuaviſſimi ſpirant odores. Stylus eſt floridus, jucundus, & amœnus, qui roſas exhibet, quarum folijs arrideat virtuti, & ſpinis pungat vitium; ſty-

lus

lus eſt, qui nonniſi imperitis diſpliceat, limpidus, purus, candidus, fuſus, ſine ſalebris, & fluens perinde ac plenus, ſedatúſque amnis, cujus verba ſelecta ſunt, ſonantia, lenia, perinde ac micantibus illuſa floſculis aſarota; figurarum amœna varietate delectat perjodorum rotunda ſtructura demulcet, & argutiarum ſalibus plurimum ſapit. Eminuerunt in epidictico genere præ cæteris, qui in texendis panegyricis, laudibúſque Principum recenſendis fuerunt inſignes. Quia verò in triplici cauſarum genere interdum effloreſcit, operæ pretium eſt, hæc genera breviter expendere, ſuntque Demonſtrativum, Deliberativum, & Judiciale, ad quæ reliqui dicendi modi reducuntur. Ratio adducitur à Quintiliano, quia vel Orator agit in judicijs, vel extra, ſi primum vel accuſat, vel defendit, & habetur genus judiciale, quod reſpicit tempus præteritum, cùm nonniſi de antreactis accuſatio, vel defenſio eſſe poſſit. Finis hujus generis eſt, Judicem ad Reos puniendos pro gravitate ſcelerum movere; & ad clementiam erga innocentes flectere. Vel Orator agit extra judicium, & tum vel loquitur de rebus præteritis, quas laudat, ſi probæ ſint; vel vituperat, ſi pravæ, & inde oritur genus demonſtrativum, cujus munus eſt commendare virtutem, & redarguere vitium. Vel loquitur de rebus futuris ſuadendo, vel diſſuadendo, & inde naſcitur genus deliberativum, cujus officium eſt ſuadere, & hortari ad culturam virtutum; & diſſuadere, & avertere à vitijs. Suadet Orator, ſi probet, rem eſſe honeſtam, jucundam, utilem obtentu facilem, quia res, quæ nonniſi difficulter conſequi poteſt, vix ſuadetur. Tullius de hoc triplici genere in *part. num. 69.* ait: Illud ſuperius genus exornatio dicitur, quod genus latum eſſe poteſt, ac varium, quod ad laudandos claros viros ſuſcipimus, & ad improbos vituperandos: genus enim nullum eſt orationis, quod aut uberius ad dicendum, aut utilibus civitatibus eſſe non poſſit. Reliquum autem genus cauſarum aut in proviſione poſteri temporis, aut in præteriti diſceptatione verſatur; quorum alterum deliberationis eſt, alterum judiciorum, ex qua partitione tria cauſarum genera oriuntur.

Solent itidem hæc tria orationis genera, ex eo deſumi, quia tametſi duo duntaxat ſint quæſtionum genera, quæ in omni materia inſtituuntur, quæſtiones ſcilicet ſpeculativæ, & practicæ, cùm de re qualibet quæri non poſſit niſi in ordine ad cognitionem, vel actionem, ſeu ſpeculationem, & praxim, & inde videatur ſequi non poſſe plura dari orationum genera, quàm duo, ad quorum unum ſpectent quæſtiones ſpeculativæ; & practicæ ad alterum: nihilominus uſus inolevit, ut tertiũ adjiciatur genus, in quo ab Oratore tractatur quæſtio mixta, ſeu partim practica partim ſpeculativa. Primũ genus vocatur demonſtrativum, ad quod pertinent omnes illæ quæſtiones, quarum finis eſt ſcientia, ac certæ veritatis cognitio, ut ſi quæramus, num cœli fluidi ſint, vel ſolidi: an ſol ſit terraqueo globo grandior, & luna minor: hæc enim quæruntur, ut eorundem veritas, & ſcientia nobis innoteſcat. Vocatur hoc genus etiam Exornativum, Encomiaſticum, Panegyricum, eò quia Orator in hoc genere principaliùs agat de rerum ſubſtantijs, proprietatibus accidentibus, & effectibus, & inquirit, an perſona, vel res, de qua eſt ſermo, ſit digna laude, vel potiùs vituperio: quo pacto agit Rhetor de homine, brutis, plantis, gemmis, metallis, alijsque id generis, ut etiam de artefactis, ſtatuis, navibus, urbibus. Ad hoc genus pertinent orationes gratulatoriæ, gratiarum actoriæ, epiniciæ, quibus pro delatis ex hoſte victorijs Principibus gratulamur, vel exercitûs Præfectis. Pertinent etiam ad genus demonſtrativum orationes prophoneticæ, quibus de felici adventu alicujus lætamur, eique plaudimus; ut etiam natalitiæ, genetliacæ, nuptiales, funebres, eò quia in his omnibus orator tantùm intendit oſtendere excellentiam illius rei, ob quam alicui gratulatur; vel beneficij, quod alteri collatum eſt, vel ſuſceptæ prolis, aut ductæ ſponſæ, vel mortis probè, & ſanctè obitæ.

Secundum orationis genus dicitur deliberativum, ad quod pertinent orationes ſuaſoriæ, diſſuaſoriæ, monitoriæ, adhortatoriæ, dehortatoriæ, conſolatoriæ, petitoriæ, commendatitiæ, conciliatoriæ, & aliæ id generis, quæ pro fine habent, ut ab Auditore fiat aliquid, aut non fiat, unde ordinatur hoc genus ad praxim. 3

Tertium quod judiciale dicitur nonniſi accidentaliter videtur à duobus præcedentibus differre, in quibus ſicut tractari poſſunt quæſtiones, de qualibet materia, in quovis loco, & coram quibuslibet auditoribus: ita in genere judiciali tantùm tractantur quæſtiones de materia judiciali, cujusmodi ſunt leges, teſtamenta, jura, res bene, vel malè actæ, præmia, & pænæ, de quibus in foro coram Judice agitur. Et quia in hac materia plerumque occurrunt quæſtiones merè ſpeculativæ in ordine ad puram ſcientiam, ut ſi quæratur, num verba legis clara ſint, vel ambigua; ſi dubia; quomodo intelligenda? An dicendus ſit alteri vim intuliſſe, qui ſolis minis alium ab ingreſſu propriæ domûs prohibuit. Interdum tantùm practicæ in ordine ad aliquid agendum, ut cùm quæritur, an indicia ſufficiant, ut reus torturæ ſubjiciatur. An patratum crimen ſit morte mulctandum; ideo genus judiciale particeps de demonſtrativo, & deliberativo, diciturque propterea genus mixtum, ad quod pertinent orationes accuſatoriæ, defenſoriæ, objurgatoriæ, invectivæ, quibus ab inimico reus redarguitur. Expoſtulatoriæ, quæ ingratitudinem in benefactores oſtendunt. Purgatoriæ, quibus noſtra, vel aliena facta excuſamus, & oſtendimus fuiſſe ſine noxa. Deprecatoriæ, quibus petimus veniam commiſſi erroris, & aliæ id generis 4

EX-

EXPENSIO II.

De Materia fine, & Charactere Epidictici generis.

1 QUia ſtructura epidicticæ orationis reſpicit, quæ vel laude comendamus, ut ea imitemur, vel vituperio pungimus, ut expungantur, fit, quòd genus epidicticum æquè latè pateat, ac eà omnia, quæ laudari, vel vituperari poſſunt; quapropter materia circa quam hoc genus verſatur, ſunt virtutes, ac vitia, quia ex Tullio part. num. 71. *Omnia ſunt profectò laudanda, quæ conjuncta cum virtute ſunt; & quæ cum vitijs vituperanda.* Hinc errant, qui verborum redundantijs, ſententiarum flexibus, & ingenti eruditionum apparatu ſe diffundunt in laudandis duntaxat corporis dotibus; & virtutes animi, quæ vera ſunt hominis ornamenta negligunt; hinc Ulyſſes meritò apud Ovidium *lib. 12. Metamorph.* cum illi Ajax ſanguinis ſplendorem, ac Avorum objeciſſet nobilitatem callidè reſpondit, *nam genus, & Proavos, & quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra voco.*

2 Perſona laudatur præſertim ex virtutibus animi, & dotibus corporis, ut notat Tullius *lib. 3. de orat. ſect. 46.* in animo virtutes, & ſcientiæ commendantur, præſertim pietas, quæ eſt baſis, cui imperij & vitæ privatæ ſimulacrum inſiſtit, eſtque cultus erga Deum, cujus partes ſunt, amor Dei, timor, honor, qui teſtatur per actus fidei, Spei, & Charitatis, ut etiam Zelus propagandæ Chriſtianæ religionis, preces fundendæ ad Deum cum perſeverantia, ac fervore. Ab hac virtute Auſonius comendat Gratianum, inquiens. Nullum quidem diem ab adoleſcentia tua, niſi adorato priùs Numine, & voti reus, & illico abſolutus egiſti, lotis manibus, mente pura, immaculabili conſcientia; & quod in paucis eſt, cogitatione ſincera. Operto conclavi tuo, non ſanctior ara Veſtalis, non Pontificis cubile caſtius, nec pulvinar flaminis tam pudicum.

3 A virtute prudentiæ, cujus octo ſunt adminiſtræ facultates, memoria, intelligentia, docilitas, ſolertia, ratio, providentia, circumſpectio, cautio. Memoria eſt cognitio rerum præteritarum. Intelligentia præſentium. Docilitas notitia per inſtitutionem comparata. Solertia ingenij in inveniendo, & conjiciendo ſagacitas. Ratio, quæ argumentatione concluditur. Providentia eſt ipſa diſpoſitio rerum ad finem conſequendum idonearum. Circumſpectio eſt ad circumſtantias rei ipſius, de qua agitur attentio. Cautio eſt molitio quædam mentis, contra impedimenta, quæ objiciuntur. A virtute prudentiæ Plinius Trajanum commendat. Hoc veri Principis atque etiam Conſulis reconciliare æmulas civitates, tumentéſque populos non imperio magis, quàm ratione compeſcere. Intercedere Iniquitatibus magiſtratuum, infectúmque reddere quidquid fieri non oportuit. Poſtremò velociſſimi ſyderis inſtar, omnia inviſere, omnia audire, & undecunque invocatum ſtatim velut Numen adeſſe. Talia eſſe crediderim, quæ ipſe mundi parens temperat nutu, ſi quando oculos dimiſit in terras, & facta mortalium inter divina opera numerare dignarus eſt, quibus nunc per te liber, ſolutúſque cœlo tantùm vacat, poſtquam te dedit, qui erga hominum genus vice ſuâ fungereris: fungeris enim ſufficisque mandatis, cum tibi dies omnis ſuma cum utilitate noſtra cum tua laude condatur.

4 A Juſtitia laudatur præſertim perſona Principis, eſtque virtus tribuens unicuique ſuum, & dividitur in tres partes: alia enim eſt juſtitia naturalis ab ipſa natura nobis indita. Altera legitima, ex conſtitutione Principis, vel populi authoritate ſancita. Tertia poſita eſt in conſuetudine, quæ jus continet. Juſtitia naturalis in ſex ſubdividitur partes quarum prima eſt religio erga Deum; & vis quædam menti inſita, quâ ex Dei timore abſtinemus à malo. Secunda eſt pietas, quâ Deo, Patriæ, & parentibus debitam exhibemus obſervantiam. Tertia eſt gratia officiorum, bonorum, amicitiarum Memoria, & remuneratio. Quarta vindicatio, quæ in ſcelera animadvertit. Quinta obſervantia majorum, ac ſeniorum. Sexta veritas, & in dictis ſimplicitas.

5 A fortitudine, quæ eſt murus Semiramidis, & Clypeus impenetrabilis, quo retundimus adverſantis fortunæ tela, & virtus eſt, quâ res arduas, & mortem ipſam contemnimus, cujus partes ſunt magnanimitas exaggerata quædam animi moderatio, qua res magnas aggredimur, & adminiſtramus. Fiducia per quam in magnis, & honeſtis rebus animus multum in ſe latere præſidij ſperat Deo juvante. Perſeverantia eſt continuus vitæ tenor in rebus honeſtis, & magnis. Patientia rerum contrariarum causâ finis honeſti, voluntaria, ac diuturna perpeſſio.

6 A temperantia laudatur perſona, eò quia frænum injiciat pravis affectibus, concupiſcentias coërceat, & animi impetus compeſcat: hinc tres ſunt temperantiæ partes, continentia, clementia, & modeſtia. Eſt continentia, quâ cupiditates immodicæ coërcentur. Clementia lenitas in puniendo. Modeſtia pudor honeſtus, & in honoribus moderatio; quamobrem proprium hujus virtutis eſt coërcere cupiditates, Venerem compeſcere, linguam cohibere, iram, & gulam frœnare, ab hac virtute Pacatus Theodoſium commendat inquiens. An quis ferret moleſtè Principis ſenis modum coërceri? aut ſubtractum doleret ſibi de privata luxuria, cum videret, Imperatorem rerum potientem, terrarum, hominúmque Dominum, parcè, contentéque viventem, modico, & caſtrenſi cibo jejunia longa ſolantem, ad hæc aulam omnem Spartanis gymnaſijs duriorem, laboris, patientiæ, frugalitatis, exemplis abundantem? neminem inveniri, qui auderet ad penum regium flagitare, remotorum litorum piſcem, peregrini aëris volucrem, alieni temporis florem: &

cæ-

cætera planè egregia. Nonnullis interjectis ſubdit. Tuæ Impetator epulæ menſibus commuoibus parciores, locorum, ac temporum fructibus inſtruuntur. Hinc certatim in omnes luxuriæ pudor, parſimoniæ cultus inolevit, & quieſcentibus legum ſumptuariarum minis ſubit quandóque privatim ſui pœnitentia.

7 A Vitture Clementiæ, qoæ vel maximè decet virum Principem commendat Cicer. Marcellum *Orat. pro M. Marcello num. 8.* Domuiſti gentes immanitate ba: baras, multitudine innumerabiles, locis infiuitas, omni copi.rum genere abundantes; ſed tamen ea viciſti, quæ & naturam, & conditionem, ut vinci poſſent, habent: Nulla eſt enim tanta vis, tanta copia, quæ non ferro, ac viribus debilitari, frangique poſſit. Verùm animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare; adverſarium nobilitate, ingenio, virtute præſtantem non modo extollere jacentem; ſed etiam amplificare ejus priſtinam dignitatem; hæc qui facit non ego cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo judico.

8 A libetalitate plurimum etiam commendatur perſooa, præſertim ſi ſit liberalis in pauperes, quorum miſerias ſublevet, ſi ſplendidus ſit in reparandis publicis ædificijs, inſtaurandis itineribus, reſarciendis pontibus, ædificandis templis, monaſterijs, in gymnaſijs conſtruendis, & alijs ad commune commodum pertinentibus.

9 A dotibus corporis laudatut perſona ob agilitatem, pulchritudinem, ſanitatem, & robur; ſolet corporis pulchritudo egregi mentis eſſe ſimulacrum, & à Dione vocatur mutua commendatio, éſtque apta membrorum propoitio, cum quadam coloris ſuavitate: in viris dignitas, in fœminis venuſtas dicitur, in viris tamen heroibus, & Principibus laudatut proceritas corporis, capitis majeſtas, oris dignitas, fulgor oculorum.

10 Agilitas corporis laudatut ab effectis in currendo, jaculando, luctando, venando. Auſonius agilitatem Gratiani Imperatoris commendans ait. Quis curſum tam pernicem incitavit? quis palæſtram tam lubricus expedivit? Quis ſaltum in tam ſublime collegit? Nemo abductiùs jacula contorſit, nemo ſpicula crebriùs conjecit, aut certiùs deſtinata percuſſit.

11 Laudatur etiam perſona à fortuna, ſeu conditione, inſtitutione, actionibus, & circumſtantijs. Ad fortunam pertinent opes, natalium ſplendores, honores, dignitates. Actiones naturam hominis perficiunt, circumſtantiæ rem ornant. Interdum laudatio eſt mixta, ut eſt illa, quâ Plinius Trajanum commendat inquiens. Enituit aliquis in bello, ſed obſolevit in pace; alium toga, ſed non arma honeſtârunt; Reverentiam ille terrore, alius amorem humanitate captavit; ille quæſitam domi gloriam in publico, hic in publico domi partam perdidit. Poſtremò nemo adhuc extitit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur. At Principi noſtro quanta concordia, quantúsque concentus omnium laudum, omníſque gloriæ contingit; ut nihil ſeveritati ejus, hilaritate; nihil gravitati, ſimplicitate; nihil majeſtati, humanitate detrahatur. Jam firmitas, jam proceritas corporis, jam honor capitis, & dignitas oris ad hoc, ætatis inflexa maturitas, nec ſine quodam munere Deûm feſtinatis ſenectutis inſignibus ad augendam majeſtatem ornata cæsaries, nonne longè, latéque Principem oſtentant?

Finis epidictici generis eſt igitur virtutis commendatio, & vitiorum vituperatio. Ariſtoteles tamen *2. Rhetor. cap. 3.* vult finem epidictici generis eſſe etiam delectationem, quam affectant Auditores: ex quo conjicitur, qualis eſſe debeat ejus character, qui in id neceſſe eſt, collimet, ut Auditores mulceat, eorúmque animos quadam perfundat ſuavitate, quamobrem debet hic ſtylus eſſe candidus, comptus, qui dicendi veneres, & lepores inſtillet, & veluti Amalteæ, ut ajunt cornu, dicendi uberrate omnium arguriarum venuſtates, ac ſententiarum fructus perfundat. Hunc ſtylum promoverunt primi amœnioris elocutionis cultores, ut Plinius in Panegyrico Trajani, Pacatus in laude Theodoſij, Gallicanus in orationibus ad Conſtantinum Magnum: Eumenius in encomijs Conſtantij filij Conſtantini, Seneca in commendatione Auguſti, Auſonius in recenſendis virtutibus Gratiani Imperatoris: Aurelius Caſſiodorus in enarrandis Theodotici Regis nitidiſſimis moribus, Mamertinus in Genethliaco Maximiani, Nazarius in Encomijs Conſtantini. In his, & alijs oratoribus epidictici generis, character humanæ eloquentiæ culmen videtur attigiſſe, ut quò progrediatur, ſtylus ampliùs non habeat. 12

EXPENSIO III.

De Panegyricis Orationibus.

PAnegyris ſolemnis olim erat quinquennalium ludorum celebritas, ſive ut ait Herodotus *lib. 6.* nundinæ erant, quales quinto quoqoe anno Athenienſes celebrare conſueverunt, ad quas oniverſus confluebat populus. Idque cauſæ, cur, quæ in genere demonſtrativò habentur in conventu populi orationes panegyricæ nuncupentur, quarum originem Antimachus à Mercurio, & à Muſis ducit, inquiens; *Non ſecus ac Aſcræus Paſtor ab eisdem in Eliconæ colle Poëſin eſt conſecutus.* Quia verò panegyricæ orationes commendant illuſtrium virorum geſta, & virtutes, neceſsé eſt, Orator prudenter ſe gerat, cùm enim omnis laudario ad honeſtatem ſpectet, in id debet incumbere ſtudij, ut quidquid laudandum ſuſcipit, honeſtæ laudis adultam ſegetem exhibeat, ne fortè mendacio videatur veritas regi, & per auxeſes hyperbolicas ſupra merita videatur perſona laudari; non enim patiuntur ad- 1

adſtantium aures inſolenti occupari mendacio, & eas faſtidiunt comparationes, quæ à vero nimis diſtant, ut eſſet comparatio ducis in re bellica periti cum Jove fulmina vibrante, & tonante. Exulent à Chriſtianis Oratoribus Encomicorum illæ ſpecies, quæ ſupra meritum, & humanam conditionem hominem ſupra homines intempeſtivè evehunt. Tunc ampliſſimè laudantur homines, ſi verè, quæ geſſerint, enarrentur: dum enim blanda mentiendi dulcedine blanditur Orator virtuti injuriam infert. Amant omnes res, quas laudandas ſuſcipiunt, ſupra naturam, & mores extollere, ut videantur eloquentes, ſed tantùm abeſt, ut argumento decus, & gloriam ſibi concilient, quin potiùs aures deterreant eruditas. Tyrones præ cæteris in hunc ſolent errorem impingere.

2 Cæterum argumenta in genere epidictico plus habent ſpeciei, & floris, quàm pugnacis caloris, cùm enim in laudis ſegetem cadant, Orator non debet anxiè laborare, quomodo probet Auditoribus, talia eſſe, quia jam omnes ſatis conſentiunt: ſed in hoc debet incumbere ſtudij, ut quæ per ſe pulchra, gravia, & excelſa ſunt, excitato quodam eloquentiæ flore exhibeat veſtita, ad quod plurimum valent definitiones conglobatæ, partium enumerationes, ſimilitudines, adjuncta, effecta, contraria, hiſtoriæ inſignes, & alia id genus. Ut habet Petiot in Panegyrico Ludovici XIII, cujus fragmentum ſubjicio. Ibant olim milites in aurea veſte ſub Antiocho, in picta clamyde ſub Sertorio, in purpura ſub Cleomene, in expolitis armis ſub Cæſare, in ſcuto puniceo ſub Ageſilao, in fibulatis auro caligis ſub Aureliano, in amictu argentea cruce ſignato ſub Conſtantino: eunt milites ſub Ludovico in veſte non ad delicias molli, non ad pompam ambitioſa, ſed ad militare robur, & pugnam accincta; ferro, non auro miles indiget; bellum ardore geritur, non nitore; & paulò infra ſic ejus triumphum commendat. O ſi mos ille vigeret adhuc, quo ſolemni pompa victores portabantur in Urbem, quantus foret Imperatoris noſtri triumphus? quæ gentium acclamationes? quæ monumenta victoriarum? iret ante currum depreſſo collo, ſubjectis cervicibus, ſubacto vultu, condemnata Rebellio; currum traherent ſimul victi, ſimul victi cum Rupellenſibus Angli, frontibus famulari jugo conjunctis; ſuccederent agmina vitiorum uno ſimul omnia loro devicta, cæsáque flagella virtutum; & paulò inferiùs ſubdit. Alij ponerent obeliſcos ut Ceſoſtri; alij columnas érigerent, ut Trajano; tabulas illi figerent, ut Alexandro; arcus iſti flecterent, ut Conſtantino; plurimi pyramides excitarent, ut Nino.

3 In genere epidictico præſertim in orationibus panegyricis exordia multipliciter conſtruuntur. Interdum in prima ſtatim perjodo ponitur propoſitio probanda in tota oratione, quæ propterea vicem gerit exordij. Id præſtitit *Ferratius* in oratione panegyrica de S. Stephano Protomartyre, incipit enim ab ipſa propoſitione hoc pacto. Infantis DEI regium caput coronari decet. Quæ poſſit autem corona Stephano aptior inveniri, cujus & ipſum nomen corona eſt? quidni etiam perlibenter homine coronetur Deus, humana, qui membra peramanter induerit: igitur ſi ſanctiſſimi juvenis virtutem coronariam magìs fuiſſe, quàm nomen oſtendero, mea quoque oratione coronatum infantem Deum exiſtimabo. Ducuntur etiam exordia in panegyricis à modeſtia ipſius perſonæ laudandæ, eò quia non patiatur proprias audire laudes, maliſque laudanda agere, quàm laudari, ut ſi Orator diceret. Pallet quidem ad gloriæ nomen modeſtia tua aſſueta potiùs erubeſcere, quàm purpureis rubeſcere laudibus, ſed inde uberiores mereris laudes, quia ſilentium indicit Oratori.

Interdum etiam exorditur à modeſtia ipſius Oratoris ſe excuſantis ob ingenij imbecillitatem, vel rei magnitudinem non poſſe æquare promeritas laudes, id præſtitit Theodoſij Panegyriſta, inquiens: Si quis unquam fuit Imperator Auguſte, qui initio dicendi trepidaverit, talem me hodierna die ſentio, nam cùm te ſemper ultro omnes retro Principes laudari oportuerit in ea urbe, cujus libertatem aſſeruiſti armatus, & auxiſti togatus, &c. 4
Nonnunquam etiam deducitur exordium ab alluſione ad allegoriam continuandam in tota Panegyrica oratione. Id pulchrè exhibuit Ferrarius in oratione de S. Spiritûs adventu, quam exorditur hoc pacto. Adſum incendij Nuntius, quo univerſus terrarum orbis, tum urbium regina, urbs ampliſſima Hieroſolyma conflagravit; neque tamen opem imploraturus adſum, ſed ardorem gratulaturus. Non enim Nero aliquis trabeatus Uſtor feralem ſubdidit facem; ſed ipſe ſuos injecit ignes amor hominum Deus. Deo autem ardere beatum. Idem me quoque ardor vibrantibus linguis eloquenter fulgurans accendit, ut hodierni breviter eloquar incendij felicitatem. Nonnunquam etiam ab affectu aliquo ciendo, quique congruat tempori, & loco, exordium petitur, ut præſtitit Ferrarius in oratione epidictica, cui titulus eſt, Morientis DEI prodigium, ubi ita exorditur. Erumpe, tandem erumpe, quà licèt ex ore, ex oculis ſine Rhetorum fuco incomptus, ſine partitionis ordine, incompoſitus DEO moriente parentalis dolor; leviter dolet, qui ſuum poteſt dolorem ordinare. Hæc una triſtiſſimam orbitatem decet eloquentia, confuſa cum rerum univerſitate, flebiliter tumultuari. Quamquam utinam confundi omnium, perturbarique tum primùm cœpiſſent, cùm nocte meridiana decolor dies expalluit; cum trepido tumultu dehiſcens terra nutavit. Tum ſanè, tum potiùs peſſumdatus eſt rerum ordo, cùm viliſſima ſubjit ſupplicia reus apud homines Deus. Hoc igitur lugubre argumentum exlex indicit dolor perorandum ad clepſidram, lachrymarum. Specialiùs tamen deſumitur exordium ab inſigni

ali-

aliqua nomenclatione, quam perſona laudanda proprijs geſtis ſibi comparavit: qua ratione exorditus ſui orationem panegyricam, quam in laudem Maximiliani Emanuelis Bavariæ Ducis, & S. R. I. E. cum ex Hungaria, & Belgio Monachium redux victricibus palmis onuſtus ob pluries, vel proſtratos, vel fugatos Turcarum exercitus communi plauſu receptus ſuit: cùm enim ob præclarè in bello contra infideles geſta cognomen *Magni* obtinuerit, ab hac nomenclatione exorditus ſum panegyrim.

Idea Orationis Panegyricæ in laudem Principis in bello victoris.

5 HEroum nullus ex ſexcentis à priſco decantatis Romanorum Imperio invidam promeruit *Magni* Nomenclaturam, ſive inſigni facinorum pompa, ſive rerum in bello præclarè geſtarum faſtis, quem *Serenitas Veſtra Electoralis* vel æquo non fuerit ſequuta pede, vel volatu non anteceſſerit ſublimiore. Veſtræ námque adoleſcentiæ etiam adulti fuêre triumphi adulati; quia innato quodam genio cum florente veſtra Juventa didicerunt, & victoriæ adoleſcere. Quòd ſi Alexandro Macedoni annum ætatis ſeptimum ſupra vigeſimum agenti debellatus ad Harbella Darius cedente Aſiæ Imperio, *Magni* nomen fecit; quia cum triginta ſex millibus Græcorum, ducenta millia Perſarum fuderit, profligaverit, diſſipaverit. Si Pompejo Juveni viginti ſex annorum Africa ſuperata *Magni* cognomen dedit; quia captis hoſtium caſtris, Ducem Domitium interfecerit, ejúsque Socium Hiarpam Regem compede vinctum, ſimul, & victum ſecum traxerit in triumphum; dictus propterea ante Imperator, quàm miles. Si Publio Scipioni Romano Juveni anno ætatis vigeſimo tertio ſubacta Carthago, Pœníque edomiti *Magni* nomenclationem fecerunt? Livius lib. 27. *Et rumor de eo apud hoſtes tunc increbuit, veniſſe Dijs ſimillimum Juvenem vincentem omnia.* Quanto potiori jure SERENITATI VESTRÆ hisce Ducibus ætate minori, virtute majori, inſigne hocce *Magni* cognomentum dabunt Vienna à pertinaci obſidione vindicata; Pannoniæ Religioni recuperatæ, ſubacta Servia, quæ in capto ſuo capite ſervire Cæſari didicit, occupata Tranſylvania; fracta Ottomanicæ Lunæ cornua; imminutæ Turcici vires Imperij: depreſſa Scytharum audacia; & hoſtium exercitus in primævo ætatis veſtræ flore pluries fuſi, profligati, diſſipati? Nondum annum expleverat vigeſimum, nondum quartum abſolverat ætatis luſtrum, cum illuſtrare cœpit victorijs delatis ex deletis Turcarum exercitibus non Romanum duntaxat Imperium; ſed & Orbem totum Chriſtianum. Docente námque DEO Manus veſtras ad prælium, & digitos erudiente ad bellum, priùs veteranus, quàm Tyro, animo ætate major, conſilio maturior, virtute adultior, eâ ingenij acie progreſſa eſt in aciem acriter, & alacriter, ut Scythicas, Odryſiáſque legiones Chriſtianæ inſultantes Religioni fugaverit, inſequuta fuerit, ac proſtraverit, eâ ſanguinis effuſſione, quò uberiùs irrigatæ ſurgerent vegetiores victrices palmæ, Lauríque triumphales; tellúſque eodem repefacta adoreas germinaret: cum fauſto ſemper Marte, eóque victore invictum hoſtibus pectus objecerit.

6 Incrementa ſubierat Ottomannica Luna immenſis propemodum militum copijs, quas è ſingulis interminis Imperij Turcici longè, latéque diffuſis provincijs dato authoramento ingenti ſumptu, apparatúque antehàc inſolente ſelegerat. Recenſi enim, luſtratique fuerant centum, & ſexaginta mille Sacramento obſtricti militiæ, ex Aſia, Africa, & Orientali acciti Europa, totúmque Orientem moverat in Occidentem, quem ut uno quaſi prælio everteret; debellatâ, depopulatâ, & ferro, flammíſque extradita Hungariâ, Viennam principem Cæſaris ſedem, primúmque Romani Imperij propugnaculum totis viribus, totóque niſu invaſit, oppugnavit, preſſitque diuturna obſidione; ut ſpem inter, & metum ſuſpenſus hæſerit Orbis, quâ tandem parte dominium ſtaret; aut ſervitus, cùm hæc ab illo nonniſi ſolius gladij videretur acie diſtare. Sed quid bellica virtus poſſit, cùm majora imminent pericula Serenitas V. mundum edocuit. Cæſari ſuppar ſi non ad Pharſalicos, certè ad Auſtriacos deſcendit campos, in quos ſequente Bavarica Fortitudine, obſequente Martia Fortuna, auxiliares copias quindena circiter millia Bavarorum mira duxit celeritate. Ajunt, Darium, & Xerxem annis decem dimenſos fuiſſe bellicum apparatum adverſus Græcos; & horum Pronepotem Perſarum Regem quatuor annorum decades inſumpſiſſe: ſed Elector Bavaricus intra paucorum menſium anguſtias eum armavit exercitum, quò longè clariores fuerit victorias enactus.

7 Facilè eſt citò metere, ubi ager plena ſegete fluctuat. Providentiæ, ac Prudentiæ fluunt ſuo tempore ſingula ad votum; neque felicior, ac expeditior eſt ulla celeritas, quàm quæ præviſa præſto ſemper habetur. Id veſtra præſtitit Providentia, cùm primùm ad clavum cœpit Regiminis ſedere. Nimirum ut ad quóſque ſubitos motus paratum haberet exercitum, omnia æquè prudenter diſpoſuit, ac ſolerter direxit. Huc ſpectârunt peculij collectio; optimorum Ducum, militúmque ſelectus; armorum diuturnus appartus; tum civium, tunc Colonorum crebra exercitia bellica; umbratiles conflictus, equeſtria certamina, feſtiva haſtiludia, Ludicræ Armatorum pugnæ; quibus ab adoleſcentia delectabatur. Facilè inquam fuit ſubſidiarias copias priùs cæteris in Auſtriam ducere, quæ non quærendæ, ſed jubendæ tantùm fuerunt, & ad quarum appulſum SER. V. Turcarum, Scytharúmque deprædantium compeſcuit incurſiones, coërcuit inſolentiam, repreſſit audaciam. Acceſſit mox Joannes Rex Poloniæ

cum ſuo exercitu, duxítque, quò expeditior in hoſtes fieret irruptio, Tulnæ trans Danubium caſtra per dies aliquot metari, cuj cum Cæſarianis, quibus præerat, ſe junxit Carolus Lotharingiæ Dux.

8 In unam igitur coactis aciem Fœderatorum viribus; indicatíſque per reduces exploratores locis ſingulis ab hoſte occupatis, ac aggere munitis; concordiâ exercituum, fide militum, Chriſto Duce Chriſtiani Nominis Vindice, eâ animi imperterriti Conſtantiâ Bellica veſtra Virtus in hoſtes irruit, quò non pugnare, ſed fulminare videretur. Hæc illa fuit, quæ Turcarum obſidionales turmas tumultuatim ex abditis Acceſſuum, ac circumvallationum ſuffoſſionibus egreſſas, poſt aliquot velitationes, ac conflictus adegit ad fugam non ſimulandam, ſed præcipitandam. Hæc illa, quæ eum metum, terrorémque hoſtibus incuſſit, ut tela non ampliùs jacerent, ſed abjicerent; arma non diſponerent, ſed ſarcinas ad fugam deponerent celeriorem. Hæc illa, quæ fugientes inſequuta profligavit, debellavit, proſtravit, ſimúlque reſtituit urbem, ſervavit Orbem. Ferunt conveniſſe olim Virtutem, & Fortunam, ut jacienti Romulo prima Romani Imperij fundamenta, Urbémque condienti opem, viréſque ferrent: ſed quò bellica veſtra Virtus unà cum Imperio Romano Urbem ſervaret, Orbem conſervaret; inconcuſſa Fortitudo, & ſagax Prudentia, nexu Gordio arctiore, veſtro confœderatæ in pectore vires, & conſilia ſuppeditârunt. Quis hanc victoriam non vocet fortunarum ominatricem, triumphorum evocatricem, ac perennitatis fatidicam? Hæc fundamenta jecit, quò firmiùs ſtarent perpetui veſtri triumphi; quibus Teſſeram aſcivit, non ut olim Cæſar, Venerem genitricem, ſeu pellicem; ſed Virginem ab æterno Matrem Filij Dei electam à à communi originali labe immunem conceptam, Sole amictam, & ſuetam pedibus curvatam in cornua Lunam calcare, Ottomannicam dixerim. Hoc militari ſymbolo auſpice, interjectóque Bavarici ſtemmatis Orbe, ceu veſtro exercitu, Solem inter hunc Virgineum, & Lunam Ottomannicam erecto cornu ſuperbientem, hanc ſolemni obſcuravit Eclypſi, cum Hungariam in luctu, in ſqualore jacentem defloratam, deploratam Turcico preſſam imperio, oppreſſam jugo, à fœdo vindicavit famulitio, ſimúlque Romana limina, & Chriſtiana lumina longè, latéque propagavit. Fuit veſtri ſymbolum vexilli imago Virginis Matris cum epigraphe *Clypeus in te ſperantibus;* nimirum Clypeus, quo tectus, & protectus Bavarus Dux Potentias confregit, Arcus, ſcuta, gladios, & bella diſſipavit Turcarum. Teſtatur id ager Barcanus, ubi ad pugnam adactas Odryſias Phalanges præclarè fudit, & ſuperſtites Turcas ad præcipitem fugam compulit, qui diſruptâ lignea ſubſtructione pontis, quô Barcanio Strigonium itur, punctim, cæſim cruentâ clade ſaucij ceciderunt, vel extincti ſanguine, vel extinguendi flumine.

Neque hic ſtetit victoria Bavara, quâ ceciderunt Strigonium, Vaccia, Viſſegradum & Peſtum: quin & Buda iteratò obſeſſa; ubi extrema tentans deſperata Barbaries, arctiùs à Bavaris preſſa in ſuperiori Arce, ſuâ edocuit clade, nil poſſe Virtuti Veſtræ bellicæ obſiſtere, cui invia nulla via: tormentis ſiquidem bellicis non deſtitit Arcis quatere mœnia, licèt gemino firmata ſaxeo aggere; & per ollas igniarias, flammas exitiales, bolides accenſas, aliáque id generis ignita miſſilia uſque ad terrorem, horrorémque exilientia, ac reboantia, expugnare intus præſidiarios milites, ædificia evertere, turres diruere, muróſque diſijcere: quaſi didicerint pugnantes in bello ignes in veſtra flecti obſequia, & in juſſis obeundis, ardere acriùs, quæ ut velociùs exequerentur, micationum ſuarum momenta in inſtantis reſtrinxêre anguſtias: móxque cùm per ſinuatas, ſuffoſſiones, murorum ruinas, laxúmque hiatum pateret aditus ad Arcis aſſultum eâ celeritate, ac alacritate Bavari ſigno dato in everſa irruerunt Arcis mœnia, ut non homines ad Arcem oppugnandam, ſed ut Leones prædæ inhiantes viſi ſint irrupiſſe; captámque Arcem bellica veſtra Virtus Cæſaris juris fecit, cujus diademati tot addidit gemmas auro inſertas, quot victore ferro ex Ottomannico jugo extraxit urbes per ſex annorum curſus, quibus agros hoſtiles Odryſio ſanguine tepefecit, Martióque ſudore rigavit, quò uberiores germinarent adoreas, in tot urbibus captis, Arcibus expugnatis, propugnaculis everſis, Provincijs Chriſto recuperatis, & Cæſari reſtitutis; quæ uno cecidêre conflictu cum ad Harſanicos colles pridie Iduum Auguſti, eo vel die, quo olim Romæ in Circo Flaminio ſacra fiebant Herculi Magno Cuſtodi, Ottomannicum exercitum numero ſuo ſuperbientem inſigni victoria fudit, profligavit, ac prorſus delevit. Quòd ſi Hercules, uti ferunt, Hydram ſeptemgeminis capitibus pullulantem tædâ, & ferro in Lernæa extinxit pallude. Veriùs & auſpicatiùs Boicus Dux oculis, qui Herculem decerent contra Hydram irruentem; capite criſtatâ galeâ, pectore loricâ tectus, Herculea fortitudine, animóque munitus irruit in hoſtes, quorum perfidiam proſtravit, audaciam compeſcuit, ſuperbiam depreſſit; ea fortitudine, celeritate, ac felicitate, quâ magnâ illa belli tria fulmina Alexandrum Scipionem, & Cæſarem viſus ſit ſuperâſſe.

Mirati fuerunt Harſanici montes invi- 10
ctam Veſtram Fortitudinem, & bellicam admirari Virtutem, ad quorum radices caſtra fuerat Ottomannicus exercitus metatus pallude, ſylvis, ac aggeribus circummunitus, qui multitudine ſuperbus, furore ſupra Barbaricum, poſtremam Chriſtianorum aciem, cui SER.tas V. moderabatur auſus eſt erumpens ſuis è caſtris in apertum campum laceſſere, adoriri: ſed ſenſit dies illa æquè rubro, ac candido ſignanda Lapillo, ſenſit, inquam, Bavarum Herculem, Magnum Chriſtiani Orbis Cuſtodem, qui ut unus erat barbarorum ſcopus,

co-

eorundem & ſcopulus fuit, in quem illiſi, licèt ſuo freti æquè numero, ac audacia, fœdè in freto proprij cruoris naufragi perjêre. Clypeus enim, & gladius cum ſteriſſet Chriſtianorum, primam ante aciem micavit imperio, dimicavit enſe; texit pugnantes fideles, & protexit: id veſtræ debetur Virtuti, quæ tuetur, quos intuetur, & publicam ut tueretur Chriſtianorum cauſam, nec pericula pavit, nec vulnera cavit; cúmque exemplo fortiùs, quàm voce animos pugnantium excitaret, ac diſtricto gladio dimicaret, acriorique ardore pugnam urgeret, id terroris hoſtibus incuſſit, quò trementia eorum ſigna priùs defecerint; & cum ſaucijs plurium millium corporibus cœperint ſuperſtites animo cadere, ac curvata expalleſcere cornua Ottomañicæ Lunæ; quæ proprio fœdata cruore, & rubore ſuffuſa; quia rubuit ſanguine victa, non erubuit timore perculſa præcipitatam iterum fugam; quæ viam aperuit Bavaro Duci penetrandi in hoſtium caſtra, ubi ſupremi Viſitij ſuperba tentoria, totúsque bellicus commeatus ejus ceſsêre trophæa; cujus bellica Virtus, quò ſublimiùs emineret, ceciderunt Turcæ hoc uno conflictu octies mille, quò perenniùs duraret, ſe fugæ dederunt octogies mille. Non ſinentibus loci anguſtijs amplam militum pugnam, militârunt tam multa in uno Bavaro Hercule, ut integrum ſuppleviſſe exercitum credi poſſit; ingenio, fortitudine, animo, ubique præſens, æquè certus periculi, ac contemptor: nec quidquam ceſſit Odryſio telo, quod ſi manum vulneravit, plus de læſa cute fluxit gloriæ, quàm cruoris. Hæc fuit tet felix illa victoria, quâ ut firmiùs Cæſar ſtaret, ceciderunt Eſſechium, Zigetha, Agria cum Arce Erla, Seghedinum, Alba Regalis, Varadinum, Caniſſa, Hermonopolis, Claudiopolis; & alia munitiſſima oppida, propugnacula, Arces, & Urbes per utrámque Pannoniam, Tranſylvaniam, Serviam, & Croatiam, quæ ultro ſe dedêre, non auſæ audito tonitru, fulmen expectare.

11 Ad Savum inde progreſſus exercitus æquè palmis illuſtris, ac ſpolijs onuſtus, Bavarum ſuum Ducem veluti per Hydaſpem Alexandrum ſequutus; Savum Fluvium, inſtat Araxis, pontem indignantem ſuperavit: ad cujus trajectum obſtupuit hoſtis, ſimúlque infremuit, & expavit. Cùm neceſſariam ducendis trans fluvium militibus Pontis ſubſtructionem ſabuloſæ, & quaſi inacceſſæ crepidinum prominentiæ non permitterent, deluſis militari ſtratagemate hoſtibus, qui oras, ripásque præmunierant; taribus remo actis flumen felici omine, fauſtóque Marte nocte intempeſta trajecit Dux Bavarus, transvectúmque exercitum reſtricta temporis perjodo, æquè opportunè diſponens, ac providè duxerat, Odryſias turmas ad ſuum trepidantes appulſum perterruit, fregit, fugavit, & quæ antea incondito quodam clamore perſonantes, epinicia ſibi, epicedium Chriſtianorum copijs occinuêre; mox fractas ad proprij ſanguinis ruborem, iterum adegit erubeſcere in fuga. Jactaverat olim Cæſar jactam à ſe Martis aleam cum Rubiconem trajeciſſet: verùm Dux Bavarus eò eſt Cæſare major, quò non inermem Rubiconem; ſed Savum æquè fluctibus, ac hoſtibus redundantem traiecit, ſuperavit, obſedit: ille trajecto Rubicone Ariminum occupavit; iſte Savo ſuperato Belgradum; trajectus Rubiconis patriam debellavit; ſed trajectus Savi Serviam ab Ottomanico jugo liberavit: Urbem ille expugnavit; Provinciam iſte ſubjugavit; & Belgradum poſuit Orbis Chriſtiani propugnaculum contra Ottomanicos inſultus, eò validiùs; quò plura, eáque regalia flumina mutuis ſe fœderibus conſociantur in ejus præſidium, & tutelam. Si Fabius Magnus, quòd cunctando olim per Samnium totum, per Falernos, Gauronósque Saltus Annibalem fregerit Clypei *nomen*, & felicis *Omen* in urbe promeruit; quantò æquiùs illuſtris hæc nomenclatura *Magni* & *Clypei* in Bavarum Electorem transfertur? cùm non umbonem otij, ſed Pegaſi celeritatem, clypeúmque negotij objiciens hoſtibus, eorum obtudit ſpicula, fregit audaciam, depreſſit ſuperbiam? quis inficias eat, quòd *ut ait Prudent. 3. contra Symmac.*

Non aris, non farre molæ, victoria felix
Exorata venit. Labor urgens, aſpera virtus,
Vis animi, excellens ardor, violentia, cura,
Hanc tribuunt durum tractandis robur in armis.

Nimium me detineret Panegyris, ſi ſingulis vellem victorijs immorari, & omnia, vel brevi ſtylo recenſere troph a, quæ Auſtria, Hungaria, Croatia, Servia, & Tranſylvania bellicæ Veſtræ concinnârunt Virtuti. Tot enim ſunt, quæ numero ſuo lateant, quæ ſuâ obruantur copia, quæque neque expendi poſſint, nec recenſeri: ſatis eſt, dixiſſe militiæ rudimenta triumphos poſuiſſe; & quoties pugnare licuit, toties triumphâſſe, nunquam manum moviſſe ad pugnam, quin ſimul non admoveret ad palmam: nunquam gladium nudâſſe, quin victricem meteret laurum, quæ bellorum, nec turbinibus victa, nec fulminibus icta ſemper illæſa viruit; & mundum edocuiſſe, Bavaros Principes non in ſolo ſtemmate Leones eſſe, ſed fortiores in caſtris; ac tandem Pontificium illud promeruiſſe elogium. Innoc. XI. in Brevi dato Romæ 26. Aug. 1684. *Præclara, omnique laudum præconio digna ſunt geſta Maximiliani Emanuelis Ducis, & Electoris, qui florens juventâ, & fervens pietate, tam egregia Chriſtianæ Fortitudinis, atque prudentiæ ſpecimina in bello contra Turcas ſtrenuè gerendo dedit; noviſque decoribus in dies Domino benedicente ſumma cum animi noſtri lætitia magis, magiſque inclareſcit; erga res eccleſiaſticas ſtudia plurimum in Domino commendantes.* Quòd ſi mos ille vigeret adhuc, quô olim ſolemni pompa, publicíſque acclamationibus Romæ Capitolium Marcellos: Scipiones, Lucullos, 12

Pompejos, alióſque Imperatores delatis ex deletis hoſtibus victorijs inſignitos ſerena fronte, hilari vultu, ridente æquè, ac plaudente ore excipere conſueverat; certè ſanctior nunc Roma *Maximilianum Emanuelem* triumphis cl.riorem pleniore reciperet jubilo poſt depulſas, fugaráſque ex Auſtria Turcarum, Schytarúmque turmas, quæ hác, illácque deb cchantes, ac contra ſas omne incendia pagatim ſpargentes roram ferro, & igne videbantur Provinciam evertere. Poſt vindicatam è pertinaci obſidione Viennam Cæſaris ſedem.

13 Poſt proſtratos in Hungaria, Servia, & Croaria Ottomanicos exercitus. Poſt recuperatas Chriſtianæ Religionis plures Provincias, imò & Regna integra, quæ antehác gemuêre Turcico preſſa Imperio, oppreſſa jugo. Poſt tot exantlatos labores, fuſos ſudores, pugnatas pugnas pro Fide, Religione, & Romano Imperio. Si mos ille, inquam, adhuc vigeret, oh quantus foret veſter rriumphus! quot populorum acclamationes, quot monumenta victoriarum! Præcederent Tubicines modos Occinentes triumphales: poſt hos iret ſubacto vultu, pallido ore, dejectis in humum oculis, multiplici vulnere ſaucium, ac viribus deſtitutum Ottomanicum Imperium, quod chlamyde indutum multiplici lacerata ſciſſu, fusóque fœda ſanguine, curvatam in cornua Lunam fractam bifariam lugeret. Sequerentur tormenta bellica, haſtæque per vices inter tormenta cutilia depactæ; iisque & gladij volatiles, & clypei criſtati, & galeæ alatæ, aliáque trophæa, ac ſpolia appenſa. Currum ornarent frondes palmarum, quæ certis intervallis locatæ modico flexu in coronas laureas traherentur, & in medio connexæ ſymbola Religionis, ſeu cruces referrent decuſſatas, quas diſtinguerent vexilla militaria, aliæque manubiæ hoſtibus ereptæ; ut & ſupremi Viſirij tentoria auro rutilantia ſplenderent inter haſtas; è quibus tab.llæ penderent ſuis fœcundæ ſymbolis, facundæ inſcriptionibus. In hisce Vienna à Turcica obſidione liberata *Andromedem* exhiberet marino ſcopulo alligatam, Ceto devorandam expoſitam, & Perſei virtute defenſam, addito lemmate: *Spes certa fuit.* Viwarinum expugnatum *Ollam igniariam miſſilem*, cum titulo: *Et furit, & ferit.* Buda vi capta *Fulmen* præaltam turrim evertens cum Epigraphe *Tonitru velocior ictus* Eſſechium deſertum à Turcis *Leonem* minaci obtutu fugantem canes plures additâ inſcriptione: *Torret, & Terret.* Savus fluvius admirans Bavarorum trajectum ſine Pontium ſubſtructione. *Ferreos globos* è tormentis bellicis ad ripas locatis excuſſos, & in ripam alteram collimantes, adjecto hemiſtichio *Fert impetus ultra.* Albagræca diſtricto gladio occupata. *Lunam* Eclyplim paſſam ex interjecto terraqueo globo Bavarici ſtemmatis Solem inter, & Lunam cum lemmate *Orbis deficit Orbe.* Intercederet currus alter palmis, lauriſque in coronas inflexis, variè ornatus, & victorijs eleganter inſculptus, quo Victor MAXIMILIANUS EMANUEL veheretur, quemque traherent ſubjectis cervicibus ſimul vincti, ſimul victi Scythæ, & Turcæ frontibus famulari jugo unà conjunctis. Turbæ ſequerentur captivorum ſonanti compede ſqualentes; ringeret rabidus Livor, ſed ſine colubro; fremeret Audacia pharetrata, ſed ſine telo; fureret impietas larvata, ſed ſine voce; inſoleſceret Arrogantia galeata, ſed ſine ſupercilio; morderet Invidia atrata, ſed ſine dente; Agmen elauderet Turcica Perfidia in luctu merſa, æquè lachrymis, ac ſanguine madens deflorata, deturpata. Populorum turmæ confertim veluti in publico, atque jucunda Panegyri plaudentes, rriumphos lætiſſima cierent aggratulatione; Plauſibus, & jubilis exultarent; Pæana feſtivis vocibus ingeminantes partas victorias recenſerent, palmas recolerent. Adeò ingens eſſet communis lætitiæ magnitudo, tamque effuſa; quæ nec leges, nec modum gaudendo ſervaret. Promiſcui ſexûs accurrerent catervæ inſpecturæ triumphantem Bavarum curru ſublimi magnificè ornato vectum, triumphali veſte fulgentem, coronâ redimitum, ramóſque Lauri, & Palmæ unà nexos manu geſtantem, & quidquid audiretur, plauſus eſſet, lætitia, & aggratulatio. Tripudiantium multitudo plateas gramine, floribúſque inſtratas occuparet, aërem feſtivis oppleret ovationibus, ubique perſonarent glorioſiſſimi tituli, lætæ acclamationes; jucundi plauſus, quibus gentes triumphantem Ducem vocarent Chriſtianæ libertatis Aſſertorem, oppreſſæ Pannoniæ vindicem, inſultantium Turcarum Domitorem, Religionis Propugnatorem, Fidei Tutorem, Patrem Patriæ; & cum Tito, & Veſpaſiano delicias generis humani. Ubique ſurgerent Arcus triumphis inſignes ſuas referentes, victorias, vel marmore inſculptas, vel ære fuſas. Portæ virentibus ſertis coronatæ, plateæ aulæis radiantes; fora, & emporia pegmatum molitionibus, ſymbolorum involucris bellicam Victoris commendarent virtutem, quæ per calcata Turcarum cadavera ad gloriam nunquam interituram iter ſibi ſtravit. Nimirum ſuccubuit Ottomannica Luna, quò clarior Sol Bavarus in ſigno vincentis Leonis oriretur illuſtrior ad alias Orbis Plagas ſuo ardore luſtrandas, ſuis victorijs illuſtrandas. Suos perdidit Luna nitores, quò ſuis decrementis creſceret ſplendidior Sol Bavarus in ſigno Leonis, qui occupato Belgrado ad novum bellum gradum ſibi apparavit.

Ex Servia igitur, Danubióque ad Rhe- 14
num profecta SER.as V. Moguntiam urbem munitiſſimam unà cum Carolo Duce Lotharingo obſidione cinxit; víque armata ad deditionem compulit, & cum urbe Romano Imperio prolixus terrarum tractus poſtliminio reverſus ſupra Heroas Heroem Bavarum deprædicavit, Magníſque Fabio, & Scipione majorem edixit, quia ſi ut Fabius pugnandi tempus expectavit; ut Scipio fortiter bellavit,

&

& debellavit ; & nunc prudenter cunctando, nunc ſtrenuè dimicando rem Romani Imperij præclarè reſtituit ; cujus palmas victrices, lauróſque triumphatrices non Danubius tantùm in Hungaria, & Servia ; non Rhenus ſolùm in Imperio ; ſed & Padus in Italia ſuis irrigârunt laticibus, ut ubique SER. V. triumpharet ; quam Pedemontium redivivum credidit Cæſarem ; cum cæſo hoſte, captâque Carmagnolâ, gladio uſa pro falce uberem palmarum ſegetem meſſuerit : nullibi enim pugnavit, quin victoriæ veſtris præluſerint triumphis, veſtrámque commendaverint Virtutem ; quæ laureata, licèt varias mutaverit Regiones, quas pugnatis pugnis propugnavit, delatis victorijs illuſtravit, ac feſtivis recreavit nicetetijs ; nunquam tamen vel latum unguem à ſua in Zodiaco paſſa eſt Leonis ſede disjungi ; cùm nunquam à Leonis defecerit fortitudine, qui Bavarico nitet, & terret in ſtemmate ; & quem ſuum propterea Belgium accerſivit Martem propugnatorem, ultorem, & conſervatorem ; qui res collapſas erigeret, collabentes fulciret, imbecilles reſtauraret, & & diviſas mutuis conjungeret fœderibus.

15 Neque præconcepta Spes Belgas fefellit, qui in ſuo Bavaro Moderatore, mirari ad primum appulſum fuerunt Auguſti prudentiam in rebus publicis regendis, ac dirigendis ; Cæſaris conſtantiam in jiſdem conſervandis ; Trajani Æquitatem in Juſtitia adminiſtranda, & virtutes ſingulas Imperatorias, præſertim purgatum intellectum, quò res maximi momenti concepit ; maturum judicium, quo easdem diſpoſuit ; & miram providentiam, quâ ad optatos ſuos perduxit fines : hæſitque propterea anceps æquus rerum æſtimator ; cuinam palmas daret ; Judicióne, an conſilio ? quo publicæ conſuluit ſaluti, réſque maximas ratione diſpoſuit, virtute direxit. Sapientiæne, an Fortitudini ? quibus caſtra fuit providè ſemper metatus, commeatus expedivit, urbes obſedit, preſſit, recuperavit. Prudentiæne, an Conſtantiæ ? quibus aciem ad pugnam ſtruxit, primus pugnam inchoavit, poſtremus è conflictu exivit, hoſtéſque fudit, fregit, proſtravit. Juſtitiæne, an Clementiæ ? quibus ſuperbis, & contumacibus obſtitit, ſubjectis pepercit, lapſos erexit, lachrymas lugentium exſiccavit, ærumnas miſerorum levavit, indigentias pauperum ſupplevit. Verùm quia *Virtus bellica reliquis omnibus præſtat* : cùm vel ſceptra ipſa, coronæ, & Regna ; imò & ipſi Reges, & Cæſares lateant in ejusdem tutela, & præſidio ; plus deferam Virtuti veſtræ militari : quâ Namurci munitiſſimas Arces, acceſſu difficiles, expugnatu difficiliores obſedit : præſidiarios milites infeſtis armis foras erumpentes coërcuit, muros bellicis tormentis disjecit, evertit ; Arciúmque Præfectum ad eas adegit anguſtias, ut colloquium de Namurco dedendo expoſceret, ac dedendarum Arcium leges reciperet, quibus Mars Bavarus, urbe, Arcibúſque potitus, validóque præſidio firmatis collapſum Belgij propugnaculum erexit, clypeúmque Brabantiæ amiſſum recuperavit, ſimúlque publicam ſecuritatem communi populorum plauſu, & acclamatione ſtabilivit. Non me latet plurimum meruiſſe laudis, plauſúſque popularis Alexandrum Tyro expugnatâ Pompejum Sagunto everſo, Marcellum Syracuſis ſubactis, Titum Jeroſolymis occupatis ; ſed hæc Ducum decora, antiquitatis ornamenta devenuſtantur ; ſi cum Namurci expugnatore Bavaro conferantur ; perinde ac ſuos Planetarum Principe delegante nitores, reliqua in cœlis ſydera obtenebreſcunt, ac veluti pudore ſuffuſa deliteſcunt. Non ampliùs Pelleum Juvenem Oxidracorum urbem oppugnantem miretur India ; ſed ſinat hæc, Belgium admirari Bavarum Ducem Namurcum expugnantem.

Sed tempus acceſſerat, quò poſt tot illu- 16
ſtratum victoriarum fulgoribus enſem, poſt tot præclara victoriarum monumenta, poſt commendatum tot triumphorum acclamationibus *Magnum* veſtrum nomen ; Sedatis tandem bellorum procellis, eliminatis conflictuum turbinibus, excuſſis dimicantium fulguribus, ac diſſipatis Gradivi nubibus, lux affulgeret optatæ Serenitatis, quâ priſtinæ reſtitueretur Orbis malaciæ, ac Paci, & Bavarus Dux Palladem æquè armatam, ac Olivæ ſatricem agens, tam pacis oleis, quàm belli palmis redimitus, ſe in utróque Cæſarem oſtenderet. Si ut ait *Sulp. apud Scal. l. 1.*

—— Duo ſunt, quibus extulit ingens,
Roma caput ; virtus belli, & Sapientia pacis.

has geminas virtutes egregijs illuſtratas geſtis, plenóque jubare in SEREN. V. irradiantes conſpicimus ; cum non minus voluerit virtute belli Provincias vincere ; quàm Sapientia pacis Regna vincire.

Oeconomia igitur panegyricæ orationis, 17
quæ habetur ad populum convocatum ad laudem alicujus, exigit exordium gemmeum, vel floridum, quod deducitur, vel à circumſtantijs, loci, temporis, vel ab adjunctis perſonæ laudandæ, vel ab aliqua dignitate, vel nomenclatione, quam ſibi comparavit ob præclarè geſta. Propoſitio poteſt eſſe comparativa ; ſi laudaturus eſſem Carolum Lotharingiæ Ducem, qui rem Chriſtianam contra Turcas egregiè propugnavit, ac Magni nomen etiam ſibi acquiſivit, poſſem illum comparare Magno Macedoni, & dicere. Redivivum adducam vobis Magnum Alexandrum tot triumphis clarum, quot pugnis glorioſum, is Carolus eſt Lotharingus, qui Turcas in Hungaria delevit, quorum fuſo cruore Fama perennis ejus inſcripſit nomen, nullo ſæculo delendum. Vel poteſt propoſitio eſſe problematica : Anceps hæreo uter magìs illud Magni cognomentum meruerit Alexander, an Carolus Lotharingus, qui non ferrea, ſed adamantina fortitudine Turcarum impetus,

&

& tela, non ſolùm coërcuit, & hebetavit, verùm etiam fregit. Vel per modum quæſtionis, ac interrogationis, quo honore affeciſſent priſci Romani Carolum Lotharingum palmis onuſtum, victorijs inſignem, triumphis toto orbe clariſſimum; quas de ipſo ſcripſiſſent laudes Curtius, Tacitus, Livius, qui calami atramento, ac typi fuligine præclara virorum in bello fortium geſta illuſtrârunt? Solet etiam poſt propoſitionem hanc panegyricam concludi, ut ſi Orator prolata propoſitione addat. Illud tamen monitum velim, ut non ex tenui mea oratione tanti Herois decora quis æſtimet, quàm ex umbra ſol deprehendi poſſit. Vel per modum excuſationis; ut: Si in recenſendis laudibus præclariſſimi viri cæcutiero, mihi non vertatur vitio; cùm in ſolem, quot virtutibus ornatum, tot ſplendoribus, & radijs clarum oculorum acies non poſſimus figere, quin à fonte illo luminis caligines hauriamus. Aquilarum, qui non ſunt acies ſortiti propè ſolem, neceſſe, eſt cæcutiant. Vel: quia tu Principum Maximus nactus es Oratorum minimum excuſabis tenuitatem, ſi ex ſuggeſto tuas ad clepſidram emetiri laudes non valuero. Tibi id imputes, neceſſe eſt, adeò tua excreverunt merita, ut perinde ſit ea recenſere hodierna in Panegyri, ac Cyatho mare circumſcribere. Vel ſi de tuis laudibus, quæ humanam ſunt gloriam ſupergreſſæ minùs dixero glorioſè, tuis ſuccenſeas ſummis virtutibus, quibus æquari non poteſt eloquentia balbutientis Encomiaſtis.

18 Narratio epidictica poteſt per allegoriam in tota oratione continuandam proponi, & tunc exordium poteſt deduci à deſcriptione illius rei, à qua deſumitur allegoria: vel ab aliqua hiſtoria, aut fabula rejicienda. Ut ſi velles commendare virtutes alicujus adoleſcentis, poſſes elegantiam deſcribere Ganymedis, eámque veluti umbram ad ſolis acceſſum confutare, tali pacto. Non me latet, finxiſſe Poëtas adoleſcentem, qualem Venus ad illicium amoris pinxiſſet; & Nobilitas ceris Majorum, & natalium claritate cæteris prætuliſſet puellis: ſi oris gratiam in eo ſpectâſſes Damoclem juràſſes, vel Paridem, ſed veriùs ſpecioſiſſimum Ganymedem ſpirantem per omnia Veneris imaginem. Mixtæ candore, tenuíque rubore genæ nativum roſarum referebant ſplendorem; ſubtilia labra tenui interſtitio diſtincta genarum purpuram viſa ſunt ſuperâſſe: ſupercilia ei fuſca erant, naſus rectus, & adæquatus tenuitati labiorum: oculi magni, & flagrantes, puróque lumine ſuffecti, in quibus nigrum pupillæ lactei circuli vicino candore circumſcribebatur. Coma ſuo ingenio fuſa criſpitudine ſimilis erat (ut loquitur Homeus) Hyacinthino flori, & hanc diceres Veneris manus diſcriminâſſe. Cervix ei alta, vultus nitidus, ſtatura totius corporis procera, ac membrorum conformationi adæquata. Verùm hæc venuſtas roſam in extimo tantùm floreſcens corporis cortice imitatur, vix naſcitur, & denaſcitur; adoleſcit, & conſeneſcit: & brevitas detegit, quàm umbratilis, & fucata ſit venuſtas, quam corpus exhibet larvatum ceruſa, & illudentis minij colore. Aliam vobis oſtendam pulchritudinem, quam nulla corrumpit ætas. Virtus hæc eſt, quam noſter adoleſcens ad plenam fructuum meſſem excoluit. Attendite qualem exculta virtus in animum venuſtatem invehat, &c.

Ut autem Oratio non deficiat ariditate, 19
ſi geſta præclara deſint, proderit virtutis cujusque excellentiam in genere tractare, & inde deſcendere ad particularia, quæ ſpeciatim in Principe ſuſcipiuntur laudanda, & poteſt tunc Princeps conferri, vel etiam præferri alijs, qui eadem virtute excelluerunt. Ne tamen hæc ordine ingerantur tumultuario uſurpandæ ſunt tranſitiones, quarum beneficio res narrandæ, veluti amentis ſericis ſimul illigentur. Poſſunt in panegyricis orationibus hæ formæ tranſitionum uſurpari. Primò ſtaret hic admirabunda oratio, ſi tua ſteriliſſent trophæa, ſed quia hæc adhuc uberrimam ſuppeditant laudum ſegetem, ulteriùs neceſſe eſt, excurrat oratio. Secundò non poteſt intra hos limites tuæ virtutis amplitudo contineri, cum in plura ſe honeſtatis decora diffundat. Tertiò plura alia recenſerem, ſed orationem abſorbet tuorum facinorum immenſitas. Quartò reticenda conſultiùs cenſeo ſexcenta alia præclariſſima geſta, ne in immenſum excurrat oratio, tantùm pauca mihi ſuperſunt enarranda, quæ plus etiam habent admirationis. Quintò nimis anguſta eſt virtus tua, non patitur anguſtijs hisce comprehendi; latiorem exigit campum, qui mihi aperitur ad plura alia enarranda. Sextò utinam acceſſiſſet orator numeris omnibus abſolutus, qualis fuit Plinius in panegyrico Trajani, Pacatus in laude Theodoſij, Gallicanus in recenſendis geſtis Conſtantini Magni, Caſſiodorus in in enarrandis Theodorici Regis virtutibus, Nazarius in Encomijs Conſtantini, Mamertinus in Genetliaco Maximiani. Plura alia de te narrarentur, & præſertim hæc, &c. Recolantur formæ tranſitionum, quas in præcedentibus donavimus explicatu. Quia verò non ſolùm viri Principes panegyricis laudantur orationibus verùm etiam Cœlites, qui omnigenæ virtutis floruerunt culturâ; non abs re fore duxi ideam hujus orationis hîc dare. Si enim Neapoli præclara geſta S. Andreæ Avellini Clerici Regularis in animo eſſet commendare in ejus die feſto, quia unà cùm ſummis alijs virtutibus caſtitatem excoluit, quam illibatam ad extremum ſenium cuſtodivit; & cilicijs, flagellationibus, jejunijs, vigilijs corpus excruciavit; illum dicerem lilium, quod inter ſpinas mortificationum floruit candidius, & oluit ſuavius, & allegoria continuanda per totam orationem eſſet lilium inter ſpinas.

Idea

Idea Panegyricæ orationis in laudem S. Andreæ Avellini Clerici Regularis.

20 PArthenopea Siren aſſueta cantus ſuavitate hominum cœtus pellicere, Oratorum ſirenulam, ſeu eloquentiam Iſocratis hodie potiùs exigeret, quàm meam balbutientem N. N. illius inquam Iſocratis, qui Tibiarum fabri filius majoribus didicit canere fiſtulis ad eloquentiæ natus decora: exigeret, inquam amœnum, floridúmque ſtylum, qui vel humanæ culmen attingeret eloquentiæ, vel in quo totas vires ſuas experiretur collocâſſe arguta elocutio, vel in quo quot dicta, tot eſſent purpuræ; quot verba, tot flores; quot perjodi, tot venuſtates: nam ſi illo Oratorum Antiſtite, & Antiſtitum Oratore Ambroſio teſte, eloquentiæ flores amant illæ Regiones, in quibus verna temperies jugiter miteſcit, & floret: quos elocutionis flores non expoſcit, Parthenopea ditio, & amœna Regio, ubi tellus vel in planitiem effusè porrecta, vel in colles placidè prominens, vel in montium cacumina faſtigata tanta ſupercilij aſſurgit eminentia, ut nubibus ſe ſe inferere, cœlúmque fulcire videatur: ubi videmus terram hîc herbis, & ſpontè natis arbuſtis ad ſingularem veſtitam amœnitatem; illic fruge, & fructibus ditiſcentem; alibi adulta ſegete undantem, & exundantem; alio in loco florum, plantarúmque exotica proceritate jugiter vernantem, vel arborum artificioſis ordinibus luxuriantem, ubi vites ipſæ gemmis enaſcentibus, ſi illachrymantur ſpem riſûs, & gaudij ſpondent lachrymis ſuis, ob merum, quod à lachrymia ſuam ſortitur nomenclationem; ubi videmus gratiſſimam hortorum culturam, odoriferas florum animas; ſed licèt florida tellus roſis læta, fructibus dives, aëris temperie mitis mereatur commendari; unum tamen ob florem lilium ſcilicet, quod inter ſpinas jugiter vernavit, uberioribus eſt digna encomijs. Eſt hoc lilium Andreas Avellinus, cujus præclaras virtutes, ſi vobis exhibuero, oſtendam culturâ caſtitatis floruiſſe in lilium, ſed inter ſpinas pœnitentiæ.

21 Ut prima jaciam orationis fundamenta: ſint flores telluris ſydera, pratorum coronamentum, hortorum pompa, ubertatis rudimenta, ſpecioſi germinum fuci, certa frugum præſagia, ſpes fructuum; humiliter impalleſcant in viola, rubeſcant in roſa, varientur diſcolores in Tulipa, in unico noſtro lilio licèt inter ſpinas effloreſcente reliquorum florum virtutes ſimul collectas, & ſummè excultas habemus: nam vix natum innocens lilium non è fœcundæ telluris ſinu, ſed matris ab alvo; quod ſupra ætatem, ſupra naturam fuit, è faſciolis manulam ſolvens ſalutifero crucis ſigno, ſe munivit; vel ut novus Conſtantinus in hujus militantis vitæ primo veſtibulo, hoc ſigno excitaretur ad victoriam; vel ut tartareum hoſtem fugaret, ejúſque inſidias evaderet. Vel callidior, ſanctiórque Ulyſſes, ut effugeret illecebrarum ſirenulas, quæ alliciunt ad necem, in primo hujus procelloſæ vitæ ingreſſu adhærere voluit crucis arbori. Vel ut præſagiret ſe daturum nomen Congregationi Clericorum Regularium, cujus ſtemmata cruce inſigniuntur, vix natus, & crucem nactus, crucis ligno vitam inchoavit, quam ſpinis, & cruciatibus clauſit: vel ſi teſte D. Hieronymo aves per aëra avolantes crucis formam deſcribunt; Andreas licèt adhuc in cunabulis hac cruce veluti alas aperuit, ut vix lucis uſuræ ortus avolare ad ſublimiora virtutum faſtigia aſſueſceret, & non tantùm perfectionis iter percurrere, ſed perniciſſimo volatu perficere. Lilio noſtro aſſueto inter ſpinas efflorere, adeò grata obtigerunt tormenta, ut pœnæ viſæ ſint in flores degenerâſſe; non ſecus, ac in granadilla flore, in quo cruenta dominicæ Paſſionis flagra in floridæ voluptatis creſcunt purpuram, & ſaxea columna ex atrio crudelitatis ad piam floris ſtructuram inſpicitur transmigrata, & alia inſtrumenta ſæviſſimi laniatus in floridas abeunt delicias. Vix Andreas flos ſanctitatis luſtralibus Baptiſmi aquis irrigatus in lilium effloruit, quod nonniſi ſanctitatem oluit: quam grandem fructuum ſegetem ſpondet flos iſte in primo vitæ veſtibulo? Correxit avaritiam naturæ liberalior gratia: ſiquidem ver præveniens juventutis, nondum adoleſcens vix natus in lilium effloruit ſanctitatis, ac pudicitiæ: cùm enim puritatis candorem materno cum lacte ebibiſſet, non potuit infantiam non inchoare, qualem vel fingeret pudor, vel amaret modeſtia, vel ſumma virtus inſtitueret. Imò ſpretis mulierum blanditijs, ſpinas prætulit delicijs, & culturam caſtitatis indulgentiæ voluptatis: audite an dicta factis reſpondeant. Capta amore minus pudico fœmina cœpit adoleſcentem Andream præ oculorum venuſtate deperire, ac varijs illicijs animum demulcere, & ad illicita provocare: ſed re cognita adoleſcens, maluiſſet lucem deperdere oculorum, quàm puritatis candorem denigrare: admotis ad frontem manibus, oculos ſibi eruiſſet, niſi DEUS hanc geminam cynoſuram ſervâſſet, ut Andreas adultior factus periclitantibus ac trajicientibus hujus fluctuantis vitæ pelagum, æternæ ſalutis portum oſtenderet; maluiſſet biparentes animi feneſtras claudere, quàm fures permittere per eaſdem ingredi, ac gemmam ſurripere pudicitiæ. Erravit, qui cæcum finxit amorem, hæc Venus Argum effecerat, cum totum amorem in oculorum præſtantia, ac pupillarum venuſtate experta fuerit reſidere.

Potuit quidem ſuis armata telis amoris 22
Venus lilium noſtrum inter ſpinas eſſloreſcens pluries impugnare, ſed nunquam expugnare. Flori inſidiabatur, qui ſi ſemel deperdatur, nullo fit ampliùs auri pretio venalis, ſed in hoc lilio nonniſi ſpinas experta fuit Venus, quibus non ampliùs in pede puncta, & cruentata, ſed in capite tota erubuit repulſam paſſa. Infelix pyrauſta lumina circumvolitans inno-

centiſſimi adoleſcentis, non alijs alis, quàm profani amoris non potuit non cineteſcere. Non ſemper malè agit, qui lucem odit, meliùs acturus Andreas tenebras amâſſet oculolorum, ne lilio pudicitiæ æſtus noceret hujus Veneris. Unicum jactavit antiquitas Democritum, qui ut meliùs videret mente, videre noluit fronte, voluntariâ oculorum jacturâ, ſed Andreas ut clariùs ſplenderet pudicitiæ candore, & ſuaviùs floreret, voluntariæ cæcitatis non extimuiſſet tenebras. Neque uno duntaxat aſſultu auſa fuit blanda Venus, noſtrum aggredi lilium; noctu enim ante cubitum ad pedes humani generis Reparatoris cruci affixi, in genua procumbens preces, & lachrymas fundens, adeſt inſaniens fœmina æſtu percita impudico, quæ in id incubuit, ut ſuo igne lilium puritatis exſiccaret. Verùm ſi Herculi monſtrum ſemel proſtrâſſe labor fuit, quanta non erit laude dignus noſter adoleſcens, cùm pluries de illecebrarum triumphaverit alliciente Panthera. Vicit mulierem novus Joſeph non miſcendo colloquia, ſed celeri pede fugiendo: caſtitatis Athleta libidinis eſt fugitivus, & Parthorum more pugnans vincit, cùm fugit: non pectus, ſed tergum dat hoſtibus, qui ſtare in conflictu caſtitatis cupit, non ſtat, niſi fugiat: cadit, ſi ſtans pectus oſtendat ſine fuga: olim pudicus Joſeph relicto in mulieris manibus pallio, ſe fugæ dedit, fugit mulierem ad turpia allicientem, & vicit, quia non ſtetit, imò & pallium abjecit, quod mulier tetigerat, ne per contactum libidinis peſtis irreperet: in alijs certaminibus turpis, ac ignominioſa habetur fuga, ſed in conflictu libidinis datur laudi, & eò habetur fuga glorioſior, quò quavis diſrupta mora eſt celerior: Gradivi Martis in campo militis imbecillitatem fuga prodit; ſed in pudicitiæ caſtris pugnantis fortitudo in ſola fuga eſt ſita; inermis eſt, qui non fugit, armatus verò, qui fugâ ſe munit.

23 Prodidit peritiam ſuam pudicitiæ Athleta, dum contra impudicitiam dimicans fugâ uſus pro armis fuit, non ita glorioſè victurus, niſi celeriter fugiſſet. Victoriæ tamen adoreas, & epinicia lachrymis cecinit: Cilicio quippe cinctus, ac ferrea catenula innocens corpus torquens, ac vulnerans, flagellis ſe cruentavit: defuiſſet victori purpura, niſi hanc fuſus ſanguis ſuppeditâſſet. Lilium has inter cruciatuum, & aculeatæ catenulæ ſpinas floruit candidius, & oluit purius: animoſus ſub crucis vexillo Tyrunculus cilicio chlamydatus, rudia retia in dolorum aſſumpſit venationem. An non lilium floruit caſtitatis inter ſpinas cilicij purius? ſed cur inter ſpinas etiam ſanguine purpuraſcit lilium? pium conjicio conſilium; quò lilium intemeratæ pudicitiæ honorificentiùs in purpuream charitatis roſam etiam floreret, proprio voluit ſanguine irrigari: ſed deſine candidiſſime lilium in roſas te cruentare, non deerunt tibi roſæ, ac lilia, quibus coroneris ad victoriam.

24 Quòd ſi pudicitiæ ſymbolum velles, pinge adoleſcentem Andream ante crucem procumbentem in genu, & flagellis ſe cruentantem addito lemmate: *Vulneror, ne vulnerer.* At non ſolùm ſanguine, ſed etiam lachrymis lilium pudicitiæ irrigatur, ut purius effloreret inter ſpinas; fractis oculis non fractæ pudicitiæ fuit adoleſcens illachrymatus. Quòd ſi ex aquis olim nata Venus fuit, in lachrymis nunc denata perit. Sed noſtrum Athletam nobilem in certamine caſtitatis aliæ expectant palmæ, aliíque triumphi: perinde, ac terreſtris paradiſi ex Zelo ignitus Cherubin, ne pudicitia quidquam pateretur detrimenti in Sanctimonialium Cœnobio, ſe murum oppoſuit. Quid agis Zelotes, armorum violentiæ te opponis? arma non expavit, & ne macularetur pudicitiæ candor fœdari maluit ipſe in vultu triplici vulnere: quia lilia colligere non potuit inſaniens Venus è tuo vultu, excerpere roſas licèt ſanguineas voluit, quales è triplici tibi inflicto vulnere germinârunt. Mirum fuiſſet, ſi amica ſanguini Venus veniſſet ſine ſanguinis effuſione: non tamen miror, ſi has decerpſit roſas repulſam paſſa ſanguinem fudit, ne quò erubeſceret, ei deeſſet. Quis inficias ibit, lilium noſtrum inter ſpinas effloruiſſe purius? cùm in tutelam pudicitiæ inſoleſcentem pupugerit Venerē; ſed cruentatus & ipſe fuit vulnera expertus, quia difficulter verſari potuit inter ſpinas ſine vulnere, quin ad cruorem pungeretur. Sed quis crederet? tunc candori conſuluit, cùm fœdatur, & lilia metit, cùm roſas ferit: lilium caſtitatis vernat candidius hoc rigatum ſanguine: quidni purpurat os, quid aliud expectandum, quàm ultimum Veneris excidium: Andreæ in vultu perinde, ac in innocentiæ cœlo vulnus, veluti ſanguineus rubet Cometa, qui exitium Veneris regno, & exercitium caſtitatis culturæ portendit. Cedat Andreæ niger Indus; ſi iſte ut ditior appareat pyropos fronti inſerit, ille jam totus virtute gemmeus pyropos ſpargit è vultu.

Dixerim tamen, virtutem tot aperuiſſe ora, quot fuerunt inflicta vulnera, quò uberiùs commendaretur. Non me latet, pluri- 25
bus olim Romam Marcellum commendâſſe laudibus, eò quia profanæ Veneris Fanum non intra mœnia, ſed extra urbem conſtruxerit, ne ſordeſcentis fœditatis ſimulachro cederet, & caderet victima incauta juventus: ſed majori eſt laude excipiendus Andreas, cùm Venerem ipſam deſtruxerit, ejúſque flammas proprio ſanguine extinxerit. Diſcamus nunc non lacteam eſſe Heroum viam, ſed ſanguineam: non ſolùm vultûs pulchritudo adblandientis naturæ commendatitia eſt epiſtola, verùm etiam ejus vulnera, & cruenta cædes characteres ſunt, qui in Andreæ vultu ſtylo ferreo impreſſi virtutis pulchritudinem, & propugnatæ pudicitiæ candorem facundiùs commendant: ſcitè dixit Cato, placere vultus, qui rubeſcerent, non qui impalleſcerent: Andreas tunc Cœlitibus magis placuit, cùm ſanguine rubuit. Triumphaverat Athleta caſtitatis de Venere, ei debebatur corona floribus

intex-

intexta; bene igitur roſas miniſtrant cruenta vulnera, quia ut cecinit Italus Cycnus.

Non ſù raſojo
Quel ts ſè nel volto roſe ferite,
Ma ſù roſajo.
Ch'à coronarts ſè roſe fiorite.

Immutandum jam eſſet lemma illud Ar-
26 menici muris: *Malo mori: quàm fœdari*, cùm Andreas, ne moreretur pudicitia, fœdari multiplici vulnere maluit; frangi voluit, ut incolumis ſervaretur integritas: ejus anima facta erat ſponſa illius, qui paſcitur inter lilia; bene ejus genæ ſicut fragmen mali punici rumpuntur, quò charitas in uberiora virtutis decora matureſceret. Quòd ſi cuperes ſymbolicè expreſſum Andream hiſce vulneribus ſaucium: hunc exhiberet Monetarius numum cudens, ac metallum vulnerans cum lemmate: *Dant pretium plagæ.* Vel chalybs ſilicem percutiens, & ſcintillulas eliciens, quibus lapis vulneratus coronatur ſplendidior, cum Hemiſtichio: *Percuſſus concipit ignes*: ſiquidem Andreas vulneribus ſaucius Zelo propugnandæ virtutis uberiùs exarſit. Vel vitis gladio amputata addita epigraphe, *Vita è vulnere vitæ.* Vel pannus minutis ſectionibus ornatior cum lemmate. *Multo vulnere pulchrior.* Vel Organum pulſatum, quod harmonicè plaudit, additis verbis: *Multo fit plauſus ab ictu.*

27 Sed quia noſtrum lilium floruit ſpinis circumſeptum è ſæculi ſpinetis alios aggreditur dumos, pænitentiæ, & mortificationis in aſceterio Clericorum Regularium; & tunc majori fuit Andreas laude dignus, quia poſt aurum non abiit; divitiarum pedicas deſeruit; ne inſidias ampliùs extimeſceret: ſcitè aurum fuit dedignatus auro ipſe magis aureus: neque aureo caruit ſerto aureus contemptor auri: nemo æquiùs, ac illuſtriùs coronatur, quàm qui aurum aſpernatur: auro, qui ſic caret, illuſtriùs claret. Contemplemur nunc noſtrum lilium inter ſpinas pœnitentiæ, ac mortificationum, ubi non ſolùm candicare caſtitate, verùm & purpurare, ac inflammari charitate acriùs incepit. O ſinceri amoris ludum! nix & flamma olim diſcordes, & rivales; ſocordes modò contubernales in Andreæ pectore perpetuo convivunt fœdere: heroicum pectus æquè pudicitiæ ſervavit nives, ac charitatis foverit flammas. Quòd ſi in Æthnæ montis faſtigio impunita cum nivibus ludunt incendia: Andreas, quia ſummarum virtutum ſuprema attigerat culmina Æthnam imitatus, nives pudicitiæ cùm flammis junxit charitatis: ſed ſi macra, & jejuna in tellure dicuntur lilia ſuaviùs olere, & inter ſpinas vernare pulchriora: Andreas re nulla in ſtomachum miſſa, nec inſtillata integros abſorbuit dies, jejunijs duntaxat paſtus, & nunc panis fruſtulo contentus ad condimentum, vel lachrymas, vel frigidam addidit; lixum, vel aſſum aliquid ſumere luxum credidit in epulis, & luxuriem prorſus coërcendam: plerumque frigido tantùm legumine poſt ſolis occaſum viribus deſtitutum corpus reficiebat: lumbos ſetoſis funibus conſtringere, vel aculeatis catenulis torquere in conſuetudinem tranſtulit; ut & nudis indormire aſſeribus, quò plus experiretur doloris, quàm quietis.

Hinc Christi pugil labori aſſuetus, ac vi- 28
ctorijs de ipſis triumphavit elementis: cùm ad charitatem in proximum exercendam iter ſuſcepiſſet, ſpiſſæ illicò nubes unà in aëre coëuntes ſolem arripuerunt, lucémque omnem affuſa quaſi extinxerunt caligine, cúmque ex quavis parte emicarent fulgetra, ruerent fulmina, præcipitarent pluviæ, veluti è fractis cœlorum cataractis; cúmque aquis terræ tractus mergerentur, ò prodigium inſolens, & rarò retroactis ſæculis auditum! ruunt aquarum cataclismi, qui tamen auſi non ſunt Andream neque unicâ madefacere guttulâ, ſed illum tantùm circumambientes elementorum triumphatori ex cadentibus margaritis fluxis tamen, ac ſolutis in aquarum guttas gemmeam compingunt coronam. Non miror, ſi pluvia Andream non tetigit, tanta æſtuabat charitate in proximum, & adeò excreverat incendium, ut aquas vicerit, ac pluvias ipſas exſiccaverit. Quòd ſi immortalem olim ſibi ignis laudem comparaverit in Babylonica fornace, eò quia cum pueris luſiſſet illæſis: dixerim aquam ignis æmulam, æquale ſibi comparaturam gloriæ incrementum cum Andrea medijs in aquis non madente pariter luſiſſe. 29

Avola igitur ad æternæ gloriæ perpetuò vernantia vireta: ſat floruiſti in terris, ſat lilium inter ſpinas candicâſti: effloreſce nunc in cœli amœnitatibus, ut qui in terris vernâſti lilium inter ſpinas, mox in cœlis coroneris gloriâ nunquam peritura. Avola ad ſublimia, qui cultura humilitatis pannoſam lacernam ultro oblatis tibi dignitatibus, ac Infulis prætuliſti; & amâſti latere potiùs in aſceterio, quàm clareſcere in faſtigio honoris. Perge nunc lilium ad locum irriguum ubertate fontium, purpureáque lucis amœnitate lætum, ubi non ampliùs inter ſpinas, ſed inter beatitudinis delicias florent lilia. 30

Ex hac panegyrica oratione, quam tibi exhibui, facilè conjicies, qualis eſſe debeat œconomia epidicticæ orationis: in calce exordij ponitur allegoria, ſeu ut vulgò dicitur inventio, cùm propoſui Andream lilium fuiſſe, ſed inter ſpinas; deinde ſequitur narratio, quâ præclara geſta perſonæ commendandæ enarrantur, & lilio inter ſpinas floreſcenti æquiparantur, ut allegoria contineretur. Tandem per apoſtrophe clauditur oratio, & ſine præcedentium repetitione ponitur epilogus. In enarrandis geſtis duo poſſunt modi ſervari; primus eſt naturalis, quo ſervatur ſeries temporum, & incipit, à Patria, genere, educatione, ſtudijs, præceptoribus, à rebus præclarè geſtis, in pueritia, juventute, adultiore ætate, & ſenectute: hunc morem ſervavit Socrates in oratione ad Evagrium Cypri Regem, ut etiam Eumenius in oratione Conſtantini: ſubijcio fragmentum illius orationis. A

primo igitur incipiam Originis tuæ Numine quod plerique adhuc fortaſſe neſciunt, ſed qui te amant plurimum ſciunt, ab illo enim Divo Claudio manet in te avita cognatio, qui Romani Imperij ſolutam, & perditam diſciplinam primus reformavit.

Secundus procedendi modus dicitur ar-
31 birtarius, & à Cicerone vocatur generum diſtributio, & contingit, cùm nullâ temporum ratione ſervatâ, generum diſpoſitiones ſequimur, ac noſtro arbitratu certa quædam capita conſtituimus, quæ ſint quaſi totius orationis ſtatus: hic autem ordo prudentiam oſtendit Oratoris, & hunc ſequitur Cicero commendans ab excultis virtutibus Pompejum, & præſertim à ſcientia rei militaris, authoritate, & fortitudine. A virtute à viro laudando exculta, laudes veluti è perenni, ac pellucido fonte hauriuntur: eſt enim virtus veluti Amaltheæ cornucopia fructus, & flores effundens, eſt veluti Ajacis Clypeus adverſantis fortunæ ictus retundens omnes, neque ipſa indiget aliena laude, cùm ſibi ipſi laua uberior ſit, quapropter Claudianus in recenſendis virtutibus Stiliconis ait:

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſoláque latè
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſúve petit clareſcere vulgi,
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis.
Divitijs animoſa ſuis.

Inter virtutes religio vel maximè com-
32 mendatur, cùm ſit regnorum baſis, & ejus nomen omen ſit felicitatis æternùm manſuræ: eſtque anchora, ſine qua Reipublicæ navis fluctuat; eſt virtus, quæ ſemper ſurſum nititur, ut DEO adhæreat, quam ſi ſymbolicè expreſſam velles, flammam pingeres ſurſum nitentem addito lemmate, *Nunquam deorſum.* vel cervum ad fontem aquarum currentem venena anguium excuſſurum cum hemiſtichio, *Una ſalus*: quia æterna ſalus nonniſi de fontibus Salvatoris, ſeu baptiſmo, ad nos derivatur.

A Juſtitia etiam laudantur, qui præſunt, hæc enim illa eſt virtus, qua neglecta regna teſte Auguſtino nil aliud ſunt, quàm magna latrocinia. Hanc ſervaturus Seleucus oculum unum ſibi, & alterum filio adultero eruit, legem à ſe ſancitam ſervaturus. Debet hæc virtus æquè in omnes exerceri; perinde, ac ſol lucem ſuam æquè omnibus impertitur, eſtque ſymbolum juſtitiæ, cui adduntur verba: *omnibus idem.* Princeps cavere vel maximè debet, ne aliena diſſimulando flagitia propria faciat, una debet ei norma eſſe regnandi, ad honeſta pellicere præmijs, & à ſceleribus pœnis detertere; ut ſi bene beneficia diſpenſet, non malè ſupplicia collocet.

A liberalitate, & munificentia laudatur etiam Princeps. Et hæc virtus pelago pariatur, cujus ripis exundat cum lemmate: *Me copia ripis extulit*; ut etiam ſoli, qui omnibus æquè oritur, quod Plinius exaggerat in ſuo Trajano inquiens: *Omnia perfudiſti, ut ſol, & dies, qui non parte aliqua, ſed ſtatim totus nec uni, & alteri, ſed omnibus in commune profertur.*

33 De Chriſtiano hanc virtutem exercente in pauperes dicimus, inſulas fortunatas, domos effeciſſe pauperum, deſideraſſe alienas miſerias ſcire, quas abigeret; ærumnas cognoſcere, quas leniret; opes cumulâſſe, quas indigentibus erogaret; plura tantùm appetijſſe, quò plura daret: fortunam tantùm cenſuiſſe ſuam, alios fortunatos effeciſſe, ac miſeris profuiſſe: id unum dixiſſes ei tantùm fuiſſe volupe lugentes exhilarâſſe: nihil ſibi detinuiſſe, ſed totum, quod potuiſſet fortuna eripere, lucrum feciſſe virtutis; miſerorum oculos ſiccâſſe vivum, & humectâſſe mortuum.

A Clementia etiam commendatur vir Princeps, eò quia frequens punitio vileſcat, & ſævitia plus timoris oſtendat, quàm potentiæ; debet enim Princeps, vel maximè timere, ne timeatur, quapropter Alexander nomine tantùm, non re Severus, ajebat: Odi hortulanum, qui à radice olera exſcindit. Viro Principi congruit effatum Biantis dicentis, *timeant ſubditi non illum, ſed pro illo.* Regem potiùs apum debet Princeps imitari, qui ſolus ſine aculeo reliquas præcedit, quas Majeſtate tantùm ſuperat.

A temperantia etiam commendatur, eſtque virtus, quæ luxui modum imponit, & redarguuntur Patinarij Principes, & gulæ mancipia, ut Vitellius, qui ad id tantùm videbatur natus, ut biberet, non ut viveret, Heliogabolus, qui luxum omnem in epulis admiſit. Nero qui nunquam bis eandem veſtem induit, Ottho, qui in caſtris imminente conflictu ad ſpeculum faciem fucavit, capillóſque compoſuit, quaſi nuptias, non certamen, initurus. Acceſſuntur etiam huc, ut redarguantur, Luculli cœnæ, uniones Cleopatræ, luxua Claudij, qui ſingulis convivantibus ovum ſorbile ex auro, ut Vitellius panes aureos invitatis appoſuit, quapropter Seneca immoderatas Romanorum cœnas exagitat, inquiens *putáſne hos vivere, qui ad faces, & cereos epulantes funus jam propè ſuum deducunt?* E contra laudantur Principes, qui temperantiæ fuerunt addicti, ut Severus Imperator, qui viris gemmas non eſſe uſui dixit; Auguſtus, qui in cultu veſtium modeſtus nitidiorem amictum ſuperbiæ vexillum, & luxuriæ nidum vocavit.

In hoc genere demonſtrativo plerumque 34
ſervatur ordo dignitatis, & rerum initio ducto, vel à minoribus ad majora, vel à majoribus ad minora; ut præſtitit Cicero *Orat. pro Marcello. 2. Philipp. num. 78.* Confirmatio, & amplificatio petuntur ex locis Rhetoricis congruentibus, tempori, loco, perſonæ, facto, dicto, & reliquis circumſtantijs, ut ſi commendetur vir religioſus, qui hinc deceſſit cum fama ſanctitatis ſervato ordine naturæ, poteſt commendari à patria, parentibus, oraculis, ſomnijs, antequam naſceretur; poſt nativitatem ab educatione, inſtitutione, ingenio, moribus, dictis, factis, virtutibus excultis, ſcientijs acquiſitis; poſt mortem à ſignis, miraculis, acclamationibus. Caveat tamen Orator, ne ab una re ad aliam tranſeat ſine debita connexione, eſt enim tranſitio oratoria veluci

luci

luti amentum ſericum, quo Oratio ſimul colligatur: hac induſtria præ cæteris uſus eſt Pacatus in panegyrico Theodoſij Imperaroria ait ipſe: Quod facere ingreſſi urbes ſolemus, ut primum ſacras ædes, & dicata Numinibus delubra viſitemus, tum fora, atque gymnaſia, ambulacra, & plauſtra miremur: ita in laudibus tuis ſanctos aditus, & priſcis æquanda ceremonijs inſtituta venerati gradum ab illis properabimus; deinde quæ in medio conſtituta ad publicos uſus valentia, non privatim, ſed in commune conducunt, nec parietibus, ſed Orbe claudentur, nec tecto, ſed cœlo aperientur.

Peroratio in hoc genere encomiaſtico maximè pendet ex Oratoris prudentia: debent tamen cieri motus in laudationibus, non illi quidem vehementes, ſed qui ad virtutis imitationem ferant amorem, & benevolentiam concitent in eum, qui laudatur; è converſo in vituperationibus excitandi ſunt motus indignationis, & iracundiæ, pudoris, & ignominiæ, ut in animis auditorum turpitudinis odium relinquatur.

EXPENSIO IV.

De Arte nova meditandi Allegorias continuatas, quæ vulgò dicuntur inventiones Panegyricæ.

1 POlitioris elocutionis apicem videntur attigiſſe noſtræ ætatis Oratores, qui dicendi Veneres non ex albente fluctuantis maris ſpuma, ſed ex nigricante atramento natas malunt: tot enim veneres gignunt, quot in oratione ſunt periodi. Primævæ ætatis oratores, ut fuerunt Gorgias Leontinus, Thucydides, Herodotus, Iſocrates, Æſchines, Demoſthenes, Lyſias, Chalcedonius, Protagoras, Abderites, Demetrius Phalareus, Chius, licèt labore, ac ſudore cœperint eloquentiam excolere, ut amœniùs effloreſceret; non tamen tot floribus fuit eloquentia ornata, ut in hac noſtra ætate: nec mirum cum artes ſuis initijs rudes ſemper fuerint, & tantùm progreſſu temporis expolitæ; nil enim ſimul in cunis inchoatum, & plenè politum: ex rudioribus enim principijs omnia natura rerum opifex pertexuit, & ad perfectiora pertexit.

2 Inventiones quæ ad conſtruendas panegyricas orationes adhibentur, nil aliud ſunt, quàm metaphoræ, ſeu translationes, vel allegoriæ continuatæ, ac comparationes cum perſonia, quas commendandas ſuſcipimus, & in quarum laudes orationem teximus. Adeo ut geſta, quæ laudantur, debeant cum allegoria illigari, ſeu comparari: ſi enim in oratione panegyrica pro Divo Joanne Evangeliſta aſſumerem aquilam pro allegoria; omnes aquilæ proprietates deberent comparari cum actionibus Divi Joannis: ut ſi Aquila altiori volatu reliquas aves antecellit; Divus Joannes præ cæteris Evangeliſtis ſublimiora ſuit myſteria contemplatus, ac altiùs avolavit inquiens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Si aquila nubes ſupervolat, ac irretorta acie ſolem intuetur: Divus Joannes Solem divinum, & Chriſtum jugiter fuit contemplatus, & ipſo ſole, ſeu Dominico corpore paſtus perſpicacior evaſit: ſi aquila draconem inſequitur debellandum, & proſternendum; Joannes vitij monſtrum profligavit; ſi Aquila ſerpentes perſequitur, quos enecet, Joannes vitia quæque abegit. In fine exordij explicatur allegoria, ſeu inventio, quæ attentionem excitet ob rei novitatem, propterea in illa proponenda debet Orator favos loqui, & eloquentiæ nectare auditores perfundere.

Allegoriæ igitur, quæ vulgò inventiones dicuntur, erui poſſunt ex decem Ariſtotelis prædicamentis facta translatione à qualitate aliqua morali illius, quem laudandum ſumimus ad phyſicam, cum qua dicat proportionem, ut præſtiti in oratione panegyrica D. Andreæ Avellini, qui ſervaturus pudicitiam cilicio perinde, ac impenetrabili clypeo ſe munivit: conſideravi qualitatem moralem, ſeu pudicitiam, quæ ſolet phyſicè exprimi per candorem; ſi enim ſumam qualitatem phyſicam, ſeu candorem in genere expreſſiuum pudicitiæ, poſſum ſub alto hoc genere candoris ſingulas ſpecies coacervare, ſeu ea omnia, quæ candorem præſeferunt, cujuſmodi ſunt inter flores *lilia*, *liguſtra*, inter gemmas *uniones*, *adamantes*, *Chryſtallum*, inter metalla *argentum*, inter humores *lac*, *nix*, *ſpuma*. Rurſus poſſum ſumere quamlibet ſpeciem pro genere, quia ut docet Ariſtoteles in *Poet. cap. 20.* *nominis alieni illatio, a ſpecie ad genus, vel à genere ad ſpeciem*; unde ſicut dicimus pudicitiam *candidam*, poſſumus etiam vocare *niveam*; vel etiam *lilium*, *margaritum*, *adamantem*. Sumendo igitur ſpeciem pro genere vocavi pudicitiam *lilium*: & quia Andreas mortificationibus, & omni genere auſteritatum hanc virtutem excoluit, cilicio loricatus; quia hæc omnia conveniunt cum ſpinis dixi pudicitiam excultam ab Andrea, lilium inter ſpinas, & continuavi allegoriam per totam orationem panegyricam: & ſicut ſumpſi unam ſpeciem ſub alto genere albedinis, poſſum etiam alias ſub eodem genere accipere, & vocare pudicitiam *pretioſum margaritum*; *argentum* defœcatum, quò hujus virtutis cultores æternam ſibi coëmunt gloriam; *nivem* cœlitibus eblandientem, & quam Andreas impuris Veneria objecit ignibus, quos extinxit. 3

Quòd præſtiti de una qualitate morali comparata cum phyſica, poteſt etiam fieri de quacunque alia qualitate morali: quia charitas convenit in ardore cùm igne, & colore rubro; poſſum ſumere hunc colorem rubrum, ut altum genus; deinde conſiderare ſingulas ſpecies militantes ſub eodem genere, ſeu quæ in rerum natura rubra ſunt, ut *roſa*, *purpura*, *pyropus*, *ſanguis*, *flamma*, *accenſi carbones*, & poſſem dicere charitatem eſſe *ignem*, qui ſur- 4

ſum ſemper ad Deum avolat: eſſe *roſam*, quæ inter ſpinas ærumnarum olet ſuavior, & floret pulchrior: eſſe *pyropum* pretioſiſſimnm ſuos noctu emittens radios, quibus tenebras abigit: & pro allegoria continuata, ſi panegyrica oratio eſſet conſtruenda de aliquo Cœlite, qui cùm in terris viveret, Charitate in Deum, & proximum æſtuaverit, poſſem ſumere flammam, quæ in ara Veſtalium jugiter ardebat, quo pacto probarem totam hujus Cœlitis vitam arſiſſe charitate.

5 In orationibus panegyricis, quia præſertim commendantur qualitates morales, ſeu virtutes perſonæ laudandæ perpendendum eſt, cùm quibus rebus phyſicis conveniant qualitates, ſeu virtutes, ut charitas convenit cùm igne; puritas cum nive; & quia ignis; & nix opponuntur in qualitatibus, ſi laudarem aliquem Cœlitem, à charitate, & pudicitia paradoxica inde orietur allegoria: ſic dicerem, fuiſſe Æthneum montem animatum, qui impunitas cum flammis fovit nives, ac reliquarum virtutum excoluit flores. Sapientia cum luce convenit; humilitas cum tenebris, & umbris; perſpicacitas cum aquila; magnanimitas, cum leone; fortitudo cum adamante. Ex hiſce aperitur locupletiſſima allegoriarum, ſeu inventionum aurifodina. Si ſumas laudandum aliquem ex cœlitibus eò quia humilitate excelluerit. A ſubſtantia poſſes ſumere probandum *Sacrum Antheum*, qui è tactu telluris; hoc eſt ex humilitate fortior, ac ſanctior fiebat; *aurum Pactoli* ſub hmmilitatis aquis pretioſius; à quantitate, *pretioſum theſaurum*, ſed abſconditum ſub humilitatis umbris; à qualitate, quia humilitas convenit cum umbra poſſes probare *umbras illuſtres*, ſeu illuminatas; à relatione *Nocturnam ſtellam, ſed filiam Solis*; ab actione *Cœleſtem agricolam* telluris viſcera penetrantem cominus tartara debellaturum. A paſſione *Triumphantem palmam*, quæ pondere preſſa erigitur altior, & dum ſtringitur anguſtiùs, dilatatur auguſtiùs; à ſitu *humilitatem exaltatam*; à tempore *Noctem illuminatam*. A loco *profundam aurifodinam* plenam omni virtute. Ab habitu *paupertatem locupletem*.

6 Conceptionem Immaculatæ Virginis Matris olim à prædicamento ſubſtantiæ probavi fuiſſe *ſacram laurum*, quia ſicut laurus eſt immunis à fulmine, & nunquam ſe ſpoliat vireſcentibus folijs; ita Immaculata conceptio Virginis Matris immunis fuit à fulmine peccati originalis, neque in ipſa fuit unquam imminuta plenitudo gratiarum. Alij ſupponentes Eam conceptam ſine labe originali à ſitu probant eſſe *margaritum in ſinu Conchilij*. Alij à qualitate eam dicunt *Iridem* tot variatam coloribus, quot ornatam virtutibus. Pro Divo Nicolao Myrrhæ Epiſcopo ab actione, & relatione ſimilitudinis, poteſt ſumi probandus *ſacer Hippomenes*, qui aureis, ſi non pomis, ſaltem numis non unam Athalantam, ſed tres puellas virgines detinuit, ne currerent lubricas impudicitiæ vias. Pro incorrupta S. Antonij Patavini lingua alij à quantitate probant fuiſſe *fulmen*, quod à vitijs, & ſceleribus fideles deterruit. Alij à qualitate vocant *immarceſcibilem roſam*, quia adhuc noſtris temporibus purpuraſcit, perinde ac roſa, cum qua convenit in colore, & tritum eſt effatum illud *audivimus roſ.u loquentes*. Pro Divo Andrea Apoſtolo à loco, & tempore alij probant fuiſſe *Stellam Veneris*, quia prope divinum Solem, ſeu Chriſtum enituit, & poſt Chriſti necem, etiam Andreas Martyrium ſubivit. Pro Divo Dominico à quantitate alij probant *Latiſſimum virtutum mare*. Alij ab actione *Venaticum canem*, tartaream feram inſequentem. Pro Diva Magdalena à motu alij probant fuiſſe *Jordanem*, eò quia undis lacrymarum non ſolùm deterſerit, quas contraxerat peccando ſordes, ſed etiam converſa ſit retrorſum, ſeu à via peccati ad viam ſalutis reverſa. Alij à ſubſtantia, & qualitate *Roſam inter ſpinas*, eò quia dumis circumſepta pœnitentiæ in ſpecu Maſſilienſi amore in Deum jugiter æſtuaverit. A loco, & actione pro Diva Roſalia, quæ relictâ Aulâ in deſertum ſeceſſit, probant *Venatricem Dianam* Regni cœleſtis.

7 Pro Diva Barbara à loco, in quo detinebatur *Turrim Davidicam*, à qua mille pendebant clypei, quia Diva Barbara fortitudinem Turris exercuit in paternam perſecutionem, contra quam mille virtutum Clypeis ſe munivit: ſi recenſeantur ſingulæ virtutes, quas ipſa excoluit, laxiſſimus patet campos amplificandi, & panegyricam texendi orationem. Pro diva Agatha à relatione ſimilitudinis, & æquiparantiæ *Invictam Amazonem*. Erant Amazones bellicoſiſſimæ fœminæ, quæ primum Scythiam juxta Tanaim, deinde ad Thermodoonta incolentes magnam Aſiæ partem occupaverunt, dictæ Amazones, eò quia mammis carerent: mos enim fuit Amazonibus interfectis maribus, ſervare fœminas, earúmque infantium mammas inurere dexteras, ne impedimento eſſent ad pugnam conferendam, & ne ſagittarum jactus impendirent: ſic Diva Agatha poſt abſciſſas mammas fortiùs dimicavit contra Tyrannum, quem proſtravit, ac vicit cum Martyrij palmâ triumphavit, à tempore pro Sancto Cajetano Thienæo *Auream ætatem*. Pro divo Joanne Chryſoſtomo *Herculem Gallicanum*, qui aureis eloquentiæ catenulis potis fuit homines vincire culturæ virtutum. Pro Divo Laurentio à loco, in quo Martyrium ſubivit, *Igneum Eliæ currum*. Pro Divo Policarpo à loco alij probârunt fuiſſe *Cœleſtem Phœnicem*, quia è rogo, ſeu incendio, quo uſtus fuit ad vitam avolavit nulli ampliùs interitui obnoxiam. Pro Diva Clara à loco nativitatis, ſeu Umbria alij probârunt fuiſſe *umbram luce clariorem*. Alij pro Divo Joſepho à prædicamentis ſubſtantiæ, & actionis probârunt eſſe *Virgam Aaronicam*, eò quia flores germinaverit, & fructus ſummarum virtutum pepererit. Pro Divo Ivone, & quocunque munifico in pauperes, & eleemoſynario à relatione ſimilitudinis, poſſumus probâre, *Vo-*

rum m

rum Jovem deſcendentem in aureas pluvias non Danaem, ſed paupertatem fœcundaturum. Pro Divo Ignatio Loyola ab actione, & etymologia nominis *Ignem Promethei*, eò quia frigeſcentem mundum inflammaverit ad culturam virtutum.

8 Ab Etymologijs nominum poſſunt allegoriæ ſumi. Quia Andreas interpretatur fortitudo; pro Divo Andrea Apoſtolo poſſet probari *fortitudo inconcuſſa*, vel *adamas infrangibilis*: quia Stephanus interpretatur corona, pro D. Stephano poteſt probari *corona triumphalis*. Pro Diva Margarita, *pretioſum Margaritum*, illibatum in ſinu conchilij. Pro Diva Lucia *Lux ſine eclypſi*. Pro Diva Agatha *Achates* lapis pretioſus, ac fortiſſimus. Pro Divo Vincentio *laureata victoria*. Pro Divo Ambroſio *cœleſtis Ambroſia* demulcendis, ac componendis exaſperatis animis à Deo in terram demiſſa. Pro diva Agnete *Agnus mactandus*. Pro diva Urſula *urſa minor cœleſtis*.

9 Sicut à nomine, ita à ſtemmate poteſt allegoria in oratione panegyrica deſumi, ſi laudes recenſendæ ſint alicujus viri prænobilis. Si enim gentilitio in ſtemmate præſeferat aquilam, coacervandæ ſunt, quæ de aquila habentur eruditiones. Fuit enim olim aquila Regum, ac regnorum inſigne. Romanis tamen aquila argentea fuit, & Perſis in militaribus ſignis aurea. Nunc verò Imperialis aquila biceps eſt, eò quia orientem, & occidentem imperio coërcuerit; hinc aquila biceps occaſum aſpicit, & ortum. In Principum familijs etiam ſplendet hæc volucrum regina: ut in ſtemmate Gonzageæ domus, ſi enim in commendationem alicujus ex hac familia eſſet oratio panegyrica texenda, poſſet Orator pro continuata allegoria aſſumere aquilam, & aſſerere felici auſpicio avolâſſe virtutum alis ſupra reliquos duces, & Mantuanam aquilam terræ ambitum ſupergreſſam ſole jam frui ſupra nubes humanorum affectuum. Notatu eſt etiam dignum, quòd aquila omen duplicis Imperij Alexandro fuerit Aſiæ, & Europæ, quod omen tunc fuit Alexander nactus, cùm eodem nato binæ aquilæ tecto natalitiæ domus inſederunt, de quo propterea potuiſſet Claudianus occinere.

Luſtravitque tuos aquilis victricibus ortus.

10 Si vir illuſtris Cygnum, ſeu Olorem ferat in ſtemmate poſſet pro allegoria continuata ſumi olor, & coacervari quidquid de Olore habetur eruditionis. Tullius Olori quandam tribuit divinitatem, eò quia prænoſcens quantum in morte ſit boni, cum cantu, & voluptate emoritur. Scimus priſcos homines, Cygnum ſacrâſſe Apollini ob cantûs gratiam minimè ab Apolline alienam. Olor itidem orationem dicitur colorare: hinc non nemo de viro illuſtri referente in ſtemmate gentilitio Olorem, dixit: Olor tuus fortunato veriùs meritorum, quàm alarum remigio ad debitam tibi provehitur celſitudinem, dum ad id evadit faſtigium, & concentu famæ immortalis, concordem in animis omnium provocatis in certamen affectibus excitat harmoniam. Nemo ambigit, te bonis artibus culmen hoc attigiſſe. Dives calamis Olor, vel inter prima tua incunabula felix augurio de te loqui cœpit, ut ales Apollinis te prædicavit inter illuſtria Cygneæ domûs nomina. Si Oppiano credimus canente Cygno ſcopuli, & valles dicuntur reſpondere; & olim Romanorum exercitum ab Olore ſua deſumpſiſſe ornamenta; dicitur enim Romana militia prætenias galeis Cygnorum pennas geſſiſſe.

11 Si equus ferociat in ſtemmate, poteſt vir illuſtris laudari à generoſitate, & agilitate equi decurrendis gloriæ itineribus aptiſſimi. Scimus equum fuiſſe Sejano exitialem, & perniciem hæredibus omnibus invexiſſe. Sed equus, qui tuo in ſtemmate currit ad apicem felicitatis perveniet, téque ad gloriæ vehet culmen. Scio equos Sybaritarum ad tibiæ modulos aſſueviſſe choreas ducere, ſed à Crotoniatis alios fuiſſe ſaltus edoctos: ſed equus tuus, nonniſi in ſublime ad gloriam ſaltare didicit. Scio Caligulam ſuum adeo adamâſſe equum, ut eidem hordeum in aureo diſco appoſuerit, ac vinum argenteis in poculis, aſſignato etiam eidem famulitio, ſed in tuo equo nil hujus levitatis reperitur, quia nonniſi ſtadium virtutis percurrit, addúntque ſtimulos ad gloriam virtutum calcaria, quibus excuſſa ſegnitie perniciſſimè currit ad gradûs honoris, ad quod fortaſſis alluſit Poeta:

Siſte gradum Bellator eques, vel in urbe morantis.
Ipſa tibi pulchrum gloria ſternit iter.

Ob hanc gloriam acquirendam ſcimus Garciam IV. Navarræ Regem Ordinem inſtituiſſe equitum liliatorum.

12 Si in ſtemmate viri illuſtris exhibeatur Leo; poſſet Orator, quæ eruditè dicuntur de leone tribuere viro illuſtri, hoc pacto. Noſtrum Herculem, nullæ exuviæ ornant venuſtiùs, quàm illæ leonis, ad cujus occurſum impalleſcit hoſtis, qui ſolo rugitu perterrefactus tibi palmas cedit, turpíque ſe fugæ donat: neque patriam potuit quis validiùs tueri, quàm tuus leo, fortior ac vigilantior Dracone illo, qui fingitur hortos Heſperidum cuſtodiviſſe. Si in caſtris ad fortiter pugnandum milites hortatis, alius es Heſperides, qui in bello Athenis leo fuit creditus. Si ſolus leo inter quadrupedes apertis dicitur naſci oculis, ac indormire; tu ut publicæ vigiles ſecuritati die, noctúque invigilas. Adeo es lucis gloriæ appetens, ut ad eandem rudem adhuc pupillam erudias; quia leunculus uterum leenæ matris dicitur unguibus dilacerare, quia feſtinet ad lucem erumpere. Scio leonum rictus, templorum valvis, & Baſilicarum veſtibulis in vigilantiæ ſymbolum fuiſſe affixos, vel ut in mortuo leone adhuc viveret terror, & quidem vel in ſolo oculo adaperto; ſed tu in tutelam religionis, & patriæ ita invigilas, ut vel tuum nomen hoſtibus terrorem incutiat. Quòd ſi Megarenſes è fractis caveis leones in hoſtes immiſerunt irritatos, tati ſe ſe obicem

hoſti-

hoſtibus objecturos, cùm temen fuerint ipſi ab ijſdem leonibus in plure fruſta diſcerpti, & in caput euthorum fueriut inſidiæ relapſæ. A te omnino aliud ſperamus, non enim tuus leo in tuam unquam aſſuevit familiam ſævire, ſed tantùm in hoſtes tuos, & patriæ ferocire. Scimus in tumulo Hermiæ ſculptum in marmore leonem, cui oculi ſmaragdini inditi erant, & in gurgite radiantes piſcibus fuiſſe terrori, quos & longiùs fugavit: ſed tuus leo talem ſibi reverentiam, & amorem conciliet, ut in ſui benevolentiem cæteros elliciat. Deprædicant Poëtæ Achillis fortitudinem, eò quia medullis leonum peſtum, & fartum crediderint, ſed tu ſi non hoc crudo fueris obſonio enutritus, à tuo tamen leone, qui in ſtemmate fulget, fortitudinem hauſiſti. Quòd ſi nec ipſa emortui leonis oſſa ſine terrore eſſe dixeris, cùm ſimul colliſa ignem emittent; etiam è tuæ familiæ cineribus, oſſibúsque tuorum Majorum ſplendor illuceſſit gloriæ, quam ſibi præclarè geſtis comperârunt.

13 Si ſtemme viri illuſtris accipitrem referat hæc ales tenebres dicitur odiſſe, & de viro commendando diceret Orator, nunquam in obſcuro jacuiſſe igneviæ, ſed ad lucem jugitet ac ſpleudorem virtutis evolâſſe. Idque cauſæ, cur accipiter ſolaris habeatur avis, ac igneæ ſit naturæ, & occulta quadam ſimpatbia ad ſolem feratur, ac ſoli, & Apollini dedicetur. ait Plinius, Accipitris oſſa magnetis inſtar non fertum, ſed eurum ettrehere, ſed tu eorum animos, qui te noverunt, comitete, & benevolentie ettrehis, tibique devincis. Ex oſſibus accipitris unè colliſis ignem elici refert Ælianus: ſed ſi tu injuſtè læderis, flammas concipis, quarum ardorem ſentiunt, qui te irritârunt. Non me latet, Ægyptios ſolem expreſſuros, accipitrem pinxiſſe, ob eximiem videndi facultatem, motúsque perniciſſimem velocitatem: ſed ingenio os tu perſpicaciſſimo, ac velociſſimo, cùm omnie penetres, ac cognitione aſſequaris. Quinimò ab Ægyptijs cœtui Deorum fuiſſe accipitrem relatum ſcimus, perinde ac in Theſſalie Ciconiem, & accipitrem occidiſſe capitale erat. Sed tu non in deorum catalogo, ſed in illuſtrium Heroum numero veriùs recenſeris. Quòd ſi ea eſt accipitris indoles, ut in eltum ſemper avolet, tu non niſi ſublimie petis exercitio virtutis.

14 Si ſtemme gentilitium fluvium præſeferat, coacervanda ſunt præclariora, quæ de fluvijs enarrantur, ut parientur cum viro illuſtri, cujus ſtemme fluvius eſt, qui ſi ſit vir fortis, & in bello hoſtes proſtraverit, ac patriam defenderit, dici poſſet. Quoties fluvius tuue hoſtium deletis copijs tubuit, purpuram patriæ coloravit; & ditior Pectolo, & genge fluxit tuus fluvius, cum opima ſpolia eb hoſtibus direpte in patriam tranſtulit; cedunt huic tuo fluvio reliqui omnes, ex quo in Rempublicam tot beneficia tam divite elveo refunduntur, ut divitias omnes vehere videatur. Quòd ſi Ægyptus nihil ſe imbribus, nilque cœlo, ec nubibus debere ejebat, ſed omnia Nilo, eò quia hoc perfuſa tellus amne, non alio aquarum genere pingueſceret, quàm beneficis, quas Nilus effunderet: tuus fluvius adeò in patriam beneficue fuit, ut non ſolùm ſegetes, ſed etiam victrices palmas irrigaverit. Scio plura recenſeri ex aquis emerſa prodigia præſertim è lecu illo Africano, ubi omnie dicuntur innatare, nilque mergi: de Abſamea equa, quæ fidem ſerventibus eſt dulcis, inſidis eſt infeſta; quorum pedes, manúsque invadit epote; ſed tuus fluvius, qui nobiſcum confœderatur dulceſcit, ec eſt ſolatio; hoſtibus eſt infeſtus, ejúsque ſentiunt amaritudinem, cùm in ipſo mergentur victi. In quodam Epyri fonte dicuntur faces accendi, ſed veriùs belli faces ardent acriùs ad illuſtriores victorias tuo in fluvio. Admirationem excitat, quod refert Ælianus in finibus Meropum duo eſſe flumina alterum triſtiriæ, quod epotum lacrymas tota vita elicit; alterum voluptatis, quod præteritotum oblivione inducta ſenectutem depellit: hoc idem tuo congruit fluvio, qui pluries ad lacrymas noſtros coegit hoſtes, & ſuis laticibus noſtros extinxit timores.

Si in gentilitio ſtemmate feratur campus vecuus, poſſet Orator in laudem viri illuſtris dicere, quem in gentilirio tuo ſtemmete excolis campum, virtutum ſeris rudimentis, ſed quæ in ipſum jecis ſemina in uberrimam excreſcent meritotum ſegetem. Scio eampum olim Merti ſecrum Romæ fuiſſe, & milites in eodem ſuam exercuiſſe bellicam virtutem: ſed, qui pater tuo in ſtemmete cempus à te Marti ſacretus fuit, & quia hoſtili cruore eundem rigâſti, nonniſi leuros, & palmas tibi ſpondet. Nec ſterilitate leborat campus tuus, ex quo nobis uberrime lætitiæ ſeges oritur: Si creſcunt victrices lauri, & palmæ ed victoriam gigenteſcunt, nulla tamen fatalis cupreſſus alitur hac tua in rellure. 15

Si Stellæ notentur in ſtemmate poteſt ab ijsdem commendari vir illuſtris. Si quotquot ſplendent nocte in cœlis ſydera ſuos à ſole planetarum principe hauriuut nitores: quæ in tuo coruſcant ſtemmate ſtellæ à tuis ſummis virtutibus ſuos mutuant ſplendores, téque ſolis æmulum ferentur: néque noctem tenebris obvolutam ſecum afferunt ſtellæ, ſed diem pariunt, quò te illuſtriorem commendant, tibique Zodiaci viam ſternunt, ut ed gloriem te evehant nunquam perituram. Scio Mathematicos ſtellas diſtinguere primæ, ſecundæ, tertiæ magnitudinis uſque ad ſextam, ſed in tuo ſtemmate, in tua gente nil eſt, quod primam non æquet megnitudinem. Nee ullæ ſunt ibi Hyades, nullæ Plejedes procellas, & imbres præſegientes, ſed feuſta omnia ſpondent. Nulla eſt in tuo ſtemmate ſtella, quæ eclypſim patiatur, quia nunquam ijſdem deeſt virtutum ſplendor, quem à te ebundè hauriunt. Non ſolùm Gallia ſuos commendet ſtelletos equites, quorum inſigne fuit olim ſtelle in gallero aureis circumfuſa radijs addita inſcriptione *monſtrant Regibus aſtra viam*: quia quæ tuo nitent in ſtemmate ſtellæ radiant 16

cla-

ſtariores, ubique ad regias dignitates viam oſtendunt.

17 Si in ſtemmate viri illoſtris ſurgant turres, quæ de hiſce habentur eruditiooes colligendæ ſunt, & cum viro laudando conferendæ, quo pacto diceres, has turres munimenta eſſe Patriæ potiora propugnaculis Semiramidis, neque quo vereatur poſſe Patriam habere tuis munitam turribus: ad quas referri poteſt, quod Philoſtratus de turri ſapientum Indiæ ad Hyphaſidem amnem ſita, quam nec mille Achilles, ne ter mille Ajaces expugnaſſent. Poſſent itidem turres præferri obeliſcis, pyramidibus, coloſſis, arcibus munitiſſimis, quæ olim fuerunt hoſtibus terrori, ſed nunc ſolo jacent æquatæ, turres enim tuæ extra fortunæ pericula æternùm ſtabunt:

Oeconomia Genethliacæ Orationis.

18 Genethliaci apud Gellium *lib. 13. cap. 1.* dicuntur, qui ex ſyderum poſitione, die, & hora nativitatis fortunam hominis prædicere conſueverunt, & quæ ipſi erant eventura; hinc orationes natalitiæ, quibus natalis dies alicujus viri illuſtris commendatur, genethliacæ dicuntur. Aſtrologi Horoſcopum naſcenti dicunt fortunatum, quando venienti in lucem ſecundis influxibus proſperum aliquid affulget ex ſyderibus: ſed ſublata hac Mathematicorum diſciplina, quæ ab aſtris erraoribus errores duntaxat conſuevit vel ediſcere, vel edocere; breviter Oeconomiam genethliacæ orationis expendam.

19 Exordium genethliacæ orationis peti poteſt ab aliqua circumſtantia loci, temporis, vel perſonæ, vel à votis publicis, precibus, ſacrificijs, vel etiam ab ijs, quæ nativitatem præceſſerunt, & interdum etiam ab aliqua præclara fabula. In loco conſiderantur Regnum, Provincia, urbs, præſertim ſi ſit Metropolis Regni, temperies aëria, fertilitas telluris, amœnitas camporum. In tempore conſiderantur quatuor anni tempeſtates, & Hyemi tribuitur ſortitudo; Veri ſpecioſa venuſtas; Æſtati adulta, & locuples ſeges, Autumno ubertas fructuum, Vindemia. Conſiderantur etiam Kalendæ, quæ natalibus ſelices cenſebantur, cùm enim dies natalitius ſit dies, in quo fœtus in lucem editur, ſi dies illa habuerit aliquid inſigne, vel ſi Kalendis natus ſit quis, ſeu initio menſis; ab hoc principio poteſt Orator felicitatem præſagire, quia principium eſt optimum, & à principio ſunt omnia; & quod eſt totius dimidium, vel totum, ut ait Plato. Dies etiam ſextus, & ſeptimus menſis, cùm ſacri crederentur hiſce natos diebus aliquid cum Numinibus commune fuiſſe ſortitos, crediderunt. Nonus itidem dies menſis Soli erat ſacer; ex quo conijciebant, natum hoc die præclaris geſtis ſore illuſtrem inſtar ſolis. Quintus dies menſis Minervæ erat ſacer, & plenilunio illuſtris, ex quo inferebant, oatum eo die puerum fore bonarum artium omnium capacem, & ſcientiarum encyclopediam acquiſiturum: & ex plenilunio conijciebant, pueri nativitatem talem eſſe, ut in ea nil deſit virtutis, & bonæ artis. Idque cauſæ, cur natales dies virorum Principum ſummis ſemper fuerint honoribus excepti, & laudibus commendati. Perſæ diem illam ut ſacram coluerunt, quâ Xerxes culmen attigit Imperij. Syracuſani ingenti pompæ faſtu eam proſecuti ſunt diem, quâ Timoleon ad regimen fuit aſſumptus. Athenienſes eam celebrârunt diem, quâ ſcien iarum ſacrarium, ſeu Socrates lucis uſuræ editus fuit. Romanis quot annis ſolemni feſtivitate læta fuit dies illa, varijsque jocis jucunda, quâ urbis fundamenta à ſuis Majoribus poſita fuerunt. Idus Juliæ Julij Cæſaris ortu ſolemnes fuerunt, ut etiam Kalendæ Januarij nativitate Titi, Decembres Nervæ, Novembres Adriani ortu inſignes fuerunt; ut etiam Kalendæ Aprilis Antonini Pij nativitate inſignes fuerunt, & floribus corooatæ. Februariæ Conſtantini Magni hilares. Si ſit puer in lucem editus ſexto, vel ſeptimo menſis die præſagieodum eſt aliquod religioſum, vel quòd erit promoveudus ad dignitates eccleſiaſticas, quia hi dies ſacri erant, & Dijs dicati. De nono die quia Soli fuit ſacer dici poteſt, conſentaneum eſſe ut natus tali die evaſurus ſit vir illuſtris, clarus poſteritati, & beneficus in omnes, eò quia ſol æquè omnibus ſua impertiatur beneficia. Si natus ſit die quinto decimo, quia hic Minervæ ſacer, & plenilunio inſignis, Orator puero nato precatur ſapientiam, doctrinam, eloquentiam, cum hiſce præſit Minerva: ut etiam divitias cùm in plenilunio nil huic planetæ deſit. Eodem pacto de reliquis diebus poteſt aliquid proſperi ominari, ſi eos principio, vel fini accommodet, & conſideret, quæ in medio poſſint adferre. Non ſolùm dies, ſed etiam menſes conſiderantur, & anni, quorum primus apud Romanos rerum Dominos erat Martius, qui menſium princeps, hac glorioſa fuit appellatione inſignitus à Romulo. Aprilis Veneri erat ſacer, ac venuſtati. Majus à Majoribus ſuam ſortitu nomenclationem, ut etiam Junius à junioribus: Julius autem à Jolio Cæſare, ut etiam Auguſtus ab Auguſto Imperatore, cùm antea ſextilis vocaretur. Hoc menſe Circenſes etiam agebantur ludi ad gloriam Cæſ am.

20 Exordium genethliacæ orationis interdum deſumitur à votis publicis, ut argutè præſtitit Martialis in nativitate filij Domitiani Imperatoris *lib. 6.*

Naſcere Dardanio promiſſum nomen Julo;
Vera Deûm ſoboles naſcere magne puer.
Cui pater æternas poſt ſecula tradat habenas.
Quique reges Orbem, cum ſeniore ſenex.
Ipſa tibi niveo trahat aurea pollice fila;
Et totam Phryxi Julia nebit ovem!

21 Perpendenda ſunt etiam, quæ contigerunt eo tempore, quo quis fuit in lucem editus, ut ſi natus ſit die feſto, vel Bacchanaliis, aut myſterijs, vel aliquibus publicorum conventuum ſolemnitatibus, quia hæc omnia uberem ſuppeditant ſegetem amplificandi laudes. Circumſtantiæ etiam loci plurimum ha-

habent momenti, ut ſi natus ſit in Europa, Aſia Africa, America, ſi in Germania, Gallia, Hiſpania, Italia, vel ſi natio ſit Græca, vel Barbara, ſi ſapientia. aut fortitudine prædita. Præterea in quânam ſpeciali civitate, ſi in Metropoli totius Regni, ſi in alia civitate ampla, & florente, ac frequenti hominum multitudine referta, ingenijs fœcunda, bonis artibus vigente: imò poſſunt etiam conſiderari, quæ in tali urbe contineantur, & ex qua familia natus ſit, & ex quibus parentibus, & Majoribus; hæc enim omnia uberrimam ſuppeditant laudum ſegetem. Confirmatio genethliacæ orationis duplicem poteſt partem continere. Primò commemorationem Majorum illuſtrium, & prodigiorum, ſi quæ nativitatem præceſſerunt. Secundò quæ nativitatem comitantur, ut tempus, locus, oracula, ſomnia. Sumuntur etiam laudes ex præſtantia pueri, vigore, colore, corporis optima ſymmetria, hæc enim omnia poſſunt amplificari, & cùm alijs comparari, ut ſi magnus ſit Ajaci pariatur; ſi pulcher, & fortis Achilli; ſi prudens, & juſtus, Neſtori; ſi moderatus Themiſtocli, ſi probus Ariſtidi.

22 Epilogus ut plurimum vota continet, fauſtas apprecationes, & proſpera omnia nato infanti apprecatur, ut ſit delicium cœli, & Pindi; ut cum lacte morum candorem, & innocentiam bibat, adoleſcat in ſinu Pietatis, ac Muſarum, Neſtoreos vivat annos, culturâ virtutum floreſcat, & ad faſtigia dignitatum promoveatur.

23 Poteſt etiam Oeconomia genethliacæ orationis taliter diſtribui, ut in natalibus Principum exordium deſumatur à teſtificatione publici gaudij, confirmatio cauſas lætitiæ producat, & amplificet, & præſertim optatam apud poſteros nominis æternitatem, ac familiæ diuturnitatem in perpetuum Reipublicæ, & populorum commodum, & præſertim religionis propugnationem, & propagationem. Epilogus felices ſemper complectitur apprecationes, & vota publica.

24 Ne igitur Orator in hac texenda oratione ſterileſcat, neceſſe eſt omnes, ac ſingulas perpendat circumſtantias temporis, loci, perſonarum. A circumſtantia loci de Caligula Cæſare nato in caſtris argutè dicitur, & ſimul pungitur. Ubi cæteri mortem inveniunt Caligula vitam hauſit, quam inchoavit, ubi alij finiunt; ne mortem timeret, à qua vitam fuit exorſus, Lac ſugere didicit, ſed ubi Mars ſanguinem fundit; nondum puer, & jam miles, priùs gladium vidit, quàm ſolem. Sed quem Mars militem dederat, mors vino immerſum rapuit; natus enim ut Mavors, denatus eſt ut Bacchus; pluſque vini, quàm ſanguinis fudit, propterea fortior infans, quàm adultus. Præpoſteram habuit ætatem, tantùm ut Imperium raperet ortûs ſui memor. A circumſtantia temporis de Principe nato die Paſchatis dici poteſt: Principum gaudium, & populorum delicium non alia debuit dies mundo dare, quàm quo Orbis totus Chriſtianus jubilat ob Servatoris reſurrectionem: ſurget etiam natus infans cultura virtutum, ad uberiora ſemper gloriæ incrementa, & ſanctitate effloreſcet, quem ſanctiſſimus dies terris peperit. Debuit hæc dies ſanctior eſſe, cui Deus tantam fecit indulgentiam, ut principem in ſolatium populorum, & fulcimentum principatûs dederit. Conſiderantur etiam prodigia, & quæ contingunt in orbe toto, cùm puer naſcitur. Quia ea nocte, quâ Alexander Macedo natus eſt conflagravit templum Dianæ Epheſinæ, & Cometes in aere viſus eſt frœni figuram præſeferre, dixerunt aliqui, Dianam nocte illa munus egiſſe obſtetricis apud Olympiam Alexandri matrem; proinde non potuiſſe flammas coërcere in ſuo templo, nec incendium extinguere, cùm procul abſuerit opem allatura Olympiæ enitenti Alexandrum: & cœlum inſolenti Cometæ figura prænuntiâſſe natum puerum alios principes, & Reges domiturum.

25 Solet etiam eruditionibus ornari genethliaca oratio, & depromuntur ab alijs infantibus, & natalitijs. Quia Seleucus editus fuit in lucem cum figura anchoræ naturæ opificio cruri impreſſa; ſpes boni hominis, felici reſpondit eventui. Zoroaſtres Bactrianorum Rex vix natus, hujus lucis uſuram riſu ſalutavit, quem communibus lacrymis ſubſtituit. Curius licèt natus dentatus plures tamen acriùs linguâ, quàm dentibus momordit. Pueri Pindari dormientis, & Platonis adhuc infantis in ore dicuntur apes mellificâſſe, ut etiam in tenellis labijs Antiſtitis Mediolanenſis, cujus nomen nonniſi Ambroſiam ſapit. flamma capiti imminens Servij Tulli vix nati regium ſplendorem eidem præſagivit. Mater Auguſti Cæſarem enixa, viſa ſibi eſt ſolem genuiſſe; & Periclis mater leonem ſibi videbatur in utero geſtâſſe; & Mater S. Dominici canem ore deferentem accenſam facem, & præſagivit S. Dominicum doctrina illuminaturum orbem totum, & Zelo populos inflammaturum ad virtutem, & pietatis ſtudia. Si puer nonniſi poſt plures annos fuit in lucem editus, & à populis deſideratus, à diuturnitate temporis dici poteſt, quod natura in magnis viris producendis plus impendat laboris, ac temporis in ſuo perficiendo opere.

Oeconomia Luſtricæ Orationis. 26

Quia nato infanti primò nomen imponitur, cùm aqua luſtrali abſtergitur, ideo poſt orationem genethliacam ſequitur luſtralis, quæ texitur in laudem nominis pueri nati: dicitur Luſtralis, quia dies, quo nomen nato puero imponebatur luſtricus, ſeu luſtralis fuit nuncupatus. Romani maribus die nono, fœmellis verò octavo poſt nativitatem nomen imponebant. Athenienſes decima die. Hebræi verò ut liquet ex ſacro Codice octavo die. Mores qui apud exteras nationes circa nominum impoſitionem religiosè ſervabantur prolixè congerit, & exhibet Alexander ab Alexandro. Orator compoſiturus orationem luſtricam ipſum conſulat; Plures inveniet eruditiones, quæ ei inſervient. No-

27 Nomina, ait Poſſevinus *de cult. ingen. lib. 1. cap. 14.* non temerè, nec caſu, nec pro cujuſque hominis arbitrio indita fuerunt, ſed à diverſis cauſis & rebus ſumebantur, ut à naturali proprietate, quo pacto Artaxerxes, quia dextram manum habuit ſiniſtrâ longiorem *Longimanus* fuit nuncupatus. Curſius Sicinius, quia dentibus munitus materna exivit ab alvo dentati nomen, vix natus nactus eſt. Nobiliori Imperatori, quem totus mundus coluit; quia editus in lucem fuit cum ceſarie Cæſaris nomen inditum fuit, quamvis alij velint, fuiſſe hanc nomenclationem ſortitum ab utero Matris *Ceſo*. A lingua balbutiente Michaël Romanorum Imperator & Ludovicus, Galliarum Rex *Balbi* ſunt cognominati. Philippus itidem Rex Franciæ à corporis præſtantia, colore, membrorum ſymmetria, & venuſtate faciei per anthonomaſiam *Pulcher* fuit vocatus. Alij à ſingulari aliquo, ac proprio accidente ſortiti ſunt alia nomina. Valerius cùm pugnaret contra Senonas, quia corvus manè oriente ſole ad ipſum avolavit, *Corvinus* fuit cognominatus. Carolus filius Ludovici Francorum Regis, quia calvitie laboravit Carolus *Calvus*. A Pericle, & Icaro projecta in mare Amea uxor Ulyſſis, quia hæc mulier a b aliquibus volucribus penelopes dictis ab imminenti periculo fuit liberata, *Penelopes* ipſa vocata fuit. Apud Ægyptios *Moi* ſignificat aquam, & *Ses* ſalvum, propterea puero Hebræo à matre expoſito Nili fluctibus, & à filia Pharaonis ſuſcepto, adoptatóque in filium Moyſis nomen inditum fuit. Alijs cognomen datum fuit ab aliqua peculiari actione. Marius vocabatur *Coriolanus*, eò quia Coriolarum urbem expugnaverit. Quintus Metellus à ſuperata Macedonia *Macedonius*. Alter ex Scipionibus à ſubacta Africa *Africanus*, ut & ſecundus Scipio, quia Aſiam Romano ſubjecit imperio, *Scipio Aſiaticus*. Nonnulli tamen intumuerunt in nominibus ſibi arrogandis: Alexander enim Macedo Philippi filius Jovis filius credi, ac dici voluit, & è bello Perſico redux imperavit, ut ſibi honores divini exhiberentur, ſed ſenſit ſe mortalem, cùm vulnere ictus, vidit ſanguinem ab inflicto vulnere foras exilire, tunc enim novit filium eſſe hominis, non Numinis. Ampla hæc cognomina Tertullianus vocat *Iugera nominum*, quæ ſunt magis ſono timenda, quàm omine.

28 Tumida fuerunt cognomina, quæ ſibi uſurparunt Attila, qui *Flagellum Dei* dici voluit. Tamerlanes *Ira Dei*. *Lucullus Xerxes Togatus*. Edmundus Rex Angliæ *Ferreum latus*, Apianus *Fælix*, Galerius *Pulcher*, Henricus *Auceps*, Adrianus *Doctus*, Commodus *Hercules*, Hanno *Deus*, Antiphon *Orationum Coquus*, Veſpaſianus *orbis deliciæ*, Nerva cognomento dici voluit, *Bonus*, Flavius *Bellator*, Antigonus *Evergetes*, ſeu benefactor, Trajanus *Optimus*. Ambitioſa eſt etiam titulorum pompa, quâ inſignitur Rex Briſnagenſis, qui vocari vult ſponſus bonæ fortis, Magnarum Provinciarum Deus, omnium Dominus, Magiſter loqui neſcientium, trium Imperatorum Imperator, eques cui nemo par, elephantorum Venator, Dominus Orientis. Intolerabilis eſt etiam titulus, quem ſibi Suldanus attribuit, cùm vellet vocari Dominus paradiſi, & Præfectus gehennæ, quô nil petulantius, niſque quod magis riſum excitet, & ſtomachum moveat. 29

Imò etiam inter Manes, ac ſepulchrales cineres intumeſcit arrogantia nominis, ut in ſepulchro Cyri, in quo legebatur *Cyrus ego, Rex olim Regum conditus hic ſum.* Modeſtior fuit Pyrbus Rex, qui ſuis militibus aquilam eum vocantibus reſpondit: *Per vos aquila ſum, veſtris enim armis, ſeu pennis, ſublevor.* Alphonſus filius Petri Cantabriæ Ducis, quia Arianiſmum delevit meritò Catholicus fuit cognominatus, in quo ſenſu ait Caſſiodorus lib. 8. epiſt. 10. *Suſcepiſti nomen ex meritis, cuſtodi, ut ſemper litteris veritate vocabuli, eodem modo, quo apud Vopiſcum de Probo dicitur, erat adoleſcens ſui nominis.*

Abyſſini ſuum Regem Bellugiam vocant, ſeu incomparabilis præſtantiæ gemmam. Pericles à fulmine eloquentiæ vocatus fuit *Olympius*, & Zenophon à ſuavitate dicendi *Apis Attica*. Plures tamen magna præſeferunt nomina, quibus nec mores, nec geſta reſpondent, mereantúrque propterea, ut iiſdem retorqueatur, quod Alexander, cuidam militi nomine inſigniro Alexandri dixit, eum redarguens, quia in Thyri obſidione fortiter non egiſſet: *Aut nomen Alexandri immuta, aut gere te, ut Alexandrum decet.* Pulchrum eſt etiam illud Nazarij, in ſuum Principem: *quantum nomine polliceris, tantum de te expectat patria.* Notatu eſt etiam dignum illud Theodorici Regis effatum ad Felicem: *Sumpſiſti nomen ex meritis, vide ut ſemper literis veritate.* 30

De S. Maximo Antiſtite Taurinenſi dicimus, menſuram ſui nominis cultu, virtutum, doctrinæ ſplendoribus, & meritorum coacervatione impleviſſe, ac virum fuiſſe ſui nominis. E contra ſuo nomini non reſpondit Commodus Imperator, à quo Roma nullum hauſit commodum, & ægrè ſemper tulit Commodum. Sunt etiam qui nominis ſtudent perennitati, ut Datius, qui ſuum nummis nomen inſculpſit; Trajanus, qui ſuum etiam in ſingulis ædificijs nomen voluit impoſitum, dictus propterea Herba parietina, cùm in ſingulis parietibus legeretur. 31

Tumidæ nomenclationes vigeant apud Ethnicos, Chriſtiani nomina ſuis pueris imponunt virorum pietate, & ſanctitate illuſtrium, quo illorum actiones imitentur, ait enim Caſſidorus *Abſonum eſt portare nomen à moribus alienum, & aliud dici, quàm poſſit in moribus inveniri*, quia ut notat Salvianus *Nomen ſine actu, & officio ſuo nihil eſt*; quapropter Plato monet, ut nomina cum re conſentiant, & ut Principis nomen omen ſit felicitatis; plurimum enim refert Principis nomen revereri, quia ut ait Tacitus Regium nomen plurimum valet, quod etiam Curtius in bellum retulit, cùm dixit: Nomen Principis maximum eſſe in bello momentum. Ex D. Thoma debent no-

nomina rerum proprietatibus reſpondere: hinc in circumciſione Filio Dei nomen ſuper omne nomen imponitur, ſcilicet Nomen *JESUS* ab Angelo Virgini Mariæ ſignificatum; quia interprete D. Hieronymo *JESUS* hebraicè idem eſt ac *Salvator*, etymologiam igitur nominis ſignificat dicens: *Ipſe Salvum faciet populum ſuum à peccatis eorum*; & D. Bernardus de *circumciſione Domini.* ait: *Meritò ſanè dum circumciditur puer, qui natus eſt nobis Salvator vocatur, quod videlicet ex hoc jam cæperit operari ſalutem noſtram, Immaculatum illum pro nobis ſanguinem fundens.*

32 Nuptialis oratio ita diſtribuitur, ut exordium petatur à circumſtantijs loci, vel perſonæ, vel ab aliquo ritu antiquo, qui in nuptija ineundis adhiberetur; vel à communi lætitia. Exordium ſequitur confirmatio, quæ duas complectitur partes, quarum prima verſatur circa commendationem nominis, & ducitur à cauſa, propter quam nomen imponitur, vel ab Etymologia ejuſdem nominis; Secunda petitur à comparatione cum alijs Ducibua, qui eodem nomine fuerunt vocati. Si Sponſæ nomen eſſet Margarita poſſet orator alludere ad unionem, ſeu margaritum, quod in ſinu conchilij gignitur & creſcic, & ſingulas unionis prærogativas poſſet recenſere, & conferre candorem unionis cum moribus Sponſæ; pretioſitatem cum virtutibus, quibus ornatur; perſpicuitatem cum intellectu, quo pollet ſponſa; ſphœricitatem unionis cum ambitu, quo ſponſa virtutes ſingulas excolit, & in ſe comprehendit. Poſſent etiam eruditionea conglobari, ut in Epitaphio Principis fœminæ, cuj nomen erat Margarita. Attende viator, quo Margaritas oſtreo mors includat. Avata eſt Libithina, quam emere non potuit, terris eripuit. Frugalem malè quis fingat mortem; plebejo non eſt contenta obſonio, Cleopatræ ferculis aſſuevit, dum Margaritas ut ſorbeat, in pulveres atterit. Væ mundo ab ingluvie tanti monſtri! pretioſæ dapes novam acuunt famem. Vitream ne dicas Margaritam, quæ licèt in tumulum lapſa, & in lapidem ſepulchralem impacta ſrangi non potuit: integritatis laus in illa par fuit nitori.

Oeconomia orationis nuptialis.

33 Eſt oratio nuptialis, quam orator in nuptijs virorum illuſtrium habet, in qua laudantur Sponſi à nobilitate ſanguinis, à claritate familiæ, à virtutibus excultis, & in texenda hac oratione congerit ritus nuptiales, de quibus fusè agit Aloyſius Novarinus in ſuis electis ſacris, & in opere, cui titulus eſt *aquæ nuptiales.* Non abit à nuptijs, nec aquis antiquus ritus quo olim Sponſa in nuptijs non ignem cantùm, ſed aquam etiam tangere juberetur, cujus meminit Plutarchus in *quæſt. Roman. num. 1.* Ubi plures hujus ritus innuit cauſas inquiens: An quòd horum, quatenus in elementis, ac principijs numerantur, alterum mas eſt alterum fœmina: & ignis principia motionis ſuggerit, aqua ſubjecti, ac materiæ facultatem obtinet? An quia ignis luſtrat, aqua purgat? debet autem quæ nubit puritatem, ac caſtimoniam conſervare. An quod ſicut ignis abſque humore nutriendi vi deſtituitur, eſtque aridus, aqua autem abſque calore ſterilis eſt, & otioſa, ita mas quoque, & fœmina ſeorſum nihil valent, conjunctione eorum vitæ conſuetudo perfecta à nuptijs redditur? An id ſignificare volunt alterum ab altero deleri non debere, ſed eos in ſocietate qualiſcunque fortunæ perſiſtere etiam ita rebus ferentibus, ut præter ignem, & aquam nihil boni una frui detur? hactenus ille. Moris etiam fuit ut Sponſi coronarentur, cujus meminit Sidonius Apollinaris *lib. 1. Epiſt. 5.* inquiens: Jam virgo tradita eſt, jam corona ſponſus, jam palma conſularis, jam cyclade pronuba, jam togâ Senator honoratur. Generatim ſponſos coronari tradit Tertullianus *cap. 13. de corona militum*, ubi ait: *Coronant & nuptiæ ſponſos.* Imò non ſolùm novas nuptas, ſed & thalamos ipſos conſueviſſe priſcos homines coronare refert Cyrillus Alexandrinus in Joëlem inquiens: *Sponſæ, & novæ nuptæ è thalamis nuper coronatis excurrentes lectulum genialem deſerentes.* Poſtes itidem in nuptijs frondium ſertis coronatos fuiſſe, ait Ambroſius *lib. 2. de Virginib. Sic Virgo noſtra debuit priùs amore pio ludere, aurea thori Regni Cœleſtis fulgura mirari in ipſo veſtibulo nuptiarum, & Poſtes frondium ſertis cernere coronatos, & chori ſtrepentis interiùs haurire delicias, ne ſe priùs Dominico jugo timefacta ſubduceret, quàm vocata inclinaret.* Apud Bœotios ſponſa aſparagoniâ coronabatur referente Plutarcho de præceptis connubialibus, ubi ait: in Bœotia obvelatam ſponſam aſparagonia coronat; & addit etiam cauſam ſubdens, ut enim fructum parturit aſperrima ex ſpina ſuaviſſimum, ſic ſponſa. Sidonius verò ait conſueviſſe Sponſos olea coronari.

—— Tum diva comes viridantis olivæ
Pace ligat, nectit dextras, ac fœdera mandat.

Cum ſit olea pacis ſymbolum; concordia inter ſponſos commendabatur, quapropter Claudianus de nuptijs Honorij.

Tu feſtas Hymenææ faces, tu gratia flores,
Elige tu geminas concordia necte coronas.

34 Coronabantur etiam ſponſi in communis lætitiæ teſſeram, quia corona ſignum præſefert lætitiæ, idque cauſæ, cur Chriſtus etiam cruci affixus coronam ſecum tulerit, nec in ſua Paſſione depoſuerit, ut oſtenderet non libenti ſolùm animo, verùm etiam læto mortem ſubijſſe, ut vitam nobis eſſet imperiiturus. Inter Chriſtianos tamen corona nuptialis ſacerdotis oratione conſecrabatur, ut ſicut externa corona utriúſque Sponſi caput coronabat, ſic Spiritus ſancti gratia animam intus redimeret. Hujus coronationis alia etiam affertur cauſa: quia ſicut olim corona victoriæ ſignum erat, conjugum capita meritò coronabantur, ut tacitè ſignificaretur, Sponſos libidini colla minimè ſubdidiſſe, ſed de impura Venere fuiſſe victoriam conſecutos, & puros

ad

ad nuptiales thalamos acceſſiſſe, ut appoſitè rem verſat Chryſoſtomus homil. 9. in epiſt. 1. ad Corinth. cap. 3. *Idcirco*, inquit, *coronæ imponuntur capiti, ut victoriæ ſigna ſint, quòd ſcilicèt antea libidinis impenetrabiles, ita demum cubiculum, ingrediantur, quia ſcilicet à voluptate ſuperati non ſunt*, Pergit: *cujus jam rei gratia coronatus incedat, qui tam fœdæ libidini colla non ſubdiderit*; Indignus ſertis, & coronis eſt, qui nupſerit antea libidini, quàm uxori, & qui luxuriæ ſervivit, cum deberet pudori: rurſus ſponſi in victoriæ ſignum coronabantur, eò quia alios procos vicerint.

35 Exordium hujus orationis nuptialis debet eſſe totum officioſum ad ſignificandam lætitiam, & gratulationem, ut eſt illud Zenophontis apud Cauſſinum. Mihi profectò jucundum admodum fuiſſet, tuis non ſolùm adeſſe, ſed intereſſe nuptijs, ô chariſſimum caput: quò tecum ſimul chorum ducerem, ducerem, tecum baccharer: & paulò poſt conficiendum matrimonium, iterum atque iterum laudibus extollerem, Hymenæúmque (quem in nuptijs dici par eſt) canerem. Verùm cum vinculum hoc, quod ad litterarum ſtudia, ad præſentémque eruditionem attinet, nos invicem ſeparet, (abſit enim ut mente, affectu, & cogitationibus, quæ ad animorum conjunctionem ſpectant nunquam ſejungamur) idcirco habeas hoc à me tanquam aliquod munus, ad uſum atque ornamentum nuptiarum, ut nec expers, nec ignarus ſis eorum, quæ de his dici conſuevere: ſeu tu id apud te ipſum ſervare, ſivè alicuj tanquam ſymbolum ad promerendam gratiam conferre volueris.

36 Primum argumentum ſumi poteſt à Deo, qui primas nuptias ſanctas inſtituit, & eſſe voluit, antequam Adam caderet: ſanctitati enim ac juſtitiæ originali juncti erant primi parentes, cùm Deus eos inter ſe conjugali fœdere copulavit. Sed cur non id factum etiam poſt lapſum? ut exemplum iſtuc in alios conjuges derivaret, ut ante nuptias uterque conjux puritati, ac innocentiæ nuberet. Sanctum igitur eſt conjugium, quod Paranymphus Deus in terreſtri paradiſo inſtituit, & ſanctificavit, & etiamnum ſanctum eſt, ſi ſancti ſint, qui maritali vinculo copulantur, ſi ad cœleſtium tantùm rerum amorem rapiantur exemplo Iſaaci, qui nuptias liberorum ſuſcipiendorum causâ ita elegit, ut ſenio confectus vix oculorum uteretur officio, caligaverant enim ejus oculi, ne terrena viderent, & conjugium ſanctum eſſet. Huc ſpectat Gregorius Niſſenus *lib. de virginitate cap. 8.* inquiens: Nos de Matrimonio ita ſentimus, oportere nos rerum terrenarum ſtudium, eſcámque huic matrimonij officio anteſerre, neque ea deſpicere: qui temperatè illo, ac moderatè uti poteſt, qualis Patriarcha Iſaac fuit, qui non floreſcente ætate, ut affectioni conjugium ſerviret, ſed exhauſta jam adoleſcentia ob Dei in ſemine benedictionem, Rebeccam in matrimonium duxit, cuj cum uſque ad unum partum dediſſet; rurſus in rebus, quæ oculis non cernuntur, totus fuit, clauſis corporis ſenſibus. id enim ſignificare mihi videtur hiſtoria, quæ gravem illius Patriarchæ oculorum obtutum commemorat: Hæc ille.

37 Alia argumenta ducuntur à natura, quæ rebus omnibus vim indidit ſe ipſas multiplicandi, & fœcunditatem ad eundem finem etiam impertivit, ut rerum ſpecies conſervarentur. Vel ab honeſtate nuptiarum, vel ab adjunctis, & utilitate, quæ ex caſtis nuptijs oritur. Vel ex votis pro felicitate nuptiarum, & conjugum concordia. Indiest etiam Orator præſagium, & omen de liberis futuris, eorúmque honeſta educatione. Præ cæteris debet Orator conjugum amplificare laudem cùm præcipua ſit totius orationis pars. Epilogus debet continere præſagia de ſubſecutura felicitate, & prole; & apprecationes, ut Deus ſuam Sponſis benedictionem impertiatur, eóſque cœleſtibus donis cumulet.

Subijciuntur ritus aliquot nuptiales, ut oratori uberior ſuppeditetur materia texendæ nuptialis orationis.

38 Celebris eſt ritus ille quò apud priſcos Romanos juberetur neonupta non ignem tantùm verùm & aquâ tangere; cujus meminit Plutarchus ut ſupra innuimus *quæſt. Rom. n. 1.* inquiens. *Quid cauſæ eſt cur ſponſa in nuptiis jubeatur aquam, & ignem tangere? An quod horum, quatenus in elementis, ac principijs numerantur, alterum mas eſt, alterum fœmina: & ignis principia motionis ſuggerit, aqua ſubjecti, ac materiæ facultatem obtinet? An quia ignis luſtrat, aqua purgat? debet autem quæ nubit puritatem, & caſtitatem ſervare? An quòd ſicut ignis abſque humore nutriendi vi deſtituitur, eſtque aridus; aqua autem abſque calore ſterilis eſt, & otioſa; ita mas quoque, & fœmina ſeorſum nihil valent; conjunctione eorum vitæ conſuetudo profecta à nuptijs redditur?*

39 Apud Afros moris fuit, quò ſponſus ſuam ducturus in domũ ſponſam, primò tabernaculum ligneum octogonale ſerico tectum intrare jubet, in quo à bajulis defertur, comitantibus parentibus, & affinibus, multo cum tubarum, & tibiarum ſonitu, tympanorúmque ſtrepitu, nec non plurimo facium ſplendentium numero: præcedunt ſponſi affines cum facibus: ſponſus ſocerum, & reliquos omnes ſalutat, domúmque quantum poteſt properat, atque in cubiculo ſponſæ adventum præſtolatur, ut narrat Plutarchus *loc. cit.*

40 Scimus ſponſam olim coronâ inceſſiſſe redimitam, ut ſponſi ſui corona cenſeretur, & ſponſus Regis munus obiret in regendis, dirigendisque rebus domeſticis. Uxor, ſi cultura virtutum ſplendeat, ſi bonis moribus fuerit inſignita ornamentum eſt ſui viri.

41 Viguit mos penes Africæ populos, quo pater, frater, & patruus ſponſam ad cubiculi ingreſſum deducunt, pariterque omnes matri ſponſi tradunt: quàm primum verò ſponſa cubiculum ingreditur, maritus pede ſuo uxoris pedem tangit, ſtatimque ambo recluduntur. Meminit hujus moris Plutarchus *loc. cit.*

42 Ilienſes Virgines viro nupturæ ad ſcamandrum fluvium accedebant ſordes corporis benedificio ablutionis exuturæ, ſimúlque limphis illis Virginitatem dicaturæ verbis hiſce: *Cape ò Scamandre meam tu virginitatem.* Meminit hujus ritûs Petrus Ærodius Chion. Epiſt. ad ſenatum ubi ait: *moris eſt in Troade regione, ut virgines, quæ nubunt ad ſcamandrum accedentes abluant ſe.*

43 Apud Dardanes in Illyrico degentes conſuetudo viguit, quâ ſponſæ antequam matrimonium inirent abluerentur; quod & in partu, & poſt mortem iterare conſueviſſe adſtruit Ælianus *lib. 4. var. hiſtor. cap. 1.* inquiens: *Dardanenſes Illyricos ter tantùm lavari audio per univerſam vitam, cum nuptias inirent, poſt partum, & poſt mortem.* Hinc parœmia orta: *ter lotus in vita inſtar Dardanum.* Hæc ablutio nuptialem ſubindicat puritatem; animíque munditiem, quâ ſponſi ad ſacramentum tenentur matrimonij accedere.

44 Conſueviſſe ſponſos puris, pellucidiſque laticibus, ex defœcato petitis fonte pedes lavare, refert Servius in *4. Æneid.* his verbis: *Aqua petita per feliciſſimum puerum aliquem, aut puellam de puro fonte, intereſt nuptijs, de qua nubentibus ſolebant pedes lavari.* Ablutione pedum puellam nuptias conſueviſſe repudiare, florémque excolere, ac rigare virginitatis, plures ex ſacta deducunt ſponſa, quæ *Cant. 5.* virginitatis amore præmunita reſpondit ſponſo eam petenti *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos* Plerique tamen putant, moris fuiſſe apud Hæbræos, ut pedes lavarent, cum irent cubitum, ſed D. Ambroſius ad puritatem ſponſæ flectit præfata verba; quia poſt ablutionem id vel maximè cavit ne maculas contraheret ullas: ait ipſe lib. 3. de Virginibus: *qui lavit pedes, non eſt neceſſe iterum lavare, & ideo caveat, ne inquinet eos. Et bene ſancta Eccleſia dicit: Lavi pedes meos; non dicit quomodo iterum lavabo eos: ſed quomodo iterum inquinabo eos? quaſi oblita maculæ veteris, oblita contagij.*

45 Refert Plutarchus *de præceptis connubialibus* apud Bœotios conſueviſſe ſponſam aſparagonia obvelari; quia ſicut ex aſperrima radice, & ſpina fructum edit ſuaviſſimum: ita ſponſa ex matrimonij oneribus; ac laboribus fructus producit in filijs dulciſſimos.

46 Olivæ in nubentium coronatione meminit Sydonius dum canit.

Tum diva comes viridantis olivæ
Pace ligat, nectit dextras, ac fœdera mandat

47 Eſt oliva pacis ſymbolum; indicátque, pacem & concordiam inter ſponſos neceſſariam: idque cauſæ cur coronæ nuptiales Deæ Concordiæ nuncuparentur, ut innuit Claudianus de Nuptijs Honorij.

Tu feſtas Hymenæe faces, tu gratia flores
Elige tu geminas Concordia *necte coronas.*

48 Non ſponſam tantùm, ſed & ſponſum coronâ conſueviſſe redimiri aſſerit Apuleius *4. Metamorph.* inquiens *mariti nomen invocare, eúmque adhuc unguentis madidum coronis floridum conſequi.* Et Palladius Hiſtoriæ Lauſiacæ *cap. 7.* de S. Amone ait: *Vivum eſt ei, & corona redimiri, & ſedere in thalamo, & omnia ſuſtinere, quæ ſunt in matrimonio.* Generatim ſponſos conſueviſſe coronari tradit Tertullianus de Corona milit. cap. 7. dum ait: *Coronant, & nuptiæ ſponſos.* 49

Moris etiam fuit quo ſponſi apud Hebræos coronarentur, ut meminit Philo de Antiquitatibus publicis ubi introducit filiam Jephte ſuæ illacrymantem virginitati; in cujus threno præ cæteris ait: *Ego autem non ſum ſaturata thalamo meo, nec repleta cum coronis nuptiarum mearum.* Huc flectuntur verba Iſaiæ *cap. 61. v. 10.* ubi ait: *Indumento Juſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum decoratum corona* alludit ad priſcum coronandi morem, qui in nuptijs religioſè ſervabatur, ut expendit S. Cyrillus Alexandrinus. Ad eumdem coronandi ritum reſpiciunt illa ſacri Epithalamij verba *c. 3. v. 12. Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo Coronavit eum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis ſui.* Fuit hocce diadema quoddam ſertum ex floribus compactum; ceu ornatus nuptialis, quia adaptatur diei deſponſationis illius. Aſſumpta ſemper fuit corona in lætitiæ reſſeram: unde etiam Chriſtus cruci affixus coronam geſtavit, quia non libenti ſolùm animo, ſed etiam læto, ob amorem, quo nos proſequebatur tot cruciatus, tormenta, & mortem ipſam ſubire voluit. Zachar. cap. 3. *Ponite Cydarim mundam ſuper caput ejus.* 50

Mos apud Hebræos inolevit quò nuptiæ non celebrarentur niſi cum luna augeretur, & tunc in nuptialibus tripudijs choreas ducentes accenſum cereum manu geſtant; idque lætitiæ causâ. Cavent tamen plerique Hebræorum, ne mulierem ducant in uxorem, quæ duobus, vel tribus jam nupſerit viris; quia hæc maritorum habebatur interfetrix: non ita ſi maritus plures uxores extulerit: meminit horum rituum Rabinus Leo in ſuo rituali Hebraico *part. 4. c. 2.* apud Novarinum *lib. 6. ſacr. Elect. cap. 46. n. 387.*

Uxoris dos non opum copia; ſed virtutis ornatu, & cultura penſanda: parum refert ab uxore magnas opes accipere; & eamdem omni probitate vacuam poſſidere. Prædivitem uxoris dotem improbavit Solon; eo quia pinguis dos nuptias videretur venales exhibere; & legem tulit, quâ inhiberetur, ne præter tres ſtolas, & parvi pretij ſupellectilem aliud quidquam ſponſa ſecum deferret; ut refert Plutarchus in vita Solonis, ubi ait: *Cæteris conjugijs dotes detraxit, ſponſámque præter tres ſtolas, & ſupellectilem parvi pretij afferre quicquam vetuit. Neque enim venale volebat eſſe fœdus nuptiale.* 51 52

Apud Venetos referente Egnatio *lib. 9. c. 1.* lex diu viguit, qua prohiberentur puellæ quantumvis divitijs affluentes ſupra millenos aureos quidquam dotis nomine marito exhibere. Apud Tartaros maritus nullam accipit dotem donec uxor pariat, quæ ſi ſterilitate laboret, poteſt vir pro ſuo arbitratu eam dimittere, vel retinere, ut refert Bonfinius *lib. 8. de*

cad.

cad. 2. Moris etiam fuit, quò puellæ antequam nuptui traderentur, pecunias, & donaria ſibi oblata coacervarent, quæ in domum deferrent ſponſi: meminit hujus moris S. Petrus Domianus epiſt. 157. & addit cauſam: *quatenus ad nuptiales thalamos tranſeuntes, tanto minus apud extraneos erubeſcere compellantur, quanto eas ex paterna domo congeſtarum opum ditior copia comitatur.* Verùm non dotis habenda eſt ratio, non formæ, ſed famæ, ac probitatis; divitem ſecum puella dotem defert; ſi ornamenta virtutum ſecum adferat, & cum viro concordiam habeat. Thraces tamen uxores emebant & quidem non exiguo pretio: ait Herodotus lib. 5. *Emunt Thraces uxores à parentibus magno pretio.* Imò venales uxoribus maritos fuiſſe, & maritis uxores aſſerit D. Gregorius Nanzianzenus *in carm. de Virginit.*

53 De Sinarum ſponſis puellis refert Nicolaus Trigautius *lib. 1. de Exped. Chriſt. c. 7.* eas ſecum nullam deferre dotem; & licèt quo die mariti domum ingreditur ſponſa plurimam ſecum deferat ſupellectilem; hæc tamen ſumptu comparatur mariti, qui aliquot menſibus priùs magnam pecuniæ ſummam dono ſponſæ ſubmittit. Et Tacitus de moribus Germanorum refert non uxorem marito dotem; ſed uxori maritum afferre; qui mos etiamnum videtur vigere, quatenus prænobiles puellæ exiguam dant marito dotem, à quo aliam accipiunt ſi ſuperſtites vixerint pro congrua ſuſtentatione. Imò moris fuiſſe, quò viri uxores emerent innuit S. Ambroſius *lib. 1. de Virgin.* inquiens: *quàm verò miſerabilis illa conditio, quòd tanquam mancipij forma venalis nuptura licitatur: & qui pretio vicerit, emat. Tolerabilius tamen mancipia veneunt, quæ ſæpe ſibi dominos legunt. Virgo ſi eligat crimen eſt; ſi non eligat contumelia.* Apud Scotos conſueviſſe maritos proprias divendere uxores conijcitur ex Epiſtola Gregorij directa ad Laufrancum Archiepiſcopum Cantuarienſem, ait Pontifex. *Tuam fraternitatem admonemus, quatenus graviora uſquequaque reſecare vitia ſtudeat; & inter omnia, & præ omnibus nefas, quod de Scotis audivimus: quòd plerique proprias uxores non ſolùm deſerunt, ſed etiam vendunt, omnibus modis prohibere contendat.*

54 Lycurgi tamen lege puellæ ſine dote à viris ducebantur in uxores, ne dotis potius haberetur ratio, quàm uxoris; & ut viri matrimonia coërcerent: meminit hujus legis D. Thomas *opuſc. de regim. Princip.* inquiens de Lycurgo. *Virgines ſine dote nubere voluit, ut uxores cum pecuniæ cauſa eligerentur, ſtrictiúſque matrimonia ſua coercerent; cum nullis frænis dotis tenerentur.*

55 Lucernæ itidem, facéſque accenſæ, multóque ſplendore coruſcæ fuerunt olim in uſu cum matrimonia celebrarentur: nec mirum; quia cum hæc non niſi noctu inirentur, Lucernæ, & faces adhiberi debuerunt, ne cæcutientes talpas viderentur ſponſi æmulari. Hæc verò conſuetudo faces in nuptijs deferendi permanſit; tametſi poſtea meridie fierent. Imò adeo religioſi fuerunt priſci homines in facibus præferendis, ut vel ipſa dona, quæ poſtridie nuptiarum à patre ſponſæ ſponſo, ac ſponſæ mitterentur cum accenſis faculis deferrentur. Huc etiam flecti poteſt parabola de virginibus, quæ ornaverunt lampades ſuas & exierunt obviam ſponſo, & ſponſæ Matth. 25. Virgines autem non pueri faces præferunt, quia par erat Virgines ſponſum virginem comitari: probè S. Chryſoſtomus homil. 12. in cap. 4. epiſt. ad Coloſſ. *Laudo quòd virgines adſunt contubernalem ſuam honorantes; quòd adſunt matronæ eam honeſtantes, quæ jam in earum ordinem aſſumitur. Bene iſtud decretum eſt; ſunt enim hi duo chori Virginum, & nuptarum; iſtæ tradunt virginem; illæ accipiunt.* Nuptiales faces, ac lampades mutuum ſignificaſſe neo-nuptorum amorem non obſcurè deduci poſſet ex verbis ſacri Epithalamij c. 8. v. 6. *Lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum: aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Ad nuptialem hunc ritum videtur etiam pertinere illud Luc. cap. 12. v. 35. ubi Chriſtus nos monet, ut parati ejus expectemus adventum, illorum famulorum ſimilitudine, qui reducem à nuptijs herum cum lucernis expectant, & facibus: *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris; & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando revertatur à nuptijs.* Scitè Chryſologus ſerm. 8. advertit rectè cum nuptijs faces cohærere, ut luminum teſtimonio nuptiarum caſtitas celebraretur; fœda enim libido lucem fugit, gaudétque tenebris, quibus turpitudo obtegatur: ait ipſe: *quia ſemper nuptijs amicæ ſunt faces: luminum teſtimonio celebratur caſtitas nuptiarum. Sicut enim fugit lucem illicita qui præſumit; ſic multiplici coruſcat in lumine, licita qui requirit.*

56 Matres quandóque nuptiales faces prætuliſſe fatetur Scholiaſtes Apollonij dum ait: *olim moris fuit, matres faces præferre in nuptijs nubentium.* Idem cenſet Scholiaſtes Ariſtophanis. Apud Apollonium Juno, quæ Thetin nutrierat inſtar matris facem ſe in ejus nuptijs prætuliſſe teſtatur inquiens: *Ipſa ego flammas in ejus manibus prætuli nuptiales.* Meminit etiam hujus ritûs Catullus in Nuptijs Julij, & Manlij, ſed vult à pueris faces elatas, ait enim: *Tollite ò pueri faces.* Lauro itidem ſponſi ornabatur domus, quæ & ſplendentibus erat tædis coruſca; ut innuit Apuleius 4. *Metamorph.* dum ait. *Domus tua lauris obſita, tædis lucida obſtrepera Hymenæum.*

57 Moris ubique fermè gentium fuit, quo lautiori convivio nuptiæ inirentur ad lætitiam per hauſtûs indulgentiam excitandam. Apud Hebræos qui ad nuptiale convivium invitabantur munera conſueverunt invitanti præbere, quò ſplendidius excipere omnes poſſet. Nuptiarum cænæ piſcibus etiam quadam nobilitabantur religione; meminit hujus moris Varro in fragmento ſatyræ 60. inquiens. *Tum nuptiæ videbant oſtreas lucrinas.* Antiquis enim perſuaſum erat, marina omnia ſalaciora eſſe, eò quia è mari, in quo piſces degunt, ſit orta Venus: unde piſces libidini fore deditos, vi-

de-

detur quodammodo præſagire quod innuit Manilius lib. 4. Aſtronomiæ.

Scilicet in piſcem ſe ſe Cytherea novavit,
Cum Babylonacas ſubmerſa profugit ad undas,
Anguipedem alatos ungues Typhona ferentem,
Inſeruitque ſuos ſquamoſis piſcibus ignes.

58 Neque prætereundus Romanorum olim ritus, quo nubentes juberentur aquam contingere, & ignem ad indicandum, mundas & ſanctas debere permanere, quæ nubebant puellæ viris; ignis enim purgat, & aqua abſtergit. Meminit hujus moris Plutarchus *in centur. quæſt. Rom.* ubi ait. *Cur nubentes attingere ignem, & aquam jubent? utrum quod horum inter elementa, eſt principia, hæc fœmina, ille mas ſit; atque matris exordium infundas; hæc ſubjecti, & materiæ vim? An quia ignis purgat, & aqua expiat? debet enim ſancta, & munda permanere, quæ nupta eſt.* Non modicam eſſe aquarum, ac conjugij cognationem, evincitur ex Poetis Claudius Marius lib. 1. ait *Rura mariſat aquis,* Alcimus lib. 1. de mundi origine. *Lympha maritavit ſitientis viſcera terræ.* Solet maritus æquiparari fluvio agrum conjugis irriganti, ac fœcundanti. Conſueviſſe olim Ethnicos ante nuptias preces Numinibus fundere, eaque rogare, ut nuptias felices, ac fortunatas eſſe vellent, innuit Achilles Tatius de Clitoph. & Leucipp. Amoribus lib. 8. in calce, ubi ait: *Patrem ob ſororis nuptias poſtera die facturum ſacra comperimus. Aſſuimus itaque, ut una operaremur. Deóſque, ut noſtras omnium nuptias felices, fortunatáſque eſſe vellent precaremur.* Nunquid dignus Chriſtiana mente ritus?

Non fuſis duntaxat precibus; ſed & ſa-
59 crificijs conſueviſſe Ethnicos propitios ſibi in nuptijs deos conſtituere exploratum eſt ex Arabum ritu: ait Gyraldus in hiſtor. deorum Syntag. 17. *Arabes pingues & ſaginatos camelos in ara ignoti Dei ſacrificabant nupturæ Virgines camelis deos propitiabantur.* Putant plerique hunc ſacrificandi morem initium duxiſſe ab ipſa mundi origine, cenſentes ſacrificia Cajni & Abelis fuiſſe inſtituta nuptiarum cauſa. *Credibile eſt,* ait Sylveſter à Petra ſancta Metaph 9. *dum inirent ambo nuptias (quas Abel non expleverit) eos majore apparatu ſacrificâſſe, ut propitium conjugio, & proli Deum haberent,* Thure etiam inſtituebantur nuptiæ; ſed Chriſtiani ſi ſapiunt, orationem thure ſubindicatam præmittunt nuptijs, ut Deus eaſdem donet proſperitate. Fortaſſis ritus thure nuptias perfundendi ortum duxit ex nuptijs Abrahami, qui Geneſ. 25. uxorem duxit *Cethuram* cujus nomen incenſum ſonat, flectitúrque ad orationem; appoſitè Origenes. *Patriarcharum conjugia ſemper indicant aliquid myſticum. Cethura interpretatur incenſum, & bonus odor: ille Cethuram ducit uxorem, & bonus Chriſti odor efficitur, qui ſine intermiſſione orando affert Domino ſemper incenſum in Conſpectu ſuo.* Orationis præviæ non obliviſcantur qui nuptias contrahunt, nuptijſque utuntur, quatenus ipſam videantur orationem duxiſſe in uxorem. Hinc Angelus Tobiam edocuit, orationem præmittere uſui matrimonij Tob. c. 6. v. 18. *Tu autem cum acceperis eam, ingreſſus cubiculum per tres dies continens eſto ab ea, &*
nihil aliud niſi orationibus vacabis cum ea. 60

Commendatur Ethnicorum ritus, quô in nuptijs contrahendis Concordia ſponſorum antiſtita invocaretur; quia in hujus vitæ pelago proſperè enavigant ſponſi, ſi Concordiæ paciſque vento ferantur, portúmque appellunt felicitatis; neque ullis alliduntur ſcopulis, neque fluxis abſorbentur voraginibus: huc acceſſendus S. Gregorius Nazianzenus, de laude virginitatis ubi ait de Sponſis.

Nam ſi concordes animi, juſtique coirent.
Jure Thori, leviùs ſulcarent æquora vitæ.

Ut in harmonico concentu plures inter 61
ſe voces, & inæquales ita ad concordiam unà temperantur, ut ſuavem efficiant harmoniam grato pulſu aures afficientem: perinde conjuges moribus, religione, animiſque concordes concentum conſtituunt domeſticis pergratum: hanc concordiam commendat Apoſtolus ubi enim D. Paulus 1. ad Corinth. 11. ait *deſpondi vos uni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto* Græcè legitur: *modulari vos uni viro*: & ad concentum harmonicum animorum refertur. Poſt Hymenæum conſueviſſe Ethnicos in fœderis, ac concordiæ teſſeram Cornices invocare tradit Ælianus apud Gyraldum inquiens: *In nuptijs olim veteres audio poſt Hymenæum cornicem invocare ſolitos fuiſſe: hócque Concordiæ ſignum dare ijs, qui liberorum quærendorum cauſa convenißent.* Meminit hujus ritûs Claudianus de Nuptijs Honorij.

Tu feſtas Hymenæe faces, tu Gratia flores.
Elige, tu geminas Concordia necte coronas. 62

Moris etiam fuit quò ſponſorum coronæ ex amaraco texerentur: quia amaraci flores ut tradit Plinius lib. 21. cap. 22. Scorpionibus adverſantur; quò inde inferamus omne iræ venenum debere longius à nuptijs abeſſe, ac ſcorpionis fraudem; qui cum capite blanditur caudâ vulnera infligit, & venenum figit, quo interficit. Sponſæ lingua mel ſapiat, & fel omne remotiùs abigat. Etiam ſacer Sponſus cant. 4. v. 11. prodit ſub ſponſæ lingua mel fuiſſe: *mel diſtillans, & lac ſub lingua tua.* Nunquam audies linguam ſponſæ fele perfuſam; quia ejus vox ſuavis, ac dulcis. Plurimum intereſt conjnges inter ſe cohærere, ut neſciant inter ſe pugnare; nec lites incohare. Plura ſi orator cupiat conſulat noſtrum Aloyſium Novarium lib. 6. ſacrorum Electorum, cui titulus Aquæ Nuptiales; mihi ſufficit hæc pauca, & ſelectiora ad rem noſtram decerpſiſſe.

Oeconomia Epithalamij. 63

Hæc oratio, quæ apud thalamum dici conſuevit, vix à precedente nuptiali diſtinguitur, niſi quòd tantùm tempore differt; quia peractis nuptijs Epithalamium recitatur, & Oratio nuptialis in ipſis nuptijs; cœterum in reliquis ambæ orationes conveniuot. In epithalamio laus nuptiarum eſt obiter percurrenda, ſicut & conjuges laudandi ſunt à virtutibus, quibus inſigniuntur; à dotibus animi, &

cor-

corporis à claritate ſanguinis, à majoribus, & conſanguineis. Affectus amoris præſertim excitandus eſt in Sponſis, ut ſe diligant, & concordes vivant, ciendus eſt etiam affectus gaudij.

64 Exordium Epithalamij peti poteſt à communi lætitia, & publicis votis, ſi inter viros Principes fuerit matrimonium initum: vel poteſt ſtatim in exordio ſignificari, quòd ſi alij conſueverintHymenæum canere, Oratorem loco Hymenæi, & cantus, velle laudes Sponſorum recenſere, & quòd laudabiliter ſe matrimonio junxerint, cùm ſint nuptiæ admodum neceſſariæ, ex quibus vniverſa humani generis conſervatio, & propagatio dependet. Poſtea in narratione poteſt ſpeciatim virtutes utriusque Sponſi recenſere, ac debitis excipere laudibus, ut etiam utriuſque Sponſi explicare nobilitatem, educationem, ſtudia, dotes animi, qualitates Corporis, ætatem, fortunam, & alia id genus, quæ uberrimam amplificandi ſegetem ſuppeditant. Poſt recenſitas laudes addi poteſt cohortatio quædam ad matrimonio junctos, ut mutuo ſe amore proſequantur, unum ſit utriuſque velle, ac nolle, & unum, ac idem ſentiant, eò quia ex tali amore mutuo plurima dependeant bona, & poteſt adferre illud Homeri dicentis. *Nullum maius bonum, quàm cum vir, & uxor concordes, & idem ſentientes ædes habitant.* Tandem in epilogo poteſt Orator Deum invocare, ut ſuam utrique Sponſo opem impertiatur, ut liberi procreentur, cùm ad hunc finem fuerint nuptiæ inſtitutæ.

Oeconomia Epiniciorum.

65 Species hæc orationis in genere demonſtrativo latius patet quocunque alio orationis uſu, & texitur pro quovis caſu felici, ut ijs gratulemur, qui in bello de proſtratis, ac fugatis inimicis victoriam retulerunt, vel quos adblandiens fortuna ad culmen dignitatis, vel honoris evexit, vel ab imminenti aliquo periculo extraxit. Exordium petitur à cauſis publicæ lætitiæ, vel à mutatione fortunæ in feliciorem ſtatum, vel à gravi, ac concitata amplificatione rei obtentæ, ut eſt gratulatio illa Ciceroniana ob Catilinam dimiſſum. *Tandem aliquando Lucium Catilinam furentem audaciâ, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ; nefariè molientem vobis, atque huic Urbi ferrum, flammámque minitantem ex urbe, vel ejecimus, vel emiſimus, vel ipſum egredientem urbem proſequuti ſumus, abijt, exceſſit, evaſit, erupit: nulla jam pernicies, monſtro illo, atque prodigio mœnibus ipſis intra mœnia comparabitur. Jacet ille nunc proſtratus, & ſe perculſum, atque abjectum eſſe ſentit, & retorquet oculos profectò ſæpe ad hanc urbem, quam ex ſuis faucibus ereptam eſſe luget, quæ quidem lætari mihi videtur, quòd tantam peſtem evomuerit, furorémque projecerit.*

66 Pro reportata victoria in campeſtri conflictu poteſt Orator triumphum deſcriberetur. O ſi mos ille adhuc vigeret? quo olim ſolemni pompa, publicíſque acclamationibus Romæ Capitolium Marcellos, Scipiones, Lucullos, Pompejos, aliósque Imperatores de'atis ex deletis hoſtibus victorijs inſi_n to, ſerena fronte, hilari vultu ridente æque, ac plaudente ore excipere conſueverat. Certè nunc te Roma triumphis clariorem pleniore reciperet jubilo poſt depulſas, fugatáſque hoſtium turmas, quæ hàc, illácque debacchantes, & contra fas omne incendia pagatim ſpargentes rorum videbantur Imperium ferro, & igne evertere, ò inquam, ſi mos ille adhuc vigeret, quantus foret tuus triumphus? quot populorum acclamationes? quot victoriarum monumenta? Præcederent tubicines modos occinentes triumphales: poſt hos iret ſubacto vultu, pallido ore, dejectis in humum oculis multiplici vulnere ſaucium, ac viribus deſtitutum Ottomanicum Imperium. Sequerentur tormenta bellica, & haſtæ per vices inter tormenta curilia depactæ, iiſque, & gladij volatiles, & Clypei criſtati, & galeæ alatæ, aliáque trophæa, ac ſpolia appenſa. Currum ornarent frondes palmarum, qu e certis intervallis locatæ, modico flexu in coro as victrices traherentur, & in medio connexæ ſymbola religionis referrent, ſeu cruces decuſſatas, quas diſtinguerent vexilla militaria, aliæque manubiæ hoſtibus ereptæ. 67

Confirmatio plures comprehendit partes pro rerum diverſitatibus, quibus gratulamur: ſi agitur de victoria grates referuntur propter debellatos hoſtes, timorem ereptum, liberatam patriam. Deinde narrantur adoreæ, commendatur pugnantis exercitus robur, militum fortitudo, ducum invicta magnanimitas. Deſcribitur etiam, & amplificatur pugna fortiter pugnata per hypothypoſim, & alias figuras. Demum clauditur oratio epilogo, qui totus eſſe debet in votis, ac precibus in gratiarum actionibus, pro felici rerum ſucceſſu.

Oeconomia Lamentatoriæ orationis.

Epinicijs, ſeu gratulatori e orationi opponitur lamentatio, quæ eſt affectus doloris, & triſtitiæ. Duas continet partes, in quarum prima ſignificamus mali gravitatem, quam exaggeramus ad ciendum affectum doloris, & excitandam miſericordiam: ſecunda continet metum, qui alijs inijcitur; ne in idem malum incidant; ut eſt Ariſtidis oratio Eleuſinia, qua templum Deæ Cereris incenſum deplorat, & illa Smyrnæa, qua urbem terræ motu quaſſatam, ac dirutam deflet. Ideam hujus lamentationis Ariſtidis de everſione Smyrnæ habet Cauſſinus, apud quem ait Ariſtides. Proh Jupiter quid agam? utrum taceabo, collapſa eſt Smyrna; cujus ſplendorem, ſi taceam, hoc ingenium eſt, quis ſtupor tolerantiæ? an lugebo? quam verò adaptans harmoniam &c. Hoc initio deinde ſatis graviter urbis dignitatem commendat, commemorans Coribantum choros, educationes, ac natales Deorum, Peloponeſi coloniam, Theſeum conditorem locorum ſub Sipylo, Homeri ortum, certamina, trophæa, victorias; deinde ſuburbia, portus, baſes, campos, proſpectus, Maria, fontes, templa, theatra, forum, & 68

cætera ornamenta, quorum jactura gravis eſt ad movendos affectus. Mox ingenio ſuo plus æquo indulgens totam orationem convertit in exclamationem: O fontes, ô theatra, ô vici! ô curricula partim ſub tecto, partim ſub dio, ô ſplendiſſimam fori formam! ô vias auri, templorúmque cognomine, ſingulas quadras, & fori vicem ſingulas exhibentes! ô portus Chariſſimam deſiderantes urbem! ô gymnaſiorum decora, ô templorum, & ſeptorum amœnitates! ô marina ornamenta! ô cuncta hæc ſomnia! ô reliquæ civitates, ô terra omnia & omne quod intra atque extra Gades eſt mare! ô orbis aſtrorum! ô qui cuncta vides ſol, quale ſuſtinuiſti videre ſpectaculum? alia plura addit, quæ longiſſimo tractu continuantur, ut appareat omnino, & exhauriri dicentis ſpiritum, & audientium animos ſatietate compleri.

69 Nervoſius tamen conqueritur Salvianus adverſus Treviren ſes, & lamentatur, quòd Circenſes petant, eo vel tempore, quo civitas oppleta calamitatibus in luctu jacet, & ſqualore, ait ipſe *lib. 6.* Jacebant paſſi utriúſque ſexus cadavera, nuda, lacerata, urbis oculos inceſtantia, avibus, canibúſque laniata; lues erat viventium, fœtor funereus mortuorum, mors de morte exhalabatur, ac ſic etiam, qui excidijs ſupradictæ urbis, non interfuerant, mala alieni excidij præferebant &c. Et paulò infra: Circenſes ergo Treviri deſideratis? & hoc vaſtati? hoc expugnati? poſt cladem? poſt ſanguinem? poſt ſupplicia? poſt captivitatem? poſt everſæ urbis excidium? quid lachrymabilius hac ſtultitia? quid luctuoſius hac amentiâ? fateor, miſerrimos eſſe vos credidi; cùm excidia paſſi eſtis; ſed miſeriores vos video, cùm & ſpectacula poſtulatis. Theatra igitur quæritis Circum à Principibus poſtulatis: quæſo, cui ſtatui? cui populo? cui civitati? urbi exuſtæ, ac perditæ? plebi captivæ, & interemptæ? quæ aut perijt, aut luget: de qua etiamſi quid ſupereſt, totum calamitatis eſt, quæ aut mœſtitudine eſt anxia, aut lacrymis exhauſta, aut orbitate proſtrata; in qua neſcias penè cujus ſit ſors pejor, ac durior interfectorum, aut viventium; tantæ enim ſunt miſeriæ ſuperſtitum; ut infelicitatem vicerint mortuorum. Ludicra ergo publica Treviri petitis? ubi quæſo exercenda? an ſuper buſta, & cineres, & ſanguinem peremptorum, quæ enim urbis pars his malis omnibus vacat? ubi non cruor fuſus? ubi non ſtrata corpora? ubi non conciſorum membra lacerata? ubique imago mortis. Jacent reliquiæ infeliciſſimæ plebis, ſuper tumulos defunctorum ſuorum; & tu Circenſes rogas? nigra eſt incendio civitas, & tu vultum feſtivitatis uſurpas? lugent cuncta tu lætaris? In Epilogo Superi ſolent deprecari, ut à cervicibus omnium tales depellant calamitates, ac ſtrages.

Oeconomia Monodiæ Lugubris.

70 Hoc orationis genus amat in ſqualore jacere in luctus, & gemitus erumpere, & lacrymas ab adſtantium oculis elicere: dolores, cruciatus, clades, cruentas neces, ſubverſas urbes, innocentum oppreſſiones voce lugubri, mœſto ululatu oculis lacrymarum imbre madidis enarrat, & per hypothypoſes exprimit, ad affectus doloris, & triſtitiæ ciendos. Structura hujus orationis multum non exigit artificij, cùm doloris ſenſus per ſe diſſertum faciat Oratorem.

Exordium petitur vel ex abrupto, vel à 71
narratione funeſtæ cladis, cruentæ necis, paſſæ calamitatis, ut ſtatim qui adſunt doleant, vixque poſſint à lacrymis ſe temperare. Narratio ordinem ſervat naturæ: exprimit ſtatim ærumnas, quæ alias præceſſerunt, deinde dolores, cruciatus, inſtrumenta, & demum necem ipſam cruentam, ac violentam, ita tamen ut narratio ſit plena luctûs, & dolorem excitet. In epilogo excitatur affectus triſtitiæ, & mœroris. Ut praxis luculentiùs id oſtendat, ſubijcio Ideam Monodiæ lugubris in Chriſti Domini Paſſionem. Exordium petitur ex abrupto provocando Creaturas ad luctum, triſtitiam, dolorem, & lacrymas. Narratio texitur ordine naturali, & epilogus affectum excitat doloris.

Idea Monodiæ Lugubris.

In Chriſti Patientis cruciatibus, & nece. 72

Fundite fletus, edite luctus, reſonet triſti hæc Aula clangore; excipiat ſinuoſis cœlorum anfractibus Echo, ferales ejulatus; & inviolabilem, labilem de cruciatu in cruciatum repercuſſu numeroſo pronunciet, nunciet morientis Dei parentalia. Triſtes ululate gentes, lumina corrumpite planctu, ſolvire ſtolatæ matres crines, tundite pectora, cineribus ſpargite capita, noſtro ad necem abeunte capite. Erumpat, erumpat dolor, ex oculis in lacrymas liqueſcentibus ſine Rhetorum fuco acerbus, ſine elocutionis lepore inamœnus, abſque ſuadæ delicijs ſqualidus. Excitetur ſine argutiarum acuminibus incomptus, ſine floridi ſtyli illicio mœſtus, ſine elegantiarum pompa languidus, ſine jocante ingenio triſtis, ſine facundiæ ornamentis incompoſitus moriente Deo mœror parentalis. Nulli germinent politioris litteraturæ flores, quos vel imbres lacrymarum demergant, vel doloris pruina in gemmas erumpentes decoquat: dum ſpineum aptatur ſertum, ut dumetis horrentibus Chriſti patientiâ vertex obruatur. Nullus hic grandis orationis fulgeat ſplendor, dum divinus ſol acerbiſſimæ necis eclypſim patitur, ad cujus ſpectaculum cœlum ipſum inhorreſcit, & tenebris atratum ſuum luget Conditorem vulneribus ſaucium, ſpinis redimitum, ſanguine madidum, doloribus tortum, flagellis cruentatum, & clavis cruci affixum. Quia lugubre argumentum ex lex mihi ſuggerit dolor ad Clepsidram lacrymarum peroraturus veſtros ſubijciam ante oculos Deum in cruciatuum ara victorem, & victimam, & ideo victimam, quia victorem.

Exordiar igitur à feralibus Gethſemani 73
hortis in triſtes, ac inamœnas degenerantibus

de-

delicias, ubi avarus dolor è ſingulis mactandæ victimæ artubus aureum, ac argenteum, ſudorum, ſanguiniſque tributum exegit: ubi Dei filius inſueto correptus metu in terram proſternitur: ubi ut jumentum factus noſtrorum ſarcinam delictorum noluit recuſare. Heu quàm gravia fuerunt noſtrorum pondera delictorum, quando divinum Athlantem ſic premunt, ut in humum opprimant. Exordiar inquam ab illis feralium hortorum funeſtis delicijs, ubi nubes timoris, ac triſtitiæ, quæ divini ſolis turbaverant ſerenitatem, ſanguineas ſudorum in pluvias ſolvuntur, ut tandem noſtri cordis ſterileſcens tellus hoc imbre rigata fœcundaretur, & in viriditatem ſperatæ ſalutis germinaret, geminaret ſpei vitores; & tam benefico madefacta rore dare tandem inciperet fructum aliquem. Sed licèt cruentas ſolvantur in pluvias triſtitiæ nubes, quæ ſolem noſtrum perturbant; expectet tamen mundus ſerenitatem, quando veſpere, & occaſui proximus divinus ſol rubuit, & non erubuit cruciatuum ſuorum funeſtiſſima objecta, quæ ex ſingulis corporis membris ſanguineas elicuerunt lacrymas: aliter illacrymari non decuit divinum Argum, cum totus ſit oculus. Si ſanguineis guttis ad objectam ſibi carnificinam exſudat, ſementem facit, qualem bonus agricola ſerit in exculta, & irrigua tellure, ut citius in uberiores noſtræ redemptionis fructus ſacri ſudoris ſemina germinent. In ſudore vultûs ſui pane veſcatur ſuo Protoplaſtus noſter: nos meliori veſcemur ſalutis pane in ſudore hujus ſecundi Adæ. Initiandum erat ſacrificium, ut ſolemni adminiſtraretur ritu, victima, quamvis nive candidior; & quovis adamante purior in colle Gethſemani purpureis abluitur undis.

74 Hinc vinciendam victimam venerat cum turbis armatis infidus Iudas, non ad aram, ſed ad lanienam cruciatuum ducturus eam, quam ſeſtertio venalem effecerat: quaſi non Dominus Majeſtatis, ſed Syrus neſcio quis de grege mancipiorum fuiſſet. O ferale fatum! lugubre factum! fit Deus pretium proditoris, ac ſervi venalem in mercem cedit Herus. Iudas enim armis abuſus amoris oſculum in vitæ Authoris perniciem figit, & fidei ſymbolum in perfidiæ teſſeram converſũ amoris ſigno odium prodit exitiale. Eodem oſculo, quo Deus ſub mundi cunabulis in Adam ſpiraculum vitæ ſpiravit; conſpiravit nunc proditor in Deum ipſum, cuj necem intulit. En fœdator iniquiſſimus inter amoris oſcula odij deſpumans venena, Choragium crudeliſſimæ lanienæ, immaniſſima conſtruxit humanitate; & amoris telo, quod pacis conſueverat eſſe nomen, & omen vitæ, Authorem vitæ transfixit, cùm oſculum eidem fixit. Te excuſatum habeo mi JESU: tibi volupe erat pro omnibus mori; cruciatuum, neciſque tragædiam exordiris ab oſculo, quamvis ab ore prodeunte cadaveroſo Magiſtri necem, & ſuam olente: te tamen accuſo perfidiſſimum Judam, qui cæcutiens cum laternis, & facibus Solem quæris meridiano jubare clariorem. An didiceras à Cynico Diogene accenſo lycno licèt ſub ſole hominem quærere? Magiſtrum quæſiſti tuum, non tamen ut haberes, ſed perderes: habuiſti & tu furiarum de grege faces tuas, quibus tamen mundi lucem non augeres, ſed extingueres. Nam ad proditoris oſculum, veluti clangentis tubæ ad claſſicum tota ſe ſe veſana turba effudit in furias, mitiſſimam victimam circumligavit, & conſtituit in domo prætoria. Proh quàm acerbum ſpectaculum, non ſiccis oculis ſpectandum! nudatur corpus verecundum, & à fœdiſſimis lorarijs dilaceratur ad cruoris effuſionem: ſed plagæ iſtæ, quia noſtris medentur plagis, amoris ſunt plagæ, ſeu retia, quibus divinus Auceps perditas hominum animas aucupatur. 75

Inſtant tamen ſatellites irriſione, & flagris, & ad columnam compreſſo corpore alligant, per quem mundus ipſe ſtat, & facinoroſi verberibus innocentiſſimum corpus dilaceratur; impreſſis altiùs virgarum ſulcis, inuſtiſque vibicibus, & effuſo cruore operitur. Neque finis imponitur dolorum cataſtrophe, nudantur enim aliorum Cyclopum lacerti, & nullâ interjectâ morâ repetiri ictus, perinde ac ruentis grandinis procella pulcherrimum florem Jeſſe opprimunt, & deprimunt: inflicta tument vulnera, evomunt cruorem, nec alio foventur oleo, quàm ſanguine; & alia ſuperveniente plagarum tempeſtate priora vulnera recrudeſcunt. Athleta nobilis cruentam vocatus ad luctam, non alio voluit illiniri humore, quàm proprio ſanguine, quò vel ipſam ſterileſcentem arenam irrigaret, & ad victrices ſibi palmas fœcundarer, ſimúlque de peccato hominum, hoſtéque tartareo triumpharet. Hinc non mirum ſi columnæ alligatur humani generis Reparator, dirutum, ac prolapſum mundum erecturus columnam quæſivit, quâ ejus inſtauraret ruinas; in qua tamen meliùs, quàm in Herculea dolor inſculpſit: *Non plus ultra.* 76

Novus Legislator ducturus populum ſuum ad veræ ſalutis promiſſam terram columnam etiam ſelegit præambulam, quâ firmiùs ſtarent; qui ejus ſequuntur veſtigia. Timeat tamen iterum templum Dagonis; en fortiſſimus Samſon columnas amplectitur, non ut ſtet, ſed cadat. Non me latet, fabuloſum Prometheum flammis olim furtim raptis mundum inflammâſſe, & pœnam luiturum ſaxo fuiſſe alligatum, ſed æterni Patris Filius, quia ignes venerat in terras mittere ſaxo illigatur, ut amor hac innixus columna ſtet firmior, cum hoc lapide firmiſſimum poſuerit noſtræ ſalutis fundamentum; quinimò cœleſtis Deucalion homines obſtinatione in ſaxa degeneres, iterum hoc lapide in homines emollivit. Dicant Scythæ ex cothurnata Phyladis, & Oreſtis hiſtoria columnam, in qua amoris præcepta legerentur ſculpta: quia præclariora ſui amoris emblemata ad erudiendas omnes gentes in columna hac ſtatuit Deus, ut vel ipſa nocumenta noſtra fierent documenta, viámque ſalutis edocerent.

77 Sed ex duritie ſaxi, & columnæ lapideæ ad acumina devenitur ſpinarum; ò inventum ferale! Divini ſolis caput non ampliùs rutilantibus coronatur ſyderibus, ſed horridis obruitur dumetis, & acuminibus transfigitur ſpinarum: labile non fuit Chriſti regnum, cum ejus corona tot habeat in ejus capite fixas radices, ut Judæi, vel inviti faterentur Chriſti regnum labile non eſſe, cujus corona eò altiùs radices egit in capite, quò ſpinæ ſacrum verticem vulnerârunt profundiùs. Sepire vineam ſuam venerat ſedulus agricola, ne ſures ejus fructus impoſterum ſurriperent, materiam ad ſepium ſtructuram ſpinas aſſumpſit. Ecce flos campi, malè cultum lilium inter ſpinas purpureas germinat in roſas fuſi cruoris, quo diſcerent homines, roſas è punctæ veneris vulnerato pede ortas, ſeu carnis delicias abigere, ut è vulnerato Salvatoris capite roſas legerent ſanctioris amoris; & cruciatus præferrent mundi voluptatibus, ut coronentur, cùm in regno patientiæ nil meliùs coronet, quàm quod cruciat: nec puritatis lilia candidiùs florent, nec ſuaviùs olent, quàm ſpinis circumſepta: neque roſæ charitatis purpurant venuſtiores, quàm hoc ſanguine imbutæ. Quidni ſpineo diademate cruentatur Rex Regum, ut ſcirent homines ab eo ſpineto regnorum florem ſuum traxiſſe colorem, & non decere Reges inter delicias emolleſcere, cùm Rex Regum ſpinas prætulerit floribus, & torqueri maluerit dumorum aculeis, quàm molleſcere inter flores: vel ut apprehenderent homines, non decere, membra eſſe delicata ſub capite cruentato. Sed liqueſcant in lachrymas oculi, quando divinæ frontis nives prodigioſi furoris æſtu ſolvuntur in cruorem.

78 Quod verò incrementa accerſit doloris, & acerbitatem auget mœroris, addunt ſatellites ſupplicijs contumelias, & ne dum plagas plagis ingerunt, & vulneribus vulnera vulnerant: ſed perinde ac actores in fabula hiſtrionica purpurâ corpus IESU induunt, & coronam rigentibus ſpinis aculeatam profundiùs ſacroſancto capiti figunt, & pro ſceptro arundinem in manu ſtatuunt, Regémque ſalutant, ac repentè veluti in ſcenæ cataſtrophe mutata perſonarum facie Regem conclamant, exibilant, explodunt. Itáne mi IESU factus es inſanæ gentis ludibrium? Itane puriſſimæ Virginis partus, receptaculum eſt omnium cruciatuum? at non hic ſævitiem ſuam deponit Judaica barbaries; bajulandum crucis pondus ad Calvariæ collem ſemivivo Salvatori imponitur. Aſpicismus Regem Regum luxato dorſo, fractis humeris, dehiſcentibus vulneribus montis juga ſanguinis ſtillicidio irrigantem: intueamur cadentem JESUM graviùs preſſum culparum noſtrarum pondere, quàm crucis trabe: contemplemur obviam Berenicem, quæ ſanguineas Chriſti guttas per totum divinum vultum pluentes in linteo colligit: imprimi ubique voluerat Deus dolorum ſuorum imaginem; ut qui impreſſos dolores non ſuſceperant animi, picti remanerent in tela, ut cum oculis objicerentur, memoriam ſaltem refricarent. Mox exaltandus in cruce purpurâ expoliatur; ſeu purpuram exuit JESU, quia nondum ſuo fixus erat in Throno: vel Athleta nobilis cum morte luctaturus veſtes abjecit, ut faciliùs, ac promptiùs de victa morte triumpharet. Quis non credat innocentiæ ſeculum iterum renatum, cùm novus Adam lignum vitæ iterum plantaverit, ut liceret homini ejus fructus carpere, & meliorem vitam alere. Sed clavis configuntur innocentiſſimæ manus, & pedes cruci affiguntur, natant cruore oculi, & nitidiſſima illa duo ſydera unà cum ſuo Sole occaſum ſubeunt; jam diductis brachijs, perfoſſis manibus, trajectis pedibus ſacroſanctum corpus, unà cum cruce erigitur, mox langueſcit, viribus deſtituitur, exinanitur, emoritur. Ubi cubat in meridie, non ampliùs quærat ſponſa ſuum Sponſum, cùm jam ſuum deverſerit in occaſum. Cœlum inſueta caligine atratum ſuum eluget Conditorem geminos inter latrones extinctum, terra contremiſcit, & ſaxa ipſa præ dolore diſrumpuntur, ac tota natura ſuo parentat Authori. Proh quanti faciunt mala ſua homines! quia venerat ea minuere, fur eſt creditus à Judæis, & latronibus accenſetur interimendus: ſed qui non humana rapuit, furtum tamen fecit in cruce, cum furem ipſum fuerit ſibi furatus, non ut perderet, ſed ſalvaret. Magiſter amoris in cruce veluti in cathedra militis lancea perforato latere, idiomate locuturus amantium ore clauſo, cor aperit: vera amoris præcepta non lingua, ſed cor edocet.

79 Mortuo igitur in terris mundi Conditori omnes parentant creaturæ: extinctum ſuum Solem lugent ipſa cœli lumina, quæ tenebris, & ſqualore obſita funebri pompa epicedia ſuo pangunt Authori. Ultimum ſuæ tragœdiæ actum jam abſolverat Deus homo, lumina extinxit ſua: non tamen credamus, noctem hanc luminibus deſtitutam conciliando ſopori aptam, cùm apertis ſtatim monumentis corpora ipſa, quæ dormierant expergita reſurrexerint. Fundite tamen quotquot adeſtis lacrymas, edite luctus, erumpite in fletus, & mactatam ſub ara crucis victimam lugete, parentali nænia ululare, cùm ſaxorum firmitas diſrupta præ dolore fracta fuerit; cùm terra profundioribus quaſſata ſuccuſſionibus tota contremuerit ad tanti ſceleris acerbitatem, & Sol ne fieret ſpectatot tam lugubris ſpectaculi inſueta eclypſi latuerit. Quòd ſi vel lapides in ſenſum doloris emolleſcere didicerunt, non debent hominum pectora ampliùs lapideſcere, ſed in lacrymas ſolvi. Fundite igitur fletus, edite luctus, nam privatum meum dolo;em ſatis publicus totius naturæ planctus peroravit.

Oeconomia funebris Orationis.

80 Nulla frequentior orationum ſpecies eſt hac funebri; quia quotidie morimur, ac omnium verſatur urna; & quamvis homines etiam ab ipſis ſaxis vitam emendicent diuturniorem, quam mentiuntur, vel inſculptis ſta-

tuis,

tuis, vel inſcriptis characteribus, quibus eo-
rum nomina leguntur in marmore læto; atta-
men, adhuc vel ipſa ſaxa, & in ijſdem ſcripta
nomina moriuntur; neque ſaxea duritie retun-
ditur Libithinæ falx: quod animadvertens
Auſonius Romæ in Cæſaris ſepulchro, ubi e-
xeſa ſaxa, cùm non ſinerent ſenſum deletæ in-
ſcriptionis ab eodem percipi, cecinit.

Miramur periiſſe homines monumenta fatiſcunt,
Mors etiam ſaxis, nominibúſque venit.

De orationis funebris ortu elegans extat
81 diſſertatio apud DionyſiumHalicarnaſſenſem;
num Valerius, primus hunc morem apud Ro-
manos inſtituerit; an inſtitutum à præceden-
tibus Regibus ſecutus fuerit; qui tamen in ſcri-
benda hiſtoriarum mole deſudârunt, aſſerunt,
hoc eſſe Romanorum vetus inventum; ſcilicet
mortuorum virtutes commendare; neque à
Græcis primùm inſtitutum: certamina tamen
funebria, & gymnica in honorem clarorum
virorum facta antea, tradunt nonnulli, ut ab
Achille in Patrocli nece; & ab Hercule in fu-
nere Pelapis; & Plutarchus de Pericle ait, de-
victa Samo regreſſum Athenas habuiſſe de mo-
re funebrem.

Eleganter ſcripſerunt orationes fune-
82 bres S. Gregorius Nazianzenus in funere Ba-
ſilij, Patris, & Sororis. S. Gregorius Niſſenus
in Placidiam, & Pulcheriam, S. Ambroſius in
Theodoſium, Ariſtides in Eteoneum, & alij
plures.

83 Exordium hujus orationis plenum eſt do-
lore, & lachrymis, & duci poteſt, vel ex ab-
rupto, vel ab aliquo voto, vel exclamatione,
aut invectiva in mortem, & cauſam necis; vel
ab explicatione humanæ conditionis; vel ab
exequiarum apparatu, ac pompa; vel à cir-
cumſtantijs, temporis, & loci; vel à cauſis
mœroris, ac triſtitiæ; vel ab affinitate, & di-
gnitate, vel à commendatione perſonæ de-
functæ, vel explicatione noſtræ fragilitatis;
quo pacto Tertullianus lib. de anima comparat
vitam noſtram navigio, inquiens: vis eſt &
illa navigijs, cum longè à Capharijs ſaxis
nullis depugnata turbinibus, nullis quaſſata
decumanis fluctibus, adulante flatu, labente
curſu, lætante comitatu, inteſtino repente
perculſu cum tota ſecuritate deſidunt: non ſe-
cus ſunt naufragia vitæ, ac tranquillæ mortis
eventus. Hinc Scitus Poëta unico diſticho
humanam comprehendit fragilitatem, nec
aliud cenſuit, quod ſit vita hominis, quàm

Somnus, bulla, vitrum, glacies, flos, fabula,
fœnum,
Umbra, cinis, punctum, vox, ſonus, aura,
nihil.

D. Cyprianus ait, unumquemque no-
84 ſtrum, cum naſcitur, & hoſpitio hujus mundi
ſuſcipitur initium ſumere à lacrymis, & cum
ijſdem extingui, ad quod alludens Poëta ſcitè
de ſe ipſo cecinit,

Ut lachrymis cœpi, lachrymis ita finio vitam.
Totum pene meum vivere, flere fuit.

A circumſtantijs temporis D. Ambroſius
85 exorditur ſuam orationem in funere Theodoſij
ſenioris inquiens: *Hoc nobis motus terrarum gra-
ves, hoc juges pluviæ minabantur; & ultra ſolitum
caligo tenebroſior denuntiabat, quòd Clementiſſimus
Imperator Theodoſius receſſurus eſſet è terris, ipſa
igitur receſſum ejus elementa mœrebant, Cœlum te-
nebris obductum: aer aſſidua horrens caligine, terra
quatiebatur motibus, replebatur aquarum alluvio-
nibus. Quidni mundus ipſe defleret eum Principem
continuò eſſe rapiendum, per quem dura mundi hu-
jus temperari ſolerent; cùm criminum pœnas indul-
gentiâ præveniret: & ille quidem abijt ſibi, Reg-
númque non depoſuit, ſed mutavit.* A fluxibili-
tate, & brevitate hujus vitæ ſuam exorditur
roſam ſepulchralem in funere Alexandri Car-
dinalis Urſini Ferrarius nomine quidem fer-
reus, ſed eloquentia aureus. Incipit per ex-
clamationem. O breve roſarum ver! ô mor-
talitatis juvenili vere deflorescentis lugubre
exemplum! ô Urſinæ amœnitatis principem
florem; è vitæ, gloriæque fertili viridario flo-
biliter translatum ad ſterile ſepulchretum!
ô nimis copioſè ſuccreſcentes ad unius roſæ ca-
ſum ſpinas doloris innumerabiles! ô viduam
Roſam roſeæ purpuræ amiſſum gaudium in a-
tratæ violæ ſqualore deplorantem; ô nos, ſocij,
nobiliſſimo cum flore ſuaviſſimæ virtutis fru-
ctu fraudatos! & in funere Bernard. Stephonij.
in oratione, cui titulus eſt *Laurea Cupreſſina*,
ab Etymologia nominis, quia Stephanus co-
ronam indicat, exorditur hoc pacto. Ergo co-
ronarium Stephonij nomen eruditiſſimo capiti
pro laurea funeſtæ cupreſſus omen fuit? ergo
Romanum ſingulari eloquentiæ par theatrum,
externum ſepulchrum eſt? debiti ergo canoræ
gloriæ plauſus parentales lachrymæ ſunt? A-
gite lachrymæ tantiſper in voces abite, dum
vitæ fabulam ſuæ non eleganter minus clau-
denti, quàm tragicos Regum exitus canenti,
elegantiſſimo Poëtæ ſuprema gratulatione
plaudatis. Age lachrymis eloquentior, quàm
vocibus dolor, quamvis inconditus vocalis
tamen erumpe: extinctâ enim eloquentiâ in-
conditam decet loquentiam ululare. 86

Si exordium à gentium diverſis ritibus
deduceretur, non incongruum foret, ritum il-
lum Scytharum recenſere, qui corpus regium
plauſtro vectum per ſingulas Regni urbes lu-
gubri pompa circumferebant, ut quiſlibet ex
ſubditis aliquam ſive cadaveris, ſive regalis
palludamenti particulam decerperet. Recen-
ſito, & amplificato hoc ritu, poſſet Orator
per Apodoſim addere, velle ſe eloquentiæ qua-
drigâ defunctum vehere, non ut dilanietur,
aut in fruſta diſcerpatur, quod barbarum fo-
ret, & inhumanum; ſed ut ſibi quiſque ex
ſummis ejus virtutibus aliquid deſumat,
quod imitetur. Vel poſſet deſcribere ritum
illum Perſarum, qui Rege emortuo omnes per
univerſum Regnum extinguebantur ignes, &
lumina quò inde extinctum regni ſplendorem
in ſuo Rege ſignificarent, & urbium proceres
atrati defuncto Principi parentarent in lu- 87
ctu, & ſqualore.

Clarum itidem eſt, nigros Æthiopes ſuo-
rum cadavera defunctorum in vitreis columnis
claudere conſueviſſe, ut indicarent per colu-

mnam vitream fragilitatem hominis. Moris itidem fuit, quo priſci Romani ſolemni pompa mortuorum imagines deferrent Civium animos non ſolùm ad luctum, verùm & ad Majorum ſuorum facinora recolenda, ac imitanda excitaturi. D. Gregorius Nazianzenus in funere Athanaſij ſuum orditur epicedium ab ipſa Magni Præſulis commendatione, inquiens: Athanaſium virtutis ſimulacrum laudamus, nec ferè quidquam habet de funere præ gloria, cujus ſplendor omnem fumum lugubrem abſorbet: tamen de jactura, quam facit Eccleſia, querelam habet aliquam &c. Et in D. Baſilij monodia exorditur ab excuſatione, indignum ſe oſtendens ut fungatur munere Oratoris, præſertim quia ad rem ſacram oportuerit purgari animam, & linguam: deinde quòd recens, ac luctuoſus mœror loquelam impediret: demum in calce exordij ab ipſius Baſilij anima jam mortalitatem exuta veniam audaciæ expoſtulat, móxque ejus Apotheoſim aggreditur. In Epitaphio Paulæ Romanæ D. Hieronymus incipit à commendatione nobilitatis hujus illuſtris Matronæ laudando nobiliſſimum Græcorum genus. Et pro Nepotiano adoleſcente exorditur orationem funebrem explicando ſui mœroris cauſam, & laudando ipſum adoleſcentem; & per figuram reticentiæ magis amplificat, & auget illius virtutes, præſertim, quia in palatio ſerica ſub Chlamyde, linóque albeſcente, ac delicato, aſperrimo cilicio corpus ejus tereretur. In Epitaphio Fabiolæ exorditur dubitando, à quánam ex pluribus virtutibus, quas ipſa ſumma cum laude excoluit; incipere debeat.

88 Confirmatio orationis funebris tria complectitur. Primò commendationem virtutum, quas defunctus cum viveret exercuit, & ijsdem fuit inſignitus. Secundò vivorum pacem, & ſolatium. Tertiò documentum ſuperſtitum, & tunc Orator virtutes enarrat defuncti, quas imitandas proponit poſteris, ex quo liquet, Confirmationem propriè eſſe orationem panegyricam, qua defuncti geſta, & virtutes commendantur. Epilogus æternam precatur defuncto ſalutem, & requiem, & affectum excitat doloris, ac lachrymas elicit, quibus adſtantes acerbam, ac præmaturam defuncti necem lugeant, & poſteros cohortatur ad culturam illarum virtutum, quæ mortuum exornârunt, Ut autem praxi clarior fiat totius orationis funebris Oeconomia non abs re fore duxi adijcere, quam anno 1679. Monachij compoſui in funere Sereniſſimi Electoris Ferdinandi Mariæ Bavariæ Ducis. Deceſſit Pijſſimus Princeps die 26. Maij poſt plures exantlatos labores in componendis diſſidentibus Principibus, & quiete poſt ſeptenne bellum promovenda, & quæ tunc temporis fuit Neomagi concluſa. Exordium duxi à circumſtantijs præſertim temporis, & perſonæ, paciſque initæ poſt cruentum bellum.

Idea orationis funebris in parentalibus Sereniſſimi Electoris Bavariæ Ferdinandi Mariæ. 89

ITa ne eo vel tempore, quo poſt ſedatas armorum procellas, coërcitos pugnantium impetus, compoſita diſſidentium Principum capita; tandem Chriſtianus orbis publicis exultans gaudijs, Sancitæ Paci, adeptæque quieti diu concupitum occinit Epinicium, ferale ego aggrediar Epicedium? Itane ad hoc me ſors acerbiſſima detruſit officium, ut non ſolùm mœrentis animi querelis communis lætitiæ diſturbarem primordia, verùm ad ſubijciendam veſtris oculis luctuoſæ Tragœdiæ Cataſtrophem caligines, & lachrymas in atrato proſcenio Manium obſitus umbris, ac ſqualore quaquaverſum circumſeptus depromerem? licèt unicuique repetere quod Propheta mœrens eluxit. *Thren. 1. oculi mei caligaverunt à à fletu, quia elongatus eſt à me, qui conſolabatur me.* Ita ne publicæ quietis Vindici eximio, Paciſque Aſſertori glorioſiſſimo pro virente Olea Romano Septenni labore procurata Imperio funeream Monodiæ lugubris rependam cupreſſum; & ignes ad id jam parati, ut enaſcenti communi lætitiæ obſtetricarent, geminatis priùs obruentur luctibus, repetitis extinguentur gemitibus, quàm ad communem ſplendeant hilaritatem? ita eſt, humanæ viciſſitudines conditionis hoc poſtulant, ut dum apicem felicitatis attigiſſe videamur, in imum proturbemur doloris: altiùs fortuna nos extulit, quò lapſu graviore rueremus. Querulam igitur acturus Præficam lugubre exordiar Epicedium; ſed ſine allicientis elocutionis lepore, inamœnum; ſine argutiarum acuminibus, languidum; ſine elegantiarum delicijs, incomptum; ſine facundiæ ornamentis, neglectum; ſine Rhetorum fucis, ſqualidum. Heu! intempeſtiva præmaturi Fati procella noſtrum protrivit verna temperie Delicium; nulla excultæ eloquentiæ ſpectentur vireta. Inopinæ mortis invidia noſtrum ſua demeſſuit falce virentis oleæ florem; nulla deſideretur elegantiarum amœnitas. Inſolens turbo trabeatum Principum ſplendorem momentò extinxit; nullus grandis orationis nitor affulgeat. Quia lugubre argumentum exlex mihi ſuggerit dolor; ſinite me hac die publicis conſecrata mœroribus nullis addictum effandi legibus ordine quodam tumultuario laudes 90 Ferdinandi Mariæ *Electoris* pervagari; ac virtutes, quarum faſtigia ipſe attigerat, leviter recenſere, ut ſaltem ex ungue Boicum iſtum prægrandem diſcamus Leonem.

Præteribo in uberrima rerum ſegete protritam Rhetorum legem derivandi laudes à ſtemmate tot jam anteactis ſæculis inclyto, & inter prima Europæ Coronaria, omníque præconio clariore: emendicatis non indiget nitoribus, qui ſibi ipſi ſufficiens laus eſt. Quia verò nulla poteſt FERDINANDI MARIÆ ætas recenſeri, quæ albo divinitùs præſignata lapillo multiplici non illuxerit ſummæ virtutis ſplendore, ab ipſis exordiar pubeſcentis in-

fan-

fantiæ crepundijs, quæ ditiſſimam laudum mi-
hi exhibent ſupellectilem. Nimirum orien-
tem Solem apprimè æmulatus, in ipſo naſcen-
tis vitæ Orizonte totus ſe ſe in clariorum effu-
derat virtutum incrementa, ad ignaviæ de-
pellendas caligines, ad vitij quasque umbras
fugandas. A primis ſiquidem pueritiæ rudi-
mentis ita ſe Deo, ac cœlitibus mancipaverat,
ut puerilia ludicra reſpuerit; infantiles nugas
neglexerit, ac ludos quosque contempſerit:
ſummis ſcilicet aſſueſcens virtutibus nil egit,
quod ſuprà Infantiam, ſuprà ætatem non fue-
rit. Meridiem in ipſa hujus novi Solis Auro-
ra obſtupuit Bavaria, cùm plenos virtutum
radios, vel à puero emiſerit. Oculatior Argo
primo terræ offenſus aſpectu nihil in ea ſe di-
gnum invenerat; ad ſuperiora debuerat ſe ex-
panſo volatu evehere. Hinc non mirum ſi ad-
huc in ætatis flore nobis fuerit ereptus: diu de-
tineri in terris non poterat, quem cœlum cœ-
perat, vel naſcentem attrahere. Nemo eſt,
qui ambigat, ſummam eſſe virtutem, ac præ-
grandis animi ſingularem characterem ſe i-
pſum vincere, iram compeſcere, nullis emol-
liri illecebris, nullo fortunæ ictu frangi, nec
inflecti: at hæc *Principis Maximi* FERDINAN-
DI MARIÆ ſunt veſtigia, quæ nobis reliquit;
hæc trophæa, quæ erexit. A primi parentis
lapſu ea fuerunt Rationem inter, & ſenſum
concitata jurgia, ea in unoquoque hominum
ſuborta diſſidia, ut non niſi adamantini pecto-
ris objecta firmitate; non niſi inconcuſſi ani-
mi adhibitâ conſtantiâ mentis conſilium turbis
affectûum à recto deflectentium vix poſſit frœ-
num injicere. Tranſmiſſæ ſiquidem per ſen-
ſuum vehicula, oblectantium rerum ſpecies
mentis aciem ſuo perſtringunt ſplendore, ani-
mum alliciunt, ac ſenſim ſine ſenſu totum ra-
piunt hominem, qui tametſi dominio liberta-
tis apprimè inſtructus, ſuavi tamen quadam
91 irretitus compede, vanóque ſtudio, volupta-
tibus, quæ ſenſum titillant, liberè adhæreſcit.

Unus duntaxat ex ſexcentis, quos in
Heroum catalogo profana retulerat vetuſtas
laudatur Ulyſſes; quia callidæ Circes deluſe-
rit veneficia; cùm ſocij doloſas pervagati ædes
poculo voluptatis epoto in belluas, ritúsque
ferinos degeneraverint. At quænam adoreæ
laudatio; quæ gloriæ ubertas; quæ encomijs
referta panegyris noſtro Principum pijſſimo
non foret pro delatæ victoriæ fœnore repen-
denda? quis effrænes quosque tum concupiſ-
centis, tum iraſcentis animi motus, compe-
ſcuit? FERDINANDUS MARIA. Quis
Reginæ perduelles Rationi cohibuit appetitus,
cohibitos cicuravit, cicures ad rectæ rationis
nutus inflexit? Ferdinandus Maria: ipſe eſt,
qui jurgia quæquæ inter diſſidentes animi mo-
tus ſedavit, malaciámque conſtituit nullo ſe-
ditioſo quaſſandam depravati appetitus turbi-
ne. Hominem planè ſtoicum; vel potiùs An-
gelum humano veſtitum corpore ſi dixero,
non erravero: ipſum enim ſupra humanam
factum naturam nuſquam pellices voluptatum
illecebræ allexerunt, titillârunt; nuſquam
blanda deliciarum lenocinia illaquearunt;
nuſquam validiſſimæ vanitatum obſidiones de-
mentârunt; ſed ſummarum virtutum addictus
culturæ poſuit cæterarum tyrocinium. Quot-
quot per anni Circulum Servatori Chriſto, vel
ejus Virgini Matri, alijsve ex præcipuis Cœ-
litibus ſacræ volvuntur dies, Exhomologeſis
priùs Sacramento expurgata ab omni labeculæ
umbra in pervigilijs conſcientia, animi inte-
gerrimo coluit candore, imitatus in terris eo-
rum innocentia, quos in cœlis æterna vene-
rabatur beatitate donatos: ad Angelorum epu-
las cœleſti reficiendus ſuavitate ea dein ſiti ra-
piebatur, ut ſubinde in lacrymas colliqueſce-
ret: nimirum oculorum humor debuerat ad
fervente divini Solis radios depluere; & Ros il- 92
le Sereniſſimi verticis aſcendente ſole decidere.

Neque tamen divinis fartus ipſe delicijs
alios permiſit ijſdem diebus angi miſerijs: pro-
fuſis enim auri, argentive ponderibus inopia
laborantium copias recreavit: & immolati
Numinis centies repetitis ſacrificijs integras
purgantium animarum redemit legiones.
Hæc fuêre pientiſſimi Principis ſtudia: hæc
majoris momenti negotia: hæc ſumma cura-
rum faſtigia, Deo eo, quo poſſet ferventiori
adhærere affectu: Cœlitibus cultum, quem
poſſet majorem exhibere: proximo eâ, quâ
poſſet charitate prodeſſe. Integerrimis aſſue-
tus moribus liliatam prætulit innocentiam;
quâ omnium animos ad vitæ allexit cando-
rem; omnium deſideria ad pietatis flexit in-
crementa; omnium affectus in Deum conver-
tit. Utinam ad hujus imperantis exemplum
totus fuiſſet terreus orbis compoſitus: quam
virtutum ſuaveolentiam redoleret? quam pie-
tatis culturam exhiberet? Hæc ſunt, quæ
æmulentur Reges, imitentur Principes; ſe-
quantur duces. Non me latet, Asbeſtinum O-
lympium veluti ſtadium in pyra nactum flam-
mis circumſeptum candicare ſplendidius, co-
ronari pulchrius: Aurum purpuratum metal-
lorum Regem ſubjectis ignibus purgari nobi-
lius, triumphare clarius: Arethuſam per ſal-
ſas æquoris undas ad longos tractus innocuam
devolvi, dulcorem ſervare; Palmam trium-
phis celebrem inter ſylvarum dumeta ſatam
delicatiores progerminare fructus, latiores diſ-
fundi in ramos: emiſſos è ſole radios cœnoſos
ſordeſcentis telluris tramites nulla contracta
labe traijcere: forent hæc munditiſſimi Princi-
pis emblemata, niſi ſpectaculum longè ele-
gantius exhibuiſſet; cùm innocentiæ florem
per ſingulas fluentis vitæ periodos illibatum
cuſtodivit; cùm puritatem, quam cum lacte
ſuxerat, non minuit, ſed adjecto auxit mo-
rum candore; cùm mentis receptacula defœ-
catis duntaxat referta imaginibus à prava qua-
vis ſejunxit obſcœnitatis nubecula; cum ſæ-
viente ferreo ſæculo, triumphavit ipſe aureus. 93

Affectus omnes Rationi perduelles, ita
cohibuit, ut aſſerere non dubitârim jaculato-
rem Cupidinem victoriam omnem deſperan-
tem nulla fuiſſe auſum in ipſum ſpicula intor-
quere. Fidem vix mihi conciliatem, niſi te-
ſtea

ſtes omni probitate inſignes poſſem producere, qui tactis aris aſſerant FERDINANDUM MARIAM *Electorem* toto vitæ decurſu ita à venialibus caviſſe offenſis, ut nunquam fuerit lethali ſcelere maculatus. Felix Princeps, qui ciſternas voluptatum diſſipatas nunquam ſitivit; qui totam ita inſtituit vitæ periodum, ut mori mallet, quàm fœdari; qui illecebrarum omnium ita aſpernatus eſt incitamenta, ut ab honeſto nunquam deflexerit. Proh ſingularem Principis mondiriem! quod olim Paulus non valuit repetitis precibus aſſequi, ut ſtimulus in eo carnis extingueretur; Princeps caſtitatis Athleta ab illecebris omnibus abhorrens fuit ſtatim aſſequutus. Quos luxuriæ conatus, ut frangeret Hieronymus nudum debuit ſaxo pectus obtundere; Princeps caſtitatis Athleta ſolo imperantis Rationis nutu plenè coërcuit. Quos Veneris ſtimulos, ut infringeret Benedictus nudum debuit corpus confodere vepribus; Princeps caſtitatis Athleta inconcuſſa animi contudit firmitate. Quas Veneris labes, ne contraheret Franciſcus debuit, acutis ſe ſe volutare in ſpinis Princeps caſtitatis Athleta ſolo divini amoris fugavit ardore. Quos cupidinis ignes, ut præfocaret Bernardus rigidiſſimis ſe ſe undis immerſit; Princeps caſtitatis Athleta niveis abegit moribus. Ab omnibus ſemper abhorruit corrupti ſæculi voluptatibus; quia noverat mundi illecebras æſtuantis pelagi blandulas eſſe ſirenulas, quæ cantu delectant, ſed dente devorant: Hircaniæ Sylvæ Panteras, quæ profuſo alliciunt odore, ſed ungue dilaniant: Vireta Sardonica, quæ riſum excitant, ſed mori cogunt: Babylonicæ mulieris impudentiam, quæ venenum aureo propinat in poculo. Ter felix Princeps, cui ſola voluptas fuit ab omni ſe abdicare carnis voluptate. Ter felix Princeps, qui vel in medijs Aulæ frequentijs ſanctam frequentavit ſolitudinem, ut Cœlitum ſe ſe frequentiores inſinuaret in amplexus. Ad cœli colloquia terrena allicit ſolitudo, quam, ut excoleret, in intimioribus acciverat Aulæ receſſibus: hîc precatijs globulis ſingula ſignabat Deo Momenta: hîc per ſtatas preces ſua cum cœlo nectebat amoris fœdera: Hîc noctes dimitiebat inſomnes, vel in aſceticis voluendis, vel pijs meditationibus conſtruendis: Hîc Patientis Servatoris cruenta imitatus exempla flagris ad ſanguinis effuſionem ſe cruentabat: teſtes appello retortos in nodos funes, quos gemma quavis pretioſiores in prædiviti obduxerat ſcrinio: verè lilium inter ſpinas, cùm aculeata inter tormenta virginea membra verſarentur:

94. Lilium puritatis ſanguineas etiam rubuit in roſas. Non ſatis fuerat Principum pientiſſimû terreni principatus rubuiſſe chlamyde, voluit cruoris purpuram adijcere: nimirum utrumque promeritus regnum, temporale, & æternum duplici debuerat purpurâ ſplendeſcere. Non tamen ita in intimioribus Aulæ receſſibus delitnêre inſignia pietatis exempla, quin extra Regiam ſe prodierint. Mos eſt laudatiſſimus Monachij quot annis rigente adhuc bruma per quadraginta horarum interval-la in templo Divo Petro nuncupato publicis precibus Numinis divinitatem ſub ſpeciebus venerari Euchariſticis: illuc Princeps Deo plenus mediam ſub noctem neglectâ amictûs 95
penulâ, obviam occurrentibus pene ignotus, ſe nudis ſubinde pedibus contulit, ſéque conſtiparis immiſcens populorum frequentijs nudum ſupra lapidem in genua provolutus in Deum animi collectione adeo abripiebatur, ut ad horas integras effuſas colliqueſcens in lacrymas Divinas preces protraheret. Deo apprimè agglutinatus Princeps ab ejus difficillimè ſejungebatur colloquijs. Nemo eſt, qui ignoret, quàm ſanctè integram vitæ periodum obierit, ac probitatis coluerit inſtitutum; quis exactiùs Eccleſiæ ritus omnes in Divinis peragendis juſſit ſervari? quis ſolemniùs ſingulis diebus feſtis divina curavit perſolvi officia ad elegantiſſimos muſices concentus? quis frequentius ſacris interſuit; Quis concionibus audiendis magis aſſiduus? Quis blandiùs Aulicos hilaritate allexit, modeſtiâ compoſuit, ac ſuaviùs ad virtutum accerſivit magiſteria? quis indicta ab Eccleſia fidelibus jejunia cuſtodivit exactiùs: ita ad libellam exiguum ſumebat obſonium, ut ſignatum jam dentibus ipſa gratiſſimum pomum reſpuerit, ne ſuprà tenuiſſimam præſcriptam frugalitatem quidquam deglutiret: in pervigilijs Virginis Matris adeò ſeveriorem ſibi victum definierat, ut nimia ciborum parſimonia vires attereret, corpus emaciaret.

Sed ne hactenus recenſita duntaxat vi- 96
deantur fuiſſe pientiſſimi Principis laudes: ad alia digrediar, quæ probatiſſimum Imperantis regimen emerito gloriæ coronant incremento. Maximum optimi Principis eſt munus, ſubditorum commoda promovere, populorum bona tueri: id fuit apprimè aſſequutus ſervatâ quiete, cuſtoditâ pace ferreis hiſce poſtremis temporibus, quibus vniverſa propemodum Europa armorum undique quaſſata motibus, furentium militum dilacerata cladibus, effuſóque madida ſanguine, fractis oculis fracta Principum fœdera ingemiſcebat. Ubique locorum clangentes tubæ, pulſata tympana animis militiæ addictis Sacramento pugnarum impreſſerant incitamenta: ubique homo homini inſidiabatur, ubique cataphractus miles digladiabatur: ubique clades, ubique cædes: & quæ cœlo aſſurgebant operoſiſſimæ ædificiorum molitiones inter minuti pulveris quiſquilias difflagrârunt: quæ arvorum amœna ridebant, vel teſſelata floribus, vel flaveſcebant fœnerata ſegete, vel diteſcebant referta fructibus militum incurſionibus detrita in luctu jacuerunt, ac ſqualore. Unica duntaxat è tot Germaniæ Ditionibus gaviſa eſt Bavaria ſine armorum tumultu quieviſſe: ſine exteri militis appulſu propria bona cuſtodiviſſe: ſine pugnantium cladibus vernante pacis olea floruiſſe. Bacchabantur per Imperij Circulos armorum procellæ, quæ ſanguineas

ſolutæ in pluvias, non niſi neces ac ſtrages dederunt. Lætabatur Bavaria ſereni cœli lumine ſibi arridente. Germinârunt cætera ſaucijs ſata cadaveribus arva lethales ſylvas Cupreſſinas.

66 Fovit Bavaria cœli perfuſa rore pinguem gignendis fructibus ubertatem. Languebant gravi preſſa armorum pondere validiora Imperij Regimina. Vigebat Bavaria omnigeni fructûs locupletata meſſibus. Sterileſcebant feraciores concipiendis ſeminibus agri diſcurrentis militis attritu. Veſtiebatur ditiori ſemper ſegete Bavaria novo aucta felicitatis fœnore. Quis tot inter Europæ procellas Bojarico cœlo hanc invexit ſerenitatem? quis æſtuantibus ubique armorum motibus quietem hanc, inconcuſſum veluti ſcopulum incolumem ſervavit? FERDINANDUS MARIA *Princeps Pacificus*. Hic eſt, qui diſſidiorum Chimæram Bellerephonte ſagacior confodit, jugulavit. Hic eſt, qui ſeptenni non pepercit labori, ut exulem pacem Imperio reſtitueret: unum Herculem celebrat Gallia in Bivio Prudentem: unum Ulyſſem prædicat Græcia aures Sirenum cantionibus obturantem: unum impoſterum recenſeat Europa ætate ſanguineis bellis fœda FERDINANDUM MARIAM *Principem Pacificum*. Non tamen fuiſſet ſatis Maximò Principi ſervatæ quietis beneficio populos beâſſe; niſi munificentiſſima manu profuſas indigentibus opes etiam ſuppeditâſſet; niſi omnibus ſtuduiſſet ſibi addictis prodeſſe populis, niſi totum impendiſſet opus, ut miſeriarum cumulo preſſis foret levamini: nullum permiſit diem excurrere, quin ſuis eſſet beneficijs plenus: nullum ſivit amiſſis ex infortunio, vel ignis vorantis, vel grandinis decutientis bonis illacrymari, quin elargitione ſubſidij exhilararet: nimirum noverat Principis manum ſplendidiùs donativo, quàm ſceptro irradiare.

Loquantur Principis Munificentiam la-
97 bentes familiæ, quas aureo ſcipione fulcivit, reparavit; egentes viduæ, quorum lacrymas auri, argentive nitoribus exſiccavit: inopes ſeminudi, quos aureo vellere conveſtivit: laborantes inſanabili ægritudine, quibus omnia ad vitam neceſſaria abundè ſuppeditavit. Recenſeant Principis Munificentiam Xenodochia, quæ prædiviti cenſu locupletavit: ſacræ ædes, vel vetuſtate collapſæ, vel incendijs cinefactæ, quas ad nobiliorem ſpeciem: ac ornatum inſtauravit: perampla Cœnobia, quæ à fundamentis erexit, ac muneribus cumulavit, ut exulantem ab orbe pietatem, veluti poſtliminio revocaret. Præ cæteris enarret prolixam Principis Munificentiam laxum vaſtè templum ambobus Cœlitibus Cajetano, & Adelaidi ſacrum, quod ſine auri parſimonia à primo lapide eâ voluit erigi amplitudine, eâ conſtrui elegantia, eo abſolvi ornatu, ut vix aliud per totam poſſit Germaniam ſignari, quod illi ornatu coæquetur. Edicat Principis Munificentiam perampla Clericis Regularibus conſtructa domus, quam profuſis pecunijs fovit, innumeris cumulavit beneficijs.

98 Refert Tullius multum contuliſſe authoritatis, & gratiæ inter cives C. Octavio, quòd domum ædificâſſet magnificam: at longè majus laudum, ac gloriæ incrementum nunc rependent Superi FERDINANDO MARIÆ ob ampliſſimam, ac elegantiſſimam ipſis conſtructam domum. *Munificentia*, ut Clemens Alexandrinus loquitur, *eſt expreſſa Dei viventis imago*. Voluit hanc exercere Princeps ad Dei ſpecimen per exercitia pietatis apprimè inſtructus. Mos fuit probatiſſimus extruendorum trophæorum, ſeu arcuum à triumphis noncupatorum ea magnificentia ob marmoreas ſimulacrorum ſylvas, minutioréſve cælaturas geſta referentes Romanorum Cæſarum, ut quæ hiſce temporibus tantæ ſtructuræ ſuperſunt fruſta videantur non urbi ſolùm, ſed Orbi ipſi eſſe poſſe ornamento. Monumentum ad omnem abſolutum elegantiam non deeſt FERDINANDO MARIÆ, & eò Romanis ſplendidius, quò Cœlitom cultui erectum munificentiſſimi Principis æternam referet pietatem.

99 Quid decentius, quàm cum Deo magnificè agere? Scio, Pompejum omnes ſui ævi homines in hoc laudis genere ſuperâſſe ſtructâ Porticu elegantiſſimâ, ac Theatro ad omnem abſoluto nitorem. Scio, Augoſtum Cæſarem, vel condendis, vel inſtaorandis Templis, vel exornanda urbe omni genere magnificentiæ adeo excelluiſſe, ut gloriatus fuerit Urbem, quam Lateritiam acceperat relicturum marmoream. Scio, Severum Auguſtum omnes ædes publicas, quæ temporum vitio labefactæ ruebant reparâſſe. Adrianum novis ſemper ædificijs conſtituendis occupatum. Probum Imperatorem ubique locorum pontes, templa, porticus Regias innumeris auri, argentive ſumptibus erexiſſe, multorúmve fluminum oſtia patefeciſſe, ac paludes exſiccâſſe. Auguſtum Apollinis Fanum ad omnem abſolviſſe elegantiam, & forum, cum æde Martis ultoris; ædémque tonantis Jovis in Capitolio ſingulari conſtruxiſſe munificentia. Fateor maxima hæc Romanæ gloriæ monumenta: verùm majora maximis, ſi dixero, quæ FERDINANDUS MARIA Cœlitibus erexit; fidem adſtruent ſuſceptæ laudis incrementa: alla ſiquidem exempla fuêre vanitatis; hæc monumenta pietatis.

100 Et ne videar prolixitatem è Principis edidiciſſe magnificentia; omitto propugnacula, expugnatu difficillima; repagula validiſſima ad exteri militis coërcendos impetus; Mœnia ad retundendos quoſque hoſtium conatus aptiſſima; Arces, aggeres, munimina; quæ Brunduni ad Oeni Margines excitavit, Omitto Oettingana Palatia in Provinciæ ſpeciem conſtructa; Niphimburgica ædificia, quà picturis, quà marmoreis cruſtis inſignia: ejúſque aggrediar Prudentiam, quæ in componendis diſſidentium Principum animis; promovendis publicæ quietis commodis maximè

enituit. Non me latet, Homerum virum prudentiâ pollentem, ac limato judicio; ut excellentiſſimi Principis ſpecimen proponeret, aſſignâſſe illi Conſiliarios maturitate graves, prudentiâ inſignes, & in rebus agendis apprimè peritos: neque exiſtimâſſe perfecta Principis dignitate potiri Regem ſuum Agamemnonem, niſi Neſtorem acciviſſet, cujus uti poſſet conſilio: parum ajebat prodeſſe Principi vel animoſum Achillem, vel Clypeatum Ajacem, vel egregium jaculatorem Teucrum, vel ſtrenuum Diomedem, niſi viros adhibeat conſilio claros, ac in rebus deliberandis prudentes: idque aſſequutus Antoninus Imperator apud Julium Capitolinum, *Æquius eſt*, inquit, *ut ego tot amicorum conſilia ſequar, quàm ut tot meam unus voluntatem ſequantur.* Lactea huc debuiſſet longævi Neſtoris eloquentia vocari, quæ FERDINANDI MARIÆ commendaret prudentiam: conſiliarios tot inter diſſidenris Europæ diſcrimina adhibuit, ſed conſilio inſignes, ſapientiâ ſingulares, prudentiâ laudatiſſimos, qui privato quovis exuti affectu bona Principis, ac ſubditorum commoda unicè ſervatâ quiete; cuſtoditâ pace promoverunt. *Bonum pacis* ait D. Auguſtinus, *tale eſt, ut in rebus creatis nil glorioſiùs ſoleat audiri, nil delectabilius concupiſci, nil utilius poſſideri.* Sinite à me hîc uſurpari, quod de Trajano occinuit Encomiaſtes Plinius, ut veriùs de FERDINANDO MARIA dicam. *O ſumma Principis prudentia, quæ armorum procellas ſedavit, excitata jurgia extinxit, æmulas reconciliavit civitates, publicam ſervavit quietem.*

101 Non tamen hactenus recenſita prægrandis animi ornamenta adeò me detinuêre, ut debuerim cæteras, quas excoluit virtutes omninò reticere. Sum̄a Principis laus eſt inconcuſſam animi firmitatem, pectúſque adamantinū utrique objicere fortunæ adverſanti, adblandienti; & eadem oris æquabilitate ſe occurrentibus exhibere humanarum rerum viciſſitudinibus, ut non fortuna animo, ſed animus fortunæ dominetur: arridentem ſtrifit fortunam, cùm oblata ſuffragia, quibus renuntiaretur tum Polonorum Rex, tum Romanorum Imperator invicta reſpuit conſtantia: verè imperio major, quia contempſit: nimirum Servatoris Chriſti innixus veſtigijs, nunquam conquerebatur acriùs, quàm cùm ad honores quærebatur. Adverſæ tela fortunæ contudit, cum obverſantia quæque eâ animi complexus eſt hilaritate, ac ſi oblata à Numine munera ei obrigiſſent. Flagrabat debacchante incendio Regia, flammas quaquaverſus evomebat è feneſtris: ignem conceperant Periſtromata ſeu picta ad ſingularem elegantiam, auro argentóve nitidiſſima. Abſumebat ignis rerum imagines, tum ad ſummum Pictoriæ ingenium delineatas, tum ſculptas ad ultimas Anaglyptices metas: exardebant laquearia; ſerpebat per omnem fusè, latéque ſupellectilem flamma; ſerica, aurea, monilia, gemmæ, annuli unà cedebant in pretioſum vorantis incendij pabulum: jam ſaxa, jam parietes diſſoluta compage dehiſcebant, ſemjuſta ruebant tabulata; liqueſcebant vaſa aurea, ac argentea, ubique fumus, ubique fletus, ubique pernicies. Properavit, cucurrit, acceſſit ad ſæva incendia FERDINANDUS MARIA, non ut actus in bilim excandeſceret: ſed ut oris ſuavitate, frontis hilaritate plorantium lacrymas exſiccaret; mœrentium caligines fugaret. Pluries tonavit Fortuna, procellas excitavit, ſed infra verticem Sereniſſimi Principis. Non illos imitabatur imperantes, qui Neroniana torvitate oculos defigunt in ſubditos, quos configant; qui tetrico vultu deterrere gaudent ſibi ipſis formidoloſi; qui principatum ſupercilio, ut Atlas Cœlum humeris effulcire ſe putant: ſed manſuetudini, ac benignitati adeò ſtuduit, ut neminem unquam pupugerit verbo, in neminem unquam torvum defixerit oculum: ipſas voco cohortes familiares, quæ amiſſum lugentes Principem teſtatæ ſunt, ſe nec unum unquam audiviſſe verbulum, quo poſſet quis conqueri.

Talem eſſe oportuit, quem non bella, non jurgia; ſed Pax, & quies terris dederunt. 102 Plauſibile ſemper fuit Principibus à rebus præclarè, vel actis, vel auctis, non tam communibus populorum ſuffragijs, quàm ingenioſo gloriæ genio illuſtre aliquod aſſumere cognomentum. Hinc Alexander Macedo à rerum magnitudine, *Magnus*: Scipio ab Africa ſubacta, *Africanus*, Octavianus Cæſar à reſtaurato Imperio poſt bella civilia, *Auguſtus*: Sylla à proſpero bellorum eventu, *Felix*: Bajazetes à ſubitario præliandi furore, *Procella*, Phocion Athenienſis à frugalitate & utilitate, *Chreſtus*: Trajanus à recto Imperij regimine, *Optimus*: Q. Metellus, quia Patrem precibus, ac lacrymis ab exilio revocaverit, *gratus*: Antoninus Imperator, quòd initio ſui Principatus ijs indulſerit, quos Adrianus capite damnaverat, *Pius*: Cleomenes ab inſigni beneficentia, *Benefactor*; Ludovicus Primus Caroli Magni Filius à clementia morum, *Piiſſimus*: Philippus Valeſius ob inſignem erga ſacerdotes pietatem, *Catholicus*, Prodijt in medium etiam FERDINANDUS MARIA, & ideo poſtremus, ut omnes omnium virtutes colligeret: ſuo itidem commenderut inſignitus cognomento; & à pietate, quam excoluit in Cœlites, exercuit in Proximos non aliter vocetur impoſterum, quàm *Dux Piiſſimus*: ab æquitate in rebus agendis *Elector Æquiſſimus*: à pace ſibi, & ſuis ſervata, Imperio procurata, *Princeps Pacificus*. 103

At quorſum ego tot laudes congeſſi? forſan ut conceptus animo dolor vulnerum veluti refricatione magis recrudeſceret? Nequaquàm: ſed potiùs ut abſtergerem ab oculis veſtris lacrymas: non plangenda eſt mors illa, quam vita bona præceſſit. Non vobis ereptum, ſed in cœlum translatum credite: qui cœlo ſemper vixerat, Principatum mutare potuit, non perdere. Non auſa eſt mors præmiſſis, uti ſolet, nuntijs FERDINANDUM MARIAM invadere, ſed fraudulenta vafritie.

tie, **Clandeſtinis** inſidijs, non falce, ſed telo cor illius momentò terebravit. Nimirum ſedatis armorum procellis debuerat ſtatim *Iris Pacifica* cœlo affulgere. Dicebam.

Oeconomia orationum officioſarum.

104 Ad genus orationis epidicticæ pertinent etiam orationes, quæ ab officijs humanitatis vocantur officioſæ, & haberi ſoleot in ſolemnioribus anni feſtis, cum amicia, vel viris illuſtribus apprecamut felicitatem, ut ſunt etiam orationes gratulatoriæ, quibus alijs gratulamur ob collata ipſis officia, vel ob dignitates, ad quas fuerunt promoti, vel ob honores, quibus inſigniuntur. Aliæ etiam dicuntur gratiarum actoriæ, quibus benefactoribus ſolemus gratias rependere ob præſtita nobis beneficia, vel collata officia. Aliæ ſunt ſalutatoriæ, quibus vel Principes, viróſque illuſtres in Patriam reduces, vel ad nos accedentes perhumaniter ſalutamus. Aliæ ſunt valedictoriæ, quibus amicis, hoſpitibus, virisque illuſtribus abeuntibus precamur ſalutem. Materia harum orationum deſumitur ab adjunctis & circumſtantijs; exordium pauca complectitur verba, ſed ſelecta. Narratio itidem, quæ ne faſtidium pariat, brevitati debet ſtudere, tota à circumſtantijs, adjunctis præſertim perſonæ, loci, temporis, & alijs deſumitur, hæ ſiquidem uberem ſuppeditant eloquendi ſegetem.

105 Si Orator in feſto Natalis Redemptoris velit amico, vel alteri gratulari, vel etiam felicitatem apprecari, materia hujus gratulationis habetur à communi totius Orbis Chriſtiani lætitia, cuj addenda eſt ſpecialis aliqua ratio deducta, vel à perſona, cuj gratulatur, vel ab ipſo Verbo, quod humanitatem aſſumpſit, & ab hoc adjuncto poſſet ita perorare. Quamvis ſilentio ſit æternus Pater religioſè addictus, cùm ſemel tantùm in tota æternitate locutus fuerit; ejus tamen Verbum, quia facundum, & adeo arctè humanitati, quam ſemel aſſumpſit, adhæret, ut ab ipſa ſejungi ampliùs nolit; me adigit ad officia humanitatis præſtanda, ſeu ad verbum proferendum, tibique adgratulandum Infantis JESU Natalia, quæ ſicut jubilo totum repleverunt Orbem, ita enixim eundem rogo, velit cor tuum perfecta opplere lætitiâ, ac omnia præcordia exhilatare, cœleſtibus cumulare benedictionibus. Poſſet etiam Orator perpeodere ſinguls, quæ obtigerunt nocte natalitia, & infanti JESU inſervierunt, ut faſciæ, ſtramen, caula, animalia, paſtores, Angeli occinentes gloriam in excelſis, & Pacem hominibus bonæ voluntatis: ſunt hæ circumſtantiæ, quæ uberem ſuppeditant eloquendi ſupellectilem. Ut ſi faſciæ Verbi mentem mihi devinciunt, linguam tamen laxant, ut tibi communem adgratuler lætitiam. Neque faſciæ, quæ in præſepio immenſum coarctant, ac illigant, ullas mihi anguſtias inijciunt: quin potiùs fandi facultatem dilatant, novúmque in terris deſcribunt Zodiacum, qui in cœlis faſcia deſcribitur: & ex hac faſcia, ſi omen ſumam, nonniſi felicitatem poſſum tibi auſpicari.

106 A lacrymis vagientis infantis poſſet Orator dicere. Lacrymæ plorantis Verbi verba mihi ſuggerunt gratulandi tibi commune gaudium: ſiquidem plorantis lacrymæ infantis ſemina ſunt, quæ in terram delapſa in uberem germinant communis lætitiæ ſegetem. Quòd ſi infantis lacrymas gemmas, vel margarita dixerim, non in ſinu conchilij genita, ſed in oculis infantis JESU progenita, nonniſi gemmeos poſſunt tibi dies polliceri: neque bina infantis ſydera oculorum poſſunt aliud influere, quàm felicitatem, neque ab iiſdem poteſt quidquam fluere, quod non concreſcat in gemmas.

Si à pueritia Infantis velit ſe Orator excuſare, dicat. Non poſſum hodie non balbutire cum infante JESU, nec quicquam à me ſpetandum eſt maturum, & adultum, cum Pueri Jeſu infantia, nil maturi mihi ſuppeditet: imò puderet me maturitatis, cùm ipſe Puer ſit. Neque elocutionis flores à me ſperes cùm nonniſi aridas paleas nato Salvatori caula ſuppeditaverit. Non tamen ſterilis ero quia licèt præſepe pabulum brutis exhibeat, Oratoribus tamen facundiam ſuppeditat, cum Verbum ipſum ibi non deſit.

Symbolicè poſſet Chriſti Natalia repræſentare Orator per Alcyonem avem addito lemmate: *Cœlo concepta Sereno.* Hæc enim ales tunc hyeme ad maris littua nidum conſtruit, & pullos gignit, cùm maris diuturnam præſentit malaciam, & nulla imminet procella, tunc Alcyon naſcitur marinis fluctibus quieſcentibus: & Cæſar Auguſtus Orbem totum pacaverat, cum in terris naſcitur Princeps pacis.

107 Quòd ſi Poëtæ Palladis, & Saturni natalis commendant, eò quia nata Pallade ex Jovis cerebro, imber aureus de cœlo in terras ceciderit; & nato Saturno ætas aurea fluxerit; ſomnia hæc fuerunt Poëtarum; veriùs dixerim orta Bethleemitico in præſepio æterna Sapientia imber aureus cœleſtium gratiarum terram irrigavit, ſimúlque locupletavit, cum auream cœleſtium benedictionum ætatem acceſſiverit. Scio Titum Imperatorem vocari voluiſſe amorem, & delicias humani generis; ſed hic titulus non alteri debetur, quàm nato in terris Deo, cujus lacrymulæ noſtrum fovent amorem, noſtram irrigant cordis tellurem, quæ nonniſi flores virtutum, ac Cœlitibus delicias erit datura. Unde infantiles Dei lachrymæ cum nobis æterna diſtillent gaudia, noſtrúmque irrigent amorem, nonniſi lætitiæ ſuggerunt argumenta, eſt enim fletus iſte lætitiæ claſſicum, non mœroris; neque alia uberior tenerrimo amori debebatur pluvia, quàm lacrymarum, ut in torida nube vividiùs iridem pingeret, & arcum fœderis, ac pacis pulchriùs Orbi exhiberet.

A circumſtantia temporis. Non tanta eſt vis hyemis, ut quamvis labentes ſiſta rivulos, frœnóque gelu coerceat, prohibeátque à curſu; non tamen eloquentiæ flumina po-

poris eſt retardare: imò eò uberiùs fluunt in animis gratulantium, quò lurida hyems rigeſſit aſperior: ubi enim Verbum etiam in paſtoritia caula non deeſt, nec eloquentiæ flumina deficiunt, nec ſiccantur.

Oeconomia orationis apprecatoriæ.

108 Solent hujusmodi gratulationes, & apprecationes adhiberi initio anni novi. A circumſtantia temporis poſſet Orator procedere. Si nox anteacta illunis fuit, non mirum, quia parentatura Superiori anno, nonniſi atrata debuit terras funeſtare, totque accendere in cœlis funalia, quot coruſcârunt ſydera, quæ ſi non cereos imbres, lacrymas tamen effuderunt roſcidas: ſed dum annus moritur, alter oritur: ſicque tempora proprias teſtaurant ruinas, ut tuam conſtruant felicitatem, quam tibi apprecor, non ad annum Arcadum, qui tantùm trimeſtris erat; ſed vel Metonis, qui annos noſtrates novendecim comprehendebat, vel ad annum Saturni, qui noſtros continet annos quadringentos, vel ad annum mundanum Platonis, qui coaleſcit ex quindecim millibus annorum, quo tempore octava ſphœra circumvolvitur: imò non ad hos duntaxat annos tibi felicitatem apprecor, verùm ad totam æternitatem.

Orator eruditiones ad annum pertinentes ſolet etiam coacervare, ut quòd menſes decurrentis anni ab Ethnicis fuerint Numinibus dicati, ut Januarius ſacer fuit Junoni, Februarius Neptuno, Minervæ Martius, Aprilis Veneri, Majus Apollini, Junius Mercurio, Julius Jovi, Auguſtus Cæſari, Vulcano September, Baccho October, Marti November, & December Dianæ. A menſe Januario poſſet Orator alludere ad templum Jani, cujus fores Romæ tempore pacis claudebantur, & indicto bello aperiebantur. A clauſis igitur vel recluſis Jani foribus in ſignum pacis, vel belli diceret Orator, quamvis ubique terrarum floreant oleæ, & pax ubique vigeat, Januarius tamen Jani fores recluſit, bellúmque mihi indixit, non tamen ut odium foverem exitiale in hoſtes, ſed ut amore arderem in puerum JESUM ante octiduum in terris natum; habet amor ſua bella, nec ipſi tela deſunt, quæ ſi vulnera infligunt, mortem non inferunt, ſed vitam adferunt.

Poteſt etiam Otator alludere ad priſcum ritum Kalendis Januarij uſitatum Romæ, ubi initio anni Veſtales novum conſueverant ignem excitare, quo inde novæ lucis fauſta præſagia ſumerentur. Moris etiam fuit, ut Magiſtratus innovaretur, & ædes laureis ornarentur, hinc erat illa acclamatio: *Purpura te felix, te colat omnis honor.* Et etiam illa alia: *Auſpicio felix totus hic annus eat.* Quòd ſi orator vellet alludere ad Circumciſionem Infantis JESU poſſet auſpicari felicitatem, ex eo, quòd infantis Verbi aurora proprio purpuraſcens cruore ſpondeat annum totum luci ac ſerenitati conſanguineum, & ex rubente Oceano anni fortuna videatur emergere.

109 Si gratulatio eſſet inſtituenda in die Epiphaniæ poſſet Orator alludere ad ſtellam, quæ tunc Magos perduxit ad præſepium; quæ ſtella aſſumpta fuit in Gallijs, ut inſigne Ordinis equeſtris additis verbis: *Monſtrant Regibus aſtra viam.* Vel ſicut ſtella præambula ſignavit Regibus iter ad infantem JESUM, cui munera attulerunt; nobis præſignat, docétque viam accedendi ad Deum, non vacuos, ſed cum muneribus, ut eidem aurum offeramus veri, ac ſinceri amoris; thus non interruptæ orationis; & Myrrham amaræ mortificationis, ut non è Sabæa tantùm vectigal DEO pandatur, ſed locupletiùs è noſtro corde.

110 Si gratulatio inſtituenda ſit die Paſchatis; quia eſt dies lætitiæ, & totius jucunditatis, quam fecit Deus, ut exultemus, & lætemur in ea; materia hujus gratulationis deſumenda eſt à circumſtantia hujus temporis, & à communi lætitia gaudentis Orbis Chriſtiani; & oſtendenda eſt verbis plenis lætitiâ noſtræ voluntatis propenſio in eum, cuj gratulamur; & eidem etiam apprecamur augmenta fortunæ, & lætitiæ. Uberem fandi materiem ſuppeditant circumſtantiæ, ut lux Cœleſtium geniorum, acceſſus Mariæ Magdalenæ ad ſepulchrum, lapis revolutus; ſepulchrum ipſum patens, ne ampliùs mortis eſſet receptaculum, ſed vitæ cunabula. Fragrantia aromata, terræ motus. Huc etiam ſpectant eruditiones alludentes ad vernam temperiem, ad flores.

111 Solet etiam Oratio officioſa conſtrui die feſto alicujus Cœlitis, cujus nomine inſignitur, cui gratulamur. Materia hujus orationis petitur ab Etymo ejuſdem nominis: ſuppeditant etiam nomina omina felicitatis, & acumina, quibus amico, vel viris illuſtribus adgratulemur. A nomine Maximiliani Orator diceret; gratulor tibi, quia vir ſis tui nominis; capacitatem, quam nomine præfers, virtutibus imples, ſi eaſdem colueris, ut hactenus præſtitiſti, totam eris tui nominis impleturus menſuram.

112 Si Oiator adgratuletur alicuj, cuj nomen ſit Alexander, poſſet ad Alexandrum Macedonem alludere. Scio audito Alexandri nomine olim Orientales Provincias omnes contremuiſſe, ſed nunc Alexandri nomen, cùm incepit te inſignire, nos omnes replet lætitiâ, quòd ſi Alexandri nomen, quod expavit Oriens, coluit Macedonia; tuum omnes amici lætantes reverentur: quidquid enim venerationis tibi impendimus, æquè tuo nomini, ac meritis tribuitur, quia paris tanto nomini magna non excludis animi ornamenta. Solent etiam nomina anagrammaticè verti, ut inde Oratori uberior laudum ſeges ſuppeditetur, in quo tamen plus impenditur laboris, quàm ingenij: ut ex hoc nomine *Maria Magdalena* eruitur anagramma: *granda mala mea.* Ex nomine Albertus, *Ter albus*: ex nomine Paulus Apoſtolus: *Tu populos ſalvas.*

Oeconomia orationis gratulatoriæ.

113 Oratio gratulatoria ſit, cum alicuj gratulamur ob dignitatem, ad quam fuit promotus,

eique

eique apprecantur felicitatem: Orator materiam laudis deſumit à meritis perſonæ tali inſignitæ dignitate, ex ſpe boni publici, laude familiæ. Argumenta hujus orationis indicia debent exhibere lætitiæ, ut Orator ex animo videatur gaudere ob collatam alteri dignitatem, quem poteſt comparare cum alijs, qui cum laude fuerunt eadem inſigniti, imò etiam ijſdem præferre. Suggerunt etiam materiam laudis inſignia, ſeu inſtrumenta dignitatis, ut in Epiſcopo ſunt annulus, ſcipio Pontificius, mitra; ab annulo poſſet Orator dicere. Congruum erat, ut auro coronaretur manus, quam ſacer liquor perunxerat. Circulus hic aureus æternam tibi portendit felicitatem, ſi ritè tuum eris munus obiturus. A Pontificio Scipione diceret. Tuum extimeſcent lupi baculum, quo gregem tueris, quem intueris: imò eidem innixus populus tutiùs ſtabit. Olim paſtoritius baculus loco ſceptri habebatur, & Cyro Regi notior fuit priùs ad caulam, quàm ad aulam. Ad hanc orationem pertinent etiam ſententiæ, ſymbola, & eruditiones: notavit Boetius; non virtutibus ex dignitate, ſed ex virtutibus dignitati honorem accedere, & Tacitus ait: Honorem, & gloriam pediſſequam eſſe virtutis. Et D. Ambroſius pulchrè ait: *Ne ſit nomen inane, & crimen immane, honor ſublimis, & vita declivis.* Prout occaſio dederit poteſt etiam Orator eos recenſere, qui ex humili fortuna ad ſublimiores fuerunt honores evecti, ut probet natalium tenebras non obſtare, quò minùs quis virtutibus inſignitus ſplendore dignitatis illuceſcat: Agathocles è Figulo Rex fuit ſalutatus. Præmislaus ex Opilione ad regium Poloniæ thronum conſcendit, & cùm priùs didiciſſet greges ducere, populos regere edoctus, plurimum promeruit laudis. Quinctius Dictator ab aratro aſſumptus fuit. Fullij Hoſtilij natalia agreſtia ſuſceperunt mapalia, & Servius Tullus è Servo Herus factus Imperium obtinuit. Varro ex taberna macellaria ad conſulatum aſcendit. Cæterum ſi velit ſymbolicè Orator vanitatem humanæ dignitatis exprimere, poſſet fumum deſcribere addito lemmate: *Quò altior, eò vanior*: quia cùm fumus alta petit, evaneſcit. Expreſſurus verò virum corpore exiguum, & ad dignitatem promotum apem deſcriberet in ſuo mellificio cum epigraphe: *Non mole, ſed virtute.* Repræſentaturus Præſulem plurimum ſubeuntem laboris in regimine ſui populi accenſam facem exhiberet, quam nocte famulus præfert præſignantem Hero, & alijs iter, cuj adderet Lemma: *Alijs ſerviendo conſumor.* Eruditiones petuntur ex hiſtorijs. Bajazetes Turcarum Imperator exprobravit Tamerlani natalem paſtoritium: ſed ab eodem reſponſum accepit: *Neſcis ex lana etiam ovium, purpuras Regum fieri?* fertur etiam loco monilis fulmen geſtâſſe additis verbis: *In terra vapor. in nube terror.*

Oeconomia orationis ſalutatoriæ.

114 Orationes ſalutatoriæ ſunt & ipſæ officioſæ, quibus noſtra obſequia alijs exhibemus, propterea hoc genus orationis non modicum geſtientis animi exhibet indicium, adeo ut ex oculis dulce ſpectaculum conijciatur: quia ſicut ad ſolis matutinum acceſſum poſt nocturna umbrarum divortia canoræ aviculæ plaudunt, ſuóque cantu internam produnt lætitiam ob ſolis acceſſum, ita Orator ad acceſſum Principis, vel hoſpitis, aut viri illuſtris debet verbis, nutibus, oculis, & toto corpore gaudium prodere ſuum. Quo pacto Plinius Trajanum ſalutat, inquiens: *Tam æqualis ab omnibus ex adventu tuo lætitia percepta eſt, quàm omnibus veniſti: quæ tamen ipſa cum ingreſſu tuo crevit, ac prope in ſingulos gradus adaucta eſt. Matres voluptas ſubijt, cùm cernerent, cuj Principi cives, cuj Imperatori milites earum viſcera effudiſſent. Teſtis ipſa eſt, quæ in ore omnium lætitia fuit: inde reſultantia vocibus tecta, nihilque tantis clamoribus ſatis clauſum: quis tunc non è veſtigio exilijt? Nam gaudio quoque ſua cogendi vis ineſt.* Materia igitur ſalutationis laus eſt exaggerata illius, quem ſalutamus, taliter, ut vel ipſæ res inanimatæ videantur ſentire impreſſam ſibi voluptatem veſtigijs Principis, vel amici in Patriam reducis felicitatem publicam ſecum deferentis: Plinius iterum Trajanum laudat Romano ſuo in ingreſſu ex eo, quòd nequeat communem exprimere lætitiam, & opprimatur argumenti magnitudine, inquiens: *quàm deſideratus tuus in urbem ingreſſus? nam priores vehi, portarive ſolebant, non jam quadrijugo curru, & albentibus equis, ſed humeris hominum, quod arrogantius erat, veluti pedum uſum amiſiſſent: tu ſola corporis proceritate alijs excelſior de ſuperbia Principum, quendam triumphum egiſti retroactis temporibus inſuetum, quem explicare verba nequeunt.* Sin verò officioſa ſalutatio ſit privata ob receptionem alicujus illuſtris hoſpitis in domum alicujus privati, tunc laudari ſolet hoſpes à nobilitate, ſtemmate, virtutibus, ut. Quamvis unus ad nos acceſſeris, tot tamen tecum ſydera attuliſti, quibus ſplendes, & quatum cultura reliquos tuæ conditionis excellis. Imò cùm è tua ſtirpe velut è luminum fonte citra Poëtarum fabulam tot emerſerint ſydera, quot ſplenduerint retroactis ſæculis Heroes, ædem hanc, quamvis humilem, cœlum efficis, tot coruſcum ſtellis, quot è tuo ſtemmate prodierint viri illuſtres.

Conſueviſſe priſcos Oratores hiſce ſalutationibus Principes, viróſque illuſtres laudibus excipere liquet ex celebri Athenienſium oratione ad Marcum Antonium, quæ tamen, cùm adulationem oleat, debitâ caſtigatur cenſurâ. Debent Oratores cavere, ne videantur aſſentatores, & ne in laudandis alijs mendaces deprehendantur, nec ea congerant, quæ perſonæ laudandæ non magis conveniunt quàm Pygmeo Coloſſi crepidæ. Tria in hiſce orationibus occurrunt obſervatu. Primò ut Orator gratuletur viro illuſtri adventum, exprimátque conceptam omnium lætitiam. Secundò ut cauſas hujus gratulationis, & lætitiæ indicet, ac deſumat à meritis conſalutati, cujus laudes paucis, ſed ſelectis verbis, & ſen-

tentijs perſtringat. Tertiò ut eidem dedicet animos, fortunas, ſpes, & opes omnium: quo pacto ejus benevolentiam ſibi conciliat.

115 Oratio valedictoria inſtituitur, cùm vir illuſtris, vel è noſtra abſcedit domo, vel è patria, in alienas abiturus regiones. Tunc Orator ſolet diſcedenti ſalutem apprecari, ac valedicere; ſolétque teſtari dolorem, eò quia ejus debeat perſona privari, cujus præſentia ſicut tetam domum exhilaravit, ita abſceſſus mœrore replebit; interim apprecatur felix iter, & ut quàm primùm incolumis revertatur. Sin verò ſit inferior, qui valedicit, gratias peragit pro exhibitis hoſpitalitatis argumentis. Moris olim fuit, ut à Poëtis peregré abituro carmen ſcriberetur valedictorium, quod vocant Propempticon, vel Protrepticon id præſtitit Papinius Statius ſcribens Metio juveni Maria trajecturo,

Dî quibus audaces amor eſt ſervare carinas,
Sæváque ventoſi mulcere pericula ponti,
Sternite molle fretum:
Grande tuo, varúmque damus, Neptune, profundo.
Depoſitum: juvenis dubio committitur alto
Metius, atque animæ partem ſuper æquora noſtræ.
Majorem transferre parat: proferte benigna
Sydera ſols Zephyro ſit copia cæli,
Solus agat puppes.

116 Interdum Orator valedicens abituro eum æquiparat ſoli præſertim ſi ſit vir Princeps, qui ſicut cùm adfuit ſuo ſplendore ſingulos illuſtravit, ita cùm primùm abſuerit, triſtitiæ nox ſingulos erit occupatura. Poteſt tamen hinc ſperare brevi hujus ſolis regreſſum, ac temperare publicum mœrorem inquiens. In juſtam erumperet dolor querelam, niſi te itineris longinquitas non aliter noſtris obtutibus ſubduceret, ac ipſum planetarum principem præceps in noctem occaſus ſubtrahit, brevis lucis extinctæ damna ex ortu ſuo compenſaturus.

Oeconomia orationis Euchariſticæ.

117 Oratio Euchariſtica, ſeu pro gratiarum actione uſitata etiam ſemper fuit, eò quia in ſocietate humana nil frequentius, quàm gratiarum officia rependere pro ſuſceptis beneficijs. Hæc oratio præſertim inſtituitur per adjuncta, quæ uberrimam ſuppeditant amplificandi ſegetem. Expendit Orator quale ſit beneficium ſuſceptum, quàm amplum, & utile; deinde conſiderat perſonam, à qua fuit impertitum præſertim ſit ſit Rex, Princeps, Dux, vel vir aliquis ſpectabilis; ut etiam perſonam, cuj fuit beneficium conceſſum, an ſit una tantùm, vel multiplex, an nobilis, & illuſtris; vel abjecta, & humilis. Rurſus laudat beneficium à tempore, quo fuit impertitum; ſi citò ait: Amantiùs fuiſſe conceſſum: ſin verò tardè; conſideratiùs fuiſſe impertitum. Deinde perpendit modum, quò fuit beneficium collatum, ſi abſque ullo accipientis onere, ſi animo candido, & profuſo conferentis; quibus verbis expreſſit. Partes hujus orationis ſunt expoſitio, & exaggeratio beneficij, repromiſſio benevolentiæ, ſtudij, amoris, obſervantiæ. Auſonius diſſertè exorditur hoc pacto. *Ago tibi gratias Imperator Auguſte; ſi poſſem etiam referrem, ſed nec tua fortuna deſiderat remunerandi vicem, nec noſtra ſuggerit reſtituendi facultatem; privatorum iſta copia eſt inter ſe eſſe munifices: tua beneficia, ut Majeſtate præcellunt, ita mutuum non repoſcunt.* Beneficium ſuſceptum exaggeratur, ſi Orator oſtendat omnia bonorum genera in eodem contineri, ut fortunas, opes, amicitias, clientelas, honorem, dignitatem, & alia id genus. A perſona largientis etiam ducitur amplificatio, præſertim ſi ſit Rex, vel Princeps, qui dignatus fuit favore proſequi virum humilem; vel etiam ſi præclara geſſit; ab hiſce enim Auſonius Gratianum commendat, cuj gratias agit inquiens. *Aguntur gratiæ non propter Majeſtatis ambitum, nec ſine argumentis Imperatori fortiſſimo. Teſtis eſt uno Pacatus anno, & Danubij limes, & Rhenus. Liberaliſſimo. Oſtentat hoc dives exercitus. Indulgentiſſimo. Docet ſecuritas erroris humani. Conſultiſſimo. Probat hoc tali principe Oriens ordinatus.*

A titulo, quo fuit beneficium collatum Auſonius eundem Gratianum laudat ſubdens: *ſubjiciet aliquis: iſta quidem adeptus es, ſed effare, quo merito? quid me oneras ſciſcitator? Rationem felicitatis nemo reddit. Deus, & qui Deo proximus tacito munera diſpertit arbitrio: & beneficiorum ſuorum indignatus per homines ſtare judicium, mavult de ſubditis dediſſe miraculum.* A tempore pergit exaggerare Auſonius beneficium à Gratiano oblatum ſubdens. Tu Auguſte Venerabilis diſtrictus maximo bello aſſultantibus tot millibus barbarorum, quibus Danubij ora prætexitur, comitia conſulatus mei armatus exerces. Sicque ab alijs adjunctis pergit ſuſceptum ab Imperatore beneficium amplificare.

Oeconomia dedicatoriæ epiſtolæ.

118 Pertinent ad genus epidicticum etiam epiſtolæ, quas dedicatorias nuncupamus, & quibus ſcripta volumina alicuj Mecœnari dedicamus. Quia ætate hac ferrea non minus acuuntur gladij in Martis campo, & Bellonæ caſtris; quàm linguæ in Palladis Lycæis ad vulnera infligenda fœtibus ingenij, qui in lucem eduntur: fit quòd libri ferè ſemper in lucem prodeant ſub tutela alicujus Mecœnatis, cujus favore Catonianos quoſque dentes retundant. Plerumque eſt cenſura, quâ aliena denigrantur opera, livoris patris, & invidiæ matris turpiſſima filia: livor, & invidia ad carpendos aliorum fœtus unà copulantur: ubertas alterius ingenij, veluti fœcunditas Liæ, generat perſæpe in Momi alicujus ſterileſcente mente, perinde ac in Rachaële Liæ æmula, deformem fœtum invidiæ, à qua vix quiſpiam eſt immunis, quia ut notat D. Auguſtinus. *Invidet par pari, quia ei coæquatur; invidet inferior majori, quia ei non coæquatur: invidet ſuperior inferiori, ne ei coæquetur.* In hiſce orationibus dedicatorijs ſolet Orator tenuitatem muneris excuſare, & cauſas adferre, quæ ad dedicandum eum impulêre. Interdum etiam

tiam

tiam patrocinium quæritur, quo res oblata tutior in lucem prodeat.

119 Nonnunquam etiam ijs dedicatur opus, quorum, vel maximè illud intereſt, vel ad quos materia libri pertinet ſuo jure. Laudes perſonæ, cui opus dedicatur ſumuntur, vel à ſtemmate, vel à virtutibus excultis, ut præſtiti in oratione dedicatoria, qua meum tertium tomum Iuris Canonici dedicavi Clementi XI. Pontificum Maximo, cujus gentilitium ſtemma præſefert montes quibus ſydus imminet.

Idea Epiſtolæ dedicatoriæ.

120 VEnturus in Eccleſiæ ſinum liber iſte, nullo comptus excultæ eloquentiæ calamiſtro, nullóque Attico concinnatus lepore; par erat BEATISSIME PATER, ut, cum prælum recèns eluctatus, plures contraxerit fuligines, has excuſſurus, gentilitij Veſtri ſyderis perfunderetur nitore, depulſiſque umbris, ſi non proprio; ſaltem veſtro ſplenderet fulgore, quò caliginoſo ſerenitas, obſcuro claritas, & abjecto conciliaretur Majeſtas. Neque redarguendus, ſi imbecillus, omnique deſtitutus robore auſus ſit ad ſuum accedere Principem; eò enim ſtabit firmior, quò veſtri ſtemmatis innixus montibus nulli erit lapſui obnoxius. Eam ſiquidem Veſtri montes Petram exhibent, ſupra quam nunc ædificata Eccleſiæ Orthodoxæ ſtructura ſtat inconcuſſa; quamvis bellorum motibus tota propemodum quaſſata Europa ſus deque vertatur: & diſſidentia principum capita (quæ SANCTITAS VESTRA componere, & reconciliare ſatagit) exitialem excitaverint procellam, ſanguineis undis plures terrarum tractus obruentem. Quis non miretur in hiſce bellicæ tempeſtatis Scyllæis voraginibus, charybdiſque vorticibus nullum Eccleſiæ navim ſubire diſcrimen, neque fluctuare, & ſupra hominum procellas aliena mala compatiendo videre, & ſublevando minuere? in veſtros ſiquidem montes ſi non maris, Martis procelloſiores fluctus impingentes detumeſcunt, & veluti colliſi miteſcunt, ſpumæ candore malaciam ſpondentes, qui naufragium videbantur minitari, quaſi CLEMENTIÆ VESTRÆ pedes exoſculati, ac reveriti depoſito tumore retrocedant obſequentes. Quod neceſſe eſt Numinis demus providentiæ, cuj, cum rerum humanarum eventus in circulo innoteſcant æternitatis, ne Eccleſiæ ſuæ militantis Cymba ab hiſce bellorum motibus, ac procellis quidquam pateretur detrimenti, Veſtram placuit peritiam ſeligere, quæ admota manu ad Navis clavum eam regeret, tempeſtates eluderet, & ad optatæ pacis portum dirigeret: ad quod gentilitij Veſtri Syderis deſiderabatur Cynoſura, quæ per fluxa rubri, ſanguineique hujus freti itinera, quà ſit eundum præſignaret, & pericula præcavenda oſtenderet, ne Petri navis toto fluctuante Chriſtiano orbe in ſcopulos, ſyrtéſque illiſa periclitaretur. Quid? quòd auſus ſim has meas lugubrationes ſine eloquentiæ venuſtatibus incompras, ſine elegantiarum delicijs ſqualidas, ſine facundiæ ornamentis neglectas, ſine Rhetorum viretis languidas, Veſtræ ſiſtere Sanctitati, veſtrúmque ijſdem prætexere nomen? An redarguar temeritatis? ſed veſtræ leges ab hac me nota vindicant: has ex Tertio decretalium deprompſi, congeſſique in hoc libro; cúmque dimanaverint à Pontifice, æquum erat ad Pontificem reverterentur; unde exeunt flumina innato pondere refluunt; undarúmque reciproco flexu ad ſuum caput pleno alveo, curſúque rapidiſſimo feruntur, & primæ ſuæ origini quidquid acceptum habent ipſo naturæ inſtinctu, ductúque referunt. Cùm igitur totum, quod liber iſte continet ſuum à Pontifice in militante Eccleſia legislatore ortum trahat, ne ſibi, & gratitudinis ſymbolo deeſſet, ad ſuam debuit originem tributario curſu refluere; ſinat igitur huic operi aditum ad Veſtros pedes patere: tametſi quod ex meo penu ſecum advehit, ſit algâ humilius, umbra obſcurius, cœnóque abjectius, à Veſtro tamen gentilitio ſydere claritatem, à montibus celſitudinem, & ſuam à veſtris manibus mutuabit nobilitatem.

Oratio igitur dedicatoria tria continet. 121
Primò occaſionem dedicandi. Secundò dignitatem perſonæ, cuj opus dedicamus, cujus dignitatem, geſta, avitam nobilitatem deſumptam à ſtemmate explicamus. Tertiò opportunitatem dedicandi, & explicamus cauſas, vel officij, vel dignitatis, ut in hac alia epiſtola dedicatoria ad Cardinalem Julium Spinulam, cujus ſtemma Spinam præſefert. Purpura tua opellæ meæ terrebat aſpectum P. E. utpote pannoſa, & lacerata ad mirum fulgentis muricis tui reflexum non poterat non erubeſcere. Imò ſpina tua generoſo armata aculeo liberum mihi aditum ad te denegare videbatur: augebat trepidationem fama tui nominis, quippe cum Julijs Julius noviſti præclarè geſtis omen nominis tui implere ad urbis admirationem, & Orbis exemplum. Mihi non eſt opus Avos, Proavóſq; tuos referre, quia ut ait Seneca: *qui genus laudat ſuum aliena laudat*, & Ulyſſes apud Ovidium *12. Metamorph.* Cùm illi Ajax objeciſſet ſanguinis nobilitatem, callidè reſpondit, *Nam genus, & Proavos, & quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra voco;* ſic tu quæ ipſe non feciſti, vix ea tua putans novam in veterem gloriam addidiſti. Teſtis eſt Patria tua, quam ut peregrinis augeres honoribus, peregrinatus es, Te vidit Germania, & ſapientiæ tuæ fulgores fuit admirata, vidit poſtremò te Roma, quæ præmium tuis largitura meritis purpuram tibi impoſuit: par erat, ut demum ex ſpina ſtemmatis tui naſceretur hæc roſa purpureæ tuæ dignitatis. Sine igitur, ut mea hæc opella veluti operoſa apis à tuæ dignitatis purpureo flore favos decerpat humanitatis.

Interdum oratio dedicatoria eſt continua- 122
ta allegoria, qua comprehenſa in opere explicantur, ut præſtiti in nucleo meo theologico

enun-

Digitized by Google

enuncleato per ſynopſim theſium, & dicato noſtræ Congregationis Præpoſito generali, cujus aliqua fragmenta ſubijcio.

123 Luſtravimus N. N. ſacras Theologici horti nitelas, inambulavimus areolas tonsâ diſtinctas myrto, in quarum ſinu flores adoleſcunt è calice, è vagina, è gemma protuberantes, ea depicti elegantiâ, tributi ordine, perfuſi ſuavitate, ut Midæ roſetum, Alcinoi amœnitates, & Theſſalica Tempe in campos ſentibus impervios, urticis obſitos, vepribúſque obductos videantur degenerâſſe: cæteræ enim hortorum deliciæ inamœnæ ſunt, ſi hiſce conferantur amœnitatibus, quas ſuis Theologica vireta exhibent cultoribus: nec veremur aſſentationis inſimulari, ſi Theologiam hortum aſſerimus redundantiâ fontium irriguum, florum elegantiâ amœnum, plantarum varietate jucundum, ac fructuum ubertate perutilem. Gaudet enim, ac illuſtratur divino Sole non in unum duntaxat collecto naturæ ſplendorem, verùm & in trinum partito perſonatum jubar, à quo omnis fœcunditas, amœnitas, feracitas omnis in noſtrum derivatur hortum; cujus januis excubant Angeli, qui ab ingreſſu arcentes ſuperbiâ intumeſcentes, vanóque inflatos Spiritu ſacris addictos ſtudijs alliciunt, hortantúrque ad harum uſuram deliciarum: nec illis ad lignum vitæ per Cherubin, aditus inhibentur; ſed per ſcientiæ plenitudinem patet acceſſus, liménque reſeratur. Recta ibi deſcribuntur itinera non umbriferis opacata fagis, nec luxuriantibus ſtipata fraxinis; ſed regulia implantata humanæ componendæ vitæ idoneis, moribúſque corrigendis, & actuum humanorum directioni, ne à recto deflectant. Pellucidos fontium latices, quibus areſcentes irigantur pulvilli; reficiuntur, ne ſterileſcant plantæ, divina ſuppeditant Auxilia; uti virtutes totam vernantium florum excultam pompam. Surculos inſititios natura exhibet humana à Verbo aſſumpta, ut meliora ferret poma illo, quod Protoparentes è Paradiſiacis amœnitatibus exulare coëgit. Arbores ipſa Sacramenta, quæ ſuis nunquam fructibus deſtituuntur, ſi ritè excolantur. Tametſi hæc omnia ſummis ſcateant delicijs, plena ſint amœnitate, nilque obviet luſtranti niſi utile, nil niſi volupe; non tamen ſumus eos imitati, quos ſummis digitis legiſſe novimus plures hiſce in areolis flores, diſcolori depictoa elegantia, gratámque olentea ſuavitatia Arabiam: nec quos ſcimus plenis manibus poma carpſiſſe palato ſapidiſſima, omniſque generis uberes fructus; non quòd nos piguerit ridentis Veris in calatho referto floribus, aut pinguis tæduerit Autumni in Caniſtro racemis, pomiſque onuſto; ſed quia paucis contentis unicam placuit nucem ſeligere; cujus extimum corticem licèt ruditate impolitum, duritie haud flexilem, fractúque difficilem, conati ſumus aperire, ejúſque Nucleum bellarijs adſciſcere ſecundæ menſæ perаptis. &c.

124 Formulæ excuſandi muneris exilitatem in hiſce orationibus dedicatorijs plures ſunt. Ut ſcio, auro inhiantes alija non delectari muneribus, quàm aureis, ut fuit Darius, qui ab Ariſtobulo vitem auream, & à Pithynio platanum itidem auream dono accepit, ſed qui auro non inſerviunt, ſed dominantur, affectum donantia penſant, non pretium doni, teſte enim D. Auguſtino, *nil offertur Deo ditius bona voluntate.* Artaxerxes quia auro non fuit famulatua pugillum aquæ à prætereunte ſibi oblatum libenti animo accepit, nec ſine præmio regali offerentem dimiſit. Proprium eſt animi grandis parva ex voluntate metiri. Pretium enim muneribus ab affectu facere debemus, non à re ipſa oblata. Non omnes tubis inflandia aſſuevêre, & ijs ſufficit, ſi tibijs canant. Minoribus hoſtijs placant Superos, quibus non ſuppetit hecatombe.

Oeconomia Prologij, ſeu Præfationis. 125

Præfatio à præfando dicitur, eſtque, quod præloquimur, antequam ad rem veniamus; & latiùs patet, quàm ipſum exordium, quia omne quod præloquimur poteſt præfatio dici, ut & exordia concionum, præfationes earundem, cum ſint prælocutiones. Conſuetudo tamen inolevit præſertim in Italia, ut ſtudioſi cum Philoſophicas, vel Theologicas theſes propugnant, antequam argumenta proponantur, præfationem recitent, quæ tres continet partes, in quarum prima explicant, quid ſint acturi per Apodoſim aliquam. In ſecunda propriam fatentur imbecillitatem, & difficultatem quæſtionis. In tertia captant ſibi benevolentiam adſtantium, ut in hac præfatione. Nunquam florida telluris facies rideret; eíque arriderent roſcidæ matutini cœli lacrymæ, niſi rediviva anni juventus ex luridæ hyemis ſinu, veluti Libithinæ è tumulo ad Lucinæ thalamum Phœnicis inſtar reſurgeret: nec mutata repente ſcena Vernia temporibus cœlum inciperet omne miteſcere; nec terra mille aperiret amœnitatum theatra, niſi gelidis priùs ſoluta compedibus ex adverſia proſpera exoriri didiciſſet. Nunquam admirationis ille in aëre fœtus Iridis expreſſua nomine, tot veluti characteribua, quot fulget varijs depictus coloribus ultimam procellæ periodum nobis exhiberet legendam, niſi gravidæ minarum nubes, quaſi gigantes aëro in campo, Phlegræa tanquam in area cœlum laceſſere, terrámque interturbare priùs viderentur. Ita dixerim Auditores Philoſophicæ veritatis jubar, nunquam in hiſce dignitatis ac ſapientiæ coronia coruſcaret, niſi ejus ſtudioſi, & ſcientiarum indagatores, procelloſo veluti in Erithræo unionum expiſcatores, priùs fluctuarent, ac ſi veritas veluti pretioſum margaritum nonniſi ex undis fuſi ſudoris exoriatur. Neque Jaſones aurea enanciſcerentur vellera, niſi Colchidem ingredientes, cum monſtris pugnas initent. Quòd ſi veritas Philoſophica quovis aureo vellere eſt pretioſior, has amat pugnas, quibus ſplendeat illuſtrior: & quamvis mea imbecillitas impar ſit huic conflictui obeundo, non tamen cadet,

ca-

ſed veſtræ innixa clementiæ ſtabit, ſi non victrix, ſaltem illæſa.

126 Præfationes non ſolùm adhibentur in publicis concertationibus, antequam proponantur argumenta, ſed etiam in fronte voluminum; & Author ſolet indicare materiam, de qua agit in tali opere, ut præſtiti initio octavi Tomi meæ Theologiæ de Sacramentis novæ legis à Chriſto ſummo Pontifice, & primario gratiarum fonte inſtitutis. Ita exordior præfationem. Opus aggredior, in quo ſublimitas, ita cum ſuavitate certat; ut huic ferendæ nullius mentis ſit ſuppar ſinus; illique efferendæ impar ſe fateatur humanum quodvis ingenium. Sacramenta complectitur; ſeu paradiſiacæ dulcedinis pellucidos fontes; floreſcentis ſanctitatis fœcundas radices; ſpiritualium fructuum vegetas arbores; divini amoris cœleſtes divitias, & ut uno omnia claudam verbo, cujusvis boni ſummum, ſimul, & compendium; quia ſol ipſe divinus ſui, alieníque luminis faber, ita Euchariſticum pervadit ſpeculum, ut emineat Maximus in minimo, lateátque ſub paupere tegmine locupletiſſimus Deus. Scio percurrenti anteactas hominum ætates ſingulas; ac percenſenti ætatibus omnibus tuendis, aut fovendis præſidia, & alexipharmaca, obviare Sacramenta ab humanis non abhorrentia uſibus; ut eò hominibus forent ſuſceptu faciliora, quò rebus eſſent accommodatiora; quarum conſuetudine indigerent; quapropter Tertullianus *lib. contra Marcion.* ait. *Neque aquam reprobavit, quâ ſuos abluit; nec oleum, quo ſuos unxit; nec mellis, & lactis Societatem, quâ ſuos infantat; nec panem, quo ipſum ſuum corpus repræſentat; etiam in Sacramentis propriis egens mendicitatibus Creatoris.* Sacramenta verò quæ ſummus Pontifex Chriſtus ſuæ implantavit Eccleſiæ cæteris longè excellunt, quia licèt ſenſibus obvia, gratiam per ſe invehunt, quæ ſenſus fugit, & Chriſti addictos militiæ ſignaculo, veluti regio obſignant charactere. &c.

127 Interdum initio præfationis Author ſe excuſat, ſuámque ſcribendi neceſſitatem aperit, ut egi initio Proœmij, quod præmiſi Tomo Septimo meæ Theologiæ de SS. Myſterio Incarnationis Verbi divini, ubi ſic præfari cœpi. An projectæ inſimulabor temeritatis? ſi enucleatu hiſce donare paginis auſim Omnipotentis immenſitatem infirmo noſtræ humanitatis coarctatum corpore; Auguſtiſſimam Dei Majeſtatem anguſtè circumſcriptam humanæ carnis integumento; incomprehenſibilem primæ cauſæ eſſentiam ſatiſcente comprehenſam damnati hominis ergaſtulo; immortalem divini Numinis naturam mortalibus veſtitam humani generis exuvijs; ac demum puſillo in corpuſculo, ſeu in minimo clauſum ter Maximum Deum, qui omnia replet ſpatia, ſingula luſtrat loca, cuncta movet, ac promovet infera, ſupera, cuj throno apparando impares ſe cœli fatentur; cuj ſcabello adaptando neque ſuppares dicas terram, cuj omnia famulantur, & obſequuntur? quomodo rudis, ac imperitus Athleta in hanc proſiliam arenam, in qua tot viri eruditione, ac doctrina clariſſimi glorioſè decertârunt, quibus me pariare videor, dum in paria me conjicio diſcrimina? eſt tamen, quo me purgem, omnémque notam eluam temeritatis. Theologiæ pelagum faventibus aſtris, & efflante opitulantis Numinis aurâ noſtræ Cymbula ſcriptionis hactenus enavigavit, quò concupitum appelleret portum, ac littus tandem teneret; hæc tertia D. Thomæ pars ſupererat trajicienda; quam propterea eò lubentiùs aggredior, quò me finis ſulcepti laboris allicit ad ſui aſſecutionem &c.

Solent etiam præmitti præfationes ad Lectorem, & ſcribuntur per modum epiſtolæ, quâ Author, quid in operis molitione intenderit, exponit, ut præſtiti in epiſtola ad Lectorem Tomi Quinti meæ Theologiæ cujus initium hic ſubjicio. Plurimum intereſt, quid in operis ſui molitione, ſtructura, & editione Auctor intenderit, illicò exploratum facere; ut priuſquam Lector pergat ad paginas evolvendas, ei conſtet, quid ab illo expectare poſſit, quidque expetere: faciliùs ignoſcit Authori, qui mentem agnoſcit Auctoris, idque exhibebo, ut te non lateat, quales è meo ſilice labor improbus ſcintillas excuderit, unde volumen iſtud exciderit. Agendum hic erat de fine ultimo hominis, déque operationibus humanæ naturæ elevatæ ad ſtatum ſupernaturalem; ſéque per ipſas promoventis ad veræ beatitatis aſſecutionem &c. 128

Nonnunquam Auctor præoccupat Lectorem, ſibique objicit, quod ſolvat. Id egi in primo Tomo meæ Philoſophiæ hoc pacto. 129

Idea prologij ad Lectorem.

An mihi objicies, quod alijs centies, te jugi voluminum acceſſione premi, te fartis codicibus in lucem dietim prodeuntibus fatigari? Ad quid, inquies, recenſes ſemper Philoſophicas lucubrationes, antehac ſubtiliſſimè, ac eruditiſſimè cuſis, & recuſis adijcere? quid prodeſt novas ſemper implere chartas, nova jugiter volumina edere poſt tot præſtantiſſimos viros, qui ſummâ ingenij perſpicacitate, ac acerrimâ vi judicij ſedulam huic inſtituto navârunt operam, & eâ vel tempeſtate, quâ intempeſtivi cenſentur, qui typis concreduntur Philoſophici codices? cum nulla ampliùs videatur excogitari poſſe quæſtio, nulla alicujus ponderis exhiberi difficultas, quin fuerit multorum uſu voluminum jam detrita; & præſertim cum, quæ à Neotericis producuntur volumina nec doctrinæ pondere, nec ſpeculationum ſubtilitate, nec rationum momentis, nec ſtyli culturâ, nec methodi facilitate, veterum exſuperent lucubrationes. Ad quid igitur millies eadem ſemper repetere, & malè recoctam, quod ajunt, crambem faſtidioſo hujus ſæculi objicere palato? cum poſt tot elegantiſſima fercula jampridem à primis Philoſophiæ cultoribus illi oblata modicis tantùm, & quidem delicatiſſimis delectetur bellarijs? 130

larijs? An veritas adhuc Democratico delitescit in puteo? ſi ita eſt: ergo cum recentes, nec meliora, nec ſubtiliora exhibeant, ac præſtiterint veteres; inanes ſunt conatus, & Syſiphi infelices eoſdem jugiter repetunt in caſſum labores: ſin autem in lucem jam prodierit, ad quid ejus candorem tot obnubilare atramentis, pingere fucis, obtegere phaleris, cùm veritas nuditate gaudeat, & ſimplicitate? tametſi vulgata querela meas præoccupaverit aures, non tamen à præconcepto conſilio potis fuit animum removere. Non me latuit, naturam ipſam continuaris rerum viciſſitudinibus, & in ſe quodam orbe redeuntibus vel maximè delectari, & tamen id ipſi minimè verti vitio. Quia Intelligentias motrices redarguat, eò quòd indefeſſa vertigine cœleſtes Orbes circumagant? quis errantia ſydera eaſdem jugiter curſuum, recurſuúmque deſcribentia periodos, annuáſque inſtaurantia converſiones? quis aërem mox nubibus fœdum hilaritatem priſtinæ ſerenitatis repetentem? quis fœcundæ telluris faciem redeunte verna temperie iiſdem ſemper jocantem viretis, ridentem floribus? quis ſingulas rerum ſublunarium naturas innumera propemodum individua in proprijs multiplicantes ſpeciebus? Si nemo igitur condemnat naturam, eò quia eaſdem jugiter repetat rerum vices: nec mihi detur culpæ, ſi auſim tot per retroacta ſæcula cuſis lucubrationibus Philoſophicis has meas adijcere. Quemadmodum fluxis rerum viciſſitudinibus innixa rerum machina ſtat firmior, ac effloreſcit vegetior; ita tradidit Deus mundum diſputationi Philoſophantium, ut ſcholaſticis exercitationibus vigeret Philoſophia, magiſque acueretur, ac perficeretur, & veluti nova ſemper innixa fulcris inſtauraretur, ac perennaret. Quid aliud ſunt illa altercantium Philoſophorum oppoſita placita, ac ſibimet adverſantia Scholaſticorum aſſerta, vel ex antiquorum ruderibus eruta, ac inſtaurata, vel recèns excogitata, quàm perennis Philoſophiæ propagatio, quâ ad poſtera ſæcula innovatâ veluti juventâ traducitur rediviva? deſiderabatur ad Philoſophiæ perennitatem, ut ejus Cultores novos ſemper Codices promerent, novas ederent lucubrationes, & per altercantes paginas uberiores illi ſuppeditarent vires. Plurimum ſanè exhibet amœnitatis, plurimum oblectamenti hortus, ſi luculentis fuerit diſtinctus areolis; ſi margines habuerit varijs hominum, animantium, navium, figuris è plectilibus ramis, tonſili buxo, baccis, & arboribus odoratis veſtitas, quibus ad ambulationem viæ definiantur elegantiores; ſi areas incluſerit labyrinthi meandris, ac diverticulis prope infinitis inſtructas; ſi in ejus ſinu luſerit florum varietas, herbarúmque luxuriaverit ubertas. At ſi neglectâ culturâ ſingulis non inſtauretur annis, defloreſcit amœnitas, ſylveſcunt areolæ, devenuſtantur figuræ. Perinde Philoſophia niſi lucubrationum jugi acceſſione excoleretur, in ſqualore jaceret deflorata, deturpata.

131 Oratio dedicatoria operis litterarij interdum fit ipſis Cœlitibus: & tunc partim propenſa in eorundem cultum Authoris voluntas, partim laus eorundem exprimitur, cùm aliqua alluſione ad materiam libri, ut præſtiti in ſexto Tomo meæ Theologiæ, in quo cùm ubertim agam de virtutibus Theologicis, & Cardinalibus, déque earum partibus ſubjectivis, & potentialibus, meum hoc opus dedicavi virtutum cultori præſtantiſſimo Sancto Cajetano Clericorum Regularium Fundatori, cujus initium hic ſubjicio veluti ideam. Vocandæ in conſilium meæ non fuerunt cogitationes, neque diu deliberandum, in cujuſnam potiſſimum nomine volumen iſtud publicæ lucis traderetur uſuræ. Eccuínam æquiùs, quas de virtutibus ſcripſi lucubrationes, inſcriberem quàm tibi glorioſiſſime Cajetane? qui humanarum dignitatum inanitate contemptâ, diviriarum cupiditate prorſus extinctâ, indulgentiâ carnis evictâ, mundique illicijs egregiè ſuperatis ſummarum virtutum ſuprema attigiſti faſtigia? quibus ut rudimenta poneres, Noſocomijs proprio ære fundatis, etiam epidemica lue infectis nullo abjecto opere, aut periculo deterritus, inſervire tibi volupe fuit. Nulli æquiùs, quàm tibi debueram has meas de virtutibus lucubrationes nuncupare; cum tuarum virtutum fulgor totum illuſtret orbem; & illius ſis caput myſtici corporis, inter cujus membra ipſemet Dei benignitate recenſeor. Inconſultum eſt foris petere, quod ſtatim ſit Domi obvium; non mihi opus fuit exterorum ingredi lares, cum domeſticos inter parietes ſtatim occurrat, quem Sanctitas fulcit, virtutum omnium jubar illuſtrat, lumen gloriæ beat, cœleſti felicitate donatum, & amor in ſuos ferventiùs accendit: hæc ratio, cur operi huic auſus ſum nominis tui decus prætexere, ut tuarum virtutum ſplendor meis lucubrationibus nitorem conciliaret; & à te hauriret, quod tuis ſaperet, ac cœteris placeret. Nullius clientelæ poterat tutiùs, feliciúſque addici, quàm tuæ; nullique juſtiùs ſacrari. Tui erat juris, quia ab eo oblatum, qui tuo eſt ſub jure. Si tutelam, quâ univerſam tuam & meam tueris Congregationem intueor, quid tibi à me debeatur ſtatim ſentio; debeo enim tibi venerationis officium, ac demiſſiſſimi obſequij monumentum, ſed debes & tu mihi tuæ tutelæ patrocinium &c.

EXPENSIO V.

De genere deliberativo, déque illius Oeconomia. 1

Verſati hactenus fuimus inter jocantes flores epidicticarum orationum: nunc veluti ex ridentium collium viretis, in longè latéque exporrectam fœcundam planitiem deſcendimus, genus expenſuri deliberativum: eſtque, quod cum poſitum ſit in conſultatione, ſuaſionem, vel diſſuaſionem complectitur, eſt ſuaſio (ad quam referuntur exhortationes, monitiones, petitiones, conſultationes

tiones

tiones, precariones) oratio deliberativa oſtendens quid præmiſſâ conſultatione agendum ſit. Diſſuaſio è contra Orario eſt deliberativa, quæ nititur propoſitis argumentis diſſuadere alicuj opus, eò quia plenum ſit periculis, difficultaribus, & quod nullum poſſit ex ipſo ſperari emolumentum. Materia hujus generis eſt omne id, de quo poteſt haberi deliberatio; eſtque de contingentibus futuris, quæ ad nos referri poſſunt, & quorum cauſa, & origo eſt in nobis ſita: unde non eſt de fine deliberatio, ſed de his, quæ pertinent ad finem. Cauſa efficiens eſt is, qui deliberat, in quo potiſſimum ſpectatur Authoritas; & in publica cauſa quis ſit ſtatus policiæ, cujus ſpecies plures ſunt, Prima eſt Monarchia, ſeu unius principatus, & imperium ſpectans communem utilitatem. Secunda Ariſtocratia Optimatum Imperium, vel ut cenſet Polybius, cùm Reſpublica ſecundùm electionem à juſtiſſimis, & prudentiſſimis viris æqualiter adminiſtratur. Tertia Democratia, ſeu Imperium populi communem utilitatem ſpectans Hæc ſunt potiora recti regiminis genera; quibus totidem reſpondent prava: ut Tyrannis, eſtque abuſus Monarchiæ, & illegitima Imperij occupatio. Oligarchia, eſtque imperium ad utilitatem paucorum divitum ſpectans. Ochlocratia, eſtque tenuiſſimæ plebis principatus. Finis igitur generis deliberativi eſt rei utilitas, vel detrimentum.

2 Argumenta hujus generis, quamvis deduci poſſint à locis topicis, ac communibus expenſis in ſecundo libro: potiſſimùm tamen deducuntur ab utili, honeſto, poſſibili, neceſſario, jucundo. Utilitas duas continet partes incolumitatem, & felicitatem. Unde Orator ab utili proponit malorum fugam, quo argumento maximè afficiuntur Auditores, cum nullus adeo ſe ipſum negligat, quin ſtatim cogitet, quomodo poſſit ſibi noxium declinare, & ab imminenti emergere periculo. Secundum membrum, ſeu felicitas omnes complectitur utilitates, ſive animi, ſive corporis, & omnia bona, quæ humanam vitam exhilarant, & ſub hac continentur, artes, nobilitas, gloria, amicitia, pulchritudo, robur, & omnia commoda, quibus homines inhiant. Locus ab honeſto complectitur naturam, leges, & virtutes, quæ cum re conjunctæ ſunt. Locus à poſſibili complectitur omnes circumſtantias probantes, rem facilem eſſe obtentu, & deſumuntur ex illo verſiculo ſuperiùs explicato. *Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.* Locus à neceſſario complectitur ea omnia, quæ conſecutura ſunt ex re facta, vel infecta. Ubi neceſſitas rei obeundæ clariſſimè oſtenditur, cujuſmodi ſunt commoda tum animæ, tum corporis, argumenta petita à neceſſarijs compendioſum ſternunt iter ad ſuaſionem, & diſſuaſionem. Affectus, qui cientur in genere deliberativo præcipui ſunt deſiderium, ſpes, amor, timor: nam vel bona quærenda proponuntur, & eorundem deſiderium excitatur; ſin autem ad deſiderium accedat explorata ratio bona quæſita conſequendi, animus erigitur in ſpem, quam fovet. Si bona quæſita, bonitatem, pulchritudinem, vel utilitatem præſeferant, & ob oculos ponant, accenduntur amoris faces in eadem bona: è converſo ſi res ſint pluribus difficultaribus implicatæ moleſtias ad ſe trahant, & plura inde immineant pericula, excitatur affectus timoris, & deſperationis.

Quamobrem in genere deliberarivo in id 3
vel maximè debet orator incumbere ſtudij, ut in ſuaſionibus, & hortationibus argumenta deducat à rei, quæ ſuadetur, honeſtate, utilitate, jucunditate, ac neceſſitate, quæ affectus excitant ad ejus proſecutionem. Honeſtas eſt, quâ res conſona eſt regulis æternis divini Numinis, ac virtutibus præſertim prudentiæ, Juſtitiæ, fortitudinis, temperantiæ. Si orator oſtenderit, rem divino cultui eſſe conſentaneam, divinis legibus conſonam, ſummo Numini gratam, patrijs legibus, inſtitutis, conſuetudinibus conformem probabit ejus honeſtatem, ad cujus proſecutionem auditores alliciet, præſertim ad illius amorem ob bonitatem honeſtam eidem inſitam, ad quam evincendam plurimum ſuppeditant præſidij quatuor virtutes Cardinales.

Prudentia per cæteras ſe diffundens virtutes 4
id præſtat, ut orator demonſtret ad hanc virtutem pertinere, ut advocet in conſilium res præteritas duce memoria, & comite experientia, perpendat præſentes, conſulat probos, ac ſapientes Conſiliarios, ſéque ipſum excitet, & acuat ad bene conijciendum, ratiocinetur, provideat, prævideat, circumſpiciat difficultates, quibus opportunè occurrat, viámque omnem explanet, media præparet ad rei aſſecutionem facilè conducentia. Juſtitiam oſtendit, ſi quod nititur Concionator perſuadere, probet, æquum, juſtúmque eſſe juxta leges divinas, & humanas; ab eodem dependere Reipublicæ incolumitatem, conſervationem boni communis, virtutum exercitia, vitiorum eradicationem, impiorum coërcitionem.

Fortitudinem eſſe exercendam, probat 5
orator, ſi demonſtret, rem non vile habere virtutis experimentum: pro cauſa honeſta non ſolùm ſubeundos, ſed etiam appetendos eſſe labores. Virum non eſſe, qui ob metum doloris, vel perſecutionis proprium negligit munus obire, ab honeſtate recedit. Id proprium viri fortis pro Dei gloria exteriùs inter homines promovenda nullas formidare perſecutiones, nullum pavere cruciatum; nullum recuſare tormentum.

Temperantia uberrimam itidem ſuaſio- 6
ni, & diſſuaſioni ſuppeditat materiam, ſi oſtendatur, quàm magnum, quàm regium, quam laudabile ſit, libidinem coërcere, cupiditates immodicas excludere, divitiarum appetentiam compeſcere, luxum in epulis non admittere: eſculentis, & poculentis ita uti, ut vires reficiantur, non ſtomachus re-

pleatur; ab inanibus abhorrere laudibus; dignitatum ſplendores non quærere, umbras honorum fugere, victis ignoſcere, lapſos erigere, injurias ſibi illatas oblivione delere; imò & imperritis beneficijs compenſare.

7 Utilitas eſt, quæ nobis prodeſt; & ijs ineſt, quæ ad aſſecutionem finis, quem intendimus ducunt. Duæ ſunt utilis partes; incolumitas, & felicitas: ad ſuaſionem illius, neceſſe eſt ſuadeat orator malorum fugam; hoc argumento vel maximè afficiuntur auditores, qui propriæ ſtudent incolumitati; neque ullus eſt adeo ſui negligens, ſuique inimicus, ut velit ſibi malum inferri, & non ſtatim cogitet, quomodo poſſit pericula imminentis mali evadere, ne quidquam damni patiatur; & ſalutem vel conſervet, vel aſſequatur.

8 Felicitas altera pars utilitatis, omnes complectitur utilitates, quæ homini proſunt, eum exhilarant, boniſque omnibus cumulant; cujuſmodi ſunt nobilitas, gloria, amicitia, ſcientia, & alia animi bona; ut etiam corporis commoda; præſertim firma valetudo, virilis robur; membrorum integritas, ac proportionata ſymmetria, ac totius corporis pulchritudo. Hæc ſunt, quæ avidiùs adſtantes audiunt, ut vel ſibi comparent ſi ijſdem deſtituantur; vel ſervent, & non amittant ſi poſſident; alijs nonniſi perfunctoriè aures aperiunt.

9 Neceſſarium eſt, quod ſi ab oratore oſtendatur, auditores in ſua vota trahit: ſi enim utilitates oſtendantur, adhuc inveniuntur ex hominibus adeo ſocordes, ac ſegnes, ut non facilè moveantur ad labores ſubeundos, & media utilia adhibenda. Secus ubi neceſſitas rei obeundæ clarè oſtenditur; ut eſt ſalus tum animæ, tum corporis, & felicitas utriuſque; illicò quotquot adſunt aures arrigunt, & faciliùs ſuadentur. Neque aliud validius argumentum habuit Cicero ad perſuadendum bellum contra Marcum Antonium, quàm iſtud petitum à neceſſario; ait, ille *Philipp. 4. Agitur enim non quâ conditione victuri, ſed victurine ſimus, an cum ſupplicio, ignominiáque perituri.*

10 Ratio jucundi plurimum etiam obtinet roboris ad perſuadendum, quia quod jucundum alteri obtingit, facilè ejuſdem inflectit animum; quamvis res oſtendatur honeſta, & utilis, ſi jucunda non fuerit; ſi nimia operoſa fuerit animum deterret, & minus valet ad ſuadendum, ac movendos animos, qui labores refugiunt, incommoda recuſant.

11 Affectus in genere deliberativo præcipui ſunt ſpes, deſiderium, amor, timor: ſi bona quærenda proponuntur, eorum deſiderium excitatur, accenditur: ſi ad deſiderium excitatum acceſſerit explorata quædam ratio facultatum, quibus facilè ea poſſimus aſſequi, excitatur ſpes eam conſequendi, quæ & fovetur. Sin verò rei bonitas quaſi præſens ob oculos ponatur; amoris flammæ in eam injiciuntur.

12 Oeconomia deliberativi generis tres duntaxat complectitur partes, exordium, contentionem, & perorationem. Narratio ab hoc genere excluditur, quia de futuris nemo narrat, & genus deliberativum verſatur circa futura, ut docet Fabius *lib. 3. cap. 8.* inquiens, *Narrationem nunquam exiget privata deliberatio; ejus duntaxat rei, de qua dicenda eſt ſententia, quia nullus ignorat id, de quo conſulit.* Exordium coaleſcit ex enumeratione beneficiorum ſuſceptorum, ex ſignificatione amoris, ex deſiderio bene conſulendi, & declaratione pravi conſilij adverſariorum. Sin verò oratio habeatur coram Principe in exordio captanda eſt ejus benevolentia illi gratulando de ſalute publica procuranda, & tuenda. 13

Confirmatio dividitur in ſuas partes, quibus Orator oſtendit honeſtatem, utilitatem, & facilitatem rei, quam intendit alteri ſuadere, vel è converſo inutilitatem, & impoſſibilitatem rei, quam alteri nititur diſſuadere. Epilogus deliberativi generis duo continet, ſententiam de re, quæ in deliberationem venit, & excitationem affectus in rem, quæ ſuadetur.

Oeconomia ſuaſionis, & diſſuaſionis. 14

Præcipua deliberativi generis capita ſunt ſuaſio, & diſſuaſio, quibus Regina eloquentia imperium ſuum in hominum animos exercet. Ubi enim cœpit eloquentia dominari, hac arte mortalium incultam ruditatem ad manſuetioris vitæ jura, legéſque traduxit: & Veteres Oratores tanti eam fecerunt, ut hoc unum ad regendos, ac flectendos animos præſidium, vel maximum arbitrarentur. Ad aliquod ſuadendum oſtendenda eſt rei dignitas, honeſtas, utilitas, felicitas, & neceſſitas. In eo qui ſuadet, duo potiſſimum requiruntur, Authoritas, quæ invaleſcit ex ſapientia, virtute, opibus, & ætate ſuadentis. Secundò amor in res noſtras, alioquin difficulter credimus, inimicum velle nobis bonum, & utile ſuadere. Ab argumentis ſuaſionia ſuperflua, ac minuta amputanda ſunt, & ea tantùm proferenda, quæ majoris ſunt ponderis, cujuſmodi ſunt divina. Sic apud Ethnicos etiam falſa ſuperſtitione deluſos mortalium voluntates in omnem partem flexiles movebantur, Hac arte Zoroaſtres apud Babylonios; Lycurgus apud Lacedæmonios; apud Athenienſes Minos; apud Romanos Numa multa ſuaſerunt, ac leges plures ſanxerunt. Suaſionis exordium peti poteſt à rebus ipſis, quas alteri ſuadere intendimus, vel à perſonis, quæ conſilio præſunt, vel contrarium exiſtimârunt, & earum benevolentia eſt concilianda: vel ab aliqua gravi ſententia, vel alio adminiculo. In calce exordij adijcitur propoſitio, quæ ſuadetur: deinde ſequitur probatio, quæ eſt quædam argumentorum ſeries, quæ ut innui, deſumuntur ab honeſtate, dignitate, utilitate, facilitate, & neceſſitate rei, quæ ſuadetur, Probationem claudit epilogus, qui totus eſt in movendis animi affectibus: ſi oratio ſit ſuaſoria excitat affectus deſiderij, amoris, ſpei in rem quæ ſuadetur. Sin verò ſit diſſuaſoria movet affectus fugæ, odij, timoris, & deſperationis in rem, quæ diſſuadetur. Oratio diſſuaſoria

op-

opponitur ſuaſoriæ, & ejus argumenta ducuntur ab inutili, inhoneſto, arduo, difficili, & à turpitudine rei, quæ diſſuadetur.

15 Ideam orationis ſuaſoriæ ex Curtio *lib.* 4. exhibet Alexander Macedo, qui cùm exercitum conflâſſet ex varijs gentibus, varia oratione, ut cujuſque animis aptum erat, milites alloquebatur. *Macedones tot bellorum in Europa victores ad ſubigendam Aſiam, & ultima orientis, non ipſius magis, quàm ſuo ductu profecti inveteratæ virtutis admonebantur. Illos terrarum Orbis liberatores, emenſéſque olim Herculis, & Liberi Patris terminos, non Perſis modò, ſed etiam omnibus gentibus impoſituros jugum. Macedonum Bactra, & Indos fore: minima eſſe, quæ nunc intuerentur; ſed omnia victoriâ parari.* Deinde cùm noviſſet Alexander milites objectis difficultatibus, ac periculis retardari, ait Alexander eis ſuadendo fortitudinem, & tolerantiam. *Non præruptis petris Illyricorum, & Thraciæ ſaxis ſterilem laborem fore: ſpolia totius Orientis offerri, vix gladio futurum opus: totam aciem ſuo pavore fluctuantem umbonibus poſſe propelli. Victor ad hæc Athenienſium Philippus Pater invocabatur, domitæque nuper Bœotiæ, & urbis in ea nobiliſſimæ ad ſolum dirutæ ſpecies repræſentabatur animis.*

16 Ideam orationis diſſuaſoriæ exhibet Legatus Scytharum apud Curtium Lib 7. ubi diſſuadet Alexandro Imperij propagandi cupiditatem. Exordium petitur ab ambitionis natura, cujus ſitis nunquam expletur. Deinde ſcitè ei diſſuadet hanc imperij dilatandi ambitionem pluribus argumentis. Primò à rerum magnarum periculis, eò quia culmen excelſæ fortunæ lubricum ſit, Secundò à periculo excelſæ conditionis, eò quia magnis etiam parva nocere poſſint, & inimicum quamvis humilem prudentis eſſe metuere. Tertiò à natura ſuæ gentis, quam bello laceſſere iniquū, & temerarium eſt, & quam nunquam hoſtes aggreſſi fuerint impunè. Quartò carpitur Alexandri luxus, & in omni rerum affluentia oſtenditur ejus inopia. Quintò monet, ut amicos nolit hoſtes habere, & ut fortunam ſuam preſſis manibus teneat. Sextò monet etiam quòd cùm ut Numen haberi velit, ſit beneficus in mortales. Demum oblatas conditiones ſancit non jurejurando, ſed fide, quæ eſt antiquiſſimum, & præſtantiſſimum Numen. Oratio diſſuaſoria hæc eſt. *Si Dij habitum corporis tui aviditati animi parem eſſe voluiſſent, orbis te non caperet, altera manu Orientem, alterâ Occidentem contingeres. Et hoc aſſequutus ſcire velles, ubi tanti Numinis fulgor conderetur. Sic quoque concupiſcis, quæ non capis. Ab Europa petis Aſiam, ex Aſia tranſis in Europam.*

17 Deinde, ſi humanum genus omne ſuperaveris, cum ſylvis, & nivibus, & fluminibus, feriſque beſtijs geſturus es bellum. Quid tu? *ignoras, magnas arbores diu creſcere, una hora extirpari?* ſtultus eſt, qui fructus earum ſpectat, altitudinem non metitur: vide ne dum ad cacumen pervenire contendis, cum ipſis, quos comprehenderis, decidas. Leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fit: & ferrum rubigo conſumit. *Nihil tam firmum eſt, cuj periculum non ſit etiam ab invalido.* Quid nobis tecum eſt? nunquam terram tuam attigimus. Qui ſis, unde venias, licétne ignorare in vaſtis ſylvis viventibus? nec ſervire ulli poſſumus, nec imperare deſideramus. Dona à Deo data ſunt (ne Scytharum gentes ignores) jugum boum, aratrum, & ſagitta, & patera. His utimur, & cum amicis, & adverſus inimicos, fruges amicis damus, boum labore quæſitas; paterâ cum his vinum Dijs delibamus, inimicos ſagitta eminus, haſtâ cominus petimus. Sic Scythæ Regem, & poſtea Perſarum, Medorúmque ſuperavimus, patuitque nobis iter uſque in Ægyptum. At tu qui te gloriaris ad latrones perſequendos venire: *Omnium gentium, quas adiſti, latro es.* Lydiam cepiſti, Syriam occupaſti, Perſidem tenes: Bactrianos habes in poteſtate, Indos petiſti. Jam etiam ad pecora noſtra avaras, & inſtabiles manus porrigis. *Quid tibi divitijs opus eſt, quæ te eſurire cogunt? Primus omnium ſatietate paraſti famem*, ut quo plures haberes, acriùs, quæ non habes, cuperes. Non ſucurrit tibi, quamdiu circum Bactra hæreas? dum illos ſubigis, Sogdiani, rebellare cœperunt. Bellum tibi ex victoria naſcitur. Nam ut major, fortiórque ſis, quàm quiſquam, tamen alienigenam Dominum nemo pati vult. Tranſi modo Tanaim, ſcies, quàm latè pateat, nunquam tamen conſequeris Scythas. *Paupertas noſtra velocior erit, quàm exercitus tuus, qui prædam tot nationum vehit.* Rurſus quam procul abeſſe nos credis, videbis in tuis caſtris. Eadem velocitate & ſequimur, & fugimus. Scytharum Solitudines Græcis etiam proverbijs audio eludi. Nos deſerta, & humano cultu vacua magis, quàm urbes, & opulentos agros ſequimur. Proinde *fortunam tuam preſſis manibus tene. Lubrica eſt, nec invita teneri poteſt.* Salubre conſilium ſequens, quàm præſens tempus oſtendit melius. *Impone felicitati tuæ frænos: faciliùs illam reges.* Noſtri ſine pedibus dicunt eſſe fortunam, quæ manus, & pinnas tantùm habet: quum manus porrigit, pinnas quoque comprehendere non ſinit. Denique ſi Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non ſua eripere: ſin autem homo es, id quod es, ſemper eſſe te cogita. *Stultum eſt eorum meminiſſe, propter quæ tui obliviſceris.* Quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris uti. Nam & firmiſſima eſt inter pares amicitia: & videntur pares, qui non fecerunt inter ſe periculum virium. Quos viceris, amicos tibi eſſe, cave credas. *Inter Dominum, & ſervum nulla amicitia eſt.* etiam in pace, belli tamen jura ſervantur. *Jurando gratiam Scythas ſancire ne credideris. Colendo fidem jurant.* Græcorum iſta cautio eſt: qui facta conſignant, & Deos invocant: nos religionem in ipſa fide novimus: *qui non reverentur homines, fallunt Deos.* Nec tibi amico opus eſt, de cujus benevolentia dubites. Cæterum nos, & Aſiæ, & Europæ Cuſtodes habes; Bactra niſi dividat

Tanais, contingimus: ultra Tanaim uſque ad Thraciam colimus: Thraciæ Macedoniam conjunctam eſſe fama eſt: utrique imperio tuo finitimos hoſtes, an amicos velis eſſe, conſidera. Hactenus ille.

Oeconomia hortationis, & dehortationis.

18 Hortatio plurimum habet affinitatis cum ſuaſione, à qua tantùm differt, quia ſuaſio tota fit in tradendis conſilijs: hortatio verò magis hæreat in ciendis affectibus: in ſuaſione Orator docet, in exhortatione inflammare nititur: quapropter cohortatio non debet eſſe nimis argumentoſa, nec prolixis rationibus affluens, quæ tamen debent preſſæ, ac efficaces eſſe, quibus veluti ſtimuli ſunt ſpes rei conficiendæ; laudis, ac gloriæ meſſis, quæ ex re colligitur; commemoratio amoris eorum erga nos, pro quibus res ſuſcipienda eſt: contemptus virium hoſtilium; declaratio miſeriarũm ejus, de quo ſublevando agitur; expoſitio periculi, quod nobis, aut patriæ imminet. Verùm antequam ad exhortationem Orator deſcendat, neceſſe eſt rei facilitatem proponat. Nam ſi minimè convictos, ſed reluctantes animos niteretur exhortari, perinde ageret, ac ſi lignum adhuc viride, & humoribus fœtum, prima aggreſſione vellet ſuccendere. Paulatim igitur occupandi ſunt auſcultantium nimi preſſis argumentis, donec ab ipſis impedimenta, & difficultates, perinde ac Gordij nodi diſſolvantur. Deinde debet Orator oſtendere rem, ad quam alios hortatur, ſingulos includere numeros honeſtatis. Demum Orator qui hortatur, plurimum debet in ſe præſeferre authoritatis, quia dignitatas ipſa per ſe potiſſimum eſt telum ad flectendos animos; quia ut ait Tacitus, ſuaſio, & exhortatio ab eo, qui jubere poteſt vim neceſſitatis affert. Exordium hortationis duci poteſt à circumſtantijs, vel locorum, aut perſonarum; vel ab expoſitione rei, da qua agitur: argumenta narrationis petuntur ab utilitate, poſſibilitate rei, à votis, deſiderijs, ab honeſtate, vel à fuga dedecoris: & ab hoc capite nervoſa eſt, ac morata apud Livium *lib. 39. num. 15.* Catonis Conſulis oratio, qua Bacchanalia nocturnóſque cœtus virorum, ac mulierum damnat ab illorum fœditate, quæ bonos mores labefactat, & eſt radix omnium ſcelerum, & hortatur Quirites, ut tantum virus ulteriùs ſerpere non ſinant.

19 Ideam hortationis ſuccinctæ, ſed gravis, & argumento efficacis, exhibet Alexander Magnus apud Curtium ubi ſuos milites hortatur ad rem perdifficilem. Erat in Sogdianis arx, cuj nomen Petra, expugnatu difficillima, cùm pateret in altitudinẽ ad ſtadia triginta, in orbem centum quinquaginta, utrinque rupibus ardua, & prærupta, callibus impervia, cum unicus tantùm ad altitudinis faſtigium angustus eſſet aditus, qui ab hoſtibus propugnabatur. Obſidione vallaverant Petrãm triginta hominum millia. Alexander contra omnia impedimenta enitens nulli voluit difficultati cedere, & quia noverat viribus non poſſe arce potiri, dolo uſus eſt. Ad eludendos enim præſidiarios milites hoc commentus eſt ſtratagema. Negotium dat ducibus, ut trecentos expeditos juvenes conquirant exercitatæ pernicitatis, qui rem pecuariam in montibus exercuerint, aſſueverint, in præcipitijs, locisque devijs inſiſtere quibus terrorem incurere præſidiario militi paravit. Cúmque ad ipſum acceſſiſſent hac oratione, quid fieri velit, ijſdem expoſuit. Rationem eiſdem ad cacumen perveniendi aperit, hortatúrque, ut ſtrenuè rem aggrediantur, & adverſus omnes difficultates luctentur: addítque animos propoſitis præmijs. Exordium ducit à rebus difficilioribus antea geſtis. In propoſitione callido artificio pericula imminuit, & arcem captu facilem proponit, deinde ponit hortationem efficacem propoſitis præmijs ampliſſimis, quibus juvenes alliciantur ad opus, quamvis arduum, hoc pacto.

Idea Orationis hortatoriæ. 20

VObiſcum (ait Alexander Macedo) ô juvenes, & mei æquales, urbium invictarum ante munimenta ſuperavi, montium juga perenni nive obruta emenſus ſum; anguſtias Ciliciæ intravi, Indiæ ſine laſſitudine; frigoris vim perpeſſus ſum, & mei documenta vobis dedi, & veſtra habeo. Petra quam videtis, unum aditum habet, quem barbari obſident, cœtera negligunt. Nullæ vigiliæ ſunt niſi quæ caſtra noſtra ſpectant. Invenietis ad cacumẽ viam, ſi ſolerter rimati fueritis aditus ferentes *Nihil tam altè natura conſtituit, quò virtus non poſſit eniti.* Experiendo, quæ cæteri deſperaverunt, habemus Aſiam in poteſtate. Evadite in cacumen, quod cum ceperitis, candidis velis mihi ſignum dabitis: ego copijs admotis hoſtem in nos à vobis convertam. Præmium erit ei, qui primus occupaverit verticem, talenta decem; uno minus accipiet, qui proximus ei venerit; eademque ad decem homines ſervabitur portio. Certum habeo, vos non tam liberalitatem intueri meam, quàm voluntatem.

21 Dehortationis artificium ex ijs, quæ dicta ſunt de oratione hortatoria, facilè conijcitur; contraria enim ex contrarijs intelliguntur. Argumenta ducuntur à turpi, ſi Orator oſtendat rei turpitudinem: ab inutili, ſi probet, nullam reſultare utilitatem ex tali re, nihílque eſſe ſperandum boni. Ab impoſſibili, ſi oſtendat rem fieri non poſſe. Ab oſtenſione incommodorum reſultantium ex tali re. Ex indecentia, & incongruitate. In dehortatione ſi animi præcedenti hortatione perculſi fuerint contrarijs rationibus flectendi ſunt; in quo plurimum valent ironiæ, quibus quæ ab Hortatoribus fuerunt allata quaſi ingeſta frigida obruuntur. Redargui etiam ſolet Auditorum ſimplex credulitas, eò quia ſe faſcinari, & quaſi naſo duci ſinant. A re turpi indecente, & prorſus incongrua. Salvianus *lib. 6.* nervosè dehortatur Trevirenſes, qui in ſumma calamitate petebant Circenſes.

Idea

Idea Orationis dehortatoriæ

22 JAcebant paſſim utriuſque ſexus cadavera nuda, lacerata, urbis oculos inceſtantia, avibus, canibuſque laniata; lues erat viventium, fœtor funereus mortuorum, mors de morte exhalabatur, ac ſic etiam qui excidijs ſuperadictæ urbis non interfuerant mala alieni excidij præferebant. Et quid poſt hæc, inquam, quid poſt hæc omnia; quis æſtimare hoc amentiæ genus poſſit? pauci nobiles, qui excidio ſuperfuerant, quaſi pro ſummo deletæ urbis remedio, Circenſes ab Imperatoribus poſtulabant. Vellem mihi hoc loco ad exequendam rerum indignitatem parem negotio; eloquentiam dari, ſcilicet ut tantum virtutis eſſet in querimonia, quantum doloris in cauſa. Quis enim exiſtimare poſſit, quid primùm in his, de quibus diximus, accuſandum ſit, irreligioſitas, an ſtultitia, an luxuria, an amentia? totum quippe in illis eſt. Quid enim aut irreligioſius, quàm petere aliquid in injuria Dei? aut quid ſtultius, quàm quid petas non conſiderare? aut quid tam perditi luxus, quàm in luctu res deſiderate luxuriæ? aut quid amentius, quàm in malis eſſe, & malorum intelligentiam non habere? quamquam in ijs omnibus nulla res minus culpanda eſt, quàm amentia: quia voluntas crimen non habet, ubi furore bacchatur. Quò magis hi, de quibus loquimur, accuſandi ſunt, quia ſani inſaniebant: Circenſes ergo, Treviri, deſideratis, & hoc, vaſtati; hoc, expugnati; poſt ſanguinem, poſt ſupplicia, poſt captivitatem, poſt tot everſæ urbis excidia? quid lacrymabilius hac ſtultitiâ? quid luctuoſius hac amentiâ? fateor, miſerrimos eſſe vos credidi, cùm excidia paſſi eſtis; ſed miſeriores vos video, cùm & ſpectacula poſtulatis. Putabam enim, vos in excidijs, rem tantùm, atque ſubſtantiam, neſciebam enim ſenſum atque intelligentiam, perdidiſſe. Theatra igitur quæritis, circum à Principibus poſtulatis? quæſo cuj ſtatui, cuj populo, cuj civitati? Urbi exuſtæ, ac perditæ? plebi captivæ, & interemptæ? quæ aut perijt, aut luget, de qua etiam ſi quid ſupereſt, totum calamitatis eſt; quæ cuncta aut mœſtitudine eſt anxia, aut lacrymis exhauſta, aut orbitate proſtrata, in qua neſcias panè, cujus ſit ſors pejor, ac durior interfectorum, aut viventium? Tantæ enim ſunt miſeriæ ſuperſtitum, ut infelicitatem vicerint mortuorum. Ludicra ergo publica Treviri petitis; ubi quæſo exercenda? an ſuper buſta, & cineres, ſuper oſſa, & ſanguinem peremptorum? quæ enim urbis pars his malis omnibus vacat? ubi non cruor fuſus, ubi non ſtrata corpora, ubi non conciſorum membra lacerata? ubique facies captæ urbis, ubique terror captivitatis, ubique imago mortis, jacent reliquiæ infeliciſſimæ plebis ſuper tumulos defunctorum ſuorum; & tu Circenſes rogas! nigra eſt incendio civitas, & tu vultum feſtivitatis uſurpas! lugent cuncta, tu lætus es! Inſuper etiam illecebris flagitioſiſſimis Deum provocas, & ſuperſtitionibus p[illegible]ſſimis iram divinitatis irritas! non miror plenè, non miror tibi eveniſſe mala, quæ conſecuta ſunt: nam quia tertia excidia non correxerunt, quarto perire meruiſti. Hactenus Salvianus lib 6.

Oeconomia Conciliationis.

23 Artificium conciliationis plurimum exigit artis, ac eloquentiæ, ac naturæ præſidij, adeo ut enervata ſit eloquentiæ opera, niſi naturæ adminiculis corroboretur: ſicut furenti ac debacchanti belluæ inermem ſuadam non objiceres, nec Muſico concentu furentes tigrides cicurare præſumeres, ita in conciliandis animis nuda oratio parum obtinet roboris, ac efficaciæ, niſi alijs corroboretur præſidijs. In perſona igitur conciliatrice plurimum debet ſapientiæ relucere, ſanctitatis, amplitudinis, benevolentiæ, amoris: imò & emicare debent quidam veluti majeſtatis radij, quos Deus imprimere conſuevit eorum frontibus, quos ſibi tanquam vicarios in regendis hominum cœtibus delegit. Hiſce inſignitus notis Julius Cæſar tumoltuantis exercitûs ſeditionem unico verbo compeſcuit, cùm dixit *Quirites.* Tantæ fuit authoritatis, ut unica voce tumultus ſedaverit, ſibique reconciliaverit milites detrectantes parêre. Auguſtus ſolo aſpectu, ac vultu Aſiaticas legiones deterruit, quas in ſua vota flexit. Alexander Severus adhuc in primo ætatis flore ſeveritatem, quam nomine gerebat, vultu exprimens refractarias copias repreſſit; Fit igitur reconciliatio exhibita quadam Majeſtate corporis, fortiſque, ac liberalis animi expreſſione; amoris, & benevolentiæ ſignificatione; commendatione virtutis; accommodatione ad indolem, ac ſtatum illius, quem nobis conciliare volumus: ſunt tamen tempora obſervanda; ne temerè calenti adhuc turbæ, etiam cum juſtiſſimis authoritatis, & innocentiæ præſidijs fidamus. Intimi etiam ſenſus perveſtigandi ſunt, malique origo pertentanda, ut quid doleant, quid cupiant, quidque timeant, plenius cognoſcat Orator, ut opportuna curandis malis adhibeat alexipharmaca.

Ideam conciliationis exhibet Cornelius Tacitus referens ſeditionem, quam Percennius in Pannonia excitaverat. Erat in caſtris Percennius quidam Dux olim theatralium operarum, deinde gregarius miles procax linguâ, & miſcere cœtus hiſtrionali ſtudio doctus. Is imperitos animos cœpit ſibi arte quam callebat benevolos facere, atque in ſua vota trahere paulatim nocturnis colloquijs, aut flexo in veſperam die, & dilapſis melioribus deterrimum qoemque congregare. Poſtremò promptis jam alijs ſeditionis miniſtris, velut concionabundus interrogabat, cur paucis centurionibus, paucioribus tribunis in modum ſervorum obedirent? quando auſuros expoſcere remedia, niſi novum, & nutantem adhuc Principem precibus, vel armis adirent? ſatis per tot annos ignaviâ peccatum; quod Tricena, & quadragena ſtipendia ſenes truncato ex vulneribus corpore tolerent. Pergit Tacitus 24

in-

in deſcriptione orientis ſeditionis, cuj ſedandæ mittitur Druſus à Tiberio. Hic, ait Tacitus, cum truculentis adhuc vocibus ſtreperet, nec ſatis ſe tutum credens in publico magnis artibus rem tentat, & perficit: nam cum fortè luna clariore penè cœlo viſa eſſet langueſcere; hoc ad incutiendum militibus terrorem opportunum ratus; quæ caſus attulerat, in ſapientiam vertit, circumiri ſecretò tentoria jubet, accerſit Centurionem Clementem, cui plurimum multitudo fidebat, & ſi qui alij bonis artibus grati in vulgus, qui tum & eadem culpa tenebantur, ſibi devincit. Hi commutata oratione apud ſuos diſſerunt, quouſque filium Imperatoris obſidebimus? quis certaminum finis? Percennione, & Vibuleno ſacramentum dicturi ſumus? Percennius, & Vibulenus ſtipendia militibus, agros emeritis largientur? denique pro Neronibus, & Druſis Imperium P. R. capeſſent? quin potius, ut noviſſimè in culpam, ita primi ad pœnitentiam ſumus? tarda ſunt, quæ in commune expoſtulantur: privatam gratiam ſtatim mereare, ſtatim recipias. Ita per conſcios, quàm aptiſſimè commotæ, jam inter ſe ſuſpectæ cæterorum mentes, nec difficilè conjurationis moles hoc artificio defluxit, Druſus ut documentum ſeveritatis relinqueret jam deſertos à ſeditioſis, concitationis duces Percennium, & Vibulenum interfici jubet, & totam rem pacat. Ita Tacitus apud Cauſſinum.

Oeconomia conſolationis.

25 Quia curæ, ærumnæ, adverſitates, & miſeriarum cumuli in hujus reciprocantis vitæ æſtu hominum cœtus premunt, ac torquent, ideo nil frequentius uſu hujus orationis conſolatoriæ: anguntur ſuis malis homines; hunc ad veſcendum pane in ſudore vultus ſui laborioſa egeſtas adigit; alium auri ſacra fames lancinat, & torquet; alium tumor ambitionis ſollicitat, alium diuturna infirmitas abſumit, & alium dolor diſcruciat: ſectatores nempe ſuos ludens mundus illudit, qui in hoc ſe probant ejus ſectatores, quia vix ſentiunt ſe illudi, nec à tam noxio deceptore ſe ſurripiunt; & qui illudere mundo deberent, illuduntur à mundo. Blanditijs ſuis, ſuiſque illecebris par eſt mundus Judæ; oſculatur, ut capiat, & pacis ſigno hoſtilem mentem tegit, ac ſymbolo amoris exitiale odium fovet: ſicut hæredis fletus ſub perſona riſus eſt: ita mundi riſus perſonatus, ac larvatus eſt fletus, quia ut ait Doctor Mellifluus: *Nulla verior miſeria, quàm falſa lætitia.* Meritò igitur homines miſeriarum cumulis preſſi indigent conſolatione, quæ ærumnarum eſt lenimentum; & potiſſimum alexipharmacum contra præmaturæ mortis vulnera etiam uſurpatum à ſapientiſſimis viris, cujuſmodi fuit Senecæ conſolatio ad Polibium, Marciam, & Helviam: Plutarchi ad Appollonium: Ariſtidis ad Eteonei parentes.

26 Exordium orationis conſolatoriæ pro mali varietate, & perſonarum ratione ducitur; & plerumque à laude fortitudinis retundantis ictus adverſantis fortunæ; vel à commiſeratione vel à rationibus, quæ nos impellunt ad conſolationem hanc ſuſcipiendam, ut ab affinitate, cognatione, amicitia, officio, afflicti: vel à divina providentia, cuj nemo obſiſtit ſine crimine. Confirmatio petitur à narratione miſeriarum, quæ hominum cœtus vexant, quippe vita hominis ſupplicium eſſe dicitur; ex eo, quòd nulla vera lætitia in hac mortali vita reperiatur, adeò ut Lethi, ac Læti magna nominis cognatio ſit, ut vix diſtinguantur, imò nec vix quidem, ſi duo hæc nomina auribus percipias, non oculis videas; & ſicut nomine, ita & re ſimul cohærent: quod enim in hac vita lætum putatur, lethum eſt; mortem invehit, quod putabatur vitam adferre; & quod creditur futurum lætitiæ vehiculum, triſtitiæ eſt bajulus: ſpecioſum eſt læti nomen, ſed ad Lethum plures trahit. Secundò petitur ex eo, quia ærumnæ, & adverſitates utiles ſint ad morum noſtrorum informationem: quia ſicut igne purgatur aurum, ita adverſis rebus informantur homines, non ſolùm ad modeſtiam depoſito tumore ambitionis, & ſuperbiæ; verùm etiam ad prudentiam, & fortitudinem & ſicut gubernator navis inter procellas, miles in acie, pugil in arena cognoſcitur; ita varijs vexatus ærumnis vir fortis experitur, quia calamitas virtutis eſt experimentum. Tertiò à communi mortalium conditione, eò quia infelix homo obnoxius ſit ægritudinibus, ærumnis, doloribus, bonorum jacturis, & expoſitus telis adverſantis fortunæ: imò & falci inexorabilis Libithinæ, quia ad hoc nati ſumus, ut moriamur. 27

Orator Eccleſiaſticus, & religioſus officium exerciturus conſolatoris debet ita ſe gerere; primò ut conſolatio, ſit pia, ac ſpiritualis, ac dirigatur ad animæ ſalutem, ut qui conſolationem ſuſcipit proprias ærumnas æquanimitate, patientiâ, ac conſtantiâ ſuſtineat, pænæque relaxationem mereatur in altera vita, vel certè præmij, ac gloriæ augmentum. Secundò ſit conſolatio ordinata, quia ut rectè notat S. Gregorius *in moral.* cum volumus afflictum quempiam à mœrore ſuſpendere, ordo conſolationis eſt, ut ſtudeamus priùs mœrendo ejus luctui concordare. Dolentem non poteſt conſolari, qui non concordat dolori, quia eo ipſo, quod à mœrentis afflictione diſcrepat, minus ab illo recipitur, cuj mentis qualitate ſeparatur. Quapropter Apoſtolus *ad Roman 12.* ait: *gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus: id ipſum invicem ſentientes.* Rurſus debet conſolatio mitis eſſe, ac ſuavis, ut dolorem leniat, mœrores excutiat, unde Sponſus Oſeæ cap. 2. ait. *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus.* Debet itidem eſſe opportuna, ſeu tempore apto exhibita, quia ſicut Medici non exhibent pharmaca cum febris eſt in acceſſu, & fervet inflammatio; perinde ad primæ iræ, ac doloris motus, non eſt adhibenda conſolatio; ſed ubi poſt tempus cœperint irati eſſe mitiores. Demum debet conſolatio prudens

dens

dens eſſe, ac diſcreta, mœroribus excutiendis accommodata. Argumenta deſumuntur ex eo, quia nil nobis obtingit ſine Dei voluntate *Eccleſ. cap. 17. bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & boneſtas à Deo ſunt*: unde Chriſtus *Joan. 19.* reſpondit Pilato: *Non haberes poteſtatem in me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper*: imò ærumnæ non tantòm proveniunt à Deo, ut Domino; verum etiam ut Patre diligente nos, quapropter Deus *Pſal. 12.* dicitur *dilectus quemadmodum filius unicornium*: quia ſicut unicornis habens cornu infra oculos videt, quos ferit, ita Deus per immiſſas afflictiones; & non ut taurus, qui habens cornua ſupra oculos cæco modo percutit. Hinc tribulatio Pædagogus eſt, qui virgâ noſtros corrigit errores, & emendat mores; quapropter ſolabatur *D. Paulus 2. ad Corinth. cap. 11.* inquiens: *Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Non Deus patitur nos tentari ſupra id quod poſſumus, & ſi permittit adverſitates, ſuppeditat vires, quibus eaſdem ſuperemus. Et præſertim ducitur argumentum ex eo, quòd adverſitates, tormenta, & dolores, ſi æquanimiter tolerentur, viam ſternunt ad cœleſtem gloriam, exemplo Sanctorum Martyrum, de quibus canit Eccleſia, omnes ſancti quanta paſſi ſunt tormenta, ut ſecuri pervenirent ad palmam Martyrij. Imò quò ſanctiores fuerunt, eò acrioribus tribulationibus vexati fuerunt. Hinc ſi electi dicuntur lapides conſtruentes templum Dei, poliri malleo tribulationis debent; ſi ſunt triticum in cœleſte horreum congregandum flagellari priùs, ac excuti debent: ſi ſunt uvæ ex Chriſti vera vite promanantes debent torculari adverſitatum premi; ſi ſunt holocauſtum, & victima Deo gratiſſima, neceſſe eſt experiantur ignem tribulationis.

28 Petitur etiam argumentum conſolationis, eò quia ærumnas, dolores, vulnera, & mortem ipſam paſſus ſit Redemptor noſter, ut ſua morte nobis vitam impertiret, ſuis vulneribus noſtra vulnera curaret, & calicem ſuæ paſſionis in noſtram ſanitatem hauſerit: hoc argumento Elzearius Comes cùm ejus uxor patientiam viri miraretur reſpondit: noveris, me interdum ſentire aliquam in animo adverſus infeſtantes me indignationem, ſed illicò me converto ad cogitandas injurias Chriſto illatas, & dico mihi ipſi, eum imitari cupiens; etiam ſi famuli tui barbam tuam convellerent, & colaphos tibi impingerent; nihil totum hoc eſſet, præ illis, quæ Dominus tuus perpeſſus eſt. Certò habeas conjux mea, me nunquam ceſſare à commemorandis injurijs Salvatoris mei, donec animus ſit plenè tranquillus. Efficax eſt etiam argumentum in oratione conſolatoria proponere præmia ærumnoſis promiſſa, ſi æquanimiter adverſa tolerent: hinc D. Paulus ad Rom. 18. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Si Patriarchæ Jacobo leviſſimi videbantur labores exantlati, & pauci dies plures anni præ amore erga Rachaëlem. Si urinatores in aquas ſe conijciunt, quibus ut piſces innatant; ſi gladiatores vulnera contemnunt; ſi milites vitæ pericula flocci faciunt, ſi bajuli graviſſima deferunt onera, & quidem lætantes ob vilem mercedem, ob leve lucrum; quantò magis debet homo pro cœleſti gloria æquo animo ærumnas, & adverſitates pati. Quòd ſi afflictio oriatur ob paupertatem, proponendum eſt inopſ exemplum Chriſti, qui ut ait Apoſtolus 2. ad Corinth. cap. 8. *Propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives.* Ut etiam tot millia virorum, qui ſapientiâ & ſanctitate florentes amplexi ſunt voluntariam paupertatem, ut eſſent Filio Dei ſimiliores. Proderit etiam meminiſſe vitam noſtram ſimilem eſſe ſcenæ, in qua homo nonniſi per diem hujus brevis vitæ perſonam agit mendici, vel divitis; ruſtici, vel nobilis. Revocanda itidem eſt in memoriam Chriſti promiſſio Matth. 5. *Beati pauperes Spiritu* (*ſeu* libenter tolerantes paupertatem ob Dei amorem) *quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Unde Auguſtinus *ſerm. 15. de verb. Apoſt.* ait. *Magnæ felicitatis eſt conditio Chriſtianorum, quibus claritudo regni in paupertate poſita eſt, & quibus datum eſt, ut paupertatem faciant pretium, Regni cœlorum.* *Non igitur*, ait idem Auguſtinus ſerm 28. *tibi diſpliceat paupertas tua, nihil potes invenire ditius: vis noſſe, quàm locuples ſit? cœlum emit.* Si tribulatio oriatur ob jacturam bonorum temporalium argumenta peti poſſunt ex eo, quia non Domini ſimus rerum temporalium, ſed tantùm adminiſtratores, & ſolum Deum eſſe verum Dominum, quapropter ajebat Job. cap. 1. *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. Dominus dedit Dominus abſtulit. Sicut Domino placuit, ita factum eſt. ſit nomen Domini Benedictum.* Secundò ex eo, quòd jactura bonorum temporalium ſignum ſit prædeſtinationis ad gloriam, quia ſicut Vinitor vites putat, quas diligit, & ab ijſdem uvas ſperat; ita Deus nobis ſuperflua, ac temporalia ſubtrahit, ut fructus vitæ æternæ producamus. Tertiò ex eo, quòd ſi divitiæ ſunt ſpinæ ſuffocantes ſemen verbi divini; ſunt laquei tartarei aucupis, ſunt onera, quæ earum poſſeſſores deorſum premunt, & trahunt: beneficium penſandum eſt, ſi Deus hæc onera nobis ſubtrahat, hos laqueos diſrumpat, has ſpinas à nobis abigat. Si mœrores obtingant ob præmaturam mortem amicorum, parentum, vel liberorum; argumenta deſumuntur primò ex eo, quia Deus repetierit, quod ſuum erat. Quòd ſi depoſitarius, ſi ſuum repetat depoſitum, non conquerimur, ſed æquo animo eidem reſtituimus, quod ſuum eſt: cur, ſi Deus repetit parentes, liberos, vel amicos, doleamus, cùm, quod ſuum eſt, repetierit? eſt enim Deus Deſpoticus Dominus omnium Creaturarum. Secundò ex eo, quòd fideles nil aliud velle debent, quàm quod Deus vult, qui ſi voluerit parentem, vel liberos nobis auferre: debemus & nos hoc idem velle, ut ſcripſit D. Hieronymus ad Paulam in obitu Bleſillæ. *Bonus eſt Deus, & omnia quæ bonus facit, bona ſint, neceſſe eſt. Mariti orbitas irroga-*

tur, plango, quod accidit; ſed quia ſic placet Domino æquo animo ſuſtinebo; unicus raptus eſt Filius, durum quidem, ſed tolerabile, quia ſuſtulit ille, qui dederat.

30 Tertiò peti poteſt argumentum ab anteactâ vita defuncti, quia ſi bene vixit, quò triſtemur, ratio non ſuggerit, quia æternâ gloriâ donatur: ſin verò malè; neque debemus triſtari, quia pejora egiſſet. Proderit etiam exempla congerere eorum, qui mortem liberorum, vel aliorum æquo animo tulerunt, ut ſanctus Job auditâ liberorum nece, qui ſub collapſæ domûs ruinis priùs ſepulti, quàm mortui fuerunt. Sunt etiam exempla Matris Machabæorum, ſanctæ felicitatis, S. Symphoroſæ, quæ proprios filios ad mortem fortiter ſubeundam pro Chriſto hortatæ ſunt. Habetur etiam exemplum S. Mauritij, qui ad ſingulos ictus, quibus filij occidebantur, exclamavit, Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum. Illuſtre eſt etiam exemplum S. Eliſabetæ, quæ auditâ mariti Ludovici Turingiæ ducis & Landgravij morte, ad Deum converſa dixit: Noſti Domine, quantum ego maritum amaverim; eundem à me repetijſti ad te evocatum; nec invita reddo, ſed nec ſi vel uno capitis mej capillo ad vitam revocare poſſem id vellem, ſi tu nolles. Hoc unum rogo, ut anima illius in cœleſti Patria quieſcat, & ego in obſequio tuo magis tua gratia convaleſcam.

EXPENSIO VI.

De Genere Judiciali.

1 JUdiciale genus domicilium eſſe cœleſtis Minervæ, clypeum innocentiæ, præſidium virtutis, propugnaculum Reipublicæ, nemo eſt, qui ambigat. Imò perjerat innocentia, niſi eam ab hoſtium telis judiciale genus defendiſſet; triumphâſſent nefarij homines, niſi facultas hæc impetuoſos eorum auſus coërcuiſſet. Ab armamentario judicialis generis tela ſumpſit Demoſthenes, quibus Achinem confodit; aureum Midam è Republica expulit, Androcionem perniciosum civem Reipublicæ dignitatibus ſpoliavit, Ariſtocratem, & Dimocratem pernicioſis legibus Rempublicam corrumpentes profligavit. Hoc genus judiciale tanti fecit Euphrates Philoſophus apud Plinium Juniorem *lib. 1. Epiſt. 10.* ut aſſerat, eſſe Philoſophiæ partem pulcherrimam; agere ſcilicet negotium publicum, cognoſcere, judicare, & exercere juſtitiam, & bene; nulla namque gens tam barbara, ac inculto ingenio fuit, quæ ſi ideam aliquam, ſeu umbram Reip. habuerit, ſtatim eam legibus non munierit, & vigente juſtitia non cuſtodierit. Procul hinc commenta Poëtarum ſomniantium Aſtræam, Jovis, & Themidos filiam, ac Juſtitiæ Antiſtitam unà cum aureo ſæculo è cœlo in terras migrâſſe, & tandem mortalium ſceleribus offenſam, cœlum iterum repetijſſe, terráſque reliquiſſe, quia non ſtarent Reſpublicæ, niſi in ijſdem floreret juſtitia.

Judiciale genus ſuam deſumit nomenclationem à judicijs, & cauſis forenſibus, & præter artem bene loquendi, complectitur etiam ſcientiam juris: & duas habet partes accuſationem, & defenſionem: quia quodlibet crimen vel defenditur, vel accuſatur: ejus finis in accuſatione eſt punitio; in defenſione abſolutio: ut rectè adminiſtretur juſtitia debet Judex ſine Genealogia eſſe, ſeu non reſpicere ad conſanguineos, & amicos, ſed æqualiter in omnes exercere juſtitiam: hinc Melchiſedech, cujus nomen idem ſonat ac Rex juſtitiæ, ſine Genealogia fuiſſe dicitur, ut miniſter juſtitiæ in hac exercenda, proprij etiam oblivisceretur ſanguinis: etenim cognatorum amor juſtitiam ſæpe imminuit, & æquitatem evertit. Hinc Judices rectè adminiſtrantes juſtitiam tanto fuerunt apud omnes gentes in pretio; ut Theodoreto teſte Numinum nomenclatione fuerint inſigniti. Olim etiam Reges ipſi munere fungebantur Judicum, de quibus ait Petrus Bleſſenſis: *qui dat Regibus divitias terræ ab eis aurum non poſtulat, & argentum, ſed ut audiant cauſam populi, & arguant pro manſuetis terræ.* Hinc Adrianus Imperator cùm mulierem noluiſſet audire, quæ ab illo jus petebat, ei hæc retorſit: *ſi non vis me audire, noli igitur imperare.* Ægyptiorum Sacerdotes teſte Æliano olim etiam Judices erant, & quidem inter eos Princeps erat major natu, qui in omnes ſtatuendi jus habebat: & eum omnium hominum juſtiſſimum eſſe, ac ſinceriſſimum oportebat, in cujus ſymbolum imaginem ex Sapphiro gemma confectam circa collum geſtabat, & vocabatur *veritas.* Perſæ ſeligebant Judices vitæ integerrimæ, quique incorruptos ſervarent mores: & quanta à judicibus integritate vellent Reges juſtitiam adminiſtrari ſatis teſtatur Siſamnis exemplum, qui convictus, quòd in fungendo munere Judicis præmium accepiſſet, Cambyſes detractam ex ejus corpore pellem ſellæ intendit, & ſuper eam filium ejus judicaturum conſedere juſſit. Utinam noſtris temporibus auri ſplendor Judicum oculos non perſtringeret, eorúmque mentes non obcæcaret, & ob aurum plumbei non fierent Judices: ait Petrus Bleſſenſis: *hodie ſoli avaritiæ ſtudent patroni cauſarum, atque illud venerabile nomen, & glorioſa profeſſio notabili venalitate vileſcit.* Eluceat in Judice primùm amor veritatis, quia ſi ex mendacio aurum cumulet pernicioſus eſt, & cum D. Auguſtino *epiſt. 34.* ei poſſet retorqueri: *Redde quod accepiſti, quando contra veritatem ſletiſti; iniquitati adſuiſti, Judicem feſelliſti; juſtam cauſam oppreſſiſti, de falſitate viciſti.* 2

Quæ ad genus judiciale pertinent pauca perſtringam. Eſt hoc genus multiplex: aliud ſimplex, cum de re una datur judicium: aliud compoſitum, quando plura crimina accuſantur: aliud Anticategoricum; quando eſt mutua accuſatio, ut in oratione pro Milone; Milo Clodium accuſabat, eò quia ſibi parâſſet inſidias: & è converſo adverſarius retorquebat paratas eſſe inſidias Clodio à Milone. Materia circa quam verſatur genus judiciale eſt omne, 3

mne,

omne, quod ſub litem cadit; & de quo poteſt judicium ferri; & eſt vel capitale, vel civile: illud verſatur circa crimina, hoc circa jus, quod defenditur: ad inferendum judicium, circa crimen ſunt ſedulò conſiderandæ circumſtantiæ comprehenſæ in illo ſæpe reperito carmine: *Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.* Ad circumſtantiam *quis*, referuntur natura, conditio, patria, natio, parentum mores, indoles ipſius hominis, qui accuſatur, vel defenditur: ad circumſtantiam *quid* pertinet criminis natura: ad circumſtantiam *ubi* refertur opportunitas loci: ad circumſtantiam *quibus auxilijs*, pertinent inſtrumenta, vires, arma, conatus, ſatellitium; vel è contra ſi defenditur: ad circumſtiam *cur* pertinent cauſæ, quæ movere potuerunt ad crimen perpetrandum, ut eſſet vindictæ cupiditas, ſpes utilitatis, odium, ira: ad circumſtantiam *quomodo*, pertinet modus rei perpetratæ: ad circumſtantiam *quando*, ſpectant temporis opportunitates.

Oeconomia judicialis generis hæc eſt:
4 in accuſationibus exordium plenum erit ſeveritatis, quia ut ait Cicero, Oratores in alijs orationibus ludere poſſunt; in orationibus verò, quæ pertinent ad genus judiciale debent ſeriò agere, In defenſione verò exordium erit plenum manſuetudinis, & clementiæ: poſt exordium ſequitur narratio rei, de qua dandum eſt judicium, & debet eſſe perſpicua, & probabilis: tametſi perſpicuitas communis ſit cujlibet narrationi, juxta tamen Ariſtotelem *lib 3. Rhet. cap. 10.* generi judiciali vel maximè convenit: talis eſt narratio Miloniana, tam artificioſè contexta à Cicerone, ut omnes verè credant, Clodium inſidias paràſſe Miloni. Narratio debet itidem eſſe vera, quæ recenſeat omnes partes diſtinctè; quòd ſi narratio fuerit de re aliqua gravi debet eſſe magis concitata, ac continere varios affectus, quos excitet per figuras exclamationis, objurgationis. Narrationem ſequitur confirmatio, in qua cum ordine ponenda ſunt argumenta deducta à circumſtantijs, authoritatibus, exemplis. Efficaciora argumenta in prima, & poſtrema parte collocantur: debiliora hinc inde per medium conglobantur; deinde claudendus eſt totus diſcurſus epilogo, in quo pro diverſitate quæſtionis diverſi ſunt excitandi affectus, ut in accuſatione motus iræ, ac indignationis; in defenſione affectus miſerationis, ac pietatis. Figuræ ponendæ in peroratione principaliores ſunt Hypothypoſes, Apoſtrophe, Proſopopæja, & aliæ motibus gravioribus excitandis accommodatæ.

5 Oeconomia accuſationis hæc eſt, exordium petitur à miſerijs temporis, à moribus corruptis, ab inſolentia deperditi hominis, vel ab audacia pernicioſi viri, vel à neceſſitate puniendi reum propter bonum commune, vel à criminis gravitate, vel à ſcandalo dato. Narratio patrati criminis eſt concitata, & omnes circumſtantias crimen aggravantes in ea recenſentur ſub gravi quadam figura exclamationis, vel objurgationis. In confirmatione Scelus damnatur argumentis, & exemplis; inducuntur teſtes, explicantur facti circumſtantiæ, & demum in peroratione excitantur motus i- 6
ræ, odij contra patratum crimen.

Apologiæ, ſeu defenſionis oeconomia hæc eſt. Exordium petitur à circumſtantijs locorum, ut facit Cicero pro Cælio: vel à circumſtantijs perſonarum, ut pro Sextio, & Deiotaro; vel ab officijs collatis, ut pro Plancio: vel à perſona, quæ defenditur, ut pro Archia, vel ab erroris confeſſione, ut pro Rabirio; vel à clementia, & humanitate Judicis: vel à perſona illius, qui accuſat explicando ſe moviſſe ex odio, vel ira: poſt exordium ſequitur confutatio potiſſima pars Apologiæ, in qua inſtituenda; alij ex tota accuſatione ſumunt tantùm quædam ſuprema capita confutanda, quibus enervatis, tota facilè corruit adverſariorum accuſatio: quia ſicut grande incendium diductis, quibus alebatur, lignis, facilè extinguitur, ita ſolutis accuſationis argumentis, tota corruit. Alij ſingulas rationes eductas ex argumentis adverſariorum enervant exemplis, & authoritatibus. Demum peroratio Judices exorat ad condonationem, & tota debet eſſe ſupplex, quæque moveat affectus pietatis, & manſuetudinis.

EXPENSIO VII.

De requiſitis ad Juſtitiam ritè adminiſtrandam. 1

SIcut juſtitia fulcimentum eſt, cui innixa Reſpublica non ruat, ſed ſtat firmior; ita judex neceſſe eſt pluribus ſit virtutibus ornatus, legibus inſtructus, æquitatis unicè amans, ſyncerum habeat animum nullo præoccupatum pravo affectu, nullique direſcendi deſiderio, neque extorquendi pecunias à clientibus obnoxium, emineat prudentia, ne decipiatur: fortitudine ne facilè inflectatur, temperantiâ ne voluptatibus corporis addictus, ſinat mentis aciem obtundi ab eſculentis, & poculentis præſertim ultro oblatis à reis: juſtitia, & æquitate, ut ſuum ritè valeat munus obire pluſque oculis fidat, quàm auribus, ne incerta pro certis accipiat; leges calleat, quarum ignorantia plurimum adfert damni in detrimentum juſtitiæ, & innocentiæ oppreſſionem: ait Caſſiodorus: *Non facilè erroris vitio ſordeſcit, quem doctrina purgaverit: contra ignorantia judicis calamitas eſt innocentis.* Manus non aperiat, nec porrigat oblatis muneribus, quia mentem excæcant, ne videat, in quam partem bilanx juſtitiæ propendeat. Splendore auri obtenebreſcit intellectus, qui propterea æquè judicare neſcit: ubi auribus judicis, vel advocati ſuſurrant pecuniæ obmuteſcit juſtitia; quin ubi nummus loquitur Tulliani eloquij tuba rauceſcit; Hectoreæ militiæ fulgura compeſcuntur: ubi enim pecunia pugnat vires expugnantur Herculeæ; ſono pecuniæ ſuffocantur carmina Amphionis, Muſa

Virgilij, Lyra Orphei diſrumpitur; hinc debent Judices puris eſſe manibus, latronibus, ac depecularoribus infeſti, ac inſtar Pelichi ſtatuæ, cujus ea dicitur fuiſſe vis, ut fures veluti injecta re mora retineret. Veritatis itidē debent amantes eſſe; idque cauſæ cur juberetur ſum̄us ſacerdos, qui & populi judex erat, veritatis ſimulacrum juxt pectus deferre addita inſcriptione *Veritas, & illuſtratio.* Non perſonas aſpiciat Judex, ſed ad veritatem oculos dirigat, quam ſequatur, ac tueatur; neque debet præceps eſſe in judicijs ferendis, ſed cunctator, & miſericors in pauperes, quos ſublevet à miſerijs, non opprimat.

2 Advocati, qui ſuorum cauſas agunt clientum, & latinè Cauſſidici, Patroni, oratores, dicuntur, debent itidem ſolam tueri veritatem, ob idque omnem merentur commendationem, & inſignibus honorum titulis in conſtitutionibus Imperatorum ornantur, ut in Theodoſij, & Valentiniani *novella de poſtulando* ibi *digni omnibus honoribus habeantur, qui advocati eſſe meruerint. Quo enim honore impares eſſe credimus eos, qui vitâ & eloquentia reipublicæ, ac privatorum commodis deſerviunt.* Militiæ præfectis etiam pariantur Advocati, eò quia rempublicam propugnent *Cod. lib. 2. tit. 7. de Advocatis diverſ. Indic.* 14. habetur. Advocati, qui dirimunt ambigua facta cauſarum, ſuæque defenſionis viribus, ſæpe publicis in rebus, ac privatis, lapſa erigunt; fatigata reparant, non minus provident humano generi, quàm ſi prælijs atque vulneribus patriam, parentéſque ſervarent; neque enim ſolos noſtro imperio militare credimus, qui gladijs, clypeis, & thoracibus nituntur, ſed etiam advocatos. Militant enim cauſarum patroni, qui glorioſæ vocis confiſi munimine laborantium ſpem, vitam, & poſteros defendunt. Hæcque cum minimè latuiſſent S. Petrum Damianum *ſerm. de Reſurrect. domini* ait: qui glorioſæ vocis confiſi munimine lapſa erigunt, fatigata reparant non minus provident humano generi, quàm ſi clypeis, & thoracibus ſe ſe patriámque defendant.

3 Sed ſi Advocati ſint indocti clamoſi, pecuniarum amantes, munerum receptores, & perſonarum acceptores totum præclari nominis ſplendorem obſcurant, auro inhiantes, cujus nitore cæcutientes veritatem non vident, quam defendant, & propriùm negligentes officium ſoli ſtudent lucro, contra quos invehit Petrus Bleſenſis inquiens. *Hodie ſoli avaritiæ ſtudent patroni cauſarum; atque illud venerabile nomen, & glorioſa poſſeſſio notabili venalitate viloſcit:* hos Advocatos à judicijs ſubmoveri voluit Carolus magnus *in capitulari de pace cap. 12.* Eo quia plurimum afferant detrimenti reipublicæ: ait Carolus Magnus. *Pravi Advocati tollantur, & vice domini, & Vicarij, & centenarij & tales eligantur, qui ſciant, & velint iuſtè cauſas diſcernere, ac terminare.*

4 Claudius itidem Imperator, inſigni animadverſione ſublatos voluit à Judicijs imperij, qui pecunijs inhiantes officium proprium depravant: Julium Gallicum Romæ Advocatum juſſit in Tyberim proijci, quò avaritiæ ſordes aquis abſtergeret Tyberinis, ſimúlque præfocatus reliquum, quod ei vitæ ſupererat extingueret, ut refert Zonara: hinc Domitius Afer Patronus reorum præſtantiſſimus cuidam imploranti ſuum auxilium reſpondit: *quis tibi indicavit me natatorem Gallico meliorem eſſe.* Indicavítque, à nemine injuſtæ cauſæ patrocinium eſſe ſuſcipiendum, niſi fore ſperaret, ut aquis innatans Tyberinis, Claudij Imperatoris furorem eſſet declinaturus, ac frigido latice principis iram temperaturus. 5

Præ cæteris in Cauſidico, ſeu Advocato neceſſe eſt ſplendeat amor veritatis; quia ſi ex mendacio lucrum reportet reprehenditur à D. Auguſtino, & ad reſtitutionem adigitur epiſt. 14. *Redde quod accepiſti, quando contra veritatem ſtetiſti; iniquitati adfuiſti, judicem ſefelliſti, juſtam cauſam oppreſſiſti, de falſitate viciſti.* Non lucri cauſâ lites excitet, excitatas protrahat, quod non niſi cum detrimento contingit clientis, qui ad graviores adigitur expenſas: hanc ſanguinariam, & de miſerorum viſceribus paſtam eloquentiam averſetur; non lucro inhiat, ſed pauperum, & oppreſſorum levamini ſtudeat; clientis utilitatem promoveat, veritatem cauſæ propugnet. Ad id autem prævia requiritur juris notitia, ſine qua cæcutiens neceſſe eſt in graves impingat errores veluti in ſcopulos, ubi æquitas naufraga perit; & Petronius advocatum juris inſcium non Patronum, ſed rabulam vocat, & lurconibus pares facit. Hinc Anaſtaſius Imperator inhibuit, ne quiſpiam albo inſcriberetur Cauſidicorum, niſi per ſtatuta tempora operam dediſſet legibus perdiſcendis, ac ſpecimina ſuæ eruditionis oſtendiſſet. Et in concilio Baſileenſi præcipitur, ne quiſpiam ſtudioſus audeat officium cauſidici exercere, quin per quinquenium legum ſtudia abſolverit in aliqua ex approbatis Academijs, ac proclamatus fuerit juris civilis, vel Pontificij Baccalaureus, exceptis filijs natis ex utroque parente nobili, quibus ſufficit triennium. 6

Neceſſe eſt enim, ut Cauſidicus non perfunctoriè academiam ſalutaverit, & extimis dumtaxat labris fuerit jus Cæſareum, & Pontificium exoſculatus, ſed pleno pectore fuerit utroque imbutus, & quia ambæ leges humanæ ſunt, ac dependentes à divina, à qua totam ſuam hauriunt honeſtatem, & rectitudinem; debet itidem explorata eidem eſſe lex æterna, quæ lex eſt amoris, Deo innata, & nobis data, ut ad ejus uniformitatem operemur: eſt autem hæc lex æterna nobis data, decalogus, cujus obſervantiæ debet quilibet Chriſtianus adhærere, & à fortiori cauſidicus, qui à lege divina deflectere nunquam debet; ſed perpetuò eidem hærere; poſtea deſcendere ad leges duodecim tabularum, quas commendat Tullius *lib. 1. de Orat.* ubi ait, Bibliothecæ omnium Philoſophorum mihi videntur dependere ab unico duodecim tabularum libello, qui authoritatis pondere, ac utilitatis ubertate reliquos ſuperat Philoſophorum libros. Inde ju-

ria

ris ſtudioſi ad veteres Romanas leges tranſeunt: quæ poſt Pomponium à plerique alijs compilatæ fuerunt: poſtea ad Juſtiniani Inſtitutiones, & ad reliquas partes corporis civilis, quod ut eſt in uſu in Academijs Europæ tribus præcipuè partibus conſtat, ſcilicet Inſtitutionibus, Pandectis, ſeu digeſtis, & conſtitutionibus codicis, qui nunc præcisè Codex dicitur; hiſce adduntur novellæ, & authenticæ; quibus apprimè inſtructus Cauſidicus deſcendit ad ſtatum, & tractationem cauſarum. Eſt ſtatus, quæſtio, quæ ex primo cauſarum conflictu naſcitur; pro quo debet innoteſcere quid ſit intentio, depulſio, quæſtio, ratio, ratiocinatio, infirmatio, quæ ſingula fuſiùs explicat D. Auguſtinus in ſua Rhetorica. Eſt intentio cùm crimen aliquod intenditur ab adverſario. Depulſio cum crimen defenditur à Reo, & ex hoc conflictu oritur ſtatus cauſæ. Quæſtio an crimen à reo patratum Majeſtatem principis læſerit. Ratio eſt, quæ affertur, in cauſæ fundamentum, Rationis infirmatio, cum diluitur, quod ad fulciendam cauſam affertur. Judicatio eſt ſumma totius rei, & ſtatus quæſtionis, ad quem collineare debent omnes argumentationes.

7 Ut autem reus trahatur in judicium neceſſe eſt accuſetur; eſt autem accuſatio rei coram judice delatio ritè ſervatis formulis judiciorum, ut accuſatio honeſta ſit, & gravis; non enim accuſator eſt lividus calumniator, qui crimina ex livore, & ſola imaginatione nata adfert in judicium; ait Cicero: accuſatio crimen deſiderat, alioquin mala, & nugatoria eſt. Verùm cum accuſatoribus præmium promitteretur, tanta fuit accuſandi aviditas, ut nulla ſatis munita videretur adverſus improborum linguas innocentia, ac neceſſarium fuerit hunc accuſandi abuſum ab imperatoribus coerceri, & graviſſimis pœnis falsò accuſantes multari. Depoſita accuſatione ab Actore tenetur Reus ſe purgare, & apologiam, ſeu propriam defenſionem opponere accuſationi, quæ pro perſonarum, rerum, & argumentorum ratione varia, eſt ac multiplex: ſi enim accuſatus verè eſt nocens operoſior eſt defenſionis ratio, præſertim ſi acerrimum habeat accuſatorem.

8 Quòd ſi res manifeſtiſſimis teneatur indicijs; tunc facti excuſatio petenda eſt à varijs circumſtantijs, quæ in rem cadunt, poſſùntque facti pravitatem minuere; idque utilius reo eſt, quàm inficiando fruſtra laborare; ſin verò accuſatus ſit innocens, tunc vel ipſa innocentia defenditur, Vix reperitur calumniator tam ſubdolus, tamque callidus, quia interrogatus varias ſuper circumſtantias temporis, loci, inſtrumentorum, perſonarum non impingat. In apologia, præmitti ſolet exordium, in quo defenſionis ratio affertur, & nonnulla etiam exhibentur de rei circumſtantijs, quibus ad confutationem via ſternatur: inde præcipua accuſationis capita dilucidè diſtinguuntur, & acriter impugnantur præſertim à circumſtantijs, poſtea in peroratione principis juſtitiam laudat, quæ fulcimentum eſt reipublicæ.

LIBER VII.

De Elocutione, ſeu Figuris.

QUemadmodum à Principe Planetarum, qui ſui luminis eſt faber ſyderum turmæ ſuos recipiunt ſplendores, quibus aëreo coruſcantes in theatro cœlum veluti Argum exhibent tot adapertis oculis vigilem, quot variatum ſyderibus coruſcum; vel hortum quot purpureis conſitum roſis, tot nitentibus ornatum ſtellulis, ita regina eloquentia quidquid ſplendoris, ac dignitatis habet ab elocutionis jubare haurit. Huic diſpliceant roſæ, & balſama, cuj non placet ornatus elocutionis: hortus enim eſt elocutio varijs conſitus arboribus, innumeriſque florum diſtinctus areolis ad demulcendos animos, eóſque alliciendos accommodatis, imò & flectendos; ac eloquentiæ illicio, perinde ac aureis Gallicani Herculis catenulis ad ſe trahendos. Ejus ſtylus veluti pellucidus rivulus per obliquos decurrit meandros, totus dulcis, candidus abſque ullis ſalebris; quia quaſi ſedatus amnis fluit deoſculans in ripis marginalibus vernantis Floræ jucundiſſimos partus. Areolæ argutæ ſunt, ac amœnæ compoſitiones, tot depictæ floſculis, quot variatæ figuris, quæ quoddam præſeferentes jucunditatis aucupium, plurimum habent ſuavitatis ad exhilarandos animos.

EXPENSIO I.

De Antiquis Oratoribus, qui elocutionem commendârunt.

1 THemiſtocles vir ad oratoria decora natus, & ornatus omni elegantis eruditionis flore, qui vel puer, ſeu eo tempore, quo cæteri inter innocentis ætatulæ blanditias dies in nugis terunt, jam in profundioribus mentis receſſibus accuſationes, ac defenſiones ſociorum meditabatur; apud Perſarum Regem dixit; orationem varijs, pictiſque ſtragulis ſimillimam eſſe, eò quia varijs figurarum imaginibus debeat picta incedere. Plato *divinus* nuncupatus, eò quia dicendi majeſtate limites virium prætervolâſſet humanarum; in cujus ore mellificârunt apes, diceretúrque propterea Atticum melos perfundere; in cujus lingua cecinerunt luſciniæ, feſſitavit Suada, adeo ut aſſerverint alij, quòd ſi Jupiter græcè loqui voluiſſet, Platonis ore fuiſſet locutus: & perinde ac Jupiter in cœli ſolio ſedens Deos, deáſque, omnes è catena aurea pendentes ad ſe reluctantes pertraheret, Plato inquam, qui cæterorum Oratorum turmam dicendi ſuavitate, ac aureo eloquentiæ flumine antecelluit, elocutionis pompam commendans, viridario æquiparat, in quo ridente Aprili omnia florum genera luxurient: quia non aliud eſſe dixeris ornamenta elocutionis, quàm ridentes vernæ temperiei flores gratam olentes ſuavitatem.

Iſocrates Athenienſis blandula in eloquentiæ ſedato pelago ſirenula vocatus, qui licèt tibiarum fabri filius; Palladis tamen fiſtulas, tam concinnè harmonico eloquentiæ ſonitu vocales effecit, ut ejus nomen noſtris 2

etiam

etiam temporibus ſuavitatem, ac delicias perſonet; cujus facundia, dictio dulcis, ac amœna, veneribus perfluens, flumen videatur æmulari lacteum, quod ſine murmure, ac ſtrepitu fluat, & intima pectora iuundet. Is ob vocis gracilitatem, frontiſque mollitiem à forenſi ſtrepitu ad privatos gymnaſij penates ſe tranſtulit, nbi eam gloriam ſibi comparavit, quam nemo poſtea eſt conſecutus; cujus lycæum à Cicerone dictum fuit equus Trojanus, è quo Principes omni eloquentiæ genere ornati prodierunt; qui primus philoſophica elucidavit dogmata, ac orationem incepit delicatioribus intexere floribns, quibus eloquentiæ apicem viſus eſt attigiſſe. Is inquam elocutionem commendans eam iridi æquipatavit varijs depictæ coloribus: quia ſicut in iride varij affulgent colores, qui inſpicieutes alliciunt, & recreant; ita elocutio figurarum varietate animos allicit, & in quandam rapit admirationem.

Ariſtoteles ingens illud caput bonarum
3 artium omnium capax, ingenium velox, & planè igneum; cujus prudentia admixta affabilitate dignum imperio hominem conſtituebat, qni in diſquirenda rerum omnium natura mentis ſubtilitate cœlum, & terram penetravit; qui in Ethnicis, Politicis, oeconomicis ſcribendis auream adhibuit opulentiam, etiam elocutionem in aureis ſuis Rhetoricorum libris commendavit, extuliſque ſuper ſydera.

4 Demoſthenea totins Græciæ ornamentum, eloquentiæ munimen, ſapientiæ decus, Palladis fulmen, eloquentiæ flumen, cujus facundiam admirata Græcia, ac fandi libertatem, ſenſit ſe ſimul deterreri, ac demulceri, cùm in orationibus tonaret, fulminaret, demulceret; & omnia permiſceret; qui nihil Lyſiæ ſubtilitate ceſſit, nihil argutija, & acumine Hyperidi; nihil lenitate Eſchini, cùm omnes Atticos aliorum Oratorum flores eloquentiæ cultura ſublimitate, & impetu ſuperaverit. Is inquam Demoſthenes elocutionem ſyderibus ſimilem fecit, eò quia non plus ſplendoris, ac ornamenti cœlum à ſyderibus latè lucentibus excipiat, quàm eloquentia ab elocutionis figuris, & ornamentis, decoris, ac pompæ.

Theophraſtus, cuj nomen dedit loquendi
5 divinitas, cùm antea Tyrtamus vocaretur, in ſinu Palladis, cum adoleviſſet eos eloquentiæ amœniores flores excoluit, nt à Cicerone Philoſophorum eruditiſſimus appellatus fuerit: ac in extremis vitæ conſtitutus ad ſuos converſus diſcipulos auream hanc protulerit ſententiam dicens: *In vita plus eſſe vanitatis, & amore gloriæ nihil eſſe inanius*: is inquam tanti elocutionem fecit, ut conſito ad omnem elegantiam comparaverit horto florum varietate perpetuò ridenti.

Cajus Gracchns vir præſtantiſſimi inge-
6 nij, qui dum ad populum Concionaretur nulli in dicendi copia ſecundus fuit, quis enim illo gravior in laudando? acerbior in vituperando? in ſententijs argutior, in docendo ſubtilior ſubijciam fragmentum ex dirutis antiquitatis ruderibus intactum ſervatum in illa aporia, ac querela, quam aureus vir habnit ad populum, verba ſunt hæc: *Quo me miſer conferam? in Capitolium ne? at fratris ſanguine redundat? an domum; matrem ne, ut videam lamentantem, ac abjectam?* Is igitur ad omne eloquentiæ ornamentum natus ſummis laudibus
elocutionem commendavit. 7

Marcus Tullius Romanæ eloquentiæ Princeps, in quo omnium ingeniorum virtutes in unum collectæ viſæ ſunt ad ſuprema effloruiſſe decora: cujus orationes nectare, & ambroſiâ diſfluunt, cujus vis in dicendo Romana pectora confodiebat; cujus ſuavitas animos demulcebat. Is pluribus laudibus in ſua Rhetorica elocutionem excepit, quam & edocuit.

EXPENSIO II.

De Ornatu Elocutionis.

REgio Paludamento aureis intexto figuris, 1
omnique elocutionis flore acu picto veſtienda eſt oratio: dedecet enim veſtis plebeja ornatu deſtitnta eloquentiæ majeſtatem: ſicut animus noſter eſt hortus indigens cultura, ne ſterileſcat; cujus Coloni ſunt præceptores, ſemina eruditiones, flores ſcientiæ, & fructua immortalitatis virtutum lumina: ita oratio niſi ornatu elocutionis, & vario figuratum flore, & eruditionum fructn diteſcat, flocci fit. Non tamen ornacus elocutionis ſitus eſt, ut alij ineptè putant in ſelecta quadam verborum elegantia, vocúmque concinnitate, ait enim Quintilianus *lib. 8. cap. 13. An ego fundum cultiorem putem, in quo mihi quis oſtenderit lilia, & violas, & amœnos fontes ſurgentes; quàm ubi plena meſſis, aut graves fructus, vites erunt? ſteriles platanos, tortaſque myrtos, quàm maritatas ulmos, & uberes oleas peroptaram?* Præcipuus elocutionis ornatus non ſolum conſiſtit in apta verborum elegantia, verùm etiam in optima rerum ſtructura, & concinnitate, gravis, ac rotundæ periodi. D. Leo Papa eloquentiâ & ſanctitate *magnus* reſilientium vocum amœnitate ſuas heroicas conſtruit perjodos, ut legimus in ſuis homilijs, & præſertim in elegantiſſima illa panegyrica oratione, qua commendat Principes Apoſtolorum; ait enim: Omnium quidem ſanctarum ſolemnitatum dilectiſſimi totus mundus eſt particeps, & unius fidei pietas exigit, ut quidquid pro ſalute vniverſorum recolitur commnnibus ubique gaudijs celebretur; verumtamen hodierna feſtivitas præter illam reverentiam, quam toto terrarum Orbe promeruit, ſpeciali, & propria noſtræ urbia exultatione veneranda eſt: ut ubi præcipuorum Apoſtolorum glorificatus eſt exitus; ibi in die Martyrij eorum ſit lætitiæ principatus: iſti enim ſunt viri, per quos tibi Evangelium Roma reſplenduit; & quæ fueras magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis.

Har-

2 Harmonia verborum requiritur in concinnitate periodorum, & ornatu elocutionis: voces debent eſſe ſonantes, compactæ ex vocalibus a, e, i, o, v, quia hæ vocales quandam majorem concinnitatem tribuunt vocibus, poſſúntque eſſe, vel promiſcuæ, vel uniformes; exempla vocalium uniformarum ſunt, *tartara, barbara*: exempla promiſcuarum *per Jovem tonantem, pharetratum militem.* Quamobrem ſi res intimiùs perpendatur Majeſtas illa loquendi reginæ Junonia ab alio originem non trahit, quam à concinnitate vocalium: audi, quâ harmonica gravitate loquatur apud tragicum Senecam

Soror tonantis hoc enim ſolum mihi.
Nomen relictum eſt: ſemper alienum Jovem,
Et templa ſummi vidua deſerui Ætheris,
Locúmque cœlo pulſa pellicibus dedi.

3 In elocutione verba humilia, humi repentia, ac ſordida ſunt omninò rejicienda; debet elocutio elegantiam præſeferre, quæ bipartitur in latinitatem, & explanationem. Illa ſermonem purum ſervat, ſolæciſmos, & barbariſmos omnino declinat, & honeſtam in omnibus ſectatur orationis munditiem, adeo ut verba, quæ afferimus nemo jure poſſit reprehendere, & cohæreant ſuis caſibus, temporibus, numeris, ac generibus, ne quid perturbatum, aut præpoſterum ſit. Explanatio reddit orationem apertam, ac dilucidam, & exigit verba uſitata, ac propria: illa, ſunt, quæ verſantur in ſermone, & conſuetudine quotidiana: propria quæ ejus rei verba ſunt, aut eſſe poſſunt, de qua loquimur.

4 Rurſus ad elocutionem requiritur compoſitio, & dignitas; illa eſt ſtructura partium orationis, cujus officium eſt, verba inter ſe ritè connectere, ne quid præpoſterum ſit, ne quid aſperum, ne quid obſcuratum negligentius, ne quid expreſſum putidius: & ſicut artifices, qui verſicolore ornatu veſtes acu pingunt, ac diſtinguunt; ſic Oratores eleganti verborum textura, neceſſe eſt, orationem exornent, ut auditores voluptate perfundantur: verba ſiquidē quamvis nobilia, elegantia, & mellea plurimum deperdunt ornamenti, niſi aliqua ſtructuræ ratio, & concinnitas acceſſerit. Dignitas, quæ nobiliſſima eſt elocutionis pars tota conſurgit ex figuris, de quibus in hoc libro ſermo erit. In id igitur debet Orator ſtudij incumbere, ut verba humilia rejiciat, vel ſaltem ut per Synonima incrementum ſubeant, ut eſt illud Ciceronis, *abiit, exceſſit, erupit, evaſit*: vel per hyperbolem, *currit, avolat amor ignis.* Rurſus rejicienda ſunt verba antiquata, & quæ noſtris temporibus ampliùs in uſu non ſunt, & in oblivionem abierunt, ut latinè *Averuncaſſo, levaſſo*, pro averto, levo. Periodus itidem debet eſſe rotunda, & graviter fluere: eſt enim denſa, & continens frequentatio verborum cum abſolutione ſententiarum.

5 Cavendum tamen eſt, ne juſtæ periodi explendæ gratiâ verba immiſceantur inania; quia nihil puerilius, quàm à vera, ac germana eloquentia deflectere. Partes periodi ſunt *Colon*, ſeu membrum, vel intermiſſio, & *Comma*, quod articulus dicitur. *Colon*, ſeu membrum eſt oratio ſenſûs perfecti, ſed ſuſpenſi ex toto corpore periodi abrupta: vel res breviter abſoluta, ſine totius ſententiæ demonſtratione. Demetrius comparat colon cum manu, quæ ita pendet à corpore, ut in ſe cumulatam habeat naturæ ſuæ perfectionem. *Comma*, ſeu articulus habetur, cùm ſingula verba intervallis diſtinguuntur. Exemplum membri eſt ex Cicerone: *Antequam P. C. dicam ea, quæ hoc tempore dicenda arbitror*: hæc pars periodi dicitur *Colon*, quia ſenſum ſuſpendit, quem abſolvit per hanc aliam partem: *Exponam vobis breviter conſilium profectionis, & reverſionis meæ.* Exexmplum articuli exhibet etiam Cicero: *Acrimonia, voce, vultu adverſarios perterruiſti*: unde *Comma* eſt pars *coli.* Ut autem harmonica ſit periodus claudi debet voce aliqua prolixiore, quæ tamen non ſit abſtruſa, ſed jucunda, & ſuavitate plena, ut docet Terentianus inquiens.

Plurimum orantes decuit, quando pede in ultimo.
Obtinet ſedem beatam, terminet, ut clauſulam.

6 Hoc præceptum ſervavit princeps Romanæ eloquentiæ, cujus eſt hæc periodus: *Non iſta quidem erunt meliora, ſede certè condita jucundiùs; etiam in veteris fortunæ diſcrimen adducitur, dolores, querelaſque cognoſcite.* Rurſus periodi, ut graviùs incedant pedibus ſunt ſuis conſtruendæ, in qua ſtructura non parum debet Orator impendere ſtudij, præſertim in dactilis cum ſpondæis jungendis: plenum majeſtate, ac ſuavitate habetur carmen Claudiani, eò quia conſtet ex tribus dactilis, & totidem ſpondæis.

Hæc largo matura die ſaturatáque vernis.

Suaviores tamen ſunt voces, quæ ordine alphaberico promiſcuas vocales ſervant, ut ſunt voces *Alebricoſus; acerrimorum hoſtium furor*; vel *quàm bellicoſus Imperator.* Cavendum tamen, ne affectata ſyllabarum ſimilitudine Orator edat ſonitum illum, qui à Græcis *Cacophonia* dicitur: hinc Virgilius ad hunc declinandum ingratum ſonitum ſimilium ſyllabarum imitatus carmen Ennij; quo ſonitum bellicæ tubæ exprimebat.

At tuba terribili ſonitu TARANTARA *dixit.* 7

Virgilius declinaturus vocem illam *Tarantara* ex ſimilibus Syllabis compactam dixit.

At tuba terribilem ſonitum procul ære canoro.
Increpuit.

EX.

EXPENSIO III.

De Tropis, quid, & quotuplex ſit Tropus.

1 TRopus eſt verbi, vel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio, ut cum dico: *ſydera nocturno tempore luctuoſo induta peplo in ſqualore jacent, roſcidis lacrymis emortuo ſoli parentatura:* ubi *luctum* proprium hominis transfero ad ſydera inanimata. Plurimum habet illicij, & in oratione ornamenti tropus, ſi ritè adhibeatur: nulla enim re magis oratio ſplendeſcit, quàm troporum luminibus; reperet humi, ac ſordeſceret oratio ſine tranſlatorum verborum dignitate, & perinde ac hortus ſine floribus ſylveſceret, ſine viretis areſceret, ſine acumine frigeret; & ſine gratia diſpliceret. Quamvis oratio ex proprijs contexta vocibus, plurimũ habeat perſpicuitatis, Ariſtoteles adhuc *lib. de arte Poët. cap. 2.* negat, eam magnificam, ſplendidam ac ſublimem eſſe, ſi tropis fuerit deſtituta, & aſſerit, certiſſimum defœcati, ac præſtantiſſimi ingenij ſignum in harum accommodato uſu metaphorarum elucere. Ratio cur vocum elegantia plurimum habeat aucupij ad animos demulcendos, & metaphora delectet, eſt, quia cum vox ex propria ſignificatione in aliam veluti è patria in alienum ſolum transferatur, peregrina ſtatim apparet, extera, & nova, proinde pulchra, & illicio perfuſa. Delectamur hiſce novitatibus, quæ propterea gratiam conciliant orationi: ſumus è natura ita comparati, ut peregrina nobis magis arrideant, quàm noſtra; nova magis placeant, quàm alia, quibus jam aſſuevimus; inuſitata demulceant ſuaviùs, quàm quæ quotidie noſtros cadunt ſub oculos; fuco, & pigmentis ornata blandiùs alliciunt, quàm quæ nativo ſplendore abſque ullo aſcititio mentientis artis colore ſplendeſcunt. Voces, quæ nobis ſuaviùs, & elegantiùs videntur in oratione ſonare, à novitate hauſerunt, quidquid illicij præſeferunt, ac venuſtatis, ſeu à tropis, quibus lumina eluceſcunt orationis. Bifariam tropi partiuntur in tropos verborum, & ſententiarum; tropus verbi eſt mutatio propriæ ſignificationis illius in minus propriam, ſúntque tropi verborum ſeptem; Metaphora, ſynedoche, Metonymia, Antonomaſia, Honomotopæja, Catachreſis, Metalepſis. Tropi ſententiarum ſunt quatuor Allegoria, Periphraſis, Hyperboton, Hyperbole.

2 Metaphora vox eſt græca, quæ latinè idem eſt, ac translatio; ſitque propterea metaphora translatio propriæ ſignificationis vocabuli in aliam minus propriam propter ſimilitudinem, ut eſt, hæc metaphora: *Sol radios ſuos per totam tellurem, quam fœcundat,* DISSEMINAT, ubi transfero ad ipſum ſolem verbum ſeminandi proprium Agricolæ. Vulgatæ ſunt etiam illæ metaphoræ, *Prata rident, gemunt vites, lætæ ſegetes.* Verùm hujuſmodi metaphoræ interdum convertuntur, quia ſicut cùm dico prata RIDENT, transfero ad prata RISUM proprium hominis, ita è converſo poſſum transferre ad hominem, quod pratorum eſt proprium, ut *juvenis ille eſt in FLORE ſuæ ætatis*, vel *FLORESCIT in vere ſuæ juventutis.* Non tamen ſemper Metaphoræ convertuntur: nam licuit Poëtæ radicem montis pedem vocare; & transferre ad montem, quod eſt proprium animalis: at hominis *pedem* non rectè diceremus *radicem* ejuſdem. In definitione Metaphoræ dixi propter ſimilitudinem, quia tutior eſt metaphora, & jucundior, quæ fit per ſimilitudinem, quod Platoni, & Zenophonti familiare eſt: quo pacto pulchra eſt illa metaphora de ſagitta emiſſa ab arcu, & dicimus *tela in adverſam aciem VOLARE*, volucres, & ſagittæ dicunt ſimilitudinem in motûs velocitate, & in hoc ſenſu intelligitur Marcus Tullius cùm dixit: *Ex omni genere frequentiſſimæ translationes erunt, quæ propter ſimilitudinem fiunt.*

Habentur metaphoræ per ſimilitudinem cum plura ſimul conveniunt in quantitate, vel qualitate, ut *nives, lilia, canities, lac, ſpuma*, conveniunt enim in qualitate, ſeu colore albo, unde propter ſimilitudinem in qualitate poſſum vocare montium *nives*, venerandam ſeneſcentis anni *canitiem*; vel *frigida alpium lilia*; è converſo canitiem hominis poſſum vocare *nives*, & dicere *In frigida ſeneſcentis Decembris hyeme verſatur hic homo, id indicant nives, quibus ejus caput albeſcit:* de lilijs poſſum aſſerere eſſe *animatas hortorum nives:* & hyemali tempore *cadentia nivium vellera* poſſum dicere, eſſe Boreæ, vel nubium *ſpuia.* Quemadmodum metaphoræ per ſimilitudinem factæ plurimum habent aucupij, & amœnitatis; è converſo metaphora diſſimilitudinis vitioſa cenſetur, ut eſt illa vulgaris *Cæli, fornices*, vel illa de Ephebo, cujus mentum vix quatuor pili incipiunt tingere, ſi quis diceret, *barba tua jam tota ſylveſcit*, quæ metaphora eſſet vitioſa, quia peccaret in nimia diſſimilitudine. 3

Metaphoræ interdum rem augent, nonnunquam minuunt, ut cùm dicimus *cœlum canere tubâ*, pro tonare, rem enim magnam tenui explicamus metaphora, cùm ſint tonitrua omni tubarum clangore longè majora, ac ſtrepitu grandiora. Metaphora augens eſt illa Xenophontis, quâ magnificè dixit *nudare exercitum*, ac ſi procelloſum eſſet mare: vel *undantia vexilla Mavortis.* Cæterum metaphorâ utimur ob neceſſitatem: quando verbum proprium præſto non eſt, uſurpamus translatum. Conſuetudo itidem inolevit metaphoricè loquendi: dicimus enim ex conſuetudine *acutum ingenium, hominem acerrimum, mores aſperos, inflexiles, duros, incultos*, quæ omnia ſunt metaphorica, & translata: hinc cùm conſuetudo metaphoras invexerit, nonniſi moderatè ijſdem uti debemus, frequentior ſi fuerit earum uſus dithyrambos potiùs, quàm orationes efficit. 4

Quatuor modis metaphoræ, ſeu translationes à re propria ad impropriam fiunt. Primò 5

mò cum transfertur nomen à rebus animatis, ad res animatas, ut eſt illa metaphora Diogenis Cynici, qui ob cenſuram, quâ hominum mores arguebat *allatrator audijt*: latrare proprium canis ſenſitivè animati trânsfertur ad hominem rationalem. Talis eſt etiam metaphora Pſal. 2. *Quare fremuerunt gentes.* A re animata ad aliam animatam pulchra eſt translatio Lucani, *crinémque rotantes.*

Sanguineum populis ululârunt triſtia Galli.

Seu Cybeles ſacerdotes Galli nuncupati cruentatum caput agitantes dira populis vaticinati ſunt: *ululare* à lupis transfertur ad homines, à re animata ad animatam. Secundò cùm transfertur nomen à rebus inanimatis ad res inanimatas, ut ſi vocem *naves* trajicientes æquora, Neptuni errantes *arces*: transfero nomen à re inanimata ad inanimatam, quia tam naves, quàm arces animâ deſtituuntur. Trita eſt etiam illa metaphora in ſcholis decantata *Concentu virtutum nihil eſt ſuavius.* A re inanimata ad inanimatam pulchrè Virgilius de enſe Æneæ dixit: *Atque illi ſtellatus Jaſpide fulva enſis erat.*

6 Tertio cùm transfertur nomen à rebus animatis ad res inanimatas, ut ſi dicam in nece Chriſti Domini: *pavida tellus tota contremuit.* Pavor, & tremor ab homine animato, cuj conveniunt transfero ad terram inanimatam. Talis eſt etiam metaphora Prophetæ, qui ſignum daturus Chriſti natalitij dixit: *tunc exultabunt omnia ligna ſylvarum, & omnes colles*, transfertur verbum exultandi proprium hominis animati ad colles inanimatos. Virgilius à re animata ad inanimatam pulchrè dixit: *Pontem indignatus Araxes*, ſeu Araxes fluvius non eſt paſſus pontem ſibi imponi, quem propterea aquarum impetu diſrupit: illa vox *indignatus* propria hominis tribuitur fluvio.

Quartò cùm transfertur nomen à rebus
7 inanimatis ad animatas, ut cùm de ſanctis purpuratis Martyribus dico: *Adamantina pectora objeciſſe carnificum immanitati*: vox *adamantina* propria gemmarum, quæ anima deſtituuntur transfertur ad pectus animatum hominis. Eadem eſt metaphora cùm dicitur *homo ſcrupuloſus*, transfertur quod proprium eſt terræ inanimatæ, quæ in ſe continet ſcrupulos, ſeu minutos lapillos, ad hominem animatum. Pulchra eſt etiam metaphora, quâ uſus eſt Deus ad indicandum quod eſſet impertiturus nobis ſuam gratiam, dixit enim: *Auferam à vobis cor lapideum.* A re inanimata ad animatam Virgilius explicaturus in homine iraſcentis, ac concupiſcentis animi turbulentos motus transfert à re inanimata, ſeu à procelloſo mare *æſtum*, quem tribuit homini animato,

Sævit amor, magnóque irarum fluctuat æſtu.

Fluctuare proprium maris transfertur ad animi commotiones.

EXPENSIO IV.

De Synedoche.

Hic tropus plurimum habet aucupij, ac leporis, eſtq; fons amœnus, è quo ſcaturiunt veneres, & ſales. Eſt ſynedoche vox græca, 1
quæ latinè idem eſt, ac *conceptio*, vel *intellectio.* Hic tropus octo modis fieri poteſt. Primò ſi ſumatur pars pro toto, ut *Capitolium* pro Roma, *Carina* pro navi, Virgilius lib. 2.

Non anni domuêre Ducem, non mille carinæ.

Cicero ſumens tecta pro tota domo. *Philipp. 2. num. 104.* ait. *ô tecta ipſa miſera, quàm diſpari Domino tenebantur, & Philipp. num 6.* ſumens *Mucronem* pro enſe. eleganter ait. *Quouſque igitur is, qui omnes hoſtes ſcelere ſuperavit, nomine hoſtis carebit? niſi mucrones etiam noſtrorum militum tremere vultis, & dubitare, utrum in cive an in hoſte figantur.* Eodem pacto ſumuntur etiam flumina pro Provincijs, per quas diffluunt, ut *Nilus* pro Ægypto, *Padus* pro Italia, *Iſter* pro Germania, *Thamaſis* pro Anglia, *Rhenus* pro Germania inferiore, *Sequana* pro Gallia, *Iberus* pro Hiſpania, *Tagus* pro Luſitania, *Schaldis* pro Belgio, *Mœnus* pro Franconia, *Boriſthenes* pro Lituania. *Ganges* pro Aſia, *Niger* pro Africa, *Fluvius Amazonum* pro America.

Secundò ſumitur totum pro parte, ut flu- 2
men pro aqua ejuſdem, Virgilius lib. 1. Æneid.

Pabula guſtâſſent Troiæ, Xanthúmque bibiſſent.

Vel cum dico ad exprimendum cruentum bellum Gallos inter & Hollandos: *Europam totam effuſo adhuc fumare cruore, totámque horrere armis, & in ipſa non niſi mortis ferales cupreſſos ab ebrio ſanguine ferro reſecari.*

Tertiò cùm ſingularis numerus ſumitur 3
pro plurali Virgil. 2. Æneid. *Utrumque armato milite complent.* Et David Pſal. 77. *Miſit in eos Cœnomyam, & comedit eos, & ranam, & diſperdidit eos.* Sumit ranam in ſingulari pro ranis in plurali.

Quartò è converſo ſumitur pluralis nu- 4
merus pro ſingulari, ut cum dicimus Pompeios, Annibales, Scipiones in plurali pro Pompejo, Annibale, Scipione in ſingulari, ut ſi dicerem. *Quales erant triumphi, quales acclamationes, qualia victoriarum monumenta, cum Titi, Veſpaſiani, Conſtantini ſolemni pompa veherentur victores in urbem? ibant ante currum depreſſo collo, ſubactis cervicibus, victi ſimul & vincti Ægyptij, Perſæ, qui famulari jugo conjuncti ſonanti compede currum trahebant.* Uſurpatio pluralis numeri pro ſingulari elegans eſt, ac Poëtis familiaris. Claudianus deſcripturus Stilliconis inflexilem fortitudinem, qua prælium inchoavit diverſa barbarorum nomina recenſet ſumendo mox ſingulare pro plurali, & nunc plurale pro ſingulari inquiens:

Nec te terriſonus ſtridor venientis Alani,
Nec vana Hunnorum feritas, nec falce Gelonus,
Non arcu pepulêre Getæ non, Sarmata conto.

Subauditur *terruêre.* Juvenalis etiam pluralem numerum pro ſingulari eleganter uſurpat, *init. Satyr. 2.* ubi larvatos virtutis ſimulatores inſectatur inquiens. *Qui*

Qui Curios ſimulant, & bacchanalia vivunt.

5 Quintò ſumitur genus pro ſpecie, ut apud Ovidium fera pro urſa *lib. 4. triſt. Eleg. 3. Magna, minórque fera, quarum regit altera Grajas. Altera Sidonias utraque ſicca rates.* In ſacris litteris eſt etiam illud Patriarchæ Jacob. *Fera peſſima devoravit filium meum Joſeph;* ſumit feram in genere pro urſo, vel leone in ſpecie.

6 Sextò ſumitur ſpecies pro genere, ut *ver advenit, quia violæ in arvis noſtris florent*, ſumitur viola in ſpecie pro flore in genere, quia verno tempore omnes flores germinant, & è ſinu telluris foras erumpunt. Feſtivè Poëtæ uſurpant ſpeciem pro genere Horatius *lib. 2. Ode. 9.* explicaturus, aërem non ſemper nubibus fœdum pluvias demittere; nec mare fluctibus ſævire decumanis; neque montium juga rigere glacie; neque arbores ventorum exagitari impetu, eleganter pro mari in genere uſurpat individualiter *mare Caſpium*: pro montibus generatim, *montes Armenios;* pro quibusvis arboribus, *quercus*, & *Ornos;* & pro quercetis genericè *Gargani Apuliæ montis querceta;* ac tandem pro ventorum turbinibus, *aquilonem*. Claudianus itidem commendaturus ſingularem Honorij peritiam in torquendis ſpiculis, teliſque vibrandis, ad certa vulnera infligenda in hoſtes, hac utitur arte ad ſui Hervici carminis ornatum; pro jaculis quibuscunque in genere *Gortyna* uſurpat *ſpicula*, quæ in oppido Cretæ Cudebantur, cuj Gortyna eſt nomen: pro ſagittarijs univerſim præſtantiſſimis *Gydones. Cretenſes, Armenios, & Parthos* recenſet. In Elegiacis etiam Stephonius ſignificaturus eſſe parietes Aulæis veſtiendos, pro quovis periſtromatum genere uſurpat aulæa Belgica acu picta.

Explicet auratis paries aulæa figuris,
Belgica, quæ docta fœmina pinxit acu.

7 Septimò ſumitur materia pro re conflata ex illa, ut lignum pro navibus compactis ex ipſo, *ligna noſtra ſecundis ventis æquora trajiciunt.* Vel cùm ſumitur *ferrum* pro enſe, ut Mavortis in caſtris ferrum humanum ſitit ſanguinem, & hominum pectora inflictis aperit vulneribus, è quibus veluti è fontibus bibat. Virgil. Æn. 6.

Ære ciere viros, martémque accendere cantu.

Pro tuba

8 Octavò cum ex antecedentibus conſequentia intelliguntur, ut eſt illud Virgil. Eclog 2.

Aſpice aratra jugo referunt ſuſpenſa juvenci,
Et jam ſumma procul villarum culmina fumant.

Ut etiam illud Eclog. 1. *Majoréſque cadunt altis de montibus umbræ* ad indicandum ſolis occaſum. Si tamen res intimiùs perpendatur hic octavus modus rigoroſè nō eſt tropus, quia tropus eſt verbi, vel ſermonis à propria ſignificatione in aliam cum virtute mutatio: & quando ex antecedentibus intelliguntur conſequentia; vel è converſo ex conſequentibus antecedentia nulla fit vocis mutatio à propria ſignificatione ad aliam, non enim cum Virgilius cecinit. *Majoréſque cadunt altis de montibus umbræ*, fit mutatio à propria ſignificatione in aliam.

EXPENSIO V.

De Metonymia. 1

Metonymia, quæ & Hypallage dici ſolet eſt tropi genus, quo res ponitur, & alia intelligitur, ut *ſine Cerere; & Baccho friget Venus*, latinè transnominatio dicitur, fitque ſex modis.

2 Primò cùm ſumimus cauſam pro effectu, ut ſolem pro luce; dignitatem pro honore; vel cùm *Chriſtus* dicitur *Redemptio noſtra*, ſeu cauſa noſtræ redemptionis. Secundò è converſo ſumitur effectus pro cauſa, ut ſcelus pro ſcelerato, vel quod Poëtis eſt frequentiſſimum, cùm id quod proprium eſt effectus tribuitur cauſæ: & quia effectus mortis, eſt pallor, hic tribuitur cauſæ. Horatius. *Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, Regúmque turres.* Virgilius 6. Æne. Pallorem tribuit morbis, qui ſunt cauſa palloris in ægroto.

Pallentéſque habitant morbi, triſtiſque ſenectus.

3 In hoc genere eſt illud 1. Reg. cap. 15. *Siccine ſeparat amara mors?* Tertiò quando ſumitur continens pro contento Iſaiæ 6. *ſurge illuminare Jeruſalem, quia venit lumen.* Loquitur de ortu divini Solis, ſeu Chriſti, & ſumitur continens, ſeu Jeruſalem pro contento, ſeu pro Civibus, qui continentur in urbe. Hic locus plurimum habet elegantiæ, & amœnitatis, ſi non ſolùm ſumatur continens pro contento, verùm etiam animetur ipſum continens, ut ſi Orator diceret. *Hilari vultu, ſereno animo lætabatur Roma, ac ingenti plauſu ſuos excipiebat Cæſares, quibus epinicia harmonica canebat modulamine.* Sumuntur quæ propria ſunt rei contentæ, & tribuuntur Romæ, quæ eſt urbs continens cives Romanos. Quartò è contra contentum pro continente, ut fortis animus, ſeu vir animo forti præditus: *vel characteres tuos non accepi*, id eſt litteræ tuæ non fuerunt mihi redditæ, vel *vina coronant*, id eſt pocula. Quintò ſumitur poſſeſſor pro re poſſeſſa, ut Dux pro militibus, Rex pro ſubditis, ut ſi Orator diceret: *Alexander ingentes, ac promiſcuas Darij copias diſrupit, fugavit, proſtravit;* ſeu exercitus poſſeſſus ab Alexandro Perſas vicit. Virgilius lib. 2. Æneid. *Jam proximus ardet Ucalegon*, pro domo Ucalegonis ſumit poſſeſſorem pro re poſſeſſa. Sextò ſumi poteſt ſignum pro re ſignata, ut *faſces* pro conſulatu, *ſceptrum* pro Rege. Hinc Cicero *Cedant arma togæ, concedant laurea linguæ.* Hæc tamen omnia, ut elegantiora ſint debent animari, quia tunc blandiùs animos demulcent, ut ſi velim pugnam deſcribere, elegantiùs ſumo inſtrumenta militum, & belli, quibus actus vitales tribuo. *Terrent horriſono ſtrepitu bellica timpana; procelloſa, ac undantia vexilla clades minantur, & tempeſtates indicant, ac naufragia vitæ: tonant fulminales machinæ, & excidium minantur, ac necem; fumus tormenti bellici diem furatur, pugnant nudati enſes: ventilatur Imperij Ius ferro Judice, ſtillant multo ſanguine acinaces, & tamen ſitiunt adhuc, quaſi ſemel ebrius mucro Abſtemius vivere neſciat.*

4 Quia verò hæc uſurpatio ſigni pro re ſi-
gnata frequens,& elegans eſt æquè Oratoribus,
ac Poëtis; non abs re fore duxi hîc adijcere ſi-
gna aliqua eleganter uſurpata pro rebus ſigna-
tis. *Cereæ Majorum imagines* à Lucano pro
nobilitate uſurpantur: oſtenſurus nobilitatem
ei non prodeſſe, qui vitiorum caligine nata-
lium obſcurat ſplendores, cecinit.

Nam quid imaginibus, quid avitis fulta trium-
phis
Atria, quid pleni numeroſo Conſule faſti.
Cuj vita labat?

Faſces, ſella curulis ſigna fuerunt conſula-
5 ris poteſtatis. *Purpura, ſceptrum, corona,* Re-
giæ dignitatis. Virgilius ab hiſce ſignis elegan-
ter deſcribit contemptorem dignitatum.

Non illum populi faſces, non purpura Regum
Flexit.

6 *Sagum* ſignum eſt militiæ, ſicut *toga* rei
litterariæ. Poëta indicaturus, non eſſe tole
randos in Senatu ignavos; & qui nullius
ſunt literaturæ, ait

Degenerem patiere togam, regnúmque Sena-
7 *tus.*

Aquilæ Romanorum ſignificârunt legio-
nes, de quibus Lucanus.

Interea domitis Cæſar remeabat Iberis,
Victrices aquilas alium laturus in orbem,

8 *Lunam* pro Turcis, *lilium* pro *Gallis* uſur-
pavit Poeta. *Victus cum Turca videbit*
Lilia Idumæas iterum florêre per urbes,
Fractáque pallebunt fugientis cornua Lunæ.

9 *Poëſeos* ſigna ſunt, *fiſtula* paſtoritij carmi-
nis Virg. *Bucol.*

10 *Veſtra meos olim ſi fiſtula dicat amores.*
Tuba heroici carminis Martial.
Pierea caueret cum fera bella tuba

Ponitur tuba pro heroico carmine. *Lyra,*
Cythara, fides uſurpantur pro Lyrica Poëſi, ſeu
anacreonticis verſibus, qui à Teo Ioniæ urbe
Anacreontis Patria Tei dicuntur.

11 *Soccus* pro Poëſi Comica, *Cothurnus* pro
tragica Orat.

Hunc ſocci cæpere pedem, grandéſque Cothur-
ni.

Hoc eſt comœdia, tragœdia Jambum
pedem in ſuos induxêre verſus. Signa pacis
ſunt *Clauſum Jani templum, Olea, toga,* & qui
12 pacem bello præfert, uſurpare poteſt illud.

Cedant arma Togæ, laurus concedat Olivæ.

13 Signa belli ſunt *patens Jani templum, ar-*
ma, ſagum, Palma, Mars, Bellona. Victoriæ,
laurus, & palma. Legationis *Caduceus, Mercu-*
rij. Abundantiæ *cornu Amaltheæ.* Solent e-
tiam ſigna populorum duci à Principibus Pro-
vinciarum, ac regnorum fluvijs, quo pacto
Ganges Indos; Euphrates Parthos; Jordanus
Palæſtinos; Nilus Ægyptios ſignificant. Bal-
de *in Ode de pace* eleganter nomina uſurpat flu-
viorum pro vicinis populis inquiens

Sanguineos Schaldis, Thameſiſque, ut Rhenus, &
Iſter
Rotant procellis intonati vortices,

Signa populorum petuntur etiam à veſti-
14 bus, ut ſigna Romanorum à *Toga,* Gallorum à *braccis,* Græcorum à *Pallio,* Polonorum à *veſtibus pelliceis,* Perſarum à *veſte Talari.* Interdum etiam ab armis, quibus populi utebantur, ut Romanorum à *Pilis,* Gallorum à *Gæſis,* ſeu telis ferreis, Ballearium à *funda.*

EXPENSIO VI,

De Antonomaſia

ANtonomaſia vox eſt Græca, quæ latinè 1
eſt pronominatio, ſeu ſignificatio vice nominis poſita. Per antonomaſiam enim ponimus nomen proprium pro appellativo; quo pacto eruditè, ac feſtivè in oratione ponitur *Phalaris* pro crudeli; *Stentor* pro Clamoroſo; *Ariſtides* pro juſto; *Protheus* pro inconſtante, ac mutabili; *Theon* pro detractore; *Momus* pro mordaci; *Pœnus* pro ſubdolo; *Verres* pro fure; *Alexander* pro bellicoſo, *Heraclitus* pro gemebundo; *Sardanapalus* pro viro ſympoſijs aſſueto; *Smindirides* pro delicato; *Hercules* pro forti; *Cræſus* pro divite; *Codrus* pro paupere. In laudem ſtudioſorum egregiè proficientium eruditè per antonomaſiam diceres: Nullus tot inter elegantes Ephebos mihi obviat Ephorus, omnes video Theopompos, qui ex Iſocrate fræno indigent in Minervali ſtadio,non calcaribus. 2

De Stratego in bello forti, & ſtrenuo dici poteſt: Adeo ſtrenuè pugnâſti, adeò pericula contempſiſti, adeo fortiter in hoſtes irruiſti, ut exemplo tuo Therſitem quemque Achillem effeceris. Habetur etiam vulgatum illud: *Athenienſium noctuas auferi Capitolino præferre.* Per hunc igitur tropum relinquimus proprium ſubjecti nomen, ac vocabulum, & aliud uſurpamus, quo ſubjectum explicamus, ut *adulter ſororius, & furia religionum muliebrium* pro Clodio apud Ciceronem. *Mundi elementum optimum pro cælo* apud Orpheum. *Mœnas quinquevira* pro Helena apud Lycophronem. *Tros Anchiſiades facilis deſcenſus Averni* pro Ænea apud Virgil. 6. Æneid. & lib. 8. ſumit *Tyrannum* pro Maſſentio, *quid memorem infandas cædes, quid facta Tyranni.* Apud Theologos *Doctor Angelicus* intelligitur D. Thomas Aquinas. *Doctor ſubtilis* Scotus, *Doctor Solemnis* Henricus à Gandavo. Apud Phyſicos *Medicinæ parens* ſumitur pro Hippocrate, *Philoſophus* pro Ariſtotele: Apud milites *Everſor Carthaginis, & Numantiæ* pro Scipione. Multipliciter etiam fit hæc pronominatio. Primo, ſi ponamus appellativum pro ſubſtantivo, ut *Principem Apoſtolorum* pro divo Petro. Secundò ſi proprium nomen pro appellatione, ut *Sardanapalum* pro viro molli; *Cræſum* pro divitijs affluente; *Cratem Thebanum* pro opum contemptore, & Philoſopho; *Salomonem* pro viro ſapiente; *Herculem* pro viro forti; *Ulyſſem* pro callido. Tertiò ſi ponamus nomina gentium pro earum attributis, ac moribus, ut *Græcum,* vel *Cretenſem* pro fallaci, ac mendaci, *Tartarum* pro crudeli, *Scytham* pro inhumano. Quartò ſi adhibeamus poſſeſſiva pro nomine,

ut *Cytharedum* pro Orpheo, *Caduceatorem* pro Mercurio.

3 Ad hunc locum pertinent epitheta, quæ emphaſim continent, ut *ob ſcelus abominandum, ob deſormen libidinem, ob cupiditatem effrænatam.* Tullius in Miloniana vocavit *cæcam noctem, mutam ſolitudinem*, & Seneca: *Piſces æquoris cæruleum gregem Nereidum,* Lucretius *ſquamigeros greges*: Homerus qui corpus tribuerat auroræ, manus, etiam & digitos eidem attribuit, dixitque: *Roſcidos auroræ digitos.* Ovidius vocavit arborum ramos, *nemorum membra*, & frondes, *virides comas.* Apud Horatium etiam habetur *candide Judex*, apud virgilium *Cana fides.* Apud Valerium Maximum *libidinoſam libertatem debito nomine coloravit.* Apud Plinium. *Pallidi, murmurantéſque ignes tempeſtatum nunnj ſentiuntur.* A ſenſibus exterioribus etiam eruuntur elegantiſſima epitheta, à guſtu dicimus, *acerbum caſum: amaram cogitationem: dulcem recordationem: ſermonem inſulſum; inſipidam orationem.* A tactu *tractabile ingenium, palpabilem errorem, tangibilem ignorantiam, aſperos mores.* Ab olfactu *Fragrantem virtutem, ſuaviſſima verba, fætidos mores.* A viſu *hominem inviſum*, pro exoſo *virum ſpectabilem* pro probo. Ab auditu: *Inaudibilem orationem pro malè compoſita.* A frigore: *Algentem virtutem, frigidam orationem, tepentem amorem.* A mollitie: *Molle ingenium, teneram ætatem.* A duritie. *Saxeum pectus, duram mentem, adamantinum pectus, ſolidam rationem.* A gladio, & figura *acutum ingenium, retuſam mentem.*

4 Quamvis epitheton inſerviat ornatui, & amplificationi orationis, ejus tamen uſus debet eſſe moderatus, quia ſi oratio pluribus frequenter repleatur epithetis non ornatur, ſed oneratur, ut obſervat Ariſtoteles *3 Rhetor. cap. 3.* & cum ipſo etiam Quintilianus *lib. 6. cap. 6.* Præterea adhibenda eſt prudentia, ut ſubſtantiva bene cohæreant cum adjectivis, ne fiat æquivocatio, & amphibologia, ut eſt illud Virgilij, *dare claſſibus auſtros,* ſumit unum ventum pro alio, auſtrum pro aquilone, qui efflat è Thracia in Delum.

EXPENSIO VII.

De Catachreſi.

1 CAtachreſis latinè *abuſio*, tropus eſt, quo rebus non habentibus nomen accommodatur aliquod nomen, quod iiſdem convenit, ut cùm dicimus *parricidam* pro eo, qui patrem interfecit. *Minutum animum* pro parvulo. *Virum mollem* pro dedito illecebris. Differt Catachreſis à metaphora, quia hæc ex re diverſa cum ſimilitudine, & proportione nomen transfert, ut *prata rident, ſydera noctu roſcidis lacbrymis lugent ſolis occaſum, vel parentant eorum principi in occaſus ſarcophago ſepulto*: Catachreſis verò ex re proxima ita nomen accommodat, ut non multum à ſua ſignificatione diſtet, ut *Grandis oratio* pro bene probata: *florida elocutio* pro oratione varijs depicta veneribus, & intexta elegantijs. Duplici ex cauſa utimur Catachreſi. Primò ratione neceſſitatis, ut *parricida* pro occiſore ſororis, eò quia deficiat ſororicida. Secundò ad conficiendum carmen, quo pacto Virgilius dixit *promiſi ultorem* pro minatus ſum.

EXPENSIO VIII.

De Metalepſi.

EST Metalepſis tranſumptio, & rarus tropus ad Poëtas magis, quàm Oratores pertinens: fitque cùm per gradus à diſtanti quodam nomine ad propriam ejus ſignificationem deſcendimus: in re enim ſignificata eſt quædam gradatio Ovidius 5. triſtium Elegia. 11. 2

Ut ſumus in Ponto ter frigore conſtitit Iſter,
Facta eſt Euxini dura ter unda maris 3

Ubi Iſter concretus ſumitur pro gelu, gelu pro hyeme, hyems pro anno, & Virgilius 2. Eclog. 2.

Poſt aliquot mea regna videns mirabar ariſtas.

Ubi gradatim ab ariſtis ad ſpicas, à ſpicis ad ſegetes, à ſegetibus ad æſtatem, ab æſtate ad annum procedit 4

EXPENSIO IX.

De Onomotopæja.

EST Onomotopæja fictio nominis, cum per vocabulum rei, vel effectûs exprimitur effectus, vel res. Hic autem tropus vix latinis permittitur, & Tullius non vult nova nomina fingi. Apud Græcos tamen Onomotopæja fuit in uſu, ut etiam viguit apud alios, qui ſermoni prima dederunt initia aptantes effectis nomen, ut cum adhibemus murmur, & ſuſurrum, ut intelligamus apum tumultum, & cum vagitum ponimus pro querelis infantium, ſic habemus nitritum equi, rugitum leonis, latratum canis, quæ voces exprimunt effectum vocis, equi, leonis, & canis. Novantur apud Latinos verba quatuor modis, *ſimilitudine, imitatione, inflexione, & adjunctione.* 1

Primo modo innovantur, quando ad ſimilitudinem unius aliud invenimus, ut *Græcizzo, Latinizzo, latiniſmus, græciſmus*: hæc verba per ſimilitudinem novata ſunt quadrupliciter primò quando vox deſinit in *urio*, ut *eſurio, dormiturio*, unde & *Syllaturit*, id eſt vult eſſe alter Sylla. Secundò cùm deſinit in *ſco*, ut *duteſco, molleſco, lenteſco.* Tertiò cùm deſinit in *izo*, ut *Judaizat. Hebræizat*, ſeu imitatur Judæos. Quartò cùm deſinit in *ur.* Ut ruſticatur, græcatur. Imitatione novantur verba, cum ipſo nomine exprimimus naturam rei, ut *Mugitus bovis, clangor tubarum.* Inflexione, quando ex una dictione aliam deducimus, fitque per conjugata, quo pacto à *penula penulatum, ab Ocrea ocreatum.* Adjunctione quando ex diverſis aliud componitur, ut cùm dicimus *verſutiloquum* pro eo, qui verſutè loquitur. Caveat tamen orator ne in verbis innovandis audax ſit. 2

3 Elegantiùs cum ab Oratoribus, tum Poëtis mutantur verba propria in metaphorica, præſertim ſi verbis inanimatis tribuantur, quæ animatis conveniunt, & eſt metaphora, ſeu translatio verbi de ſenſu inanimato ad animatum. Pulchrè Virgilius de arbore, cuj peregrini rami inſiti poma ferunt alterius ſpeciei.

Miratúrque novas frondes, & non ſua poma.

Uſurpat verbum *mirari* proprium hominis pro producere, quia verò arbor caret anima ſenſitiva eſt translatio de re animata anima rationali ad aliam animatam anima vegetativa Venuſtè Statius ſignificaturus uvas è ſuis collibus excerptas dare vina generoſa falernis æqualia dixit. *Et prælis non invidet uva falernis.* Verbum *invidere* proprium hominis ſcitè transfertur ad uvam. Ovidius expreſſurus hominem iteratò verberatum in facie baculo bellè cecinit

——— Obductaque clava trinodis
Ter quater adverſi ſedit in ore viri

Scilicet impactâ in nos viri clavâ pluries eum percuſſit. *Sedere* quod proprium eſt animalis transfertur ad fuſtem.

4 Venuſtè itidem verbum proprium mutatur in aliud, eò quia aliquam exprimat ex circumſtantijs indicantibus rem ipſam: quo pacto Tibullus in hac propoſitione *Mancipiorum pedes ſonanti vinciuntur ferrea catena,* uſurpat verbum *ſono*, quod circumſtantiam exprimit vinculorum, quæ à mancipijs pede trahuntur, pro ipſo verbo *vincire*, qood proprium eſt vinculorum, & pulchrè cecinit.

Crura licèt dura compede vincta ſonent.

Virgilius ſumens circumſtantias, & effectus occaſûs ſolis verbum *adveſperaſcit* eleganter explicuit hoc carmine.

Majoréſque cadunt altis de montibus umbræ.

5 A circumſtantia loci hanc propoſitionem: *Mille mihi ſunt agnæ* Virgilius eleganter mutavit:

Mille meæ ſiculis errant in montibus agnæ.

6 Plerumque à Poëtis etiam ipſa adverbia mutantur venuſtè in verba. Virgilius de Simone à Trojanis Paſtoribus capto, ac circumfuſæ plebis expoſito ludibrijs dixit, *certántque illudere capto*, pro certatim illudunt capto: mutavit adverbium *certatim* in verbum *certant.* Rurſus adverbium audenter mutat in verbum audent, & explicat, quod audenter manus conferunt, & longiùs procurrunt, dixit.

Et conferre manum, & procurrere longiùs audent.

7 Non ſolùm verba, & adverbia, ſed etiam integra propoſitio mutatur eleganter per partium enumerationem, ac concinnam amplificationem, quo pacto arte poëtica vultum amici ad modeſtiam, verecundiam, cæteráſque virtutes compoſitum ſcitè amplificat poëta dicens,

Excubat in niveo tibi pulchra modeſtia vultûs.
Et roſeus niveo regnat in ore pudor.
Simplicitas oculis, ſacra facundia linguâ
Ridet ingenuis Gratia viva labris:
Majeſtas humeros, placidam Clementia frontem,
Pura verecundus pectora candor habet.
Pro foribus famuli, video, famulæque morantur.
Virtutem Dominam, quis neget eſſe domi?

EXPENSIO X.

De Tropis, qui fiunt in oratione. 1

DE Tropis verborum abundè diximus in præcedentibus expenſionibus; nunc progredimur ad Tropos ſententiarum, qui ſunt quinque Allegoria, Ænigma, Periphraſis, Hyperboton, & Hyperbole. Alij addunt etiam ſextum ſcilicet Antiphraſim, eſtque ſermo per contrarium intelligendus, ut cùm dicitur *lucus*, quia minimè *luceat*; inexorabilis *Parca*, quia nemini *parcat.* Dicnotur Tropi ſententiarum, quia fiunt, in pluribus verbis continuatis: quapropter definitur Tropus ſententiarum, ut ſit mutatio propriæ ſignificationis ſententiæ io minus propriam. 2

Allegoria quæ latinè idem ſonat, ac inverſio eſt alieniloquium, ſeu continuata quædam metaphora, quæ aliud verbis, aliud ſenſu oſtendit, ut cum Reipublicæ tumultum ſimilitudine navis, marinis procellis quaſſatæ exprimimus; populum tumultuantem cum fluctibus conferimus; ſeditionem cum procella; & magiſtratum cum Nautis componimus Horat. lib. 1.

O Navis referent in mare te novi
Fluctus o quid agis fortiter occupa.
Portum nonne vides ut
Nudum remigio latus.

Ubi Horatius navim pro Republica, fluctus pro ſeditione, & portum pro tranquillitate, & civium concordia poſuit. Sermo iſte allegoricus uſurpatur etiam in ſacris litteris Pſal. 79. *Vineam de Ægypto tranſtuliſti, ejeciſti gentes, & plantâſti eam, extendit palmites ſuos uſque ad mare, & uſque ad flumen propagines ejus*: Ubi Propheta de Iſraëlitico populo loquitur.

Allegoria à Poëtis præ cæteris tropis uſurpatur, ut eſt illud. 3

Claudite jam rivos pueri ſat prata biberunt,

Seu deſinite jam plura canere, quia ad ſarietatem jam audivimus. In allegorijs animadvertendum eſt, quòd Orator quo genere translationis cœperit, eodem deſinat, ut ſi tumultuantem populum fluctui huc, illúcque ventorum flatibus agitato comparaverit, debeat allegoriam continnare, ac cum eadem deſinere: inter cæteras amœniores ſunt ille allegoriæ, quæ cadunt ſub ſenſum viſûs, quemadmodum ſunt *ſpleudor generis, claritas familiæ, lumen Reipublicæ, civitatis ornamentum.* Epitheta etiam non modicè translationes, & allegorias ornant, ſi rebus accommodentur, & nominibus, ut cùm dicimus, *Furentem concupiſcentiam, inflammatam voluntatem.*

4 Allegoria duplex eſt ſimplex una, altera mixta: illa habetur, cum totus ſermo eſt continuata qoædam metaphora, cujuſmodi eſt allegoria navis procellis agitatæ, quæ ab Horatio *ode 4. lib. 1.* confertur cum Republica Romana, populi ſeditione commota. Mixta

fit,

ſt, quando verba partim ſunt propria, & partim allegorica, ut: motus illi populares tribunitiis flatibus agitari fœdam Reipublicæ tempeſtatem excitârunt.

5 Uſus allegorici ſenſus adeo percrebuit, ac Oratoribus arriſit ſæculo, quo floruit Ennodius, ut Ciceroniana eloquentia, quæ alienior eſt à frequenti allegoria ferrum diceretur Tullianum; quia ijſdem aurum erat allegoria, & aureus allegoricus ſenſus, & ferrum è converſo quidquid ſenſus non redoleret allegoricos. Ut autem allegoria pluris habeat illicij veſtienda eſt alicujus eruditionis purpurâ; vel ornanda alicujus acuminis gemmula; quo pacto de Alexandro VII. Romano Pontifice, qui à voti religione non neminem abſolverat eruditè dixit quidam. Eſt etiam Romæ contra hujusmodi nodos gladius Alexandri.

6 Famianus ſtrada pulchrè etiam de Belgio diuturnis vexato bellis dixit: Tot jam decennijs Troja hæc petitur, nec expugnatur. De invicto ſtratego, ſeu exercitûs Præfecto, qui non ſolùm ſtrenuè patriam propugnaverit; verùm etiam hoſtes fregerit, atque de ijſdem proſtratis inſignes detulerit victorias deſumptâ allegoriâ à bello Trojano eruditè dicitur. Adeſte belli Duces: ut bellicam diſcatis virtutem præclarum vobis exemplar exhibeo invictæ fortitudinis, invictiſſimum ſcilicet Ducem, qui pro avita Majorum Troja ſui ævi contra Dolopes, & Achivos adamantina conſtantiâ alter ſtetit Hector, & priſco eò felicior, fortiórque, quò plures aſtu deluſit Ulyſſes; armiſque recentes Diomedes à deſperata expugnatione præcipitem vertit in fugam: pugnavit ferro, & au-
7 ream ſibi gloriam comparavit. Allegoriam multiplici acuminum ornatam ſplendore exhibet Ferrarius oratione de ſacro Pneumate in igne, & ſpiritu vehementi è cœlo in terras deſcendente, flammeáſque illabente in diſpertitas linguas; argutè ait ille; Per flammeas linguas jucundiſſimus hic æſtus, ſeu amoris æſtas vehitur, vehementi ſpiritu commodè ventilatur, ut vitam efficacibus flammis per ventum inſpiret.

8 Quandoquidem unus poteſt divinus amor ardorem ipſe ſuum eventilare; niſi fortè ſimul in ignem, atque auram, ideo mutetur amor, ut in amoris æſtu amorem pro aura reſpiremus. Arſit gelida ſeptemtrionis ora, nec remotiſſimum ſolem deſideravit proximo illuſtris Deo, quo meliùs incaluit quàm averſo, atque avio ſole. Arſit torridus mundi tractus, & ſolis imminentis æſtum præ amoris æſtate frigere utili experimento intellexit. Habes continuatam allegoriam de igne, & ardore pluribus ſplendentem acuminibus, micantem flammis. Martialis lepidè alludens allegoricè ad caput humanum carpit Ponticum Poëtam obſcœnum, ipſum alloquens, ait.

Multorum capitum ſcripſiſti Pontice librum:

Cur FRONTEM tuus hic non habet ergo liber?

Ponit æquivocè *frontem* pro verecundia, & pudore; hominem ſiquidem ſine pudore dicimus carere fronte.

Præ cæteris illæ commnedantur allego- 9
riæ, quæ plures continent eruditiones. Si Orator è ſacrò dicturus ſuggeſto in commendationem alicujus ex cœlitibus, vellet cœlitem Roſæ per continuatam allegoriam æquiparare, ac ejus virtutes cum roſæ conferre proprietatibus, ne oratio ſterileſceret; plura quæ habentur eruditè de Roſa eſſent excerpenda. Poteſt enim meminiſſe fabulæ fingentis roſas ex humano ſanguine propagatas; & hoc à fonte ruborem traxiſſe. Quod olim reſte Baſilio, ſpinis roſa caruerit, ſcilicet ante Adæ peccatum. Quòd Indi placare aſſueverint Dynaſtas Roſâ oblatâ. Quòd aureum Saturno ſæculum roſeum noſtrum non invideat. Cum roſa charitatis floruerunt cœteræ virtutes, quarum culturam juvit divina gratia. Neque oratio ingrata eſſe poteſt, quæ agit de roſis, quæ venuſtatis ſunt fontes, & Gratiarum flores. Neque tacent hunc florem ſæcula, tametſi fuerit roſa Harpocrati ſacra, & peculiare ſilentij ſymbolum; atque ſupra menſas ſuſpenderetur, ut commenſales ſub ea dicta tacenda ſcirent; adeo ut vulgarum poſtea fuerit adagium, *ſub roſa dictum*; id eſt religioſo, ac inviolabili ſub ſilentio. Neque campanæ Roſæ fuit ſimilis quæ præcox. Nec Mileſiæ, quia illa ſeriùs floruit; nec Græculæ, quia hæc naſcenti ſemper ſimilis niſi manu coacta non dehiſcit; potiùs Ierocontinæ ſimilis, quæ cum nato Redemptore effloruit. Placent roſæ & ſimul placant, Indos teſtor, quibus Principis gratiam Roſæ aureæ dono datæ conciliabant, In triumphis etiam Roſæ conſueverunt ſuæ purpuræ pompam explicare: Cornelius Scipio de Annibale triumphaturus octavæ legionis milites faſciculum roſarum juſſit gerere, ac roſas in clypeis depictas ferre, adeo ut non coronis tantùm, ſed & galeis ornandis fuerint roſæ aſſumptæ. Scipio itidem Æmilianus everſa Carthagine triumphalem ſuum currum roſis voluit coronari, & ornari, ut florum reginæ ſecum veherentur in triumphum

Si in laudem Imperatoris eſſet Orator di- 10
cturus, & ab Aquila volucrum Principe allegoriam peteret continuatam; plures, neceſſum ipſi eſſet, eruditiones ſeligere, ne copia ad perorandum ei deeſſet. Scimus, Aquilam volatu, & generoſitate cæteras antecellere aves, ac ſingulari ſemper fuiſſe in pretio, & argenteam Romanorum, auream Perſarum affulſiſſe bellicis in vexillis: neque minori hodie habetur in pretio Imperialis aquila biceps Orientem, & occidentem intuens, ut utrinque hoſtes coërceat; & orientales plagas deletâ Lunâ veræ religionis donet Sole, ut ſcitè cecinit ille.

Picta biceps aquila hinc occaſum, hinc aſpicit ortum:

Alter ait noſtri eſt Cæſaris, alter erit. 11

Aſſueta ſolis ſpectaculo ales æmulum lumen aſpicit impunè, nec vindicem ſentit in pupilla radium; nimirum grandes qui ſortiuntur animas, ima dedignantur, & nonniſi ſublimioribus delectantur; terret ſolaris lux ve-

ſpe-

ſpertiliones, aquilas allicit, quòd ſi proprium noctuarum eſt ad ſolem cæcutire; aquilæ ad hoc nituntur volatu aſtrum, ut à luminis fonte lumen hauriant, quo ſe reficiant, æquè & perficiant. Omen itidem duplicis imperij fuiſſe aquilas Alexandro nempe Aſiæ, & Europæ, ex eo conijcere plures valuerunt; quia nato Alexandro, binæ aquilæ feruntur faſtigio natalitiæ domus inſediſſe; unde Claudianus.

12 *Luſtravitque Tuos Aquilis victricibus ortus.*

Illud aquilæ fertur memoratu dignum, quòd ad nidum ferat lapidem ad fœtus perficiendos: aſſerit Plinius felix reddi puerperium per æthitem lapidem, qui in aquilæ nido reperitur. Rurſus aquila ſolem defixis intuens aciebus, totóque niſu huic intenta aſtro cum lemmate *ſola capax ſolis*, virum adſignificat grandem, ſplendidæ gloriæ appetentem, & quem ſupra noctem oblivionis fortuna evexit. Pyrrhus, quem eius milites pulchra aſſentationis nomenclatura aquilam nuncupârunt, ſculpi in Clypeis, & cudi in muneris aureis, & argenteis curavit aquilam pedibus fulmen gerentem duobus ramis victricem in coronam flexis, ut ſibi caverent hoſtes, qui ſi gigantes ſe jactarent, iterum nova Phlægræa fulmina pertimeſcerent.

13 Si laudandus eſſet vir Poëta ſub allegoria oloris excerpendæ eſſent variæ de Cygno eruditiones per apodoſim ad Poëtam, cuj per continuatam allegoriam alluderent. Per rejectionem eruditam diceret. Non hic obſtrepat anſer Romanus, cùm dulciùs nobis canat olor, qui prope Lethum lætus ſibi epicedia canit; nempe qui moribus candorem præſefert oloris, Cygnúmque vitæ innocentiâ imitatur, moriens epicedia corpori, epinicia ſpiritui canit; quippe moritur, ut vivat; & nobilior Phœnix ex cinerario ſepulchri ad immortalis vitæ evolat uſuram. Hinc Tullius divinitatem quandam tribuit Olori, quia prænoſcens quantum in morte innocentis ſit boni cum cantu, & voluptate emoritur. Cygnum ſuaviter modulantem Priſci Apollini ſacrârunt, eò quia ob cantûs gratiam Apollini rectè concordet. Ad aras etiam avolat Olor, atque ad ſupremum Eccleſiaſtici culminis faſtigium; cum Clemens IX. nuncupatus ſidus oloris Petri cathedræ inſedit; pulchrè cecinit ille.

Evolat in Celſum, quamvis olor albus honorem
Evolat in Cygno Celſiùs altus honor.

24 Olor iſte verius meritorum alis, quàm alarum remigijs ad ſummam eccleſiaſticæ dignitatis avolavit celſitudinem. Felix, quem merita evehunt; virtutum innixus fulcris, niſ vereatur, quo lapſu graviore ruat. Adeo ſuaviter fuit hic olor ſublimi hac in ſpecula modulatus, ut provocatis in animis omnium in certamen affectibus pulcherrimum in tota Eccleſia excitaverit optimi regiminis harmoniam. Quòd ſi canente olore teſte Oppiano ſcopuli, & valles grata echo reſpondent; cantui hujus oloris reſpondit Gallia, quæ claſſem maritimam, armatáſque phalanges ad Turcicam movit audaciam coercendam. Aſſueverat jam pridem Mars Romanus ab olore ornamenta, & virtutis ſumere incrementa; militia ſiquidem Romana prætenſas galeis Cygnorum pennas geſſit.

Roſpilioſus cognomen fuit familiæ Clementis IX. anagrammaticè mutato P. in D. legitur *ſidus oloris* ad quod alluſit Poëta luſitque inquiens 15

Da Petre, Clementi claves: Clementia regnat.
Roſpilioſus enim *ſidus oloris erit.*
Nomen id omen habet: nam P. cum vertitur in D.
Pondera vult populi Demere, non Premere.

16 Sub allegoria canis geſtantis ore accenſam facem, ſi vellet Orator panegyricam texere orationem in laudem D. Dominici excerpendæ eſſent eruditiones, quæ de cane haberi poſſunt, iiſdémque alludere ad D. Dominicum, quia *Sanctus Dominicus*, Anagrammaticè eſt *canis mundi cuſtos.* Per confutationem. Fuſtè excipiatur, ac verbere repetito è Quiritum cuſtodia arceatur canis ille, qui olim Romæ alioquin vigil obmutuit cum Galli Sennones irrumperent in Capitolium: ſummis verò laudibus ſupra ſydera evehatur canis iſte Dominicus, vel ſaltem ſyderibus meliùs, quàm Syrius inſeratur, cum glorioſè oblatrat ad terrorem hoſtium eccleſiæ, quos ore per conciones momordit; & calamo popugit ad internecionem; quàm bene hic canis pro ſacris focis, & eccleſia propugnanda pervigil excubavit; noctes duxit inſomnes, ut ſereniores dies eccleſiæ illuceſcerent. Lattravit ſilentium indictutus obſtrepentibus Sciolis, qui litteris leviter tincti denigrare ſunt auſi Fidei candorem. Iactent hiſtoriarum monumenta canem Lyſimachi rogo incumbentem, ut clarior illuceſceret fides, quam in herum profitebatur: certè à face, quam noſter canis ore priùs detulit, quàm naſceretur, plurimum hauſit Eccleſia nitoris, & fides incrementi illuſtri propagatione. Canem fuerat cœleſtem imitatus; terras ſiquidem omnes aucto doctrinæ jubare illuſtravit; & veræ Charitatis ardore inflammavit ad virtutum ſtudia; hoc diſcrimine à cœleſti Syrio ſejunctus, quia hic terras exurit, ut ſiccitatem invehat, languorem inducat; canis verò noſter flammas diſſeminat, ut fructus metat; ignibus irrigat terram, ut flores det cultura virtutum. In memoria mihi penitus inſidet Burchardus Montmorancejus, qui cum in acie infracto ſteriſſet animo, fugam cæteris capeſſentibus à conflictu; fuit poſtea aulam ingreſſus Philippi Galliarum Regis, torquatus monili aureo, quod cervina capita ita componebant, ut ante pectus ex illis canis aureus penderet. Totius aulæ movit ingenia inſolens ornamenti genus venatorum trophæa, & ſylvarum adumbrans ſpolia; percunctanti igitur Regi quid hoc eſſet, reſpondit, ſignificari torque illo proceres, qui cervorum inſtar timidi, animóque cadentes fugæ ſe dederunt; cùm ipſe ſolus inſtar impavidi moloſ-

ſi

ſi ad Regis cuſtodiam ſteterit. Delectatus Rex facti narratione, ut ejus recordatio ad poſtera flueret ſæcula, ordinem inſtituit militarem, cujus inſigne fuit torques cum cane, ac capitibus cervinis. Hoc idem S. Dominicus præſtitit, ad cuſtodiam Eccleſiæ, neglecto quovis vitæ diſcrimine impavidus veluti moloſſus perſeveravit, eámque propugnavit, hoſtes expugnavit, cum plures alij à vera deſecerint fide: hinc Agonotheta Deus, ut tanti herois virtus poſteris foret exemplo, ordinem inſtituit Prædicatorum, ut præclariſſimi Ducis imitarentur milites exempla imitari: nec unquam huic cani cum dolore occlamare liceret *Acteon ego ſum*. Non me latet canis fidelitas, ſed Dominicus adeo fidelis Deo fuit, ut nec latum unguem ab eo unquam deflexerit: quòd ſi canis in Æſculapij templo fuit aſſervatus; Dominicus in aula cœleſti fuit collocatus.

17 Leonis ſub allegoria ſi laudandus eſſet D. Hieronymus, qui Bethleemitica è ſpecu tales emiſit rugitus, ut terrorem Eccleſiæ hoſtibus incuſſerit: diceres. Fortiùs hic Leo ſacræ Sponſæ areolas tonſâ diſtinctas myrto, omnique florum genere ornatas tuetur, quàm Draco Heſperidum hortos fingatur cuſtodiſſe: elegantiùs hujus exuviæ Leonis, ſeu ſancti Doctoris Lucubrationes matrem ornant Eccleſiam; quàm detracta pellis proſtrati, jugulatique leonis Herculem monſtrorum domitorem. Expalluerunt hoſtes, ac timore correpti animo ciciderunt cùm primùm hujus leonis rugitus audierunt. Quòd ſi Pericles adhuc materna in alvo leo viſus eſt; & leo creditus Athenis in bello; Hieronymus ab incunabulis cœpit bellum vitijs indicere, quæ ut monſtra, vel fugavit, vel proſtravit; licèt adultus fortitudinem, ac generoſitatem hauſerit leonis rugientis ad malorum terrorem. Eſt hic ferarum princeps teſte Plinio luci perquam amicus, & magna vis ejus in oculis eſſe dicitur, hinc ſolus leo inter animalia oculis naſcitur apertis; adeo eſt lucis appetens, ut rudem, ac pervicacem pupillam tam maturè ad illius erudiat uſuram; hæcque ratio, cur unguibus uterum leenæ matris dilaceret, quia lucem ſitiens, ad lucem feſtinat erumpere. Quanta fuerit Bethleemitici Leonis perſpicacia à puero, quantum lucem adamaverit virtutum, ac ſcientiarum ex eo conijce; quòd ſolem ſydereo in leone fuerit æmulatus ſplendore virtutum; ac ſcientiarum pleno jubare, quo toto jugiter clarebit orbe. Conſuevêre priſci homines leonum rictus templorum valvis, ac Baſilicarum veſtibulis ſculpere in vigilantiæ teſſeram; quantum verò S. Hieronymus in cuſtodienda eccleſia vigilaverit, teſtes ſunt exantlati labores, quos in accendis ejus hoſtibus ſuſcepit; quibus ſola Hieronymi vox terrori fuit. Scio fuiſſe etiam leones veſtibulis affixos Baſilicarum, ut in mortuo leone adhuc viveret terror; & non in tota tantùm mole corporis, ſed vel in ſolo oculo, qui cæteris animantibus non levi fertur eſſe terriculamento: quidni è terrenis caſtris tametſi in cœleſtes avolaverit Hieronymus triumphos, ejus tamen in terris oculus adhuc vigil in ijs, quæ ſcripſit, ſciolis deflectentibus à veritate, veróque ſalutis tramite, eſt terrori. Mea nunquam exciderunt memoria Megarenſes, qui obſidione vallati à Caleno, ut hoſtes fugarent, effractis caveis, in quibus leones detinebantur, ferocientes belluas in hoſtes immiſerunt; à quibus tamen ipſimet primi lugendo ſpectaculo dilaniati fuerunt; verum ſiquidem eſt, in caput auctorum inſidias plerumque relabi: à noſtro tamen Bethleemitico leone aliud ſperandum; noverat ille hoſtes, noverat transfugas; noverat & amicos, quibus adblandiretur, quoſque tueretur. Ferunt marmorei leonis tumulo Hermiæ inſculpti ſmaragdinos oculos radiantes in proximum gurgitem piſces fugâſſe, quibus leonis oculi, licèt gemmei erant terrori: noſter verò leo è tumulo non gemmarum fulgore; ſed umbrâ atramenti, quo plura ſcripſit, timorem incutit ſinentibus ſe rapi à fluxis hujus vitæ, quæ fluminis inſtar delabitur. Quòd ſi Achilles fortiſſimus belligerantium audijt, eò quia leonum fuerit medullis nutritus; quaſi non potuerit humiles ab hoc virtutis obſonio haurire ſpiritus: noſtri leonis pectus adamantinam credas fortitudinem adverſarijs objeciſſe; nonniſi fortia à forti ſperentur. Imò neque extincti leonis oſſa videntur ferocitatem exuiſſe: licèt pellem, carnémque, ac nervos exuerint, non tamen virtutem; quâ timorem alijs incutiunt: unà ſiquidem colliſa ignem emittunt, quaſi adhuc iræ retinuerint igniculos. Non tu frigidos Cenſeas maximos noſtri leonis cineres; adhuc charitate fervent, ut te juvent, ſi ſupplex ad ipſos acceſſeris. Scio leones aureos in aris aſſulſiſſe, in templo præſertim Hieroſolymitano; & noſter iridem leo ſacris colitur in aris; timeant ſacrilegi, & Eccleſiæ contemptores, dum pro aris excubat leo. 18

Eccleſiam ſub allegoria navis ita commendaveris. Unicæ, nullique occaſui obnoxiæ gloriæ velificatur hæc navis, è qua primus Piſcatorum retia in mare jecit in capturam non piſcium mutorum, ſed hominum vocalium. Non unius tantùm Cæſaris, ſed fidelium omnium fortunam hæc una vehit navis; quocunque hæc appellit, Inſulas fortunatas, rectè appellat, quia ſi non invenit, fortunatas facit. Argo navis tantùm eſt prior, non cœlo dignior: quin imò in portum ſanitatis ſalutis, hanc ſolam neceſſe eſt navim conſcendas; aſſlantibus divinæ gratiæ ſecundis auris citra naufragij periculum decumanis fluctibus ſæviens hujus vitæ mare traijcies; imò huic ſoli obtingit tari fidæ in tranquillo ſtationis viatoribus indulgere, qui tutius in triumphum ducuntur; quàm olim Lucullus devicto Mithridate navi laureata. Procul ab hujus navis felicitate, quod alteri turgentibus à vento velis proprium dixeris hac ſubſcripta cautione: *Si tumeas timeas*. neſcit hæc navis cum fortuna tumeſcente intumeſcere: nec bene hanc deſcripſeris navim cum Poëta,

Scribitur Anno. Interdum ænigma non addit litteras, nec ſyllabas, ſed eas demit, ut: *Mitto tibi navem prora, puppique carentem:* quia initium, & finis navis ſunt puppis, & prora, ſi in voce *Navem* omittantur litteræ initialis, & finis, litteræ, ſuperſunt, *Ave*, ſeu *te ſaluto.*

23 Secunda ſpecies ænigmatis ſita eſt in ſyllabis, quando in eadem voce multa ſignificata excogitamus, ſive retrogradè legamus, ſive ſeparemus litteras, quo pacto *Roma* retrogradè legitur *Amor*, & ſi litteras miſceamus legitur *Mora Ramo, Armo: Aura legitur Arva: Omen Nemo: Laudator, Adulator: Logica, Caligo,* eò quia novitate terminorum caliginoſa, & obſcura appareat tyronibus, Verùm hæc ænigmata magis propriè dicuntur anagrammata, ut ſunt illa Joann. Baptiſtæ Agnenſis Cyrnei Caluenſis, qui lucis uſura orbatus in tenebris clariùs vidit Virginis conceptæ Immaculatum candorem, nempe obcæcata luſcinia caſtiùs cecinit puriſſimis Anagrammatibus depromptis à verbis ſalutationis Angelicæ.

Ave Maria Gratia Plena Dominus Tecum.

24 Quibus probat Immaculatam Virginis conceptionem,

Anagrammata Pura.

Do Reginam puram, & ſine macula avita.
Jo Regina pura munda, & Immaculata es.
Sat pura è malo Adami Increatum genui.
En Virgo, en Deipara ſum, at Immaculata.
Caſta Mater, pura, diva, anguem, elimino.
Tota ſine macula Adama purè germinavi.
Vivam Deo integra, Immaculata parens.
Deipara inventa ſum, ergo Immaculata.
Eva ſecunda malum ignorat primæ? ita.
Virgo ne ſemper munda à macula? ita, ita.
Regina nata evadens luctum amari pomi.
Tanta virgo merè immunis à culpa Adæ.
Iram maculamque Adæ prorſus ignorat.
Regina mirè tuta à lapſu communi Adæ.
Lapſum, à reatum Adam nivea ignoret.
Jam munda es à culpa Virgo intemerata.
Adam Evam in macula purè ignoráſti.
Tu vera primo genita ſine macula Adam.
Virgo, à macula Adæ patenter immunis.
Virgo an deturpata es à macula? minimè.
Pura vadam, longè ſit à me Atavi crimen.
Ignoravit Adæ culpam, nam Mater JESU.
En Virgo ſane tuta è macula primi Adam?
Oſtendi te Reginam puram à macula avi.
Vive, regna, ac impera tota munda malis.
Virgo, i, munda patens, Mater amica vale.

25 Plura alia reperiuntur anagrammata per litterarum transpoſitionem inventa, cujusmodi ſunt. Maria Magdalena. anagr. *Grandia mala mea.* Sanctus Dominicus, *Canis mundi Cuſtos.* Sancta Lucia Virgo. *Unica oculis grata.* Divus Alexius. *Exul diu à ſuis.* Simon Petrus, *En ſto primus.* Divus Marcus Evangeliſta, *Sum ad curas Venetas vigil.* Italicè: Stefano Protomartire, *Sancto morto fra pietre.* Divus Angelus noſter Cuſtos, *Tu ducis nos gnavm, & ſolers.* IESUS *vis es.* Puer JESU *Vere pius.*

Verani Pantheon Tomus I.

Maria Virgo. *Mira virago.* S. Sacramentum Euchariſtiæ. *Sacra Ceres in JESUM mutata.* Euchariſtia, *Vis Thearica.* Sacra Euchariſtia. *Cara JESU Charitas.* Pater Æternus, Verbum, & Spiritus Sanctus, *ſemper beatus, ac ut unus pariter eſt trinus.* Sancta Catharina de Senis Virgo. *Chriſto jugata, ac ſanè inardens.*

In anagrammate niſi litteræ transponantur, & varientur, non habetur anagramma perfectum, ut ſi Syllabæ tantùm ſeparentur ut Dominus, *Do-minus*, ſepulchrum, *ſe-pulchrum*, Eraſmus, *Eraſ-mus.* Si transpoſitio ſit modica minus continet anagramma perfectionis, ut corpus *porcus*, Donna, *Danno.* Unde quò transpoſitio eſt major, eò anagramma eſt perfectius, ut Laudator, *Adulator.* Sin verò fiat additio, vel mutentur litteræ, anagramma eſt impurum, quamvis plerumque acumen contineat; ut Sancta Dei Genitrix AVE *perpetuo libera nos à* VÆH. Circa regulas ſervandas in ſtructura anagrammatis aliqui compendiales notas amplectuntur, alij reſpuunt, & ipſos numeros præcipiunt ſcribendos per ſingulas litteras, ſed res eſt arbitraria: generatim mutatio, quæ vocis ſonum non alterat, nullius cenſetur eſſe momenti. Ea anagrammata ſunt cœteris perfectiora, quæ eaſdem prorſus continent litteras, ut Guſtavus, *Auguſtus.* 26

Plurimum habet leporis illud anagramma purum Roma *Mora*, & alluditur ad Annibalem, qui propter moram inter Capuanas delicias, Romam non occupavit, nec ſuo ſubjecit Imperio. 27

Annibal in paucas Fortunam diſtulit horas,
Non bene Romanas præmeditatus opes.
Vincere cùm ſciret, fortunâ neſcijt uti,
Pœnus homo quamvis AFER, *eòque* VAFER
Heu, quantum Annibali nocuit differre parato?
Servata eſt minima maxima ROMA, MORA.

Tertia ſpecies ænigmatum fit quando demitur aliqua littera ex nomine. Lepidum eſt illud Comici fortunam ſuam ridentis, eò quia pauper, & mendicus eſſet, omiſit litteram N à voce *Mendicus*, & dixit. *Sum ego una littera plus quam Medicus.* Littera interdum omittitur in principio, ut *Menſis, Enſis, JESUS Eſus, Magnus, Agnus,* & in Euchariſtia *Magnus JESUS* dicitur *Agnus Eſus, Navis Avis, color olor. Raptus, Aptus,* quia quod rapitur, ſemper aptum eſt ſuccurrendæ indigentiæ rapientis: *Fluctus luctus,* quia facilè luget, qui maria trajicit, quando procelloſis fluctibus quaſſatur ad naufragium navis *Parcus, Arcus,* quia temperantia, & parcitas eſt arcus, ſeu bellicum inſtrumentũ, quo rebellantem concupiſcentiam, & titillantem Venerem vulneramus, ſuperamus, ac proſternimus. Interdum omittuntur plures litteræ, ut *divitijs, vitijs*, quia *divitijs* affluentes, faciliùs *vitijs* indulgent. 28

Nonnunquam littera demitur in medio, ut *Avarum*, ſi mediam omittas litteram, dicis *Aurum*, quaſi avarus totus ſit in auro, cui inhiat, quia: *Ubi Theſaurus tuus, ibi & cor tuum.* Si demas mediam litteram *Mars*, fit *Mas*, quia ma- 29

mares bellicoſiores ſunt fœminis. *Magnus*, *Magus*, quia viri Magnates cæteris debent eſſe verſutiores, ac ſcite ſubditorum mores. *Vita*, *Via*, quia ex Apoſtolo in hac vita in via ſumus, quâ peregrinamur ad Dominum. *Viſcus*, *viſus*, quia ſicut aviculæ capiuntur viſco, ita viſu incauti juvenes, quo pacto David viſa Berſabæa in laqueum incidit concupiſcentiæ: & inſanientes amore impuro ſenes viſâ Suſannâ irretiti manſerunt, & ſiunt libidine Juvenes, qui ætate inſenuerant, fovent ſub canitiei nivibus impuræ Veneris exitiales flammas: quia ut ſcitè D. Chryſoſtomus *Homil. de Verb. Iſaiæ* ait: *Ut ignis ubi fœnum aliquod arripuerit, nihil moratur, ſed ſimul ut attigit materiam, lucidam accendit flammam: ita ignis concupiſcentiæ, quæ eſt in nobis, ſimul atque per oculorum intuitum elegantem, atque venuſtam attigerit formam, protinus exurit animam.*

30 Demi etiam poteſt littera in fine, ut *Muſa*, *Mus.* quaſi parvulorum ſit, ac adoleſcentum dare operam Muſis, non verò grandium animarum: luſciniæ, & aliæ exiguæ aves tantùm canunt, non aquilæ. *Roſa*, *Ros.* quia ut ros citò cadit, & evaneſcit, ſic roſa illicò exareſcit: *Sagax*, *Saga*, quia inſtar mulieris verſutæ, ac ſuperſtitioſæ, ſeu maleficæ vir ſagax eſt. *Menſa*, *Mens.* quia eſculentorum ac poculentorum ſuperfluitate Mens opprimitur, & hebetatur: *Ferax*, *Fera*, *Limax*, *Lima*, *Jubar*, *Juba.*

31 Ex ſeparatione ſyllabarum argutæ interdum oriuntur æquivocationes, ut fuit illa ſacerdotis Ammonij, qui feſtivè, cùm vellet vocare Alexandrum PAEDIOS, id eſt filium, ac puerum, poſt prolatam primam ſyllabam PAE. parum ſubſtitit, & poſtea dixit DIOS. ſeu filium Jovis, quod arridens Alexandro non erubuit, propriam matrem Olympiam adulteram vocare, ut ſe filium Jovis diceret, licèt Spurium, ac Nothum ſe faceret. Nonnihil etiam habuit leporis ſomnium, quod Alexandro ſpopondit victoriam, & expugnationem Tyrij; cùm in ſomnio fuiſſet ei exhibitus *Satyrus*, fuit, qui mane ſomnium interpretaturus ſyllabas ſeparavit, dixitque SA-TYROS, hoc eſt *tua Tyrus.* Somnianti verò Conſtantino, ſe Theſſalonichin armorum vi invadere, & occupare ſeparatio ſyllabarum omen fuit ſiniſtrum. Interpres ſomnij ſyllabas diviſit, dixitq; THES-ALLO-NICHIN. Seu linque alteri victoriam. Nec minus habuit leporis illa ſeparatio ſyllabarum cujuſdam ſculptoris, qui vocatus à viro nobili, ſed imprudente, ac dementia laborante, ut marmoreo Camini frontiſpitium inſcriberet verba illa Pſalmi: *In memoria æterna erit*; Sculptor alluſurus ad hominem ſeparavit primam ſyllabam vocis *memoria*, & ſculpſit IN ME-MORIA ÆTERNA ERIT. Hoc eſt, in me erit æterna ſtultitia. Aliquando ex ſyllabarum, & litterarum obtruncatione ſatyrica naſcuntur ſcommata, ut eſt illud feſtivum *Gotardi Naſelli*, qui Dodrantalibus litteris ſcripſit *Gotardus Naſellus*, ſed fuit qui alluſurus ad illius tarditatem in negotijs agendis delevit primam ſyllabam primæ vocis, & primam litteram ſecundæ, ut legeretur *Tardus Aſellus.* Aliquando ex additione ſyllabarum argutè luditur, ut in epitahhio Orcelli Tetraconenſis. *Hic ſitus eſt Didius Orcellus nobili familia natus, qui civili bello laudem in Arce, & caſtris meritus, obijt anno ætatis Quinquageſimo quinto:* Hæredes autem affectantes laconiſmum voluerunt inſcribi lapidi ſepulchrali hoc pacto. HIC SIT. EST DID. ORCELL. NOB. FAM. NAT. QUI CIVIL. BELL. LAUD. IN ARC. ET CASTR. MER. OBIJT AN. ÆT. LV. Quod epitaphium per additionem ſyllabarum alij verterunt. HIC paraSIT: EST ſorDID. pORCELL. igNOB. inFAM. damNAT. QUI inCIVIL. BELLua cLAUDI. IN cARCE. ET CASTRari MERuit malè OBIIT: ANimal fAETidum, LVtuoſum. Feſtiva ſunt etiam apud Græcos anagrammata illa *Ptolomei*, & *Arſinoæ* ejus conjugis, ille commendatus ob dulcedinem ſuavis facundiæ, & hæc laudata ob florem raræ pulchritudinis. *Ptolemajos* Anag. *Apo-Melitos*, hoc eſt dulce ſicut mel, & *Arſinoë*, Anagr. *Iras-Jon*, quod apud Græcos delicatiorem veris florem, ſeu violam ſignificat.

Plurimi à recentioribus fit Anagramma 32
numericum, quod hac noſtra ætate frequentiori eſt in uſu, éſtque opus laborioſum, quod videtur in ſe Kabaliſticam quandam continere fatalitatem, licèt fœtus ſit laboris improbi, & & magìs fortunæ, quàm ingenij. In hoc anagrammarum genere numerantur litteræ alphabeticæ ab A, usque litteram, I, numeris ſimplicibus, ut A. 1, B. 2, C. 3, D. 4. E. 5, F. 6, G. 7, H. 8, I. 9, à littera K. usque ad litteram S. decennarijs numeris, ut K. 10, L. 20, M. 30, N. 40, O. 50, P. 60, Q. 70, R. 80, S. 90; à littera T. usque ad Z, centenarijs numeris ut T. 100, V. 200. X. 300, Y. 400, Z. 500, anagramma numericum eſt illud de nomine MARIA explens numerum 121. A DEI REGIA complet enim eundem numerum 121. Pulchrum eſt hoc aliud JESVS continet numerum 394, DEVS ES continet eundem numerum 394. Eſt igitur anagramma Arithmeticum, quando numeri, qui ex una vel pluribus vocibus conſurgunt, reſpondent numeris alterius, vel aliarum plurium vocum, adeò ut ſi radix anagrammatis numerum expleat quinqnagenarium, eum etiam numerum contineat ipſum anagramma, ut ſunt præcenſita anagrammata; & hoc aliud, quo nonnemo luſit in virum puellam, ſe fingentem veſte, & nomine, cui erat *Maria*, cùm verò nuptias contraxiſſet ab altero conjuge *Mas* deprehenſua eſt, & matrimonium ſeriò contractum, ridiculè fuit ſolutum. *Maria* continet numerum 121. & *Mas* continet itidem eundem numerum 121. In hoc genere anagrammatum computantur numeri omnium litterarum.

Datur etiam aliud genus anagrammatum, 33

quo

quo numeri illarum tantùm litterarum computantur, quæ numerum indicant Romanum ut I. 1, X. 10, C. 100, M. 1000, V. 5, L. 50, D. 500. In hoc genere anagrammatum computantur tantùm numeri illarum litterarum, quæ in vocibus indicant numerum Romanum, ut JesVs, continet litteras, J. & V. quæ ſolæ indicant numerum Romanum J. 1, & V. 5, adeò ut JesVs contineat numerum 6. anagrammata reſpondentia huic numero ſunt VIa, VerItas 6. VIta 6. hoc genere anagrammatum ſolet annus exprimi, quo aliquid celebratur, vel fit; & tunc dicitur anagramma Cronographicum, ut in ſubjectis carminibus à pio Poëta compoſitis, quorum litteræ initiales nomen MARIA complent; exprimunt verſus affectum peccatoris reſipiſcentis in Beatam DEI Matrem Auxiliatricem.

Me qVotIes eheV! potVIſſet perDere ChrIſtVs
SIn Ita IpsIVs à te pIa fLeXa foret.
AnXIa Mens fVerat, non reCtI heI ConſCIa CVrIs
AtqVe In peCCatIs pLena pavore sVIs.
Re MerVIt InIVſta genItrIX. In tartara trVDI.
aſt operâ eVasI CeLsa patronâ tVâ.
Inſtar teſtæ arVIt Mea VIrtVs InCLIta VIrgo,
eVge bonIs VotIs fronDeat oro tVIs.
Ah! poſthaC MIhI fLere LVbet peCCata patrata hoC
faC qVæso aVXILIIs VIrgo benIgna tVIs.

Litteræ notantes numerum Romanum ſunt cæteris majores, & quodlibet diſticon ſignat annum reparatæ ſalutis milleſimum ſexcenteſimum nonageſimum ſecundum, quo Monachij ſolemnitas B. Virginis Auxiliatricis fuit inſtituta.

34 Quarta ſpecies ænigmatum conſiſtit in contradictorio, ut *vir non vir* de Eunuco: *ales non ales* de Veſpertilione. Alia conſiſtunt in ſignificatione, ut eſt illud: *Mater me genuit, quæ rurſus gignitur ex me*, quod de nive interpretatur, quæ fit ex aqua frigore concreta, & in eandem beneficio caloris reſolvitur. De anno pariter, & ejus partibus habetur hoc ænigma *Eſt genitor natos, qui bis ſex procreat omnes, unicuique eorum nati triginta diſpare forma. quidam ſunt nigri, quidam ſunt vultibus albi; ſunt immortales, moriuntur & omnes.* Ænigmatica quæſtio propriè conſiſtit in ſola rei ſignificatione, ut eſt illa apud Virgilium.

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo.
Tres pateat cœli ſpatium non ampliùs ulnas.

quod intelligi ſolet de inſpicientibus imum putei, in cujus aqua cœli imago reſplendet. & illa quæſtio à Sphinge Oedipo propoſita.

Quæ mane incedit pedibus natura quaternis?
Luce bipes media? ſole cadente tripes?

De homine puero reptante manibus, & pedib⁹, adulto ambulante duobus pedibus, & ſene adhibente baculum, quo fulcitur. Ad hos nodos diſſolvendos dicimur indigere gladio Alexandri, qui nodum Gordium ſolvit, vel Oedipum deſiderari, qui intricatas ejuſmodi quæſtiones ænigmaticas conſueverat extricare: non verò vocamus Davum, quia hic ſervus comicus fuit, & interrogatus de re obſcura explicanda negavit, ſe Oedipum eſſe.

Loggriphus nodos implicat in ipſis litteris, cujusmodi ſunt litteræ MVS.

Cornua ventre gero, numeros in vertice multos.
In pede ſerpentem, dic mihi, ſum, quis ego?

Litera V. eſt bicornu, littera M. numerum indicat millenarium, littera S. ſerpentem figurat; & hæ litteræ componunt *Mus*, & ænigmaticè proponitur in Diſtico. Aliquando quæſtio eſt partim ex re, partim ex voce, ut de nive.

Candidior Cygno ſi ſum ſine corde nitebo,
Præ pice nigrabor, ſi mihi corda dabis.

qoia nix, ſi præponatur ſyllaba *cor*, eſt *cornix* avis nigerrima.

Subinde voces è Regione ſibi reſpondent, ut in Diſtico de libidine. 35

Corpus, opes, animam, conſortia, fœdera, famam.
Debilitat, perdit, necat, addit, deſtruit, aufert.

Ad allegoriam etiam reducitur Ironia, 36 éſtque ſimulatio, aut illuſio, quâ aliud in pectore recluſum eſt, & aliud in lingua promptum habemus, eſt enim ſermo, quo irridendo, vel inſultando contrarium ſignificamus, ac verba in ſe ſonent; unde hoc tropo aliud verbo ſignificamus, & aliud corde ſentimus. Ironiam adhibuit Cicero in Clodium, cùm dixit: *Integritas tua te purgavit, pudor eripuit, vita anteacta ſervavit*; id dixit ironicè, quia verus ſenſus fuit: tua te ſcelera, impudentia, improbitas damnârunt. Fit autem ironia vel pronuntiatione, vel perſona, vel rei natura: *pronuntiatione*, cùm ipſo vocis tono irridentis animum oſtendimus, ut cum indoctum ſapientem vocamus: *rei naturâ*, cum ex ipſa re contrarium omninò cognoſcimus: *perſonâ* cum aliam oſtendimus, quo pacto Lamia deformem puerum ironicè pungens dixit: *Audiamus pulchellum puerum*, at ille bellè retorſit: *Non potui formam ipſe fingere, ingenium potui.* Ironicum etiam fuit illud Eliæ, 3. Reg. *Clamate voce majori, DEUS enim eſt, & forſan loquitur: aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit.* Rurſus ironia, quâ adverſarij tela contemnimus, & in riſum vertimus, ut Io triumphe! non ita ad lyram aſinus, quàm ad hunc ſolœciſmum barbarus noſter exultat: fit etiam varijs modis primò per antiphraſim ſignificantem rem contrariam, ut *Parca*, eò quia non *parcat*, *lucus* quia minimè *luceat*. Verùm quia id non ſemper fit illudendo, nec ſemper eſt ironia. Secundò fit per charientiſmum, cum facetijs irati viri minas lenimus, ſimul irridemus, ut ſi quis vellet gladium exerere contra alium, & eſſet vir timidus: rectè amicus ei intorqueret: *ne facias quæſo, aliàs cœlum totum turbabitur.* Tertiò, per Aſtiſmum, qui eſt facetus jocus, ut ſi Gançones, & multo mero madidi, ſobrios, ac jejunos ſe jacta-

tent, ſcitè ijsdem intorqueremus: *vos ſobrij certè illà, cùm auribus vinum minimè bibatis, neque edatis.* Quartò, per Sarcaſmum, qui eſt jocus amarulentus per modum ſcommatis, quo adverſario inſultamus, cui dicimus: *Lætare de tua pinguedine: ſatia te tuorum civium ſanguine.* Quintò per Nictociſmum, ſeu ſubſannationem, quæ fit tam geſtu, quàm voce, ut cum quis adverſarium intuens, & admota utraque manu auribus, eas fingit aſininas, & æmulum ſalutat, inquiens: *O ſalve hominum doctiſſime.*

37 Periphraſis eſt circumlocutio, qua pluribus verbis explicamus, quod uno, vel paucioribus poſſet aperiri, id vel ad declinandam ruditatem, vel ad comparandum ornatum orationis, ut ſi dicam, *diuturna benevolentiâ fui ſemper Petrum proſecutus, quia mihi amicitia devinctus fuit*, paucioribus verbis dixiſſem amavi ſemper Petrum amicum. Hic tamen tropus frequentior eſt Poëtis, quàm Oratoribus. Virgilius ad explicandam primam noctis partem *Æneid 2.* ait.

Eſt tempus, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit: & explicaturus ortum ſolis utitur circuitione.

Poſtera vix ſummos ſpargebat lumina montes
Orta dies, cùm primo alto ſe gurgite tollunt.
Solis equi, lucémque elatis naribus efflant.

Ovidius per Periphraſim ſignificaturus mediam noctem ait.

Jámque quieſcebant voces, hominúmque, canúmque.
Lunáque nocturnos alta regebat equos.

38 Huc etiam pertinet illud Sapient. 18. *Dum mediam ſilentiam tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet.*

39 Hyperbole alijs ſchema, alijs tropus videtur, ſed lis de nomine ſit apud Momos; eſt Hyperbole latinè ſuperjectio, ſeu ſuperlatio, cùm aliquid augetur, vel minuitur ſupra rei veritatem, non ut mentiamur, ſed ut magnificemus: per hyperbolem putat D. Auguſtinus dixiſſe Joannem cap. ult. *Nec mundus caperet, qui ſcribendi ſunt libri.* Huc etiam accerſitur illud Virg.

Qui candore nives anteirent curſibus auram.

40 Tripliciter fit Hyperbole. Primò quando plus facto dicimus, ut *it clamor ad aſtra*, vel *ſublimi feriam ſydera vertice.* Secundò per ſimilitudinem, & comparationem, ut *Pulcher*, ut *Sol. Sublimis ut mons.* Tertiò per translationem, quo pacto Pericles ab Ariſtophane Poëta dicitur *fulgurare, tonare.* Hyperbaton verborum carnifex, ac tyrannus ſcindit verba, quorum partes ſeparat, & latinè dicitur transgreſſio, ſeu tranſpoſitio, eò quia permutet ordinem verborum. Ut Virgilius lib. 6. *Hac Trojana tenus fuerit fortuna ſecuta* ſcilicet *hactenus*. Hinc Hyperbaton dupliciter fieri poteſt: primò cum duo verba, quæ continuari debuerant extraneæ dictionis interpoſitione ſeparantur, ut, *Per te Deos oro*, ſcilicet oro te per Deos, Cicero: Animadverti Judices, omnem accuſationis orationem in duas diviſam eſſe partes; id eſt diviſam eſſe in duas partes. Hæc Ordinis inverſio aliquando fit nullo alio interpoſito vocabulo, cujusmodi ſunt, mecum, tecum, vobiſcum, nobiſcum, & vocantur *Hyſteron, Proteron*, cùm præcedit vox, quæ ſubſequi debuiſſet. Secundò fit cum una vox in duas dividitur partes alia voce interjecta, quæ à grammaticis dicitur *Tmeſis*, ut *ſeptem ſubjecta Trioni*, id eſt ſeptemtrioni.

EXPENSIO XI.

De Figuris Orationis.

ORnamenta orationis, ac ſplendores eſſe figuras, nemo eſt, qui dubitet, cùm 1
ſint figuræ potiora lumina, quibus oratio eniteſcit: ſiquidem per figuras ornatur, & illuſtratur oratio, quapropter figurarum inter flores, perinde ac Pindi inter vireta gaudet jocari eloquentia, quibus ſi deſtituatur, ſqualet, & langueſcit: definitur figura ab Alexandro Rhetore *mutatio orationis in melius*, ſeu ornatior quædam forma dicendi. Ab alijs verò definitur conformatio quædam verborum, & ſententiarum à communi ratione loquendi remota: quapropter duplex eſt genus figurarum: aliæ ſunt figuræ verborum: aliæ ſententiarum: & differt figura à tropo, ut ait Alexander Rhetor, quia tropus ſit virtus in uno tantùm verbo: figuræ verò ornatus conſiſtat in pluribus verbis: præterea tropus fit mutatis verbis à propria ſignificatione, cùm figura propriam retineat rei ſignificationem. Figuræ verborum fiunt *per adjectionem, detractionem, ac ſimilitudinem.* Per adjectionem fiunt repetitiones, cùm eadem verba pluries repetuntur ad majorem impreſſionem rei in animo audientis, ut Cicero in Catilin. *Nihil agis? nihil moliris? nihil cogitas?* quo fit, ut non ſolùm audiam, verùm etiam quaſi videam ſententiam efficaciùs mihi expreſſam.

Hæc repetitio fieri poteſt initio, vel in fine ſententiæ: verùm cùm fit in fine tantùm, propriè non eſt repetitio, ſed potiùs converſio Cicero in Ant. Philipp. 2. *Doletis tres exercitus populi Romani interfectos? interfecit Antonius: deſideratis clariſſimos cives? eos quoque eripuit Antonius: Authoritas hujus ordinis afflicta eſt? Afflixit Antonius.* Sin verò repetitio fiat initio, & fine dicitur complexio, ut qui ſunt, qui ſæpius fœdera ruperunt? Carthaginenſes; qui ſunt, qui cruentum bellum in Italia geſſerunt, quam totam vaſtârunt? Carthaginenſes. Qui ſunt, qui ſanguinem fuderunt, ac plura hominum millia interfecerunt? Carthaginenſes. Qui ſunt, qui Occiſorum cadavera per ſingulos Campaniæ diſſeminârunt campos: Carthaginenſes. Cicero pro lege Agraria. *Quis legem tulit? Rullus? quis comitijs præfuit? Rullus.* Per complexionem habetur integer Pſalmus 135. *Qui facit mirabilia magna ſolus, quoniam in æternum miſericordia ejus: qui fecit cælos in intellectu, quoniam in æternum miſericordia ejus: qui firmavit terram ſuper aquas, quoniam in æternum miſericordia*

ricordia

cordia ejus. Condyrlicatio eſt geminatio, ſeu iteratio, cùm idem verbum pluries repetitur in eadem ſententia, & poteſt fieri ſine ulla interruptione, ut Cicero præſtitit, dicens: *fuit, fuit iſta quondam in Republica virtus.* Interdum repetitur, ſed poſt aliqua interpoſita. Cicero: *Cum veſtros portus, atque eos portus, quibus vitam, & ſpiritum ducitis in prædonum fuiſſe poteſtate ſciatis.*

3 *Anadiploſis* rara eſt figura apud Oratores, frequentior tamen apud Poëtas, éſtque congeminatio dictionis, quæ præcedentem verſum claudit. Virgilius Eclog. 10.

Pierides, vos hæc facietis maxima Gallo,
Gallo, cujus amor tantum mihi creſcit in horas.

ut etiam illud aliud

O Corydon Corydon, quæ te dementia cœpit.

4 *Anaphora* eſt numerus, quo vox eadem in principijs auditur, vel inciſorum, vel membrorum, vel periodorum, ut: Nihil, nihilne te nocturnum præſidium palatij? nihil urbis vigiliæ? nihil timor populi? nihil conſenſus bonorum? nihil hic munitiſſimus habendi Senatus locus? nihil horum ora, vultúſque moverunt? Rurſus quid hæc feſtinatio? quid hæc amentia? quid hæc immaturitas tanta ſignificat? non vim, non ſcelus, non latrocinium, non denique omnia, quàm jus, quàm officium, quàm pudorem. Subinde eadem vox initio membrorum reperitur, ut: legum magiſtri, legum interpretes &c.

5 *Epanalepſis.* Figura eſt, quæ fit, cùm id, quod ſemel dictum eſt, iterum repetitur, ut ſum ejusdem diſtici idem eſt principium, ac finis, hæcque figura magìs arridet Poëtis, quàm Oratoribus. Per hanc figuram explicamus cauſam Dominicæ Paſſionis ſolum fuiſſe amorem.

Quis niſi ſolus amor præclara traxit ab arce,
Æterni natum? Quis niſi ſolus amor?
Quis niſi ſolus amor, pura de Virgine naſci,
Compulit immenſum, quis niſi ſolus amor?
Quis niſi ſolus amor tormentis corpora Chriſti
Inſanè affixit: Quis niſi ſolus amor?
Quis niſi ſolus amor pungenti tempora ferto
Præcinxit circum; Quis niſi ſolus amor?
Quis niſi ſolus amor ſublimi brachia ligno,
Atque pedes fixit; Quis niſi ſolus amor?
Quis niſi ſolus amor fodit uno cuſpidis ictu,
Et latus; & Matrem; Quis niſi ſolus amor?
Quis niſi ſolus amor conſcidit pectoris artus
Cor nobis tradens; Quis niſi ſolus amor?

6 Extat etiam eruditi Poëtæ carmen in Martyrem Ignatium charitate æſtuantem.

Ignis erat, dabat ore rogos, dabat ore favillas.
Frigora depulerat mentibus ignis erat,
Ignis erat, quamvis liquidis equitaret in undis
Demersúsque freto creſceret, ignis erat.
Ignis erat, fugit objectum leo territus ignem.
Quem tetigiſſe negat dentibus, ignis erat.
Ignis erat, tandem feras accendit in ignem,
Pulvere in exiguo deſijt, ignis erat.

7 *Per Epanalepſim* habetur etiam illud Virgil. 1. *Æneid.*

Multa ſuper Priamo rogitas ſuper Hectore multa

& illud ex eodem Virgilio.

Ambo florentes ætatibus Arcades ambo,

Differt *Epanalepſis* à *Palilogia*, quia in illa una pars orationis bis reperitur, tum conjunctim, tum altero verbo interjecto, quo elocutio fit efficacior: in hac verò ex plurium verborum continuatione repetita idem quæritur. 8

Synonymia fit cum verba idem ſignificantia ſimul nectimus ad eandem ſententiam majori emphaſi exprimendam, ut eſt illud Ciceronis in Catilin. *Perge quò cœpiſti, egredere aliquando ab urbe, patent portæ, proficiſcere.* Synonima ſunt illa verba Pſal. *Peccavimus cum Patribus noſtris, injuſtè egimus; iniquitatem fecimus.* Unde Synonimis utimur quoties uno verbo non ſatis videmur dignitatem, aut magnitudinem rei demonſtrare, & tunc in eiuſdem ſignificatione plura congerimus, ut ſi dicamus, *debellavit, proſtravit, interfecit.* 9

Polyſyntheton Schema eſt, fitque cum ſententiæ plurium articulorum convenienti copia continentur, ſeu eſt oratio pluribus nexa conjunctionibus, ut apud *Rut Lup. part. 4.* Ille hunc pœna conſtrictum trahebat, hic autem vociferabatur, concurſus verò non mediocris, cùm tamen omnes opitulari vellent, ſed nemo auderet: neque ibi Magiſtratus aderat; nec circumſpicientes; quò potiſſimum confugeremus, reperiebamus: ſed uno tempore nos, & præſens, & futurũ malum perturbabat. Nam præſens tempus acerbitatis erat plenum, reliquum verò timoris. Habetur etiam per Polyſyntheton illud Diarchi. *Partim noſtri ſilebant, partim autem ingentem clamorem excitabant, ſed neque conſtanti ſilentio, neque forti clamore ſtrenuè quid agere conabantur; huc accedebat ignavus tubæ ſtrepitus, qui nihil eorum mentes ad virtutem excitabat.* 10

Climax figura eſt, quæ à latinis Gradatio dicitur; hæc figura à Demoſthene commendatur, licèt ut ait Hermogenes lib 1. De Formis: *bis tantùm in omnibus Demoſthenis orationibus reperiatur uſus hujus figuræ*; eſt autem *ſcomma*, in quo poſtremum quodque verbum in priori membro, aut parte aliqua elocutionis poſitum, in inferiorem rurſus aſſumptum injeitur, ut eſt illud ad Romanos 5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit*: huc ſpectat etiam illud Virgilij Ecloga. 2. 11

Torva leæna lupum ſequitur: lupus ipſe capellam
Florentem Cythiſum ſequitur laſciva capella.

Ubi repetimus ultima verba, & ad alia quaſi per gradus quoſdam aſcendimus. Fit etiam gradatio per ſimplicem aſcenſum in rebus initium ducendo à præcedentibus, ac minoribus viam ſternentibus ad majora, ad quæ fit aſcenſus, ut ſi de juvene puellam, quam deperierat corrumpente diceres. Amoris impatiens, ſimplicem puellæ animum promiſſis ſollicitavit, muneribus corrupit, blanditijs delinivit, officijs in mutuum amorem pellexit, im-

improbitate vicit, demum conſuetudinem cum ea habuit, ac defloravit. Fit aſcenſus ſemper ad majora.

12 *Diezeugmenon* ſcomma eſt, quod ita ornat, & amplificat orationem, ut diverſis reditionibus verborum membra disjungat, ac ſeparet, unde à latinis dicitur disjunctio, eò quòd disjungat, ac ſeparet membra orationis, & unicuique membro verbum apponat, cùm ſatis unum eſſet omnibus, ut Cicero pro Archia. *Homerum Colophonij civem dicunt eſſe ſuum, Chij ſuum vendicant, Salaminij repetunt, Smyrnæi verè ſuum eſſe dicunt.*

EXPENSIO. XII.

De Figuris quæ fiunt per detractionem.

1 PRincipem locum in hiſce figuris occupat *Apoſiopeſis*, quæ à latinis reticentia dicitur, fitque cum intra nos ſupprimimus, quæ dicturi videmur, quæ aut turpia, vel invidioſa, vel alioquin nobis gravia ſunt dictu, ut eſt illud Junonis apud Virgilium 1. Æneid.

Quos ego! ſed motos præſtat componere fluctus.

Unde hæc figura plus auget ſilendo, quàm ſi loqueremur; propter obſcœnitatem reticemus, ne aures lædamus alienas; ut in illo Virgilij, *Novimus, & qui te.* Demoſthenes ex induſtria viſus eſt Philippi verba tempſiſſe, ne mala avis interveniret. Propter gravitatem fuit reticentia Demetrij, cùm dixit, *Quæ latent graviora putantur*, ut etiam illud Juvenalis.

Majorum primus quisquis fuit ille tuorum.
Aut Paſtor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

2 *Diſſolutio* eſt figura detractionis, quâ reticetur particula conjunctiva, fitque oratio concitatior, ut apud Ciceronem 7. de orat. *Secutus es, vulneraſti, interfeciſti unum hoſtem*, & illud pro Archia: *hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res amant, adverſis perfugium præbent,*

3 Unde per diſſolutionem plura efferuntur ſine conjunctione, ut eſt etiam illud Terentij: *Ætas, Magiſter, metus prohibebant*, dicitur hæc figura *Aſyntheton*, vel *Dialyton*, latinè verò *diſſolutio*, eò quia oratio nulla conjunctione nectatur, & regulam ſervat ſolutæ quaſi ſententiæ.

Adjunctio eſt, qua ad unum verbum plures
4 ſententiæ referuntur, ſive initio, ſive in medio, aut fine. Exemplum de verbo poſito in principio ad quod omnia referuntur eſſe poteſt, *vicit pudorem libido, timorem audacia, gaudium triſtitia, amorem odium, ſpem deſperatio, virtutem vitium, rationem concupiſcentia.* Exemplum verbi poſiti in medio eſt *Formæ dignitas aut morbo defloreſcit, aut ætate adulta, & ſenectute.* Exemplum verbi poſiti in fine eſt illud: *Æneas urbe & ſociis, & claſſe relicta.* Ut etiam illud aliud Virgilij 3. Æneid.

Trojugena interpres Divum, qui numina Phœbi,
Qui tripodas Clarij lauros, qui ſydera ſentis.

5 Hanc figuram Grammatici *Zeugma* vocant, eſtque figura disjunctioni contraria, eò quia per hanc uno verbo teguntur plura membra, & ſententiæ. Cum verbum ponitur initio dicitur *Protozeugma*, quando in medio *Meſozeugma*, ſi in fine *Hypozeugma.* Quando verò verbum aut nomen, quod plures regit ſententias numero, perſona, genere, aut caſu mutari debet, ut clariùs cohærere intelligatur, tunc figura vocatur *Syllepſis*, ut *ego timore, ille audaciâ corruit*, intelligitur, ego corrui timore. Unde *Syllepſis* propriè fit cum duabus, diverſisque ſententijs, & rebus unum datur verbum, quod interdum utrisque non convenit, ut: *Incluſos utero Danaos, & pinea furtim laxat clauſtra Sinon*: ubi verbum *laxat*, non poteſt ad Danaos referri, ſicut ad clauſtra.

Syneriosis ſcomma eſt, ſeu figura, in qua 6
duæ res diverſæ ad unum referuntur verbum, ut *Tam deeſt avaro, quod habet, quàm quod non habet.* A Scaligero dicitur Cinnus. 7

Eclypſis figura eſt, quam alij vocant defectionem, fitque, cùm verbum aliquod omittitur, quod facilè ſubintelligitur, ut eſt illud Ciceronis. *Sermo nullus niſi de te*, ſubintelligitur *inſtituitur*, & illud Virgilij. *Quo te Mœri pedes*, ſubintelligitur, *ducunt.* Sunt etiam aliæ figuræ detractionis, quas explicant Publius Rutilius, Aquila Romanus, Lupus, & alij. 8

Figuris, quæ fiunt per detractionem, affinis videtur Echo, fitque cum in fine locutionis reperitur, vel extrema pars vocis præcedentis, vel etiam tota vox præcedens, ut confirmetur, vel iſti contradicatur, vel inde quidpiam inferatur. Interdum Echo alteri reſpondet, quod lepidè contingit: imò aliquibus in locis etiam quinquies ob ſituum correſpondentias, vel ſexties, vel etiam ſepties contingit, ut reſpondeat Echo, ſemper tamen diminuendo, ut *conſideravimus, ſideravimus, deravimus, ravimus, vimus, mus*, hoc eſt aſſueta rupibus echo ipſa obſtetricante parturiunt montes, & ad ultimum naſcitur ridiculus *mus*, cùm præter vocem nil ſuperſit. Hinc non debet echo efformari poſt quamlibet vocem, ſed cum aliquod opportunum ſignificat. Plurimum habet Echo illicij in vocibus polyſyllabis, ſed magis etiam in diſſyllabis, quàm triſyllabis; in monoſyllabis vix ſolet echo adhiberi. Pulchra eſt, eſt Echo illa de pace, & Pontifice.

Dic mihi, quæ denſis habitas in vallibus Echo,
Cur populus pacem ſic modo clamat? AMAT.
Ad divam pacem precibus concurritur? ITUR.
Ut damnum fugiat triſte colonus? ONUS.
Ruſticus ergo iterum campos reparabit? ARABIT.
Et tuto curret remige navita? ITA,
Omniaque evenient in mundo proſpera? SPERA,
Longáque nec rerum copia deerit? ERIT.

Quomodo comparandi ſint veri amici Echo nos edocet, audi Echonem, & obſerva, quæ mutilata voce exprimit. *Amore, more,* 9

ore,

ire, etc. Per hanc figuram Interroganti, quid ſit *juventus? ventus*, lepidè reſpondet Echo, quia juventus perinde, ac ventus evaneſcit.

EXPENSIO XIII.

De figuris, quæ fiunt per ſimilitudinem

1 QUamvis genus hoc figurarum parum videatur apud Quintilianum eſſe in uſu, quia magis memoriæ proſit, quàm concinnitati, & elegantiæ orationis: attamen quia in texendis elogijs, & inſcriptionibus plurimum præſefert ſalis, & illicij, operæ pretium eſt, has recenſere.

2 *Paronomaſia*, quæ apud latinos agnominatio dicitur, eſt verborum ſimilitudo, & veluti quædam colluſio in diſſimili ſententia, ſitque tripliciter. Primò cùm detrahitur à nomine prima littera ut: *Amore fecit hoc non more*, quæ figura videtur etiam Echo. Poſſunt etiam omitti plures litteræ, ut præſtiti olim in quodam elogio. *Adesdum, qui dubio adhuc fluctuas doctrinarum in pelago agitatam mentem in ſpem erige portus, en nova tibi lucet cynoſura, quâ charybdis vortices elides, eludes, ſcyllæ ſcopulos, hoc igitur ſcientiarum* RIMARE MARE. Secundò fit per additionem alicuius litteræ, vel vocis, *ut audendum eſt non audiendum*, frequens eſt hæc figura apud Meliſluum Bernardum, ait enim: *Monachi hoc idem in cellis agant, quod Angeli in cælis*, & alibi *cella ſit tibi cælum*. habetur etiam illud Martialis lib. 1. epigr. 66.

Litigat, & podagra Deodorus Flacce laberat,
Sed nil patrono porrigit, hæc chiragra eſt.

3 Tertiò cùm ponitur una vox pro alia, ut, *Oportet juvenem reprimi, non opprimi.* Divo Joanni Chryſoſtomo aureo eloquentiæ flumini, & ſplendidiſſimo ſapientiæ lumini per Paronomaſiam has olim laudes dicavi. *Licèt conſtantia ferreus fuerit, aureum tamen ejus ab ore fluxit flumen eloquentiæ, & tulit lumen ſapientiæ, quod adversùs corruptos mores, quos corrigeret, effulſit, quia eruditione claruit, caruit inſulſis ſalebris; ejus conciones vix lucis uſuræ natæ, nactæ gloriæ apicem veræ ſapientiæ fundunt flumina, emittunt lumina, quibus Attica eloquentia vitia omnia eludit, ac elidit. Struxit olim in Argileto Jano, ſeu pacis, belliquе Numini Fanum, Vrbis Numa, Orbis Numen; at Chryſoſtomus, & pacem virtuté, & bellum indixit vitiis: nam etiam parvis pravis minatus eſt gehennæ cruciatus præſertim Aris, qui ab infantia parvus, & pravus nil candidi unquam habuit præter ſyndonem: de fabula Gallicani Herculis triumphavit os aureum aureis eloquentiæ catenulis animos ſcivit ſibi vincire, ac vincere. Utinam Oratores tantum virum imitarentur, non diceret Quintilianus plures Oratores eſſe aratores.*

4 Per hanc figuram Theſaurus in laudem amœniſſimi ruris inſcriptionem compoſuit, quam hic exhibeo. *Hinc ex urbe in ſuburbium viator* de via devia: *ubi vera*, & meta, *& pia volupia colonus colit, varia hic ſpectacula, ſpectantes* ut recreet, *natura* creat. *Hinc* rapidus, & rabidus, torrens *juvenilè* terrens; *pari* ruina, *ac* rapina; *ſaxa* diruit, *dum* ruit; *ut credas in gelidum* fulmen, *mutari* flumen. *Illinc lacteus latex è gelido gelu* fluens, refluens, *flores* educat; *quos* educit. *Hic* fragra fragrant: *Serpillum ſerpit: roſa ridet: Gratúſque grata* violaria *nullæ* violant *nives. Atque ut Flora flores ſic pomona poma pingit: nam colores artifice colore optimorum malorum omnigena genera ramos* ornant, *quos* onerant. *Neque hic meridianus* Apollo pollet: *nam ſine* luce lucus, *ex vetuſtate venuſtatem adeptus;* abdiris adyris, *quos* tegit protegit: *ſilentique umbra, mæſtis læta teſtatur adeſſe.* Numen, *ubi nullum eſt* lumen, *Hic perſonata perſonans Echo mortua vivit, elinguis loquitur: per* auras *ludens*, aures *illudit.*

Per Paronomaſiam habetur illud apud Terentium: *Deceptio eſt amentium, aut amantium*, & illud *Tibi parata erunt verba, ſed huic verbera.* Et illud aliud: *Myrteus amentes, ubi lucus opacat amantes.* Verùm quia per hanc figuram verba paululum immutata, & deflexa adhibemus per mutationem alicujus ſyllabæ, vel litteræ, vel per adjectionem, aut detractionem, transpoſitionem, vel inverſionem; cavendum eſt, ne in puerilia Orator incidat, & ne frequenter ea utatur. 5

Omœpreron figura eſt, quæ latinè dicitur ſimiliter cadens, ſitque cum plura verba licèt diſſimilia ſimiliter tamen cadunt in eadem tempora, vel nomina, & in eoſdem caſus: exemplum de verbis habetur apud Ezechiel. 18. *Qui virum non contriſtaverit, pignus non retinuerit, rapinam non rapuerit, panem ſuum eſurienti dederit, & nudum operuerit veſtimento.* Exemplum de nominibus habetur apud Tullium *Furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem*, in quibus exemplis plures ſententiæ ijsdem caſibus, ac temporibus efferuntur, per hanc figuram habetur etiam illud. *Quid tam commune, quàm ſpiritum vivis, terra mortuis, littus ejectis?* Similiter deſinens differt à ſimiliter cadente, quia hoc ſimilitudines vocum complectitur ubique, ſive initio, medio, & fine: ſimiliter deſinens tantùm in fine, ut eſt illud, *ſi fecerit, ſi dixerit, ſi damnatus fuerit*, ubi plures ſententiæ ſimili ſono, & exitu terminantur, ut eſt etiam illud Ciceronis: *Non modo ad ſalutem ejus extinguendam, ſed etiam gloriam infringendam.* 6

Iſocolon figura eſt, quæ ad concinnitatem perjodi plurimum valet, à Latinis dicitur compar, eò quia per hanc figuram omnia orationis membra paria ſint, ut in hac perjodo: *Tantum bellum tam diuturnum, tam longè, latéque diſperſum Gneus Pompejus extrema hyeme apparavit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit.* Ubi plures ſententiæ breves, & inter ſe pares ſimul nectuntur: ut etiam pro Rutil. part. 10. *Neque mihi dives eſt, quamvis multa poſſideat, qui neque finem habet cupiendi, nec modum ſtatûs utendi. Nam & multum deſiderare egentis eſt ſignum, & nihil parcere egeſtatis eſt initium.* Unde aliquando membra inter ſe pugnant. Ad hanc figuram refertur *Tricolon* con- 7

ſtans tribus membris ut: *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.*

8 *Antitheſis*, ſeu contrapoſitum figura eſt, in qua ſingula ſingulis opponuntur, ſeu verbum verbo pari poteſtate per contrarium redditur, ut: *Profligavit temperantia ebrietatem, coërcuit humilitate ſuperbiam, compeſcuit timore audaciam,* Fit etiam Antitheſis, quando verba verbis referuntur: ut accipiat pro ſolio cæſpitem; pro ſceptro pedum; pro diademate petaſum; pro ſatellitio paſtoritium gregem.

9 *Antimetabole* figura eſt, quæ à latinis commutatio dicitur, fitque quando duæ ſententiæ inter ſe diſcrepantes ita exprimuntur, ut à priori poſterior contraria videatur oriri; ut; *Non ut edam vivo, ſed ut vivam edo.*

10 *Correctio* eſt, quâ emendamus, quæ diximus, & magis idonea reponimus, ut *Catilina Romanus Civis, ſi tamen civis Romanus eſt, qui Reipublicæ perniciem intentat.* Terentius. *Filium unicum habeo, ah quid dixi me habere, imò habui.* Cicero. *Stuporem hominis, vel melius dicam pecudis.* Tale eſt etiam illud Ciceronis, *O clementia populi Romani, ſeu potius patientiam ſingularem.* Si corrigatur verbum, correctio pertinet ad figuras verborum: ſi ſententia ad figuras ſententiarum.

11 Præter figuras, quæ fiunt per ſimilitudines, dantur etiam aliæ, quæ fiunt per diſſimilitudinem; ut *Antitethon*, quam Cicero contentionem vocat, fitque cum in oratione verba verbis; ſingula ſingulis; vel bina binis; vel terna ternis opponuntur, ut de ſancto Joanne Chryſoſtomo pulchrè dicitur: *Securitatem, quam daret alijs, rapuit ſibi. Vir in omnibus aureus, quamuis ferreum cum probaverit toleranus: patriam adivit, tùm in exilium ivit.* Dinarchus per hanc figuram ait: olim in adoleſcentia ſedulò omnem gloriam ſectabar, at nunc in ſenectute ſummum me ambitionum invaſit odium: tunc facilè multis opitulabar; nunc jam me ipſum tueri vix poſſum; tum mihi beatiſſimus videbar, ſi quàm pluribus beneficiſſem: nunc contra vereor, ne quid mihi deſit ad neceſſarium ætatis meæ cultum: tunc ego ipſe pro Republica fortiter arma capiebam, nunc præter quam laudare eos, qui Rempublicam armati defendunt, nihil valeo. Divus Iſidorus etiam ſcitè per hanc figuram ait: Non ille ſtultitiâ, aut furore impulſus tam graves labores fruſtra ſubiret: ſed ex acerbitate laboris jucundos voluptatis fructus ſibi parabat.

12 *Cohabitatio* eſt figura, quâ verba ita conjunguntur, ut videantur pugnare, ut de Juda Proditore. A ſigno pacis exorditur bellum oſculo amoris internuntio, & blandimentis abuſus amicorum. Vel inter amicos oſculorum anhelitus, odij venena deſpumans amicitiæ ſymbolum vertit in teſſeram proditionis: & inſtrumento pacis, charitatis pignore vulnus infligit, amoris teſſerâ hoſtile tegit odium.

13 *Anaclaſis eſt reflexus*, fitque, cum quod dictum fuit; in alium, aut contrarium ſenſum accipitur; ſeu in aliam mentem intelligitur. Vulgare eſt illud Proculejanum. Proculejus cum filium ſuum moneret, & hortaretur audacter, ut ex bonis ipſius ſumptum faceret, quas in res vellet, atque opus eſſet: ne tum ſperaret libertatem, licentiámque futuram, cum pater deceſſiſſet, cui viveote patre omnia liceient: ac filius reſpondiſſet non eſſe opus ſæpe eadem oratione moneri, nec ſe patris mortem expectare: ei Proculejus pater ſubjecit: Imò verò minimè meam mortem expectes, nec properes moliri, ut velociùs moriar. De libro impuro dicitur, cur eſt hic effrons, cum ſit multorum capitum liber. Scitè de S. Martino habetur, DEI beneficia provocans ſuæ chlamydis parte, totum emit Empireum.

Acyrologia, ſeu *Acyron* figura eſt, quâ utimur voce impropria omiſsâ propriâ, ut Virgilius *tantùm ſperare hunc dolorem*, id eſt timere, Terentius, *quod tu ſpera, propulſabo facilè*, ſeu quod tu times. 14

Antiphraſis, eſt figura, quâ nomen imponimus rei habenti contrariam proprietatem, ut ſunt Parcæ, quæ minimè parcunt; bellum, quia nunquam bellum; lucus quia non luceat. Per hanc figuram etiam negamus quædam nos dicere, quæ tamen dicimus, ut apud Lucilium, *Non tango, quòd avarus homo eſt, quodque improbus, omitto.* Virgilius. *Quid memorem portum, Lucrinóque addita clauſtra.* 15

Diſcriminatio eſt figura oſtendens differentiam inter res, quæ alioquin videntur ſimiles, ut cùm dicitur, *non Severus eſt, ſed crudelis; non pius, ſed ſanctus.* 16

Relatio figura eſt, quæ fit, cùm plura præcedunt verba, quorum ſingulis alia ſubſequentia reſpondent, ut 17

Paſtor, Arator, eques, pavi, colui, ſuperavi
Capras, rus, hoſtes, fronde, ligone, manu.

hoc eſt, paſtor pavi capras fronde, arator colui rus ligone, eques ſuperavi hoſtes manu.

EXPENSIO XIV.

De Figuris, Sententiarum.

Sunt figuræ ſententiarum amœnioris elocutionis flores, qui orationem mirificè exornant: nam ſicut prata floribus, ac viretis viduata hyeme gelida compede, altóque ſub gelu rigent, & in ſqualore jacent: ita orationes ſine hiſce figuris veluti deſtitutæ ornamentis, ac defloratæ ſylveſcunt. Figuræ ſententiarum ſont, quæ non in verbis, ſed in ipſis rebus quandam præſeferunt dignitatem. Ut *Interrogatio*, quâ alios interrogamus, vel ſciſcitandi, vel arguendi, vel monendi gratiâ. Hinc multipliciter poteſt hæc figura inſtitui. Primò cùm interrogamus ad percipiendum, quod ignoramus, ut ſi quis interroget, an ſol ſit formaliter igneus. An aſtra ſint paria? Secundò quando interrogamus, non ſciſcitandi gratiâ, ſed inſtandi causâ, ut *Quouſque abuteris patientia noſtra Catilina?* 1

Te-

Tertiò cum Orator interrogat Auditores ad extorquendum conſenſum, dum putat neſcire, quod notiſſimum eſſe credit, ut *quis ignorat tot crimina ſordidè patrata à Mario?* Quartò cùm interrogamus causâ admirationis, ut apud Virgilium. *Quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames?* Quintò quando perplexi interrogamus, ut *quid faciam? aut quò me vertam? ubique laquei latent, ubique mundus inſidias tendit.* Sextò cùm interrogamus per admonitionem ad incutiendum terrorem, quo pacto D. Ambroſius monet animam devotam, ut mundi illecebras fugiat, hominúmque conſortium devitet, inquiens ad Virg. cap. 1. *Quid tibi cum mortalibus? quid in illis deſideras, an acquiris caſtimoniam, quam non habent? quid? fidem, quam non inveniunt? doctrinam, quam non ſequuntur? jejunium quod oderunt. Abſtinentiam, quam rejiciunt. Humilitatem, quam nolunt, ſinceram mentem, quam non habent.* Septimò ad exprimendum aliquem animi affectum Virgilius. *Non ego te vidi Damonis peſſimè captum, excipere inſidijs.* Octavò ad exprimendum affectum doloris Virgilius. *Quisnam locus inquit Achates, quæ regio in terris noſtri non plena doloris?* Nonò interrogamus per exclamationem cum dolore. Virgilius,

Heu! quæ nunc tellus inquit, quæ me æquora poſſunt
Accipere? aut quid jam miſero mihi denique reſtat?

2 Decimò interrogamus cum acri imperio Virgilius.

Non arma expedient, totáque ex urbe ſequentur?

Undecimò per excitationem invidiæ, ut Medea apud Senecam, *quas petes, terras jubes.*

Duodecimò per indignationem, *Et Quisnam Numen Junonis adoret?*

3 *Reſponſio* eſt figura, quâ interroganti reſpondemus, ut eſt illud 2. Regum 18. *Eſtne pax puero Abſolon?* & Chuſi reſpondit Regi. *Fiant ſicut puer inimici Domini mei Regis.*

4 Per *Interrogationem*, & *Reſponſionem* ſimul de Deucalione ſaxa vertente in homines, & de Perſeo homines in ſaxa mutante ait Poëta.

Saxea Deucalion terris dum ſemina mandat,
Mollia de ſaxis ſurgere membra jubet.
Perſeus, at contra, vibrat dum Gorgonis era,
In lapides molles cogit abire viros.

Interrogatio.

Tu quem nunc dicet, meliori vivere ſorte?
Scilicet hic homines perdit, at ille facit;
Ille viros ſceleri exponit, ſed ſubtrahit iſte;
Ille malis homines objicit, iſte rapit;

Reſponſio.

Sed quis ne ſubeat, tam multa pericula vitæ;
Non cuperet potiùs Gorgonis eſſe lapis.

5 *Subjectio* fit, cùm Orator interrogat ſe ipſum, & reſpondet ſibi, ut eſt illud Ciceronis pro Cœlio: *Domus tibi deerat? at habebas: pecuniâ ſuperabas? at egebas.* Habetur etiam illud Divi Pauli ad Romanos 7. *Inſelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*, & ſibi reſpondet: *Gratia DEI per JESUM Chriſtum.* Interdum fit hæc figura per interrogationem, ut cum nobis objicimus varia, quæ deinde confutamus, ut ſi amicus dicat amico: quis nos ſeparabit? quid ſejunget generoſum pectus ab amore? fortè gladius? ſed hic ſævire quidem poteſt in corpus, non tamen diſſolvere animum. Mortem objicis? ſed ſcio amantem interire non poſſe. Famem, pauperiem, corporis nuditatem? ſed deliciæ ſunt Chriſtum amantibus. An exilia, carceres, vincula? ſed liber eſt, quisquis amat. Uſus hujus figuræ in exordio generis judicialis plurimum obtinet roboris ad delendas ſuſpiciones contra Oratorem, & Reum.

Correctio figura eſt, in qua noſtram ſententiam per aliam magis idoneam corrigimus, ut 6
in Epitaphio de Puero apud Petrarcham

Vix mundi novus hoſpes eram, vitæq; volantis,
Obvia mors, fallor, obvia vita fuit.

Dubitatio eſt, quâ quærimus unde incipiendum, vel deſinendum, Virgil. lib. 3. Æneid. 7
Eloquar, an ſileam gemitus lachrymabilis imo auditur tumulo.

Hypothypoſis figura eſt, quâ ſic ad vivum rem exprimimus, ac ſi gereretur ſub aſpectum, 8
ut eſt illa deſcriptio equi apud S. Job. *Terram ungula fodit, exultat audacter, in occurſum pergit armatis: contemnit pavorem, nec cedit gladio. Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta, & Clypeus fervens, & fumans, ſorbet terram, nec tubæ ſonare clangorem. Ubi audierit buccinam dicit: vah procul odoratur bellum, exhortationem Ducum, & ululatum exercitûs.* Hac figurâ præſertim utuntur pictores ad vivum delineantes res, quas pingunt, quo pacto Albertus Duredus Pictor inſignis profundi atque cogitantis animi motus, qui melancholici dicuntur, & cauſantur, ut ajunt Phyſici, ab atra bili, hoc pacto delineavit. *Pinxit mulierem ſedentem, demiſſo capite, manúque cubito nixa, genu ſuffulto, vultu ſevero, quaſi in magna conſideratione, quæ nuſquam aſpicit, ſed palpebris dejectis humum intuetur: omnia autem ſunt circa illam obſcura, ipſa claves appenſas habet lateri, capillo eſt neglectiori, ac diffuſo, circum per latera viſuntur artium inſtrumenta, libri, regulæ, circini, normæ, etiam ferramenta, & lignea quædam opera.* quo pacto videtur ad vivum expreſſa Melancholia.

Apoſtrophe figura eſt, in qua orationem 9
noſtram ad aliquos convertimus, & quidem multipliciter. Primò per invocationem, ut *ô Deus Creator cæli, & terræ, adjuva me in hoc imminenti periculo, erue me à laqueo venantium.* Secundò per Increpationem, ut: *quid enim tuus ille Tubero in acie pharſalica gladius agebat.* Tertiò per Implorationem. *O leges ſacræ! quomodo ſiletis in tanto facinore?* Quartò ad irriſionem, ut eſt illud Eleazari Machabæi Protomartyris apud Theſaurum *Eamus Tyranne nemo me trahet, omnes antecedam: mortem appara bene mihi eſt, non poſſum totus mori; virgas expedi: ſolum pulverem excutient; & hunc reparabilem; quate, ſeca, reſeca, vulnera ipſa vulnera, ſolum animæ carcerem perrumpes; quidni patebunt fores*

Ad libertatem evolabo; Rempublicam fulcire integer nequeo, fractus potero: valete amici aliquando laudabitis, quod timetis. De Diva Magdalena properante ad pedes Chriſti per Apoſtrophe

Magdala ne ceſſes Veneris jactata procellis,
Quærere quaſſatæ littora tuta rati;
In mare nam gemitus, cordis ſpirantibus auſtris,
Pes Domini fidus mox tibi portus erit.

Per Apoſtrophem etiam habetur ſubje-
10 ctum Epigramma in Mariam Stuardam Scotiæ Reginam ab Eliſabetha capite plexam.

Sors Regum infelix! quorum crudelia fata,
Flere ſatis tragico carmine nemo poteſt.
Tu Maria heu teſtis Regum miſerabilis uxor,
Sed viduata viris, quàm miſeranda magis?
Scotia cuj regnum, Sponſum cuj Gallia Regem,
Anglia ſanguineum, cuj diadema dedit.
Scilicet elapſis bis denis carceris annis.
Fœmineo tandem victa furore cadis,
Sacri facta trucis lacrymabilis ipſa ſacerdos,
Ipſa tibi templum, victima, & ara ſimul.
Ut referat ſolos fama execrata Britannos,
Enſe coronatum poſſe ſecare caput.

Exclamatio eſt figura exprimens animi af-
11 fectum per particulas O, *Vah, heu, proh*, ut eſt illud. *ò vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſimilis, ſicut dolor meus.* Apud Ciceronem plures habentur exclamationes in Catilin. *ò tempora, ò mores! Senatus hoc intelligit, Conſul videt, hic tamen vivit.* Philipp. in Anton. *ò me miſerum conſumptus enim lacrymis, infixus tamen pectori hæret dolor* contra Rullum *ò perturbatam rationem! ò libidinem refrænandam! ò conſilia, diſſoluta atque perdita!*

12 *Ethopæja* imitatio eſt vitæ, ac morum alienorum, diciturque propterea moralis confictio, & differt à Proſopopæja, per quam fingimus perſonas, quæ nuſquam ſunt: per Ethopæjam autem certis quibuſdam perſonis verba accommodarè adfingimus, vel ad improbitatem earum demonſtrandam, vel ad indignitatem, vel cùm fingimus quidnam alij dixerint, vel fecerint, ut eſt illud Eleazari Machabæi, qui ab Antiocho adigebatur porcinas mandere carnes, quas ſenex reſpuit, & amicos increpat, cùm ab iiſdem hortaretur, ut ficto obſequio imminentem declinaret mortem, alloquitur Eleazarus amicos ita hortantes apud Theſaurum. *Quod ſuadetis amici, etiam hoſtes ſuadent: ega hoc ore leges violem, quo leges docuj? abſit: ne ſim dignus bruto apponi, quod mihi apponitur; moriar: quidni? neceſſarium utrique malum minatur, annoſus Tortor: ſolvendum ſemel hoc vitæ penſum, quod qui perendinat, morti fœneratur, non æſtimat annorum meorum pondus, qui morte me leviorem putat; nonaginta me illaqueant anni, hanc effugere, nec poſſum velle, nec vellem poſſe; ſine fruge hanc frontem aravit tempus, niſi laureolam metam, moriar Tyranni jugulatus ferro: non onerat novitas meum caſum; jam dudum in hoc ſum initiatus: Sacerdos ſum, mei muneris eſt ſanguinem fundere; neque ſemper ſerinum, quouſque minoribus victimis operor? ignavus Myſtis, ſi de alieno ſanguine tantùm pius; tot hoſtias feci, ut ſemel hoſtia fieri diſcerem.*

Nervoſa eſt etiam illa Ethopæja apud Dicen, quâ introducitur eloquentia increpans ſuos corruptores; fingitur enim ita loqui. Si 13
me luctu luridam, & ſqualore deformatam non agnoſcis, ſaltem ex eo inimicorum meorum crudelitatem cognoſces, qui me venuſtiſſima ſpecie Virginem ad eam malorum acerbitatem redegerunt, ut ipſis parentibus penè videar ignota. Ego illa ſum (me miſeram) quid dicam, non ſum, ſed fui Regina terrarum eloquentia hauſtus de tuo fonte rivulus, imago mentis, ſimulacrum gloriæ, portio divinitatis. Ego illa ſum, quæ tuis imperijs ex cœleſti Beatorum domicilio in terram veni, ut hominum ſublevarem miſerias, & non modo neceſſarijs ad ſalutem tuendam præſidija inſtruerem, verùm etiam cœleſtibus ad conciliandam dignitatem veſtirem ornamentis. Feci quod juſſeras, mortales inveni turpes, hiſpidos, longa macie torridos, qui ſub quercu glandem ructabant, belluis omnino, quàm viris ſimiliores: cœpi ego veniam miſerorum tenere, ſenſus intimos delibare, affari blandiſſima oratione, conſolari, illuſtrare, hortari, animare: ad ſummum agreſtia ingenia ita dedolavi, ut ab hac morum barbarie paulatim ad mitiora, & elegantiora defluerent; agros excolerent, urbes ſepirent mœnibus, & ſanctam inter ſe colerent ſocietatem. Per me conſtitutæ ſunt civitates, leges natæ, & adultæ; firmata militiæ oppida, ſexcentarúmque artium, & ſcientiarum amœnitate colluſtrata, penè ad ipſius cœli gloriam effloruerunt. Non tot prata floribus, non tot margaritis fulget Erythræum, non tot micantium ſtellarum ignibus tuus ille princeps orbium Æther eſt vermiculatus, quot mundus ſplendet civitatibus, academijs, artibus, ac virtutibus: heu! ubi illa tempora, quibus ego curru aureo, niveóque candore fulgentibus quadrigis invecta triumphabam, ubi tot Reges, qui me meatum virtutum ſtupore perculſi admirabantur? ubi illa fœcunda ſummis ingenijs ſæcula, quorum nomina nec appellare quidem audeo. Exciderunt Demoſthenes, evanuerunt Lyſiæ, obierunt Hyperides, mortui ſunt Cicerones inſignes mei cultores. Natum eſt hominum genus audax, amens, impudens, & viri rudes ſurrexerunt, qui me deturparent, & velut in cruce diſtorquerent. Quotidie diſtrahor improborum fabula, & ludus. Alij me inſufflant, alij macie deturpant, alij viribus deſtituunt imò vel Hecubam faciunt, aut unam ex Furijs. Dici non poteſt, quot formas induam in omnibus ſemper informis, nec Protheus ille à Poëtis decantatus millenas induens formas fabula eſt: ſiquidem Poëtarum figmentis meæ fidem dederunt miſeriæ. Quod verò præ cæteris acerbitatibus acerbius, ſanctum virtutis nomen turpe occupavit vitium, & quod antea turpitudinis erat, totum eſt gloriæ, ut ea lenocinante ad facinus depravatæ mentis cupiditas quemque prolectet. Poſtquam ventoſa illa loquacitas juvenum animos ad ma-

Google

gna ſurgentes veluti peſtilenti quodam ſydere afflavit, ... ſunt omnibus deſipere, adeò ut puduerit etiam aliquos non inſanire, & eò devenerunt amentiæ, ut neſcio cujus animi ſordes purpuras eſſe ſuas dicerent. O tempora! ò mores! nunquam licebit una, & nobili plaga defungi? quid opus eſt enim ut vivam? an ut lugeam, & inter quotidianas vulturum lacerationes centies moriar? ne ſemel intereant? tu me ſaltem in extremam barbariem relega, ne conſcios oculos habeant calamitatis meæ? grave eſt torqueri, ſed gravius à ſuis in patria, & in eo ipſo loco, ubi antea cum honore vixeris, graviſſimum. Me dicentem vires, & latera relinquunt, & adverſariorum non mediocriter conturbat audacia; qui hanc fori lucem, hunc graviſſimorum Judicum conſeſſum audent ſuſtinere; nec impudeoriæ ſuæ ſaltem pudentem exitum quærunt, vos eorum latratus ſi lubet, audietis; ego nec audire, nec ſuſtinere poſſum.

Dido apud Virgilium *lib. 4. Æneid.* emo-
14 riens ſic pathetìcè per Ethopæjam extrema verba profert.

Incubuitque toro, dixitque noviſſima verba.
Dulces exuviæ, dum fata, Deúſque ſinebant,
Accipite hanc animam, méque his exſolvite curis.
Vixi, & quem dederat curſum fortuna peregi,
Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.
Urbem præclaram ſtatui; mea mœnia vidi:
Ultra virum, pœnas inimico à fratre recepi.
Felix heù nimium felix: ſi litora tantum,
Nunquam Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ.

Idolopæja fit cum perſona nota, & vera,
15 ſed jam mortua introducitur loquens, & per hoc diſtinguitur ab Ethopæja, quâ fingitur perſona vivens loqui.

16 *Execratio* eſt, quâ malum alicuj imprecamur, ut eſt illud Job execrans diem nativitatis ſuæ Job 3. *Pereat dies in qua natus ſum, & nox, in qua dictum fuit, conceptus eſt homo; dies illa vertatur in tenebras, non requirat eam Deus deſuper*, & illud Terentij Percutiat te paries dealbate. Vel illud aliud, Deus te perdat fugitive: vel, eas in malam crucem, qui talia agis.

17 *Deprecatio* fit, cùm opem alicujus imploramus, ut eſt illud Pſalmi *Exſurge, quare obdormis Domine, exurge, & ne repellas in finem.* Vel illud Ciceronis: Per dexteram te iſtam oro Cæſar, quam Regi Deiotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti: iſtam inquam dexteram, non tam in bellis, & in prælijs, quàm in promiſſis, & fide firmiorem.

18 *Optatio* eſt, quæ voti alicujus, ac deſiderij exhibet ſignificationem, ut eſt illud Job 14. *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus.* Vel illud Ciceronis *utinam Quirites virorum fortium,*
19 *atque innocentium copiam tantam haberetis.*

Epiphonema, quæ & *acclamatio* dicitur eſt ſententia quædam reflectens ſupra rem narratam, vel probatam, reique totius ſummam complectitur, & hæc ſententia in fine rei expoſitæ cum affectu enuntiatur. Cicero in Verrinis. *Non vitam liberam, ſed mortis celeritatem precabantur.* Habetur etiam illud apud Virgilium. *Tantæ molis erat Romanam condere gentem!* quæ figura eſt veluti corolarium, ut ajunt, quod quæ admirationem habent, complectitur, ut eſt illud Sacri Sponſi ad Sponſam *Cant. 7.* poſtquam Sponſæ pulchritudo deſcripta eſt, ſubdit: *quàm pulchra es, & quàm decora chariſſima in delicijs.* 20

Proſopopæja fit cum rebus mutis, ac inanimatis animam, & vocem tribuimus, quas loquentes inducimus, unde hæc figura habetur quoties perſonas in rebus conſtituimus, quæ ſine perſonis ſunt. Et hac figura uſi ſunt Poetæ, qui fabulas ſcripſerunt in Prologis, ſiquidem ſub humanis figuris perſonas introduxerunt loquentes, quæ perſonæ non erant; unde Proſopopæja eſt perſonæ confictio, & plurimum in ſe continet dignitatis, præſertim cum Rempublicam ipſam loquentem inducimus; vel defunctos aliquos, quaſi ab inferis excitamus, & in conſpectu Iudicis introducimus eos loquentes, ut præſtitit Cicero pro Cælio, ubi introducit Apij Cælij perſonam contra Clodium ita loquentem. *Mulier quid tibi cum Cælio? quid cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno? ſæpe enim quæ nos ex noſtra perſona dicentes vix ferant Judices ſuppoſita dignitate perſonæ liberius dici, & convenientius poterunt.* Tale eſt etiam illud *Proverb. 8.* Sapientia clamitat, & prudentia dat vocem ſuam, dicens. *ò viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum: intelligite parvuli aſtutiam.* 21

Hac igitur figurâ introducimus loquentia, quæ non loquuntur. Illuſtris eſt etiam illa lamentatio; quâ Roma conqueritur inquiens. Quouſque hoc Maximiane patiar, me quati, te quieſcere? An quod Divo Auguſto poſt ſeptuaginta ætatis, & quinquaginta Imperij annos non licuit, tam citò tibi licuit? Ideo ne te mihi ille, cujus tot aras, tot nomina colo Hercules dedit, ut tu in ſuburbano otioſus ſedens uſum dicatæ mihi virtutis amitteres! redde te tabernaculis meis, & quoniam tranquillo mare portum intrare non properâſti; vade per fluctus mei quidem amore ſulicitus, ſed tua majeſtate ſecurus; & tamen per te tibi ſteterit injuriam in mei reſtitutione patieris; imperâſti pridem à fratre rogatus, rurſus impera juſſus à matre. 22

Pathetica eſt proſopopæja, quâ Mantua, urbs ſui direptionem luget, & conqueritur expilata, ærumnis preſſa, extero milite violata, & armorum vi proſtrata, ait per Proſopopæjam. Excipe ſinuoſis cœlorum amfractibus Echo ferales ejulatus meos, & me olim inviolabilem, labilem nunc in imum miſeriarum fractis oculis pronuntia, méque violatam, defloratam nuntia. Illa ego ſum Mantua quondam celebris, illibata, nunc cladibus vigens, everſa ſpiritu, laxata curis, deflorata, deplorata; compreſſi cordis effundo reliquias, & excidium cruentum fractis oculis ingemiſco: proh dolor! irruens miles nudato ferro vulnera infligit, cruorem fundit, & omnia ſus deque

que vertit. At ſi lacrymis madentia mea lumina corrumpuntur, & veluti naufragium paſſa non vident, quò ulteriùs pergant; reviviſcat ſaltem, è cinerario Poëtarum Phœnix Vates meus ut, qui collapſæ Trojæ gravipri fiſtula cecinit excidium, lugeat nunc heroico gemitu Trojæ recentioris ſtragem. Ulyſſem dederunt Alpes, Liguria Achillem, Forum Julij Ajacem, Helenam ego ipſa dum libertatem meam quotidie in deteriùs ruere experior.

23 *Emphaſis* figura eſt, quæ rem magis exprimit, quàm per ſe ſignificet; & duæ ſunt ejus ſpecies, altera cùm ex ipſis verbis aliquid latens intelligitur, ut eſt illud Virgilij lib. 2. Æneid. *Demiſſi lapſi per funem*, ex quo quanta fuerit Trojani equi altitudo conjicimus; vel illud 3. *Æneid.* de Ciclope. *Jacuitque per antrum immenſum*: ubi proceritatem corporis è loci ſpatio inferimus. Altera ſpecies Emphaſis poſita eſt in voce, quæ aliquando omninò vel ſopprimitur, vel abſcinditur, Cicero pro Ligar. *Quòd ſi in tanta fortuna bonitas intacta non eſſet, quam tu per te inquam obtines; intelligo quid loquar*: reticuit ſequentia verba ſcilicet. *Non deeſſe homines, qui Cæſarem ad crudelitatem impellerent.* Plus etiam ſignificat, quàm verba ſonent, illud Junonis, quod ſapit emphaſim apud Virgilium. *Aſt ego, quæ divûm incedo Regina, Jovisque, & ſoror, & conjux.*

24 *Suſtentatio* eſt, quâ diu ſuſpenduntur Auditorum animi, nec clarè mens aperitur, & aliquid poſtea, vel gravius, vel inexſpectatum ſubjungitur, ut cùm dico; *Cui ex floribus aſſimilabo te? lilio? ſed candidior floret puritas tua? Roſæ? ſed ardentius purpuraſcit charitas: Violæ? ſed pulchrius impalleſcit humilitas tua, omnibus igitur aſſimilabo te floribus.* Habetur etiam illud Job: Quis mihi tribuat, ut ſcribantur ſermones mei? quis mihi det, ut exarentur ſtylo ferreo, ac plumbi lamina, vel celte ſcribantur in ſilice? Scio enim, quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum; & rurſus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum. Arguta eſt etiam illa ſuſtentatio Martialis *lib. 6. epig. 51.*

Quod convivaris ſine me tam ſæpe Luperce,
Inveni, noceam qua ratione tibi,
Iraſcar licèt usque voces, mittáſque, rogéſque
Quid facies? inquis, quid faciam? veniam.

25 *Prætermiſſio*, ſeu *Præteritio*, quæ & Reticentia dicitur, figura eſt, quâ dicimus aliquid libenti animo nos prætermittere, vel neſcire, quod tamen tunc vel maximè illud idem ſignificamus. Hac figura uſus eſt D. Paulus *ad Hebr. 1.* ubi poſt longam exemplorum inductionem pergit, inquiens. *Et quid adhuc dicam? deficiet mihi tempus enarrandi de Gedeone, Barace, Samſone, Jephte, Davide, & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna.* Uſus hujus figuræ eſt in Cicerone. *Quid deinde, quid putatis? furtum fortaſſe, aut prædam expectatis aliquam? nolite usquequaque eadem quærere.* Et poſtquam diu ſuſpenſos detinuiſſet animos, rem addidit deteſtabiliorem.

Conceſſio figura eſt, quâ aliquid ultro concedimus, licèt difficulter, ob tamen rei fiduciam, quam adnitimur probare Cicer. 7. in Verr. *Sit, ſit fur, ſit flagitioſorum omnium Princeps, at eſt vir prudens.* Aliquando fit per ſimplicem affirmationem, ut eſt illud Ezechielis, qui poſt enarrata plurima flagitia, & maxima, quaſi nulla eſſent, ſubdit. *Et accidit poſt omnem malitiam tuam (Væ væ tibi ait Dominus DEUS) & ædificâſti tibi lupanar, & feciſti tibi proſtibulum in cunctis plateis.* 26

Parentheſis figura eſt, quâ paucis verbis, breviter deflectimus à propoſito, & ſententia interrumpitur, per aliquid ad ipſam non pertinens, ſed neque ab ipſa totaliter alienum; ut eſt illud. *Videte Judices, qualem (nolo enim graviori appellatione uti) accuſatorem in medium adduxerim.* Debet tamen Orator rarò uti hac figura, quia ſi frequens fuerit, eam Auditores faſtidiunt, eò quia vix quidquam habeat illicij, & leporis. 27

Apoſiopeſis figura eſt, quâ orationem noſtram interrumpimus, ut affectum aliquem ſignificemus, éſtque veluti ſpecies reticentiæ, quæ plus loquitur ſilentio, quàm ſi narraret, ut eſt illud Junonis apud Virgilium. *Quos ego? ſed motos præſtat componere fluctus.* 28

Rejectio figura eſt, quâ plura narramus, quæ poſtea rejicimus; ut. Si tibi optio daretur domicilium erigendi, quale velles inhabitare? An Scytharum mapalia medijs in montibus, turpi luto, paleàque & frondibus temerè congeſtis duntaxat compacta? An caſas ſpinis horrentibus in opacatis ſylvis conſtructas? ſed hæc tuguria vel ferarum ſunt, vel hominum diſſipatorum ſine lege, ſine honeſtis moribus viventium. 29

Deſiderium figura eſt exprimens voluntatis inclinationem, ut optarem palatium peramplum, cujus parjetes eleganti marmore nitterent, commiſſuræ cubiculorum ad oculorum oblectamenta auro illitæ ſplenderent; cuperem aulam lapideis ſylveſcentem ſimulacris manu ſculptis Polycratis, vel Phydiæ, vel Praxitelis; deſiderarem cubiculum ornatum imaginibus, & picturis Apellis ingenio, vel Thymantis induſtriâ delineatis: vellem pavimenta ornata muſivo artificio, & aſarota figuris: muros, aulæis acu phrygia pictis veſtitos. 30

Antitheſis plurimum habet venuſtatis, ac leporis, ſiquidem hac figura verba verbis, & ſententiæ ſententijs oppoſitæ referuntur, & in hac contrariorum pugna videtur acumen ingenij triumphare. Per Antitheſin Tertullianus Trajanum Imperatorem redarguit, qui edicto vetuerat in Chriſtianos inquiri, quos tamen oblatos ſupplicijs interemit. *O ſententiam neceſſitate confuſam! negat inquirendos, ut innocentes, & mandat puniri ut nocentes; parcit, & cædit; diſſimulat, & animadvertit.* Per Antitheſes D. Hieronymus facilem per indulgentiam vitiorum ad gehennam oſtendit viam, & arduam per virtutum exercitia ad cœleſtem Patriam, ſcribit ipſe ad Cælantiam Matronam epiſt. 22. *Vide quanta ſit inter has vias ſeparatio,* 31

quam;

quantúmque diſcrimen: illa ad mortem, hæc tendit ad vitam: illa celebratur, & teritur à multis; hæc vix invenitur à paucis: illa enim vitijs per conſuetudinem quaſi declivior, & mollior, & veluti quibuſdam ſtipata floribus voluptatum facilè ad ſe rapit commeantium multitudinem, hæc verò inſueto calle triſtior atque horridior, ab his tantùm eligitur, quibus non tam declinatio itineris cordi eſt, quàm utilitas manſionis. Per hanc figuram Seneca de Alexandro Macedone dixit: Alexander Orbi magnus eſt, Alexandro Orbis anguſtus. Ovidius de Argo mortuo dixit, *centúmque oculos nox occupat una*, & Virgilius *Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur*, & Auſonius de ſcriptura: *In alba pagina nigræ Cadmi filiæ currunt.* Tertullianus de Pavone ait: *ſemper ipſe, nunquam ipſe*, & Ovidius de invidia *Anxia luce, anxia nocte gemit.* Valet hæc figura ad facetias, jocóſque inſtituendos. De paupere ſuperbo adulterinas gemmas oſtentante, alij dixerunt: *hic ipſo fame perit, quia gemmis famem tegit, hæc gemmarum grando ſegetes tuas omnes decuſſit, vineáſque protrivit*: & alij vocantes fumum ſuperbiam dixerunt: *Mirum ſanè, quòd cùm domi tibi foculus non ardeat, egrediaris tamen domo ſic fumoſus! quid in tanta humilitate humilis eſſe neſcis? at errat, ſuperbiam, qui maximam vocat tuam, tugurio tota cum lateat brevi: non eſſe major hoſpes hoſpitio poteſt*: Martialis de eodem paupere ſuperbiente cecinit

Pauper divitias tibi fingis zoile: veram
Pauperiem facimus & tibi divitiæ.

32 Argutas antitheſes ſuppeditat S. Maria Magdalena, quæ amoris flamma æſtuans lachrymis rigavit pedes Chriſti. Credebam Æthnam unicam jocantis naturæ prodigium, cùm viderim ibi ludentes cum flammis nives, ſed portentum hoc lachrymis extinguunt oculi Magdalenæ; liqueſcentes enim in lachrymarum pluvias, hujus aquæ Mater amoris eſt flamma: quòd ſi impunita cùm nivibus videntur Æthna in monte jocari incendia; Magdalena pluvijs lachrymarum divini amoris flammas fovet, adeò ut ignis aquam, & aqua ignem pariat: ſed hoc luſu, quæ fuerat vitiorum ſylva, virtutum fit viridarium, quod benefica hac pluvia lachrymarum irrigatur, ut lætiores floreant charitatis roſæ. Aqua & flamma diſcordes olim rivales, ſocordes modò contubernales in Magdalenæ oculis maritali vinculo perpetui fœderis colligatæ convivunt: adeò excreverat amaſiæ flamma, & lachrymarum pluvia, ut hæc Magiſtri plantas forſan merſiſſet, niſi flammæ aquas coërcuiſſent: vel accendiſſet ignis, niſi unda temperâſſet incendium. Ne mireris illachrymantem Magdalenam ad pedes Chriſti: meritò lachrymas dare incipit, quæ renaſcitur divinæ gratiæ, cui per vitia, quibus indulſerat, mortua erat. Candida hæc nubes propè ſolem pluit fœcundatura cordis ſolum, datura virtutum fructus, imò fit hæc nubes iris cœlitibus arridens, non fictis, ſed veris nitens coloribus, ſeu rubro charitatis, viridi ſpei, candore ſinceritatis: poſt tot lachrymarum pluvias ſequi debuerat novæ vitæ tranquillitas, in qua grato ſpectaculo cum flammis luderent aquæ.

Oppoſitio, quæ parum videtur ab Anti- 33
theſi differre plurimum etiam habet venuſtatis, & plura oppoſita ſimul congerit, ut eſt illud de Nerone apud Theſaurum. Neronis Claudij Cæſaris execrabilem hiſtoriam calamo perſequar, par enim eſt, calamis trajiciatur, quos gladio acuit: hic inter privatos optimus, inter Principes peſſimus, ab accepto imperio repente puriſſimam virtutem pudenda labe maculavit; depreſſit illum fortuna, cum erexit, imperio dignus fuiſſet, niſi imperâſſet: ſuaviſſimis antea moribus ad omnem poſtea crudelitatem concaluit: ut coralium induruit, dum purpurâ rubuit: ante victor ac triumphalis, tum marcidus, & ſolutus ingentem gloriam bellorum otio confecit, itáque cum laurum acquiſivit regiam, palmam amiſit popularem: quin etiam perſpicaciſſimi, ac providi vir ingenij ſub honoribus imperij ſtupidus jacuit; & inſanus regiam vittam meruit, ut malè ſanum caput alligaret; quod injecto diademate fortuna fregit. Sola in amplificandis ædibus, ac pomarijs occupata majeſtas eſt; itáque domum auguſtam fecit, anguſtam urbem: at ò cæſareæ familiæ infelix pudor, exigua clade cruentum gladium exſaturaverat, niſi eundem maternis in viſceribus merſiſſet. Vipera erat, matris uterum rupit, nec ſatisfactus ſanguine, egregiam urbem, patriam, orbis terrarum caput ingeſtis flammis adolevit, ut aboleret. Decore nimirum matri parentaturus pro rogo patriam ſubjecit: at ecce tantorum ſcelerum curſus, quo tandem erupit. Suo ſe ferro occidit, hoc uno juſtus, quod injuſtas cædes è ſuo ſolvit.

Per oppoſita argutè deſcribitur phænicis 34
mors, qui è morte vitam haurit. Naſcitur phœnix, cùm emoritur, & ex Libithinæ umbris ad lucis prodit uſuram. Avis licèt virgo fœcunda tamen eſt, quia ſui genitrix, & ſoboles, altrix, & alumna: hæc quippe avis vitalis interitus, lætiſſimique Lethi cupiditate capta delicias è funere, cunabula è ſepulchro accipit, ubi redivivi cadaveris ſui præfica, & pronuba odoratum thalamum in tumulo jucundis myrrhæ lachrymis perfuſum parat; tum funereas è vivaci ſole mutuata faces, alarum flabro diventilans, ſe parit, dum perit: ſimul fœta, & adulta; priſca, & recens: extremam ſibi diem celebrat, & natalem; epinicia ſibi canit, & epicedia; eadem ſibi Clotho, & Atropos æternum vitæ ſtamen incidendo redorditur, & è frigidæ mortis cineribus vitæ calorem hauriens morte immortalitatem ſibi comparat.

Per oppoſita lepidè dicitur de eo, qui donat alteri.

Qui dedit INGRATIS *dedit is ſua munera* GRATIS:
Quis GRATIS GRATIS *nil Celerine dedit.*

Et de rerum viciſſitudine

Poſt tempus SUDUM, *tempus ſuccedet &* UDUM
Poſt FLETUM LÆTUM *denuò tempus erit.*

Per

Per oppoſita pulchrè etiam dicitur de
36 Callimaco milite Athenienſi, qui in pugna Maratonia ſtrenuè dimicans occiſus fuit, & quod præter naturam, mortuus non cecidit, ſed ita ſtetit, ac ſi adhuc viveret. Introducitur Callimaci pater alloquens Athenienſes. Audite factum retroactis ſæculis inſolens, ferrum non perdidit morte filium meum, ſed peperit immortalitati, ideò æternùm vivet, quia taliter eſt mortuus; miramini inconcuſſam fortitudinem, quæ mortis ictu percuſſa cadere non potuit: pugnando ſic ſtetit, ut dubitem an moriendo vicerit, an vincendo ſit mortuus. Libithina certè non interrupit victoriam, ſed continuavit. Bis vicit ſemel Xerzem, iterum naturam. Mors ipſi jactura non fuit, ſed triumphus: & atræ cupreſſi in hilares palmas abjerunt: mortuus eſt, & ſimul ſtetit: quòd potuit mori culpa eſt naturæ, quòd non ceciderit, laus eſt fortitudinis: primus eſt, qui naturæ ceſſit, & de natura triumphavit; mortuua non ceſſit naturæ, quia non cecidit: triumphavit, quia ſtetit: & hic primus eſt, qui mortuus non jacuit. Primus qui virtutis documenta poſt obitum dedit: quo honore dignus vobis Athenienſes videtur? quo prœmio? nam ſi fortiter cadere in bello laus eſt, ille & fortiter fecit, & non cecidit. Invictæ fortitudinis erigenda erat ſtatua: atqui ſi hæc dicitur à ſtando, ſic poſt mortem ſtetit, ut alia ſtatua non eſſet opus, quæ fortitudinis exprimeret ſimulacrum. Quæritis, an mortem timuerit? illâ adveniente non ſe movit, ſed poſt obitum idem, & alius; cæſus non ceſſit, quia non cecidit. Non ampliùs Herculeis columnis inſcribatur *non plus ultra:* congruit lemma huic ſtatuæ. Utinam loqui poſt mortem Callimace poſſes, ſicut potuiſti vincere? reſponderes tali pacto. Pro ſepulchro Athenienſes memoriam mei mando. Pudet jacere inter reliquos, quorum multi ante mortem, omnes in morte ceciderunt. Nemo poſt mortem ſtetit. Abſtine manum quicunque es, ne crudelior ſis ipſo hoſte, qui occidere potuit, non potuit movere. Nemo mihi ſtatuam erigat, ſufficit mihi hoc cadaver.

Si vellem conteſtari doloris acerbitatem
37 propter viri alicujus clariſſimi, & mihi chariſſimi, ſuppetias ab hac figura deſumerem. Frontis oculos, qui gemina humani capitis ſydera dixit, erravit, cùm mea lumina in umbras abjerint: etenim nil video, oculus oberrat ferali in umbra: cauſam dicam extincto noſtri Senatûs ſole nonniſi umbræ vagari poterant. Cæcutire juvat, ubi Libithina noſtrum ſua contrivit falce oculum. O tragicas rerum vices! O fluxas rerum humanarum fortunas! qui ſtylo nuper & ore locutus fuit, jacet, tacet. Non tamen mortuum credamus, quem mors invida rapuit, vivit, vivétque toti poſteritati tanti viri memoria. Tumba tuba ſit, quæ ejus natalem repitita echo enunciat, nunciat ejus gloriam. Cœli incolit caſtra, aſtra tenens: felix ille, qui ſic moritur, quia oritur: huic neci applaudo, laudo Parcas, quæ ſi non parcant, ejus ſorti invideo, quia video intra aſtra novi ſyderis nitores. 38

Congeries eſt collectio plurium rerum, vel ſententiarum ad aliquid explicandum. Per collectionem rerum fit etiam congeries, ut ſi Orator vellet duritiem exprobare Herodis, qui nec ſuaſionibus, nec minis voluit ſe flectere ad populum dimittendum, diceret. Dura ſunt alpium juga: duri in ſinu fluctuantis maris ſcopuli, dura in montium viſceribus marmora; durum inter metalla ferrum; duræ rupes inter montes, durus adamas inter gemmas, durum hyemale gelu, durum Caucaſeæ rupis ſaxum: ſed longè durior jugis, ſcopulis, marmore, ferro, rupibus, adamante, gelu, & ſaxo fuit Herodes. Poteſt etiam fieri hæc congeries per coacervationem brevium hiſtoriarum, ut eh quænam ſunt hæc præclara ingenia? An Murij, qui diſtillantem in foco nudis oſſibus dexteram ſpecteur? An Catones, qui poſt Lybicas Syrthes, & ſerpentum ludibria animas proijciant, non perfundant? An Porciæ, quæ cum ferrum negaverit natura, vitam Carbone extrudant, An Juliani, qui amiſſo apud Perſas per dedecus exercitu afflicti ſaucij, moribundi ſanguinem è vulnere manantem in Chriſtum contorqueant? An Dicearchi, & Protagoræ, qui de Deo, ſit, necne, modò ferveant ollæ inquirendum non putent,

EXPENSIO XV.

De Periodo, ejus nomine ac definitione.

EXplicatis figuris operæ pretium eſt, uſum 1 expendere periodi, quæ maximum eſt elocutionis ornamentum, & definitur à Cornificio, *denſa, & continens frequentatio verborum cum abſolutione ſententiarum.* Cicero verò vocat periodum, nunc ambitum, modò comprehenſionem verborum, vel etiam complexionem; & nonnunquam circuitum, converſionem, orbem, & clauſulam: ex quibus ſatis apertè colligitur, quid ſit periodus, quæ nonnunquam tria, vel quatuor includit membra, ut in oratione pro Cæcinna; *Si quantum in agro, locisque deſertis audacia poteſt: Tantum in foro atque in judicijs impudentia valeret: Non minus in cauſa cederet Aulus Cæcinna Sexti Ebutij impudentiæ, quantum in vi facienda ceſſit audaciæ.* Periodorum inventor dicitur Traſimacus, qui penſilem, ac lenem conſtruens orationem amœniùs, & gratiùs Auditorum animos allexit, eò quia varia inceperit dividere in membra orationem; quæ ſi prolixa ſit, ab Ariſtotele comparatur cum Dithyramborum anabolis, ſeu cum prolixis ſermonum excurſionibus; periodi verò ſtrophis, & Antiſtrophis liricorum Pindari æquiparantur; & hæ periodi dicuntur ab Ariſtotele ſupinæ, ait ipſe *Reth. cap.* 9. Periodum ſupinam appello, quæ uno membro dicebantur etiam periodi inciſæ, quæ per

admixtas reſpirationes, & morulas ab alijs diſtinguebantur. Periodi conciſæ reflorueruns uberiùs rempore Ciceronis, quas ipſe ſic commendat: *Iucundior eſt periodus, ſi eſt articulis, membriſque diſtincta, quàm ſi continuata, & producta; quia ſuas reſpirationes habet, & mens reſpirat cum oratione: deinde magis dilucida eſt, quia faciliùs memoriæ mandatur.*

2 Cavear tamen Orator ne juſtæ periodi explendæ gratiâ, ut rotundior, ac copioſior volvarur oratio; inania verba eidem immiſceat, ut complementa numerorum: ſiquidem nil frigidius, nilque puerilius, & à vera, germanáque eloqoentia magis alienum, quàm ubi materia non patitur inanem extendere orationem.

3 Has periodos Auguſtus vocavit cincinnos Mœcenaris, & Ariſtoteles concinnitates; ſiquidem de Leontino Gorgia dixit, *cujus in oratione numerum plerumque effecit ipſa concinnitas:* ſecus de Srylo Eſchili air: in his erat admirabilis curſus orationis, & ornata concinnitas non erat: ex quibus liquet, Ariſtotelem dividere periodum in rotundam, & conciſam, & illam pluribus verbis fluere, auréſque replere; hanc preſſam eſſe, ac brevem, quatenus pauciora comprehendit verba.

4 Periodus igitur eſt ſtructura orationis ſenſum prolixum in plura reſcindens membra ad orationis ſpiritum, & vocem accommodata; & alia eſt rotunda quaſi torno elaborata, ut loquitur Plutarchus de *Auditione*, quæ verborum redundantiâ veluti flumen defluit ab ore, & graviter obmurmurat ad mulcendas aures: alia conciſa, quæ paucis comprehenditur verbis, & Laconiſmo magis gaudet, pluréſque habet reſpirationes, quibus mens cum oratore reſpirat, ut in hac periodo: *dum laurum acquiſivit regiam-Palmam amiſit popularem.* Vel in hac alia Ciceronia, *Ut vel in negotio ſine periculo-vel in otio cum dignitate eſſe poſſent.* Aliæ periodi ſuam trahunt nomenclarionem à figuris, quibus ornantur, quapropter alia periodus dicitur increparoria à figura increpationis; alia exclamatoria à figura exclamarionis, alia interrogatoria à figura interrogationis, ſicque de alijs figuris.

5 Neceſſariæ ſunt periodi ad ornatum eloquentiæ, quas ſi ex omni parte ſuſtuleris Rhetoricam peditem, humilem, & abjectam facies. Rurſus oratio alia eſt vincta, ſoluta alia; illa dicitur, quæ alligata pedibus currit; hæc quæ licèt ſuos pedes, ac numeros habeat, non tamen eſt hiſce verborum circulis certa lege recon entibus illigata: hæcque orationum ſpecies plurimum habet aucupij, & pluribus abundat veneribus, dummodo in periodis futiles verborum circuitus omittantur, quia hujusmodi verba inania, quæque ad rem minimè pertinent ſunt potiùs verbera, quibus flagellantur Auditorum aures; & quamvis grandes illæ verborum circumſcripriones probari interdum poſſint; periodi tamen contractiores plurimum habent venuſtatis, ut notant Halicarnaſſenſis, & Æſchines Rhetores.

EXPENSIO XVI.

De Pedibus, ac partibus Periodi.

PEriodi ut meliùs currant, plures exigunt pedes, gaudéntque aſſimilari Lyricorum ſtrophis. Pes definitur *certa quædam, & apta ſyllabarum comprehenſio*, unde ſicut pedes conſtant ex pluribus ſyllabis; ita carmina, & periodi ex pluribus pedibus, quapropter poteſt verſus definiri *plurium pedum legitima quædam conſtitutio*: dicitur etiam verſus à vertendo, quaſi pluries debeat verti, donec componatur ſecundùm ſuam propriam legem, perinde ac dicitur carmen à canendo, vel metrum à menſura, quia conſtat ex menſuris aſſignaris. Græci plures invenerunt voces, quæ uſurpantur etiam à latinis ad ſignificandos defectus, vel perfectiones verſuum, ut *Myurus* ſignificat verſum claudicantem in fine. *Acephalus* verſum claudicantem in principio, *Lagarus* verſum claudicantem in medio: & ſicut in Lyricis non omnes ſtrophæ componuntur in unica carminum ſpecie, ſed in eadem ſtropha plures inveniuntur carminum ſpecies, ſequitur quòd ſtrophæ pro diverſitate carminum diverſa etiam ſibi uſurpent nomina: quo pacto *Dicolos* ſignificar ſtropham contextam ex duplici carminum ſpecie, ut ex *Aſclepiadeo*, & *Gliconico*, vel ex *Sapphico*, & *Adonico*. *Tricolos* ſignificat ſtropham compoſitam ex triplici carminum ſpecie, ut etiam *Tetracolos* ex quatuor. *Monocolos* ſignificat compoſitionem, quæ conſtat ex unica ſpecie carminum, cujusmodi ſunt verſus heroici, & poëmata Virgiliana *Diſtrophos* eſt illa ſtropha, quæ conſtat ex duplici carmine diverſæ ſpeciei, ut in illa Horatij Ode, *Sic te Diva parens Cypri &c.* Et vocatur *Dicolos Diſtrophos*, quia conſtat ex *Gliconico*, & *Coriambico*. *Triſtrophos* conſtat ex triplici verſuum ſpecie. *Tetraſtrophos* ex quatuor, *Pentaſtrophos* ex quinque; unde à diverſitate, vel numero carminum habentur hujusmodi nomina. Epigramma itidem poteſt conſtare ex unico carmine, ſed ſummè perfecto, & dicitur *Monoſtichon*, ſi conſtat ex duobus *Diſtichon*, ſi ex quatuor *Tetraſtichon*, ſi ex ſex *Sexeſtichon*, ſi ex octo *Octodeſtichon*, ſi ex decem *Decaſtichon*, ſi ex duodecim *Dodecaſtichon*. Carmen Hexametrum ſumpſi etiam ſuam nomenclaturam à numero pedum, ex quibus coaleſcit, ut etiam Pentametrum: quia *Hex* græcè idem eſt ac, ſex, & *Pentas* quinque, quia illud conſtat ſex pedibus, hoc quinque.

Sicut Lyricorum pedes plures ſunt, ita & orationis pedes multos eſſe aſſerit Dionyſius Halicarnaſſenſis Rhetor præſtantiſſimus. Primus eſt Spondæus conſtans duabus ſyllabis longis, & dicitur in motu piger, vocatúrque etiam *Lentipes, Deliacus, Gradivus*: Secundus eſt *Pyrrhichius* conſtans ex duabus brevibus, dicitúrque à choreis, quia Pyrrhiches apud Lacedemones erat quædam ſpecies choreæ, ac ſolatiorum; hic pes eſt tenuis, ac penè demiſſus. Tertius dicitur *Trochæus* à celeritate rotæ, & per ſimilitudinem fuit etiam dictus *Ro-* 2

tuius, ac *Choræus*, & hic pes mollior eſſe ſolet, ac humilior, utpote ex una longa, & altera brevi. Quartus eſt *Jambus*, dictus etiam *Curſor*, *Præpes*, & *Volucripes*, ſuámque trahit nomenclationem à volubilitate, vel ut alij volunt ab inventore; & hic pes conſtat ex una brevi, & altera longa, nec eſt omnino ignavus, ſed aptus ſermoni. Quintus eſt *Dactilus*, eſtque optimus, aptúsque rebus amplificandis, eò quia incipiens ab una ſyllaba longa deſinit in duas breves. Sextus eſt *Anapeſtus* conſtans ex duabus brevibus, & una longa, dicitúrque etiam *Dactilus* retroactus, ſeu repercutiens dactilus juxta Analogiam græcam, & hic pes gravis eſt, affectibúsque exprimendis peridoneus. Septimus eſt *Tribrachus* & ſuum deſumit nomen à brevitate temporis, conſtátque ex tribus brevibus, nihilque habet venuſtatis. Octavus eſt *Moloſſus* à longitudine temporis ita nuncupatus, conſtátque tribus longis, hi pedes ſunt magis uſitati.

3 Quòd ſi vellem pedes omnes recenſere nimis prolixus eſſem, cum juxta mentem plurium numerum excedant centeſimum vigeſimum quartum, ſed procul hinc incompoſita, ac confuſa hæc turba: ſolùm ſuperaddam quoſdam alios, qui unà cum Lyticis ambulant, ſúntque *Coriambus* conſtans ex prima, & ultima ſyllaba longa, & ex duabus medijs brevibus. *proceleuſmaticus* conſtans ex quatuor brevibus, *Amphibracus* ex duabus brevibus, & media longa. *Pacchius* ex duabus longis, & ultima brevi. *Hyperbacchius* ex prima brevi, & duabus longis. *Dochmins* conſtaus ex quinque ſyllabis, quarum prima eſt brevis, aliæ duæ longæ, penultima brevis, ultima longa. *Dichoræus* conſtans ex duobus *Trochæis*, ſeu ex quatuor longis, eſtque aptiſſimus ad claudendam periodum. *Pæon* primus conſtans ex prima longa, & tribus brevibus. *Pæon* ſecundus ex tribus brevibus, & ultima longa. *Pæon* Tertius ex prima, & ſecunda brevi, & ex tertia longa, & quarta brevi. *Pæon* quartus ex tribus brevibus, & ultima longa. *Jonius* minor ex duabus brevibus, & duabus longis. *Jonius* major ex duabus longis, & duabus brevibus. Hi ſunt pedes, quibus currere ſolent orationes.

4 Quomodo verò prærecenſiti pedes ſint in periodo collocandi non conveniunt inter ſe Oratores; ſed ne in hac labyrinthi perplexitate videar inutiliter ludere; ex Tulliana obſervatione puto, periodos eſſe conficiendas ad modum tabulæ metricæ, adeo ut verba quoad ſyllabas ſibi reſpondeant, ut *veni*, *vidi*, *vici*. Vel *finge*, *tace*, *quieſce*. Interdum periodus eſt bimembris in qua unum membrum reſpondet alteri, ut *quando regnat Onos-deperit omnis bonos*. Vel *malè ſi dixeris - malè & audies*. Seneca de Cæſare dixit: *Ferendarum injuriarum impatiens-faciendarum cupidiſſimus*. Epiſt. 91. *Nil privatim, nil publicè ſtabile eſt - Tam hominum, quàm urbium fata volvuntur*. Habetur etiam illud Martialis, qui alloquens hominem improlem dixit: *Minus gaudebis - minus dolebis*. Subinde periodus eſt etiam trimembris, ut *Mare mugit - tremit Malus - Antennæ gemunt*. Interdum duo periodi membra reguntur eodem verbo, quod vel præponitur, ut *Mors eſt in fuga fœda - in victoria glorioſa*. Vel poſtponitur: *Melius omnibus - quàm ſingulis creditur*. Nonunquam verbum ſubauditur, ut *arvis, quàm armis aptiores*. Intelligitur *ſunt*.

Non tamen eſt neceſſe, ut initio, vel medio Orator rigoroſè pedes metiatur, ſed ſufficit, ſi moderatè; alioquin ſi ſingula ſcrupuloſiùs diſcutiantur ſermonis nitor, ac elegantia non mediocriter artis infelicitate corrumpitur: major diligentia adhibenda eſt in fine periodi, quia debet hæc deſinere cum aliqua voce prolixiore, ut cum quadam amœnitate claudatur: & poteſt periodus claudi pedibus *Cretico*, vel *Dicoræo*, ut præſtitit Cicero *cum exercitu, & victoria conſeratis*. vel *Choræo*, & *Moloſſo*, *ut maximè liberaret*, vel *Cretico* & *Dactilo*, ut *Montibus conſonet*. Nonnunquam perjodi conſtant ex membris oppoſitis, ut eſt illa Terentij. *Iſte, hic, ubi opus eſt, non verentur: illi ubi nihil opus eſt, verentur*. Vel alia Auli Gellij *Indignus, cui vel improbi bene, vel probi malè dicant*, hæ perjodi conciſæ ſunt, ac propterea concinnirares dicuntur, & concinnitas eò eſt venuſtior; quo oppoſitio eſt major; ut in hac Tulliana perjodo. *An ſi tu me per hos in patriam revocare potuiſti - ego te per eoſdem in patria retinere non potero?* Sita eſt etiam concinnitas perjodi in pluralitate membrorum, quæ ſimul ſibi reſpondeant, & harmonicum invehant concentum, cujusmodi eſt illa Claudiani perjodus in Eunucum Trabeatum. *Nuſquam mater eris, nuſquam pater. Hoc tibi ferrum, hoc natura negat.* Pulchra eſt etiam illa perjodus Senecæ loquentis de Socrate: *Hunc tamen qui Rempublicam liberam fecit, Reſpublica captivum occidit.* Hinc perjodi partes duæ ſunt, quarum altera membrum, altera comma dicitur, ſeu interciſio: Membrum eſt oratio perfecti ſensûs, ſed ſuſpenſi, quo nondum tota orationis ſententia percipitur, exemplum deſumitur ex Cicerone. *Antequam Patres Conſcripti dicam ea, quæ hoc tempore dicenda arbitror.* Ubi tu vides ſenſum ſuſpenſum: ſin verò ſumas reliquam partem conficis totam perjodum: *Exponam vobis breviter conſilium profectionis, & reverſionis meæ.* Comma ſeu interciſio eſt, cùm vocabula ſingula interpunctionibus diſtinguuntur, Oratione, quaſi cæſa in partes minutiores; exemplum deſumitur ex Cicer. *Acrimonia, voce, vultu, adverſarios perterruiſti.* Interdum interpunctionibus diſtinguuntur plura ſimul verba, ut in hac Pliniana perjodo. *Vidimus humeſcentes tuos oculos, demiſſúmque gaudio vultum, tantúmque in ore ſanguinis, quantum in animo pudoris.* 5

EXPENSIO XII.

De Æquabilitate, Antitheſi, ac Paramioſi perjodorum.

1 AD concinnitatem perjodi plurimum conducit æqualitas membrorum, quæ ab Ariſtotele 3. Rhetor. cap. 9. *Inocolon* dicitur, éſtque, cum æqualia membra ſunt, & partes dicunt quandam affinitatem, & ſimilitudinem in numero, ut eſt illa Iſocratis perjodus, quæ citatur ab Ariſtotele: *Sæpe numero eos miratus ſum, qui feſtos dies celebrârunt - & agones eymnicos inſtituerunt.* vel hæc alia Senecæ de Socrate ab Athenienſibus coacto ad bibeudam cicutam poſt plura beneficia Reipublicæ collata. *Hunc qui Rempublicam liberam fecit - Reſpublica captivum occidit - & qui ſe inermem armatis obtulit - hunc liberum libertas non tulit.* Vel hæc alia perjodus Ciceronis *ut vel in negotio ſine periculo - vel in otio cum dignitate eſſe poſſit:* in hiſce perjodis unum membrum commenſatur cum alio, & hæc commenſuratio aliquando fit verbis ſimplicibus, ut eſt illud Plauti. *Magnus, Criſpus, Craſſus Caſius.* Interdum aſſociatione verborum, ut in illa Plinij Satyrica perjodo, quâ pungit Domitianum: *Superbia in fronte: ira in oculis, pallor in corpore, in ore impudentia.* Vel illud decantatum pharmacum ad eurandam peſtem: *Citò fuge: longè vade: tardè redi.* In reſponſionibus ſolet etiam ſervari æqualitas verborum, cujusmodi fuit illa Ageſilai ad Medicum, qui Jovem ſe oſtentabat, ſcripſerat enim epiſtolam, cui titulus erat *Menecrates Jupiter, Ageſilao Regi ſalutem*, cui retorſit Ageſilaus. *Ageſilaus Rex Menecrati Jovi ſanitatem*, ſcilicet mentis.

2 Antitheſis, quæ à latinis contrapoſitio dicitur ab Ariſtotele *3. Rhetoric. cap. 9.* dicitur contingere, cum in utroque membro contrarium eſt alteri contrario conſtitutum, vel idem ex contrarijs conſtat; adeò ut Antitheſes in oppoſitionibus magis eniteſcant, habeántque ſua acumina, eujusmodi eſt lemma additum palmæ pondere preſſæ *Inclinata reſurgo*, tale eſt etiam, quod de urbe Roma dixit Sabellius: populus ille, qui bellando innumeras vicit gentes, ab innumeris eſt demum gentibus victus: nec de ulla mundi parte triumphavit, cui non triumphandi materia reſponderet; ut difficile ſit judicare, fueritne illi in proſperis indulgentior mater fortuna, an crudelior noverca in adverſis. Plurimum etiam præſeferunt leporis carmina illa Veneris cum Cupidine.

Improbus ille puer; crudelis tu quoque mater.
Crudelis mater magis, an puer improbus ille!
Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.

Habetur etiam illud Fœdræ apud Senecam: *Morere ſi caſta es viro:* ſi inceſta amori.

3 *Paromoſis* habetur cum extremæ partes utriusque membri ſimiles ſunt, & hæc ſimilitudo ſita eſt in quadam conſonantia, ac convenientia finis cum principio; quæ conſonantia reſultat ex ſimilitudine verborum, vel in ſyllabis, numeris, vel in ſignificatione, ut eſt illud Cæſaris *Veni, vidi, vici* Vel Hiſtricis *Eminus, & Cominus*, talia ſunt hæc aliâ lemmata *labore, & conſtantia. Suſtine, & abſtine. Dum ſpiro, ſpero*, & illud adjectum fonti in ſublime nitenti. *Aſcendo, quia deſcendo.* Tale eſt etiam illud in quosdam milites, qui aſſueti aratro neſciebant arma tractare: *Arvis, quàm armis aptiores.* Habetur etiam illud Diſtichon in Chriſtum, qui mors mortis dicitur.

Mors mortis, morti, mortem niſi morte dediſſet
Cælorum nobis janua clauſa foret.

In eodem genere habetur etiam illud Diſtichon in quempiam, cui nomen erat Proculus, & in Eccleſia D. Proculi lapſu campanæ interemptus fuit.

Si procul à Proculo Proculi campana fuiſſet
Nunc procul à Proculo Proculus ipſe foret.

Habent verba in perjodo ſuos luſus, ſi concinnè aptentur, ut de bibone, ac temulento, *non vivit, ſed bibit:* de viro in adverſitatibus patiente: *dum flagrat, fragrat*, quod thuri accommodatur.

Perjodus igitur, quam latini ambitum, 4
ſeu verborum comprehenſionem vocant, eſt oratio quædam quaſi circulo clauſa, ſuis abſoluta membris, ac inciſis; & membrum, quod *Colon* Græcè dicitur, eſt ejusdem orationis ſenſus perfectus quidem, ſed ſuſpenſus, adeò ut Auditores adhuc expectent, quid aliud, quo abſolvatur; ut ſi diceres: *Quamvis exercitûs Præfectus aciem rectè inſtruxerit, milites ſub proprijs ſigna paraverit, caſtra bene fuerit metatus, locorum diſtantias, oculorum diverſione rectè definierit, vallum opportunè jecerit, attamen, &c.* ubi habes plures prævios orationis ſenſus perfectos, qui tamen te adhuc ſuſpenſum relinquunt; hæres enim anceps, quid ultra per illud *attamen* ſit Orator dicturus: inciſum, ſeu cæſum græcè *comma* dicitur, éſtq; pars membri imperfecta ſenſu, quatenus nondum quidquam abſolutè ſignificat, ut *quamquam ſolers exercitus præfectus equum flectere, caſtra luſtrare;* nil abſolutè, ac perfectè ſignificatur, niſi addatur, viſus ſit, aut aliquid æquivalens.

Rurſus perjodus alia eſt ſimplex, compo- 5
ſita alia: illa eſt, quæ unico abſolvitur membro, & græcè *Monocolos* dicitur, ut *Odryſiæ in Hungaria legiones ſubito terrore, metúque concitabantur:* compoſita, quæ pluribus conſtat membris: ſi fuerit bimembris, dicitur *Dicolos*, ut *cùm Turcarum copiæ ſubito fuiſſent terrore perculſæ - terga turpiſſimè vertentes præcipiti ſe fugæ dederunt.* Interdum eſt trimembris, ut *ſi quantum domi, & in plateis audacia valet - tantum in caſtris urgentibus hoſtibus præſtaret - inſignes virtus bellica in campo Martio palmas meteret.* Nonnunquam quatuor includit periodus membra, & à latinis quadrimembris dicitur, a Græcis *Tetracolos:* ut *Si quantum milites in tabernis cum plenos vino calices ſiccant, ſpondent - tantum diſtricto gladio in hoſtem irruentes efficerent - de profligati hoſtis expilatis exuvijs diteſcerent - & delatis victo-*

rijs læti epinicia reduces canerent. Hujus generis perjodi ſi ita quatuor membris abſolvantur, ut duo ultima ex æquo duobus primis reſpondeant, plurimum continent venuſtatis, ac illicij, dicunturque perjodi rotundæ, ac tornatæ, quaſi inſtar rhedarum totidem currerent rotis, quot membris conſtant; ut in hac perjodo, quæ quatuor rotis videtur currere, ac ſi rheda eſſet: *Si tantum apud te valeret accepti beneficij recordatio - quantum apud me valuit tibi gratificandi ſtudioſa propenſio - eandem nunc benevolentiam teſtareris adverſante fortuna meis commodis - quàm olim rebus mihi ad vota fluentibus teſtabaris,* Nil gravius audiri poteſt, nilque ad aures demulcendas ſuavius.

7\. Perjodos compoſitas ex pluribus membris exhibet præ cæteris SS. Patribus S. Leo Papa, eóntque perjodi plenæ majeſtatis, ac gravitatis, ut *ſer.* 2. de Quadrageſima. *Licet nobis dilectiſſimi appropinquante feſtivitate Paſchali Jejunium quadrageſimale ipſe recurſus legitimi temporis indicat - cohortatio tamen etiam noſtri ſermonis adhibenda eſt - quæ auxiliante Domino nec inutilis ſit Pigris, nec onerosa devotis.* Eſt hæc Perjodus trimembris; ſed hæc alia, quæ immediatè ſubſequitur, eſt bimembris. *Nam cum omnem obſervantiam noſtram ratio iſtorum dierum poſcat augeri - nemo eſt (ut confido) de vobis, qui ſe ad opus horum non gaudeat incitari.* Quia S. Leo Popa hiſce delectabatur compoſitis perjodis; has fuerunt imitati plures Eccleſiæ Præſules, qui tunc temporis floruerunt, ut liquet ex Epiſtola Cereſij, Salonij, & Verani Epiſcoporum Gallorum, qui tempore S. Leonis Papæ vixerunt in opinione ſanctitatis; ajunt ipſi in epiſtola directa ad S. Leonem. *Recenſita epiſtola Beatitudinis veſtræ, quam de fidei inſtructione conſcriptam ad Conſtantinopolitanum Epiſcopum deſtinaſtis - dignum eſſe cenſuimus, ut tantæ doctrinæ ubertate ditati - debitas gratias ſaltem oblato litterarum officio redderemus.* Legatur tota epiſtola inſerta epiſtolis S. Leonis Papæ poſt 98. à Theophilo Raynaudo S. J.

EXPENSIO XIII.

De uſu, & artificio implendæ perjodi.

1 ARtificium implendæ perjodi pluribus modis fieri poteſt per definitionem, enumerationem partium, per interpretationem, per congeriem, adjuncta, auxeſes. Per definitionem impletur perjodus, quando definimus rem, quam pertractamus, ut ſi diceres. *Vidi templum detractione murmurantium violari.* A metaphoris conglobatis poſſem definire templum, & perjodum implere hoc pacto: *Vidi heu horrendum facinus! vidi inquam, ſed non ſiccis oculis Domum DEI, ſolium divinæ Majeſtatis, thronum divinitatis, tabernaculum ſanctitatis, Aulam cœlitum, locum orationis, theatrum divini Myſterij, ubi ſpectatores adſunt ipſi Angelorum Chori, viridarium virtutum, portum ſalutis proſterni, conculcari à detractoribus,*

A partium enumeratione poteſt argutè impleri perjodus. Si dicas, *In nece Chriſti naturam triſtatam fuiſſe,* hanc perjodum implere poſſes, ſi partes naturæ recenſeres, hoc pacto: Immaniſſimum Chriſti ſupplicium funebri pompa, & apparatu ſingulæ proſequuntur Creaturæ: merent elementa dum ſuis convulſa ſedibus Authoris ſui obitum proprio ipſorum interitu præcurrere quodammodo ſatagunt: contremiſcit terra, quæ crebris quaſſata concuſſionibus tanti ſceleris imanitatem non ſuſtinet: & ipſa ſaxorum firmitas confracta ſoliditate diſrumpitur: lugent acerbum funus ipſa cœli lumina, quæ tenebris, & ſqualore obſita Judæorum facinus cæcæ noctis caligine obvolvunt, ne videant. Triſtantur ipſis ſepulchris incluſi Sanctorum cineres, qui ne ſine doloris, ac commiſerationis ſenſu eſſent, ſenſum, ac motum, imò & ipſam vitam repetunt, vitæ Authori mortem oppetenti parentaturi. Snec. Epiſt. 91. *Certis eunt cuncta temporibus, naſci debent creſcere, & extingui. Nulli non ſenectus ſua eſt: Omne humanum genus quodque eſt, quodque erit, morte damnatum eſt, urbes & regna, ubi fuerint aliquando quæretur.* 2

Per Interpretationem impletur perjodus, & fit cùm quod uno verbo ſemel eſt dictum, idem alijs verbis ejuſdem ſignificationis repetitur, ut *An vulgi murmur vos ſoli ignoratis?* poteſt id aliter interpretari. *Quid? an vos ſoli exteri, & hoſpites in hac urbe verſamini, veſtræque peregrinantur aures, quæ minimè in hoc pervulgato ſermone civitatis verſentur?* 3

Per Auxeſem fit, cùm plura vocabula idem ſignificantia unà coacervantur, quæ licèt non faciant ad interpretationem, plurimum tamen obtinent momenti ad implendam perjodum, ut quando dicitur: *Abjit, exceſſit, erupit, evaſit.* 4

5

Per Adjuncta impletur etiam perjodus, quando enumerantur adjuncta contenta in illo verſicul. *Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.* Caveat tamen Orator, ne in perjodis implendis meros verborum fucos, ac umbratiles inanium vocum adhibeat circuitus; quia id perinde eſſet, ac ſaxeos Siſiphi circulos ex Poëſi in hiſtoriam transferre non ſine audientium diſplicentia. Hæc labentia verborum fulcimenta in concinnandis, implendíſque perjodis adhibentes, puerilem ſmegmatis ampullam inanitatis plenam, rerúmque vacuam, inflare potiùs videntur, quàm perjodum implere. Neque in conſtruendis perjodis affectatâ debet Orator uti induſtriâ, quia ut monet Tullius: Neque numeroſa eſſe debet perjodus ut poëma, ne de induſtria factum appareat: neque extra numerum, ut vulgi ſermo. Perjodus ſponte ſua debet in oratione fluere: ars enim imitatur naturam, quæ ab affectatis, & violentis abhorret. 6

EX-

EXPENSIO XIV.

De Nova arte inveniendi venuſta, & elegantia epitheta pro implenda perjodo.

1 QUia ad Orationis venuſtatem ſatis non eſt perjodum implere, niſi hæc venuſta etiam poliatur elegantiâ, ideò poſt implendæ perjodi rationem cauſam ejusdem venuſtandæ expendimus, quæ in verborum delectu eſt ſita: hanc perjodi concinnitatem alij collocârunt in vocabulis ſuperlarivis, eò quia gradus ſuperlativus ſonum habeat graviorem, quàm poſitivus, & nomina verbalia, quàm derivata; compoſita, quàm ſimplicia. Verùm venuſtior eſt illa perjodi concinnitas, quæ ex epithetis oritur, ac verborum elegantia. *Epitheton*, ut ait Phavorinus in Lexico, *Eſt nomen proprijs appellationibus additum laudem, aut dedecus ſignificans*; à Quintiliano dicitur *Appoſitum*; ab alijs vocatur *adjectivum*, eò quòd ſubſtantivo apponatur: ejus uſus rriplex eſt, Diſcretionis, Proprietatis, & Ornatûs. Primus eſt neceſſitatis, ut ſi dicerê *Bosphorum Thracium, aut Cimmerium*, quia ſic diſtinctionem locorum facio. Secundus uſus eſt in natura rei, ut cùm dicimus, *Deum, Optimum, Maximum*, vel Mariam dicimus *Virginem*; unde ait Epiphanius, *Quis enim, aut quo ſæculo auſus eſt quiſpiam proferre nomen Sanctæ Mariæ, & interrogatus non ſtatim intulit Virginis vocem?* Tertius uſus eſt ad ornatum orationis, ut ſi dicas. *Bruti prudentia Tarquinium expulit*, elegantiùs diceres, ſi adderentur aliqua epitheta hoc pacto. *Induſtrioſa Junij Bruti prudentia ſuperbiſſimum Regem Tarquinium ab urbe Roma dominio regio expulit.*

2 Pellucidi tamen fontes hauriendi epithetа ſunt decem Ariſtotelis prædicamenta, quorum quodlibet ampliſſimam epithetorum meſſem ſuggerit à prædicamento ſubſtantiæ ſumitur una ſubſtantia, quæ additur alteri, cui congruit ob aliquam proportionem, & ſimilitudinem, ut lachrymæ, quia dicunt ſimilitudinem cum rore, ſumi poteſt ſubſtantia *roris*, & nomen ſubſtantivum verti in adjectivum, quo pacto dicimus ROSCIDAS *lachrymas*. Advertendum tamen, ut nomen ſubſtantivum mutetur in adjectivum, & addatur alteri ſubſtantiæ; & quia lachrymæ dicunt ſimilitudinem cum *margaritis*, ſeu *gemmis* in ſubſtantia; ſubſtantivum *gemma* vertitur in adjectivum *gemmeus, a, um*, & dicuntur GEMMEÆ *lachrymæ* hac de cauſa Poëtæ vocant *Thura Sabæas* LACHRYMAS: *lapides dura* OSSA terræ.

3 A quantitate dicimus VASTUM *ingenium*, ALTUM *animum*, PROLIXUM *oratorem*: vel BREVEM *ſpem*: *hominem* QUADRATUM. A qualitate ſumitur una qualitas pro alia, quæ tamen invicem dicant ſimilitudinem, à qualitate apud Virg. habetur CANA *fides*; apud Horat. CANDIDE *Judex*; apud Quintilian. CANDIDUS *ſermo*; è converſo dicuntur NIGRI *mores*: FOEDUS *animus*: INQUINATA *fama*: à ſenſu odoratûs in prædicamento qualitatis dicitur etiam FRAGRANS *virtus*: FOETIDUM *vitium*, A guſtu ACERBUS *caſus*: AMARA *recordatio*: *ſermo* INSULSUS. A tactu TRACTABILE *ingenium*: PALPABILIS *error*: ab hyeme FRIGIDA *oratio*; ALGENS *virtus*; TEPENS *amor*; à ſiccitate ARIDA *ſpes*: EXANGUIS *oratio*. Ab humiditate HUMIDA *regna*; MADENTES *Muſarum pennæ*. A mollitie TENERA *ætas*. A duritie ADAMANTINUM SAXEUM *pectus*, SOLIDA *ratio*. A Relatione *Somnus*, à Seneca dicitur FRATER *languidæ mortis*, & à Virg. CONSANGUINEUS *Lethi ſopor*, & Silius Italus vocat Plutonem *Tartareum* JOVEM, eò quia ſit frater Jovis. A prædicamento actionis dicitur OBSTREPENS *conſcientia*. A paſſione CASTIGATI *mores*. A ſitu dicuntur SUPINI *colles*; PRONUS *campus*; PROCUMBENTES *arbores*, & Horatius *Levia perſonuere ſaxa* CUBANTIS *Uſtice*, qui eſt collis in Sabinia, ſic dicuntur *Horti* PENSILES *Semiramidis*: *ſtella* PENSILES. A motu, & primo naturali dicuntur VERNANTES, PULLULANTES, GLISCENTES, GEMMANTES, ERUMPENTES *flores*. A motu progreſſivo NATANTES *piſces*, VOLITANTES *aves*; & Ovidius dixit *favillas* VOLITANTES ſuper tecta, ſic dicuntur FLUXÆ *opes, & gazæ*, FLUENTES ſuper colla comæ, UNDANTIA vexilla Martis in area. A tempore dicuntur INFANTULI *flores*: DECREPITA *quercus*, & apud Virgil. LACTENTIA *frumenta*: dicitur etiam SENESCENS *annus*; ADVESPERASCENS *ætas*. Ab habitu dicuntur CLAMYDATI *victores*: VESTITI *vineis campi*, & Plinius etiam dixit, VESTITAM *floribus terram*, dicunrur etiam SPOLIATÆ *frondibus arbores*; *ingenium* NUDUM ſcientijs, *oratio* 4
varijs VESTITA *argutijs*.

Si igitur in quovis prædicamento ſumas unam ſpeciem pro alia fœcunda tibi patet aurifodina, ex qua elegantiſſima hauriuntur epitheta, ut ſi Orator velit epitheta pro lacrymis invenire à prædicamento ſubſtantiæ, quia lacrymæ conveniunt cum Rore, in ſubſtantia, & cum margaritis in figura, diceret. GEMMEAS, ROSCIDAS *lacrymas*. A quantitate GRAVES, LEVES, RARAS *lacrymas*. A qualitate, CANDIDAS, ILLUSTRES, PERSPICUAS, NOBILES, CLARAS, FLUXAS, ARIDAS, GELIDAS. A Relatione *doloris* FILIAS, GENITRICES *puritatis*, SOCIAS *pœnitentiæ*, AMICAS *virtuti*, SIMILES *gemmis*. Ab actione, & paſſione *ſordes animæ* TERGENTES, DELENTES, ENECANTES *peccatum*; MERGENTES *crimina*; *oculos* SOLVENTES *in pluvias*. A loco, & ſitu *pretioſæ* OCULORUM *gemmæ*: PUPILLARUM *fluxum argentum*. A motu PROFLUENTES, DECURRENTES, EMANANTES, ERUMPENTES *lacrymas*. A tempore NOCTURNAS, DIURNAS, DIUTUR-

 NAS,

NAS-VERNANTES, HYEMANTES *lacrymas.* Ab habitu ARGENTEAS *lacrymas.*

5 Exemplum tibi exhibui de lacrymis per ſingula Ariſtotelis prædicamenta, eodem pacto de quavis re alia potes epitheta eruere ab ijſdem prædicamentis: & quia verba ſignificant operari, eorum elegantia præſertim hauritur à prædicamento actionis, & paſſionis, ac motûs, ſi ponatur una ſpecies pro alia: quo pacto à motu progreſſivo ſerpentum dicitur IRREPSIT *ſemper in hominum mentes error.* Ab actione nativitatis: NASCITUR *diſcordia*; NASCITUR *mihi hæc occaſio.* A floribus multæ VERNANT amœnitates in oratione noſtra. FLORET *adoleſcentia*: PULLULANT *magis vitia*: GEMMANT *vites*, FLORET *religio.* Ab avibus VOLITANT *naves, ſagittæ, curſores*, Horatius de vento dixit *cæruleis* EQUITARE *campis.* Vides quomodo una ſpecies actionis ponatur eleganter pro alia, & volatus proprius avibus venuſtè congruat ijs omnibus,
6 quæ velocirer moventur.

Ab omnibus officinis poſſumus etiam haurire venuſta epitheta pro concinnitate, & elegantia periodorum. A negotijs civilibus dicimus ABDICARE *à ſe delicias*, NECTERE *commercium cum cœlo. Ingenti pretio ſumum* VENDERE, ſeu dignitatem, vel officium venale exhibere. *Vita mortalibus* COMMODATUR *non* DATUR. A medicina *curæ ſomno* VORANTUR: *amicitiæ vulnera vix* CICATRICANT: *epiſtolarum fomentis animi ſenſim* CONVALESCUNT: OBOBALSAMO *lacrymarum inſtillæ conſcientiæ vulnera* CURANTUR. Ab arte militari INDICERE *bellum voluptatibus, in Palladis area argumentorum jacula* SAUCIANT, *hoſtémque* VINCUNT, quia CONVINCUNT: *aures machinis* ARIETATUR *conſtantia. Fraudum cuniculis* EXPUGNATUR *juſtitia. Alieno in gemitu* TRIUMPHAT invidia. Ab arte nautica. *Momento felicitatis* MALACIA *tempeſtate adverſantis fortunæ mutatur. Inter factiones civiles* FLUITAT *Republicæ navis. Hujus hominis fortuna* ad ANCHORAM *ſtat.* Ab Architectura, *firma non eſt fortuna, nec* ADAMANTINA, *ſed* VITREA, *quæ facilè frangitur.* LABENTEM *domum conjugij fulcro*, RESTAURARE. Ab arte fabrili DOLARE *orationem. Ad tædium idem* PROCUDERE. *Ad* AMUSSIM *rationis* DIRIGERE *ſenſuum motus, diſſidentes animos* AGGLUTINARE. AFFABRE *orationem conficere.* Ab arte textoria, RUPTUM *negotium* REDORDIRI. *Orationem argutam* TEXERE. PHRYGIARE *figuris, vitia vitijs* INGLOMERARE. A pictura *Metaphoris ſermonem* ADUMBRARE: *fluido ſermone mendacium* COLORARE: *fuco verborum veritatem* OBTEGERE: *ultimam* MANUM *imponere. Ver terram* PINGIT. *Sol iridem* COLORAT. Ab Arithmetica *ſua crimina ad* CALCULOS *redigere. Avara mors dum annos* SUPPUTAT, *ſomnum imputat.* A Muſica, *Oratio ſic dulciter* ACCINIT, *ut aures* MULCEAT: *virtutum* CONSONANTIA *gratiſſimum ſonum componit.* Ab aucupijs *in hoſtium* CASSES *incidere: Aureis retibus* EXPISCARI *beneficia. Præſtantes vultus inſidias* TENDUNT. Ab agricultura DISSEMINARE *errores. Tempus rugis* ARAT *frontem. Sunt* AMPUTANDÆ *paſſiones animi. Cupiditatum* GREGES ALERE *non debemus deliciarum vireto.* Si Orator velit elegantias invenire neceſſe eſt diligenter perpendat omnes actiones, quæ in officinis artificum exercentur, ſúntque in rerum natura; ſumendo unam actionem pro alia, ut detur hæc propoſitio. *Volo componere eleganter orationem*: ſic invertitur: *taliter eſt* EXCOLENDA *oratio, donec inter argutiarum flores innocenter* LASCIVIAT: *ita* CONCINNANDA *eſt oratio, ut Atticum melos* LOQUI *videatur: Varijs eſt oratio cincinnis* ORNANDA, *& calamiſtris* VENUSTANDA; *phalerata debet* INCEDERE *oratio.* PROSCRIBENDUM *eſt ab oratione quidquid elegantiam non ſapit.* NECTENDA *eſt oratio vario argutiarum genere. Oratio varijs argumentorum telis debet hoſtem* CONFODERE. *Argutiarum ſale* CONDIENDA *eſt oratio, ut nihil inſulſum habeat. Inter Parnaſſi vireta* JOCATUR *amœnè oratio. Sermonis redundantia, & argutiarum varietate* TRIUMPHAT *oratio. Exaſperati animi orationis ſuavitate ſunt* DELINIENDI. *Oratio ad Anchoram ſolidæ rationis* STABIT. DOLARE *debemus orationem, & ad* AMUSSIM *elegantis ſuadæ illam dirigere.* PECTENDUS *eſt ſtylus Schommatum argutijs. In oratione argutiæ argutijs ſunt* INGLOMERANDÆ. PHRIGIARE *debemus orationem, ut venuſtior incedat.* CASTIGANDA *eſt oratio, ne ſuperfluat, ne quidquam inane ſecum deferat. Varijs Rhetorum coloribus* PINGENDA *eſt oratio, ac pluribus* ILLUMINANDA *argutijs, ac* DELINEANDA *venuſtatibus. Oratio ſic blandè* ACCINIT, *ut animos* DEMULCEAT. *Oratio varijs acuminum aucupijs auditorum benevolentiam ſibi debet* CAPTARE *Omnium argutiarum genera* DISSEMINANDA *ſunt per campum orationis.*

Hac arte poteſt Orator facilè ſtylum at- 7
tingere, qui cœlum imitetur nocturnis ſub umbris varijs luminibus pictum, & quo ſplenduit Tertullianus, qui leviculos orationis floſculos contempſit, & in orationibus vim ingenij, & pondus acerrimæ mentis oſtendit; & ſi ab heroica illa ingenij auſteritate deflectit, frangitque ſtylum in Rhetorum delicias prædictis potiùs utitur epithetis, & verborum delectu, quàm alia ſermonis levitate, ut in deſcriptionibus Chamæleontis, & Pavonis. Huic ſimilis in dicendo eſt ille nectare, & ambroſia ſatur D. Ambroſius, blandum facundiæ nomen. Hic enim tanta amœnitatum varietate ſuam compoſuit orationem, ut hortus videatur multiplici diſtinctus areola, ac floribus conſitus. Hujuſmodi eloquentiæ ornamenta luxuriant etiam in ſcriptis Divi Zenonis Epiſcopi Veronenſis, in quibus delineatur acre, & ſublime viri ingenium; floreſcunt crebræ ſententiæ, & vires ſuas exerit nervoſus laconiſmus: & ut in minoribus conchis illuſtriores gignuntur uniones, ita in Zenonis orationibus majora emicant eloquentiæ lumina.

Quia

8 Quia plerumque contingit voces animalium in oratione exprimi, non abs re fore duxi, eaſdem hic adijcere, quia valent ad concinnitatem periodi. Igitur *Accipiter* pipit, *Acredula* militat, *Anas* tetrinit, *Anguis* ſibilat, *Anſer* gratilat, *Apis* bombilat, *Aquila* clangit, *Aries* blaterat, *Aſellus* oncat, *Aſinus* rudit, *Barrus* barrit, *Bos* boat, *Buba* bululat, *Butio* bubit, *Capra* muſit, *Canis* latrat, *Catulus* glaucitat, *Cicada* trioitit, *Ciconia* glotorat, *columbus* plauſitat, *Columba* gemit, *Corvus* crocitat, *Cygnus* drenſat, *Coturnix* gryliſſat, *Equus* hinnit, Hirundo trinſat, *Hircus* muſit, *Leo* rugit, *Lepores* vagiunt, *Lupus* ululat, *Luſcinia* cantillat, *Lyuces* orcant, *Meleagrides* cacciſſat, Merula ſtridet, *Milvus* lipit, *Mus* mintrit, *Muſtella* drinſat, *Noctua* cucubat, *Onager, & Cervus* glocitant, *Ovis* balat, *Palumbus* plauſitat, *Panter* caurit, *Bardus* felit, *Paſſer* pipit, *Pavo* pupillat, *Perdix* cacabat, *Pica* picat, *Pipiones* minutiunt *Progne* Zinzilulat, *Pſittacus* loquitur, *Rana* coaxat, *Sorex* deſtricat, *ſturnus* piſitat, *Sus* grunnit *Taurus* mugit, *Tigris* raucat, *Turdus* trutillat, *Turtur* gemit, *Verres* quirritit, *Veſpertilio* ſtridet, *Vitulus* mugit, *Upupa* popiſſat, *Urſus* uncat, *Vulpes* gannit.

EXPENSIO. XX.

Aperiuntur alij fontes hauriendis Epithetis, & implendis periodis idonei.

1 QUoniam Epitheta plurimum adferunt decoris, ac ornameori; ac illa in periodis ſunt lumina, quibus oratio ad omnem efflorescit elegantiam operæ pretium duxi aliquot hic fontes aperire, è quibus veouſtiſſima, veluti pellucidi latices, dimanant epitheta, qoibus ineſt præcipuus cultioris elegantiæ lepos: non enim aliunde orationi decor accedit, & ornamentum; nec illi conciliatur laudata gratia, quâ oratio blandè, ac ſuaviter in aures delabitur Audientium, ac dulcius in animum influit, quàm à recta epithetorum diſtributione, quâ ſi deſtituatur oratio neceſſe eſt, langueſcat; imò veluti ſuo deſtituta lepore, ſuis ſpoliata elegantijs faſtidium parit, & ſtomachum plerumque movet.

2 Cavendum tamen in epithetorum delectu, ne hæc temerè adijciantur, quia tædio potiùs, quàm oblactamento forent; ita ſunt epitheta in oratione adhibenda, ut peculiari quadam ratione eandem ornent, vel vim augeant, ac ſignificationem; quapropter perpendendum eſt argumentum, quod tractandùm aſſumitur, diſcutienda omnium ſententiarum vis, ac cujusvis vocis notio; deinde ea ſeligenda Epitheta, quæ ſingulis vocibus, & argumento rei propoſitæ rectè conveniont, ut ſingula ſingulis bene reſpoodeant. Epithetum enim ſi rei conveniat elegantiæ venuſtatem, vimque acuminis pulcherrimam invehit.

3 Primus igitur fons hauriendi epitheta petitur à rebus inanimis, ſenſu carentibus; poteſt enim venuſtè epithetum propriom rei inanimæ tribui rei animatæ, ſenſúmque habenti, ſic epithetum *fluctuans* quod propriè convenit mari, dicimus enim *mare fluctuans procelloſum*, eleganter transfertur ad hominem tali pacto: *fluctuantem ſpem inter, ac metum te video.* vel *adhuc anceps mens tua hæret fluctuantium cogitationum agitata tumultu.* Ab igne Virgilius dixit *Talia flammato ſecũ Dea corde volutans* ſcilicet pro ira accenſo corde poſuit epithetum *flammato.*

4 Secundus deſumitur à re animata, & epithetum illi propcium nectitur rei inanimatæ; hoc epithetum *emeritum* ab Ovidio tribuitur aratro, & qood erat proprium rei animatæ, ſeu militi, nectitur rei carenti animâ, ait ipſe:

Ruſticus emeritum palo ſuſpendat aratrum

Dicit aratrum *emeritum* poſtquam ruſticus arator diurno labore defunctus eſt, ac ducit epithetum ab illis, qui legitimo tempore militiæ perfuncti muneribus miſſionem à ſtratego impetrant. Ab hoc fonte dicimus, *triſtem* cœli faciem; *iratum* mare; *minaces* nubes; *ridentia* prata; *vocales* ſylvas; *currentes* fluvios; *lugentia* ſydera; *lætum* cœlum.

5 Tertius cum à re inanimata transfertur epithetum ad aliam rem inanimatam, ut cum dicimus, nubes *fluctuantes*; cœlum *æneum*, quia non dat pluvias; dies *duros*, quia non illuceſcunt ad votum; *niveum* lac, *dulcem* aerem, *odoratum* lumen, ut Mambrunus in horti Circæi deſcriptiooe

Mollior hic cœli facies, hîc largior æther,
Veſtit odorato florentes lumine campos.

6 Quartus habetur cùm epithetum proprium rei animatæ tribuitur alteri rei animatæ quo pacto dicimus homines adhuc ætate *florentes*; florere eſt proprium plantarum, quæ præditæ ſunt anima vegetativa, & tribuitur hominibus, qui vivunt anima rationali: dicimus *lætas* ſegetes *ridentes* plantas; *pubeſcentes* flores, *seneſcentem, decrepitam* quercum.

7 Quintus ex eo quòd epithetum proprium rei contentæ tribuatur continenti, ut cum dicimus civitatem *timidam*, *morigeratam*, *virtutibus addictam*, *pietatis ſtudioſam*, quæ omnia conveniunt civibus, quos civitas continet. Ovidius tribuens epithetum *belligerantium* proprium Romanorum ipſi Romæ, ait.

Non mihi materiam Bellatrix Roma negabat.

Pulchrè etiam Seneca *Succurrunt timidis ſydera navibus*, transfert timorem proprium hominum, qui continentur in navi ad ipſam navem, quæ eſt continens. Ab hoc fonte Juvenalis vocat *mendacem* Græciam; eo quia homines contenti in Græcia mendaces ſint. Virgilius dicit ſtagna *loquacia*, eò quia Cycni, qui ſtagnis innatant, voces in ijsdem edant: Virgilius

Dant ſtrepitum rauci per ſtagna loquacia Cycni.

Loquacitas propria Cycnorum, qui continentur in ſtagnis, tribuitur aquis.

6 Sextus habetur cum epitheta alicui parti convenientia tribuuntur toti, ut cùm dicimus *flaveſcentes* campos, eò quia maturæ ſegetes flavo-

veſcant; *florentes* arbores, eò quia rami flores emittant: aptè à parte ad totum transfertur epithetum, ſi nomen partis per ſynedochen figuram ſyntaxeos accuſandi caſu efferatur, quo pacto eleganter Virgilius de Ænea

Ipſe triumphali redimitus tempora lauro.

ponit *tempora* in caſu accuſandi, & illud epitheton *redimitus* transfert à parte capitis, ſeu temporibus, quæ propriè dicuntur redimita lauro ad ipſum, ſeu Æneam. Hic tamen fons ad Poëtas pertinet magis, quàm ad Oratores.

Septimus cum epithetum totius integra-
9 lis tribuitur parti, ut cum pro viro, qui vino ſoleat indulgere, ac inebriari dicimus caput *ebrioſũ, linguã mendacẽ*, manus *doloſas*, pectus fortitudine *loricatum*: Martialis raptum deſcribens ab aquila Ganimedem; *timorem*; qui Aquilæ tunc conveniebat, transfert ad ungues, ſeu à toto integrali ad partem inquiens.

Æthereas Aquila puerum portante per auras
Illæſum timidis unguibus hæſit onus.

Venuſtè de viro, cuj animus in rebus agendis non ſufficiat dicimus, *TIMIDO in negotijs pede incedere*; & de milite, *AUDACI manu gladium exerere in hoſtem.* Eadem ratione Penelope apud Ovidium vocat *viduas* ſuas manus.

Nec mihi quærenti ſpatioſam fallere noctem,
Laſſaret viduas pendula tela manus,

Dicimus eadem ratione *Doctos* digitos ſcribentes; *Dominam* manum aſſuetam ſceptris tractandis; frontem *magnanimam*; linguam *Doctiſſimam*; caput *ſapiens*; ingenium *ſubdolum*.

10. Octavus cùm epithetum conveniens cauſæ tribuitur effectui, ut voluptas dicitur, *blanda, dulcis, grata, ſuavis, alliciens, adblandiens*, effectus voluptatis eſt malum tum corporis, tum animæ; omnia prædicta epitheta venuſtè tribuuntur effectibus ejuſdem voluptatis, & dicimus, voluptatem eſſe *blandam* mortem, *dulce* venenum, *hilarem* pœnam, *gratum* damnum, *crudele* gaudium, *allicientem* peſtem, *adblandiens* virus; *ſuavem* Panteræ odorem ad necem trahentem incautos. Martialis hæc eadem epitheta, quæ etiam conveniunt ſirenibus, tribuit eleganti antitheſi effectibus, quos cauſant inquiens.

Sirenas hilarem navigantium pœnam,
Blandáſque mortes, gaudiúmque crudele;
Quas nemò quondam deſerebat auditas.
Fallax Ulyſſes dicitur reliquiſſe.

Nonus ſi epithetum quod convenit effe-
11 ctui, tribuatur cauſæ; ut cùm dicimus, *pallidam* mortem, *cruentum* bellum, *lethalem* voluptatem, *gemmeum* mare, eò quia in ipſo naſcantur uniones; *pretioſos* montes ob aurum quod continent; *frugiferos* colles ob plantas in ipſis onuſtas fructu. Martialis *triſtitiam*, quam flammæ ſparſo longè, latéque incendio, excitaverant in hominibus ob deperditas res domeſticas, ignéque abſumptas domus, tribuit ipſi flammæ cauſæ triſtitiæ, ac venuſtè ait:

Cuncta jacent flammis, & TRISTI merſa favillâ.

Decimus ſi epithetum, quod perſonæ 12
convenit tribuatur alicuj ejuſdem effectui, ut cùm dicimus amicitiam *madidam* vino, eò quia compotatores ſoleant, cum calices exſiccant, amicitiam inire, quæ unà cum vino pariter fluit, ac perit. Ovidius vigiliam propriam perſonæ transfert ad curas ejuſdem, & eleganter ait:

Attenuant VIGILES corpus miſerabile curæ

Scitè etiam dicitur, *MUTUM premit ille dolorem*, ſeu homo tacens non dat ſigna doloris, Lucanus etiam venuſtè dixit *Et pila MINANTIA pilis*; erat pilum telum miſſile, quo utebantur milites Romani.

Undecimus ſi epithetum proprium per- 13
ſonæ tribuatur inſtrumento, ut cum dicimus *doctum* calamum, *audacem* navem, *peritum* penicillum, *vincentem* gladium, *defeſſum* aratrum. Lucanus vocat victrices lauros inquiens

——— *Atque hanc ſive tempora circum*
Inter VICTRICES, hederam tibi ſerpere lauros.

Scilicet victoris Imperatoris lauros. Virgilius itidem vocat tela *inimica* pro armis eorum, qui latinis ſunt inimici, ait ipſe

Trojugenas, ac tela vides INIMICA Latinis.

Audacia nautarum æquora trajicientium tribuit remis, quibus è nautis aguntur naves

——*Auſus inexpertas remis audacibus undas*
Tentare 14

Duodecimus ſi ducantur epitheta à nominibus Patronymicis. Nomina patronymica dicuntur, quæ derivantur à proprijs nominibus Patrum, Matrum, Avorum, Conditorum urbium, Imperatorum, Regum, Locorum, Religionum, & alijs id generis, è quibus ducuntur denominationes: ut à Romulo Roma Conditore ROMULEUS *populus*; à Parthenope una ex Sirenibus *gens* PARTHENOPEA, quæ Campaniam, & Neopolitanum incolit agrum. Parthenope præ dolore, quòd prætereuntem Ulyſſem in ſcopulo cantu pellicere haud valuiſſet, in ſubjectum ſe mare præcipitavit, & à fluctibus eò delata fuit, ubi condita eſt urbs Neapolis, quæ propterea patronymicè appellatur etiam PARTHENOPEA *Urbs.* A Poëtis nomina patronymica quatuor præſertim modis conſiderantur; vel ut terminantur in *des*, ſuntque maſculina primæ declinationis; ut *Æolides* nepos Æoli, vel ut terminantur in *as*, & *is* ſuntque fœminina tertiæ declinationis, ut *Æolis Æolidis* neptis Æoli; *Theſtias Theſtiadis* filia Theſtij, vel ut alijs placet neptis. Vel ut terminantur in *ne*, ſuntque fœminina primæ declinationis, ut Nerine in genitivo Nerines filia Nerei. A nominibus terminatis in *a*, & *as* deducuntur Patronymica in *ades* ſic ab *Ilia* matre Romuli *Iliades*, ſeu Iliæ filius. A *Pheretias* deducitur *Pheretiades*, ut etiam ab *Æneas Æneides* filius Æneæ; & *Æneadæ* comites Æneæ. A nominibus in *es* fiunt patronymica in *ades* ut ab *Anchiſes* fit Anchiſiades: ab *Hiſpotes* fit *Hiſpotades.* A nominibus in *us* ducuntur Patronymica in *ides*, ut à *priamus* ducitur Priamides. A nominibus in *jus* du-

16 Tertius decimus cum per comparationem epirheta nominibus addunrur: ur Virgilius

Rex erat Æneas nobis, quo JUSTIOR alter
Nec pietate fuit, nec bello MAJOR, & armis.

Quartus decimus cum epirhetis adnectitur aliqua negatio, utVirgilius.

Pocula ſi quando ſævæ infecêre Novercæ,
Miſcueruntque herbas, & non innoxia verba.

& alibi deſcribens pœnam Salmonæi Regis deturbati ad inferos, eò quia per aheneum pontem quadrigis vectus, faces jaciens, tonitrua, & fulmina, imitari fuerit auſus Jovem tonantem, ac fulmina jacienrem

—— DIVUMQUE ſibi poſcebat honorem
Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen
Ære, & cornipedum curſu ſimularet equorum.

venuſtè dicimus etiam. *Non uno virtutis ſpecimine clarus.* Non uno confoſſus vulnere cecidit; ſic Lucanus dixit. *Non unus tranſigit enſis vulnere.* eleganrer eriam Virgilius deſcribens Æneæ clypeum, in quo Vulcanus geſta impreſſerat Nepotum, totámque hiſtoriæ ſeriem ait.

Haſtamque, & Clypei non enarrabile textum.

Subaudirur, *Æneas miratur.* Martialis iridem eum oſtendens felicem, quem nulla urbana ſollicitudo premit; & modicis contentus opibus quieram ruri vitam ducit, & hac vivendi ratione delectatus, ait.

Pingues INÆQUALES ONERAT, cui villica menſas.
Et ſua non emptus præparat ova civis.

dicit, onerat *inæquales menſas* ſcilicet non eodem ſemper inſtructas ferculorum apparatu.

17 Quintus decimus, ſi epirherum alicui rei conveniens tribuatur ſubſtantivo Metaphorico, vel Metonymico uſurpato pro vero rei nomine, quo pacto Virgilius, ut exercitum deſcriberet militum, haſtas cum acuminibus contulit Ariſtarum, & totum exercitum eleganter, ac venuſtè cum ſegete in campis flaveſcente, inquiens.

———— Utrinque phalanges
Stant denſæ, ſtrictiſque SEGES mucronibus horret
Ferrea.

Uſurpat metaphoricè nomen *Segetis*, quod ſubſtituit pro exercitu, cui addit epirherum ferrea, & dicitur *Seges ferrea*, pro exercitu armato. Eodem pacto alibi uſurpat metonymicè nomen Cereris, cui addit epitherum laboratæ proprium panis, & eleganter, licèt poëticè ait:

———— Onerántque caniſtris
Dona LABORATÆ Cereris, Bacchúmque miniſtrant.

Martialis etiam vocat nivem denſum vellus tacitarum aquarum, ait

Aſpice quàm denſum TACITARUM vellus aquarum.
Defluat in vultus Cæſaris, inque ſinus.

Scilicet in ſtatuam Cæſaris in foro ſitam. Sautelus vocans metaphoricè lac nivem liquidam, & nectar fluitans venuſtè ait

Jamque coronatis FLUITANTI nectare labris,
Spumabat liquida fictilis urna nive.

Decimus ſextus, ſi pro Epithetis futura uſurpentur participiorum, quo pacto Lucanus, ut laudaret Phœnices literarum Iuventores, eleganter dixit 18

Phœnices primi famæ, ſi creditur, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Uſurpat manſuram pro epirhero ad vocem, quæ beneficio literarum manet. Venuſtè etiam Virgilius de arbore pinu cecinit

Naſcitur, & caſus abjes viſura marinos

Id eſt futura aliquando navis, & propterea viſura caſus marinos. Et de Chorœbo in media armatorum agmina Græcorum ſe projicienre, ut Caſſandram ab eorum eriperet manibus, vel ſaltem aliquot Græcorum clade eam ulciſceretur, ait

Non tulit hanc ſpeciem furiata mente Chorœbus
Et ſe ſe medium injecit moriturus in agmen.

Cùm enim Caſſandra, quam deperibat, & cujus nuptias cupiebat à Græcis capta abduceretur, mortem non timuit, ut eam vendicaret.

Decimus ſeprimus ſi vice epitheri ponatur effectus rei, Virgilius 19

Ah! malè quæſiti (damnorum ſemina) nummi.

Quia nummi ſunt ſemina damnorum, ac origo malorum, ſi malè quis jisdem utarur.

EXPENSIO XXI.

De varijs Artium officinis, in quibus Rhetores plura, & r r ora nundinantur ornamenta orationis. Exhibentur Ruſticanæ artes.

INnui in præcedenti decima ſexta expenſione, poſſe Oratorem ab artium tum liberalium, tum mechanicarum officinis venuſta, & elegancia eruere epithera ornandis perjodis peridonea; & pleráque ſubjeci exempla, quæ Rhetoricam redolent eleganriam. Quia verò hujusmodi artium, ſcientiarúmque officinæ divitem ſuppediranr Oratoribus ſupellectilem non ſolùm tornandis perjodis, verùm etiam rebus ipſis venuſtè amplificandis, ac politè ornandis accommodaram; in id pro meo uſu antehac incubui ſtudij, quo inſtrumenta, proprietares, ac principes operariones plurium artium ſelegerim è pluribus probæ notæ Authoribus florem exhibentibus lariæ eruditionis, & præſertim ex apparatu eruditionis, Michaëlis Pexenfelder. Amalthea Onomaſtica Joſephi Laurentij, Ambroſio Calepino, & alijs, ac in unum digeſſerim, ut præſto eſſent, iiſque faciliùs uterer. Non abs re fore duxi, hæc eadem in Oratoris commodum ſubjicere, initium daturus ab inſtrumentis hortenſis culturæ. Quæ ſunt *ligo* ad effodiendum; *pala* ad quisquilias, ac inutiles herbas ejiciendas; *raſtrum* ad corradendum, complanandum; *rutrum* ad tuncandum; *ſarculum* ad evellendam duriorem glebam, extirpandas arbores; *irpex* ad herbas ruri conquirendas; *bacillus* ligneus ferro obductus ad aperienda fo- 1

ramina; *volrulus*, ſeu lignum teres inſtar Cylindri, quo ſolum æquatur; *vehiculum truſatile* ad evehendam terram ejectam; *vimina* ad colligandos frutices; *ferculum* ſtercorarium, ad deferendas res omnes hortenſes; *furca* tricornis ad ſpargendum fimum; *culter* ad aptandum ramuſculum inſititium; *falcula* putandis vitibus apta; *ligneæ tegetes*, aut crates ſcirpeæ ad naſcentia germina ſub redeuntis initio veris contra nocturnum frigus tutanda.

2 Tametſi Orator non ſemper omnibus utatur prærecenſitis culturæ hortenſis inſtrumentis; illa tamen adhibet, quæ pro varijs occaſionibus poſſint eidem inſervire hoc pacto. *Terra humani cordis ne in ſentes, vepréſque vitiorum degeneret, virtutum CULTURA exercenda eſt; ac mortificationum LIGONE effodienda; PALAQUE ſeduli examinis quisquiliæ oſcitantis acediæ, herbæque inutiles ejiciendæ ſunt: ſi quid à recta deflectit, RUTRO rationis complanandum, ſi quid vitio laborat ſterilitatis SARCULO emendationis evellendum; alióque TRUSATILI VEHICULO melioris exercitij deferendum, vel CULTRO amputandum; ſi forte inſititio ramo emendationis, fructus non reſpondeat.* Ecce quàm concinnè inſtrumenta hortenſia Oratori inſerviunt, eíque materiam ſuppeditant ad continuandam allegoriam. Propagantur plantæ vel ſponte; vel per ſparſa in occatæ telluris ſinum ſemina, vel per inſitos ſtolones, malleolos, taleas, ramulos; idque adhuc multipliciter, nimirum inſitione, deliberatione, inoculatione, cùm reſecta, fiſsáque arbor, vel reſectos ſurculos blandè recipit in ſinu; vel librum inter & materiam ſemina admittit, vel gemmas cum exiguo cortice in partem ſui delibratam, ſeu excoriatam recipit.

3 Ars Topiaria eſt, quæ ex ſativa myrto, vel tonſili buxo marginatas areolas in varias dividit elegantes figuras; aut in pulvillos, torósque, quorum margines delicatioribus herbis, ac plantulis veſtiuntur, ut ſpicâ nardi, lavandulâ, rutâ, ſalviâ, thymo, bellide, ſerpillo amaraco, buxo, myrto; quæ ſingula ſuis tondentur temporibus, ut tonſa lentiùs ſuccreſcant. Mox Topiarius in areolis, pulvilliſque ritè diſpoſitis ſelectiores diſtribuit flores, ut ſunt tulipæ diſcolores, florúmque Prothei; Hyacinthus orientalis, cujus vel nomen omen eſt Hyblæ olentis; Narciſſus, qui cæteris prior rigentem fugat hyemem, ac Volupiæ almæ florum Deæ theatrum aperit, conciſſa buxo, vel Tarentina myrto variè tonſa, aliiſque preſſis, recentiſque odoratis plantulis clauſum; lychnis Chalcedonica; trachelum Americanum; flos paſſionis; flos Mexicanus; Pervanus; Africanus; iris Suſiana nigri coloris; campanula Hiſpanica, plerique alij, vel è calice, vel è vagina, vel è gemma protuberantes, gratúmque halantes odorem; & quaſi partem ætheriæ auræ infuſæ ab alto cœlo, ubi veræ beatitatis ſedes ſplendidè floreſcit.

Ut autem flores, quos Topiarius excolit ſuos, etiam Oratori fructus producant, debet hic florum diſcolorem, odorúmque amœnitatem per omnes penſare circumſtantias. Proprium floridi hujus apparatus eſt verna temperies cum pulſis frigoribus, fugatis nivibus, ſoluta gelida terræ compede auræ tepeſcunt; homines hilaritate afficere; lætóſq; efficere ſolent, quia ſol tunc clarior ſplendeat, cœlum niteat purius, nulla fœdum nube, turgeant gemmis arbores, laſciviant agni per virentes agros. Ut igitur ſuos Orator è floribus fructus decerpat: ſit hæc propoſitio. *Hortenſes noſtræ areolæ rident*, id eſt, vernant; ab hac ſimplici metaphora, quâ riſus proprius hominis transfertur ad hortenſes areolas, tot poſſunt argutiæ erui, quot legi flores in jiſdem areolis. Primò verbum hoc *rident* grammaticaliter variari poteſt in nomen ſubſtantivum. *Floridus hortenſium areolarum RISUS garrularum avium turmas allicit ad cantum.* In cumulativum. *RIDIBUNDÆ noſtræ areolæ reduci gratulantur Volupiæ.* In participium *RIDENTES hortenſes areolæ noſtros demulcent animos.* In adverbium *RIDENTER areolæ jocantur pubeſcentibus cum floſculis.* In gerundium. *RIDENDO hortenſes areolæ nobis arrident.* In frequentativum. *Quàm bellè, quàm ſæpè noſtræ RISITANT areolæ.* In abſtractum. *Hortenſium areolarum RISIO irriſio creditur devictæ, ac proſtratæ luridæ hyemis.* In diminutivum. *Blandulæ noſtræ areolæ dulci RISULO vernanti Floræ gratulantur.* In denominativum. *RIDICULÆ areolæ plurimum adferunt nobis ſolatij.*

Rhetoricè variari poteſt per Periphraſim, 4
ſeu circumlocutionem, quatenus pluribus explicatur, quod paucioribus potuiſſet abſolvi; hæc enim propoſitio: *Areolæ floreſcunt.* Per Periphraſim variatur, ſi dicas: *Hortenſium areolarum floreſcens jucunditas dulcedine perfundit animos intuentium.* Vel *Noſtrarum hilaritas areolarum animantia quæque exhilarat.* Vel *Verna lætitia ſe totam in noſtras effundit areolas.* Vel *Gratiarum lætiſſimi flores noſtris jocantur in areolis.* Vel *Verna ludentis Floræ alacritas ad anni remiſſionem Palladis vocat alumnos.* Logicè etiam variari poteſt multipliciter. Primò per correlativa. *Renaſcentis anni ridens INFANTIA pueris arridet;* infantia ad pueros refertur, & anno tribuitur. Vel per relationem reciprocam. *Ad RISUM hortenſium areolarum oblectante proſpectu oculos amœnamus;* éſtque modus loquendi S. Cypriani *ad Don.* per metaphoram reciprocam riſum proprium hominis tribuimus areolis floreſcentibus; & amœnitas propria areolarum transferimus ad hominem.

Ab antecedentibus, concomitantibus, 5
& ſubſequentibus poteſt itidem eleganter variari eadem propoſitio. Antecedentia ſunt ea omnia, quæ præcedunt; eǽque habuerunt antecedenter ad florentes areolas, ut ſolis acceſsûs in noſtris regionibus ad ſignum Arietis; rigentis hyemis receſſus; nivium ſolutio, aëris tepiditas; favoniorum miteſcentium, dulciúmque Zephirorum ſpiramenta; gratus pluviarum delapſus, & alia id genus, quæ quoquo modo influunt in flores emergentes è gremio telluris, vel flores præcedunt.

Ab

Ab hiſce antecedentibus poſſemus propoſitionem variare. *Sols è Capricorno ad arietem reduci gratulaturæ Hortorum areolæ multiplici veſtiantur flore.* Vel, *Rident hortenſes areolæ, quia irrident Arietis cornibus fugatam hyemem.* Vel *quia atratæ nubes lachrymarum ſtillicidijs emortuæ parentant hyemi; rident hortenſes areolæ.* Vel *Tepentibus favonijs, blandiſque Zephiris, quia nubunt noſtræ areolæ rident, & ſibi complacent de concepta florum prole.* Vel *Pruritatæ Auſtrorum flatibus areolæ in riſum ſolvuntur.* Vel *Concreti gelu diſrupta compede, quâ noſtræ illigabantur, areolæ rident libertati reſtitutæ.* *Excuſſis nivibus, quibus noſtra premebantur areolæ, incipiunt reſpirare, & præ concepto gaudio rident.*

6 Concomitantia ſunt ea omnia, quæ tunc contingunt, cum hortenſes areolæ florent, cujuſmodi ſunt aëris ſerenitas, ſolis calor, telluris humiditas, ſpirantes favonij, cantus luſciniarum, roris antelucani delapſus; pratorum rediviva viriditas, plantarum, arborúmque erumpentes gemmæ, turgentes rami, enaſcentes foliorum comæ, terræ apertio, currentium rivulorum murmur, & alia id genus. A concomitantibus variatur eadem propoſitio, ſi dicatur. *Arridenti defæcati aëris ſerenitati dulci, floridóque riſu plaudunt hortenſes areolæ.* Vel *fovente Phœbo blando calore telluris ſinum floriparæ hortorum areolæ rident.* Vel *Bacchantium more multis ebriæ imbribus areolæ floribus, foliiſque coronatæ in riſum ſolvuntur.* Vel *Zephirorum ſuſpirijs rident hortenſes areolæ.* Vel *fatiſcente in rimulas tellure ſinum aperiunt, & rident areolæ.* Vel *Gaudent, ridéntque Areolæ; quia garriunt aviculæ, modulantur luſciniæ, canunt alaudæ.* Vel *Tam effuſè rident areolæ, ut roſcidas exprimant lachrymas.* Vel *Fovent roſcidæ arridentis cœli lachrymæ hortenſium areolarum riſum.* Vel *Certant riſu cum pratis hortenſes areolæ, quibus illa palmas cedunt.* Vel *Rident areolæ arborum vireſcentes comas.* Vel *Ridentibus areolis tellus etiam riſu fatiſcit.*

7 Subſequentia ſunt ea omnia, quæ à floribus haberi poſſunt; cujuſmodi ſunt odores, virtutes, liquores odorati, fructus, animi oblectamenta, ornatus, qui ex floribus fiunt; & alia plurima ſe habentia conſecutivè ad flores. Ab hiſce conſequentibus variatur propoſitio. *Hortenſes areolæ blando riſu florum explicant ſinus; invitántque induſtrioſas apes ad dulcia legenda mella.* Vel *Apium votis arrident ridentes areolæ.* Vel *Riſus areolarum in alambico igne ſubiecto tortus ſolvitur in lachrymas, & extrema gaudij luctus occupat.* Vel *Rident hortenſes areolæ, & exhalantes felicem inhalant Arabiam.* Vel *Riſus areolarum pinguem ſpondent Autumnum.*

8 Quia verò è floribus apiculæ alis membranaceis volitantes mellificium conficiunt, cui rurales œconomi incumbunt, ut fructum percipiant, debet Rhetor ad uberiorem eruditionis ornatum penitiùs inſpicere, quomodo à tam exiguis inſectis ruralis operis efficiatur miraculum. Difficile ſiquidem eſt inveſtigatu. quomodo apiculæ ſuccum ex floribus collectum tam ſobito in mellis ſaporem convertant. Num quia virtus jiſdem inſita ex florum lecta ſinu celeriter excoquat, ac in mellificium convertat? An verò quia minuta hæc inſecta ex ſucco, quem ex floribus emulgent, & ſtomacho ingerunt, debitiſque digerunt organis, ac nativo depurant calore; in defœcatiorem, melioremque ſubſtantiam, ac mel convertunt; atque à fecibus diſcretum ore in alvearij evomunt cellulas, ejectis alia ex parte purgamentis? Certè mira hoc in opere apicularum eſt prudentia, mira ſolerti; ut notavit Ariſtomachus, qui duo de quadraginta annis admirabilem apium obſervavit Rempublicam. Reges plures educant, ſed ubi adoleverint unanimi conſenſu ſpurios perimunt, & unicum in univerſum ſeligunt, eligúntque regem, ne in diverſa diſtrahatur populus. Eliguut præ cæteris rufum, pulchrum aſpectu, egregiâ formâ, auguſtoque decore præditum, reliquiſque quaſi duplo proceriorem, pennis tamen breviorem, inceſſu celſiorem; & candida macula in fronte diadematis loco inſignitum, nullum armatum aculeo, eò quia *deceat clementia Regem*, cui cæteræ ultrò obſequuntur. Si is foras procedat totum examen movetur, ac univerſus populus comitatur, ſtipátque medium, ac tuetur multiplici ſatellitio. Quo tempore agmina ad pabulationem ſerenâ aurâ, placidis faventibus Zephiris evolant, ipſe operas digerit, luſtrátque ſatellite, atque lictoribus jugiter ſtipatus. Interdiu turmæ aliquot, veluti in caſtris milites, ad fores excubant, & noctu quieſcunt. Summo mane una ex ijs vigilans, & excitatrix, bis, térve bombilando é ſomno reliquas excitat, & ad communes ſubeundos labores incitat. Si aër mitis fuerit, lætúſque dies, qua data porta, juniores primò ad florilegium ruunt, deferúntque materiam: ſeniores domi laborant, ac diverſa agunt; aliæ enim cellulas ſtruunt, aliæ ceras reficiunt, illæ loca ſternunt, iſtæ cibum ex comportatis diſponunt; omnéſque ſimul comedunt, ac reficiuntur. Nonnullæ veluti veſpiliones ſordes, & cadavera mortuarum progerunt; aliæ quaſi præficæ funera comitantur, parentántq; domortuis.

9 Quòd ſi poſt flores, arbores hortorum Rhetor luſtraverit; harum elegantior ordo in Principum ad omnem voluptatem conſitis hortis eſt qoincunx; quatenus ita diſpoſitæ ſunt arbores, ut binæ cum tertis proximi ordinis æquali intervallo ſibi oppoſita quoquo re vertas figuram quincuncialem referant, nec quidquam hac quincunciali figura in plantarum ordinibus ſpecioſius: ſiquidem in quamcunque ſpectaveris partem, rectus eſt ordo, interque ipſas utrinque ambulationes inſtituuntur; & nonnunquam pulvilli anfractibus variè inflexi, & obliquè decurrentes, ingredientes fallunt in labyrintho. Rurſus ambulacra, ut etiam pulvinos variæ plerumque exornant effigies, ex herbis exoticis, aut fruticibus effictæ, exhibéntque inſignia, arma gentilitia, trophæa, naves, animalia; & etiam horologia,

gia, quæ docent, quota ſit hora, ſimúlque delectant; ad idque deſerviunt Tarentina myrtus vel tonſilis buxus, ubi ſolares æſtus ſunt ferventiores; in partibus Germaniæ liguſtrum, uva criſpa, ribes, geniſtæ, oxyacantha, quæ omnia pluries tondentur, ne ſi intonſa ſylveſcant, figuræ, quas referunt, deturpentur.

10 Sunt arbores præſertim frugiferæ proprijs obnoxiæ infirmitatibus, unde Arborator ſolers purgat muſcoſas, formicoſas à muſco, erucis, vermibus, & araneis; ſideratas verò, carioſas, ſteriles, vel oblaqueat, ſeu circumfodit ſummarim, vel profundiùs; rurſúmque circumaggerat; vel ſtirpitùs eradicat. Sunt morbi plantarum, præ cæteris *articulatio* cum tenera germina, ſeu germinum nodi læduntur: *Vermiculatio* cum vermibus roduntur: & *ſideratio* cum vaporum ſiccitate moriuntur. Fructus arborum cum ad maturitatem pervenerint, aut ultro decidunt innato pondere, aut manu carpuntur, aut perticâ decutiuntur, aut quaſſatione arboris excutiuntur: eduntur verò, vel recentes, ſeu ſtatim devulſi, vel fracidi, ſeu plusquam maturi, & jam putreſcentes, aut torridi, ut ficus aridæ, & uvæ ſolem paſſæ.

11 Agricolatio eſt, quâ Agricola colit agrum rei frumentariæ causâ, ſive campeſtrem, vel montanum, macrum, aut pinguem; excolendo enim agrum præparat terræ gremium ſeminibus excipiendis, vepres extirpat, ſentes evellit; tum bobus junctis, ſtimulóque agitatis tenet lævâ ſtivam, dextrâ vallam, quâ glebas amoveat, & vomer inſertus buræ proſcindit liratim terram, Fundum ita ſubactum ſi novale (ſeu quod primum exercetur) non fuerit, Colonus ſtercorat, poſtea inæquat frangendo glebas, ſive Cylindris ſupervolutatis, ſive occis, ſeu crate, vel pectine tractim raptatis. Dein ſeminat jugeratim per areas frumentum ſementinum, quod tellus gremio emollito, & ſubacto excipit, & veluti materno ſinu fovet, ac blandè comprimit, inde tepefactum vapore, complexu ſuo diffundit, elicitque herbeſcentem ex eo viriditatem, quæ nixa ſtirpium fibris ſenſim adoleſcit, culmóque geniculato, vaginis jam quaſi pubeſcens includitur, è quibus cum emerſerit, frugem fundit ſpicæ ordine ſtructam, quæ contra avium minorum morſus vallo munitur ariſtatum: ubi verò ſegetes flaveſcentes ad maturitatem acceſſerint, Meſſores frumenta demetunt meſſorijs falcibus, & de meſſe diſponunt manipulatim, & manipulos colligunt in mergites; colligántque tomicibus, ſeu vinculis ſtramineis, congerúntque acervatim per denos, vel quindenos, & ſpicilegio relicto egentibus, & ſtipula pro paſcuis, deferunt collectas ſegetes in aream, ubi tritores flagellis eas triturant; & excuſſa grana ſubjactando ventilabris emundant à paleis, & pennato verriculo expurgant ab aceribus, ſecernúntque in cerniculo à recrementis.

Ab hiſce ruſticanis artibus ſuas Orator
12 eruit elegantias, mutuatur orationis amœnitates: dicimus enim: *Vepres, ſentéſque vitiorum radicitus* EVELLERE. *Duritiem cordis pœnitentiæ aratro* PROSCINDERE. *Diſtortas & à recto deflectentes operationes melioris exercitij crate, & occis* EXPLANARE *ad rectæ rationis normam. Vitia vitijs tellurem cordis* EMOLLIRE. *Virtutum præſtantiora ſemina in occatum cordis ſolum jacere. Arare iniquitatem. Suſcepta virtutum* SEMINA *divino fovere amore. Vitiorum germina penitiùs* EXTIRPARE. HERBESCENTEM *infantiam bonis moribus imbuere. Vir ætate* MATURUS *eſt gravior.* FRUCTUS *laborum legere. Palmas in caſtris diſtrictis gladijs* METERE. *Frumentum laudabilis operationis à paleis vanæ gloriæ* EXPURGARE. *Tenellas adoleſcentum plantas* EXCOLERE. *Sol ſuos per univerſum orbem radios* SEMINAT, *fructus legendos concedens hominibus. Curva ſenectus, frontem, genáſque rugarum* ARAT *ſulcis. Cultori ſtylo inutiles orationis pampinos* AMPUTARE. *De rebus bene geſtis præmia* METERE. *Diſſidia inter amicos* SERERE. *Bono publico* INDUCERE ARATRUM. *De ſeminario laborum, plauſuum ſegetem* METERE. *Arborum obliquitates in primæva* CORRIGUNTUR *adoleſcentia. Vitia, quæ altiùs* RADICES FIGUNT; *difficulter* EVELLUNTUR. *Virtutes exercitio* EXCOLUNTUR, *ut ad maturitatem fructus deferant. Selectiores librorum flores* DELIBARE. *Mellificium perfectionis ex virtutum floribus* CONSTRUERE. *Ex felle adverſitatum* FAVUM *elicere virtutis.* 13

Sicut quæ propria ſunt agriculturæ eleganter ad hominem, ejúsque virtutes, & vitia transferuntur: ita quæ propria ſunt hominis, telluri, plantis, herbis poſſunt facilè accommodari. RIDET *pulcherrima telluris facies: ſuóque florum ornatu arridet.* CRINITÆ *frondibus arbores virent.* TONDENTUR *falce virides pratorum* CAPILLI. *De Argi fabula* TRIUMPHAT *hæc arbor, tot aperit oculos, quot emittit flores. Fit tellus* ÆMULA *cœli, tot illa emicat florum ſideribus, quot ornatur iſtud ſiderum floribus.* BENEFICA *Tellus nativas ſuas opes indigentibus* INDULGET *armentis. Munifica ſata aucto fœnore plus ſemper* RESTITUUNT, *quàm* ACCEPERINT. *Ingrata tellus, quæ ſuſcipis culturæ beneficia, non* REPENDIT. *Inobſequentes arbores ruricularum ſpei, quam in earundem flore conceperant, non* RESPONDENT *in fructu.* CEREBROSUS *mons difficulter ſinit ſe aratro* DOMARI. *In ſupremo montis faſtigio arbores* GIGANTESCUNT, *ut videantur cœlum laceſſere, ac Titanes imitari.* COELEBS *tellus nullo adhuc fuit* VIOLATA *aratro.* CICUR *ager ſtatim* MITESCIT, *&* OBSEQUITUR *aratro.* LASCIVIUNT *in vireſcente Pratorum ſinu flores, & ad majales alliciunt inambulationes, animique remiſſiones. Quàm* INGENIOSA *tellus, quàm pulchrè ſuo peritæ opificio phrygiata floribus periſtromata eleganter* PINGIT, *variè* COLORAT, INGENIOSE DISPONIT. *Redeunte vere* PUBESCENS *florum proles decurrentium laticibus rivulorum* LACTATUR. *Herbarum* SOBOLES *materno pratorum gremio fovetur, & alitur. Libenter prata* BIBUNT, AMANTQUE *pellucidos rivulos, quos benigno in ſinu complectuntur. Nubunt prata rivulis, & florum* CONCIPIUNT, PARIUNTQUE *odoribus perfuſam* SOBOLEM. LUDIT *her-*

barum

Barum INFANTIA, *garrulásque allicit aviculas, quæ vario* PLAUDUNT *cantu. Excitat Aurora conſopitam Floræ* PROLEM.

14 Artes ruſticanæ Bucolicam, ſeu Paſtoritiam ſibi etiam aſciſcunt; bipartitur Paſtoritia, in Pecuariam, & Paſtionem, quæ dividitur in villaricam, quâ educantur animalia in villis; & agreſtem, quâ nutriuntur in ſylvis. Opilio pedô inſtructus, & flagro, comitantibus, ac parentibus moloſſis, quos contra luporum dentes millo communit gregem ovium per avia montium, vel ſylvarum receſſus ad paſcua ducit, ubi præ reliquo gramine jucundiſſimæ ſunt ovibus minutæ recentes, ac novitiæ herbæ, præſertim in campis deſertis, & novalibus, & quæ menſibus Aprili, Majo, & Junio ſuccreſcunt; & quibus Pecora luxuriantur. Caprarius tamen capellas paſcit virgulis frondium. Agnis ablactatis, primaria paſcua ſunt tenellæ, ac recentes herbæ. Tempore tonſuræ oves priùs lavantur, ut vellera jam conglobata maculas exuant, dein à tonſtricibus tondentur; idque commodiùs Julio menſe, quia id temporis copioſiora ſunt vellera, & supereſt adhuc ovibus tempus per totam æſtatem, ut contra brumæ rigorem iterum prolixè veſtiantur. Apud veteres teſte Plinio *lib. 8. cap. 48.* hæc tonſura *vultura* dicebatur; & inde vellus ſuam traxit Etymologiam: oves *deglubere*, non *tondere* dicebantur, cum ſanguinem elicerent, quod ad crudelitatem videtur accedere: pecus ovillum non deglubere, ſed tondere boni eſt Paſtoris. Opiliones, qui furtis aſſueſcunt, norunt etiam lanam dexterrimè ſenſim ſine ſenſu deglubere; aut gregem in vepreta, & ſpineta agere, ſicque lanam decarminare.

15 Vaccæ conficiunt lac, quod villica mulgendo excipit mulctrâ, & poſtridie demit pinguedinem, ſeu florem lacti innatantem; indéque ſuccuſſatione conficit butyrum, remanente lacte ſeroſo. E ſecundario lacte denſato ope coaguli formantur Caſei in proprijs formis, & deſiccantur in caſeali. Pecudes mactationi deſtinatæ ſegregantur ab alijs, obeſantur, opimantúrque ſaginâ, in saginario, paſtore obſipante eſcam. A Bucolica plura itidem eruuntur orationis ornamenta. Dicimus enim *Tyrannum Principem inſolentium exactione tributorum non ſolùm* TONDERE *populum, ſed etiam* DEGLUBERE. *Paſtores eccleſiarum* PASCUA *ſanæ doctrinæ ſuo exhibere gregi. Pedô, & flagro* ARCERE, *ac diſpellere lupos adverſariorum; & ad id* MOLOSSOS *etiam accire brachij ſæcularis. Famulos de* VELLERE *herili diteſcere. Advocatos* MULGERE *crumenas clientum. Milites duci ad* LANIENAM.



EXPENSIO XXII.

De Rhetoricis ornamentis excerpendis ab artibus Alimoniæ, frumentariæ, Carneæ, Aucupij, Venationis, & Poculentorum.

PRiſci homines frumenta piſtillis in mortario tundebant conficientes inde priſanam, ſeu pultem ex hordeacea farina; deinde in pila cœperunt pilô pinſare; poſtea adinventæ fuerunt molæ farinariæ, ubi velociter circumactus lapis molaris ſuper alium immobilem in farinam comminuit frumentum, & detrita farina transmittitur per tympanum farinarium; cribrum verò excuſſorium ejectat per ciſtam pollinariam, primò crimum, ſeu craſſiuſculam farinam inſtar arenulæ: tum pollinem, ſeu florem triticeæ farinæ. Plerumque hujusmodi molæ in arcibus tempore diuturnæ obſidionis ſunt manuariæ, manubrio truſatiles. Aliæ grandiores circumaguntur per jumenta molaria, ſeu molendinaria, aut piſtrinenſia. Hollandi verò præ cæteris utuntur alatis, ac pneumaticis vento verſatilibus. Sunt etiam molæ ſerrariæ, in quibus craſſiores arborum trunci dentata machina defluentium aquarum impetu agitata, rotiſque diſſecantur in aſſeres. Delata farina à molendino ad Piſtorem hic eam iterum cernit farinario cribro; & affuſa aqua fermentóque fermentat; additque ſalem, & ſubigit, depſitque manibus maſſulas decerptas de ſubacta maſſa; quas palæ impoſitas ingerit furno, priùs tamen ignem proruit rutabulo, niſi velit coquere panes ſubcinericios; coquitur enim panis uſualis calore clibani moderatè calefacti. 1

Ab hac arte plures Rhetor mutuatur adagia, & elegantias ornandis orationibus peridoneas. Sapiunt enim parœmias hæ formulæ. *Aquam in mortario piſtillo tundere. Cribrô aquam è fluvio haurire:* ſeu operam oleúmque perdere in aliquo, cujus finem nunquam erimus conſecuturi. *Patientia licèt frumenti inſtar bacillis diverberetur, & in piſtrino adverſitatum pinſetur, non tamen quidquam patitur damni, ſed magis fit Cœlitibus grata: hâc itur viâ ad ſuperos, Nóſque illam docuerunt SS. Martyres. Si ganeones dixeris nebulones, & tu ejuſdem es furfuris cum popinas, & caupon͂as frequentes. Rota mihi videris molendini aquis merſa.* dicitúrque de viro conſtante inter fluctus adverſitatum, & prorſus immoto. *Homo es ejuſdem farinæ* ſcilicet ejuſdem conditionis. *Volatica farina Matheſeos dealbatus* nempe mediocriter & nonniſi leviter imbutus matheſi. *Poſt panem ſimilagineum, fabaceum apponere*, tunc dicitur cum Orator poſt inſignia, ac ingenioſa, quæ exhibuit, vulgaria, ac ſordida adfert. *In frigidum furnum immittere panem*; eſt incapacem, edocere. *Molam, qui refugit, farinam fugit.* Torquetur hæc parœmia in delicatum detrectantem moleſtias pati. *Serò molunt ſuperûm molæ, ſed tandem malis frangunt cornua.* Hoc eſt vindex DEUS ſerò punit, ſed malos malè torquet. 2

Ad artes carnei alimenti pertinent piſcatoria, aucupatoria, venatoria, laniona, & coquinaria. Piſcator eſt, qui in aquis variè piſcibus inſidiatur, majores ſupernatantes confodit tridente; minores ſubnatantes illicit ſurpiculis, vel allicit eſcatis hamis, vel decipit demerſis naſſis, quas ſemel ingreſſi piſces, non ampliùs ijsdem patet exitus. Profundiores agitat conto, vel ſagenâ, ſeu rete extrahit ab aquis, quas ſubinde etiam turbat, vel etiam veneno inficit. A piſcatoria eruuntur etiam Rhetorica ornamenta. Eleganter enim dicimus. *Miniſtros Principum divitijs inhiantes nonnunquam turbare aquas in negotijs peragendis, ut ſibi meliùs conſulant, tutiùsque PISCENTUR. Retibus ventos includere.* pro incaſſum laborare. *Modicam ESCAM JACERE ad extrahendum prægrandem piſcem*: idque torquetur in eos, qui donis ſibi devinciunt miniſtros Principum, ut ijsdem procurent officia in aula, vel beneficia in regno. *Mundum homines ESCA voluptatis allicere, & cultro peccati occidere. Gulæ vitium eſſe HAMUM dulcedine OBDUCTUM, quo ſtygiæ inſula paludis ganeones EXPISCATUR. Scelerum maculis non RETIUM MACULIS tartareum piſcatorem uti ad homines in pelago hujus fluctuantis vitæ EXPISCANDOS. Aquas MOVERE in proprium commodum. Trahere negotiorum RETIA in propriam utilitatem. Inſidiarum HAMOS benevolentiâ fucatâ OBTEGERE. Veritatem in vino PISCARI. Aureo PISCARI HAMO. Rete nihil attraxit. Semper ſibi pendeat Hamus.*

Auceps aviculas aucupaturus aream concinnat aucupatorio ſuperinfectam reti, cui eſcas affundit; caveas cum aviculis canoris allicientibus cantu transvolantes utrinque appendit altioribus perticis alligatas; Auceps verò ſe abdens in latibulo, fiſtula etiam ipſe volantes allicit aviculas, quas accedentes adobruit, & circumretit, vel implicat viſcatis virgis, & calamis; vel bacillo biſido, & attractu funiculi cocunte; impedit pedicis laxis ſetarum equinarum nodis in ſe redeuntibus. Ex avibus aliæ ſunt aucupes, quæ alias prædantur, cujusmodi ſunt Spiza, Percios, Percidion, Falco, Æſalon, Harpe, Aſteridon, Aſterias, Circus, Circidion, Perne, Accipiter. Aliæ ſunt prædatrices, ut Aquila, Ardeola, Buteo, Corvus, Cornix, Ardea, Milvus, Vultur. Aliæ ſunt oſcines, ſeu canoræ, ut Alauda, Cinculus, Florus, Canarius paſſer, Carduelis, Linaria, Merula, Fringilla, Luſcinia, Spinthia, Siren, Acanthus, Thraupis, vireo. Aliæ etiam loquaces ut Pſittacus, Pica, Graculus. Aliæ nocturnæ, ut Bubo, Veſpertilio, Noctua, Eleus, Ulula, Caprimulgus. Aliæ Aquatiles, ut Anas, Querquedula, Elorius, Vulpanſer, Triunculus, Fulica, Glottis, Lacuſtris anaticula, Apus, Larus, Mergus, Loripes, Parra. Ab aucupio ſuas Rhetor haurit delicias, quibus orationem perfundit. Dicimus enim non ſine lepore. *Verborum illicijs aliorum benevolentiam AUCUPARI. Suaſionum illecebris animos adſtantium IRRETIRE. Rationum momentis animos VENARI. Elegantiarum AUCUPIO Auditores demulcere. Blando cantiuncularum concentu IRRETITUM teneri. Obſcœna cantionum garrulitate AD RETIA tartarei AUCUPIS minus cautos pertrahere. VISCO pravæ conſuetudinis detineri. VISCATÆ ſunt mundi voluptates, quos ſemel tenent, diu detinent.* Corporis blandimenta ſunt animæ PEDICÆ, quibus *miſerè illigatur mundi fluxis. Ambitioſus AUCUPATUR honores. Populi AUCUPARI plauſus.*

Quemadmodum aucupio aves, ita venatui canes inſerviunt; quorum alij feras inſequuntur, pugnásque cum jisdem ineunt; alij perdices, coturnices odoratu inveſtigant; canis enim venaticus, dum ante aucupem huc, illúcque diſcurrit, inventâ prædâ conſiſtit immotus, ſæpiùs reſpectans, & caudam agitans, tum reticulum panditur, & cani, avibúsque injicitur. Coturnix fiſtula imitante muliebrem vocem invitatur. Ad ferarum inſtituendam venationem, venator horis antelucanis ſurgit, & luce crepera cum rore perfuſa tellus pedum recipit, ſervátque veſtigia, foras exilit, ferásque veſtigat odoratu ſagacium canum, qui cùm prædam ſentiunt roſtro tacito lucum pererrant, & nictendo monſtrant cubilia, & latibula ferarum. Hæcque venationis innocens exercitatio viris præſertim Principibus convenit, eſt ſiquidem juſti prælij idoneum ſimulacrum, qua ratione olim militaris gloria, Martiæque virtutis clariores duces, milites ſuos volebant venationibus aſſueſcere, ut faciliùs ad pugnas inter homines inſtruerentur: etenim campos mira velocitate percurrere; nemora ingredi, luſtrare, circumire, foſſas tranſilire, ire, redire per campos, per colles, montes conſcendere, in valles deſcendere, cervos concitato equo inſequi, apros omnibus veſtigijs proſequi; perinde eſt ac hoſtes inſequi fugientes, laceſſere, adoriri, proſternere. Invia humanis pedibus adire, avia ingredi, obſeptos dumis, vepribúsque horrentibúsque aditus perrumpere; montium excelſa ſuperare juga; excutere cubilibus feras, eásque inſequi, ac vulneribus confodere, verum eſt initi certaminis exemplar. Hinc venatus ſi temperatus fuerit, corpori, animóque ſalubrem, rei familiari valdè fructuoſam, periucundam, bellicíſque artibus congruentem, ac perhonorificam occupationem Principibus ſuppeditat, & equitibus. Venatus illuſtriores partes ſunt, feram indagare, ejus veſtigia, & fimos dijudicare, ſtrophas dirimere, luſtrum deſignare, latebris eam depellere, canibus premendam exigere ſubdititiæ prædæ fruſtrationes appoſitè diluere.

Suas etiam venatus amœnitates Rhetori ſuppeditat, ſi ritè ejus termini rebus alijs accommodentur, ut: *Per Aulæ famulus Principis arcana VENARI. Venaticam pauperum cohortem aluit B. Amedeus à Sabaudia; & pauperibus perinde ac VENATICIS canibus cœlum VENATUS EST. VENARI laudem ex re bene acta. Mittere EXPLORATORES ad hoſtium indaganda veſtigia. Incautis animis procaces oculi RETIA injiciunt.*

Fœmi-

Fœminei aſpectus TRAGULAM *evibrant ad lethale infligendum vulnus.* *Repetitis obſequijs* CAPTARE *favores Principis.* *Fraudum cubilia è ſuis veſtigijs* INDAGARE. *In hoſtium* CASSES *incidere.* *Vitiorum feras virtutis telo* INTERIMERE. *Aureis* RETIBUS *venari honores.* ABDERE, *conjicere ſe ſe in dumetum.* *Hoſtes cubilibus, & caſtra* EXTRUDERE. *Fugientes hoſtes per avia* INSEQUI. *Hoſtes ad Extremas anguſtias* ADIGERE *Buccina* ACCIRE *milites.* *Hoſtem latebrâ exigere*, DEPELLERE. *Locum* CAPERE *ſtativus militum ſubſidiarijs.* *Setentias* VENARI *per editiſſimos difficultatum montes.* VENARI *gloriam.* *Aſſiduo* VENATU *explorare loca.* VENARI *apros in mari*, pro eo, quod eſt operam perdere. *Meus hoſtis incidit in* CASSES. *Ambitioſus* VENATUR *dignitates.* *Nihil agit, nihil capit, qui invitis canibus venatur.*

7 Carnibus ſylveſtribus adduntur domeſticæ, quæ veneunt in carnario, cujuſmodi ſunt, caro bubula, vitulina, vervecina, hædina, agnina, ſuilla, & aliæ id genus, quas coquus arte præparat coquinaria, quæ juxta Apicium in ſeptem diſtribuitur partes ſecundùm diverſa, quæ coquuntur, ut ſunt jura; vel condimenta cum cibis abſumenda, ut varia embammata, & ecligmata; vel carnes, vel piſces, vel ova, vel fructus, & herbarum olera; vel pemmata, cruſtula, placentæ. Carnes variè coquuntur, ſiquidem elixantur ollis, & cacabis operculo tectis, vel aſſantur verubus in aſſario rotatili, vel ſuper crateuterio, anſis ferreis verſabundis: vel torrentur ſuper ferreum cratem, ut offellæ vitulinæ, vel porcinæ: vel friguntur in frixorio: vel excoquuntur vaporatione in operculatis cacabulis: vel cultris inciſorijs minutatim cæduntur, & ex conciſis conficiuntur pulmenta, pultes, additis aromatibus comminutis piſtillo in mortariolo, vel tritis ſuper radulam; aut alio denticulato inſtrumento minutatim conciſis. Solet etiam coquus ad condiendas aſſaturas lardo eas trajicere acu, quâ lardum in carnes aſſandas tranſmittitur. Aves etiam majores deplumat, deglabrat, eviſcerat, exenterat, lardóque trajectat.

8 A rebus coquinarijs varia Rhetor orationis condimenta alieno guſtui accommodata non abſque fructu mutuatur; ut *Flabellis conviciorum alienam bilim* ACCENDERE. *Odia* SOPIRI *extimo cinere fucatæ amicitiæ, ac ſimulata benevolentiæ non* EXTINGUI. *Diſſidiorum folle bellum* ACCENDERE. *Ebullientem iram contumelijs* FOVERE. *Caro non eſt ita* ASSANDA, *ut* USTULETUR. Scilicet non ita caſtiganda flagris, vel jejunijs extenuenda, ut viribus prorſus deſtituatur. *Patientiam rebus adverſis optimo eſſe* CONDIMENTO. *Subditos rebellantes* DEPLUMARE, *ne quidquam contra Principem, valeant*, *Jejunijs carnem* EMACIARE. *Aſellum noſtri corporis tuditibus* CONTUNDERE, *ut molleſcat, ac creſcat in virtutum exercitio.* *Dulcium verborum ſacchara denegandum favorem* CONDIRE. CONCINARE *orationem guſtui alieno pergratam.* *Attico elegantiarum melle periodos orationis* SAPIDAS *exhibere.* *Sacchara hilaritatis præconceptam* CONDIRE *triſtitiam.* *Fame, & ſiti* CONDIRE *epulas.* *Ingenia* CRUDA *amoris igne aſſare, ut ſapiant.* *Totum negotium* EXLNTERARE. *Eruditionum ſacchara concionem* PERFUNDERE. *Impolitas ruditates* DESQVAMARE. *Attico melle argutiarum* ILLINIRE *orationem, ut alieno* SAPIAT *palatui.* Adagia itidem à rebus coquinarija hauriuntur; ut: *Comedere carnem, quam quis ſibi coxit.* *Avidi ganeones aſſaturam à verru rapiunt.* *Quiſque fercula edit, quæ ſibi apparavit.* *Stultus elixat ſaxa.* *Quod tibi intriviſti exede.* *Dignum tali patellæ operculum.* *Satur etiam perdices faſtidit.* *Flamma proxima* De periculo imminente. *Patientiæ condimento afflictiones dulceſcunt.*

Poculentum dicitur, quicquid potari po- 9
teſt, & differt à potulento, quod propriè ebrium ſignificat, licèt interdum potulentus idem ſit, ac liquor potui idoneus, & Pocillator, ſeu Pincerna, qui vinum infundit in convivio, & miſcet. Homini ſicuti, & cæteris animantibus potio naturalis eſt aqua, cujus beneficio, æquè vegetabilia, ac ſenſitiva reficiuntur, reſtaurantur. Præter aquam didicit homo lac, ſerúmque lactis ebibere; deinde parare potum inebriantem, quem Priſci vocârunt temetum, à quo temulentia ſuam traxit originem, fuítque primitùs hujuſmodi potus tentans caput mulſum, & muſtum è pomis expreſſum: poſtea fuerunt in uſum vinum, cereviſia, hydromeli, vina igne liquata, aduſta, cremata. Mulſum, quod apud Germanos adhuc eſt in uſu ad corroborandum ſtomachum, conficitur ex aqua, & melle varijs immixtis aromatibus, quæ omnia ita attemperantur, ut ſaporem etiam vini mulſum referat. Huic potui proximè accedunt Promulſis, & fit ex dulciore vino, ac melle. Melites ex melle, & muſto auſtero. Sicera fit ex pomis mulſeis, ut piratium ex piris, ex quibus ſuccus extrahitur, Cereviſia fit à Zytopæo, ſeu Cereviſiario, vulgò Braxatore ex lupulo, & granis frumenti aquâ maceratis uſque ad tumeſcentiam, quæ poſtea aſſiccantur in pavimento, & Polentarius ea verſat, ac reverſat ſæpiùs, donec diſſiliendo incipiant germina producere, dein convertit in bynem, & permolit in molendino polentario in farinam craſſiorem, quam Zythopæus miſtam lupulo, & in ferventem injectam aquam ſpathis, rutabulíſque ligneis verſat, & coquit in aheno cereviſiam; quam poſt aliquot percoctiones, & tranſfuſiones ex caldario in alveos, detractáſque hordei quiſquilias, ac fæces in ſaginationem boum; demum excoquit Zythum, quod poſt refrigerationem per bajulos uſitatis ſcaphis deportatur in cellam; ubi efferveſcendo defæcatur rejectis foras recrementis per ſuperius os vaſis. Servantur hæc recrementa in varios uſus præſertim in panificijs: quòd ſi cereviſia acorem contrahat, & muceſcat, infunditur in vaſis, ſeu doliolis acetarijs, & fit acetum. Diſtillator in clibano, ſeu campanico furno igne prolicit è fæcibus cereviſiæ, vel vini, vel ex

feſe

fermentato farre, aut pomis exſudatam, ſeu delachrymatam, ac diſtillatam per cupream veſicam, & ſuperpoſitum turbinem, ſeu alembicum aquam ardentem, vinum aduſtum, crematum, ſublimatum, ſeu aquam vitæ.

10 Vinum elicitur ex botris, ſeu racemis. Vindemiatores ſiquidem abſciſſas ſcapis uvas cupis, pitinisque dorſuarijs deferunt in torcularium, conjiciúntque in lacum vinarium; tum in labris, & alveis calcant pedibus, aut contundunt ligneo pilo; & effundunt in lacum. Reliquum vinum ex acinis exurgetur torculari, per cujus cochleas prælum attollitur, & dimittitur; ad premendos accinos. Racemi colliguntur in vineis, quas vinetor plantat in colle aprico, vitifero, quem novellis viticulis obſerit; aut traducibus veteranus propagat vites; quas poſtea circumcidit vinaticâ ſtirpiculâ, ne nimia ſterileſcant ubertate, & ut ex amputatione pullulent novi palmites, qui cum raró per ſe ſurrecti ſint, quidquid poſſunt, apprehendunt, ut fulciantur. Vitis enim natura ſua caduca eſt, & niſi aliquo fulta aſcititio fulcro fertur ad terram, unde ut ſe erigat claviculis ſuis, quaſi manibus quidquid eſt nacta, complectitur, quam tamen obliquè ſerpentem ferro circumcidens ars agricolarum coërcet, ne luxuriantibus ſarmentis ſterileſcat. Lachrymatur præciſa vitis ad modicum tempus, ſed calore ſolis fota, propriúmque oblita damnum in ſarmentorum præciſione, incipit turgere in gemmas, creſcere vegetior, florere gratior, & in arboribus ad ſumma pertingere faſtigia, quibus complexu colligatur, & arbores ipſas, quibus nupſit, brachijs amplectitur, lacertis circumdat, pampinis veſtit, & uvarum ſertis coronat.

11 A poculentis, eorúmque arte plurimum Rhetor hauſit concinnitatis, & elegantiæ. Dicitur enim. *Hominis vita cum vite non ſolùm nominis, ſed & naturæ affinitatem contraxit. Vita enim perinde ac vitis vivam primùm defigit radicem, ſed quia natura flexibilis, & caduca eſt manibus quaſi claviculis quidquid apprehendit, ſtringit, ſéque erigit. Et ſi vitis ſua e lacrymis auſpicatur incrementa, quas amputata effundit; hominis vita à planctu inchoatur, neque creſcit, niſi prævio lacrymarum ſtillicidio, ut à fluxu, fluxa eſſe apprehendat, quæ vitæ obtingunt hominis.* Plautus in Trinummo dixit. OBSERERE *mores.* Quod à vineis, quæ obſeruntur, transfertur ad hominem. Concinnè etiam dicimus. *Sarmenta pravarum affectiuncularum* AMPUTARE. *Luxuriantes turpium cogitationum palmites virtutis* SCIRPICULA *illicò* CIRCUMCIDERE, *ne ultra ſuccreſcant. Nimiam corporis proſperitatem* AMPUTARE. *Temperantiâ ſenſuum ſuperflua* RESECARE. *Areſcentem tellurem pluvias* SITIRE. *Prata pellucidas rivulorum* BIBERE *latices. Plurimum oblectamenti* HAURIRE *à venatione. Hominis avari* SITIS *nullo eſt auro extinguibilis. Quem tenet honorum* SITIS, *hunc ambitio torquet.* SITIRE *Deum dulcius eſt, quàm nectarea bibere pocula. Felicem eum eſſe, qui ſolam* SITIT *juſtitiam. Scirpiculâ rationis ſuperflua ſenſuum* AMPUTARE. *Utiliùs luxuriantem vitam, quàm vitem* CIRCUMCIDIMUS. *Plenis faucibus propinare alicui ſalutem. Propinare hoſtibus patriam.* Demoſthenes de ijs dixit, qui patriam produnt. *Multo madere vino. Pangere inducias.* Livius 2. *bell. puni.* poſuit pro facere inducias, Plautus in Curculione. *Pangere oſculum pro oſculari.* Propagare quod ſignificat, vitem vetulam ſupprimere, ut ex una plures ſuccreſcant, eleganter transfertur ad alia. Suetonius in Caligula *cap. 29.* dixit *Prætorium virum ex ſeceſſu Ancyræ, quàm valetudinis causâ petierat propagari ſibi commeatum ſæpius deſiderantem, quum mandâſſet interimi.* id eſt produci, proferri ſibi commeatum. Cicer. 2, *de offic.* ait: *vera gloria radices agit, atque etiam propagatur.* dicimus etiam PROPAGARE *vitam, Religionem, nomen.* VINDEMIARE *fructus ſuſcepti laboris*, ſeu recipere præmium. Plinius dixit. *Prima mellis vindemia melior.* Vindemiam pro uvis poſuit Virgil. 3. Georg. *Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.*

EXPENSIO XXIII.

De Veſtium multiplici cultu ſuppeditante Rhetoricum ornatum.

VEſtes tegendæ nuditati contra aëris injuriam, rigentémque tempeſtatem peridoneæ, quæque id temporis ſunt in uſu, plures recenſentur. Capitis tegmen, ſeu amiculum multiplex etiam in viris eſt, pileus, galerus, cauſia, petaſus, pileolus, pileus laneus, galerus fibrinus, pileus ex lutræ compactus villo; & hic brevis, vel largi marginis, altæ, vel depreſſæ teſtudinis, cum auricula aliquando reducta, aut reflexa, aut fibulata: uſus nunc invaluit quo viri præſertim nobiles caput contegant, ſimúlque ornent caliendro, ſeu capillitio adſcititio, quo etiam ſenes, & ætate provecti juventam mentiuntur fucatâ comâ caſtaneâ, nigricante, criſtáque plumatili pileo adnexa. Fœminæ verò capillos tegunt variè pexos, & plexos, in pegmata concinnatos, aut capillari collectos, aut diſcerniculo diſcriminatos; vel ad frontem vibratos, tænijs, redimiculis, reticulis, redimitos; aut totum caput, & ipſæ perinde, ac viri obradunt, & aſcititio tegunt ornatu in turrim ſupra frontem aſſurgente additis capitijs, vittis, calanticis, plagis, & plagulis, ac multiplici gemmularum nitore, quaſi ſolem fucatæ pulchritudinis videantur micantibus utrinque ſtellulis coronare. 1

Intima, & extima corporis indumenta ſunt induſium, ſubucula linea, vel lanea, thorax cingulo tenus pectori aptatus, & lacinijs variè ornatus: ſcutula cæſitium; glandulosa panicula; ſagulum, bubalinus thorax, tunica demiſſa, vel Crurum tenus, cujusmodi eſt lacerna, togula, tunicula, vel talaris toga manuleata, vel ſine manicis ſuccingenda, ſi fuerit ſinuoſa, undans, & laciniata, pallium 2

pe-

penulâ, ſeu epitogium, femoralia, ſeu braccæ laxiores, vel ſtrictiores, juxta varias regionum conſuetudines: tibialia inferiùs cuneato ſegmine intercepta tibias tegunt, caliga, calceolus, vel ſocculus, crepida, ocrea: lacerna peropellita veſtis, ſagulum, chlamys; palliolum, toga; ſtrophiolum, ſeu ſudariolum. Collum tegitur collari, vel patagio, quod eſt vel planum, vel ſinibus ordinatum in plicas, ſeu Cylindro plicatum, aut canaliculatum, rugoſum, ſtriatum, inflexum, ſegmentatum, vel denticulatum, aut cuſpidatum, prout variat uſus. Manus contra frigus muniunt chirothecæ, & manicæ. Moris nunc eſt ut è collo perpluat ad pectus faſcicula, loco collaris; & hæc ſubtiliſſima ſimul inflexa, rugoſa, vel ſtriata, vel ſimplex.

3 Veſtes muliebres ſunt calantica, reticulom, velum Sericum, criſpum, bombycinum capitium, petaſus, cidaris, tunica, togula, toga, togæ thorax, Cyclas, peplum, caſtula, pectoralis palmula, mammilare, brachialia, cingulum, ceſtus, ſandalium, cothurnus. Ad mundum muliebrem pertinent acus diſcriminalis, inauris, torques, lineæ unionum, crotalium, armillæ, monilia, gemmulæ, gemmea monilia, annuli, flabellum, paropis tabellæ, rotatum horologium, ſpeculum, pyxis iconifera. Veſtes infantiles ſunt calantica puerilis, panniculi, faſciæ, crepundia, togula, cunæ.

4 Luxus in cultu veſtium varius, & multiplex ſemper fuit. Antehac ſub delabentis ſæculi initia in uſu, pretióque fuerunt collaria, vel ſtriata ſinuoſis canaliculis protuberantia, vel reticulato, ac denticulato opere minutis maculis elegantiſſimè picta. Torques vermiculatus adamante, ſeu ſplendida Servitus è collo defluebat ad pectus; corpus veſtibus amiciebatur attalicis, quas accuratiſſimo mæandro, flexuoſisque in morem labyrinthorum ambagibus labor improbus implicaret; manúsque revolutis ad brachia carbaſinis linis intumeſcerent; & digiti adſcito gemmarum nitore multiplici annulo rutilarent; calceique lunatis ad talos feneſtris aureâ roſâ clauderentur; erant ſiquidem lunulæ in calceis nobilitatis ſymbolum. Nullæ tamen in veſtitu nationes conſentiunt, ſed propria gaudent conſuetodine paucis exceptis, qui exteros utpote elegantiores imitantur: hinc Græci caſiaca utuntur, Veneti talari toga, Romani pallio, Galli ſagulo, Germani Rhenonum tegumento, Hiſpani braccis adſtrictioribus, Troades peplo; avium plumis diſcoloribos Indi: imò ferunt Fanneſios aures ipſas pro indumento habuiſſe; ne unus tantùm eſſet Midas auribus aſininis, ſed multos poſſet mundus adferre ſuæ teſtes vanitatis non minus oculatos, quàm auritos. Non ſolùm diverſæ, quæ in mundo ſunt gentes in cultu veſtium diſſentiunt; verùm & unius homines urbis, etenim Romæ molli veſte ibat Mecœnas diſcinctus; Sextus Pompejus cæruleo contectus pallio. Caligula penulâ fuit delectatus opere phrygio depicta, pluribúſque vermiculata gemmis, Antonius Caracalla, Lentulus, Demetrius veſtes amârunt, quæ ſydera, planetas, Zodiaci ſigna graphicè, ac elegantiſſima acu exhiberent deſcripta. Auguſtus ut procerior aſſurgeret calceo delectabatur altiuſculo, Caligula muliebri ſocco, Carinus fibulis margaritâ concluſis, Heliogabalus caliga gemmata, Empedocles ferrea, Demetrius aurea, ut fulgeret in pede, quod ſuo non debebatur capiti; vel ut innueret non deeſſe Regibus compedes, licèt aureas, quæ ſplendidæ libertati frœna inijciant; ut autem vanitas leviùs, quàm in pede, triumphet in capite, ſunt qui capillos proprio luxuriantes in collo circumducunt in galeam, vel reflectunt in criſtas, vel reciprocant in annulos, obliquant in corymbos, aſtruunt in ſuggeſtum, inflant in undas, franguut in ſulcos, arant in rugas, abducunt in cochleas, laxant in fimbrias. Sunt etiam qui enutritos capillos à fronte rejiciunt, ot in humeros æqualiter defluant, qui diſcriminali acu utrinque diſſociant, ut in aures molliter pluant; qui globum capillorum veluti cometem crinitum retorquent; qui in frontem ad oculos inumbrandos referunt; qui neglectos adulantibus favonijs diventilandos tradunt, plus venti, quàm mentis, habentes in capite. 5

Sunt etiam qui innatum capillorum faſtidientes colorem variè illos illinunt: ſcimus Pyrrhum regem cumam multiplici fucâſſe pigmento. Sybaritas, quibus morum candor erat exoſus, nigredinem toto capite affectâſſe; Agathyrſos cærulea fuiſſe comâ delectatos; Mevanios flavâ; Cyprio pulvere cinereo inſperſa Gallos, & Italos; aureis interpuncta cicadis Athenienſes; mos enim antiquitus erat Atticis capillorum cincinnis aureas addere cicadas. Fuerunt etiam ex Romanorum Cæſarum nonnulli, quibus placuit coma aureis illuminara ramentis, quique aureo cinere caput adſpergerent, non doloris causâ, ſed ſplendidioris luxûs gratiâ. Hinc jocosè Alexander Macedo quendam irriſit Senem, quem cum canities Cycnum effeciſſet, emendicata nigredine maluit in corvum degenerare; hortatus enim fuit, ne canos tingeret, ſed genua illiniret jam ſenio collabentia. Fucatam, plenámque vanitate mentem prodit aſcititio colore larvata coma; hæcque ratio cur Antipater è Judicum albo fuerit expunctus; invecta ſiquidem nigredine venerandam abegit è capite canitiem; rati cives eum in rebus gerendis fidum eſſe neutiquam poſſe, qoi vel in crinibus erat infidus. Nec me latet, Martialem acutiſſimè quendam punxiſſe Phœbum Apollinis antiſtrophon, qui ut probroſam calvitiem obtegerer unguento comam capiri effinxit, cuj propterea retorſit Martialis, non eſſe ei opus tonſore, ſed ſpongiâ, quâ ementitum capillitium deleret. Vates itidem Hiſpanus falsè jocatus fuit in eundem Phœbum hædina pelle calvitiem verticis obtegentem, ejus caput feſtivo ſcommate dicens *calceatum*. Suos etiam noſtrum habet ſæculum Ganimedes, ſuos Parides elegantes venuſto

los totos ex aſſula, nitidos ex cataclиſta, qui veſtem non induunt niſi Sabæos muliebriter exhalantem odores. Capillos calamiſtri veſtigio rotant, faciem ceruſſâ, & purpuriſſo pingunt; totúmque corpus maſcula ſpoliantes virtute, fœminea tegunt mollitudine.

6 Quòd ſi à virorum in veſtibus luxu ad muliebrem vellem ornatum progredi, nunquam redarguendæ vanitatis materia deficeret, cum mundus propemodum univerſus uni ornandæ fœminæ famuletur. Quis ſatis recenſeret cometrias pectendis capillis; ceruſſam, & purpuriſſum, quo ſibi genarum mulieres conciliant colorem, ciniſlones calamiſtro calefaciendo; gutturnia argentea, è quibus guttatim odoratus humor in manus perpluit; aureas pelues ad corpus abluendum; ſpecula terſa, & polita ad invehendæ vanitatis conſilium; turbas pyxidum ad picturæ, odorúmque cuſtodiam; ferramentorum ſupellectilem ad cirros delabentis in pectus comæ implicandos: pelliculas moſchi ad ſuffitus; licèt nunquam ſæpe pejus oleant, quàm cùm melius putant olere. Diceres tot è cœlo in terram delapſas Pandoras, quot ſunt fœminæ hiſce vanitatibus addictæ, quibus omnes mundi partes propria ſuppeditant ornamenta; & quidquid iiſdem pretioſi ineſt: Arabia enim ſuis ſpoliatur odoribus; auro India; margaritis Erithræum; gemmulis omnes orientales plagæ; ſerico Sicilia; lanis Hiſpania, plumis America, ut fœminas veſtiant; licèt à nonnullis non aſſumatur veſtis, niſi partes corporis, pectoris præſertim, & mammillarum ſub oculos cadant tenuiſſimis contectæ velis, quæ Petronius *linteum nebulam*, Tertullianus *textum pellucidum*, Fulgentius *Syrma nebuloſum*, Tibullus *Carbaſeos tenſos*. Claudianus *vitreum indumentum*, quod aſpectus trajiciat, appellârunt.

7 Prætecenſitæ tum virorum, tum mulierum veſtes, & extimi ornatus locupletem ſuppeditant Oratori materiam concinnè, ac eleganter veſtiendi orationem. Quia veſtis eſt, quæ corporis tegit nuditatem ſub genere ſupremo tegumenti poteſt vocari veſtis omne, quod tegit; qua ratione eleganter dixit Columella: *Arbores ubi ſe frondibus* VESTIERINT. Sic dicimus, VESTIRI *agrum vineis, prata tenellis herbulis, areolas floribus*; pulchrè flores pratorum vocamus *diſcolorem telluris* VESTEM; & Cicero herbas vocavit VESTITUS *riparum viridiſſimos*; dicimus etiam VESTIRE *ſaccaro fercula; hamum eſcâ; gladium vaginâ*; VESTIRE *palatium aulæis*; VESTIRE *parietes templi velis picturatis verſicolori textura ſpectabilibus. Splendido apparatu* INDUERE *eccleſiam. Attalicis aulæis murorum nuditatem* VESTIRE. *Tellurem belluatis* INDUTAM *tapetijs ſe calcabilem exhibere.* Illæ tamen metaphoræ ſunt elegantiores, quæ ſimul proportionem ſervant fundatam in ſimilitudine, quia cortex pyrum tegit, & proportionem habet cum tunica, quam homines veſtiunt, eleganter dicimus: *Tanta delicatum hujus ſæculi palatum aſſuevit lautitiei, ut non ſolùm ſpoliandi pyri Ganeones pigeat in ſympoſijs, ſed etiam forſitan abſtinerent, niſi turbinatim advoluta pomo detracta* TUNICA *illuderet oculis, & gutturi adblandiretur.* Quia tegmen ſaccareum, quo nuclei obteguntur, habet cum induſio ſimilitudinem in ratione integumenti, & coloris, pulchrè aſſerimus; *Homines delicatulos, gulæque delicijs aſſuetos effractos faſtidire nucleos, niſi in ſacchareo* VESTIANTUR *induſio, quaſi ipſos eorundem nativæ puderet nuditatis.* Lucius 2. *Bell. Maced. Vocat montes* VESTITOS *ſylvis.* Cicero 6. Verr. *Parietes* VESTITOS *tabulis. Nondum teneras* VESTIRE *genas* apud Senecam idem eſt, ac nondum barbam emittere; unde *genarum* VESTITUS perinde eſt ac ipſa barba. Seneca *Nunc manum cerebro indue.* Transfertur etiam hoc verbum veſtio de corpore ad animum; cum dicimus VESTIRE *alienos mores.* INDUERE *ornamenta virtutum.* VESTIRE *voluntatem ſuperioris.* Et quia contrariorum eadem eſt diſciplina hæc omnia aptari poſſunt verbo *ſpolio*, Lucretius de ſerpente ait EXUERE *ſenectam. Hyemem arbores* SPOLIARE. *Vernam temperiem eaſdem* VESTIRE. A corpore ad animum facta translatione dicimus *exuere corruptos mores. Hominem reſipiſcentem* EXUERE *pravas conſuetudines.* De militibus animo cadentibus dicimus EXUERE *animos.* SPOLIARI *virtute bellica.* De hominibus nulla ornatis ſcientia dicimus, *eos* NUDOS *omni ſcientiâ.*

Elegantiores ſunt metaphoræ deſumptæ à veſtibus, quando ſervata proportione partibus accommodantur: qua ratione nubes montium juga obtegentes vocantur *montium pileoli*, vel, *diademata montium capita cingentia*, vel *montium larvæ*, quia eorum frontem contegunt. Lorica propria militis ad muniendum in pugna pectus ab Auſonio accommodatur piſcibus: *Et* LORICATO *ſquammoſus pectore piſcis.* Syrma quod eſt genus veſtis tragicorum, vel cauda, ſeu tractus veſtis fœminarum dicitur de caudatis cometis: *Radiato* SYRMATE *funeſtiſſimi cometæ tragedias aperiunt.* Martial. lib. 1. ad mulum Syrma transfert. *Muſa nec inſano* SYRMATE *noſtra tumet.* 8
Pallium conveniens homini transfertur ad res alias; eleganter enim dicitur: *Veritas multiplici verborum fuco* PALLIATA. Apud Apulejum legitur verbum palliare pro tegere ait ipſe. *Nec* PALLIARI *tam aperta res poteſt*, dicimus verborum ambagibus palliare conſilium. Coma propria hominis lepidè transfertur ad prata, ad Arbores, ut *Circumtondere* COMAS *pratorum. Explicant proceres arbores virides ſoliorum* COMAS Virgil. 4. Georg. *Ille* COMAM *mollis jam tum tondebat acanthi.* Ovidius 2. Amorum. *Frigidáque arboreas mulceat aura* COMAS. Imò accommodatur coma etiam facibus; Catullus in Epithal. *Viden ut faces ſplendidas quatiunt* COMAS. Sol etiam à Poëtis dicitur *Auricomus* quaſi radios perinde ac aureas comas diffundat. Albas veſtes, qui induunt, dicuntur *candidati*, & quia præ cæteris floribus lilia candicant, ſcitè vocantur

flo-

florum candidati, quaſi ad ſupremam magiſtratus aſpirent dignitatem, candidati enim dicebantur etiam a toga candida, quam illi geſtabant, qui ad alicujus magiſtratus petitionem aſpirabant. Dicuntur *candidati* milites, qui privilegijs muniuntur. Roſa purpurea concinnè dicitur *trabeata florum regina*, fuit *trabea* genus veſtis regalis purpureæ, cujus meminit Virgilius. 7. Æneid. *Ipſe Quirinali lituo, parváque ſedebat ſuccinctus trabea, leváque ancile gerebat, Picus equûm domitor.* Pavonem gemmantes explicantem adverſo ſole caudæ colores vocamus *Colarundatum avium Principem.* Noctem *illunem, & roſcidam* dicimus, *Funeres indutam paludamento extincto naturam ſoli illathrymari*: in hortis florentes areolæ concinnè dicuntur, *ridentis telluris aulæa, periſtromata belluata, vegeta fœcundæ naturæ emblemata.* Et à cæteris veſtimentis dicimus penulatum, cucullatum, gauſapatum, punicatum, cycladatum, ſagatum, maſtrucatum, lacernatum, togatum, armillatum, patagiatum, caligatum, pexatum, pileatum, paludatum.

9 A re veſtiaria plura circumferuntur adagia: Ut *Tunica pallio propior*, ut ſignificemus conſanguineos, & amicos eſſe nobis devinctiores exteris, *Penulam ſcindere.* dicitur, qui hoſpitem impenſius detinet. *Æquè toga, ac ſago illuſtris*, qui eminet literis, & armis; qualis fuit Cæſar, cujus eſt parœmia *In utroque Cæſar* ſcilicet calamo, & enſe. *Vir eſto præcinctus* ſcilicet ſtrenuus ad militiam accinctus. *Diſcincti ſunt nepotes*, ſcilicet homines ignaviâ notati, & luxuria diffluentes. *Ad pileum hominem vocare* eſt mancipio, vel carceribus detento offerre libertatem. *Laticlavios honore proſequi* eſt debitum honorem ſenatoribus, ſeu viris prçexcellentibus exhibere: *laticlavij* vocabantur ſenatores à latiore clavo togæ intexto, quo pacto denominabatur *toga clavata*, vel *laticlavia*: equeſtris dignitatis clavus anguſtior fuit ſymbolum: dicebatur etiam *toga palmata*, vel *trabeata*, ſi eidem palmæ, vel trabes erant intextæ. *Prætexta* fuit toga, cui purpureus limbus per circuitum prætextus erat. *Lunatam induere pellem* erat idem ac promoveri ad nobilitatem, lunulæ in calceis erant ſymbolum nobilitatis, unde lunati ferebantur calcei, lunatæ pelles.

EXPENSIO XXIV.

De Rhetoricis ornamentis depromendis, ex varijs artibus, & officinis ad rem veſtiariam pertinentibus.

1 Liquet ex præexpenſis, veſtes, alias lineas, laneas alias eſſe; alias goſſypinas, ſeu xylinas; eſt xylon frutex, quo ſuperior Ægypti pars abundat, magnitudine æquat barbatam nucem, cujus ex interiori bombyce lanugo netur mollitudine, & candore cæteris præferenda. In aliquibus Italiæ partibus reperitur hujuſmodi frutex ſimilis pomo mali cotonei; matureſcens, lanæ, quam includit, copiâ diſrumpitur, & è ſinu dehiſcente linum apparet incluſum. Ad majorem luxum in cultu corporis, aliæ etiam ſunt veſtes ſericæ, ſubſericæ pelliceæ, quarum artificium hic breviter indicandum; ut amœnioris literaturæ addicti ſtudijs elegantiarum ſupellectilem inde commodè depromant.

Materiam veſtibus ſericis ſuppeditant Bom- 2
byces vermiculi ſubnigri, quibus in pleriſque Italiæ partibus fœminarum ſinus auſpicium eſt vitæ: fovetur enim ſinu, & complexu mulieris; cujus animus hac cura priùs incipit illaqueari, quàm fila ducantur, nimirum tenet cupiditas mentem antequam ſericum teneat; inſeritúrque cordi, quod nondum eſt ſericum; quàm fœdus mulieris ſinus, qui priùs ebullit in vermes, quàm putreſcat in ſepulchro? Fit bombylis, dein necydalus, ac demum bombyx, qui frigoris impatiens facilè villis inhorreſcit, & adverſum hyemem tunicas ſibi inſtaurat, radens, pedum aſperitate foliorum lanuginem in vellera; hæcque ab eodem cogitur, ſubigitúrque unguium carminatione; & mox trahitur inter ramos, ac pectinatim tenuatur. Poſtea ſericum ſibi condens ergaſtulum, ſe ipſum in eodem obvolvit, latétque priùs ſepultus, quàm mortuus; pergítque nere in ſecreta officinula; donec ab homine tollatur; fictilibúsque vaſis tepore, furfurúmque eſca innutritus iterum è ſuo funere vitales enaſcatur ad auras: quæ verò cœpta ſunt lanificia humore lenteſcunt, mox in fila tenuantur à fœminis; quæ intra parietum ſepta procul à lucis afflatu ſericum lanificium priùs purgant, perpoliunt, deinde filatim trahunt. videantúrque turmatim in unam coire catervam, ſimúlque penſum ducere, fuſum verſare, digitos terere, ordiri ſubtegmina; telas texere, & textas acu pingere. Panni tamen ſerici texuntur à ſericario, & quidem multifariè, alij etiam ſunt ſubſerici, vel tramaſerici, holoſerici, heteromalli, ſeu ſerici villoſi, vel ſcutulati, undulati, floruleníi, purpurei, oſtrini, conchyliati, coccinei. Pañi ſerici à Phrygionibus, ſeu Polymitarijs, acu Babylonica pinguntur; qui etiam filis verſicoloribus conficiunt veſtes polymitas, Phrygias, Attalicas, Babylonicas, aliáſque acu pictas auro, argentóve intextas, vel criſpanti opere floribus ornatas; quandóque etiam unionibus, gemmiſque vermiculatas.

Veſtes lineæ fiunt ex lino, vel cannabe, 3
ſeu herbis, quæ ruri ſeruntur, & maturæ evelluntur, & in aquis ſtagnantibus macerantur, ruríúmque exiccantur, ſtuparijs malleis contunduntur, frangibulo conteruntur, ferreóque pectine carminantur, quódque in carminatione ſecernitur ſtupa habetur. Linum vel cannabem expurgatum Netrices fœminæ ſibi diſtribuunt, & ſuperligando penſa colo, manipulos lini carpunt, trahúntque ſiniſtra filatim, & dextrâ fuſum torquent, cui appenſus eſt verticillus addito ponduſculo ad facilius ſe verſandum, & fila ducuntur, & volvuntur gurgillô, ſeu rhombo, ex quo glomi conglo-

merantur, ſiúntque faſciculi ſervandi in calatho, ſuóque tempore traduntur textori, qui ex glomis circa fiſtulas arundineas, aut ligneas convolutis, & in capſula per diſtinctos loculos repoſitis fila traducit per multiformem tabellam, circumvolvit ſtamen liciatorio, inſidénsque textrinæ premit pedibus alternatim inſilia; & dum licia ſe diducunt, contra hiúntque radium manu trajectat, cui pannus ineſt, & intexit ſtamini ſubtegmen, densátque adacto pectine linteum; quod fullones apricatione, ac irrigatione ſoli exponunt, ut candefiat. Utuntur filis etiam ſartrices, quæ inſtructæ qualo, forficula digitali, ulna, pulvillo, aciario, ex quo varias ſeligunt acus juxta ſuturæ conditionem, & lineo, vel etiam ſerico filo, acias conficiunt rectè, obliquè, decuſſatim, cuſpidatim, ſtellatim, reticulatim: variáque conſuunt, exornántque linteamina.

4 Laneas veſtes opifex conficit lanarius, ſeu lanifex, qui lanam impexam, rudem, illotam, & per chordam diſcutit, aſpersámque poſtea oleo carminat ſervatis villis inde defluentibus, tum in globos dat fœminis lanificis, quæ ſubtiliter, ſolertique induſtriâ nent paratam lanã, quam pannifex parat ſuper textoria machina, conficítque pannos indigenas, peregrinos, Anglicos, Hollandicos, Hiſpanicos, qui majori ſolent in pretio haberi ob mollitudinem lanæ, & diligentiam operis; intextus pannus mittitur in fullonicam, ubi à fullone injicitur in pilam, perfunditur aqua, ſtipatur pilo: hinc exemptus extenditur pannitendiô, inde in aheno vario imbuitur colore, fucatur tinctura. Dein traditur tonſori, qui ſupra menſam expanſum tondet forfice tonſoria, additque per preſſam polituram, & complicat in volumina.

5 Ad artes veſtiarias pertinent etiam Segmentarij, Sartores, Interpolatores, Patagiarij, Reticularij, Nodarij, Pileones, Coriarij Alutarij, Subactores, Pelliones, Sutores, Inauratores Corij. Segmentarius, ſeu limbolarius eſt, qui contexit ex diverſa materia, varióque colore inſtitas, limbos, ſuros, regulas, fimbrias, ſegmenta, peniculamenta, tænias, funiculos, lineas, lemniſcos: adhibét ſericum villoſum. & conficit veſtes virgatas; fimbriatas, ſoriculatas.

6 Sartor emptum pannum ad corporis dimenſionem, ejúsque partium accommodatiore forfice dividit, ulnâ priùs commenſum; tum ſciſſuras, partéſque largiore punctura nectit; partibúsque ſingulis corporis exactè adaptat; dein ope acûs, quàm digitali impellit, veſtes conficit ſtrictiùs, filo ſimplici, vel duplici cera illito, cujus extremitatem nodulo claudit. Suturas mox, plicáſque ferramento complanat preſſorio, limbúmque ſingularum extremitatum, circumſuit, vel liquefacta cerâ illinit, ne filamenta diffluant.

7 Interpolator veſtes uſu detritas, abſoletas, defloccatas invertit, interpolat, reſuítque; ſi laceræ, dehiſcentes, ac ruptæ fuerint, reſarcit, reficit, reconcinnat. Mangones Sagariam exercent, veſtes dando venum. Veſtiſpici cuſtodiunt veſtes, promunt ex arca, mundant, & ſcopula everrunt. Patagiarij patagia, ſeu collaria linea conficiunt. Reticularij filis reticulatis corporis tegumenta nexant. Nodarij globos, nodos, globulos, nodulos clavos ad connodandos, ornandáſque veſtes texunt lino, ſeta, auro, argentóve nexo. Pileones à pileis conficiendis dicti, ac fervente aqua pluries imbutis. Non tamen ſemper ex ſimplici lana pilei conſtruuntur, ſed ad majus pretium ex animalium rarioribus crinibus, cujuſmodi ſunt pilei fibrini, & ex Lutræ villo: ſubinde etiam paleis ſimul intextis, & dicuntur pilei ſtraminei, qui caput non aggravant, cum fermè nullius ſint ponderis, & à ſolari radio defendunt. Coriarij cutes, exuviáſque animalium lixivio ex pineis corticibus macerant, psilothro, ſeu ſcalpro raſorio depilant duriora coria pro ſoleis ſuppingendis calceo. Alutarius alutam molliorem conficit nonnihil criſpatam, vel etiam pellem magis elaboratam, quæ vulgò corium Cordubenſe dicitur. Pelliones ex villoſis, lanatiſque pellibus veſtes præparant pelliceas, & hiſce veſtiti vocantur pelliti. Morbidiores pelles, quæ majori habentur in pretio, ſunt pelles muris Armenij, Norici, Pontici, Moſcovitici, vel Sarmatici; muſtellæ domeſticæ, & Scythicæ, Lutrarum, felium ferinarum, cuniculorum, Cygnorum, quæ ſupra cæteras calorem excitant. Ne tamen corrumpantur, fiántque depiles excutiendæ ſunt præſertim æſtivo tempore bacillis. Sunt etiam, qui corium auro illinunt, ſeligúntque ad id pelles tenuiores, ac bene lævigatas glutino membranaceo oblitas, quibus ſuperinducuntur bracteati argenti, vel alterius metalli folia, quæ poliuntur, & jiſdem figuræ formis ligneis imprimuntur; & quadam gummitione perlitæ ſplendorem referunt auri, vel argenti.

Sutor qui & Crepidarius dicitur in ſutrina calceamenta conficit; primùm regula calcearia pedis metitur longitudinem, cui calceos conformat: mox ad chartaceam formam coriũ in ſuas partes ſuper aſſulam concidit ſcalpro ſutorio, tum ad ſcamnum inſtrumentarium conſidens ſumit annulum pollicarem, tegumen manuale, fundámque genualem, deinde alutam prææquatam in planca æquatoria, ac tentipellio tenſam, penniculóque ſetoſo exterſam, enſeque raſorio obraſam, deſtrictámque, paratiſque ſpungiâ, & atramento calceos acu ſutoria conſuit, nectitque ſuperiorem alutam cum talari, ac ſubditiria pellicula, partéſque jam conſutas adaptat muſtriculæ, ceu ligneæ formæ reſpondenti pedis dimenſionibus, adhibitis cuneolis, ac tudite. Utramque ſoleam intimam, & extimam aſſuit ſubula, & cheleumate utens priùs claviculis ad illas firmandas, quas ferrea ligula poſtea extrahit. 8

Si quæ ad varias rei veſtiariæ pertinent offi- 9

officinas velimus ad alia transferre plurimæ poſſunt ab iiſdem depromi concinnitates orationibus peraptæ. Dicimus enim non ſine oratoria venuſtate: *Eleganti.m orationem* TEXERE. *Scelera ſceleribus* INGLOMERARE. *Calumniam in alterius perniciem* ORDIRI. FILUM *inchoati ſtudij diligentor* NERE. *Oratorium ſtylum* PECTERE. *Orationem elegantiarum floribus* PHRYGIARE. *Perjodos Rhetoricis coloribus* ACU PINGERE. *Interrupta ſtudia* RESARCIRE. *Schemmatum luminibus defloccatas periodos* CONCINNARE. *Ruptum negotium* REDORDIRI. *Abſoleta vocabula* RESCINDERE. *Naves marinos* TEXERE *fluctus, nitentes portum ingredi.* DIDUCERE *in partes plures exercitum.* *Subtiliſſima acris ingenij* ACU *medullam penetrare difficultatis.* FORFICULA *diſſidij amicitiam* SCINDERE. *Diſruptas amicitias* CONSUERE. *Sordes animæ pœnitentiæ ſpongiâ lacrymis imbuta* ELUERE. *Sedulo examine* CARMINARE *conſcientiam. Vultum unguibus* CARPERE. *Hominem leviter* TINCTUM *ſcientiis.* FUCARE *Rhetoricis coloribus orationem.* TONDERE *ſuperflua in pauperum levamen.* IMPLICARE EXPLICARE *difficultatem. Sciſſuras Reipublicæ opportunis legibus* CONSUERE, REFICERE. *Argumentum proprio* ADAPTARE *ingenio.* PLICAS *exaſperati animi charitatis preſſurâ* COMPLANARE. *Ruptam amicitiam collatis beneficiis* RECONCINNARE. *Mortis* PENSUM SOLVERE. *Subditorum crumenas* TONDERE. *Lacerum inflictis vulneribus pectus balſamo* RESARCIRE. *ſeduli examinis ſcopula conſcientiam* VERRERE. Plura etiam ex veſtiariis officinis eruuntur adagia; dicimus per parœmiam. *Facilius quemque in alieno corio ludere, quàm proprio. Eundem calceum omni aptare pedi. Herculis cothurnos aptare infanti. Calceum ferre ſupra pedem. Sertum malum conſutum dolis. Pertexere eandem telam, quam quiſque orſus eſt. Rem acu tangere. Numina laneos habere pedes, tardè, & inſperatò ventre nocentibus.*

EXPENSIO XXV.

De pluribus artis ædificatoriæ officinis, ex quibus Rhetorici hauriuntur nitores.

1 CUm prima artium elementa ſint craſſiora, rerúmque initia rudiora, quæque progreſſu temporis hominum induſtria, ac ſolertiâ perpoliuntur, non ſolùm ad uberiora commoda, verùm etiam ad omnem elegantiam, oculorúmque oblectamentum; non mirum ſi primi homines ſub mundi initiis; vel dio ſub frigido, vel in ſpecubus, aut tabernaculis ex arborum fronde compactis; vel tuguriis ceſpititiis, vel arundineis caſis, ſtramineis mapaliis, atteg.iiſque cratitiis luto circumlitis habitaverint abſque alio commodo, tantùm ad tempeſtatum declinandas injurias. Poſtea ad perenniorem ædificiorum ſtructuram, majúſque habitantium commodum cæperunt terram profundiùs fodere, parietes altiùs erigere, intúsque dividere atria, periſtylia, gradationes, conclavia, thalamos, antithalamos; foris aperturas, lumina, jugamenta, ſeu feneſtrarum ſtructuras, præcinctiones, faſtigiorum acroteria, ornamenta coronarum, ſubgrundationes, projecturas; & ſingula alia membra ædificiorum ex architecturæ legibus eleganter ſtructa. Quinimò adeo in conſtruendis ædibus luxus invaluit, ut non ſolùm earundem extima facies elegantiâ picturarum ornetur; vel fuco veſtiatur politi lapidis, ut in humanum delicias rigidiſſima etiam ſaxa videantur molleſcere: verùm etiam intus cubicula in proſpectu diſponuntur, ut ad nutum oculorum omnia ſimul appareant, præſtóque ſint intuentibus, exhibeántque ſumma laquearia. citrô, & ebore curiosè cavata; parietes aulæis acu pictis contectos; fornices argento, vel etiam aureo cælamine obductos; pavimenta lapide pretioſo cæſim diminuto in plura picturæ genera diſcriminatim variata; ut ſpeciem potius, quàm uſum præbeant, occupentúque majorê ſui parte ab oculis, quàm pedibus; marmoris pretioſiores maculæ ibi ſplendent, eruuntúrque ex intimioribus terræ viſceribus, ut neque apud Manes à m nibus videantur tuta foſſorum: omnia ſupernè ſplendent auro illita, vel picturis contecta, ut ſingulæ domûs partes proprio ſplendore coruſcent. 2

Quòd ſi Principum velimus palatia ingredi; hæc in modum integræ urbis longè, latéque diffuſa, & in ſublime protenſa totum Architectonicæ exhauriunt ſtudium. Patet prothyrum viam inter, & ædes interjectum; & per ampliſſimum oſtium polito marmore ſplendeſcens ingredimur periſtylium utrinque columnis clauſum, ac ſeptum, quibus porticus ſuſtentantur, quæ ad cubicula verna, & æſtiva viam aperiunt; ubi omnia ſplendent auro illita, coruſcant ornata lapillis pellucidis, videmus tabulas eò pretioſiores, quò illas arboris infelicitas in plures nodos retorſit: ſplendent chriſtallina vaſa, quibus fragilitas pretiû fecit; pendent è parietibus periſtromata ingenioſiſſima acu picta, auro, gemmiſque intexta, quibus vel ipſi lapides, & muri ad ſummam veſtiuntur pretioſitatem.

Ut autem ædificia, ac eorundem partes 3 diſtinctiùs percurramus: duplicis ſunt ædificia generis; publica, & privata; illa ſunt civitates, mœnia, quibus cinguntur; propugnacula, & turres, quibus muniuntur; portæ, templa, porticus, fora, plateæ, theatra, carceres, curia, ærarium, armamentarium, noſocomia, fontes, putei, aquæductus, Xyſti, Xenodochia, ambulationes, & alia id genus publico inſervientia civium commodo. privata ſunt, quæ uſui adaptantur privatæ perſonæ, ut ſunt tuguria, mapalia, caſæ ruſticæ, domus, & in iſtis atria, triclinia, œci, pinacothecæ, cubicula, horrea, torcularia, ſtabula, granaria, apothecæ, fœnilia.

Conſtruuntur domus ex lapidibus, gy- 4 pſo, calce, lateribus, arena, ferro; Lapides, vel eruuntur ligone à lapidario, aut effringuntur vectibus, aut diſrumpuntur nitrato pulve-

re in lapidicinis, ſeu latomijs; congeſtos lapides Latomius cœlô, & tudite præparat, & conquadrat, ut rectè aptentur ſtructuræ. Ubi verò ſaxa deſunt ædificijs conſtruendis, idonea coquuntur in fornace à laterarijs lateres compacti ex luto, vel limo; qui priùs exiccantur in lateraria, & vocantur lapides coctiles. Arena, quæ in cœmentitia adhibetur ædificatione, eſt quadruplex; foſſitia, quæ in arenario foditur; fluviatica, quæ è ripis defertur fluminum; marina, quæ è maris litore; & ſecreta, quæ ex veteri rudere per crates, & gerras trajecta ſecernitur, congeritúrqoe: quæ verò eſt cæteris craſſior vocatur ſabulum. Calx fit ex ſaxo albo lævigato, aut ſilice per Calcarios in fornace cocto Ovid. 7. Metamorph. *Aut ubi tertena ſilices fornace ſoluti*, Calx dicitur viva, quandò nondum eſt aquis reſtricta. Gypſus parari ſolet ex albicante lapide mediocriter uſto, & per cribrum ſecernitur. Ligna cæduntur tempore hiberno lunâ decreſcente, ne fiant carioſa, aut obnoxia teredini.

Ad fabrum lignarium plura pertinent in-
5 ſtrumenta fabrilia; ut ſecures, aſciæ, terebræ, norma. Pro ædificijs firmat lignum ferreis anſis ſuper canterios, & amuſſi illatâ rubrica illud lineat; & per intervalla ſecuri incidit, poſtea, aſciâ exaſciat, dolat, edolátque in longum, & latum crenas, incidítque foramina pro juncturis; aſciâ trabem in formam canalis excavat. Serra majore trabes diſſecat ſcobe decidente; Terebra terebrat, clavos impingit; diſtortè impactos diſpellit forcipe.

Faber cœmentarius aperto, jactóque fun-
6 damento quod in ſolo humido, vel etiam aquoſo, ut Venetijs palis alneis ſubſtruitur; parietes primarios medios intergerinos extruit, qui aliquando fiunt ex lapide ſolido, nonnunquam ex inſertis cratibus, aut tignis. In parietibus ſtruendis Cœmentarius coria, ſeu ordines laterum ducit, ac firmat, accuratèq; ut omnes coriorũ ordines æquali conſtruantur craſſitudine, quod opus vocatur Iſodomum: mox conclavia concamerat teſtudine, ſeu fornice; dein truliſſat, ſeu truliâ obducit, & loricationem inducit: fitque loricatio ex arenato, ſeu ſubacta calce; ut incruſtatio ex ſectis marmoreis cruſtis; & & tunc muri dicuntur veſtiri marmore; ex gypſo varias effingit figuras, coronas, corymbos, lemniſcos, trophæa, figuras hominum, & animalium, & ſingula dealbat peniculo tectorio; pavimenta ruderat ex recente, vel vetere rudere, aut opere ſignino è tuſis teſtis, adjecta calce; aut lateres ponit in latus ſtantes, & dicitur opus reticulatum, quod eſt varium, teſſelatum, ſegmentatum, ſcalpturatum, muſivum, ſeu vermiculatum, lithoſtrotum, aſarotum pictum figuris.

Architectus diagraphices, ſeu delinea-
7 tionis haud imperitus, gnarus Architectonicos, director eſt totius ædificij, ejúſque munus eſt dirigere ſtructionem juxta præconceptum exemplar, vel etiam delineatum, quod *Ichnographia* vocatur, ut ſingulæ ſubſtructiones eidem reſpondeant. Quòd ſi delineatio exhibeat erectam ædificij frontem, tectúmque cum parietibus dicitur *ſcenographia*, ſin verò expreſsè totum ædificium vocatur *Iconiſmus*. Præcipuum, quod in re Architectonica notatur, eſt *Erythmia* ſcilicet convenientia ſingularum partium, & commodus aſpectus; *Symmetria* ſita in venuſta totius operis proportione; eſt *Decor*, ſeu concinna, & elegans partium ſingularum diſtributio. Quamobrem omnia ſunt diligenter examinanda, vel ad normam explorantem angulos, vel ad perpendiculum, quo indicatur recta ſtructuræ altitudo ſurgens abſque ulla declinatione, vel ad regulam dirigentem latitudinem; idq; perinde eſt ac ad amuſſim opus conſtruere. Domus profundè fundata ad perenniorem firmitatem, uberiorémque elegantiam fulcitur etiam columnis, ne muri vacillent.

Columnarum genera potiora quatuor 8
ſunt. Prima eſt columna Tuſcana, quæ craſſitudine cæteras excedit, adeò ut ejus craſſities ſeptimam in altitudine obtineat partem, & decimam quartam baſis. Secunda eſt Dorica, cujus craſſitudo ſextam partem complectitur altitudinis, capitulo porrectiore, & ſculpturæ cælarioris. Tertia Jonica novies longior, quàm craſſior, in baſi decimam octavam longitudinis partem includit ſimpliciore capitello, extantibus utrinq; cornib⁹ arietinis in anfractũ convolutis. Quarta Corinthia cæteris gracilior, altitudine novem partibus ſuperans ambitum, cujus baſis vigeſima conſtat parte; epiſtylium, quod ſupra columnam ponitur criſpatæ herbæ acanthi, aut helicis refert folia, quæ in medio ſurrecta, in margine turbinatim inflectuntur. Huſce quatuor columnarum ſpeciebus additur quinta, quæ compoſita dicitur, eò quia componatur ex ornamentis cæterarum: huic additur ſexta, quæ vocatur Gothica nata ex aliarum erroribus, & hæc poſtrema cùm non multum habeat elegantiæ vix eſt in uſu. Partes columnæ principaliores ſunt tres: faſtigium, columna, ſtylobata, quarum quælibet in tres alias ſubdividitur partes. Faſtigium in coronam, Zophorum, & Epiſtylium. Columna in capitellum, ſcapum, & baſim. ſtylobates, ſeu baſis ſuppoſita columnæ, cuj innititur ſcapus partitur in ſupercilium, ſtelam, ſeu pilam, & pedem. Supremæ columnæ ornamenta ſunt corona, projectura, præcinctio, echini, tiniæ, ſupercilia, cingula, prominentiæ teretes, Abacus, ſima, regula, Cymatium, denticulæ guttæ inverſi turbinis ſpeciem referentes, metopæ, ſeu Zophori intervalla, in quibus variæ pinguntur figuræ, vel inſculpuntur, ut faſciæ, lemniſci, vittata taurorum capita, florum, frondiúmque implexi corymbi, aſtragali in rotundas, aut oblungas baccas diſtincti, flexuræ foliorum ſupinatæ. In ſcapo pars ſuperior dicitur collum, ſeu hypoſrachelium; & qua parte craſſitie decreſcit, dicitur apophygis, columnæ ſcapus, vel eſt teres, vel quadrangulus, ſi teres vel eſt lævis, vel ſtrijs, & ſtrigibus, ſeu canaliculis rectis, vel obliquis ſulcatus, & ſtriatus; ſtria eſt eminula, ſtrix cava: vel ſcapus eſt intor-

tus

tus cum vite circum ſcanſili: aut alijs folijs, & frondibus flexuoſus. Scapus ſuæ nititur baſi, quæ ſpira dicitur, quam eingunt toruli ſive torques, inter quos interjectæ cavitates dicuntur ſcotiæ, quibus ſubjicitur Plinthus formam exhibens quadrati laterculi. Partes infimæ ſunt fulcimentum, ſeu ſtylobates, pes cum ſubſtrato abaco, ſeu Plintho, in quibus omnibus varij excurrunt ornatus.

9 Partes ad totam domum pertinentes ſunt area, ſeu ſolum, fundamentum, parietes, extima ædium facies, ſeu frons, & frontiſpicium, janua, quæ ut plurimum eſt arcuata, & biforis; utrinque habentur poſtes, ſeu antæ, quarum ornamenta ſunt antepagmenta, prothyrides, ſeu ancones, in altero poſtium ſunt cardines, è quibus pendent fores facilè mobiles, ut aperiantur, claudantúrque; in altero ſunt clauſtra, nimirum vel ſimplex claudens peſſulus indendus foramini poſtis, aut vectis remiſſarius, ſeu repagulum, vel obex obdendus cincinato clavo poſti infigendo. Per oſtium ad primas ædes ingredimur, ſeu in cavedium; mox in atrium, ſeu hypæthrum, ubi eſt pavimentum ſubdiale, impluviúmque, inde patet acceſſus in conclavia; quòd ſi domus fuerit diſtega, triſtega, vel tetraſtega, ſeu habuerit binas, ternas, aut quaternas contignationes; aſcendimus ad ſuperiora ambulacra per ſcalas, quæ variè conſtrui ſolent, ſunt enim vel rectæ, vel poſt gradus aliquot areolis interceptæ, vel cochlides, ſeu in gyrum aſcenſiles circum ſcapum unde librantur, ad ſuperius cum devenerimus ambulacrum, patet aditus ad aulam, vel porticum pluribus patentem feneſtris immittentibus lumen rectum, vel obliquum; ſuntque vel arcuatæ, vel quadrangulæ projecturis ornatæ, cum vitreis alis, ac reductilibus valvulis, quas ſubſcudes ligneæ ferreis munitæ laminis includunt, obicéſque affixi firmant; inde progredimur ad conclavia anteriora, interiora, ſecreta, cubicula, repoſitoria pretioſæ ſupellectilis, zetas, veſtiaria, horrea, ſubtegulaneum tabulatum, ſpeculam voluptariam, podia, turres, cellam vinariam, lignariam, panariam, penuariam, piſtrinam, cenaculum, coquinam, ſtabulum, tectum, cujus apertiones vocantur impluvia, podium penſile menjanum.

10 Ex prærecenſitis ædificatorijs artibus plura depromuntur ornandæ orationi accommodata; ſiquidem eleganter dicimus: EXASCIARE *ingenij ruditatem.* DEDOLARE *morum aſperitatem. Non ex quovis* LIGNO *vel* LAPIDE *Mercurij ſtatuam* CONSTRUI. DOMICILIUM *tutiſſimum omnes habere ſi ſecum velint* HABITARE. *Fortunam rebus humanis immixtam perinde ac fluxis, ac labentibus* FUNDATAM, FIRMAM *non eſſe. Regna* VACILLARE, *quæ ſua laborant magnitudine. Voluptates in animæ perniciem* ARCHITECTARI. *Dolos in adverſarios* MACHINARI. *Artem arte* DELUDERE. CONSTRUERE *ſibi repetitis iniquitatibus* CARCEREM, & PATIBULUM. *Vim vi, clavum clavo* PELLERE AD *rationis* AMUSSIM *proprias* COMPONERE *operationes.* LABENTEM DOMUM *novo conjugio* RESTAURARE. *Illuſtrem domum virtutum nitoribus* SUBSTRUERE. *Initâ pace publicam* FUNDARE *quietem. Ingens opus* AD CORONIDEM *tandem perducere. Eum* OFFICERE *alterius* LUMINIBUS, *qui ejuſdem obſtat honori. Viro improbo ad nequitiam ſemper* FENESTRAM *eſſe* APERTAM. *Vitæ gloriam illuſtri morte* FASTIGIARE. COLOPHONEM *addere operi*, ſeu ſummam alicui rei manum imponere: SARTA TECTA *in rebus publicis miniſtrandis probè curare*; ſeu res publicas diligenter agere, ac ſervare. LÆVIGARE, *quæ inſurgunt difficultates.* DISSECARE *amicitiam. Duritiem cordis vera compunctione* TEREBRARE. ASCIARE *cultiori elegantia orationem. Periodos ſelectiori latinitate* DOLARE. SEGMENTA LEGERE *neglecta tabula*: id eſt leviora ab Authoribus depromere, & omittere meliora. CLAVUM IMPINGERE *rotæ fortunæ arridentis.* *Ferrum* MALLEARE *dum adhuc candet*, eſt bene uti occaſione, quoties hæc ſe offert. FACERE *firmum in negotio peragendo* FUNDAMENTUM. EXSTRUERE *ſibi fortunam ingenio, & virtute: Orationem* VERMICULARE *figuris, Elegantiarum* LEMNISCIS ORNARE *periodos. Simulata pietate vitium* DEALBARE. SECTO MARMORE *templi veſtire nuditates.* DEDOLARE *aſſulatim viſcera* apud Plautum. *Mores dirigere* AD LIBELLAM *rectæ rationis. In arena* ÆDIFICARE, eſt operam perdere. *Regna* VACILLARE, *niſi optimis legibus* FULCIANTUR. *Diſſidentes animos* AGGLUTINARE; ſeu reconciliare.

EXPENSIO XXVI.

De Rhetoricis ornamentis depromendis ex Artibus Argillaceorum, vitreorum, ac metallicorum, utenſilium.

Luſtravimus hactenus partes ſingulas peramplæ domûs; ſupereſt, ut in ejus utenſilia oculos curſim injiciamus, quæ non minus domui, quàm orationi, ſi rectè adhibeantur, eſſe poſſunt uſui, & ornamento: Utenſilia præcipua ſunt, quæ coquinam implent. A figulo in officina figulina ex Argilla effoſſa, virgâ ferreâ ſubacta, rotâque circumacta finguntur ollæ, ollulæ, & plura id generis fictilia; teſtacea, ut ſimia vaſa, cujuſmodi ſunt, urceus, urceolus, fidelia, ſitella, poterium, pocillis, Samiolum, bombylius, hydria, ſiphunculata lagena apta ſuctui, ampulla, cullulus, capedo, patinæ, ſcutella, ſeriæ, catini. Ex hiſce vaſis figulinis aliqua ſunt amphora, ſeu utrinque anſata, quæ figularius faber excoquit in clibano, incruſtâtque lithargyro; vel ſemicocta eximit è furno, & pro incruſtationis temperamento vario tingit, pingítque colore; & ite-

iterum igni admovet percoquenda, ſuntque illa mur. hina vaſa, quæ vario colore præterim candido ſplendent. Eadem arte turriculas conficit teſtaceas hypocauſtis calefaciendis contra rigentem hyemem peridoneas, in quas per propigneum ligna diſcuneata, fiſſa, ſciſſa, ſecta immittuntur furcâ fornicaria, & rutabulo ſtimulante. Plaſten etiam tunc dicitur figulus agere, cùm argillacea ſimulacra effingit, & excoquit ad contrahendam duritiem.

8 Fuſor vitriarius ex arena, cinere, ſale intenſiſſimo liquatis igne in officina vitriaria perflatu ferrei tubi format varia vitreamina ſeu hyalina vaſa, & etiam vitra ſpecularia ad feneſtras ſplendide claudendas, quorum alia ſunt orbiculata, vel quadrata, vel hexagona; & alia alijs craſſiora, & denſiora; alia alijs lucidiora, magiſque diaphana, ac nitore cryſtallino magis perſpicua; ut autem aptentur plumbeis orbiculis Faber vitriarius adamantis acumine, vel ſmiride ea per marginem diſcindit. Encauſtices peritus hæc eadem vitra varijs pingit coloribus, ac figuris, utrùrque encauſto. Faber ocularius manu, vel torno vitra terit ſuper arenam in concavo, vel convexo modulo, ſeu metallica ſcutella; deinde polit tritu terræ, conficitque ſpecilla ocularia, conſpicilia, tubos opticos, microſcopia, quibus puſilla grandeſcunt intuentibus: & teleſcopia; quibus videmus diſſita, ut propinqua. Faber ſpeculatius conficit ſpecula minora, majora ſphærica, cava, Cylindrica, uſtoria, oblonga, quadrata, hexagona ex vitro lævi, ac perpolito opacato à tergo ſtannea bracteola. Efformat etiam vitra trigona, priſmata, quæ res ſimplices varijs pictas, atque oblitas coloribus exhibent, ut etiam iridem in aëre. Vitra polygona ſunt, quæ multiplicant objecta. Ex vitrea materia conflant r etiam gemmæ adulterinæ non abſque ſpecioſo oculorum ludibrio. Artifices Chriſtallum variè figurant in pocula, candelabra, vaſa exemptilia tornando Cryſtallum.

8 Metallarij intima ſcrutantur telluris viſcera, quæ ab hominis avaritia ferro dilacerantur, ut è diſſectis terræ venis aurum extrahatur, quod ſecundus dicitur hominis ſanguis. Foſſores fodinas ingrediuntur intecti bardocucullo, & perizomate cum acceuſa laterna; cùm primùm metallicæ ipſis venæ occurrunt, cuneos impingunt, decutiùntque fruſta, quæ foras aſportantur, conſignanda diſcretiori, qui purum ſecernit ab impuro: abjectiſque ſaxeis impuritatibus; reliquum purgat in chryſophyſo, deſertúrque in uſtrinas liquefaciendum, ut metallum à ſcorijs profluat defœcatum. Quia verò plerumque eſt argentum auro intermixtum ſeperantur hæc duo metalla Chryſulsâ, ſeu aqua ſecretoria, quæ vulgò dicitur aqua fortis; & unum quodque purum, putúmque funditur iterum in bacillos, vel tabellas.

Faber ferrarius horis antelucanis ad opus ſe confert fabrile; ſubvectos in officinam ferrariam carbones infundit uſtrinæ, accenditque, folles inflando, ut ſuſceptam in carbones compreſſu efflent auram, ignem excitent, animéntque carbones ignitas in prunas; quibus faber metalla infert, donec candefiant; quæ poſtea in lacu frigefacit, iterúmque ignefacit, donec emollita, forcipibus eximit, & exempta cudit, ſuper incude malleis, quos plures ex officina elevatis, reductiſque brachijs librant, cudúntque harmonico pulſu metallum, diſſilientibus utrinque ſtricturis. Rurſus faber ferrarius metalla cuſa lentat in laminas, variàſque flectit in formas, efficitque plurima utenſilia, ac ferramenta, quæ ubi opus fuerit, indurat ſtomomate, ſeu chalybe.

5 Faber equarius veterinariæ peritus pluribus utitur inſtrumentis in calceandis, curandiſque equis, ſcilicet ſoleis ferreis, forcipibus, novacul s, ferramentis inciſorijs ad ungulas equinas excavandas; cavet tamen ne in ferreis figendis ſoleis, ac clavo ſiniſtrè impacto equi ungulæ exulcerentur. Equos frœni impatientes, & recalcitrantes arctat ligneo in repagulo. Ad eundem pertinent rotas curules ferreis munire laminis, háſque clavis rotarijs firmare. Ferrum diducere in catenatos orbes, catenas conſtruere. Ad fabrum ſerarium ſpectat, clauſtra ferrea fabricare, ac ſeras, quarum interiora ductilibus per inſertam clavem lamellis trahuntur. Clavis pars anterior dicitur *projectum* ſulcatim pectuſum, perque oppoſitos intra ſeram denticulos, ac rotulas verſabile ejus circumactu peſſulus ducitur, reducitúrque: pars media eſt tubulus, qui infigitur ſpinæ ferreæ, & detrahitur; pars clavis poſterior eſt anſa.

6 Faber cultarius, ſeu gladiarius, cultros efficit omnis generis coquinarios, menſarios, in manubrium reductiles, clunabula, parazonia, machæras, falculas ancipites, vel cum dorſo, frameas rhomphæas, gladios ferientes punctim, cæſim. Gladij partes ſunt *capulus*, quo tenetur præmunitus obicibus ad excipiendos ictus; *lamina* quæ tunc cenſetur probè elaborata, ſi è flexu in rectum redeat, nulla ſuperſtite obliquitate: *acies*, ſeu *mucro*, *vagina* præferrata, ſeu bulla infernè præmunita, è qua evaginatur, educitur, & in quam reconditur. Cultros Samiator, ſeu cotiarius ſamiat, & exacuit, lævigat, expolit cote aquaria, rotatili, quam pede altero premendo in gyros agit, & denticulos exterit, æquátque; ſi acies denticulata fuerit, ſeu aſperata plagis; acuit verò ſi acies fuerit retuſa, hebes, obtuſa; extergit, polit, refricat politurâ ad nitorem, ſi rubiginem, æruginem contraxerit.

7 Faber Minutiarius conficit acus ferreas, æneáſque ſpinas, Spinulas, cuſpidulas nodatas, uncinulas, hamulos, fibulas. Faber æris minutioris fabrefacit ſtapedes, lupata, frontalia, poſtomides, fiſcellas pro equis. Item forficulas, forcipes, ſerras, ſerrulas, terebras, limas, emunctoria, candelabra, nolulas, malleolus, ſeculas, circinos, clavos capitatos, umbel-

bellatos, bullatos, quibus portæ, & ſellæ configuntur; alióſque omnis generis.

8 Faber tormentarius conflat ære liquato tormenta bellica, ferreos tubos, & fiſtulas, ſeratas, rotatas, ſtriatas, ſcopicas venatorias; ſclopos, ſclopeta, cum catulo, lapide igniario, ſcutula, clavi, rotula, ligula, virga ſtipatoria, quâ fartum in ſclopeto inculcatur; & ſphœroſpatica, ſeu hameta, quâ tubus intus extergitur, purgatur; vel etiam plumbea glans retrahitur: pinna ſeu, ſeu dioptra, eſtque utrúmque collineationis punctum imum, & ſupremum.

9 Thoracopæus faber è ferro ductili ſabrefacit cataphractas armaturas, quarum partes ſunt lorica, pectorale, dorſuale, thorax, vel ferreus, vel chalybeus, aut æneus, hamis, anulis, catenulis, lamellis, ſquamis conſertus, commiſsúiſque, ocreæ ferreæ, chirothecæ, bumerale, caſſis cum apice. Item fabricat clypeos, peltas, cetras, quarum eminentior pars eſt umbo. Item arcus, ſagittas, ſpicula, & tela omnia miſſilia.

10 Faber ærarius è ductili cupro cudit, & marculo tiligineo lævigat, æramenta, efficitque lebetes, cacabos, ſartagines, cortinas, pelluvia, malluvia, pelues: vel etiam ex ſtanno, & plumbo unà commiſtis vaſa eſcaria illinit, ne ciborum ſapor vitium ex ſolo ductili cupro contrahat, & corrumpatur. Fuſor, ſeu Flator æris dicitur orichalcarius; eò quia ex orichalco, ſeu ære caldario æra campana conflat piſtillô ferreo pulſatilia in contignatione librata; pari pacto conficit campanulas, notulas, tintinnabula; & alia id genus plura, quæ fuſili ex ære conflantur, ut tormenta bellica majora, minora; quæ vi nitrati ac ſulphurei pulveris inſertos, fartóſque ex bellica arte globos, catenas, aliáque obturamenta fulminis inſtar eluctantibus flammis non abſque horrendo fragore emittunt. Plurimum terroris incutiunt hæc tormenta curulia, quæ per æqua pariter, & iniqua loca trahuntur ad urbium mœnia diſrumpenda, ſolóque æquanda. Videntur hi tubi ex ære fuſili fabrefacti, & æqualiter teretes fulmen imitari, cum è nube emicat, intra cujus ſinum cogi non poteſt; nube ſiquidem disfracta, colliſóque aëre aures horrendo fragore percellit, ædificia ipſa quatit tremula commotione.

11 Idem obtingit tormento bellico, quod fulmen propterea vel æmulatur, vel etiam vincit. Intruſus enim nitroſus, ac ſulphureus pulvis in tormentalem machinam; & ferreâ glande obductâ, admoto ab ima parte extrinſecùs igne illicò intus accenditur, majúſque quam centuplum ſpatium occupat, cúmque in arcto ſit, magno impetu machinam primum concutit; tum non aliunde accenſus nitratus pulvis faciliorem nactus exitum, quàm ubi concluſa glans eſt; eam ingenti vi, totóque impetu elidit per tubi arctum ſpatium; inde eadem vi foras erumpit, & omnia exteriora proxima quodam miſcentur tumultu, ex repentina aëris diverberatione. Variæ ſunt hæ fulminatrices machinæ; quædam ſunt manuariæ, & breviorea ſclopi, rotæ circumactu globum impellentes: quædam majores, quæ à militibus ſuper furcillis librantur igniario exonerandæ funiculo: quædam ſunt duplo, aut triplô majores illis, vocantúrque tormenta campeſtria, ſeu caſtrenſia: alia ſunt tormenta bellica, quæ æquali tubo humani capitis magnitudine ferream emittunt glandem: alia ſunt muralia, ſeu obſidionalia tormenta in longum ſex cubitos amplectentia, & glandem ferream ſexaginta librarum emittentia: aliæ fulminales machinæ dicuntur colubrinæ ſesquî altera parte longiores, anguſtiore tamen fiſtula, glandémque extrudunt minorem, ſed in longiori diſtantia. Mortaria ampla capacitate ſerviunt ad pilas granatas varijs fartas ferramentis procul ejiciendas.

12 Cantharius, ſeu ſtannarius faber vaſa fundit ſtannea, cantharos, ſcyphos, patinas, gabaras, paropſides, diſcos, ſalina, lagenas, malluvia, & id genus alia; quæ ſi ſphœricam referant figuram, torno perpolit rotatili; ſi angulosa, taſurâ, ſeu ferramentis polit raſorijs, fricátque ſtanno cinefacto. Faber Bractearius ex ſubtilioribus lamellis, ſeu bracteis æneis, vel ferreis ſtanno incoctis pleraque concinnat vaſa, ſiphones, lampades, radulas, laternas cum corneis, aut vitreis valvulis, aut fiſſilibus de ſelenite bracteolis, relicto oſtiolo pro inſerenda, vel eximenda lucerna. Conficit etiam bracteas aureas, & argenteas crepitantes. Qui verò metalla in ſubtilia attenuant fila, quadratam metalli lamellam, vel fruſtum repetiti mallei pulſu attenuant, acuminántque anterius, & inſerunt modulo ferreo multifori, & per ejus multiplicata foramina laxiora, & anguſtiora tamdiu attenuatam impellunt lamellam, donec in teretes virgulas craſſiores formetur: has poſtea per alium modulum arctiùs ſtringendo trahuntur à laro tractorio ſuper ſcamnum extento & circa axem circumactu decuſſati manubij; donec per alia anguſtiora foramina in ſubtiliſſima diducantur fila. Sin autem hæc fila fuerint ex auro, vel argento neto, ſeu textili, filatim ſerico circumvolvuntur, ſicque adhibetur ad texendum vel acu pigendum.

13 Aurifex, ut etiam faber argentarius præ cæteris neceſſe eſt, artem calleat examinandi, probandique metalla ad lapidem Lydium, ſeu coticulam, & etiam eadem in catillo liquefaciendi, ac ſecernendi; dein purificandi, ut fiat aurum obryzum purum putum: ut etiam per catinum triangulum infundendi ut in modulo figuram ſuſcipiat; vel etiam malleandi, procudendi, cælandi, incoquendi, glutinandi chryſitide, & argyritide; poliendi chalybea lingula: inurendi, pingendique encauſtico, ſeu incoctili emblemate. Iconem formaturus impingit, aurum, vel argentum juxta typum æri fuſili impreſſum; & in deſtinatam figuram excudit, ex extundit, vel in modulo gypſeo vel plumbeo fuſione figurat, ſtyliſque ferreis teretibus, latiuſculis, effigiat in partes depreſ-

ſiores, vel prominentiores, lævárque varijs ductibus lineamenta, & parerga diſcriminando.

14 Vaſa facturus in lamellas malleatum extenuat metallum, quod in varias flectit formas; ſtylóque peracuto in diverſos angulos mucrunato punctim, tractímque fodit, vel terebra attractu funiculi inſtar ſurrecti tomi, agitabili forat. Nitorem metallis conciliat cremore vinaceo uſto cum ſale lixando, & perfricando; vel cum ſolo ſale, & frigida perluendo, & ſcopula è filis æneis colligata defricando. Pertinet etiam ad peritum aurificem vaſa anaglypha, ſeu anaglyphata ſculpturis eminentibus aſpera effingere aurea, argentea, ut etiam opera ſigillaria, emblemata, ſcyphos ſigillatos, operculatos, annulos ſignatorios, ſigillares, gemmatos, dactylia, condalia, phiolas, pateras, monilia, armillas, & totum pretioſum muliebrem mundum. Faber gemmarius lapillos pretioſos à ſpurijs diſtinguit, ut etiam à factitijs, adulterinis, ſubdititijs, idque ex pondere, duritie, ac nitore, à quo omnis exulat macula; omnis abeſt nubecula, margaritas etiam uniones, baccas, earúmque elenchos, æſtimat, dátque venum.

15 Monetarius nummorum cuſor pecunias in officina monetaria cudit. Metallum aureum, vel argenteum in laminam attenuat, extenditque æquali utrinque craſſitie; idque ut plurimum duos inter volgiolos rotâ aquariâ impulſos, vi quorum premitur metallum, & æqualiter dilatatur in laminam; ſicque laminatum circumactu preſſorij ferramenti in nummos majores; vel minores pro ratione laminæ reſcinditur; typóque formatur, ſeu ſignatur. Alchimiſta eſt, qui ex metallis ſequioribus quærit aurum efficere, denominatur ab Alchimia, quæ idem eſt ac infuſio, & auri, argentíque præparatio. Alchimiſta græcè dicitur Chryſopœjus. Totum hujus artis ſtudium nititur ex viliore metallo ſemen extrahere, & ex illo unà cum ſulphure metallico, & Mercurio ſimul permiſtis conficere pulverem, ſeu tincturam, quæ tinctuin metallum in aurum convertat, ex qua arte plus fumi hauritur, quàm lucri.

16 In prærecenſitis artibus, & officinis plura nundinatur Rhetor ornamenta orationis; dicimus enim concinnè. VITREA *eſt mundi fortuna, cum* SPLENDET, FRANGITUR. AUREA *patientiá cælum* EMIMUS. *Vir fortis adverſantis fortunæ telis* FERREUM *objicit pectus. In* USTRINA *veræ contritionis conſcientiam* PURGARE. DEFOECATA *à quovis terreno affectu exhibere Deo noſtra deſideria.* IN USTRINA *divini amoris* SCORIAM *exuere amoris proprij.* *Contractam ingenij* ÆRUGINEM *exercitijs litterarum* ABSTERGERE. *Memoriam* ÆRUGINOSAM REFRICARE *ejuſdem culturâ.* LIMARE *magiſque* POLIRE *orationem.* E FLEXU *vitiorum* AD RECTUM *reſipiſcentiæ iterum redire.* AUREA *clavis omnem aperit januam. Aurum eſt* CLAVIS *adulterina ubique locorum januas* RESERANS. *Victûs, potúsque ſobrietatate* EXACUERE *ingenium. Aquaria ſobrietatis cote obtuſam, ac hebetatam* EXACUIMUS *mentis aciem. Dioptra recti judicij* COLLINEARE *in verum. Profuſis pecunijs* ARIETARE *pudicitiam. Verborum ſuco* BRACTEARE *patratum ſcelus.* Scilicet excuſare. *Iraſcenti animo* IGNIARIUM FUNEM ADMOVERE. *Opinio hæc lydio indiget* AFFRICTU. Scilicet examine, eò quia non videatur tuta. *Dolare orationis perjodos. Ad tædium idem procudere argumentum. Maßam adhuc calentem* TUNDERE. *Diſſidentia Principum capita mutuis fœderibus* AGGLUTINARE. AFFABRE *negotium abſolvere. Levioribus armis* PROLUDERE. *Cupiditatibus recalcitrantibus* FROENA *injicere. Elegantiarum phaleris orationem* VESTIRE. *Aureis machinis* SOLO ÆQUARE *juſtitiam. Fraudum cuniculis* EXPUGNARE *alienam innocentiam.* Per modum Parœmiæ etiam concinnè dicimus. *Figulus figulum odit* de contribulium invidia. De mala itidem cohærentia narratorum habetur illud Horatij. *Amphora cœpit- Inſtitui, currente rota, cur urceus exit?* De primæva educatione etiam eſt illud Venuſini Poëtæ. *Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem teſta diu.* De duobus confligtantibus cum proprio damno per parœmiam dicimus: *Teſta colliſa teſtæ utraque frangitur.* Quòd ſine labore non acquiritur ſcientia. *Lutum luto purgare*, torquetur in ſordidum alienas ſordes extergentem. *Væ tibi, væ nigræ dicebat cacabus ollæ*, Torquetur in duos ſicophantas ſe invicem ſceleris redarguentes. *Ex tripode venire*, quaſi ex oraculo veritatis. *Aureis compedibus illaqueari* eſt ſplendidè ſervire. *Faber geſtat compedes, quas fecit*, torquetur in eum, qui flagellum paravit, quo vapulat. *Redditur incudi*, eſt mutare, ac corrigere opus non bene abſolutum. *Deſuit Poëtæ lima*; quia carmina compoſuit rudia, non ſatis terſa, & polita. *Addenda eſt lima huic perjodo*, nempe caſtiganda, ſeu corrigenda eſt, magiſque expolienda. *Decies ad limam, ſemel ad linguam:* hoc eſt verba priusquam ſemel proferantur, pluries debent examinari. *Eandem ſemper tundere incudem* dicitur de improbo, aſſiduóque labore in aliquo opere ad colophonem producendo. *Torqueri inter malleum, & incudem*, eſt utrinque premi malo. *In acie eſſe novaculæ*, eſt in ſummo verſari diſcrimine. *Novaculam in cutem incidere*, illi obviare, in quem quis non vellet offendere. *Tuo te jugulabo gladio*, eſt adverſarium proprijs ſuis convincere argumentis. *Ferrum, dum calet, tundendum* ſcilicet occaſione debemus uti, cùm hæc ſe nobis exhibet. *Malleare innocentem* eſt ipſi adferre moleſtias. *Malleare aures*, eſt ingrata, & obſona canere, vel recitare.

Malleatores finguntur fuiſſe Cyclopes in 17
fuliginoſa Vulcani officina, quàm Virgilius, aurea deſcripſit hypothipoſi, & præſertim Cylopes, canens

Brontéſque, Steropéſque, & nudus membra Pyracmon

—— Alij ventoſis follibus auras
Accipiunt, reddúntque: alij ſtridentia tingunt.
Æra lacu: gemit impoſitis incudibus Ætna.

Animat Poëta inſtrumenta, totámque Ætneam officinam.

EX-

EXPENSIO XXVII.

De Pleríſque alijs Mechanicis artibus, ac officinis, in quibus Orator Rhetoricæ nundinatur ornamenta.

1 VT à rudioribus ad artes progrediamur nobiliores, initium dabimus ab arte Viminaria, cujus artifex Cophinopæus, vel Viminarius dictus ex viminibus dedecorticatis, atque exalburnatis ſirpat, implicátque corbes, calathos, corbulas, ſportas, cophinos, calathiſcos, quaſillos, caniſtra, ſurpiculos, caniſtella, fiſcinas, fiſcellas ex juncis, vel virgis intextas, vehéſque ſirpeas ruſticorum; & pleráque alia utenſilia ex vimine, vel alio virgulto lento, & flexili compacto, de quibus Pexenſelder in Apparatu eruditionis.

2 Cribrarius ex aſſulis flexilibus, politis texit cribra, incernicula, capiſteria; ut etiam reticula ex juncis unà intextis, vel ex ſetis equinis, ut ſunt cribra excuſſoria, pollinaria, ruderaria. Vel etiam ex pellibus ſuillis conficit cribrum crebris pertuſum foraminibus ad purganda frumenta. Capſarius ex aſſerculis, ſeu lamellis ſectilibus, ligneíſque bracteis opere teſſellato componit Scriniula, ciſtulas, capſulas, ciſtellas varias induentes figuras. Doliator cultris vietorijs conficit vaſa doliaria circumvinciens aſſulas virgis colurnis, ligánſque vimine ſalignô. Dolio duplex ineſt foramen, ſuperum unum pro infuſione liquoris; inferum aliud pro emiſſione; illud occluditur operculo; iſtud ſiphone, ſeu epiſtomio, major labor eſt in doliorum aſſulis ſecundis, dolandis, coagmentandis, fundóque aptandis; adhibendo dolabram pedatam, & inverſam: circulos dolabellâ ſuper equuleum ligneum recidendo; tudiculâ arctando; terebrâ circulari perforando, perfluentia, rimáſque agentia compingendo.

3 Reſtio contorquet funes, laqueos, reſtes, rudentes, nauticoa, anchorarios, ductarios, tomices; & etiam numellas ſetoſas, cingula, reſticulas, fila, & varij generis intorta ligamina, è cannabe, ſtupa, ſparto; vel etiam arborum libris, qui dum virent, glubuntur; ad quæ Reſtio utitur pluribus inſtrumentis, ut traha, cuneo, ponderibus, rota, furcis, tuditibus, malleíſque ſtuparijs.

4 Toreutice, ſeu artis conficiendi torevma, ſeu opus torno factum, aut alioquin ingenioſè cœlatum ſuum habet Authorem Phidiam, à quo dicitur hæc ars inventa; licèt à Policleto Sicgonico conſummata, unde Martialis *lib. 4.* vocat hanc artem Phidiacam: *Artis Phidiacæ torevma clarum.* Torevta igitur, ſeu tornio parat in ſua officina tornatilia, & tornum. Eſt autem tornus volgiolum, teres, lorô circumvoluto ſuſpenſo è pertica arcuata alterjus pedis agitatione, ſeu compreſſione rotatile: ex parte ſinus cavi, aut etiam dentati capitis materiam tornatilem tenaciter apprehendit, ex altera inſertum ferreæ laminæ forcipatæ. Lamina unà cum ſuo ſuſtentaculo intra duo tigilla verſatili cochlea ſerrata contrahitur, & laxatur. Utrinque duo retinacula ſerrato mucrone lignum torno parandum figunt. Toreuta ſuper transverſum fulcimentum utráque manu verſat inſtrumenta tornandi; rudiorem ſcabritiem ferreis aufert ſemitubulis; mox ferramentis planis, vel obliquè exacuatis, vel duplici, aut unica acie uncinatis opus tornatile lævigat. Tornus variatur prout opera ſunt ſcutellata, cochleata, angularia; ut etiam pro diverſa applicatione inſtrumentorum, planorum, obliquatorum, uncorum, canalitiorum, cavat, lævigat, exaſperat, attenuat, deprimit, attollit, turbinat, globat: rurſus, crenulis, inciſuris, ſpiris, nodis, tuberculis diſcriminat, ac variè figurat, ac detornat varia vaſcula, roſas, lychnos, ligneolas, pyxidulas ad ſervandum tabacum, & alia id genus.

Pluris verò æſtimatur ille Torevta, qui 5
non modo rotunda, quæ ſunt cæteris faciliora, ſed etiam angulata, ovata, ſquamata, undulata, torquata, variíſque diſtincta rhombis torno elaborat. Mirum ſanè quâ ſolerti arte delicatiſſimas quáſque minutias, & exigua granula, vel ipſos oculos fugientia ſculpant, variéque elaborent Alpeſtres ruſticelli Berchtesgadenſes in Bavaria; in unico ſiquidem excavato piperis grano ordinario plures decades tornatilium caliculorum includunt; egomet vidi, eóſque foras è grani cavitatula extractos enumeravi; opéque microſcopij ſingulas calicis partes in eorundem ſingulis diſtinctas obſervavi, quinimò non calices tantùm, ſed & plures quadrigas ſuis inſtructas rotulis in uno includunt excavato piperis grano; adeò ut Myrmecedis quadriga, quam unica Muſcæ ala tegeret, ſuum deperdat pretium ſingularitatis; ſi ipſemet non vidiſſem, vix fidem darem. Qui verò globulos precatorios tornant, utuntur turo perſetrato tricuſpide lunula, cujus circumactione exſecant orbiculos admoto aſſerculo, quibus poſtea totæ gyratione lævorem addunt, & mutuo inter ſe attritu, ac concuſſu etiam nitorem

Clinopœus, ſeu Scrinarius ſuamet ſibi 6
arma ſabrilia ex ligno parat, ſerrea acuit, ligna circumſecat in quadrum; ex curvo in rectum reducit; quadrata rotundat; rotunda conquadrat, decuſſatim cancellat, angulatim incidit, ac committit per fiſſuras, ſeu inciſuras planas, vel denticulatas ſimul coëuntes; vel per juncturas inſectas, vel per canaliculatas partes operis quàm diligenter conſerit; & quæ contra pulpam ſunt lamellis tegit. Rurſus opere inteſtino conſtruit, quidquid ad ornatum domûs pertinet; ſelectis ſpeciatim lignis ad id accommodatis, omiſſis carioſis, nodoſis, hiſcentibus, facilè fiſſilibus, intractabilibus, ac contumacibus operanti, & alio modo vitium contrahentibus. Conficit laquearia opere coronario, lacunis, vel ugu-

loſis, vel rotundis diſtincta. Parietes cum ſuis coronis, loriculis, cornicibus cont. bul.r. Paviment coaſſat. Arcas, ciſtas eum ſuia valvis, & operculia, ſcriniola, menſas cum ſuis pedibus, capsiſque reductilibus, ac ſuppedaneis conſtruit, & ſelectis lignis diligenter aſcieatis, ac lævig tis, vel undatim criſp.tis; oblongo venarum diſcurſu maculoſis, ac tigrinis; & ut jisdem nitorem conciliet, gummitione Juniperina oblinit. Pleráque alia conſtruit majorem etiam diligentiam, ac l borem exigentia; cujusmodi ſunt opera evergane., exc.v nda, exſcindenda, ut profundiùs recedant; & viciniora magìs protuberent, vel in plures angu los reflectenda, ſeu revolvenda in ſtrum.s; aut utrinque promittenda, ut procurrant, & projecta fiant m. gis conſpicua, vel ſcalpturanda inſertia etiam parergis. Conficit etiam opera muſiva v.rijs vermiculata tigillis diſcoloribus exaſſiando, ac diligentar dedolando priùs aſſeres, & tigilla, quæ variè ſcindit, ſecátque in partes exiguas accommodand s figuris repræſeutandis, quas varijs etiam coloribus imbuit.

7 Organapœus fabrefacit organa Pneumatica, ſeu Muſica cum ſuis fiſtulis majoribus, & minoribus; quarum quædam graviorem bombum, aliæ tibialem, ſeu medium ſonum; & aliæ acutiorem emittunt, qualem edete ſolent gingriæ, & anſeres: ex hiſce ad follium contractionem, & dilatationem alternatim redditur ſpiritus inſerviens moderamini regularum pleuritidum, motuúmque epiſtomiorum, quorum manubris Organœdus tangit, ac pulſat. Omnia interanea filorū mæandris ſuſpenſa ligata, & implicata ſunt. Ubi Organœdus digitis movet claves, moventur ſimùl obturacula; ſeu ſpiraculorum obices ſubtenſi fiſtularum oribus, & per fila ferrea lamellis ligneis, & flatus, ſeu anima canalibus miniſtratur, ac immittitur in fiſtularum orificio, & organum pneumaticum ſonum edit harmonicum. Minora organa fides continent ferreas, vel æneas, quæ malleolo clavorum immiſſo capitulis corriguntur, ac concordantur; & in hiſce inſtrumentis emicant pinnulæ per ligneas lamellas, quæ ſubſilientes tinnitum ænearum fidium excitant.

8 Sunt plures alij Mechanici opifices rudiores, inter quos Carpentarius, qui currus, plauſtra, carpenta, & varia fabrefacit vehicula, vectabula. Corpus quodlibet curule plures complectitur partes; ſcilicet axes, quibus rotæ ſunt immiſſæ; temonen, ſeu lignum illud oblongum, quod inter equos trahentes protenditur; axem ſtratum; tigna oneraria, fulcra arrectaria. In Rhedis verò, & pilentis penſilibus habentur libramenta lorea, quibus ſuſpenditur lignea compago concamerata, corióque exteriùs; lana vel ſerico interiùs obducta, virgiſque ferreis auro oblitis effulta. Ephippiarius conſtruit equorum ephippia pellita, aut fulcra equeſtria, quorum pars anterior dicitur modus; poſterior fulcrum dorſuarium, media jugum utrinque declive; cuj adduntur cingulæ cannabinæ ſuccingendo equorum ventri peraptæ. Helcium eſt equorum collare, cuj ſubduntur tomices lanâ farti. Subjugia lora, ſunt quibus equorum juga alligantur. Frontalia, quibus equina capita revinciuntur; anteæ, quibus aures frœnantur; poſtilenæ, quæ tenduntur ſub cauda equi, uti antilenæ, quæ ante pectus; frœnum, ſeu morſus, quo equus coërcetur, & dicitur à frangendo, eò quia equorum ora frangat: Seneca *Hippolitus arctis continet frænis equos.* Stapedes ſunt, in quibus equo inſidentes pedes firmant, & quaſi ſtantes commodioris vectationis gratiâ. Ligularius conficit verſicolores ligulos, quos præmunit capitellis, bracteis, quæ infibulantur, & refibulantur. Saponarius è ſebo coquit ſabonem, ſeu ſmegma, ſebátque candelas. Cerarius emollita, ac ſubacta cera conficit cereas faculas, tædas, funalia, ellychnio inſtructa. Trahit etiam ceram rotæ circumactione in prolixos funiculos, qui convolvuntur in ſpiram. Finguntur è cera ſigna, ſigilla, & ea quæ cerateram patiuntur. Solet etiam cera vario perfundi colore præſertim, minio, aut æris ærugine eum admixtione reſinæ terebinthinæ, fitque cera viridis. Cera candida dealbatur ad ſolem. Pectinarius pectines efficit eburneos, corneos, ligneos, varijs, denſiſque diſtinctos radijs pectendis comis peridoneis. Scopularius ad pulveres è veſtibus excutiendos varias conficit ſcopulas Setaceas, ſeu è ſetulis ſcapo ligneo alligatis. Ad verrenda pavimenta conſtruuntur ſcopæ ex arundineis plumis, vel virgis betulaceis. Alia habet Pexenfelder, ipſum conſule in ſuo apparatu eruditionis, ſi plura deſideras.

Ab hactenus recenſitis mechanicarum artium officinis plures Orator mutuatur terminos, quos concinnè, ac venuſtè transfert ad alia ſubjecta; ut. FLEXILEM *indolem ad normam virtutis trahere.* *Mores* FLEXILES AD AMUSSIM *rectæ rationis* DIRIGERE. EXTORTAS *animi affectiunculas ad rectum deducere.* CRIBRO *aquam haurire.* Per parœmiam eſt in caſſum laborare. CRIBRUM *carnificinum*, apud Plautum eſt ſervus virgis laceratus, & furcam in collo geſtans. *Negotium* VOLVERE *in ſuo* CARDINE. Eſt illud agere in potiori ſui parte. *Dicere ad cribrum* eſt nonniſi ſelecta & vera proferre. CRIBRO *crebriùs*, dicitur cum idem pluries repetitur ad tædium. CRIBRARE *orationem*, eſt purgare à verbis, rebúsque minus neceſſarijs, & elegantibus. CRIBRARE *verba*, eſt verba poſt maturum examen proferre. *Cribro divinare* eſt ſtultè de rebus occultis proferre ſententiam, & judicare. *Homo* TERES *&* ROTUNDUS dicitur de viro induſtrio, & concinno, *Homo quadratus* apud Ariſtotelem eſt vir prudens, & ſapiens. Dicimus eleganter *orationem exhibere ſelectioribus* TESSELATAM *figuris.* TESSELATAM *induere tunicam*: erant enim teſſellatæ quædam tunicæ teſſeris quibusdam diſtinctæ: unde *Badiorum teſſeras* dixit Plinius *lib. 35.* Zeuxis aureis litteris in palliorum teſſeris intex-

textum nomen ſuum oſtentabat. E DOLIO *haurire* dicitur de Claſſico Authore, qui rebus optatis abundat. *Inexplebile* DOLIUM dicitur de potatore immoderato, vel de oblivioſo, cui ſiquid eruditionis infundas, ſtatim effluit. Quadrat etiam homini avaro, cujus cupiditatibus nihil eſt ſatis: *volvitur dolium* de illo dicitur, qui alieno exemplo ſtultè agit. DOLIUM *facili impulſu, quò velis volvitur*, de homine, quem levitatis, & inconſtantiæ notâ redarguimus. *Quærere rimas* in DOLIO eſt tergiverſari. Rimas explere dicuntur oratores cum plus æquo verba infarciunt, ut pleniorem exhibeant orationem: Cicero in Orat. *Neque infarciens verba quaſi* RIMAS *expleat, nec minutos numeros ſequens concidat, delumbetq; ſententias.* FUNEM *ſibi* INTORQUERE. Eſt ſcelera ſceleribus addere, quæ ſuſpendio ſceleſtus luat. FUNIS *ſi nimium tendatur, abrumpitur*, torquetur in eos, qui dum extrema experiuntur, abigunt à ſe eos, cùm quibus agunt, rerúmque patiuntur jacturam. *Hic* FUNIS *nihil* ATTRAXIT dicitur de opere abſoluto abſque ullo fructu. *Ruptum* FILUM *inchoati negotij* REDORDIRI, eſt reaſſumere tractatum, de quo per aliquid temporis nil agebatur. *Argumentorum tela in adverſarios* RETORQUERE. TORNARE, *ac figurare orationem multiplici elegantiarum* TOREUMATE. *Rudem Morum* SCABRITIEM *invecta urbanitate* LÆVIGARE. OBLIQUOS, *deviosque mores ad rectam reducere regulam. Orationis ruditatem* EXASCIARE. AD *rationis amuſſim dirigere cupiditates. Ad t. dium ſua* PROCUDERE. *Concupiſcentias rationi contumaces* FLECTERE *in obſequia virtutis. Ingenium* INTRACTABILE *declinare. Hominis ruſticitatem blanditiis* DOLARE. *Populum effrænem opportunis legibus* COMPESCERE Virgil. lib. 3. Georg. *gens effræna virûm Riphæo tunditur Euro* Frænum MORDERE, eſt obluctari. *Jugum* EXCUTERE, eſt ſubducere ſe ab obedientia ſuperioris *Accipere* FRÆNUM eſt dedere ſe alicuj. FRÆNUM *injicere reluctantibus concupiſcentijs*, eſt eas coërcere, ne urgeant contra rationem: hinc dicimus. *Iram cohibere: Libidinem frænare.* De homine ancipitis fidei dicimus DUABUS *inſidere* SELLIS. *Plauſtra convicijs* ONERARE. Jacitur in maledicum, detrahentémque proximo. *Manum* AB ARATRO *retrahere.* Eſt retrahi à ſemel ſuſcepto inſtituto. *Aptior ad* STIVAM, *quàm ad* CALAMUM, dicitur de juvene, rudi, hebete, nulliúſque ingenij: eſt ſtiva aratri manica, quæ retinetur manibus cum aratur. *Cum cane ſimul &* LORUM *perdere*, eſt totaliter cadere, à præconcepta ſpe. *ſcopæ* DISSOLUTÆ dicuntur de orationibus ſine ullo nexu ut etiam de pluribus ſimul fœderatis, ſed ſine capite abſque conſilio. *Ad incitas* REDACTUS, ſcilicet ad extremam paupertatem: unde de eodem dicimus: *Nec obulum habet, unde* RESTIM *emat* *Nodum* IN SCIRPO *quærere*, in anxium torquetur, nimiſque diligentem, ac meticuloſum, qui illic ſcrupulum movet, ubi nullus dubitandi eſt locus *Malo modo malum quærere* .... eſt mala malis pellere. DISCINCTUS *nepos*, perinde eſt, ac heluo, ſeu homo immoderatæ voracitatis, gulæ, ventrique deditus ab *eluendo*, præponitur tamen . ſpiratio *helno*, ut aviditas magis exprobretur. *Ire per extenſum* FUNEM, eſt negotium arduum, ac difficilè inchoare, *Eadem* CERA de ijs dicebatur, qui uno ore idem affirm bant: ut etiam *Idem* FAVUS, & deducitur à favorum cellulis inter ſe connexis. *Duo ſunt Jovis* DOLIA, alterum voluptatis, alterum doloris, mellis, & fellis: neutrum ſine altero.

EXPENSIO XXVIII.

De Varijs ornamentis, quæ ab arte nautica, & aquis Rhetori ſuppeditantur.

NIl tam varium, inconſtans, ac viciſſitudini obnoxium, ut mare; quod ſi adblandiente malacia veluti ſtato æquore placidiſſimè quieſcit; mox ad unius Euri, vel Noti afflatu, veluti è ſomno ægrè excitatum iraſcitur; immenſiſque fluctibus, in alta montium, valliúmque profunda alternante recedit fremitu; & perenni reciprocatione, quâ pelagi fluctus ſubjecta arietant littora, deſolantur navigia, producuntur vada, nudantur arenoſi tractus; quæ ſingula urgente iterum fluctu ſubruuntur; & ſpumantibus undis colliſi ceraunia, percuſſi ſcopuli diſſidentium ventorum pugnæ præludunt. Deſinente mox conflictu receptui veluti canentes fluctuum turmæ non amplius littora quatiunt, neque diverberant naves; ſed malaciæ quieſcenti lectum ſternunt, mutatúrque pelagi facies in deliciarum veluti theatrum, in quo apparet quanta ſit ejus pulchritudo, quæ ſpecies, quæ multitudo, ac varietas Inſularum; quæ orarum amœnitas, qualis marini æſtus luſus; alicubi ſiquidem bis inter duos exortus lunæ affluunt aquæ, biſque remeant, vicenis, quaterniſque ſemper horis.

Mare, qui enavigant, aquis primùm innatare diſcunt ſcirpeam ſuper ratem, vel arboris corticem, cui incumbunt tyrones, vel ſubere dorſo alligato, quo detinentur, ne mum perant. Tum ſine ſuberis cortice, aliòque ſubſidio manuum, pedúmque jactatione toto extenſo corpore litora natantes abradunt; mox aſſueti alto etiam ſe mari credunt: flumina impellentibus in contrarium, delabentibus aquis trajiciunt: imò ſunt, qui diſcentes aquas tranare natant citra veſtium madefactionem, quas vertici capitis alligant pectore tenus merſi. Alij etiam, quos Urinatores, vocant perinde ac piſces ſub aquis natant, urinantúrque. Ubi in alveis fluminum aqua eſt exigua, quæ pedibus poſſit ſuperari, dicuntur flumina vadari, ac vadoſum ſine diſcrimine exhibere alveum. Ubi verò aqua eſt profunda tranſnatatur, & qui ſubſidit, mergitur; & qui ſupernatat, fluitat. Ad tranſvehendas autem per flumina merces ſtruuntur rates, vel ſchediæ trabicæ ex tignis obiter

compactis, & qui eas moderantur, vocantur Ratiarij, qui remo ratem dirigunt, ne in lapides, & repagula impingat. Ad trajicienda flumina non vadoſa Lintres fiunt ex unico craſſiore arboris caule excavato. Naves Braſilicæ ferè omnes præſertim Canoæ ex una continenti trabe excavantur, quibus Braſilienſes utuntur non ſolùm ad res transvehendas domeſticas; verùm etiam ad bella ineunda. Nutriuntur ibi ſylvæ, quæ cum ferè nunquam exſcidantur ad ingentem luxuriant craſſitiem; ex quibus propterea lintres excavantur, qui licèt latitudine ſeptem, vel octo non excedant ulnas; longitudine tamen ad ſeptuaginta, vel etiam octoginta protenduntur, remis, velisque aguntur tanta velocitate, ut mediterranei maris non cedant triremibus, & ſinguli quadragenos plus minúsve vehunt remiges, iique ſunt etiam bellatores arcu, ac ſagittarum faſce inſtructi, quibus præliantur: & cum opus eſt ſuo ſe quisque remo veluti clypeo tegit, ad tela adverſantium retundenda; habent enim hac de cauſa circa manubrium palmulas.

3 Europæi Naupegi naves conſtruunt laxiores, ac prominentiores, quas compingunt ex lignis interiùs arrectis, quæque navis latera ſuppingunt, & exteriùs dolaris pice, ſebóque oblitis, ad celeriorem curſum. Pars anterior eſt prora, plerumque roſtrata; ac figuram exhibens acuti roſtri in modum cunei. Acroteria ſunt plutei navales, ſeu tigna utrinque prominentia ornatûs causâ, pars poſterior eſt puppis cæteris eminentior, in qua ſimulacrum ſancti tutelaris, & vexillum Principis exponitur. Pars media dicitur alvus, cujus imum eſt carina ſaburranda ad firmiorem curſum; nonnunquam adduntur pergulæ pro excurſu per totam navim; quæ ſi remis agatur, diſtribuuntur tranſtra, ſeu ſedilia remigum. & foramina, per quæ remi eminent; ſcalmus labium eſt navis, cui remi ſunt annexi. Sentina eſt pars inferior, quò defluunt ſordes.

4 Inſtrumenta navium ſunt clavus, ſeu gubernaculum, quo navis in ſuo curſu dirigitur: remus, quo impellitur, cujus latior pars dicitur tonſa à fluctibus, aquísque tondendis, ſeu diverberandis; gracilior, manubrium. Arbor, ſeu malus diſpanſa ſuſtinet vela, ſeu carbaſeos ſinus, cum antennis, ſeu perticis transverſis, ac verſorijs, quibus alligantur carbaſa; ſuprema mali pars carcheſium dicitur; infima pterna; media apluſtrium; mali faſtigio additur vexillum ventis explorandis. Velorum maximum vocatur acatium; cui ad majorem celeritatem appenditur minus, ſeu artemon, minimum ad proram dicitur dolon, ad puppim epidromus; thoracium ſuſpenditur in ſummitate mali. Anchora eſt uncus ferreus per funus in altum demiſſus, ad ſuſtentandam navim, bolis plumbum ad explorandam aquarum altitudinem; tonſilla ſeu pallus dolatus præacuta cuſpide defixus litori navi alligandæ, ſcalæ navales ſunt, quibus in navim aſcenditur, vel deſcenditur; Antlia, ſeu hauſtrum adhibetur ad exantlandam ſentinam; pyxidula nautica ad poli ſitus, ventorúmque flatus dignoſcendos; Rudentes ſunt funes nautici; funis anchorarius, quo alligantur anchoræ; tranſenna funis extenſus ſupra foros navium; remulcus, quo teligata major navis, minorem ſequitur remis actam. Collecti funes convolvuntur in ſpiram, Ornamenta navis præſertim ſplendent in puppi multiplici cælatura, eleganti inciſione auro oblita, & in antennis, è quibus ſubinde ad ſolum luxum pendent laciniæ rapiente aurâ obludentes in äëre; fluitantia quoque vexilla è ſummis malorum faſtigijs, puppísque prominentia flantem ſequuntur ventum. Tormentis bellicis ære fuſis muniuntur naves ad navale prœlium ineundum cum claſſe hoſtili; & quidem tam frequenti numero, ut arces muniriſſimæ natare videantur.

Navium varia ſunt genera, ſunt enim 5 naves minores, ſeu cymbæ, quæ conto, ſeu haſta nautica promoventur; aliæ quæ remis aguntur, aliæ majores remulco trahuntur; & aliæ vento impelluntur. Lembus, ſeu oria eſt, qua oram littoris legimus: ſcapha, quæ majori navi veluti pediſſequa ancillatur; phaſelus à figura phaſeli leguminis inſervit piſcatui. Majores naves ſunt vel oneratiæ ab oneribus, mercibúsque vehendis, vel bellicæ tormentis æneis præmunitæ, & ex iſtis plures nonniſi ventis ad velorum expanſionem impelluntur. Sunt etiam ingentes Gauli, vulgò *Galeones* cæteris eminentiores, ac productiores tot muniti bellicis machinis, ut arces pelago innatantes ſatiùs, quàm naves dixerim; pluribus diſtinguuntur intus contignationibus, caſtella ad roſtrum, ad clavum infra, ſupérque tabulata multiplici ordine tormentis eminùs in hoſtem minantibus obarmantur: & plerumque non denſior ſentibus ſuis hiſtrix adverſus circumlatrantes canes inſtruitur, cùm in ſe ſe conglobata cutem intendit, quàm frequentioribus hæc innatans machina tormentis minax, aliíſque miſſilibus armis communitur. Aliæ naves bellicæ dicuntur quinqueremes vulgò *galeazzæ* à Veneris inventæ, quæ velis ſimul, remisque aguntur, ſúntque reliquis triremibus ſupra tertiam partem productiores, latiores, ac eminentiores, ex parte proræ, & puppis ſurgunt propugnacula multo milite, frequentique tormento armata; quinimò coſtas, & latera ſingulos inter ſcalmos, ac remigum tranſtra ita tormenta bellica muniunt, ut quocunque ſe quinqueremis obvertat, æquè fulminet. Claſſis maritima eſt multitudo navium ordinata, cui cum ſupremo imperio præeſt Archithalaſſus. Nauclerus eſt præfectus unjus, vel plurium navium. Nauclerus præeſt nautis, quibus imperat. Remiges ſedentes in tranſtris remos ducunt, & navem agunt, quorum hortator eſt celeuſtes, & illorum clamor celeuſma. Gubernator ſedens ad puppim clavum moderatur. Proreta ſtans,

ad

ad proram ventos explorat, & præmonet, ne ad ſcopulos navis impingat. Claſſiarij dicuntur milites tutandæ navi conducti.

6 Navis igitur ſuis omnibus inſtructa neceſſarijs inſtrumentis, præmunita nautis, milite, tormentis bellicis ſolvit è portu, vel remis propellitur à litore, vel contis protruditur. Mox vela panduntur, dantúrque ventis, qui implentes carbaſſa navim impellunt, ſecúmque rapiunt. Ventum adverſum ita excipiunt nautæ, ut ſinus obliquent velorum; & obliquato curſu, ne retrocedant, fluctus itu, & reditu texunt, donec aſpirante vento ſecundo cœlum faveat; cautè proceditur, ne in cautes alliſa navis diſrumpatur; declinantur itidem vada, & brevia, ne in jisdem figatur navis, impediatúrque à curſu. Declinat etiam navis, gurgites, vortices, æſtuaria, ne ijsdem abſorbeatur, aut reciproco æſtu obruatur. Gubernator navis maria trajicit juxta regulas pyxidis nauticæ, ſeu acus magneticæ ſignantis polare ſydus, ac mundi partes, adeò ut cœlum nubibus fœdum nocturno tempore navigationi non ſit impedimento.

7 Quòd ſi mare ventorum vi agitatum incipiat fervere, æſtuare, intumeſcere, ſævire, ac majores in ſingula momenta ciere fluctus, & acriori vento concitatum majoribus fluctibus inhorreſcere, ac turbinibus minari naufragium, repentè nautæ, ne navis abripiatur à fluctibus, aut impellatur ad ſcopulos, vel alliſa ad cautes demergatur, demittunt antennas, deducunt vela, vel colligunt, aut ſaltem contrahunt; quinimò ſi periculum inſtanti diſcrimine immineat, etiam funes recidunt, & anchoras jaciunt. Si fœda tempeſtas adhuc acriùs urgeat, & naufragium immineat, dejiciuntur in mare Sarcinæ, mercéſque etiam pretioſæ, quibus navis nimio pondere premitur. Intumeſcentibus magis fluctibus jactatur acriùs navis; ventorum æquè, ac fluctuum facta ludibrium, hâncque concitati fluctus modò ad aſtra tollunt; modò ad tartara pene ima deprimunt. Maris tempeſtati præludunt conglobatæ nubes, aliæque atræ, ac ſordidæ tumultariè diſcurrentes per aëra, ac in fœdum veluti coëuntes exercitum; tunc enim cœlum incipit tonitruis mugire; & mutuo nubium colliſu, ac conflictu fulgura ingeminare, ac fulmina intorquere non ſine diſcurrentium ventorum fremitu, ac elementorum tumultu; omnia ſiquidem inter ſe elementa incipiunt permiſceri, ac confundi, ac intumeſcere decumani fluctus in aqueos montes, quibus navis conquaſſatur, ejúſque latera horribili ſonitu feriuntur, malus diſcinditur, clavus diſtringitur, tabulæ ruunt, ſtatumina divelluntur, remi abrumpuntur, navis dehiſcit, & laxatis compagibus via fluctibus aperitur, qui quaſi per aſſultum expugnatam navim occupant, & faciunt ſui juris.

8 A Nautica plures eruuntur gemmæ ornandis orationibus peridoneæ, plures parœmiæ, quæ ſi aptè, decentérque orationi inſerantur, plurimum adferunt nitoris, ſuntque veluti gemmulæ annulis incluſæ. E navibus itidem depromuntur laciniæ, ac ornamenta orationis. Eleganter enim dicimus. *Inter diſſidentium civium factiones Reipublicæ navim* FLUITARE: *Mortalem hominis vitam mare imitari cum felicitatis* MALACIA *momentò tempeſtate abripiatur. Homines ope virtutis proprio honori* VELIFICARI. Cicero de lege Agraria ait: *Quòd ſi quis veſtrum ſpe ducitur ſe poſſe in turbulenta ratione honori* VELIFICARI *ſuo*. ſeu evadere ad ſummos honores non virtute, ac gloria majorum, ſed violenta quadam ratione. *Velis in altum elatis æquora* TRAIJCERE, eſt ſine conſilio procedere in aliquo negotio. *Dare* VELA eſt ventis ſe committere, ſeu navigare. Virgil. lib. 1. Æneid. *Vela dabant læti*. *Dare* VELA *retrorſum* eſt mutare ſententiam, vel vitæ inſtitutum ſumpta metaphora à nautis, qui curſûs errorem verſis corrigunt velis. VELA *dare famæ ſuæ*, eſt proprium negligere honorem. VELIS, *equuque negotium aggredi* eſt omni conatu in illud incumbere. *In* VADA *&* SYRTES *plurium difficultatum incidere. Is laudandus, qui in regenda Reipublicæ* NAVI *nunquam à* CLAVO *mentem ſejunxit. Cui in regenda Reipublicæ navi adverſitatum fluctus prudentiæ clavum eripuerunt, parum proſunt fucatæ excuſationes. Prudentiam Principis, non tranquillitatis* MALACIA, *ſed fluctuum* PROCELLÆ, *civium tumultus probant. Ille non eſt dignus regimine, qui* FLUCTUANTIA VELA *deſeruit*, NAVIMQUE *Republicæ ventorum rebellantium civium permiſit. Is etiam in naufragio laudandus, qui obnixus* CLAVO *fluctibus obruitur*, quia ſuo non defuit officio. *Navim ſtare ad* ANCHORAM dicimus, cùm res ad vota ſemper fluunt. *Tabulam arripere ex publico* NAUFRAGIO eſt ſibi conſulere in communi diſcrimine. NATARE *ſine cortice* de illo dicitur, qui proprio Marte, abſque alieno auxilio opus aliquod ſcribit. MERSUS *vino ore tenus* de ebrio. *Urinari ſub aquis* eſt occultè agere. *Naufragium in portu pati*, eſt rem benè cœptam, malè abſolvere. *Cæcum brachiorum plauſu* DIVERBERARE FLUCTUS torquetur in eum, qui plurimum laborat, non videns, quà ſit eundum, eò quia nullum ſibi finem præſtituerit. *Res* IN VADO *eſt* per parœmiam Virgil. 5. Æneid. *Sulcant vada ſalſa carinæ. Inter* BREVIA, *&* *loca* VADOSA *navigare*, eſt cum diſcrimine vitæ aliquid agere. *Dum* CLAVUM *rectum teneat*, ſignificat non eſſe imputandum Artifici eventum minus proſperum, modò is præſtiterit, quod artis eſt. Neque ſupremo exercitûs Stratego, ſi victoriam non retulerit, dummodo ſuo rectè fuerit munere functus. *Purior clavo* dicitur de re inculpata, & moribus integris. VELA *ſubducere* eſt moderatè ſe gerere. CLAVUM *tenere rectum* eſt accuratè, & conſtanter agere: ſedere AD CLAVUM *Reipublicæ*. eſt Rempublicam adminiſtrare. *Ad ſacram profugere* ANCHORAM eſt in vitæ diſcrimine extremum adhibere remedium. *An-*

chora

Anchora domus dicitur de illo, cui tota domus nititur, vel à quo dependet, éſtque fulcimentum, quò ſtat. *Prævertit* ANCHORÆ JACTUM *Deus*, cum res præter ſpem obtingit. *Duabus nitt* ANCHORIS eſt duplici fulciri præſidio. EURIPUS *homo* ſumitur pro viro inconſtanti. ANCHORAM *ſolvere* eſt moliri diſceſſum. BOLIDE *alicuius beneficii præſtandi explorare amicitiam.* BOLIS *adverſitatum virtutem probat.* *Dignus ſedere in* TRANSTRIS de viro ſcelesto damnando ad triremes. ANCHORA *jacta mihi eſt*, hoc eſt, meam ſum nactus quietem. *Alliſa mortalis vitæ cymba ad ſepulchri ſcopulum cecidit Manium præda.* *Ad ſacram confugere anchoram*, perinde eſt ac ad extrema præſidia; nautæ ſiquidem anchoram cæterarum validiſſimam vocant ſacram. *Ille ſapit, qui in naufragio* TABULAM *arripit*, ſeu obvium conſilium in re deſperata. *Trajicere per* SYRTES eſt ſe vitæ diſcrimini committere. *Tutè* NAVIGAT, *qui litus legit*: ſeu pericula declinat. *In* MALACIA *quilibet eſt navis gubernator*, quia facile eſt ferre fortunam ſecundam. *E litore ſpectare naufragium* de illo dicitur, qui in tuto poſitus aliena diſcrimina conſiderat. *Mihi es* PRORA, PUPPIS, CYNOSURA, *&* PHARUS, ſcilicet ſalus, & præſidium. *Dare* VELA *ventis* eſt diſcedere ab aliquo loco. *Aſpirante ſecundo vento* VELIFICARE eſt procedere proſperè, cum res ad votum fluunt. *In* CAUTES *illidere* eſt pericula incurrere. *In* BREVIA *impingere*, idem ac impedimentum invenire. *In* GURGITES, & ÆSTUARIA *navigare* eſt pericula quærere. *Inſidioſa tranquillitas* PROCELLAM *minatur*, ſeu voluptas, cum allicit, inſidiatur.

EXPENSIO XXIX.

De coloribus Rhetoricis, ac ornamentis depromendis à Pictura, ſculptura, Typographia, Horologiis, aliiſque artibus oblectatoriis.

PErinde ac Poëſis dicitur pictura loquens, ita pictura tacens Poëſis, exhibet enim mutis coloribus, quæ Poëſis multiplici metro canit commenta. Duo potiſſimum ſunt officia, quæ pictura, quam ſolerter obit, nempe delineare, & ornare beneficio lucis, & umbræ; clari, & obſcuri coloris. Pictor priùs rudioribus ductibus, ac lineis graphiò delinear graphidem; ſeu rode fururæ figuræ exemplar, quod poſtea adumbrat in tela priùs oblita, & lævigata glutinoſa pulticulâ, extensáque in regula quadrata, ctismate fulta; in quam mox inducit colores juxta regulas artis, ac penicillo perpingit, variiſque obducit pigmentis, ac coloribus, tenet ſiniſtrâ orbicularem laminam ligneam, cujus perforato margini pollicem inſerit, miſcendo colores, ſuffulciens dextram bacillo; temperátque pigmenta, ne remittant glutinoſo oleo, vel aqua gummoſa, vel ſucco herbaceo ad id accommodato. Prout autem res expoſtulat aliquas figuras, ſolo pingit monogrammate, ſeu unico, ſimplicique colore, imitando nonnunquam ſtatuas ſculptas, æreúmque prototypon. Alias ſine ope ulla archetypi proprio marte, ac ſuopte ingenio effingit ad naturæ imitationem, ac aſſimilationem.

Quòd ſi iconicum ſimulacrum, vel ali- 2
cujus effigiem velit penicillo ad vivum exprimere; ideam ſpirantem ſibi ob oculos ponit; ut iconiſmus per omnia, & ſingula, propoſito reſpondeat exemplari, ſatagítque ne quidquam abludat, decedátque à vivo prototypo; quod non ſolùm delineamentis, verùm etiam ipſo colore imitatur, atque ad vivum prorſus exprimit; quapropter periti eſt pictoris noſſe colorum genera, affinitatem, & rationem aſſociandi, ſimúlque miſcendi. Color cæteris pretioſior eſt cæruleus tranſmarinus, qui cum ætate non mutatur; elicitúrque ex gemma illa, quæ lapis lazuli, ſeu cæruleus dicitur, ab Arabibus *Hager*, vel *Azır*; hic lapis eſt durus colore florum Cyani cærulei, aureis diſtinctus punctulis, ac venulis exornatus. Magnam cognationem habet cum lapide Armeno quoad colores; ſed hic non eſt ita durus, nec venis pingitur aureis, eſtque facilè friabilis. Modum ex hoc lapide eliciendi cæruleum tranſmarinum deſcribit Anshelmus Boëtius *lib. 2. cap. 123. & ſequent.*

Totum picturæ artificium eſt lucem ſcitè
umbris aſſociare, quædam per receſſus longiùs 3
ab obtutu in opacum abducendo, quod beneficio umbræ præſtatur: alia per eminentias producendo, ac colluſtrando ad leges opticæ; adeout quæ longiùs diſtant ſervatâ proportione minora exhibeantur, majora verò, quæ propiùs apparent; ut ſingula quoad lucem, radios, hallucinationes, deceptiones opticas in unum reducantur punctum. Is in hac arte excellet, qui exactiùs, magisque ad vivum ſcit penicillo res exprimere cum ſuis numeris, partibus, perfectionibus, articulis, muſculis, membris, affectionibus, veſtium rugis, ſinubus implicatis, explicatis, & corpori ita accommodatis, ut membra diſtinguant, ſymmetriam partium oſtendant, ac aptiſſimo inter ſe nexu appareant partes ſingulæ colligatæ: quoad totam picturam debent ipſæ figuræ certare ad unguem uſque cum natura, quam in omnibus imitentur in ordine, venuſtate, varietate, ſymmetria. Pictores verò excellentiores, figurarum delineant artificioſa compendia, & veluti in nodum contracta corpora, quæ validè, ac nitidè colorant, graphicè denudant, eleganter veſtiunt; & colores ſive fictitios, ſive nativos ſuaviſſimè ſemper inducunt, ac variè temperant, ut fucus ſine fuco ſpirare videatur; umbras ſcitè cuique corporis eminentiæ affigunt, & quæ ſub oculis ſunt longinqua ſimulant, quæ diſtant in proximo ſtatuunt, in cavo plana metiuntur, in plano rotunda, in rotundo directa, in recto obliqua, in arcto ampla, in æquo prærupta. Sunt etiam Pictores encauſtici, qui coloribus aduſtis, ceráque igne

zelo.

reſoluta vitta depingunt, varijsque illinunt coloribus non facile obliterandis, niſi vitrum frangatur.

4 Ars pingendi affinis eſt ſtatuaria in id incumbens ſtudij, ut ſtatuas efficiat, quæ ad vivum homines, vel animantia exprimant, ut fuit præ cæteris illa, cujus meminit Plinius *lib. 3. Epiſt. 6.* inquiens. Ex hæreditate, quæ mihi obvenit, emi proximè corinthium ſignum; modicum quidem, ſed feſtivum, & expreſſum. Eſt autem nudum, nec aut vitia, ſi quæ ſunt, cælat, aut laudes parum oſtentat: effingit ſenem ſtantem; oſſa, muſculi, nervi, venæ, rugæ etiam ut ſpirantis appareant; varij, & cedentes capilli, lata frons, contracta facies, exile collum, pendent lacerti, jacent papillæ: talia denique omnia, ut poſſint artificium etiam & oculos tenere, ac delectare.

5 Ex ſtatuis, aliæ funduntur ex metallo; aliæ cæduntur ex lapide. Qui ſtatuas fundit à fuſione audit fuſor. Qui excidit ſculptor dicitur, ut etiam ars ſculpendi ſculptura; ſcalptura, & opus quod fit vocatur ſculptile, cui reſpondet cælatura, ſeu anaglyptica ex cavitate in aſperitatem excudens anaglypha, ſeu ſigna exeuntia; quæ ſi torno fabrefiant dicuntur toreuma, ut apud Martialem. *Artis Phidiacæ toreuma clarum.* Sculptor cœlo, tudite, ſcalpro inciſorio, vel excavatorio ſculpit non ſolum è lapide, ſed etiam è ligno, oſſe, ebore ſtatuas, ſigna, icunculas, ſigilla, & alia id genus, quæ cælaturâ efficiuntur. Qui ſaxa è rupibus excidit, & præparat in fruſta vocatur Latomus. Plaſtes verò, qui ex argilla, gypſo, cera, varias fingit figuras. Format ſimulacra; & etiam typos ex materia liquabili, & indurabili, unde fuſiles conflantur icones.

6 Typographia eſt ars imprimendi libros, mediante valida compreſſione, quâ folia imprimenda in ſubjectum typum colore imbutum premuntur, eſt typus compoſitio ex literis metallo conflatis, & ordine inverſo diſpoſitis, quod neceſſarium eſt, ut ectypa recto ordine recipiantur in folijs. Typus igitur latinè eſt forma, ſeu figura imprimenda. Prototypa dicuntur opera, quæ ante typos facta ſunt. Ectypa, quæ ex ipſis ſunt formata typis. Archetypa verò prima, & principalia exemplaria, quæ non aliunde deſumpta ſunt; neque ad aliorum ſimilitudinem efficta. Inſtrumenta preſſoria plura ſunt, quorum præcipuum eſt torculum, ſeu torculare, quod diſtinguitur à prælo, eſt ſiquidem torcular tota machina rebus premendis inventa: prælum autem eſt ipſa trabs, quâ aliquid premitur. Duo enim præla ad rem arctiſſimè preſſandam adiguntur à vecte torculo circa trochleam claviculatim ſtriatam verſabili, quo prælum attolitur, vel demittitur. Typographiæ magiſter dicitur Typographus, officina typographia, qui litteras componit ſtructor litterarum, typotheta, ſeu compoſitor, qui folia imprimit excuſor, vel impreſſor, loca ubi litteræ metallicæ reponuntur dicuntur capſulæ typorum; cochlea in torculari eſt lignum erectum habens ſtrias gradatim aſcendentes, quod dum vertitur attollit trabem præli, aut demittit; Melanteria eſt color, quo typus imbuitur: ſunt & alia inſtrumenta inſervientia huic arti, ut præli crates, pluteus, abacus.

7 Horologia, quæ Horologiopœus conficit, multiplicis ſunt generis, quædam ſciatherica, ſeu ſolaria, in quibus gnomonis umbra lineas ad ſolis motum tranſmeando, ſignat quota ſit hora, vel quantum diei effluxerit, curſum ſolis ſupra horizontem egregiè dimetiens, ac dividens in plura horarum ſpatia. *Inviderent talibus ſi aſtra ſentirent*, ait Caſſiodorus lib. 1. epiſt. 45. *& meatum ſuum fortaſſe deflecterent, ne talı ludibrio ſubjacerent. Ubi eſt illud horarum de lumine venientum ſingulare miraculum, ſi has, & umbra demonſtrat?* Alia ſunt horologia aquaria, quæ græcè Clepſydræ dicuntur, ubi aqua de vitreo vaſculo in ſubjectum vas fiſtulatim inſtillando, ſeu guttatim defluendo ſignat quantum, unà cum aqua effluxerit temporis. Ijs Conſimilia ſunt horologia arenaria, quæ & cleplamidia vocantur, in quorum medio duo vaſa vitrea inſtar duorum turbinum ſimul coarctantur, ex quorum anguſtijs pulviſculus per foramen minutū ſenſim ex parte ſuperiori in inferiorem delabitur, & totus pulveris delapſus legitimum horæ tempus metitur. Alia ſunt horologia rotata affabrè elaborata, in quibus dentatæ aliquot rotæ ſtriato axe, verticillo interjecto mutuò commiſſæ, ac fœderatæ, gravibúsque ſuſpenſæ ponderibus morſicatim implicantur, ſenſimque volvuntur, axiculos enim ſuos ſtriatos mordentes viciſſim circumaguntur; inter quos æquilibrium, ſeu libramentum verſatile, ac irrequietum pro gravitate appenſi ponderis citat, vel tardat circumvolutionem rotarum, tempúsque moderatur. Ubi verò princeps rota penitus circumvoluta eſt, laxato ſufflamine, per cavam delabente in cernam, libramentis deorſum feſtinato decurſu recedentibus, illicò ſolvitur machina, malleumque verſatilem incitato verbere in tintinnabulum ex ære campano fuſum impellit; & quotquot malleus infligit ictus, totidem deſignat horas, quarum numeros extrorſum in orbe deſcriptos mobilis lingula indicat, quæ ſenſim ſine ſenſu circumagitur. Alia horologia majori inſervientia commodo exiguæ ſunt molis, deferuntúrque in ſacculo, vel crumena, abſque ponderibus ſunt, ſed inſertâ claviculâ urgentur, ac rotantur per fibulas ceſſiles, ac reſilientes, quæ per circulationem deſcripras in extima ſphœrica lamina mediante lingula indicant horas; quinimo nonnunquam ſolis, & lunæ, cæterorúmque planetarum curſus. Alia etiam ſunt horologia, quæ non ſolùm è ſomno dormientes excitant, ſed etiam lumen accendunt, referúntque ſuis impulſibus ſtatuas accedentes, procedentes, recedentes. 8

Automataríus faber machinas efficit ſua ſponte verſatiles: ſunt automata inſtrumenta arte mechanica ita ſubtiliter fabricata, ut nulla apparente cauſa moveantur; cujusmodi fuit

currus triumphalis, quem Carolus Dux Lotharingæ Bruxellis in forum induxit, qui nullis equis, aut vectoribus, nullóque exteriùs trahente, interiori machina, occultíſque rotulis, ac trochleis ſponte ſua procedere crederetur. Talis etiam fuit Architæ Tarentini columba, quæ ſuis intus ſtimulata machinulis movebatur, quatenus univerſa membra inteſtinis rotulis, nervis, ſeu fidiculis in hanc, vel illam partem impellentibus ita agebantur, ut columba volare per aëra videretur. Generatim Automata opera ſunt omnia illa animalium ſimulacra, quæ inteſtinis rotulis, fidiculis, & machinamentis ita impelluntur, ut ex ſe moveri videantur. Excellens Automatarius fuit Leonardus Vincius inſignis etiam pictor, & ſculptor. Varijs iſte machinulis verſatilem compoſuit leonem, qui ſuis ſe pedibus ad Thronum Ludovici XII. Francorum Regis contulit; ubi diſruptâ ſtatim alvo floribus gravidam liliorum effudit imbrem; nec major viſa eſt Gallorum in Regia læta ſerenitas, quàm in hac florida pluvia.

9 Pyrotechnia ſua etiam nobis exhibet oblectamenta per ignes miſſiles, ludicros, à Pyrotechnite effectos, cujusmodi ſunt pyroboli chartacei nitrato infarti pulvere, relicto ſupernè anguſto foramine, appensóque bacillo; ubi enim ad tenue foramen admoto igniario funiculo fomitem ſuſceperunt ſtatim in ſublime feruntur, lineámque deſcribunt ex recto arcuatam flammeum poſt ſe trahentes ſyrma; poſtque depaſtum pyrium nutrimentum in arcum jam flexi ſonoro cum bombo in aëre cum crepitu diſrumpuntur. Solent etiam ad majus ſpectantium oblectamentum plures ſimul in machina lignea diſponi hinc inde, qui ſimul concepto igne erumpunt igneas in æthere pluvias, variáſque figuras deſcribentes, ſimúlque repetito bombo obſtrepentes. Hac arte nocturni luſus Technicorum; ſeu feſtiva artificialium ignium ſpectacula conſtruuntur à perito Pyrotechnite. Talis fuit machina, quam in nuptijs Sereniſſimi Electoris Bavariæ Maximiliani Emanuelis, & ſereniſſimæ Mariæ Antoniæ Archiduciſſæ Auſtriæ Leopoldi I. Imperatoris filiæ inveni, ac deſcripſi Monachij anno reparatæ ſalutis ſexcenteſimo octogeſimo quinto ſupra milleſimum.

10 Erecta fuit moles extra portam Neodemenſem in longè, latéque pratorum exporrecta planitie aſcitijs arborum frequentijs, vaſíſque variè pictis, ac ornatis ad elegantiſſimam hortorum accommodata amœnitatem, quibus tamen, in locis per diem conſpecta in vaſis fuerant mala aurea, citreáque ad certamen luxuriantia, in ijs varij nocte coruſcârunt miſſilium ignium luſus, qui transverſim ultro, citróque volantes horrificam in ſpectatores voluptatem ſparſerunt, nullo ſatis loco ab igne volatili tutos. Tota erecta moles, ut ad reciprocum utriúſque Sereniſſimi Sponſi alluderet amorem; conſultius cenſui in feſtivis hiſce nocturnorum ignium ſpectaculis veluti à fundamentis iterum excitare Veſtalium templum, olim Romæ à Numa Pompilio erectum ad perpetuam ignis cuſtodiam, ut liquet ex illa Veſtalium ab Ovidio decantata Periphraſi *lib. 3. Triſt. Eleg. 2.*

Perpetua ſervant virginitate focos. 11

Aſſurgebat igitur ibi Veſtalium templum ad elegantiores Architectonices conſtructum leges; utrinque bina reſpondebant fana Pacis unum, alterum Concordiæ, cum perpetuus amor nonniſi pace vigeat, & concordia: Templi ſtructura infernè quadrangula columnarum fulciebatur frequentijs; ſupernè in octogonam, & ſcanſilem exurgebat figuram. Anterior molis proſpectus quadringentis geometricis protendebatur pedibus, in ſublime ſeptuaginta. 12

Cum primùm hora media nona veſpertina ſereniſſimi Sponſi cum Proceribus, cæteriſque ex Aula ad feſtiva ignium pervenêre ſpectacula, Apollo laureatus ſplendidiſſimo inſidens eſſedo à quatuor rapto albentibus equis theatrum pertranſijt, accinuitque ad muſicalem inſtrumentorum concentum carmina aliquot, quibus auſpicatus eſt utrique ſereniſſimo Sponſo ſerenam cœli, amœnam terræ felicitatem; cui reſponderunt jucundo clangore octodecim Tubicines, & cœperunt illicò colluſtrari ſingula in erecta mole; quæ diverſorum colorum coruſcantibus illuminata flammis amœniſſimè radiabant. Tum è ligneis machinis effuſa momentò fuit vis pene innumera pyrobolorum, ac ollarum, quæ latentibus fœtæ flammis æquè nova cœlo ſydera viſæ ſunt peperiſſe, ac intuentibus ſingularem voluptatem: utrinque ignita miſſilia, alijs in alia velut ruentibus in amplexum, conſertíſque quaſi brachijs ardentibus, dum alia in rectum erumpentia, ſimúlque in ſublime vibrata, prolixa è ſingulis ad terram uſque profluente flammes lacinia præaltam utrinque coruſcantem ſepem moliebantur. Mox quæ circum ſurgebant templum columnæ in tubos excavatæ pyrio fartæ pulvere, aliáque ignita materia, globos liquidiſſimis diſtinctos ſtellulis emiſerunt, quibus flammarum ejectamento reſponderunt templi prothyrum, ſeu veſtibulum, poſtes, anconæ, valvæ, coronæ, ſupercilia, projecturæ, teniæ, echini, & cæteræ extimæ frontis partes eleganti ignium erumpentium luſu. Acceſſit ad cumulum voluptatis tormentorum feſtivus fragor, quæ diſploſione crebra pyrobolis reſponſabant decumanis, qui ſupremo in aëre tumultu detonantibus gratiſſimo, & cum jucundo ſtrepitu concrepantes diſrumpebantur.

Interea ut recentiorum ignium vis in ſup- 13
petias fatigatis mitteretur; plura iterum pyrobolorum millia ſimul è ſummo templi acroterio ſurſum exilierunt, totúmque aëra lucidiſſimis latè ſparſerunt flammis, ac deciduis ſtellulis, quæ cum ex diſruptis pyrobolis in terras depluerent; alia miſſilium ignium multitudo propemodum innumerabilis ſe ſe foras è lignea ſtrue effudit, quæ cum tota jam conflagraret, ſingulis fere momentis flammarum immenſam congeriem emittebat, quarum aliæ

liæ rapido volatu ferebantur in ſublime; aliæ depreſſius circumerrantes, motu multiplici jucundiſſimè colludebant. Mox ab ollis igniarijs ingentes furſum exploſæ Sphæræ uſtili fœtæ materia in ſummo aëre fulminum inſtar è nubibus excuſſorum inſolenti fragore diruptæ, pari fulgore ſtellularum lucidiſſimos deorſum imbres demiſerunt, qui jucundiſſimo fuerunt ſpectatoribus oblectamento: idque cum iterato obrigerit, & tanta miſſilium ignium copia eruperit, quanta nusquam fuiſſet hactenus conſpecta, cœperunt per totam ligneam molem flammæ extingui, noctique jam adultæ ſedem cedere.

14 A prærecenſitis oblectatorijs artibus pleráque eruuntur orationis ornamenta. A pictura eleganter dicimus. *Simulatione* FUCARE *animum. Frontis, oriſque hilaritate* COLORARE *cordis dolorem. Manu* TABULÆ *inchoandi negotij admovere. Quæ agenda ſunt, priùs* ADUMBRARE. *Metum cogitationes* DELINEARE *ad normam virtutum. Lineamenta virtutum moribus* ADUMBRARE. MONOGRAMATE *ſimplicitatis prodere cordis ſenſa. Varijs elegantiarum* COLORIBUS *ornare orationem. Stylum Rhetoris* PICTUM *luminibus. Spirantem modeſtiæ* IDEAM *vultûs, corporisque compoſitione exhibere. Naturam quavis elegantiùs diagraphice flores in pratis* PINGERE. *Solem in rorida nube* DISCOLOREM IRIDEM *beneficio lucis. & ambræ arcuatim* DELINEARE. ECTYPUM *ſanctitatis morum probitate effingere. Auroram* MINIARE *nubes. Imperitum pictorem humano capiti cervicem* APPINGERE *equinam. Vernam temperiem* PINGERE *tellurem multiplici nativi coloris varietate. Veritati* APPINGERE *mendacium. Extremam manum operi admovere.* A Sculptura, & Architectura dicimus. *Inflictum* SCALPERE *vulnus,* cum dolor dolori additur, ut acriùs recrudeſcat. *Morum duritiem ad normam* CÆDERE *urbanitatis. Non è quovis ligno* SCULPI *Mercurium.* Seu NON QUEMLIBET ESSE *ad litteras* NATUM. *in lapideo corde* SCALPRO *pœnitentiæ inciſorio veſtigia* CÆLARE *virtutum. Orationis* TORNARE *periodos. Taciturniorem* STATUA *eſſe. Sobrietatem, quæ ſuperflua ſunt* SCALPERE, *ac abjicere. Fortunam* NUTARE, LABASCERE, *minarique ruinam, quæ magnitudine laborat ſua.* MACHINARI *dolos. Labentem domum novo* FULCIRE *conjugio. Jacere* FUNDAMENTA *publicæ quietis. Inſigne opus ad* CORONIDEM *perducere* A Typographia, cui Inſcriptio eſt. *Imprimit una dies, quantum non ſcribitur anno.* Dicimus. INPRIMERE *in animo exemplaria virtutum.* COMPONERE *mores juxta dictamina rectæ rationis. Peccantes in corpore* CORRIGERE *humores. Vitæ* EMENDARE *errores* Ex horologijs dicimus. *Hominem omnium* HORARUM. per parœmiam ſignificantes ſerijs juxta, & jocis eſſe accommodatum. *Tempore tempora tempera,* hoc eſt benè utere beneficio temporis. *Senectutem horam* VIGESIMAM TERTIAM *in fronte oſtendere. Libithinam* HORAM PULSARE *humanæ vitæ vigeſimam quartam. Hominem veluti gnomonis umbram ſignatum vitæ tempus* TRANSMEARE. *Laxato continentiæ* SUFFLAMINE *convicijs* PULSARE *proximum. Ad* CLEPSYDRAM *orare* eſt dicere ad præfixum tempus. Apud veteres, oratoribus acturis cauſas forenſes præſcribebatur tempus dicendi datis clepſydris, quibus exhauſtis ulteriùs dicere vetebantur.

A Pyrotechnia, ſeu miſſilibus ignibus, 15
plures luminum luſus depromuntur, quibus orationes de Adventu Spiritus ſancti effloreſcunt. Placet aliquot hic ſubjicere. Cur pluvius è cœlo divinus ignis capita irrigaverit Diſcipulorum: an ut in germina effloreſcerent virtutum, datura fructus evangelicæ prædicationis?

Potuiſſet Priſca Poëtarum ſuperſtitio par- 16
co pepercine Promothei furto in exigua cœleſtis ignis particula ſublata ad hominis lutum animandum, quando ſe ſe totum in lutea pectora vitalis incendij ſplendido, auréoque diluvio infinitum liberaliter Numen effundit.

Non erat, cur Poëtarum commenta 17
Jovem fabularentur in aureum imbrem è cœli vertice in imum terræ delapſum unam fœcundaturum Danaem, cum cœleſtiumorbium Numen ſe ſe in ſplendidam demittat pluviam ſterileſcentia hominum pectora irrigaturum.

Quàm bellè cœleſte Numen cœli ſplendores ſecum defert in terram, jacebat hæc in ſqualore ignorantiæ, ac ſuperſtitionis obruta caliginibus: errorum tenebræ nonniſi fulgore lucis vinci debuerant.

Delabitur è ſupera nativa ſede pluvius 18
ignis, non quidem ad injurias irati Numinis ulciſcendas in terris, vel ad infames ſcelerum colluvione civitates abſumendas; ſed ut longè, lateque debacchantem impietatem extingueret.

Scio, Herculem Lernæi monſtri pullulan- 19
tia capita igne extinxiſſe; ſed cœleſte Numen pluvio igne cadaveroſum demortuæ naturæ caput vivido perfudit ſpiritu, igneóque animavit colore. Nero olim trabeatus uſtor ferali face urbem perdidit: ſed orbem inſtauravit divinus amor, cum ſuos in terram injecit ignes.

Nullius fuit ſolis indigus hic dies, ideò 20
omnium clariſſimus, quia ipſius conditor ſolis lucido profuſus imbre in terras illabitur, quas illuſtret. Fuerunt homines experti tam prodiga divini ſolis luce, terras torreri, & monſtra teneri ſuperſtitionum.

Anceps hæreo, ſi cauſam quæro, cur 21
ſuper Jordanis aquas pridem candidus ales volaverit, & hodie ſuper Sionis verticem pluvius è cœlo ignis exarſerit. Dubium tamen Divinus excutit amor: hic velociſſimè ad nos deſcendere cupiens volantis avis perniciratem, ut ſibi nimis tardam reſpuit, ac proinde vento invectus vehementiori rapidiſſimis in flammis veluti ſuper fluminum alas ad nos in imas evolavit terras.

23 Sed cur Spiritus candidiſſimæ veritatis præter morem nivei coloris omiſſo blandimento, pluvijs rubuit in flammis? An quia purpurato nuper ſui effuſione ſanguinis divinò Verbo, Deus Amor concolor illi apparere voluit in purpura flammarum? An quia hæ flammæ rogi fuerint vivaciſſimi, è quibus Idem Amor humanis jam pridem extinctus pectoribus debuit more Phœnicis auſpicatiore omine reviviſcere? O fauſtiſſimum omen non niveum, quia amoris eſt, ſed rubicundum! O felicem diem non albo ſignandum lapillo, ſed regiæ conſignandum Numinis purpuræ?

24 Pyrotechnites cœleſtis ſpectaculum daturus hominibus jucundè ſpectandum ſereno cœlo cadentia emiſit fulgura, pluviámque effecit igneam, quâ non tellus maderet, ſed corda arderent hominum

25 Si mare dixeris hominis vitam procellis turbulentum, fluctibus æſtuans, vorticibus efferveſcens, ſcopulis inſidioſum, ventis intumeſcens, citra naufragij diſcrimen hoc enavigârunt beata illa capita, quibus immortalitatis inſedit ignis, ut divini beneficio Spiritus laborioſæ navigationis duces haberent aſtra nunquam occaſura: neque ullum potuere naufragium vereri illa ſidera, quibus pro luce ignis erat, pro igne Deus ipſe; & Pharus curſum regens navigationis nocturnas inter cimerias divinus fuit Amor in plures diſpertitus igneas tædas.

26 Humanæ ſocietatis auctorem fuiſſe ignem plerique autumârunt; eò quia ad ignem recèns inventum accedentes homines cœperint ſimul congregati; ſermones miſcere, urbes condere, Reſpublicas conſtruere, negotia invehere, mutua rerum commercia exercere, ac informi adhuc orbi elegantem inducere formam. At pluvio de cœlo igni debetur quidquid elegantis, ac decoris ineſt mundo Vivebat ante mortale genus, ſed abſque calore, ſine ſpiritu charitatis, aſperum, rude, intractabile, moribus adverſum, ingenijs diſſimile, ſtudijs varium, tamque ſui avarum amoris, quàm alieni prodigum ſanguinis. Hanc incomptam, incongeſtam, ac pugnantem populorum congeriem, ſibique humani generis diſſentientem molem hodiernus liberali pluvia profuſus ignis concordi pace ſociavit, amoris blandimento lenivit, ac charitatis nitore polivit.

27 Quin ignes beatos è cœlo in terras pluvios dixerim, cœleſtis Hymenæi faces puriſſimo præludentes connubio, ac prælucentes terræ cœlo copulandæ? Niſi fortè delabentes flammulæ non tam ſplendore aureæ, quàm nitore gemmeæ pretioſos imitarentur pyropos ornatui aptandos Sponſæ.

28 Quàm opportunè divini fluvius amoris, qui è ſinu Patris ſcaturit, & Filij altiſſimas cœli ripas egreſſus, terram inundavit; ut agrum, quem Sator Deus paulò ante cruce araverat, vulneribus foderat, ſanguine opimaverat, nece fœcundaverat, corrivato etiam uberi fluvio irrigaret. Quàm felices hujus fluvij ſplendentes latices, cum non ſolùm pretioſas quaſque cœli merces, ſed cœlum etiam liquefactum, imò Deum ipſum vi amoris, ac cœleſtis ignis virtute fuſilem devehit in terram? quàm felix fluvius, qui terras devinxit olympo; non ponte, ſed igne?

Sed cur pluvius è cœlo ignis in capita de- 29
labitur Apoſtolorum; oráque eorum lambit afflatu adblandiens vitali? An quia ex antiquo Sapientum effato homo arbor eſt inverſa, debuitque igneus imber capillos, ſeu radices humanæ arboris irrigare, ut è radice ſacer ignis in ſingulos artuum ramos propagaretur? Vel ori adhæſit diſcipulorum, ut oſtenderet ſe ab ore divino emiſſum in ore libentiùs conquieſcere. Imò nec ibi conquieſcere, ſed tantiſper recondi, ut eorundem mox per ora, plura veluti per oſtia refuſus igneus fluvius in omnem exundaret terram.

Quid? quòd ad humani generis nocu- 30
menta delenda, flammarum aſſumuntur documenta? Nimirum qui noſtræ excuſſurus caligines ignorantiæ venerat à Patre miſſus Filius, ita doctrinam ſuam voluit attemperatam, ut illam votis opportuniſſimis in pluviam concreſcere cum Moyſe deſideraret; inſtárque antelucani roris fluere ſuum juſſerit eloquium. Mox cùm recèns è cœlo in terras præceptor delabitur pro frigeſcente pluvia, flammæ delabuntur; & pro roris antelucani eblandientibus guttulis igneæ ſummo è cœli vertice in imas terras depluunt linguæ; ut ad ſanctius vitæ inſtitutum, moréſque puriores per defœcatiſſimas linguas ubique terrarum homines erudirentur.

Ex inaccenſo divini Verbi Æternum Pa- 31
trem redamantis pectore proceſſerat Divinus hic Spiritus; quid expectare opportunius poterant mortales ex divina immortalium flammarum officina, quàm cuſpidatos in linguas ignes? Futuræ nimirum erant ſplendentes ignaræ mortalitatis eruditrices. Siquidem divino Spiritu Artifice inflexus ignis in linguas illam invexit è cœlo Sapientiæ lucem, quâ è terris ignorantiæ tenebræ diſpellerentur. Siquidem dum ſingulorum capitibus divinus inſedit ignis è cœlo pluvius, & anguſtas Apoſtolorum frontes innoxio coronavit incendio, ardoribus mox altiùs ingeſtis, ſecretiora cœli myſteria immiſit in animos, ut ignei Oratores erudita de palæſtra flammarum prodeuntes in ſolem ubique terrarum ſplenderent, nitidiſſimum, ſerenum invecturi Evangelij diem.

Quàm bellè è ſinu obſtrepentis nubis, non 32
fulmen aliquod metuendum, ſed adblandiens repente fulgor irrupit; aſſueta pluvias demittere lachrymarum, in imbres modò ſolvitur gaudiorum, quibus faciſcens reſtauraretur orbis. Si enim delabentes flammas Cometas dixeris, non tamen credas exarſiſſe in regnorum perniciem; ſed ad animorum captivitatem erigendam in regnum.

Mirum ſanè, quòd cum terra crebris fa- 33
ticens

tiſcens timulis aqueis reficiatur pluvijs, modò non aliter reſtauretur, quàm flammeo igne? An quia, quas non potuit in Noëmi cataclyſmo terræ ſordes unda delere; modò pluvius è cœlo ignis elueret? Vel iterum Spiritus Domini orbem peragrat, non ut olim ad fovenda rerum ſemina ſuper aquas incedens; ſed ad moliendam Eccleſiam ſuper ignem illabens. Amorem olim ſibi ſuum veluti diſſimulans, commercio delectabatur undarum: ſed hic quia totus amor eſt, ut hunc proderet, ſe præbuit in eluvione flammarum ſpectandum?

34 Sed cur modò Divinus Spiritus multiplices diſpertitur in linguas? An quia olim ſupremus rerum molitor plurium confuſione linguarum effrontes Gigantum auſus in Babelicæ turris molitione diſſipavit; hîc Eccleſiam Romanam ſyderibus verè æquandam ædificaturus linguarum varietate uſus eam ſummas erudivit virtutes, omnémque edocuit veritatis ſcientiam?

35 Id cauſæ, cur pluvius è cœlo ignis hodiernus non illabatur è cœlo de more aculeatus in fulmina; ſed ruat inſolitas obtuſus in linguas; quia odit amor fulminare, ac lædere; amátque oſculari, lambere, ac eblandiri. Tot ſiquidem divinus amor viſus eſt libâſſe oſcula, quot ignitas linguas in capita demiſit Diſcipulorum, quibus lambens inſedit.

36 Si in extruenda Babylonica turri, linguarum ex una in plures factum divortium viam ad impietatem omnem aperuit: eâdem planè debebant homines viâ, ſcilicet linguarum multiplicitate ad pietatē reverti, ut ex multis fieret cor unum, & anima una, & flexanimæ linguæ, abjectum illud Ethnicæ ſuperſtitionis cadaver novo veræ vitæ Spiritu animârent?

37 Cur verò ignea è cœlo illabens tempeſtas miſſilium linguarum innocentes fulminat? An quia fulmen amoris eſt lingua, quæ amabiles facilè flammas ejaculatur ad cor? An quia ſuum erga nos profuſum calorem prodigus amor non poterat niſi ardentibus linguis explicare? An quia Divini Verbi munus aptiſſimum cœleſtes ſunt linguæ?

38 Vicerat Athleta Chriſtus tartareas omnes poteſtates, debellaverat mortem, totúmque orbem ſibi ſubjecerat, non armorū vi, ſed amoris telo; non ferro, ſed ligno; tam ampla de Tartaro triumphato victoria non niſi à linguarum cataclyſmo debuit per totum promulgari orbem. Et cum armis triumphaverit amoris; æquum erat, ut flammeæ forent linguæ, cum igneus amor ignitis gaudeat linguis. Imò ſagax fuit amoris conſilium: imperium ſiquidem invaſurus animorum, vigili priùs aurium cuſtodiæ doloſa adblandientium linguarum præcenſione ſomnum conciliare moliebatur, ut faciliùs ſopitum hominem vinceret, non ut victus caderet, ſed erigeretur ad cœleſte Capitolium.

39 Quid? quòd in campum deſcenderit amor omnium diſſertus, ac multiplex linguarum; an ut fieret ipſe omnium cor unum. An verò ut propiùs ad animos penetraret per ignitarum eloquia linguarum? quàm verè & bene nunc eſt vita hominum in manu linguæ, vel potiùs in manu cordis; quando aliam non video eſſe manum cordis, quàm linguam flectentem animos, moventem corda, docentem homines. 40

Ineffabilis eſt divinitas, hanc homo nunquam ſatis explicare valuiſſet, niſi ad ſua enarranda attributa Deus ipſe diſſertiſſimas fuiſſet in linguas converſus. Amantis eccleſiæ cordi vitalis illapſus eſt ſpiritus, & in ejuſdem loquentis ore factus eſt lingua, ut inflammati cordis holocauſto par hymnus, & lingua reſponderet. Non mirum ſi non amplius in lege Evangelica ſicut in veteri loquatur Deus per Angelos. Non opus amplius fuit linguis Angelorum, ubi mundus ipſius Dei linguam, & vidit, & audivit. Per Angelos Deus olim legem daturus loquebatur ad homines: ſed nunc Deus ipſe fit lingua, ut legem Evangelicam hominibus ediſſerat 41

Conditurus rerum omnium molitor mundum, ſuique operis acturus triumphum pyrotechniam exercuit, quâ pulcherrimum cœleſtium ignium Dei digitus ſpectaculū in luna, & ſtellis elaboravit, ut Dei gloriam eò cœlū enarraret ardentiùs, quò terra uberiùs igneis inſtrueretur linguis. At reſtauraturus nunc mundum Divinus Spiritus ignitis gratiarum pluvijs univerſam irrigavit eccleſiam, & ardentiſſimas Apoſtolis impertitus eſt linguas, ut fulgurantium ſplendore linguarum præceptum amantis Domini lucidum, & eloquium charitatis divinæ conciperetur ignitum. 42

Sed quid cauſæ fuit, quod deliteſcentem in Bethleemitica caula, cœleſti ab aula delapſum humani generis Reparatorem unà duntaxat ſtella, ſeu flammea cœli lingua prædicaverit, monſtrâritque terræ Regibus: & Eidem mox cœlis recepto innumera propemodum ſydera linguas imitata occinant Epinicia? An ideo unius ſplendore ſyderis debuit vagientis Dei manifeſtari infantia; quia puderet cœlum inopiam, vagitus, & lachrymas ſui prodere Imperatoris; cujus triumphos nunc acturus totum prorſus abit diſſertiſſimas in linguas? An Juſtitiæ Soli humanitatis noſtræ exuvijs induto ſatis fuit, ſi una cœlo ſtella præfulſerit: ſed eidem mortalium ab oculis ſubducto æquum erat, ut infinita propemodum aſtra in terras delaberentur parentatura? An ut infinita propemodum aſtra unius ſolis jacturam redimerent? An quia Sabæis regibus Bethleemiticam perducendis in caulam unius ſplendor ſyderis ſuffecerat: & Chriſtianæ Religionis Principibus in varias orbis terrarum plagas profectionem meditantibus multiplices debuerant ſtellæ prænitere, ut diverſa ad littora curſum intendentes, ſua cuilibet præluceret proprij itineris cynoſura? neque incongruè in linguas cynoſuræ conformantur cum debuerint deſtinatum iter non ſolùm præambula luce ſignare; verùm etiam blanda perſuadere oratione. Vel ut Dei Verbum, quod hujus eſt merx pretioſiſſima navigij, deferatur in lingua. Vel ut laborioſæ navigationis moleſtias ſua vi cantu ſydereæ relevent linguæ? vel fortaſſis veriùs dixerim, adventantem in igneam procellam Sanctum Spiritum in gladium ſuas acuiſſe linguas;

ut eædem flammæ cud rentur in aſtra ad curſum dirigendum, ſimulque formarentur in arma ad orbem terrarum ſubigendum.

41 Memini in præcelſo Sinai vertice præter audita tonitrua, viſa fulgura etiam fuiſſe, ut horrida lux fulguris, ac prænuncia fulminis nonniſi metuendam legem, ac penè fulminantem præmonſtraret. Sed quàm Diſparem aperuit Splendor ſcenam in Sion: non fulgura irrumpunt, ſed igneæ præfulgent linguæ. Quantò diſtat diſcrimine lux Sion à luce Sinai; hæc ferit oculos, & fugit; illa ſumma coronat capita, quibus inſidet: hæc exiliens ſinum lacerat nubis maternum; illa nec unâ rimula invecta domum ingreditur, quam cœleſti gaudio opplet: hæc index eſt cœli in mortalium ſcelera excandeſcentis: illa placati, imò & amantis Numinis certiſſimum eſt pignus. Quòd ſi utraque cœli dicatur lingua, adhuc quæ legem in Sina dictavit balbutiens fuit; quæ verò Evangelium in Sion promulgavit diſertiſſima; illa condemnavit, hæc abſolvit; illa terrorem incuſſit, h c horrorem excuſſit; illa timoris legem pronunciavit, hæc amoris teſſeram nunciavit; ſed quid cauſæ, cur illapſæ de cœlo linguæ ſuper lectiſſimi cœtûs capita non ſtetiſſe dicantur, ſed ſediſſe? an quia cœleſtis opifex turrim volens eccleſiæ ædificare, priùs ſedens ſumptus computaverit operi perficiendo neceſſ rios?

42 Sed ſi ſpiritus ſanctus eſt Amor, & proprium Amoris ſagittas ejaculari, ac per vulnera inflicta cor ſibi ſubigere; cur nunc non telis, ſed linguis armatur? An quia ſagittarius Animorum certiùs per aures collimat? An quia Amor nullum tractat fulmen feriendis cordibus linguâ aptiùs? vel quia gaudent amoris tela in linguæ transformari ſpeciem, quia ſunt adeo victoriæ certa, ut cùm vulnus infligunt, ſibi adoreas pangant? Vel quia in miti adblandientis amoris prælio tela adhibentur, quæ lambendo forment oſculis; non deforment diruendo vulneribus?

EXPENSIO XXX.

De Rhetoricis ornamentis ſeligendis ex artibus liberalibus.

1 ARtes liberales ſunt, quæ non quæſtûs causâ, ſed excolendi animi gratiâ exercentur, quæ propterea, quia dignæ homine libero liberales nuncupantur; ſicut illiberales dicuntur mechanicæ, eò quia ſordeſcant inter cœtum hominum infimioris notæ. ſunt igitur artes liberales, quarum beneficio animus doctrinis excolitu, & ſcientijs diteſcit; quibus ſi deſtituatur, neceſſe eſt hebeſcat incultus, & efferetur agreſtis. Septem communiter recenſentur artes liberales hoc comprehenſæ carmine.

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tenor Angulus Aſtra.

Scilicet Grammatica, quæ etiam Poëticam complectitur; Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Muſica, Geometria, Aſtronomia. Harum ſcientia Artium eſt Orarori pernecesſaria, ut efficiatur orbis ille doctrinarum, quem Græci Encyclopediam vocant. Munus Oratoris eſt de obvia quavis materia aptè, ac appoſitè diſſerere, quo minimè fungeretur officio, ſi proprios cujusvis artis liberalis, & illiberalis, non calleret terminos.

Idque cauſæ fuit, cur Quintilianus *lib. 1. Inſtit.* contenderit Rhetores liberalibus, ac præſertim mathematicis eſſe artibus inſtituendos; 2 quæ tametſi in dicendo ſe non prodant, vim tamen occultè ſuggerunt, ut tacitè ſentiri videantur; autumátque Quintilianus non aliter ex ijs oratorem conſummatum effici, quàm antidota, & pharmaca ex multis diverſas vires habentibus perfectiſſima; aut mel vario florum ac ſuccorum genere evadere ſuaviſſimum. Perinde Orator ſingulas debet artes luſtrare, ac apes ſingulos in areolis flores libant. Hinc primam artium Mathematicarum muſicam tractat, cujus laudes deducit à cauſis efficientibus, ab adjunctis, exemplis, ac teſtimonijs. Deinde ad ejus deſcendit uſum, eámque antiquitùs adnexam fuiſſe Grammaticæ luculenter evincit; probátque Oratorem ab eadem numeros petere, qui in corpore ſunt, & voce, quorum alij ad geſtum, alij ad collocationem verborum, alij ad varios vocis flexus pertinent. Non tamen muſicam illam proponit fucis illitam, modíſque impudicis fractam, ac calamiſtris effæminatam, ſed plenam ſucco robuſtam, gravem, decoram, quæ ad movendos, leniendóſque animos plurimum obtineat roboris, plurimúmque valeat ad eoſdem coërcendos.

Geometriam itidem oſtendit Oratori 3 pernecesſariam, quam in laxa ſignificatione extendit ad Aritlimeticam, & Aſtrologiam; eò quia ſummæ, & computationes crebrò in cauſas incidant, quæ Arithemeticæ beneficio explicantur. Plerumque ſunt etiam de terminis, menſuris, finibus ac magnitudinibus controverſiæ, quæ abſque proba Geometriæ notitia judicari nequeunt. Demum probat magnam Geometriæ cum arte Oratoria eſſe cognationem propter ordinem utrinque neceſſarium; quod enim agunt in demonſtrando Geometræ, ut ex prioribus probent inſequentia, & ex certis incerta; idem præſtant dicendo Oratores.

Cæterum ſolent Diſciplinæ bipartiri in 4 humaniores, & ſeveriores; illæ quæ mitiores, ac manſuetiores audiunt, ac dicuntur, complectuntur Grammaticam, Poëticam, Oratoriam, Hiſtoriam, Dialecticam, & Ethicen. Reliquæ facultates magis ſpeculationi addictæ inter ſeveriores recenſentur. Hinc qui has omnes callet diſciplinas eruditus dicitur; ut etiam doctus, qui rerum rationes tenet; qui verò rationi experientiam addit, peritus vocatur. Honores Academici, publica ſunt comparatæ eruditionis teſtimonia; & hiſce qui donantur honoribus can-

candidati vocantur. Dicitur Academia à quodam Academo, qui locum poſſidebat ſuburbanum, ac nemoroſum propè Athenas, ubi Plato natus, & Phioſophatus fuit. Quamobrem Academia eſt officina transfundendi eruditionem in hominum animos, quod neceſſarium viſum fuit ad Rempublicam ſcitè inſtituendam; ac humanam ſocietatem ineundam; in hac enim diſcunt homines non minus rectè ſapere, quàm bene agere, & loqui.

5 Tempus ſtudijs ſtatâ lege aſſignatur matutinum, etiam antelucanum, ac veſpertinum; & interdiu horæ ſucciſivæ, ac intermiſſariæ. Tempus tamen magis opportunum, & accommodatum litterario pregreſſui eſt Aurora, quæ propterea muſis dicitur eſſe amica, & aurea hora; tunc animus vacat in receſſu, & ingenium poſt inſtauratas per nocturnum ſoporem vires maximè viget. Si quid elucubrandum eſt horis nocturnis, cereus commodiùs inſervit, quàm ſebacea candela, quæ fumida, & inæqualis luminis oculis nocet. Candelabrum ſit elevatum, umbraculũ viride medium inter lumen, & oculos ſcribentis, emunctorium ſit præſto ad ellychnium emungendum, quoties incipit obumbrare. Lucerna tamen oleo inſtructa eſt commodior, præſertim ſi ſit Cylindrica ſuperiùs clauſa, inferiùs canaliculo roſtrata, cui ellychnium inditur, & crepidine prætexta, qua oleum excipitur, & infunditur per os quadratum, ſeu orificium metu vacui minimè profluxurum, quin priùs ardore ellychnij rareſcat, locúmque cedat aëri ſubintranti; hujusce lumen lucernæ turritæ cum non ſcintillet, neque multum emittat fumi, nec facilè in fungum concreſcat, oculos non lædit, quorum potiùs eſt ſalus, & tetræ, lurid æque eſt noctis ſolatium. Inter artes liberales ſermocinatrices prima eſt grammatica ſuam à Grammaticis, ſeu litteris trahens nomenclaturam; docétque teſte Tullio verba efferre ab omni reprehenſione immunia ſuis adjuncta caſibus, temporibus, generi, numero, ne quid perturbatum irrepat, ac præpoſterum. Cenſet Suetonius Grammaticos dici quotquot ſunt litteris bene imbuti, & Grammatiſtas, qui ijsdem leviter tantùm ſunt tincti. Quintilianus verò Grammaricem diviſit in rectè loquendi ſcientiam, & Poëticam: & Tullius notitiam addidit hiſtoriarum. Seneca tamen vocans Grammaticos Latini ſermonis cuſtodes, ait, eſſe artem, quâ rectè, & ſine vitio latinè loquimur; ſunt enim vitia, quibus latini ſermonis puritas corrumpitur plura, ut *Solæciſmus*, qui eſt impar, & inconveniens compoſitura partium orationis, & à vetuſtioribus Latinis *ſtribligo* dicebatur, quaſi *ſtrobligo*, ſen verſura, & pravitas tortuoſæ orationis. *Barbariſmus* eſt dictio barbara, vel latina vitioſa ſignificatu, vel pronuntiatione, aut ſcripto. *Idiotiſmus* eſt conſuetudo vernaculæ linguæ, ut ſi non occurrens ſtatim proprium alicujus rei vocabulum latinum, verbo vernaculo ad latinitatem inflexo quis utatur. *Cacophaton* eſt deformis litterarum concurſus

Tapinoſis rei magnitudinem verbi minuit humilitate. *Tautologia* verba, vel litteras ineptè iterat. *Macrologia* ſuperflua profert, & non neceſſaria; In ſubſidium Grammaticæ veniunt varia lexica, & onomaſtica, in quibus agitur de vocabulis ſimplicibus, compoſitis, primitivis, derivatis, eorúmque origine, ac etymologia, de epithetis, antithetis, ſynonimis, phraſibus, elegantijs, floribus, parœmijs, adaglјs. Qui arrogantiùs poteſtatem ſibi ſumunt aliena ſcripta mordaciùs obtrectandi, ac Theonino dente mordendi dicaces vitiligatores, Momi, Zoili, Theones, Ariſtarchi audiunt.

Matheſis eſt diſciplina illas omnes artes complectens, quæ firmis nituntur demonſtrationibus, cujus propterea partes ſunt Aſtronomia, Aſtrologia, Horolographia, Arithmetica, Algebra, Trigonometria, Perſpectiva, Optica, Catoptrica, Dioptrica, Muſica, Geometria, Geodæſia, Geographia, Chronologia, Mechanica, Stathica, Architectonica, Polemica, quæ occupatur in propugnaculis conſtruendis. 6

Aſtronomia, quæ Uranometria, & Uranoſcopia etiam audit, ſcientia eſt ſideralis, inveſtigans corporum cœleſtium numerum, ordinem, poſitionem, magnitudinem, motus. Siderum ortus, obitus, coſtellationum, ſignorúmque formas, imagines, progreſſus, regreſſus, ſtationes, conjunctiones, oppoſitiones, eclypſes, ac eorum vires, actiones, qualitates, influxus, efficientiam. Ut autem faciliorem ſibi viam Aſtronomi ſtruerent, qua notitiam nanciſcerentur aſtrorum ſphæram invenêre pertuſam diſtinctam in circulos plures inter ſe inſtar armillarum inflexos. Stellas moveri circulatim, ſeu cieri in gyros evincit quotidiana ad eadem loca reditio; idque cauſæ, cur cœlum inferatur ſphœricum, ac eidem axem ineſſe, circa quem jugi cieatur revolutione; bináſque axis extremitates, ſeu immobiles polos, aut vertices; quorum alter ſeptentrionalis Arcticus Borealis; alter Meridionalis, Antarcticus, vel auſtralis dicitur. Inter Polos in medio ſphœræ maximus fingitur circulus, éſtque Æquator, cui duo reſpondent paralleli æquali intervallo ab æquatore diſtantes. Súntque Tropici ſic nuncupati à reditu, & converſione ſolis ad æquatorem, quorum alter nobis propinquior cancer æſtivus: alter vergens in auſtrum, tropicus dicitur Capricorni: uterque eſt ſolſtitialis, non quòd ſol in ijsdem quieſcat, quaſi defatigatus ſuo à ſemeſtri itinere; ſed quia per dies aliquot neque umbræ gnomonum, neque longitudo dierum, ac noctium ſenſibilem videantur mutationem ſubire. In ſolſtitio Caneri omnium laxiſſimi illucent dies; ut omnium breviſſimi in illo Capricorni. Æquatuor dirimit totam ſphœram in duo hemiſphœria, ad quæ cum ſol appellit æqualem, nocti efficit diem. Obtingunt æquinoctia bis in anno in principio ſcilicet ingreſſus ſolis in Arietem; & ſub initium Li- 7

biæ;

bræ: illud æquinoctium Vernum, hoc Autumnale dicitur.

Æquatorem Zodiacus duobus locis interſecat, éſtque circulus cæteris amplior inter mundi polos obliquè locatus, ac in duodecim ſigna diſcretus, quæ ſunt

♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍
Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
♎ ♏ ♐ ♑ ♒ ♓
Libráq;, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces.

8 Hæc ſigna à Græcis Dodecatemoria dicuntur, quorum ſex priora ſeptentrionalia, poſteriora vocantur Auſtralia: ſingulis tribuuntur 30. gradus, qui unà computati efficiunt gradus 360. in quos totus orbis cœleſtis, & terreſtris diſtribuitur. In Zodiaco, ſeu cingulo hoc lato, & obliquo fit orbita planetarum præſertim ſolis ab uno tropico tranſeuntis ad alterum annuè, conficiendo quotidie gradum quaſi unum. Media hujus orbitæ linea vocatur eclyptica, eò quia ſub ea directè conjuncta duo luminaria Sol, & Luna eclipſim patiantur. Sol dicitur eſſe in aliquo ſigno Zodiaci, quando movetur infra illud ſignum ſecundùm lineam rectam, quæ ex centro terræ cogitatur per illud duci. Coluri dicuntur circuli mutili, qui habitantibus in ſphœra obliqua non integri apparent. Sphœra recta eſt reſpectu eorum, quibus uterque polus jacet in Horizonte, cujusmodi ſunt, qui ſub linea habitant æquinoctiali. Alijs verò extra hanc lineam, quibus neceſſariò una pars ſupra Horizontem elevatur, & altera infra deprimitur, ſphœra eſt obliqua. Tametſi 180. Coluri per utrumque mundi polum decurrentes ſoleant numerari; præcipui tamen ſunt duo per quatuor cardinalia Zodiaci puncta. Circuli polis propinquiores polares dicuntur, ſuntque omnium minimi, & quotidiana volutatione circa mundi polos verſabiles. Zonæ cœleſtes quinque deſcribuntur duæ frigidæ in utróque polo; duæ temperatæ verſus meridiem; & quinta torrida ſub linea æquinoctiali. Circuli cuilibet loco proprij, & immobiles ſunt Horizon, & Meridianus dictus à Meridie, quem ſol efficit ad hunc orbem delatus. A meridie deſumitur menſura elevationis Poli ſupra Horizontem. Duplex autem eſt Horizon Rationalis, & Senſibilis: ille cœlum præciſè dividit in duo Hemiſphœria: iſte qui & finitor dicitur, ſeu terminator viſûs habetur in illo terræ, & cœli termino, ad quem viſus à quovis loco, in quo quis ſtat, terminatur. Plura, ſi cupis de aſtris, meum conſule tertiumTomumPhiloſophiæ, vel alios.

9 Aſtrologia eſt ſcientia prædicendi res futuras ex ſyderum inſpectione. Non enim inficiari poſſumus vim, & efficaciam ſiderum in naturas ſublunares, ſiquidem non torpent jugi otio tot in cœlis illuſtres ſtellarum flammæ: unde eam tantùm refellimus, damnamúsque Aſtrologiam Judiciariam prohibitam ab Eccleſia; & quam olim profeſſi ſunt Priſcillianiſtæ, de quibus S. Leo Papa epiſt. 71. *Fatalibus ſtellis animas hominum, & corpora opinantur adſtringi.* Quæ enim ab Aſtrologis Judiciarijs circumferuntur de moribus hominum, atque fortuna tam ſuperſtitioſa, tam vana, tam ridicula meritò cenſentur, ut horrorem probis, ſtomachum doctis, odium ſapientibus, facetibus riſum, & nauſeam omnibus pariant. Univerſum cœli ambitum ſecant Aſtrologi in duodenas partes, quas vocant domos, quarum primam vocant domum vitæ. Secundam ſubſtantiæ, & bonorum. Tertiam fratrum. Quartam Parentum, & patrimonij. Quintam liberorum. Sextam ægritudinum. Septimam Conjugis. Octavam mortis. Nonam Religionis. Decimam honorum. Undecimam Amicorum. Duodecimam Carcerum, & triſtitiæ. Curſus, regreſſus, ac aſpectus obſervant ſeptem planetarum, quorum ordo his verſibus indicatur.

Saturnus prior eſt, hinc Jupiter, inde Gradivus.
Poſt ſequitur Phœbus: Cypria quinta Venus.
Mercurius ſextus; verum infima, & ultima Luna eſt.

Sed ordine proprio breviùs hoc uno continenter carmine.

Saturnus, Mars, Luna, Venus, Sol, Jupiter, Hermes. 10

Septenas numerant Planetarum dignitates, quæ ſunt, domus, Exaltatio Trigonus, Terminus, Carpentum, Perſona, Gaudium. Ne operam videar ludere, abſtineo à nugis hiſce enucleandis. Aſpectus Planetarum quinos diſtinguunt; quorum primus vocatur *Sextilis*, cum unus planeta ab alio diſtat ſexta parte Circuli ſcilicet gradibus 60. Secundus aſpectus dicitur *Quadratus*, cum planetæ diſtant invicem quarta parte ejusdem circuli, ſeu gradibus 90. Tertius dicitur *Trigonus* cum tertia parte, ſeu gradibus 120. planetæ diſtant ab invicem. Quartus dicitur *Oppoſitionis* cum uterque planeta eſt diſtinctus gradibus 180. Quintus eſt *Conjunctionis*, cum duo planetæ ſunt in eodem ſigno Zodiaci. Rursùs docent, Planetarum influxus eſſe admodum diſcrepantes, Jovis, & Veneris eſſe ſaluberrimos, Saturni, & Martis infeſtiſſimos. Cæterorum trium varios, & ancipites: addunt Planetas, vel amicitias inire, vel odijs diſſidere. Excepto uno Marte, Jovem à cæteris planetis amari. Veneri amicos eſſe Solem, Jovem, & Mercurium. A ſola Venere amari Martem. A Jove, Venere, & Saturno amari Solem. Non item à Mercurio, & Marte. Sexcentas alias hujus furfuris nugas garriunt, quæ ſatiùs omittuntur, quàm recenſeantur.

Horolographia ars eſt conficiendi horologia, de quibus cum pleraque ſuperiùs dixerimus, hic raptim pauca ſubjiciemus. Sicut triplex eſt modus notandi horas, ſcilicet fluxu partium alicujus corporis, ut aquæ, arenæ, vel fluxu partium motûs corporis cujuspiam; ut rotæ, vel umbræ ſolis, aut alterius aſtri: ita triplex datur horologiorum genus, ſcilicet horologia Hydraulica, quæ fluxu 11

arenæ,

arenæ, vel aquæ ſignant, quota ſit hora. Horologia Scioterica, quæ ſolis umbrâ, vel alterius aſtri oſtendunt horas. Et horologia rotata, quorum aliqua utpote exigua ſunt geſtatoria, ac manualia, dicunturque pyxides horariæ, ſi includantur pyxide, vel Cylindri, baculi, cruces, annuli horarij, in hiſce enim rebus, alijsque ſimilibus ſtruuntur horologia ſolita circumferri. Partes horologiij rotati ſunt Libramentum, Pendulum, Primaria rota, Rota Libramenti, Rota horaria, Palmula præcipitans motum, pondus, Nola, Index horarius, virgula horarum index, In quadrante horario beneficio acûs magnete illita dignoſcitur, quota ſit hora.

12 Horologia Sciorerica, in quibus ſolis umbra horas indicat; alia ſunt regularia, ſolari aſpectu paralela: alia irregularia: illa ſunt horizontalia, vel verticalia, quorum alia ſunt meridionalia, alia ſeptentrionalia, Orientalia, Occidentalia. Horrologia irregularia, ſeu Anomala ſunt, quæ declinant, vel inclinant, vel declinant, & inclinant ſimul, Dividi etiam ſolet horologium in Aſtronomicum indicans horas à media nocte ad mediam noctem: Babylonicum quod à ſolis ortu ad alium ſolis ortum; Italicum, quod ab occaſu ad occaſum horas indicat. Fuit etiam horologium antiquum, ſeu Judaicum quod diem, noctémque in duodenas horas diſtinguebat inter ſe æquales; ex quo fiebat, ut per dies Æſtivos noctésque hyemales horæ duplo fermè eſſent longiores, quàm per dies Hiemales, & noctes Æſtivas.

Arithmetica eſt ſcientia ſupputatrix,
13 ſeu ut placet Ciceroni ars numerandi; inveſtigat enim numerorum naturam, vim affectiones, ac proprietates, quas explicat: & ſicut momentum eſt initium temporis, & punctum magnitudinis; ita unitas, ſeu monas principium eſt numeri, qui collectio eſt unitatum, à quibus inchoatur, ac terminatur. Notæ numerales ſunt decem, è quibus decima per ſe, & ſeorſim nil ſignificat, & Arabicè dicitur *Cifra*, latinè, *nulla*, & ſcribitur (o) ex hiſce decem notis fit totum alphabetum Arithmeticum. Numerorum recenſio eſt, duo, tria, quatuor, quinque, decem, viginti, triginta, quadraginta, quinquaginta, ſexaginta, ſeptuaginta, Octoginta, nonaginta, centum, ducenti, æ, a. Trecenti, æ, a. Quadringenti, quingenti &c. Adjectiva numeralia ſingularia ſunt. Primus, ſecundus, tertius, quartus, quintus, decimus, vigeſimus, trigeſimus, quadrageſimus, quinquageſimus &c. Numerorum adverbia ab hiſce numeris derivata ſunt. Primò, ſecundò, tertiò, quartò; vel Primùm, ſecundùm &c. Adjectiva pluralia numeralia ſunt ſinguli, æ, a. Bini, æ, a. Terni, æ, a. Quaterni, æ, a. Quini, æ, a. Seni, Septeni, Octoni, Noveni, Deni, Undeni, Duodeni, Terni Deni, vel Tredeni; quaterni Deni, quindeni, Seni deni, ſepteni deni, Octoni deni, Noveni deni, Viceni, triceni, quadrageni, quinquageni, ſexageni, ſeptuageni, Octogeni, Nonageni, Centeni, Ducenteni, trecenteni &c. Adverbia numeralia ſunt ſemel, bis, vel iterum, ter, quater, quinquies, ſexies, ſepties, octies, Novies, Decies, undecies, duodecies, tredecies, quatuor decies, quindecies, ſexdecies. Decies ſepties, decies Octies, Decies novies, vicies &c. Munera Arithmeticæ ſunt inire numeros, Putare, ſupputare, computare, Rationes ſubducere, ſubtrahere per ademptionem numeri minoris à majori; vel æqualis ab æquali. Multiplicare eſt ducere unum numerum in alterum, qui toties augetur, quot unitates ille continet, numeri multiplicandi dicuntur dati; quæſiti verò ſeu facti, qui ex multiplicatione reſultant. Dividere, eſt diviſio, ſeu inventio numeri exprimentis, quoties minor aliquis numerus in aliquo majore continetur; vel in quo toties ineſt unitas, quoties diviſor in dividendo, ut ſi numerus dividendus ſit 29. diviſor erit 5. contentus autem, ſeu quotus, eſt 4. In fractione numeri diſtinguntur linea interjectâ, è quibus ſuperior dicitur numerator, ut eſt 2. In hac minutia $\frac{2}{3}$ Inferior numerus dicitur dominator; & indicat in quot partes numerus integer ſit ſect⁹.

Optica eſt ſcientia, quâ rectè dijudica- 14
tur viſibile, ejúſque veritas à fallacia diſcernitur, cujus tota ratio in viſu ſita eſt, ſeu ſenſu videndi; & ipſa viſione, quæ eſt actus ſenſus videndi, & luce, colore, & umbra, eorúmque figuratione, & varia radiorum ſuper diverſas figuras projectione: Explicátque quid cauſæ, cur recta curvis, curva rectis, quadrata rotundis, tumida depreſſis, ſolida planis, convexa cavis, directa flexis reſpondeant. Quia verò res videmus interdum per radios directos, ſeu rectos, nonnunquam per reflexos, vel etiam per refractos, inde fit, ut optica ſeu Perſpectiva in ternas dividatur ſpecies, quarum prima commune ſervat opticæ nomen, & agit de ijs, quæ ad rectum radium ſpectant. Secunda dicitur Catoptrica, & tractat de radio reflexo. Tertia vocatur dioptrica, & verſatur circa radium refractum; quibus à nónnullis additur Gnomonica, quæ docet conficere horologia Sciotherica, ſeu ſolaria; & ſcenographica explicans picturæ requiſita, & fundamenta ſecundùm figurationem lucis, & umbræ.

Materia opticæ eſt viſus, & ea omnia,
quæ concurrunt, ut per radium directum attin- 15
gantur objecta. Eſt viſio receptio ſpeciei, ſeu ſimulacri aſpectabilis in oculum per aliquem ex prærecenſitis radijs beneficio lucis, & coloris. Eſt lux fulgor corpori lucido inhærens; lumen, quod ab eo veluti lucis imago producitur, & diffunditur, redditque illuminatum ſubjectum, in quod incidit. Color eſt qualitas orta ex perſpicui cum opaco commixtione. Primarij colores quatuor ſunt, & videntur in elementis: albus in ſicco, cujus ſubjectum eſt terra: viridis in humido craſſo, cujus matrix eſt aqua; cæruleus in humido tenui, qui fit in aëre

ſlavus in calido, qui ſequitur ad ignem conden-
ſatum. Pellucidum, ſeu Diaphanum eſt cor-
pus lumini, & colori permittens tranſitum,
quem prohibet opacum. Optica igitur natu-
ram viſus diſcutit, & in qua oculi parte fiat.
Quærit quid cauſæ ſit, cur quæ cernimus nunc
majora, nunc minora nobis appareant; modò
clariùs diſtincta, modò magis confuſa: nunc
propinquiora, aliàs remotiora, Cur plerique
nonniſi ex propinquo; alij tantùm ex longinquo
videant: cur oculus ſe minimè videat, unde fiat,
ut oculis ambobus cernatur unica tantùm res;
& non duplex. Cur minora, quàm ſint, appa-
reant quæ eminus cernuntur objecta. Cur li-
neæ duæ parallelæ, quò longius recedunt, eò
videantur propiores inter ſe fieri: cur poligo-
na ex diſtantia loci appareant rotunda, quæ
omnia ſunt hallucinationes provenientes ex ca-
rentia alicujus requiſiti; ut enim aliquid ſubji-
ciatur aſpectui debito modo, requiritur conve-
niens magnitudo rei aſpectabilis, ejúsque mo-
ra ante oculos, ſitus, diſtantia, recta ſensûs diſ-
poſitio, radius, ſeu linea lucida, vel colorata è
centro rei viſæ in videntem oculum protenſa;
medium quod debet eſſe pellucidum, ut æther,
aër, aqua, vitrum, cryſtallum, ſuccinum; per
hæc media radij tranſeunt, qui ſi antequam ab
objecto ad oculum pertingant ex uno medio re-
cidunt in aliud diverſæ denſitatis refranguntur,
& repræſentant objectum immutatum; quo
pacto videmus baculum rectum in aquis appa-
rere curvum ob refractionem radiorum per aë-
rem, & aquam penetrantium.

Quòd ſi radius à corpore Diaphano illa-
16 batur in opacum, & politum, & ab eodem re-
percuſſus reſiliat in idem corpus pellucidum, ut
cernitur in ſpeculis, tunc habetur radius refle-
xus, de quo diſſerit Catoptrica, cujus munus
eſt explicare variarum reflexionum leges, cau-
ſas, pro vario ad corpora diverſimodè figurata
appulſu. Item Specularins omnia ſpeculorum
genera, plana, convexa, concava, parabolica, el-
liptica, hyperbolica, uſtoria. Rationes pro-
ducere cur in ſpeculis planis objecta, quò ma-
gis diſtant à ſpeculo, eò magis retrò ſpeculum
videantur obducta; in ijsdem dextra appareat
ſiniſtra. Cur in ſpeculis poligonis objecta
multiplicentur, in convexis contrahantur, in
concavis amplientur: in ijsdem ſi cavitas ſit ſe-
ctio coni parabolica, ſeu conicè oblunga ſolares
excepti radij in unum coeant, & ignes excitent.

Dioptrica edisſerit de refractione radio-
17 rum, ejúsq; tradit leges, ac rationem docet con-
ficiendi genus omne tuborum opticorum, ſeu
teleſcopia, microſcopia, engyſcopia, & alia id
generis inſtrumenta inſervientia objectis tū am-
pliandis minuendis, admovendis, removendis.

Muſica à muſa, ſeu cantu dicta verſatur
18 circa numerum ſonorum, eſtque ars canendi
juxta præſcriptas leges, & tripartitur in *harmo-
nicam* ſitam in modulata vocum varietate: *Or-
ganicam*, quæ coaleſcit ex pluribus inſtrumentis
arte ad id compoſitis: & *Symphoniam* comple-
ctentem voces, & inſtrumenta ſimul inter ſe ne-
xu, conſenſu, ordine, proportione, & concen-
tu cohærentia. Sonus propriè eſt vox aures fe-
riens. Tonus ſpatium duobus circumſcriptum
ſonis, ſeu diſtantia gravem inter & acutum. So-
ni inæquales conſtituunt intervallum muſicum.
Tonorum nomina ſunt, tonus, ſemitonium, di-
tonus, ſemiditonus, Diateſſaron, Triton, Dia-
pente, Hexachordon, Heptachordon, Diapazon
Syllabæ muſicæ ſunt vocum differentiæ, ſexque
recenſentur Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La aliqui ad-
dunt etiam ſeptimam juxta illud Virgilij *Septem
diſcrimina vocum*, Harum ſyllabarum originem
Guido Aretinus Italus circa annum vigeſimum
ſecundum ſupra milleſimum duxit ex Hymno
S. Joan. Baptiſtæ

Ut queant laxis
Re-ſonare fibris
Mi-ra geſtorum
Fa-muli tuorum
Sol-ue poluti
La-bij reatum
Sancte Joannes.

Modi muſici plures, & varij ſunt, ut æquabi-
lis numeri muſica, Triplex Major, Triplex mi-
nor, modi plani, ac ſimplices. Harmonia rudior,
Harmonia ternis conflata partibus, Plena muſi-
ſica, ſuis conſtans numeris, Monophonia, Canti-
lena, muſicè modulatum carmen, concentus,
ſymphonia. Muſicè concinentium chorus. 19

Partes Muſicæ ſunt vox acuta; alter ab acuto
tonus Contra, ſeu Altus; ſonus ſubgravis, ſeu te-
nor; gravis ſonus, Imus ſonus; Numeri; Sym-
phonia reciprocans; Inflexo crebrius ſpiritu va-
riatus ſonus; vocis quaſi fugientis inſectatio; ſu-
ſpiria, ſemiſuſpiria, Diæſis, Mora, Notæ Muſicæ
ſunt nota brevis; Semibrevis, Alba, rotunda; Al-
ba caudata, Nigra caudata, vel rotunda; Adun-
ca. Adunca duplex. Vocis perfectiones ſunt, vox
clara, reſonans, ſplendida, acuta, ſuavis, lenis, va-
lida, contenta, grandis, gravis. Vocis defectus
ſunt vox gracilis, tenuis, parva, imbecillis, abſo-
na, agreſtis, interrupta, immanis, incondi-
ta, aſpera, abſurda. Variari ſolet vox ad aures
ſuavius demulcendas; ſunt qui faſtidiunt con-
centum, ſtabilem, & gravem, plenúmque autho-
ritatis; & modulos, neſcio quos amant, ac fre-
quentamenta, quibus concitatur minutim can-
tus, diſſilens, fractus, ac enervans plenam illam
ſonorum vocum vim, ac poteſtatem; quâ non u-
tuntur arte ad muſicas canentes modulos? qua-
les non exhibent in vocis inflexione, variatione
argutias? nunc protrahunt, mox ex inſperatò
amputant; iterum redintegrant, glomerant, ad
fugam, impellunt; ſiſtunt poſt curſum, docéntque
argutiolas modulorum, ac bellè cadentes
ad numerum charites, velut artis appendices ul-
timas, ac cincinnulos concinnare. Iterum affe-
ctant ductum celerrimè ſpiritum librare, veluti
pennis, ac in ſublime promittere, ſiſtere, revo-
care, circumagere, ac verſare quaſi turbinem; ut
non ore, ſed torno vibratos putes modulos; rur-
ſus improviſa demiſſione vocem introrſum fle-
ctere, & ſurda quadam titillatione provehere;
mox exultantem cantûs hilaritatem fractis i-
dentidem numeris, & quaſi mæſtitudine tem-
perare; nunc ſonum illidere, implicare, ex-
plicare, ſuſpendere, variare, producere; ſu-
ſpirijs, trepidatione, modulatione, aliiſque

ſex-

ſexcentis modis inflectere, variare, ac aures ſuaviſſimo cantu permulcere.

Geometria ars eſt metiendi terræ tractus, & conſiderat rei magnitudinem, vel quantitate continua per partes ſibi ſuccedentes, cujusmodi eſt quantitas temporis; vel per partes rei permanentis, cujusmodi eſt extenſio corporis; vel indiſcreta, ex qua numeri coaleſcunt. Quatenus verò Geometria explorat alta, profunda, lata, plana, gibboſa, longa, brevia, magna, parva, craſſa, denſa, ſuas menſiones pergit per puncta, quæ ſunt inſectila & principia magnitudinis, ſeu lineæ; deinde progreditur ad lineas,
21 ſuperficies, terminos, angulos, & corpus

Linea, quæ incipiens à puncto definit in punctum eſt vel ſimplex, vel mixta; illa eſt, vel recta æqualiter inter puncta ſua interjacens; vel curva, ſeu obliqua; ſive hæc circularis fuerit, ſive ſpirata, conchata, ovata, lenticularis, ſerpentina, ſeu flexuoſa. Linea mixta coaleſcit ex recta, & curva. Linea ad aliam comparata, ſi æquali ductu ab alia ſemper diſtet, eſt illi parallela; ſi directè ſuper alteram inſiſtat, eſt perpendicularis; ſi incubet eſt tangens; ſi permeet dicitur linea ſecans. Ex concurſu linearum fit angulus, vel rectus, cum linea recta rectam tangens æquales facit angulos; vel obliquus, cujus crura non ſunt ad perpendiculum erecta; vel acutus minor rectô, vel obtuſus major recto. A lineis, & angulis progreſſio fit ad figuram, quæ ſecundùm Euclidem unô, vel pluribus clauditur terminis; quo pacto circulus deſcribitur unica linea curva: triangulus tribus lineis rectis, ſuperficies plana ſi conſtet ex rectis lineis dicitur rectilinea: ſi ex curvis curvilinea. Si ſuperficies ſit gibba tunc vel eſt ſphœrica,
22 vel conica, vel cylindracea.

Partes figuræ ſunt quinque 1. Centrum, ſeu punctum in figura medium. 2. Perimeter, ſeu comprehenſio, vel ambitus figuræ. 3. Radius ſeu linea recta à centro ad perimetrum protenſa. 4. Diameter, ſeu linea recta per centrum figuræ ducta. 5. Altitudo ſeu linea perpendicularis à vertice figuræ ad baſim erecta. Figurarum omnium capaciſſima, & ſimpliciſſima eſt circulus conſtans ex unica linea ambiente, quam Græci vocant Periphæriam, à cujus puncto medio, ſeu centro ductæ lineæ ſunt æquales. Diameter adæquans tertiam partem periphæriæ circulum biſariam dividit; ſin autem altera linea transverſim ſecet, efficit radios, ſeu ſemidiametros. Peripheria ſecatur in quadrantes quaternos, & quilibet quadrans in tres partes æquales, & harum quælibet adhuc in totidem, & iterum quævis in quinquæ diſtribuitur, adeout quadrans dividatur in partes 90. Semicirculus in partes 180. & circulus in partes 360. Figuræ corporis ſolidi ſunt, Pyramis, Priſma, ſphæra, Cylindrus, Conus, obeliſcus.

23 Geodæſia perinde eſt, ac terræ partitio, & differt à Geometria, quia hæc expendit magnitudinis principia, affectiones, proprietates & ſpecies citra conſiderationem materiæ: Geodæſia verò oſtendit uſum in tali ſpeciali ſubjecta materia, adeo ut tota verſetur circa praxim, ad quam exercendam utitur menſuris, quarum celebrior eſt *Virga*, quæ *menſoria* dicitur, aut *regula pantometrica*, vel *ſcala proportionum*, continens pedes, minutos, & contractos, & cum in denos diſtribuitur pedes *Decempeda* vocatur. Menſuræ particulares longitudinum, ac latitudinum ſunt *Leuca*, *Paraſanga*, *milliarium*: *ſtadium* continens octavam mille paſſuum partem, ſeu pedes ſexcentos viginti quinque, quæ menſura octies reperita efficit mille paſſus; *Jugerum*, eſtque menſura juxta Quintilianum ducentis quadraginta pedibua in longitudinem, dimidij in latudinem comprehenſa; & dicitur à jugo, eò quia teſte Plinio *lib. 8.* tantum ferè ſpatij uno jugo boum in die arari poſſit. *Decempeda*, ſeu pertica, quâ menſuratur terra, ducitúrque à numero decem pedum: ſicut *quincupeda* à quinque pedibus. *Orgya* eſtque genus menſuræ continens ſex pedes: ſeu utriuſque manus extenſionem, quam Latini *Vlnam* vocant. Sunt aliæ miniores menſuræ, ut *Paſſus*, *Cubitus*, *Pes*, *Palmus*, *Pollex*, *digitus*. Veteres Latini Orbem terrarum diviſerunt in partes, has in Provincias; Provincias in Regiones, has in loca, Tractus, & Territoria; hæc in Agros, hos in Centurias, has in jugera, hæc in climata; climata in perticas, paſſus, gradus, cubitos, pedes, palmos, uncias, & digitos

Statica eſt ars, quæ verſatur circa pondera, 41
quæ ſunt libra ſelibra, Uncia, ſicilicus, ſemiſicilicus, Dracma, ſcrupulus, Granum, Carobus. Ex libris fiunt majora pondera, ut ſesqui libra, ſeu libra, & media, Centipondium conſtans centum libris, partitur etiam in minora; ut ſunt libræ dodrans, ſeu tres partes libræ; ſelibra, ſeu media libra, quadrans libræ, ſeu quarta pars; libræ ſextans, ſeu ſexta pars; Uncia ſeu duodecima pars. Græcè libra dicitur Mna, vel mina, latinè Attica libra Vigeſima pars unciæ vocatur ſcrupulus. Duodecima dimidium ſextulæ, ſexta ſextula; media pars unciæ ſemjuncia; uncia & media ſeſcuncia. Duæ unciæ dicuntur ſextans; tres quadrans, ſeu quarta pars libræ; quatuor, triens, quinque quincunx; ſex ſemis; octo Bes; novem dodrans, decem dextans, undecim deunx. Inſtrumenta ponderibus inſervientia ſunt *Trutina*, cujus partes ſunt librile, ſeu anſa, vectis transverſus in medio ſuſpenſus æquali utrinque magnitudine, ac pondere à cujus extremis binæ pendent lances æquales: in centro librilis eſt axiculus, ſuper quem fit libratio. Duplex eſt ratio libræ, ſeu penſitationis; prior habet centrum in medio ſcapi, quo fit ut æquilibra neutro inclinent; gra-

graviora verò præponderent, & deorſum vergant, leviora ſe attolant. Altera eſt *ſtatera* habens centrum librationis extra medium ſcapi, ſeu vectis oblongi, quo fit, ut bacillus protenſior deſcribat inter librandum majores aſcenſiones, quàm radius minor, ideóque ſit eadem proportio, ac commenſio ponderum inter ſe, ac arcuum. Tertium inſtrumentum eſt libella nummaria, quâ penſiculantur nummi aurei.

25 Geographia eſt terraquei globi, quatenus nobis cogniti luculenta deſcriptio, differt à Coſmographia, quia hæc mundum etiam ætherium complectitur, à Chorographia quia hæc eſt deſcriptio unius tantùm regionis inſignioris, & à Topographia, quæ locum aliquem minutiùs deſcribit: unde Geographia continetur circumſcriptione globi terraquei, cujus ſuperficies dividitur in Zonas, Parallelos, & Climata. Zonæ ſunt quinque una torrida, duæ temperatæ, ac duæ frigidæ, quæ diverſitas petitur à ſphœræ circulorũ varietate: Zona enim inter utrumque jacens tropicum Torrida dicitur; quæ inter tropicos, & circulos polares jacent, temperatæ ſunt: Frigidæ verò, quæ inter polares circulos, & polum. Circuli majores idem eum globo terraqueo obtinent centrum, cujuſmodi ſunt Æquator, Zodiacus, Horizon, Meridianus. Minores circuli diverſum habent centrum à globo Geographico, ſuntque duo tropici cancri, & Capricorni; & Polaris Arcticus, & Antarcticus: ex hiſce Octonis circulis quinque dicuntur Paralleli, ſeu æqualiter inter ſe diſtantes, quia eoſdem cum univerſo polos habent, æquoque in latitudinem ſpatio à ſe disjunguntur, ſuntque Æquator, duo tropici, & totidem polares. Æquator globum terraqueum in duas partes æquales ſeptentrionalem, & Meridionalem diducit, & æquali ſpatio ab utroque mundi polo recedit, ad quem cum ſol appellit, æquale toto orbe diei, ac noctis efficit ſpatium. Horizon globum terraqueum in duo Hemiſphæria, ſeu dimidiatos globos diſſecat, & in margine triginta duos exhibet ventos. Zodiacus oſtendit, ſub quo ſigno cœleſti quilibet locus ſit conſtitutus. Meridianus ſuper verticem cujuslibet hominis fictitiè ductus indicat longitudinem loci ab ortu in occaſum. Clima ſpatium ſignificat duobus reſpondens parallelis, quo diei longitudo ad dimidiatam horam variatur. Geographi Recentiores enumerant climata viginti quatuor, initium eorum ducentes ab Æquatore. Sub climate primo dies longiſſimus eſt horarum duodecim cum dimidia; & ita creſcit. Terræ latitudo æſtimatur ab Æquatore polos verſus utrinque per gradus 90. Longitudo ab occaſu in ortum per integrum circuitum graduum 360. Tametſi non major ſit diſtantia ab uno polo ad alium, quàm ab occidente in Orientem, vocatur tamen longitudo mundi ab Occidente in Orientem, & latitudo à Polo, ad polum, eò quia mundus ab occidente in Orientem priùs cœperit habitari, ut innuit Ariſtoteles *in Problem.* Mundi partes quatuot ſunt Aſia, Affrica, Europa, America, quibus propriæ non deſunt notæ, habentur enim Africani periuri, Aſiatica luxuria, Europæ inimicitiæ; Americæ divitiæ. Notat Beda, homines in Oriente voces, & verba collidere in pectore, & gutture, ut ſunt Syri, & Hebræi: in occidente voces dentibus, labijsque infringere, ut ſunt Hiſpani, Galli, Itali Intermedios ut ſunt Græci aſſerit palato ſonare. Præcipuæ regiones, in quas Aſia partitur, ſunt Tartaria, cujus Metropolis eſt Cambala: Sinæ, in quibus præcipuæ urbes Pachinum, Nanquinum, Xanrum. Indiæ Orientales, quarum celebriores urbes ſunt Goa, Cocinum Malaca, Sianum. Perſis cujus metropolis Hiſpahanum: & Turcicum Imperium, cujus partes ſunt Aſia minor, in qua ſunt Trebiſus, Smirna, Famaguſta in Cypro: & Syria, in qua Alepum, Antiochia, Damaſcus, Ieroſolima. Partes Africæ ſunt Ægyptus, ubi Cairus, Alexandria, Peluſium. Barbaria ubi Tripolis, Algerium, Tunetum, Hippo. Mauritania ubi Marocum, & Feſſa. Sunt etiam plures aliæ regiones ut Cyrenaica, Garamantes, Numidia, Mauritania, Gætulia, Libia interior, Arabia, Æthiopia ſuperior, in qua Abiſſinorum imperium, Æthiopia inferior, in qua regiones Congi, Monomotapa, Zangibar. America bipartitur in ſeptentrionalem, quæ & Mexicana dicitur, & Meridionalem, quæ Peruviana exiguo iſthmo diſcriminante alteram ab altera. In America Mexicana ſunt Canada, nova Francia, Virginia, Florida, nova Granata, nova Hiſpania, Californía, Quivira. In America Peruvana ſunt Caſtella aurea, Peruvia, Chili, Chica, Braſilia. Terra Magellanica auſtralis, à navarcho Ferdinando Magellano Luſitano primùm reperta circa annum à partu virgineo 1520. in ſolis litoribus explorata eſt. Europæ regiones Orientales ſunt Tartaria, minor, ſeu regio Præcopenſium, Cherſoneſus, Taurica, Sarmatia, Hungaria, ſeu Pannonia, Tranſiluania, Dacia, in qua Dardania hodie Servia, Mœſia, ſeu Bulgaria, hodie Walachia. Regiones Europæ occidentales ſunt Hiſpania, & Gallia, Orientales Meridionales Illiricum, in quo Sclavonia, Albania, & Dalmatia, & Græcia. Septentrionales Finlandia, Suecia, Norvvegia, Cherſoneſus, Cymbrica, ſeu Dania, & utraque Germania ſuperior, & inferior.

Chronologia ſcientia eſt temporum, quatenus res geſtas ſecundùm ſeriem temporum 26
proponit; & per hoc differt ab Hiſtoria, quæ eſt ſimplex rerum narratio, abſque comparatione temporis, quo acciderint. Quòd ſi chronologia ſeriem temporum proponat abſque hiſtorica digeſtione ad Matheſim tunc pertinet per ſolis, lunæ, reliquorúmque Planetarum circuitus, & cyclos annorum metientem ſpatia. Munus Chronologici eſt res actas illigare temporibus, & utraque digerere. Hiſtoriographus inſuper exponit conſilia rerum geſtarum, exhibet concio-

ciones

conciones, inſtruit acies, deſcribit locorum ſitus; oſtenta, clades, mutationes regnorum exponit. Libri Chronici ſunt earum rerum, quæ de anno in annum in hiſtorias ſervata temporum ſerie rediguntur. Ephemerides verò memoriæ mandant, quæ de die in diem obtigerunt.

27 Chronographi dividunt tempus in ſæcula, annos, menſes, hebdomadas, dies, horas, minuta, & minutias. Rurſus in cyclos lunares, ſolares; Indictiones, perjodum Julianam, epactam, & epocham. Sæculum eſt ſpatium centum annorum. Annus eſt illud temporis ſpatium, quo ſol duodena Zodiaci percurrit ſigna. Bipartitur annus in Aſtronomicum, & civilem. Aſtronomicus, qui etiam tropicus dicitur, & exactus, complectitur omne illud temporis ſpatium, quo ſol ad idem Zodiaci punctum, ex quo receſſerat, revertitur, & complectitur dies trecentos ſexaginta quinque, horas quinque cum minutis quadraginta novem. Annus civilis, qui ad uſum populi accommodatur, dies continet etiam 365.. & horas ſex non integras, quibus deſiderantur minuta undecim. Hæc tamen horæ ſenæ, quæ ſuperſunt annis ſingulis poſt exactos dies 365. non pereunt, ſed quatuor intra annos, diem efficiunt; qui dies, quarto cuique anno interſeritur, éſtque annus biſſextilis conſtans diebus 366. & dies additus vocatur intercalaris. Biſſextilis nomen inde ducitur, quod eo anno diceretur bis ſexto Calendas Martias, interebatur hic dies intercalaris inter 23. & 24. Menſis Februarij. Luſtrum apud Latinos, perinde ac Olympias apud Græcos ſpatium erat quinque annorum. Annus dividitur in quatuor tempeſtates Vernam, Æſtivam, Autumnalem, & Hibernam.

28 Menſis alius eſt lunaris, alius ſolaris: ille eſt temporis ſpatium, intra quod luna perluſtrat Zodiacum, & dicitur menſis *periodicus*: aut à ſole ad ſolem redit, & vocatur menſis lunaris ſynodicus, conſtátque diebus viginti novem cum dimidio, paulóque ampliùs. Menſis ſolaris eſt temporis ſpatium, quod explet ſol in percurrenda duodecima Zodiaci parte, complectitúrque dies tricenos, horas denas cum dimidia. Partitur annus in menſes duodecim, quorum aliqui tricenos habent dies nempe Aprilis, Junius, September, & November, reliqui tricenos, & unum, excepto Februario, qui dies continet viginti octo, & cum annus biſſextilis agitur viginti novem. Singulos cujuſque menſis dies diſtinguebant Romani per Calendas, Nonas, & Idus. Vocabant Calendas primam cujúſque menſis à verbo voco, eò quia tali die convocaretur populus in Capitolium, ut diſcerent, quot eo menſe numerandi dies eſſent uſque ad Novas. Ipſis verò Nonis, tradebatur populo Index feſtorum, ac reliquorum obſervandorum ipſo menſe. Hinc à Calendis ductum, ac dietim poſtea fuit Calendarium. Nonæ dictæ ſunt ex eo, quia à Nonarum die uſque ad Idus novem numerentur dies. Idus ex Varrone à verbo Etruſco *Iduare*, ſeu *dividere* vocantur, eò quia menſem in duas partes æquales dividant. Menſibus Martio, Majo, Julio, & Octobri incidebant Nonæ in diem ſeptimum; & Idus in decimum quintum. Reliquorum verò menſium Nonæ in quintam diem; & Idus in decimum tertium. Rem explicat ſubjectum diſtichum.

Sex Majus Nonas, October, Julius, & Mars,
Quatuor & reliqui. Dabit Idus quilibet octo.

Hebdomas ſpatium eſt ſeptem dierum, 29
quibus Ethnici nomina dederunt Planetarum, vocantes diem primum, diem Solis, ſecundum diem Lunæ, tertium Martis, quartum Mercurij, quintum Jovis, ſextum Veneris, ſeptimum Saturni. Nos verò primum diem vocamus Dominicum, eò quia tali die Chriſtus Dominus reſurrexerit, & ſeptimum Sabbathi, ſeu quietis, quia tali die DEUS mundi Conditor ceſſaverit ab opere. Continet annus hebdomadas quinquaginta duas. Dies dividitur in naturalem, & artificioſum. Ille comprehendit totum illud temporis ſpatium, quod ſol in obeundo terrarum orbe conſumit; comprehenditque utrumque tempus diurnum, & nocturnum. Dies artificioſus deſinitur à mora ſolis ſuper horizontem. Partes diei artificioſi ſunt crepuſculum, Aurora, primum Diluculum, manè, meridies, veſpera. Nox dicitur commiſſa, Intempeſta, media nox. Hora eſt diei naturalis vigeſima quarta pars; & continet ſexaginta minuta, quorum quodlibet etiam partitur in partes ſexagenas, quas ſecundas vocant: & quælibet ſecunda iterum in ſexaginta tertias; & ſic deinceps quælibet tertia in ſexaginta quartas.

Cyclus lunaris, qui & numerus au- 30
reus dicitur, eſt numerus annorum novendecim, quo expleto Luna, & Sol ad idem punctum revertuntur, & hic numerus dicitur Aureus. Cyclus ſolaris eſt ſpatium annorum viginti octo, quibus evolutis literæ Dominicales A, B. C. D. E. F. G. ad ſuum redeunt initium, ordine retrogrado nimirum per G. F. Idque obtingit ob annum biſſextilem, quo anno ſimul duæ litteræ notantur: qui biſſextilis ſi non eſſet, annis ſeptem decurrerentur præfatæ ſeptenæ litteræ. Cyclus Indictionis eſt ſpatium annorum quindecim, quibus evolutis reditur ad primum: cœperunt celebrari Indictiones ſub Conſtantino Imperatore Anno Chriſti trecenteſimo duodecimo; & ab eodem Imperatore Conſtantinianæ nuncupantur. Perjodus Juliana eſt intervallum annorum 7980. per quod ſpatium unico tantùm anno contingere poteſt, ut cyclus Lunaris, Solaris, & Indictionis, eundem ſimul numerum habeant. Epacta eſt numerus dierum undecim, quibus annus ſolaris ſuperat lunarem annum, quia iſte conſtat diebus trecentis quinquaginta quatuor, cùm annus ſolaris complectatur dies trecentos ſexaginta quinque.

31 Epochæ, ſeu æræ ſunt certi temporum termini celebres à pleriſque chronologis admiſſi; & è quibus ſemel ſtatutis certiùs ducuntur annorum rationes ad reliqua. Unde Epocha, vel Æra eſt terminus temporis celebris, unde ſumitur principium annos numerandi: qua ratione nos Chriſtiani Epocham, ſeu Æram deſumimus à Nativitate Servatoris Chriſti. Judæi à Diluvio, ab Abrahami nativitate. Ab exitu ex Ægypto. Græci ab initio Olympiadum. Romani ab urbe Roma condita. Arabes, & Turcæ ordiuntur Hegiram, ſeu Æram ſuam ab anno Chriſti 622. Tria ſignantur tempora memorabilia: primum legis naturæ ab Adamo ad Abrahamum bis mille circiter annorum: alterum legis Moſaicæ, ſeu ab Abrahamo ad Chriſtum totidem ſerè annorum: tertium à lege Gratiæ, ſeu à Chriſto uſque ad mundi finem. Alij præcipuam temporum ſupputationem in ſex mundi ætates referunt, quarum prima eſt ab Adamo ad Noachum; Secunda à Noacho ad Abrahamum: tertia ab Abrahamo ad Davidem, quarta à Davide ad captivitatem Judæorum Babylonicam: quinta ab hac ad Chriſti nativitatem: ſexta à Chriſto ad mundi ſuprema funera. Alij ſeptem mundi ætates, ita recenſent, ut prima ſit infantia ab orbe condito uſque ad diluvium annorum 1656. Secunda pueritia à Diluvio ad nativitatem Abrahæ annorum 382. ab orbe condito 2039. Tertia adoleſcentia ab ortu Abrahæ uſque ad Moyſem natum annorum 425. & à mundi initio 2464. (exitus Iſraëlitarum ex Ægypto contigit anno mundi 2544.) quarta Juventus Judicum Hebræorum uſque ad Samuelem annorum 476. & ab orbis creatione 2940. Quinta virilis Regum Hebræorum uſque ad ſolutam à Cyro Perſarum Rege captivitatem Babylonicam annorum 577. & à prima mundi molitione 3517. Sexta Senilis Principum, & Sacerdotum Hebræorum uſque ad Chriſtum annorum 536. à mundo condito 4052. Septima & decrepita à partu virgineo ad finem mundi.

32 Juriſprudentia eſt ſcientia juris, ſeu juſti, & injuſti ad res divinas, & humanas pertinentis. Juſtum idem eſt ac debitum ortum ex aliqua obligatione, ſignificat etiam, quod eſt legi conforme, ut etiam facultatem aliquid agendi, obtinendi, diſponendi, ac utendi ſine culpa, quo pacto dicitur, quis uti jure ſuo, ſignificat etiam ipſam legem, quæ eſt recta ratio agendorum, vel omittendorum in bonum commune promulgata ab eo, qui curam gerit communitatis. Jus ſumptum pro lege bipartitur in naturale, & poſitivum, & illud eſt hominis menti à DEO per lumen naturæ inditum, quo honeſtum, ab inhoneſto ſecernimus; ad quod revocatur jus gentium conſtitutum authoritate omnium ferè populorum. Jus poſitivum habetur à libera DEI, vel hominum voluntate, à qua jus poſitivum dependet. Dividitur in divinum, & humanum, illud latum proximè eſt à Deo ad gubernandos homines, & jus humanum conſtituit corpus politicum, & continet præcepta veteris & novæ legis, ſeu Moſaicæ, & Evangelicæ. Jus poſitivum humanum bipartitur in canonicum, & civile: illud eſt regula, quâ homines ex ſtatutis ſummorum Pontificum, & Conciliorum Eccleſiæ diriguntur ad rectam vivendi normam, & conſtat ex quatuor libris principalioribus, quorum primus complectitur Decretum collectum à Gratiano circa annum Chriſti 1150. & continet ſtatuta à diverſis Concilijs, & SS. Patrum authoritatibus firmata; dividitur in tres partes, quarum prima continet diſtinctiones centum, & unam: Secunda cauſas triginta ſex, quarum quælibet plures ſub ſe habet quæſtiones: tertia pars eſt de conſecratione, & quinque duntaxat diſtinctiones complectitur. Secundus Canonici juris liber continet Decretales, ſeu epiſtolas Conſultantibus à Pontificibus reſcriptas, & fuerunt editæ circa annum Chriſti 1231. à S. Raymundo de Pennafort. Tertius qui dicitur ſextus, fuit compoſitus à Bonifacio Papa VIII. Quartus continet Clementinas conſtitutiones per Clementem Papam V. conceptas.

Jus civile eſt, quod Reſpublicæ ſæculares conſtituunt ob bonum commune. Origo Juris civilis profluxit à Duodecim Romanorum æneis tabulis, quibus leges erant inciſæ, & poſt varios Interpretes, tres prodierunt Juris Cæſarei Codices; Gregorianus, Hermogenianus, & Theodoſianus, ita nuncupati à ſuis collectoribus. Dein Juſſu, & Curâ Juſtiniani Imperatoris totum Jus civile quatuor voluminibus comprehenſum eſt anno Chriſti 530. dicunturque libri legales, & corpus Juris Civilis. Munus Juris prudentiæ eſt ſervare humanam ſocietatem ſalvam à diſſidijs. 33

Ars medica teſte Seneca paucarum quondam fuit ſcientia herbarum, nunc notitiam ferè rerum omnium naturalium complectitur, ac ſcientiarum encyclopediam. Morbos acceſſiri intemperantiâ nulli eſt dubium: unde ad valetudinem tuendam plurimum prodeſt notitia propriæ conſtitutionis; & obſervatio earum rerum, quæ aut obeſſe ſolent, aut prodeſſe: & etiam ars medendi; ex hiſce tribus prima morbos avertit; ſecunda valetudinem tuetur; tertia reficit ſanitatem. Dividitur generatim ars medica in Hygiaſticam, ſeu Hygienam, & Therapeuticam; illa valetudinem in morbos proclivem ſiſtit; hæc lapſam reſtituit. Iſtis tres aliæ inſerviunt ſcientiæ, nempe Phyſiologia, quæ complectitur notitiam elementorum, & corporis humani: idque per Botanicam, Chymicam, & Anathomen. Secunda eſt Pathologia, cujus munus eſt declarare morborum nomenclaturas, ideam, naturam, differentiam, & alia pathemata; tertia eſt Simiotica, & verſatur circa ſigna morborum, tam quæ malum patefaciunt; quæ dilotica, vel pathognomonica dicuntur, quàm quæ morborum indicant eventus, vocarique ſolent Prognoſtica. Thera- 34

peu-

peuticam iterum dividunt in diæteticam, quæ ſanat per rationem diætæ Chirurgicam, quæ medicâ, & peritâ manu morbos externos ab humano corpore pellit: & Pharmaciam, quæ pharmacis curat. Si corpus fuiſſemus nacti morbis contrahendis minimè obnoxium, nulla prorſus arte ad illud incolume conſervandum, vel è morbo recreandum, ac inſtaurandum indigeremus; quia verò paſſionibus mutatur, ac in interitum tendit; ideò indiget arte, cujus beneficio à lue morborum liberetur, & in ea, quâ licèt, ſoſpitate conſervetur.

35 Plures ex hactenus recenſitis artibus humanæ culturæ metaphoræ eruuntur ornandæ orationi peraptæ. A Grammatica dicimus CONCORDARE *actiones cum regulis rectæ rationis.* DECLINARE *vitia.* CORRIGERE *mores.* COMPONERE *ad modeſtiam oculos. Illatas alteri contumelias ſtylo ferreo* SCRIBERE *in marmore.* OBLITTERARE *è memoria ſuſceptas.* VERBA *ſcurrilia non luculenta, ſed lutulenta eſſe bonis moribus.* CUDERE *ſibi probum nomen.* BARBARISMUM *prodere agreſtibus moribus.* ELEGANTES *induere veſtes. Suum cuilibet* LUDIMAGISTRO *deberi* MINERVAL. Ab Aſtronomia SATURNUM *in fronte rugis arata ferere.* JOVI *beneficentiâ ſe æquare. Truculentum* MARTEM *ſpirare. Virtutum* SPLENDORES *emittere. Laborare* LUNA· VENERIBUS CONCINNARE *ſermonem.* ORIRI *beneficio reſipiſcentiæ divinæ gratiæ. Honorem turpi actione* ECLIPSARI. *Senes* AD OCCASUM *vergere.* PERIODUM *ſinectu vitæ* ABSOLVERE. *Diem* CLAUDERE. *Æternam noctem* OPPETERE. APOGÆUM *honoris attingere. Ad* PERIGÆUM *depreſſi extremi infortunii. Humanæ vitæ tempora* FUGIENTE UMBRA *ſignari; In* HORA *ſiquidem nulla eſt* MORA, *incipit, & deſinit, oritur, moritur, nos quoque* ORIMUR, MORIMUR. Ex Optica. *Mundum ſuis ſplendoribus* OCULOS FALLERE. HALLUCINARI *eos; qui fucatæ mulieris fidunt pulchritudini. Dignitates ambitioſis* GRANDIORES *apparere, quàm reverà ſint.* Ab Arithmetica. *Acta, & dicta omnia* IN SUMMAM *colligere. Actorum omnium rationes ſedulo* SUBDUCERE *examine. Sua facta ad* CALCULOS *redigere. Eleemoſynam in manu pauperis* MULTIPLICARE *per datas pecunias.* SUBTRAHERE *ſe à prava conſuetudine. Argumenta habere in* NUMERATO. *Eum annos benè* SUPPUTARE, *qui delabentem amnem eos putat. Avara mors, dum annos* SUPPUTAT, *ſomnum imputat.* A Muſica. *Surdis auribus argutâ* LUDERE LYRA. *Sibi blandiùs* ACCINERE. *Virtutum* CONCENTUM *Cælites demulcere. Poſt tripudia Chromaticum* CANERE. *Ovantium avium chorum rivuli* ADMODULARI. *Luſcinias, & Alaudas criſpato, vibratóque cantu Anni Juventæ* OCCINERE *epinicia. Virtutes omnes ſibi* CONSONANT; *vitia* OBSONANT. AB Actibus Judicialibus. *Hominis cupiditates inter ſe ſe* LITIGARE. *Diffidentia concupiſcentiis a imis deſideria* COMPONERE. *Conſcendere Rationis* TRIBUNAL. *Ad rationis* JUDICIUM *acquieſcere.* CITARE *proprias actiones ad* PRÆTORIUM *conſcientiæ. Vocare ad* EXAMEN *conſcientiam; eámque adigere ad* REDDENDAM RATIONEM *dicti, & facti.* CASTIGARE *pravos mores.* CORRIGERE *cupiditates.* PROSCRIBERE *ab oculis verecundiam. Homines mortalitate* DAMNARI. *Divitias, vitia in* CLIENTELAM *aſſumere. Grandines* CASTIGARE *plantas.* A negotiis civilibus. *Mediatrices accire virtutes ad* NECTENDA *cum cælo* COMMERCIA. *Solem ſua ab Horizonte emerſione canoris aviculis matutina indicere comitia.* ABDICARE *à ſe fluxas mundi delicias. Fumum ingenti pretio* VENDERE. *Solutis voluptatibus pœnitentiam* EMERE. *Vitam hominibus* COMMODARI, *non* DARI. *Silentium indicere* TUMULTUANTIBUS *cogitationibus. Ære alieno* GRAVARI. *Incluſas flammas conflagrantis domûs delinare, & per cineſacta, & collapſa tecta ſe in* LIBERTATEM ASSERERE. Ab Arte Medica. *Hominum* CURAS *ſomno* CURARI. *Epiſtolarum* FOMENTIS *amicitiam* CONVALESCERE. *Patriæ* MEDICINAM *etiam nolentibus prodeſſe. Animum illatis injuriis* VULNERARE. *Oblati muneris* PASTILLO *exulceratum animum* ILLINIRE. *Correptionis* PHARMACUM *ſacchareis, blandiſque verbis inſpergere. Rempublicam concordia civium* CONVALESCERE. *Mare veluti febri* CORREPTUM *æſtuare.*

EXPENSIO XXXI.

Subjiciuntur aliquot regulæ ornandæ periodi exhibita ab Authoribus emuncta, ac purgatioris latinitatis.

ADjectivo eleganter apponitur caſus genitivus, ut incertus animi, reus voti, parcus eloquij. Appetens divitiarum, Amans honoris, abſtinens pecuniæ.

Qua, ponendum eſt, pro *quæ* poſt particulas, *ne, num, aliud, ſi, ſive, ſin, niſi*, Cicero *ne qua ſuſpicio gratiæ fiat.* Si qua neceſſitas obvenerit. Si qua mulier fuerit. Sin verò ſit relatio, ponitur quæ, non qua, ut: *Si quæ dicis, vera ſunt*: pro ſi ea, quæ dicis, vera ſunt.

In narrationibus Hiſtorici juxta, & Comici infinitum ſæpè ponunt pro Imperfecto indicativi modi. Terentius: *Ego illud ſedulò negare factum*: ille inſtat factum Salluſtius. Econtra Jugurtha trahere omnia, & alias deinde alias moræ cauſas facere; polliceri deditionem, & deinde metum ſimulare: i[illegible]nti cedere. Et paulò poſt ne ſui diffid[illegible] inſtare: ita belli modo, modo pacis mora Conſulem ludificare.

Indicativus, & ſubjunctivus ſi præceſſerint

rint particulæ *cum, dum, donec, poſtquam*, & aliæ id genus ornatiùs in duos ablativos abſolutos commutantur, ut cùm juberet Conſul apparuit lictor: Cicero dixit: *jubente Conſule ſtatim apparuit Lictor.* Vel ſi mors appropinquaverit, diſplicet luridè vixiſſe: ornatiùs dicitur: *appropinquante morte pœnitet morientem anteactæ luridæ vitæ.*

5 Quando plura verba conjunguntur, participium à priore factum conveniente caſu elegantiùs præmittitur ſequenti: ut ſi dicas, Deus hominem creat, ſervat, vocat, convertit, beat: ornatiùs diceres: *Deus hominem condit, conditum ſervat, ſervatum vocat, vocatum convertit, & converſum beat.*

6 Perſona ſecunda vocis paſſivæ uſitatiùs in *re*, quàm in *ris* terminatur maximè in ſubjunctivo Cicer. *Valdè mihi jam lautus es, qui gravère litteras ad me dare;* non dicit *graveris*, ſed *gravere.* Idem Cicero. Cæteræ rès, quæ expetuntur, opportunæ ſunt, ſingulæ rebus ferè ſingulis divitiæ ut *utare*: opes ut *colare*: honores ut *laudère* pro utaris, colaris, lauderis. Cicer. Hic tu qua lætitia perfrue? quibus gaudijs exultabis? quantum in voluptate debacchabere?

7 Quando eſt generalis ſermo de omnibus, vel multis verbum imperſonale paſſivæ vocis eleganter ponitur, ut *cænatur, prandetur, luditur*: pro cœnant, prandent, ludunt.

8 Si ſermo ſit generalis venuſtè verbum ſubjunctivi ſecundæ perſonæ, uſurpatur pro tertia in numero ſingulari, ut: *qui in pericula euntem comitetur. Vix hominem invenies*: pro vix *homo* aliquis invenitur.

9 Poſt aliquot vocabula infinitum paſſivum uſitatius eſt, ut: *publicam rem negligi turpe eſt*, pro turpe eſt, publicam rem negligere. Bellerephontis litteras fert is, qui exitium à ſe ſuum *portari* neſcit Cic. pro *portare.*

10 Cum adjectivis dignus, indignus, promptus, idoneus eleganter conjungitur relativum, *qui, quæ, quod*, quem tibi commendo hominem, prudentem, & officioſum cognoſces, & dignum, qui à te diligatur. Cicero. *Eum indigniſſimum arbitror, cui à viris bonis benedicatur.* Q. Metel.

11 Cum verbis jubere, & imperare elegantiùs infinitum paſſivum jungitur. *Jube, hanc aquam calefieri.* Plaut. pro jube, ut calefiat.

12 Cum verbo memini infinitum præſens pro præterito uſurpatur. *Ad me quoſdam adire memini* Cic. pro ad me adjiſſe. *Memini me errare*, pro erràſſe Plaut.

13 Infinitum paſſivum venuſtè jongitur cum verbis curo, volo, nolo, malo, cupio, oportet. Ut: *negotium hoc confici cures. Rem hanc declarari volo.* Abs te virtutes, quàm divitias *comparari* malo. Cic. *irritari hoſtem fugientem non oportet.*

14 [illegible]finitum poſt *opus eſt* in ablativum partici[illegible]teriti paſſivi venuſtè mutatur; ut: *Mat*[illegible] opus eſt, pro opus eſt *maturare. Facto* opus eſt pro facere.

15 Abſcondere pulchriùs effertur per verbum *conjicere ſe*; ut in *Latebram aliquam, ſe conjicere.*

Abundare per verbum affluere. Accidere, evenire, per uſu venire. *Hoc mihi uſu venturum non arbitrabar.*

Addere vel addi per verbum accedere, ut *Accedit* ad meas miſerias dolor, pro additur.

Adſcribere pro adjungere eſt elegantiùs, ut *adſcribo* ad judicium tuum meam quóque ſententiam, pro adjungo.

Alloqui per verbum appellare venuſtè uſurpatur, ut blando ſermone milites *appellare*, ſeu alloqui.

Amare eſt nimis uſitatum, pulchriùs dicimus *complecti* aliquem *benevolentia, favore, beneficio.*

Abducere ſe ab angoribus, moleſtijs, elegantiùs dicitur, quàm ſe amovere, avertere.

Accipere auribus venuſtiùs dicitur, quàm audire. *Adverſis animis aliquid accipere.* Tacitus.

Beneficium ponere apud gratos pulchriùs dicitur, quàm benefacere gratis.

Pro blandiri elegantius aſſentari, lenocinari, palpari, ſubpalpari. *Aſſentantur tibi* Cicero.

Captare benevolentiam vix eſt Latium, ornatiùs dicitur, colligere benevolentiam, gratiam, famam, &c.

Abjicere pro contemnere uſurpatur, ut abjicere voluntatem concupiſcendi vana. Abjicere conſilium pernicioſum.

Dedere ſe pro ſe dare ſuaviùs ſonat. Sed pulchriùs dare ſe; ut: *da te ſtudijs. Da te homini.*

Deſiderare per longiùs eſſe uſurpat Cicero. *Nihil mihi longiùs, quàm colloquio tuo frui.*

Memoriam deponere doloris elegantiùs eſt, quàm obliviſci, vel non meminiſſe.

Gerundia cum nominibus ſubſtantivis in genere, numero, & caſu eleganter conveniunt: ut gerendorum bellorum causâ. Pro cauſa gerendi bellà. Cauſa virtutis amandæ. Pacis ineundæ, &c.

Supina ornatè ponuntur pro gerundijs accuſativi caſus cum præpoſitione *ad*, ut Res difficilis *creditu, factu*, pro ad credendum, ad faciendum. Memorabile *viſu*, pro ad videndum. Jucundum *auditu*, pro ad audiendum. Pomum *guſtatu* ſuave pro ad guſtandum.

Pro participio paſſivo futuri temporis in *dus, da, dum* venuſtè ponitur futurum paſſivum ex infinitivo iri, & voce ſimili ſupino in *um* ut amatum iri, doctum iri, violatum iri. Exiſtimabam me nunquam à re ludibrio *læſum iri.* Pro lædendum eſſe.

Pro cur, vel quare pulchrè ponitur *quid*, ut quid triſtior es ſolito: quid majora ſequor? aliquando additur quod ut: *quid? quòd rogatum veneris?* interdum ponitur *cauſæ*, ut quid *cauſæ*, quod me acceſſeris.

Gerundium cum præpoſitione inter venuſtè

Digitized by Google

nuſtè ponitur pro Imperfecto Indicativi, vel ſubjunctivi, ut: *Inter ambulandum obviavi amico*, pro dum ambularem. *Inter legendum ridebas*, ſeu dum legerem.

Adverbium *dum* venuſtè ponitur pro quamdiu, ut *dum vixero* pro quamdiu vivam. Pro quando ponitur particula *cum* & adjicitur tum ut: *Cum amico inimica fortuna eſt, tum ego doleo.* Pro *quare* interdum ponitur *quin*. *Quid reliqui habemus præter miſeram animam? quin igitur expergiſcimini.* Salluſt.

Pro *quo*, vel *quando* venuſtè ponitur *quî* ut: *quî cum (ſeu cum quo) amantiſſimè, ac conjunctiſſimè vivebat* Cicero. *Quî* (pro quomodo) *iſthæc ſibi incidit ſuſpicio.* Terent. *Quî* (pro quomodo) *poteſt habitare in vita beata ſummi mali metus?* Cicero.

Ut pro *quomodo* interrogantis, & admirantis eſt. Terent. *Ut falſus animi eſt*

Frequens uſurpatur venuſtè pro ſæpè, ut *frequens* fuit Romæ, pro ſæpè.

Tam, quàm, ſunt adverbia, pro quibus elegantiùs ponitur *quà, quà*, ſeu *partim, partim* vel æquè, ac æquè, ut: *quà genere, quà virtute nobilis*, Cicero.

Pro tanto quanto eleganter ponitur *quò*, & *eò* ut: *Quo minus ergo honoris erat Poetis, eò minora ſtudia fuerunt.* *Quò difficiliùs, eò præclariùs.*

Particula *ac ſi* pulchriùs dicitur *ut ſi*. Plinius in Panegyr. *Tam multa excogitâſti, ut ſi ante nihil eſſet inventum.*

Pro ſimplici *Et* concinnè ponitur *item*, ut *Fuere item ea tempeſtate, qui crederent.*

Sunt etiam aliqua verba, quæ elegantiùs exprimuntur locò aliorum, ut: *præſto ſum.* pro adeſſe, juvare, *Miles Duci ſuo ad aciem præſto fuit.* Livius.

Adſcribere pro adjungere. *Adſcribo ad judicium tuum meam ſententiam.*

Tenere pro vehementer affici. *Mirum me deſiderium tenet videndi te, quæ te tenuit dementia.*

Moleſtiam inferre pro affligere. *Ut periculum capitis alicui inferre.*

Elucere pro apparere. *Amicitia magis elucet inter æquales.*

Accipere pro audire, vel cognoſcere. *Aliquid adverſis animis accipere.* Tacitus. *Auribus pronis aliquid accipere. Auditione, & fama accipere.*

Audire videre licet, venuſtiùs dicitur, quàm audio, video. Cicero. *Videre licet pleróſque non tam natura liberales, quàm quadam gloria inductos.*

Beneficium locare, ponere; ornatiùs dicitur, quàm benefacere. Livius. *Beneficia locare apud gratos.* Cicero. *Complecti aliquem beneficio.*

Aſſentari, lenocinari, palpari, ſubpalpari elegantiùs dicitur, quàm eblandiri. Cicero. *Aſſentantur tibi. Tibi lenocinantur.* Plautus: *Quàm blandè is illi palpabitur.*

Colligere benevolentiam, gratiam, exiſtimationem venuſtiùs dicitur, quàm captare ut *benevolentiam hominum colligere*, *Conſerva famam ante collectam.*

Abire elegantiùs, quàm ceſſare, deſinere. *Dolor planè abiit*, pro ceſſavit.

Certum habere melius dicitur, quàm certificari, ut *certum non habeo, ubi ſis.*

Cogere in unum elegantiùs, eſt, quàm colligere ut. *Copias in unum locum cogere.*

Circumſpicere venuſtiùs, quàm conſiderare. Ut *Omnia circumſpico, quæ obeſſe poſſunt.*

Conficere pro conſumere rectè adhibetur. *Rem ſuam confecit*, pro conſumpſit, diſſipavit.

Studeo pro cupere: ut *ſtudeo ex te audire*, ſeu cupio.

Ire in duplum pro dare plus duplo; ut: *ſi judicatus neget, cogatur ire in duplum.*

Diffidere ſuis rebus venuſtiùs dicitur, quàm deſperare.

Increbeſcere pulchriùs ponitur, quàm divulgari; ut: *Fama de victoria delata percrebuit. Opinio de tua virtute etiam apud exteras gentes percrebuit.*

Pendere animi, vel animo pulchriùs quàm dubitare; ut: *pendemus, animis, cruciamur, angimur.*

Exterminare pro ejicere ut: *urbe exterminatus* loco ejectus.

Cadere pro evenire: *aliter res recidit, ac putabam. Nihil optabilius mihi cadere poterat.*

Obire rem pro exequi, ut obire negotia: *pergere ad res ſuas obeundas.*

Prodire, meliùs dicitur, quàm exire; ut: *obviam alicui prodire.*

Habeo cum participio paſſivo venuſtè ponitur, ut *Exploratum habeo* pro exploravi, perſpectum, expertum, cognitum ſolicitum &c. habeo, pro perſpexi, expertus ſum, cognovi. &c.

Fundere pro fugare, ut *fundere copias, exercitum*, Livius.

Geſtire lætitiâ perfundi, pro gaudere venuſtiùs. *Ingemiſcere alicui* etiam eſt ornatiùs, quàm gemere.

Incolere, accolere, pro habitare elegantiùs.

Abjicere ſe alteri ad pedes uſurpavit Cicero pro humiliare ſe.

Ingredi ad opus aliquod pro incipere, inchoare opus pulchrè dicitur: *ingredi certamen.*

Exardeſcere pro indignari pulchrum: ut *iracundia, & ſtomacho exarſit.*

Defungi pro liberari ornatiùs ponitur: ut *Defunctos periculis ſe putabant.*

Devincire pro mereri elegantiùs; ut *Ejus officijs me eſſe devinctum confiteor*

Compellare aliquem pro nominare elegantiùs Cicer. *nominatim compellare.*

Afferre pro nunciare venuſtius: ut: *odioſa de illo ad nos afferuntur.*

Excidere alicui ex animo pro oblivisci ornatiùs.

Me fert opinio, venuſtiùs quàm opinor.

Elaborare in aliqua re, pro operam dare.

LIBER VIII.

De Argutijs Oratorijs.

DE arte poëticè argutandi in carminibus, ac de metaphoricis argutæ dictionis fontibus abundè diſſervi in meo tractatu de Poëtica eruditione, Mythica, & Iconica, ſúntque opuſcula recuſa in ſecundo tomo hujus operis. Supereſt hic tantùm agendum de argutijs Oratorijs, ſeu venuſtiſſimis orationis floribus, qui non apum aculeis, ſed ingenij acuminibus libantur, & quorum divitijs ſi non mella conſtruunt Oratores, Atticum ſaltem melos loquuntur, & Orationes texunt, in quibus quot verba, tot flores; quot periodi, tot veneres; quot ſententiæ, tot venuſtates. Huic diſpliceant roſæ, & balſama, cui non placent oratoriæ argutiæ, quæ orationem ita venuſtant, ut hortum videantur conſtruere varijs diſtinctum florum areolis, ex quibus ſuaviſſimi ad omne animi oblectamentum ſpirent odores, níſque non amœnum exhibeant; eſt ſiquidem oratio arguta plena delicijs, dulcis, candida, fuſa abſque ullis ſalebris; verba ſiquidem continet lecta, ſonantia, lenia, non ſecus ac micantibus illuſa floſculis aſarota. Adeo noſtra ætas hiſce aſſuevit delicijs, ut nil avidiùs è ſuggeſto audiat, quàm quod argutias ſapit, quæ latens quoddam jucunditatis habent aucupium, & animum demulcent, capiúntque, ſítque eloquentia eò admirabilior, quò argutior, eò pluribus affluens divitijs, quò uberioribus illuminata acuminibus. Hinc attributæ Oratoribus fuerunt Sirenes, ut ea, quæ Iſocratis tumulo collocata fuit, ſatis indicat: idque ob melleam ſuavitatem; nam Sirenes vocis modulatione, ac illicio eblandiuntur, demulcent, ſimúlque irretiunt adſtantes: hinc Oratores ab Alciphrone dicuntur habere ſirenulas in labellis, ſi ſuavem, & argutam orationis copiam fundant; & Menecles de Bacchide ait: Qualis ejus erat oratio, qualis aſpectus, cùm in ejus colloquijs feſtitaverint Sirenulæ; tanta eſt vis pulchritudo, ac ſuavitas argutæ orationis, quæ vel ipſos barbarorum ſenſus incredibili quadam voluptate titillet, ac delicijs perfundat. Quapropter operæ pretium cenſui Oratorias argutias, earúmque fontes, e quibus perinde ac pellucidi latices ſcatutiunt, hîc indagare, ac expendere.

EX-

EXPENSIO I.

De Ortu, & Nomenclatione argutiarum Oratoriarum.

1 ARgutiarum Veneres non credas, ut Poëtarum finxerunt commenta ab æſtuantis maris rejecta ſpuma oriri; ſed ex defatigatæ mentis ſtillato ſudore eniti cenſeas. Tametſi naſcentis ſub mundi cunabulis ſuccus, & ſanguis elocutionis corruptus eſſet, auribúsque minus gratus; Tucidides tamen cœpit argutiarum ſale inſipidas condire orationes, quæ è ſuggeſto ad populum habebantur; & quamvis de rebus bellicis ſermonem inſtituerit, claſſicum tamen ad eloquentiæ triumphum viſus eſt ceciniſſe; quippe cum Regum ſoboles eſſet, teſte Tullio, nonniſi regiam, argutámque profeſſus eſt eloquentiam, majeſtate quidem gravem, ſed ſimul elocutione floridam, argutijs ſplendidam, acuminibus illuminatam, concitatam, nervoſam, denſam, plenámque ſapientiæ, & judicij. Cúmque arguta, & exculta elocutio blandiùs aures demulceret, animóſque alliceret, non defuerunt ex Oratoribus alij, qui argutijs delectati, plurimum promeruerint laudis, inter quos Menelaus, cui arguta brevitas tribuitur; Neſtor, qui ob melleam ſuavitatem apis Attica audiret: Ulyſſes cujus eloquentia nivibus hibernis ſimillima diceretur. Paris itidem utpote ingenio acer, Patris juſſu, Græcis artibus, & eloquentiæ diſciplinis imbutus, diſertus, & argutus in primis ſupra gentis ſuæ Oratores fuit; & progreſſu temporis ſtylus argutus patronos habuit non paucos, & admiratores multos, ut & amatores, quamplurimos; quem ſi repudiare vellemus perperam de totius eloquentiæ ſentiremus rationem, & Senecam, Saluſtium, Plinium, Cornelium, Tacitum, Petronium, alióſque emunctæ eloquentiæ viros, qui hoc dicendi genus non minùs graviter, quàm feliciter fuerunt conſectati erroris redargueremus, quod abſit, cùm eos, & acerrima vis ingenij, & politiſſima dicendi ratio, omniúmque fermè doctorum plauſus non ſolùm à calumniæ livore liberaverint, verùm etim ſummis commendaverint laudibus.

2 Cœpit igitur efflorеſcere arguta oratio in Græcia, non tamen primis illis temporibus, quibus liberiori profluentis naturæ impetu ferri videbatur dicendi ratio; ſed poſtquam eloquentiæ cultores, quibusdam innixi præceptionibus, dicta quædam aurea ex Academiæ hauſta fontibus, limatioris ſtyli, ac vibrantibus ſententijs, quaſi auro gemmas viſi ſunt incluſiſſe, inter quos Pytheus, qui primus in Fano Muſarum fertur Rhetoricam docuiſſe, librúmq; Poſteris de arte dicendi conſcriptum reliquiſſe, quem ad condimentum orationis, quibusdam inſperſit ſalibus; Pytheum ſecutus fuit Themiſtocles, cujus eloquentiæ palmæ cum victricibus laureis, adhuc videntur efflorеſcere: hic quibusdam leporibus, & argutijs Auditorum benevolentiam, & attentionem ſibi conciliavit. Noſtris verò temporibus viſæ ſunt argutiæ attigiſſe eloquentiæ culmen, cùm niſi ſale aſpergantur non ſapiant elementa litterarum, & niſi argutijs illuminentur orationes non placeant.

3 Nomenclationem quod attinet argutiarum eruditiſſima Græcia facunda ſimul, & fœcunda parens ſcientiarum omnium, in qua hæc orationis vireta cœperunt efflorеſcere, argutias vocavit *ſchemmata*, ut ait Ariſtoteles de *arte Poët. cap. 20.* inquiens. *Circa dictionem unum quidem ſpeculationis genus de Schemmatibus videlicet ipſius*, quæ vox placuit etiam Ciceroni, qui loquens de oratione Callidij ait. Erant & verborum, & ſententiarum illa lumina, quæ vocant Grai *Schemmata*, quibus tanquam inſignibus diſtinguebatur omnis oratio. Et quamvis hæc vox *Shemma* apud Grajos ſignificet figuram, ut interpretantur Ariſtotelem expoſitores; attamen apud Græcos etiam *geſtum* ſignificabat, quapropter Tullius vocat argutias orationis *geſtus*, ait. *Illam concinnitatem, quæ verborum collocationem illuminat his luminibus, quæ Græci quaſi aliquos geſtus orationis* SCHEMMATA *appellant, quod idem nomen in ſententiarum ornamenta ab ijs transfertur*, & in alio loco Ariſtoteles totum genus argutiarum vocavit etiam *Coſmon*, quod à Latinis concinnitas interpretatur, ſive calamiſtrum.

4 Quòd ſi velimus ſub alto genere ornamenti omnes ejus ſpecies perpendere poſſumus eleganter argutias vocare orationis *cincinnos, venuſtates, fucos, gemmas, lumina, margaritas, patagia, holoſerica, ſpiras, amenta, monilia;* quæ ſingula deſumuntur ab ornatu muliebri. A pratis, & hortis vocamus argutias orationis *flores, vireta, amænitates, roſas.* Ab ornamento equi *phaleras.* A pictura *colores, minia, purpuras.* A cœlo *ſplendores, radios, lumina, ſydera.* A pulchritudine muliebri Quintilianus vocavit argutias *Veneres orationis*, & in encomio Iſocratis dicit. *Omnes ſandi Veneres ſcivitum fuiſſe.* Ruſus quis arguriæ non ſolùm aures demulcent, verùm & animos alliciunt, ac delicijs perfundunt, poſſumus ſub alto genere allicientiæ recenſere omnes ſpecies, & vocare argutias *Orationis blanditias, ſirenulas,*

lepores, illicia, ancupia, ſuavitates, Atticum melos, delicias, blandimenta, titillationes, gratias, urbanitates, luſus, ludos, luxuries, jocos, ſales, facetias, affabilitates, eutrapelias. Ariſtoteles graviori nomenclatura vocavit argutias *apophtegmata 3. Rhetor. cap. 11. quin etiam apophtegmata ex eo ſunt urbana, quod aliud ſignificant, quàm verba dicant*, & hoc nomen adeò Plutarcho arriſit, ut dicta arguta, ac ſententiosè vibrata illuſtrium virorum apophtegmata vocaverit, congeſſeritque ſpiſſum volumen apophtegmatum, quod Auguſto Cæſari dicatum voluit. Trapezonzius interpretatus eſt illam vocem *apophtegma*, & ait ſignificare dicta commoda, eò quia *eumpſus* græcè, latinè idem ſonet, ac facetus: & *Comus* Numen fingeretur facetiarum, ac jocorum, hinc Plautus exclamavit. *O Jupiter! quàm pravi eſtis homines commodi*, ſeu *comes*, & *faceti*.

5 Alij latinè argutias vocârunt, *dulcia dicta, Attica mella, ſapidos ſales*; Plautus *Mulſa dicta.* Martialis *dulces nugas*: Macrobius tamen meliùs eas vocavit *dicteria*, ex quo oritur, quòd homines arguti etiam dicaces audiant, eò quia ut plurimum alios pungant, ut Auguſtus utráque coronatus lauro Apollinea, & Martiali, qui ubi inaudivit Galbam egregium Oratorem, à quo poſtea cum interrogaretur, num benè peroràſſet, & ſi quid mali commiſſum eſſet, corrigeret, hoc reſpondit acumen: *Monere quidem poſſum Galbam, ſed corrigere non poſſum*; præeminenti enim Gibbo deformis erat: totum acumen in æquivoco latet, & in verbo illo *corrigere* defectum naturæ, & orationis. Cicero itidem contra Caninium diurnum Conſulem ingenium, & linguam acuit: *Eſt grande prodigium Patres Conſcripti, Caninio Conſule, nec pruina, nec Ver, nec æſtas, nec autumnus, nec nox fuit*, hoc ſchemma ortum ſumpſit à brevitate hujus conſulatûs, & à tempore, quo non fuit Conſul. Virgilius itidem accuſatus, quòd Homerum legeret, & ex Homero eos colligeret flores, quibus heroicum ſuum coronavit Poëma, argutè dixit: *Magnarum eſſe virium auferre clavam de manu Herculis*. Oritur argutia hæc à comparatione, ac metaphora attributionis, ſiquidem à magnitudine ſapientiæ confertur Homerus cum Hercule, & Homeriana carmina cum Herculea Clava. Non vulgaris eſt etiam argutia Lucij Malij Pictoris haud obſcuri, qui cùm deformes haberet filios, & formoſiſſimas pingeret imagines, interrogatus, cur non pares ſuæ artis figuris filios gigneret, argutè reſpondit: *Mirum non ſit, quia filios in tenebris pingo, in luce verò figuras.* Cæterum ea circumſpectione neceſſe eſt, argutijs Orator ludat, ut neminem lædat, ut calumniator; neque nugetur ut ſcurra. Sunt, qui ſibi argutari non poſſe videntur, niſi vel alieno honori vulnus infligant, vel proximi famæ labem affricent: veſpas imitantur, quę mella legere non poſſunt, niſi figant ſui livoris aculeum: argutari quidem Orator debet, ſed neminem lædere, nec pungere.

Uſus argutiarum non ſolùm in dictione adhiberi ſolet, ſed etiam in actione, & dici ſolet argutia mixta, eò quia ex dicto, & facto arguto coaleſcat: quæ in ſolo dicto elucet, argutia ſimplex dicitur, & quæ in facto argutia facti, qualis fuit illa Diogenis, qui cum occurrentis ex foro amici emptos de manibus pullos eripuiſſet: quos domum ſuam deferret, Philoſophus non domum eos detulit, ſed ejus ſepulchro intulit: quo facto oſtendit aliam magis ſibi propriam domum amicum non habere, quàm ſepulchrum; in quo diutiùs deberet mortuus immorari, quàm vivens domi, in quam deferri emptos pullos deſideravit: quod elegantiùs opere, quàm verbis declaravit, éſtque argutia ſita in facto tantùm: quæ verò in dicto, & facto ſimul conſiſtit, & propriè argutia mixta dicitur, eſt qualis in emblemate, vel ſymbolo heroico explicari ſolet; in hiſce enim ſymbolis rei conceptæ argumenta partim rerum imagine, & partim ſcripta ſententia, ſeu dictione exponuntur. Quæ verò in ſola dictione emicat argutia, eſt quæ ſolis verbis explicatur, ut eſt illa de Joſepho Patriarcha à fratribus in ciſternam detruſo: *ex ſicca ciſterna fons gloriæ ei emanavit.* Ut etiam cum de Principe in bello vulneribus ſauciato, ſimúlque Victori dicimus: *ex ejus vulneribus plus gloriæ, quàm ſanguinis fluxiſſe.* Et etiam de Joſue, qui ſolis ſtatione de Amorrhæis triumphavit. Occaſuro ſoli inclamavit invictiſſimus dilecti populi Mavors Sol contra Gabeon ne movearis: inſolens prodigium, ſtetit ſol, ne ſtaret ulteriùs Amorrhæus, ſol ipſo exhibuit ſe ſe ſtationarium militem, quo ſtativam in caſtris Amorrhæorum fortunam proſterneret; metam diſtulit diei attingere, quò dux fidelis inimicorum palmas ad poſtremum uſque demeteret, noluit priùs occumbere, quàm hoſtis; ut quò longior illuceret dies, eò pluribus vitam cum luce adimeret: paſſus eſt ſyderum princeps unjus Ducis voce vinciri, quo veri luminis vinceret perduelles. De araneo Divo Felici telam texenti, quâ è manibus hoſtium eriperet, ac ab eorundem oculis argutè dicitur.

Tametſi felicem te nomen loquatur; nominis tamen felicitatem auxit araneus, cujus telâ hoſtium effugiſti tela, Felicem etiam araneus te effecit, cum infelix videri debuiſſes; tenuis tela pretioſius tibi fuit velum, quàm quod pinxit in tela Apelles. Habetur etiam illud de Divo Nicolao Antiſtite Mirenſi, qui ſtipem auream in dotem periclitantium puellarum erogavit. Quis neget diem illuxiſſe aureum, dum auro fulcitur pudicitia, ne cadat. Nicolaus Mydâ felicior in aurum etiam diem commutavit; nec mirum; mens aurea in Pactolum viſa eſt degeneràſſe, ut aureis fluctibus ſterileſcentem irrigaret, ac fœcundaret paupertatem; miſeros locupletavit abſque ſui diminutione, quia in ſubſidium virtutis effluxit, dum in caliginoſa domo auro fulſit; ubi datur pulcherrimis, quæ licèt impares numero, pari tamen cumulantur beneficio, ne tanto muneri grinæ deeſſent Gratiæ. 7

EX-

EXPENSIO II.

De Cauſa efficiente argutiarum.

1 QUemadmodum à planetarum Principe, qui ſui luminis eſt faber, ſuos recipiunt ſplendores ſyderum turbæ, quibus cœlum veluti Argus tot nocte oculos aperit, quot ſplendet ſyderibus; perinde omnes humanæ argutiæ, quæ orationes dicuntur micantia ſydera ſuos à mente, & ingenio hauriunt nitores. Eſt humana mens reliquarum potentiarum veluti ſol, quia ut ait Plato apud Dionyſium Longinum, *Nunc cupiditatum gynecæa diſpenſat; nunc acrimonia Andronem regit, nunc deſideria veluti volitantes Prodromos emittit, nunc furiales irarum exercitus è caſtris educit, nunc ſerena luce circumſepta ſuaviùs renidet.* Eſt enim mens, quæ ſi alas extendit in æthera, vincit Prometheum; ſi per aëra pennas expandit, Dedalum ſuperat: pergit cum ſole, nec Phaetontis timet lapſus: avolat quaſi pennigera, nec Icari expaveſcit ruinas: hæc licèt brevi unius capitis comprehenſa periodo, momento tamen per omnia immenſitatis ſpatia perniciſſimè ſpatiatur: & quamvis captiva in capite, nullis tamen vinculis detinetur: anguſto clauſa carcere, libertate potitur auguſta: immota procul extra orbis confinia peregrinatur: nempe avet etiam in patria peregrina videri: ipſa uno ſimul moratur in loco, ſimúlque in alio, ibi eſt præſens, ubi abſens, & maximè diſtat, cùm proximè adeſt; terras excolit, & cœlum incolit. Hæc eſt, quæ vocis adminiculo, quæ intus volvit, foris explicat; ut amicitias ineat, animi ſenſa animo imprimit alterius, & per mutuam communicationem familiarem invehit ſocietatem, quâ vita jucunda paſcitur: neque ad amorem conciliandum, alendúmque valentiùs quidquam eſt hâc mutuâ internorum conceptuum communicatione, cujus beneficio ingenia, indolem, ac virtutes aliorum æſtimamus, ac ſubtilibus inventis oblectamur, ac tradita veluti per manus eruditione, ac ſapientia fruimur: cùm enim rarum quidpiam ab alijs ſive ignoratum ſive inexpectatum adferimus, admirationem illico excitamus, ac benevolentiam meremur.

2 Hæc igitur mens duas habet facultates præſtantiſſimas intellectum, & voluntatem; hac in amorem fertur, & odium, illo vera ſecernit à falſis, inveſtigat, cognoſcit: hæcque potentia dicitur ingenium, eſtque vera cauſa efficiens argutiarum: nilque aliud eſt, quàm quædam mirabilis vis intellectus. Hinc ingenium aliud perſpicax dicitur, & aliud verſatile: illud inveſtigat, ac penetrat paſſiones ſingulas, cauſas, & circumſtantias objecti: iſtud verò verſatile dicitur, eò quia ſimul uniat, vel ſeparet circumſtantias, paſſiones, vel accidentia objecti cogniti. Do exemplum, Ingenium perſpicax apprehendit Divam Magdalenam ſuis illacrymantem delictis ad pedes Chriſti, eámque conſiderat divino æſtuantem amore. Nunc ingenium verſatile nectendo ſimul flammas amoris cum lacrymis reſipiſcentiæ, argutias efficit, dicitque. *Quale prodigium antehac inſolens! flamma aquam parturit, & aqua flammam enutrit.* Olim inſani ignis *Dea ab aquis nata marinis, & exitiales flammas nacta, nonniſi ſtrages hominum venerea flamma æſtuantium protendere valuit: nunc Magdalena caſtior ut fiat Venus non ab aqua tantùm lachrymarum ſanctioris vitæ orditur curſum, verùm etiam ab igne: an quia pluribus temerata maculis criminum, igne voluit purgari, & aqua? confunduntur iterum elementa ignis, & aquæ, quia in Magdalena ſanctior amor iterum Chaos orditur.*

Ecce quomodo argutia ſit partus ingenij verſatilis, quod ad conficiendam argutiam venuſtè plura etiam contraria ſimul nectit: & ex pluribus diſcordantibus harmonicam invehit concordiam. Hoc pacto ingenium verſatile nectendo ſemifœminam cum piſce *ſirenulam* effingit ſymbolum adulationis, aut illecebrarum; & alludendo ad fabulam, ait, homines ad effugiendas illecebrarum ſirenulas debere Ulyſſem imitari, qui ſi malo navis illigatus malum imminens evaſit incolumis: perindè homines, ſi crucis arbori inhæreant, ac ſæpe Chriſti patientis meditentur ſupplicia, Veneris declinant lenocinia, mundi illecebras vincunt, & incolumes fluctuantis hujus vitæ trajiciunt pelagus: quippe ut loquitur D. Auguſtinus contra Veneris illicia, nullum tam efficax pharmacum eſt, quàm meditatio Dominicæ Paſſionis. Ope ingenij verſatilis ſuas etiam argutias pictores delineârunt: ingenioſus enim vocatur Thimantes, quia argutias pingeret, de quo ait Plinius. *In omnibus ſuis operibus plus eſt, quod intelligitur, quàm quod pictum inſpicitur; & quamquam ars ſumma ſit: ingenium tamen ſuper artem eſt.* 3

Ope ingenij verſatilis inſtrumentum Archimedes effecit, quò onuſtam navem, quam hominum turbæ dimovere non poterant, ſolus traxit, quò voluit: & in anguſto vitro auguſtas cœli ſphœras, planetas, epicilos non ſine artis prodigio incluſit. Architas Tarentinus volitantem per aëra artefactam columbulam dimiſit: alius in Achate exiguo lapillo incluſo annulo novem Muſas cum Apolline impreſſit. Myrmecides quadrigam eburneam adeo ſubtiliter, ac delicatè elaboravit, ut unica muſcæ ala eam totam poſſet obtegere. Albertus Magnus ingenij verſatilis acumine, vel ipſis emortuis, mutiſque ſtatuis loquelam impertivit. In Horologijs etiam enituit ingenij verſatilis induſtria, in quibus ut feliciùs, ac commodiùs duceretur tempus in triumphum curſum, rotáſque eidem fabricavit. 4

EXPENSIO III.

De Materia, circa quam, & ex qua Argutiarum.

1 MAteria, circa quam eſt omne id, circa quod aliquid verſatur: quia Rhetorica verſatur circa propoſitiones, quævis propoſitio ſive theſis, ſive Hypotheſis eſt materia, circa quam verſatur Rhetorica: pari pacto materia circa quam argutiarum eſt id omne circa quod verſantur ipſæ argutiæ.

2 Quia verò omnis argutia oratio eſt quædam, neceſſariò reducitur ad aliquod ex tribus generibus, quæ totam amplectuntur Rhetoricam: vel enim argutiæ commendant honeſtatem, & vitium, & tunc verſantur circa genus demonſtrativum: vel perſuadent hominibus, quod rectæ rationi eſt conſonum, ſeu bonum, & diſſuadent diſſonum, ſeu malum; & verſantur circa genus deliberativum: vel arguunt, vel defendunt crimen, & verſantur circa genus judiciale, ex quo ſequitur materiam circa quam argutiarum eſſe illa tria genera, quibus veluti totidem ſuffulta columnis innixa ſtat tota Rhetorica.

3 In genere demonſtrativo arguta eſt illa concluſio Martialis, quâ commendatur optimus Imperator Nerva Catoni æquiparatus, ſeu rigidiſſimo illi morum Cenſori, ac probæ vitæ reſtauratori; qui ne in re mala Julio Cæſari obtemperaret, maluit ſe occidere: ait Martialis

Ipſe quoque infernis revocatus ditis ab umbris,
Si Cato reddatur, Cæſarianus erit.

4 In laudem invicti Ducis proficiſcentis ad bellum loco Principis dicitur: Non enim Regium ſanguinem oppoſuit hoſti patria, ſcùm alios invictos haberet Duces: ſtant enim pro Theodoſiis Stillicones. In funere illuſtris Heroinæ in hoc genere demonſtrativo argutè dicitur. Non tamen credas ita Majorum illuxiſſe fulgoribus, ut non ampliùs ſplenduerit è ſuo: exiguam rata lucem, quam darent fumoſæ imagines, vel atræ poſt funera faces incenderent, niſi aurea probitate, & virtutum omnium nitoribus ſplenduiſſet. De occiſis in bello. Hic plurimos ab invicto Duce deletos vides: ſed unde vixerint neſcias, niſi à tumulis, qui hæc nomina, virósque oppreſſerunt.

De ſuperbi viri tumulo extra ſuorum ſepulchrum Majorum tumulati dicitur: Avito illi ſepulchro interdicitur; in agro, quem non coluit tumulatur: Adeo ſuperborum ſocietatem horreot mortui, ut eorum viciniam exhorreant.

5 In genere deliberativo ab inexpectato lepidùm eſt conſilium, quod dedit vir quidam Cauſidico, cùm triſtaretur, quòd Clientes non haberet, quorum cauſas defenderet, & aliquid lucraretur.

Si res, & cauſæ deſunt agis Attale mulas
Attale ne, quid agas, deſit, agas animam,
hoc eſt morere.

Ad diſſuadendum populi regimen argutè de Moyſſe dicitur: ſanctum Ductorem, ut ſeductorem populus criminatur, quò inde conjicias nec probos immunes eſſe à probris; profuit Moyſi Paſtoritia, cuj obfuit imperium, beatiùs didicit cum brutis vivere, quam cùm hominibus. Puſillanimitas redarguitur in homine vindictam meditante ob injuriam ſibi illatam. Fortem nemo te dixerit, qui læſus à vindicta ſuppetias quæris; nec ſatis tibi animum virtus munit, & armat. Languet virtus, cuj animus ſub quovis ictu ſuccumbit. Atlas non es, ſi hoc ſub onere graviter ingemiſcis. Non ſatis compacta eſt navis, ſi in hos illiſam ſcopulos fluctus hauriant, & naufraga virtus pereat. Viri probi eſt, probra quæque excutere, ac contemnere. 6

In genere judiciali elegans eſt illa argutia Martialis, quâ accuſat Poſthumum, eò quia ad tegendum fœtorem ingratum, gratum adhiberet odorem, quô videretur bene olere.

Hoc mihi ſuſpectum eſt, quod oles bene Poſthume ſemper,
Non bene ſemper olet, qui bene ſemper olet:

Materia *ex qua* argutiarum illa dicitur, 7 ex qua hæ componuntur, & quia ſolent ut plurimum coaleſcere ex metaphoris, vel paradoxis, Hyperbole, verborum pugnâ, ſenſibus non obvijs, eruditionibus, comparationibus, alienationibus, æquivocis, alluſionibus, eruditionibus, ſententijs vibrantibus, non cauſis pro cauſis, hæc omnia dicuntur materia, ex qua argutiæ conficiuntur: ait Ariſtoteles 2. *Rhetor. cap. 5.* loquendo de argutijs: *ſunt aſſignationes non cauſæ pro cauſa.* Do exemplum. Emoritur Princeps dum cœlum nubibus atratum pluit: per metaphoram ſimilitudinis, ac proportionis, voco pluvias, cœli lacbrymas, & dico *prematuræ Principis neci etiam cœlum illacrymari.* Hæc eſt ſimplex metaphora à re animata ad rem inanimatam, quia transfero illacrymari proprium homini ad cœlos inanimatos: & quia dixi, metaphoram eſſe materiam, ex qua argutiarum; ex eadem poſſum veram argutiam conſtruere per aſſignationem non cauſæ pro cauſa hujus luctûs: hoc pacto. *Acerbum funus elementa ipſa lugent, jacentque in ſqualore atrata, ut emortuo Principi parentent.* Argutia eſt illa aſſignatio non cauſæ pro cauſa ſcilicet *ut emortuo Principi patentent.* 8

Eſt metaphora, ut argutijs inſerviens ex Ariſtotele 3. *Rhetoric. cap. 20. Translatio nominis alieni, vel à ſpecie ad ſpeciem, vel ſecundùm aliquid, quod proportione reſpondeat,* ut ſi voco dentes *uniones,* ſeu *margaritas,* eò quia dentes & uniones conveniant in albedine, facio translationem à ſpecie ad ſpeciem ſub genere albedinis & infero metaphoram fundatam in proportione, quo pacto *canitiem* capitis voco ſenectutis *nives*: ad has faciliùs conſtruendas ſimplices metaphoras inveniendum eſt abſtractum rei concretæ: quia lilium in concreto dicitur *album*, abſtractum erit *albedo* in genere, quæ prædicatur de ſingulis concretis albis, ſeu de omnibus ſpeciebus, ſub tali genere, ut de nive, lilio, ſpuma maris, dentibus, canitie, ebore, unio-

nione, lacte, adamante, argento: & quia juxta philoſophicum axioma, *quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*: & omnia ſubjecta alba ſunt idem cum albedine in abſtracto, dicuntur etiam fieri idem inter ſe in concreto: quo pacto invento abſtracto, ſeu alto genere fit translatio nominis alieni à ſpecie ad ſpeciem, ac multiplices conficiuntur metaphoræ: hoc pacto *nives montium* vocamus *ſeneſcentis anni canitiem*: & è converſo *canitiem hominis nives ſeneƈtutis*: pratorum virera, & herbuſculæ pubeſcentes vocantur *animati ſmaragdi*, ſeu *gemmæ virides*, & ſumitur unum ſubjectum viride pro alio, ſeu una ſpecies in genere viriditatis pro alia. Si ſumamus unam ſpeciem pro alia ſub ſpecie albedinis murmurantes aquarum rivuli dicuntur *liquida, ac fluxa Cryſtalla*, & Virgilius vocavit *lampadas cœli*, duo majora luminaria Solem, & Lunam; ut etiam *ignes inextinguibiles*; nives etiam dicuntur *frigida lilia alpium*, & hortorum lilia *animatæ arvorum nives*.

Verùm hujusmodi metaphoræ propriè
9 non ſunt argutiæ, quia tantùm verſantur circa primam, vel ſecundam operationem intellectûs; & dicuntur ſimplices, eò quia objecta ſimpliciter apprehenduntur à prima operatione intellectûs, ut cùm pro canitie concipitur *nix ſenectutis*, ut etiam cùm concipimus lilium *argenteum*, quia nil judicamus: ſin verò concipiamos lilium, & aliquid de illo affirmemus: ut *lilium fovet in ſinu argentum*, eſt quidem eadem metaphora, ſed continuata, & tranſiens ad ſecundam operationem intellectûs: verùm neque hæc metaphora eſt adhuc vera, ac perfecta arguria, quæ juxta Ariſtotelem *eſt illatio explicans non cauſam pro cauſa*: ac verſatur circa tertiam operationem intellectus, ut eſſet, ſi quærendo non cauſam pro cauſa, cur lilium ſit argenteum, dicerem; Meritò lilium cùm ſit florum rex argenteo ſe palludamento cooperit, ut dignitatem ſuam, ac divitias præ cæteris floribus jactet, decet quippe Regem divitijs affluere: hæc eſt vera arguria, quia aſſignatur non cauſa pro cauſa, ut *dignitatem ſuam, ac divitias jactare*.

EXPENSIO IV.

Quale ſit formale conſtitutivum argutiarum.

1 Quia argutiæ oratoriæ ex pluribus hauriuntur fontibus, ac diverſæ ſunt ſpeciei, vix unica poſſunt omnes, & ſingulæ comprehendi definitione: quapropter generice definiri poteſt argutia Oratoria *brevis quædam ac vibrans animi ſententia verbis explicata, quæ aliquid præter expectationem adferat*: ſeu eſt formula quædam dicendi ingenioſa, & acuta, ac feſtivè fallax. Non tamen omnis argutia ornatui inſervir orationis plures enim ſunt, quæ Poëtis magis congruunt; quàm Oratoribus, eò quia nonnihil præſeferant levitatis. Non enim laudaretur Orator ſi arguriam illam Mureti de Naſuto intereret orationi.

Si tuus ad ſolem ſtatuatur naſus hiante.
Ore, bene oſtendet dentibus hora quota eſt.

Non enim hoc acumen gravitatem decet Oratoris, ut nec etiam illud de milite prolixam nutriente barbam, & è pugna profugo.

Hircum barba probat, nuperrima te fuga cervum.
Ergo meram nobis ens rationis eris.

Levitatis etiam redarguitur acumen illud de Otthone Sylvio, qui antequam vitam 2 clauderet oculos ſibi eruit: *Dormire vult, ideóque feneſtras claudit*, eſt enim acumen frigidum alludens ad ſomnum, qui dicitur frater mortis. Leve etiam cenſetur acumen illud Hegeſiæ, qui laudaturus Alexandrum Macedonem in luce editum ea nocte, quâ Dianæ Epheſinæ templum conflagravit, & flammis abſumptum fuit, fertur dixiſſe: mirum non ſit, ſi Dianæ templum nocte illa tam gravi incendio arſerit, flammiſque fuerit abſumptum: ſiquidem Diana ejuſdem templi Dea in ipſo Olympiæ partu, quo Alexander editus fuit ad [illegible] obſtetricandi laboribus diſtracta, ignem non valuit extinguere, quia longius abfuit, ſi enim adfuiſſet minimè in cineres peramplum templum abijſſet. Hoc acumen Plutarchus adeo frigidum judicavit, ut ipſum ſolum abſque alia Dianæ ope ſufficere potuiſſet ad totum incendium ſtatim extinguendum. Nonnihil levitatis etiam videtur præſeferre aliud acumen oratorium de Angelo in caſtris Sennacherib, qui nocte intempeſta centum, & octoginta millia dormientium gladio interemit. Quia in tenebris cæcutivit Angeli gladius, cæcorum more obvios quóſque interfecit, & Aſſiriorum centum octoginta millia cruenta clade proſtravit, quos ſomnus ſuæ conſignavit ſorori, ſeu morti.

Argutia Oratoria non ſolòm elimata di- 3
ctione, & ingenioſo acumine præfulget; verùm etiam gravitatem præſefert, ut eſt illud Demadis in oratione, quam recitavit in commendationem Epaminondæ: *Cum Epaminondæ corpore virtutem Thebanorum ſepelivit fortuna*, paucis verbis indicavit totam Thebanorum fortunam uni fuiſſe Epaminondæ innixam, cujus virtus patriæ fuit fulcimentum. Hujusmodi acumina paſſim in orationibus Demoſthenis reperiuntur, ut etiam in alijs oratoribus qui florido, & accurato dicendi genere delectati fuerunt: imò & in ſanctis Patribus perinde ac flores vernant Oratoriæ argutiæ, quæ ingenij arguunt ſubtilitatem. Cicero itidem licèt ad omnia eloquentiæ decora ſortitus fuiſſet ingenium, interdum tamen bas ſuis orationibus argutias inſeruit; ut cùm Cæſarem alloquens dixit: *Tu ipſam victoriam Cæſar vicisti*: eò quia victoriam, quam virtute bellica ſibi comparaverat victis remiſit, quibus non nocuit, maluitque incolumes ſervare, ejus clementiæ potiùs, quàm ferocitatis teſtes. Habuit Tullius ſua acumina, ſed modeſta, & gravia.

Diſtinguenda tamen eſt in oratorijs argu- 4
tijs brevitas ſententiæ à præcepto dicendi genere, eſt enim argutia brevis ſententia vibrans

aliquid præſeferens acuminis præter expectationem, adeò ut viriliter, & ſtrictè rem colligat; cùm præruptum dicendi genus ſententias relinquat ſuſpenſas in perplexo ſuſpicioſas, & interruptas, unde ſi illa, ſeu brevitas argutiæ animum explet; hoc ſuſpendit; ſi illa quodam leni gratiæ flore acumina intorquet; hoc frigida quædam dicta hianti ore effutit: quapropter caveat Orator, necùm argutus videri velit, abſurdus fiat, aut levis.

5 Quotquot ex illuſtrioribus Oratoribus argutijs fuerunt delectati, decentis nunquam fuerunt gravitatis obliti, ut Majeſtatem tuerentur Oratoris, ut præſtitit Plinius in Panegyrico Trajani inquiens: *Unum ille, ſe ex nobis, & hoc magis excellit, atque eminet, quod unum ex nobis putat: non minus ſe, quàm hominibus, præeſſe meminit.* Modeſtiam Trajani egregiè commendat, non ſolùm quia in ipſo honores non mutârunt mores, verùm etiam, quia perinde ac unus ex populo omnibus ſe familiarem exhibuit. Arguta eſt etiam hæc alia Plinij ſententia, in laudem ejuſdem Trajani. *Nam vita Principis cenſura eſt, eáque perpetua; ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus eſt, quàm exemplo, quippe infidelelis recti Magiſter eſt metus.* Nil in hac arguta periodo continetur obſcuri, nil affectati, ſed omnia acuta, ac nervosè dicta, quæ ſuapte natura ab alta fluunt mente abſque ullo ſtridore. Neque minus acuminis habet hæc alia Plinij ſententia in laudem Trajani. *O te felicem! quod cùm diceremus non opes tuas, ſed animum mirabamur. Eſt enim vera felicitas felicitate dignum videri.*

6 Nulla eſt in hac perjodo particula, quæ ſuo non ſit armata acumine abſque ulla levitate. Hanc eandem in oratorijs argutijs gravitatem ſervârunt reliqui Oratores, & præſertim Cornelius Tacitus, qui nonniſi grandia, ſplendida, & acuta exhibet effata mira brevitate collecta. *lib. 2. Annal.* in Perſona Tiberij & *lib. 5.* ait. *Ærarium ſi ambitione exhauſerimus per ſcelera ſupplendum erit*: brevis eſt hæc ſententia, ſed vibrans & acuta plura explicans, quàm dicat. Pulchra eſt etiam hæc alia ſententia *ſecundæ res acrioribus ſtimulis animum explorant, quia miſeriæ tolerantur, felicitate corrumpimur.* Præ cæteris in hiſce Oratorijs argutijs viſus eſt Quintus Curtius floruiſſe; leguntur, enim hujuſmodi flores in ejus hiſtoria cujuſmodi ſunt, quos in oratione Legatorum Darij exhibet inquiens. *Reſpice quantum poſt te reliqueris, intuere quantum petas. Periculoſum eſt pergrave imperium: difficile eſt continere, quod capere non poſſis: Vides ut navigia, quæ modum excedunt, regi nequeant: neſcio an Darius ideo tam multa amiſerit, quia nimiæ opes magnæ jacturæ locum faciunt. Facilius eſt quædam vincere, quàm tueri. Quam Hercule expeditiùs manus noſtræ rapiunt, quàm continent! ipſa mors uxoris Darij te admonere poteſt, minus jam miſericordiæ tuæ licere, quàm licuit*

Quot verba in hac oratione, tot lumina, quot ſenſus tot argutiæ, & tamen nil coactum, nil violenter accerſitum deprehenditur, nec moroſa obſcuritate infuſcatum. Nec minus acuminis habet apud eundem Curtium reſponſio Alexandri. *Nuntiate Dario gratiarum actionem apud hoſtes ſupervacaneam eſſe, & me quæ fecerim clementer & liberaliter non amicitiæ ejus tribuiſſe, ſed naturæ meæ. Nec mundus duobus ſolibus poteſt regi: nec duo ſumma regna ſalvo ſtatu terrarum poteſt habere.* Plurimum etiam habet acuminis hoc aliud apud eundem Curtium *lib.* 4. Alij optimè miſerias ferunt, qui abſcondunt: nec ulla eſt tam familiaris infelicibus patria, quàm ſolitudo, & ſtatûs prioris oblivio. Nam qui multum in ſuorum miſericordia ponunt, ignorant, quàm celeriter lachrymæ inareſcant. Nemo fideliter diligit, quæ faſtidit. Nam & calamitas querula eſt ſuperba felicitas. Pulchrum etiam eſt hoc aliud. Quædam beneficia odimus, meruiſſe mortem, confiteri pudet: ſupereſt ut malit injuriam accepiſſe, quàm vitam. In hiſce conciſis ſententijs plurimum ſemper habetur acuminis, ac ingenioſi. Interdum oratoria argutia in quadam ſita eſt figura, quâ verba concinnè aptantur, ut in illo Piſiſtrati in epiſt. ad Miles. *Veſtri liberi egent parentibus, juvenes ſenibus, mulieres viris, viri magiſtratibus, Magiſtratus legibus, leges Philoſophis Philoſophi Dijs, Dij veſtra fide* Eſt hæc perjodus arguta, & auribus vellicandis perapta. 7

EXPENSIO V.

De Argutijs Oratorijs, quæ ſcaturiunt à non cauſa pro cauſa.

AB hoc fonte adeo uberes ſcaturiunt argutiarum rivuli, ut Ariſtoteles totam rationem argutandi ab eodem viſus ſit hauſiſſe: ſiquidem definiens argutiam, ait eſſe *aſſignationem non cauſæ pro cauſa.* Ut ſi quæramus, cur Divus Gregorius Taumaturgus natus fuerit in regione diuturno gelu rigente, ſi aſſignemus non cauſam pro cauſa argutè dicimus, eum ſub cœlo frigido natum fuiſſe, ut illud ipſum ad culturam virtutis inflammaret. Et de S. Cypriano dicimus: Africæ geminaturus ardores in Africa natus fuit, id præſtitit cum Carthaginenſes divino inflam̃avit amore. 1

De Divo Thoma Aquinate, qui adhuc infans ſalutationem Angelicam in ſchedula ſcriptam deglutivit, argutè dicimus: optimam ut aleret indolem angelica ſalutatione uſus pro lacte innocentiæ candorem ſuxit, cum ſchedam deglutivit. Nec mirum ſi ſapientia citiùs, quàm ætas in ipſo adolevit: hanc guttatim cum lacte ſuxit, illam verò unico hauſtu totam exſorbuit, & bolo unico abſumpſit. In ſalutatione enim Angelica divina comprehenditur ſapientia Dei Mater gratiâ plena, quam Divus Thomas adhuc infans deglutivit. Pulchrè etiam de Divo Fulgentio ex Africa pulſo, & in Sardiniam relegato dicitur: Exul extra patriam fugit, quia gemini ſolis ardores pati Africa non valuit. Æſtuat Africa diurni ſolis directo 2

radio, & quia Divus Fulgentius tot radijs claruit, quot virtutibus ornatus enituit, perinde ac ſanctitatis ſol ſplenduit; non cauſa pro cauſa eſt, ne gemini ſolis ardores Africa pateretur, maluit eum exulem dimittere, quàm Patrem admittere.

4 Hinc argutiæ argumenta ſunt urbana, ac feſtivè fallacia, quæ propterea ab Ariſtotele vocantur *Apparentium Enthymematum joci*, quia illatio in hiſce argumentis ſemper eſt aliquod intellectûs figmentum, in quo tamen ſplendeat perſpicacia, & lumen, ingenij. Ut ſi quærenti, cur grandines æſtivo tempore cadant, reſponderem, quia tertia aëris regio per antiperiſteſin æſtivo tempore eſt frigidior, quàm hyemali, proinde tunc humorem aqueum in illa aëris regione à circumambiente frigore conſtipari, cogíque in grandines; eſſet hæc reſponſio aſſignatio veræ cauſæ, proinde non eſſet argutia, quia argumentum non eſſet fallax. Debet igitur argutia ſuum habere acumen, ac lumen ingenij per aliquod figmentum amœnum, ac feſtivum, ut eſt concluſio hujus enthymematis, in qua feſtivè aſſignatur non cauſa pro cauſa, cur mare bibat omnia flumina

Salſa ſitim pariunt; nihil æquore ſalſius: ergo
Quid mirum: dulces ſi bibat æquor aquas.

5 Quapropter Seneca definivit argutias, quòd ſint *Concluſiunculæ vafræ, & callidæ.* Atqui poſſet quis objicere; ergo omnes fallaciæ erunt Argutiæ? Reſpondeo negativè, quia argutia ſolum eſt juxta Ariſtotelem Enthymema urbanum, ſeu fallacia arguta: nam ſi diceres, hanc fallaciam: Omne vivens eſt ſenſitivum: aliqua arbor eſt vivens: ergo eſt ſenſitiva: forma hujus argumenti eſt fallax, cùm extrema non perfectè identificentur cum medio termino; & tamen non eſt argutia, quia nulla ibi elucet urbanitas, quæ debet eſſe illatio deducta ex enthymemate fallaci, ſitque aſſignatio non cauſæ pro cauſa: Ut ſi quæras cur ſtellæ interdiu non ſint conſpicuæ, cùm experiamur aſtra nonniſi noctu nobis illuceſcere, & oriente matutino ſole illicò evaneſcere; poſſem aſſignare veram cauſam: quia interdiu objectum ſenſibile majus productum in organo ſenſûs, ſeu ſol prohibet videri externum ſenſibile minus; cùm enim totus oculus interdiu perfundatur ſolari lumine, quod intenſione excedit ſplendores ſtellarum, non poſſunt iſtæ noſtrum immutare viſum, neque à nobis aſpici, eò quia ſenſibile majus impediat ſentiri minus; quando enim plura occurrunt agentia ad effectum aliquem præſtandum, quæ majoris ſunt virtutis, & efficaciæ illum efficiunt: in hoc diſcurſu nulla relucet argutia, quia aſſignatur vera cauſa philoſophica, cur ſtellæ interdiu non ſint nobis conſpicuæ, ſed tantùm noctu, cùm ſol abeſt à noſtro hemiſphœrio. Eſſet autem argutia ſi aſſignarem non cauſam pro cauſa, & conſiderato ſolis occaſu dicerem, cœlum demortuo ſoli parentaturum funereas ſtellarum faces accendere, & ipſum atrato obduci velamine. Vel ſi aſſignarem hanc aliam non cauſam, cur noctu ſint ſtellæ tantùm nobis conſpicuæ, & dicerem: ſtellas vigiles eſſe cœli oculos, & quia noctu homines ſomno in terris ſopiuntur; ideo cœlum in ejus cuſtodiam vigilaturum Argum fieri, ac tot adaperire vigiles oculos, quot in ipſo ſplendent ſydera, hæc aſſignatio non cauſæ eſſet propriè argutia fundata in enthymemate fallaci, quo per quandam propoſitionem dico cœlum eſſe Argum, tot inſtructum apertis oculis, quot nitentib⁹ ſtellis coruſcū Non igitur quilibet ſyllogiſmus eſt argutia, ſed tan-
rùm, qui eſt urbanè, ac ingenioſè fallax per 6
aſſignationem non cauſæ pro cauſa.

Si enim quæras, cur omnes ingenioſi ſive Philoſophi, ſive Poëtæ, ſive alij artifices ſint melancholici; & Mathæus Dreſſerus *in lib. de partib. hum. corp. & animæ potentijs pag. 58.* reſponderet, quia humor melancholicus cùm firmus ſit efficit ſpiritus, & motus animi firmiores, & acriores, vel ardentiores: & Joannes Caramuel in ſua Logica obliqua *pag. 471.* hoc idem probaret, quia ſpiritus firmior, & ardentior gignit ſenſum acriorem; ſed Melancholicus humor gignit ſpiritum firmiorem, & ardentiorem: ergo melancholicus humor gi-
gnit ſenſum acriorem; in hoc ſyllogiſmo, nul- 7
la relucet argutia; quia in eo nulla latet fallacia.

Propono aliud argumentum cujus, concluſio quamvis fallax non ſit; propter tamen duo oppoſita nonnihil videtur habere acuminis, & argutiæ: argumentum eſt Sorites. Omnes naturæ inſtinctu abundantiam potiùs, quàm penuriam expetunt; ſed quidquid vehementer expetitur, id diligenter quæritur, & quod diligenter quæritur, laborioſè obtinetur; quod laborioſè obtinetur, jucundè poſſidetur; quod jucundè poſſidetur, dolenter amittitur; & quod dolenter amittitur, indeſinenter deploratur: ergo omnes naturæ inſtinctu (etiam cum *gaudia*, & *beatitudinem* terrenam ſe ambire putant) expetunt indeſinenter *deplorare.* Quòd ſi vocares Chriſtum Dominum ſolem juſtitiæ, & per æquivocum ſumeres diurnum ſolem pro Chriſto, argutè poſſes argumentari: ubi ſol eſt, dies eſt, ſed divinus ſol media nocte erat in caula Bethleemitica, ergo vel ipſa nocte ibi dies erat: hoc argumentum eſt argutia, quia urbanè concludit: non tamen argumenta ſunt proponenda cum hac propoſitionum diſtinctione, quia ars eſt occultanda, nec propoſitiones, ex quibus deducitur arguta illatio debent apparere, qua propter elegantiùs Poëta eandem argutiam exhiberet hoc diſticho

Fallimur in media natum, qui nocte putamus. 8
Nam ſecum nobis naſcitur ipſa dies.

Si quæratur non cauſa pro cauſa, cur Chriſtus natus ſit in præſepe, eò quia non eſſet locus in diverſorio poſſet reſponderi; hominem fuiſſe tunc ipſis brutis inhumaniorem, quando ipſum Deum ab hoſpitio rejecit, quem ſuo receperunt belluæ in ſtabulo

Io. A non cauſa pro cauſa ſi quæratur, cur vita hominis brevia ſit; ac diutiùs mentiatur vivere expreſſua in ſtatua lapidea, quàm vivus in corpore: reſponderi poſſet juxta Aphoriſmum illud *Ars longa vita brevis.* ſtatuæ ſiquidem arte fiunt. Quia Romæ in ſepulchro Divæ Ciciliæ nobilis Virginis Romanæ plures ſplendent lampades, & ipſa Martyrium ſubierit tempore nuptiarum, ab aſſignatione non cauſæ pro cauſa pulchrè cecinit Poëta.

Cur tot Cæciliæ poſt funera lampades ardent?
Conjunxere faces MORS, HIMENÆUS AMOR.

9 De Divo Joanne Baptiſta Chriſti prodromo, qui in Aula Herodis fuit capite diminutus, eò quis ſcelera redarguerit feſtivè à non cauſa pro cauſa, dicitur. *Turpia ne videat, non habet iſte caput.*

10

Interdum argutia relucet in aſſignatione veræ cauſæ rei, de qua quæritur, ſed tunc adeſt aliqua æquivocatio, vel pogna verborum, ut cum de Adamo tranſgreſſore divini præcepti, & in pœnam ſui delicti ad excolendam tellurem damnato, ac ad veſcendum pane in ſudore vultûs ſui, dicimus, *quia Deum non coluit, terram coluit*, hoc eſt, quia divino non fuit mandato obſecutus, ad laborem ſubeundum in telluria cultura, damnatus ſuit, & eſt vera cauſa, & argutia ſita in illo verbo æquivoco *coluit*, quod ſignificat, Deo obſequi, eúmque venerari, & terram aratro excolere. Rurſus de eodem Adamo Evæ ſuaſu comedente pomum à Deo ſibi prohibitum, dicimus: *quia malè carptum malum unum comedit, malum omne deglutivit, & malorum omnium iliadem in poſteros transfudit.* Aſſignatur etiam vera cauſa humanæ miſeriæ, & argutia ſita eſt in illa voce æquivoca *malum*, quod ſignificat pomum, & miſeriarum omnium congeriem.

11

Nonnunqoam non cauſa pro cauſa aſſignatur per eruditionem, quo pacto de Galba Imperatore, qui tribus Libertis Imperium regendum tradidit, argutè dicitur; tres tunc libertos imperâſſe, ne pauciores Romam, quàm Avernum Furiæ affligerent. Solemne olim fuit Romanis, ut quot annis fontes varijs frondibus, & floribus coronarent, ac feſta celebrarent fontinalia: argutè luditur in hunc morem, ritúmque coronandi fontes, ſi dicatur: iniquum rati denegare ſerta fontibua, à quibus ipſi vitam quodammodo haurirent, ſerta florea iiſdem ſacrârunt: hinc locum parœmiæ dederunt, *qui aquam hauris, puteum corona*: ad indicandam gratitudinem in benefactores.

12 Venuſtæ, ac ingenioſæ ſunt etiam illæ aſſignationes non cauſæ pro cauſa, ſi in ijſdem conflictus verborum, ac pugna intercedat contrariorum, ut cum de viro gravi redarguente in aula errores, & delicta, ac proinde reliquis inviſo dicimus *Aulæ gravis fuit, quòd levis eſſe nollet*; ſeu quia noluit ſe accommodare corruptis moribus aliorum. De Domitiano itidem argutè dicitur *Fratrem ſuſtulit, ut ſe attolleret.* De Virgine Matre cum S. Joſepho Ingredientibus Bethleemiticam caulam Salvatorem paritura venuſtè dicitur: *Recepit hoſpitio ſuburbana caula Virginem quam urbana aula excluſerat. quia nondum urbes Virginitas, & ſanctitas incolere didicerant.* De viro probo nefarios inter homines culturæ virtutum addicto pulchrè etiam dicitur: In corrupto ſæculo, fractóſque inter hominum mores integer vixit: quò diſcamus magna etiam inter vitia, virtuti locum non deeſſe. De Caino qui primus hominum dicitur urbem condidiſſe: Urbem primua conſtruxit, ut ſi campis ſecuritatem depulerat, carcerem ſibi moliretur. Si tamen tuta ſit impijs latebra aliqua. De Caligula Cæſare, qui omnium primus uſus dicitur aurea corona, cecinit ille.

Primus Apollinea commutas fronde metallum,
Cæſar, & Aurifero ſtringis in orbe caput.
Inſano capiti fragiles per tempora frondes
Non ſat erant: nodo te meliore ligas.

13

De illo viro nequam, qui propriam patriam incendio deſtruxit, in quo & propriam extinxit ipſe vitam acutè etiam dicitur. *In patriæ incendio, rogum etiam ipſe invenit, & meritò; qui enim tantùm ſceleribus inclaruit ſolâ rogi luce indiguit.* Cæterum cauſa, quæ aſſignatur debet ingenioſa eſſe, & inexpectata alicujus effectus, & poteſt erui tam à locis intrinſecis, quàm extrinſecis ſuperiùs expenſis

EXPENSIO VI.

De Argutijs, quæ eruuntur à paradoxis, ſenſibúſque non obvijs.

1

ORitur paradoxum ex oppoſitorum mirabili conjunctione, quâ ſenſus efficitur ingenioſus, eò quia unum oppoſitorum jucunda veluti metamorphoſi in aliud tranſmutetur; ut cùm de viro religioſo ad modeſtiam compoſito, & alios ad culturam virtutis exemplo fortiùs, quàm verbis trahente dicitur, *Diſertiſſimus fuit etiam cùm taceret; efficaciùs ſuaſit ſilentio, quàm verborum circuitu.* De Claudio Imperatore argutum eſt etiam illud paradoxum. *Ante Imperium ſine fama fuit, quia latuit: in Imperio infamis, quia non latuit: propterea* CLARIOR *futurus, ſi fuiſſet* OBSCURIOR. Fit propoſitio paradoxica, & arguta, ſi proponatur per modum rei ab hominum opinione perquàm remotæ, vel conſtet ex contradictorijs, ut ſi aſſeramus; minus duram mortem

tem obtingere miſeris, quàm felicibus, fit hæc propoſitio paradoxum, ſi dicamus *Felicitatis genus eſſe mori infelicem*, ubi felicitas, & infelicitas, quæ ſimul opponuntur venuſtè copulantur, non ſine illicio novitatis. Quia homines plerúmque propriæ infelicitatis ſunt Authores poteſt id venuſtè exprimi, ſi dicamus: *Miſerum eſſe neminem, niſi qui velit*: vel *neminem lædi niſi à ſe ipſe*: quò plus habet paradoxum novitatis, plus etiam præſefert argutiæ, ut ſi dicamus: *Præ propitia fortuna adverſam eſſe eligendam*: videtur propoſitio paradoxum redolere, cùm malit quisque fortunam experiri ſibi faventem, quàm adverſantem, & tamen vera eſt, quia adverſitates viro forti, & culturæ virtutum aſſueto non ſunt exitio, ſed virtutis exercendæ præbent anſam. Si dicam *minorem mundum eſſe grandiorem magno*, paradoxum exhibeo creditu difficile, & tamen ſi minorem mundum hominem eſſe intelligamus, major procul dubio eſt, non quidem mole corporea, ſed ſpiritûs præſtantiâ, animi excellentiâ, mentis capacitate, virtutum encyclopedia, reliquo mundo corporeo. Eadem paradoxica novitate dicimus *crebriùs nobilem à plebeio nobilitate ſuperari*. Quæ tamen propoſitio non eſt probatu difficilis, ſi oſtendamus, veram nobilitatem non ab imaginibus Majorum, & ſanguine ſuam trahere originem, ſed ab exculta virtute, quâ cùm vir plebejus plerumque nobilem antecellat, ſequitur, hunc ab illo nobilitate ſuperari.

Ab hiſce paradoxis dicitur de S. Paulino Nolano: Omnium infeliciſſimus ſibi viſus, ſi ullo felicior extitiſſet: nunquam liberalior, quàm cum quod ultra daret, non haberet; nec unquam illuſtrior fuit, quàm cum inter carceris tenebras obſcurus jacuit, tunc quò arctiùs vinctus detinebatur, eò liberius victor in cœlum evolavit, & nunquam tam glorioſè victor, quàm cùm ej, quod ulteriùs vinceret deeſſet. De Divo Petro poſt trinam negationem, & galli cantum ſuam lugente culpam dicimus. Qui ad ignem friguit, fontes acceſſivit lachrymarum, ut amoris calorem, quem ignis extinxerat, aqua excitaret: aſſuetus marinis fluctibus, quo portum appelleret, undas fudit lacrymarum; quarum fertili pluvia adeo probè cor irrigavit, ut veræ reſipiſcentiæ, ac ſummarum virtutum flores illicò daret. Facilè potuit lacryma Petri igneſcere in ſydus, cùm liquor ſit ignei amoris, ex quo oritur, ſplendor non occaſuræ felicitatis: neque obnoxia eſt occaſui ea felicitas, cuj vel ærumnoſa cadentium lacrymarum unda ſerenus eſt portus.

3 Per ſenſus etiam non obvios habentur argutiæ ob novitatem, quæ inde oritur; præſertim ſi ſenſus non obvij eruditionem aliquam ingenioſè præſeferant, ut eſt illud de Divo Gregorio Nazianzeno Athenas profecto ſtudiorum cauſa. *Minervam rapturus Athenas profectus eſt*, fuit in urbe illa Minervæ ſimulacrum, quod ab Athenienſibus colebatur, & quia in illa Academia ſcientias didicit, quibus Minerva præeſt, dicitur S. Gregorius Minervam ibi rapuiſſe. Erudirè etiam, & per ſenſus non obvios dicitur de Veſpaſiano *Ieroſolymæ, ut clauderet fores, Jani fores Romæ aperuit; ut pacem pareret, Bellonæ nupſit; & ſuum in urbe illa nomen ſcripſit, cum ferro, & ſanguine eam delevit.* De Nerone qui Romam incendit, ut extingueret, erudirè à ſenſu non obvio dicitur, Phaëtontis fabulam in Romanorum hiſtoriam tranſtuliſſe, quia ſi non orbem, urbem accendit, non ut illuſtraret, ſed excidio obſcuraret. Pulchrè etiam, & argutè de Rege Antiocho in ſeptena fratrum Machabæorum capita ſæviente dicitur: Ne perturbatè peccet ordinem viſus eſt ſervâſſe in ſcelere: à natu majore filio crudelitatem auſpicatus, in reliquos exercuit. Averſanti ſcelus Martyri amputari linguam juſſit: quia prima Tyranni cautio eſt in linguas, quas ſibi nocentiores manibus putat: hinc poſt linguam juſſus eſt Martyr utramque manum porrigere præcidendam. Proprium Tyranni eſt poſt linguas manus formidare.

4 Senſus non obvij ſunt etiam, qui paradoxum videntur præſeferre, vel verborum pugnam, per mutuas oppoſitiones, ut eſt illud in Tiberium Cæſarem. Avorum geſta ſuo teſtatus calamo, propria geſta nepotum calamo deteſtanda reliquit. Triumphavit ſemel, licèt pugnaverit nunquam: omnia in imperio poſſedit præter imperium: octies ſine Conſilio Conſul, dum gladium fugit, ſceptrum invenit. Scelera quæ ſine ſceptro ignoravit, in imperio didicit. De viro forti, qui in bello, fortiter dimicans poſt proſtratos pluries hoſtes tandem & ipſe occubuit, argutè etiam dicitur: ſurrexiſſe cum cecidit, & plus gloriæ, quàm ſanguinis effluxiſſe è vulneribus hoſtili gladio inflictis: imò & purpuram tunc ſibi coloràſſe eò illuſtriorem, quò proprio ſanguine imbutam: ita eſt in ſublime gloriæ erigitur, qui ſic cadit: ruina hæc altiùs aſſurgit, quia vir fortis tunc vivere incipit, cùm ita ſaucius emoritur; & cùm occidit in campo, oritur immortalitati, quam induit, cum mortalitatem exuit.

5 Senſus non obvij, & arguti multipliciter poſſunt fieri. Primo per paradoxum, ut ſi de Aſceta jejunijs emaciato dicatur: Sanctitatem jejunijs nutriviſſe, & in lautitijs inediam collocâſſe, ac luxu; in delicato epulo nil delibâſſe præter ſui victoriam; eò quia fames per inediam obſonata epinicium virtuti cecinerit. De Divo Alexio in veſtibulo paternæ domus latente argutè etiam dicimus: Illuſtriùs claruiſſe, dum obſcuriùs latuit. De Sancta Helena Veneris ſimulacrum deſtruente, *quid novi Helena Veneri adverſatur?*

Secundò per comparationem, ut ſi vitibus, quæ ut racemos initio Veris amputantur, vitia comparentur, & dicatur: *Vitibus, & vitijs eadem eſt conditio, ac natura: exuberant enim niſi falcem ſentiant; incrementa ſubeunt deteriora, niſi ferro caſtigentur.*

Tertiò per ſynonima ut eſt illa Saluſtij
7 ſententia. Nemo per ignaviam factus eſt immortalis: adhuc nemo extitit, qui ſolius ignaviæ paſſibus ad immortalis gloriæ faſtigium evaſerit; altius equidem illud eſt, quàm ut illuc teſtudo hæc pertingat. Nec alpes Annibali, nec juga ſublimioris famæ citra ſudorem ulli patuere. Carò emitur, nec facilè molli committitur ingenio nomen immortale. Odit inertem gloria, nec inertiæ manibus bene tanti pretij gemma teritur. Sudandum: nam etiam ad hoc famæ non intermoriturae latium per diſcrimina tenditur. Conjurata ventorum agmina non ignavus toleres neceſſe eſt; antequam hoc tam beatum litus teneas, ſcilicet abſque meritorum pennis ad ſudum immortalitatis evehare. Jacent hucusque & ſitu oblivionis ſqualent, qui otio delituere, deſidia diffluxere. Adeo nusquam ignavis immortalitas obtigit, qui Campanis emolliti delicijs, Sybaritarum luxu virtutem atteri quondam paſſi ſunt: hactenus Saluſtius. Si dicas, aurum eſſe belli nervum, eſt quidem dictum elegans, ſed argutiùs per ſynonima diceres: ſine ſtipendijs torpere milites, & bellicam virtutem elangueſcere; ubi nervus belli, deficit, militum vires ſolidari non poſſunt, ſed & ipſæ deſinunt; hebeſcit gladij acies, niſi auro acuatur; & ferrum rubiginem contrahit, niſi argento abſtergatur.

8 Quartò fit ſenſus non obvius per acceſſitam aliquam eruditionem, ut ſi de viro eloquente, ac erudito promoto ad Cardinalitiam dignitatem dicas: *Inter purpuratos Romæ patres aſinus eſt, ne ſuo deeſſet Mercurio galerus*, eſt enim galerus ſeu pileus, quo Mercurius inſignitur. Si velles ſignificare opes à ſegetibus, & ovibus, earúmque velleribus oriri per ſenſum non obvium petitum ab eruditione argutiùs diceres *Ceres, & Jaſon non rarò Plutum gignunt, & parturiunt;* per Cererem ſegetes intelliguntur, per Jaſonem vellera, & per Plutum divitiæ.

9 Quintò petuntur ſenſus non obvij à verborum luſibus, quo pacto de viro forti, & conſtante in adverſitatibus dicitur: *digna ſanè res eſt calamo, calamitati non ceſſiſſe.* Et de arbore terreſtris paradiſi, à cujus fructibus debuiſſent Protoparentes abſtinere dicitur: Tantum malum attulit malus illa! beatæ ſylvæ fructum, quia carpere voluerunt primi homines, ſylvam amiſerunt. Et de Martyre, cuj amputata fuit dextra manus argutè per luſus verborum dicitur: Cecidit cæſa ſub *ſecuri ſecura* dextera; & ejus *palma* præciſa *palmam* citiùs rapuit. De Elia pluvias è cœlo impetrante, vel diuturnam ſerenitatem pro arbitrio; etiam argutè dicitur: juſſit Propheta, & cœlum ipſum obtemperans factum fuit *æreum*; iterum imperavit, & repente *cereum* fuit. De Veſpaſiano: Ad ſpectacula theatrum dedit, ſed *ſpectaculum* ſe ipſo nobilius dare nequivit, dignus ut & ipſe *ſpectaretur.* De Aulo Vitelio argutum eſt etiam per luſus verborum, quod circumfertur. A Fauno originem ſe trahere cenſuit, ſed ſi Faunus ſemiferus fuit; Vitelius totus *ferus;* perpetuò *Conſul*, ſed perpetuò *inconſultus*: quia fami magis, quàm famæ *conſuluit*, cùm non Dijs ſacta, ſed gulæ *vitulos Vitelius* conſecraverit. Sed ſaginatus hic *vitulus* morti tandem in *victimam* ceſſit, cum è vita *Vitelius* deceſſit. De Abſolone è quercu pendulo, & lancea confoſſo argutè itidem dicitur: ejus *cordi* infixa fuit lancea, ſed hominem invenit *excordem*, ſeu abſque ullo in patrem amore. De Sancta Apollonia incendio abſumpta: ſuaviùs etiam virtus *fragrat*, dum *flagrat:*

Sextò fiunt ſenſus arguti, & non ob- 10
vij per allegoriam eruditam, ut ſi aſſeras præmium eſſe virtutis incitamentum, venuſtiùs diceres: Jaſoni procelloſa maria traijcienti, & in Colchidem naviganti non obſtant procellæ, neq; naufragia ſunt timori, cùm ſperaret fore, ut aureo vellere potiretur: quem enim ingens præmium allicit, labor nullus exterret. De Principe non ſolvente ſtipendia militibus argutè dicitur: ſi olim Roma unum duntaxat Fabium vidit Cunctatorem, hunc redivivum habet Aula, quia licèt externum oppugnet æmulum, adhuc iniquam parſimoniam domi nequit expugnare.

Septimò eruuntur argutiæ, & ſenſus 11
non obvij ab aliqua inſigni figura, ut eſt illa periphraſis de D. Scholaſtica, quæ ut diutius alloqueretur fratrem ſuum D. Benedictum pluvias impetravit, quæ ejus diſceſſui eſſent impedimento. Ut prolixiùs divina miſceret cum fratre colloquia cœli uſa patrocinio pluviam lacrymarum effudit, quâ aëris ſerenitatem extinxit; tacitæ preces evocârunt fulmina; clariùs in fulgura pietas effulſit. Quid tam mirum, quàm quòd ſoror cœlum armaverit in fratrem cœli amicum!

A ſenſu non obvio argutè dicitur de Chriſto, cum pedes lavit diſcipulorum.

NOvum ſuos directuris diſcipulos in curſum 12
pedes lavat ne ſordeſcentia ulla in via imprimerent veſtigia. Eſt curſus iſte ad cœlum, non patitur cœnum; imò nec terrenum pulverem pedibus hærentem, quem propterea aquâ abegit. Servis redditurus ingenuitatem, ſervilem illis exhibuit pietatem. Fit ſervis minor, quia pedes lavit, cum tamen ſit omnium major. Lavat Dominus ſervorum pedes; an myſterium eſt iſtud baptiſmatis, an obſequium charitatis? dicant infantes quod didicerunt, & piſcatores; & ſint omnes paratis pedibus Chriſti præcones, ut de ijſdem pedibus di-

dicatur : quàm ſpecioſi ſunt pedes evangelizantium pacem; evangelizantium bona. De ijs lætatur mater eccleſia, qui in pelvi collecta ſuos novo lavacro fideles mundat. Hoc eſt, lavantur veſtigia parvulorum, ut mundatis pedibus curſum ad regnum cœlorum inſtituant: & excuſſo terreno pulvere aditum intercludant tartareo ſerpenti, ne ſua evomat venena. Magnum ſpectaculum, inclinari Dominum ad veſtigia famulorum: qui inclinavit cœlos, & deſcendit, & caligo ſub pedibus ejus; modò inclinat ſe ad obſequium diſcipulorum: ſed inclinatio Chriſti incurvatio eſt ſuperbiæ Antichriſti. Pelvis eſt terra redempta, in qua miſſa eſt aqua, ut terrarum incolæ per aquam, ſeu baptiſmum tranſeant ad vitam. In pelvi limoſa vaſa perpolivit fictilia: quò commodiùs theſauri in vaſis portarentur fictilibus, ſeu Chariſmatum dona ab hominibus luſtrali aqua baptiſmi mundatis. Inclinat ſe Dominus ad pedes ſervorum, quò eorundem ſublimet capita; manus demittit ad aquas in pelvi, igne ſui amoris inflammaturus corda madentium.

13 Lavantur pedes electorum præparati in curſum more cervorum. Inclinatur eorundem caput, ut univerſum reſurgeret corpus. Implevit aquâ pelvim, ut in ſua Trinitate vocationis noſtræ colligeret unitatem. Qui mare congregavit, pelvim implevit, mare piſcibus, pelvim piſcatoribus; quos, ut cœleſtibus tantùm inhiant ab omni ignobilis elementi expiat contagio; & pedum baptiſma affectis applicat timore capitibus. Sed à ſuis abſtergens ſordes, ſe in eorum beat munditie; quia ſuam voluptatem ab eorundem haurit utilitate. Qui aſſueti ne manus quidem abluere cum panem manducarent; facti nunc Domeſtici DEI, ad omnem erudiuntur urbanitatem, & more divitum per balneum initiantur ad cœnam. O grande ſpectaculum Imperator cœli ad pedes militum recubat inclinatus, & homo pulvis & cinis contra Dominum pugnat inflatus! Non mirum ſi aquam miſit in pelvim, unde lavaret pedes diſcipulorum, cum in terram ſanguinem fuderit, quò immunditiam dilueret peccatorum. Linteo quo erat præcinctus pedes, quos laverat terſit, quia proprio ſanguine noxarum noſtrarum maculas abſterſit. Verè formam ſervi accepit, cum pedes lavit ſervorum; & cum in DEI forma eſſet ſeipſum exinanivit ad pedes piſcatorum: non tamen, quod habebat, depoſuit; ſed quod non habebat, accepit. Dominus majeſtatis officium accepit ſervitutis. Inclinatur ad ſcabellum pedum ſuorum, cui thronus eſt cœlum: ſed quia nos non valuiſſemus ad ejus caput aſcendere, voluit ipſe ad pedes hominum deſcendere, & fieri patiens in forma ſervi, qui eſt potens in forma DEI. Moris videtur fuiſſe apud Hebræos, quò pedes lavarent ituri cubitum; unde Sponſa in cantico amoris cap. 5. *lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos*, detrectavit è lecto ſurgere venienti obviatura Sponſo; ſed diſcipulorum pedes magiſter Chriſtus lavit, non ut irent ad lecti quietem; ſed ad ſubeundos labores in perfectionis Chriſtianæ itinere. Scio Ethnicos manè nocturnas conſueviſſe pollutiones abluere, húcque reſpexiſſe illud Virgilij. *Et noctem flumine purgo.* Quidquid ſordium, pulveriſque contraxerant diſcipuli nocturnas hujus vitæ inter tenebras depoſuerunt in pelvi, quò defœcatiores Chriſtum ſequerentur.

Aqua ex fonte petita lavare nubentibus pedes ſolebant teſte Servio in 4. Æneid. ubi ait: *Varro dicit: aqua & igne mariti uxores ducebant. Unde hodie faces prælucent, & aqua petita per feliciſſimum puerum aliquem, vel puellam de puro fonte, intereſt nuptiis, de qua nubentibus ſolebant pedes lavari.* Quid ni nuptura Chriſto Eccleſia æquum erat huic in ſuis myſtis pedes lavari. Abluant ſacerdotes proprios pedes cum ſponſa *lavi pedes meos* Cant. 5. ſed cum eadem caveant, ne eos ſemel lotos coinquinent: *quomodo inquinabo illos:* ſeu ſemel ſpoliati omni ſæculari ſollicitudine caveant, ne ijs ampliùs implicentur. Benè Eccleſia cum ſponſa ait: *Lavi pedes meos;* non dicit, quomodo iterum lavabo, ſed quomodo iterum inquinabo eos. Conſueviſſe olim Ethnicos pedes abluere ante menſam meminit Plautus *in Perſa act. 5. Sce. 3.* & huc forſan reſpexit Chriſtus, cum reſpondit Phariſæo, à quo fuerat ad convivium invitatus, lotos ſibi non fuiſſe pedes; Benè igitur Magiſter Chriſtus ſuorum lavat diſcipulorum pedes, quorum munditiæ Euchariſtico aptaret convivio. Philo *lib. de victimis* cenſet, pedum lotionem ſignificare non eſſe poſthac humi incedendum; ſed per æthera; ut nihil terrenum ſapiant, qui Euchariſticæ menſæ reficiuntur epulo. Peregrinorum, & proficiſcentium pedes abluere conſueviſſe etiam viros nobiles adſtruit D. Auguſtinus ſerm. 127. de tempore, quos detrectantes ad alienos incurvari pedes redarguit, inquiens: *Erubeſcunt forſitan nobiles delicatis manibus viri, vel mulieris Chriſtianæ in hoc mundo contrectare veſtigia. Non erubeſcant nobiles peregrinis abluere pedes in hoc ſæculo.* Chriſti diſcipuli per ſingulas mundi partes erant profecturi; ijsdem ut peregrinis Chriſtus nobilium caput pedes lavat; quò ſpecioſi fierent pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona.

De cæco nato à Chriſto illuminato.

Benè venit Chriſtus in mundum, ut eum videret omnis caro; quando vel ipſi cæci coæva cæcitate abſterſa oculos aperiunt, quos culpa clauſerat, & eum vident, à quo lumen hauriunt. Licèt miraculorum patrator videri non appetat, adhuc in alio nequit cæcitatem pati, quò dicat cum ſene Simeone. *Nunc dimittis Domine ſervum tuum in pace; quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Grandis medicina contra naturam lutum accerſitur cæcitatis alexipharmacum; ſed nil clariùs hominem illuminat, quàm ſuum jugiter præ oculis lu- 15

tum habere; hoc luto Deus corrigit naturæ errores, & eorundem caliginibus pulſis lumen impertitur, quo etiam non videnres vident. Sedebar cæcus in tranſitu publico, collyrium à nullo medico petebat; quia quod contra naturam erat humanam, neceſſariam non habuit medicinam. Venit cœleſtis medicus, aſpexit miſeriam cæci ſedentis, ex pulvere & ſputo lutum conficit, & morbo oculorum pharmacum aptat; accenduntur ab aquis lumina, à quibus extinguntur, à luto excutitur cæcitas, à quo inducitur; nimirum hac roris gutta oculi baptizantur peccatorum, quatenus luto, quo compinguntur, illuminati, vident, quà ſit eundum, ne à via declinent ſaluris. Lutum quod à corpore cæcitatem abſtergit; lucem etiam effundit, quâ ſuffuſi recto itinere ad ſalutem ducuntur. Jam ergò qui orbem effecit terrarum; terra ipſa orbes aperit cæcorum. Rotator figulus orbes rotat, & illuſtrat non pede, ſed voce; non limum tolendo, ſed lutum addendo.

De Lazaro ſuſcitato.

16 CAvete, qui ægritudinibus laboratis, ne Jeſus procul à vobis abeſſe ſinatis; ſi præſente Aurhore, ac promotore ſaluris non audent quidquam morbi adferre nocumenti; ubi eundem abeſſe noverint, furunt ſtatim in decumbentes, quos, ne ampliùs inter vivos maneant, mortuos in umbras trahunt Manium. Lazarus quamdiu cum Salvatore manſit, ſalvus vixit; eò abſente, ſalute deſtituitur, & vita exemptus mandatur ſepulturæ. Retinuiſſet Bethania Lazarum, ſi Chriſtum non dimiſiſſet, cum primùm Medicus abfuit, mors adfuit; quia quò timeret, non habuit. Jam bis gemini effluxerant dies; ſed ille, qui luce caruerat, diem non ſentiebat. Jam eum tetri antri caligantis horroris nocturnus turbo poſſederat, Jacebant exhalantis tabida, atque gravis odoris membra. Jam poſt quarta ſolis curricula devoluta corpus ſitu mortis obductum vermium carnivorax agmen obſederat; atque ad prædas deſtituti cadaveris funereas beſtiolas terra gignebat. Lugebant ſorores mœrore confectæ luctifico fratris auxilio deſtitutæ. Omnibus erat lugubris veſtis, inculta cæſaries, nigro tecta velamine: ora fletibus madefacta, viralia diſtricta ſingultibus; & nonniſi clangor mœſtificus aërem opplebat mœſtitudine nubilum. Feſtinant nuncij dies præcurrere fugitivos, narrant Chriſto ægritudinem, nuntiant Lazarum mortuum; & diſcipuli adſtantes cupiunt in morte amici fieri conſortes, quos fecerat charitas in hac vita concordes. Venit poſt biduum Chriſtus, cum Lazarus in ſepulchro ad fœtorem uſque putreſceret; ſed licèt ſerus adfuerit Medicus; adhuc tamen opportunus, opem non minus vivis laturus, quàm mortuo. Commotus JESUS ad fœtorem putreſcentis cadaveris infremuit ſpiritu, & lachrymas fudit: non tamen, qui totum vitæ, & mortis habebat imperium, plangere potuit Lazarum mortuum: non ploravit, ut putabant Judæi, quia Lazarum multum amaret; ſed quia iterum ad hujus vitæ revocaretur uſuram, ut priſtinas redordiretur miſerias. Ploravit JESUS Lazarum, non quia mortuus erat, ſed quia reſurgere deberet. Nam quomodo poterat mortuum plorare, quem venerat reſuſcitare? Non venit ſtatim JESUS, ſed moras protraxit, quò fidem priùs ſororibus impertiret viventibus, quàm vitam demortuo fratri. Fidem priùs voluit in ſororibus vivam, quàm vitam in fratre. Sed cur quarta die Lazarum ſuſcitavit? an quia ſibi tertium diem, quo reſurgeret, voluerit reſervare? Igitur poſtquam vidit JESUS lapidem, qui ſepulchri illius ſepta claudebat revolvi præcepit, quo revoluto cœlum ſuſpiciens ſe jam exauditum proteſtatur: mox oculos demittens in ſepulchro, ubi licèt quatriduanus frater ſororibus jam fœteret, non tamen DEO, quem putredo noſtra ad miſerationem ſolicitat, non ad fugam, vocavit demortuum; Lazare veni foras; quanta fuit vocis efficacia, ut mortis vincula disruperit, & ad aures pervenerit Libithinæ, quæ timore perculſa aufugit, quo Lazarus voci obſequeretur magiſtri præcipientis reſurgere, & Chriſto conviveret, qui jam fuerat, mancipatus inferno.

EXPENSIO VII.

De Argutijs fluentibus è fonte oppoſitorum, ac repugnantium.

PRæ cæteris victrices palmas cenſentur ſecum deferre argutiæ, quæ ex contrariorum pugna, & oppoſitorum conflictu ſurgunt glorioſiores: eſt hujuſmodi argutia acumen, quod contrarijs magìs elucelcit, & ideò blandiùs allicit, quia concors eſt quædam diſcordia: gaudet hujuſmodi argutia contrarijs opponi, & cum adverſarijs pugnas ioire, ne triumphi materia ei deſit, nec occaſio pugnandi. Ariſtoteles hujuſmodi argutiam commendat *3. Rhetoric. cap.* 2. inquiens; *Contraria ſimul collocata maximè apparent.* & 2. Rhetor. cap. 29. *Quod per oppoſita dictum eſt, id videtur enthymema: ſicut enim inter colores contrarij invicem poſiti maximè eluceſcunt, ſic conceptus contrarij in oratione ad maximum elucent ornamentum.* 1

Hujuſmodi contraria in quatuor partiuntur genera, ſúntque adverſa, privantia, affecta ad aliud, & contradicentia. Dicuntur adverſa, quæ cum militent ſub eodem genere plurimum differunt, ut virtus, & vitium licèt conveniant in genere qualitatis moralis, adhuc maximè differunt inter ſe, cùm ita opponantur, ut unum alterum excludat. Per hanc oppoſitionem D. Ambroſius cap. 12. de Elia: priùs deſcribit vitium ebrietatis, poſtea virtutem Temperantiæ, quàm argotè eidem opponit, inquiens. Fiunt ebrietate divites, qui ſunt in veritate inopes: aurum donant, diſpenſant pecunias populis, civitates ædifi- 2.

eant, qui non habent, unde Cauponi potus ſui pretium ſolvant: fervet enim vinum in his, & neſciunt, quid loquuntur: divites ſunt, inebriantur; mox ubi vinum digeſſerint, cernunt ſe eſſe mendicos: uno die bibunt multorum dierum labores; de ebrietate ad arma conſurgunt: calcibus tela ſucceduot pro vino ſanguis effunditur, & ipſum ſanguinem vina fuderunt. His commemoratis magis eluceſcet, ſi deſcribatur Temperantia virtus contraria. Calix Divi Hieronymi per hæc oppoſita argutè commendatur.

Facundi calices, quem non fecere DISERTUM.
Quem non ELINGUEM, *reddidit iſte calix?*

In virtutem, & vitium argutè etiam jocatur Poëta alludens ad adagium illud, quod *Rarum, Charum.*

Commune eſt vitium, tamen nihil eſt charius illo.
Res utilis virtus rara ſit usque licet.

3 Privantia ſunt habitus, ejúsque privationes; ut mors, & vita; lux, & tenebræ; ſomnus, vigilia; viſus, cæcitas, & alia, quorum unum dicit privationem alterius, & per hos terminos oppoſitos mirabiles oriuntur argutiæ, ut de ſeptem dormientium ſomno. Hi fuerunt ſeptem nobiles milites Epheſini, qui maluerunt poſt varios cruciatus in ſpeluncam claudi, & per trecentos annos ibi indormire, ac mori, quàm vigilare ad cultum falſorum Numinum ſub Decio Imperatore, argutè diceres: illud antrum Morphæi crede, in quo, ſi mors illos non rapuit, ſomnus ſaltem mortis frater eos conſopivit. Hinc Poëta

Poſt varios caſus Divi requieſcite: vobis
SOMNUS *erat quaſi* MORS, MORS *quaſi* SOMNUS *erit.*

4 Per oppoſitionem privativam habetur etiam morale illud ſcomma.

MORTUUS *ut* VIVAS, VIVUS MORIARIS *oportet.*
Aſſueſce ergò priùs quàm MORIARE MORI.

De viro puſillanimo, qui mori timuit, argutè dixit Poëta

Plorabas cum NATUS ERAS, *fuit ergò voluptas*
Nulla, tibi naſci, cur dolet erga MORI?

De Vipera quæ pariendo perit, ac moritur, & de Phœnice, qui moriendo renaſcitur, per oppoſita privativa dicitur

Tu PEREUNDO PARIS *viventem mortua Phœnix,*
Vipera vi pariens, tu PARIENDO PERIS.

5 A privativa oppoſitione de ſancto Dionyſio Areopagita argutè dicitur: Amputato ſibi capite mori neſcivit, eò quia benè vivere diu didicerit: qui inolita conſuetudine contrahuntur mores, difficulter abraduntur.

6 Affecta ad aliud à Logicis dicuntur relativè oppoſita, ſuntque, quorum unum infert aliud, ut pater filium; Dominus ſervum; Major Minorem; Princeps ſubditum; Magiſter Diſcipulum, & in verbis, ac actionibus; diſcere, & docere; imperare, & parêre, & alia id genus, à quibus frequenter mirabiles dicuntur argutiæ. De Divo Auguſtino qui rudimenta fidei didicit à Divo Ambroſio, cujus concionibus Mediolani interfuit, dicitur: *neſcias, an plura didicerit, an verè docuerit*: tota argutia relucet in illa oppoſitione relativa fundata in verbis docendi, & diſcendi. De Virgine Deipara etiam argutè dicitur: *Nunquam ſe magis omnium Dominam probâſſe, quàm cùm ſe DEI fateretur Ancillam.* Ab hoc loco argutè Bargiocchus expendit hiſtoriam illius matris, quæ dirutâ terræ motu Antiochiâ inventa fuit mortua, ſimúlque lactans infantem vivum, alluditur ab oppoſito privativo ad matrem Jeroſolymitanam, quæ in obſidione urbis illius ſub Tito Imperatore, ne fame periret proprium mandit infantem

Cum cecidit magno terræ concuſſa fragore,
Clara per Argolicas Antiochia plagas:
Inventa eſt genitrix præbens lac mortua natæ,
Qui de materno funere vivus erat.
O mirum! Solymæa parens crudelior urſo.
Ne pereat, nati membra tenella vorat.
Hæc perit, ut ſugat maternos filius annos,
Illa fera pejor, mater at iſta fuit.

Alia oppoſita dicuntur etiam contradicentia. eò quia unum illorum alterum neget, ut eſt illud Tetraſticon, in quo per oppoſita deſcribitur Amor 7

Lex exlex: lux atra: via invia: ſerva poteſtas:
Irrequieta quies: & malè fida fides.
Turpis honos, pietásque ferox, odioſa voluptas,
Pax diſcors: ſtatus mobilis: ægra ſalus.

Alia ſunt contraria poſitiva, quæ invicem ab eodem ſubjecto ſe expellunt, ut calor frigus, amare odiſſe, ſervire liberum eſſe, avaritia prodigalitas, per hæc oppoſita frequentiores ſolent argutiæ fieri, & contrapoſita, quæ plurimum continent leporis ad venuſtandam orationem. Interdum in membro periodi unum duntaxat habetur oppoſitorum acumen, ut cum de Juda dicitur: ſemel prodiga fuit avaritia, quippe inexhauſtum ærarium unica effuſione obligurivit. Nonnunquam plures oppoſitorum argutiæ ſimul nectuntur in periodo, ut cum de Divo Chryſoſtomo dicitur: ſecuritatem, quam daret alijs, rapuit ſibi: virum in omnibus aureum ſola tolerantia ferreum probavit: quòd ſi in exilium miſſus fuerit, patriam in exilio invenit. De Caligula Imperatore pulchrè itidem dicitur: In caſtris natus, in mortis veſtibulo vitam hauſit; & ubi ſanguis funditur, lac ſuxit: nondum puer, & etiam adultus miles, priùs gladium vidit, quàm ſolem. Sed præpoſteram vixit ætatem, quia ut Mars natus, nonniſi ut Bacchus vixit, fortior infans, quàm adultus; licèt in bello natus, nunquam tamen palmas nactus; non ſanginem fudit, ſed merum hauſit. Argutè etiam de Propheta Elia dicitur cum pro arbitrio ſerenitatem, vel pluvias obtinuit. Nil triſtius videre homines potuerunt, quàm triennalem arridentis cœli ſerenitatem: hilaravit terram, cùm triſte effecit cœlum: ſiccavit lachrymas, cùm fudit aquas, lætitiam excitavit, cùm nubium lachrymas in pluvias coëgit.

De

9 De Divo Ambroſio ab hoc fonte argutè fertur: Re, quàm nomine dulcior, mel ante habuit in ore, quàm voces: Avorum gloria illuſtris, illuſtrior tamen fuit ſuâ; Chriſtianus eſſe cœpit, antequam fieret. Miſeros ira admiſit, ut nonniſi felices dimitteret: in hoc tantùm timendus, quia neminem formidaret, nec Cæſarem ipſum. Sæpe depreſſus ut cauſam erigeret oppreſſam: probis aſylum ſe exhibuit, flagellum improbis, reis ſcopulum, ſupplicibus aram. Urbem, quam Inſulis decoravit, eò meliorem reliquit, quò deteriorem acceperat. De Divo Auguſtino, eò quia quas contraxerat in prima juventa culpas lachrymis deleverit, ſuóſque juveniles errores fuligine ſcripturæ, & typi illuſtraverit, argutè etiam dicitur. Vera gaudia auſpicatus à gemitu, tenebras ſuas dum in lucem edidit, illuſtravit: quid ni nunquam puduit ſolem, è tenebris erupiſſe. Felix, qui ut alienoa deleret errores, ac obregeret, proprios derexit, ac publicavit. De Juda Proditore, qoi oſculi ſigno Præceptorem ſuum, mundique Redemptorem boſtibus tradidit, argutè etiam per oppoſita effertur. A ſigno pacis bellum exorſus, oleam feralem commutavit in cupreſſum: & oiculo amoris internuntio lethale odium, quod in corde conceperat, foras edidit, & inter amicos oſculorum anhelitus odij deſpumans venena amicitiæ ſymbolum in teſſeram commutavit proditionis, pacisque inſtrumento, ac pignore charitatis exitialis odij vulnus inflixit. Noverat ex amoris caſtris improbus transfuga nullis armis poſſe gravius amorem vulnerari, quàm ſuis. De S. Martino pulchrè etiam effertur: Dei beneficia provocans ſuæ parte Chlamydis totum ſibi coëmit Empireum.

10 Quòd ſi per oppoſita decem velimus Ariſtotelis prædicamenta percutere latiſſimus ad Oratorias argutias patebit campus. A ſubſtantia de Julio Cæſare Imperatore, eò quia vir uxoriua fuerit, ac nimis mollis per oppoſita ſumendo onam ſubſtantiam oppoſitam pro alia dicitur VIR *fœminis fuit, viris* FOEMINA *in utroque Cæſar, qui Romæ propugnator non imperavit; regnavit expugnator.* De Cæſare Auguſto. *Doluit patria, cum Auguſtum Principem ſecit, gaviſa eſt, cum habuit; timuit* CARNIFICEM MEDICUM *experta. Licèt vitijs immerſus, vitiorum tamen ſeverus ultor, quæ admittere pudebat, committere non puduit.* De Flavio Domitiano occupato in capiendis muſcis. *Hoſtibus* MUSCA *fuit, muſcis* HOSTIS. De Eva prima hominom matre. Prodjiſti ex OSSE, ſed evaſiſti CEREA; niſi malum aliquod grave, vel ominari, vel parere, aut alere poteras, cum ex vulnere prodjeris: erubuiſti mulier, quia nuda: erubeſcant aliæ, quia ad vanitatem veſtitæ, poſt mulierem mundo fatalem muliebris inventus eſt mundus. Gemmeus torquea curvator in anguem, quo fieret ſceleris pretiom: erràſti, dum credidiſti conſilium rectum potuiſſe ab angue ſpiris intorto prodire: flexit ille te ſuis flexibus; flexiſti & tu virum tuis illecebris; propinâſti decepta à ſerpente hauſtum virus viro tuo. Meritò datus eſt excrucians tumor ventri, cui fuerat tumidus faſtus mentis. Fructum ediſti arboris LÆTA, ſed fructum ediſti uteri DOLENS.

A quantitate pulchrè Seneca in Suâſorijs de Alexandro Macedone dixit: *Alexander Orbi* MAGNUS, *Alexandro Orbis* PARVUS: vel *Alexander Orbi* AUGUSTUS, *Alexandro Orbis* ANGUSTUS. A quantitate numerica Ovidius *Quam meruit pœnam* SOLUS, *digeſſit in* OMNES. A quantitate ponderis Seneca. *Interdum* LEVIORE *incommodo*, GRAVIORA *ſanata ſunt vulnera.* 11

A qualitate Cicero: *In fuga* FOEDA *mors eſt, in victoria* GLORIOSA. Seneca loquens de Cæſare ait. *Fuit ferendarum injuriarum* IMPATIENS, *faciendarum* CUPIDISSIMUS. Veouſtè etiam per oppoſita in qualitate dicitur de Venere: 12

Principium DULCE *eſt, at finis amoris* AMARUS

LÆTA *venire venus*, TRISTIS *abire ſolet.*

Auſonius de ſcriptura in alba pagina exarata ait: NIGRÆ *Cadmi filiæ currunt per* ALBA *folia.* Virgilius ALBA *liguſtra cadunt Vaccinia* NIGRA *leguntur.*

A Relatione de Hermaphrodito dicitur: Nec mas, nec fœmina, ſed uterque: mas inter fœminas; fœmina inter mares: jam ſibi FRATER, *&* SOROR, VIR, *&* UXOR: nec lanis aptus, nec armis, utrumque ſexum dedecorat, aptior tamen texendis telis, qoàm tractandis telis. Theſaurus in ſuo ænigmate ſic introduxit Adamum loquentem per oppoſita relativa. *Nec Orbus, nec Poſthumus fui, ſed* PATRIS *expers; vel fecit me* PATER, *non genuit.* MATREM *habui, quæ me habet: lignea nutrix ſine lacte* VIRUM *me aluit, non* PUERUM: FILIAM *non* FILIAM UXOREM *duxi, quæ ſimul nata, & nupta uno partu* NEPOTEM *mihi, &* FILIUM *genuit.* REX *ſine urbibus,* DIVES *ſine auro, ſine* MAGISTRO *eruditus. Lycæum aperui tot nactus Auditores, quot homines.* Lepidum eſt quoque illud ænigma in Oedipum, qoi propriæ nupſit matri. AVI, GENER, PATRISQUE *rivalis fuit;* FRATER *ſuorum* FILIORUM, *&* FRATRUM PARENS, *uno avia partu* LIBEROS *peperit* VIRO, *ac ſibi* NEPOTES, *monſtra, quis tanta explicet?* & Ovidius de Mirra Virgine, quæ patris amore capta, cum eo nuptias aohelabat. 13

Tune eris, & MATRIS *pellex, & adultera* PATRIS

Tune SOROR, *qui mihi non monſtrat* HOSTEM.

Ab actione, & paſſione oriuntur illa arguta lemmata, quæ heroica ſymbola animant, ut ſi pingatur thus exardens in thuribulo cum lemmate FRAGRAT *dum* FLAGRAT. Si fons, cum verbis ASCENDO, *quia* DESCENDO. Baſilica herba in horto pede protrita DUM CONTERITUR GRANDESCIT 14

ſub-

ſublimior. Si palma pondere incurvata cum lemmate, DEPRESSA *creſcat* EXCELSIOR, ſi Asbeſtinum linum flammia expoſitum, URITUR *non* COMBURITUR. Si Simia inter amplexus proprios fœtus ſtrangulantem OFFICIT OFFICIJS. *Sphæra cœleſtis* QUIES INQUIES. Si Sagitta ab arcu vibrata, & ab alto deorſum cadens ceſſante impulſu eidem impreſſo: *Nil* PRÆPES PERPES. Si Phœnix moriens flammis conſumptus *ſe* PARIT, *dum* PERIT. Dignun eſt etiam ſcitu illud Alexandri Severi· Intellexerat pius Imperator Aulicum quendam Vetruvium nomine regias dignitates vendidiſſe, quem propterea juſſit fumo ſuffocari, & per buccinatorē inclamari: fumo PEREAT, qui fumum VENDIDIT. Quia mundi dignitates fumum eſſa non fateatur, cùm lachrymas ab oculis elicuerint Vetruvij. De Chriſti vulneribus pulchrè etiam cecinit Poeta.

Pharmaca ſunt potiùs nobis quàm vulnera Chriſti,
CURAT *enim plagis vulnera noſtra ſuis.*

Argutum eſt etiam, quod de Divo Benedicto dicitur

*Tam bene-*DICTUS *eris, quàm bene-*FACTOR *eras.*

15 A loco, & ſitu de Diva Catharina Senenſi, quæ viva auream ſibi à Chriſto oblatam coronam reſpuens, ſpineam amplexa fuit, & poſt mortem Romæ in Sacello Sacratiſſimi Roſarij in templo Divæ Mariæ ſuper Minervam tumulata jacet.

Claudit Senneſem Catharinam altare Roſarij
Vixerat IN SPINIS, *nunc tumulata* ROSIS.

De Morte, & Marte à loco, ubi bellum non bellè geritur.

Omega noſtrum MORS *eſt*, MARS *alpha malorum*
In BELLO *diſtant* OMEGA, *&* ALPHA *parum.*

16 A ſitu de Claudio Tiberio Nerone: *Vir in peſſimis acuto ingenio, obtuſo in optimis;* DEXTERAM *fortunam*, SINISTRAM *virtutem habuit.*

A Motu Ovidius IRE *vagas quercus, & flumina* STARE *coëgi*, & de tempore ait: *Tempora ſic* FUGIUNT *pariter, pariterque* SEQUUNTUR. Habetur etiam Scomma illud Auguſti Cæſaris FESTINA LENTE indicans in negotijs magni momenti non eſſe properandum.

17 A prædicamento temporis Tertullianus de pavone ait: SEMPER *ipſe* NUNQUAM *ipſe.* Ovidius de invidia. *Anxia* LUCE, *anxia* NOCTE *gemit*: Terentius Plus HODIE *boni feci imprudens, quàm ſciens* ANTEA.

18 Ab habitu Tipheus apud Nonnium exultans poſt Gigantomachiam dixit, *pulchrum eſt mihi* FISTULAM *poſt* FULMINA *ſumere.*

19 Nonnunquam argutiæ relucent inter terminos tantùm diſparatos, qui tamen aliquid præſeferant oppoſitionis, vel ſaltem aliquam contineant elegantiam, vel ſalem; quo pacto Alphon. Aragoniæ Rex jactanti ſe, quòd tandem virum inveniſſet ſapientem, retorſit, *quomodo ſtultus ſapientem dignoſcere potuit*, ut refert Panormitanus de geſtis Alphonſi. Subrius Flavius Tribunus Prætoriæ Cohortis apud Neronem referente Xiphilino *in Nerone* deprehenſus in conjuratione, & rogatus, cur unà cum reliquis in necem ſui Imperatoris conſpiràſſet, cujus vitam hactenus defenderat? fertur reſpondiſſe: *quia Imperatorem ſuper reliquos homines dilexi, & odio habui: dilexi, quando optimum ex ipſo Principem ſperavi: odio habui, cùm primùm cœpi ipſum tyrannum experiri.* Athenæus refert de quodam trajecturo pelagum, quod cùm monitus fuiſſet, ut ſibi caveret, ne diſrupta navi naufragus à piſcibus devoraretur, reſpondit: *Vorari à piſcibus non timeo, cum tot piſces egomet devoraverim.* Eraſmus *lib. 4. apoph.* de Demoſthene fert, quòd cum convicijs à quodam viro nequam inceſſeretur, reſponderit. *In certamen committor, in quo qui ſuperior evaſerit, inferior eſt, qui vicerit victus.* Hinc habetur illud Diſtichon

Hoc ſcio pro certo quoties cum ſtercore certo
Vinco, ſeu vincor, ſemper ego maculor.

Stobæus refert de Iſocrate, quod cum Careus vir immodicæ loquacitatis ad ſuam adſpiraret Diſciplinam, duplicatam exegiſſe ab ipſo mercedem, & cauſam roganti reſpondiſſe: *Unam dabis, ut loqui, alteram ut tacere diſcas.* Per terminos tantùm diſparatos habentur argutiæ, ſi ijsdem aliquid exhibeatur ingenioſi: ut cùm ad indicandum volubilem Juventutis inconſtantiam dicitur. *Quid eſt* JUVENTUS, *quàm* VENTUS. Nonnunquam oppoſitio ſplendeſcit inter unum terminum poſitivum, & alterum negativum; ut de Echo LOQUITUR *ſine* LINGUA. De Columba Architæ Tarentini VOLITAT, *& non* VIVIT: de horologio *ſemper* CURRIT, *& nunquam* MOVETUR. De Umbra FUGIT, *& non* TIMET. Aliquando oppoſita fluunt per geminationem, *Dignus eſt mori; antequam ſit dignus mori*, vel per dilemma *aut experta juras, aut non experta pejeras*, vel per IDENTITATEM AGENTIS, & PATIENTIS. *Qui terras ignibus urit, uritur igne novo*: vel per NEGATIONEM. *Sparta ibi muros habet, ubi non habet*: vel per GRADATIONEM. Ovidius *Infelix ſua viſcera traxit; tractáque calcavit, calcatáque rupit.* 20

EXPENSIO VIII.

De Argutijs, quæ ſcaturiunt à fonte Alienatorum.

ALienata dicuntur, quæ rei, de qua eſt ſermo, minimè ſunt propria, ei tamen venuſtè tribuuntur, eò quia aliquo pacto ei congruant, quia ut docet Ariſtoteles *Poët. cap. 20.* *Poteſt fieri nominis alieni illatio à ſpecie ad genus, vel à genere ad ſpeciem*: ut ſi voces peccatum crudele monſtrum ſumis genus, ſeu monſtrum, ſub quo potes transferre ſingulas ſpecies monſtri in pecca- 1

carum, illúdque vocare: *Tricerberum vene-na ſpumantem; harpiam unguibus armatam, & rapacem; draconem venena ſpargentem; tigridem crudelitatem ſpirantem; Minotaurum barbarum; Chimeram portentoſam; monſtroſam hydram in nova ſemper capita repululantem.* Poteſt etiam è converſo ſumi genus pro ſpecie, ut *arbor palladis* pro olea, *feræ natantes* pro piſcibus, *fera magnanima* pro leone.

2 Imò poteſt etiam unum individuum pro quolibet alio ſub eadem ſpecie ſumi, ut ERYMANTHEUS *aper* pro quocunque apro in individuo. NEMÆUS *Leo* pro quolibet alio leone. Interdum luſus in alienatis habetur in traductione, annominatione, inflexione, notatione nominum. Verùm hujuſmodi arguriæ ab alienatis deſumptæ, niſi gravi aliqua ſententia temperentur in levitatem deflectunt. Ab hoc fonte hauritur argutia in commendatiooem Principis Clementis. Non ſupereſt, quem metuas, hoſtibus metuende Princeps. Unum hoc time, ne timearis, æquè animorum, ac armorum victor. Et de ſancto Gregorio Taumaturgo argurè dicitur. Faciliùs montes moveri, quàm mentes experros fuit, illos nocturna prece aliò tranſtulit; cum has diurna, imò & diuturna ſuaſione flectere interdum non valuerit. De Tito Imperatore pulchrè etiam fertur: ferocem animum exuiſſe, cùm primùm purpuram induit: & de ſancto Joanne Baptiſta: In deſerto magìs diſertus, urbes, quas fugerat, in eremum ſecum traxit, & hominum frequentias in ſolitudinem duxit. Fuit etiam, qui de ſæculo corrupto, & vitijs increbeſcentibus dixit: Ætatem vitijs anteverterunt homines nondum adulti, & jam adulteri. Non diligenti manu mittenda erant fulmina, quocunque caderent, ſceleſtos ferirent, hominem inter homines non ampliùs invenires, ſed belluas, vel Angelos ara Deorum dignos, vel hara pecudum.

3 Fit aliquando alienatio ab ipſa perſona, de qua agitur, & tunc arguta oriuntur dicta notatu digna. Ab hoc loco Stobæus *ſermon. 1. de prudent.* ait: Quòd cum Diogenes Corinthi in foro ſub præcone veodendus rogaretur, quam ipſe artem calleret, reſponderit: imperare ſe hominibus ſcire: ſed Præco ſubriſit, additque: *aderit tamen, qui pro ſervo Dominum erit empturus.* Socrates referente Laërtio in ejus vita aſſerenti cuidam Antiſthenem Philoſophum matre natum Tracia, ſed Patre minus barbaro Athenienſi, repoſuit *quid? An putas virum adeò præclarum ex utróque parente Athenienſi naſci potuiſſe?* corruptos enim Athenienſium mores redarguit: Demaratus referente Plutarcho ab improbo importunè rogatus, quis Spartanorum ſibi videretur optimus, per alienata argutè repoſuit, *qui tibi eſt diſſimillimus.* Diogenes Lacedœmone cum Athenas proficiſceretur, & ab obvio interrogatus, quò tenderet, reſpondit: *à viris ad mulierem.* Theſſalus quiſpiam interrogatus, qui nam Theſſalorum eſſent placidiſſimi? *qui in bello*, inquit, *accubuerunt.* Macrobius *lib. 2. Sat. cap. 6.* refert de Orbilio Grammaticæ artis Profeſſore, quòd cum in reum teſtis productus eſſet, & per ludibrium à Galba homine Gibboſo interrogaretur, quidnam artis exerceret? facetè reſponderit, *ſe conſueviſſe Gibbos in ſole fricare.* Zoilus quidam referente Suida, cum inſitiæ auſus fuerit carmina Homeri notare, quæ & Prolomæo Ægypti Regi legenda obtuliſſet, & inde munus rogâſſet: argutè ab alienatis retorſit Rex: *Miror, quá poſſis tu ratione egere, qui Homero es doctior; à quo tot etiamnum aluntur hominum millia.* Catullus Philippo Oratori probroſè objicienti, *quid ita latras*, argutè repoſuit, *quia furem video.* Diogenes cum ignavum luctatorem vidiſſet, Medici officium uſurpâſſe: *quid hoc?* inquit, *nunquid illos, quos luctando non ſuperaſti, medicando proſternes?* Empedocles cuidam quærenti, num alicubi ſapienti obviaverit, argutè etiam repoſuit: *Sapientem nemo inveniet, niſi ſit ſapiens.* Ageſilaus Rex interrogatus, cur Sparta muris non cingeretur ad hoſtes arcendos, oſtendit cives armatos, inquiens: *Hi ſunt Spartæ muri.* Thales cum per viam in cœli contemplatione occuparetur, & ſolem ſuſpiciens in ſcrobem incidiſſet. Ancilla caſum Philoſophi intuita, eidem illuſit, inquiens: *O Philoſophe, quàm ſtultè remota in cœlo ſcrutaris, qui juxta te poſita in terris ignoras.* Alphonſus Aragoniæ Rex ajebat. Illic conjuges placidiſſimè vivere, *ubi cæca uxor, & ſurdus eſſet maritus*, eò quia talis uxor viri delicta non obſervaret, & vir querelas litigioſæ mulieris facilè effugeret. Dionyſius Senior Siciliæ Rex Tyrannus cum filium perditè, ac luxurioſè viventem reprehendiſſet verbis illis: An tale quidquam in tuo unquam Patre comperiſti? repoſuit filius, tu non habebas Patrem Regem; cui ſubjunxit Dionyſius, ſed tu filium Regem habiturus eris. Ariſtippus Philoſophus, cum pro amico interceſſurus, ad genua Dionyſij Tyranni decubuiſſet, ac propterea ab amicis irriſus fuiſſet, repoſuit, *Hujus humiliationis cauſam in Regem potiùs eſſe refundendam, qui aures in pedibus haberet.* Ziſca Huſſitarum in bello Dux, mox moriturus ultima voluntate ſtatuit, ut mortuo ſibi detracta pellis tympano adhiberetur, inquiens: *Mortui ſonum non ferent, cujus viventis aſpectum non tulêre.* Zeno Philoſophus accoſatus, quòd in Nearchi Tyranni mortem conjurâſſet juſſus patefacere, conjuratorum nomina, amiciſſimos quóſque Tyranni nominavit: quos cum ille inſana crudelitate ſuſtuliſſet, & rurſum interrogâſſet, num quiſpiam alius ſupereſſet, repoſuit Zeno, tu ſolus, qui Reipublicæ es pernicies, ſuperes, in excidium ejuſdem, & tunc præmorſam linguam in os Tyranni expuit.

Interdum fit alienatio definitionis naturæ, 4
& proprietatis à re, de qua eſt ſermo, quo pacto Ephrem Syrus cum ad focum cibos co-

quereret.

queret, & à vana muliercula interpellaretur è feneſtra patente, nunquid coquo illi aliquid deeſſet, repoſuit ille, teſte Sutio in ejus vita. *Deſunt mihi tres lateres, & parum luti, ut hæc feneſtra obſtruatur.* Cùm nonnemo Ariſtipi luxum reprehendiſſet, quod perdicem quinquaginta Drachmis comparâſſet, reſpondit: ſi obolo venalis fuiſſet, eam tu tibi emiſſes; ſed non eſt, eur me redarguas, tanti enim mihi ſunt quinquaginta drachmæ, quanti tibi obolus, quo effato damnatum in ſe luxum ad contemptæ à ſe pecuniæ laudem detorſit. Zeno Scitticus referente Laërtio, cum Phœnicia Athenas contenderet, & naufragio rem omnem perdidiſſet, & à Crate poſtea ad Philoſophiam, opúmque contemptum adductus fuiſſet, dicere poſtea conſuevit, feliciùs nunquam ſe maria trajeciſſe, niſi poſt paſſum naufragium. Cum Metelli Nepos Ciceroni exprobraret, quòd plures reos ſuo interemiſſet teſtimonio, quàm eloquentia ſervâſſet, reſpondit Cicero benè id factum: *Nam plus mihi fidei ineſt, quàm eloquentiæ.* quo pacto convicium in laudem inflexit. Mercatori mare trajicienti, & ob navis jactationem ſtomachum vomitu exoneranti, quidam ex adſtantibus dixit, *verè tu gratus es, qui piſces, à quibus toties paſtus es, viciſſim paſcas.* Æſchines pauper cum Socrati in diſciplinam ſe tradidiſſet, diceretque nihil habere doni præter ſe ipſum, reſpondit Socrates: *da te mihi rudem, & reddam te tibi meliorem.*

5 Fit etiam alienatio à cauſa, & effectu, quatenus aſſignatur cauſa pro cauſa, quo pacto, cum nonnemo Claudo Lacedæmonico ad bellum eunti neceſſarium equum eſſe aſſereret: Ageſilaus Rex id negavit, inquiens: *Equum neceſſarium in bello non eſſe, eo quia in prælio ſtandum, non fugiendum ſit.* Divus Auguſtinus Afro cuipiam curioſiùs ſciſcitanti, quid ante mundum conditum feciſſet Deus? reſpondit, *curioſis infernum præparaſſe.* Diogenes cùm ad olivam arborem mulieres binas ſuſpenſas vidiſſet, ibique ſuſpendio emortuas, reſpondit: *utinam reliquæ arbores ſimiles ferrent fructus.* Ariſtippo quodam in naufragij periculo cum nonnemo objeciſſet, quòd Philoſophi expaveſcerent, ubi alij minus formidarent, repoſuit, *quia alij animam non curant, quàm ignorant, noſtra verò eſt cæteris pretioſior.* Veſpaſianus cum paulò ante mortem crinitum apparuiſſe cometam intellexiſſet, reſpondit: *Non mihi mortem portendit, ſed Regi Partorum, hic enim comam nutrit, cum ego ſim calvus:* Quidam in Sicilia in carcerem detruſus, eò quia uxores quinque, & vivas etiam tum omnes aleret, interrogatus à Judice, qua mente in tam inſolens facinus impulſus fuiſſet? Volui, inquit experiri, an inter tot uxores una bona reperiri poſſet. Cui retorſit Judex. *Vereor tamen an in hac vita talem ſis reperturus, proinde ad alteram tibi demigrandum erit, ut id experiaris.*

6 Quia verò in hac arguti. ſolet fieri alienatio, ut docet Philoſophus à ſpecie ad genus, vel à genere ad ſpeciem, ut etiam à cauſa ad effectum, & è contra, ideò decem poſſunt facilè Ariſtotelis prædicamenta percurri, Sumendo etiam individuum pro genere. A prædicamento ſubſtantiæ Roma dicitur *Urbs*, & Claudianus de Hiſtrice dixit, *militat omne FERÆ corpus.*

A prædicamento quantitatis, ſi ſumatur, totum pro parte apud Virgilium dicitur Sectus ELEPHAS. Sumitur totus Elephas pro ejus dente, ſeu ebore. Habetur etiam apud eundem *ex tribus* TAURIS *intextum orbis*, ſeu clypeus triplici taurino corio contectus: è converſo ſumitur etiam pars pro toto, ut *Capitolium* pro Roma, vel figura pro figurato, ut curvus planeta pro Luna, *Orbis* pro mundo univerſo, eò quia ſit hic figura orbicularis. 7

A qualitate exprimitur ſubjectum mediante aliqua qualitate, quo pacto Ovidius vocavit echonem VOCALEM *Nympham*, Seneca Luſcinias, *aves* QUERULAS Statius Nymphas Maris *Deas* VIRIDES. Ovidius gehennam *æterna* SILENTIA, & Arabes vocavit *gentes* ODORIFERAS. Ab hoc prædicamento dicimus etiam *ferrum* CRUDELE, crudelitas enim propria animalium alienatur ab eorum natura, & tribuitur ferro, dicimus etiam *opes* AVARAS, avaritia alienatur ab homine, & tribuitur divitijs: dicimus itidem ERUDITUM *calamum*, DOCTAM *Peripateticorum porticum.* 8

A Relatione exprimitur ſubjectum per reſpectum ad nomina relativa, quo pacto apud Virgilium Juno dicitur CONJUX, & SOROR *Tonantis*: *Sol Phaëtontis* PATER, Roma *Urbium* REGINA, Pluto *umbrarum* TYRANNUS. 9

A prædicamento actionis exprimitur ſubjectum mediante aliqua actione. Ab hoc prædicamento oriuntur argutæ nomenclaturæ, & Septimio attributus fuit hic titulus PACATORIS *Orbis*, PROPAGATORIS *Romani Imperij*, & Conſtantino Magno FUNDATORIS *quietis*, LIBERATORIS *urbis*. Ab hoc prædicamento actio, quæ convenit Plantis, mari, terræ alienatur, & tribuitur eorum Numinibus: ſi velim exprimere procelloſum mare ſumo Neptunum, qui à Poëtis fingitur maris Numen, & dico NEPTUNUM *iraſci*, CEREREM *ſaxo frangi*, *lampadi* PALLADEM *infundere*, ſeu *oleum*. MARTIS *veſtigia* ſectari, hoc eſt bellum inire. Martialis acuto calamo quempiam pungens, cujus carmina digna judicavit, quæ vel aqua delerentur, vel igne abſumerentur, argutè cecinit 10

Materia eſt mihi, crede tuis aptiſſima chartis,
DEUCALION: *vel ſi non places hic* PHAETON.

A paſſione itidem fit alienatio, & quod eſt proprium uni, tribuitur alteri, quo pacto dicitur CRUCIATA *Ceres*, FLAGELLATUS *Neptunus*. A ſitu exprimitur ſubjectum per modum aliquem ſtandi in loco. De quodam viro ventri tantùm indulgenti dictum fuit 11

Pater tuus, aut ACCUMBIT, *aut* DECUMBIT, ſeu vel COMEDIT, vel DORMIT. Ab hoc prædicamento dicimus etiam PENDERE *animo* pro dubitare· ERIGERE, vel DIMITTERE *ſupercilium* ad indicandam demiſſionem, vel ſuperbiam. A ſitu pulchrè Ovidius cecinit.

12 *Pronáque cum ſpectent animalia cætera terras,*
Os homini ſublime dedit, cœlúmque tueri
Juſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

13 A prædicamento loci fit alienatio, & quod convenit locaro tribuitur loco, vel è contra, ut etiam quod congruit parti loci alienatur, & tribuitur toti: Virgilius à loco epicedium occinit defuncto Cæſari inquiens: *Te* NEMUS *Angitiæ, vitrea te Fucinus unda: Te liquidi flevêre* LACUS. Sumendo partem pro toto dicimus NILUM *ſanguineis fluxiſſe undis,* TYBERIM *Martis furores extinxiſſe*, ſeu Summum Pontificem pacis fœdere Principes Chriſtianos compoſuiſſe. Per alienarionem à cauſa ad effectum dixit Virgilius *purpuream vomit ille* ANIMAM, ſeu *cruorem*, & tunc ſumitur contentum pro coutinenre: è converſo, ſi ſumatur, continens pro contento rectè dicimus EUROPAM *bellorum motibus totam quaſſari. Lugere* REGNA.

14 A motu fit etiam alienatio, quâ quod uni convenit, alteri tribuitur, & ab hoc prædicamento ioitium dedi Elogio in commendationem Philoſophiæ: *Adesdum, qui dubio adhuc* FLUCTUAS ſcientiarum in pelago, AGITATAM *mentem in ſpem erige portus:* fluctuare :,& agitari proprium maris alienatur ab eodem, & tribuitur menti. Dicitur etiam ab hoc prædicamento *ingenium* VELOX, *animus* FLUCTUANS. Motus etiam venuſtè ponitur pro adjectivo, ac ſi vicem gereret differentiæ ſpecificæ: quo pacto LUBRICA *monſtra* ſumuntur pro piſcibus, ERRANTIA *lumina* pro ſyderibus; *aëris* CURSORES pro ventis. *Meduſæus* PRÆPES pro Pegaſo.

15 A prædicamento temporis Ovidius, *totúmque tulit prædivite cornu* AUTUMNUM, ſeu tulit omnes fructus autumnales. Et Martialis in racemum clauſum hyeme intra ampullam vitream feſtivè luſit, AUTUMNUM *ſterilis ferre jubetur* HYEMS. Ab Habitu dicuntur PRÆTEXTATI *mores*, hoc eſt ſpueriles, quia prætexta veſtis erat, quam pueri induebant. Seneca deſcribens mollem Herculem ait: *Crinémque* MITRA *preſſit, & famulans ſtetit; Hirtam Sabæa Marcidus* MYRRHA *comam:* Ab hoc prædicamento ſumuntur etiam inſignia, ut ſunt ſceptra, diademata, purpuræ; quia tyrannus induit purpuram; Seneca ad exprimendum, quòd tyrannus inſomnes percurrebat noctes, ſumpſit habitum: hoc eſt, purpuram pro ipſo Tyranno Imperarore, & dixit, *Vigileſque trahit* PURPURA *noctes.* Regum *vitia* dicuntur CHLAMYDATA ab habitu, vel *conſpicua ſunt ſcelera, quæ* OSTRO *lucent*, ubi ſumitur habitus, & applicatur vitio, poſſunt ſumi inſignia magiſtratûs, ſtemmata, vel inſtrumenta, & ille politicus dixit, *quod Reipublicæ ſecuritas ſit* SECURIS, hoc eſt juſtitia: dicitur etiam, *Infirma capita onerat* CORONA *non ornat:* ab inſignibus victoriæ Tullius redarguit Piſonē natum ex parentibus, qui pluries triumphârunt in bello, *Ex illo ſeminario triumphorum arida folia* LAUREÆ *retuliſti*, & alibi LAUREA *illa magnis periculis parta, amittit longo tempore viriditatem*, & Claudianus de ſponſa Palladij *Mavortia Matris nobilitas* SPOLIJS, ARMISQUE *exultat avitis.*

EXPENSIO IX.

De Argutijs emanantibus è fonte comparatorum.

Quæ ab hoc fonte ſcaturiunt argutiæ plures ſecum adferunt erudiriones, quæ rei comparantur, de qua ſermo inſtituitur. Si enim loquar de Chriſto ante paſſionem hortum ingreſſo, ut preces fuoderet, ac Patrem Æternum rogaret, & per eruditionem Poëticam eum comparaverim Alcidi argutè dicerem: *Novus, & longè fortior Alcides hortum ingreditur, non ut ſumat, ſed ut abſumat mala*, eſt comparatio ſimul cum æquivoco, quia *malum* ſignificat pomum, quod in hortis producitur, & carpitur; ſimúlque & peccatum, quod ſua Paſſione erat Chriſtus deleturus. Poſſunt enim eruditiones venuſtè adhiberi ab Oratore per breviſſimam comparationem rei, de qua eſt ſermo, cùm alia petita ex hiſtorijs, vel fabulis: quo pacto de Duce corpore quidem exiguo, ſed in bello ſtrenuo, ac invicto argutè dicitur: tametſi ſtatura Alexandrum non exceſſeris, bellica tamen virtute Cæſarem ſuperâſti; & cùm in hoſtes irruiſti, patuit, non ſolam Macedoniam Alexandros gignere. Feruut ad Alexandri acceſſum Orphei ſymulacrum ſudâſſe: ſi per argutam comparationem velles Principem è bello in patriam reducem, & victorem laudibus excipere, pulchrè diceres: non ſolius Alexandri adventus Orphei ſimulacro, ſed tuus etiam ad nos acceſſus ab Oratorum ingenijs ſudorem elicit. Quòd ſi Cæſar non priùs hoſtem viderit, quàm vicerit, tu cùm primùm veniſti, hoſtes vidiſti, & viciſti. 1

Nonnunquam eruditiones, quibus fit comparatio, exhibentur per aliquam prælationem, vel poſtpoſitionem; ita tamen ut res, de qua eſt ſermo, alteri rei ex hiſtorijs deſumptæ obiter præferatur, ut ſi de Principe munifico, & merentes præmiante, ac milites promovente, qui fortiter in bello ſe geſſerunt, diceres: pluribus à te, quàm ex Iſtri, vel Nili oſtijs exeunt congiaria. De Duce, qui in bello præclarè ſe geſſit, nomènque ſibi comparavit apud poſteros interitui haud obnoxium argutè dicitur: Fortiùs tua poſteros urgebunt, quàm olim Themiſtoclem Milthiadis trophæa. De argumento fermè inſolubili, quo alius premitur, argutè per comparationem dicitur: ar- 2

gumen-

mentum hoc preſſiùs Æmulum, quàm Telephum Achilis haſta perſtrinxit. De bello, quo Leopoldus I. Imperator pluries Turcas in Hungaria proſtravit, venuſtè per comparationem dicitur. Nec deſunt Auſtriæ Fabij Cunctatores, ſi morâ ſit proſternendus Turca: nec deſunt Julij, ſi celeritate præveniendi ſint, ac incendi. De Carolo Lotharingiæ Duce, qui pro Cæſare pugnavit contra Turcas, eleganter etiam dicitur: Tu victrices lauros, palmásque triumphales ibi meſſuiſti, ubi cum Tullo Hoſtilio plures iteraro pavori, & pallori templa voviſſent. De Aula Bavarica, quam Ferdinandus Maria Elector ad normam virtutum, & pietatis inſtituerat, fuit, qui per argutam comparationem dixit: Caſtigatos Aulæ tuæ mores, qui viderit, plus quàm Numæ dixerit regiam: & de ipſo Duce Ferdinando: præripit palmam Areopago tua æquitas, & ubi liberalitate certandum eſt, omnem Tito gloriam ademiſti. De quodam Conſiliario ſapientia, & prudentia inſigni. Conſilia ſuggeſſiſti, & reſponſa dediſti, qualia nec Delphicus Apollo, nec Conſus ipſe depromere potuiſſet ſalubriora. De milite Auſtriaco: ictum lapidis objectu pectoris tam fortiter excepit, ut documento fuerit Auſtriacis militibus pectus prò muro eſſe.

3 De Maximiliano Emanuele Bavariæ Duce exemplo fortiùs, quàm verbis milites ad fortiter pugnandum excitante: Therſitem quemcunque ſui exempli violentiâ Achilem efficit. De eodem adhuc adoleſcente: ſi in bello adhuc Tyro hoſtium ſerpentes diſcerpſit, interemitque; adultus grandior Hercule Lernæam hydram Turcicæ audaciæ non potuit non proſternere. Quòd ſi per inducias à bello abſtinuit, non tamen credas, conchas cum Caligula otioſum legiſſe, nec cum Macedone natâſſe, nec cum Auguſto lucos percurriſſe, nec cum Nerone aureo hamo piſcibus inſidias conſtruxiſſe, nec cum Tarquinio papaverum colla meſſuiſſe, nec cum Academo otio in ſylvis marcuiſſe, nec cum Domitiano muſcas inſectatum fuiſſe, nec cum Trajano prandium inter arbores inſtituiſſe, ſed cum Catone leges ſanxiſſe, quibus homines ad normam regerentur æquitatis. Per comparationem Tamerlanes vocari voluit flagellum Numinis, Attila ira DEI, Pericles fulmen, Lucullus Xerxes Togatus, Nerva bonus. Et Clemens Alexandrinus indicaturus Diſcipulum Magiſtri præceptis, & doctrina, imò & moribus facilè imbui, ait: *Si quis Iſomacho ſtuduerit, agricola fiet: ſi Lampridio Nauclerus: ſi Caridemo Imperator: ſi Crobolo coquus: ſi Perdici Caupo: ſi Archilao Saltator: ſi Criſippo Dialecticus: ſi Ariſtoteli Phyſicus: ſi Homero Poëta: ſi Tullio Orator: ſi Chriſto ad imaginem Magiſtri perficietur Spiritus in carnis mortificatione.* De Viro flocci faciente injurias ſibi illatas, & inimicis parcente per comparationes conglobatas, & eruditas dicitur: Injurias ſibi illatas prægrandis animus, vel aſpernatur ut Titus; vel ridet ut Tiberius; vel condonat ut Theodoſius; vel remuneratur ut Auguſtus. De alio virtutum culturæ addicto: manſuetudine fuit alter David; intelligentiâ, & prudentiâ Salomon; bonitate Moyſes; patientiâ Job; perfectione Samuel; continentiâ Joſeph; ſapientiâ Daniel; Zelo Elias, ſanctitate Joannes.

Ut autem comparatio ſit arguta, aliquam debet proportionem præſeferre cum re alia, cui æquiparatur, quia tota argutia fundatur in metaphora ſimilitudinis, quæ ex Ariſtotele 3. *Rhetoric. cap.* 20. eſt *Tranſlatio nominis à ſpecie ad ſpeciem, ſecundum aliquod, quod proportioni reſpondeat.* Ut fiant comparationes ſumendum eſt genus univocum, vel analogum, & ſub eodem perpenduntur omnes, & ſingulæ ſpecies, quæ proportione aliqua ſibi reſpondent; quo pacto Virgilus Æthnam montem vocavit *ſiculam* FORNACEM, Ovidius *ſaxa terra* OSSA. Lucretius ſub alto genere humoris ſumit unam ſpeciem pro alia, & vocat *pluvias nubium* LACHRYMAS: *uberibus* FLENT *omnia guttis*: & quia ſermo incidit de lachrymis poſſumus eas commendare, quas dolor reſipiſcentis elicit, & quidem in prædicamento ſubſtantiæ: cùm ſint lachrymæ ſubſtantiæ aqueæ, ſumendum eſt altum genus *ſubſtantiæ fluidæ*, & coacervandæ omnes ſpecies ſub eodem genere, cujusmodi ſunt, *lac, balſamum, vinum, ſanguis, pluvia, ros, flumen, torrens, fons, lacus, mare*; ſi comparem lachrymas cum alijs ſpeciebus ob proportionem in ſubſtantia fluida, poſſumus argutè dicere: *lachrymas, quas culparum dolor elicit puriſſimum eſſe* LAC, *quo emortua anima ob lethalem noxam gratiæ reviviſcit, nutritur, ac reficitur.* OPOBALSAMUM, *quo animæ vulnera, ſeu peccata curantur.* VINUM *quod lætificat ſpiritum in ſqualore jacentem, & in mortis umbra ſedentem.* PLUVIAM, *quæ animæ ſterilitatem irrigat, ac fœcundat.* TORRENTEM, *qui omnes culparum feces, quas peccatrix anima contraxerat, rapit, & animam expurgat.* FLUMEN, *in quo purgantur, ac lavantur animæ maculæ.* MARE, *in quo naufragantur culpæ.* SIZICCI FONS *impuras animæ flammas extinguens.* OLEUM, *quo Chriſti Athletæ liniuntur ad victoriam.* MARE, *in quo felix patiuntur naufragium animæ ſcelera.* AQUARUM CATHACLYSMUM, *quo mundus culparum extinguitur, ac ſubmergitur.* GLUTINUM, *quo anima Deo iungitur. Sub genere analogo.* MARGARITUM, *quo theſauros ſuos commutat cum terra cœlum.* JUSTITIÆ SEMEN *in meritorum fructus erumpens.* MOLLE TELUM, *quo Dæmon ſauciatur.* TACITARUM AQUARUM VELLERA, *ſeu* NIVES, *quibus anima innocentiæ candorem induit.* CONCRETUM PIGRO FRIGORE GELU, *quo candicat pœnitentiæ candidatus.* Inſuper

ſuper ab hiſtorija, ac fabulis poſſum invenire omnes ſontes præclariores, & dicere. Non ita ſpectatorum oculis arridebant Tullianæ villulæ è fonte Salientes latices, ſicut *lachrymæ* emortuæ animæ: non ita Sizici fons impudicos Veneris ignes refrigerabat, ſicuti *lachrimæ* peccandi libidinem: non ita Dodonæo in fonte accenſæ faces extinguebantur, & extinctæ accendebantur, ut hiſce in lachrymia profani amoris tedæ extinguuntur, divini accenduntur: non ita in Sicilia Ariſtotele teſte quodam in latice immerſæ, ac præfocatæ aves reviviſcebant, ut lachrymarum in unda moraliter emortua anima Phœnicis ad inſtar reviviſcit: non ita in Sardinia emanant duro de ſaxo aquæ venenato angui lethiferæ, ut lachrymæ Dœmoni. ſi Aretuſa undarum inter amaritudines dulcedinem ſervat; lachrymarum rivuli peccati amaritudines expellentes dulcedinem pariunt: ſi ſalutare balneum corporis curat languores, etiam lachrymæ animam ſanant; ò verè prodigiales lachrymæ, quæ ſine voce petunt, cadendo reſurgunt, ſine pudore rogant, ſine precibus imperant.

De fucatis mulieribus arguè cecinit
5 Poëta eas pariando pulveri, & umbræ

Quæpictas geritis facies vos jure poteeſtis.
Dicere cum Flaco PULVIS, & UMBRA ſumus.

Siquidem pictura ex coloribus conſtat, & umbris; & colores ſunt pulveres ſimul coagulati. Humanum corpus arguè etiam comparatur terræ, cuj tribuuntur, quæ corpori humano conveniunt, ut oſſa, nervi, pellis, pili, ſanguis, hoc pacto

Telluris lapides ſunt, OSSA, *metalláque* NERVI
PELLIS *cruſta* PILI *grammina* SANGUIS *aqua.*

In prædicamento quantitatis arguè etiam fiunt comparationes, & ſumitur ſub eodem genere quantitatis una ſpecies pro alia, quæ tamen mutuam ſervent proportionem. Quantitas diverſimode conſideratur in ſubjecto, ut ſi hoc ſit *parum, grande, latum, longum, breve, grave, leve, altum, demiſſum,* quo pacto arguè dicimus *in* PARVO *corpore animum* ALTUM *comprehendi. Voluptates* BREVES, *curas* LEVES, *negotia* GRAVIA, *ingenium* ACUTUM, *hominem* QUADRATUM. Si ſumamus unam ſpeciem quantitatis, ſub quo conveniunt in aliqua ſimilitudine arguè poteſt una ſpecies ſumi pro alia. Do exemplum, quia calamus Angelici Doctoris D. Thomæ conſideratur oblongus quoad figuram; conſideranda ſunt ea omnia, quæ aliquam in longitudine præſeferunt proportionem, cum calamo, cujusmodi ſunt Mercurij Caduceum, Achilis haſta, Herculis clava, Aaronis virga, fulmen, Sagitta, acus, cometa caudatus, enſis flammeus, olivæ ramus, & alia id genus, quæ in quantitate, ſeu longitudine poſſunt comparari cum calamo Angelici Doctoris, & per alluſionem ad illa dicerem, An non Angelici Doctoris calamum Mercurij diceres Caduceum, quò diſſidentia hominum capita conciliavit? ſiquidem Angelici Doctoris Calamus diſſidia Doctorum compoſuit; errores fugavit, & veritatem atramento illuſtriùs, ac clariùs delineavit; ſed dixerim Angelici Doctoris Calamum ſuo atramento umbras Mercurij Caduceo injeciſſe, ſapientior quippe fuit ipſo Mercurio. Quinimò hic calamus valentior fuit Herculeâ Clavâ, quia ſi non Lernæam Hydram, plura tamen hominum capita, quæ in perniciosoa repullularunt errores glorioſè vicit: Achilis haſtâ felicior, quia ſine vulnere inflicto ſanavit: Aaronicâ Virgâ fœcundior, quia ſimul politioris eloquentiæ flores, & fructua ſanioris doctrinæ produxit. Imò hunc calamum dixerim fulmen, non à Jovis iraſcentis dextera immiſſum, ſeu à verò Numine in terras demiſſum, quo vitiorum monſtra proſternerentur. Divini amoris ſagittam, quâ ad ſanitatem, vitámque meliorem errantium mentes sauciabantur. Imò fuit ingenioſiſſima acus, quâ Angelicus Doctor Divi Petri pluribus in partibus conſciſſum rete reſtauravit: divini ſolis fuit radius, quo ab Ethnicorum animis errorum tenebras expellebat, argentea fiſtula, harmonicus tubus, ac animata tuba ad hoſtium terrorem. Crinitus cometa ultimum excidium hæreſi præſagiens; Apellis penicillus, qui veram ſapientiæ imaginem delineavit; pinxit. Flammeus enſis deliciarum paradiſi, Eccleſiam enim Cuſtodivit. Noëticæ columbulæ olivæ ramus, quo diſſidentem compoſuit Orbem, & pacem præſagivit. Imò Aquilæ calamua, qui reliquas avium pennas, hoc eſt ſcriptorum ſui temporis in tabem redegit. Melioris Promethei facula, quâ gelidiſſima inflammavit ad virtutes corda. Ariadnæum filum, quo ab errorum labyrintho plures liberavit Theſeos. Errantis horologij non errans indiculus, veræ æternitatis tempora indicans. Renaſcentis Phœnicis calamua, quo morte immortalitatem ſibi comparavit, Hæreticorum omnium malleus. Melioris Tarquinij virgula, quâ ſi non papaverum, ſuperborum capita, ac mentes profligavit. Aurea clavis Davidira, quâ ſcientiarum fores nobis adaperuit. Alexandri enſis, quo ſi non Gordium nodum, omnes Theologicas difficultates ſolvit. 7

A quantitate numerica arguè alluditor ad illud ſapientis dictum, *ſtultorum infinitus eſt numerus,* & quia Mediolani inſigne adeſt ſtultorum Xenodochium arguè cecinit Poëta

Si ſatui clauſtris omnes claudantur in iſtis
Non erit in toto plenior orbe locus.

A figura in prædicamento quantitatis ſi- 8
cut oculi dicuntur per quandam proportionem, ac ſimilitudinem frontis ſydera; ita è converſo ſydera cœlorum oculi venuſtè dicuntur.

Sit nox CENTOCULO *quamvis oculatior Argo,*
Plus uno cernit lumine luſca dies.

Si vellemus in prædicamento quantita- 9
tis commendare maximum animum, & prægrandem virtutem in parvo, & exili corpore con-

congerenda eſſent ea omnia, quæ licèt corpore exiguo, virtute tamen, vel pretio, vel arte in ſumma habentur æſtimatione, & argutè, & eruditè comparanda cum animo prægrandi in parvo corpore, ut fuit Pyrrhi Regis Achates, in quo lapillo Parnaſſus totus cum Muſis, & Apolline miro artificio repræſentabatur ſculptus. In Opali exiguæ molis gemma carbunculi flammeſcit tenuis ignis; ſmaragdi luceſcit luxurians viror; Chryſtalli clareſcit pretioſum gelu. In templo Divæ Sophiæ menſa aderat, in qua omnia lapillorum genera, metallorum ſpecies, lignorum varietates, mirabili artificio comprehendebantur, fuitque menſa Juſtiniani Imperatoris toto Oriente celebris. Commendationem etiam plurimam promeruit eburnea Pollicratis formicula, Myrmecidis quadriga, Plinij arbor omni fructuum genere fœcunda, Archimedis Sphœra. Hæc omnia exigua corpore, ſed pretio, vel arte maxima argutè poſſent facilè pariari animo prægrandi in parvo corpore.

10 Comparationes argutæ etiam à prædicamento qualitatis eruuntur, & quia qualitates plures ſunt, quarum aliæ ſub ſenſus cadunt, cujuſmodi ſunt colores; & aliæ ſenſus fugiunt, ut virtutes, & vitia, quæ qualitates dicuntur morales: ſi ſub alto genere qualitatis ſenſibilis congerantur omnes ſpecies, & ſimul conferantur, ſumatúrque una ſpecies pro alia veniſtè à ſenſu odoratûs dicimus, *virtutum* FRAGRANTIAM, *vitiorum* FOETOREM. A ſenſu guſtûs dicitur AMARA *ſors*, ACERBA *mors*, DULCIS *recordatio*. A ſenſu tactûs PALPABILIS *error*. MOLLE *ingenium*, SAXEUM, *cor*, FRIGIDUS *ſermo*. In hoc prædicamento ſi velimus laudare virtutem, eò quia *ejus concentu nil ſit ſuavius :* ſub alto genere concentûs, vel Muſicæ ſumenda ſunt omnia, quæ harmoniam aliquam edunt, & aures demulcent, quà ex fabulis, quà ex hiſtorijs, & eſſent comparanda, vel per confutationem, vel aſſertionem, vel etiam per prælationem, aut poſtpoſitionem cum ſubjecto, de quo eſt ſermo. Ex ſacro Codice Muſicæ Auctor habetur Tubal, ſed ex Vatibus cognoſcimus Amphionem, & Orpheum, imò & ipſum Amorem, qui dicitur docuiſſe muſicam. Scimus Neronem Romæ ex alta turri Cytharam digitis argutè pulsâſſe, eò vel tempore quo urbs flagravit incendio, & in ejus obitu populum riſiſſe, ac vices eidem reddidiſſe, pulchrè Poëta.

Reddit jure vices, feſtis tibi læta parentans,
Vocibus Urbs etiam te moriente cavit.

11 Alcibiades muſicam dedignabatur, eò quòd Apollo, & Minerva nunquam didiciſſent, vel fiſtulas inflare, vel lyram percutere. Philippus Macedonum Rex Alexandrum filium arguebat, eò quia Cytharam ea manu, quâ ſceptrum pulſaret, teneret, inquiens, *Non erubeſcis tam bene nugari.* Sibaritæ Muſicæ ita fuerunt dediti, ut vel equos ipſos, hac erudirent arte; quare in bello fuerunt debellati non arcu bellico, ſed muſico: Hercules, & Achilles, ut patet ex Homero relaxare animum à curis conſueverant muſica Chely. Cedant virtutis ſuavitati, ac concentui cœleſtes illi concentus, quos audire putabat Pythagoras, cedant Cygni, Philomelæ, Ariones, Amphiones, Orphei, Sirenulæ, deinde omnia hæc, vel comparabis cum virtute, vel confutabis.

12 A qualitate ſanguinis guttæ, quas in circumciſione effudit Puellus JESUS argutè æquiparantur roſis, eò quia guttæ ſanguineæ, & roſæ conveniant in colore rubro.

Cæditur & pueri tellus madefacta cruore,
Vernat purpureis undique picta roſis.

13 A qualitate duritiei mulier dicitur viro mollior, quamvis ex oſſe duro viri ſuam traxerit originem

Dicta fuit MULIER quaſi MOLLIOR, eſt tamen
Eva.
Non de CARNE ſui ſumpta, ſed OSSE viri. 14

A prædicamento Relationis plures etiam eruuntur argutiæ per comparata: eſt relatio duplex tranſcendentalis una, quæ ordinem neceſſarium ad ſuum terminum dicit, ut cauſa ad effectum, Pater ad filium, & ab hac relatione Statius ſumens unum correlativum pro alio vocavit Plutonem *Inferorum* JOVEM, eò quia ſit frater Jovis: & Silius Italus dixit *Tartareo eſt operata* JOVI. Alia eſt relatio prædicamentalis ſita in ſimilitudine, quæ fœcundiſſimum nobis aperit campum argutandi per comparata. Sit hæc propoſitio. *Voluptas Venerea eſt hilaris pœna, crudele gaudium, blanda mors,* ut argutè amplificetur ſub alto genere allicientis, ſimúlque damnum inferentis ea omnia coacervanda ſunt, quæ ſimul placent, & nocent, & comparanda cum venerea voluptate, hoc pacto: An non Veneris illicia ſunt blandæ malaciæ ſirenulæ, quæ cantûs ſuavitate nautas alliciunt ad necem? certè ſunt Sodomiticæ telluris poma, pulchra viſu, ſed tactu inania, & guſtu exitialia. Hircaniæ ſylvæ panteræ quæ odoris ſuavitate alliciunt, ut enecent; ad ſe blandè trahunt, quò crudeliùs trucident: Serpentes Cleopatræ inter flores, & amplexus venena evomentes ad necem inferendam. Adblandiuntur Veneris illicia, ſed Simiarum inſtar, quæ cum proprios fœtus in ſinu amplectuntur, ſtrangulant, ac interimunt. Eſt voluptas venerea, veluti Sardonica herba, quæ mori cogit in riſu: ridicula ſanè mors, non tamen ridenda, ſed potiùs deploranda. Eſt veluti roſa, ſed inter vepres, quæ ſi ſtringatur cruentat. Eſt veluti flos, ſed inter colubros venena ſpargentes. Eſt veluti aqua, ſed marina, & inſulſa ſiti augendæ, quàm minuendæ aptior. Eſt voluptas, quæ ſi aſpicit baſiliſcum æmulatur, ſolóque intuitu vulnera infligit, & mortem infert: ſi plorat crocodilli ſunt lachrymæ; ſi palpat Arpiæ ſunt manus. Eſt voluptas melleum fel, dulce abſcinthium Imò eam dixerim Circeum poculum, Cryſtallinum Babylonicæ meretricis craterem, Socratis cicutam, gemmeo in Cyatho; perbrevem pyrauſtæ lætitiam circa lumen: aureum Neronis hamum, gemmeam Cyri Regis catenam

Fa-

Fabij Cincinnati poculum, quo infelix amar m mortem unà cum dulci lacte ebibit. Si linguam ſolvam contra veneream voluptatem, eam dicam, Lethæi fluminis undam, quæ memoriam cœli abſorbet, luménque extinguit rationis, Arcadis lacûs undas, quæ viros commutant in bruta. Neronis Smaragdum, qui gemmea pretioſitate crudelitatem fovit. Infauſta papauera, quæ oculos cœlo claudunt. Avem indicam, quæ teſte Plinio cantu ſuaviſſimo enecat. Sodomiticum ignem, qui Lothi mulierem in ſalis ſtatuam vertit, quò fœminea condiretur fatuitas. Nec mirum ſi homines Venus perdit, procelloſo è mari nata, & diſcrimina nacta, non poteſt niſi naufragia præſagire, & matri ne eſſet degener filia nonniſi amaritudines ſecum trahere potuit. Has omnes eruditiones hactenus recenſitas, ſi Orator comparaverit cum voluptate venerea, eò quia aliquid inferant ſolatij, & damni, ſimúlq; placeant, & noceant; plures poteſt facilè argutias texere, & orationem venuſtè ornare.

15 Si argutè vellem commendare paupertatem ſancti Cajetani Thienæi, qui Noſocomijs proprio ære fundatis, & divitijs omnibus pauperibus diſtributis morbo peſtilenti laborantibus ſuis ipſe manibus inſervivit. Dicerem, Cajetanum fuiſſe ſolem, eò ſplendidiorem, quò nubibus cujusvis terrenæ ſubſtantiæ magis ſpoliatum. Dicerem fuiſſe lilium non alio pictum colore, quàm puritatis candore. Fuiſſe in hujus vitæ agone nudum pugilem, & ſpoliatum Athletam, ne ſuccumberet. Cœleſtis margariti, ſeu æternæ beatitudinis in Erythreo hujus mortalis vitæ animarum expiſcatorem, ſine veſtibus terrenæ ſubſtantiæ Accenſam flammam, quæ nullo detenta in terris pabulo velociùs ad ſuam avolavit ſphœram: hæc enim omnia rectè comparantur cum paupertate Divi Cajetani ob ſimilitudinem & proportionem. Deinde poſſem rejicere ſuperflua qu que & pretioſa hominum indumenta hoc pacto. Veſtiantur purpura Lacedæmonij milites; coccinea induantur veſte Cyri bellatores; auro ornari incedant Darij milites; Chriſtiana militia præſtantiores recenſet Duces, quos nudos charitas facit, ſi tamen nudi vocandi ſunt illi, quos virtus heroica ſuo indumento ornat, non onerat. Fuit ſuperbia Sinarum Regum, qui non alio utebantur indumento, quàm flavo aureo filo intertexto, draconum, ac leonum feritatem exprimente. Fuit ſuperbia illa Juſtiniani, qui ſepulchrum ſtragula veſte tegi juſſit, in qua opere Phrygio victarum urbium, Regúmq; Barbarorum, quos ipſe debellaverat eſſent effigies intertextæ: longè laudabilius eſt denudari palliolo, ne pudicitiâ ſpoliemur; melius eſt cum Chriſto nudos milites pugnas inire, & cum Cajetano in hujus vitæ agone de mundo, ejúſque voluptate triumphare, & tartareum hoſtem proſternere.

16 A prædicamento Actionis, & Paſſionis plures itidem per comparata hauriuntur argutiæ eò vivaciores, quò motu aliquo, vel actione animatæ: proprium ſiquidem eſt hujus prædicamenti motum, & Actionem etiam rebus inanimatis dare; & ſpiritu deſtitutis vitam exhibere. Etenim ſi in prædicamento ſubſtantiæ roſcidæ guttulæ dicuntur *ſtellarum LACHRYMÆ*: ſi in prædicamento quantitatis *GRAVIA negotia*: in prædicamento qualitatis *nives* dicuntur *CANITIES montium*, & in prædicamento relationis dicimus *ſtudium eſſe PATREM ſcientiarum*: in hoc prædicamento Actionis hæc omnia animantur, & dicimus, *quod ſtellæ* ILLACRYMENTUR, *negotia* GRAVITENT, *montes* SENESCANT, *ſtudium* GENERET *ſcientias*. Imò non ſolùm hoc prædicamentum animam elargitur inanimatis; verùm etiam ſumendo unam actionem pro alia, cuj comparatur ob mutuam proportionem venuſtas texit argutias. Sit hæc propoſitio. *Animo heroico res adverſæ exercitium præbent, non exitium.* Ut per comparationem ad alia pateat argutanti campus coacervanda ſunt ea omnia, quæ dum videntur damnum aliquod pati magis perficiuntur, & cum detrimentum videntur ſubire, incrementum ſuſcipiunt perfectionis; quo pacto animum heroicum, cuj res adverſæ exercitium præbent virtutis, comparaverim cum asbeſtino lino, quod quò acriùs uritur, eò candidiùs irradiat; & maculas exuit, cum flammas induit, & purius evadit ex accenſo rogo. Eum comparaverim cum herba baſilica hortorum fœcunda ſobole, quæ dum atteritur, grandeſcit vegerior: cum palma, quæ cum pondere deprimitur, ſurgit ſublimior; cum candido Cryſtallo, quod ſpirante borea indureſcit pretioſius: cum ſilice, qui præduro calybe vulneratus ſplendeſcit clarior, & ex ſibi inflictis vulneribus ſcintillas veluti pyropos emittit, quibus coronatur illuſtrior: cum Sabæa hilari illa lacryma thure; tunc enim thus gratum inhalat odoramentum, cùm in thuribulo exardens vitam exhalat, fueríſque propterea qui ad exprimendum virum in adverſitatibus conſtantem, ac fortem pinxerit in Phrenoſchemate, ſeu ſymbolo heroico thus exardens addicto lemmate *fragrat, dum flagrat*. Imò illum æquipararem balſami plantæ, quæ vulnerata humorem fundit, curandis vulneribus peraptum: eſt planta adeo nobis benefica, ut ſuis vulneribus noſtra ſanet vulnera. Compararem cum folle luſorio, qui quò magis deprimitur, eò ſublimior extollitur: cum Luna planetarum regina, quæ nocturnis ſub umbris luceſcit clarior, neque nocturno in theatro emicaret halone coronata, niſi præceſſiſſet, vel ſubſecutura eſſet tempeſtas: cum metallorum principe auro, quod eo purgatur purius, ac defœcatius, quo igne torquetur acriùs: cum lino, quod dum torquetur dentato ferro, ac ſævius dilaceratur, magis perficitur, & eo fit melius, quò deteriùs videtur tractari: cum Phœnice, qui morte immortalitatem ſibi comparat: quippe in accenſo rogo dum perit, ſe parit, & funere vitales hauriens ſpiritus, è mortis cinerario redivivus, reſurgit: cum marmore quod nunquam in ſaxo frigido homi-

nem

nem repræſentaret ſimulantem poſt fata vivere, niſi carnifice ſcalpro plurimum pateretur detrimenti, ac veluti martyrium ſubiret. Quòd ſi à rebus naturalibus vellem ad fabulas tranſire, dicerem. Quis Alcidem noſceret in cunabulis, niſi tenellos ungues ad angues aptâſſet præfocandos? quis Achillem niſi cum Hectore pugnantem? qui Jaſonem niſi Cholchidis monſtra profligantem? quis Athlantem niſi valido humero orbem totum fulcientem, ac gravi ſub onere gementem? Ex his omnibus comparatis cum animo heroico, cuj rea adverſæ exercitium exhibent virtutis, non exitium, poteſt facilè Orator argutari, & ſuam venuſtare orationem.

17 A prædicamento paſſionis de lapſu Almæ Urbis cecinit Poëta.

Quid turres, quid foſſa juvant, quid murus, & agger?
Quid ſeptem geminæ profuit Arcis opus?
Si fortes animæ, ſi fortia pectora deſint
Urbibus, hæc fiunt nil, niſi terra gravis.
Roma ſibi teſtis, quæ ſeptem Regibus orta
Crevit, & è totidem collibus alta cadit.

18 In prædicamento Actionis, & paſſionis ſumitur etiam unum verbum pro alio, quia cum verba, ut ajunt Dialectici, exprimant operari, & inter operationes poſſit dari ſimilitudo, quâ una operatio cum alia comparetur, ideo poſſunt operationes in ſpeciem diverſæ ſimilitudine aliqua minus expectata, & obvia inter ſe comparari, & ex verborum diverſorum comparatione aliquid elici inopinatum: quo pacto ex tribunali venuſtè dicimus CASTIGARE *mores.* CITARE *conſcientiam ante tribunal rationis.* PROSCRIBERE *ab oculis immodeſtiam. Ad* JUDICIUM *in ſpeculo vocare cæſariei, ac faciei errores.* DAMNARE *capite delinquentem orationem*: hoc eſt commutare non bene elaboratum exordium. Ab Emporijs *vita hominibus* COMMODATUR *non* DATUR: *Eleemoſynis cœlorum regnum* EMITUR. *Preces piæ* COMMERCIA NECTUNT *cum Cœlitibus. Chriſti veſtigia qui ſequitur* ABDICAT *ſe à delicijs.* A militia. *Dare nomen religioni;* PUGNARE *ſub Chriſti vexillo. Indicere* BELLUM *Veneri. Precum armis* ADORIRI, ac EXPUGNARE *cœlum. Argumentorum jaculis adverſarium* LACESSERE. *Scripturarum telis hæreſim* OCCIDERE. *Aureis machinis* ARIETARE *Juſtitiam,* PROFLIGARE *pudicitiam.* VULNERARE charitatem. *Fraudum cuniculis* EXPUGNARE *virtutem; verborum acuminibus alienam famam* PUNGERE. *Alieno in fletu ridet* TRIUMPHAT *invidia. Cum navium exercitu* DEPRÆLIANTUR *iratæ undæ. Matutinæ campanulæ ad* PUGNAM *ſpiritualem Monachos vocant. Flagellorum ictibus adverſantem* concupiſcentiam PROSTERNERE. Ex Nautica arte. *Cupiditatum tempeſtas* DEMERSIT *me. Deliciarum* SIRENULÆ *alliciunt ad necem. Momento felicitatis* MALACIA TEMPESTATE *mutatur. Inter rumores civium* FLUCTUAT *Reipublicæ ſalus. In difficultatum* CARYBDIN *incidit cupiens erroris* SCILLAM *evitare. Gubernante ratione, clavúmque tenente facilè navis vitæ cœleſtem* APPELLIT *portum. Pœnitentia poſt peccatum eſt* TABULA *poſt naufragium. Hujus hominis fortuna ad* ANCHORAM *ſtat. Negotium illud ſecundis ventis* NAVIGAT. *Puritas juvenis* NAUFRAGA *perijt in* MALACIA *Veneris. In exigua poculi unda Lyſimaci regnum* NAUFRAGIUM *fuit paſſum.* Ex Medicina dicitur SANA *mens. Hic eſt* NERVUS, *ac* ROBUR *orationis. Epiſtolarum fomentis amicorum animi ſenſim* CONVALESCUNT. *Bene* VALES *de crumena. Ad extinguenda Veneris illicia lachrymæ* SALUTARE *ſunt* STAGNUM. *Criminum vulnera pœnitentiæ pharmaco* MEDENTUR. MALE SE HABET *prælium contra Turcas. Cretenſis civitas laborat in ultima* AGONIA, *eſt in extremis, jam emoritur; ſubſidij* PHARMACA *ſunt inutilia, ſeróque* MEDICINA *paratur. Cauſidici manus auro ſunt* LINIENDÆ, *ut litigium* BENE CURENT. FEBRICITAT *amaſius non alio igne, quàm Veneris.* Ex fabrili arte. *Ad* AMUSSIM *rationis operationes dirigere, orationis ſuperfluitatem* TONDERE. AFFABRE *orationem abſolvere. Argumenta* FASTIGIARE. *Diſſidentes animos ſimul* AGGLUTINARE. *Perſecutionum ictibus ferreos animos* EMOLLIRE. *Ex Chirurgia. Vitia radicitùs* ABRADERE. *Pratorum capillamenta, collúmque comas falce* RESECARE. *Subditorum divitias* TONDERE. Ab agricultura. *Ingenium* COLERE *ut fructus pariat. Animi vitia* RESECARE. *Virtutum* FLORIBUS *ſe ornare. Semina bonarum artium in animum* JACERE. *Meritorum fructus* CARPERE. *Curva ſenectute rugis frontem* ARAT *ubique videntur* DISSEMINATA *Cadavera.* AMPUTARE *prudentiæ falce Reipublicæ rumores. Triumphorum lauream* METERE. *Albedinis lilia ſuper genas* NUTRIRE. *Sterileſcentia ingenia laboris aratro* EXCOLERE. *Unde de Divo Thoma Aquinate dico verè fuiſſe bovem mutum, qui tam bene Eccleſiæ campum* ARAVIT. *Ab Architectura. Firma non poterat eſſe Acabi fortuna, nimia laborabat magnitudine innixa debilioribus* FUNDAMENTIS. *Malè* ARCHITECTATUS *eſt divitias Aman ſuperbiá imperante, quia dolos* MACHINABATUR *in Mardocheum perijt, & ejus morte firmiùs publicam* FUNDAVIT *quietem: licèt labentem ejus domum nemo* RESTAURAVERIT. EX arte textoria; *Dolos in Reipublicæ perniciem* ORDIRI. *Parcæ quia non parcunt ampliùs non* NENT *vitæ noſtræ ſtamina. Filum vitæ noſtræ multiplici adverſantis fortunæ nodo eſt* IMPLICATUM, *diſcurſum varijs rationibus* TEXERE. *Fractum negotium* REDORDIRI *Rationem varijs argutijs* PHRYGIARE. *Virtutes virtutibus* INGLOMERARE. *Ex Pictura; negotium prætextu utilitatis bene* COLORARE. *Alienam famam detractionis maculis* TEMPERARE, *&* OBUMBRARE. *Ultimam manum* IMPONERE *orationi Sol flores* COLORAT, *Ver terram* PINGIT. *Elapſa tempeſtate Phœbus tot radiis, quot penicillis* PINGIT *Iridem varijs coloribus.* Ex Muſica, *Diſ-*

ſonantes ſenſus cum ratione CONCORDARE. *virtutum* CONSONANTIA *Deum* ALLICERE, *ut noſtras exaudiat preces.* *Vitta* OBSONANT. *Grato murmure* CANUNT *ſaxoſi fontes.* EX Venatione; *Argenteis retibus inſidias* TENDERE *pudicitiæ, Aureis vinculis* CAPTARE *beneficia.* *In hoſtes* INCIDERE. *VENARI honores.* Ab omnibus etiam alijs actionibus, ac officinis poſſunt ſimiles metaphoræ inveniri, *ut: Palladis lacte nutritus puer in Muſarum ſinu poſtea adolevit: è fracto Jovis capite unà cum Pallade ſuam videtur traxiſſe originem*

A prædicamento actionis argutè exprimitur Divæ Aurcæ Martyris triumphus, quæ aurea Ethnicorum Numina piottivit, & al-
19 luditur ad fabulam Jovis deſcendentis in pluviam auream.

OPPRESSIT *Danaëm pluvio ſi Jupiter auro*
OPPRIMIS *auriſluos aurea Virgo Joves*

Divæ Monacæ, quæ pijs precibus converſionem filij ſui Auguſtini à Deo impetravit, gratulatur Poëta.

Fortunata parens, cuj bis licet EDERE *natum*
VENTRE ſemel terris, & ſemel ORE Deo.

Quia beata Margaritha Cortonenſis ducta à Domeſtico cane ad occiſum juvenem, quem deperibat, ſtatim reſipuit, ac Deo ſe vovit, poteſt argutè dici ab actione: etiam cœlum ſuos habere venaticos canes, quibus in terris peccantes feris deteriores inſequitur, & capit. Joannes Ziſca ſtrenuus miles Bohemus, ita in Catholicos ſævijt, ut teſtamento reliquerit detracta gladio ab extincto proprio corpore pelle timpana tegi ad evocandos milites contra catholicos; ab actione acutè pungitur:

En furor hic dignam meruit ſe Judice pœnam
Mortuus ut crebris ictibus uſque GEMAT.

De bombyce ſericis filis carcerem ſibi texente

Arte mea pereo tumulum mihi FABRICOR ipſe
Fila mei fati DUCO necemque neo.

Finis hominis ab actione argutè exprimitur

Humanum in terris nihil eſt, quod non ſit HUMANDUM.

AVOLAT hinc animus: cætera SORBET humus

Ab actione eleganter verba adhibentur, quæ actionem exprimunt pro alijs veluti emortuis, & quieſcentibus; ut ſi dicas *piſces ſunt in lacu,* eſt quid languidū ſed ſi dicas *piſces in noſtro lacu ludunt, turmatim currunt eſcas quærentes* vividiùs ac elegantiùs tuam exhibes propoſitionem. Si di- *nox incipit poſt ſolis occaſum,* nullum das nocti motum, nullam actionem; bene tamen ſi dicas *nox præcipitat:* vel *nox celeri paſſu verſus noſtrum currit hemiſpherium.* Si dicas: culumnas *ſtare*, eſt quid
20 languidum: ſecus ſi dicas columnas *ſurgere,* exprimis actionem

In prædicamento ſitûs conſideratur modus ſtandi, ut ſi quis ſedeat, ſtet, intus, foris à latere dextro, ſiniſtro, ſurſum, deorſum, hinc argutè dicitur SINISTRA *eſt mihi fortuna*, ſeu mihi adverſatur; quia ſiniſtrum latus ſumebatur pro contrario. Juvat hic obſervare, Virgilium dixiſſe. *Intonuit lævum* pro *intonuit dextrum*: ratio eſt, quia Græci partem ſiniſtram vocârunt dexteram, & è converſo dextram ſiniſtram; quia fingebant Deum gigantea ſtatura ante nos ſtare facie ad faciem, & denominantes latera noſtra à lateribus Dei, latus ſiniſtrum cum reſponderet Dextro Dei, vocârunt & ipſum dextrum: hac ratione in Bullis antiquis Divus Petrus inſpiciebatur à ſiniſtris Divi Pauli. A ſitu poſſunt plures erui argutiæ etiam per comparata. Si laudandus eſſet miles, qui in bello occiſus non cecidit, ſed ſtans animam egit, à ſitu perpendenda eſſent recta omnia, quæ ſtant, ut columnæ, ſtatuæ, arbores, parietes, & per comparationem, vel confutationem poſſent recenſeri. Scimus Diogenem conſuevìſſe gratias à ſtatuis enixim petere, & interrogatus cur? reſpondiſſe, ut diſcam ab hominibus ſordidis, & avaris repulſam pati. Catonem ingentem ſtatuarum ſylvam Romæ vidiſſe, & cùm ſuam non deprehenderit, dixiſſe, *malo quærant, cur Catonis ſtatua non ſit, quàm cur ſit?* quia pluribus viris nequam etiam ob leviſſimam cauſam fuerant ſtatuæ erectæ. Athenis erecta fuit Beroſo ænea ſtatua, ut Aſtrologiæ peritiſſimo, cuj lingua aurea erat. Romæ olim etiam erecta fuit Bruto ſtatua, cuj poſt mortem populus lemma addidit. *Utinam viveres.* eò quia occiſi Cæſaris vindictas ſumeret. Quid de Socrate dicam? qui diſcipulos ſuos mutas veluti ſtatuas eſſe voluit, ut tacere priùs diſcerent, quàm loqui. Diogenes viros probos, ac virtute præditos Deorum vocavit viva ſimulacra: & referente Suetonio in Tiberio olim confugere ad Cæſarum ſtatuas, perinde fuit ac tuiiſſimum inveniſſe aſylum. Apud Medos fuit olim Praxitelis nuda Venus in marmore expreſſa tantæ formoſitatis, ut vel mortua in frigido ſaxo vivas accenderet impuritatis flammas: cavete juvenes, & vivam fugite Venerem, quando vel extincta, & frigens in marmore flammas accendit. Durat adhuc Tertulliano teſte, durabitque uxoris Lothi ſalis ſtatua, ut humanæ curioſitatis 25
fatuitatem ſuo ſale condiat.

A prædicamento loci hauriuntur etiam per comparata oratoriæ argutiæ. Ab hoc prædicamento Gymnaſium vocatur *Palladis CAMPUS.* Alvearia apum vocantur *Cereæ DOMULÆ, mellea TECTA,* ſepulchrum dicimus eſſe *durum mortuorum CUBICULUM* & à Poëtis ſylvæ vocantur *Virides avium DOMUS.* Mare *undarum, ventorúmque PALÆSTRA, humidum ſquamigeri gregis REGNUM, fluminum DIVERSORIUM.* Antra ſylvarum *prærupta ferarum ASYLA.* Poſſunt etiam loca materialia rebus applicari immaterialibus, ac moralibus, quo pacto humilitas à viris aſcetis vocatur *FUNDAMENTUM reliquarum virtutum.* Rhetorica *Pantheon, atrium, pallatium, Ara, armamentarium, Panoplia, theatrum, viridarium, cœlum, templum, ſedes, thronus, Tribunal, Tyrocinium officina, palæſtra, campus eloquentiæ*, quæ omnia ſumuntur à loco. Charitas etiam dicitur *virtutum ARX, ac METROPOLIS* A loco de

pre-

profligatis pluries in Hungaria Turcis à Leopoldo Primo Imperatore dicimus: Cæſarem ex Italia CANNAS hoſtili cruore irrigatas, & THRASIMENUM hoſtium ſanguine redundantem tranſtuliſſe in Pannoniam. De Judice probo aſſerimus; tuam æquitatem AREOPAGO palmam præripuiſſe: & de Principis Aula pia; Caſtigatos AULÆ tuæ mores, qui viderit, plus quàm Numæ dixerit REGIAM. Solet etiam ab Oratoribus venuſtè ſumi locus pro locato, ut cùm dicimus MACEDONIAM *univerſam Orbem ſibi ſubjeciſſe,* ROMAM *exteris nationibus jugum impoſuiſſe famulitij.* Dicimus etiam à loco *Bacchum amare proclives colles*, *Cererem camporum planities*, *Pacificam olivam aprica loca.* Dicitur etiam India affluere opibus; Oriens opobalſama fundere, Sabæa Odoras ſui thuris animas nobis inhalare. Trojana tellus equos alere bellicoſiſſimos. Dicimus etiam Syriam, & Tirium probatiſſimum Muricem, & regalem purpuram nobis ſubminiſtrare. Peruana montium viſcera multo diteſcere auro, Hiſpaniam delicatiſſima vellera Angliæ, & Holandiæ ſuppeditare. Africam parere monſtra, Numidiam alere leones, Hircaniam tigrides, Æthiopiam Serpentes, Aſiam Panteras, Nilum Crocodillos, Chalcedoniam urſos, Mauritaniam Elephantes; Hymettum melleos favos exhibere; Arabiam odores; Erytam ſmaragdos; Pactolum auro fluere; Hydaſpem gemmeis fluctibus intumeſcere; Erythræum patriam eſſe margaritarum; Mare gemmarum omnium patrem; fontem Caſtrium olores enutrire; Colchidem phaſianos, Æthnam, & Veſuvium flammas evomere; Erymantum frequenti cupreſſu ſqualere; Parnaſſum lauro vireſcere; Libanum Cedris floreſcere; Imolum, & Taurarium montes auriferis abundare vitibus; Anticiram helebore; Pontum ve-
22 nenis.

A prædicamento motus etiam eruuntur argutiæ ſi motus unus ſumatur pro alio diverſæ ſpeciei: ſiquidem ſub genere motûs plures militant ſpecies. Alius enim eſt motus potentiæ vegetativæ, ut *creſcere, ali, erumpere.* proprium pullorum; *pullulare* herbarum; *Gemmare* vithium; *adoleſcere* hominum; *gliſcere*, *& vernare* plantarum, jam ſumendo unum motum pro alio dicimus, *juventutem* FLORERE *pro adoleſcere*, & è contra ADOLESCERE *Herbas.* Hi etiam motus poſſunt rebus moralibus applicari, ut cùm dicitur NATA *eſt mihi occaſio.* GLISCIT *in dies virtus. Sapientia ſua* FLORFSCIT Secundus motus dicitur *progreſſivus*, ut *volare* aves, *ſerpere* angues; *repere* lacertas; *ambulare* homines, *moveri* aſtra; *aſcendere* ignem; *natare* piſces; *currere* equos, *fluere* flumina, *ruere* fulmina: ex quibus motibus poteſt etiam unus ſumi pro alio, Seneca *fumus altè* SERPIT *in cælum.* Ovidius VOLITANT *ſuper ora favillæ*; Plinius *adminiculatæ ſudibus vites* REPTANT. Seneca EUNT *ſcelera per cunctas domus.* Cic. IRREPSIT *error in hominum mentes.* In quibus exemplis tu vides unam ſpeciem motus progreſſivi deſumptam pro alia. Motus à rebus artificialibus ſunt *Trahi*, *duci*, *equitare*, *ludere*, *rapi.* Horatius loquens de ventis ait, *Ventos ceruleis* EQUITARE *campis*, Seneca *Fulgor teneris; quò radiat genis momento* RAPITUR. Motus à liquoribus ſunt. *Inſtillare*, *fluere*, *manare*, *fundere*, *liqueſcere*, ſic dicimus FLUERE *orationem verborum redundantiâ.* Inſuper motus alius eſt tardus, alius velox, & dicimus CURRERE *tempus*, PRÆCIPITARE *errores.* Symbola celeritatis ſunt, *Aquila*, *fulmen*, *ſagitta*, *Sol*, *flumen* altis de montium jugis præcipitans *lux*, quæ momento temporis è cœlo ad terras defertur; *Cæleſtis Genius*, qui breviſſima temporis morula totum metitur Orbem; *flamma* tendens in ſuam ſphœram; *ferreus globus* ab accenſo tormento bellico exploſus; in ludis Olympicis *Curſor*, *Mercurius*, cujus pedes ſunt aligeri. Symbola tarditatis ſunt *Teſtudo.* De adoleſcente, qui in re litteraria negligens ſit dicimus, *teſtudineo gradu progredi*; Animalculum quoddam in India, cuj nomen eſt *pigritia*, quod animal, & ſi multo ſit exceptum verbere lentum motum non variat. *Remora* digitalis piſciculus, qui prori innixus etiam impellente aquilonis impetu ingentem navim retinet, ac frœnat. Antartici poli *ſydera*, quæ poſt multorum ſæculorum curſus nondum in noſtri hemiſphœrij aſpectum venête. *Palma*, quæ non niſi ad centeſimum vitæ ſuæ annum fructus parere conſueſcit. *mare mortuum*, *lacuna*, *ſtagnum*, *torpedo* ſquamo-
ſo de grege piſcis; qui vel piſcatoris brachium 23
ſimpathica ſua frigiditate ſtupefacit.

A prædicamento temporis etiam ſumitur una ſpecies temporis pro alia: tempus dividitur in intrinſecum, & extrinſecum: intrinſecum ſunt ætates hominis, *Infantia*, *pueritia*, *adoleſcentia*, *Juventus*, *ſenectus*: extrinſecum *Ver*, *Ætas*, *Autumnus*, *Hyems*, modò ſumendo tempus extrinſecum pro intrinſeco dicimus *Vernam tempeſtatem eſſe* juventutem anni, *& juventutem eſſe ver hominis*: de ſene dicimus, *Diſſeminatas gerere in capite nives venerandæ canitiei, quia in ætatis ſuæ* HYEME *frigeſcit.* ſicuti applicas homini tempus extrinſecum, ita vice verſa poteris tempus intrinſecum tribuere rebus extrinſecis homini, *ut* INFANTULI *ſunt flores*: DECREPITA *eſt quercus*, & Virgilius vocat *frumenta* LACTENTIA Statius. SENIO *venerabile nemus.* Partes etiam temporis poſſunt ſumi multiplicatæ, & una pars pro alia. Partes temporis ſunt *horæ*, *dies*, *hebdomadæ*, *olympiades*, *luſtra*, *ſæcula.* Juvenis nomen dedit religionis anno ætatis ſuæ quintodecimo, ſic dices *tertium ætatis ſuæ luſtrum illuſtri ingreſſu in religionem explevit*, luſtrum idem eſt, ac quinquennium. Tempus etiam poteſt tribui rebus, moralibus *ut jam* SENESCIT *languida virtus*, *& vitium quaſi malorum phœnix* RENASCITUR. *Virtuti*
ſunt COÆTANEA *vitia* INTEMPESTIVA 24
ſunt beneficia. A prædicamento temporis amœnus eſt etiam jocus, quo pungitur quædam puella

propriam jactans venuſtatem, vultúſque candorem.

Filia ſis dubito tenebrarum ; an filia lucis
Nam genita es noctu, Læta nata die.

Ovidius ætates hominis transferens ad annum ait per comparata.

Nam tener,& lactens,puerique *ſimillimus annus*
Vere novo eſt. tunc herba nitens,& roborisexpers.
Tranſit in Æſtatem poſt Ver robuſtior *Annus*
Fitque valens Juvenis; *neque enim robuſtior ætas.*
Ulla, nec uberior, nec quæ magis ardeat ulla eſt.
Excipit Autumnus poſito fervore Juventæ.
Maturus,mitisque inter Juvenémque ſenémq;.
Inde Senilis *Hyems tremulo venit horrida paſſu.*
Aut ſpoliata ſuos : aut quos habet, alba capillos.

A prædicamento Habitus uſurpatur una ſpecies habitus pro alia, cuj pariatur, quo pacto nubes dicuntur *Cinereæ ſolis* VESTES, *atratum cœli* VELLUS. *Frondes arborum* VESTES, *herbæ viride telluris* PALLUDAMENTUM. *Nives linteæ montium* VESTES; apud Ciceronem habetur *riparum* VESTITUS *viridiſſimi;* apud Plinium VESTITA *floribus tellus.* Dicimus etiam VESTIRE *enſem vaginâ,* & è converſo loca deſerta, ac ſterilia dicimus ſpoliata, & de arboribus: *heu crudelem ſortem hyems cum gelu acriùs riget, arbores* SPOLIAT *quæ potius veſtibus indigerent, quibus frigus arcerent.* Apud Lucretium de ſerpente *Exuit in ſpinis* VESTEM: *& ſerpens ſenectam* EXUIT colores itidem ſumuntur pro veſtibus, & tenebræ dicuntur veſtes nigræ, quo pacto dicimus: *nocte ſydera atratis ſe veſtibus* INDUERE *defuncto ſoli parentatura.* Eſt enim ſol ſyderum princeps, à quo ſuos hauriunt nitores, propria mutuantur decora; perinde ac à principe ſuis inſigniuntur ſubditi dignitatibus. Et quia Sol dum veſpere occidit infra noſtrum hemiſpherium, dicitur emori, qu tenus non ampliùs ſuos ad nos radios delegat; & tunc ſydera in cœlo fiunt nobis conſpicua nocturnis obſita tenebris, dicimus ſtellas pullatis indutas veſtibus emortuo ſuo principi parentare. Fuit etiam, qui lilia ſalutaverit inquiens *Salve Floræ* CANDIDATA *proles*, acſi alba eſſent togâ induti flores. Sub hac cathegoria Habitûs non ſolùm comprehenduntur indumenta, & veſtes; verùm etiam quidquid poſſidetur, ut aurum, argentum, quæ ſunt bona phyſica, vel virtutes, & vitia, quæ ſunt bona, & mala moralia. Ab habitu dicimus: Fœcunda fuit Lia, ſed turpis; Formoſa Rachael, ſed ſterilis; Fortis Samſon, ſed mollis; elegantiſſimus Abſolon, ſed Parricida; Martialis Annibal, ſed deliciarum nimis apperens; Victorioſiſſimus Alexander, ſed ſæpe ebrios; Zeuſis in pingendis avibus emicuit; Apelles in equis; Parraſius in velis; Protogenes in hominibus; Titianus in capitibus; Michael Angelus Bonarotta in figuris, quæ in diſtantia aliqua poſitæ erant inſpiciendæ, ut videre poſſumus Romæ in Lateranenſi ſacello; emicuit Cicero in componendis orationibus, non in carminibus; Virgilius heroico carmine, non elego; è contra Ovidius elego, non heroico, Martialis acuto carmine cecinit, non grandi; Statius heroico, non acuto. Ab hac Cathegoria deſumuntur etiam arguta inventa; quibus repræſentantur ſymbolicè veſtes Regnorum, Provinciarum, urbium. Lucanus fingens Romam dolore correptam ad Rubiconem Cæſari cæſo apparuiſſe, pulchrè eam deſcribit.

Ingens viſa Duci patriæ trepidantis Imago,
Clara per obſcuram VULTU *mæſtiſſima noctem.*
TURRIGERO *canos effundens vertice* CRINES.
CÆSARIÆ *Lacera*, NUDISQUE *adſtare lacertis*

EXPENSIO X.

De Argutijs, quæ hauriuntur à fonte Alluſionum, & eruditionum

ALluſio, quaſi Oratorius luſus, fit, cùm aliquid dicimus, & ad aliud ſententiam latenter referimus: ſeu cum aliò refertur quod dicitur; & ab hoc fonte plures hauriuntur argutæ eruditiones venuſtandis orationibus peraptæ. Interdum enim luditur inflexa tantùm vocis, vel ſententiæ ſignificatione, ſententiâ tamen, vel voce immutatâ. Ut Galba referente Macrobio deformis gibbo cum cauſam apud Cæſarem Auguſtum peroraret, & pluries repeteret; Corrige in me Cæſar, ſi quid deprehenderis erratum; tædio affectus Auguſtus tandem repoſuit: Monere quidem te poſſum ò Galba, ſed ut petis corrigere, non poſſum, Alluſit Cæſar ad corporis Gibbum, quo Orator erat deformis, & non potuit Cæſar corrigere. Venuſtum etiam eſt, quod refert Suetonius fuiſſe olim Romæ magnam ſepulchrorum religionem, quam tamen quidam Vectius nomine, inſana cupiditate violavit, quatenus patris monumentum aratro proſcidit, ne inculta tellus illa otiaretur: quod cum ad Auguſtum Cæſarem delatum fuiſſet, fertur Imperator reſpondiſſe, *Et hoc eſt Patris monumentum* COLERE; alludens, quòd ſicut religione ſuperos colimus, ita & aratro terram, in quam corpus ibi humatum jam verſum fuerat. Proculejus referente Fabio *lib.* 9. conquerebatur de filio, eò quia patris mortem expectaret, cuj cùm reſpondiſſet filius: Deus avertat, quòd patris mei mortem expectem: repoſuit pater, imò hæc unum à te enixim peto, ut mortem meam expectes: ne ſcilicet filius uſurparet omnia ante patris mortem, & ne mortem ei acceleraret. Brutus Junior ut refert Eraſmus *lib. Apoph.* bonorum paternorum prodigus cum ædes, thermáſ-

máſque patris nuper venditas in luxum effudiſſet: audiente Craſſo, quod conquereretur, eò quia ſudore maderet. *Non mirum* inquit, *nam de thermis nuper exjiſti*, ſudat enim, qui è balneo egreditur, & alluditur ad venditionem jam factam: Exire ſiquidem is etiam dicitur, qui alteri hæreditatē vendit. Chabries cùm plurimo madentem vino audiviſſet contra ſe convicijs debacchantem argutè repoſuit: *bene omnia dixiſti: nam eorum, quæ tibi inſunt, nihil omiſiſti*: retorſit omnia convicia in ipſum convicianatem. Publius Syrus rogatus, quid Domini ſui famulus ſoli affulgenti expoſitus ageret, argutè reſpondit, *aquam calefacit*, alluſit ad Hidropem, quâ laboravit, & quâ ægri corpus ex aqua acervata intumuerat. Quidam alius luſui aſſuetus alearum, cùm omnia perdidiſſet, non ſolùm pecunias, ſed & veſtes ipſas, & quidquid poſſideret, & præ tabernæ foribus lugeret, eò quia pro hauſtu vini ingredi non poſſet, & quod ſolveret, ampliùs ei non ſupereſſet: rogatus à quodam ſuo familiari illac prætereunte, quid haberet, quod fleret; repoſuit ille: Nihil habeo, tunc alter rurſus, ſi nihil habes, cur ergò ploras? imò iterum reſpondit, *ob hoc ipſum lugeo, quia nihil habeo*; alluſit ad res omnes deperditas, & quòd nihil amplius ei ſupereſſet. Julius Scaliger Coquo ſuo homini inſulſo, eò quia nimio ſale fercula condienti: mirum ſanè, quòd cùm tam inſulſus ſis homo, tantum ſalis cibis imponas; an non mendacij vis Philoſophiam redarguere, *cum tu des, quod non habes.*

2 Interdum luditur inflexione vocis ſimul, & ſignificationis, fitque varia litterarum, aut ſyllabarum, vel caluum permutatione, quo pacto de Ariſtarcho Grammatico acerrimi judicij homine refert Suidas, ſupra centum edidiſſe libros, & quidem doctos, & commendatione dignos, & nonniſi duos genuiſſe liberos, eóſque ſtultos: alluſio eſt in illa inflexione, ſeu omiſſione litteræ inter *libros*, & *liberos*. Per mutationem litteræ habetur illud Lyſippi Pictoris, & Sculptoris inſignis, qui eum ſuæ artis non eſſet vilis æſtimator dixit à ſe ſolo homines fingi, & ab alijs pingi, eo quia vivis lineamentis æquè imagines, ac ſtatuas exhiberet aſpiciendas. Utebatur herua famula, ſed ſui officij negligente, quem propterea correxit, inquiens: *Aut ſervias ut ſervus, aut fugias, ut cervus.* Auguſtus in Pollionem Feſcenina Carmina riſûs causâ ſcripſerat. Tum Pollio ſuadentibus ut reſponderet, tacuit, inquiens: *non eſſe facile in eum ſcribere, qui poteſt proſcribere.*

3 Interdum argutè alluditur ad hiſtoriam aliquam, conſuetudinem inolitam, Apologum, per comparationem, vel oppoſitionem, quo pacto teſte Suetonio Caligula Liviam Auguſtam Proaviam vaferrimi ingenij fœminam vocare conſueverat *Ulyſſem Stolatum*. Cùm nonnulli Lyſandrum redarguerent veluti Hercule Proavo indignum, eò quia non viribus, ſed dolo plura ageret, argutè reſpondit, non mirum; *quò leonina pellis non pertingit, hæc eadem vulpinæ aſſuta perveniet.* Ariſtodemus ex patre coquo natus, cum niteretur Regi Antigono perſuadere, ut impenſas ſuperfluas amputaret, & dona largiora minueret, quo rei familiari magis conſultum eſſet, Reſpondit Rex: *Tace, quia oratio tua jus olet*, alluſit ad ſordes, & obſcuritatem generis. In Sacrificio, quod Romani *Proterviam* vocabant, moris erat, quo reliquiæ igne abſumerentur, & cùm Cato intellexiſſet, hominem quendam bona ſua omnia abliguriviſſe, & unam tantùm ei domum ſuperfuiſſe, quam incendium abſumpſit, argutè dixit *Proterviam illum feciſſe*: alluſit ad morem Romanorum. Demonax cum Sidonium Sophiſtam Athenis audiviſſet perorantem, ac ſuas recenſentem laudes, ac dicentem: ſi Ariſtoteles me vocet in lyceum; ſequar; ſi in Academiam Plato eò me conferam; ſi in Porticum Zeno, ibi verſabor; Si Pythagoras denique vocet, tacere incipiam. Tunc ſurgens exclamavit: *hem te, mi Philoſophe, vocat Pythagoras*, alluſit, ut taceret.

Plerúmque argutè alluditur ad parœmias, 4
ut Apelles, qui cùm tabulas à ſe pictas oculis, & judicio tranſeuntium objiceret, & in pergula non procul delitescens obſervaret ſenſum aſpicientium. Cùm fortè Sutor notaſſet anſam deeſſe in crepita. Apelles errorem correxit, ſed reverſus Sutor, quia cœpit cavillari in cruribus, proportione membrorum, & Symmetria totius corporis, tunc Apelles indignatus referente Plinio *lib. 35. cap. 10.* acclamavit, *Ne quæſo Sutor ultra crepitam.* Cleon bos cognominatus, qui cum Stratonico Muſico inſigni imperitè vocem, & lyram moderaretur, fuit, qui argutè dixit: *olim aſinus ad lyram, nunc bos.* Refert Apulejus Socratem Philoſophum reperto adoleſcente, qui Philoſophia operam dare cuperet, ei dixiſſe *loquere ut te videam*: nimirum ut exploraret ipſius indolem, & ſenſit Philoſophus, aurium judicium certius eſſe, quàm oculorum contra vulgatam parœmiam, quâ dicunt, pluris eſſe faciendum unum oculatum teſtem, quàm decem auritos. Joannes Dux Andegavenſis Neapolitanum Regnum, quod Alphonſus Aragonius jam occupaverat, repeticurus vexilis militaribus inſcripſit *miſſus, cui nomen erat Joannes*, ſed Alphonſus in ſuis vexillis juſſit inſcribi, *Et ſui eum non receperunt.* Diogenes, adoleſcentem acervum lapidum in publicum patibulum ingerentem dixit teſte Plutarcho, *Cave mi puer, ne tu aliquando attingas hunc ſcopum*: alluſit, ut probam inſtitueret vivendi normam, ne mereretur ſuſpendio mori. Nobilis quidam Romanus cùm quæſiviſſet, quid Antonius ageret poſt Mutinenſem pugnam, fuit, qui ſtatim repoſuit, *Eſt canis in Ægypto, qui bibit, & fugit*: alluſit ad canes Ægyptios, qui ſitientes metu crocodilli, raptim aquas Nili lambunt, & ſtatim fugiunt, referente Macrobio *lib. 2. Satur.* Cleantes Zenonis diſcipulus, tardi ingenij, ſed laboris, ac ſtudij pertinaciſſimi, cum aſinus

à ſuis vocaretur æquo id animo tulit, dicens, *poſſe ut aſinum Zenonis ſarcinam ferre* alludens ad doctrinam Philoſophi, quam labore improbo addiſcere potuit. Cajus Marius adverſus Cimbros cùm feliciter pugnâſſet, ac mille Camertinos, quorum virtuti potiſſimam victoriæ partem datet, Romanis honore æquâſſet; indignantibus iſtis, eò quia ſancitas Romanorum leges hoc facto violâſſet, argutè reſpondit: *ob armorum ſtrepitum ſe legum vocem audire tunc non potuiſſe*, ut refert Alexander *lib. 4. cap. 2.* & alluſit ad illud effatum. *Cùm obſtrepunt arma, ſilent leges.* Demoſthenes interrogatus, quomodo dicendi facultatem adeptus eſſet? reſpondit: *quia plus olei, quàm vini conſumpſi*, alluſit ad nocturnas vigilias, quas ſtudijs inſumpſit, & parſimoniam. Vir quidam proſtratæ conſcientiæ cùm obtuliſſet uxori res alienas furto ſublatas, & ab ipſa correptus, eò quia beatus eſſe nequeat, qui aliena non reſtituit: repoſuit ille: *Et te ipſam quóque parentibus cuperem reſtituere, ut tantò eſſem beatior, quò hanc reſtitutionem citiùs exequerer:* alluditur, quòd pauci ſint ſua ſorte contenti. Marius Tyrannorum ſeptimus uno die creatus fuit Imperator, ſecundo imperavit, & tertio amiſit Imperium interemptus à milite, qui cum vulneribus eum confoderet, dixit, *hic eſt gladius, quem feciſti*: ante enim fuerat Opifex ferrarius: alluſit ad generis ignobilitatem, & ſimul Tyrannidis impotentiam exprobravit, & etiam ad illud alluſit adagium, *Tuo te gladio jugulaſti.*

5 Argutæ alluſiones peti etiam poſſunt à decem Ariſtotelis prædicamentis. A ſubſtantia ſumendo unum hominem pro alio de nobilibus Ducibus, qui pro Leopoldo I. ſtrenuè in Hungaria pugnârunt contra Turcas argutè dicimus. Auſtriam non Imperatoris ſanguinem hoſtibus oppoſuiſſe, ſed alios invictos Duces, qui veluti Stilicones ſteterunt pro Theodoſio. Ab hoc prædicamento ponitur Phalaris pro viro crudeli, Stentor pro clamoſo, Ariſtides pro Juſto, Protheus pro mutabili. Momus pro mordaci; Pœnus pro ſubdolo; Verres pro fure; Hercules pro viro forti; Orpheus pro Cytharedo inſigni; Pericles pro Oratore terrente; Demoſthenes pro eloquente; Iſocrates pro jucundo, & arguto; Tullius pro convincente. De Doctiſſimo Eccleſiaſte non tamen ſine aliqua hyperbole dicitur

Auguſtinus erat calamo, & Chryſoſtomus alter,
Tullius ore, Cato moribus, arte Thomas.

6 A quantitate de ſtrenuo in bello duce corporea mole exiguo, ſed virtute bellica magno eruditè, & argutè dicitur, ſi ſtatura Alexandrum non exceſſit, bellica forſan fortitudine ſuperavit. Et de viro probo gravis Aulæ fuit, quia levis eſſe noluit.

7 A qualitate de Principe in bello vulnerato. Non erubuit, cum rubuit: ex ſanguine, qui ab inflicto ſibi vulnere fluxit, non ut Alexander ſe mortalitatem contraxiſſe conjecit, ſed ſanguine uſus pro atramento nominis ſui ſcripſit immortalitatem.

8 A Relatione de Principe Eugenio à Sabaudia, qui in Hungaria Turcam proſtravit. Gloria filia eſt virtutis, quæ generoſæ prolis fœcunda mater fœtum ſibi degenerem, nunquam enititur, id expertus Eugenius à Sabaudia ſuæ fortitudinis æmulum ſi non multitudine, virtute ſuperavit, nec priùs vidit, quàm vicit. In Filiam Tulli à Patre degenerem argutè dicitur paterni nominis nil habuiſſe præter Syllabas.

9 Ab actione, & paſſione de viro forti pluries in bello victore, qui tandem in conflictu occubuit Aſſuevissent cum Cæſare victricibus lauris legendis; nunc adigeris parentales Cupreſſus colligere. Etiam illuſtres animæ extinguuntur, & patriæ ſoles ſuum vergunt in occaſum. Non tamen moritur, qui ſic moritur; quia ſtat, qui ita fortiter cadit, mori neſcia fortitudo in ipſo lapſu ſurgit ſublimior, quo vivat illuſtrior. De Annibale Carthaginenſi, qui poſuerat militiæ rudimenta victorias. Diuturnis quæſitam bellis lauream una die Capua Annibali ſurripuit. Rarus Annibal ſua caruit Campaniâ: ſeu rarus miles, qui non indulgeat voluptatibus. De viro forti occumbente in bello. Inflicta tibi vulnera per fracturam corporis invictæ fortitudinis integritatis commendant, pluſque gloriæ fuderunt, quàm ſanguinis; arborem illam fuiſti æmulatus, quæ vulneribus ſaucia opobalſama fundit vitæ alexipharmacum. De Principe, qui bello pacem ſtabilivit. Ut pacem gigneret, Bellonæ nupſit.

10 A loco de S. Cypriano dicitur, ut Africæ geminaret ardores natus in Africa, ſuum etiam Carthagini Tullium dedit. De Veſpaſiano Hieroſolymam expugnante. Hieroſolymæ ut clauderet fores; Jani fores Romæ aperuit. De profligatis pluries in Hungaria Turcis: ſtrages illæ Odryſijs Copijs exitiales, vel Cannas, vel Thraſimenum ex Italia in Pannonias tranſtulerunt. De Enoch in paradiſum tranſlato argutè etiam à loco. Recepit iterum hominem Paradiſus, quem ideò diutiùs detinet, quia ſine muliere. Venuſtè itidem à loco alludendo ad aurum, quo difficultates omnes ſuperantur, dicitur ubi auro onuſtus aſellus aſcendit, invia nulla via. De Chriſto in horto alter Alcides hortum ingreſſus non ut ſumeret, ſed ut abſumeret mala.

A ſitu de Belliſario. Quam Belliſarius dextram habuit in caſtris fortunam, in Aula expertus fuit ſibi ſiniſtram. De milite, qui in bello occiſus non cecidit. Fortitudo ſtare aſſueta etiam cum moritur, non cadit: inolita conſuetudo altera fit natura.

11 A tempore de Antiſtite Mirenſi, qui aureis pecunijs veluti fulcris labentem pudicitiam in periclitantibus puellis ſuffulſit, dicitur Nicolaus felicior Midâ in aurum etiam dies convertit. In hiſtoriam tranſtulit, quod de Phrixi vellere fabula fuit, cum paſtor aureo vellere gregem fovit, texit & protexit.

De

De Adoleſcente belligero. Adoleverunt unà cum tua adoleſcentia etiam victoriæ. Gradivum ſecutus juvenis in Belgium ætatem nedum firmam leone Belgico ad bellicam fortitudinem, & magnanimitatem firmaſti; licèt canescentes annos regno conceſſeris liliorum, à Gallis nempe captus, cum Gallis non ampliùs epinicion, ſed epicedia ceciniſti: raró felix, idémque ſenex.

A motu de Joſepho Patriarcha, qui ſe in Ægypto ſubtraxit ab inſidijs heræ beneficio fugæ argutè dicimus. Non ſola parturit pugna victrices lauros; plerúmque pulchriùs fuga triũphat, & tutiùs pedes, quàm manus pugnantem tuentur: æquè quadrigis, ac pedibus conſcenditur in capitolium. Veneris fugam nemo infamem dixerit. Si fugis viciſti, nec pulchrior eſt victoria, quàm quæ ex hac fuga oritur. Partos ſi videris ad pugnam inſtructos, nunquam hos metuas, niſi fugientes videris: tunc ſint tibi terrori, cùm terga, non cùm frontem oſtenderint: laureas illis fuga metit.

13 A motu de Duce victore in bello. Ad gloriam per calcata hoſtium capita non ambulâſti ut leo, ſed evolâſti ut aquila. Habetur etiam illud eruditũ effatum, præſtat potiùs cum Oſyride currere, quàm cum Tiphone quieſcere.

14 Ab habitu de viro eloquentiſſimo ad cardinalitiam purpuram promoto pulchrè dicitur, Benè inter purpuratos Romæ Patres adſcitus eſt, æquum erat, ne ſuus Mercurio deeſſet galerus. De Tyranno populis exoſo arma geſtat non animum, timet, dum timetur.

EXPENSIO XI.

De Argutijs petitis à luſu verborum.

1 Luſus verborum ex nomine æquivoco, vel quaſi æquivoco deſumi ſolet. Eſt æquivocatio fœcunda argutiarum mater, quia ex unitate nominis conceptum mutat, ut cùm dicimus *Rempublicam ſecuriùs non tueri, quàm* SECURI, ſcilicet exercitio juſtitiæ. Æquivoca ſunt ea, quorum nomen eſt idem, & ratio ſignificata per nomen diverſa, ut hoc nomen *Leo* ſignificans *ſignum Zodiaci, & animal terreſtre*, quia *populus* ſignificat arborem, & multitudinem gentium, argutè dicitur. *Dum cecidit Phaëton* POPULUS *flevit, ſed dum cecidit Nero*, POPUPLUS *riſit*. Quia *malum* eſt nomen æquivocum, ſignificans pomum, & quod opponitur bono, argutè dicimus per æquivocum loquendo de pomo vetito in terreſtri paradiſo, & quod Protoparentes comederunt contra Numinis præceptum. *Heu malè carptum* MALUM! *ex quo* MALORUM *omnium ilias erupit*. Feſtivus eſt luſus ille, quo hortamur Principes, ut quæ ipſi præcipiunt, exequantur. *Agite Principes, quæ præcipitis, malè imperat, qui imperat tantùm*. De illo, qui ære alieno gravatus læſus mortalitatem exuit, pulchrè dicitur: *Nullum libentiùs ſolvit debitum, quàm* SUPREMUM. De Adami eſu *tantùm* MALUM *Orbi attulit prægustatum Adæ* MALUM.

Luſus in verbis eſt ille de Antiocho: *Non homines tantùm, ſed Elephantos conſcripſit*, BELLUM *non ratus, niſi* BELLUÆ *decertarent*. De viro forti, ac inflexili in adverſis pulchrè per luſum verborum. *Dignum* CALAMO CALAMITATI *non ceſſiſſe*. De Martyre, cui fuit dextra manus amputata: *Cadit ſub* SECURI SECURA *dextra, &* PALMA *præciſa* PALMAM *citiùs rapuit*. De Aulo Vitelio putante ſuam à Fauno originem trahere. *Erravit tamen, quia faunus* SEMIFERUS *fuit, hic verò totus* FERUS: *perpetuò* CONSUL, *perpetuò* INCONSULTUS: FAMI, *non* FAMÆ *conſuluit; dum Dijs ſacra gulæ Vitelius conſecraret. Sed tandem morti in victimam ceſſit hic* VITULUS. De Elia pluvias, dare vel negare pro arbitrio. *Imperâſti? & factum eſt cœlum* ÆREUM *juſſiſti, & repentè fuit* CEREUM. De S. Laurentio igne exuſto: *ſuavius virtus* FRAGRAT *dum* FLAGRAT. Pulchrum eſt illud Ciceronis contra Verrem. *Mirandum non eſt ſus tam nequam eſſe* VERRINUM: æquivocum latet in Verre, quod nomen ſignificat hominem, & porcum marem. Ab æquivoco de medico paupere.

Veniſti noſtram lacerìs MENDICUS *in urbem*
Paulum mutato nomine fis MEDICUS
Pharmaca das ægroto: aurum tibi porrigit æger,
Tu morbum curas illius, ille TUUM.

De Eraſmo viro ſtolido

Cum verbum ſit ERAS, MUS *nomen, quid ſit* ERASMUS,
Ingenio Lector colligat inde ſuo.

In virum Calvum, ac facinoroſum per æquivocum anagrammaſticum.

Quæritur in capitis frondoſi vertice, quare.
Non habeat CRINEM *Carbulo* CRIMEN *habet.*

Et hoc aliud,

Ut viſco capiuntur aves (FISCUS, *quaſi* VISCUS
Dicitur) *à Fiſco ſic capiuntur opes.*

De Fure.

Latronum FINIS FUNIS, *mors ultima merces*
FURCA *capit* FURES; *hinc puto nomen habent*

Jocoſa eſt etiam æquivocatio in Rhetoricam comparatam à Zenone manui apertæ, & Dialecticam manui in pugnum collectæ:

Rhetorica eſt palmæ ſimilis, Dialectia pugno,
Hæc PUGNAT, PALMAM *ſed tamen illa refert.*

Lepidum quoque eſt quintuplex anagramma de fide *recta*;

RECTA *fides* CERTA *eſt*, ARCET *mala ſchismata, non eſt,*
Sicut CRETA *fides fictilis, arte* CARET.

De Proſa, & verſu;

Cur vinctus velocior eſt, quàm ſermo SOLUTUS?
Iſte PEDES *ſermo non habet; alter habet.*

In nomen Priſci viri octogenarij benè æquivocatur anagrammaticè.

Cur non ſunt, ut erant CRISPI *tibi* PRISCE *capilli?*
PRISCUS *ego nunc ſum, qui modò* CRISPUS *eram.*

Quia

Quia à Galeno nomine, per anagramma purum habetur Galenus *Angelus*, feſtivè jocatur Poëta in nomen per argumentum fallaciæ æquivoci.

Galenus Anagramma purum *Angelus*
Angelus es: bonus anne malus, GALENE? SALUTIS
Humanæ Cuſtos? ANGELUS *ergò bonus*

In quamdam puellam optantem caſtra ſequi hæc habet ſcitus Poëta.

Lis magna eſt inter caſtos, & CASTRA: *puella*
CASTA *igitur timeat Martia* CASTRA *ſequi.*
Proxima nam quantum ſunt hæc duo nomina: tantùm
Diſſita longinquis moribus eſſe ſolent.
Cum Venere at contra, magna eſt concordia Martis.
Heu fuge tu Martem, ni cupis eſſe Venus.

4 De ſancta Marina Virgine in lupanari à leone ſervata, ne violaretur ab inſanis militibus, habetur amœna hæc æquivocatio, in qua alluditur ad leonem, & virginem ſigna Zodiaci ſimul juncta.

Ergo vel in cœlo VIRGO *eſt bene juncta* LEONI
Si leo ſic arcet damna pudicitiæ.

Jocoſam feſtivitatem etiam producit illa æquivocatio SS. Vitalis, & Agricolæ MM.

Sanguinis, ut ſacri ferrent tibi Chriſte racemos,
Hi duo certârunt VITIS, *&* AGRICOLA

Lini nomen quoque æquivocum ſumitur pro nomine Pontificis, & pro tela, quamobrem de D. Lino dicitur

Hoc LINO *dum ſacra facit, Petrus utitur, aptat.*
Retia, velatum ſtat muliebre caput

Jocoſum quoq; eſt, quod nobis ſuggerit Pan Numen Paſtorum, ac è marmorea ſtatua ſalientis undæ fontem effundens;

Pan effundit aquas; abeas quicunque fameſcis;
PANE *nequis ſolo vivere, ſed bibere.*

Nec minùs jocosè æquivocatur in prædurum Scipionem, ſeu baculum D. Pauli.

Errabat Paulus per DURA, *per aſpera victor.*
Quid ni? ſi fueras Scipio DURE *comes.*

Et in viam Salariam, per quam olim Sabini ſal exportabant è littore in proprias urbes.

INSIPIDAM *ne crede viam, cui nomina priſca*
Fecit ab advecto turba Sabina ſale.
Sal etiam terræ fuerant, quos terra cavernis,
Hæc tenuit: flexo quare ſepulchra genu,
Sed FATUAS *Veneris cave, ne reſpexeris ædes,*
Ne ſalis in ſtatuam tu malè SALSUS *eas.*

5 Æquivocatio interdum relucet in ſimilitudine vocum, ut cum de Elia imperante cœli ſerenitatem, vel pluvias ad arbitrium, dicitur: *Prout placuit, cælum effecit* ÆREUM, *vel* CEREUM. Simile eſt etiam illud Achabi Regis, qui ſuadente Jezabele conjuge Nabothum occidit, cujus vineam abſque obice ſibi uſurparet. *Fudit Achabus innocentis ſanguinem, ut ex ejus vinea merum biberet, Idithinæ uſus falce non* VITEM, *ſed* VITAM *vindemiavit, præloque ſubjecit, ut non vinum, ſed cruorem hauriret.* Hæc argutia etiam ex decem Ariſtotelis prædicamentis eruitur.

A prædicamento ſubſtantiæ in Aquilinum fulmine peritum, ac interemptum argutè per alluſionem ad aquilam miniſtrantem fulmina Jovi dicitur: *Solam hanc* AQUILAM *fulmen petit: non in aliorum tantum, ſed in proprium etiam caput, miniſtravit aquila fulmina Jovi.* Quia Carbunculus eſt nomen æquivocum ſignificans gemmam, & peſtem; Auguſtus ſcribens ad Mecœnatem æquivocatione uſus feſtivè dixit: CARBUNCULUM *habeas*, & ubi Mecœnas intellexit gemmam; Auguſtus per imprecationem ei peſtem deſideravit. Quia in Tarpei montis viſceribus primi Romæ Conditores humanum caput invenerunt, inde æquivocè intulerunt, futuram Romam mundi totius caput. Argutè etiam de Caino, qui fratrem Abelem in campum pertraxit, ubi interemit ex invidia, quia Abelis ſacrificium Deo placuerit, dicitur: *Ne fraternæ victimæ Numini offerrentur,* VICTIMAM *fecit fratrem, primus hic flagitiorum Author mortem invenit, quam invexit: horruit tamen mors expiandis ſceleribus nata, & primos ſibi aditus in mundum per innocentis vulnera ſibi aperiri.* De ipſo autem Abele Adami filio Authore paſtoritiæ per æquivoca argutè ait Theſaurus. *Mortalium innocentiſſimus artium innocentiſſimam invenit, ſeu paſtoritiam optimi principatus imaginem; nam errantium pecudum populo ſub lege miſſo* REGALE *munus, &* GREGALE *permiſcens pedum pro ſceptro geſtavit, itaque Rex inter oves, ovis inter Reges obſequentiſſimè lanigerorum Reipublicæ imperando ſervivit, ſerviendo imperavit, non jugulo tributum impoſuit, petebat ſine naufragio* PHRYXEAS OPES *è caula; nam pro auro vellus erat, & germanum vocabulum retinente pecunia pecus* TONDEBAT *non populos.* Quia Cajus nomine Sacerdos in Siciliæ regimine Succeſſorem reliquit Verrem, qui voluptatibus indulſit, ac divitijs coacervandis ſtuduit: & quia Verres latinè *porcum* etiam ſignificat, eſtque propterea nomen æquivocum, argutè fuit, qui dixit, SACERDOTEM *execrebantur, qui* VERREM *tam nequam reliquiſſet:* & alluſit ad Cajum Sacerdotem Verris anteceſſorem, & quòd opportuniùs fuiſſet, ſi hanc belluam Numini ſacrificâſſet, ſeu interemiſſet, ne ei in regimine ſuccederet. Interdum æquivoca fiunt per additionem, vel diminutionem alicujus ſyllabæ, ut eſt illud apud Cornificium: *Demus operam, ut Patres* CONSCRIPTI, *Patres* CIRCUMSCRIPTI *videantur.* Habetur etiam illud: PETIT, *quidquid* APPETIT. Aliquando æquivocatio ſita eſt in mutatione ſyllabarum, ut eſt illud anagramma purum: LAUDATOR *eſt* ADULATOR. Interdum in ipſa diviſione ſyllabarum, ut in illo Diſticho.

Quid FACIES, FACIES *Veneris, cum venerit ante*
Non SEDEAS, SED EAS: *ne* PEREAS PER EAS.

Aliquando luſus æquivocationis ponitur in verſu retrogrado, qui Canchrinus dicitur, quia retrogradè etiam legatur ut

Arva ſubi, captis, oro, ſit pacibus aura.

A quantitate argutè etiam oriuntur æquivoca, præſertim ſi ſumatur quantitas phyſica pro morali, vel è contra; quo pacto de 6

Duce

Duce in bello ſtrenuo, & victore corporea mole exiguo, ſed bellica virtute magno argutè dicitur, *ſi mole corporea Alexandrum Macedonem non exceſſit, illum tamen virtute ſuperavit, licèt PARVUS GRANDIOR tamen cæteris fuit.* De viro probo, ſed gibboſo dicitur. *Vir fuit RECTUS, quamvis à RECTITUDINE deflexerit*, in primo loco rectus ſumitur moraliter, in ſecundo phyſicè. cujdam conquerenti, quòd nulla in mundo eſſet juſtitia, nulla rectitudo; argutè repoſuit alius: *Ne triſteris amice, quia ORBEM eſſe RECTUM poſſibile non eſt*, ſumitur rectitudo phiſica, quia cùm orbis ſit *ſphæricus*, nequit ſimul eſſe rectus.

A quantitate diſcreta Juglaris incepit primum ſuum Elogium. *Amicus ſilentij DEUS eſt, ſemel in tota æternitate locutus, UNO OMNIA dixit in VERBO,*

A qualitate de pomo, quod Protoparen-
7 tes contra DEI præceptum comederunt *ab uno MALO veluti è Pandoræ pyxide MALA omnia eruperunt.* In hoc prædicamento ſumitur etiam qualitas moralis pro phyſica, & è contra, quo pacto de Divo Laurentio Martyrium ſubeunte in Craticula aſſato dicimus *Ejus conſtantiam magis CLARUISSE inter flammas, & accenſos inter carbones ILLUSTRIORES collegiſſe carbunculos, quibus coronam ſibi cuderet.* A qualitate Phyſica Martialis *lib. 2. Epig. 8.* egregiè Poſthumum pupugit.

Hoc mihi ſuſpectum eſt, quod OLES bene Poſthume ſemper
Non bene ſemper OLET, qui bene ſemper OLET.

8 A Relatione ſumitur unum Correlativum pro alio, quo pacto dixit Plautus quemdam redarguens amaſium, vicúmque uxorium: *AMICÆ, quàm AMICO magis fidelis es.* De Sene quodam cœlibe, qui ob venerationem à nonnullis Pater vocabatur argutè reſpondit, *quærite vobis alium PATREM, quia fœminas unquam novi.* Habetur etiam illud Diſtichon de Rege.

Rex regnat ſolus, cur non regit omnia ſolus?
Qui REGIT, & REGITUR, rectiùs ille REGIT;

9 Ab actione, & paſſione eſt illud Juſti Lipſij *Nil regna citiùs SECAT, quam multiplex SECTA.* Et de Juda Proditore. *Mirum ſanè, quòd cùm Dæmones FUGARE potuerit, FUGERE non valuit.* De floribus *fontali aqua RIGATIS.* A paſſione *ALUNTUR dum ALUUNTUR.* De Adamo excluſo ob violatum Numinis præceptum è paradiſo terreſtri, & damnato ad terræ culturam ſcitè dixit Theſaurus: *Ex Rege Agricola factus, quia Numen non COLUIT, terram COLUIT.* De Saturno proprios comedente fœtus, quos genuit, dicitur. *Filios EDIT, quos edit.* Et in quendam Rhetorem aucupijs volucrum impenſiùs operam dantem, quàm litteris, dicitur: *Citius camporum LEPORES, quàm oratorum LEPORES aſſequeris,*

10 A ſitu argutum eſt, ſimúlque ſatyricum illud diſtichon in Neronem propriam jugulantem matrem

Quis neget Æneæ magna de ſtirpe Neronem
SUSTULIT hic matrem, SUSTULIT ille patrem.

Æneas proprijs humeris patrem Anchiſem tulit, quem ab incendio Trojæ abripuit, ne flammis interemptus periret; Nero autem matrem Agrippinam diſſecto utero interemit. 11

A prædicamento temporis argutè luditur in filias Jobi, quas peperit poſt toleratas calamitates, & ærumnas. *Tres poſt calamitatem peperit Job filias; ſcilicet, ut grates perpetuò Deo rependeret, monitus eſt numero GRATIARUM. Primam appellavit DIEM, nempe vaticinatus erat verum, cum dixerit poſt tenebras ſperare LUCEM, & quis eum ſolem negabit, ſi pater fuit DIEI. Secundæ filiæ nomen indidit CASSIÆ ab odorato frutice; mirum ſanè, qui jacuit in ſterquilinio; genuit ex ſe FRAGRANTIAM. Tertiam ABUNDANTIAM appellavit; nec mirum, ſe abiciens in fimum, agrum ſtercoraverat, non poterat, niſi abundantiam gignere.* Argutum eſt etiam illud æquivocum, quod Neronis Aulicus currui Agonali Imperatoris ſcripſit: *Nunc AGONA ſunt*, tametſi Nero crederet, alluſionem fieri ad luſus Agonales, qui tunc temporis Romæ agebantur, Aulicus tamen intellexit de tempore agoniæ, ac mortis, eò quia tunc plures fame perirent.

A loco argutum eſt etiam Diſtichon in Divum Alexium.

Ignoti major laus eſt, & gloria Alexis
Nunquam tam celebris, ni LATUISSET, erat

De Chriſto nato in Bethleemitico ſtabulo.

Nato CAULA fuit Paſtoribus illa patebat.
Sed tamen & patuit Regibus AULA fuit.

A loco feriò luditur in ſeparationem Divi Petri, & Pauli, cum ambo properarent ad 12
ſubeundum martyrium, & Divus Paulus ad aquam jugiter manantem iret, & Divus Petrus ad montis Janiculi verticem.

Hinc Paulus quaſi VAS manantes pergit ad undas;
JANICULUM ſuperi JANITOR Orbis adit.

Et in puteum, in quem projecta utriuſque Principis Apoſtolorum corpora jacuerunt humata.

Hoc Petrus, & Paulus PUTEO jacuere repoſiti;
Nec ſtupor in PUTEO, ſi PETRA, VAS QUE latent.

Quia aſſurgit Vaticanæ Baſilicæ ſtructura è ruinis hortorum Neronis: à loco dici poteſt, *quod Imperator Crudeliſſimus ſuſtineat, cum majori parte corporis D. Petri, etiam ejus capaciſſimum Templum, cujus SPIRITUM SUSTINERE non poterat.* A loco etiam natalis Veneris lepidè luditur in quamdam Virginem inſignem forma, ac pudicitia in mare merſam.

En ſinus immites pelagi, quo merſa puella,
Tam forma inſignis, quàm bene caſta jacet.
An quia bina VENUS, ſpumoſis altera naſci,
Debuit EX UNDIS, altera rapta mori?
Æquoris ut maculas Virgo memoranda pudore
Eluat occumbens, quas tulit orta Venus.

De quodam Cive, qui indicaturus, ſe exilium à patria non timere dixit: *qualibet TERRA mihi PATRIA erit*, reſpondit alius: *etiam porcis communis eſt eadem patria.* In effatum tamen illud, quo patria Sapientis dicitur omnis terra cecinit Poëta.

Eſt domi ubique bonus Sapiens non exulat uſquam,
Omne SOLUM forti patria, & omne SALUM.

De Amoris inconſtantia à loco natalis Veneris.

Uſque fluit fugitivus amor, refluitque viciſſim
Ut mare, quid mirum, nam Venus orta MARI.
Nulla fides Veneri; levis eſt, interque planetas,
Ponitur (haud inter ſydera FIXA) Venus.

13 A prædicamento motus vulgatum eſt illud effatum *nil PRÆPES PERPES*, ut etiam illud Ariſtotelis *Non oportet PEREGRINUM ſemper PEREGRINARI.*

A prædicamento habitus feſtivum eſt etiam illud diſtichon de paupere ſepulto.

Vita mihi exilium: requies at certa ſepulchrum,
NUDUS eram vivus, mortuus ecce TEGOR.

De Chriſto nato, & nudulo ab hoc prædicamento argutè dicitur

Cur jacet INVESTIS, qui VESTIBUS omnia donat.
Has ſibi DETRAXIT, quas dedit ille tibi.

Pulchrum eſt etiam illud de paupere, qui poſt mortem probatur ditior, quàm cùm viveret, & naſceretur

Ex utero matris veniſti nudus in orbem,
In terram tectus Sindone Paule redis,
Plus defers igitur tecum, quàm Paule tuliſti,
Plus REDDIS matri, quàm DEDIT illa tibi.

EXPENSIO XII.

De Argutijs petitis per Hyperbolem, & Hypothypoſim.

1 EST Hyperbole veritatis ſuperlatio, atque trajecto, augendi, minuendive causâ, quapropter à Cicerone *lib. 3. numer. 101.* Duplex aſſignatur Hyperbolis ſpecies, una ad augendum quæſita; altera ad minuendum excogitata: & differt ab Hypothypoſi, quia hæc objecta animat, & vivificat, dat enim hypothyposis motum, & animam rebus inanimatis, & taliter res diſſitas, vel etiam ſenſus fugientes exprimit, ut videantur adeſſe, ac potentiæ viſivæ, vel auditivæ ſubjici. Hyperbole autem rem minuit, vel auget, quo pacto à prædicamento ſubſtantiæ ab Æſchine *Mm* dicitur *MONS*, à Virgilio equus Trojanus *inſtar* MONTIS *equus*, Claudianus ſignificaturus copiam ſagittarum hyperbolicè dixit: *telis* UMBRASSE *diem*, & Ovidius hyperbolicè ſomnia pleraque deſcribens ait:

Somnia vana jacent totidem quot meſſis ARISTAS
Sylva gerit FRONDES, ejectat litus ARENAS.

Latinus Pacatus ſuum commendans Theodoſium Imperatorem ait: *cedat terra Cretenſis parvi Jovis gloriata cunabulis, & geminis Deles illuſtrata Numinibus; & alumno Hercule nobiles Thebæ. Numen dedit Hiſpania Theodoſium Imperatorem.* 2

A quantitate Martialis argutè contempſit prædiolum ſibi ab amico traditum

Rus hoc dicere: Rus potes vocare,
In quo Ruta facit nemus Dianæ.
Erraſti Lupe, littera ſed una
Nam quo tempore PRÆDIUM dediſti
Mallem tu mihi PRANDIUM dediſſes.

A quantitate numerica Hecuba apud Senecam ait: *Et vos meorum librûm magni* GREGES. Et Achilles iraſcens Agamemnoni, ei opus artificioſum vendere nollens, ait *Nec ſi mihi dares tot munera, quot arena, & pulvis* SCRUPULOS *habent.* De duce in bello victore. Hæc bellorum extrema eſſent alijs, ſed tibi rudimenta: ſæcula tot alijs defeciſſent, quot tibi erant ſatis ad victoriam dies: tam alijs erat incredibile, tantam belli ſuſtinere molem, quàm tibi facile tantâ delere ruinâ. Quidquid humanas exceſſit vires, tuas nondum aſſequitur. Nondum bello humana vis effecit, quod virtutis tuæ exiſtimatio ſine bello. 3

A qualitate dicimus: *flores* REDOLERE *Arabiam*, & Virgilius, *qui candore* NIVIS *anteirent curſibus* AURAS. 4

A Relatione Alexander Macedo dicitur Jovis filius. Et in quibuſdam ruderibus priſcæ Romæ leguntur adhuc hi termini inſcriptionum *Divinis* FRATRIBUS, *ac ſemper Auguſtis æterne Imperatori* DOMINO *Orbis terrarum de omni hominum genere meritiſſimo.* 5

Ab actione, & paſſione Nazarius dat animam ipſis elementis, ut commendet magni Conſtantini victoriam inquiens; *Nondum ſatis tempeſtivo mari,* AFFUERUNT *tamen navigantibus felices auræ, & fluctus ſecundi, beatiſſimámque victoriam etiam elementa* JUVERUNT. De ſanctis Martyribus. Suos cœlum reparat ex noſtra mortalitate Luciferos, ex qua illis tot proveniunt ſydera, quot capiuntur majora cœlo, uno tantùm minora Deo. De phœnice igne denato, & iterum nato *Natura* LABORAT, *ut æternam rependat avem:* Fabius Orator in ſuaſoria Alexandri Macedonis: *Immanes propono tibi belluas; aſpice, quibus procellis, fluctibúsque Oceanus* SÆVIAT, *quas ad litera undas agat, natura penitus* RECESSIT. Dicimus etiam *nubes in aëre phlegræas veluti in area gigantes cœlum* LACESSERE, *terrámque* INTERTURBARE. De ſanctis Innocentibus: *Vix è materni ſinus portu* SOLVERANT, *& proprio in cruore* NAUFRAGIUM PATIUNTUR: *etiam hic mare rubrum naufragia* INVEHIT. De Ezechia Rege. *Primo imperij ſui anno templum* APERUIT, *quod nil Sanctum penè viderat, niſi Regem.* De Moyſe Patriarcha *Sanctum DUCTOREM veluti SEDUCTOREM populus* CRIMINATUR, *quo inde diſcamus nec probos à probris immu-* 6

immunes eſſe. PROFUIT *Moyſi paſtoritia, cui* OBFUIT *populi regimen; felicior pedo, fui. quàm ſceptro.* De S. Joanne. *Non mirum ſi gelu non formidaverit, in cujus pectore ſanctior flamma* EXARSERAT, *durius ei cervical ſaxa præbuerant, ſed lacbrymis, quas noctu* FUDIT, *molliera effecit.*

7 A loco de Joſepho Patriarcha: *Ex ſicca* CISTERNA *uberior et fons gloriæ emanavit.* De Enoch, *Recepit iterum hominem* PARADISUS, *& ideo tutus, quia à muliere ſejunctus.* De Juvene amaſio dicimus: *Geſtare in pectore ignivomum* ÆTHNAM. *Vel flagrantem fovere* VESUVIUM. *Vel in ejus pectore* TEMPLUM *conſtruxiſſe Veſtalium, ubi perpetuus ignis amor eſt, ſed veſanus.* De Sene capulari, & canitie venerando: *geſtare in* CAPITE *nivoſum Decembrem.*

8 A tempore de ſtrenuo Duce, qui in bello, poſt unam vel alteram delatam victoriam occubuit. *Æternitatem promeritus temporum, non integram* MENSIUM HEBDOMADAM *implevit. Rarò bona eximia, & diuturna ſimul contingunt.* Dicimus etiam *ſeneſcentem* HYEMEM *diuturnis pluvijs amiſſas telluris opes lugere.* DIURNO TEMPORE *vocales ſylvas ex aviculatum concentu animos allicere.* NOCTU *atrata ſydera, & ſqualidas ſtellas ſtillas roſcidas fundere, & in lacbrymas ſolvi, ut planetarum principi parentent.*

9 Ab Habitu arguta eſt illa Martialis concluſio, in qua poſt enarrata varia ædificia, ac fana à Domitiano conſtructa, ac Numinibus dicata, ab habitu hyperbolicè concludit.

Expectes, & ſuſtineas Auguſtè neceſſe eſt.
Nam tibi quod ſolvat, NON HABET ARCA JOVIS.

10 Per Hypothypoſin animantem res inanimatas venuſtè etiam ex decem prædicamentis hauriuntur argutiæ. A ſubſtantia dicimus. *Aurum ſua luce homines* OBCÆCARE. *Aurum metallorum principem, hominúmque Tyrannum humana pectora* TORQUERE. Ubi auro inanimato tribuitur actio. Iſocrates non dixit: *Græci mæſti ſunt, ſed* GRÆCIA MORRET. Actio enim, & affectus homini proprius toti tribuitur regioni. Actio itidem, quæ convenit concreto venuſtè tribuitur abſtracto. Plutarchus non dixit *pauperes ingenioſos eſſe, ſed* PAUPERTAS *omnes artes edocet.* Petronius Arbiter indicaturus etiam indoctos, & imperitos ex Principis favore, & gratia promoveri ad illuſtriores dignitates venuſtè dixit; GRATIA *coronas etiam ad imperitos deferre ſolet*, tribuit gratiæ in abſtracto animam, & motum. Pulchrè etiam Lucius Florus: *Tot laboribus, periculiſque jactatus eſt populus Romanus, ut ad conſtituendum ejus Imperium contendiſſe* VIRTUS, *&* FORTUNA viderentur. Ovidius tribuens animum ſubſtantiæ aëreæ, ſeu ventis, pulchrè dixit: *Bella* GERUNT *venti, fretáq; indignantia* MISCENT. Imò tribuit etiam affectiones aquæ, & mari inquiens *fretáque indignantia*, quòd etiam præſtitit Virgilius, dicens: *pontem* INDIGNATUS *Araxes.* Pulchrè etiam dixit. *Immaniáque oſſa ſerpentum paſſim tumulis exanguibus* ALBENT.

A quantitate exprimitur aliquod objectum quantitativum mediante aliqua actione, Seneca loquens de grandi Ciceronis ingenio, dixit, *Illud ingenium, quod ſolùm populus Romanus par Imperio habuit:* à quantitate figuræ dicimus ACUTUM *ingenium, ignorantiam* CRASSAM; *Caput* SPHOERICUM: *hominem* QUADRATUM, GRANDESCIT, GIGANTESCIT *mare*, ſcilicet augetur. 11

A qualitate *adhuc* RUBET *effuſus ſanguis Martis in area*, & dum volumus exprimere hominem vitioſum, dicimus, *Virum* IETHUM *ac* FORDITUM *ſiccis oculis ſpectare cædem, ac ſtillantem ſanguine pugionem oſtendere: Virides palmas non alio* CRESCERE *humectatas humore, Bellonæ in palæſtra, quàm ſanguine.* Apud Claudianum *ſpumis* IGNESCERE, *fræna:* dicimus etiam LIVESCERE, IMPALLESCERE *mare*, CÆCUTIRE *aerem. Rugire, frendere. Stragem* MINARI *bellicum clangorem.* 12

A Relatione *Tempus filios ſuos* ENECAT, *&* VORANDO *omnia, quos fætus edit, edit;* ſomnus dicitur FRATER mortis, & favor Principis SOCIUS fortunæ, ut etiam paupertas MAGISTRA artium. 13

Ab actione; *nocturnas umbras* OBCÆCARE *omnia, ſydera* ERRARE *aereos per campos. Flores* LUDERE *in ſinu terræ. Naves* EQUITARE *mare. Sagittas* VOLITARE *per aëra. Fœminas* RUBESCERE, *non* ERUBESCERE. *Mare undis ſuis ſcopulos* ARIETARE. *In cautes* IMPINGERE; *vel mare dum ſpumas habet rabiem* DESPUMAT. A paſſione *Mare* EXASPERARI, INSANIRE, FURERE, *à ventis* VAPULARE, *ac membratim ſeſe* LANCINARE. 14

Ab actione Cornificius tragico pinxit calamo hominem crudelem. *Iſte quotidie per forum medium, tanquam jubatus draco ſerpit, aſpectu rabido circumſpiciens hùc, & illùc, ſi quem reperiat, cui aliquid faucibus afflare, quem ore attingere, dentibus inſecare, linguâ aſpergere poſſit.* 15

A Situ *Supini colles lætum conjugium Bacchi amant.* PENSILES *Semiramidis horti omnia fructuum genera producunt.* A ſitu jocoſè deſcribitur à Mariano Roma, eò quia devaſtari ab hoſtibus nunquam potuit, nullus enim reperitur, qui hunc terram inſano Marte petivit, & redierit lætatus violâſſe. 16

Provida ſelegit Sapientia Numinis urbem,
Hic ſtabilis ſedem condidit illa ſuam:
Quam neque vis hominum, quam perdere nulla pericla,
Nec potuerunt Myſtæ viribus ignis, aquæ.
Ardeat æſtivis veſana canicula flammis,
Effluat inverſo Tibridis unda vado.
Ceu PETRA flammatos Eccleſia reſpuit ictus,
Ceu NAVIS refluas prævalet inter aquas.

A loco; *Lilia, ac roſæ vernant in GENIS puellæ. Belligerant in AERE nubes. Pallor VULTUM tingit. Gladiatoria turba in ARENAM deſcendit. Furens mare ſuis vorticibus navibus SEPULCHRA fodit, ac hianti fauce clamantium vota ridens, nautas abſorbet.* 17

18 A motu *in occaſus ſarcophago ſepulto ſole* ERRANTIA *ſydera ſuo parentant principi :* VOLITANT *per aëra ſagittarum nimbi.* EXULAT *pudor à vultu Veneris.* VOLAT *undique fama.* FLUCTUANT *cogitationes civium inter Reipublicæ ſeditiones , & ſuſpicio* IRREPIT *in animos omnium. Furente aquilone mare* PERSULTAT *, ac* BACCHATUR.

19 A tempore *Seneſcens* HIEMS *undique venerandam nivium canitiem oſtentat ,* & in deſcriptione tempeſtatis alibi dixi. *Simul varijs undique procellis incerti fluctus cœperunt* DIEM *& proſpectum adimere , regimen impedire , & uno tempore unda gemit , littus mugit , tonat cœlum , ſtrident antennæ , ejulant Nautæ.*

20 Ab Habitu dicimus *animum* VESTITUM *omni virtutum genere. Verno tempore arborum ſeries viridibus ſe* INDUERE VESTIBUS *; & ſeneſcente Decembri ſua deponere* PALUDAMENTA *, ac* SPOLIATAS *frigoris fieri ludibrium. Orationem nudam , argutijs* VESTIRE. *Ridenti ſub Tauro viridi* VESTITAM *pallio terram ridere.*

EXPENSIO XIII.

De Argutijs ortis ab inexpectato.

1 VEnuſtæ ſunt , & ornatui orationis peridoneæ illæ argutiæ , quæ ab inexpectato producuntur , quia tunc Auditores , cum crederent unum audire , aliud totaliter diverſum percipiunt , quo facilè decipiuntur , & novitas hæc placet ; quapropter argutiæ , quæ ab hoc fonte hauriuntur plurimum habent aucupij , & leporis , fiuntque , quando credimus ex antedictis perjodum deſinere uno modo , & præter noſtram opinionem deſinit alio modo , & tunc novitas plurimum habet oblectamenti , animúmque exhilarat. Meminit hujus fontis argutiarum Ariſtoteles *3. Rhetoric. cap. 11.* inquiens : *Sunt etiam urbanitates per tranſlationem ex deceptione ,* & inſra *quia nova placent , ideo ſententiæ , quæ deſinunt , præter opinionem delectant.* Hinc conjicitur , totam argutiam conſiſtere in concluſione ab inexpectato, ut de primo inventore ſcripturæ dixit Theſaurus ex Auſonio : *Nulli adhuc legebantur characteres niſi ſervis innſti : tandem ille veloci dextera fugientia verba moratus calamo in tabella defixit : certavit cum loquentis lingua , ſcribentis manus , novóque miraculo audjit oculus , quod digiti præpetes loquebantur.* Tu expectâſſes , quod aures audirent aliquod jucundum , & inſuetum , ſed Author te decepit , cùm dixit , *audijt oculus , quod digiti præpetes loquebantur ;* id enim non expectâſſes , cùm proprium non ſit oculorum audire , nec digitorum loqui. Huc etiam pertinet periphraſis illa , quæ circumfertur de Diva Scholaſtica , quæ ut diutius fratrem ſuum ſanctum Benedictum alloqueretur , ne abſcederet , pluviam à DEO impetravit , quâ ſuum remoravit diſceſſum , ut longius divina miſceret cum fratre colloquia. Cœleſti uſa patrocinio pluviam impetravit lachrymarum , qua aëris extingueret ſerenitatem , ſimúlque fratrem in ſua vota flecteret. Ad pluviam tacitæ preces evocârunt nubes , ut pietas earundem obſeſſa caliginibus effulgeret illuſtrior. Quidni , quia ſoror fratrem piè adamavit , cœlum contra ipſum armavit ; tu expectâſſes ex amore aliquod beneficium impendendum fratri.

A prædicamento Subſtantiæ jocoſa eſt 2
concluſio illius epigrammatis in Simiolam , quæ ignem accenſura Cicindelam , ſeu noctilucam, ſumpſit pro vera ignea ſcintilla

Simia , ut accenſo nova frigora temperet igne ,
Ingerit EXTINCTO *ligna cremanda* FOCO,
Et CICINDELAM *ſumens putat eſſe* FAVILLAM,
Qua valeat calidas ore parare faces ;
Sed quo plus buccis inſuflat ſedula plenis ,
Quæſitos ignes ſuſcitat aura minus ,
O felix error ! nam ſi hæc SCINTILLA *fuiſſet ,*
Sufflâſſes digitos , Simia mæſta tuos.

Homerus in ranarum pugna , & conflictu lectorem decipit

Nobile Martis opus , grandique vibrata tumultu,
Arma cano : cum belligero ſtimulante furore ,
Fortia magnanimi moverunt prælia MURES.

credidiſſes audire moverunt prælia Principes , vel ranæ , ſed ſumpſit unam ſubſtantiam pro alia. Cavendum tamen eſt , ne deceptio deſinat in frigidam concluſionem contra Oratoris decorem , cujuſmodi fuit illa Cleophontis , cum dixit : *Et tu venerabilis , & divina* FICUS , cujus meminit Ariſtoteles *3. Rhetoric. cap. 7.* inquiens : *Accommodata erit Oratio , ſi non ſit humilis in rebus magnis , nec in parvis ampla , comica enim videtur ut apud Cleophontem.* Ridiculæ ſunt etiam, & comicæ illæ deceptiones cujusdam , qui cùm diu dixiſſet , ac plura narrâſſet coram populorum frequentijs , tandem dixit. *Ite , abite , valete* MUSCÆ , ubi tu expectâſſes , valete Auditores. Martialis itidem de Momo : *Non eſt hic Cinicus Coſme , ſed* CANIS.

A quantitate de homine prodigo , qui 3
totum abligurivesat patrimonium : *Hic filijs ſuis reliquit* MAGNUM NIHIL : tu expectâſſes *pinguem hæreditatem.* Talis eſt etiam deceptio Caligulæ , qui victor epiſtolam direxit ad Cives Romanos pro Ascu triumphis inſigni erigendo , ſcripſit enim : *parate quàm maximum triumphum , quàm minimo* SUMPTU : tu expectâſſes *quàm maximo ſumptu.* Apud Terentium ajebat Getas : *O ſi quis daret mihi talentum* MAGNUM , cui reſpondit Cremetes , imò MALUM , ubi Getas expectâſſes *imò* MAXIMUM. Senex itidem bili correptus, & famulo iraſcens dixit , *ſpero tibi eventuram hoc anno maximam meſſem* MALI , ubi ſervus crediduſſet *audire maximam meſſem* ANNONÆ.

A qualitate morali feſtivè Martialis Zoi- 4
lum decipit : *Gaude Zoile non vitioſus homo es, ſed* VITIUM , expectaſſet audire Zoilus , *ſed virtute* PRÆDITUS. Apud Plautum ridicula eſt illa deceptio Paraſiti jactantis geſta ſuorum majo-

majorum: *Patres, Avos, Proavos, Atavos, Abavos meos non quiſquam poterat vincere EDACITATE.* tu expectâſſes *in bello.* Jocoſa eſt etiam illa deceptio à qualitate, qua quiſpiam laudaturus ſponſam dixit *oculo quidem luſca es, & aliquantulum bucculenta: ſed cæteris partibus DEFORMOSISSIMA:* ubi ſponſa expectâſſet audire, *ſed cæteris partibus formoſiſſima.*

5 A Relatione de Adamo qui ob unicum malum omnia in poſteros mala transfudit: *falleris ſi credas Adamum caruiſſe genitrice, quamvis patrem non noverit, propriam tamen MATREM ligone trucidavit:* quia enim Deum religione non coluit, cujus præcepto non obtemperavit, matrem terram ligone excoluit. Pulchrè à relatione ſimilitudinis pungitur, qui Romanam jactabat nobilitatem.

Sæpe genus jactas Romanum Troſule: credo;
Nam Romæ multos legimus eſſe BRUTOS.

Et cum alius doctus vellet audiri, arguté cecinit Poëta

Doctior, & Muſis, & Phœbo doctior eſſes,
Si foret ex omni ſtipite MERCURIUS.

6 Ab Actione, & paſſione barbariem ſapit illa apud Homerum deceptio, quâ Cyclops virorum vorator Ulyſſi dixit: *Egregium tibi honorem facio, ut te poſtremum COMEDAM,* hinc honor Cyclopicus locum dedit adagio, quo indicamus ſub prætextu amicitiæ, & honoris damnum inferri. Ancilla Spartana ab Hero interrogata, *quam artem exerceret,* prudenter reſpondit FIDELITATEM. De Flavio Domitiano Imperatore argutè Theſaurus ab hoc prædicamento ait: *Nec Martis minùs, quàm Minervæ ſacerrimus, ſua manu infeſtas legiones delevit MUSCARUM* (tu expectâſſes audire hoſtium) *hic navais prælio fortiter interfuit in ARENA Catos, Sarmatas, Dacos, Barbaros omnes Imperij hoſtes SUPERAVIT BARBARIE,* tu credidiſſes audire ſuperavit virtute bellica. De argutis, ac elegantibus carminibus cecinit ille

Hæc ego jure ſales epigrammata dixero: quare?
Nempe ſui FACIUNT ſæpe relecta SITIM.

Argutum eſt etiam illud. *Atale ſalſus homo es, cur? quia multa BIBIS.* De Cajno, qui omnium primus fertur urbes conſtruxiſſe. *Urbem primus CONDIT, & merito: ut ſi campis ſecuritatem DEPULERAT, carcerem ſibi molıretur: ſed nulla impijs tuta eſt latebra,* A paſſione Martialis lepidè, & argutè concludit.

Munera, quæ tibi dat locuplets Gaure, ſenique
Si ſapis, & ſentis hic tibi ait MORERE.

A motu Martialis acutè pupugit avaritiam cujuſdam amici, qui ad cœnam eum non invitaverat.

Iraſcar licèt uſque voces, mittáſque, rogéſque
Quid facies inquis? quid faciam, VENIAM.

A motu paſſionum animi habetur ridi-
7 cula illa deploratio Martialis in conſumptam incendio domum Theodori.

O ſcelus! o magnum facinus! criménque Deorum
Non arſit pariter, quod DOMUS, & DOMINUS

Vbi affectus miſerationis deſinit ob inexpectato in affectum complacentiæ de malo alieno.

A prædicamento temporis arguta fuit 8
reſponſio cujuſdam, cuj nomen erat Bardella, hic ob patrata ſcelera damnatus patibulo, cum die ſabbathi ſuſpendio eſſet moriturus, reſpondit ſacerdoti religioſo, qui in patibulo ei dixerat, *Macte animum fili, quia veſperi cœnabis in paradiſo,* cuj ille: *curre tu quæſo Admodum reverende Pater ad cœnandum pro me, renuntio tibi hanc ſanctiſſimam cœnam, quia ego diebus ſabbathinis ſemper JEJUNARE CONSUEVI.* De illo Imperatore, qui eadem die, quâ fuit Imperator ſalutatus penſum ſolvit naturæ, ait Cicero: Quæris quanto tempore imperaverit Cæſar: reſpondeo, Cæſarem Imperatorem, neque Ver, neque æſtatem, neque Hyemem, neque Autumnum, neque noctem vidiſſe. De viro probo inter homines improbos argutè etiam à tempore dicitur: In fracto, & corrupto ſæculo integer vixit: ut ſcias magna inter vitia magnæ virtuti locum eſſe. Jocoſa eſt etiam illa Martialis deceptio.

Sæpe rogas quot habes ANNOS? reſpondeo nullos:
Quomodo? quos habui, Pontice NON HABEO.

A loco habetur apud Plautum illa ſaluta- 9
tio Argiripi. *Vale apud ORCUM,* tu credidiſſes audire apud homines. A loco Miles Spartanus cùm vidiſſet in quadam tabella pictas victorias Athenienſium, ac delineata geſta dixit: *Fortiſſimi quidem ſunt Athenienſes, ac ſtrenuiſſimi in TABULA,* ſeu in tela, non telis. Pulchrè etiam de Virgine Matre, quæ in caula Bethleemitica puerum Jeſum peperit. *Subijt ſuburbanum antrum paritura Virgo comite Joſepho, cum nondum URBES Virginitas, & ſanctitas INCOLERENT.*

Ab Habitu Virgo Spartana interrogata 10
à juvene amaſio *quam dotem haberet,* reſpondit *PUDICITIAM,* ubi juvenis credidiſſet audire pinguem aliquam pecuniarum ſummam. Arguta eſt etiam illa deceptio Ariſtotelis pungentis quendam ulceratis pedibus incedentem: *Is lepidè incedebat geminos in pedibus geſtans elegantiſſimos PERNIONES,* quæ vox græca latinè ſignificat ulcera, tu credidiſſes audire elegantiſſimos calceos. De Mancipio ad Triremes damnato ob delicta patrata in Herum fuit, qui argutè dixit: *Homo iſte præclarè ſemper vixit, ac illuſtris, ſcilicet* TORQUATUS *in pede.* De Caligula Cæſare, qui primus aurea corona uſus fuit.

Primus Apollinea commutas FRONDE METALLUM
Cæſar, & aurifero ſtringis in orbe caput.
Inſano capiti fragiles per tempora frondes,
Non ſat erant: NODO TE MELIORE LIGAS.

De divo Paulo Eremita folijs palmæ veſtito argutè dicitur.

Totum te palmis VESTIRI Paule neceſſe eſt,
Namque tuo toto corpore VICTOR ERAS.

Digitized by Google

EXPENSIO XIV.

De Argutijs Oratorijs, quæ petuntur à circumſtantijs, & adjunctis rerum, ſtemmatum, perſonarum, loci, temporis.

11 CIrcumſtantiæ ſunt, quæ rem, de qua eſt ſermo, circumſtant, ut tempus, locus & alia, quæ comprehendi ſolent illo verſiculo *Quis, quid, ubi, quibus auxilij, cur quomodo, quando.* *Quis* denotat perſonam, *quid* rem, quæ fit, & de qua eſt ſermo. *Ubi* locum, domum, plateam, forum, urbem, campum, ſylvam, *Cur* cauſam, ob quam res acta fuit, *quomodo* modum, & inſtrumenta, quibus res fuit peracta, *quando* tempus, ſi nocte intempeſta, vel ſub veſpertinum crepuſculum, vel horis antelucanis, unde in adjunctis & circumſtantijs obſervantur locus, tempus, modos, facultas, inſtrumenta. Adjuncta perſonæ à Cicerone duodecim recenſentur ſcilicet nomen, natura, virtus, habitus, fortuna, vita, affectio, ſtudia, conſilia, Facta, Caſus, oratio. Ab hiſce circumſtantijs & adjunctis plures ſolent Oratores argutias eruere, quo pacto à loco de ſancto Cypriano dicitur, ut Africæ geminaret ardores natus in Africa; ſuum etiam Carthago Tullium dedit, ut quando deſierat armis cum Roma contendere, eam adniteretur facundiâ ſuperare: & de Divo Fulgentio ex Africa exule. In Sardiniam relegatus, quod gemini ſolis ardores Africa pati non poſſet.

12 Ab adjuncto Nominis de Divo Ambroſio argutè habetur. Re quàm nomine dulcior, mel ante habuit in ore, quàm voces: favos mellis priùs ore dedit, quàm loqui diſceret, idque cauſæ, cur ore & calamo nonniſi dulcedinem ſaperet, ut ambroſiam, quam nomine præſeferebat, re ipſa cæteris impertiret. In nominis etymologia conſideratur proprietas, ſignificatio, alluſio, comparatio cum alijs nominibus, ac rebus. Quia nomen *Maximus* magnam ſignificat capacitatem, pulchrè de divo Maximo Taurinenſi Antiſtite argutè dicitur: Maximus capaciſſimi nominis ſui menſuram factis exæquans, etiam in minimis ſe Maximum exhibuit Sua magnitudine illum oculis omnium prodente; maluit tamen maximus eſſe, quàm videri, imò maximum ſe negavit, licèt ſtuduerit ſemper majora facere. Sed magnitudini tantæ cum telluris obſtarent anguſtiæ, cuj capiendæ ſola cœli immenſitas par erat; hac ſola tandem meruit comprehendi cum mortalitatem exuit, induiturus immortalitatem.

13 Pulchrè etiam ab adjuncto nominis alluſi ad Duciſſam Margaritam natam Principiſſam Eſthenſem, & nuptam Duci Guaſtallæ at tandem Mantuæ denatam. Ex quo Margaritas has pretioſiſſimas Libithina deglutivit; quis frugalem eſſe mortem dixerit? cum plebejo minimè cibo contenta ſit; Cleopatræ ferculis aſſuevit, dum margaritas ut ſorberet, in pulveres attrivit, væ mundo ab ingluvie tantæ feræ, cujus famem pretioſæ dapes non ſedant, ſed excitant. Feſtivè etiam luditur in nomen Eraſmi viri ſtolidi.

Cum verbum ſit ERAS, MUS nomen, quid ſit ERASMUS
Ingenio lector colligat inde ſuo.

De ſanctis Vitali, & Agricola Martyribus à nominis etymologia.

Sanguinis ut ſacri ferrent tibi Chriſte racemos
Hi duo certârunt VITIS, & AGRICOLA. 14

Huc etiam ſpectat encomium, quo Plinius ſuum Trajanum commendat à nomine *Patris patriæ.* Nonne his tot tantiſque meritis novos honores, & titulos merebare? at tu etiam nomen *Patris Patriæ* recuſabas; quàm longa nobis cum modeſtia tua fuit pugna? quàm tardè vicimus. Nomen illud quod alij primo principatûs die receperant, tu eò uſque diſtuliſti, donec tu quoque benefactorum tuorum parciſſimus æſtimator, jam te mereri fatereris: itaque ſoli omnium tibi contigit, ut pater patriæ eſſes antequam fieres; hoc tantùm cœteris major, quòd melior. Eras enim in animis noſtris, eras in judicijs, nec publicæ pietati intererat, quid vocarere, niſi quòd ingrata ſibi videretur patria, quòd te Imperatorem priùs vocaret, quàm patrem; priùs experiretur, quàm ſciret.

A nominis etymologia Bidermanus 15 de D. Clara eunte obviam Saracenis cum venerabili hoſtia ante pectus cecinit.

Præſentem geſtas ipſo præ pectore SOLEM,
Hinc bene te CLARAM dicere quiſque poteſt.

Bahuſius alludens ad Urſam minorem dixit de diva Urſula

URSA minor, majorque vale mea Carbaſa poſthac
URSULA cum ſocijs Virgine luce reget.

De Achabo Rege, qui ſuadente Jezabele conjuge Nabothum occidit, rapturus ejus vineam. *Fudit Achabus innocentis ſanguinem, quò ex ejus vinea merum biberet: Libithinæ uſus falce non VITEM, ſed VITAM vindemiavit, & prelo ſubjecit, non ut vinum, ſed cruorem hauriret.*

Ab adjuncto nobilitatis ſolent etiam erui argutiæ, ut ſi de viro nobili, & virtutum culturâ inſigni diceres, ſanguinis ſplendores, quos ab Avis, & Atavis mutuavit virtutum radijs auxit, ut ſol videatur, tot ſplendoribus coruſcus, quot virtutibus ornatus. De nobili in bello Duce. Avorum claritatem armorum fulgoribus illuſtravit, ne tanto minor eſſet, quòd tot Majores haberet; tanti ſplendoris author ipſe fuiſſet, niſi hæres ſucceſſiſſet. Non otioſus fuit majorum ſudor, cùm tam glorioſis ſuffragijs poſterorum laudibus laborârunt. De alio nobili in bello Duce, qui delatis victorijs, ac virtute bellica ſuos ſuperavit majores, argutè etiam dicitur. Ancillante fortunâ tuum confudiſti genus, quos enim majores habuiſti, minores re effeciſti, licèt Avi, & Proavi ac Atavi te præceſſerint, poſt te tamen reliquiſti. In funere prænobilis adoleſcentis argutè à nobilitate ſanguinis dicitur,

tur, & tu parentalis dolor gentilitiam in primis ejus gloriam perpende. Incrementum hinc ſubit luctûs materies, ubi à tam illuſtri ſtirpe, à tam commendata radice hanc nobilem plantam adhuc in primo ætatis Vere noveris reciſam. Nequit non eſſe luctuoſum, eos extingui, quibus tam ſplendidè naſci contigit: æquè omnes triſtior occaſus afficit, ac Ortus ſerenior recreaverat.

17 Sicut à nobilitate, ita à gentilirio ſtemmate argutiæ oriuntur. Satis exploratum eſt, regna, urbes, & nobilium familias olim, imò & etiamnum ſua habere ſtemmata, quibus gloriantur, etenim Romæ olim fuit aquila argentea, & in ſignis militaribus Perſarum affulſit aquila aurea; & etiam nunc aquila imperialis biceps eſt, eò quia Orientem, & occidentem Imperio coërcuerit: vel biceps pingitur Romani Imperij aquila, quia æquè ſolis ortum, ac occaſum aſpicit, quo utramque terræ partem tueatur. Eſt etiam aquila inſigne gentilitium familiæ Gonzagæ, quæ in Italia præſertim Mantuæ ſplendet, cujus ſerenitas adeo excrevit, ut facilè oculos perſtrinxiſſet, niſi in gentilitiam aquilam incidiſſet, quæ aſſueta ſolis ſpectaculo ſolare lumen intuetur impunè, nec vindicem in pupilla radium expetitur, quippe ad ſolare aſtrum cæcutire noctuarum eſt, non verò aquilarum, quæ in alpium ſublimum faſtigijs nidulantur, ut earum fœtus ſoli proximiores ad ſolem genium evocent, ac ingenium: hinc prævolavit Mantuana aquila, quæ plurium ſecum trahens ætatum admirationem terræ ambitum ſupergreſſa ſole fruitur ſupra terrenarum exhalationum concretionem proprio jubare jugiter coruſco. Scimus nato Alexandro geminas aquilas culmen natalitiæ domus inſediſſe, ac propterea ceciniſſe Claudianum, *Luſtravitque tuos Aquilis victricibus ortus.* Caveat igitur ſibi hoſtis ab Aquilarum gente, & quamvis gigas ſit, adhuc fulmina, & novam rurſum Phlœgram pertimeſcat.

18 Sunt etiam qui accipitrem in ſtemmate gentilitio præſeferunt, ut indicent, viros talis familiæ obſcura quæque odiſſe, & nonniſi illuſtria moliri geſta: fertur enim, accipitrem tenebras odiſſe, & diurnam tantùm adamare lucem, idque cauſæ, cur Clemens Alexandrinus accipitrem dixerit ſolarem alitem, ac ſolis ſymbolum, eò quia igneæ ſit naturæ, & occulta quadam ſympathia feratur ad ſolaria, ac propterea ſit hæc ales Soli, & Apollini ſacra. Refert Plinius, non ſolùm accipitrem ad ſolem cœleſtem, verum, & terreſtrem, ac ſubterraneum, ſeu aurum naturali quadam ferri propenſione; idque ex eo conijci, quia accipitris oſſa aurum inſtar magnetis attrahant: & ex accipitris oſſibus teſte Æliano ignis eliciatur, ſi unà confricentur. Apud Ægyptios fuit hæc ales ſolis hieroglyphicum ob eximiam, ac perſpicaciſſimam videndi facultatem, motûſque pernicitatem. Hinc in Ægypto accipitrem occidiſſe, capitale fuit, perinde ac in Theſſalia Ciconiam ſymbolum pietatis filiorum in parentes. Mirum tamen quod ut cecinit Poeta *accipitri panis ſolet eſſe venenum*: & hoſtili ſanguine cupiat potiùs enutriri, ſitimque extinguere, ſymbolum ſtrenui in bello Ducis, cuj hoſtilis cruor victrices lauros irrigat: unde cavendum, ne canamus: *odimus accipitrem, qui ſemper vivit in armis.* Amicitia potiùs ineunda cum gente illa, cujus gentilitium ſtemma accipitrem præſefert: neque verendum, quin collata beneficia hæc ales rependat, cum ab Ægyptijs poſita fuerit gratitudinis Hieroglyphicum: eò quia hyeme paſſerem calidioris naturæ pectori admoveat ad rigidiora frigora à ſe arcenda, & poſtea memor beneficij illæſum dimittat. 19

Uberiorem argutiarum ſegetem ſuppeditat illud gentilitium ſtemma, in quo campus exhibetur excolendus, quia mediante labore, & cultura bonorum omnium feracem ſpondet meſſem. Quòd ſi olim Romæ campus fuit Marti ſacer, qui victricium palmarum uberem aleret ſylvam; nonniſi victoriæ lauri, & palmæ expectari poſſunt à Ducibus illis, qui in bello proprij ſtemmatis campum hoſtibus objiciunt. Neque poteſt campus ſterileſcere, ex quo uberrima palmarom ſylva prodit, & nulla ibi fatalis aſſurgit cupreſſus, ſed ſolæ jugiter vireſcunt laureæ hoſtili rigatæ cruore. 20

Plurimum itidem adferunt venuſtatis oratorijs argutijs roſæ, quæ gentilitio virorum illuſtrium in ſtemmate effloreſcunt. Hiſce qui inſigniuntur roſis, auream Saturno felicitatem non invident, quia dum roſeum vernat ſtemma, florent omnia, & longè, latéque probæ famæ odor ſpargitur: neque poteſt ſtemma roſis inſignitum exoſum ullis contingere, cùm ſint roſæ Gratijs Trigeminis dicatæ: neque earum fragrantiâ poſſunt non allici, qui floribus delectantur. Neque ſilentij ſarcophago inſepelitur roſa, quamvis Harpocrati ſacra, & aſſueta ſupra menſas ſuſpendi, ut ſub ea dicta tacenda ſciant Commenſales, inoleveritque adagium *Hæc ſub roſa*, ſeu ſub inviolabili ſilentio, quia licet roſa tacenda cuſtodiat, non tamen ipſa tacetur tot ditata prærogativis, ac inſignita virtutibus. Quòd ſi roſa rubeſcit, purpuras ſpondet: ſin verò niveo vernet candore, ideo, quia hactenus, quâ erubeſceret, non invenit; & licèt hoſtili pluries rigata ſanguine, candori tamen adeo arctè adhæſit, ut nunquam ab ejus blandimento ſejungi voluerit, ne à morum candore latum unguem deflecteret. Pura nive purior albet, *concolor eſt Domini moribus iſte color.* Non tamen violenta manu tangenda eſt roſa, quia ſuis armatur ſpinis, quibus ſanguinem elicit.

Sunt etiam ſtemmata gentilitia, quæ 21
Cygnum, ſeu olorem præſeferunt; quòd ſi olim ab hoſte anſer Romam obſtrepens vindicaverit; dulcius canit in ſtemmate olor, cuj divinitatem quandam Tullius tribuit, eò quia prænoſcit, quantum ſit boni in morte, quam cantu, ac voluptate oppetit. Cygnum ob cantûs gratiam fuiſſe Apollini ſacrum nulli eſt dubium: & quæ Olore inſigniuntur ſtemma-

ma-

mata, ſi mores oloris reſpondeant candori, & actiones cantui harmonico, ac divinis præceptis conſono, non poſſunt Deo non arridere, ac ei grata eſſe. Canente Cygno ſcopuli, & valles dicuntur reſpondere teſte Oppiano, quia etiam humiles Oratores ſua ab Olore deſumunt ornamenta, ſi ad harmoniam Rhetoricarum præceptionum perorent, imò etiam olim Romæ Gradivus ab olore ſua deſumpſit decora; quippe militia Romana prætenſas galeis Cygnorum pennas geſſit.

22 Ita prænobilium ſtemmata eminent, ut vel ipſa cœli ſydera ſibi uſurpent, novúmque in terris videantur Zodiacum deſcribere, quamvis non noctem luridam, ac cæcutientem, ſed diem exhibeant illuſtrem, ac ridentem. Sunt etiam ſtellati equites, quorum in Gallia inſigne fuit ſtella in pileo aureis circumfuſa radijs addita inſcriptione *monſtrant Regibus aſtra viam*, quia hujus equeſtris ordinis homines ita probis, ac illuſtribus ſplendent operibus, ut ad gloriam nunquam perituram ſibi viam ſternant, perinde ac ſydera, quæ ſicut omnibus patent, ita & omnibus lucent. Excludunt tamen gentilitia ſtemmata Hyades, Pleiadéſque nubilum ſydus, niſi fortaſſis ad rigandas pauperum ſterilitates aureos effundant imbres. Quòd ſi ſtellæ obnoxiæ ſunt in cœlis eclypſi, ſtemmate ſuis nunquam deſtituuntur nitoribus. Hinc fuit, qui cœleſti ſyderi, quod Mathematici *Craterem* vocant, inſcripſerit: *Inter eclypſes orior.* Neque Stellas quiſpiam impunè laceſſit, quippe Philippus Macedo cum noctu ſtellas ſagittis inceſſeret, ab Aſtere milite oculo orbatus fuit (Aſter græcè ſtellam ſignificat) ſéque aſtra impetita à Philippo vindicârunt. Sagittæ etiam inſeruntur ſtemmatibus nobilium, quibus ad metam gloriæ citiùs colliment. Non Parthus tantùm à ſagittis metuendus eſt, verùm & qui ſagittis in ſtemmate muniuntur: quippe armata gens non impunè ſe tangi patitur. Pernicitas pedum in Scytha milite, cuj nomen Abari tidem vix videtur in hiſtorijs aſſequi; hic ſiquidem emiſſam ex arcu ſagittam pari celeritate dicitur fuiſſe proſecutus, ac eodem prorſus tempore in meta ſimul cum ſagitta conſtitiſſe. Hanc pedum pernicitatem ſuperat in capite animi virtus, quæ momento temporis ſupera, & infera perluſtrat, maria laxiſſima trajicit, & terrarum diffuſos tractus percurrit, nil enim cogitatione velocius. Memoratu dignum eſt, quod de ſagitta fertur, quæ uno ictu piſcem in aquis, hirundinem in aëre, & leporem in campo trajecerit, quod Poëta metro expreſſit.

Trans amnem viſus lepus eſt contenditur arcus,
Ocyus & celeri mira ſagitta manu.
Forte ſalit piſcis, progne prætervolat, hærent
Tres uno in jaculo PISCIS, HIRUNDO, LEPUS.

23 A veritate tamen minimè erravit ſagitta, quâ Godefridus Bullonius tres aves trajecit, cuj propterea inſcripſit lemma: *Dederitne viam caſúsque, Deusve*: an caſui vel induſtriæ id debeatur, contigit tamen Bullonium tres aves unius teli vibratu trajeciſſe. Cæterum fabulis accenſetur Amphiarai telum quod ab aquila in ſublime raptum, & in terras delapſum germinâſſe in laurum fertur.

Non ſolùm in ſylvis crocitant, ſed etiam in Prænobilium ſtemmate Corvi, quos Corvinorum familia ſuam à Valeriano Meſſala originem trahens in propria aſſumpſit inſignia, ut Romanis aquilis etiam Corvi adjungerentur confœderati. Nec ſemper infauſta præſagit corvus, cum Octavio Imperij omen fuerit, cum enim panem corvo porrexiſſet Cæſar illicò proclamatus Imperiale pomum accepit. Eſt corvus temperantiæ ſymbolum, quia teſte Pierio in Æſtate æger ſexaginta dies potu abſtineat, imò & jejunio ita aſſueſcit, ut hyeme cum terrarum tractus alta ſepeliuntur nive etiam à quovis cibo per plures dies abſtineat. Nonnihil etiam prudentiæ dignoſcitur hac in alite, quia ſi in vaſe anguſto aquam deprehendat modicam, ut hæc aſcendat, ſitimque extinguat tot lapides vaſi inijcit, donec orificium aqua pertingat, quam roſtro ebibat. Beneficum itidem hominibus eſſe corvum expertus fuit Elias, cuj hæc ales obſonium detulit, à quo ipſa abſtinuit, quo deperditas vires Propheta reficeret.

Turres etiam in ſtemmate Gentilitio aſ- 25
ſurgunt in patriæ munimenta propugnaculis Semiramidis potiora: quod ſi teſte Philoſtrato turris Sapientum apud Indos fuit ad Hyphaſidem amnem ſita, quam nec mille Achilles, nec ter mille Aiaces expugnare valuiſſent, eò quia cœleſtibus crederetur præſidijs munita, fulminúmque circumvallata terroribus. Turrim tamen, in quam detruſa fuit Diva Barbara, cœleſtibus fuiſſe præmunitam præſidijs, & contra tergeminos hoſtes propugnatam ex eo conijcitur, quòd expugnari non potuerit. Suam commendet Ægyptus Pharum, eò quia trajicientibus æquora navibus malaciam portus præſignaret, adhuc huic Barbaræ turri, neceſſe eſt, cedat, cùm Virgini æternam cœleſtis portus tranquillitatem non ſolùm oſtenderit, verùm & ad gloriam traxerit. Hæc Barbaræ turris divini Solis colluſtrata jubare umbram quidem projicit; ſed qua obſcurentur Obeliſci Veterum, ac Memphicos Pyramides, nec non Rhodij Coloſſi. Hæc turris virtute ſuffulta Barbaræ, nec ruinas timuit, nec fortunæ diſcrimina expavit, & ita ſtetit, ut lapſura ſit nunquam à laude Virginis, cuj fuit hoſpitium.

Equis etiam, & fluvijs inſigniuntur 26
Prænobilium ſtemmata, cùm ab equo equeſtris Ordo ſuam traxerit nomenclationem ad percurrenda gloriæ itinera. Generoſam ſortitur equus naturam, eundémque cum ſeſſore animum, quem per ardua ad gloriam perducit: hinc Poëta equiti gentilitio inſcripſit.

Ex alijs alios, eques inclite curris agones,
Non ſatis eſt tellus curſibus una tuis.

Cur-

Curre, vel immenſæ quadrupes per Olympia famæ,
Nam tibi pro meta ſama perennis erit.

Viget adhuc in Navarræ Regno Equi-
26 tum liliatorum Ordo à Garcia ſexto Rege Na-
varræ inſtirutus. Fuit etiam eqoeſtris Ordo
fundatus è Carduo à Borbonio Duce, quorum
inſigne fuit torques ex lilijs, & Gardui folijs di-
ſtinctus, cuj appenſa erat crux cum lemmate:
ſpes: hoc eſt, ſpes mea in ſola cruce Chriſti
Redemptoris. Excluduntur tamen à Nobi-
lium ſtemmate Sibaritarum equi, qui aſſueti
ad tibiæ modulos Coreas ducere; à Crotonia-
tis alios ſaltus edocti in perniciem cucurtetu ot
Sibaritarum. Abigitur & Sejani equus, qui
nonniſi perniciem omnibus attulit, etiam hæ-
redibus fatalis; neque admittitur à viro cor-
dato equus Caligulæ, coj Imperator hordeum
in aureo diſco appoſuit, vinúmque in aureis
poculis, quin & famulitium ei, ac conſula-
tum deſignavit, id non hominis nobilitatem
prodit, ſed animi imbecilliratem. Ne e-
quis fluvij deſint, quibus ſitim extinguant,
ſolent & fluvij unà cum equis pingi in ſtem-
mate. Quòd ſi viri hujus ſtemmatis vir-
tute bellica hoſtes fregerunt, tunc alluſio fit
ad fluvium, qui ſi hoſtili cruore rubuit no-
biliorem coloravit purpuram, palmáſque vi-
ctrices irrigavir uberiùs; pace autem inita
priſtinum dicitur fluvius tevocare candorem,
ac Chryſtallo fluere puriùs. Sin verò hoc
ſtemmate inſigniti divitijs affluant, dicimus
huic fluvio cedere Pactolum, Tagúmque
auriferum; & ex hoc fluvio exundare bene-
ficia in alios, in pauperum præſertim ſalu-
tem. Quòd ſi Xerxes vinculis coërcete Hel-
leſpontum conatus fuit, hujus ſtirpis fluvius
nulla unquam compede paſſus eſt arctari,
quia ejus felicitas ita fluxit, ut cum incre-
mento gloriæ ſemper fulſerit. Neque Anti-
goni lacus ullam cum hoc fluvio cohærentiam
rtaxit, cum ex lacu necaquam ille gratis bi-
berit; dignus propterea qui exareſceret,
cui ad gratam beneficentiam nullus aderat
motus, ſed jugiter ſtagnans, quo otio marce-
ſcens alijs obeſſet potius, quàm prodeſſet.
Scio Ægyptum totam telluris meſſem, Ur-
biúmque felicitatem non ab imbribus, ſed
unicè à Nilo fluvio ortam habuiſſe, cum tel-
lus non alio pingueſceret aquarum genere,
quàm exundante fluvio. Quid ni à ſtemma-
tico hoc fluvio plures propriam hauſerunt
felicitatem. Hunc fluvium imitatus Ve-
ſpaſianus ajebat: *Haurite ex me tanquam ex Ni-
lo*, quia beneficus in omnes perinde ac Ni-
lus, quantum potuit Ægyptijs profuit. Re-
fert Ælianus in finibus Meropum, Duo extare
flumina triſtitiæ unom, qood epotum la-
chrymas tota vita elicit; voluptatis alterum
quod præteritorum oblivione inductâ juven-
tam reſtaurat, & ſenectam depellit. Hoc i-
dem per plura ſæcula viſos eſt præſtitiſſe hu-
jus ſtemmatis fluvius, niſi quòd non lachry-
mas, ſed gaudia excitavit, & per illuſtres
ſucceſſores labentem domum inſtauravit. A-
deſt, & fons ſolis in Amonis nemore, meri-
die frigens, veſpere calens, & media nocte
fervens. Sed fluvius noſter jugiter fervet ex-
ercitio virtutum, & nunquam friget otio tor-
peſcens. 27

Quia Leo in ſtemmate Reipublicæ Ve-
netæ rugit, terrétque hoſtes patriæ, plures
etiam poſſunt ab hoc ferarum principe argu-
tiæ hauriri. Radiavit adhuc licèt effictus in
regali tumulo Hermiæ lapideus leo, cuj cùm
ex ſmaragdis eſſent oculi inditi, hi in gurgi-
tem radiantes etiam piſcibus terrorem incuſ-
ſerunt. Quid ni Venetus leo medijs incu-
bans aquis, adeo ſuos in fluctus, & mare
intuitus inijcit, ut non piſces, ſed hoſtes
præſertim Turcas terreat. Exploratum eſt, Me-
garenſes dum à Caleno expugnarentur effra-
ctis caveis, in quibus leones detinebantur
eos in hoſtes irritâſſe: ſed cùm crederent ſe
ſe ferocientes leones in hoſtes objecturos; in
ſe ipſos retorſerunt ab ijſdem leonibus infe-
liciter diſcerpti, adeò ut in caput Authorum
fuerint inſidiæ relapſæ. Sed nondum id con-
tigit leoni Veneto, qui in ſuos nunquam ſæ-
vijt, nunquam ipſos pugnavit, ſed eoſdem
propugnavit; novit enim hoſtem, cuj obeſſet,
novit & cives quibus prodeſſet; melius enim
hic leo patriam, quàm Draco Heſperidum
hortos cuſtodivit, ornavítque pulchrius,
quàm leonis exuviæ Herculem. Animo ce-
cidit, & corpore Turcicus hoſtis quoties Ve-
netum incidit in leonem. Aſſueti Veneti
leonis conſortio non cervos, ſed leones gene-
rant, quos in hoſtes mittant. Quòd ſi Achi-
les invictus evaſit, eò quia paſtus leonum me-
dullis; nulla vis bellica Venetos proſternet,
cùm ſi non leonum medullis nutriuntur, leo-
nis tamen tutela proteguntur. Quòd ſi leo-
nis emortui oſſa terrorem incutiunt, eò quia
ſimul colliſa ignem emittant, reliquias iræ,
cujus igniculos, vel frigida oſſa fovent, non
credas, Venetum leonem, ſi qua contigerit
in conflictu exinanitio, Victoriam hoſti ceſſiſ-
ſe; inde enim Anthei inſtar è lapſu ſurgit
fortior, & concepto igne ſplendet victorijs
clarior. Id datur leoni laudi, quòd adeo ſit
lucis appetens; ut ſolus inter reliqua anima-
lia oculis naſcatur apertis, ad quam præmatu-
rè rudem adhuc pupillam erudit, quinimò ma-
terno in utero tenebras non patiens, unguibus
dicitur uterum leenæ matris dilaniare, quò
ad lucis uſuram erumpere feſtinet. Sed Ve-
netus leo adeo gloriæ fuit ſemper amans, ut in
ejus ſplendoribos oculos jugiter defixerit, ac
illuſtrior ſemper claruerit, ſive belli lauro
coronatus, ſive pacis oleâ exornatus, idque
arguit in Venetis perſpicacem etiam ab incu-
nabulis indolem, quæ nonniſi lucem gloriæ,
& præclari geſti amat; & caligines, tene-
bráſque improbitatis oderit. Scio leonum ri-
ctus templorum Valvis, ac Baſilicarum veſti-
bulis affixos vigilantiom non ſolùm fuiſſe ſym-
bolum, verùm etiam admonuiſſe quod de-
mortuo leone, adhuc terror viveret: ſed Ve-
netus Leo, quamvis videatur interdum In-
dormire, oculos tamen jugiter apertos habet

in patriæ vigilantiam, & cuſtodiam, & quovis tempore terrores hoſtibus incutit.

28 Ab alijs adjunctis etiam eruuntur argutiæ, præſertim à tempore: quo pacto De Ludovico XIII. Galliarum Rege mortuo in feſto Aſcenſionis Chriſti fuit, qui dixerit in commendationem tanti Principis. Duos unà pompa, diéſque in Cœlum Reges extulit: in cœlum Deo conſcendente cœli Regem; & cadente in ſepulchrum regio cadavere terræ Regem. De Sabaudiæ Principe emortuo Octobri menſe argutè dixit Juglaris: Pluvius vobis ò cives Autumnus eſt veſtrâ ſerenitate ſepultâ, ulciſcimini fletibus prætericæ Æſtatis felicitatem offerente Octobri vindemiam lachrymarum: Autumnum evadere non potuit ſumma Principis maturitas: & ſole libram ingreſſo decreſcere lux magis hominibus cœpit, quàm diebus. Et de quadam muliere Principe, quæ cum nupſiſſet Duci menſe Octobri eodem menſe poſt aliquot annos deceſſit argutè etiam dictum fuit: cœlo matura cecidit in Autumno: & October, qui eam thalamo dederat, dedit & tumulo: ita ludente cum hominibus ſole, ut illis idem quandóque dies contigit funerum, qui fuerat nuptiarum. De Principe primo genito Victoris Amedei, cuj nomen erat Hyacinthus, & qui Taurini hyeme adhuc in pueritia è vivis ſublatus fuit argutè dixit Juglaris alludens ad nomen Principis, florem ſignificans: Infenſa floribus hyems eſt Februarius Hyacinthos non tolerat; tam mites animas, non alij quàm immaniſſimi ſuſtulêre dies, ſed jam tandem extra contagium hyemis eſt, ubi amœnius Ver perennat. De Rege Sueco, qui media hyeme rigente bruma hoſtes fregit à tempore argutè dicitur: nivea frigiditas belli faces accendit, & ardorem pugnantibus ſuppeditavit, fovit gelu Martis flammas, ut pugnantis Principis felicitas etiam in hyeme æſtivas palmarum meſſes colligeret, & bellicæ virtutis fructus ferax Autumnus daret in hyeme.

29 A circumſtantia loci plures itidem oriuntur argutiæ, quo pacto de quodam mortuo apud ſanctum Fauſtinum non defuit, qui argutè dixerit: Non potuit tibi mors felicior obtingere, quàm ubi Fauſtinus ſuo nomine fauſtitatem portendit. A loco de ſancto Euſebio non ad unius gloriam Provinciæ natus, in Sardinia animam, in Latio ſedem, in Inſubria palmam obtinuit. Roma ſe dignum non putavit, niſi addictam ſpectaculis urbem novo admireretur ſpectaculo paſcere. Virtutes omnes in ſe veluti in theatro circumferens. De Viro qui poſt patrata crimina reſipuit, & pœnitentiæ causâ ſeceſſit in ſolitudinem, pulchrè itidem dicitur: quã inter homines innocentiam perdiderat, quæſivit in eremo inter homines mori divinæ gratiæ qui pluries potuit; inter feras vivere didicit. De S. Chryſoſt: ſylveſcere metuens in urbe ſeceſſit in ſylvas, exuturus inter feras, ſi quid fortâſſis inter homines induiſſet ferinum. De S. Emenegildo minas parentis contemnente: Nubilum, tonantémque patrem illæſa ſerenitate excipiens credi potuit, mentis altitudine montis olympi faſtigium exceſſiſſe. De Nerone Romam incendio cupiente extinguere. Patriam incendit, non ut illuſtrior clareſceret, ſed ut manium umbris obſcurior jaceret. Ab alijs adjunctis etiam eruuntur argutiæ.

EXPENSIO XV.

De Argutijs, quæ petuntur à dictis gravibus. 1

Dicta gravia ſunt, quæ paucis comprehenſa verbis plurimum continent acuminis, & plus ſignificant, quàm videantur verba exprimere, quapropter diſtinguuntur à ſententijs, ſeu gnomis, quia ſententiæ exigunt rotundam, & ſuavem rei, ſenſúſque comprehenſionem pluribus expreſſam verbis. Ut de Ludovico XIV. Galliarum Rege, qui nunquam fuit in aciem profectus, quin victor fuerit reverſus: Rege in aciem prodeunte illicò exploratum fuit toti Orbi, quantum poſſit in bello galeata Majeſtas ſi præſit: ejus præſentia, & urget, & animos excitat ad victoriam. Dicta verò gravia paucioribus comprehenſa verbis plus habent documenti, ut 2

Nil præpes perpes eſt hoc dictum perbreve, ſed multa comprehendit, indicátque in magnis negotijs non eſſe properandum, quapropter Auguſtus Cæſar dixerat, nil minus exercitûs Præfecto convenire, quàm feſtinationem, & temeritatem; quia ut pulchrè ait Livius *Nil magni diſcriminis conſilijs tam inimicum eſt, quàm celeritas*; & alibi: omnia non properanti clara, certáque ſunt: feſtinatio improvida eſt, & cæca. Hinc Auguſtus Cæſar pingi in emblemate curavit telum, & remoram, addito lemmate *feſtina lentè* indicaturus in negotijs magni ponderis minimè eſſe properandum, & in rebus gerendis æquè adhibendam eſſe induſtriæ celeritatem, ac diligentiæ tarditatem: *ſat citò, ſi ſat bene.*

3 *Præſtat oves tondere, non deglubere*: hoc ſymbolo teſte Suetonio uſus fuit Tiberius Cæſar, quod Provinciarum Præſidibus commendavit, eò quia boni Paſtoris ſit pecus tondere, non deglubere, ſeu boni Principis ſubditos ita onerare, ut non ſuccumbant; tunc enim felix eſt Reſpublica ſi opibus ſit firma, copijs locuples, gloriâ illuſtris, virtute honeſta, & rerum omnium copiâ abundans: non Principis eſt, ſed tyranni non lanæ ſuperfluitatem tantùm tondere, ſed & pellem ipſam exulcerare, & ſanguinem elicere, ait Cyrus Zenophonteus *lib. 8. Boni paſtoris, & Regis boni opera ſunt conſimilia; quorum ille felicitatem pecoribus conciliando, ita utitur bis, quæ beata eſt ovium vita; hic verò pariter civitates, hominéſque efficiens beatos, ſic denique eis uti, fruique debet.* Vulgatum eſt illud Alexandri Macedonis Apophregm. *Odi olitorem radicitùs olera exſcindentem*, cuj conſonat, illud Nazianzeni mulgere & hircos ſi velit, paſtor poteſt, ſed ſanguinis pro lacte

Clientes fluent, ad quod alludens Pomponius
Lætus ait: qui totum lac ex uberibus ovium
emulſerit, & agnos cibo fraudaverit, non pa-
ſtor eſt, ſed prædo.

Oderint dum metuant, vox fuit hæc tyran-
4 nica, & omnino execrabilis, quæ teſte Seneca
plures Principes è regali throno dejecit, & præ-
cipites egit, quia populum provocavit, cujus o-
odium in ſe excitavit, hinc Tacitus ait: *Metum, &
terrorem infirma eſſe charitatis vincula: quæ ubi
removeris, qui timere deſierint, odiſſe incipient:
& repertis Authoribus animos tollere.* Odium po-
puli in ſe Romæ concitaverat Caligula, cujus
vox dignior carnifice, quàm Imperatore fuit,
optare ſe unam duntaxat cervicem habere po-
pulum Romanum, quam unico ictu amputaret.
Cuj tamen retorſit Chæres: At tu ſi unam
Cervicem habes, ſcias nos multas habere ma-
nus. Hinc Seneca *Tam multis periculis petitur,
quàm multis ipſe periculum eſt: nec illapſas manus,
quibus ſe commiſit, ſecurus aſpicit.*

5 *Quotidie moritur, qui ſemper timet*: idque
expertus fuit Cajus Julius, qui oppreſſa ar-
mis Republica perpetuus dictator renunciatus
multorum in ſe odia concitavit. Is amico
cuipiam imminentes inſidias ſibi denuntianti,
ac monenti, ut ſibi caveret, fertur reſpon-
diſſe· Atqui ſatiùs eſt inſidias ſubire ſemel,
quàm cavere ſemper, quia ſemper cavere,
eſt ſemper mori, & ſatius ſemel mori, quàm
ſemper cavere, hinc Seneca *epiſt 22. ad Lucil.*
ait: *Nemo tam timidus eſt, ut malit ſemper pen-
dére, quàm ſemel cadere*, & Caſſiodorus *epiſt. 46.*
Gravius eſt, aliquem ſpe mortis expectare,
quàm tormentorum crudelia ſuſtinere, quia
inter ſupremas anhelitûs anguſtias ſatiùs eſt
perire, quàm vivere.

Sua cujque ars pro viatico eſt, quia artem
6 aliquam qui callet, ubique terrarum fundum
ſibi conſtituit aureum, exercitio artis, quam
ſecum ſemper defert; & Menander artem
baculum vitæ nominat, eò quia ſit præſi-
dium, quo fulcitur. Vulgatum eſt illud Bian-
tis, cujus patriam Prienem cùm occupâſſet
hoſtis, & cæteri concives fugientes plura de
rebus ſuis aſportarent admonitus ipſe ab ami-
co, ut non vacuus fugeret, reſpondit id facio:
nam omnia mea mecum porto, indicans non
tam fortunæ, quàm ánimi bona.

7 *Miles legendus, non emendus*: Sergij Sul-
pitij Galbæ monitum fuit, ne Romani mili-
tes emerent, & inviros adigerent ad bellum,
quia natura repugnante nemo laudabiliter o-
peratur: hinc ajebat ille, *lectus non placet em-
ptus ære miles*, non enim mercenario militi
bellica ineſſe poteſt fortitudo, cum nil niſi
quæſtum, & licentiam ſuam ſpectet, quapro-
pter Vegetius *lib. 3.* ait: *Utilius conſtat armis e-
rudire ſuos, quàm alienos mercede conducere.* Hinc
Iſocrates ait ex conductitijs exercitibus plures
fuiſſe proditos, quàm defenſos: ſiquidem lar-
gitionibus facilè à Ducibus corrumpuntur mi-
lites, qui vel ſe defendi, vel offendi alios
voluerunt, ut contigit Ageſilao Aſiam vaſtan-
ti: corrupti enim pecuniâ fuerunt à Rege Per-
ſarum Athenienſes, Bœotij, Argivi, Corin-
thij, qui conſpiratione initâ, ita Lacedemo-
nios oppugnârunt, ut Ageſilaum ad tuendam
patriam revocaverint, & cùm diſcederet Aſia
in propriam ditionem redux, fertur dixiſſe: ſe
triginta ſagittariorum millibus Aſia expulſum
eſſe; & alluſit ad imaginem Perſicæ pecuniæ,
quæ milite ſagittario cuſa fuerat, & qua Athe-
nienſes, cæterique finitimi populi corrupti
fuerunt.

8 *Obſtrepit anſer inter Olores.* Quia plerum-
que indocti, ac ignavi doctis, ac Poëtis adne-
ctuntur, ut & mali bonis, ſtulti ſapientibus;
tunc quia diſcors eſt hæc concordia, verè dici-
tur anſer ſtrepere inter Olores; præſertim ſi
indoctus velit & ipſe doctus videri, & doctri-
nam jactare, quam nunquam fuit aſſecutus:
is etiam per parœmiam dicitur graculus inter
Muſas, vel anſer inter Olores, vel corchorus
in olere, quia tunc indoctus loquax ſua nuga-
citate, verbisque futilibus, ac importunis ob-
ſtrepit, & veluti alter Davus, ut ait Comicus
perturbat omnia, cuj propterea eſt ſilentium
injungendum, ut monet D. Gregorius Theo-
logus, quis tunc canunt Cygni, cum tacent
graculi.

Similis ſimili gaudet. Eſt ſimilitudo mater 9
amoris, & amicitiæ conciliatrix, quapropter,
quiſque in ſibi ſimilem quadam fertur propen-
ſione; ait Tullius Pares cum paribus facillimè
congregantur, quod confirmans Plato ex E-
picarmo apud Diogenem Laertium; ait, canem
cani, bovem bovi, aſinum aſino, ſuem ſui pul-
cherrimum videri, & ut ait *Idillio 9.* Formicæ
grata eſt formica, cicada cicadæ: & ut in prover-
bio eſt: *ſimiles habent labra lactucas.* Probo pro-
bus, improbus improbo amicus eſt, quia nil
eſt, quod tam efficaciter attrahat, alliciátque ad
ineundam amicitiam, quàm morum ſimilitudo.

Vana ſine viribus ira, Sunt, qui minas ſpar-
gunt, terrores incuſſuri, quibus tamen cùm
vires non ſuppetant, crepitus potiùs videntur
edere aſinorum, floccique fiunt; eò quia mat-
tem in ſola ventoſa lingua præſeferant: ſic A-
pollo apud Homerum in iliade Æneam monet,
ne ſævis verbis, ac minis deterreatur, quo mi-
nùs pugnam experiatur, inquiens: *Tu rigido
ferro magis obvius ito, nec unquam te ſævis dictis
deterreat ille, minisque.* Hinc Æneas Achillem
arguit, ne verbis potiùs, quàm re ſecum pu-
gnet, quia facile ſit verbis altercari, difficile
autem re vincere. Verum eſt Socraticum ef-
fatum: *Tonitrua quidem pueros, ſed minæ ſtultos
territant*, plerumque magis terrent, quàm no-
ceant minarum ſtrepitus; perinde ac nubes,
quæ interdum ſine fulgetris tonant, minásque
ſpargunt, terrorem mulieribus incuſſuræ.

Pauca cum alijs, tecum multa loquere. Viri 10
ſapientis eſt, ait Seneca ad ſuum Lucilium:
Minimum cum alijs loqui, plurimum ſecum, quo
ſignificatur non temerè quidvis apud quemvis
effutiendum eſſe; & nec quidem coram familia-
ribus arcana ſunt proferenda; quia teſte Seneca
eſt quædam dulcedo ſermonis, qui irrepit, &
blanditur, & perinde ac ebrietas ſecreta prodit,

quod advertens D. Auguſtinus ait: *ſecretum, ſi tribus eſt manifeſtatum, omnibus eſt divulgatum.* Sera ſiquidem nulla eſt, quâ claudatur, unde aperta, quæ intus latent, foras producit, quapropter Chilon cuidam percunctanti, quid eſſet, difficile reſpondit, *arcana reticere.* Hinc monet Valerius Maximus, Optimum, ac tutiſſimum rerum adminiſtrandarum vinculum eſſe taciturnitatem, quod cum non lateret Ovidium cecinit

Eximia eſt virtus præſtare ſilentia rebus:
At contra gravis eſt culpa tacenda loqui.

12 *Loqui neſcit, qui tacere neſcit.* Hoc effato ſignificatur ejuſdem artis eſſe rectè tacere, & rectè loqui; quia teſte D. Gregorio rectè ſcit loqui, qui ſcit ordinatè tacere, utrumque viri eſt ſapientis. Hic enim non ſolùm quod loquitur, ſtudiosè inquirit, ſed etiam opportunitatem loci, temporis, & perſonæ, cum qua eſt ſermo miſcendus. De rebus præſertim ignotis, vel parum notis, aut etiam ſupervacaneis ſermonem inſtituere perinde eſt, ac intempeſtivè garrire, quod præſtant locululei, & B'atetones verba temerè effutientes. Zeno à Ptolomæi Legatis unà cum alijs Philoſophis ad convivium invitatus, reliquis omnibus inter pocula ſuam jactantibus eruditionem Zeno ſolus tacuit, & cum unus ex Legatis cauſam perjiſſet talis ſilentij, reſpondit Zeno, loqui ad rem perdifficile eſſe, & ſatiùs tacere, quàm loqui ineptè.

13 *Quisquis diſſimulare neſcit, neſcit imperare.* Multa in quovis ſtatu diſſimulent homines, neceſsè eſt, maximè in imperio, & regimine, hinc Tiberius Cæſar teſte Tacito, nullam, ut rebatur, ex virtutibus ſuis, magìs quàm diſſimulationem diligebat. Plerumque debet Princeps vel ſimulare invitus, vel diſſimulare cum dolore, ne videat, quæ videt; aut ne audiat, quæ audit, ne deteriora ijs, quæ imminent diſcrimina, contingant. Ad quod tamen virtus requiritur prudentiæ; ſiquidem ſeveritas ſine clementia, verè eſt, ut ait Auguſtinus, ſæva feritas, & niſi ea intra congruentes nocentium pœnas ſe contineat, fit ſæva crudelitas. Princeps Juſtus improborum errores diſſimulat, non quòd eorum conſentiat iniquitati, ſed expectaturus opportunum correctionis tempus, quod enim differtur, non aufertur; interim moderatione animi, vel maximè opus eſt in imperio, ut Princeps priùs, quàm alijs, ſibimet imperet.

14 *Ubi mel, ibi fel.* Quia nulla eſt tam proſpera, & arridens fortuna, de qua non poſſit quis conqueri, nec ulla eſt voluptas, cui pediſſequus non ſit dolor; ita humanæ vitæ ratio eſt conſtituta, ut dolor voluptatem, & voluptas dolorem fatali quadam lege ſemper conſectetur, Hanc bonorum, malorúmque mixturam, rerúmque humanarum viciſſitudinem Homerus in iliade expreſſit figmento duorum doliorum, quæ in limine Jovis eſſe ſcribit, ex quibus ille mortalium res temperans. *Nunc lætis vitam miſcet, nunc triſtibus idem.* Et alibi hoc idem elegentiùs expreſſurus herbam Moly producit in ſymbolum, cujus radix nigra, & flos niveus eſt; quo ſignificatur, optimarum rerum principia, plerúmque difficillima eſſe, ſed ex ijsdem lætum tandem, & exoptatum finem conſequimur. Huc pertinet ſuperſtitio Romanorum, quos duas coluiſſe Divas refert Macrobius, Angeronam, & Volupiam, quarum illa ab angore, & dolore; hæc à voluptate ſuam trahit nomenclationem. Fuit Angeronæ ſimulacrum in Fano Volupiæ, quia dolor comes eſt voluptatis, & hæc doloris.

Virtuti fortuna comes. Quia tunc ſtat fir- 15
mior, quæ nobis fortuna arridet, ſi fundamento innitatur virtutis, cui æterna quadam Societate ſe jungat, ídque cauſæ, cur Calimachus à Jove petierit, ſimul virtutem, & fortunam inquiens: *Virtutem da largus, opéſque, nam ſine virtute haud reddit fortuna beatum, nec ſine fortuna virtus, da dexter utrumque.* Hinc Ariſtoteles in Nicomachicis ait: præſtantiſſimam hominum vitam virtute conſtare, & felicitate, & ut ait Pindarus in Pithijs: Multum valent divitiæ virtute duce, comite fortuna partæ.

Bis vincit, qui ſe vincit. Proprias enim 16
coërcere paſſiones, affectúſque immodicos compeſcere viri eſt fortis, præſertim ſi hoſtibus parcat, quod præſtitit Scipio Africanus, qui maluit unum civem ſervare, quàm mille hoſtes occidere. Ejuſdem ſenſûs fuit Antoninus Pius, qui pacem ſemper prætulit bello, & cenſuit, hanc debere primam eſſe Ducis curam, ut quamminimâ civium jacturâ compararetur victoria; non enim Princeps ad id conſtitutus eſt, ut alios lædat, ſed ut ſubditos juvet, ac ſervet, ad quod præſtandum neceſſe eſt, diſcat priùs ſibimet imperare, quàm alijs, ſéque priùs vincere, quàm hoſtes; quia ſui victoria, ait Plato, eſt omnium maxima: hinc Cicero pro Marcello. *Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adverſarium nobilitate, ingenio, virtute præſtantem non modò extollere jacentem, ſed etiam amplificare ejus priſtinam, dignitatem, hoc qui facit, non ego ſummis viris comparo, ſed ſimillimum DEO judico.* Et Theodoſius Imperator percunctantibus amicis, cur neminem eorum, à quibus læſus fuerat, morti traderet, reſpondit: *Utinam liceret mihi etiam vitæ reſtituere mortuos.* Alijs benefacere, & ſe ipſum parvi pendere modeſti animi eſt indicium.

Magnum timoris remedium Clementia. Id 17
monet Seneca in Octavio, quia ſicut ſævitia omnibus eſt odio, ita clementia amori; quod cùm noviſſet Diocletianus Imperator percunctatus, quænam eſſet in Principe dos potior, reſpondit: *liberalitas & clementia.* Oportet, populorum moderatorem unà cum aculeo juſtitiæ mel clementiæ miſcere, quia cùm clementia amorem conciliet, neceſſe eſt odium, ac timorem excutiat; & ubi ſubditi Principem amant, alio hic non indiget prætorio milite, quo cuſtodiatur. Præclarè ajebat Appius: *Cuncta imperia crudelia, magis acerba, quàm*

diu-

diuturnum arbitror, nec quemquam à multis metuendum eſſe, quin ad eum ex multis formido recidat.

18 *Non decet Principem quidquam obiter facere.* Cum officium Principis ſit commodum promovere ſubditorum, debet in id ſuis ſtudijs, actionibus collimare; proinde nil obiter debet agere, ſeu præter rem, aut propoſitum promovendi ſubditorum commoda; in quo ſenſu dixit Dio: nil decet Imperatorem obiter facere, quia debet operam dare, & omnem adhibere diligentiam, ne quid temerè, ac negligenter agat.

19 *Placere vivus, laudari mortuus volo.* Quia ſi quis cum adhuc vivit, probis omnibus placet, non poteſt non inſigniri virtutibus, quarum exercitio alijs placet, cum ſola virtus laude ſit digna: & qui ita vivus alijs placet, non poteſt non laudari mortuus. Ita debet quiſque ex virtutum exercitio laudes promereri, ut adulationem oderit; ſiquidem non virtutis, ſed fortunæ adulatio eſt comes, cui propterea præ cæteris obnoxij ſunt Principes, quorum opes ſæpius aſſentatio evertit, quàm hoſtis: ait Ammianus Marcellinus; Adulatio eſt, quæ plurimum veritati officit; ex qua etiam Princeps bonus, ſi indulgeatur, plerúmque fit Tyrannus. Unde ſatius ſi vir probus laudetur mortuus, quia tunc ſine livore, & odio judicatur, neque enim ait Cicero, mortuorum laudi, & gloriæ facilè quiſquam invidet. Quamdiu hîc vivimus gloriam virtutum exercitio, quo alijs placeamus, promereri debemus, non appetere: eſt enim gloria, ait Plinius *L. 1. ep.* veluti Crocodillus, aut umbra, quam qui fugit, aſſequitur, & quæ aliàs affectatores ſui effugit. Hinc D. Hieronymus pulchrè ait: *Fugiendo vanam gloriam, meretur homo veram gloriam; quæ virtutem, quaſi umbra ſequitur: & appetitores ſuos deſerens appetit ſui contemptores.* Nobile hujus documentum dedit Romæ Cato, qui quò minùs gloriam petebat, eò eam magis aſſequebatur: rectè Livius: ſpreta in tempore gloria interdum redit cumulatior.

20 *Imago animi eſt ſermo.* Ut enim oculus mentis, ita ſermo cordis eſt index, unde Seneca in epiſt. ad Lucilium, *Talis eſt oratio, qualis vita:* quapropter Democritus apud Laërtium vocat orationem, vitæ ſimulacrum; lingua ſiquidem foras prodit, quæ intus homo cogitat. Idque cauſa, cur ſtultus nonniſi ſtulta loquatur, & vitijs indulgens nonniſi lurida, & ſcurrilia; proinde ne qualis ſit quis intus, exploratum ſit alijs, ſatiùs cautè pauca loqui.

21 *Suus ſibi quisque hæres.* Quia quæ ſerit homo, hæc & metit, ſi vitijs indulget, nonniſi vitia ſecum trahit; qualis fuit Heliogabalus, cujus libido portentoſa etiamnum in hiſtorijs fœtet, & quâ Sardanapali cognomentum meruit, quem vita, & moribus expreſſit; quippe ut Satyricus dixit *Epicuri de grege porcus: cui fuit in ſolo vivendi cauſa palato*, & cùm familiaris quiſpiam immanem hanc deteſtaretur, luxuriam fertur reſpondiſſe, *quid meliùs, quàm ut ipſe mihi ſuus hæres ſim, & uxori meæ*, ſentiens, hominem debere ſibi vivere, genio indulgere, & voluptatibus ſenſuum obſequi, neque de craſtino cogitare. Aliud tamen eſt ſapientum judicium teſte Plutarcho, nil magis ſervile eſſe, cenſent, quàm luxuriam; quia ut ait Plutarchus, mali ideò vivunt, ut edant, bibant, voluptatibus indulgeant: probi verò edunt, & bibunt, ut vivant, & virtutes exerceant, pulchrè Valerius Maximus lib. 9. cap. 1. *Libidine, & luxurie nil fœdiùs, nil damnoſiùs: his virtus atteritur, victoriæ languescunt: ſopita gloria in infamiam convertitur, animique pariter, & corporis vires expugnantur, adeò ut neſcias ab hoſtibus ne, an ab illis capi, perniciosiùs habendum ſit.*

Qui vendit, oportet ut emat. Alexander Severus culturâ virtutum, & exercitio æquitatis inſignis, in quo probitas morum ſplenduit, & integritas vitæ effloruit, militéſque ſuos ſeveritate quadam & gravitate cenſoria intra limites honeſti continuit, illud frequenter in ore habuit, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, æquiſſima ſanè Principis vox jus gentium proferens, quia ſicut in alios nos gerimus, ita & alij in nos; qui enim alteri exitium parat, eum ſcire oportet, ſibi paratam peſtem, ut participet parem teſte Tullio *Tuſc. 2.* Quod animadvertens Caſſiodorus *in epiſt.* ait: Pœna peccati eſt, ut unusquiſque in ſe recipere poſſit, quod in alterum protervus exercuit. Idque expertus fuit Thurinius Verconius, qui cum familiariſſimus eſſet Alexandro Severo, & Provinciarum, munerúmque publicorum nundinationes exerceret; dignitates, & officia venderet, ſeu fumum, ut vulgò dicitur, pretio daret; eundem emere non comparata pecunia, ſed parato ſupplicio adactus fuit: reus ſiquidem criminis juſſu Imperatoris fumo ſuffocatus eſt clamante Præcone: *fumo pereat, qui fumum vendidit*, ut refert Lampridius in Alexandro Severo. Ex quo ortum duxit illud effatum; *qui emit, vendat, neceſſè eſt.* 22

Neceſſè eſt, multos timeat, quem multi timent. Hæc eſt Tyrannorum vita, in qua ut ait Tullius nulla fides, nulla charitas, nulláque ſtabilis benevolentiæ poteſt eſſe fiducia, ſed omnia ſunt ſemper plena ſuſpicione, abſque ullo loco amicitiæ, quia ut loquitur Seneca, qui pavet vanos metus, veros fatetur; & ejus ingenium pronum eſt ad formidinem. Quo fit ut Tyrannus, quem multi timent, etiam multos timeat, neque diligat quemquam, neque à quoquam diligatur, ſed ab omnibus odio habeatur; quò nil miſeriùs, & infeliciùs nihil. Hinc Ennius ait, quem metuunt, oderunt, quem quiſque odit, perijſſe expetit. Et Cornelius Tacitus: *Metus & terror infirma vincula ſunt charitatis, quæ ubi removeris, qui timere deſierint, odiſſe incipient.* 23

Bonis nocet, qui malis parcit. Hoc effato monemur in animadvertendo contra nefarios, ſceleſtóſque viros opus eſſe quadam ſeveritate juſtitiæ. quia ut Publius etiam in Minos retulit, *bonis nocet, quisquis pepercit malis.* Quandoquidem impunitas malorum Bonis, & probis exitialis eſt, ac perniciem infert Reipubli- 24

cæ, quia peccandi illecebra incrementum ſubit. Multò igitur eſt utilius, unius improbi ſupplicio multorum improbitatem coërceri, quàm propter multos improbos uni parcere; ut quem ipſa natura, & Diſciplina retinere in officio non poteſt, is ſaltem timore pœnæ ſubmoveatur maleficio, ne privatim, aut publicè alios lædendo Reipublicæ ſit exitio; hinc Lactantius: *bonorum ſalutem cuſtodit, qui malos punit.* Sic Solon Legislator duabus rebus contineri dixit Rempublicam *præmio*, & *pœna*, & Antiſthenes cenſuit, nullam eſſe majorem perniciem Reipublicæ, quàm ſi boni à malis non diſcernantur, id eſt, ſi mali obſerventur, & boni negligantur, quia civium probitas Rempublicam ſtabilit, & improbitas malorum convellit, quapropter Cicero *lib. 3. de nat. Deor.* Nec domus, nec Reſpublica ſtare poteſt, ſi in ea nec rectè factis prœmia extent ulla, nec ſupplicia peccatis.

25 *Ille Princeps miſer, quem latet veritas.* Quia cùm ſit veritas, quâ omnis virtus innititur, & nequeat Princeps ſine exercitio virtutis rectè ſubditos regere, ſequitur, neceſſariam eſſe Principi veritatis notitiam, in quo ſenſu Euripides in Alchmæone veritatem viri Principis decus, & prœmium nominat, & Julius Capitolinus cenſet, miſerum eſſe Cæſarem, apud quem vera reticentur; & Auguſtus mortuo Varo ſe dolere ajebat; eò quia non eſſet, à quo verum audiret; & Ludovicus II. Galliæ Rex fertur dixiſſe, ſe in ſuo Regno, & potiſſimum in aula propria abundare rebus omnibus una excepta, & quærentibus Aulicis, quænam res illa eſſet, quâ careret, veritatem eſſe reſpondit.

26 *Nemo amicus idem, & adulator.* Quia cum ſimulatio vitium foveat, amicitiæ repugnat, præſertim quia adulatio omnem delet veritatem, ſine qua non ſtat amicitia, quæ teſte Tullio in Lælio in eo eſt ſita, ut unus quaſi animus fiat ex pluribus, & nihil ſtabile eſſe poteſt in eo, qui ad alterius non modò ſenſum, & voluntatem, verùm etiam vultum, & nutum ſe flectit; unde nihil magis perniciosum Reipublicæ obtingit, quàm civium adulatio, quapropter Bias apud Plutarchum rogatus, quæ beſtia eſſet præ cæteris nocentior *inter feras* inquit *Tyrannus; inter cicures adulator*, nam corvi nonniſi mortuos, & adulatores etiam vivos devorant, & Seneca adulatores ſuorum Dominorum non tam arriſores, quàm arroſores eſſe ajebat.

27 *Virtute decet, non ſanguine niti*, quia vera nobilitas eſt, quam virtus alit. Scitè D. Hieronymus in epiſt. ad Celan. *Neque ſanè aliter ſit integra, atque perfecta nobilitas, quàm ſi quis dedignatur ſervire vitijs, & ab his minimè ſuperari.* Pecudum nobilitas eſt bona, & firma corporis habitudo, hominum autem morum bonitas. Quid enim aliud eſt nobilitas ſine virtute, quàm inanis quidam fumus obſoniorum, & teſte Herodiano *fortunæ formæ etiam indignos exornant.*

28 *Summa ruinis obvia.* Quia ut cecinit Lucanus *Summis negatum ſtare diu.* Summa enim qui attigerunt faſtigia, quò altiùs progrediantur, non habent, proinde neceſsè, ſi moveantur, præcipites ruant, quod innuit Seneca, inquiens, *quidquid ad ſummum venit, ad exitum propè eſt.* Et Livius aſſerit eò rem perveniſſe Romanam, ut jam magnitudine ſua laboraret. Naturaliter, quod procedere nequit, neceſsè eſt, recedat. Hinc cecinit ille

Optima ſunt homini mediocria: ſumma periclis
Obvia: contemptum ſordida vita parit.

29 *Nullum tutius Principi ſatellitium amore civium.* Quia ut ſcitè ait Seneca *lib. de Clementia.* Unum eſt Regni inexpugnabile munimentum amor civium, ſeu quod in idem recidit, nulla eſt Principis cuſtodia firmior, nulla tutior, quàm vera, & ſtabilis civium benevolentia, quia teſte Tullio *lib. de finib.* amicitia præſidium eſt firmiſſimum. Quod cum noviſſet Micipſa Rex Numidarum apud Saluſtium, Regnum traditurus filijs dixit, non exercitus, neque theſauri præſidia Regni ſunt, ſed amici, quos neque armis cogere, neque auro parare poſſitis; officio, & fide parantur. Quia ut ſuggerit Seneca tutiùs volentibus, quàm coactis imperatur.

30 *Audentes fortuna timet.* Si fortes fortuna juvat, audentes timet, quia teſte Plutarcho, nihil audentibus eſt inexpugnabile, nilque ſatis munitum adverſus temerarios hominũ auſus. Nam fortuna cùm benignè ſemel arriſerit, audentes ſecundo paſſu ſubſequitur, & qui nil agunt, ijs fortuna fert opem.

31 *Rex viva lex.* Quia ſicut, qui populum regit, & leges condit, debet alios exemplo fortiùs, quàm verbis docere, ſic, quòd ſancitas à ſe leges debeat ipſe ſervare, ut ſit alijs viva lex, quod præſtitit Claudius Cæſar, quem Senatus, populúſque Romanus ante imperium, & in imperio, & poſt imperium habuit in delicijs, eò quia, quas tulerat leges in imperio, religioſiſſimè ſervaverit, ſuóque exemplo veluti ſymbolo docuerit, Regem eſſe vivam legem, quamvis Princeps legibus quodammodo ſolutus ſit, in caſu ſcilicet opportuno, ut loquitur Livius; tamen ut ait Ariſtoteles *lib. 3. Polit. cap. 9.* civile eſt, eum parêre legibus, quia ut dixit Solon, ſi Princeps ſecundùm leges vivat, univerſam Rempublicam optimè tunc regit, & cives in officio continentur, hinc habetur illud Pittaci apud Auſonium: *Pareto legi quiſquis legem ſanxeris.*

32 *Sis qualis eſſe velis.* ait Socrates hanc vitam viam eſſe ad gloriam, quam ſinguli appetunt, ſed compendiariam viam ad illam eſſe ſi quisque id agat, ut qualis haberi velit, eſſe ſtudeat; unde Horatius: *Tu rectè vivis, ſi curas eſſe, quod audis*, quo monemur dandam eſſe operam virtuti ab eo, qui ſtabilem gloriam conſequi velit, quia virtus expedita, & compendiaria via eſt, quâ pervenitur ad gloriam: & quia vellent omnes ſaltem videri virtutibus inſigniti; ideò ſi ſint, quod eſſe velint per exercitia virtutum ad gloriam facilè pertingunt.

Ceſ-

33 *Ceſſiſſe multitudini viciſſe eſt.* Contra populum tumultuantem noo armis, ſed benevolentiâ, ac verborum illecebrâ agendum eſt; quia ubi vires ſunt valentiores, proprias deperdit violentia; & teſte Varrone apud Gellium *Noct. Attic. lib. 13.* *Turba turbulenta eſt*, eſt enim corpus ſine pectore, cujus ſpiritus, & cor vitale Rex eſt, ſine quo excors eſſe dicitur, & corpus ſine capite, ſeu ſine ratione, quâ ducatur, proinde brutorum more cæco impetu irruit io obvium quemque; hinc Euripides in Iphigenia ajebat. *Multitudo magnum malum*, præſertim ſi malitia, vel imperitia aliquid agat. Quapropter Curtius *lib. 12.* ait: *Nullum profundum mare, nullum vaſtum fretum, & procelloſum tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet, ſi nova & brevi duratura libertate luxuriat.*

34 *Marcet ſine adverſario virtus.* Miſera enim ſemper fuit fortuna, quæ æmulo caruit, quia modicè claruit, cum felicitatis comes ſit vitium, quò nil eidem felicitati nocentius, ait Euripides; quemadmodum virtus per labores incedit, ita per otia vitium; adeò ut D. Ambroſius otium dixerit eſſe *pulvinar Sathanæ*: ubi in ſolio inertia ſedet, nulla ibi virtus efflreſcit; neque ſtabile eſt regnum, quod otio marceſcit, ait Horatius: otium Reges priùs, & beatas perdidit urbes, quia ex rerum copia gignuntur vitia, quæ otio foventur; ſic Romanorum fortuna tunc ruere cœpit, cum exciſa Carthagine, Perſeóque capto hoſtibus caruit, in quos bellica virtus Romanorum ſe exerceret; tunc enim ex otio rubiginem contraxêre gladij, & victricia Romanorum arma, & milites cœperunt otio molleſcere, bellicámque fortitudinem exuere, idque cauſæ, cur fortuna cœpit Romanorum mutari in deterius: ait D. Auguſtinus, *Otio perjit Roma deletâ Carthagine*, & cauſam addit Livius, inquiens: *Nuper divitiæ avaritiam, & abundantes voluptates deſiderium per luxum, atque libidinem pereundi, perdendique omnia invexêre.* Scitè Poëta

Luxuriant animi rebus plerumque ſecundis.
Nec facile eſt æqua commoda mente pati.

35 *Hominem exuit, cum quis iraſcitur.* Ea eſt vis iræ, ot non ſolùm corporis humores, verùm & mentem, ac rationem perturbet, hominémque ab homine dejiciat, eò quia ex iræ ferventiori æſtu non ſit amplius ſui compos: æſtuante ſiquidem irâ nil rectè, aut conſideratè fieri poteſt, ait Tullius, quia impedit ira animum, ne poſſit cernere verum, nec quidquam magis pugnat cum ratione, quàm ira, quia ut ait D. Gregorius *menti furore ebriæ, omne quod rectum dicitur, perverſum videtur.* Idque cauſæ cur Saluſtius dixerit, iram, & cupiditatem peſſimos eſſe conſultores.

36 *Non quamdiu, ſed quàm benè.* Nihil prodeſt diu vixiſſe, niſi vita proba mortem præceſſerit, proinde non quamdiu, quis vivat, refert, ſed quàm benè. Diu vixit, ait Chriſoſtomus, qui paucis annis multa talenta lucrifecit bene vivendo. Neque is vivit, ait Seneca *epiſt. 52.* Cui nihil eſt in mente, niſi ut vivat; quo fit, ut ſæpè, qui diu vivit, parum vixerit, quia benè non vixit; non enim vita maximi eſt facienda, ſed bona vita plurimi eſt habenda. Non igitur ot diu vivamus id curandum, ſed ot benè, neque aliud eſt bene vivere, quàm honeſtè vivere per exercitia virtutum, quibus ad gloriam pervenimus, ait Cicero pro Rabirio exiguum nobis vitæ curriculum natura circumſcripſit, immenſum autem gloriæ. Non igitur, ut diu vivamus, curandum eſt, ait Seneca *epiſt. 49.* ſed ut benè agamus.

37 *Nunquam periculum ſine periculo vincitur.* Monemur effato declinare pericula, cum non ſine periculo valeamus ab ijsdem nos ſubtrahere, ait Cyprianus; *Nemo diu tutus eſt, qui periculo proximus eſt.* propterea inſanientis eſt in periculum abſque neceſſitate ſponte ſe conjicere.

38 *Eripere telum, non dare irato decet.* Cùm compertum ſit iram ſæpiùs ſibi, & alijs fuiſſe exitialem ideo monemur, telum potiùs eripere, quàm dare irato, qui perſæpè furit etiam in amicos, quia ut ait Seneca: immodica ira gignit inſaniam, neque conſilium ullum habet, idque teſtatus fuit Theodoſius Imperator, qui ità æſtuans ob cæſum Præfectum præſidij Theſſalonicæ, ultro octo millia hominum immiſſo exercitu delevit nulla ratione habita, aut ſexûs, aut ætatis, aut innocentiæ cujuspiam.

LIBER IX.

De Argutijs Sacro-Moralibus Concionatorijs.

TAmetſi princeps Concionatoris munus ſit animos Auditorum movere ad fugam vitij, ad culturam virtutis; & id præſtet per argumenta non probabilia, ſed firma, ac inconcuſſa; quibus nequeant Auditores refragari; ac propterea, ut victi, & quaſi vincti trahantur ad ſaniorem frugem, ac deterreantur ab indulgentia vitiorum; adhuc ad eundem pertinet delectare, & docere: & quia de argumentis eruendis è ſuis fontibus, ritè formandis, ac collocandis in orationibus, ac concionibus, abundè diſſervimus in præcedentibus; ut & de Argutijs, quibus Auditores alliciuntur, & plurimum hauriunt oblectamenti, & Concionator ſuo fungatur officio non ſolùm movendo vi argumentorum; ſed etiam delectando culturâ eloquentiæ, floſculis argutiarum, figurarum varietate; adhuc ſupereſt tertium obire munus, ſeu docere, & præſertim dilucidare veros, ac genuinos ſcripturarum ſenſus, quibus perceptis Auditores mores corrigant, ad ſtudia virtutum alliciantur, & à vitijs avertantur; ideo factu optimum duxi adjicere varias SS. Patrum Scripturarum interpretationes, quæ docendis Auditoribus prorſus accommodantur, & Concionaroribus uberem ſuppeditant materiam pro concionibus ſacris componendis. Et quia inolevit conſuetudo, quâ hujusmodi ſcripturarum interpretamenta conceptus vocentur prædicabiles; ſactæ Argutiæ à nobis dicuntur, eò quia è ſacris eruantur ſcripturis.

EXPENSIO I.

Donantur explicatu ſacro-morales Concionatoria Argutia.

ARgutiæ ſacro-Morales dicuntur, quæ ſuam trahunt originem à divinis ſcripturis, quarum ſenſus cum plerumque non fiant ſtatim obvij, nec intellectus plenè quieſcat in eorundem captu, ſed potiùs hæreat anceps, ac perplexitate pulſetur, an verba tali, vel alio modo ſint intelligenda, in ordine præſertim ad profectum animæ in cultura virtutum, vitiorum fuga, datur legenti anſa eas variè interpretandi, prout res nata fuerit in ſenſum ſpiritualem præſertim tropologicum, & anagogicum. Eſt ſenſus Tropologicus, qui ſub figurarum, ac ſimilitudinum umbris nos docet documenta moralia inſtar Emblematum: ut cum dicitur: *Quidquid obtuleris ſacrificij ſale condies* ad indicandum etiam in liberalitate adhibendam eſſe prudentiam, cujus ſal dicitur eſſe figura; & hæc tropologica interpretatio aliquid continet ſacræ argutiæ; quia ſupra ſenſum literalem excogitat intellectus figuram ſalis, quam aſſerit, eſſe primam virtutum Cardinalium, quæ prudentia dicitur adhibenda in cunctis humanis operationibus: cum & ipſe Ariſtoteles aſſerar, libertatem ſine prudentia non eſſe virtutem, ſed prodigalitatem, ac degenerare in vitium. In ſenſu tropologico explicatur

etiam

etiam illud aliud: *Sacerdotes barbam ne radunto* ad ſignificandum ſacerdotes, ut tuantur res divinas debere fortes eſſe, ac viriles; ac maſculam fovere virtutem indicatam per barbam figuratìvè: Cynicus enim Diogenes interrogatus, cur barbam nutriret, repoſuit, *ut me virum eſſe meminerim.* In ſenſu tropologico explicatur illud Deuter. 25. *Non alligabis os bovi trituranti*, ſeu eſſe operarium dignum mercede ſua, ut explicat D. Paulus *1. ad Corin. 9.* Item cum præceptum fuit leproſis, ut oſtenderent ſe ſacerdotibus: docemur per textum tropologicum pertinere ad ſacerdotes judicare de peccatis, quorum figura eſt lepra. Senſus Anagogicus eſt, qui arcana Dei, & ſecreta eccleſiæ per ea, quæ facta ſunt nobis, oſtendit; adeò ut, quæ in hac vita geſta narrantur, ea ſignificent, quæ habentur in cœleſti patria; dicente Apoſtolo per ea, quæ facta ſunt, ducimur ad cognitionem inviſibilium. Apoſtolus *ad Hebr. 4.* adferens illud Pſal. 49. *quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam*, literaliter explicatur de terra promiſſionis: & anagogicè de vita æterna. Apocal. *Beati qui lavant ſtolas ſuas in ſanguine agni, ut ſiat poteſtas eorum in ligno vitæ:* hoc textu anagogicè docemur, neminem fruiturum regno cœleſtis beatitatis, niſi ſanctificatus fuerit per merita JESU *Chriſti.* Item vetus Jeruſalem anagogicè ſignificat cœleſtem patriam Apocal. 21. *Vidi civitatem ſanctam novam deſcendentem de cœlo,* Item hierarchia eccleſiaſtica ſignificat cœleſtem; & D. Paulus ad Hebr. cap. 9. per ingreſſum ſacerdotis in manufacta ſancta Sanctorum; vult ſignificari ingreſſum Chriſti in cœlum.

2 Alius eſt ſenſus Allegoricus, qui ſub metaphorarum umbris, ac ſub ſimilitudinibus rerum materialium obtegit myſteria fidei. Dari in S. ſcripturis ſenſum hunc allegoricum claret ex D. Paulo 1. ad Corinth. 10. ubi præmiſſo quòd Patres veteris teſtamenti omnes ſub nube fuerint cum pluribus alijs; ſubdit: *hæc autem in figura contingebant eis.* Pari pacto ad Hebr. 10. Poſt accuratam per plura capita diſcuſſionem ſignorum, ſymbolorúmque veteris teſtamenti in ordine ad novum, ſubdit cauſalem ſuppoſitionem: *Umbram enim habens lex, futurorum bonorum,* hoc eſt futurorum in nova lege, in qua ſtabilienda, & perſuadenda totus erat D. Paulus in illa epiſtola. Præterea ſatis dilucidè D. Paulus ſenſum allegoricum ſignificat ad Galat. 4. ubi recenſita hiſtoria de Abrahamo, qui habuit duos filios unum de ancilla, ſeu Iſmaëlem ex Agare, & alium de libera, ſeu Iſaacum de Sara ſubdit; *quæ ſunt per allegoriam dicta: hæc enim ſunt duo teſtamenta,* & ex ejectione Agaris, & Iſmaëlis filij è domo infert ceſſationem legalium. Hi tres ſenſus dicuntur ſpirituales, vel myſtici, qui cum interpretentur ſenſum literalem, quem transferunt ad rem aliam, hæc translatio ut fit beneficio intellectus creati explicantis moraliter ſenſum literalem dicitur argutia ſacra fundata in ſenſu litterali divinæ ſcripturæ; adeò ut ipſemet Deus in ſenſu litterali ponat fundamentum, & intellectus creatus ſuper hoc fundamento ædificet, conſtruátque argutias ſacras; quæ propterea non habentur articuli fidei, benè tamen ſenſus literalis eſt de fide, quia iſte ab intellectu divino fuit dictatus, ſenſu verò myſticus, ſeu argutia ſacra ab intellectu creato; niſi ſenſus myſticus ſit principalis, quia tunc eſt ſenſus ſcripturæ intentus à Spiritu ſancto.

Cum igitur in præcedente libro egerimus de argutijs generatim ad ornatum tam ligatæ, quàm ſolutæ orationis, non abs re fore duxi, ſi adjicerem veluti florilegium ſacrarum argutiarum ſelectarum, quas deprompſi ex SS. Patribus, & alijs probatis authoribus in commodum Concionatorum, qui divinis innituntur ſcripturis ad fugam vitiorum, & virtutum culturam perſuadendam: eſt ſiquidem ſacra ſcriptura theſaurus locupletiſſimus, quem qui invenit, alia quæq; flocci, nihilique facit Matth. 13. 12. Præ gaudio illius abjit, & vendidit univerſa, quæ habuit, & emit agrum illum; credidit hunc theſaurū divinæ ſapientię præferendum eſſe reliquis omnibus, quæ poſſederat, alioquin ſua omnia non abjeciſſet, hunc unum ſibi comparaturus theſaurum: facultates divenditas dixerim eruditiones profanas, & humanas ſcientias, quæ ſacræ poſthabentur eruditioni, & ſapientiæ Prov. 31. v. 29. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas:* hoc eſt plures concionatores ex varijs ſcientiarum, eruditionum, ac hiſtoriarum officinis plura ſibi comparant, quibus proprias ornent, & locupletent quæſtiones; ſed qui ſacræ inhæret ſcripturæ utiliora depromit, quibus cæteros intecellit; quia ſacra ſcriptura plures, & utiliores veritates includit; quàm reliqua cæterorum ſcriptorum monumenta. D. Hieronymus Epiſt. ad Euſtachium confert ſcripturam ſacram margarito, inquiens: *Margaritum eſt ſermo Dei, & ex omni parte perforari poteſt,* ſeu interpretari à concionatoribus ad fuganda vitia, mores corrigendos, & ad virtutum ſtudia auditores alliciendos; & eos imitantur, qui pretioſos lapides in mari quærentes: *non ſedent juxta littus maris fluctus numerantes,* ut loquitur D. Chryſoſtomus homil. 9. in Geneſ. *ſed in profundum ſe demittunt.* 3

Quòd ſi populus pluribus laborat ægritudinibus, alexipharmaca concionatores ex divinæ ſcripturæ pharmacopolio deſumunt curandis animi morbis omnibus opportuna. Eſt enim ſacra ſcriptura medicum myropolium, in quo pharmaca omnia reperiuntur: idque Salomon aſſeruit, cum loqueretur de Hebræis, qui inter Ægyptios multis plagis ſauciatos incolumes conſiſtebant Sap. 16. n. 12. *Neque herba, neque malagma ſanavit eos, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia:* eſt verbum Dei panacea morbis omnibus curandis perapta David Pſalm. 106. *Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos.* quaſi hoc unum ſit panchreſtum, ſeu omnium ægritudinum pharmacum; nullius igitur eſt ita deſperata ægritudo, ut ſi ad ſacræ ſcripturæ pharmacopolium confugiat, pharmacum non inveniat propriæ curandæ ægritudini idoneum, & quo facilè convaleſcat: id ſcripſit S. Baſilius epiſt. ad Gregorium Theologum, inquiens: *Ab ſcriptura unuſquiſque, tanquam ab officina medicinæ appoſitum ſuæ infirmitatis medicamentum inveniet* 4

poterit. Idque probans ſubdit: ſi quis morbo incontinentiæ laborat, eximiam Joſephi caſtitatem recognoſcat. Si laborum pondere frangitur, infractum Jobi animum contempletur. Si injurijs laceſſitus ſtomachatur, Davidis clementiam intuitus detumeſcat. Si provocatus affectuũ rebellionibus in vindictam exardeſcit, Moyſis ſingulari manſuetudine admonitus iras deponat, ac toto quieſcat animo. Ita ferè loquitur S. Baſilius. Idque cauſæ cur ſacra ſcriptura mannæ ſoleat pariari, quę Coriandro confertur Exod. 16. n. 31. quia referente S. Cyrillo Alexandrino lib. 3. in Joan. c. 34. Sicut Coriander ob inſitam a natura frigiditatem immoderatis æſtibus medetur: ita frigidior eſt divini ſermonis virtus, paſſionum ardores frigiditate ſua extinguens. Imò ſicut populus manna paſtus immunis fuit ab ægritudine Pſal. 104. *Non erat in tribubus eorum infirmus*; perinde qui divinis eloquijs veſcuntur, nullis paſſionum ægritudinibus laborant, S. Chryſoſtomus expendens verba Chriſti Joan. 5. *Vis ſanus fieri?* ait homil 36. in Joan. *Omnium medicinarum theſauri divinæ ſcripturæ ſunt.* Hoc pharmacum adhibuit Samaritanus ille, qui obvians homini à latronibus vulnerato, miſericordiâ motus inflicta eidem vulnera curare ſategit Luc. 10. 34. *Appropians alligavit vulnera ejus infundens oleum, & vinum.* D. Ambroſius per hunc Samaritanum ad litteram Chriſtum interpretatur, inquiens, *Multa medicamenta medicus habet* iſte, *quibus ſanare convenit. Sermo ejus medicamentum eſt. Alius ejus ſermo conſtringit vulnera: alius oleo ſovet: alius vinum infundit. Conſtringit vulnera auſteriore præcepto: ſovet remiſſione peccati: ſicut vino compungit denunciatione judicij.* Omnia medicamentorum genera, leniora, auſteriora in divina ſcriptura includuntur. Quinimo in Pharmacopolio ſcripturæ ſacræ non ſolùm reperiuntur alexipharmaca ægritudinibus omnibus animi curandis idonea, verùm & morti ipſi arcendæ, ac depellendæ opportuna. Idq; cauſæ cur D. Hieronymus epiſt. 34. ad Julianum S. ſcripturam conferat feretro illi, in quo Chriſtus mortuum adoleſcentem priſtinæ reſtituit vitæ Luc. 7. & illi alteri lectulo, in quo exanimatam puellam ſuſcitavit Matth. 9. n. 25. imò & illi ſepulchro, è quo Lazarum quatriduanum redivivum juſſit foras exire Joan. 11. n. 43. ait D. Hieron. *Ad SS. ſcripturarum gravitatem confugimus, ubi vera vulnerum medicina eſt: ubi dolorum certa remedia: in quibus recipit unicum filium mater in feretro: ubi turbæ dicitur circumſtanti: non eſt mortua puella, ſed dormit: ubi & quatriduanus mortuus ad vocem inclamantis Domini ligatus egreditur.* In ſacris enim ſcripturis ea continentur ſalutis præſidia, quibus mortui peccato, quia divina deſtituti gratia, per reſipiſcentiam reviviſcunt.

5 Non Pharmacopolium tantùm eſt divina ſcriptura, verùm etiam panoplia, & armamentarium. Cum ſit nobis colluctatio non ſolùm adverſus carnem, & ſanguinem, verùm etiam adverſus Principes, & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, ut loquitur Apoſtolus ad Epheſ. 6. n. 12. neceſſe erat, ut cum ſimus pugnas inituri contra tot hoſtes numero plures, & viribus formidabiles præſto nobis eſſent arma, quibus ad confligendum muniremur ad hoſtiles impetus propulſandos, ac eorundem inſidias elidendas. Hinc Salomon Cant. 4. ait. *Turris David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Neq; putes, quid aliud eſſe hanc turrim millenis munitam clypeis, niſi S. ſcripturam omnium virtutum obfirmatam exemplis, omnium probitatum armatam præceptis; omniúmque honeſtatum cataphractam conſilijs. S. Gregor. hom. 15. in Ezechiel. perpendens numerum millenarium clypeorum pendentium ex hac turri ait: Per hunc perfectum numerum clypeorum, numerum oſtendi univerſum; *quia univerſa noſtra munitio in ſacro eloquio continetur: ibi ſunt præcepta Dei; ibi exempla juſtorum: & quot illic exempla ſunt; tot etiam pectoris noſtri munimina. In hac turri armaturam noſtræ mentis invenimus: ut inde præcepta, inde ſumamus exempla, per quæ contra adverſarios noſtros inexpugnabiliter armemur.*

6 Rurſus obſervat S. Gregorius ad perfectiorem ſimilitudinem hujus turris cum S. Scriptura; hanc Davidicam turrim eſſe propugnaculis præmunitam, quæque im̃obiliter conſiſtunt; & ſcuta, quæ huc, illúcque facilè verſantur; ut ſignificaretur ineſſe ſacris ſcripturis miracula tanquam propugnacula, per quæ muniri poſſimus; quæ tamen agere ex noſtro non valeamus arbitrio; & ineſſe exempla virtutum, veluti clypeos verſatiles quóſque noſtris poſſimus aptare operibus, & ſimilia agere. Sed ſi turris Davidica divinam ſymbolicè ſcripturam repræſentat; turris Babelica, quam improbi homines conſtruere niterentur ad cœli expugnationem falſam ſubindicat hæreticorum ſapientiam, quæ verbis ipſis, ſeu falſis dogmatibus inter ſe ſe diſcrepantibus, & quibus non ſe intelligunt, corruit, ac diſſipatur. *Sola ſacra ſcriptura*, ait Rupertus l. 3. de victoria Verbi c. 3. *vera eſt, & verè pertingens uſque ad altitudinem cœli conſtruenda erat, ſacramenta continens jam dictæ promiſſionis.* ubi per promiſſionem intelligit Verbum divinum carnem factum, ut turris præcelſa maneret, & mille ex ea penderent clypei virtutum, quibus adverſariorum tela retunderentur: appoſitè S. Hieronymus epiſt. 9. ad Salvinam: *Semper in manibus tuis ſit divina lectio, nec non crebræ orationes, ut omnes cogitationum ſagittæ, quibus adoleſcentia percuti ſolet, hujuſmodi clypeo repellantur.* Hiſce, qui armis munitur, tutè pugnat, & victor evadit. David ad ſingulare certamen cum Philiſtheo deſcenſurus, *elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente.* 1. Reg. n. 40. Caſſiodor. in Pſal. 143. quem David compoſuit pro victoria delata de proſtrato Goliatho; per quinque lapides myſticè interpretatur quinq; libros legis: quia ſicut illi quinq; lapides limpidiſſimi fuerunt, ita libri legis puriſſimi ſunt Pſ. 18. n. 8. Lex Domini im̃aculata: quòd ſi Goliathus limpidiſſimis illis lapidibus corruit victus; Tartareus hoſtis ſacrarum literarum præſidijs premitur, & ſuperatur.

Solent etiam S. ſcripturæ pariari favo melis Cant. 4. n. 11. *Favus diſtillans labia tua*, ubi Philo: *Favus eſt divina ſcriptura; ut enim in favo mel*

&

& cera latent, quorum altero paſcimur; altero lumen accendimus: ſic in literis ſacris ſuaviſſimus cibus animi, & lumen mentis inſunt; hoc eſt, ſapientia, quæ mentem illuminat; & ſanctitas, quæ animum paſcit, ac reficit. Sapientiam à ſacris literis hauſit Eunuchus, ſeu Præfectus reginæ Candacis, is barbarus erat propterea Æthiops vocatur Actor. 8. n. 27. ſed incumbens ſtudio ſacræ ſcripturæ repentè è barbaro fit doctus, ut aſſeruit D. Chryſoſtomus homil. 53. in Geneſ. ubi ait, *Idoneum eſſe barbarum iſtum, qui nobis omnibus Doctor fiat;* lumen itidem nobis communicari à divinis litteris adſtruit David Pal. 118. *Declaratio ſermonum tuorum illuminat.* Paullulum mellis Jonathas prægustavit; & illicò *illuminati ſunt oculi ejus* 1. Reg. cap. 14. num. 27. quia ut exponit S. Hieronymus, ſenſus puriſſimus Scripturarum, quamvis modicæ prægustatus ſufficit ad ignorantiæ caligines excutiendas, & illuminandum; imò non ſolùm mentem clarificat in contemplatione; verùm & ipſos pedes illuminat in inceſſu, ne ambulantes deflectamus à recta ſemita; *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Sanctitatem itidem è ſacris literis in nos derivari ediſſerit David Pſal. 72. n. 17. *Labor eſt ante me, donec intrem in Sanctuarium DEI.* Lyranus Sanctuarium DEI interpretatur ſcripturam, ex qua tanquam ex Sanctuario divina oracula redduntur. Dicitur ſacra ſcriptura Sanctuarium, quia in ipſa Sanctitas continetur; unde David Pſal. 131. num. 8. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.* ubi textus Chaldæus legit: *Tu & arca, in qua eſt lex tua;* quaſi divina lex idem ſit, ac animæ ſanctitas. Imò etiam plantæ frugiferæ pariatur ſacra Scriptura David Pſal. 1. 2. *Erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Ubi S. Joan. Damaſcenus lib. 4. de fide c. 18. *Quemadmodum arbor plantata ſecus decurſus aquarum; ſic anima divinis irrigata ſcripturis impinguatur; & maturum fructum affert, fidem orthodoxam, & ſemper virentibus folijs; id eſt placentibus DEO actionibus condecoratur.* Neque mirum, ſi ſacræ ſcripturæ dicantur animam noſtram irrigare; cum pellucidis aquarum rivulis conferantur Iſa. 11. n. 9. *Repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientes.* Zachariæ 14. n. 7. *Erit in die illa: exibunt aquæ vivæ de Jeruſalem.* Joan. 7. 38. *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Fluenta ſacræ Scripturæ cordis noſtri tellurem irrigant, quò flores germinet virtutum. Quidni? ſi concupiſcentia inſoleſcit laſciviens; hiſce fluentis ejus æſtus refrigerantur; ſi iraſcentis animi affectus accenduntur in virtutis exitium, eorum flammæ hiſce aquis extinguuntur: ſi deſideria rerum humanarum, divitiarum, ac deliciarum intus pectus vellicant eorum ſitis hac unda ſopitur, huc accerſendus S. Cyrillus Alexandrinus lib. 5. in Joan. cap. 10. inquiens. *Aqua ſapientiæ ſalutaris* (ſcilicet ſcriptura ſacra) *noxiam hujus mundi ſitim, & vitiorum ardorem prorſus extinguit: ſordes omnes peccatorum eluit: animæ noſtræ terram cæleſti imbre irrorat, atque fœcundat.* Non ſolùm ſcriptura ſacra fluenta continet, quæ abluunt, refrigerant, ſitim extinguunt rerum humanarum, ac mundi voluptatum; & cordis noſtri tellurem irrigant, quò diſcat flores virtutum producere: verùm etiam ignem fovet, quo ab omnis ſceleris labe excoquit, & repurgat; & cujus flammis prava quæque deſideria, improbique affectus cineſiunt Luc. 12. n. 49. ait Chriſtus. *Ignem veni mittere in terram,* ubi S. Hieronymus epiſt. 142. ad Damaſum: *Quærimus, ubi ſit hoc incendium ſalutare? Nulli dubium, in ſacris voluminibus: ex quorum lectione univerſa hominum vitia repurgantur.*

8 Cùm igitur ſacræ ſcripturæ uberrimam ſuppeditent materiam concionatoribus invehendi contra vitia quò longiùs abigantur; & ad ſtudia alliciendi virtutum, ut earundem honeſtamentis ornemur; non abs re fore duxi, ſi quas ſparſim ſacras collegi argutias ex ſacris ſcripturis veluti in unum ſpicilegium colligatas hic attexerem in concionatorum commodum. Eruuntur ſacræ argutiæ ex jisdem fere aurifodinis decem prædicamentorum, de quibus ſatiatè diſſeruimus in præcedente libro; & præſertim à prædicamento qualitatis, & Relationis ob comparationes, ac ſimilitudines, quibus SS. Patres frequenter utuntur in ſacris explicandis ſcripturis, quarum ſenſus literalis ad anagogicum, vel tropologicum, & moralem transfertur. Diximus has tranſlationes ſuperadditas ſenſui literali eſſe opus intellectus creati; & à nobis dicuntur arguriæ ſacræ, quarum plures ſelectas ex SS. Patribus, aliorúmque Authorum eruditis interpretamentis, ac ſimilitudinibus ſubjicio præſertim circa vitiorum fugam, & culturam virtutum.

EXPENSIO II.

Exhibentur aliquot ſacræ Argutiæ ſelectæ ex ſanctis Patribus in commendationem ſacræ ſcripturæ.

1 QUoniā argutiæ dicuntur ſacræ, quia depromptæ è ſacris ſcripturis, præmittam aliquot argutias circa eaſdem ſacras ſcripturas. S. Zeno Veronenſis expendens illud Pſal. 44. v. 2. *Lingua mea calamus ſcribæ* argutè perpendit calamum fiſſum in duos vertices in unjus acuminis tenuitate digeſtos, & calamum unam utroque litteram conficere; cui ſi unum adimas, alterius eſt uſus inanis. Calamum interpretatur ſacram ſcripturam; & duos vertices fiſſione diſtinctos duo teſtamenta.

2 S. Gregorius Magnus homil. 8. in Ezechielem explicans illud Pſal. 103. 23. *Extendens cælum ſicut pellem; qui tegis aquis ſuperiora ejus.* Per cœlum intelligit ſacram ſcripturam, in qua ſplendet ſol æternæ ſapientiæ; luna ſcientiæ, & eluceſcunt ſtellæ, ſeu virtutes Patriarcharum, & Prophetarum, & exempla Sanctorum. Quòd ſi pellis facilè extenditur, præſertim ſi madeat; ita ſacra Scriptura in varios dilatatur ſenſus,

pluréſq; interpretationes, quibus Doctores divina myſteria nos docent. Aquarum nomine D. Gregorius ſanctos intelligit Angelos.

3 Richar. à S. Victore Prolog. in Cant. Explicans Pſ. 120. 1. *Levavi oculos meos in montem, unde veniet auxilium mihi.* Montem ſacram interpretatur ſcripturam, in quam ſi mentis oculos dirigimus, procul dubio divinum in nos derivatur auxilium: ait Richardus: *Scriptura ſacra mons quidam eſt; de quo in cordibus noſtris ad intelligendum Dominus venit.*

4 Philo in Cant. 1. c. 1. *Meliora ſunt ubera tua vino.* Duo ubera duo teſtamenta intelligit, quæ Eccleſiæ filijs lac ſuppeditant ſanæ doctrinæ, ut nutriantur, ac creſcant incrementis virtutum. Quædam in divinis ſcripturis manifeſta ſunt, & plura obſcura, quæ noſtrum videntur captum excedere; ſed dum illis paſcimur; iſtis exercemur, id innuit S. Auguſtinus lib. 83. quæſt. 9. 53. *Deus noſter ſic ad ſalutem animarum divinos libros Spiritus Sancto moderatus eſt, ut non ſolùm manifeſtis paſcere: ſed etiam obſcuris exercere nos vellet:* ſed ita nos exercent, ut etiam paſcant.

5 V. Beda expendens illud Num. 5. 18. *Ipſe autem tenebit aquas amariſſimas.* Aquam hanc interpretatur ſacram ſcripturam, quæ peccantibus non parcit: ſed ſi aqua eſt improbis amara; dulceſcit probis, quibus æterna ſpondet præmia. Aqua eſt divina ſcriptura, ſed quæ fluit pellucida, chriſtallina, totáque pura, & ſalubris per areolas virtutum ornatu floreſcentes: hæcque aqua eò eſt nobis utilior, & gratior, quò plures hujus aquæ uſus ſunt: unus enim plerúmque ſermo S. Scripturæ variè explicatus, ac intellectus pluribus animæ languoribus prodeſt. Peritè S. Bernardus ſerm. 5. in Cant. ait: *Charitas cui ſcriptura ſervire oportet, coædificat plures, quò plures ex eis in opus ſuum veros eruderit intellectus: cur hoc diſpliceat in ſenſibus ſcripturarum, quod in uſibus rerum aſſiduè experimur? in quantos. v. c. ſola aqua noſtrorum aſſumitur corporum uſus? Ita unus quilibet divinus ſermo non erit abs re, ſi diverſos pariat intellectus, diverſis animarum neceſſitatibus, & uſibus accommodandos.* Salutaris aqua cordibus eluendis ſacra eſt ſcriptura Iſaiæ 1. v. 6. *Lavamini mundi eſtote*, ubi textus Chaldæus ad divinam legem in ſcripturis ſacris transfert: Convertimini ad legem meam; mundabimini à peccatis veſtris: unde Salvator Joan. 15. *Jam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis:* emittit Chriſtus ſermonem veluti pellucidam aquam defluentem ad rigandos flores virtutum. Appoſitè Richardus in Apocal. cap. 5. *Sicut aquæ à ſordibus lavant; ita verba ſcripturarum à vitijs purgant:* Unde Dominus in Evangelio diſcipulis ſuis dixit: *jam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem loquutus ſum vobis.* Id intereſt diſcriminis elementares inter, & ſacræ ſcripturæ pellucidas aquas; quia illæ corpus; hæ animam eluunt; illæ defatigati corporis, hæ depravati deſiderij ſitim extinguunt: ſcitè. S. Ephrem tract. ad init. Proverb. *Quemadmodum in æſtu hauſtus aquæ frigidæ propinatus viro itineranti, ſic etiam divini ſermones irrorant animæ.* Noſtrum eſt emolumentum ad has aquas cum ſiti accedere; & quò æſtuoſior erit ſitis, eò & ſuavior nobis erit aqua, quæ verius mellis nomine inſigniri poterit, quàm quæ è petra percuſſa ad ſitim in deſerto extinguendam effluxit. Amara erat veteris teſtamenti aqua, ſed crucis ligno dulcis effecta eſt; id monuit S. Ambroſius ſerm. 23. de Quadrag. inquiens: *Aquam amaram myrrha legem eſſe arbitror veteris teſtamenti: quæ lex priusquam cruce temperaretur Domini, erat immitis; amara eſt legis litera ſine crucis myſterio.*

S. Gregorius explicans illud Cant. c. 3. 6
Introduxit me Rex in cellaria ſua: per ſponſi cœleſtis cellaria intelligit divinam ſcripturam, in qua arcana myſteria rimamur, & horum contemplationem myſteriorum: quorum delicijs reficimur. Redundant hæc cellaria vino generoſo ſiti extinguendæ opportuno, nec aliam invehit ebrietatem, quam à charitate profectam: ſunt tamen, qui hauſtu abutuntur hujus vini, quod propterea corrumpunt, ac violant. Qui verò ſint hujus vini violatores, ediſſerit D. Hieronymus in cap. 1. Iſaiæ inquiens: *Omnis doctor, qui auſteritatem Scripturarum, per quam poteſt audientes corripere, vertit ad gratiam; ita loquitur, ut non corrigat, ſed delectet audientes, vinum ſanctarum ſcripturarum violat, atque corrumpit ſenſu ſuo.*

Richardus in illud Cant. 4. 11. *Favus diſtil-* 7
lans labia tua ait, hunc favum à ſacris expoſitoribus, & Doctoribus perinde ac ab argumentoſis apibus conſtrui; & mel colligi ex diverſis ſcripturæ floribus, qui in libris ſacræ ſcripturæ, veluti in hortenſibus areolis ad omnem vernant amœnitatem. Neque florulentis hiſce areolis pellucidi deſunt aquarum rivuli menti rigandæ opportuni; ut ſcitè Baſilius Imperator cap. 17. filium monuit, cui, ut virtutum flureret ornatu, ſuaſit hujus aquæ rigationem. *O fili quemadmodum teneræ plantæ fontibus irrigatæ vireſcunt, floréſque, & fructus ferunt: ita mens tua ſacrarum literarum ſtudijs irrigetur, magis, ac magis augeſcet, ac pro fontibus egregias virtutes producet.*

Origenes in 13. 44. *Simile eſt regnum cœ-* 8
lorum theſauro abſcondito in agro: ait, agrum hunc continentem omnium divitiarum theſaurum eſſe ſacram ſcripturam cunſtant manifeſtis hiſtoriæ verbis, legis, & Prophetarum; & theſaurum abſconditum eſſe reconditos ſenſus latentes, veluti nucleos, ſub manifeſtis verbis veluti ſub totidem corticibus. Culturæ hujus agri danda eſt opera, ſi ditеſcere cupimus; & reperto theſauro, veluti pretio nobis regnum coëmere nullis obnoxium rerum viciſſitudinibus. S. Ambroſius epiſt. 44. confert ſacram ſcripturam mari habenti ingentem profunditatem; quia ſenſus ſcripturæ profundiſſimi ſunt, & altitudo propheticorum ænigmatum ſumma: Pelagi profundo ſe committit, qui divinarum ſcripturarum arcana mentis indagine ſcrutatur: ſcitè S. Chryſoſtomus homil. de cruce: *Committamus nos pelagi profundo ad perquirendam in ſcripturis divinis margaritam latentem. Parate animas veſtras, & tota intentione mentis, quæ dicuntur, audite. Cupio enim in hoc ſacrarum ſcripturarum profundum deſcendere; & inde*

vobis

vobis proferre pretioſiſſimam margaritam. Tutè navigat, qui per divinarum ſcripturarum mare fertur, neque haa qui undas traijcit, ulli eſt diſcrimini obnoxius; huc accerſendus S Bonifacius Moguntinus Archiepiſcopus epiſt. 1. *Quid à juvenibus decentius quæritur, quàm ſcientia ſcripturarum ſanctarum, quæ ſine ullo naufragio periculoſæ tempeſtatis, navem animæ noſtræ gubernans, defluit ad amœniſſimi littus paradiſi.* Verùm ſacræ ſcripturæ mari, qui ſe committit, etiam alienas preces poſtulare poſt ſuarum ſuſum; debet, quò ope divina fultus ducatur incolumis, & Deus ſuum ſuppeditet lumen, quo veluti fax prævia, quà ſit eundum, præſignet: appoſitè Baſilius Seleucienſis orat. 6. *Nunc veſtris confiſi precibus; de his iterum narrationem adſumimus ſcripturæ fundum ſcrutaturi. Scripturam namque mari reapſe immenſo ſi quis omnino adſimilet non aberrabit à vero. Nam & lectionis ſcripturæ faces gratiam profert; altitudo ratione menſurata immodico ſtupore mentem ferit.* Mare eſt igitur ſcriptura habens in ſe ſenſus profundos, altitudinem propheticorum ænigmatum, in quod mare plurima introjerunt flumina ut loquitur S. Ambroſius, qui ſubdit. *Sunt ergo & fluvij dulces atque perſpicui; ſunt & fontes nivei, qui ſaliunt in vitam æternam; ſunt, & ſermones boni ſicut favi mellis, & gratæ ſententiæ, quæ animos audientium ſpirituali quodam potu irrigent, & præceptorum moralium dulcedine mulceant.*

9 Sancti Patres a Prædicamento relationis plures eruerunt ſimilitudines quaſi flores è vernante horto ad ſacras exornandas argutias in commendationem divinarum ſcripturarum. S. Laurentius Juſtinianus, de caſto connub. cap. 6. vocat Divinam ſcripturam pharetram ſpiritualem; in qua ſagittæ plures acutæ, ac ignitæ latent, ad hoſtes mundi, carnis, & dæmonis proſternendos. S. Bonavent. Diæt. Sal. c. 9. Totam divinam ſcripturam citharam eſſe dicit; ſed ſicut unica tantum chorda in cithara non facit harmoniam, niſi cum illa plures aliæ ſimul pulſentur: pari pacto unus ſolus divinæ ſcripturæ locus non bene intelligitur, niſi cum alijs conferatur, ut unus ab alio dependeat. S. Amedeus homil. 6. ait divina eloquia quædam eſſe lilia ob candorem veritatis, ob celſitudinem eminentis doctrinæ, ob ſuaviſſimum odorem inſignis ſanctitatis. S. Baſilius in Pſal. 59. Sacros libros vocat cibum animarum mentibus nutriendis opportunum, viribúſque inſtaurandis peraptum. Caſſiodorus lib. de amicitia, aſſerit, ſacram ſcripturam eſſe politiſſimum, terſiſſimúmque ſpeculum, cujus beneficio ea in moribus noſtris corrigimur, quæ indigent emendatione. Hoc ſpeculo fœda corrigi debent; & venuſta pulchrius ornari, ut monet D. Auguſtinus epiſt. 143. *Optimè uteris lectione divina, ſi eam tibi adhibeas ſpeculi vice, ut ibi veluti ad imaginem ſuam anima reſpiciat, vel fœda quæque corrigat, vel pulchra plus ornet,* Et Iſidorus Pelluſiota cap. 135. Notat hoc ſacræ ſcripturæ ſpeculum ita noſtras oſtendere deformitates, ut in meliorem formam ſemper immutet, D. Thomas à Villa nova conc. in octav. Paſch. aſſerit, nitidiſſimum ſacræ ſcripturæ ſpeculum neminem fallere, ſed fideliter unumquemque unicuique objicere, ut qualis ex vero quis eſt, ſciat. Quidni? fuimus immundi omnes, & quaſi pannos menſtruatæ, quia turpitudine peccati fuimus geniti infecti, & licèt quàm ex origine contraximus labem luſtralis baptiſmi aqua eluerit; quia tamen concupiſcentiæ depravatæ nos dietim inficiunt; neceſſe eſt ad ſpeculum divinæ legis nos conferamus, quo in nobis corrigamus, quæ emendatione digna deprehendimus.

S. Gregorius lib. 15. Moral cap. 8. ad illud Zach. 5. *Ego video volumen volans* parem facit ſacram ſcripturam aquilæ in ſublime volanti; quia ſcriptura ſacra, dum de cœleſtibus loquitur ad ſuperiora mentis noſtræ levat intentionem, & ima concupiſcere dedignamur. Euthymius expendens pſal. 24. *Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me* divinam, ſcripturam ait eſſe præambulam accenſam facem, cujus ſplendor nos edocet, quà ſit eundum. Thomas à Kempis conc. 20. Vocat ſacras ſcripturas arma Clericorum, eccleſiarum divitias, theſauros doctorum, tubas ſacerdotum, ſolatia religioſorum, epulæ devotorum, teſtamenta ſanctorum, organa ſpiritus Sancti. S. Gregorius lib. 1. homil. 10. in Ezech. 3. ſacrum cibum, & potum. S. Ambroſius in pſal. 118. Paſcua, quibus quotidiana lectione paſcimur, quibus reficimur, vires reſtauramus deperditas, quia quæ oculis deguſtavimus mente rominamus. S. Ambroſius vocat divinam ſcripturam convivium ſapientiæ de offic. c. 32. & Petrus Celenſis lib. de Panib. c. 9. menſam Domini puriſſimam. S. Athanaſius divinos libros appellat variam medicinalium librorum ſapientiam, & D. Hieron. in Joan. 11. vulnerum medicinam, ubi dolorum certa remedia; & D Auguſtinus in Prologo ſuper pſalmos ait, ſcripturam divinam hac de cauſa fuiſſe à Spiritu ſancto ſcriptam, ut & communi quodam ſanitatis fonte aquas biberemus ſalubres ſiti extinguendæ terrenarum voluptatum opportunas; nulla enim eſt calamitas nullum infortunium, nulla animi ægritudo, cui ſacra ſcriptura non medeatur. 10

D. Ambroſius confert ſacram ſcripturam horto excultо ad omnem amœnitatem, ac in varias diviſo florulentas areolas, ait ipſe. Carpis illic novum florem, qui bonum odorem dedit reſurrectionis; carpis lilium, in quo ſit ſplendor æternitatis: carpis roſam; hoc eſt Dominici corporis ſanguinē. Octav. *in Pſal. 118.* Et lib. 4. epiſt. 31. hunc hortum paradiſo confert terreſtri inquiens: Deambulat in paradiſo Dominus, quando divinas ſcripturas lego: paradiſus eſt Geneſis, in quo pullulant virtutes Patriarcharum. Paradiſus Deuteronomium, in quo germinant legis præcepta: paradiſus evangelium; in quo arbor vitæ bonus fructus facit. S. Cyrillus lib. 4. in Genes. vocat ſacram ſcripturam agrum fertiliſſimum: D. Chryſoſtomus homil. 1. ad populum Antio- 11

chenum Pratum florulentum, cujus flores non nudam habent fragrantiam, ſed fructus etiam quibus anima enutritur. Et Gvarricus Abbas ſerm. de utilitate ſacræ ſcripturæ ait: *Vos ni fallor eſtis, qui in hortis habitatis: qui ſcilicet in lege Domini meditamini die, ac nocte: & quot libros legitis, tot hortos perambulatis: quot ſententias legitis; tot poma carpitis.*

Hugo Victorinus in pſalm. 1. ediſſerit
12 quid ſit quod ait David: *ſed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte* inquiens: *multi habent legem in corde; ſed non habent cor in lege. Legem in corde habent, qui cognoſcunt veritatem: cor in lege habent qui diligunt veritatem, qui autem legem in corde habent, non cor in lege, hi portant legem, non portantur à lege: onerati ſunt, non adjuti; quia ſcientia ubi non eſt charitas gravat, non alligat.* Euthymius præfat. in Pſal. David perpendens ſuavitatem ſacræ ſcripturæ hanc poculo confert melle illito. quod intus pharmacum continet ſaluti inferendæ peraptum; ait ipſe: *Per blandam, & lenem illam vocem, utilitatem, & commodum latenter etiam reportemus juxta prudentum medicorum præcepta, qui in auſterioribus pharmacis poculum inungi jubent melle: ita & nos apparenter quidem dulce, ac ſuave melos canimus, re ipſa verò animas erudimus.*

EXPENSIO III.

Ad culturam Virtutis nos alliciunt ſacræ argutiæ, quæ nobis à ſanctis Patribus exhibentur.

1 EST virtus moralis generatim ſumpta ex Philoſopho 2. Ethic. c. 6. *Habitus qui reddit habentem bonum, & ejus operationem reddens bonam:* cum virtus potentiæ inhæreat, ſeque habeat permanenter dicitur habitus, non actus, quia hic ſe habet per modum fluxûs, & tranſeuntis; ille per modum qualitatis inhærentis, ac permanentis. Reddit etiam habentem bonum, ſeu perfectum, quia eſt de ratione virtutis perficere potentiam, cui ineſt. Reddit etiam operationem ejuſdem bonam, ſeu rectam, & conformem dictamini rectæ rationis, quia una cum potentia producit perfecto modo operationem ejuſdem: quapropter à Philoſopho 7. Phyſic. t. 17. definitur virtus *diſpoſitio perfecti ad optimum.* Quod non ita intelligendum eſt, ut actus virtutis ſemper ſit optimus; alioquin fides è cathalogo virtutum eſſet expungenda, quia ob caliginem, quâ ſuffunditur, non perficit intellectum perfectiſſimè ſeu ad actum clariſſimum, & evidentiſſimum, cum actus fidei ſemper ſit obſcurus, & inevidens: unde non eſt neceſſe ut actus virtutis ſit optimus omnium actuum illius potentiæ, ad quam virtus pertinet; alioquin ſola charitas haberet rationem virtutis voluntatis. Neque eſt neceſſe ut actus virtutis ſit optimus omnium actuum ejuſdem generis; quia hoc pacto nulla daretur virtus niſi heroica: ſufficit igitur ut actus virtutis moralis ſit in ſua eſſentia, & ſpecie perfectus, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæſt. 17. art. 1. ad 3.* Ille itaque actus virtutis moralis cenſetur optimus in ſenſu Philoſophi, qui à virtute prodit, quatenus ope, & beneficio virtutis promptè, & abſque difficultate elicitur; & ad operandum hoc modo requiritur virtus, quæ potentiam juvet, ac facilitet ad operationem; in hoc ſenſu intelligitur virtus eſſe diſpoſitio perfecti ad optimum; ſcilicet ad hanc operationem eliciendam promptè, & abſque ulla difficultate impediente actum; quapropter virtus moralis ſolet etiam cum Philoſopho definiri *Habitus electivus in mediocritate quantum ad nos, conſiſtens, ut prudens præfinierit;* quia virtus juvat potentiam ad eliciendos actus non ſolùm circa media ad finem, verùm etiam circa finem ipſum, uſurpatúrque vox electionis laxiùs pro elicientia actuum; ſive circa media, ſive finem. Virtus enim niſi in actum exeat, gradu, & dignitate virtutis excidit: & S. Auguſtinus lib. contra Julianum 4. cap. 4. eum carpit, eo quia virtutem ſterilem poſſe eſſe effutiviſſet; & virtutem non elicientem actum vocat emortuam nomine indignam virtutis; vel otioſam ſimilem lyræ, quam nemo unquam pulſet; vel navi, quæ ad profectionem adornata in portu ſemper conſiſtat. Hinc S. Ambroſius lib. de Iſaac, cap. 7. ait virtutis propriam eſſe fœcunditatem, & vitij ſterilitatem: & S. Auguſtinus ſerm. 217. de temp. ait in muliere forti dari laudi apprehendere fuſum, & colum; ſeu uere, ac operari. Rurſus dicitur virtus conſiſtere in mediocritate quantum ad nos, quia fugiens extrema oppoſita per exceſſum, & defectum, ſiſtit media inter utrumque: eſt autem hoc medium virtutis quoad nos, proinde geometricum, non Arithmeticum, niſi fortaſſis ambo media coincidant; unde mediocritas virtutis exigit à prudente præfiniri, quia ut ſcitè Seneca 2. de Benef. cap. 16. *Cum ſit utriuſque virtutis modus æquè peccat quod excedit, quàm quod deficit.* Ut igitur ad culturam alliciamur virtutis aliquot ſubijcio ſacras argutias, quibus virtus commendatur. 2

S. Gregorius in Pſal. pœnitent. Explicans illud pſal. 6. v. 3. *Quoniam conturbata ſunt oſſa mea:* per oſſa virtutes intelligit, quia perinde ac caro oſſibus; etiam anima virtutibus fulcitur: tunc conturbantur oſſa; cum virtutes animæ extenuantur, ac viribus quaſi deſtitutæ deficiunt; tunc enim anima flaccet, languétque: eodem pacto quo fortitudo corporis dicitur oſſibus ineſſe; ita & robur animæ virtutibus inniti. Hinc David ingemiſcebat cum experiretur oſſa confringi Pſal 41. v. 11. *dum confringuntur oſſa mea.* ſeu virtutes deficiunt, ut explicat Hugo à ſancto Victore in pſal. 41.

Job. 9. 25. *dies mei pertranſierunt, quaſi naves poma portantes.* Quos vinitor fructus collegit neex mora putreſcant, vel vitium aliquod contrahant feſtinat alio deferre venúmque dare, quò optatum inde emolumentum 3

ro-

refert. S. Thomas Aquinas hic lect. 4. per poma collecta, virtutes intelligit labore, ac ope divina partas, has in cœleſtem deferimus patriam mercedem accepturi. Bellè virtutes pomis pariantur, cum virtutum operibus decor non deſit, & non ſolùm in extima cutis purpura; verùm & in intima cordis medulla; imò & gratiſſimum ſuum exhalent odorem; reficiantque animam, quam corroborant, alúntque.

Hierem. Thren. c. 4. *Viæ Sion lugent.* S.
4 Thomas Aquinas hic cenſet vias Sion intelligendas eſſe virtutes, per quas ad cœleſtem Jeruſalem aſcendimus. Sed ſi viæ Sion ad civitatem æterni gaudij ducunt, cur dicuntur lugere? Viæ Sion lugent. Putârim, quò inde erudiamur; tantæ eſſe efficaciæ lacrymas è virtute veluti ex ſuo fonte ſcaturientes, ut viam nobis emolliant, impedimenta, ſeu peccata deleant, & veluti ſemitas ad æterna gaudia conſtruant. Hinc nos monet Salomon ut aquam de noſtris vaſis, ſeu noſtris virtutibus fluentem bibamus; huc accerſendus S. Ambroſius, qui in titulum Pſal. trigeſimi ſeptimi ait. *Miſiſti aquam lacrymarum, aquam pœnitententiæ; bibe aquam de tuis vaſis, bibe aquam de tuis fluctibus, ut dicas, & potum meum fletu temperabam; fletus ergo tuus, & lacrymæ tuæ cibus eſt tuus.* Cœleſtis patriæ deſiderio, & Dei amore effundantur lacrymæ, tametſi defluxu per genas deorſum videantur cadere, ſurſum tamen flentem evehunt; & fluentibus ab oculis lacrymis lætitia, & conſolatio mentem ſubit; & lacrymarum fuſu ardens Dei amore anima lacrymas magis ſitit; unde David Pſal. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ panes die, ac nocte.* Sed cur panes, & non potius aquæ? cum lacrymæ potui magis inſerviant, quàm cibo; nimirum panem qui comedit ſitim adauget: ideo lacrymæ lacrymanti ſunt panes; qui lacrymarum effuſione lacrymas ſitit: argutè D. Auguſtinus in Pſal. 41. *Lacrymæ meæ non amaritudo, ſed panes ſuaves erant ipſæ lacrymæ; ſitienti mihi illum fontem, quem quia bibere nondum poteram, avidius meas lacrymas manducabam. Non enim dixit: factæ ſunt mihi lacrymæ meæ potus, ſed ipſas deſideráſſe videtur, ſicut fontes aquarum; ſed ſervata illa ſiti, quâ rapior; ſervatâ illa ſiti, qua inardeſco ad fontes aquarum panes mihi factæ ſunt lacrymæ meæ, dum differor: & utique manducabo lacrymas meas, ſine dubio plus ſitio ad fontes.*

Non ſolùm panes fiunt lacrymæ, quæ
5 per oculos fluunt, ſed etiam adeps, quò lacrymarum panis veluti butiro adipatus magis ſapiat, ſitque viribus reficiendis aptior 1. Reg. 15. *Samuel lugebat Saulem* quod expendens S. Bernardus videtur, panem hunc adipatum innuere, quaſi lacrymæ, quæ per oculos fluunt adipem præleferant pietatis ſi pro peccatoribus fundantur; ait ipſe ſerm. 11. in Cant. *Samuel lugebat Saul, & ab igne Charitatis incaleſcente pectore liquefactus intus pietatis adeps, foras emanabat per oculos*, licèt tacitè fluant lacrymæ ſuas adhuc & ipſæ voces habent, quibus ad Deum clamant, quem in vota emolliunt lugentis, flectúntque ad veniam impertiendam rogantibus; hinc David Deum alloquens ajebat Pſal. 18. v. 13. *Auribus percipe lacrymas meas.* Aures non niſi ſonos, & voces percipiunt: ſi igitur lacrymæ percipiuntur auribus, neceſſe eſt ſuas emittant voces, quibus veniam exorent, & obtineant. Scitè S. Petrus Damianus opuſc. 13. cap. 11. *Qui enim non oculis attendi, ſed auribus percipi lacrymas poſtulat, voces ineſſe lacrymis manifeſtè deſignat. Lacrymæ nempe cum in conſpectu pij Judicis ſupplicant, nihil hæſitant; ſed ſic miſericordiam tanquam reus quamlibet proprij juris ſibimet vendicant; & impetrare ſe quod petierant, confidenter exultant.*

Non me latet virtutis lacrymas à S. Jo- 6
anne Climaco aquæ pariari, quia ſi aqua literas obliterat, lacrymæ ſordes delent peccatorum: ait ipſe gradu 16. *ſicut aqua litteras; ita lacrymæ delent peccata*: tales ſunt lacrymæ reſipiſcentiæ. Quòd ſi *literæ*, ut ait Seneca 1. natur. quæſt. cap. 6. *quamvis minutæ & obſcuræ ſint, per vitream pilam aqua plenam, majores, clarioréſque cernuntur.* contra in lacrymis accidit, harum quidem oppoſitione literæ, quibus exarata ſunt noſtra peccata, non majores, ſed minores fiunt, donec penitus eſſe deſinant. Addit Seneca: *Poma formoſiora quàm ſint, videntur, ſi aquis innatent.* Sed opera, quæ à nobis fluunt nitorem, & pulchritudinem ſuam adaugent, ſi lacrymis innatent reſipiſcentiæ.

S. Gregorius lib. 4. moral. cap. 17. expendens illud Pſal. 64. v. 12. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ* aſſerit, hanc temporis coronam eſſe virturem, cujus exercitio, ſicut tempus bene impenditur, ita & corona redimitur: tunc corona anni benedicitur; cum finito laboris tempore virtutum remuneratio confertur. Dies hujus anni ſingulæ quæque ſunt virtutes, quarum incrementa hebdomades, & menſes ſunt. Tunc annus corona redimitur, ac benedicitur cum ejus dies, hebdomadæ, ac menſes in exercitijs impenduntur virtutum.

S. Gregorius Nyſſenus tract. 2. de In- 7
ſcript. Pſal. cap. 14. Virtutis tribuit protectionem alarum, quam expetebat David Pſal. 60. 5. *protegar in velamento alarum tuarum.* Per umbram alarum Dei, quæ velamenti loco nobis eſt, virtutem intelligit. Proba eſt umbra quâ virtus nos inumbrat, quia honeſta, & à virtute veluti è vireſcente arbore, ac frugifera planta profecta, quos refrigerat reficit. Præ ceteris tamen virtutibus utilis eſt umbra charitatis, quæ multitudinem tegit peccatorum, & quas contraximus noxas operit; & nobis gloriam parit: Ugo Charenſis expendens verba Jobi c. 3. v. 5. *Obſcurent eum tenebræ, & umbra mortis* ſubdit: id eſt *luctus pœnitentiæ tegat peccatum* dicente Davide Pſal. 31. *Beati quorum tecta ſunt peccata.* Sed quia pœnitentia non valet niſi fiat in Charitate. Addit. Et umbra, id eſt charitas. Vel umbra mortis, id eſt pœnitentiæ confeſſio, cujus beneficio peccata moriuntur, quatenus oblite-

ran-

rantur; vel erubeſcentia confeſſionis, quæ eſt confuſio adducens gloriam. Quidni? etiam David in hac charitatis umbra ſpem ſuam poſuit, cum alacer dixit Pſal. 56. v. 2. *Et in umbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas.* Duæ enim alæ, quæ nos obumbrant, duo ſunt præcepta Charitatis Dei, & proximi, ab hiſce duobus præceptis tegimur, & protegimur donec tronſeat iniquitas; ſeu Cacodæmon eum ſuis Sarellitibus. Vel ſi mavis per duas alas duo poſſunt teſtamenta intelligi, quæ in Evangelij meditatione umbram, & requiem nobis impertiuntur ut explicat S. Gregorius lib. 5. in 1. Reg. ad cap. 14. inquiens: *Morari in umbra Redemptoris poſſumus; ſi videlicet umbram ejus ad conſolationem de Evangeliorum meditatione capiamus. Sed in hoc requieſcere prædicatores poſſunt, qui quò altiùs, & propiùs illud divinæ ſaucis verbum ſuſcipiunt, dulcius ſaginantur. In hac quidem Redemptoris amœnitate ſponſa ſe requieviſſe gloriatur, quæ dicit: ſub umbra illius, quem deſideraveram ſedi; in umbra quippe ejus ſedere eſt in ejus contemplatione requieſcere: ejus contemplatio umbra eſt, quia ejus viſione protegimur, ne diabolica tentatione, veluti ſolis ardore denigremur.*

Saluberrima umbra eſt ſpiritus ſanctus,
8 cùm obumbravit Virginem Æterni Patris filium in noſtra parituram humanitate. Nec Virginem tantùm obumbravit, ſed & aquas, quibus abluti per luſtralem baptiſmi undam noſceremur filij Dei adoptivi. Hinc cum Chriſtus in Jordane à Joanne baptizaretur Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie apparuit ſuper eum Math. 3. & aquas in baptiſmo innuit adumbratas, quæ homines cœlo parturiuut: appoſitè S. Leo ſerm. 5. de Nativit: *Factus eſt homo noſtri generis, ut nos divinæ naturæ poſſimus eſſe conſortes; originem quam ſumpſit in utero Virginis poſuit in fonte baptiſmatis; dedit aquæ, quod dedit matri; virtus enim Altiſſimi, & obumbratio Spiritus S. quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem; eadem facit, ut regeneret unda credentem.* Quàm felix, & beatus qui hoc umbraculo tegitur, quia ſimul à Numine gratia protegitur: Hac umbra etiam in Taborei verticis ſplendore tegebatur Petrus, qui propterea de tribus conſtruendis tabernaculis cogitavit: ſed laborem ſtructuræ, ſumptúsque ædificij abſtulit Deus, & unicum tantùm ei tabernaculum oſtendit in nube Matth. 17. adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbravit eos.

Hugo Cardinalis veſtibus, quibus tegimur
9 æquiparat virtutes, quibus protegimur: expendens illud Prov. 31. 21. *Omnes Domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus;* ait, duplicem eſſe veſtem hyemalem, & æſtivalem; illam eſſe virtutes, quibus tegimur contra pluvias, nives, grandineſque tentationum, & perſecutionum; tales ſunt patientia, manſuetudo humilitas; & aliæ hujuſmodi. Veſtem æſtivalem dicit virtutes eſſe, quibus tempore pacis, & tranquillitatis vacamus bonis operibus, vel divinorum contemplarioni; cujuſmodi ſunt Pietas, charitas, ſapientia. Cæſarius homil. 1. in quadrageſimam Virtuti virginitatis veſtem tribuit holoſericam. quæ luxuriæ cœno maculari reſpuit, & infici detrectat ait ipſe. *Si veram baptiſmi tunicam, & ſpecioſam Virginitatis holoſericam cœno commaculatis pudoris non infecit:* hoc eſt nulla labes Beatam Virginem infecit; alioquin ſi holoſericam Mariæ Virginitatem macula aliqua infeciſſet, Dei filius eam non induiſſet, ſeu in Virgine humanitatem non aſſumpſiſſet Hinc S. Methodius ſerm. de Hypog. ita Virginem alloquitur. *Tu es impollutum illius indumentum, qui luce ſicut veſtimento conſunditur.* Quas Virginitas veſtes texuit, corruptio non lædit, nec ſciſſura, ſeu diſſidium dividit. Talis fuit veſtis inconſutilis, quam patiente Chriſto noluit Deus à militibus dividi; cenſent plures probabiliter, veſtem hanc à Beata Virgine factam fuiſſe, ſed cur hanc ſcindi veſtem paſſus non eſt Deus? An ut hunc honorem virgineis daret manibus? nimirum non ſcinditur quod Virginitas integrum fecit; ne integritate ſolutâ detrimentum virtus pateretur. Quod perfectum eſt ſua gaudet integritate. Non ſcinditur tunica quia indumentum eſt virtutis, tegmen virginitatis, à qua efficitur nihil, niſi integrum, ac perfe-
ctum. 10

Verbi divini integumentum noſtra eſt humanitas; hanc illi veſtem virgineam à quavis macula depuratam, à quovis nævo defœcatam Virgo ſuppeditavit immaculata; nec ex alia contextam materia, quàm ex proprijs viſceribus. Quòd ſi araneæ telas texunt cito perituras, nec materiam operi perficiendo aliunde deſumunt, quàm ex proprijs viſceribus, neque ſtamina nent niſi ex propria ſubſtantia. Cur idem non potuit divinus Spiritus ex ſubſtantia Virginis? Id certiſſimè potuit, nec alio eſt uſus ſtamine in hac veſte, ſeu tela noſtræ humanitatis texenda, quàm virgineo ſanguine: huc accerſendus S. Petrus Damianus ſerm. 46. de nativit. B. Virginis ubi de hac veſte Virgineo intexta ſanguine ſcitè diſſerit: *Salvator noſter ſumpta ex Virgine carne veſtivit ſe, in qua nativitas latens humano intuitu videri non potuit; & virgo nullo viri ſemine gravida, Spiritus Sancti gratia fœcundatur.* Addit Damaſcenus, Virginem matrem eatenus à Propheta Iſaja dici nubem levem; quia nullis viri ſemine fœcunda facta eſt; ſed ſolius Sancti Spiritûs afflatu. Inde conijcimus quàm pura & ſancta fuerit Beata Virgo, ad quam Æterni Patris filius venit veſtem noſtræ humanitatis induiturus, ut quod non habebat indumentum aſſumeret. Ferunt, Apes ita ab immundis abhorrere veſtibus, ut ad illas ſe nunquam demittant & adſtruit S. Chryſoſt. homil. 15. in epiſt. ad Epheſ. *In veſtimentum immundum nunquam ſe demiſerit genus apum* quàm æquiùs id adſtruere debemus de ipſius Authore puritatis? quis credat voluiſſe ex immunda materia ſibi veſtem confici; quis putet voluiſſe ad impurum accedere indumentum, ibique per menſes novem immorari ut in ſuo thalamo? ergo ex hac puriſſima veſte, quam divinum Verbum ope Spiritus ſancti ſibi texuit in ute-

ro Beatæ Virginis concludamus eam immunem ſemper fuiſſe ab omni labe originalis peccati. Sordes, & maculæ cum ea Virgine non cohærent, quæ Dei mater extitit. Decuit puriſſimam eſſe, & à quavis macula prorſus alienam, quæ ab Angelo ſalutata fuit gratiâ plena, alioquin quomodo plena, ſi ei defuiſſet gratia, quâ reſervaretur à debito proximo contrahendi maculam peccati originalis? ſi fugiunt immunda veſtimenta apes; quanto magis Æterni Patris filius, auctor puritatis & totius munditiæ. Secus ſentientes præſtringit S. Auguſtinus lib. de quinque hæreſibus, ubi loquens de Manichæis ait, *Stulte, unde ſordes in Virgine Matre, ubi non eſt concubitus cum homine Patre? unde ſordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo eſt perpeſſa dolorem? unde ſordes in domo, ad quam nullus acceſſit habitator? ſolus ad eam Dominus, & fabricator ejus venit, veſtem quam non habebat induit, eamque ſibi invenit, clauſam reliquit.* Æterni Patris filius acceſſit ad virginem, carnis veſtem ab ea ſumpturus, & quidem puram, omnique carentem macula; id autem non contigiſſet niſi fuiſſet ipſa puriſſima, ab omni maculæ ſuſpicione aliena. Amat cœleſtis Sponſus caſtitatis veſtem, quam cujlibet pretioſæ præfert: quælibet enim pretioſa veſtis, licèt auro intexta, gemmis ornata, quæ corpus tegit, indigna eſt, quæ caſtitati comparetur, ſola enim virtus verus eſt tum animæ, tum corporis indumentum; appoſitè Ugo Victorinus de clauſtro animæ cap. 18. ait. *Plus amat Sponſus ſponſæ caſtitatem, quàm pretioſam veſtem.* Servanda illa eſt, & cuſtodienda; imò & reliquis ornanda virtutibus; quò hiſce veluti gemmis illuminata magis Deo placeat.

12 Exuenda nunquam eſt virtutis veſtis, nunquam deponendum caſtitatis indumentum; totum debet corpus operire, quò omnia membra hac tegantur, ac protegantur veſte, & nullus tentationis auſter valeat eam à noſtro ſejungere corpore; cujus membra omnia, oculi, manus, pedes, lingua, inceſſus virgineum quemdam ſpirent odorem. Scimus veſtes Virginum Agapæ, & Chioniæ adeò arctè corporibus adhæſiſſe, ut expoliari nunquam potuerint, viderenturque extimas veſtes in corporis cutem tranſijſſe; idque Deus egit, quò virginum conſuleret pudori. Quidni Virginitatis veſtis adeo arctè noſtro hæreat corpori, ut à nobis nunquam ſejungi poſſit. Idque cauſæ, cur ſacerdos ſtrictâ lineâ albam veſtem jubeatur induere Exod. 28. v. 4. *Hæc erunt veſtimenta, quæ facient: Rationale, & ſuper humerale tunicam, & lineam ſtrictam, cidarim, & baltheum.* Quidni? ſtricta linea ſacerdoti paratur, ut doceremur puritatis, & caſtitatis cultori pudicitiæ veſtem ita geſtandam, ut eidem adglutinetur. Stricta linea caſtitatem indicat ſuo hærentem cultori; ſcitè Gillibertus Abbas ſerm. 9. in Cant. *Quòd ſtricta ſacerdos indui jubetur linea, veritatis ſe vult illum, quæ de terra orta eſt habitu arctius aſtringi, ut per ſe caſtimoniæ, puritatis, & innocentiæ tibi virtus inhæreat & agglutinetur tibi; ſed & omnia Sacerdotis indumenta, vel catenulis, vel Baltheis, vel veſtis aſtricta, & colligata ſibi lex vult eſſe:* Non ſufficit virtutum ſpeciales veſtes induere, niſi etiam menti hæreant; & caſtitatis indumentum, adeo arctè corpori, & menti hæreat, ut nunquam ſejungatur.

D Chryſologus ſerm. 9. expendens illud Eccleſ. *Cor Sapientis in dextera ejus, & cor ſtulti in ſiniſtra illius* Per cor intellectum intelligit; & per dexteram virtutem: vultque cor ac mentem ſapientis debere jugiter in dextram virtutis partem vergere; & explicans illud Matth. 2. *Te faciente eleemoſynam neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua;* ait *ſicut ſunt nobis in dextera parte virtutes, ita nobis pars vitiorum in ſiniſtra;* nobis ſuadet ea declinare, quæ in ſiniſtra ſunt, ſeu vitia fugere; & proſequi, quæ in dextera ſplendent, ſeu virtutes, ut per earumdem exercitia promoveamur ad æterna gaudia. Intellectum, rectámque mentem in dextra manu is habet, qui divina intellectu volvens myſteria laborat in excolendis virtutibus; dicitur lumen intellectus in dextera manu habere, quia ipſa virtutis cultura lucem emittit, qua ejus cultor ſplendet: qui igitur laborant exercitijs virtutum, ſeu docendo ignorantes, vel opem ſuppeditando indigentibus, vel ſolatium offerendo miſeris, aut conſolationem afflictis lucem dicuntur in manibus habere; quia ipſi luce perfruuntur dum laborant; & cæteros quoque luce perfundunt, quia eorum exemplo moventur alij ad eadem pia exercitia. David Pſalm. 77. v. 72. *Et pavit eos in innocentia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos:* præditæ tunc manus ſunt intellectu, ſeu luce, quando laborant virtutum exercitijs, eleemoſinas diſtribuunt, lapſos ſublevant infirmos juvant, Sacramenta miniſtrant: ſplendent tunc manus, & lucem boni exempli ſpectatorum mentibus immittunt. Hec eſt illa lux, quam voluit Chriſtus in manibus ſplendere fidelium Luc. 12. *Et lucernæ ardentes in manibus veſtris,* quæ verba ad mentem noſtram interpretatur D. Gregorius humil. 13. in Evang. *Lucernas ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis noſtris lucis exempla monſtramus: de quibus profecto operibus Dominus dicit. Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Qui manibus non laborant, qui virtutes non excolunt, & otio torpent hi carent procul dubio hiſce lucernis ardentibus.

S. Gregorius Nyſſenus homil. 4. in cant. 1. 3. *Curremus in odorem unguentorum;* 14
per unguenta virtutes intelligit, quæ ſejunctæ à tetro quoque peccatorum odore,

ſuavem, gratiſmque Cœlitibus emittunt odorem; inde allicimur in omnium virtutum genere incedere, & viam percurrere mandatorum Dei: ſequamur ſacram Sponſam, dicamúſque cum ipſa *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Prius dixerat cant. 1. 2. *Trahe me* quia, niſi priùs trahimur divina gratia, non currimus per exercitia virtutum. Quidni? ſolam poſtulat trahi, *trahe me*: ſed ex eo quòd trahatur, plures & ipſa in odorem unguentorum, in exercitijs virtutum ſecum trahit: appoſitè Philippus Abbas Bonæ ſpei in Cant. cap. 13. ait *Curremus in odorem unguentorum tuorum: pluraliter dicit curremus; cum ſingulariter præmiſerit trahe me: ſi me ad te traxeris affectu, & gratia ſpeciali, ut me gratam efficias, & beatam oſculo nuptiali. ut & mundes, & fæcundes Sponſam, Spiritu Principali, ut novo, & inexperto genere partu gaudeam virginali: ſi me ait ſic traxeris, jam non ſola ego munere ſpirituali, ſed mecum adoleſcentulæ gaudebunt quodam beneficio generali, ut me ſcilicet præcurrentem pro ſuo modulo devotiùs imitentur, & poſt eum quem diligunt; mecum unà currere prædicentur.* Non ambulat Sponſa, non incedit, ſed celeriùs movetur in Dei obſequio, & totis viribus currit in odorem unguentorum, per exercitia virtutum; nullam trahit moram; omnes amolitur cunctationes; quò nobis ſit exemplo; nóſque edoceat, omnem excutere ſegnitiem. Qui tamen cum Sponſa ita currit, caſtitatem eum eadem colit: ſolet caſtitas clavi comparari, quâ divinarum gratiarum unguentum obſeratur, cuſtoditur ne furibus pateat: argutè D. Ambroſius lib. 3. de virginibus, ait: *Gratis Virgo ungere, noli contriſtari ſicut Judas, quia hoc unguentum effunditur, ſed conſepele te in Chriſtum; claude ſanè vas tuum, ne unguentum effluat, claude integritatis clave.* Non ſolùm hæc clavis cuſtodiendo Spirituali unguento deſervit; verùm & aperiendæ cœli januæ apta eſt; quia ut ait Eucherius homil. in Natal. Apoſtol. Petri, & Pauli: *Fides, humilitas, patientia, caſtitas, quaſi bonæ claves aperiunt Dei portam* ut nimirum aditus unguento delibutis virtutum pateat.

15 D. Thomas Aquinas explanans verba Apoſtoli ad Rom. 13. 12. *Induamur arma lucis* ait virtutes eſſe arma, quibus munimur contra hoſtes tartareos, contra carnis ſtimulos, mundique inſidias, hiſce armis tuti de victoria hoſtes proſternimus. Hebræos olim ſcimus ſecum in aciem arcam duxiſſe, quæ eſſet exercitus munimen, ac fortitudo. Cumque elevaretur arca dicebat Moyſes: *Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt Te à facie tua*: tanta in arcæ ſubſidio fiducia, & ſpes fuit; ut ſolam pro plena acie ſufficere poſſe crederent; dummodo arcæ bajuli à ſcelere eſſent immunes: hinc S. Athanaſius lib. de interpretat. Pſalm. ad Marcellinum ſcribit: *Si bellum populo ingrueret, Arca in qua erant tabulæ legis ante omnes præcedebat; & hoc ſufficiebat illis pro quavis acie in ſubſidium; niſi in bajulis arcæ, aut populo aliquod ſcelus, vel hypocriſis hæreret; hoc ſufficiebat illis pro quavis acie in ſubſidium. Fide ſiquidem, & ſana affectione opus eſt, ut lex noſtris precibus cooperetur.*

Quod ab Arca olim Hæbræi munimen ad hoſtiles impetus retundendos petierunt: hoc Chriſtiani in pugna contra hoſtes tartareos, contra impetus rebellantis concupiſcentiæ à Virtute expoſcunt, & obtinent. 16
Hac deſtitutus ſi fuerit miles Chriſtianus fit hoſtium ludibrium, & victus cadit: virtute autem loricatus ictus retundit hoſtiles, omnéſque ſternens inimicos victor evadit. Fortunatiſſima eſſent prælia ſi ſub virtutis vexillo eſſent, qui pugnant; nec extra juſtitiæ caſtra exirent milites, neque caderent à vitio proſtrati. Vexillum virtutis, ac Virginitatis extulit Maria; ut Virginitatis ſignifera, audiat præſertim à Richardo à S. Laurentio lib. 4. de ejus laudibus ubi ait: *Maria dicitur virgo virginum, quia ſicut dicunt Sancti; prima inter cæteras virginitatem vovit: ideo virginitatis ſignifera eſt, & exemplar.* Sub hoc Virginitatis vexillo, qui militant, puritatem excolunt, & cæterarum virtutum armis muniuntur, quibus de proſtrata vitiorum caterva glorioſè triumphant. Neque abs te dicitur Virgo prima omnium integritatis vexillum levaſſe; ut puritatis cultor diſceret depugnandum ſibi jugiter eſſe contra præſertim inſurgentis carnis ſtimulos. Olim miles ſuccinctus jubebatur in aciem proſilire, & diſcinctus pro inerti habebatur, & ignavo, ut innuit Tacitus lib. 12. quidni? etiam in Chriſtiana militia caſtitatis baltheo neceſſe eſt præcingamur, quod ſpiritualis pugnæ eſt teſſera: ſcitè S. Petrus Chryſologus ſerm. 22. expendens verba Chriſti Luc. 10. *Sint lumbi veſtri præcincti* ait: *Chriſti ergo Caſtitatis Baltheo, quod eſt inſigne militiæ Chriſtianæ, fluxam carnis detruncemus ignaviam.* Cui conſonat S. Leo Papa ſerm. 1. in quadrag. ubi nobis ſuadet, ut hoc caſtitatis baltheo præcincti ſtrenuè pugnemus, quò de inſoleſcente carne, rebellante concupiſcentia, mundo ad vana illiciente, ac Cacodæmone ad illicita inſtigante eò glorioſiores referamus triumphos, quò puriores in aciem proſilimus: ait ipſe. *Videte dilectiſſimi, quàm potentibus nos telis, quàm inſuperabilibus munimentis dux multis inſignis triumphis, & invictus Chriſtianæ militiæ magiſter armaverit. Succinxit lumbos baltheo caſtitatis, calceavit pedes vinculis pacis, quia & diſcinctus miles cito ab impudicitiæ incentore vincitur, & non calceatus facilè à ſerpente mordetur.* Armata ſit pudicitia quam cuſtoditam volumus, cum ubiq; hoſtium pateat inſidijs. Etiam Salomon ſexaginta quos

lo-

ſelegit de fortiſſimis Iſrael,ſeu cultores virtutum in circuitu Chore, eos deſcribit gladio obarmatos: omnes teneotes gladium, doctiſſimos ad bellum, viros accinctos gladio ſuper femur ſuom: nunquam inermis eſt virtos, cuj Deus confœderatur, viréſque impertitur, ad hoſtium impetus retundendos, ac victrices palmas de fugatis virijs legendas.

17 Olympiodorus explicans illud Eccleſ. 9. 7. *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum; & bibe cum gaudio vinum tuum*, ait, panem,& vinum creaturæ rationalis eſſe virtutes, quibus anima reficitur, ac enutritur. Idque cauſæ, cur Regius Propheta lacrymas reſipiſcentiæ panes edixerit Pſalm. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*; ſed cur fletum compunctionis, & lacrymas reſipiſcentiæ panem aſſerit, qui dente teritur, comeditur, & ut cibus demittitur io ſtomachum; & non potius aquam, quæ potui inſeruit, cum lacrymæ aqueæ ſint, fluántque ut guttæ aqueæ? quia nimirum panem, qui comedir ſine aquæ hauſtu ſitim non extinguit, ſed adauget: & quia David ſitiebat incrementa virtutum, compunctionis lacrymis tamquam pane uti maluit, quàm aqua, ut ſitim ſuam, quâ fontem vivum, ſeu Deum ſitiebat, & ad hunc fontem currebat per exercitia virtutum, non minueret, ſed augeret: argutè D. Auguſtinus in Pſalm. 41. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ, non amaritudo, ſed panes ſuaves erant igneæ lacrymæ ſitienti mihi illum fontem, quem quia bibere poteram, avidius meas lacrymas manducabam. Non enim dixit factæ ſunt mihi lacrymæ meæ potus; ne ipſes videretur deſideràſſe ſicut fontes aquarum, ſed ſervata illa ſiti, quâ rapior; qua inardiſco ad fontes aquarum panis mihi factæ ſunt lacrymæ meæ dum differor; & utique manducabo lacrymas meas, ut panes, quò plus ſitiam, & velociùs curram ad fontes aquarum.* Sunt virtutes non ſolùm nutrimentum, ſed etiam deliciæ animæ: Hinc ſponſus cant. 8. 5. obvians ſponſæ venienti de deſerto ubi virtutes excoluit, ait: *quæ eſt iſta; quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens*: dicitur delicijs affluere, quia virtutibus erat ornata.

Matth. 9. 19. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur* quid? quod arbori frugiferæ prœmium non deputetur; cum ſterileſcenti pœna intimetur excidij? an quia virtus ipſa ſibi præmium eſt,& ornatus? de qua Claudianus.

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque latè
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſuve petit clareſcere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nihil indiga laudis,
Divitijs animoſa ſuis, immotaque cunctis
Cladibus, ex alta mortalia deſpicit arce.

Scimus arborem ex fructu cognoſci, ot
18 qualis fructus talis, & arbor cenſeatur. Virtus non eſſet ſi ſuos non depromeret fructus honeſtarum operationum; ſed arbor cultura indiget, & rigatione, ne exareſcat neglecta: virtus excolenda eſt labore, ac exercitio; & irriganda fuſis in Deum precibus: hinc Chryſoſtomus de viris aſcetis virtutum culturæ addictis ait homil. 1. de precat. Tom. 6. *quare nobis, qui ab illo inſtituimur vita eſt in precibus traducenda, ijsque mens perpetuò irriganda: non enim minus quàm arbores aquis illis indigemus. Nam neque illæ poſſunt eſſe fructuoſæ, niſi humorem radicibus ebibant: nec nos pretioſiores pietatis fruges fundere niſi precibus irrigemur.* Sed cum ſit homo arbor inverſa, ſurſúmque radices habeat, ea orationis rigaodus eſt aqua, quæ terram non perfluat, ſed cœlum ſpectet. Quòd ſi arbores, quæ ſuas in terris radices egerunt, cum adoleverint, ac radices ſtabiliverint, non ampliùs frequenti iodigent rigatione: non ita contingit in arboribus ſpiritualibus; hæ ſiquidem quò plura in Dei cultu ſuſceperunt incrementa plantatæ in domo Domini, eò avidius orationis aquam expetont; opémque expoſçunt ſuperæ irrigationis, ac divina gratiæ. Plurimum ſecum adfert utilitatis orationis aqua, quæ virtutum arbores ad uberiora ſemper irrigat incrementa. Non ſolùm virtutes, verùm & virtutum cultores arbores ſunt licèt inverſæ, & quales ſint ex earundem fructibus dignoſcimus. Hinc qualis fuerit Annæ ſanctitas ex beata Virgine Matre Dei ejus filia veluti ex fructu conijcitur. Fuit Anna radix, quæ virginis virgam protulit, ex qua deinde Chriſtus veluti flos germinavit. 19

S. Bonaventura in Pſal. 16. virtutes ait, alas eſſe, quarum explicatu ſurſum evehi mor S. Gregorius lib. 2. moral. cap. 36. quatuor virtutes Cardinales vocat quatuor angulos quibus reliquarum virtutum ædificium innititur: S. Ambroſius lib. de Virginibus eaſdem pariat quatuor animalibus; ex quibus quod ſpeciem hominis præſefert prudentiam ſignificat; leo fortitudinem, vitulus temperantiam, & aquila juſtitiam præſignat; qoia juſtitia ex alto quodam veluti ſuggeſtu omnia explorat; ut det cujque ſuum. S. Iſidorus vocat virtutes areolas aromatum conſitas, à pigmentarijs c. 5. in cant. S. Bernardus ſerm. 4. in Advent. divitias, quibus diteſcimus, nobisque cælorum regnom comparamus: D. Bonaventura flores 2. Cant. Flores apparuerunt in terra noſtra. S. Iſidorus in cap. 2. in Geneſ. ſydera, quæ nobis traijcientibos fluctuantis hujos vitæ mare ſignant portum cœleſtis patriæ.

EXPENSIO IV.

Fidei obſcuritas varijs illuſtratur ſacris argutijs

1

Diſſervimus in præcedente expenſione de Virtute generatim ſumpta; nunc delabimur ad ejus ſpecies, ac initium ponimus à virtutibus Theologalibus, quibus ut loquitur divus Zeno nituntur fundamenta Chriſtiani culminis; ſuntque fides, ſpes, & Charitas; & quia fides eſt ceterarum virtutum prima obſtetrix, & ut dicitur Jacobi 1. initium creaturæ ejus; eò quia per fidem Chriſto incorporemur, ac initiemur ad ſalutem; ideo priùs de fide erit nobis ſermo. Eſt autem fides donum Dei, ſeu virtus à Deo infuſa, cujus lumine quamvis obſcuro mens hominis illuſtratur, ac firmiter aſſentitur ijs omnibus, quæ à Deo revelata ſunt, ſive per ſacras ſcripturas, ſive per traditiones ab Apoſtolis ad nos uſque derivatas. Eſt hæc virtus donum Dei, quia ſive informata ſit charitate ſive deſtituta, ſemper eſt donum ſupernaturale Joan. 4. *hoc eſt opus Dei ut credamus in eum* Ad Rom. 12. *Alij datur fides in eodem Spiritu.* Ad Philipp. 2. Gratia eſtis ſalvati per fidem; & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt. Fidei firmitatem edisſerit Apoſtolus ad Hebræ. c. 11. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*: dicitur ab Apoſtolo fides ſubſtantia rerum ſperandarum; quia hæc virtus eſt fundamentum rerum, quas ſperamus; quia niſi eas crederemus; neutiquam ſperaremus; unde fides eſt fundamentum ſpei, diciturque ſubſtantia: quia ſicut hæc fundat accidentia, eidem inhærentia; fides fundat, quæ ſperamus; hæc enim fidei innituntur. Rurſus quia ſubſtantia ſtat per ſe firma, & ſtabilis, ita fidei aſſenſus eſt adeo certus, ac firmus, ſtabilis, ut res quas ſperamus credamus, perinde ac ſi eſſent præſentes. Hinc vocatur itidem ab Apoſtolo *argumentum non apparentium*: ſeu veluti demonſtratio rerum, quæ non videntur, quatenus eas tametſi obſcuras, & inevidentes ita certè oculis mentis fide illuſtratæ repræſentantur, ac ſi oculis corporis conſpicerentur & ſcientiæ demonſtrationibus comprehenſæ intelligerentur.

2 Quamvis ſit fides obſcura, argutè tamen explicatur à ſanctis Patribus per lucem Geneſ. 1. 3. *Dixit Deus fiat lux.* tunc autem eriri in homine lux dicitur, & in mentis emergere horizonte; cum per fidei caligines intellectûs illuminatur ad credendum, quæ tenebris obvoluta non apparent; illuminatio credulitatis tunc in mente fulget, & fit lux diei gratiæ prodroma; & è tenebris infidelitatis exiens homo, beneficio fidei incipit videre, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem: ait Apoſtolus ad Epheſ. 5. 8. *Eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino.* Tunc in homine fit dies primus, cum novus ad fidem venit. S. Petrus Damianus lib. 2. epiſt. 5. expendens verba Geneſ. *Dixit Deus fiat lux* ait *quia illuminatio credulitatis apparebat*: cui adærens D. Iſidorus ait; *Qui dicit de tenebris lumen ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris*, ſcilicet per fidem; eſt igitur fides veluti diei primi lux, quâ fideles ab infidelibus, veluti lux à tenebris ſeparantur. Qoinimo Ælredus Abbas per firmamentum intelligit viſionem fidei; quatenus fides mentem humanam evehit ad ſublimia, quæ tranſcendunt omnem rationis inveſtigationem: & D. Bonaventura ſerm. 8. de ſublimitate fidei, aſſerit, hanc virtutem reddere credentem ſtabilem; eò quia omnem excludat dubitationem: reddere ſpectabilem, quia multiformem oſtendit claritatem. Et in Diæta ſalutis cap. 26. explicans verba Geneſeos. 1. *Et facta eſt lux* vult, fidem eſſe veluti lucem primò creatam à mundi opifice: quia ſicut illa prima lux primum opus fuit poſt cœlum, & traductam terram è nihilo; ita fides primum eſt in corde humano opus in ordine ad vitam æternam, Neque cœleſtis ſponſus à ſponſa, ſeu anima noſtra alio invenitur lumine. *Per noctem quæſivi quem diligit anima mea* ajebat ſponſa cant. 3. 1. ſed non juvenit; quia per noctem quæſivit, ſeu per Philoſophicas rationes; quæ parum, vel nihil luminis habent, reſpectu luminis fidei, cujus lux præmonſtrat quà ſit eundum, ut cœleſtem inveniamus Sponſum. Vel per noctes, ſeu per creaturas, quæ in ſe obſcuræ, ac tenebræ ſunt quæſivit ſponſum, quem propterea non juvenit; nec ulli obviavit, qui ubi degeret, ei indicaret: quia fides ex auditu.

Tametſi pluribus fuerit Iſraeliticus populus à Dei munificentia cumulatus beneficijs; præ cœteris illud habetur inſigne, quo ab Ægyptiaco famulatio eum liberaverit plena donatum libertate. Cúmque duce Moyſe populus iter arriperet ad terram ſibi promiſſam, & turba ex Ægypto exiens ad vicies centena millia aſcenderet, ut non abſque probabilitate arbitrantur doctiores; & læti omnes abirent, eò quia à tergo nonaginta trium annorum duriſſimam relinquerent ſervitutem; & à fronte libertatis peroptatæ ſibi januam viderent patere: Ecce nubes lucida plurimo denſa halitu, & in columnæ ſimulacrum erecta turbas præit proficiſcentes, viam præſignat itinerum moderatrix. Hæcque de die lucis, ac ſpiſſitudinis temperamento; de nocte verò flammante fulgore conſpicuam ſe præſtabat. *Per noctem in columna ignis* Exod. 13. 21. Quidni Fidem dixerim hanc columnam, quæ tametſi obſcuritatibus obſita, cum ſit argumentum non apparentium per deſertum hujus mundi nobis ſuo lumine oſtendit non terram; ſed 3

cer-

cœlum, & quà ſit eundum per ſemitas ſalutis præſignat, huc accerſendus S. Laurentius Juſtinianus lib. de virt. fidei c. 5. *Fides eſt vera, fida, & ſalutaris columna ducens per deſertum hujus mundi.* Latet ſub hac nube Dei in ſuum populum humanitas, ſimulque providentia. Nocte enim hæc columna ignem, flammámque referebat. Moris eſt, quò proficiſcentibus regibus in regiæ majeſtatis ſignum faces præferantur accenſæ; & Magi Reges nonniſi per facem præambulam ad Chriſti nati præſepium pervenerunt: *monſtrant regibus aſtra viam.* Hinc faculas, ignémque DEUS populo ſuo præfert, proditurus quanti DEUS homines faciat; jure exclamat Oleaſter in cap 13. Exod. *Magna dignatio tua Domine, ergo tuos, ut quaſi Tædas accenſas ante eos deferas, & iter doceas: quis audivit unquam talia, ut Dominus accenſa facula, quaſi miniſter ſuos præcederet?* Nubes in columnæ erecta ſimulacrum non ſolùm itinera præſignavit ad promiſſam terram; verùm & populi ſpem illuc feliciter appellendi fulcivit; neque corruere, ſed ſtare debuit ſpes hujus innixa columnæ fulcro. Columna eſt nobis fides, qua innixi ſtamus; imò & qua præeunte ambulamus, & ne inter viarum divortia à recto aberremus itinere, edocemur; hanc enim columnam fidei, qui ſequitur, metam itineris aſſequitur. Hac columnâ totum fulcitur Chriſtiani inſtituti ædificium: neque opus eſt, ut nobis Atlantem humeris cœlum ſuſtinentem fabuloſa Gentilitas obtrudat, quando una eſt Fides, quæ eccleſiæ cœlum ubi tot ſydera micant, quot flores vernant virtutum, immobilis fulcit, & ſine lapsûs ſuſpicione ſuſtinet. Firmitatem hujus columnæ innuit David, cum dixit Pſal. 44. v. 10. *Aſtitit Regina à dexteris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate*: veſtitus deauratus eſt charitas, quâ fides informata reliquarum varietate virtutum ornatur. *Si aſtitit*, jam ſtabilita eſt, & immobiliter ſtat, ut explicat S. Chryſoſtomus veluti columna firma, & ſtabilis; non ut arundo, quæ huc, illúcque omni aura movetur. Recta ſtat fidei columna, quia obliquitates reſpuit errorum; neque flectitur mollis, quia lapideæ columnæ imitantur inflexibilem duritiem: ſcitè Antiochus Abbas homil. 1. de fide ait. Quisque perfectè credit, lapis eſt templi DEI; lapis eſt ſolerti apparatu lævigatus, & exæquatus in ſubſtructionem DEI Patris.

4 Fides ex auditu, quia per aures arcana DEI, & ſacroſancta myſteria, quæ nedum ſenſus fugiunt exteriores, ſed & captum excedunt humanum, mentem ſubeunt, quam præparant ad viam percurrendam ſalutis, & æternæ beatitatis: unde David Pſal. 44. 11. *Audi filia, & vide.* priùs vult aures aperiri, poſtea oculos; quia videre deſiderans DEUM viſione beatifica, & æterna donari beatitate, neceſſe priùs audiat, quæ fides edocet: eſt auditus, qui viam ſternit ad viſionem beatificam: proinde ajebat David, Audi, & inclina aurem tuam; ut per auditus obedientiam pervenias ad gloriam viſionis: David Pſal 50. 10. *Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam*, ſeu beatitudinem æternam, quæ in viſione beatifica conſiſtit, ex qua ut proprietates ſequuntur gaudium, & lætitia. Qui audit per fidem, poſtea videt per intellectum in cœleſti patria Deum; quem qui priùs non audit per fidem in terris, non videt per lucem gloriæ in cœlis. Hinc etiam Sponſa Cant. 2. 8. ait, *Vox dilecti mei* priùs percipit vocem ſponſi, quàm ipſum ſponſum videat; & nos priùs percipimus DEI vocem per fidem, quæ per auditum ſe inſinuat, & poſtea ipſum per contemplationem intuemur: idque expertus in ſe Job. 42. 5. ait. *Auditu auris audivi te: nunc autem oculus meus videt te.* Fides eſt, quæ ad claram DEI viſionem nos perducit: hoc nos edocens Chriſtus ait Matth. 5. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipſi DEUM videbunt*: non tamen arbitreris aliundè provenire, hanc cordis munditiem, quàm à fide; id aſſeruit D. Paulus Actor. 15. 9 *& illos purificans fide*; ita eſt, fides viatorum in terris, generat DEI viſionem in cœlis; ut illuminemur in patria, cæcutiamus in via: eſt obſcuritas fidei, quæ ad illuminationem gloriæ nos ducit; quaſi ſit fides ſubobſcura conſurgens è nocte aurora paritura nobis ſolem, & inductura diem cœleſtis beatitatis nulli obnoxium occaſui 1. Petri 1. 8. *Credentes exaltabitis lætitia inenarrabili.* Et Chriſtus Luc. 1. 45. animam fidelem vocat beatam: *Beata, quæ credidiſti*: quia fides, quædam eſt inchoatio cognitionis beatæ in patria. Fides enim charitate informata fructus parit beatitudinis conſummatæ; adeo ut noſtra beatitudo perinde contineatur in fide, ac fructus in ſemine; pullus in ovo, in aurora dies. Sed ſi fides eſt ex auditu, & beatitudo, ſeu viſio habetur ab intellectu beneficio luminis gloriæ, quomodo dicitur in fide contineri? quia nimirum fides, quæ habetur ex auditu intellectum illuminat, elevátque ad gloriæ lumen: ſicque fides, quæ audit in via per aures; & videt in patria per intellectum, Luc. 2. 15. *Videamus hoc verbum, quod factum eſt.* Si verbum aures pulſat, per quas mentem ſubjit, quomodo dicit, *videamus hoc Verbum*, quia fides, quæ myſteria per aures in via percipit, eadem per intellectum intuetur in patria. Iſaiæ 7. 9. *Niſi credideritis, non intelligetis*, quia niſi quis per aures crediderit, non videbit in viſione DEI.

Fides tamen non ſolo gaudet ornatu florum, 5
ſed operum etiam amat diteſcere fructibus: unde Sponſa in amoris Cantico cap. 2. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo*: non fulciri tantùm fidei floribus expetjit; ſed & operum malis ſtipari. Nuda fides Sponſo non placet, ſed fidei adnectenda ſunt opera: hinc D. Proſper lib. 1. de vocat. gent. ait. *Fides bonæ voluntatis, & juſtæ actionis eſt genetrix*: adeò ut fides, quæ animo inſidet, manuum ſe prodat operibus, fulgeátque in manu, quæ latet in animo. Flori ſolet fides pariari; ſed non ſufficit, ſi tantùm ſuaviter oleat, niſi & in fructum maturat.

Langueſcit deſes fides, ſi fructibus deſtituatur; imò emortua eſſe dicitur. David Pſal. 22. v. 4. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Tametſi non deſint, qui per umbras mortis intelligant imas valles luce carentes, & per quas Propheta affirmat ſe tutum inceſſurum, ſpe divina fultum, ſi per umbriferas has valles contingeret eundum. Alij tamen per umbras mortis volunt ſignificari arentem terram, ſiccitate fatiſcentem, & germinibus deſtitutam, in qua nullus herbarum, & olerum fœtus vireſcat. Quid ni? ſi fides operibus deſtituatur eſt veluti umbra mortis, ac tellus areſcens. Fides, quæ operum germina non gignit, ſatiùs umbra dicitur fidei, quàm fides.

6 Scio per mortis umbram ab alijs diſcrimina intelligi, ac ægritudines, quæ mortem inferunt: hinc D. Chryſoſtomus expendens illud Pſalm. 43. *cooperuit nos umbra mortis*, ait: *Pericula dicit, quæ mortem adferunt, & quibus mors non multum diſtat: quemadmodam dolores mortis, & inferorum portas vocat ſcriptura.* Poteſt etiam per mortis umbram intelligi mors corporis temporalis, quam juſti æquè ac iniqui ſubeunt; & per veram mortem æternam damnationem, quæ mors dicitur animæ; ita verba Davidis Pſal. 43. explicat S. Bruno Epiſcopus Herbipolenſis, inquiens: *Umbram mortis vitæ iſtius tranſitum dicit, qui Sanctis & peccatoribus probatur eſſe communis. Illa verò mors vera eſt; qua impij æterna damnatione puniuntur.* Idque fortaſſis cauſæ, cur Princeps Huſſæus Job diem, quo natus fuerat, mortis umbra involvi, poſtulaverit cap. 3. v. 5. *Obſcurent eum tenebræ, & umbra mortis:* non experjit mortem, ſed mortis umbram: quia hæc ad vitam eſſe poterat, non illa: mors ſpiritus, ſeu averſio à ſummo Bono per lethalem noxam vera mors eſt, & à vita penitus aliena: ſecus mortis umbra, eſt mors corporis, quæ ad veram poteſt vitam perducere; nec propterea vera mors eſt. Quinimò D. Gregorius lib. 4. moral. cap. 17. per hanc mortis umbram Chriſti paſſionem, & necem intelligit, ait ipſe. *Quid eſt, quod Beatus Job ad obſcurandam diem pravæ delectationa, poſtulat umbram mortis; niſi quòd ad delenda peccata ante DEI oculos, DEI & hominum mediatorem requirit, qui ſolam pro nobis mortem carnis ſuſciperet, & veram mortem delinquentium per ſuæ mortis umbram deleret? Ad nos quippe venit, qui in morte Spiritus, carniſque tenebamur; unam ad nos ſuam mortem detulit, & duas noſtras, quas reperit, ſolvit. Si enim ipſe utrámque ſuſciperet, nos à nulla liberaret. Sed unam miſericorditer accepit, & juſtè utrámque damnavit, ſimplam ſuam duplæ noſtræ contulit, & duplam noſtram moriens ſubegit. Unde non immeritò uno die in ſepulchro, & duabus noctibus jacuit, quia videlicet lucem ſuæ ſimplæ mortis tenebris duplæ noſtra mortà adjunxit. Qui ergo ſolam pro nobis mortem carnis ſuſcepit in ſe, umbram mortis pertulit, & à Dei oculis culpam, quam facimus abſcondit.*

7 Tametſi umbris, ac obſcuritatibus ſit fides obita, collo tamen decertanti cum nivibus blandimento candoris pariatur Cant. 7. 4. *Collum tuum ſicut turris eburnea.* Vera fides collo, & collum turri ſimile dicitur, quò fides in turris ſimilitudinem erigi, ac in ſublime elevari dicatur. Conſtruitur turris præcelſa, cætera altitudine excedens urbis ædificia, ſupereminet propterea domus, & palatia; & æquè rectitudine in altum erigitur; ut quæ de planitie, atque ſubjectis domibus non videntur, de altitudine turris eminus, è locis diſſitis videantur. Nam neque de Planitie naturali, neque de ratione alicujus artis videntur, quæ de fidei culmine conſpiciuntur. Videt ergò fides, quæ infinitis, ac inviſibilibus ſpatijs diſtant à natura. Nec non ad tutamentum turris ædificari cognoſcitur. Ad tutamentum omnium noſtrorum Chriſtus fidei ædificium fecit. Neque ſua huic turri deſunt onamenta, cum dixerit ſponſa Cant. 1. 9. *Collum tuum ſicut monilia*, ſeu ut explicat Simon de Caſſia lib. 8. cap. 40. v. 20. Fides eſſe debet ex bonis operibus, veluti ex margaritis ornata. Sunt autem fidei ornamenta ipſa virtutum reliquarum opera. Ea eſt fidei dos, qua reliquarum virtutum fœtus promoveat: Quòd ſi in primævo mundi exordio terra inanis, & vacua dicebatur, ut etiam informis, & incompoſita, donec per Spiritus ſancti incubationem ſuper aquas produceretur lux. Geneſ. c. 2. *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi; & Spiritus DEI ferebatur ſuper aquas. Dixitque Deus, fiat lux, & facta eſt lux.* Probus Ordo ante Spiritus ſancti incubatum ſuper aquas omnia inania ſunt, ac vacua, jacéntque deformata in ſqualore, & lux ipſa ornatum promovens longè exulat. Ubi adeſt Divinus Spiritus, lux ſplendet, & terræ ornatus promovetur. Hæc ad fidem transferre poſſumus; hæc ſi abſit reliquarum virtutum deſunt ornamenta, quibus cœleſti placeamus ſponſo; dicente Apoſtolo, non poſſe nos ſine fide DEO placere; quinimò omnia tenebris Ethniciſmi obruta ſunt, incompoſita, inornata, & veluti in luctu, in ſqualore jacentia: ubi verò Fides ſuas in corde fidelis radices agit, ac floret reliqua virtutum ſecum trahit ornamenta.

Quàm illuſtris ſit, & ſplendida fidei obſcura caligo ex eo conjice, quòd mentem illuſtret: quòd enim lux oculo, id fides menti; unde Chriſtus Luc. 11. 34. *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus*, ſeu fides, quæ oculus eſt mentis, ac illuſtre rationis lumen. Tenebras cæcitatis excuſſerat Chriſtus à cæco, & non alio collyrio, quàm hoc unico verbo *Reſpice.* Luc. 18. 42. & excuſſis Ethniciſmi tenebris abacta cæcitate beneficio fidei incipit homo reſpicere; quia fides oculus eſt mentis humanæ, quò divina, & quæ ſupra naturam ſunt, & fiunt contuetur. Luci, & ſoli pariari fides poteſt, quia ſicut corporeo oculo ad videndum neceſſaria eſt lux; ita ad rectè operandum in ordine ad ſalutem æternam neceſſaria eſt fides: & quia ſine luce videre non poſſumus, cum nec oculi, nec colores ad videndum ſufficiant, 8

neu-

neuter enim ſuas in tenebris potis eſt vires exercere; perinde animæ oculus, ſeu recta ratio nil valet attrectare, nil agere, quod vitam mereatur æternam ſine fidei beneficio. Lucem in manibus habere dicuntur, qui ex fide operantur, quia ipſi luce perfruuntur, dum laborant, & alios quoque luce perfundunt: Idque innuit Regius Vates Pſal. 77. v. 72. ubi de ſe ipſo ait: *& pavit eos in innocentia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eos*: dicitur intellectus ineſſe manibus; quia fidei luce perfuſæ rectè operantur: Præditæ ſunt luce manus, dum qui operatur, fide ducitur. Hac luce perfundi voluit Chriſtus manus operantium Luc. 12. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris*: quæ verba expendens D. Gregor. homil. 13. in Evangelia ait: *Lucernas ardentes in manibus tenemus, cum per bona opera proximis noſtris lucis exempla monſtramus; de quibus profectò operibus, Dominus dicit: Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona.* Opera autem ſuam à fide hauriunt bonitatem; quæ propterea lux eſt in manibus docens, quomodo ſit rectè operandum. Caret tamen hac luce, caret hiſce lucernis, qui otio torpet; quia fides ſine operibus emortua eſt, ſimilis Lucernæ abſque luminis ſplendore. Non ſolùm fides mentes juvat ad operandum, ſed & pedes ad ambulandum dicente Apoſtolo 2. Corinth. 5. 7. *Per fidem ambulamus*: quidni pes animæ fides eſt: tantùm procedimus, ac ambulamus per ſemitas juſtitiæ, quantum credimus: ait S. Laurentius Juſtinianus in faſciculo amoris cap. 15. Credis multum, curris velociter; parum credis, remiſsè ambulas. Et licèt fidei eminentia videatur Ethnicis ſtultitia; ad veram ſapientiam hac fide deſtituti non perveniunt. Idque cauſæ cur Zachæus in arborem ſycomorum voluerit conſcendere: eſt ſycomorus ficus fatua fidei eminentiam ſignificans, quæ ſtultitia eſſe videtur 1. Corinth. 1. 25. ſed in hujus fatuitatis credulitatem oportet eum conſcendere, qui cupit ad ſapientiam pervenire 1. Corinth. 3. 18. *Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat*, ut expendit S. Bonaventura; cui adhærens S. Euſebius Emiſſenus in dedicat. Eccleſ. ubi loquens de Zachæo, qui *aſcendit in arborem* Luc. 19. 4. ait: Hæc arbor fides eſt; quia inde erat tranſiturus, qui vera eſt ſapientia, ad quam non pervenitur niſi fidei inſcendamus ſycomorum. Imò non ſolùm Sycomori altitudinem inſcendere debemus; ſed & montis cacumen cum JESU Math. 5. 1. *Aſcendit JESUS in montem*, hoc eſt, ſi velimus à Deo nobis benedictionem impertiri linquenda eſt terrena converſatio, & ſuperna in montis cacumine quærenda. Aſcendamus itáque in altitudinem fidei tanquam montem, ut cœleſti ſimus benedictione participes.

9 Fides aquilam æmulatur, ima negligit, & nonniſi ſublimia alarum petit remigio. Hunc rerum temporalium neglectum per fidem invectum ſignificavit viſio illa Joannis, in qua mulier amicta ſole, & lunam ſub pedibus habens apparuit ſtellis redimita duodecim Apocal. 12. 1. *Mulier amicta ſole* ſcilicet Chriſto ex claritate fidei, quam ipſe nos edocuit: *Luna ſub pedibus ejus*, ſeu Ethnicorum ſapientia, & Philoſophorum ſcientia: *& in capite corona ſtellarum duodecim*, ſeu duodecim fidei articulis intexta; ut ediſſerit S. Vincentius Ferrerius ſerm. 13. de coronis. Fides igitur eſt, quæ eccleſiam coronat, quin imò tot intexit coronas, quot ſunt in ipſa Sancti Martyres, qui proprio ſanguine victrices palmas, ac triumphales lauros ſibi irrigârunt, quibus eccleſia coronaretur diademate martyrum gemmis illuminato. Sed ſi ſtellæ in capite fulgenti ſplendore coruſcæ; cur luna ſub pedibus jacet in ſqualore neglecta? Non me latet, moris fuiſſe apud priſcos Romanos, quò nobilium filij lunulas in calceis geſtarent in illuſtria teſſeram nobilitatis, ut refert Plutarchus. Meminit hujus moris Cælius Rhodiginus lib. 20. lect. antiq. cap. 28. inquiens: *Ut tacitis velut ambagibus commonerent, non inſoleſcendum, neque proſperiore ſucceſſu efferendas animas inconſtantiæ eorum ſemper memores, quâ humana conflictantur, cui argumentum præbeat luna.* Fides in eccleſia, quia eminentiora, quæ credit toto deſiderio appetit, lunam terrenæ nobilitatis habet contemptui, ac pedibus calcat. Fides eſt, quæ cœleſtia, & æterna conſpiciens, lunam ſub pedibus habet; ſeu omnem gloriam mundi, & omnia mutabilia ſub affectibus. Nec mirum, ſi lunam pedibus premat, cum etiam fluxum, liquidúmque elementum pede impavido calcare didicerit: Teſtem huc Petrum Apoſtolorum Principem accerſo: vocaverat eum Magiſter JESU è cymba fluctibus quaſſata marinis Matth. 24. 29. *Veni*, credidit magiſtro dicenti, ac invitanti; & fide vectus tumentes fluctus pede firmo calcavit, ambulans ſuper aquas; quibus fundamenta ſuæ fidei injecit, quovis lapide firmiora; & gravitatem corporis fidei firmitate abegit.

Fidem ſi terſum, ac politum dixeris ſpe- 10
culum D. Bonaventuram habebis tui effati propugnatorem, ac aſſertorem diæt. Salut. cap. 26. de fide: quia ſicut turris præalta, & magna in modico ſpeculo cernitur: perinde majeſtas divina in ſpeculo fidei repræſentatur. Speculum eſt fides, quia in ipſa videre poſſumus, quid evadere debeamus, quid corrigere teneamur. Habendum igitur præ oculis eſt hoc ſpeculum, ne ullus irrepat nævus, quin deleatur; nullus ſit error, quin corrigatur. Sponſa eò quia ſui ſponſi ſpeculum jugiter intueatur, dicitur pulchra, & decora Cant. 4. 1. *Ecce tu pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Fides divina omnia nobis myſteria repræſentat; & quamvis noſtrum excedant captum; nec ſpiculo naturæ lumine valeamus ea comprehendere; ſi tamen fidei intueamur ſpeculum, nec per pili latitudinem à vero deflectimus; quà ſit eundum oſtendit, quæ declinanda præmonſtrat, perinde ac nubes illa præambula, quæ populum Iſraëlis ad terram produxit promiſſionis. Imò dixerim

ſi-

fidem, nubeculam illam, quam vidit Eliæ ſervus hominis præſeferentem faciem 3. Reg. cap. 18. v. 44. *In ſeptima autem vice ecce nubecula parva, quaſi veſtigium hominis.* Nubem ſymbolum eſſe fidei congruit credentibus, qui per fidem nonniſi in nube vident myſteria divina, ſeu obſcurè in ænigmate; ſed quòd nubes virilem præſeferat effigiem, videtur id captu haud obvium: ſed putârim, Chriſtum in nube illa fuiſſe poſteris præfiguratum, à quo res evangelica, & fides Chriſtiana dubuiſſet promanare. Vel ſi mavis, nubes illa typus fuit Virginis Matris, quæ tam perfectè filium fuit imitata, quem genuit; ut imago filij perfectè ſpeculo Matris ſuſpiceretur repræſentata; quaſi Virgo in Chriſtum, quem genuerat, immigraverit; adeò perfectè virtutes filij fuit mater imitata, ut diſtingui ab illo non videretur, idque cauſæ, cur nubecula illa Mariæ Virginis typus *veſtigium hominis* potiùs, quàm fœminæ prætulerit; idque innuit Joannes Patriarcha Jeroſolimitanus lib. de Inſtit. Monach. cap. 33. inquiens: *Ecce nubecula parva quaſi veſtigium hominis aſcendit in Carmelum: quia Maria in hoc ſpirituali aſcenſu, non fœminam, quam imitaretur, ſed hominem divinum habuit exemplum.* Adeò profecit Virgo in hoc ſpirituali aſcenſu, quo de virtute in virtutem gradum inſtituit, ut ſimilis facta fuerit filio. Omnes longè ſuperavit Virgo mater in omnium virtutum genere; ut haberent alij, quod in ipſa admirarentur, ac veſtigia imitarentur. Inceſſura regina Eſther ad regem Aſſuerum ancillam habuit pediſſequam, quæ herulæ veſtigia premens verrentia humum veſtimenta colligebat, ſyrma elevans caudatum Eſther 15. v. 7. Quid ni ſatis cuique Sanctorum erit, ſi vel ſaltem infirmos, & poſtremos virtutum gradus attingat, qui fuerunt in Virgine. Eſtheris ancillam ſyrma colligentem caudatum totum ſignificare humanum genus ediſſerit S. Bonaventura in ſpeculo B. Mariæ lect. 3. inquiens: *Per reginam Eſther intellige Mariam reginam; anima humana eſt famula, quæ Dominam ſuam Mariam ſequitur in mundo; ſequitur certè colligens veſtimenta Dominæ, ſcilicet colligens virtutes, & exempla Mariæ.* Is felix, qui vel fimbriam horum attingit veſtimentorum: quod ſi Judaicus populus per viarum divortia in deſerto præviam ſequebatur columnam ex nube conſtructam: nos Virginis Mariæ præſignata exempla mentis inceſſu ſequamur: rectum nobis Virgo ſignat iter: eſt hæc columna nubia Virginitate candida; ſimul & charitate ignea, ut æquè interdiu, ac nocte habeamus, quam ſequamur.

11 Plura ſunt, quæ ſymbolicè Fidem exhibent, ut Rubus, quem Moyſes viderat incombuſtum in vertice Orebi montis Exod. 3. 3. *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam*, ſed Deus acceſſum Moyſi inhibuit Viatori: *ne appropies huc*: quia humanæ fragilitati non eſt datum inquirere, & curioſiùs præſcrutari divina myſteria dicente Salomone Proverb. 25. 27. *Qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria.* Hinc Seraphini volabant quidem pennis, ſed oculos operiebant; quò nos edocerent ad Dei penetranda myſteria non patere acceſſum per ingenij acumen, per intellectus ſpeculationes; ſed per voluntatis inflammationes per affectionis amorem. Moyſes tamen, quò propiùs videret rubum flammis ſplendentem, & nil detrimenti patientẽ jubetur priùs calceos deponere; & excalceatus propiùs accedere; & nos nonniſi exuta humanitate, ac depoſitis calceis corporis propiùs non accedimus ad divinorum intuitionem myſteriorum, non in vertice Orebi, ſed in monte ſancto cœleſtis Sionis.

Sponſa ſuam inveniſſe quietem ſub um- 12
bra ſponſi fatetur Cant. 2. 3. *ſub umbra illius, quem deſideraveram ſedi.* Sed eccleſia tuta quieſcit ſub umbra fidei; hac umbra protecta, quod timeat, non habet, cum nec portæ inferi contra hanc fidei umbram prævalere poſſint. Benefica eſt hæc umbra, quæ lucem temperat oculo caliganti; & cæcutientem oculum diſponit ad lucem percipiendam, luménque gloriæ recipiendum. Matth. 17. 2. in vertice Thaboris: *Reſplenduit facies ejus ſicut ſol.* Sed diſcipulis non dicitur, ut videant hanc mirificam viſionem, ſed audiant *v. 5. audite*, quia fides ex auditu; quo edocemur nonniſi per umbras fidei ad ſplendores æternæ gloriæ nobis patere acceſſum. Sed cur ſplendente Magiſtri facie ſolis inſtar non jubentur diſcipuli oculos adaperire? nimirum ne tantæ lucis incremento, cui ferendo impares erant oculi, acies obtunderetur, jubentur aures, non oculos adaperire; ne ſplendor gloriæ fidei umbras diſpelleret, ait enim S. Chryſoſtomus homil. 6. in 1. Corinth. 1. *Quanto certiùs demonſtratur argumentum, tantum fidei præmio detrahitur.*

Fidei ſymbolum exhibet avicula caveæ 13
incluſa in obſcura camera, ne lucem videat, ubi ſilens, & tacita moratur in illa obſcuritate: repræſentat fideles, qui fidei obſcuritatibus circumſepti credunt, ac ſperant lumine gloriæ illuſtrari, ac cœleſti potiri gaudio 1. Petri 1. v. 8. *Non videntes creditis: credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili.*

Horologium ſciathericum, quo ex umbra ſolis curſus dignoſcitur, fitque lux ipſa per umbram intuentibus nota Actor. 26. 18. *Convertantur à tenebris ad lucem*, ſeu è fide viatores, perveniant ad lumen gloriæ comprehenſores: ſolet itidem fidei ſymbolum accerſiri, oculus hominis velato vultu per tenuem velaminis rimulam ſolem intuens addito lemmate *Hac totò, totúsque videtur.* Cui conſonat illud Sapientiæ 1. 2. *Apparet eis, qui fidem habent in illum: perverſæ enim cogitationes ſeparant à DEO.* Præſtant cæteris ſenſibus oculi, exercéntque ſupra alios quemdam, ut dixerim, principatum; ideóque in præalta corporis parte locati: S. Baſilius Seleucienſis orat. 36. & S. Ambroſius lib. 6. exam. cap. 7. *Quod ſol & luna in cœlo, hoc ſunt oculi in homine.* Sed quia ſol, & luna perſæpe nubibus obducuntur; perinde oculus fidei in obſcuro deliteſcit. Hinc oculus pars

cor-

corporis præſtantiſſima, ea majore cautione cuſtoditur, quò nobilior, ac præſtantior eſt reliquis ſenſibus: hoc natura nos edocuit; quæ illos tegminibus, membranis; cilijs, ac ſupercilijs munivit, ac ſepſit; ut innuit Cicero lib. 2. de nat. Deor. *Oculos membranis tenuiſſimis veſtivit, ac ſepſit: palpebræque, quæ ſunt tegumenta oculorum molliſſimæ tactu, ne læderent aciem, aptiſſimè factæ. Naſus ita locatus, ut quaſi murus oculis interjectus eſſe videatur.* Fides etiam perinde, ac oculus diligentiſſimè cuſtodienda, ne ullus nævus eam devenuſtet. Sua habet tegmina natura, quibus oculos tegat, & protegat, ne lædantur: & gratia ſuis non deſtituitur propugnaculis; quibus fides ſervetur illæſa; majus enim damnum ex fidei læſione, quàm ex oculi vulnere timendum: cavenda potiùs eſt animæ, quàm oculi macula. Quòd ſi oculi cæteris præeminent ſenſibus; ita fides cæteras præcedit, fundátque virtutes, quæ niſi fidei innitantur, corruunt; eſt fides firmior, nec fallere credentem poteſt. Sapiens fuit Iſaac, & tamen in reliquis erravit ſenſibus excepto auditu, quia fides utpote ex auditu errori non eſt obnoxia Geneſ. 27. 21. ait Iſaac. *Accede huc, ut tangam te Fili mi;* & tamen licèt ſapiens erravit in alijs ſenſibus; & ſolo auditu verum attigit, quia fides ex auditu nonniſi verum aſſerit: ſcitè D. Bernardus ſerm. 26. in Cant. Omnes ſenſus præter auditum defecerunt in Iſaac; ſolus auditus immunis fuit: calligaverunt oculi ejus, & videre non poterat: Guſtus in eſu hœdi deceptus eſt, & decipiebatur etiam tactus ejus: ſolus auditus à deceptione liber evaſit: unde ait: *Vox quidem vox Jacob eſt, ſed manus, manus ſunt Eſau* Geneſ. 26. Non tamen patitur fides ſe tangi; idque cauſæ, cur Magdalena redivivum Chriſtum cum niteretur tangere repulſam eſt paſſa Joan. 20. 17. *Noli me tangere*: neque cenſeas, ſine cauſa rejectam fuiſſe à tactu carnis redivivæ; quia mulier carnaliter ſapiens plus tribuit oculo, quàm oraculo; ſeu plus ſenſui, quàm verbo Dei: meritò igitur Chriſtus eam à ſe expulit, nec permiſit ſe ab ea tangi, *noli me tangere*, quaſi diceret, ait S. Bernardus ſerm. 28. in Cant. Deſſueſce huic ſeducibili ſenſui; & innitere potiùs verbo, ac fidei aſſueſce; eſt enim fides, quæ non fallitur, nec nos fallit. Enervat fides rationes humanas, ac intellectus humani ſupergreditur captum; tenebras fugat dubietatis; retrahitque homines ab impijs querelis; contra Dei juſtitiam: ac miſericordiam, quæ ab inſipientibus perſæpe procedunt.

14 Fides Dei æmulatur potentiam. Ipſa ut cenſet S. Gregorius Niſſenus lib. de vita Moyſis, populum duxit per mare rubrum non navibus undas traijcientibus, ſed pedibus ſicca veſtigia imprimentibus. Ipſa aquarum juſſit divortium, & in binos diſſecto mare fluidos parietes viam in aquis populo aperuit ad promiſſam ſibi à Numine terram: non navi populus, ſed fide mare pertranſivit. Fides eſt, quæ unico verbulo *fiat*, mira operatur. Matth. 15. 28. *Fiat tibi, ſicut vis*, quaſi diceret, ait S. Gregorius Niſſenus homil. 17 in Matth. Fides tua quidem majora, quàm petis poterat impetrare; veruntamen fiat, ut vis: hæc vox affinis eſt ei, quâ Deus mundi conditor dixit, *fiat cœlum*. Omnia quæcunque voluit, fecit. Notat S. Chryſoſtomus homil. 17. in Matth. non dixiſſe ſanetur filia tua: *ſed fiat, ſicut vis*. Tu eam priſtinæ reſtitue ſanitati; eſto tu medicus, alexipharmaca opportuna ægritudini depellendæ applica: tua ſit voluntas, quæ eam curet. Fides eſt, quæ Dei aſſequitur beatitudinem Luc. 10. 23. *Beati, qui vident* non oculis corporeis; quia plures Judæorum viderunt Chriſtum divina in terris operantem, qui tamen in cœlis non fuerunt beatitudinem aſſecuti. Beati ſunt igitur, qui vident oculis mentis, ſeu credunt fide, quæ Chriſtus fuit operatus, & docuit: ſcitè Didacus Niſſenus *Dom. 12. Pent.* Beati ſunt oculi noſtri in hoc, quòd fide vidimus, Verbum pro nobis hominem factum; imprimens nobis decorem ſui nominis; ut nos ſibi conformes faciat per ſanctificationem, atque juſtitiam. Mirum tamen, quod Joannes dicat Verbum hominem factum Joan. 1. 7. *Ut omnes crederent per illum*, cur non potiùs dixit, ut omnes ipſum cognoſcerent, ac diligerent; cum amor cognitionem præſupponat rei amatæ; cur non dixit, ut omnes ipſum ſcirent. An quia ait Sylveira hic quæſt. 34. peccatum intravit in mundum per immoderatum appetitum ſciendi bonum, & malum in primis parentibus? & quia contraria contrarijs reparantur; debuit ſalus in mundum intrare per mortificationem ejuſdem appetitus ſcientiæ; captivando intellectum in obſequium fidei? Intellectus cui eſt proprium intelligere, & ſcire, mortificatur, ſi captivetur in fidei obſequium, non ſit fides deſtructiva ſcientiæ. Quòd ſi per appetitum inordinatum ſcientiæ mors ſibi additum apperuit in mundum; beneficio fidei mors expellitur, & vita accerſitur Joan. 11. 25. *Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet.* Ideo eſt anima emortua, quia ſpiritu fidei deſtituta: ergò beneficio fidei anima, quæ mortua erat, vivit; ac vitam haurit à fide. Scitè Venerabilis Beda: *Sicut anima corporis vita eſt: ita fides animæ, vita eſt animæ.* Imò tantæ eſt fides vivacitatis, ait S. Bernardinus *ſerm. 4. A. 1.* ut mortis teporem omnem excutiat, quo mens humana ad ſalutaria moveri non permittitur: timoris etiam fortiſſimi, & amoris motus incitat, & excitat: neque impar ſit ſolari radio, & calori, cujus calore reviviſcunt plantæ, herbæ, arbores, & cuncta virentia terræ. Similis eſt radici, nam vita radicis, vita totius arboris eſt, quæ ſi areſcit, emoritur arbor. Similis eſt cordi vivificanti ſingula corporis membra. Non ſolùm vivit anima ſpiritu fidei, verùm etiam pugnat, & rebelles expugnat concupiſcentias, ac tentationes carnis Apocal. 19. 11 *Ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur fidelis, & verax* 1. Joan. 5. 4. *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum Fides noſtra.* Idque fortaſſis cauſæ, cur Iſaac in pignus amoris dederit Rebecæ mo-

nilia, armillas, & inaures: Geneſ. 24. 47. *Suſpendi itaque inaures*: ſunt inautes fidei ſymbolum, quia fides ex auditu; armillæ verò bonorum operum. Quid ni? primum illud omnium pretioſiſſimum monile, quò cœleſtis ſponſus animam, quam ſibi vult deſponſatam ornat, eſt fides, & quia hæc ſine operibus mortua eſt; addit armillas reliquarum virtutum, quarum ope ſanctè, ac piè operatur.

EXPENSIO V.

Virtus ſpei ſacris exculta argutijs vireſcit vegetior.

1 QUemadmodum fides eſt regula intellectus, quem dirigit, ne circumferatur omni vento doctrinæ, ac illiſus in erroris ſcopulum naufragium ſubeat: ita ſpes anchora dicitur voluntatis, quam firmam, fixámque tenet, ne inter hujus ſæculi æſtus fluctuet: ait D. Paulus ad Hebr. 6. *Spem habemus velut anchoram animæ tutam, ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis.* Eſt ſpes actus voluntatis appretiativus, ſeu æſtimativus, quo liberè probabilitatem boni deſiderij, quamvis plerisque circumſeptam difficultatibus, ac obtentu difficilem præferimus alijs bonis incompoſſibilibus: inde liquet, actum ſpei verſari circa rei futuritionem arduam; & in tali habitam pretio, ut ſperans rem ſperatam non commutaret cum alio bono, licet certo, ſi reflexè cognoſceret alterutro carendum. Hinc Piſcatores vendentes incertam piſcium capturam dicuntur ſpem ſuam divendere: ut etiam cum, quis paciſcitur cum adverſario, ut deſiſtat ab actione, quâ jus ſuum probabile proſequitur, in judicio dicitur emiſſe ſpem alterius. Hinc verſatur ſpes circa bonum futurum, quod non intelligitur quoad exiſtentiam rei ſperatæ, ſed quoad poſſeſſionem acquirendam à ſperante: ſperamus enim Deum videre, qui ita exiſtit, ut non poſſit non exiſtere. Unde ſpes Theologica eſt verus actus amoris concupiſcentiæ Dei ſummi boni; éſtque efficax deſiderium bonum illud, quamvis acquiſitu difficile obtinendi: cum feratur ſpes in bonum abſens, deſiderij naturam quodammodo induit, à quo tamen differt; eò quia ſpes fertur in bonum arduum obtentu difficile, poſſibile tamen, & futurum, & deſiderium ab hac arduitate præſcindit.

2 Hanc ſpei arduitatem experti ſunt B. Virginis Mariæ genitores Joachimus, & Anna cum duplici deteoti impedimento ſterilitatis, & ſenectutis adhuc ſpe alebantur ſuſcipiendi prolem, in cujus virgineo utero ope divini Spiritus Æterni Patris filius noſtram indueret humanitatem, fierétque Deus & homo. Supera fuit hæc ſpes, qua Virginis matris parentes paſcebantur, cum natura ipſa viſa fuerit omnia humanæ ſpei alimenta ſubtraxiſſe: hinc Apoſtolus comendaturus Abrahami ſpem ſcripſit ad Rom. c. 5. *Contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret pater multarum gentium:* quæ verba expendens S. Remigius Epiſcopus Remenſis, ait; *contra ſpem deſperatæ ſobolis, credidit in ſpem ſperatæ ſobolis; vel certè contra ſpem naturæ in ſpe gratiæ, & potentiæ DEI.* Apoſtoli verba etiam D. Chryſoſtomus homil. 8. in Epiſt. ad Rom. hoc modo verſat, donátque explicatu. *Præter ſpem ſub ſpe credidit, ſe fore patrem multarum gentium.* Ad clariorem dilucidationem addit; *quo pacto præter ſpem ſub ſpe credidit? præter ſpem humanam ſub ſpe DEI.* Uterque conjux ſenio confectus, & ſterilitate præſertim Sara laborans, areſcentem noverat ſpem prolis ſuſcipiendæ: ſed ſi aruit ſpes naturæ, effloruit ſpes gratiæ, quæ minimè in ſenectute conjugum conſenuerat; ſed lætiùs adoleſcere, ac vernare didicit in Iſaaco promiſſo. Huc acceſſendus S. Ephrem, in Abrahamũ & Iſaac inquiens. *Extincta in eo ſimul, & conjuge erat vis, atque potentia generandi; corpus utriusque ſuccumbebat naturæ: nam juventus ante conſumpta fuerat: at ſpes in DEUM vigens, in eis non modo ſenio libera erat, ſed etiam inſuperabilis: quare etiam præter ſpem Sara Iſaac peperit; qui in cunctis typum, atque figuram Domini gerebat; non naturæ opus erat, ut præmortua conciperet in utero; & mammillæ in ea exſiccatæ lac Iſaac præberent.*

Spes, quâ virtutum cultores aluntur, non in imò vallium viret, ſed in celſitudine montis floret; talis fuit ſpes, quâ Joachimus, & Anna nutriebantur prolis ſuſcipiendæ, quamvis exſuccâ præpediti ſenectute: de hac ſpe ait S. Vincentius Ferrerius ſerm. in Feſto S. Annæ: *Anna habuit fructum ſuum in ſanctificatione ſperando certè.* Verùm hæc ſpes certa, firma, & inconcuſſa in montis celſitudine viruit, effloruítque; melliſque dulcedinem ſtillavit S. Joannes Damaſcenus orat. de nativ. Deiparæ ait: *Joachim, & Anna, tanquam ſpirituales montes dulcedinem ſtillârunt.* Adeò firma, & excelſa eſt ſpes, quæ ope fulcitur divina, ut ſperantes, montes efficiat dulcedinem ſtillantes; idque David viſus eſt innuiſſe, cum dixit Pſal. 124. v. 1. *Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion*, vocat regius vates ſpem Deo innixam montem inconcuſſum; quia nullis tentationum machinis dimoveri poteſt; nullis adverſantis fortunæ procellis everti; nullis hoſtium aſſultibus concuti; neque labefactari; idque edixerit S. Chryſoſtomus in Pſal. 124. inquiens: *Montem dixit ſpem in Deum immutabilem, inconcuſſam, firmam, & & conſtantem: quemadmodum ſi quis innumerabiles adhibeat machinas, montem nec convellere, nec labefactare poterit: ita etiam qui eum aggreditur, qui ſpem in Deum collocavit, revertetur Domum vacuis manibus; monte enim longè eſt tutior ſpes in Deum.* Spes Deo innixa ſtat monte firmior, dejici nequit. Quis neget montes fuiſſe DEI genitricis parentes ob culmen ſanctitatis, ob celſitudinem prærogativæ, ob eminentiam virtutum, quæ hoc in monte effloruerunt? ſed ſpecialiùs ob ſpei præconceptæ firmitatem atq; conſtantiam. Imò adeò conſtans, firma, atque eminens fuit ſpes in Mariæ genitoribus, ut in adverſis viruerit lætior, in ærumnis adoleverit vegetior, in opprobrijs floruerit jucundior, non ſecus ac roſa ſpinis circumſepta. Quod ſi olla, quò vehementiùs igne ſuppoſito incaleſcit, eò 3

ſub-

ſublimiùs ebullientem evehit aquam, eam ſurſum extollit: perinde ſperans in DEUM, eò ſublimiùs ſurgit, propiúſque ad DEUM accedit, quò adverſitatum, ac perſecutionum igne circumcingitur, ac premitur, ac flammis aduritur tribulationum: Id ediſſerit Ugo Catenſis, expendens verba Regij Vatis Pſalm. 59. v. 10. *Moab olla ſpei meæ*, inquiens. *Hæc eſt accenſio, ſeu inflammatio ſpei meæ: quia ſicut dicit Gregorius: tanto ſpes in DEO ſolidior ſurgit, quantò quis graviora pro eo ſuſtinuit.* Quò ærumnarum flammæ acriùs urunt, eò altiùs ſperantem in DEUM extollunt. Et viri juſti culturæ addicti virtutum firmiùs ſperant, ſi aliunde illis ſubtrahatur cauſa ſperandi: id præſtitêre Virginis Matris genitores Joachim & Anna, etenim à ſacerdote excluſi è templo ardentiùs per fuſas preces adnixi ſunt, Deum, in quem ſperârunt, in ſua flectere vota: Sacerdotis deriſiones ſpem non abegerunt; ſed accerſiverunt, tunc firmiùs ſperarunt eſſe divinitùs prole donandos; cùm humanitùs videbatur ſpes omnis exareſcere. Eſt ſpes, quæ ſi ſuas in corde viri juſti radices egerit, adoleſcit in florem, qui fuſis rigatus precibus in Deum ſuo non deſtituitur fructu.

4 Quòd ſi Mariæ genitores montes ob ſanctitatis, & excultæ virtutis eminentiam audiunt; eorum filia Virgo mater non dedignatur olla dici ſpei: olla quidem ſed pellucidos, ac defœcatiſſimos continens puritatis latices, ac ferventiſſima ebulliens charitate, nec alio igne, quàm amoris, quò jugiter arſit: id aſſerit S. Ambroſius de Inſtitut. Virgin. cap. 12. *Moab aula ſpei, vel olla ſpei meæ, utrúmque enim diverſis in codicibus invenitur: aula regalis eſt Virgo, quæ non eſt viro ſubjecta, ſed DEO ſoli: eſt & olla uterus MARIÆ, quæ ſpiritu fervente, qui ſupervenit, in eam replevit orbem terrarum, cum peperit Salvatorem.* Sed cur MARIA olla dicitur Moab? ut inde illuſtriùs nobis innoteſceret firmam, ac ferventiſſimam fuiſſe Patris ſpem, quatenus ſperante Patre S. Joachimo, & contra ſpem credente genita eſt; hoc eſt, contra ſpem naturæ, credidit in ſpe gratiæ, & divinæ potentiæ, & firmiter ſperavit fore, ut ex Anna conjuge prole eſſet donandus. Fuit Maria ſpes, quæ in corde Genitorum ſata effloruit ſupra naturæ limites. Fuit & olla ſpei ab illo confícta Figulo, qui in ejus utero perinde, ac in officina, noſtra voluit humanitate veſtiri, ac initia cudere noſtræ redemptionis. Sed ſi fuit Virgo Maria olla ſpei; & illa cœleſtis benedictionis terra, quæ divino jugiter ebullijt amore, floruítque in roſam charitatis, ac lilium puritatis, ac in flores vernavit reliquarum virtutum: de hac eadem terra divinus Figulus ollam itidem ſpei noſtræ compoſuit Beatam Virginem, quæ verè ſpes noſtra eſt, quatenus per ejus patrocinium fore ſperamus, ut cœleſti ſimus beatitate donandi. Adeò Joachimus fuit ſperata prole felix, ut ſpem ſuam viſus ſit ipſo nomine prætuliſſe, & quidem omine auſpicatiſſimo: Joachim enim latinè ex Petro Galatino interpretatur, *Deus elevabit, vel eriget*, quia per ejus prolem Virginem Mariam erat humanum genus erigendum; & per filium Mariæ è Dæmonis famulitio elevandum ad libertatem cœleſtis patriæ. Vel Joachimus ſpe alebatur ſui nominis, quia tempus ſperavit acceſſurum, quo à probro ſterilitatis æquè ipſe, ac Anna conjux erigeretur. Non me latet, commentum eſſe Poëtarum fingentium Jovem, è ſummo cœlo quamdam in imas terras auream demittere catenam, quâ ſurſum homines traherentur, & in cœlum erigerentur; ſed ſi gerræ, ac nugæ ſunt iſtæ; veritati omninò conſonum eſt, virtutem ſpei à Deo in homines derivatam, ac mortalium mentibus inſertam ſurſum nos elevare, pulchrè ad id alluſit S. Chryſoſtomus epiſt. 5. ad Theodorum, inquiens: *Ipſa ſpe ſperabimus: ſiquidem ea eſt catena aurea, & firma, quæ de cœlo propenſa ſubducimus animas noſtras.* Hanc auream ſpei catenam non manibus tantùm, ſed & corde amplectamur, quò ab illa ſurſum trahamur, ut nobis aurea ſua eloquentia ſuadet S. Zeno Veronenſis ſerm. de Fide, Spe, & Charitate, ait ipſe. *Amplectenda eſt fratres ſpes tenaciter nobis, & omni genere cuſtodienda virtutum.* Id præſtitit David, qui hac ſpei catena adeò arctè ſe Deo innexuit, ut ab illo ſejungi ampliùs noluerit Pſal. 118. v. 114. *Et in verbum tuum ſuper ſperavi.* Pſalm. 3. v. 1. *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum;* & plures ſuam repetit ſpem, quâ Deo nititur, ac innueret, in ſpe jugiter eſſe proficiendum, ut ſemper beneficio hujus aureæ catenæ ad cœleſtia elevemur; ut ſcitè ait D. Ambroſius Oct. 15. expendens Pſalm. 118. *Quod de eo dicitur, qui ſemper addit ad ſperandum, & cum ſperaverit aliquid, iterum ſperat, & ſpe proficit, extendens ſe ſemper ad ſuperiora*, quo enim, quis magìs in ſpe proficit, eò longiùs ab humano ſe ſubducit auxilio. Qui verè ſpe Deo nititur; huic caſſa, & irrita ſunt, quæ humano favori nituntur; omnémque aliam à ſe ſpem longiùs abigit, quapropter cum ſpem ſuam in Deo locatam dixiſſet, divinóque innixam verbo Pſalm. 118. *Et in verbum tuum ſuperſperavi;* ſtatim adjicit: *Declinate à me Maligni*, ut nos edoceret, ſpem Deo innixam ſperantes eximere ab hominibus præſertim malignis, & iniquis, & omnem aliam ſpem excludere; id ediſſerit S. Ambroſius in Pſalm. 118. inquiens: *Si quis ſperat in Chriſtum, ſeparare ſe debet à conſortio perfidorum; ideóque dixit: diſcedite à me maligni.* 5

Atque forſaſſis cauſæ? cur ſperantes in Deum dicantur pennas aſſumere ut Aquilæ. Iſaiæ 4. v. 31. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut Aquilæ, current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.* Sed cur innitentes ſpe divina pennas dicuntur aquilæ aſſumere, & non potiùs columbæ, quæ ob candorem, & ſimplicitatem ſpei puritatem defœcatam à quovis alio aſſ-

affectu in creaturas adſignificat? An quia aquilæ pennæ altiùs inſcendunt, & volatu cæteras omnes alias aquila excedit aves, & proximiùs cœlo, ſolique advolat? & ſpes ad ſubliniora, & ad Deum ipſum ſperantes evehit? verùm putârim: ideò in DEO ſperantes aſſumere pennas ſicut aquilæ; quia aquilarum pennæ hac dicuntur vi pollere, ut aliarum avium pennas juxta ſe poſitas abſumant, deſtruántque, nec patiantur cum pennis aliorum volucrum conſortium. Rectè igitur ſperans in Deum pennas dicitur aſſumere, ut aquilæ, quia omnem aliam ſpem in creaturas à ſe longiùs abijcit: ſpe divina fultus auxilium omne humanum reſpuit, ſoli Deo hærens; ejúſque opem cupit. Qui ſpe divina fulcitur, non ſinit ſpem ullam humanam ſuo adoleſcere in corde, ſed illam abſumit; non ſecus ac pennæ aquilarum pennas aliarum avium. Hinc cùm videntur ſperantes in Deum omni prorſus humano deſtitui auxilio; tunc Deus adeſt opem ſuppeditaturus uberiorem: ob idque fortaſſis ad Lazarum decumbentem venire diſtulit, donec quatriduanus fęteret in tumulo, & cum defuncto ſpes omnis humana jam emortua eſſet: cum ad ſororum preces, lachrymis madidas veniſſet JESUS ad ſepulchrum, juſſit amoveri lapidem, & ſepulchrum aperiri Joan. 11. *Tollite lapidem*, & tunc mortuum priſtinæ reſtituit vitæ: ubi ſpes omnis humana defecerat, adfuit virtus divina, quæ ſola voce, ſolóque juſſu *Lazare veni foras* Joann. 11. mortuum revocavit ad vitam: argutè S. Petrus Chryſologus ſerm. 631. ait: *Manſit duobus diebus in eodem loco. Videtis, quomodo dat locum morti; ſepulchro dat licentiam. Atque agit, ut humana ſpes tota pereat; & tota vis humana deſperationis accedat.*

6 Refert Plutarchus in Sympoſio reliquarum avium pennas, ſi cum aquilarum pennis componantur perire, ac ad putredinem defluere: quod etiam aſſerit Ariſtoteles *hiſtor. Animal. lib. 9. cap. 2.* Quidni Dei pennæ aquilæ dicuntur, cum provocet Deus ad aquilæ volatum Deuter. 32. 11. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos.* Si igitur velimus pennis hujus aquilæ tegi, & ſub earundem umbra quieſcere, ac ſperare, ut nos monet David Pſal. 90. 4. *Sub pennis ejus ſperabis*: neceſſè eſt, defluant pennæ aliarum avium, ſeu ut in ſolum Deum ſperemus Eccleſ. 2. 11. *Nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt.* Confundi perinde eſt, ac ſpe fruſtrari; & tunc is dicitur confundi, cujus ſpes exareſcit, & quod petit, non impetrat: quapropter ſperans in ſolum Deum David ajebat Pſal. 24. 2. *Deus meus in te confido, non erubeſcam.* Sperarunt in Deum Ninivitæ, & non fuerunt confuſi, imminentem evaſerunt punitionem Joan. 3. 5. *Et crediderunt* (ſeu ſperârunt) viri Ninivitæ in Deum. Nemo fuit in tota urbe, qui Jonatham civitatis ſubverſionem minitantem conveniret, nec qui cum illo ſermones miſceret, imò nec ullum faceret verbum: ſed omnes relicto propheta ad unum DEUM confugerunt; ac in ejus ſperarunt clementiam: ait S. Ephrem in Jonam. *Viderant Ninivitæ Prophetam durum, ac ſævum; & relicto Propheta duro, confugerunt ad DEUM miſericordem.*

Id proprium aquilæ, ut ſurſum rectà feratur, nubiúmque tonantium minas volatu ſupergrediatur, & fulmina non vereatur, quæ in earundem ſinu perinde, ac in Vulcania officina cuduntur, quia hiſce terrenarum exhalationum tumultibus ſublimior ſolo paſcitur ſereni ſolis defœcato radio, quo unicè delectatur. Ex aquilæ ad ſublimia volatu conjicimus, quomodo ſpes noſtra debeat in Deum ferri, rectà ſcilicèt non obliquè, ſicut cæteræ aves, quæ nonniſi per gyros, ac circuitus ſurſum inſcendunt. Illi in Deum ſperantes aquilarum veſtiunt plumas, qui abſque ullo deflexu rectà feruntur in Deum; nullámque creaturam noxio circumeunt gyro; quatenus nullum à creaturis ſperantes ſubſidium; in ſolum Deum ſperant. Oleaſter expendens verba Iſaiæ. *Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ* ex Hebræo legit: *Sperantes autem in Domino mutabunt robur, alâ aſcendent quemadmodum aquilæ*, hoc eſt, rectà ſine gyris, abſque ullo in creaturas deflexu, quia hæc inferiora deſerentes, hominúmque favores non quærentes rectà pleno volatu ſurſum feruntur in ſolum Deum ſperantes; ita volantes, ac ſperantes non deficiunt, neque cadunt, neque ulla debilitantur laſſitudine. Huc vocandus S. Laurentius Juſtinianus cap. 2. de ſpe: *Non defatigantur, nec debilitantur ſperantes in Domino, quin potiùs aſſumunt pennas, ut aquilæ*, ut lapſum non timeant, nec nubium minas. 7

Spes in Deum difficultatum montes ſolo æquat, ac in planitiem redigit Zachar. 4. 7. *Quis tu mons magne coram Zorobabel*, per montem hic intelliguntur æmuli præpotentes, & adverſarij Judæorum, qui nitebantur, imò facilè poterant templi ſtructuram impedire. Chaldæus legit: *Quid tu reputaris regnum ſtulidum coram Zorobabele? nonne quaſi vallis*: qui mons fuerat virium potentia, fit vallis depreſſa, umbris obſcura; Quidni? Monarchæ Perſidis videntur montes excelſi, & inacceſſi, ſeu ſuperatu perdifficiles, ut ſuam opponentes celſitudinem ſint templi ſtructuræ impedimento. Sed montes ſtatim deprimuntur in valles: *nonne quaſi vallis.* Si quæras, quænam ſit vis tam valida, quæ hos montes complanet, deprimátque in valles; reſpondet Cornelius, hanc Amazonem proſternentem montes ſuperbiæ eſſe ſpem in Deum; quia hæc ſubſidiaria impetrat auxilia à Deo, quibus difficultates omnes complanat, quæ templi ſtructuram; ſeu opus religionis, ac virtutis impedire ſatagunt. Non tamen credas, montes ſingulos operibus adverſari Religionis, ac virtutum exercitijs eſſe obſtaculo. Sunt enim montes, à quibus auxilium ad nos derivatur, quò faciliùs in virtutum proficiamus 8

exer-

Digitized by Google

exercitijs, id cum noviſſet David ait pſal. 120. v. 1. *Levari oculos meos in montes unde veniet auxilium mihi* Hi montes ſunt viri ſancti virtutum ſtudijs addicti, ob celſitudinem virtutis, ob eminentiam ſanctitatis, ob altitudinem, ac ſublimitatem contemplationum montes ſunt. Sed hiſce montibus cæteris præcelſior eſt B. Virgo Maria, quæ unà cum fructu ventris ſui noſtræ libertatis peperit aſſertorem. Refert Olaus lib. 2. cap. 32. In Oelandia inſula Gothij maris prope litus aquilonare montem præalto vertice eminentem mari illi imminere, quem nautæ incolæ vitandæ marinæ tempeſtatis gratiâ montem virginem vocant, & ad ejus radices portúmque immorantes muneribus dicuntur montem placare, ſibique devincire, quò procellas arceat, & malaciâ faveat. Quidni? Virgo mater mons eſt, cuj virginis jurè etiam poſt partum nomen adhæſit ob intemeratam virginitatem, quam coluit, obque firmiſſimam virtutem, cuj jugiter ſtuduit. Hunc montem purgato mentis oculo aſpiciat, ad ejus pedes procumbens in venerationem ab ipſa protegi expoſcat, qui in hujus fluctuantis vitæ pelago undis perverſarum paſſionum jactatur; tumentibus ambitionis, ac ſuperbiæ fluctibus agitatur. Ajebat *David Pſal. 120. Levari oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi*, quod ſanè de Virgine intelligitur, quæ mons Virgineus eſt ob celſiſſimam omnium virtutum eminentiam, quâ cæteros omnes ſanctorum montes ſupergreditur, de ipſa enim dixit Iſaias cap. 2. v. 2. *Præparatus Mons domus Domini in vertice montium*: quotquot ad hujus montis radices ſe recipiunt, ſeu procumbentes ad Mariæ pedes ejus expoſcunt opem tranquilli portûs fruuntur malacia; & à procellis, quæ in hujus ſæculi pelago naufragium minantur, liberantur, & per exercitia virtutum ad portum cæleſtis patriæ perducuntur. Dixit Eccleſ. 2. v. 11. *Reſpicite filij nationes hominum; & ſcitote, quia nullus ſperavit in Domino* (dixerim in Domino in Virgine MARIA) *& confuſus eſt*: ut homines alliceret ad ſperandum in Dominum, & Dominam ejus matrem.

Sermones ſperantium in DEUM non
9 delentur, quia ſpes hæc firma, & conſtans nulli eſt fortunæ viciſſitudini obnoxia Job. 19. 23. *Quis mihi tribuat, ut ſcribantur ſermones mei? quis mihi det, ut exarentur in libro ſtylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte ſcribantur in Silice*: hoc eſt ſermones, quos Huſſeus princeps dicturus erat de ſpe reſurgendi, & cœleſtem poſſidendi felicitatem, voluit incidi ſtylo ferreo in libro æternitatis, ne unquam obliterentur: ſiquidem ſpes, quam in DEO collocamus nulla vi humana obliteratur, quia celte ſcribitur in ſilice; quæ atramento ſcribuntur, temporis diuturnitate delentur; quæ verò in ſilice æternitatis, in libro vitæ exarantur nullo tempore oblitterantur. Quòd Jobi ſermones fuerint de ſpe in Deum, de reſurrectione, quam ſperaverat nulli eſt dubium: ſubdit ſtatim v. 34. *Scio enim quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum: & rurſus circumdabor pelle mea, & in carne videbo Deum meum* Lapſui non eſt obnoxia ſpes in Deo collocata, ſed firma ſtat Deo innixa. Idque fortaſſis cauſæ, cur Salomon 3. *Reg. cap. 7. 21.* ſtatuerit duas in templo ſolymæo columnas erigi æreas octodecim cubitorum altitudinis, & unam *Jachin*, alteram *Boos* vocaverit. Quid myſterij in hiſce latet columnis? præſertim cum Jachim *Confirmatum*; & Boos *in fortitudine* interpretetur: cur plures æreas voluit effingi columnas, ſi omnes, & ſingulæ re, & nomine in idem collimant, ad indicandam fortitudinem, ad ſuſtentanda lilia? ſi cum cæteris floribus naſcuntur lilia, & adoleſcunt in hortorum areolis proprio innixa cauli, cur Salomon in porticu templi duas voluit columnas erigi, & quidem non lateritias, non ligneas, nec lapideas, ſed æreas ob majorem firmitatem, ac diuturniorem durationem; & cur harum officium columnarum illud tantùm fuerit, ut lilia fulcirent, quæ fortaſſis aptiùs in vaſe fuiſſent argenteo diſtributa? ſcitè Salomon voluit in templi porticu lilia columnia fulciri æreis. Eſt Lilium ſpei ſymbolum, ut aſſerit Pierius lib. 55. & oſtendit ex numiſmate Antonini Pij ubi lilium florebat cuſum, addito lemmate *ſpes publica*; & ex alio numiſmate Adriani Imperatoris cum verbis *ſpes populi Romani*. Imò non ſimpliciter lilium ſpem indicat, ſed ſpem firmam, & perennem, quæ non exareſcit æſtu pravarum concupiſcentiarum; eſt lilium flos cæteris prolixior caule. Ad fulciendam igitur ſpem firmam in Deum defœcatam à quovis alio affectu terreno, & quam, lilium ſua celſitate, ſuóque candore indicat; ſcitè Salomon has voluit æreas conſtrui columnas ſignificantes firmitatem, ac perennitatem ſpei.

Eſt ſpes, quâ fulcimur proficiſcentes ad 10
cœleſtem patriam, & flexuoſas mortalis vitæ percurrentes vias; ipſa tædium abigit itineris, moleſtias excutit, labores levat, vires addit ſolatium ſuppeditat, & eſt fulcrum, quo ſtamus: quod ſi volvit Deus, Judæos baculi ſubſidio munitos in itinere Exod. 12. 11. *Tenentes baculos in manibus*: per baculum ſpes innuitur, & fortitudo tendentium ad terram promiſſionis, ut explicat S. Gregorius Nyſſenus in vita Moyſis: niſi ſperaremus ad patriam appellere, iter ad illam non inſtitueremus, quia irritus eſſet itineris labor: ſed cum credamus poſſe nos illuc pervenire, ſpem fovemus. Eſt hæc veluti rivus profluens ex fide veluti è ſuo pellucido fonte. Imò adeo firma, ac conſtans ſpes eſt, ut omnem à ſe depellat hæſitationem, & abſentia ſibi proponit ut præſentia; & futura ac ſi eſſent, quia ſcit non poſſe Deum falli, nec nos fallere; priùs propterea dicimus cœlos, diſſolvi, ſolem mundi lampadem extingui; lunam nocturnum ſolatium in terram prolabi; ſydera cœli vigiles oculos ca-

cæcutire; terram diſſipari, & mundum totum priſtinum ſuum Chaos repetere, aut in antiqnum nihil abire, quàm ut Deus in minimo promiſſo ſuo homini fallar; Eccleſiaſtes 2. 11. *Nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt*: confundi perinde eſt, ac ſpe fruſtrari; is enim confundi dicitur, qui quod petit non impetrat, ac erubeſcit repulſam paſſus: & David non erubuit quia in Deum ſperavit Pſal. 24. 2. ait. *Deus meus in te confido non erubeſcam* Tametſi ſperanti in Deum montes opponantur difficultatum, rerum obvient diſcrimina, imò & inſidiæ parentur; adhuc omnia ſuperat: ait æterna veritas per Prophetam ſuum Pſal. 90. v. 14. *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum*: quô hortamur, in hoc Dei Oraculo veluti in fida, & inconcuſſa ſtatione ſpei anchoram ponere.

11 Tametſi in medio oceano nos exorta procella exagitet; decumani tumentium fluctuum vortices ad naufragium trahant, venti furioſo impetu debacchantes divexent, rapiantque in interitum, adhuc in bene fida ſtatione anchoram locamus ſi in Deum ſperemus: quoniam in me ſperavit liberabo eum; quo pacto liberavit Paulum in procella maris periclitantem: quinimò ſi vinctus detineatur in cavea leonum, qui rabidi fame eſcis inhient, & impetu facto in ipſum inſiliant, quem unguibus dilacerent, dentibus comminuant, adhuc Deus ſperantem in ſe liberat de ore leonum, quo pacto in lacu Danielem eripuit de faucibus leonum. Si quis in carcere detruſus vinctus jaceat, & catenis cinctus palleat, militum cohorte cuſtodiatur, adhuc ſi ſperet in Deum ab anguſtia carceris, à preſſuris catenarum liberatur, ut Petrus vinctus catenis duabus. Si inermis ſit viribus deſtitutus, imò & imbellis, & conſurgant adverſus eum caſtra, adhuc ſperans in Deum liberatur, ut David: imò ſi ſit quis in fornace flammis vorantibus utrinque ſeptus, & medius inter fumantes crepitantium ignium lucidos globos, adhuc ſi ſperet in Deum indemnis ſervabitur, perinde ac tres pueri in fornace ignis ardentis Babylone: ſi ſit quis ab iniquis actoribus falſi criminis inſimulatus, & ab injuſtis, ac ſceleratis judicibus contra omne jus ad mortem condemnatus, & ad patibulum ductus, adhuc ſi ſperet in Deum ab imminente, ac injuſta morte liberatur, ut obtigit Suſannæ: ait Deus *quoniam in in me ſperavit liberabo eum*; in quacunque fuerit neceſſitate, diſcrimine, preſſura: id expertus David dixit pſal. 144. 13. *Fidelis Dominus in omnibus verbis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis*. Eſt fidelis quia nec falli poteſt, nec nos fallere, eſt ſanctus in operibus, quia conſtans in promiſſis: vox *ſanctus* non ſolùm rem ſacram, & religioſam; ſed etiam firmam, & ſtabilem, ſignificat. Pſal. 36. 4. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis* tui ſi non habes petitiones cordis, non delectaris in Domino; ſi delectaris petis; ſi petis ſperas; & ſi ſperas impetras; *quia* ut ait D. Auguſtinus in titul. pſal. 42. *certam tenes promiſſionem ejus, qui ſe effecit promittendo debitorem*. Stat citra periculum lapſûs, qui ſperat in Deum; quia Matth. 7. 24. *ædificat domum ſuam ſupra petram*: eſt hæc petra Chriſtus: *Petra autem erat Chriſtus*; & is dicitur ædificare domum ſuam ſupra petram, qui in Deum ſperat; eſt enim hæc ſpes firma, ac permanens, quæ non ſinit ſperantem fruſtrari ſua ſpe. Hinc Joſue 23. 8. Monemur ut Deo adhæreamus; *Adhærebitis Domino Deo veſtro*: Adhærere Domino, ait Maſius, perinde eſt, ac omnem ſpem in Deum ſolum dirigere; nilque opis aliunde ſivè à cœlitibus, ſive hominibus expectare, cujus Deus non ſit fons, & origo: eſt enim ſpes veluti anchora, quæ quanto minus in arenis fragilibus, ac fluidis humani auxilij figitur, tanto ſolidiùs, ac certiùs ſupra firmam petram, quæ Chriſtus eſt defixa ſtabilitur, ut innuit Joan. Gerſon *de conſol. Theol. lib. 1.*

Spei non rude ſymbolum exhibet ovum, quod pulli eſt rudimentum: nil in ovo videmus de carnibus, ſanguine, pennis, oſſibus oriundi ex illo pulli; ſed tantùm in ovo, cuj gallina, vel alia avis incubat latet ſpes pulli; dicitórque propterea pullos ineſſe ovo, cuj avis incubat in ſola ſpe, nondum re: quidni? quæ ſperamus æterna noſtris non ſubijciuntur ſenſibus, ſed licet ea non poſſideamus re, noſtra tamen ſunt ſpe; quæ abſentia propunit præſentia, & futura ac ſi jam exiſterent. Refert Drexelius *lib. 1. c. 4. §. 3. de cœlo* moris eſſe alicubi per Germaniam ſuperiorem, quò unicum è gallina ovum plauſtro impoſitum ad caſtri, vel loci dominum devehatur; qui pro ovi compenſatione dat ruſtico doliolum vini revehendum; & licet ruſticellus lætus cum ovi auctario domum revertatur; Toparchæ tamen gratius eſt ovum ſibi à ruſtico delatum, quàm vini onuſtum plauſtrum: quia non ovum, ſed jus ſuum, & ſpem utendi juris in ovo illo perpendit. Quidni ſpes noſtra in Deum unicum nunc eſt in prægrandi plauſtro ovum; ſed illud longè charius, quàm centena plura Rhenani, vel Moſellani vini onuſta plauſtra; quia in noſtra ſpe perinde ac in ovo noſtra latet beatitudo, quâ donamur incubantes huic ovo. Neque mirum ſi ſperantes in Deum avibus pariemus, quæ ſuis incubant ovibus; cum etiam Spiritus S. ovi ſuo incubanti avis comparetur Geneſ. 1. 2. *Spiritus Dei ferabatur ſuper aquas*, ſeu ut alij vertunt *Spiritus ſanctus fovebat aquas* ad modum avis incubantis ovo. Volucres ova fovent, ſimúlque prolificant, animántque; ſed nil lædunt: ut diſcant principes, Præſules, quique alijs præſunt, regúntque populos, qui avibus comparantur *Apocal. 17. v. 16.* quales eſſe debeant: nimirum fovere amore eos debent; iiſque favere alis protectionis ſuper eos expanſis, ut tegantur, & protegantur; ita intueantur populos, ut eoſdem tueantur. Quinimo Spiritus Sanctus etiam MARIÆ Virgini incubuit; non ſecus ac in mundi primordio aquis: quod ſi avis ovo incubat citra ullam læſionem; illud fœcundat, quò pullus ex eodem naſcatur; quanto potiori jure potuit Spiritus ſanctus Virgini MARIÆ incubare abſque ulla 12

Vir-

Virginitatis læſione, abſque ullo integritatis detrimento, ſcitè Sanctus Amedeus Lauſanenſis Epiſcopus homil. 3. de laudibus B. Virginis ait: *Spiritus S. ſuperveniet in te; ſuperveniet in ubertate, in affluentia, in plenitudine, in effuſione carnis, & animæ; cúmque repleverit te, erit adhuc ſuper te, & ſuper aquas tuas feretur, facturus in te quiddam melius, & mirabilius, quàm cum ferebatur ſuper aquas à principio, ut materia creationis in diſtinctionem, formámque produceret.* Ita eſt ait Amedeus Lauſanenſis; ſuper MARIÆ Virginis aquas fertur Spiritus ſanctus perinde ac in prima mundi productione: quia ſicut ita ferebatur tunc ſuper aquas, ut iiſdem fuerit fœcunditatem impertitus, illiſque perinde ac avis ſuis ovis incubaverit, eáſque foverit: ita longè præſtantiùs Spiritus ſanctus, ſuam fuit virtutem Virgini impertitus. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te* Luc 1. & ſua umbra Virginem fœcundam reddidit: *Et virtus Altiſſimi obumbrabit Tibi; ideóque quod naſcetur ex te Sanctum; Vocabitur filius Dei.* Quòd ſi aves ſuis incubantes ovis, ita illa ſovent, ut nullam iiſdem inferant læſionem: perinde Spiritus ſanctus ita fovit, adumbravit, ac fœcundavit B. Virginem; ut hæc nullum fuerit Virginitatis detrimentum paſſa. Illibatus poſt conceptum ſtetit Virgineus pudor. Poſuit ſub alis ſpiritualis columbæ Verbum Divinum ut noſtram in Utero Virginis indueret humanitatem, citra ullam Virginalis clauſtri læſionem. Stetit, incubavitque Virgineis aquis divinus Spiritus, mundo decorem, ſuámque formam impertiturus. Ita eſt Virgineum, ac pellucidiſſimum fontem ſuo lumine fovit, ac fœcundum conſtituit; eleganter S. Petrus Chryſologus ſerm. 117. *Hinc eſt fratres, quòd Virgineum fontis uterum cæleſtis Spiritus arcana luminis ſui admixtione fœcundat. ut quos origo limoſæ ſtirpis profuderat ſub miſera conditione terrenos; cæleſtes pariat, & ad ſimilitudinem ſui perducat Auctoris.* Probrum ſterilitatis delet, abigitque divinus Spiritus, & mentes ſuo perfuſas lumine fœcundat, quò fructus pariant vitæ æternæ.

Ideo David poſt adulterium cum Betſa-
13 bea, & homicidium Uriæ fructus dedit veræ pœnitentiæ, quia ſperans in Deum fœcunditatem aſſumpſit, venia, & beatitate donatus, quapropter ajebat pſal. 31. 10. *Sperantem in Domino miſericordia circumdabit*: quæ in DEO ſpes collocatur id ſortitur privilegij, quo caret ſpes in hominibus ſita; hæc enim veluti in macra arena ſterileſcit: illa verò floret, ſuóque diteſcit fructu. David quia in DEO ſperavit fructum divinæ miſericordiæ conſequutus eſt à DEO. Secus ad obtinendum ab homine aliquid, non ſufficit illud ab eodem ſperâſſe. Quis in aula Principis ſolam ſpem recenſeat pro obtinenda à Principe dignitate; nunquam inter homines auditum eſt, ut inter merita ſpes enumeretur; neque moris eſt in aulis Principum, ut in ſupplicibus libellis pro officio conſequendo à Rege ſpei fiat mentio. Rideretur aulicus ſi Principi diceret; largire mihi talem dignitatem, quia illam ſperavi; ita ſperans fieret totius aulæ fabula. Sed David quia ſperavit in Dei Miſericordia eam conſecutus eſt. *Sperantem in Domino Miſericordia circumdabit*; miſericordia autem neminem circumdat, quem ad ſtatum non elevet gratiæ; & quò miſericordia eſt uberior; eò elevatio eſt ſublimior: unde David enixim Deum rogaverat, ut juxta menſuram ſpei, quam conceperat, fieret in ipſo miſericordia Pſal. 32. 22. *Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te* quaſi diceret ait Theodoretus: *metire miſericordiam ſpe mea*: deſideravit miſericordiam ſibi fieri juxta menſuram ſpei, quam in Deum, ejúſque infinitam bonitatem concipiebat; per hanc enim ſpem Deo adhæſit, in quo quievit, ajebat Pſal. 72. *Mihi adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam.* Ille adhæret DEO ait Caſſiodorus, qui ſpem ſuam ponit in Domino: quia nil poteſt eſſe beatius, quàm illi omnia committere; qui novit ſuis cultoribus congrua profutura præſtare. Spe Deo adhærere, perinde eſt ac ſuam in Deo ſtationem collocare; & ſperans is eſt, *qui*, juxta Regium Prophetam Pſal. 90. *Habitat in adjutorio Altiſſimi*; habitare permanentis eſt non diſcedentis, immorantis, & quieſcentis, non tranſeuntis, & qui cum Deo moratur, & in ipſo quieſcit; totam ſpem ſuam non in proprijs viribus ponit; ſed in Altiſſimi voluntate conſtituit: idque eſt *habitare in adjutorio Altiſſimi*; quod præferendum eſt Principum domibus, regúmq; palatijs, ac omnibus terræ commodis: unde Sponſus cant. 1. v. 1. *Meliora ſunt opera tua vino*: ſed cur ſponſæ ubera non potius comparat botris; & lac uberum botrorum vino? An quia in ubere & botro tantùm lateat lac, & vinum in ſpe; extra verò botrum, & ubera pateat in re? quia melior eſt ſpes divinæ providentiæ, ejúſque lactis, quàm poſſeſſio quaruncunque rerum terrenarum: idque cauſæ, cur ab ſperantibus in Deo, ac habitantibus in adjutorio Altiſſimi terrena commoda habeantur contemptui propter ſolam ſpem futurorum, quæ divina innituntur providentia; ac ſponſione. Eſt hæc ſpes *urbs fortitudinis*, quia in ea tranquillè, ac ac ſine metu hoſtium irruentium ſperantes immorantur, Iſaiæ cap. 26. 1. *Urbs fortitudinis noſtræ Sion Salvator ponetur in ea murus, & antemurale.* Sed ſi ſuffeciſſet, quòd Salvator murus ponatur: cur additur antemurale? An ne unus quidem adſit lapis, præter ipſum, cui humana ſpes innititur; ideóque non ſolùm *oculi ſeptem* juxta Zachariam; ſed omnes oculi ſunt *ſuper lapidem unum.* Ita eſt ſperantes in Deum nil cupiunt, quod ab ipſo non ſperent.

Sperans in Deo eſt veluti arbor, quæ ſuas 14
in feraci tellure radices egit. Jerem. 17. 7. 8. *Benedictus, qui confidit in Domino; & erit quaſi lignum* ait Cornelius à Lapide, *ſperans in Deo erit quaſi arbor felix, & Deo ſacra.* Sed qualis eſt arbor? An Laurus, de qua Plinius lib. 2. c. 55. ait fulmina eludere, ac evireſcere ab iiſdem illæſa: ſpem enim quam vir culturæ adi-

dictus virturum in Deo ponit nulla adverſantis fortunæ fulmina, nullæ procell rum calamitates poſſunt evellere, ſcindere, interimere; quis Deo innixa ſtat firma, manérque immobilis. Hæcque eſt illa ſpes bona, quæ bonum ſibi propoſuit; non tamen utcunque ſed bene; etenim bonum etiam mali plerumque ſperant;non tamen bene; quia de vero bono ritè concepta ſp s non eſt; quæ de ſolo Deo concepta eſt, fida eſt, & læta, quæ ſperantem non fallit, nec confundit, ſed ad optimum provehit. Hac ſpe fuit David de luto fœcis ereptus, & ſuper petram erectus Pſal. 39. 3. *Eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis, & ſtatuit ſuper petram pedes meos*: priùs de luto pravitatis educitur, ut ejus pedes per fidem ſolidentur in petra, ſeu Chriſto: *Petra autem erat Chriſtus.* Verùm quia ad rectam fidem recta ſubſequi debet operatio; greſſus ejus directi ſunt; *ut poſt directionem greſſuum; poſt perfectionem boni operis in ore etiam acciperet prædicationis* ut explicat S. Gregorius homil. 9 in Ezechiel. 2. propterea David hoc prædicationis functurus munere ajebat Pſal. 50. 15. *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te convertentur:* quia per doctrinam, & impiorum converſionem fore ſperavit, ut inuſta ob patratum adulterium, & homicidium infamia aboleretur; eadem ſpongia, quâ ſcelera impiorum exterſit; propria etiam obliteravit delicta; & defœcatâ conſcientiâ petit in Deo lætari, in quem unicè ſperavit Pſal. 50. 14. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.*

15 Mirum tamen quòd David in Chriſti genealogia cæteris præferatur Regibus, & Patriarchis, qui ante ipſum vixere Matth. 1. 1. *Liber generationis IESU Chriſti filij David*: an ut peccatores ad reſipiſcendum cum Davide ſtatim allicerentur, & ad ſpem veniæ excitarentur; priùs filius David, quàm Abraham Chriſtus vocatur? etiam ad incunabula Chriſti nati ſtella prævia Magos, ſeu reges falſæ religionis cultores perduxit, & non Legis Moſaycæ doctores: quid hoc niſi ut peccantes, & jacentes in umbra mortis erigi ſperent, ac cæleſtis gratiæ perfundi lumine? Etiam Magdalena licèt fuerit in civitate peccatrix, quia ſperavit facta fuit ad Chriſti pedes divinæ gratiæ expiſcatrix *Lacrymis cæpit rigare pedes Chriſti*, ut quæ malè ambulaverat ex Chriſti pedibus diſceret rectiùs incedere; ſed ſi pluvia lacrymarum irrigavit pedes Chriſti, tellurem fœcundavit proprij cordis, & ſi antea non niſi ſentes dederat noxarum; mox flores producit virtutum, & uberem ſanctarum operationum meſſem. Dixit DEUS geneſ. 9. 13. *Arcum meum ponam in nubibus cæli* Materia arcûs nubes eſt roſcida ſolis perfuſa radijs; hanc nubem roſcidam Magdalenam dixerim ad pedes Chriſti proprijs illacrymantem noxis. Divinus ſol hanc nubem aquoſam ſuo perfudit radio, cum ſuam fuit eidem gratiam impertitus: hujus arcûs color cæruleus Magdalenæ fuit humilitas, rubeus charitas, viridis ſpes; brachiorum uſque ad terram extenſio eſt ipſa ſanctitas amplectens peccatores, quos è cœno terrenæ iniquitatis in cœlum evehat participes divinitatis.

16

Gaudet ſpes vireſcere in plantæ adoleſcentis folijs; ſed amat etiam diteſcere fructibus, ut ſi luxuries foliorum allicit, dulcedo fructuum enutriat. Geneſ. 4. 26. *Seth natus eſt filius, quem vocavit Enos* ait Philo lib. quod deterius potiori inſidietur: Seth vir juſtus, & ſanctus genuit *Enos*, ſeu *ſpem*: quia licèt poſſit ſpes peccatori ineſſe, potiori tamen jure vivere gaudet in juſto, fructibus diteſcere, quàm ſolis folijs luxuriare. Iſraelitæ ſpem ſuam in arcam Dei dirigentes dixerunt 1. Rege. 4. 3. *Afferamus nos de Silo arcam* cum in id debuiſſent ſtudij incumbere, ut vitiorum ſenticeta evellerent ex animo, & noxarum contractas maculas abſtergerent ſpongiâ pœnitentiæ, & lavacro lacrymarum; Arcam DEI in caſtra afferebant, putantes ex abſentia Arcæ calamitatem inductam, & ærumnas multiplicatas. Ubi Cajetanus commendat ſpem in Arcam DEI, dummodo ſpei opera bona reſpondiſſent. Fiducia in arca Domini, quamvis bona in ſe, inſufficiens tamen eſt niſi bonis operibus comprobetur. Hinc David cum dixiſſet Pſal. 4. 6. *ſacrificate ſacrificium juſtitiæ*, ſeu offerte veſtra obſequia DEO, vivite piè, ſanctam inſtituite vitam, & ſatagite per bona opera DEO ſacrificium gratum vitæ religioſæ exhibere: poſtea ſubdit: *ſperate in Domino*, quia tunc ſpes ritè, ac rectè procedit, cum vitæ ſanctitas præcedit; ſeu fructus bonorum operum conjunguntur cum vireſcentibus folijs ſpei. Idque cauſæ, cur David, cujus ſpes tota erat in Deo Pſal. 21. *ſpes mea ab uberibus matris meæ.* poſtea olivam ſe dixerit fructiferam Pſal. 55. v. 10. *Ego autem ſicut oliva fructifera in domo Dei, ſperavi in miſericordia Dei* quid? quod cum David rogaverit elui, ac emundari à noxarum ſordibus Pſal. 50. *Ampliùs lava me, & à peccato meo munda me* modo olivæ ſe pariet fructiferæ? nimirum, quia ſperavit, miſericordiam fuit conſequutus, & ne ſpes ſola foliorum viriditate adoleſceret fructuum dulcedinem ſemper virentibus olivæ folijs addidit, ne jejuna ſine fructibus bonorum operum ſpes viribus deſtitueretur; & deficeret: unde Pſal. 36. 3. ait *ſpera in Domino, & fac bonitatem*, qui ſine bonis operibus putant fiduciam ſuam in DEO ponere, hi non ſperant, ſed præſumunt. Fruſtra in DEO ſpem ſuam ponere convincuntur, qui bonis operibus deſtituti, divina ſe credunt poſſe fruitione lætari. Ita ſperandum eſt, ut timor à ſpe non ſejungatur, idque ediſſerit D. Hieronymus expendens Jacobæam ſcalam Geneſ. 28. 12, *viditque in ſomnis ſcalam*, ait Hieronymus epiſt. ad Geront. *Aſcendebant Angeli, & deſcendebant: ut nec peccator deſperet ſalutem; nec juſtus de ſua virtute ſecurus ſit.* Plures fuerunt, qui angelica puritate nitentes, converſationem ſuam in cœlis collocâſſe viſi ſunt, qui tamen è faſtigio ſcalæ deſcenderunt pernicioſo lapſu: decantati ſunt Sampſon captus amore Dalilæ, David impuras flammas ebibens in

eo

eo fonte, in cujus frigidis undis Berſabea corporis ſordes abſtergebat; Salomon in gynecæo molles, ac fœmineos induens mores, factus fœminarum ludibrium, qui ſapientum fuerat anteſignanus. Alij è converſo è cœno vitiorum, ex ima terra noxarum per gradus Jacobeæ ſcalæ cœlum inſcenderunt, ut Mathæus è telonio; Magdalena è proſtibulo, bonus latro è patibulo. Hinc Proverb. 4. v. 27. *Non declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram*, quaſi dicat ne præſumas ad regnum de juſtitia tua; ne præſumas ad peccandum de miſericordia Dei; ſed medium tene ſpem inter, & timorem; per hoc medium proceſſura ſponſa geminos accerſitos voluit ventos auxiliares cant. 4. 16. *ſurge Aquilo, & veni Auſter*: per aquilonem metus intelligitur, per auſtrum ſpes. Hi venti quamvis è regiõe oppoſita perflent, ſpirent, mirè conſpirant, hortum ſponſæ, ut ventilent, floréſque virtutum foveant. Etiam Angelus hunc timorem incuſſurus, ſimúlque ſpem excitaturus in mulieribus, quæ venerant ad ſepulchrum, blandimento candoris fulguris immiſcuit terrorem Matth. 28. 3. *Erat aſpectus ejus ſicut fulgur, & veſtimentum ejus ſicut nix.* In fulgure terror timoris eſt, in nive autem blandimentum candoris, ut explicat S. Gregorius. *homil. 21. in Evang.*

EXPENSIO VI.

Charitas in Deum, & proximum ſacris promovetur argutijs.

1 Charitas, & claritas probo nexu confœderantur, eſt ſiquidem Charitas, qua reliquæ virtutes clareſcunt, ac ſplendent deficiente enim charitate extinguuntur, & hac una reviviſcente reviviſcunt cæteræ ad meritum, adeo ut abſque charitate fides, & ſpes in luctu, ac ſqualore jaceant, veluti emortuæ in peccatore, in quo perſeverant, ſed nil poſſunt in ordine ad finem ſupernaturalem: unde Apoſtolus 1. ad Corinth. 13. *Si charitatem non habeam nihil mihi prodeſt.* Eſt charitas non ſolùm lumen, quo reliquæ virtutes illuſtrantur, ſed etiam ſemen quoddam, quod in meotis noſtræ arvo, cordiſque tellure exculta reſipiſcentiæ aratro ſeritur, & ad vitam germinat, adoleſcit, & maturit in fructum Pſal. 4. v. 7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, ubi alij vertunt, *ſatum eſt ſuper nos.* Neque inſolens hæc metaphora, cum alium ejuſdem Prophetæ textum Pſal. 96. v. 11. *Lux orta eſt juſto* ex Hebræo plures vertant: *Lux ſata eſt Juſto*: quia ſi vultus hilaritatem indicat, claritas, & lætitia in juſtorum corde radices agunt: hinc ubi dicitur Pſal. 4. *ſatum eſt ſuper nos*, pulchrè vertitur: *ſatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*: ſeu vultus tui hilaritas ſuas in nobis radices fixit: & lætus vultus tuus tanquam ſemen, quod lætam lætitiæ ſegetem parturivit, fecitque germinare, gliſcere, & adoleſcere, ac tandem in optatum fructum matureſcere, unde ſubdit: *Dediſti lætitiam in corde meo à fructu, frumenti, & vini multiplicati ſunt*: nimirum ſemen vultûs tui, tuæque pulchritudinis ſatum in corde meo, lætum me magis conſtituit, quàm illos qui terræ diteſcunt proventibus: ſiquidem longè charior mihi virtutum ſeges, quæ ex tuo conſpectu germinat, quàm ijs, qui terrena quærunt, ac terræ divitijs appetunt affluere ſint aquiſiti theſauri.

2 Charitas igitur, quæ & claritas, lumen, imò & vita reliquarum eſt virtutum, quamvis ordine generationis ſit inter Theologales poſtrema, dignitate tamen, & perfectione eſt omnium prima, quia beneficio ipſius homo perfectè ex DEO naſcitur, in DEO manet, de DEO vivit, ait Auguſtinus tract. 5. in Joan. *Charitas ſola diſcernit inter filios Dei, & filios Diaboli*: & lib. 3. de doct. Chriſt. cap. 3. definit charitatem: *Motum animi ad fruendum Deo propter ſe ipſum, & proximo propter Deum*: motus ipſe tendens ad fruitionem DEI amor dicitur, ſumitur enim hîc paulò latiùs pro quolibet actu voluntatis in bonum, in quo ſenſu Auguſt. lib. 14. de Civit. cap. 7. etiam deſiderium vocat amorem hiantem; & gaudium amorem fruentem: interdum ſumitur propriè, ut diſtinguitur à deſiderio, & gaudio alijſque actibus voluntatis: eſtque motus ejuſdem in bonum præcisè, ut tale, abſtrahendo à præſentia, & abſentia: & eſt juxta S. Dionyſ. *Unio affectiva amantis ad aliquod bonum*, & indicatur actus voluntatis, quo amans in objectum amatum effunditur, eique adhæret; eſt enim unio hæc inclinatio, & impulſus voluntatis in ipſum bonum: poſita enim complacentia voluntatis de bono cognito, oritur motus, & inclinatio voluntatis in tale bonum; unde D. Auguſt. lib. 9. de Trinit. *Amor meus pondus meum, illò feror, quocunque feror*: & hæc inclinatio eſt appetitiva illa unio, & effuſio amantis in objectum amatum; quia voluntas per ſuum actum non attrahit ad ſe objectum, ſed in illud inclinatur, ac tendit, hæc enim tendentia, ac unio propriè eſt amor, adeo ut ſit charitas amor veræ benevolentiæ, quia eſt motus voluntatis in bonum, ut eſt conveniens perſonæ amatæ.

3 Debet tamen hoc bonum, in quod fertur voluntas in Deum dirigi, & non in creaturam, idque nos edocuit Deus Levit. 10. v. 1. *Offerentes coram Domino ignem alienum*. Ardebat in atrio tabernaculi, ſeu in altari holocauſtorum, ignis ſacer è cœlo demiſſus; quem DEUS juſſerat foveri, ut eo ſolo uterentur ſacerdotes, & Levitæ ad ſacrificia, & Thymiamata. Erat in eodem atrio, & ignis profanus & communis, quo utebantur ad coquendas carnes hoſtiæ pacificæ, & pro peccato, quibus veſcebantur in atrio ſacerdotes, & laici offerentes; & hic eſt ille ignis alienus, quo uſi ſunt Nadab, & Abju. Quidni alienus hic ignis quævis eſt noſtra cupiditas, quæ charitati adverſatur, hæc enim eſt ignis ille de

cœlo miſſus, ut illo ardeamus, unde David Pſal. 31. v. 7. *Erue me à circumdantibus me*, cum enim arderet hoc igne charitatis in Deum quidquid in hoc ſæculo aderat, rejectum à ſe voluit, ſufficiebat ipſi ſola charitas, quia hæc eſt illa pretioſa margarita, quam qui poſſidet, reliqua omnia reſpuit, Matth. 13. 46. *Inventâ unâ pretioſâ margaritâ abijt, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.*

4 Petrus Cell. *cap. 18.* perpendens fuiſſe præceptum Ezechieli *cap. 4.* ut dormiret ſuper latus ſiniſtrum, & poſtea ſuper dextrum, ait, duo eſſe, in quibus vel ad bonum, vel ad malum dilatatur cor, charitas ſcilicet, & cupiditas, & charitatem aſſerit eſſe latus dextrum, & cupiditatem ſiniſtrum; & eum dormire in dextro latere, cujus cor dilatatur in charitate: & in ſiniſtro eum dormire, qui concupiſcentijs hiſce fluxis, ac futilibus mundi bonis adhæreſcit.

5 Hinc Richardus à S. Victore explicans illud Joan. Apocal. 3. v. 18. *Suadeo tibi à me emere aurum*, interpretatur hoc aurum charitatem luce intimi ſplendoris ſulgidam, fervore dilectionis ignitam, & in electis per fornacem tribulationis probatam. Beda Venerab. explicans illud Apoc. 5. v. 8. *Habentes ſinguli cytharas, & phialas aureas*; ait: Per cytharas, in quibus ligno corda tenduntur, intelligi corpora mori parata, & per phialas corda latitudine charitatis patula, & S. Bonavent. *Diat. ſal. cap. 25. de Charit.* explicans illud Cant. 8. v. 2. *Dabo tibi poculum ex vino condito*, ait. DEUM propinare animæ vinum charitatis, eámque inebriare nectare ſui dulcis amoris. Idque fortaſſis cauſæ, cur dixerit Sponſa Cant. 1. 5. *Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim*, Siquidem ſol ſuo æſtu ſimul accendit, & denigrat, & æſtus charitatis utrumque præſtat, quatenus anima charitate ferveſcens tabeſcit, & deficit, ſi DEI videat offenſas, & à Creaturis injuriam ipſi inferri, quapropter David Pſal. 118. v. 139. *Tabeſcere me fecit Zelus meus.* Solet nigredo ad calorem, & ignem ſequi, ut patet in domibus, in quibus frequenter ignis accenditur, ſolent enim parietes ex ſumo nigredinem contrahere; & felix eſt anima, quæ dicit *fuſca ſum, quia decoloravit me ſol*, ſeu DEI amor, quia pro ejus amore humiliari, ac deprimi, imò & calumnias pati, ac obſcurari in honore, denigrari fama non recuſat

6 Charitatem reliquarum virtutum reginam eſſe non diffitetur David Pſal. 44. v. 10. *Aſtitit regina à dexteris tuis.* Non enim caret myſterio, quòd regina hæc à dexteris Dei aſſiſtat, quia charitas vera, non temporalia quærit, ſed æterna, & in illis ſuas figit radices: quos æternorum amor poſſidet, & nulla rerum fluxarum tanguntur cura, nulláque ſordeſcunt terrenorum bonorum Cupiditate: ſcitè Richard. Victorin. Expendens Verba illa, *Aſtitit regina à dextris. Tuis.* ait: in laudem Charitatis: *Meritò regina virtutum charitas eſſe dicitur. A ſiniſtris DEI ſunt temporalia; à dextris autem bona æterna, à dextris ergo ſtare charitas dicitur, quia bonis æternis non temporalibus innititur: in ſolis namque illis charitas regnat, quos amor æternorum inflammat.* Is vera charitate non ardet, neque à dextris adſtat, qui terrenorum affectu detinetur captivus. 7

Imò tantæ eſt charitas excellentiæ, ut DEUS ipſe charitas dicatur Joan. epiſt. 1. cap. 4. v. 16. *DEUS Charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*, quidni hoc idem nomen Mariæ Virgini congruit cùm nil aliud eſſe videatur, quàm charitas, unde Sponſus Cant. 2. 7. *Ne ſuſcitetis, neque vigilare faciatis Dilectam, donec ipſa velit.* Ubi S. Gregor. Niſſ. homil. 4. in Cant. legit: *Ne excitetis, & expergiſci faciatis charitatem, donec velit*, & ait MARIAM Virginem totam in charitatem demigrâſſe, ut nihil in ea ſit niſi charitas. De eadem propterea intelliguntur etiam præcitata verba Davidis Pſal. 44. *Aſtitit regina à dextris tuis*, ſeu ut ait Hugo Charens. *Aſtitit regina Beata Virgo*, eſt Virgo regina, & ſimul charitas, & Maria, quæ ſole veſtita ob charitatem etiam viſa eſt, imò ſol eſt Virgo neſciens radios contrahere; & mentes quærens, in quas illos diffundat, ut excuſſis tenebris lux gratiæ in ijſdem ſplendeat, unde Eccleſ. 24. v. 24. *Audit Mater pulchræ dilectionis* quatenus hominum mentibus dilectionem ingenerat, & amorem fovet, ſed ut virginei ſolis ritè excipiantur radij, neceſſè eſt à pravo quovis affectu depurentur corda noſtra, & mentes pollita, & terſa referant ſpecula: quemadmodum ſolis expoſita radijs ſpecula, eoſdem ita complectuntur, ut in unum coeant, & aucto æſtu paleas, ſtupam, & alia areſcentia; ac apta flammæ concipiendæ accendunt: perinde Virgo, & cum ipſa charitas non ſecus, ac ſol defœcatis mentibus à noxia, radios immittit & veluti ſpecula ad charitatem inflammat, ut inſtar flammæ terrena fugiant, & ſurſum avolent, ut piè meditatur Bernard. de Buſt. part. 9. ſer. 2. inquiens: *Sicut motu ſolis generatur calor, & inflammatio in corpore ei expoſito. Unde & dicitur in proſpectiva. & experientia probat, ſi contra ſpeculum concavum ſtupa ponatur, & ſoli exponatur à calore alterata incenditur. Ita Beata Virgo mentes puras ſibi devotas, quæ ſunt veluti ſpecula munda inflammat ad Dei dilectionem: unde & ipſa Mater pulchræ dilectionis appellatur.* Sed hunc amorem non concipit, qui ſpeculum non refert terſum, & politum, cujuſmodi ſunt, qui avaritiâ ſordeſcunt, vitijs ſqualent, & cœno terrenarum voluptatum deturpantur. Hunc amorem non ſentiunt, qui mundanarum rerum amorem fovent, hi enim ſub ſancti ſpiritûs umbra non quieſcunt, ſed ſub caliginoſis carnis affectibus, perinde ac ſylvarum umbris deliteſcunt, quo pacto ajebat Auguſt. lib. 2. Confeſſ. cap. 1. *Sylveſcere auſus ſum varijs, & umbroſis amoribus*: ſed utinam cum Auguſtino ingemiſcerent, & lacrymarum lavacro; quas contraxerant ſordes, eluerent. 8

S. Dionyſius animam noſtram ſpeculo æquiparat, eò quia ex quavis parte in ipſo quiſque ſe aſpiciat, & alia, ſi enim cœlum verſus ſpe-

ſpeculi faciem poſuerit, cœlum ipſum ceruleum, ac lucidiſſima in ipſo ſplendent lumina; ſin verò contra terram verſetur, jam lutoſas palludes, ſterquilinia, & cœteræ ſpurcitiæ, quibus tellus ſcatet, in eo videntur reflexa: perinde anima ſi mentis aciem in ſuperiora direxerit in ea cœleſtia reſplendent: ſin verò ad terram reſpexerit ejus immunditiâ maculatur, unde Auguſtinus ait: *ſi terram diligis, terra es: ſi diligis cœlum, cœlum es* Et David de diligentibus Deum ait Pſal. 81. v. 6. *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes*, quatenus amore Dei mira metamorphoſi transmigramur in Deum, quapropter etiam Apoſtolus ad Galat. 2 20. *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*. quia ſcilicet ejus amore incenſus: qui a ubi amor, ibi cor, & ut ait S. Bonavent. *ſer. 24.* de S. Maria Magd. *Amor eſt vis transformativa*, quapropter ſi Deum toto affectu diligimus, quid unum veluti efficimur cum ipſo, ſin verò mundum, quid unum cum mundo dicimur, quia talis quisque eſt, qualis ejus dilectio. Idque cauſæ, cur Sponſa enixim petierit imprimi ſuper cor ſuum amoris ſignaculum Cant. 8. v. 6. *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum*, hoc eſt ſuper cor amore liqueſcens veluti ſuper ceram puram, & mollem aptam ſuſcipere ſigilli imaginem. Petijt ſponſa cor amore Dei ferveſcens, pietate molle, munditia purum, ut à quavis defœcatum noxa, & umbra pravi affectus ſolam divini amoris impreſſionem ſuſciperet, qua nil ſaperet niſi ſponſum: quanta enim eſt impreſſio amoris, tanta & expreſſio ſimilitudinis.

Hujus amoris hominis in Deum plura
9 ſolent à SS. Patribus ſymbola exhiberi S. Franciſcus de Sales in ſua Philothea *part. 1. cap. 2.* exhibet ſcalam Jacobeam, quam ſomno ſopitus vidit Jacob Patriarcha *Geneſ.* 28. Eſt enim hæc ſcala vitæ devotæ, & animæ diligentis Deum imago, quatenus per gradus ſurſum ſemper aſcendit: gradus ſcalæ nil aliud ſunt niſi diverſi gradus charitatis. Et ibid. lib. 11. cap. 8. producit veſtem Joſeph polimitam, & ait charitatem eſſe hujusmodi veſtem diſcolorem, eò quia charitas varietate gaudet omnium virtutum, quibus ornari amat. Caſſiodorus ſymbolum charitatis accerſit æſtatem, explicans enim Pſal. 73. v. 17. *Æſtatem & Ver tu plaſmâſti ea*, ait, per hæc tempora ſignificari fideles diverſa morum qualitate pollentes; quatenus alij tanquam æſtas charitatis fervore inflammantur ad ardua quæque ſubeunda etiam martyrium: alij manſuetudine temperantur tanquam ver, & æquabili devotione Deo inſerviunt. B. Petrus Damian. lib. 4. epiſt. 16. Hunc amorem Neomeniæ comparat Pſal. 80. v. 4. *Bucinate in Neomenia tuba*. Fuit Neomenia feſtivitas novæ Lunæ. Tunc Luna dicitur innovari cum ſoli conjungitur, à quo veluti reparatur, ac præparatur ad iterum concipiendum, & recipiendum ſplendorem amiſſi luminis. Quidni ſol juſtitiæ Chriſtus dicitur, Luna ejus eccleſia, & quilibet fidelis in ea ſuum à divino ſole nitorem haurit, cùm igitur anima fidelis Redemptori ſuo, qui eſt ſplendor gloriæ veraciter in amore conjungitur ſolemnitatem Neomeniæ celebrat. Solet etiam ſymbolum charitatis produci flamma illa, quæ ita Rubum Moyſis illuſtravit, ut non læſerit Exodi. 3. 2. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi*, amor ſiquidem ignis eſt beneficus, qui ardet, ſed non lædit; urit, ſed non comburit; charitas enim eſt flamma, qualem Moyſes in rubo vidit, quem uſſit, non conſumpſit. Cornelius in Proverb. ca. 16. V. 4. Charitatis ſymbolum ponit hederam innixam arbori; qua ſuſtentatur, alitur, ac in altum erigitur, totque veluti brachijs, quot radicibus & ramis illam amplectitur. Quidni charitate qui fervet toto affectu Deum amplectitur, ſine quo nec per inſtans temporis ſubſiſtere poteſt. S. Gregorius exhibet ſagittam, qua Sponſa inflicto vulnere ſaucia præ amore deficere viſa eſt Cant. 2. v. 5. *Quia amore langueo* ſcilicet vulnerata à dilectione. Oſtendit (ait S. Gregorius in Cant. 2.) hac oratione telum, quod cordi altè inſidet. Qui verò telum jaculatur dilectio, ſeu charitas eſt. Hujus ſagittæ arcum explicat S. Gregorius Niſſ. in Cant. ubi ait, ſponſam, quæ teli facta ſcopus, languit vulnere ſauciata, ſe ipſam pro telo aſpicere in manibus ſagitarij Cant. 2. v. 6. *Læva ejus ſub capite meo*, & perſiciens arcum ſubdit, & *dextra illius amplexabitur me*. Quòd ſi ſagittarius, quo in ſcopum collimet, neceſſe eſt altero oculo ictum dirigat: ipſa charitas oculus eſt, quo Deus videtur: etenim D. Bernardus de Trinit. Divin. amor. cap. 7. amorem divinum viſui comparat, eò quia perinde ſit charitas virtutum Princeps, ac viſus principalis eſt
ſenſus. 10

D. Bernardus ſerm. 27. in Cant. expendens illud 3. Reg. cap. 6. v. 22. *Nilque erat in templo, quod non auro tegeretur*, quærit, cur juſſerit Deus domum ſuam auro illiniri, & reſpondet, templum Dei eſſe animam noſtram, quam ſplendore & auro charitatis vult fervere ſimul & enitere: quapropter ſuam ſedem cœlum conſtituit empyreum, ſeu igneum, indicans in hominibus empyreis, ſeu amoris divini igne inflammatis ſpecialiùs inhabitare, hinc ait Bernard. ſer. 28. Neceſſe eſt, animum creſcere, & dilatari, ut ſit capax Dei, neque putes aliam eſſe hujus ampliationis latitudinem, quàm dilectionem, & charitatem: quæ propterea ſolet palmæ pariari, quæ in ſublime protenſa ramos, & folia utrinque aperit, & dilatat Cant. 7. v. 7. *ſtatura tua aſſimilata eſt palmæ*, ſeu magnitudo tua, & refertur ad præcedentia, *quam decora charismata*. Quòd ſi palma nonniſi certantibus, & vincentibus datur, ita & charitas in ijs præſertim ferveſcit, qui de proſtratis vitijs triumphos agunt.

Quòd ſi ignea eſt charitas ob fervorem, 11
& proprium ignis eſt ſplendere, & circumſtantia illuſtrare, etiam charitas ſapientiam communicat, & ſcientiam impartitur, ut charitate fervens illuſtrior fiat. Idque fortaſſis cauſæ, cur vigilem Paradiſi cuſtodem Cheru-

cœlo miſſus, ut illo ardeamus, unde David Pſal. 31. v. 7. *Erue me à circumdantibus me*, cum enim arderet hoc igne charitatis in Deum quidquid in hoc ſæculo aderat, rejectum à ſe voluit, ſufficiebat ipſi ſola charitas, quia hæc eſt illa pretioſa margarita, quam qui poſſidet, reliqua omnia reſpuit, Matth. 13. 46. *Inventâ unâ pretioſâ margaritâ abijt, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.*

4 Petrus Cell. *cap. 18.* perpendens fuiſſe præceptum Ezechieli *cap. 4.* ut dormiret ſuper latus ſiniſtrum, & poſtea ſuper dextrum, ait, duo eſſe, in quibus vel ad bonum, vel ad malum dilatatur cor, charitas ſcilicet, & cupiditas, & charitatem aſſerit eſſe latus dextrum, & cupiditatem ſiniſtrum; & eum dormire in dextro latere, cujus cor dilatatur in charitate: & in ſiniſtro eum dormire, qui concupiſcentijs hiſce fluxis, ac futilibus mundi bonis adhæreſcit.

5 Hinc Richardus à S. Victore explicans illud Joan. Apocal. 3. v. 18. *Suadeo tibi à me emere aurum*, interpretatur hoc aurum charitatem luce intimi ſplendoris fulgidam, fervore dilectionis ignitam, & in electis per fornacem tribulationis probatam. Beda Venerab. explicans illud Apoc. 5. v. 8. *Habentes ſinguli cytharas, & phialas aureas*; ait: Per cytharas, in quibus ligno corda tenduntur, intelligi corpora mori parata, & per phialas corda latitudine charitatis patula, & S. Bonavent. *Diat. ſal. cap. 25. de Charit.* explicans illud Cant. 8. v. 2. *Dabo tibi poculum ex vino condito*, ait DEUM propinare animæ vinum charitatis, eámque inebriare nectare ſui dulcis amoris. Idque fortaſſis cauſæ, cur dixerit Sponſa Cant. 1. 5. *Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim*, Siquidem ſol ſuo æſtu ſimul accendit, & denigrat, & æſtus charitatis utrumque præſtat, quatenus anima charitate ferveſcens tabeſcit, & deficit, ſi DEI videat offenſas, & à Creaturis injuriam ipſi inferri, quapropter David Pſal. 118. v. 139. *Tabeſcere me fecit Zelus meus.* Solet nigredo ad calorem, & ignem ſequi, ut patet in domibus, in quibus frequenter ignis accenditur, ſolent enim parietes ex fumo nigredinem contrahere: & felix eſt anima, quæ dicit *fuſca ſum, quia decoloravit me ſol*, ſeu DEI amor, quia pro ejus amore humiliari, ac deprimi, imò & calumnias pati, ac obſcurari in honore, denigrari fama non recuſat.

6 Charitatem reliquarum virtutum reginam eſſe non diffitetur David Pſal. 44. v. 10. *Aſtitit regina à dexteris tuis.* Non enim caret myſterio, quòd regina hæc à dexteris Dei aſſiſtat, quia charitas vera, non temporalia quærit, ſed æterna, & in illis ſuas figit radices; quos æternorum amor poſſidet, & nulla rerum fluxarum tanguntur cura, nulláque ſordeſcunt terrenorum bonorum Cupiditate: ſcitè Richard. Victorin. Expendens Verba illa, *Aſtitit regina à dextris. Tuis.* ait: in laudem Charitatis: *Meritò regina virtutum charitas eſſe dicitur. A ſiniſtris DEI ſunt temporalia; à dextris autem bona æterna, à dextris ergo ſtare charitas dicitur, quia bonis æternis non temporalibus innititur: in ſolis namque illis charitas regnat, quos amor æternorum inflammat.* Is vera charitate non ardet, neque à dextris adſtat, qui terrenorum affectu detinetur captivus. 7

Imò tantæ eſt charitas excellentiæ, ut DEUS ipſe charitas dicatur Joan. epiſt. 1. cap. 4. v. 16. *DEUS Charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*, quidni hoc idem nomen Mariæ Virgini congruit cùm nil aliud eſſe videatur, quàm charitas, unde Sponſus Cant. 2. 7. *Ne ſuſcitetis, neque vigilare faciatis Dilectam, donec ipſa velit.* Ubi S. Gregor. Niſſ. homil. 4. in Cant. legit: *Ne excitetis, & expergiſci faciatis charitatem, donec velit*, & ait MARIAM Virginem totam in charitatem demigrâſſe, ut nihil in ea ſit niſi charitas. De eadem propterea intelliguntur etiam præcitata verba Davidis Pſal. 44. *Aſtitit regina à dextris tuis*, ſeu ut ait Hugo Charens. *Aſtitit regina Beata Virgo*, eſt Virgo regina, & ſimul charitas, & Maria, quæ ſole veſtita ob charitatem etiam viſa eſt, imò ſol eſt Virgo neſciens radios contrahere; & mentes quærens, in quas illos diffundat, ut excuſſis tenebris lux gratiæ in ijſdem ſplendeat, unde Eccleſ. 24. v. 24. *Audit Mater pulchræ dilectionis* quatenus hominum mentibus dilectionem ingenerat, & amorem fovet, ſed ut virginei ſolis ritè excipiantur radij, neceſſè eſt à pravo quovis affectu depurentur corda noſtra, & mentes pollita, & terſa referant ſpecula: quemadmodum ſolis expoſita radijs ſpecula, eoſdem ita complectuntur, ut in unum coeant, & aucto æſtu paleas, ſtupam, & alia areſcentia; ac apta flammæ concipiendæ accendunt: perinde Virgo, & cum ipſa charitas non ſecus, ac ſol defœcatis mentibus à noxis, radios immittit & veluti ſpecula ad charitatem inflammat, ut inſtar flammæ terrena fugiant, & ſurſum avolent, ut piè meditatur Bernard. de Buſt. part. 9. ſer. 2. inquiens: *Sicut motu ſolis generatur calor, & inflammatio in corpore ei expoſito. Unde & dicitur in proſpectiva. & experientia probat, ſi contra ſpeculum concavum ſtupa ponatur, & ſoli exponatur à calore alterata incenditur, Ita Beata Virgo mentes puras ſibi devotas, quæ ſunt veluti ſpecula munda inflammat ad Dei dilectionem: unde & ipſa Mater pulchræ dilectionis appellatur.* Sed hunc amorem non concipit, qui ſpeculum non refert terſum, & politum, cujuſmodi ſunt, qui avaritiâ ſordeſcunt, vitijs ſqualent, & cœno terrenarum voluptatum deturpantur. Hunc amorem non ſentiunt, qui mundanarum rerum amorem fovent, hi enim ſub ſancti ſpiritûs umbra non quieſcunt, ſed ſob caliginoſis carnis affectibus, perinde ac ſylvarum umbris delireſcunt, quo pacto ajebat Auguſt. lib. 2. Confeſſ. cap. 1. *Sylveſcere auſus ſum varijs, & umbroſis amoribus*: ſed utinam cum Auguſtino ingemiſcerent, & lacrymarum lavacro; quas contraxerant ſordes, eluerent. 8

S. Dionyſius animam noſtram ſpeculo æquiparat, eò quia ex quavis parte in ipſo quisque ſe aſpiciat, & alia, ſi enim cœlum verſus ſpe-

ſpeculi faciem poſuerit, cœlum ipſum ceruleum, ac lucidiſſima in ipſo ſplendent lumina: ſin verò contra terram verſetur, jam lutoſas palludes, ſterquilinia, & cœteræ ſpurcitiæ, quibus tellus ſcatet, in eo videntur reflexa: perinde anima ſi mentis aciem in ſuperiora direxerit in ea cœleſtia reſplendent: ſin verò ad terram reſpexerit ejus immundiriâ maculatur, unde Auguſtinus ait: *ſi terram diligis, terra es: ſi diligis cœlum, cœlum es* Et David de diligentibus Deum ait Pſal. 81. v. 6. *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes*, quatenus amore Dei mira metamorphoſi transmigramut in Deum, quapropter etiam Apoſtolus ad Galat. 2 20. *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*. quia ſcilicet ejus amore incenſus: quia ubi amor, ibi cor, & ut ait S. Bonavent. *ſer. 24.* de S. Maria Magd. *Amor eſt vis transformativa*, quapropter ſi Deum toto affectu diligimus, quid unum veluti efficimur cum ipſo, ſin verò mundum, quid unum cum mundo dicimur, quia talis quiſque eſt, qualis ejus dilectio. Idque cauſæ, cur Sponſa enixim petierit imprimi ſuper cor ſuum amoris ſignaculum Cant. 8. v. 6. *Pone me ut ſignaculum ſuper cor suum*, hoc eſt ſuper cor amore liqueſcens veluti ſuper ceram puram, & mollem aptam ſuſcipere ſigilli imaginem. Perijt ſponſa cor amore Dei ferveſcens, pietate molle, munditia purum, ut à quavis defœcatum noxa, & umbra pravi affectus ſolam divini amoris impreſſionem ſuſciperet, qua nil ſaperet niſi ſponſum: quanta enim eſt impreſſio amoris, tanta & expreſſio ſimilitudinis.

Hujus amoris hominis in Deum plura
9 ſolent à SS. Patribus ſymbola exhiberi S. Franciſcus de Sales in ſua Philothea *part. 1. cap. 2.* exhibet ſcalam Jacobeam, quam ſomno ſopitus vidit Jacob Patriarcha *Geneſ.* 28. Eſt enim hæc ſcala vitæ devotæ, & animæ diligentis Deum imago, quatenus per gradus ſurſum ſemper aſcendit: gradus ſcalæ nil aliud ſunt niſi diverſi gradus charitatis. Et ibid. lib. 11. cap. 8. producit veſtem Joſeph polimitam, & ait charitatem eſſe hujusmodi veſtem diſcolorem, eò quia charitas varietate gaudet omnium virtutum, quibus ornari amat. Caſſiodorus ſymbolum charitatis accerſit æſtatem. explicans enim Pſal. 73. v. 17. *Æſtatem & Ver tu plaſmaſti ea*, ait, per hæc tempora ſignificari fideles diverſa morum qualitate pollentes; quatenus alij tanquam æſtas charitatis fervore inflammantur ad ardua quæque ſubeunda etiam martyrium: alij manſuetudine temperantur tanquam ver, & æquabili devotione Deo inſerviunt. B. Petrus Damian. lib. 4. epiſt. 16. Hunc amorem Neomeniæ comparat Pſal. 80. v. 4. *Bucinate in Neomenia tubæ*. Fuit Neomenia feſtivitas novæ Lunæ. Tunc Luna dicitur innovari cum ſoli conjungitur, à quo veluti reparatur; ac præparatur ad iterum concipiendum, & recipiendum ſplendorem amiſſi luminis. Quidni ſol juſtitiæ Chriſtus dicitur, Luna ejus eccleſia, & quilibet fidelis in ea ſuum à divino ſole nitorem haurit, cùm igitur anima fidelis Redemptori ſuo, qui eſt ſplendor gloriæ veraciter in amore conjungitur ſolemnitatem Neomeniæ celebrat. Solet etiam ſymbolum charitatis produci flamma illa, quæ ita Rubum Moyſis illuſtravit, ut non læſerit Exodi. 3. 2. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi*, amor ſiquidem ignis eſt beneficus, qui ardet, ſed nòn lædit; urit, ſed non comburit; charitas enim eſt flamma, qualem Moyſes in rubo vidit, quem uſſit, non conſumpſit. Cornelius in Proverb. ca. 16. V. 4. Charitatis ſymbolum ponit hederam innixam arbori; qua ſuſtentatur, alitur, ac in altum erigitur, totque veluti brachijs, quot radicibus & ramis illam amplectitur. Quidni charitate qui fervet toto affectu Deum amplectitur, ſine quo nec per inſtans temporis ſubſiſtere poteſt. S. Gregorius exhibet ſagittam, qua Sponſa inflicto vulnere ſaucia præ amore deficere viſa eſt Cant. 2. v. 5. *Quia amore langueo* ſcilicet vulnerata à dilectione. Oſtendit (ait S. Gregorius in Cant. 2.) hac oratione telum, quod cordi altè inſidet. Qui verò telum jaculatur dilectio, ſeu charitas eſt. Hujus ſagittæ arcum explicat S. Gregorius Niſſ. in Cant. ubi ait, ſponſam, quæ teli facta ſcopus, languit vulnere ſauciata, ſe ipſam pro telo aſpicere in manibus ſagittarij Cant. 2. v. 6. *Læva ejus ſub capite meo*, & perficiens arcum ſubdit, & *dextra illius amplexabitur me*. Quòd ſi ſagittarius, quo in ſcopum collimet, neceſſe eſt altero oculo ictum dirigat: ipſa charitas oculus eſt, quo Deus videtur: etenim D. Bernardus de Trinit. Divin. amor. cap. 7. amorem divinum viſui comparat, eò quia perinde ſit charitas virtutum Princeps, ac viſus principalis eſt
ſenſus. 10

D. Bernardus ſerm. 27. in Cant. expendens illud 3. Reg. cap. 6. v. 22. *Nilque erat in templo, quod non auro tegeretur*, quærit, cur juſſerit Deus domum ſuam auro illiniri, & reſpondet, templum Dei eſſe animam noſtram, quam ſplendore & auro charitatis vult fervere ſimul & enitere: quapropter ſuam ſedem cœlum conſtituit empyreum, ſeu igneum, indicans in hominibus empyreis, ſeu amoris divini igne inflammatis ſpecialiùs inhabitare, hinc ait Bernard. ſer. 28. Neceſſe eſt, animum creſcere, & dilatari, ut ſit capax Dei, neque putes aliam eſſe hujus ampliationis latitudinem, quàm dilectionem, & charitatem: quæ propterea ſolet palmæ pariari, quæ in ſublime protenſa ramos, & folia utrinque aperit, & dilatat Cant. 7. v. 7. *ſtatura tua aſſimilata eſt palmæ*, ſeu magnitudo tua, & refertur ad præcedentia, *quam decora charismatæ*. Quòd ſi palma nonniſi certantibus, & vincentibus datur, ita & charitas in ijs præſertim ferveſcit, qui de proſtratis vitijs triumphos agunt.

Quòd ſi ignaa eſt charitas ob fervorem, 11
& proprium ignis eſt ſplendere, & circumſtantia illuſtrare, etiam charitas ſapientiam communicat, & ſcientiam impartitur, ut charitate fervens illuſtrior fiat. Idque fortaſſis cauſæ, cur vigilem Paradiſi cuſtodem Cheru-

binum inſtituerit Deus flammeo armatum gladio Geneſ. 3. v. 24. *Collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium.* An non ſolus erat Cherubin ſatis ad loci cuſtodiam, cùm virtus angelica longè excedat humanam? At quid gladio munire cuſtodem ſpiritum, eóque flammeo? Reſpondet Philo Heb. lib. de Cherub. Per flammeum enſem doctrinam Dei intellgi; & per Cherubin doctorem divinis myſterijs benè inſtructum. Quidni oportet gladium flammeum eſſe, quo charitate fervens non ſolùm ſplendorem emittat, ſed & charitatis ardorem, quapropter ait Chriſtus Luc. 12. v. 49. *Ignem veni mittere in terram*, cùm enim divina ſapientia ingenita ſit, noluit abſque ardoris conſortio, & ſplendore ignis ejus adventum annunciare, ne ab hominibus ſapiens cenſeatur, qui charitatis ardore deſtituitur: in DEI gymnaſio ſcientia ſine amore cæcutit, & doctrina ſine charitate frigeſcit, ac ſuo deſtituitur robore. Idque cauſæ, cur Joan. Apocal. 3. v. 18. vocaverit *Aurum ignitum*, quia aurum ſapientiam indicat, quæ eſt *theſaurus deſiderabilis* Proverb. 21. v. 20. hæc autem ſapientia, ut probatum ſit aurum, neceſſe eſt, igneſcat amore Dei, & proximi. Neque Deus ſuam videtur ſedem ponere in ſola ſapientia, niſi hæc charitati confœderetur, hinc Iſa. 6 v. 2. *Seraphin ſtabant ſuper illud.* Cùm tamen Lucifer, qui manè oriebatur in veritate, non ſteterit, quia nimirum Seraphin non fuit adſociatus. Habuit quidem Lucifer lucem, qua claruit, ſed caruit ardore charitatis, quia Seraphin non fuit: Seraphin interpretatur ardens, & incendens, unde David loquens de viro charitate fervente, ait Pſal. 79. v. 2. *Qui ſedes ſuper Cherubin*, non dicit in Cherubin, ſed ſuper, quia ſupra Cherubin Seraphini, qui ardentes, & incendentes interpretantur, exiſtunt, quaſi inferat David, Deum Seraphinis inſedere, ut ex endit Hugo Cardinalis, inquiens: *Qui ſedes ſuper Cherubin non in Cherubin, id eſt ultra Seraphin, ſeu in ardore charitatis, ubi Dominus ſedet, & requieſcit.* Inde edocemur plus ſtudij impendendum in acquirenda charitate, quàm ſcientijs, quia hæ, ſi charitate deſtituantur, corruunt, ac veluti in ſqualore jacent, unde David Pſal. 138. v. 11. *Et illuminatio mea in delicijs meis*, quid? quòd David inter voluptatum illecebras, mundique delicias ſe fateatur illuminatum? unde tam tanta lucis in ipſum derivata incrementa? an quis præ cæteris ſapientiâ polleret, non ob id, nec quia mundi delicijs indulgeret, ſed quia charitate in Deum ferveret, ſeu amore, & contemplatione: cum Deo lumen tantum, & ſplendorem invenit, quia vera illuminatio non ex humanis oritur ſcientijs, ſed ex ſola prodit charitate in Deum, hinc Eccleſ. 1. v. 14. *Dilectio DEI honorabilis ſapientia*, ubi Tigurina legit, *amor DEI præclara eſt ſapientia.* Is igitur præ omnibus Philoſophis ſapit, qui Deum amat.

12 Eſt charitas, qua anima ejus exardens flamma cœleſti deſponſatur ſponſo, éſtque veluti veſtis nuptialis, quâ, qui caret, à cœleſtis Sponſi excluditur nuptijs Matth. 22. v. 12. *Amice quomodo huc intráſti, non habens veſtem nuptialem.* Externus hic erat è platea, vel foro accerſitus ad nuptias, & extra rejectus, projicitur in tenebras exteriores, quis abſque ornatu auſus fuerit ad nuptias ſedere. Quid? quòd tam acriter in eum convivij herus inſurgit, cùm ſponſa non fuerit, neque fortaſſis ſanguinis neceſſitudine eidem junctus? quia nimirum abſque charitate cœleſtis ſponſus neminem in ſuum admittit conſortium, quis ut ſcitè S. Laurent. Juſtin. de charit. cap. 6. *charitas adornat, quia nuptiale veſtimentum eſt.* Quòd ſi ſponſa ipſa hac caruiſſet veſte non ſolùm excluſionem, verùm & gehennæ pœnas timere debuiſſet. Huc accerſendus doctiſſimus, ac pijſſimus Idiota, qui lib. de amore divino cap. 24. ait: *Ne ſi fortè intret ſine veſte nuptiali, ejiciatur juſſu tuo extra, & projiciatur in tenebras exteriores, ubi ſemper eſt, & erit fletus, & ſtridor dentium. Iſta veſtis ò benigniſſime Domine eſt amor, & dilectio, quæ excellit omnes alias virtutes.* Rurſus indicans, quibus filis hæc charitatis veſtis intexta ſit, ait ex divinis beneficijs; additque fuiſſe hanc charitàtis veſtem non obſcurè indicatam per illam inconſutilem, quam induit Chriſtus, quæque neque ſciſſa, neque diviſa à militibus fuit; quia amor nec ſcindi patitur, nec dividi permittit: ait Idiota: *Iſta veſtis ex pretioſis filis, id eſt, tuis beneficijs homini collatis eſt contexta, & ſubtili magiſterio facta, & decorata, quæ deſignatur per tuam tunicam inconſutilem, quæ neque ſciſſa fuit, neque diviſa; quia amor neque dividi debet, neque ſcindi. Et qui eam dividunt, vel ſcindunt pejores videntur, quàm milites te crucifigentes, qui tuam tunicam dividere noluerunt.*

13 Non igitur præclara hæc charitatis veſtis odijs, ac diſſidijs dividenda eſt, ſed amoris glutino integra jugiter ſervanda. Imò adeò munda eſt hæc veſtis charitatis, ut nullum prorſus nævum admittat impuritatis: quemadmodum in eadem veſte veluti in areola cœleſtis ſponſi floret charitatis roſa, ita & olet puritatis lilium, ſimúlque eodem nexu nectuntur virginitas, & amor: impura ſiquidem eſſet caſtitas, ſi charitate deſtitueretur: neque grata foret virginitas, quam charitas non informat: ſymbolum virginitatis ſolet lilium exhiberi ob candorem à quovis colore defœcatum, ſed lilium intus in ſinu granulis diteſcit aurei coloris, per quæ charitas ſignatur; quia Deo placet quidem caſtitas, ſed charitati confœderata, ut fuit in beata Virgine, in qua cum lilio puritatis floruit roſa charitatis, ut indicat Richard. à S. Laurent. lib. 10. de laudibus Virginis, inquiens. *Maria lilium; croceus color in medio floris charitas ardens in corde; aliter non eſt caſtitas meritoria. Vel meliùs: candor floris caſtitas; aureus color ſignat charitatem. Aurum verò metallorum pretioſiſſimum, quia caſtitas procedens ex charitate, ſcilicet quando quis ſe continet propter amorem Dei, & exemplum proximi, pretioſiſſima eſt ante Deum.*

24 Quòd ſi charitas veſtis eſt nuptialis, qua anima cœleſti ſponſo nubit, non debent eidem deeſſe faces ſuccenſæ, vel lampades ſplendentes. Moris fuit, quo olim lampades & faces præferri conſueverint ſponſis, de quibus plura congerit Novarinus lib. 6. ſacror. Elect. cap. 43. ubi ex Scholiaſte Apollonij aſſerit, id muneris faces deferendi quandoque matribus ſponſorum fuiſſe demandatum, ait Scholiaſtes apud Novarinum. *Olim moris fuit, matres faces præferre in nuptijs nubentium;* & idem aſſerit Scholiaſtes Ariſtophanis, & Juno, quæ Thetim nutrierat inſtar maris ſe facem in ejus nuptijs prætuliſſe teſtatur, inquiens: *Ipſa ego flammas in meis manibus prætuli nuptiales:* meminit etiam hujus moris Catullus in nuptijs Julij, & Manlij, licèt indicet à pueris delatas faces verbis illis, *Tollite ò pueri faces.* Quid verò ſignificent hæ faces ardentes, putârim, charitatem, & amorem nubentium haud obſcurè ſubindicare, ardet enim in corde charitas, & ſplendet exteriùs in opere, & exercitio virtutum. Idque fortaſſis cauſæ, cur injunxerit cœleſtis ſponſus Virginibus ſponſis paratas, & accenſas habere lampades Matth. 25. ubi quinque prudentes cum lampadibus ornatis, & accenſis exierunt obviam ſponſo, quatenus charitate ferventes reliquarum virtutum ſplenduerunt exercitio: reliquæ Sociæ, quia ardere neglexerunt charitate, neque accenſas prætulerunt lampades, excluduntur à ſponſo. Sed cur deferendi lampades accenſas munus virginibus injungitur, & non potiùs adoleſcentibus, & Ephebis? an quia Virgines Virginem Sponſum comitari deceret? Scitè S. Chryſoſt. homil. 12. in cap. 4. epiſt. ad Colloſ. ait: *Laudo, quòd virgines adſunt contubernalem ſuam honorantes, quòd adſunt matronæ eam honeſtantes, quæ jam in earum ordinem aſſumitur. Bene iſtud decretum eſt; ſunt enim hi duo chori virginum, & nuptarum: iſtæ tradunt virginem, illæ accipiunt.*

25 Adeò placuit cœleſti ſponſo mos præferendi accenſas lampades in nuptijs peragendis, ut in ſacro epithalamio has voluerit ſibi lampades præferri Cant. 8. v. 6. *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum: aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam.* Lychnus, quo lampades ardent, ſimul & ſplendent, charitas eſt, qua ſponſi mutuo ardent amore, & exercitijs clareſcunt virtutum: ex hoc enim infertur, nuptiales faces mutuam ſubindicâſſe charitatem, quæ inter conjuges eſſe debet, quam nulla aquarum vis; nulla adverſitatum procella, nullus tribulationum impetus obruere poſſit: imò adeò firma, ac conſtans eſſe debet, ut reſtantibus in dies conjugij moleſtijs, ac difficultatibus, oleum non deſit concordiæ, ac pacis, quo non ſolùm lampades charitatis nutriantur, ſed & accendantur uberiùs, & ſplendeant clariùs.

26 Ad hunc morem accendendi lampades videtur alluſiſſe Chriſtus apud Lucam cap. 12. v. 25. ubi nos admonet, ut parati ejus adventum expectemus, adferens exemplum ſervorum, qui reducem à nuptijs ſponſum cum lucernis, ac facibus vigiles expectant, inquiens: *ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum quando revertatur à nuptijs.* Sunt autem hi homines famuli, qui cum lucernis Herum expectant nocte intempeſta. Et hi dicuntur, qui charitate ferventes, & alijs prælucentes virtute, expectant Dominum venientem in nocte, ſeu mortis hora, hæc enim qua hora non putamus, ad nos venit, idcirco paratos nos eſſe quavis hora, omni momento convenit: idque ut ritè præſtemus, neceſſe eſt, ut & lucernæ ardeant in manibus, & lumbi præcingantur vinculo caſtitatis, *ſint lumbi veſtri præcincti & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Huic ſenſui adhæret S. Petrus Chryſol. ſerm. 22. ubi oſtendit rectè cum nuptijs faces cohærere, ut luminum teſtimonio nuptiarum caſtitas commendaretur, cùm turpis, & fœda libido utpote lucifuga tenebras adſciſcat, quibus amat conſociari. Ait Chryſol. quia ſemper nuptijs amicæ ſunt faces, luminum teſtimonio celebratur caſtitas nuptiarum. Sicut enim fugit lucem, illicita, qui præſumit; ſic multiplici coruſcat in lumine, licita, qui requirit.

Non me latet, fuiſſe etiam ob aliam cauſam adhibitas in nuptijs lucernas, nimirum in 17
ſymbolum fœcunditatis, ac poſteritatis, ſiquidem lucernæ paſſim in ſacris ſcripturis filijs parantur, David. Pſal. 131. v. 17. *Paravi lucernam Chriſto meo,* ſeu ut explicat Agelius ex 3. Reg. cap. 15. *Paravi lucernam Chriſto meo, lucerna autem filium, & heredem, ac poſteritatem ſignificat ut 3. Reg. 15. propter David inquit: Dedit ei (ſcilicet Abiæ) Deus lucernam in Jeruſalem, ut ſuſcitaret filium ejus poſt eum.* Huic ſenſui videtur adhæſiſſe D. Hieron. ad Salvian. ſcribens. *Scintilla vigoris paterni lucet in filio, & ſimilitudo morum per ſpeculum carnis erumpens.*

EXPENSIO VII.

Gaudium, ut eſt Effectus intrinſecus Charitatis, argutè expenditur.

GAudium perinde eſt, ac delectatio eò tantùm diſcrimine, ut internus ille affectus, 1
qui in brutis delectatio dicitur; in hominibus gaudium vocetur: éſtque actus appe- 2
titus, quo quis ita in bonum fertur, ut in ejuſdem poſſeſſione conquieſcat: quo fit, ut gaudium ſit actus alicujus virtutis circa bonum, quod poſſidetur, ut docet D. Thomas, hicque actus delectationis, ſeu gaudij non ſolùm ab appetitu ſenſitivo, verùm & voluntate elici poteſt, quatenus in hac ſunt quidam ſaltem actus ſimiles paſſionibus appetitus ſenſitivi: & hic actus ita à voluntate elicitus gaudium dicitur, éſtque effectus internus charitatis, quia in bonum divinum, ſeu Deum non ſolùm ferri poſſumus per actum amoris, quatenus eſt bonum abſolutè, & ſecundùm ſe, verùm etiam ut eſt bonum aliquo modo à no-

vim gaudiorum poterat durare ? quia ille obumbrabat ei in ortu Chriſti , qui in conceptu obumbraverat.

6 Verum gaudium eſt, quod à Spiritu ſancto provenit, & eſt veluti ſemen, quod in noſtro ſatum corde germinat in flores virtutum, & creſcit in fructus vitæ æternæ. Quod ex creaturis hauritur gaudium, ſterileſcit, nec alios fructus dat, quàm lachrymas, & luctus ut innuit S. Chryſoſtomus homil. 18. ad popul. Antioch. ubi aſſerit, Homines voluptatem quærentes, & gaudia cupientes negotia inſtituere, labores ſubire, maris tractus trajicere ad eum tantùm finem, ut gaudio læterentur humano, ſed hoc gaudium vix à triſtitia abludit, quæ lachrymas elicit, idque cauſæ, cur plerumque gaudentes in mundo præ exceſſu lætitiæ lachrymas fundant. Verum gaudium flos eſt, qui non vernat in terræ hortis, ſed in cœli areolis, ubi propterea quærendus, & legendus. Idque cauſæ, cur David Pſal. 137. v. 2. cecinerit: *In conſpectu Angelorum pſalam tibi.* noluit coram hominibus pſallere, ſeu detrectavit inter creaturas gaudere, & ab jisdem anſam lætitiæ haurire: ſed tantùm coram Cœlitibus pſalterium ſuum pulſavit, & gaudium depromſit: in conſpectu Angelorum pſallam tibi, ſeu gaudebo non coram hominibus, ſed in conſortio Angelorum, quia gaudium meum de ſuperioribus venit.

7 Hócque gaudium floreſcens in cœlo, non germinans in terra nos edocturus Chriſtus nonniſi poſt Reſurrectionem voluit mellis dulcedinem guſtare Luc. 24. v. 42. *Obtulerunt ei partem piſcis, & favum mellis.* Quid? quòd mundi Redemptor in toto vitæ ſuæ curſu non legatur, nec una vice melle paſtus, cujus dulcedine nonniſi poſt Reſurrectionem voluit deliniri? Certè voluit magiſter Chriſtus nos erudire, quatenus ſæculares dulcedines in hac vita ſatagamus declinare, & verum gaudium, veràſque delicias in futurum ſperare ſæculum: hic ubi ærumnæ nos premunt, adverſa nos perimunt, fel, non mel guſtamus. Quòd ſi felis amaritudinem patienter tolleramus; favos dulcedinis, ac veræ lætitiæ in cœleſti patria guſtabimus cum Chriſto, qui in terris nonniſi poſt fela paſſionis dulces guſtavit favos, & Tertull. lib. de corona milit. ait. Chriſtum non aliter fuiſſe Regem Judæorum ſalutatum, niſi poſt tolerata ſupplicia, poſt ſanguinis fuſionem, & cruci affixionem. Idque cauſæ, cur occaſiones lætitiæ declinaverit, antequam pateretur Joan. 7. v. 8. *Ego non aſcendo ad diem feſtum, quia meum tempus nondum impletum eſt*, quaſi diceret, non quæro, quæ in terris gaudia germinant, detrecto feſtivitatibus intereſſe, quas mundus lætitiæ cauſa inſtituit, quia nondum tempus meum impletum eſt, nondum manibus, pedibúſque perfoſſis ſum cruci affixus, nondum pretium mei ſanguinis dedi pro humani generis Redemptione: tunc delectabor, & lætitia perfundar, cum meum abſolvero opus Redemptionis, tunc lætabor, quia apparebit gloria mea.

Hinc ſitientes gaudia ad ſe vocavit, quò 8
veram biberent lætitiam, quia extra Deum nullum reperitur gaudium, quod noſtram valeat ſitim extinguere Joan. 7 v. 37. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat*: & quia hac ſiti æſtuabat S. Auguſtinus, hos divinos adivit latices, ut ſalubri hauſtu ardorem temperaret: alloquens Deum ait lib. medit. cap. 27. *Fons vitæ reple mentem meam torrente voluptatis tuæ, & inebria cor meum ſobrietate amoris tui: ut obliviſcar, quæ vana ſunt, & terrena; & te jugiter ſolùm habeam in memoria mea.* Verum gaudium, quod è fonte vitæ hauritur, oblivionē ingerit mundi voluptatū quòd ſi commenta Poëtarum Letheum finxerunt fluvium, in quo memoria bibentiū naufraga periret; in hoc vitæ fonte emoritur quidem terrenorum memoria, ſed reviviſcit ſpiritus cœleſtibus inhians.

Non tamen putes vero gaudio omnes 9
perfundi, ſed eos duntaxat, qui virtutum culturâ effloreſcunt, hinc David Pſal. 46. v. 10. *Viſitâſti terram, & inebriâſti eam*, quid cauſæ cur ſolam terram Deus inebriâſſe dicatur, & non mare, quod ſuo ſale ſitim acuit? an quia mens, quæ per varios affectus in res humanas fluctuat; & quam ſæcularium curarum procella exagitat ad internum gaudium non admittitur, nec illo torrente voluptatis potatur, quo quieſcentes in ſola cultura virtutum cum terra inebriantur? eſt enim mentis tranquillitas beata illa terra, quæ exculta gramina, & ſentes reſpuit, & ſolùm flores nutrit, qui creſcunt in fructus vitæ æternæ: hinc Auguſtinus lib. 9. Confeſs. cap. 1. *Ejiciebas eos à me vera tu & ſumma ſuavitas. Ejiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, ſed non carni, & ſanguini; omni luce clarior, ſed omni ſecreto interior: omni honore ſublimior, ſed non ſublimibus in ſe.*

Non omnis qui ridet, verè gaudet: riſit 10
Abraham Gen. 17. v. 17. Riſit & Sara ejus uxor, & tamen hujus reprenditur riſus, non illius; quia Saræ riſus ex ore tantùm prodijt, non ex corde emanavit; extimus fuit Saræ riſus, qui in ſolis effloruit labijs; non verò ſuas in corde radices egit: idque fortaſſis cauſæ, cur negaverit Sara ſe riſiſſe, quia fucatus fuit riſus, non verus, qui ex corde dimanat 1. Reg. cap. 2. v. 1. *Exultavit cor meum*, quia verum fuit gaudium: larvata mundi gaudia in cor non illabuntur: quapropter cum Baldad Jobo temporalem felicitatem polliceretur *cap. 8. v. 21.* dixit: *donec impleatur riſu os tuum, & labia tua jubilo*; non dicit cor perfundendum lætitia, ſed labia implenda jubilo, quia gaudium non in corde, nec in Deo ſuas radices agebat, ſed in rebus fluxilibus, quæ veram nequivit lætitiam ingerere: hinc Sponſa ſponſi lævam extra ſuum rejecit caput, & tantùm dextram expetijt, quâ amoris amplexu, ſuo adhæreret ſponſo, in quo vera gauderet, & quo frueretur Cant. 2. v. 6. *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* ait Beda *homil. in lect. Sabbath. Dom. 3. quadrag. de Suſan.* Per

læ-

hævam temporalia bona ſignificari, & per dexteram beatæ vitæ felicitatem. Quæ in mundo gaudia videntur florere, fallunt, dum alliciunt, & eò nocentiùs, quò firmiùs homines in iiſdem fidunt. Suos ut mundus ſectatores fallat, riſu, gaudijque velamine ſuas ſubducit, tegitque fallacias, & eatenus ridet, & arridet, ut uberiori cachinno ſuos irrideat ſectatores. Qui ſapiunt non rident cum mundi riſu, ſed ejus gaudia irrident, ne à mundo irrideantur. Unde opportunè monet D. Ambroſius *lib. 1. epiſt. 8.* ſcribens ad Heeluinum *Si mundus per aliquid eorum, quæ ſunt mundi ridet tibi, noli arridere illi. Certè frater non ridet tibi, ut in fine riſus tu rideas, ſed ſimulat riſum, ut te irrideat.* Decipit nos mundus ſuo gaudio, & ne decipiamur irrideri potiùs à nobis mundus debet, ut ab ipſo non irrideamur. Eſt mundi gaudium error, proinde ejus riſus irridendus, hinc Eccleſiaſtes ait: *Et dixi gaudio quid fruſtra deciperis.*

11 Verum gaudium à Deo petendum eſt, ut in ſolo Deo floreat; idque nos educuit vel ipſa Mater Chriſti in Canna Gallilææ ubi Chriſtus primum effecit miraculum, quo aquam in vinum convertit. Quidni? aqua tribulationem, adverſitatem, & procellas ſubindicat, & vinum lætitiam Pſal. 103. v. 15. *Et vinum lætificat cor hominis.* Id notatu dignum, Virginem matrem in nuptijs Chriſtum excitâſſe, & rogâſſe, ut defectum vini ſuppleret: *Vinum non habent*, & illicò aquarum miſeriæ, & afflictiones in vinum lætitiæ, & gaudij Mariæ precibus converſæ fuerunt: pulchrè Richar. à S. Laurent. lib. 4. de laudib. Virg. *Adhuc Chriſtus aquas peccatorem convertit in vinum gratiarum, precibus, & meritis matris ſuæ. Et etiam aquas miſeriarum in vinum conſolationis.*

12 Sedula fuit Virgo Mater, ut filius erubeſcentiam deleret in ſponſis, & vini defectui ſuccurreret; quò inde diſcamus veram lætitiam, & conſolationem à ſolo DEO in nos derivari, cum Virgo ipſa à filio eam poſtulaverit. Niſi fortaſſis dicamus, coram Virgine Matre aquam fuiſſe in vinum verſam, quia cum ipſa Virgo puriſſima eſſet aqua, ope Spiritus ſancti obumbrata vinum lætitiæ, quo humana corda lætificarentur ſuppeditatura erat in filio, quem peperit, huc accerſendus Richard. lib. 5. ubi id innuit: *Sicut aqua in nuptijs converſa eſt in vinum Joan. 2. Ubi nec acceſſit vinum, nec receſſit aqua, ſed alterum factum eſt aliud non ſucceſſionis vice, ſed immutationis origine; nec rationis expoſitione, ſed admirationis obtentu: ſic & MARIA priùs quaſi aqua puriſſima in Spiritus ſancti ſuperventione, & filij DEI conceptione quaſi converſa eſt in vinum ſuper omnia poſt Chriſtum lætificans cor hominis.* Defœcatum ac dulce eſt hoc vinum, hominum corda lætificans, & omnem excutiens triſtitiam, abigens mœrorem.

13 Hujus vini ſuavitatem, qui non experitur, morbo terreni pravi affectus laborat, & labia corrupta qualitate præſefert infecta, quæ non finit hanc prægustari dulcedinem. Ubi Chriſtus aquam in vinum vertit, juſſit Architriclino deferri hidrias, & guſtare *Joan. 2. v. 8.* Sed cur Architriclino jubetur hidrias recenti vino oppletas deferri, non diſcumbentibus? an quia Architriclinus adhuc jejunus, & ſobrius ab epulis erat, cum ſedentibus ad convivium miniſtraret; & ideo cùm palatum adhuc jejunum haberet, meliùs de vino potuit judicium ferre? ita cenſet S. Joan. Chryſoſt. ſed putârim ideo Architriclino præcepiſſe vinum ex aqua factum guſtare, ejuſque ſuavitate perfundi; quia mundi delicijs caruit. quibus perfunduntur, qui comeſſationibus & convivijs delectantur.

Nullam mundi gaudia veram dulcedinem ſapiunt, quia amaritudine referta nonniſi mœrores pariunt. Salices quia amaræ ſterileſcunt, fructibus deſtitutæ, neque ex ipſis ullus colligi fructus poteſt, qui ſapiat: ſalicibus ſi mundi gaudia paria dixeris, vix latum unguem à veritate deflectes: plena ſunt mundi gaudia amaritudine, neque ullum ab ipſis fructum carpere quis valet; quinimò quidquid carpitur ex mundi gaudio, id noxium eſt, & lethale, ſitque propterea fructus non alius quàm Sardonicæ plantæ, quæ riſum quidem excitat, qui tamen necem inferat, non verò ullam ingerat jucunditatem, quod edixit Salvian. de Rom. popul. lib. 7. de gubernat. Dei. *Sardonicis herbis omnem Romanorum populum putes exſaturatum, moritur, & ridet.* Hoc idem veriùs cum mundo gaudentibus congruit, tamen adhuc nos ſuis præſtigijs mundi gaudium eludit. Id expertus Eccleſiaſt. cap. 2. ait: *Dixi ego in corde meo, vadam, & affluam delicijs, & fruar bonis. Et vidi, quod hoc quoque eſſet vanitas.* Eò quia à beatitatis meta, quam in mundi gaudijs præfixerat, ſe longiſſimè aberrâſſe deprehendit, proinde ſubdit, *Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis?* Errat igitur qui ridet cum mundo, quia lætitiam, quam in extima vultûs cute videtur oſtendere, larva eſt, quæ fletum tegit unde Salomon proverb. 14. *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat.* 14

15 Irrepit in intimos animi receſſus fucata mundi lætitia, non tamen ut jucunditatem ingeneret, ſed inſidias nectat, & lacrymas eliciat; eſt ſiquidem fletus mundani gaudij appendix, & triſtitia fucatæ mundi lætitiæ pediſſequa. Gravi correptus infirmitate Lazarus languidus decumbebat, cujus ſorores monitum ſtatim voluere, & accerſitum cœleſtem Medicum, *Ecce quem amas infirmatur*, & hæc proferentes ſimul affectum pulſant, & amorem interpellant: ſed Chriſtus adhuc proficiſci cunctatur, ad quem tamen licet ſerus veniſſet morbi curator, acceſſit tamen opportunus defuncti ſuſcitator: quidni cùm adveniſſet cœleſtis Medicus incrementa ſubeunt luctus, funduntur uberius lacrymæ, piæque geminantur querelæ, plorat MARIA, lugent Judæi, & cum ipſis etiam flet cœleſtis ipſe Medicus, *& lacrymatus eſt JESUS* Joan. 11. Sed cur ploravit JESUS? an lacrymas emiſit, quibus mortuus illinitus ſolatium ſentiret, & redivivus beneficio lacrymarum ad novam ſurgeret lucis uſu-

uſuram? flevere ſorores, quia fratrem juvare non valuerunt, nec ejus obſiſtere morti, proinde deperdito fratri ſtipendiarias oculorum ſolverunt lacrymas: fleverunt etiam adſtantes Judæi, & forraſſis eorum lacrymæ honorariæ fuerunt, cum alienus dolor eas extorſerit; ſed ſi Chriſtus dixerat ſe lætari, eò quia mortem audierit Lazari, cur nunc luget, imbréſque fundit lacrymarum Ioan. 11. *Et lacrymatus eſt JESUS*, an ut ſteriles ſepulchri cineres pluvijs irrigaret lacrymarum, quibus epoti germen producerent novæ in morruo Lazaro vitæ? an quia cum lætatus cœleſtis Medicus de nece Lazari fuerit, flevit poſtea, & lacrymas fudit, eò quia mundanæ lætitiæ eſt fletus appendix? non morruo fuit illacrymatus, quem ad vitam erat mox revocaturus, ſed ut adſtantes inſtrueret, mundi gaudium lachrymas ſemper accerſere, & luctum ad fucatam mundi lætitiam ſemper ſequi.

16 Verùm gaudium è cœlo in terram effunditur, non in terra naſcitur: unde Diſcipuli tunc vero gaudio fuere perfuſi cum poſt reſurrectionem Magiſtrum viderunt Joan. 20. v. 20. *Gaviſi ſunt viſo Domino.* Decet quemlibet fidelem Apoſtolos imitari, ſeu in afflictione oculos in Dominum conjicere, & ab ipſo ſperare opem, quia ſicut Apoſtoli poſt afflictionem paſſionis Dominicæ gaviſi ſunt viſo Domino; & nos vero gaudio perfundemur, ſi cum adverſa inſurgunt, egeſtas affligit, ærumnæ premunt oculos mentis in Deum dirigamus: hinc David Pſal. 3. v. 4. ait: *Gloria mea exaltans caput meum*, ſeu lætificans me, quaſi diceret, cum præ mœrore demiſſo capite incederem; nunc exultans caput attollo, oculos aperio, fronte ſerena, lætóque vultu, quia vero perfundor gaudio. Neque in extima tantùm floruit hoc gaudium cute, ſed ſuas in intimo cordis radices egit Pſal. 4. v. 7. *Dediſti lætitiam in corde meo.* Non dixit ſimpliciter dediſti lætitiam, ſed *in corde meo*, quia quæ ex acervatis theſauris lætitia hauritur, vel ex acquiſitis honoribus, & dignitatibus, cor non afficit, ſed tantùm os titillat hinc Origines in 1. Reg. 1. *Si gaudeam, quòd inveni Theſaurum viſibilem, iſtud gaudium carnis eſt non in Domino; ſi gaudeam quòd me homines laudent, & fortè non pro merito non eſt hoc gaudium in Domino.* Vera lætitia à ſolo Deo dimanat, unde David Pſal. 62. *Sitivit in te anima mea.* Non concupivit David divitijs affluere, non commodis abundare, non, dignitatibus inſigniri, non honoribus affici, ſed Deo perfrui; quia in eo ſolo verum gaudium reperitur.

EXPENSIO VII.

Nonnulla donantur explicatu deprompta ex ſacris literis ad pacem Charitatis fœtum, firmiùs ſtabiliendam.

ALius charitatis effectus internus eſt pax, quæ opponitur repugnantiæ, ac diſſenſioni appetituum, ut liquet ex Antitheſi D. Pauli ad Corinth. 14. *Non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis*, ut etiam ediſſerit D. Auguſt. lib. 19. de civit. Dei cap. 11. ubi oſtendit bella nonniſi pacis intentione eſſe gerenda inquiens: *Qui bella volunt nihil aliud quam vincere volunt; victoria autem eſt ſubjectio repugnantium; quod cum factum fuerit, pax erit*: quæ propterea opponitur repugnantiæ appetituum. Conſiſtit tamen pax integra in omnimoda appetitionum conſenſione, quæ tot modis eſſe poteſt, quot earundem diſſenſio, quæ dupliciter poteſt contingere, primò cùm quis habet appetitionem diſſenſientem ab appetitione alterius hominis: ſecundò cùm quis habet diſſenſientem appetitionem ab appetitione alterius cujuſdam ſui proprij appetitus, ut cum experimur in membris noſtris carnem concupiſcere adverſus ſpiritum, de qua diſſenſione ſcripſit Apoſt. ad Galat. *Sentio in membris meis aliam legem repugnantem legi mentis meæ*; tertiò cùm quis per unum eundémque appetitum diverſa concupiſcit objecta minimè inter ſe compatibilia, ut docet D Thomas. Ut igitur dicatur quis pace frui, ut hæc eſt effectus charitatis, nullo pacto debet ex tribus prærecenſitis ullam habere diſſenſionem, & repugnantiam appetitus, ſed debet conſentire in appetendo tum cum alijs, tum etiam ſecum, & quidem per utrumque appetitum intellectivum, adeo ut per neutrum appetat incompatibilia, in quo ſenſu Auguſtinus lib. 19. de civit. cap. 12. ait pacem eſſe *Tranquillitatem ordinis*, quæ tranquillitas tunc habetur, quando omnes res inter ſe rectè cohærent, ac conſentiunt, quod etiam aſſeruerat D. Hieron. *cap. 11. de divin. Nomin.* ubi definit pacem eſſe *Omnium unitivam, & conſenſus operativam*, quòd non eſt intelligendum effectivè quaſi ex pace conſequatur unio, & conſenſio; ſed formaliter, quia pax conſiſtit formaliter in ipſa omnimoda unione, & conſenſu; quapropter licèt quis cùm alijs appetitu conſentiret, ſi tamen ipſoſecū minimè conſentiret, eò quia repugnantes inter ſe foveret appetitiones, is diceretur quidem concordiam habere, non ita pacem, quæ quamvis concordiam complectatur; adhuc exigit conſenſum appetitionum in ipſo homine, qui pacem dicitur poſſidere: nihilominus, licèt minus propriè, concordia erga alios pax dicitur, in quo ſenſu Chriſtus Marci, 9. dixit: *Pacem habete inter vos*, & D. Paulus ad Roman. 12. *cum hominibus pacem habentes*; unde Auguſtinus lib. 19. de Civit. cap. 13. ait *Pax hominum eſt ordinata concordia.* Ex quo liquet, pacem rectè recenſeri inter effectus charitatis, per quam inclinamur ad diligendum omnia eo

modo, quo debent diligi, ſcilicet Deum ut finem ultimum, & propter ſe; proximum verò & reliqua ad extra propter Deum, qui eſt finis ultimua terum omnium, ex quo fit, ut in noſtris appetitionibus ita ordinatis non includatur malum diſſenſionis, & repugnantiæ, ſed bonum pacis, juxta illud Pſal. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam.*

2 Deus hujus pacis amans ſuam in ipſa ſedem figit, ut innuit David Pſal. 75. v. 3. *Factus eſt in pace locus ejus*, quia ut ait D. Hieron. Locus Dei non eſt niſi in anima, quæ pacem habet: quæ enim hac non gaudet pace, locum Deo denegat, quia in pace factus eſt locus ejus, & ubi pax, ibi Deus. Imò gloriam quam Deus ab huminibus exigit, pax eſt eorundem: tunc nato Chriſto gloriam cecinerunt Angeli in excelſis, quia in terris pax tunc floruit inter homines Luc. 2. *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus.* Idque videtur indicaſſe fons ille, qui ex oleo naſcente Chriſto Romæ dicitur ſcaturiviſſe; eſt enim oleum pacis ſymbolum. Quòd ſi oleum offerre olim Judæi juſſi fuerunt Levit. 23. ex ſolis oleis expreſſum fuit, quo ſignificaretur præ cæteris liquoribus oleum, utpote pacis ſymbolum Deo placere. Id innuit Cyrillus Alexand. in Levit. lib. 13. inquiens: *Oleum offerri jubetur à populo, & oleum non qualecunque fuerit, & ex quibuscunque ſeminibus ut fieri in diverſis Regionibus mos eſt: ſed de olivis expreſſum, in quibus judicium pacis oſtenditur. Nec enim accepta poſſunt eſſe Deo opera tua, niſi in pace peragantur: ſicut & Jacobus Apoſtolus dixit: fructus autem juſtitiæ in pace ſeminatur.*

Scio, Solonem apud Græcos lege caviſſe, ne quid fructuum Attica exportaretur præter oleum, & hujus legis transgreſſores pœnas ſubijſſe, ut refert Plutarchus in vita Solonis. Sed fideles oleum pacis ſervare intra ſe debent, ne fluctus pravorum affectuum, & inſoleſcentium paſſionum inſurgant, ac turbatâ animi malacia bellum indicant paci, & virtuti, atméntque contra ipſam vitia. Quòd ſi oleo ebur à carie vindicare putatur, & in Saturni ſimulacro ea de cauſa oleum poſitum legamus: nil eſt, quod magis à corruptione vitiorum nos præſefert, quàm oleum pacis, cujus beneficio appetitiones inferiores, ac ſenſuum bene concordant, conſentiúntque regulis prudentiæ, & rationis ſuperioris, quâ ſi inferiora regulentur, pax promovetur interna, & pravæ concupiſcentiæ, ac vitia non inſurgunt in virtutes. Oleum ſiquidem non ſolùm ignem nutrit charitatis, ſed etiam à carie, ſeu corruptione præſervat caſtitatem, ac reliquas virtutes, ſitque propterea probus nexus caſtitatis, & charitatis cum oleo, quia ſi flamma charitatis hoc oleo pacis nutritur; caſtitate defenditur, ne extinguatur.

3 Hinc ſacri ignis cuſtodia nonniſi Virginibus fuit olim demandata, ut refert Cœlius Rhodiginus *lib. 10. cap. 3. lect. antiq.* inquiens: *Cæterum Phidiæ ſolertem prudentiam indicat illud quoque quod Pallados ſimulacris Draconem apponere conſueverat;* veluti ambage tacita innueret, virgunculas pervigili cura indigere, ut pudor caſtus ſervetur, & flamma puri amoris conſervetur; ac ſplendor reliquarum virtutum. Sed apud priſcos Romanos curam conſervandi ſacrum ignem fuiſſe injunctam virginibus Veſtalibus exploratum eſt omnibus. Quòd ſi ſacer ignis ſymbolum præſefert charitatis, hæc ut nutriatur pacis oleo indiget, quod ſi depaſcatur clarè ſplendet, & reliquas illuſtrat virtutes, præſertim caſtitatem, quia florente pacis olea quieſcunt concupiſcentiæ motus. De virginibus Veſtalibus hæ leges apud Vulteranos erant, ut in monumentis Ethruriæ *cap. 2.* legitur. *Veſtales Virgines omnes ſint patritiæ, quarum parentes per trecentos annos ſenatores fuerint, à duobus Pontificibus eligantur, & major earum alijs imperet, non recipiantur majores decem annis, nec ſeptem minores; earum cura ſit ignem perpetuum conſervare: ſi fortè ſanctus ignis extingueretur, à Pontifice maximo cædi jubeatur.* Recenſentur Veſtalium parentes, ætas, electio, munus, & ſacer ignis, quem religioſè conſervabant: quia ubi charitas ardet, caſtitas ſplendet, & Virginitas illuſtrior clareſcit: neque Virgines qualeſcunque eligebantur ad ſacrum ignem cuſtodiendum, ſiquidem inopes & aliqua parte corporis debiles, vel illegitimo thoro natæ Veſtales fieri non poterant; quia ignis charitatis, & ſplendor ſacri lycni umbras vitiorum, ac defectuum fugat, & circumſtantia quæque illuſtrat, ut virtutum ornatu clareſcant.

Cæterum veſtales Virgines ad ſacra facienda noctu excitari conſueverant, cujus moris meminit Seneca de Provid. cap. 5. *Non eſt iniquum nobiliſſimas Virgines ad ſacra facienda noctibus excitari, altiſſimo ſomno inquinatas frui!* Nexum ignis cum charitate, & oleæ cum caſtitate, ut probum etiam Ethnici approbârunt, apud quos moris fuit quò olea nonniſi à pueris putis, & caſtis coleretur: quin ejus fructus collecturus jurare adigebatur, ſe alienam mulierem non attigiſſe referente Cælio Rhodigino lib. 12. lect. antiq. cap. 19 inquiens *Illud proditum memoriæ eſt, oleam putam à puris queque elivantibus præcerpenda jurejurando etiam adactis; cum uxore modo ſibi rem non fuiſſe, nec alienam attigiſſe prorſus.* Et Palladius cenſet, hanc arborem feraciſſimam, eò quia ejus culturæ caſtitas præſit. 4

5 Si igitur concupiſcentia intus cieatur; fluctus commoveat, procellam excitet in perniciem caſtitatis, in naufragium charitatis, oleum pacis injiciendum eſt pravis hiſce commotionibus, quia ſi oleum inquietum mare dicitur ſedare, ut æſtuans ſubſidat; ita pace interna veluti oleo utriuſque appetitus concupiſcentis, & iraſcentis motus coërcentur, ac comprimuntur; hoc oleo ignis charitatis nutritur & ſplendor caſtitatis fovetur, ac reliquæ clareſcunt virtutes. Si hoc oleo uteremur frequenter, non inſurgerent corporis laſciviæ, non æſtuarent pravę concupiſcentiæ: & ſingula pacificâ conſenſione intus quieſcerent. Idque fortaſſis cauſæ, cur olim in nubentium corona fuerit olea adhibita, quò nimirum pax, & concordia inter conjuges indicaretur, ut neceſſaria

ad

Digitized by Google

ad fovendum, & nutriendum conjugalis amoris lycnum, cujus flamma oleo pacis nutriri gaudet. Olivæ in nubentium coronatione meminit Sidonius ita canens:

—— Tum viva comes viridantis olivæ
Pace ligat nectit dexteras, ac fœdera mandat.

Neque abs re, quia pax inter ſponſos neceſſaria eſt, ut florente olea charitas, & amor ſervetur indemnis. Hac de cauſa has nuptiales coronas nectere Deæ Concordiæ injunctum fuerat in pacis ſymbolum, hinc cecinit Claudianus de nuptijs Honorij.

Tu feſtas Hymenæe faces tu gratia flores,
Elige tu geminas Concordia necte coronas.

6 Oleo Athletas ſe unxiſſe notiſſimum eſt, ne deſcenſuri in certamen ab adverſario tenerentur, ejúſque manus diffugerent, victoréſque evaderent. Quidni? oleo pacis, ſi perfundantur fideles, qui veluti Athletæ pugnant contra inſultus tartarei hoſtis, impetúſque carnis, & concupiſcentiæ, non ſuccumbunt, neque depravatis proſternuntur motibus, nec ulla intus inſurgit turbatio, qua diſrupto ordinis vinculo ſus, deque vertantur, quæ intus hominem ad normam conſtituunt virtutis; quia ſicut pax corporis eſt ordinata temperatura partium; & pax animæ irrationalis ordinata requies appetitionum, ita pax animæ rationalis eſt ordinata cognitionis, & rationis conſenſio, ut aſſerit D. Auguſtinus de civit. lib. 19. cap. 13. Cuſtodienda propterea præ omnibus virtutibus eſt pax, ait S. Chryſologus, quia Deus ſemper in pace eſt: pacem qui ſervat juſtitiam nequit non excolere, quia ubi pax, ibi & juſtitia; David Pſal. 84. v. 11. *Juſtitia & pax oſculatæ ſunt*, Ubi Auguſt. *Fac juſtitiam & habebis pacem; ut oſculentur ſe juſtitia & pax. Si non amaveris juſtitiam, pacem non habebis. Si amicam pacem non amaveris, non te amabit ipſa pax, nec veniet ad te. Tu quare litigas cum juſtitia? Ecce juſtitia dicit tibi: ne fureris, & non audis; ne adultereris, & non vis audire: inimicus es amicæ meæ. Dicit tibi pax, quid me quæris? amica ſum juſtitiæ: quemcunque invenero inimicum amicæ meæ non ad illum accedo*, quia juſtitia & pax mutuis oſculis veluti inſolubili amoris vinculo ita junguntur, ut ſejungi nolint.

7 Sed pace non fruitur niſi qui prævio bello concupiſcentias pravas proſtraverit, & adverſa quæque vicerit. Idque ſuos Magiſter Chriſtus edocuit Diſcipulos Joan. 20. v. 20. *pax vobis, & cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, & latus.* Quid? quod Magiſter pacem commendaturus ſuis Diſcipulis oſtendat eis vulnera belli? nimirum ut inde diſcerent ad veram pacem non perveniri niſi pravis fugatis, vel proſtratis concupiſcentijs; quaſi diceret Chriſtus pacem offero vobis, ſed quæ effuſo ſanguine, inflictis vulneribus fuit comparata: ſine ferro vomeris olea non excolitur pacis, neque efflorescit niſi irrigata ſanguine, quia nonniſi per bellorum incommoda ad pacem pervenimus. Idque fortaſſis cauſæ, cur Princeps pacis apparere Joanni voluerit armatus gladio, non è latere pendulo, ſed ex ore prodeunte Apocal. 1. v. 6. *De ore ejus gladius utraque parte acutus exibat.* Cur gladius prodit ex labijs, quæ Sponſæ amoris erant ſymbolum, quatenus ſui Sponſi oſculum appetebat: ſi labia oſcula figunt, & gladij vulnera infligunt; cur de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat? ut inde inſtruamur, veram pacem inermem non eſſe, ſed armatam, & ad bellum edoctam, ut vitia debellet, prava deſideria proſternat, carnis concupiſcentias profligat: niſi gladius iſte præceſſerit pacis olea non viret, neque triumphat.

8 Eſt pax fructus non ſolum oleæ, ſed & Spiritus ſancti, & quidem præcipuus, cum ſcribat Apoſtolus ad Gallat. 5. v. 22. *Fructus autem Spiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia.* Is igitur pace fruitur, qui igne charitatis vitia deſtruxit, & lorica fortitudinis ictus, ac impetus pravæ concupiſcentiæ coërcuit. Olea hujus pacis præſertim floruit in Virgine matre, quæ charitate exarſit, & reliquarum omnium virtutum ſummo enituit ſplendore, umbram quamlibet à ſe longiùs excludens cujusvis imperfectionis. Cùm obumbrata fuerit à Spiritu ſancto plenam in ſe pacem habuit, quam & mundo peperit, idque vel ipſi Angeli indicârunt hominibus, cùm Virgo ſuum mundo filium peperit: cecinerunt enim Luc. 2. v. 14. *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax*, quo nimirum intelligeremus per Virginem ad nos pacem perveniſſe, unde Regius Vates Pſal. 84. cum de Virginis fœcunditate, & conceptione præmiſiſſet: *Benedixiſti Domine terram tuam*, poſtea pacis meminit, quæ Chriſti adventui apparuit, *juſtitia, & pax oſculatæ ſunt.*

9 Neque hæc pacis olea unquam ſuis deſtituetur floribus cum Virgo ipſa apud Deum pro hominibus pacis perpetuò duraturæ obſes ſit æternùm futura. Quòd ſi Armenorum olim Regis filia Perſarum Regi fertur data, ut pacis obes eſſet: ſanctiùs, ac firmiùs id præſtitit Virgo Mater cùm non pacis perituræ, ſed æternùm perennaturæ ſit pro humano genere obſes. Idque haud obſcurè licèt nocturnas inter umbras cum luna ſubobſcurè ſplendet, innuit David Pſal. 71. v. 7. *Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna*, quæ cùm ſit in cœlis jugiter duratura, reliquum eſt, ut nunquam ſit pax in terris defectura. Hinc Euthymius cum alijs SS. Patribus cenſet, veſtem illam inconſutilem, quam noluit Deus ſcindi à Virgine Matre fuiſſe contextam; quò inde doceremur, Virgini vel maximè cordi eſſe pacem, & concordiam; & ipſi adverſari diſſidia quæque. Texuit veſtem inconſutilem Virgo Mater, quia indiſſolubilis pacis quæſivit unitatem: noluit Deus ejus inconſutilem tunicam dividi, vel ſcindi, ne pax, & unitas per Virginem terris ſtabilita unquam ſcinderetur ab hominibus, nunquam pax diſſolvetur, quæ per Virginem fuit terris invecta, & perpetuum erit fœdus, quod Deus nobiſcum pepigit: non enim hunc fœderis arcum nubes rorida, ac diſcolor ex cœnoſis halitibus congeſta nobis exhibet: ſed Virgo Mater, quæ diſcolor iris ab æterno ſole depicta, omniqua vir-

tutum ornatu elegantiſſima ſupra cœteras eminet creaturas.

10 Non arcum tantùm in cœlis, ſed & arcam in terris ſymbolicè præſeiert VirgoMater, quæ Noeticæ propterea à SS. Patribus arcæ paratur: neque incongruam putârim hanc paritatem, cum unitatem, & concordiam per ipſam intelligamus; ſiquidem dignum eſt obſervatu, quod in arca animalia concordiam, pacem, & unitatem ſervaverint, tametſi ſibi invicem conſueverint adverſari, ac inſidias nectere, adeo ut lupus in arca ovem non diſcerpſerit, nec voraverit; neque accipiter aviculis moleſtiam intulerit, ſed animalia quæque intra arcam pacifica fuerint, & hoſtilem quemque animum depoſuerint, quia ut notat Alcuinus interro, 11. in Geneſ. *Sicut Dei nutu adducebantur in arcam animalia; ita & Dei nutu conſervabantur in arca.* Quidni hæc omnia in Spirituali arca, ſeu Maria Virgine contigerunt, cùm non ſolùm genus humanum ſervaverit perinde ac arca Noëtica; verùm & in ſe ipſa nullum unquam diſſidium ſenſerit inter appetitiones, quæ ſingulæ Deo plenè conſentiebant. Maria eſt, quæ pacem mundo invexit, & quæ propterea pacifica audit Cant. 7. v. 1. *Quid videbis in Sunamite,* ubi legit Aquila *quid videbis in pacifica*, vocat Mariam pacificam, quia ut mediatrix pacem conſtituit inter homines, & Deum imò & inter homines, & homines; & hæc pacis olea jugiter viruit, floruitque veluti in florido horto in ipſa Virgine, quæ nullum experta paſſionum diſſidium, nullúmque pravorum motuum tumultum, ſemper perfectè quievit ſub umbra hujus oleæ, & illius, quem deſideravit, quemque ſemper toto corde amavit.

11 Neque fuiſſet Deus umbraculum Virgini, niſi pacis olea in ipſa floruiſſet, David Pſal. 75. v. 3 *Et factus eſt in pace locus ejus;* ubi textus hebræus habet, *Factus eſt in Salem umbraculum ejus, ſeu in pace,* quia *Salem* pacem ſonat: rectè nectuntur pax, & umbraculum, quia Dei umbraculum ibi eſt, ubi pax reperitur, & pacis olea excolitur; huc accerſendus S. Hieronymus in Pſal. 75. inquiens: *Non eſt umbraculum Domini, niſi ubi pax: ubi Zelus, atque diſcordia ibi non eſt protector Deus; locus Dei non eſt niſi in anima, quæ pacem habet.* Et quia VirgoMater hanc pacis oleam jugiter excoluit, ideo meruit fieri Dei umbraculum: *Et factus eſt in pace locus ejus.* Spiritus ſanctus eam obumbravit, quia oleam in ipſa florentem invenit, ut cenſuit S. Gregorius Thaumaturgus. *ſerm. 2. de Annuntiat. Beat. Virg.* inquiens: *Hæc in Domo Dei inſtar fructiferæ olivæ plantata, cui Spiritus Sanctus obumbravit.* Hinc non mirum ſi in ſacro epithalamio Virgo parietur urbi Jeruſalem, quæ viſio pacis dicitur Cant. 6. v. 3. *Pulchra es amica mea, ſuavis, & decora ſicut Jeruſalem* bene ſuavis, & decora, quæ pacis oleam ſemper excoluit, & quidem à quovis tumultu, & diſſidio ſejunctam, ut explicat Rupertus Abbas inquiens: *In eo quòd anima Virginis ſemper ſupernam videt pacem ſuavis, & decora dicitur, ut ex viſitatione illius diſcant animæ cœleſtem ducere converſationem, ut ſint & ipſæ filiæ Jeruſalem.*

12 Non ſolùm olea pacis inumbrari voluit Maria, verùm & ſole veſtiri, ita tamen, ut claritas ſolis, pacis umbræ non officeret, ſed ſimul probo nexu cohærerent, ſole induta apparuit Joanni in Apocal. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo mulier amicta ſole.* Bene ſole veſtitur, quæ pacem quærit; pacis enim ſymbolum ſolem eſſe aſſerit S. Chryſoſtom. homil. 16. de Recip. Sever. *Sicut cœlum ſplendor ſolis, ita eccleſiam ſulgor pacis illuminat. O quam deſiderabile nomen pacis! quam religionis Chriſtianæ ſtabile fundamentum, & altaris dominici cœleſtis armatura!* cùm igitur ſol pacis ſit ſymbolum, non mirum ſi ſole ornetur Maria, quæ pacem mundo intulit.

13 Pacis oleam, qui in proprij cordis tellure excolunt, hominem exuunt, qui ex oppoſitis compactus elementis, nonniſi diſſidia ſentit, ac pugnas, quibus inter ſe ſe opponuntur humores, alterantur, ac unus alteri necem molitur; ſed ſi pacis amantes à conſortio videntur hominum ſejungi; cætui adſciſcuntur cæleſtium Spirituum. Angeli quippe concordia, pace, ac unitate vel maximè gaudent. Hanc Angelorum pacem, & unitatem ſubindicare videtur Moyſes in narratione primæ rerum molitionis; cum primo die Deus lucem condidit, quam è tenebris nihili traduxit ad nitorem, quo ſingula illuſtrantur, foventur Geneſ. 1, v. 3. *dixitque Deus ſiat lux, & facta eſt lux. Factúmque eſt veſpere, & mane dies unus.* Conveniunt Expoſitores *Unum* hebraica phraſi primum intelligi: quo pacto legimus in Evangelio *unam Sabbati*, ſeu primam diem hebdomadæ. D. Auguſtinus per lucem primo die conditam Angelos intelligit; ac lucis productionem, Angelorum fuiſſe creationem, quorum propterea anteſignanus Luciferus audit, quaſi ſecū lucem deferens. Primus itaque dies quo Angeli fuerunt conditi, non primus, ſed *unus* dicitur, ut unitas ſeu pax & concordia ſignificaretur Angelorum; pulchrè Auguſtinus lib. 11. de Civit. Dei cap. 9. *Angeli ſunt lux, quæ diei nomen accepit, cujus unitas ut commendaretur non eſt dictus dies primus, ſed dies unus.* Rectè igitur cohæret cum Angelis, qui unitate gaudentes, diviſioni, ſeu diſſidio adverſantur; & ita arctè paci adhæreſcunt, ut vel in prima eorundem productione voluerit Deus hanc illuceſcere, ut qui Angelis cupiunt aſſociari, diſcant huic unitati, ac paci ſtudere: de hac enim Angeli inter ſe ſe ſermones miſcent, de hac lætantur: ajunt enim apud S. Bernardum ſerm. 1. in feſto S. Michaelis: *Nos de regno unitatis, & pacis ſumus, & homines iſtos in eandem unitatem, & pacem ſperamus eſſe venturos. Nunc autem qua ratione nobis cohæreant, qui diſſident à ſe ipſis?* hoc eſt diſſidia foventes inter homines pacem cum Angelis non habent, neque merentur iiſdem aſſociari.

14 Idque fortaſſis cauſæ, cur Incarnationis myſterium quod pacis eſt ſacramentum, cujus beneficio homines Deo fuerunt reconciliati, nonniſi per Angelum paci adhærentem, pacisque amantem fuerit Virgini pacificæ annuntiatum: ad ipſam enim miſſus fuit Angelus pacis: quo inde moneremur nonniſi per invectam

pa-

pacem, & extincta diſſidia, ſublatáſque diſcórdias ad Virginem accedere: ait David Pſal. 71. De æterni Patris filio in Virginis utero noſtram induente humanitatem: *Deſcendit ſicut pluvia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.* æquiparat deſcenſum Verbi divini in Virginis uterum pluviæ, & uterum Virgineum velleri pacifico, & minimè obſtrepenti in ſuo deſcenſu; cum & vellera nivium tacito dilapſu terram ſuo candore clarificent: pacificus igitur in pacificam Virginem fuit Divini Verbi adventus. Sed juvat perpendere, quod ſequitur: *Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis;* quia poſt æterni Patris filij adventum maxima debuerat pacis ubertas, & olearum abundantia vigere in terris, è quibus diſſidia omnia abigenda erant, & homines Deo reconciliandi. Mariæ qui patrocinium expoſcit, & ad illam accedit, pacis oleâ neceſſe eſt, coronetur, nec diſſidia tumultuantium intus affectuum foveat: id nos edocuit vel tacitè Deus, qui non Patriarchæ alicujus, non hominis miniſterio in Incarnationis annuntiatione uſus fuit: ſed ad id muneris obeundum delectus fuit Angelus, qui charitate fervens, & paci adhærens Caduceator mittitur ad Virginem mediatricem hominem inter & Deum; quo ille huic reconciliaretur, & pacis excoleret oleam, fructúſque tandem ex hac cultura depromeret æternæ vitæ. Appoſitè Richard. à S. Laurent. lib. 1. de laud. Virg. cap. 8. ait: *Quòd dignè ſalutare tanquam Virginem non ſit quilibet dignus, oſtendit Dominus, cum ad eam ſalutandam nonniſi Angelum miſit, per hoc evidenter oſtendens, quòd qui ſalutationem ſuam ab ea deſiderat acceptari, angelicam vitam debet imitari, ut ſit pacificus. quia inter Angelos major non opprimit minorem, ſed omnes in ſumma pace, & quiete conſiſtunt.* Non igitur voluit Deus myſterium Incarnationis per hominem nuntiari, nec ejus uti miniſterio, quia aſſuetus homo diſſidijs facilè livore tangitur, pacíſque unitatem frangit, Angelus verò quia pacis amans unitatem promovet: ut ergò Angelorum futuri ſimus ſocij, diſſidia omnia extinguamus, & pacis oleam excolamus, ſicque unitatem, & concordiam promoventes choris unimur Angelorum.

Neque Deus aliam ſibi ſedem erigit,
14 quam inhabitet, niſi ex olea compactam, ſeu pacificam Pſal. 75. *Factus eſt in pace locus ejus,* ſeu ſedet cœleſtis Sponſus, ſub umbra oleæ in loco pacis procul à diſſidijs, ac jurgijs, quibus homines diſſentientes bella movent, humanum ſanguinem fundunt, & omnia funereis replent cupreſſis, unde pergit Pſalmiſta. *Ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium, & bellum,* hoc eſt, deſtruxit ſymbola pugnæ, bellique inſtrumenta, ac diſſidiorum fomenta eradicavit, & vaſa contrivit diſcordiæ, ubi Verbum divinum Virginis Matris uterum ingreſſum ad oleæ umbram in loco pacis ſedit.

Ita eſt, nonniſi oleæ cultores, paciſque
16 amantes acceſſum ad Virginem habent, & nonniſi ſcuta comburant, lanceas frangant, arcus, & ſagittas diſrumpant, gladios deponant, & pugnæ apparatum totum abigant ad æternam ſapientiam non introducuntur. Itaque ut nos edoceret Chriſtus ingreſſurus Jeroſolymam, non equum ſelegit generoſum, ſed aſinam manſuetam *Matth.* 21. Non enim facilè reperimus, fuiſſe Chriſtum equo uſum, cùm & Virgo Mater in Ægyptum proficiſcens ullo equo non legatur; ſed aſino ut plures putant: neque id vacuum eſt omni myſterio, ſed ut nobis innoteſceret, quàm ſit pacis amans Chriſtus, quàm concordiæ, & manſuetudinis ſtudioſa Virgo Mater, cùm utérque equo pugnarum amanti aſinam prætulerit manſuetam. De equo enim ait Job cap. 39. v. 25. *Ubi audierit buccinam dicit, vah procul odoratur bellum.* Diſſidiorum, ac conflictuum odorem equus ſentit; tubarum ſonitu delectatur, armorum ſtrepitu gaudet, & exiliens urget in prœlium, ideóque Chriſtus non bellorum, ſed pacis amans, non equo uſus fuit in Jeroſolymitano ſuo triumpho, ſed manſueta, & pacifica aſina: ſcitè D. Chryſoſt. homil. 37. in Matth. Vel alius nomine Chryſoſtomi ait: *Non aſcendit ſuper ferventem equum diſcordiæ amatorem, & litis, qui gloriæ jactantia pectus habet repletum; qui de longè odorat bellum, & gaudet ad vocem tubæ; ſed ſedet ſuper aſinam tranquillitatis, & pacis amicam.* Societatem non init Deus cum rixas excitantibus, diſſidia foventibus, & diſcordias, ac inimicitias nutrientibus, quia non inſedit Chriſtus equo, qui bellum procul odoratur, ſed aſinam prætulit, quia pacis oſores Chriſtus averſatur, & pacis fautoribus aſſociatur.

Diſſidium non probum Angelum indicat, 17
ſed cacodæmonem refert: ſicut unitas pax, & concordia bonos Angelos complectuntur, diſſidia, & diſcordiæ malos Angelos indicant, quapropter Satan adverſarius interpretatur, quia pacis oſor nonniſi diſſidia fovet, & pacis florentes oleas, admititur radicitùs evellere, ne ulteriùs germinent: non igitur Dæmonem imitemur diſſidia foventem, & jurgia excitantem, ſed bonis Angelis aſſociemur per pacis culturam, per unitatis, & concordiæ ſtudium: non pacis oleas eradicemus, non lites ſeramus, ſed paci unicè adhæreamus, quam cacodæmon infectatur: hac acerſendus S. Gregorius homil. 8. in Ezech *Antiquus inimicus caſtitatem in nobis, ſi ſine charitate fuerit, non timet: quia ipſe nec carne premitur, ut in ejus luxuria diſſolvatur. Abſtinentiam non timet, quia ipſe cibo non utitur. Valdè autem in nobis charitatem veram, id eſt amorem humilem, quem nobis viciſſim impendimus, timet, & concordiæ noſtræ invidet, quia hanc nos tenemus in terra, quam ipſe tenere nolens, amiſit in cœlo.*

Sed qui pacis oleam excolunt, non ſo- 18
lùm pacifici cum alijs eſſe debent; verùm & in ſe ipſis, ut Angelos intus referant in animo, quos exterius pacis olea imitari nituntur. Hac olea internæ pacis floruit Abraham, cui Geneſ. 15. v. 15. dicitur: *Tu autem ibis ad Patres*

tuos in pace. Hoc eſt per pacem intus in animo excultam ad pacem properavit exteriùs invectam, quia pax interna ad veram nos beatitatem perducit: ſcitè Richard. Victor. de diff. ſacrif. Abel. & Cajn. ait: *Ergo ad pacem properabat, qui in pace iturus erat, ibat per pacem, & ad pacem: per pacem internam, ad pacem æternam, per pacem illam, quæ mutuo ſibi conciliat omnem ſenſum; ad pacem, quæ exuberat omnem ſenſum.* Hanc internam pacem excolere perinde eſt, ac motus omnes tumultuantium paſſionum, ac tumultus inſurgentium pravorum affectuum compeſcere, ac omnino ſedare, ut pacis olea intus tanquillè floreat: quòd ſi pauci inveniuntur, qui ſibi conveniant: hanc tranquillitatem animi, ac pacem inter diſſidentes affectus invehere omnino rarum eſt, proinde ſummis excipiendum laudibus. Non enim floret pacis olea in illa cordis tellure, ubi ardet cupiditas, quæ fax eſt omnium bellorum, & claſſicum jugiter canit, ad pugnas ſemper laceſſit, & nonniſi conflictus expetit. Pax omnibus ſuis abſoluta numeris ſuam non figit ſedem, ubi diſſidia paſſionum tumultuantur. Jurgia qui excitant, & diſſidia fovent, exulant à patria pacis, ſeu ab illa, quæ ſurſum eſt Jeruſalem. Tunc pacis olea à nobis exculta in nobis tutè florebit, cùm exuti mortalitatis exuvijs cœleſti beatitate erimus donandi, & relicta terra, cœlúmque ingreſſi Deo pacis authori adhærebimus. Anima quippe ſoli Deo adhærens, eúmque poſſidens ab eo clariſſimi luminis illuminatur radijs, & affluentia bonorum omnium repletur, ac eo fruitur ſtatu, in quo ſub umbra oleæ pacis plenè quieſcit.

19 Hanc autem plenam pacem vix in ſtadio hujus mortalis vitæ invenimus, cùm adverſarij plurimi nobis diebus ſingulis obvient, & ipſa noſtra deſideria, affectúsque noſtri, nobis bellum indicent, moveántque, unde D. Ambroſ. lib. de Jacob. 2. cap. 6. ait: *Grande eſt intra ſe aliquem tranquillum eſſe, & ſibi convenire.* Hac igitur plena pace, non in terris fruimur, ſed eadem in cœlis à nobis expectanda eſt. Cæterum, quamdiu in terris vivimus, connitendum eſt, omnique ſtudio curandum, ut ſi non pœnitus extinctis internis tumultibus diſſidentium paſſionum, ijs ſaltem ſopiris, ac coërcitis pacis bono fruamur adhuc in terris: tunc hanc pacis oleam excolimus in cordis noſtri tellure, cùm jurgia carnem inter & ſpiritum comprimimus, concupiſcentiæ inſoleſcentis motus coërcemus, pravorum deſideriorum flam̃as extinguimus, improborum affectuum impetus compeſcimus, & ad normam virtutis motus ſingulos internos componimus. Hæc eſt pax illa, quæ intus florens, exteriùs voluptatum excludit illecebras, mundi reſpuit lenocinia, divitias contemptui habet: honores ut fugitivas umbras flocci facit; dignitates, utpote larvatas fugit, & ſibi tantùm ſtudet, ut tranquillè vivat, Deo adhæreſcat: & pravos omnes affectus compeſcat. Ad id unum collimavit vetus adagium *aſſueſce unjus eſſe*, quod S. Ambroſius *lib. 2. epiſt 24.* interpretatur, ut homo ita vivat, ut picturam exprimat, quæ eandem ſemper imaginem ſervat, quam ſemel acceperat, tunc unus eſſe dicitur non varius, nec multiplex: qui enim proprijs indulget affectibus; non aſſueſcit unus eſſe, ſed varius, & multiplex, quia diſcolor nunc rubet æſtu iracundiæ percitus; nunc impalleſcit metûs frigiditate correptus; nunc ridet hilaris lætitiâ perfuſus; mox liqueſcit in lachrymas mœrore confectus; modò ſerena fronte amat, nunc elato ſupercilio odit, & inſtar Prochei alijs turbidis animi affectionibus inſanit: ſiquidem qui invidia torquentur, qui impatientiæ motu rapiuntur, qui iræ flammâ exardent, vix ſolitudine fruuntur, vix ſunt ſoli. Qui ſinunt hiſce agitari ac commoveri varijs affectibus, non in litore fida ſtatione quieſcunt, ſed veluti in freto tumidis agitati fluctibus huc, illúcque jactantur, non abſque diſcrimine imminentis alicujus naufragij. Secus Deo adhærentes, & affectus omnes intus tumultuantes compeſcentes unitati aſſueſcunt, & pacis oleam excolentes tranquillitate fruuntur. In hac enim animi quiete Deo paratur diverſorium, in quo lubens moratur Pſal. 73. v. 3. *Factus eſt in pace locus ejus:* neque locus iſte pacis alius eſt in homine, quàm coërcitio pravorum omnium affectuum, ſedatio improbarum paſſionum, & ceſſatio à quovis motu inſultante contra ſpiritum. Tunc in corde noſtro Deo gratiſſima floret pacis olea, ſub cujus umbra non ſolùm ſedet pacis author, ſed ex mente Salomonis *juge convivium* apparat Proverb. 15. v. 15. Cor enim quod pravi affectus non pulſant, & omne paſſionum diſſidium longè abigit; quaſi lautè epularetur in convivio, pinguius nutritur, ac lætitia perfunditur. Hoc in corde ſuam inſtituit Deus manſionem, quia factus eſt in pace locus ejus, ſcitè S. Leo Papa ſerm 1. de quadrageſ. *Tunc eſt vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro animo judice regitur, & animus Deo præſide gubernatur.*

Huic unitati opus eſt, ſtudeamus; hanc pacis oleam, neceſſè eſt, excolamus, ut fructus dignos æterna vita legamus, & Deo adhæreamus, cujus locus factus eſt in pace. Hanc unitatem deſiderat cœleſtis ſponſus in anima, quam ſibi deſponſavit, unde Cant. 7. 2. ſuam alloquens ſponſam ait: *Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus lilijs.* Quidni grana tritici fideles ſignificant, quos mater eccleſia beneficio Baptiſmi Deo parit. Sed cur non potiùs ſpicis pariantur fideles, cùm iſtæ flaveſcant in campis, & tritici grana clauſa jaceant in horreis in ſqualore? An quia paleas defectuum à ſuis fidelibus ſejunctas velit eccleſia; & grana eidem placeant in acervo, eò quia in unum ſimul coeant, & pacis, ac concordiæ ſymbolum conſtituant: cum grana tritici in agro ſeparentur, in ſpicis multiplicatis diſſidia potiùs præſeferant cum & ipſæ ſpicæ ſuis obarmentur ariſtis, quæ inſtrumenta ſunt bellorum, ac diſſidiorum; ſecus tritici grana omnibus 20

nibus

nibus denudata paleis quieſcunt ſine armis, mutuo complexu ſe fovent, & ſymbolo charitatis & pacis favent: ſpicæ, ſi examinentur in agro vomere priùs lacerato, armis videntur præmunitæ, lanceis, toracibus obarmatæ, quaſi mox ad pugnam proditturæ, ſcitè igitur cœleſtis Sponſus ventrem ſponſæ acervo tritici pariavit vallato lilijs; non camporum ſpicis flaveſcentibus, quia grana tritici in horreis pacem promovent, & ſervant, cum in agro ſpicæ lanceis, armiſque munitæ bellum, & diſſidia obumbrent, quibus pacis unitas diſcinditur, quam Deus unicè amat, & teſtamento ſuis Diſcipulis, & nobis legavit aſcenſurus ad Patrem: poſtquam enim à mortuis mortis triumphator ſurrexit, ſéque ſuis Diſcipulis videndum obtulit, iiſdem dixit *pax vobis.* Joan. 10. v. 19. nimirum in ingenti gaudiorum incremento non theſauros locupletes, non honores illuſtres, nec dignitatum præeminentias ſuis promiſit Diſcipulis, ſed ſimplicem, & unicam iiſdem pacem exhibuit. Non fuerunt Diſcipuli divitijs cumulati, quia in una pace author pacis omnia iiſdem exhibuit, quia ut ait Gloſſa, *Qui pacem dedit, uno verbo, omnia dedit.* Pax, quæ à Deo procedit, & nobis impertitur, bona omnia complectitur, & ibi felicia, ac proſpera ſunt omnia, ubi olea pacis hujus viret, & viget, hinc Geneſ. 37. v. 14. Jacob dixit filio ſuo Joſeph, *Vade, & vide, ſi cuncta proſpera ſint erga fratres tuos.* ubi textus Chaldæus ait: *Vide pacem fratrum tuorum*, ac ſi perinde eſſet cuncta proſpera eſſe, ac pace frui; unde Auguſtinus de civit. Dei. Tale bonum eſt bonum pacis, ut in rebus creatis nil gratioſiùs ſoleat audiri; nil delectabiliùs concupiſci, & nil utiliùs poſſideri. Spiritus humanus nunquam vivificat membra, niſi fuerint unita: ſic Spiritus S. nunquam vivificat eccleſiæ membra, niſi fuerint pace unita.

EXPENSIO IX.

Pleráque producuntur ad promovendam miſericordiam charitati innixam.

1 EXpenſis duobus primis charitatis fructibus, qui ſunt gaudium, & pax; ſuperſunt nonnulla adjicienda de tertio, éſtque miſericordia, quæ ab Ariſtot. *lib. 2. Rhetoric. cap. 8.* definitur. *Dolor quidam ex apparente malo corruptivo, ac dolorem inferente indignum pati, quod ipſe putavit ſe pati, vel ſuorum aliquem, idque ſic ut propinquum videatur.* Non tamen cum Philoſophus aſſerit, eſſe de malo, quod videtur propinquum, eſt ita intelligendum, quaſi miſericordia, ſit de malo, quod hic & nunc urgeat, ut imminens, ſed quia ordinariè non excitatur miſericordia, niſi malum propinquum ſit, & præſens. Cæterum perſpicuum eſt, miſericordiam etiam excitari circa mala, quæ pluribus abhinc ſæculis contigerunt; ut cùm meditantes Chriſti Domini paſſionem; & acerbiſſimos cruciatus compatimur ejus doloribus, quos pro nobis ipſe tulit: etenim poſſe miſericordiam excitari circa malum abſens innuit Ariſtoteles loc. cit. inquiens: *Afflictiones tunc miſerabiles ſunt, quando præſentes cernuntur: quæ à mille annis ante fuerunt, vel futuræ ſunt, vel omninò non miſerentur, vel non ſimiliter:* hoc eſt, non ea intentione, ac vehementia doloris, ſicut cum malum eſt præſens.

Hinc D. Thomas 2. 2. *q. 30. art. 1.* definit miſericordiam, ut ſit *dolor, ſive triſtitia de malo alieno involuntario æſtimato ut proprio, & aliquo modo contra perſonæ miſerabilis dignitatem, cui ſubvenire velit miſerans, quantum in ipſo ſit; & commodè poſſit.* Dicitur dolor; quia ex Damaſceno *lib. 2. fidei orthodox. cap. 14.* Eſt miſericordia quaſi ſpecies doloris, ſeu triſtitiæ, eo duntaxat diſcrimine quòd triſtitia eſt de malo proprio, & miſericordia de malo proximi exiſtimato ut proprio. Hicque dolor eſſe poteſt actus tum appetitus ſenſitivi, tum voluntatis: & juxta præſens inſtitutum miſericordia ut eſt fructus, ſeu effectus charitatis, eſt fœtus, & actus voluntatis. Dicitur eſſe de malo involuntario, quia cum malum conſiſtat in aliquo defectu, poteſt eſſe motivum miſericordiæ, quæ verſatur circa malum, ſeu miſeriam tanquam proprium objectum, eſt miſeria involuntaria; cum nemo ſit, qui miſer eſſe velit, perinde ac nemo eſt, qui non velit eſſe beatus. 2

Non tamen neceſſè eſt, ut ſit hujuſmodi malum totaliter involuntarium, quia ut docet D. Thomas, poſſumus alicujus miſereri ob peccatum, ait enim D. Gregorius homil. 34. in Evangel. *Vera juſtitia non habet indignationem contra peccatores, ſed compaſſionem,* & peccatum non eſt totaliter involuntarium. ſed tantùm ut dicit ordinem ad pœnam. Hæc autem mala involuntaria, quæ voluntatem ad miſerendum poſſunt excitare ex Philoſopho *lib. 2. Rhetor. cap. 8.* alia ſunt mala naturæ, corruptiva ejuſdem, cujuſmodi ſunt morbi, dolores, afflictiones, fames, ſitis, mors, & alia id genus, quæ naturæ vel maximè ſunt noxia. Alia ſunt mala fortunæ, ut amiſſio divitiarum, navis naufragium, domûs incendium, grando conterens ſegetes, & alia hujuſmodi. Rurſus dicitur miſericordia eſſe de malo alieno exiſtimato ut proprio, quia cùm dolor ſit propriè erga ſe ipſum, debet miſerans putare veluti proprium malum illud alienæ perſonæ. 3

Dupliciter poteſt contingere malum perſonæ miſerabilis fieri proprium miſerentis. 4
Primò per ſolam unionem affectivam; quia cum amor vim habeat unitivam, fit, ut perſona amata fiat veluti quid unum affectivè cum amante, hinc ſicut amans reſpicit tanquam proprium bonum illud, quod poſſidet perſona amata; ita viciſſim malum perſonæ amatæ fit quodammodo proprium amantis: hinc Ariſtoteles *9. Ethic. cap. 3.* ait: *Amici officium inter cætera eſſe condolere de malo amici, ut de proprio,*

quod

quod etiam indicavit D. Paulus ad Rom. 12. *Flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus.* Secundò poteſt malum perſonæ miſerabilis fieri proprium miſerentis per communicationem realem ejuſdem mali ſive actu, ſive potentia, ſi miſerans obnoxius ſit eidem malo, quo afficitur perſona miſerabilis, vel ſaltem poſſit illud incurrere: non tamen, eſt neceſſe ut utróque modo defectus perſonæ miſerabilis ſit etiam perſonæ miſerentis: ſed ſatis eſt, ſi ſecundùm affectum quo pacto defectus proximi, cujus miſeremur, cenſetur eſſe defectus noſter. Quòd ſi communicatio mali non ſit tantùm affectiva, ſed etiam realis, tunc miſericordia vehementiùs concitatur, quapropter Deus, quo magis ſuam erga nos charitatem oſtenderet, ac miſericordiam commendaret, noſtram aſſumpſit humanam naturam, ut per ipſam poſſet, non tantùm affectivè, ſed & re ipſa fieri particeps noſtrorum defectuum, magiſque noſtri miſereretur. Hinc D. Paulus ad Hebræ. 2 *Decuit per omnia fratribus aſſimilari, quòd miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum ut repropitiaret delicta populi. In eo enim quo paſſus eſt, & tentatus eſt, & ijs, qui tentantur auxiliari.*

5 Dicitur à Philoſopho miſericordia eſſe de malo, quod cenſetur eſſe aliquo modo contra dignitatem perſonæ miſerabilis, quod tamen non eſt intelligendum ſpectatis omnibus circumſtantijs, alioquin non poſſemus eorum miſereri, qui juſtè plectuntur; neque ita intelligendum, ut, qui miſeretur, teneatur cogitare malum miſerabile eſſe contra dignitatem perſonæ miſerabilis ex hac ratione conſideratæ, quia plerúmque excitatur in nobis miſericordia in eos, qui ſimpliciter aliquo gravi premuntur malo, tametſi nil cogitemus de eorundem dignitate. Unde ſufficit, ſi malum ſit aliqua ratione contra dignitatem perſonæ miſerabilis, ſaltem ut eſt homo: & hoc pacto ſupplicium juſtum, quo quis ob patratum delictum juſtè plectitur, cenſetur eſſe contra hominis dignitatem, & ſufficit, ſi id expreſsè, vel virtualiter, ac ſimpliciter cogitetur: & tunc dicitur implicitè cogitari, ſi actu contrarium non cogitemus; ſeu eſſe dignum, & juſtum, ut talis perſona ita puniatur; quia cum hoc actu explicito non excitatur voluntas ad miſericordiam: idque cauſæ ait D. Thomas, cur ſuperbia elati aliorum non miſereantur, quod etiam aſſeruerat D. Gregorius *homil. 34. in Evang.* inquiens: *Falſam iuſtitiam* (ſcilicet ſuperborum) *non habere compaſſionem, ſed dedignationem.*

6 Demum dicitur eſſe de ratione miſericordiæ, ut miſerans quantum eſt in ſe, velit opitulari miſerabili, ejúſque ſubvenire miſeriæ, quod tamen non eſt neceſsè, ut explicitè id velit: ſed quatenus dolor de malo alieno, in quo formaliter ſita eſt miſericordia, talis eſt, ut per ejus efficaciam miſerans paratus ſit, & expeditus ad opitulandum alienæ miſeriæ, ſi commodè poſſit. Cæterum à SS. Patribus variè definitur miſericordia D. Auguſt. *de defin.* ait: Miſericordia eſt animi condolentis affectus cum additamento beneficij, ut compatiamur proximo, & largiamur de proprio. Unde in *Pſalm. 224.* ait: Vide, quid tibi debeatur, & qui dederit, qui gratis dedit. Data eſt venia peccatori; datus eſt ſpiritus, & ſpes juſtificationis; data eſt charitas, & dilectio, in qua omnia bona facias: ſuper hæc dabit, & vitam æternam, & ſocietatem Angelorum. Totum de miſericordia; merita tua nuſquam jactes, quia & ipſa tua merita Dei dona ſunt. *lib. 9. de civit.* ait. Miſericordia eſt alienæ miſeriæ in noſtro corde compaſſio, qua utique, ſi poſſimus ſubvenire, compellimur. D. Gregorius in *Moral.* vult miſericordiam dici à miſero corde, eò quia unuſquiſque intuetur quempiam miſerum, & ei compatiens de dolore animus tangitur: ipſe cor miſerum facit, ut eum à miſeria liberet, cui intendit. D. Chryſoſtomus in *Matth.* Vult miſericordiam eſſe ſalutis præſidium, fidei ornatum, propitiatiooem peccatorum: & hanc eſſe, quæ juſtos probat, ſanctos roborat, Dei cultores oſtentat. S. Leo Papa in *ſerm. de apparat.* ait: Miſericordia virtus eſt, ut ſine illa cæteræ, & ſi ſint, prodeſſe non poſſint. Quamvis coim aliquis fidelis ſit caſtus, & ſobrius, ſi miſericors non eſt, miſericordiam non meretur. Et Hugo cenſet, miſericordiam, & miſerationem, differre ut fontem à rivulo, & ait, miſericordiam quaſi fontem eſſe affectum; & miſerationem quaſi rivulum eſſe effectum. D. Bernardus de miſericordia ita loquitur *ſerm. 88.* Septem in me video miſericordias Domini, quas & vos ipſi facilè inveneritis in vobis, prima eſt, quòd à multis peccatis adhuc in ſæculo poſitum cuſtodivit. Prima quidem non inter omnes, quas mihi impendit, ſed prima inter has ſeptem. Quis enim non videat, quod ſicut in multa cecidi, ſic & in alia poteram cecidiſſe peccata, niſi omnipotentis pietas me conſervâſſet: fateor, & fatebor, niſi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs cecidiſſet in omne peccatum anima mea. Secunda miſeratio, quæ non poterit explicari ſermone, quàm benigna, quàm libera, quàm gratuita, ego peccabam, & tu diſſimulabas, non continebam à ſceleribus, & tu abſtinebas à verberibus; prolongabam ego multo tempore iniquitatem, & tu Domine pietatem tuam. Tertia, quod viſitavit cor meum, & invitavit, ut amara fierent, quæ malè dulcia priòs erant. Quarta, quod pœnitentem miſericorditer ſuſcepiſti, ut in eorum numero inveniret, de quibus Pſa. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. &c. Quinta per quam mihi continendi deinceps, & emendatiùs vivendi præſtitiſti virtutem, ne recidivam paterer, & eſſet noviſſimus error pejor priore. Poſtquam in his quinque miſerationibus à malo liberaveris in duabus alijs, bona largieris, hæ duæ ſunt, gratia promovendi, qua videlicet munus bonæ converſationis indulges; & ſpes obtinendi, quam donas, homini indigno, peccatori de tua toties exper-

to bonitate usque ad cœleſtia ſperanda præſumere.

7 An verò miſericordia propriè ſit virtus, non defuerunt ex Ethnicis, qui inficias iverunt, ut Plautus, cujus vulgare fuit illud effatū; *De mendico malè meretur, qui ei dat, quod edat, aut quod bibat. Nam & illud, quod dat, perdit, & illis producit vitam ad miſeriam*, quam ſententiam Lactantius *lib. 6. Inſtit. cap. 11.* vocat deteſtandam, monétque prolatam ab homine comico jocos è ſcena ad populum effutiente, & inconſultò blaterante. Manichæos pro eodem haboiſſe ſtipem mendico porrigere, & homicidium perpetrare, teſtatur S. Athanaſius *epiſt. ad ſolitar. vit. agentes*. Putabant Manichæi ſtipem pauperi erogatam, in ſubſidium cedere ejus miſeriæ, quam execrabantur, ut profectam à malo principio. Cæterum ſi Plautum excipiamus hominem ſcenicum, nullius probitatis, & Manichæos, quos S. Baſilius vocat *eccleſiæ marcorem*, nullus fuit, cui inhoneſtum videri potuerit alienam miſeriam ſublevare, & miſeris opitulari; eſt enim opus honeſtum redundans in beneficium proximi conſtituti in miſeria. Neque obſtat, pleróſque de plebe torporem non excutere, & malle mendicatò vivere, quàm propria induſtriâ, & labore ſibi comparare neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem: quia tametſi hi ſeligant potiùs otio marceſcere, quàm labores in Reipublicæ utilitatem ſubire, propriiſque conſulere indigentijs: adhuc alienam miſeriam ſublevare honeſtiſſimum eſt ex parte miſerentis, cui non vitio vertitur alijs benefacere, ſed datur virtuti: eſt enim charitas, quæ exercetur in proximum, cui miſerans opitulatur, ſiquidem objectum proprium miſericordiæ eſt ipſa ſublevatio alienæ indigentiæ, quod objectum eſt etiam proprium charitatis.

8 Hinc miſericordia Deo etiam tribuitur, quatenus noſtris opitulatur indigentijs, noſtráſque miſerias excutit, ſuíſque nos cumulat beneficijs: hinc D. Anſelmus *cap. 10. proſologij* Deum alloquens ait: *Miſericors es, non quia in ſentis affectum, ſed quia nos ſentimus effectum.* Idque cum noviſſent, etiam Ethnici aram Miſericordiæ erectam voluerunt, quò ejus cultus communis, ac publicus foret, & Athenis ſplendidè fuit ara conſtructa miſericordiæ, cui præfecti populi litarent, ut miſericordiæ exercendæ aſſueſcerent referente Libanio *tom. 1. legat. ad Julian.* ubi ait: *Ii, qui cenſebant miſericordiam Numen eſſe, cujus aram vidiſti Athenis, Imperatori non licebat meminiſſe erratorum apud vocantes, & obſecrantes: ſed aut aram evertere oportuit, aut conciliari.* Si dicas, Platonem *11. de legib.* ſeverè ſanxiſſe, ne pauperes mendici in urbe permitterentur, eóſque exulare juſſiſſe: hujusmodi Platonis edictum in id tantùm collimavit, ut ſcelera ab urbe arcerentur, in quæ coorſueſcit plerumque ignava mendicitas prorumpere, ut conſtat *ex lib. 8. de Repub.* Non vetuit Plato miſericordiam pauperibus impendendam, ſed ne ſcelera in civitate graſſarentur. Etiam Lycurgus apud Zenophontem in Republica Laconum vetuit ſuppeditari pauperibus conſuetam ſtipem non ad miſericordiæ abigenda exercitia, ſed ad egenorum induſtriam augendam, eorúmque ſegnitiem excutiendam; ac eadem ratione colluvies illa Ægyptiorum, ſeu Cingarorum, quæ vagari confictis prætextibus ſinitur per plures Europæ Provincias, è Germaniæ finibus juſſa jam pridem fuit exulare.

Eſt igitur miſericordia virtus. cujus mu- 9
nia obire, vel maximè virum decet Chriſtianum, cui nulla obtingit ſplendidior veſtis operibus virtutum, præſertim miſericordiæ. Non me latet, Samaritanos vulgares, & communes exuiſſe veſtes, cum ſuas adiverunt ſynagogas, & alias induiſſe ornatu elegantiores, & auro, argentóque pretioſiores, ut ſcribit Benjaminus in ſuo itinerario inquiens: *Moris etiam his eſt veſtes, quibus quotidie utuntur exuere, cujus in ſynagogam eundum ſit, & lavare aquis corpus; aliaſque veſtes indue e in hunc duntaxat uſum comparatas.* Aſyrijs, Babylonijs, & Italis veſtibus uti aliquando ex lege probroſum fuit, ac vetitum: non putes, quia viles fuerint hujusmodi veſtes, ſed quia nimis pretioſæ, & civium opibus abſumendis aptæ, ut narrat Nicephorus *lib. 2. hiſtor. Roman.* ubi ait de Imperatore: *Providentiæ Imperatoriæ hoc ſpecimen eſto; quòd cùm videret Romanas divitias in peregrinas, ac ſumptuoſas veſtes ſericas, Aſyrias, Babylonias, atque Italicas variè, ac ſolerti artificio confectas effundi, decreto ſanxit, ne quis ſubditorum ijs uteretur, niſi ipſe quiſquis eſſet cum omni familia in ordine corripi, ac notari ignominia vellet: ſed illis contenti eſſent, quas Romanæ Provinciæ, ac manus præberent.* In veſtibus plerique non uſum, ſed luxum, & pretium quærunt: & hunc veſtium ornatum egregiè vellicâſſe Auguſtum Cæſarem teſtatur Suetonius ajebat Imperator *veſtis inſignis vexillum eſt ſuperbiæ, & nidus luxuriæ.* Hancq; veſtium cultum, rerum temporalium pompam à Præſulibus eccleſiarum ſubmovere adnixus eſt S. Bernardus *epiſt. 42.* ubi Præſules alloquens ait: *In omnibus exemplo Apoſtoli honorificabitis miniſterium veſtrum. Honorificabitis autem non cultu veſtium, non faſtu equorum, non amplis ædificijs, ſed moribus ornatis, ſtudijs ſpiritualibus, ac bonis operibus.* Veſtis, quæ chriſtianos decet, pietas eſt. & miſericordia, quæ inſtar veſtis ex qualibet parte tegere Chriſtianos debet, ut monuit Apoſtolus ſcribens ad Coloſſenſes 3. v. 11. *Induite vos ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti viſcera miſericordiæ.* Nulla elegantior obtingit veſtis Chriſtiano ea, quam virtutum opera ei intexunt: quo enim meliora ſunt opera, eò venuſtiùs exornant: his enim veſtibus induti ad Dei tribunal ſiſtemur, quia ut ſcitè S. Aſterius homil. 3. *Suis quiſque factis quaſi veſte quadam amictus ſive ſplendida illa, ac pretioſa; ſive vili, ac pauperrima; nec exuere eam fas eſt, & aliam permutare, nec omnino vel ex dono, vel commodato judicij tempore exornare.*

Pretioſa igitur plurimo ornatu elegans, 10
ac nitore præfulgens eſt veſtis, quam miſericordia viro Chriſtiano ſuis intexit operibus. Non ſatis eſt aliorum miſereri, ſed veſtium rito ipſa miſericordia induenda eſt, huc accedendus

profanum uſum, quo virtus miſericordiæ devenuſtatur; ſed unicè accendenda eſt hæc lucerna ad DEI gloriam, & ut ejus cultus ſplendeat in terris. Ad ſabbathinæ lucernæ ſplendorem libros legere inhibitum erat Hebræis, ne ſcilicet occaſionem inde arriperent eam tangendi, ac emungendi, ne primæva luce lychnus deſtitueretur: Chriſtianus verò ſplendorem virtutis nunquam debet interrumpere, ſed jugiter eodem clareſcere. Hebræi ſabbathinam lucernam ſuper menſam voluerunt appenſam, ut nefas illis eſſet in domûs angulo lucernam locare: & Chriſtianorum lucerna non in abſcondito clareſcere debet, ſed coram omnibus ſplendêre, quo ad ſtudia virtutum cæteri pertrahantur, ut monet Chriſtus. *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum.* Sabbathinam Hebræorum lucernam non extinguebant Hebræi, ſed mori eam ex ſe ſinebant; quin nec eam emungebant, idque ne ſabbathi Religionem violarent: ſed inde inſtruimur ab operibus miſericordiæ nunquam ceſſandum eſſe, donec vita noſtra per mortem deficiat. Lucernam ſabbathinam nec tangere Judæis licuit eo die, eò quia ignem contineret, & flammam, quam extinguere ſummi piaculi loco habebant: & nos inde erudimur in id incumbere ſtudij, ne ſplendor virtutis unquam deficiat. Tandem lucerna ſabbathina utebantur Hebræi, ut quid agere probè deberent, & quid deſinere, ac derelinquere viderent, ſed hæc lucerna in chriſtianis conſcientia eſt, quæ quid agendum ſit, oſtendit, quidque vitandum: ſcitè S. Nilus in parænesi. *Conſcientiâ pro lucerna utere in actionibus: ea enim, quæ in vita bonæ ſunt actiones, &*
17 *quæ malæ tibi oſtendit.*

Quòd ſi lucernæ lumē ne extinguatur, oleū jugiter admovetur, ne deficiente nutrimento ſplendere deſinat: perinde animæ noſtræ veluti accenſæ lucernæ, ut jugiter ſplendeat miſericordiæ oleum, deeſſe nunquam debet, ut innuit Salvianus *ad eccleſ. Cathol. lib. 2.* inquiens: *Lucerna opus eſt, ut lumen poſſit eſſe diuturnum: nam ſi in lychnis ipſis, quibus ad breve tempus utuntur homines, langueſcit lumen, ac deficit, niſi oleum largè fuerit infuſum: quanta tibi quæcunque illa es, quanta tibi olei abundantiâ opus eſt, ut lucerna tua luceat in æternum?* Ne lucerna hæc ſuo unquam deſtituatur lumine, oleum miſericordiæ eſt illi ſemper ſuppeditandum, ſi enim oleum ceſſet, extinguitur lucerna, & ſplendor evaneſcit. Si igitur non vis cum virginibus fatuitatis notâ redargui, noli hujus olei laborare indigentiâ; ſatage ut hoc oleum præſto ſemper tibi ſit, ne cum abeundum hinc erit, & ſponſus advenerit hoc oleo deſtitutus cum fatuis virginibus à
18 cœleſti ſponſo dimittaris rejectus.

Hoc oleo non caruit Villicus ille, qui apud Lucam 16. 6. *Centum cados olei* paratos habuit, ſeu plura miſericordiæ, & pietatis ſibi opera coacervaverat: per oleum opera deſignantur miſericordiæ, quæ debent villici, ſeu qui bona temporalia à Deo receperunt pauperibus ſuppeditare, ut explicat Hugo Cardinalis. Et Chriſtus ut ſuos edoceret diſcipulos hæc miſericordiæ opera Matth. 26. v. 30. eos duxit, ubi hoc oleum facilè poterant ſibi comparare: *hymno dicto exierunt in montem Oliveti*, hoc eſt, Chriſtus è cœnaculo unà cum ſuis Diſcipulis exivit ad montem Olivarum, quò & nos è cœnaculo ad manus pauperum exeamus, ſeu ex ijs, quæ ſuperſunt, ex noſtris obſonijs pauperibus elargiamur. Olivæ in domo DEI plantatæ pauperes ſunt: in montem igitur Oliveti cum Chriſto, & ejus Diſcipulis proficiſcimur, cùm pauperibus neceſſaria ſubſidia ad vitæ ſuſtentationem elargimur. 19

Quòd ſi oleum non pleno gurgite, & obſtrepente dilapſu fluit, ſed guttatim ſtillat, nos edocet, in exercitio virtutis miſericordiæ non obſtrepere, ne vanam inde excitemus gloriolam; hæc enim vermis eſt, qui virtutis corrodit medullam. Miſericordia olei patiatur elu[illegible]oni, quia ſi oleum quietè, & non cum ſonitu effunditur, nec aquam imitatur, quæ fluxu obſtrepente delabitur; ita eleemoſynæ, neceſsè eſt, à nobis fiant ſine ſonitu vanæ oſtentationis, ſed cum ſilentio humilis intentionis. 20

Refert Cælius Rodiginus lib. 11. lect. antiq. cap. 18. Oleæ ramos geſtare, munus olim fuiſſe ſenibus demandatum in Panathenæis, ait ipſe: *Thallophoros dicebant, qui in Panathenæis oleæ ramos geſtarent; quod munus proprium erat ſenum.* Hoc more erudiuntur ſenes, non avaritiâ ſordeſcere, ſed olea miſericordiæ vireſcere, ac pauperum indigentijs ſubvenire; tunc oleo inunguntur, ne ſuccumbant in extrema lucta, ſi miſericordiæ opera exerceant. In hac lucta de hoſte tartareo triumphant, & victrici lauro donantur, qui olea pietatis, ac miſericordiæ floruerunt. De probo hoc nexu lauri, & oleæ ait Plinius lib. 15. cap. 30. *Adeóque in profanis uſibus pollui laurum, & oleam fas non eſt, ut ne propitiandis quidem Numinibus accendi ex his altaria, aræve debeant.* Laurus, & olea nunquam debent flammis abſumi, ſed jugiter virere, ne miſericordiæ olea unquam è ſuo deſiſtat exercitio, & in ultimo vitæ conflictu lauro nectatur hæc olea, quatenus de tartareo adverſario triumphos colligat. Tunc viri miſericordes olearum fructus vindemiant, & oleo peruncti è manibus adverſarij elabuntur, nec cadunt, ſed ſtantes vincunt. Luctatores oleo perungebantur, ne ab Antagoniſtis caperentur, & proſternerentur. Sed Chriſtianus non alio debet oleo inungi, quàm miſericordiæ, ne capiatur à Diabolo, & captus dejiciatur, quia ut ait S. Chryſoſtomus Homil. 65. in Matth. *Non ſic oleum corpus hominis roborat, ut animam miſericordia ſtabilit, adeóque confirmat, ne ſuperari à Diabolo poſſit.* 21

Oleum olim offerre populus Judæorum ex lege debuit, non tamen qualecunque, ſed tan-

tantùm, quod ex oleis expreſſum eſſet: nimieum ut inde nobis innoteſceret ea tantùm DEO placere, quæ virtutem olent, pacem reſeeunr, & miſericordiam indicant, ſcirè Cyeillus Alexandrinus in Levit. lib. 13. *Oleum offerri jubetur à populo, & oleum non qualecunque fuerit, & ex quibuscunque ſeminibus ut fieri in diverſis Regionibus mos eſt; ſed de olivis expreſſum, in quibus indicium pacis, & miſericordiæ oſtenditur. Neque enim accepta poſſunt eſſe DEO opera tua, niſi in pace peragantur, ſicut & Jacobus Apoſtolus dixit, fructus autem juſtitiæ in pace ſeminatur.* Præ cæteris hoc oleum miſericordiæ ſenes offerant, eóque toto coepore ungantur, ne adverſarius in mortis conflictu reperiat, quod teneat, & ſenem Athletam proſternat. Quòd ſi olim junióribus in aſceteeijs permiſſum fuit, pedes oleo inungere, cùm eſſent iter habituri, ut refert Beatus Iſaias Abbas orat. 3. inquiens: *Si de via feſſus oleo paululum ungi volueris propter itineris laborem pedes tuos tantùm ſic ungi permitte, ut eos regi verearis.* Senibus ſcimus indultum fuiſſe toto corpote inungi ut, refert præſatus B. Iſaias ſubdens: *At ſi ſenex eris, exercitatus coge ipſum, ut totum ſe ungi permittat*, quia ipſos vel maximè decet miſericoidiam exercere, & hoc oleo inungi, ne luctantes cum adverſario teneanrur, & ſuccumbant.

21 Cæteeum hoc oleo muniri non tantùm ſenes, ſed & juvenes, non viri duntaxat, ſed & ipſæ mulieres debent. Idque fortaſſis cauſæ, cur oleo perungi à muliebri ſexu, Chriſtus volueeit Marci 16. *Maria Magdalenæ, & Maria Jacobi, & Salomæ emerunt aromata, ut venientes ungerent JESUM*, ſed cur hæc cura non demandata potiùs fuerit Apoſtolis? An quia excellentiora, ac difficiliora ab iiſdem expectabantur? quia Apoſtoli non oleum tantùm, ſed & ſanguinem ipſum pro Chriſto effuderunt, ut ſcitè innuit S. Petrus Chryſologus ſerm. 79. inquiens: *Infundunt illæ* (ſeu mulieres) *oleum: iſti* (ſeu Apoſtoli) *ſanguinem fundunt: mortem ſtupent illæ, ſuſcipiunt hi mortes: illæ portant aromata, iſti flagella.*

22 Sed ſi Mariæ, ut venientes ungerent JESUM oleum emerunt; non credamus, Mariam Chriſti Matrem hoc oleo miſericordiæ deſtitutam. Quòd ſi moris fuit, ut olim in Deorum templis oleæ plantarentur, Maria in templo Dei olea fuit ſpiritualis, è qua oleum ſcaturivit, quo noſtras aptaremus lampades, & per virtutum exercitia ſplendores emitteremus: Oleum ſuppeditavit Virgo Mater, quo mundus pinguefieret, unde Gregorius Nicomedienſis templo Virginem excipienti adgratulatus ait; *Accipe oleam frugiferam, per quam ſcaturit oleum exhilarans, & pinguefecit creaturam.* Olea fuit Virgo Mater feugifera in domo DEI plantata, & à ſancto Spiritu irrigata, ut innuit S. Joannes Damaſcenus *lib. 4. cap. 5. de fide Ortodox.* inquiens: *In domo Domini plantata, & impinguata Spiritu velut oliva fructifera, omnis virtutis habitaculum facta eſt.* Sed quomodo Virgo Mater oliva in templo plantata dicitur, ſi oliva ſpecioſa in campis fuit: Eccleſ. 24. v. 19. *Quaſi Oliva ſpecioſa in campis.* Sed ſi virtutes penſentur Mariæ; utrumque præſtitit: in templo Domini plantata fuit, quia diu in templo habitavit, ſedula in obſequijs DEO præſtandis: in campis oliva etiam fuit, quò nobis innoteſceret communem omnibus ejus eſſe miſericordiam in publico expoſitam, nulli que denegatam. Viruit hæc oliva in remplo cœleſtibus addicta contemplationibus: floruit in campo culturâ miſericordiæ, quibus omnibus profuit hominibus, omniúmque indigentijs ſubvenit: huc acceſſendus Richardus à S. Laurentio lib. 4. de Laud. B. Virgin. inquiens: *Bene oliva ſpecioſa, id eſt, omnimoda ſpecie ſpirituali repleta per miſericordiam, quæ eſt virtutum ſuarum gloria. Unde de ea dicitur Oſeæ in fine. Erit quaſi oliva gloria ejus. In campis propter communitatem: nam miſericordia ejus, & gratia communis eſt omnibus invocantibus eam in veritate. quaſi dicat cum filio illud Joan. 6. eum, qui venit ad me, non ejiciam foras.* Adeo ferax eſt hæc oliva, adeo feuctibus opplera, ut ejus miſericordia neminem excludat, ſed cunctis ſinum ſuum aperiat pulchrè S. Bernardus ſerm. 7. de B. Virgin. *Omnibus omnia facta eſt, ſapientibus, & inſipientibus copioſiſſima charitate debitricem ſe fecit omnibus miſericordiæ ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi.*

Sed ſi Virgo Mater olea fuit, quæ non ſolùm in templo floruit, ſed etiam in campo viruit, cur Oliva noluit ad Regnum promoveri, ne regina ab alijs plantis ſalutaretur, ac ne ſua deſtitueretur pinguedine Judic. 9. v. 8. *Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ſe Regem, dixeruntque olivæ: Impera nobis, quæ reſpondit, nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dij utuntur; & homines, & venire ut inter ligna promovear?* Verùm olea noſtra non detrectavit pietatis, & miſeeicordiæ regnum ſuſcipere, & promoveri ad exercitia harum virturum ſciens, quod oleo innutrita miſericordiæ ſua non fuiſſet unquam pinguedine deſtituta, cum uberiùs ſemper ſuum effunderet oleum. Quòd ſi diadema reſpuit, regnúmque renuit, hoc non virtutis fuit, ſed boni temporalis: quia pauperem, & humilem vitam elegerat, temporalis, terreníque regni recuſavit diadema, renuitque in mundo exaltari, ne adigeretur pinguedinem ſuam deſerere, ſibique à Deo datam gratiam relinquere, quò inde inſtruamur, quàm difficile ſit, cœleſtia charismata in terrenis culminibus illæſa ſervare: appoſitè Richardus à S. Laurentio lib. 12. de laud. Virgin. *Hæc eſt oliva, quæ noluit relinquere pinguedinem ſuam, quâ Dij utuntur, & homines, ut inter ligna promoveretur Jud. 9. quia noluit in mundo exaltari, nec gratiam ſibi datam de ſupernis relinquere, qua velut oleo miſericordiæ utuntur homines in peccatorum remiſſione, & gratiarum collatione.* Perdifficile eſt in culmine humanæ dignitatis eminere; & virtutum ornatu ſplendere. 2

Adeo

24 Adeo delectata fuerat Sponſa ornatu miſericordiæ, ut ejus gemmam cæteris prætulerit lapillis pretioſis Cant. 5. 14. *Manus ejus plenæ ſunt hyacinthis* eſt hyacinthus ſymbolum miſericordiæ, quia teſte S. Iſidoro, & Solino nebuloſo cœlo turbatur hyacinthi color, ut quaſi mœrore confectus in ſqualore jaceat deturpatus, defloratus: ſereno autem cœlo miro rutilat nitore, cum aëre hilareſcit, & lucidus ac ſerenus arridet. Idque proprium viri miſericordis, qui gaudet cum gaudentibus, & flet cum flentibus, ut ait Apoſtolus. Hinc ſponſa bina ſua ubera ſponſo offert, quò uberiori miſericordiæ lacte alios paſcat, & hujus virtutis ſtillicidia deriventur in ærumnoſos, ac egentes Cant. 7. v. 12. *Dabo tibi ubera mea* ſúntque duæ ſpecies miſericordiæ, ſeu opera ſpiritualia, & corporalia, quibus proximis opitulamur.

25 Adeo arctè indita homini fuit à natura miſericordiæ virtus, ut ſine hac non videatur homo eſſe homo, ac perinde ſit miſericordia carere, ac humanitatem exuere: idque nos edocuit Paraliticus in piſcina veluti ſchola: interrogatus ſiquidem, cur diu iñoratus in piſcina illa priſtinæ non fuerit ſanitàri reſtitutus; cauſam edixit, cùm dixit Joan. 5. v. 7. *Hominem non habeo*, ſed quomodo hominem non habuit Paraliticus, ſi ſingulis diebus à plerisque hominibus fuit piſcina illa frequentata, qui ad motum aquæ eâdem abluti à ſuis ſanabantur languoribus? ſi ibi hominum multitudo ſemper interfuit, cur ſe homine deſtitutum fatetur? quia nimirum ex illis hominibus nemo fuit, qui miſericordiam in Paraliticum exerceret, eúmque in piſcinam demitteret, cum moveretur aqua: cùm igitur miſericordiam in ipſum non exercuerint, rectè dixit, hominem non habere, quia ſine miſericordia nemo ex ijſdem fuit homo: etenim ſine Charitate hominis nomen non meretur homo, & miſericordia deſtitutus humanitate habetur exutus.

26 Etiam Apoſtoli Chriſtum hominem eſſe non crediderunt, cùm miſericordiæ exercitis non fuerunt in ipſo experti: laborabant ipſi cymbam per marinos fluctus agentes, Marci. 6. v. 48. *Laborantes in remigando* cúmque fluctus acriùs intumeſcerent, cymbámque quaterent non abſque naufragij periculo, venit Magiſter Chriſtus ad eos; *ambulans ſupra mare, & volebat præterire eos*, quaſi cùm eum vidiſſent ſupra fluctus ambulantem, & eos non juvantem: *putaverunt phantaſma eſſe* Marci. 6. v. 49. Sed cur putâtunt phantaſma potiùs, quàm hominem eſſe, cum ſpeciem præſeferret humanam, hominiſque figuram ijſdem aſpiciendam exhiberet? cauſam, cur hominem eum non crediderunt, adfert Evangeliſta Marcus verbis illis: *Et volebat præterire eos*, cùm enim auxiliari periclitantibus, opémque ferre indigentibus opus ſit miſericordiæ, & proprium hominis, eo ipſo, quòd volebat eos præterire ſine auxilio abſque exercitio miſericordiæ, eum non crediderunt hominem, ſed putaverunt phantaſma eſſe; adeo eſt proprium homini miſereri, opémque ferre indigentibus, ut humanitatem videatur exuere, ac hominem non eſſe, qui miſericordiam non exercet, laborantes non juvat, indigentibus non ſuccurrit. Hinc S. Ambroſius lib. 3. offic. cap. 3. ait: *Conſidera ò homo, unde nomen ſumpſeris: ab humo utique, quæ nihil cuiquam eripit, ſed omnia omnibus elargitur.* Et S. Joannes Chryſoſtom. *homil. 62. in Joan.* aſſerit, Evangeliſtas hanc ſibi Provinciam ſumpſiſſe demonſtrandam, Chriſtum DEUM ſimul, & hominem eſſe; & ad aſſerendam divinitatem miracula produxiſſe à Chriſto peracta; & ad oſtendendum eum hominem, Matthæum, Marcum, & Lucam pavorem mortis recenſuiſſe, quo in horto correptus fuit.

27 Obſervat tamen Chryſoſtomus, Joannem nullam vel agoniæ in horto, vel cæterarum infirmitatum mentionem feciſſe: qua igitur ratione probavit Joannes, Chriſtum hominem eſſe? reſpondet S. Chryſoſtomus à lacrymis, & compaſſione, & miſericordia ſatis perſpicuè demonſtràſſe Joannem Chriſtum hominem eſſe Joan. 11. v. 35. *Lacrymatus eſt*, ſcilicet ex compaſſione, & miſericordia in homines. Potiſſimum argumentum evincendi, aliquem hominem eſſe, miſericordiæ exercitium eſt; quia adeo eſt homini propria miſericordia, ut perinde ſit carere hac virtute, ac humanitate deſtitui, & hominem non eſſe; unde Job. 31. v. 18. *Ab infantia mea crevit mecum miſeratio* hoc eſt cùm primùm homo eſſe cœpit cum humanitate miſericordiam induit, quæ adolevit cum adoleſcente Jobo, & crevit unà cùm ipſo per ſingulas ætates: hinc Hugo Cardinalis in Geneſ. 1. 10. *Naturalis eſt omni homini miſericordia.* Et Chriſtus ipſe quoties vidit miſericordiam exercentes alio eos non vocavit nomine, quàm hominis Luc. 14. v. 16. *Homo quidam fecit cœnam magnam;* quia Paterfamilias miſericordiam in eſurientes exercuit homo dicitur.

28 Notat Theophylactus, Chriſtum hominem nominare miſericordem ſuum Patrem, cùm hujus virtutis munus exercet in ſtruenda cœna, & in paſcendis eſurientibus: & quando ſcriptura Ultricem Dei ſignificat virtutem, tum Pantheram, Urſum, & Pardum eum vocare. S. Hieronymus notat, tunc patrem familias hominem dici, cùm opera exercet miſericordiæ Matth. 20. v. 1. *Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias;* dicitur paterfamilias homo, ait D. Hieronymus, quia exercebat opera charitatis, & miſericordiæ: niſi homo in hominem miſericors ſit, homo non eſt.

29 Patrem miſericordiarum etiam imitatur filius, cuj viſcera ſunt miſericordiæ, & cujus oculos propterea Salomon illis comparat columbarum Cant. 1. 15. *Oculi tui columbarum;* eſtque miſericordiæ commendatio: ſiquidem proprium hujus virtutis eſt animos in alium transformare, & alienam perſonam induere: qui enim benefici animi affectu in aliorum miſerijs commoventur, eaſdem miſerias viden-

tur animo excipere, & ijſdem affligi ærumnis, torqueri doloribus, quaſi miſerationis vi in unū hominem plures videantur coaleſcere, quod de ſe ipſo teſtatus fuit Apoſtolus 2. ad Corint. 11. v. 29. *Quis infirmatur, & ego non infirmor.* Quidni hunc affectum columbarum oculi exprimunt, hi enim veluti bina pellucida ſpecula rerum ſpecies viva quadam, & agente ratione concipiunt, exhibéntque aſpiciendas: idque cauſæ, cur columbæ impensè ſe ament, ſéque oſculentur, quia cùm ſe mutuò in oculis, perinde ac in ſpeculis conſpiciant, intenſiori quodam amore afficiuntur: in oculis columbarum tam conſpicua fit repræſentatio, ut non effigiem columbæ, ſed alteram columbam in unam demigratam exhibeant; quaſi ex duabus columbis una fiat. Oculos igitur columbarum edixit Salomon Chriſti oculos, quia hominum infirmitates per commiſerationem, & exercitia miſericordiæ, ita ſuo impreſſit animo, ut omnes homines videretur ſuis ferre in oculis, quod ipſemet fatetur apud Zachariam inquiens: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*, adeo ingens eſt Chriſti in nos miſericordia, ut non ſolùm ſuis nos gerat in oculis, verùm etiam in oculi pupilla, quæ eſt flos amoris.

30 Quòd ſi Pater æternus, ejúſque in terris filius, adeo miſericordes ſunt, ut noſtris jugiter opitulentur indigentijs, & filius una cùm humanitate noſtras voluerit infirmitates aſſumere; conveniens eſt, ut & nos miſericordiam induamus, eámque jugiter exerceamus, ſi velimus miſericordiam conſequi, quapropter D. Paulus vult, nos flere cum flentibus, quod eſt genus quoddam miſericordiæ, quod natura ipſa nobis ſuggerit, & ad lachrymas miſerationis nos adhortatur: & ut hæc virtus altiùs nobis imprimeretur; etiam in utero genitricis voluit eam nos edocere; ita enim compoſitus eſt infans materno in utero, ut curvus genua genis, oculiſque attingat, ut notat Rupertus aſſerens, à genis genua dici: genua autem ex conſenſu hominum genis & oculis adhærentia ſymbolum præſeferunt miſericordiæ, quam propterea ab initio vitæ nos natura edocuit; oculi enim, & genæ miſerationi adglutinantur; & lacrymæ aliorum ærumnis, ac calamitatibus debentur.

31 Hinc etiam Chriſtus hoc miſerationis officium ſuo nos edocuit exemplo, cum enim vidiſſet Martham, & Mariam dolore, ac mœrore confectas, & lacrymis perfuſas, lacrymatus etiam ipſe fuit: & quidem mirabili humanitatis exemplo, ut diſceremus & nos compati alienis infirmitatibus, vir enim miſericors ait Clemens Alexandrinus *lib. 2. ſtrom.* eſt Dei imago benefaciens: quia ut aſſerit S. Chryſoſtom. *homil. 43. in acta Apoſtol.* nil ita hominum oſtendit characterem, ut miſereri, & humanum eſſe, & S. Ambroſius in Lucam 10. ait: Nihil eſſe tam ſecundùm naturam, quàm juvare conſortem naturæ, unde Rupertus lib. 1. in cap. 1. Joan. *Fecit Deus hominem non ſolùm ad imaginem, ſed ad ſimilitudinem ſuam. Ad imaginem videlicet in eo, quod rationalem, & æternum ad ſimilitudinem verò in eo, quod ſuæ bonitatis imitatorem fecit eum*, & Philo lib. de Cherub. & gladio flammeo ediſſerit, naturam hanc miſerationis, creaturis omnibus indidiſſe; ait ipſe: *In maximam confuſionem noſtram omnes creaturæ irrationales, & inſenſibiles erga proximum charitatem docent. Cælum ſuis influentijs terræ neceſſitatibus benigniſſimè ſuccurrit, dum illam nunc rore fœcundat, nunc pluvijs humectat, nunc ventis abſtergit, & exiccat;* ut eidem ſemper proſit, ejúſque indigentijs ſuccurrat.

32 Quòd ſi miſeratio omnibus congruit naturis, etiam ratione & ſenſu deſtitutis, potiori jure hominibus convenit, & viris principibus, ac Regibus, qui propterea oleo unguntur, ut miſericordiam exerceant in ſubditos 1. Reg. cap. 15. v. 1. *Ut ungerem te in Regem*, ait. S. Chryſoſtom. homil. 4. in epiſt. ad Philip. Ideo ſacerdotes, Reges, & Prophetas fuiſſe oleo inunctos, quia oleum divinæ benignitatis, & miſericordiæ habetur ſymbolum. Et Samuel oleo unxit Regem à Deo electum 1. Reg. 16. v. 13. *Tulit Samuel cornu olei, & unxit eum.* Hinc ait S. Bonaventura ſerm. 3. de Dom. 12. Pent. *Si ergo coronam regni vis habere in cælo, oleo miſericordiæ ungi debes in mundo.* animum regium oleum prodit miſericordiæ; neque Abigail Davidem futurum Regem aliunda cognovit, quàm ex miſericordiæ exercitio, ait ipſa 1. Reg. cap. 25. v. 15. *Non ponat oro Dominus meus Rex.* Quod ſi quæras unde Abigail noverit Davidem Regem fore: certè non à Samuele, non à publica fame? unde igitur regiam hanc dignitatem agnovit Abigail in Davide? Non credas ab alio fuiſſe edoctam, quàm ab ipſa Davidis virtute: ait Abulenſis, *Ut eum inclinaret ad clementiam vocavit Regem. quaſi virtus hæc regum nota eſſet genuina.* Eſther itidem tunc reginæ nomine fuit condecorata, cum miſeratione commota etiam cum ſuo periculo Regi ſupplicavit pro Hebræis: cùm primùm Eſther ad Aſſuerum acceſſit ſupplicatura; quia ſculptam in ejus fronte, & genis miſerationem viderat, eam reginam vocavit Eſther 5. v. 3. *Quid vis Eſther Regina*, nitebatur tunc populum à morte liberare, ideóque ob miſericordiam in alios Reginam vocavit: quin & ipſe Sponſus Rex audit, cùm miſericors eſt Cant. 13. *Introduxit me Rex in cellaria ſua exultabimus, & lætabimur in te memores uberum tuorum*, ſed ſi ubera in fœminis commendantur, cur Sponſo tribuuntur.

33 Verùm quia ſponſus Rex ſalutabatur, longè ab uberibus miſericordiæ abeſſe non debuit, quia Rex munere fungitur matris, & lac miſerationis in ſubditos effundit. Verus Rex non eſt, qui ubera miſericordiæ famelicis, & indigentibus non ſuppeditat. Neque David ob aliam virtutem meruit Rex inaugurari, quàm ob miſericordiam, & manſuetudinem. 1. Machab. cap. 2. v. 57. *David in ſua miſericordia conſecutus eſt ſedem regni in ſæcula*, eſt enim miſericordia, ait S. Bonaventura *ſerm. 2. D. 2. Pent.* quæ nos facit reges cœleſtes. Hinc

Al-

Alphonſus Rex Aragonum in ſymbolo candelam voluit accenſam addito lemmate *alijs ſervio, mihi conſumor.* Et olim Regum diademata faſciæ erant ex lino, ſeu byſſo, quibus Regum capita obligarentur, quò ſcilicet ſubditorum vulnera adſtringerent, & miſericordiam in alios exercerent. Cornelius *in Eccleſ. 4. 16.* narrat, moris eſſe apud Pervanos, ut Reges antequam regnum adeant per dies aliquot laceratis, ac detritis induti veſtibus inſtar pauperum, ac mendicorum urbem perambulent, quò ſignificent populo, pauperes ſibi cordi, ac curæ fore.

34 Quòd ſi vir miſericors alijs benefacit, ſibi prodeſt; & pariatur fonti, cujus aquæ non deficiunt, quamvis hauriantur Iſaiæ 58. 11. *Et ſicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ,* quia quæ vir miſericors alijs impertitur, ſibi multiplicat, & aucto fœnore incrementat; hæcque propterea virtus puteus dicitur, qui ſuos alijs latices Communicans fit ſalubrior, unde D. Ambroſius alloquens virum miſericordem ait: *Tibi proficit quidquid inopi contuleris, tibi creſcit, quidquid pauperi erogaveris.* Quòd ſi puteus ex continuo hauſtu, jugique motu fit purior, & ejus aqua limpidior, perinde miſericordia in alios benefica, quò liberalior eſt, eò & clarior.

35 Hinc hæc virtus agro etiam & ſemini pariatur Joan. 4. v. 36. *Qui metit, mercedem accipit, ut & qui ſeminat ſimul gaudeat, & qui metit.* Qui enim ſeminat plura terræ matri grana diſtribuit, quod proprium miſericordiæ, alijs ſuccurrere; ſed, quia concredita terræ ſemina mox germinant, creſcunt, virent, adoleſcunt, & maturiunt flaveſcentem in ſegetem aucto fœnore ſeminanti reſtituuntur; & qui metit gaudet, unde Iſaias loquens de viris miſericordibus ait cap. 9. v. 3. *Lætabuntur coram te; ſicut qui lætantur in meſſe,* quatenus cùm lætitia ſuſcipiunt, reponúntque in horreis uberrimo nore aucta, quæ alijs diſtribuerant, quia ut ſcribit Apoſtolus 2. ad Corint. 9. v. 6. *Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet,* vocat exercitium miſericordiæ benedictionem, quia opera miſericordiæ ſpecificabuntur in ultima benedictione, cum Chriſtus dicet *Venite benedicti Patris mei.*

36 Exerceamus propterea miſericordiam alijs benefaciendo, ut nobis conſulamus, & aucto fœnore proventus incrementemus noſtros, id nobis ſuadet S. Baſilius ſerm. *in Divitem avar:* inquiens: *Imitamini terram, adferte quomodo & illa, fructus cum fænore, ne pejores velitis eſſe virtute, cum ratione ſitis potiores. Illa non in ſuum uſum, aut commodum opes, ſed in tuum miniſtrare contendit. Quemadmodum frumentum in terram cadens lucrum proijcienti parit: ſic & panis in eſurientem projectus multam impoſterum tibi reddit utilitatem.* Divitijs affluentes nubes opus eſt imitentur, quæ pluviarum bajulæ, ventorum ope circumactæ huc, illúcque diſcurrunt, ſitienti terræ hauſtum exhibituræ Eccleſ. 11. v. 3. *Si repletæ fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent,* ſeu ut expendit Olympiodorus, ſicut nubes juſſu divino imbrem ſuper omnes homines ſpargunt; ità convenit eleemoſynam cunctis impertiri hominibus juxta illud Oſeæ 13. v. 3. *Miſericordia veſtra quaſi nubes matutina.* & Eccleſ. 35. v. 26. *Specioſa miſericordia Dei in tempore tribulationis, quaſi nubes pluviæ in tempore ſiccitatis.* Appoſitè nubi pariatur eleemoſyna, quia ſi pluvia grata eſt nubi, & nubem nubi rependit, dum in terra à ſe humectata, & radijs ſolis calefacta vapores excitat, qui ſolis virtute ſurſum evehuntur, ut in nubes iterum concreſcant: eodem pacto quæ pauperibus erogantur largitores ditant, eorúmque proventus incrementant, quinimò ut ait Cornelius à Lapide: *Nubes miſericordiæ noſtræ in pauperes provocat nubem miſericordiæ divinæ, ut in nos gratias, & dona ſua pluat.*

EXPENSIO X.

Pleraque producuntur, donanturque explicatu in commendationem Beneficentiæ, & Eleemoſynæ, ut ſunt effectus externi Charitatis.

Beneficentia, quæ eſt exterior amicitiæ, vel charitatis actus ſecundùm rationem communem; perinde ac benevolentiâ eſt actus interior præſuppoſitus à beneficentia, dupliciter ſumi poteſt: generatim ut ſignificat quemcunque actum externum, quo ſub aliqua ratione boni beneficium alteri impertimus, & in hac laxa ſignificatione æquè latè patet beneficentia ac omnis actus cujusvis virtutis, quæ verſatur circa alterum, cujusmodi ſunt actus juſtitiæ, munificentiæ, liberalitatis. Strictiùs uſurpata beneficentia eſt actus externus, per quem impendimus bonum alteri ſub illa peculari ratione boni, quam reſpicit charitas; ſeu propter Deum, ad quem unum quodlibet bonum poteſt per charitatem referri; hoc pacto proximo benefacere propter Deum eſt effectus externus charitatis, & actus quo impendimus alteri bonum propter Deum propriè eſt beneficentia, quæ nil aliud eſt, quàm ipſa executio actus interni eliciti à charitate erga alterum: quapropter docet D. Thomas *2. 2. q. 31. art. 4.* Beneficentiam eſſe actum externum, qui propriè pertinet ad charitatem, & non ad ullam aliam peculiarem virtutem. Actus enim externus, per quem actus interior alicujus virtutis perducitur exteriùs ad executionem pertinet ad eandem virtutem, ad quam actus interior ſpectat: ſiquidem uterque actus elicitur ex eadem ratione formali; quapropter beneficentia, qua alteri propter Deum impenditur bonum, propriè eſt actus exterior charitatis, quem ex præcepto tenemur exercere Joan. cap. 3. nos monet, ut non *diligamus verbo, vel lingua, ſed opere, & veritate.* Quamobrem benefacere perinde eſt ac efficaciter diligere quod etiam docuit Ariſtoteles. *9. Ethic. cap. 4.* ubi aſſerit, actum amicitiæ eſſe benefacere amico.

Pro-

2 Proprium eſt amoris, munificentiam in alios exercere; probo nexu ſimul copulantur benevolentia, & beneficentia; amicitia & munificentia: amor enim, ſi munificus non ſit in perſonam amatam, cui benefaciat, eſt planta ſine flore; flos ſine fructu; fructus ſine ſucco: ſterileſcit amicitia, ſi exercitio deſtituatur beneficentiæ. Præſtantiùs ſemper eſt dare, quàm accipere: illud enim regium, heroicum, ac divinum habetur; hoc verò plebeum, humile, ac avarorum proprium, quia inhiantes divitijs nil aliud cogitant, quàm accipere, eáſque acervare: hinc Philoſophi beneficentiam, ſeu donare formæ, & actioni comparârunt; & accipere materiæ, & paſſioni: quemadmodum forma eſt, quæ dat rei pulchritudinem & venuſtatem, & qua deſtituta materia ſqualet deformis, jacet deturpata, & reſpuitur veluti vacua: perinde laus beneficentiæ à donando ſuam deſumit efficaciam, hauritque venuſtatem. Eſt igitur longè præſtantius dare, quàm accipere, adeò ut Anaxilaus rogatus, quid eſſet in regno beatiſſimum, reſponderit; nunquam beneficijs vinci, nunquam alijs benefacere deſiſtere.

Quia verò beneficentia regalis eſt virtus
3 propria viris principibus, opus eſt regijs veſtiatur ornamentis, ſeu condecoretur quibuſdam circumſtantijs, inter quas perſona eminet, cui datur, & modus, quo à perſona benefica ei datur; & quantum etiam datur. Habendam eſſe rationem perſonarũ in dando non diffitentur Philoſophi: & licèt Tullius noluerit beneficentiæ fontes omnibus patere, ne beneficia malè collocata vitio verterentur danti; aſſerueritque non eſſe dandum ingratis, maculoſis, indignis: Seneca neminem excipit, ſuadétque beneficentiam in omnes perfundere, ait lib. de vit. beat. cap. 24. & lib. 4. de benefic. cap. 25. *Ubicunque homo eſt, locus eſt. Si Deos imitaris da etiam ingratis, nam & ſceleratis ſol oritur, & pyratis Maria patent*: D. Ambroſius tamen vult, ut nos eo largiamur conſilio, ut alijs prodeſſe poſſimus, & ne ſceleratam animi voluntatem, uſúmque maleficiorum foveamus, ait ipſe lib. 1. de offic. cap. 3. *Nam ſi luxurioſo ad luxuriæ effuſionem: adultero ad mercedem adulterij largiendum putes: non eſt, beneficentia illa, ubi nulla eſt benevolentia.* Poſſumus tamen etiam in malos beneficentiæ officia exercere, ſi inde ſperemus fore, ut illos à flagitioſo vitæ genere abducamus: & ſicut dandum eſt malis, ut fiant boni; ita & inimicis, ut reconcilientur, fiántque amici: unde Alexander Severus rogatus quis eſſet Rex optimus? reſpondit, qui amicos muneribus retinet, & inimicos beneficijs ambit, & ſibi conciliat.

4 Præterea ſicut ordo charitatis exigit, ut aliquos magis amemus, ut notat S. Gregorius Niſſen. homil. 4. in Cant. inquiens: *Oportet ſcire ordinem charitatis, quam per legem exponit; mente quemadmodum Deum oportet diligere, & uxorem, & inimicum, ne fortè inordinata, & à charitate ſeparata ſit legis adimpletio.* Et ſicut diligere aliquem perinde eſt, ac velle eidem bonum, ſequitur, quòd debeamus magis quibuſdam velle bonum, quàm alijs. Hinc Hieronymus *in cap. 44. Ezech.* ait: *Naturæ ſuper hoc probatur effectus, ut ordine charitatis poſt rerum parentem Deum; carnis quoque pater diligatur, & mater, & filius, & filia.* Eodem ordine charitatis magis, minúsve benefaciendum eſt alijs, eo pacto quò ſunt magis, vel minus diligendi, unde Auguſtinus lib. 1. de doctrin. Chriſt. cap. 28. ait: *Cùm omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimum conſulendum eſt, qui pro locorum, & temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictiùs tibi quaſi quadam ſorte junguntur.*

Quod verò ad quantitatem attinet dandam, 5
perpendendum eſt, ne ſit inconſulta largitio, id enim interdum contigiſſe innuit Tullius *2. de offic.* inquiens: *Multi patrimonia effuderunt inconſultò largiendo,* & hoc Deo diſplicere teſtatur S. Ambroſius *lib. offic.* ubi ait: *Dominus non vult ſimul effundi opes, ſed diſpenſari.* Ut rectus modus ſervetur, dandum eſt pro facultatibus, quantum patitur res familiaris, commoda familiæ, & partæ opes: neque conſultum eſt cum detrimento liberorum, & totius familiæ alios profuſis largitionibus locupletare: id perinde foret, ac filios ſpoliare, & alios extraneos veſtire, quod ordini adverſatur charitatis. Exercenda eſt beneficentia, ſed juxta modum facultatum, ne ex immodicis largitionibus beneficentiæ fontes exhauriantur, ac deſint, quæ in plures conferri potuiſſent.

Demum quoad modum dandi, & exer- 6
cendi beneficentiam, id fieri debet fronte ſerena in dante, vultu hilari, & prompta, ac celeri largitione. Plurimum deſumit venuſtatis, & ornamenti beneficium: ſi prompto animo, vultu hilari, celeri manu alteri impertiatur; è converſo devenuſtatur beneficium, ſi aſperis verbis, ſæva facie fiat, ait Seneca lib. 2. de benefic. cap. 3. *Qui placidè exiguum dedit, fuit beneficus; qui multum torvè, & adductis ſupercilijs injurius.* Triſtitia, tarditas, & ſilentium beneficia etiam ingentia corrumpunt, quæ vultus hilaritas, animique promptitudo exornant, ac plurimum ijſdem conferunt gratiæ, quâ plus placent. Jacob Patriarcha proficiſcens ad avunculum ſuum Labanum, declinaturus fratris odium in itinere ſub dio ſomno ſopitus ſcalam vidit è terra cœlum uſque protenſam Geneſ. 28. v. 12. *Viditque in ſomnis ſcalam.* Quidni expergefactus manè Jacob ob amplas ei dormienti promiſſiones factas in teſſeram gratitudinis altare ibi erexit, ne vacuum impertitum ſibi beneficium dimitteret: *ſurgens mane tulit lapidem &c. & erexit in titulum.* Poſt plures exactos annos patriam repetenti, non ampliùs ſcala ei dormienti objicitur, ſed difficilis certaminis eidem vigilanti oſtenditur ſtadium. Geneſ. 32. v. 24. *Vir luctabatur cum eo uſque mane,* eò quia luctatus vicit Geneſ. 32. v. 29. *Benedixit ei in eodem loco.* Quid? quòd Jacob poſt luctam, & ſibi impertitam benedictionem in ſignum gratitudinis nullam erexerit columnam, neque locum illum aulam coe-

leſtem vocaverit, cum antea ubi in ſomnis fuerat ſibi ſcala objecta, & altare erexerit & locum ſanctum appellaverit? diſcrimen hoc eſt, quia in exhibitione ſcalæ, ipſi non laboranti, imò nec petenti, ſed dormienti, & non quærenti fuerunt beneficia, & officia impertita; hîc verò nonniſi poſt exantlatos labores, niſi poſt inita certamina petitam ab ipſo benedictionem ſuſcepit Geneſ. 32. *Flevit, & rogavit eum*, nimirum longè gratiua, ac propterea grandius fuit beneficium Jacobo impertitum non petenti, ſed dormienti; quàm poſt luctam extortum, quia celeritas beneficium exornat, & auget, quod tarditas devenuſtat, & minuit.

7 Etiam apud Lucam amicus ille, qui nocte intempeſta rogatum ivit alium amicum, cujus fores pulſavit, ut ad propulſandam famem tres panes illi commodaret. Luc. 11. v. 5. *Commoda mihi tres panes*: quamvis amicus ſatisfecerit petenti; non tamen qui panes accepit debitas eidem rependit gratias Luc 11. *Dabit illi, quotquot habet neceſſarios*, non tamen Evangeliſta ullius relatæ gratiæ ob donationem meminit: cùm tamen homines in deſerto à Chriſto paſti illum ſtatim acclamaverint benefactorem, ac voluerint eum Regem ſalutare Joan. 6. v. 14. *Illi ergo homines cum vidiſſent, quòd JESUS fecerat ſignum, dicebant, quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum. JESUS ergo cùm cognoviſſet quia venturi eſſent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.* Quid? quòd homines in deſerto grati fuerint ſuo benefactori, quem & Prophetam acclamârunt, & Regem voluerunt inſtituere: & amicus, qui nocte petijt tres panes, quos accepit, nullas amico danti gratias rependerit? diſcrimen fuit, quia amicus amico quidem dedit petitos panes, ſed non prompto animo, nec hilari vultu, ſed vultu triſti, verbiſque aſperis Luc. 11. v. 7. *Noli mihi moleſtus eſſe*; nonniſi poſt plures preces, poſt longam moram, & pluries pulſatam januam *propter importunitatem* ad hanc removendam petenti ſatisfecit, cùm antea ſe excuſâſſet, eò quia fores clauſæ eſſent: Luc. 11. *Jam oſtium clauſum eſt*; hæ difficultates, ac moræ protractæ in panum elargitione totum deturpârunt beneficium, quod ita imminuerunt, ut amicus qui illud accepit, non cenſuerit eſſe gratias danti agendas, eò quia gratis non acceperit, ſed fuſis precibus, toleratis noctis incommodis illud ſibi emerit: ſecus in deſerto, quia Chriſtus panes hominibus non petentibus prompto animo, & hilari vultu dedit; non ſolùm paſti gratias egerunt, verùm & Prophetam acclamarunt, & Regem ſalutâſſent: quia beneficium exornat, qui prompto animo, & hilari vultu dat; è converſo aſpera verba, injectæ difficultates illud dehoneſtant, ac minuunt.

8 Divitijs qui affluunt, quò proſperè incedant, ac pericula declinent, beneficentiam in alios exerceant: merita colligunt, ſi beneficia ſerunt, & aucto fœnore recipiunt, quæ alijs dederant. Si divitias mari pariaveris, eò quia ſuis etiam divites agitentur procellis, intumeſcant cogitationum fluctibus, beneficentia quærenda eſt, quæ divites ad portum ducat. Habet divitiarum mare ſuos fluctus, ſuóſque æſtus, quibus divitum mentem exagitat & variarum cogitationum undis quatit, & quidem eò periculoſiùs, quò intenſiori cupiditate divitijs inhiantes æſtuant. Hos inter fluctus ne inquieta mens naufragio fiat obnoxia, ſed ad malaciam ſecuri portûs perducatur, neceſſe eſt beneficentiam exerceat, quæ eſt tutus tranquillitatis portus: ipſa divitiarum largitio in pauperes, & in egenos obvius, & opportunus habetur portus: pulchrè S. Petrus Chryſol. ſerm. 41. *Qui intrat carnis pelagus, ſcindit vitiorum fluctus, inter ſcopulos criminum tranſit; prateriit litora paſſionum: niſi ergò pietatis portum intraverit, exercere virtutes non poteſt, lucrum non poteſt habere virtutum.* Fluctuante marino ſinu, & inſoleſcente procella, ne undæ navim aggredientes eam ingrediantur, & occupent naufragam; id ſani conſilij habetur, beneficentiam in fluctus ipſos exercere, ac iiſdem partem mercium impertiri, ut hoc beneficio quaſi devincti navi non obſint, nec eam imperant, adoriantur: hoc idem in divitiarum pelago præſtent divitijs affluentes, onera divitiarum in manus pauperum jaciant, ut iſti portûs malaciam ſuis aperiant benefacientibus: non mergitur divitiarum fluctibus, qui hac ducitur beneficentia in pauperes, ſed tutus appellit ad portûs malaciam: quinimo portus eſt ipſa beneficentia, quæ eam exercentes tuetur à procellis, defendit à fluctibus.

Imò non ſolùm portus eſt ipſa in terris, 9
ſed etiam ad portum perducit in cœlis: eſt beneficentia, ſplendida illa cynoſura, quæ viam præmonſtrat perveniendi ad cœli portum, nec ſinit in terrenarum divitiarum fluctibus periclitari; idque cum noviſſet S. Chryſoſtomus *homil. 9. de pænit.* ait: de eleemoſyna, ſeu beneficentia quæ regina eſt virtutum. *Eleemoſyna regina illa virtutum hominem celerrimè in cœlorum arces adducit advocati optimi loco fungens, tu da panem, & accipe paradiſum*: & homil. 67. ad popul. *Si ad pauperum manus extenderis manum, ipſum cœli verticem tetigeris, qui enim illic ſedet, eleemoſynam ſuſcipit. Si verò porrexeris, ut curras nihil profeceris.* Homil. 54. in Matth. *Eleemoſyna manſionem nobis in cœlo ædificat, & æterna tabernacula præparat*, & nonnullis interjectis: *Et domos æternas in cœlis condit, & theſauro locupletat inexhauſto.*

Hanc eandem beneficentiæ virtutem nos 10
edocturus Spiritus ſanctus munificus, & liberalis in omnes eſſe voluit gratiam offerens, & exhibens ſingulis: hócque innuit Moyſes cùm Geneſ. 1. v. 2. dixit: *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas* Obſervatu dignum eſt, quòd non ſe ſub aquis, non in terræ viſceribus abſconderit, ſed ſuper aquas ferri voluerit, quo omnibus pateret, ſingulis ſe exhiberet conſpicuum, & munificum, & omnibus communia ſua faceret beneficia, ut innuit Guilielmus Abbas S. Theodorici in ſuis meditat. Inquiens: *Ferebatur ſu-*

per aquas, ſcilicet omnibus ſe offerens ad omnes ſe exhibens beneſaciendo, & utilia providendo, quod eſt proprium Spiritus ſancti. Quòd ſi cœleſtis Sponſus munificus fuit in ſuis donis, quibus Sponſam cumulavit; hæc Sponſi ſui ubera premens non patitur alijs eadem ſubduci, ſed quavis excuſſa invidia petit cœteris eſſe communia, idque cauſæ, cur in amoris Cantico Sponſi ſui commendans ubera dixerit Cant. 1. v. 1. *Meliora ſunt ubera tua vino fragrantia unguentis optimis.* Si Sponſa fuiſſet invidia correpta abſtinuiſſet ab uberum commendatione, ne alij ad illa premenda allicerentur, ſed quia & ipſa beneficentiam edocta à ſuo Sponſo ejus plurima commendatione ubera laudat; ut alij pertrahantur ad illa ſugenda, ac cœleſti lacte paſti recreentur, ac jugiter cœleſti Sponſo adhæreſcant, cujus donis cumulentur, ſcitè hoc tetigit Philippus Abbas Bonæ ſpei *lib. 1. cap. 8. Comment. in Cant.* ubi ait: *Virgo Sponſa Sponſi ubera ſenſerat abundare, & eorum gratiam non apud ſe ad modum invidorum clauſo ſpiraculo retentare; ſed foras devotis, & humilibus odorem ſuaviſſimum propinare, eiusque beneficio mentes priùs aridas, meritorum copia ſaginare.*

Munifica, & benefica eſt Spiritus S. Spon-
11 ſa Virgo Mater: ipſa enim ſua omnibus impertitur beneficia, quæ & ipſa communia fecit ſingulis. Quod ſi cœleſte ſignum, quod Aſtrologi Virginem dicunt flaveſcentibus cum ſpicis pingi ſolet, eò quia tunc in terris ad meſſem ſegetes agrorum colonos vocent, cum ipſa in cœlis ſplendet ſole amicta: hoc idem accommodatiùs congruit cœleſti Sponſæ MARIÆ, quæ in ſole poſuit tabernaculum ſuum: ſpicas enim paratas in manibus tenet, ut præſto ſit petentibus omnibus ſua dilargiri beneficia: quinimo non ſolùm ſpicas manibus tenet, ſed etiam in ventre perinde, ac in horreo triticum ſervat, etenim in amoris Cantico ejus venter non ſpicis, ſed tritici acervo lilijs vallato pariatur, Cant. 7. v. 2. *Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus lilijs.* Quòd ſi lilia virgineum teſtantur candorem, tritici acervus uberrimam prodit gratiarum meſſem excluſis paleis, ut abſque ullo labore, ſine ullo negotio, ſed ſola fuſione precum, ejus beneficijs donemur. Si ærumnæ nos premunt, ſi dolores torquent ad Mariam, ad Sponſam Spiritus ſancti accedamus, eámque humiles rogemus, ut ſuam nobis opem ſuppeditet, myrrham noſtræ tribulationis amplecti, & exaudire non refugit, cum myrrhæ faſciculo delectetur: Cant. 1. 13. *faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur* Lactis dulcedine, quam ubera ſuppeditant myrrhæ amaritudinem temperat, quia afflictis ejus implorantibus auxilium eſt ſolatio; & in eoſdem benefica imbres perpluit conſolationum, hortúmque cordis noſtri irrigat, ut virtutum floribus uſque ad paradiſi delicias vernet, ac diteſcat; etenim ſponſus ſuæ munificentiam, ac beneficentiam commendans Sponſæ ait Cant. 4. 13. *Emiſſiones tuæ paradiſus.* Quòd ſi Sponſæ myrrha noſtras ſubindicat ærumnas; per emiſſiones intelligunt SS. Patres præſertim Theodoretus dona Spiritus S. quæ nobis impetrat, quò ejus ditati beneficentia conſolemur in myrrhæ amaritudine, in ærumnis, quibus premimur. Idque fortaſſis cauſæ, cur Sponſæ venuſtas, & decor urbi parietur Jeruſalem à ſuo ſponſo Cant. 6. 3. *Decora ſicut Jeruſalem* fuit Jeruſalem præſertim regnante Salomone urbs laudatiſſima ob amplitudinem platearum, fortitudinem murorum, ſplendorem domorum; ob divitias, & beneficentiam, ac liberalitatem Salomonis, ac propterea laudatur à Jeremia Thren. 2. 15. *Urbs perfecti decoris, gaudium univerſæ terræ.* Vocat igitur ſponſus ſuam Sponſam decoram ſicut Jeruſalem, quia omnium virtutum, ac gratiarum ornamenta munifica liberalitate ei conceſſit, ne illi unquam deeſſent beneficia nobis impertienda.

Sunt beneficia, quæ nobis Cœlites muni- 12
fica beneficentia impertiunt veluti ſemina agro animæ noſtræ concredita, non tamen ut marceſcant otioſa; ſed foveantur ad fructuum optata incrementa: hinc Chriſtus Matth. 13. 27. *Nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro?* Plures ſeminaverunt in animæ noſtræ proſciſſa tellure; ſeminavit tota Trinitas, Virgo Mater, Angeli, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, & Cœlites omnes. Seminavit Pater æternus, quia ex nihilo nos ad hujus lucis uſuram traduxit; ſeminavit Filius, quia ipſe eſt qui *exit ſeminare ſemen ſuum*: imò non ſolùm animæ noſtræ tellurem excoluit, & ſeminavit, verùm etiam ſuo irrigavit ſanguine, quo meſſis noſtrarum operationum uberior foret, & ſanctior; ſeminavit Spiritus S. quia & ipſe venit & apparuerunt diſcipulis diſpertitæ linguæ, adeout tota Trinitas ſeminaverit ait S. Bernardus *ſerm. de* S. Benedicto: *Pater panem de cœlo, Filius Veritatem, Spiritus S. Charitatem.* Imò Filius Dei non ceſſat ſemper ſeminare in anima noſtra, ſeu nobis ſua impertiri beneficia; ſed vitiata noſtra tellus: vel ſterilitate laborans nullum producit fructum; & ſpe meſſis Agricolam fruſtrat; vel non niſi ſentes, & veptera imperfectionum, & noxarum ſuo fovet in exculto ſinu. Sed ſi Spiritus S. ſeminavit in cænaculo cum apparuerunt diſpertitæ linguæ, eur ſonus dicitur repleviſſe totam domum, & non potiùs ignis? Act. 2. 2. *Sonus replevit totam domum* An quia per venti ſibilum, & ſonum divina intelligitur beneficentia, & gratia, quæ cæleſtibus favoribus diſcipulos, & reliquos congregatos opplevit? Cant. 4. 16. *Veni Auſter*: & ignis labores indicat, & afflictiones? ita cenſet Cyrillus, ſubdens, tribulationes in menſura linguæ nobis dari; & gratiam ſuperfluentem, ſi enim beneficia nobis à Deo impertita dinumerare velles procul dubio ait S. Laurentius Juſtinianus *ſerm. in feſt. corp. Chriſti* deprehenderes, longiùs ſuperare arenam maris, guttas pluviarum, fluctus oceani, atomos aëris, & cœli ſtellas: unde ajebat S. Bernardus ſerm. 2. Dom. 6. Pent. *Sic onerat me miſerationibus ſuis Deus: ſic tuis me obruit beneficijs ut o-*

me

nis aliud ſentire non poſſim. Deficit Spiritus meus, prorſus deficit in tanta beneficiorum conſideratione.

13 Neque Dei beneficentia in nos eſt veluti torrens, qui ſemel ſuas profundens aquas ſtatim exſiccatur; ſed regalia imitatur flumina, quæ uberioribus ſemper creſcunt incrementis; ac locupletiores ſuos ſitientibus ſuppeditant latices: Iſaac ſuam impertiturus Jacobo benedictionem, omnibúsque cumulaturus beneficijs dixit Geneſ. 27. 28. *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini* quid? quod Iſaac abundantiam terreſtrium fructuum filio apprecetur; & non cæleſtium beneficiorum uberiorem meſſem? cur tantùm cæli rorem voluit filio impertitum; & non pluviam; cum hæc excultis campis fœcundandis, oleribus, ac ſegetibus irrigandis aptior ſit quàm ros, qui antelucanus manè decidens, vel ſerotinus vix plantarum folia humectat plantarum ſiti excitandæ quàm extinguendæ opportunior? certè uberiore benedictione filium cumulâſſet, ſi non roris tenuiſſima ſtillicidia fuiſſet Iſaac filio apprecatus, ſed plenam cæleſtium beneficiorum pluviam. Sed quia divina beneficentia, & indoles liberalitatis Iſaacum non latebat, ſuffeciſſe cenſuit rorem, vel quia divina largitas flumina non torrentes æmulata non tota ſimul ſe profundit ut ſtatim exareſcat; ſed ex fluxu uberioribus ſemper diteſcit incrementis: propterea ſi ſemel Deus rorem dedit; ſine dubio uberiorem pluviam erit mox ſuppeditaturus: quia ubi divinus favor initium ponit, licèt à minutiſſimo rore incipiat, uberiora ſemper elargitur. Hinc Rachel, cum ſuſcepiſſet ex Jacobo Joſephum, adhuc alium à Deo filium petijt Geneſ. 30. 24. *Addat mihi Dominus filium alterum:* quia unum Dei beneficium gradus eſt ad aliud; ſi Chriſtus ſuum corpus in cibum dedit, addidit & ſanguinem pro potu; quia divina beneficia nunquam ſunt manca, nec diminuta.

14 Dei beneficium fuit, mannam pluiſſe in deſerto, ſed hæc ſpeciem prætetulit coriandri, ſeu exigui ſeminis, ex quo diſcerent Iſraelitæ uberiorem fructuum ſperare meſſem, cum ſemina excultæ telluris concredita gremio in fructus germinent, adoleſcant, ac maturiant copioſiores: injunxit Deus Moyſi virgam accipere, quâ fluvium percuſſerat Exod. 37. 5. *Virgam quâ percuſſiſti fluvium tolle in manu tua, & vade* nimirum ut ex priore miraculo Moyſem excitaret ad novum ſperandum miraculum; & quia Moyſes divinum ſemel fuerat beneficium expertus; aliud ſtatim à Dei beneficentia petit Exod. 33. 13. *Si inveni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam:* hoc ſubdit poſtquam audivit, ſe apud Dominum gratiam inveniſſe; ut notat Mendoſa *in 1. Reg. 2.* Joſuë itidem cum divinum ſemel ſuſcepiſſet beneficium; aliud impetravit grandius, ac difficilius, ſolem ſcilicet ſtationarium, ſuúmque coercentem perniciſſimum curſum, Joſue 10. 12. *Sol contra Gabaon ne movearis:* quòd ſi quæras unde ei fiducia tantum petendi miraculum retroactis ſæculis inſolens? Reſpondet Lyranus, quia viderat primum miraculum pluiſſe de cœlo aëreo; inde in ſpem ſurrexit aliud ſperandi de cœlo Joſuë 10. 11. *Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cœlo.* Ex hoc miraculo aliud ſperavit; ſolem in conflictu veluti militem ſtationarium victoriam promoventem. David, cui nota erat indoles divinæ Beneficentiæ ſemel Dei cumulatus beneficijs, pro alijs impetrandis expoſcit: pſal 56. 3. *Clamabo ad Deum altiſſimum, ad Deum qui benefecit mihi,* quaſi diceret, quia mihi benefecit de præterito; hoc idem ſpero de futuro, quia Dei Beneficentia inſtar regalis fluminis nunquam ſuum exiccat alveum, ſed uberioribus ſemper rivulis adauget: unde ait ipſe 2. Reg. 12. 8. *Et ſi parva ſunt iſta adijciam tibi multò plura:* ut qui aliquod à Deo beneficium ſuſcepit, diſcat plura majora inde ſperare: ſcitè Caſſiodorus expendens Pſal. 77. 10. *quoniam percuſſit petram, & fluxerunt aquæ* ait: Nimis fatua cogitatio exemplum magni miraculi dare; & ejus authorem in reliquis arbitrari poſſe deficere. David quia pluribus à Deo beneficijs donatus, uberiora ex divina Beneficentia inde ſperans ait Pſal. 118. 17. *Retribue ſervo tuo,* miratur S. Baſilius, Davidem divinis cumulatum beneficijs retributionem à Deo expoſcere: is dicitur tribuere, qui prior largitur; & ille retribuere, qui poſt ſuſceptum beneficium donat alteri à quo acceperat: ſi Deus largitor eſt omnium bonorum neceſſe eſt omnia, & ſingula bona ab ipſo ut à primario fonte in creaturas derivari, propterea ſi nulla eſt creatura, quæ prior Deo tribuat, quomodo dicitur Deus creaturæ retribuere? appoſitè S. Baſilius in Pſal. 7. *Non ideo dictum putat retribue, quaſi nos priùs Deo tribuerimus: ſed quia Deus priùs dando, priore ſua largitione ad iterum dandum ſe conſtituit obnoxium.*

Idque cauſæ, ait S. Ambroſius, cur Sponſa à ſacro ſuo ſponſo nonniſi oſculum petierit in amoris teſſeram Cant. 1. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui:* ſcitè Mediolanenſis Antiſtes lib. de Iſaac, & anima c. 3. *Illa oſculum poſcit, & Deus Verbum ſe ei totum infundit.* Agnoſcebat amatrix Dei, quòd ſi aliquid à Deo accipiat; ſtatim Deum ipſum cum tota bonorum plenitudine accipiet. Hinc ſponſa ſola Sponſi umbra frui contenta ajebat: *ſub umbra illius, quem deſideraveram ſedi* Cant. 3. Cur ſola delectatur umbra, & non potius ſponſi amplexum, & corpus totum ſibi dari poſtulaverit? an tunc ſponſa quieſcens in umbra defecit ab æſtu amoris, & remiſſiùs ſponſum dilexit, quem ferventius amâſſet ſi ejus amplexum expoſtulâſſet? Non fuit Sponſa minus fervida amore ſedens ſub umbra dilecti, cujus ſupra cor recumbere poterat uberioribus ſtipata delicijs; ſed fore ſperavit ut totum Sponſum eum deliciarum plenitudine eſſet obtentura, ſi ſolam illius umbram conſequeretur: quia ea eſt divinæ beneficentiæ indoles ut poſt impertitum beneficium uberiora ſemper tribuat: appoſitè Origenes homil. 2. in Cant. *Fac ut poſſis capere umbram ejus* 15

& cum umbrâ fueris dignus effectus veniet ad te, ut ita dicam, corpus ejus.

16 Quia Spiritus S. in prima mundi molitione ferri voluit ſuper aquas quaſi navis divitijs onuſta ut cœleſtibus beneficijs hominem cumularet; in ejuſdem hominis ſecunda creatione per baptiſmum iterum aquis incubavit uberrima gratiæ beneficia eidem ſuppeditaturus Matth. 3. 16. *Vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam:* ubi Tertullianus *lib. de Baptis. cap. 8. Tunc ille Spiritus Sanctiſſimus ſuper emundata, & benedicta corpora libens à Patre deſcendit. ſuper baptiſmi aquas tanquam priſtinam ſedem recognoſcens conquieſcit.* Cauſa cur Spiritus Sanctus ſpeciem induerit columbæ, deſcenderitque volatu celeri ad aquas Jordanis fuit; quia cum ſemel ſuo incubatu in mundi exordio aquas ſanctificâſſet; beneficium repetiturus, uberiorique honore & gratia aquas ſanctificaturus, deſcendit ad aquas, quibus ablutus homo contractas non ſolum abſtergeret noxas, ſed maculas evomeret, quas ab origine in pomo protoparentis deglutierat. Semina ſunt Dei Beneficia nobis ſemel impertita veluti in exculta tellure germinant, & adoleſcunt ad geminata incrementa; quibus nutriamur; eſt noſtrum nutrimentum panis, de quo Matth. 6. 11. *Panem noſtrum ſuperſtantialem da nobis hodie* Neque putes ait S. Chryſoſtomus aliud eſſe hunc panem, quàm Euchariſticum. Sed cur non rogat, ut hunc panem nobis indulgeat, vel commodet? quia cum quotidie eò nutriamur, nobisque detur, noſter efficitur panis: ſemel quòd Deus hunc nobis panem dedit, quaſi debitorem ſe conſtituit ex munifica beneficentia ad eundem iterum dandum; ſitque propterea panis noſter, qui alienus eſſe dicitur.

17 Non tamen dignus hoc veſci pane fuit prodigus ille adoleſcens, qui vitio ſordidus totam ſuam abligurivit ſubſtantiam; quia ſuillem duxit vitam ſiliquis cupiebat ventrem implere Luc. 15. 16. *Cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis*, & ad famem propulſandam deſideravit Mercenatijs Patris ſui aggregati Luc. 15. 18. *Quanti mercenarij patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo! ſurgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, fac me ſicut unum de mercenarijs tuis.* Sed reverſus ad patrem quaſi propoſiti oblitus reticet ultima verba: *Fac me ſicut unum de mercenarijs.* An redux in pátriam ſiti extinguendæ ebibit in itinere letheos latices? Non Letheus fluvius memoriam extinxit; ſed patris oſculum oblivionem induxit: pulchrè D. Auguſtinus in Luc. 15. *Cum panem non haberet, vel mercenarius eſſe cupiebat; quod poſt oſculum Patris generoſiſſime jam dedignatur.* Patris cæleſtis beneficentia non ſolum panem nobis impertitur; ſed addit & oſculi obſonia, ut uſque ad amoris delicias paſcamur: quia divina beneficia nobis veluti ſemina concredita, in alia ſemper creſcunt uberiora. Pluerat olim manna in deſerto, non ſolùm ad morſus famis ſedandos in comedente, ſed etiam ad obſoniorum quorumlibet delicias palatum prurientes; ſed huic beneficio aliud divina Beneficentia addidit longè præſtantius Joan. 6. 32. *Non Moyſes dedit nobis panem de cœlo; ſed Pater meus, dat;* hoc eſt de præſenti ſingulis diebus; quia decet, opera divinæ beneficentiæ eſſe diuturna, ac duratura, ne fluxum temporis ſentiant; pulchrè S. Ambroſius in Luc. 8. c. 1. *Plena ſemper & redundantia ſunt divina beneficia; non exiguo conſtricta numero, ſed uberiori bonorum coacervata congeſtu.* 18

Verùm ſi nobis à divina beneficentia impertita beneficia ſemina ſunt triticea, quæ panem noſtrum conficiunt; ne in ſinu cœnoſæ telluris marceſcant, nec ſpinis obruta ſuffocentur; nec in macra ſterileſcant arena; in id neceſſe eſt ſtudij incumbamus, quò ritè eadem excolamus, ac in Deum unicè dirigamus; ſi enim in uſus tantùm temporales eadem adhibeamus unà cum rebus fluxis, fluunt & ipſa, nullúmque inde fructum percipimus æternæ vitæ accommodatum; idque cum mulieri prudenti innotuiſſet, quæ egit degens in terris transmiſſa voluit in cœlum, quò tutiùs, ac utiliùs ſibi conſuleret Proverb. 31. 19. *Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fuſum.* Manum admovere ad fortia eſt res difficillimas aggredi, ac impenſo labore ſuperare; & digitis fuſum apprehendere ſpiritualia exercitia inſtituere, quibus pravæ animi affectiones torquentur proſtratæ, & proſternuntur ſpirituali conflictu debellatæ; quam victoriam aſſecutus David Deum laudavit Pſal. 143. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Quamvis tibi non videatur heroicum nere proprium ſequioris ſexus: dignum tamen eſt obſervatu: quòd nere perinde eſt ac ex ſiniſtra in dextram ſtupam manuducere; adeout quod in ſiniſtra ſtupa erat nullius pretij ad dexteram traductum incipiat filum eſſe in fuſo collectum. Quid per ſiniſtram, quàm vita præſens denotatur? & quid per dextram niſi futura deſignatur? illa laborioſa in terris; hæc glorioſa in cœlis; illa rudis in carne; hæc ſubtilis in Spiritu; illa mutationi obnoxia, hæc ſtatione perennis. Quidni cuncta, quæ mundus poſſidet ſtupea ſunt, ſive niteant auro, ſplendeant gemmis, emineant dignitatibus, fulgeant honoribus, diteſcant argento, unicâ injectâ ſcintillâ comburuntur, ac cineſiunt: quò docearis cum fructu nere, traduc hæc temporalia à ſiniſtra ad dexteram fuſo rectæ intentionis, ductu divini amoris; ſi valetudinem, labores, ſtudia in Dei referas obſequium bene didiciſti nere, & ſtupam è ſiniſtra in dexteram traducis; ac rectè uteris beneficijs à divina tibi beneficentia collatis; *hoc quæritur* ait Origenes tract. 33. in cap. 24. epiſt. ad Timoth. *Ut quidquid habuerit homo à Deo; toto eo utatur ad gloriam Dei.* 19

Id à nobis Deus exigit, ut quæ ab ipſo nobis beneficia conferuntur ad ipſum referantur, ac ipſi ſoli adſcribantur. Samſonis fortitudinem exploratura Dalila, enixim pluries ipſum rogavit, ut in quonam corporis membro vigeret, ei aperiret. Samſon licèt mulieris

in-

inſidi∙s facilè ſuſpicari potuiſſet, blanditijs tamen emollitus raodem in vota ſe flexit Dalilæ Judic. 16. *Cumque moleſta eſſet ei, & per multos dies jugiter adhæreret* (Dalila Samſoni) *ſpatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus.* Improba quid poſſit mulier lapſus Samſonis mundum edocuit, quò diſcamus fœminæ nunquã fidere, nec ejus illicis, & blanditias credere, cum Samſon virorum fortiſſimus, Hercules Hebræorum, tot donis illuſtris captivus ceſſerit vili muliereulæ: quis cum S. Ephremo tom. 1. ſerm. in mulieres improbas non dixerit improbam mulierem naufragium terrarum, fontem nequitiæ, theſaurum immunditiæ, repoſitorium malitiæ, perniciem oculorum, animarum exitium, cordis ſpiculum, juvenum charybdim, virorum ſcopulum. *Quid eſt fœmina nequam*, ait S. Ephremus loc. cit. *Quàm amor flagitioſus, impudens bellua, præceps, ac incontinens impetus, os effræne rerum arcanarum inſatiabilis cupiditas, procella domus, quotidiana calamitas, voluntaria rixa, deverſorium adulterorum, vipera veſtita, requies inferi, ſerpentis caminus ſuccenſus, expedita rabies, arma cacodæmonis, Dæmonum officina, mors exornata*? hæc una virorum fortiſſimum, quem vincere integer philiſtheorum exercitus non valuit, fœdè proſtravit; hinc S. Ambroſius Apol. 2. David cap. 3. *Samſon validus, & fortis leonem ſuffocavit: ſed amorem ſuum ſuffocare non potuit: vincula ſolvit hoſtium; ſed ſuarum non ſolvit nexus cupiditatum: meſſes incendit alienas; & unius ipſe mulieris incenſus igniculo meſſem ſuæ virtutis amiſit*; & tunc contigit cum ſuæ fortitudinis ſecretum Dalilæ aperuit: Judic. 16. 13. *Si ſeptem crines capitis mei cum licio plexueris, & clavum bis circum ligatum terræ fixeris, infirmus ero*: quærunt Interpretes, cur impertitam Samſoni fortitudinem in capillis potiùs quàm in ullo alio ex corporis membris locatam voluerit; præſertim cum hominis robur in lacertis vigeat, vel humeris, aut pectore? Reſpondet Pineda, ne ſamſon inditam ſibi fortitudinem ſuis tribueret lacertis, & tantum beneficium non ſibi, ſed Deo tribueret. Putârim beneficium fortitudinis crinibus voluiſſe Deum alligare, quò Samſon beneficij ſibi à Deo præſtiti nunquam obliviſceretur, ſed mente jugiter illud volueret, cum per capillos mentis intelligantur cogitationes, & recto uſu per repenſas Numini grates totum Deo tribueret, à quo munifica beneficentia acceperat. Tunc ſuſceptis beneficijs rectè utimur cum ſuo ea tribuimus largitori, cuj & gratias rependimus, ſimúlque noſtra illi obſequia exhibemus.

20 Vult Deus, ut quæ impertita nobis ſunt ab ipſo beneficia, eidem adſcribamus, qui eadem elargitur non nobis, qui illa ſuſcipimus. Idque fortaſſis cauſæ, cur Eliſæus juſſerit Naaman ſepties aquis abſtergi Jordanis. Clarus erat ob res geſtas Naaman, & Charus Benadado regi Siriæ, cujus exercitus fuerat præfectus conſtitutus, fœdam hic lepram contraxerat, quæ totum corpus infecerat ac deturpaverat, ut ocolos offenderet intuentium: & licèt omnia artis medicæ adhibuiſſet alexipharmaca nunquam potis fuit eam exuere; nec priſtinæ reſtitui corporis munditiei, & ſanitati. Sed verum ibi invenit pharmacum, ubi illud non quæſivit: in ejus domeſtico famulitio hebræa ſerviebat puella, nuper è bello abducta; narravit hæc mira, quæ id temporis Deus operabatur per Vatem ſuum Eliſæum; hiſce auditis Naaman, impetrat à Rege commeatum & literas commendatitias ad Joramum regem Iſraelis; & quavis diſruptâ morâ è regia Syrorum urbe Damaſco Samariam contendit ſpe valetudinis recuperandæ. Venit Naaman cum equis & curribus, ſolemnique apparatu, ſtetitque ad fores domus vatis Eliſæi, qui nec Naamano obviavit, nec in propriam eũ introduxit domum; ſed tantùm per internuntium Gieſium permiſit ſignificari Naamano; quod ſi vellet lepram exuere, iret ad Jordanem, & ſepties aquis illis ablutus ſcabiem abigeret è toto corpore, & priſtinæ reſtitutus ſanitati ad regem Syriæ reverteretur 4. Reg. 5. 10. *Vade & lavare ſepties in Jordane, & recipiet ſanitatem caro tua*: quærit Abulenſis hic quæſt. 6. Cur Eliſæus miſerit Naamanum ad fluvium Jordanis; & non potiùs ad fontem aliquem in loco amœno, vel rivo, cujus latices pellucidi, ac puri fluerent defœcati à quavis lutoſi maculi, & in cujus margine flores, & vireta luxuriarent, & Amanum allicerent ad corporis ablutionem; & reſpondet ſtudiò fuiſſe Amaanum miſſum ad Jordanem fluvium; quia minus probabile videbatur, quòd per talem ablutionem in aquis Jordanis poſſet Naaman ſcabiem abſtergere, & lepram penitus exuere; erat enim Jordanis aqua turbida, cœnoſa, pluribus immixta ſordibus ob alluvionem; Ne igitur Naamanus beneficium excuſſæ lepræ aquis tribueret, vel ablutioni, ſed divinæ tantùm beneficentiæ, miſſus fuit ab Eliſæo ad fluvium Jordanis potiùs, quàm ad limpidum ac pellucidum fontem.

21 Idquæ cauſæ, cur Chriſtus in deſerto multiplicaturus quinque panes, qui ſufficerent fami propulſandæ, turbiſque exſaturandis ad quinque millia hominum voluerit ipſe panes multiplicandos proprijs accipere manibus, turbiſque diſtribuere; ut inde intelligerent omnia bona ab ipſo in nos derivare: potuiſſet in manibus diſcipulorum panes multiplicare, & tamen id non præſtitit, ne beneficium diſcipulis tribueretur, ſed ſoli Deo, qui ſolus Author eſt omnis noſtri boni, ac commodi: & Chriſti divinitas per patratum miraculum luculentius turbis inoteſceret; hinc Apoſtolus Tit. 3. 4. *Humanitas, & benignitas apparuit Salvatoris*; non ſolùm in Cunis Betleemiticis cum Paſtoribus apparuit in terris natus, nobis datus, & noſtra indutus humanitate; verùm etiam quoties per patrata miracula ſuis homines beneficijs cumulavit; quia beneficia nonniſi Deo tribuenda ſunt, à quo ut à primario fonte rivuli ſcaturiunt bonorum omnium, quæ in nos derivantur: huc accerſendus S. Ambroſius epiſt. 86. *Hæc eſt Salvatoris pietas, ut interveniat ſaluti, ac non ſe prodat aſpectu: ſentiatur beneficiis, & non ſentiatur obtutibus. A-*

vult ſuam perſonam latere, & ſua publicari beneficia. Hinc Joannes Baptiſta cum primùm JESUM vidit, eum manifeſtavit ex manſuetudine, & benignitate, ac beneficentia qua ſuis nos locupletat beneficijs; quia amor, & beneficentia luculentiùs divinitatem hominibus manifeſtant Joan. 1. 29. *Ecce agnus Dei* cum divinitas, & ejus attributa noſtros non cadant ſub ſenſus; quò Dei benignitas nobis manifeſtaretur; ſymbolum eorundem attributorum materiale, ac ſenſibile attulit Baptiſta cum dixit: *Ecce agnus Dei.* Beneficentia in patrandis miraculis, ac beneficijs diſtribuendis divinitatem hominibus prodit; & Chriſtus miraculorom magnitudine oſtendit ſe Meſſiam eſſe Pſal. 145. *Dominus dat eſcam eſurientibus; Dominus erigit eliſos; Dominus ſolvit compeditos; Dominus illuminat cæcos; Dominus diligit juſtos; Dominus cuſtodit advenas; Orphanum, & viduam ſuſcipiet:* ex hiſce beneficijs divinitatem intuîerunt SS. Patres, præſertim Ambroſius in Luc. 7 Joannes quamvis miſſus fuerit, ut teſtificaretur de Verbo noſtra induto humanitate Joan. 1. *Et Verbum caro factum eſt*, de lumine teſtimonium perhibuit. Joan. 1. *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Cur teſtimonium de lumine perhibuit, & non de vita? Reſpondent plures Interpretes: quia nullus homo qui veniret teſtificari poterat de vita etiam nunc abſcondita: maluit Chriſtus per præſtita hominibus beneficia ſuam manifeſtare divinitatem, quàm per ſuſceptas dignitates oſtendere; & cum in deſerto eam manifeſtaſſet annonæ incremento, paſtúque turbarum, quia hæ ad luculentius ejus divinitatem mundo oſtendendam vellent eum regem acclamare; Salvator abſcondit ſe, quia tantùm per beneficia hominibus impertita vult ab iiſdem cognoſci noſtræ utilitatis ſtudioſior, quàm ſuæ dignitatis.

22 Sed ſi Deus ſuam in nos beneficentiam exercet, nóſque ſuis cumulat beneficijs; vult hanc eamdem virtutem ab hominibus excoli, ac in terris florere, ut optatos fructus colligant in cœlo. Excolitur autem beneficentia cum homines divitijs affluentes eleemoſynas pauperibus diſtribuunt: fructus hujus culturæ in cœlis colligent: quia in diarijs cœleſtibus præcipuè largitatis habetur ratio; & in cœli tribunali eleemoſynæ negotijs locus primus datur, pulchrè S. Chryſologus ſerm. 54. *Quòd abel paſſus ſit; quòd ſervavit mundum Noe; quòd Abraham fidem ſuſcepit; quòd Moyſes legem tulit; quòd Petrus reſupinus crucem aſcendit, Deus tacet: & hoc tantùm clamat, quod comedit pauper. In cœlo prima eſt eſurientis annona, prima ſtipendia pauperis tractantur in cœlis: erogatio pauperis prima divinis inſcribitur diurnis.* In cœleſti tribunali beneficentiæ negotia, beneficia pauperibus diſtributa cœteris præferuntur cauſis, ut qui beneficus in pauperes fuit, primus omnium fructus percipiat ex beneficijs veluti ſeminibus, quibus ſinum pauperum fœcundavit, & probroſam indigentiæ ſterilitatem abegit. Quinimo beneficentia per impertitas eleemoſynas in manus pauperum derivata cœli theſaurum reperit, quo ipſa diteſcit, ut innuit S. Petrus Chryſologus ſerm. 8. inquiens *Theſaurus cœli eſt manus pauperis: quod ſuſcipit, ne in terra pereat reponit in cœlum. Theſaurizate inquit vobis theſauros in cœlo: manus pauperis eſt gazophylacium Chriſti: quia quicquid pauper accipit Chriſtus acceptat.* Adeo arcta eſt cognatio beneficentiam inter, & cœlum, ut ſoli benefici, ac miſericordes in cœlis recipi videantur. Quotquot enim cæleſti donantur beatitate, hanc fuerunt aſſecuti ob opera beneficentiæ, ac miſericordiæ, quæ in pauperes, & ærumnoſos exercuerunt vel affectu, vel effectu, ſeu re ipſa: unde non mirum ſi in divinis literis uno, eodemque nomine Sancti, & miſericordes ſignificentur Pſal. 149. *Exultabunt Sancti in gloria*; ubi Pagninus in lex. legit exultabunt miſericordes in gloria; ac ſi benefici, & miſericordes dum beneficijs impertitis, eleemoſynis diſtributis pauperum miſerias abegerunt; afflictorum mœrores excuſſerunt; lugentium lacrymas exſiccarunt, & miſericordiæ viſceribus ſe veſtierunt in terris, ſimul cœleſtem gloriam induerint in cœlis. Hanc beneficentiæ cum cæleſti gloria cognationem, produnt manus ipſæ benefici, quas poſt necem viciſſe corruptionem legimus de plerisque beneficis: præ cæteris memoratu dignæ ſunt Ugis Omualdi manus, quæ poſt obitum minimè putruerunt, imò & ſuaviter olentes, ac ſi jam florerent in cœlo, ad venerationem populos allexerunt; idque ob eleemoſynam pauperibus erogatam, ut legimus *in ſpec. exempl. tit. miſericordia n. 9.*

Sed ſi miſericordia cognationem cum cœli beatitate contrahit; immiſericordia gehennam ſecum trahit: ſi illa cœlum aperit; ait Auguſtinus homil. 39. *Ante fores gehennæ ſtat miſericordia, & neminem miſericordem permittit in carcerem ingredi*: pari pacto dixeris, ante fores cœli ſtare immiſericordiam, & neminem immiſericordem ſinere intus introduci; quidni divitijs affluentes, & opulenti non ſint in operibus miſericordiæ lenti; ad opitulandum pauperibus non ſolùm invitat utilitas, ſed & compellit neceſſitas; quæ divitibus ſuperfluunt pauperibus ſunt eroganda, ne otio marceſcant in divitum ciſtis, quæ ſinui concredita pauperis veluti ſemina excultæ tellnri data germinarent, ac in fructus excreſcerent vitæ æternæ: ait D. Jacobus 2. *Judicium ſine miſericordia erit illi, qui non fecerit miſericordiam*, cui conſonat D. Baſilius, qui in divites immiſericordes non tam videtur perorare, quàm detonare: ait ipſe oratione ad divites: *Non es miſertus, non invenies miſericordiam; non aperuiſti domum pauperi pulſanti, repudiaberis à regno; non dediſti panem, non accipies vitam æternam.* Vis fructus vitæ in cœlis colligere, eleemoſynas in ſinu pauperis ſemines neceſſe eſt: quæ hîc ſeris, centuplicatum reperies in cœlo. 23

Quod

24 Quòd ſi divitiæ aquis pariantur, in hiſce aquis beneficentia portus eſt, à fluctibus eos tuetur, qui in ejus ſe ſinum recipiunt; imò non portus eſt in terra; ſed ad portum etiam ducit, ſeu ad cœleſtem perducit malaciam; non ſinit ſuos cultores naufragos perire in terris, neque fluctibus obrui: appoſitè S. Chryſoſtomus homil. 54. in Matth. *Eleemoſyna nobis manſionem in cœlo ædificat, & æterna tabernacula præparat.* Et nonnullis interjectis ſubdit: *Et domos æternas in cœlis condit, & theſauro locupletat inexhauſto.* Divitiarum aquas nemo ſibi retineat, ſed ſinat in alios derivari; tunc fructus afferunt, ſi fluant, & ſitientes pauperum hortulos irrigent; tunc poſſidentur cum indigentibus diſtribuuntur. Noxiæ ſunt hæ aquæ, ſi quieſcant, & niſi fluant, vitium contrahunt: hinc Salomon nos monet, ut ſinamus, quas argenteas poſſidemus aquas, ſeu divitias in alios fluere, quò eas poſſideamus citra jacturæ periculum Proverb. 5. 16. *Deriventur fontes tui foras; in plateis aquas tuas divide, habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes tui:* nectiſibiq;congruere ſaltē in extima ſuperficie, non videntur hæc verba: quî poſſidere aquas ſolus poteſt, qui jubetur eas in alios profundere? qui aquarum fluenta apud ſe retinere poteſt, ſi eadem in alios vult derivari? Ita eſt tunc aquæ eleemoſynarum, quibus aliena rigatur indigentia; & indigentium ſitis extinguitur, tutè poſſidentur, cum in pauperes diſperguntur: tunc horrea noſtra fructuum opplent ubertate, cum per alienos ſterileſcentes agros fluunt; alienos, ſi rigent campos, noſtram adaugent meſſem; ideóque tunc tutiùs à nobis poſſidentur, cum uberiùs ſinuntur in areſcentes pauperum hortos fluere. Is tutè & aucto fœnore divitias poſſidet, qui eas pauperibus elargitur. Retineri jubentur aquæ, & ſimul effundi; poſſideri, & alijs diſtribui; quia ſi diſtribuantur, poſſidentur; ſi effundantur, retinentur; Idque cauſæ cur S. Petrus Chryſologus nobis perſuadeat laxa manu dare pauperibus, quò abundantiùs nobis demus, ait ipſe ſerm. 8. *Da Pauperi, ut des tibi*, ſibi dat, qui pauperi dat; & plus accipit, qui dat dives, quàm qui recipit pauper: exiguum dat, & multum recipit; dat cœnum, & accipit cœlum, dat nummum, & accipit regnum.

25 Id cum Eccleſiaſticum non latuiſſet, voluit nos monere, ut panem noſtrum pauperibus diſtribuamus Eccleſ. 11. 1. *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas.* Eſtque metaphora mutuata à Mercatoribus, triticum, & panem in exteras tranſmittentibus regiones lucri causâ. Quidni? ſi Mercator quò lucretur ex ſuo negotio panem, & frumentum in exteras transvehit regiones: ita & nos ſimile inſtituamus negotium panem noſtrum in alios transmittamus: navis non deerit, quæ marinos fluctus trajiciens tutè noſtrum panem transvehet, & ingens lucrum ad nos reverſa deferet; qualis ſit hæc navis, nobis indicat Salomon Proverb. 31. 14. *Navis Inſtitoris de longe portans panem.* Pauperes ſint noſtræ naves, per quas panem noſtrum eleemoſynam in cœlum tranſmittamus. Hæ naves citra naufragij periculum æquora trajiciunt, & ad portum tutè appellunt, & quæ ipſis concredimus aucto ſemper fœnore reſtituunt. Neque qui in Evangelio divitijs affluebat indutus purpura, & byſſo, & epulabatur ſplendidè guttam aquæ in ſitis refrigerium à Lazaro peteret, ſi eidem eſurienti deciduas micas exhibuiſſet ad famem ſedandam. Quò plus accipiamus, multum pauperibus erogemus; id nobis ſuadetur Eccleſ. 11. 2. *Da partem ſeptem, nec non octo*: & quamvis S. Gregorius lib. 31. Moral. cap. 7. anagogicè id explicet, ut per ſeptenarium numerum deſignantem ſeptem dies hebdomadæ vitam præſentem, & fluxam, tranſeuntem velit ſignificari; & per octonarium vitam æternam: ac ſi diceret; ita diſpenſa temporalia, ut appetere non obliviſcaris æterna: nihilominus in ſenſu literali monemur non parcè, nec avara manu, ſed laxa & munifica pauperibus erogare: numeri ſeptenarius & octonarius proximiùs accedunt ad decenarium, quo omnis completur numerus, qui non creſcit niſi per repetitionem; ut inde diſcamus potiorem ſemper partem pauperibus diſtribuere, quò uberiori proventu locupletemur in cœlis. Hac lege divitibus opes conceduntur, ut pauperibus diſtribuantur; & hoc eſt vectigal, quod à divitibus debetur pauperibus Eccleſiaſt. 4. 8. *Redde debitum tuum*: eleemoſyna vectigal noſtrum eſt, eam tenemur tranſeuntes erogare pauperibus ſedentibus in via, vel ad fores templi: dum eleemoſynam petunt, ſuum exigunt vectigal: appoſitè S. Hieronymus in Eccleſ. 4. *Ergò hac lege divitiæ divitibus dantur; & hac lege eas in cœlum inferre conceduntur; ut ſcilicet vectigal pauperibus tribuant: quod ſi non faciant, omnes facultates perdent.* Eſt eleemoſyna ait Hugo Cardinalis expendens Iſaiam 58. 8. *Anteibit faciem tuam juſtitia tua*, veluti præcurſor hominis opitulantis pauperibus in curiam cœleſtis regis, ut locum præparet eleemoſynam indigentibus largienti; hic enim eſt, quî cœleſti potitur regno Matth. 25. 34. *Venite Benedicti Patris mei, poſſidete regnum*: benefici in pauperes benedicti vocantur, & ipſi regnum cœleſte poſſident, quæris, quo pretio tantum bonum ſibi comparârunt, audi eum, qui pretium accepit, *Eſurivi, & dediſti mihi manducare*: das pauperi eſurienti panem, & accipis regnum non fluxum, ſed perenne: quid tam modicum, quàm frangere panem eſurienti: & tamen fractio eſt, quæ integro regno compenſatur: audiendus S. Auguſtin. in Pſal. 49. *Tanti valet regnum cœlorum? frange eſurienti panem tuum; & egenum ſine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum veſti, ſi non habes facultatem frangendi panem, da calicem aquæ frigidæ; mitte duo minuta in gazophilacium. Tantum emit vidua duobus minutis, quantum Petrus relinquens retia, quantum emit Zachæus dando dimidium patrimonium; regnum DEI tantum valet, quantum quis habuerit*: da, quod habes, & pretium

ſol-

ſolviſti, quo regnum emas perenne; illúdque perpetuò poſſideas.

26 Si dicas, regnum cœlorum vim pati; & tantùm violentos illud rapere, id non inficior, cum Magiſter Chriſtus id ſuos docuerit diſcipulos; ſed ipſe aliam etiam nobis artem manifeſtavit, illud abſque violentia occupandi Luc. 16. 6. *Facite vobis amicos*: qui urbem validiſſimis propugnaculis undique cinctam, plurimóque præſidiario milite præmunitam cognoſcit eſſe expugnatu difficilem, nec ei vires ſuppetere ejuſdem expugnationi pares; in id incumbit ſtudij, ut excubias, murorum cuſtodes donorum, ac dignitatum ſponſione, vel etiam plurima aureorum copia corrumpat, eáſque amicitia, ſibi devinciat, ut nocte intempeſta aliquam adaperiant urbis illius januam, per quam abſque ulla violentia, ſine ſtrepitu ipſe cum ſuis militum copijs ingrediatur, & urbem occupet: unde appoſitè Chriſtus uſus fuit verbo illo, *cum defeceritis*. Quid ni? cuſtodes regni cœlorum pauperes dixeris; licet ſit regnum hoc difficile occupatu, & nonniſi violenti illud occupent, ſi tamen ejus cuſtodes tibi devinxeris, ſi pauperibus munifica, & laxa manu plures eleemoſynas diſtribueris, hi januam tibi aperient, ut abſque violentia ingrediaris.

27 Idque cum non latuiſſet Zachæum ad hos pios confugit dolos. Luc. 19. 8. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*: tametſi Zachæus negotijs temporalibus ore tenus immerſus, ac divitijs inhians terræ videretur adglutinatus, adhuc emergere ſperavit; & cœlorum regnum coëmere, ſi bonorum, quæ cumulaverat, mediam partem pauperibus diſtribueret. Quamvis ipſi curæ tantùm fuerit vita temporalis; negotia omnia in hujus vitæ commoda direxerit; omnia ſtudia in acervandis divitijs impenderit, immemor vitæ futuræ, cùm primùm tamen hanc agnovit in binam portionem partitâ re familiari, unam pauperibus diſtribuit, & alteram in proprios uſus reſervavit; nimirum alteram facultatum partem per manus pauperum in futuram tranſmiſit vitam, alteram in uſus præſentis ſervavit, ſcitè S. Chryſologus ſerm. 54. *Sicut iſte ibi credit vivere, quia illuc tranſmittit ſua; ita ille ſe ibi non credit eſſe victurum; quod ſibi illic, quod habere debeat, nihil paravit.* Mirum tamen quòd Zachæus dimidium bonorum priùs diſtribuat pauperibus; & non priùs ſuis ſatisfecerit creditoribus, cum hæc ſatisfactio oriatur ex obligatione juſtitiæ, quæ magis urget; & elargitio eleemoſynæ ex charitate, quæ non ita ſtrictè obligat, eſtque potiùs conſilium: cur igitur opus conſilij anteponit præcepto? An quia noverat eleemoſynas eſſe veluti fœcunda ſemina, quæ in ſinum pauperum tranſmiſſa, perinde ac in feraci & exculto agro germinant, virent, adoleſcunt; & in uberiorem creſcunt, ac multiplicantur meſſem? & inde ſperavit fore ut pinguiori ſolutione ſuis eſſet creditoribus ſatisfacturus? hanc fuiſſe Zachæi ſpem, videtur ipſemet edixiſſe, cum poſt diſtributas pauperibus eleemoſynas addidit; *& ſi aliquem defraudavi, reddo quadruplum* Luc. 19. 9. Sed audiendus eſt S. Chryſoſtomus, qui aurea eloquentia rem hanc verſat, inquiens homil. de Zachæo. Conferunt dona, quod fraudes ademerant; dona enim pauperum ſunt lucra animarum. Priùs dat dimidium pauperibus, ut largior fieret reſtitutio: pio fœnore ſperabat, ex eleemoſynis divitias multum creſcere: ut ergo valeat non ſimplum, ſed quadruplum reſtituere; priùs dimidium bonorum ſuorum ſtatuit in pauperes expendere; ut inde opes multiplicentur in quadruplum creditoribus reſtituenda. Hoc ex eleemoſynis auctum fœnus expertus fuit Ferdinandus Hetruriæ Magnus Dux, cum anno 1631. epidemica lues Florentiæ graſſaretur, toto contagij tempore triginta quatuor millia pauperum hominũ incluſorum aluit, ut ſinguli in diem octo carnis uncias, duas panis libras, oleum, ſalem, & ligna acciperent; & ſumptus excreviſſe ad ſeptingenta millia coronatorum feruntFlorentinorum monumenta: ipſe Dux ſine ullo comitatu pauperes adibat, perhumaniter colloquia cum ipſis miſcebat, quibus maximo erat ſolatio, Quidni? hæ eleemoſynæ veluti grana creverunt Duci multiplicata: quaſi ſinus pauperis excultus ſit ager ſuſceptas eleemoſynas aucto fœnore reſtituens. Non Diſtulit Deus præmium: Idibus enim Februarij in Ducis palatio, dum quid aliud quæreretur thesaurus repertus fuit; quò Bonorum omnium largitor Deus Ferdinando Duci eleemoſynas compenſavit.

Sed Zachæus cum fluctuaret in amplo di- 28
vitiarum mare, quo cœleſtis patriæ appelleret portum, partem dimidiam ſuorum bonorum pauperibus diſtribuit; ſuis agitatur fluctibus divitiarum mare, quibus divitum mentem commovet, turbat; & eò periculoſiùs, quò ardentiori cupiditate divitiarum ijs inhiantes æſtuant: in hiſce fluctibus, in hoc marino æſtu, ne naufragus periret Zachæus, quæſivit portum, naucleros adhibuit pauperes. Luc. 19. 8. *Dimidium bonorum meorum do pauperibus*, & in hac beneficentia portum invenit converſus ad Chriſtum. Ad hunc portum appellant quotquot in hujus mundi oceano fluctibus obſidentur; præſertim divitijs affluentes, qui pluribus gravati oneribus naufragio ſunt proximiùs obnoxij. Non ſint nobis pauperes contemptui, cum inter æſtus, fluctúſque præſentis vitæ veluti maris procelloſi, in quo charybdes ſuis vorticibus, ſcyllæ ſuis ſcopulis, Syrenulæ ſuis blanditijs nobis inſidiantur, ad malaciam portûs, ad tranquillitatem beatæ vitæ nos perducant, & quorum manus, ſi fuerint à nobis eleemoſynis oppletæ domum in cœleſti patria nobis ædificant Pſalm. 88. *Quoniam dixiſti in æternum miſericordia ædificabitur in cœlis.* Non avara manu, triſtíque vultu, ſed laxa dextera ſerena fronte, lætóque ore eſt pauperibus eleemoſyna diſtribuenda: nervosè S. Baſilius ſerm. 2. in divites avaros: *Si alacri animo das aurum, ut equos poſſideas:*

cur

cur id regno DEI potiùs commutare ſuaſus doles? Quid miſer judici reſpondes? parietes veſtis, hominem non veſtis? equos phaleris ornas, fratrem tuum laceris amictum pannis aſpernaris? canes ad venandum paſcis; eſurientes non reſpicis? aurum in terram condis; egentes ſuper terram non curas? non ſolùm viri principes eleemoſynas pauperibus per ſuos miniſtros, ſed & per ſe ipſos proprijs manibus diſtribuant, id ſuadet ſanctus Auguſtinus ſerm. 19. ex 40. nuper editis inquiens: *illud etiam moneo ſanctitatem veſtram, ut ſciatis eum duplam miſericordiam facere, qui pauperibus ſic dat aliquid, ut ipſe eroget: non enim debet eſſe ſola benignitas largientis, ſed & humilitas miniſtrantis: tunc alienæ compatimur infirmitati, quando ponitur manus habentis in manum indigentis.*

31 Non tamen tremore corripiatur hæc manus, quæ eleemoſynam porrigit; ne par ſit avaris, quorum manus tremit, cum aliquid pauperibus elargitur; perinde ac manus ægri, cum poculum exſiccaturus eſt amari pharmaci, ut ediſſerit ſanctus Petrus Damianus Opuſc. cap. 1. ubi loquens de eleemoſyna ait: *Tremit manus avari, cum tribuit: & ſicut æger exhorreſcens amareſcentis antidoti differt poculum; ſic iſte daturus aliquid differt in poſterum.* Læto animo bibendus eſt calix iſte eleemoſynæ, tunc proficit, cum jucunda mente, celeri manu hauritur, ſeu eleemoſyna pauperibus diſtribuitur læto, & alacri animo; Hinc David Pſalm. 111. *Jucundus homo, qui miſeretur, & commodat.* Jucundus fuit ſanctus Ludovicus Rex Galliæ cum ſingulis diebus centum, & viginti pauperes, & diebus feſtis ducentos ad menſam adhibuit, quibus, & proprijs manibus miniſtravit. Jucundus homo in eleemoſynæ largitione fuit ſanctus Oswaldus Rex, qui poſt plures datas eleemoſynas, cuidam dum pranderet petenti eleemoſynam, unà cum juſculo ſcutellam dedit argenteam, & S. Aydanus Epiſcopus juxta regem ſedens, regia manum tenens dixit, nunquam putreſcat manus tua; & adhuc integram ſervari narrat V. Beda *de geſtis Anglor. c. 9.* Jucundus homo fuit Ecdicius ſenator quando in fame Burgundiæ, cum añonæ charitas totam premeret provinciam quatuor millia pauperum aſſiduè aluit: merueritque propterea vocem de cœlo audire: Ecdici, quia feciſti rem hanc tibi, & ſemini tuo panis non deerit in ſempiternum; eò quia obedjeris verbis meis, & famem meam refectione pauperum ſatiaveris, ut refert Gregorius Turonenſis *lib. 2. hiſtor. Franc.* Jucundus homo fuit Leo Imperator, qui cum adhuc privatus eſſet in itinere cœco cuidam ſitienti dux viæ fuit, & potum quæſivit: & cum diu non inveniſſet B. Virgo voce cœlitus delapſa aquam ei in luto monſtravit; promiſitque, quòd luto illo, ſi oculi cæci illinirentur, cæcitas abſtergeretur, ut refert Baronius Anno Chriſti 457. Jucunda fuit S. Eliſabetha filia Andreæ regis Hungariæ, quæ ſingulis anni diebus nongentos pauperes menſæ adhibuit.

Neque ſine præmio permiſit Deus abire eleemoſynam David Pſal. 146. *Qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum.* Si quæras, cur ſingulariter pullis corvorum ſuppeditet Deus eſcam. cum etiam pullos cæterarum avium paſcat? Reſpondet Drogo Oſtienſis de ſacrament. Paſſion. Deum ſpeciatim pullis corvorum miniſtrare eſcas, quia corvi aliquando eſculenta detulerunt Eliæ fugienti Jezabelis iram. Quia corvus beneficiũ charitatis præſtitit, ejus pulli aucto fœnore eſcas ſuſcipiunt; quia ſine munere non dimittit munificus Deus opus charitatis in famelicos. Notat Sylveira in Luc. 1. q. 27. Zachariam, & Saram petjiſſe ſignum prolis ſuſcipiendæ, eò quia detrectaverit fidem ſponſioni adhibere ob ſeniom. Sara Geneſ. 18. 10. dixit. *Num verò paritura ſum anus?* Zacharias ob ſeneſcentem ætatem de ſuſcipienda prole deſperat: ſed hic ob denegatam Nuncio fidem punitur Luc. 1. 20. *Et ecce eris tacens*, loquendi deſtituitur facultate in pœnam incredulitatis, cum Sara nullo ob eandem mulctetur ſupplicio: cauſam, ſi quæras diſcriminis, reſpondet Sylveira, non puniri Saram, quia antea occupata fuerat in ſuſcipiendis peregrinis, paſcendis famelicis; & quia in opera miſericordiæ fuerat occupata, nil poterat mali incurrere. Placet facultatum partitio Numini, ſi pauperes inde ſolatium ſentiant; idque fortaſſis cauſæ, cur Deus Levit. c. 5. 6. voluerit, ut animal ſibi offerendum non eſſet integrum, ſed in fruſta ſciſſum; quò inde nobis innueret, nolle Deum homines integras ſuas poſſidere facultates absque ulla earundem cum pauperibus diviſione; ſed contritas, ac in plures diviſas partes, ac mittendas in Noſocomia, xenodochia, carceres, & alia pauperum loca, ut alienis inſerviant levandis miſerijs.

Vera lætitia non floret in congeſtis divitijs, ſed diviſis in pauperes. Eccleſ. 3. 12. *Cognovi, quòd non eſſet melius niſi lætari, & facere bene in vita ſua*: quàm aptè, & probè nectit hæc duo verba lætari, & benefacere, ait Vatablus: quia hi tantùm verè gaudent, qui beneficijs afficiunt proximos; & non floret vera lætitia, niſi cum alienos mœrores excutimus, miſerorum lachrymas exſiccamus, ac pauperibus opitulamur. Non ſolùm alienas lachrymas exſiccat beneficentia in pauperes; ſed etiam peccata obliterat Eccleſ. 3. 17. *Sicut in ſereno glacies, ſolventur peccata tua.* Janſenius per glaciem ait peccata ſignificari, quibus peccator extincta charitatis flamma frigeſcit; & per ſerenitatem eleemoſynam, quâ miſeris opem ferimus: ſicut ſerenitas, & ſolis ardor nivem, & glaciem diſſolvit, deſtruitque: ita eleemoſyna divinam impetrans gratiam peccata delet. Hinc Daniel c. 4. 24. *Peccata tua eleemoſynis redime*: non auxilium expoſcit à precibus Deo fundendis, non à jejunio carnis inſoleſcentis æſtui extinguendo idoneo; ſed opem ab eleemoſynis expoſcendam eſſe monitum voluit Nabuchodonoſorem; quia delendis anteactæ vitæ ſceleribus nulla ſpongia

aptior eleemoſyna, ſi lachrymis madueri reſipiſcentiæ. Quòd ſi Daniel in lacu leonum perinde ac inter agnos ſecurus quievit; id fuit, quia exemplo fortiùs, quàm verbo jejunare etiam ipſos leones edocuit, qui cum vid.ſſent Danielem abſtinere ab eſculentis, & poculentis, didicerunt & ipſi exuta feritate virtutem redolere abſtinentiæ; ſed quòd Habacuc in eodē lacu illæſus fuerit, id nō niſi officio pietatis, exercitio miſericordiæ, ob delatum famelico Danieli obſonium tribui potuit. Non ſolùm el. emoſyna vitam ſervat incolumem; ſed & mortuis reſtituit. Actor. 9. Mortua Tabitha, ſeu Dorca in pauperes benefica adſuit S. Petrus Act. 9. v. 39. *Et circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas, & veſtes, quas faciebat illis Dorcas.* Tunc Petrus cogitâ defunctæ miſericordia in pauperes ſperavit fieri poſſe, ut vitæ reſtitueretur in pauperum ſolatium: fuſus propterea Petrus in preces eam ſuſcitavit, ac priſtinæ reſtituit vitæ; adeò efficax eſt virtus eleemoſynæ, ut vel ipſos mortuos exſuſcitet; & à quovis malo præſervet: appoſitè ſanctus Chryſologus ſerm. 14. *Non videbit diem malum, qui dies bonos habere pauperem fecit. Videbit diem malum, qui diem judicij ſine advocatione paupertatis intraverit. Sine cauſa accuſant peccata, quem pauper excuſat.* Is verè Beatus ait Pſalmiſta, *qui intelligit ſuper egenum, & pauperem*: eſt hæc intelligentia, quæ beatitudinem parturit, ſi pauperum viſcera penetret, & comprehendat, quibus opem ferat; ſi nuditate algidis, fame emaciatis, ſiti aridis, laſſitudine deficientibus, frigore trementibus, defectu luridis opituletur; hoc eſt intelligere ſuper egenum, & pauperem egenorum indigentijs ſubvenire, nuditatem tegere, famem propulſare, ſitim extinguere, lachrymas exſiccare.

32 Si preces ad Deum fuſurus eccleſiam ingrederis, ad cujus fores ſedentes pauperes opem à te expoſcunt, ut à ſuis ſurgant miſerijs, intellige ſuper egenos, & pauperes, ſtipem jisdem eroga: hoc exigit à Te Deus, ut in tua flectatur vota, tuáſque exaudiat preces Exod. 23. 15. *Non apparebit in conſpectu meo vacuus.* Audi ſanctum Chryſoſtomum homil. 15. in Matth. *Vacuus intrat ante Deum, qui veniens ad orationem nullam eleemoſynam facit.* Idque cauſe, cur Salomon poſt templi ampliſſimam æquè, ac elegantiſſimam ſtructuram juſſerit, ut januæ, per quas ad Oraculum pateret ingreſſus ex olea fierent 3. Reg. 6. 31. *Et in ingreſſu oraculi fecit oſtiola de lignis olivarum.* Quid? quòd lignum ſelegerit olivarum, ac ceteris illud lignis prætulerit; an non pulchriores fuiſſent januæ cedrinæ, quæ à corruptione immunes, Oraculo non diſplicuiſſent? ſed conſultiùs Salomon Cedro oleam prætulit; quia ſi illa immortalitatis, hæc miſericordiæ eſt ſymbolum. Voluit Spiritus Sanctus nos edocere, ingreſſum ad orationem, debere miſericordiam eſſe, & eleemoſynas pauperibus erogatas: qui in pauperes munificus eſt, & miſericors, in oratione DEUM reperit exaudientem. Hinc Iſaias nos monet, ut priùs manus pauperum repleamus, ne ſint vacuæ; & poſtea genua flectamus Iſaiæ 35. 3. *Confortate manus diſſolutas; & genua debilia roborate.* Confortantur manus pauperum, ſi eleemoſynam accipiant, quâ ſuis conſulant neceſſitatibus; confortantur etiam manus dantis, qui per ſtipem pauperi erogatam manum in cœlum elevat, quàm avaritia in imum terræ depreſſerat: ſi manus ita elevantur beneficio miſericordiæ; genua corroborantur ſubſidio orationis, quia exaudiuntur orantes, qui ſunt miſericordiæ amantes; Iſaiæ 58. 7. & 9. *Frange eſurienti panem tuum, Tunc invocabis Dominum, & exaudiet*; ſcilicet poſt fractionem panis, poſt ſtipem pauperibus erogatam in noſtra flectimus vota DEUM per fuſas ad eum preces. Job mente volvens univerſale Judicium totus contremuit, & timore perculſus ajebat cap. 31. 14. *Quid faciam, cum reſurrexerit ad judicandum DEUS?* ſed timorem excuſſit, animúmque in ſpem erexit, eò quia in pauperes miſericors fuit Job. 31. 16. *Si negavit, quod volebant, pauperibus? ſi comedi bucellam ſolus?* tametſi pluribus alijs ſplenduerit Job virtutibus, præſertim patientia, quâ immoto animo ærumnas toleravit; fortitudine, qua inconcuſſa pectoris firmitate aſſultus omnes Cacodœmonis retudit, impetus compeſcuit; ſimplicitate quâ pellucidum, tetsúmque veluti ſpeculum omnes ſuos affectus exhibuit inſpiciendos; rectitudine, quâ omnem declinans obliquitatem ad DEUM toto æquè affectu, & effectu tetendit, ſolam protulit miſericordiam in pauperes: quia non pavebit diem illum univerſalis Judicij, qui dies bonos habere pauperem fecit: hinc. S. Hieronymus ad Nepotianum: *Qui iram Judicis diſtricti, quàm peccando meruit, placare deſiderat, eleemoſynas det pauperibus.*

Oratio tunc efficacior eſt ad Deum in vota orantis flectendum, ſi miſericordia in pauperes præceſſerit; quòd cum non latuiſſet Apoſtolos Petrum, & Joannem Jeroſolymæ ingreſſuri templum cuidam viro, qui erat claudus, ſi non argentum, quo caruerunt, ea tamen virtute, quâ claruerunt, ſanitatem impertierunt Actor. 3. 2. *Quidam vir, qui erat claudus ex utero matris ſuæ, bajulabatur. Is, cum vidiſſet Petrum, & Joannem incipientes introire in templum, rogabat, ut eleemoſynam acciperet.* Verſ. 6. *Petrus autem dixit argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do, in nomine JESU Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.* Cur ante fuſas ad Deum preces dant claudo huic ſanitatem? cur priùs non ingrediuntur templum, Deum rogaturi pro claudo, cum ſolus Deus fuerit cauſa principalis tanti miraculi? Si Deus ad preces Sanctorum movetur ad patranda miracula, cur non priùs DEUM rogârunt, ut exauditi poſt abſolutam orationem ſanitatem egredientes è templo impertirent claudo illi? quia opus miſe- 33

ricordiæ

ricordiæ præmittere voluerunt, quia oratio miſericordia in pauperes deſtituta ſuas deperdit vires, ſua deſtituitur efficacia: ſcitè S. Chryſoſtomus in Act. Apoſt. *Præveniuntur precibus preces; rogantem claudum rogati ante audiunt, quàm precentur. ante virtus oſtenditur, quàm oratio ad DEUM præmittatur*: quia ex bono opere præmiſſo roboratur oratio, viréſque acquirit ad Deum flectendum in vota precantis, & ad petita impetranda.

34 Moris eſt, ait S. Chryſoſtomus *Tom. 6. ſ. 3. de Verbis Apoſtoli. quo fontes præſto ſint ante oratoria, ut oraturi, & DEUM adoraturi manus priùs lavent, & totas inter precandum attollant*: quidni pauperes quaſi fontes ante fores templi collocantur, quò per eleemoſynas iiſdem erogatas abluantur oraturi in templo, & abluti purgentur à maculis noxarum, quas contraxerunt, per impetratam à DEO veniam. Aquæ pariari ſolet eleemoſyna; quia illa corporis maculas abſtergit; hæc animæ noxas delet. eſt eleemoſyna, quæ divinam æmulatur virtutem: pulchrè S. Petrus Damianus ſerm. 71. *Interpretandum eſt eleemoſynæ vocabulum: Hebraicè El DEUS dicitur: Moys Ægyptiaca lingua aqua interpretatur: inde eleemoſyna; id eſt aqua DEI; è contrario videre poſſumus; quod peccatum eſt ignis Diaboli: igitur contra ignem Diaboli apponatur aqua DEI*: ſicut aqua ignem; ita eleemoſyna peccatum extinguit, quod eſt ignis diaboli. Quòd ſi malueris aquæ baptiſmali eleemoſynam pariare, tuæ adhærentem aſſertioni reperies ſanctum Cyprianum, qui lib. de opere, & eleemoſyna ait. *Sicut lavacro aquæ ſalutaris gehennæ ignis extinguitur; ita eleemoſynis, atque operationibus juſtis delictorum flamma ſopitur.* Idque cauſæ fuit ſancto Auguſtino vocandi eleemoſynam, qua pauperibus opitulamur ſecundùm baptiſmum, quia eleemoſyna gratiam nobis à DEO impetrat, qua peccata per veram reſipiſcentiam delentur, perinde ac per lavacrum baptiſmi abſterguntur: audiendus eſt S. Auguſtinus homil. 39. ex 50. ubi ait: *Dedit nobis DEUS ſecundum baptiſmum: nam ſicut aqua extinguit ignem; ita eleemoſyna extinguit peccatum: ante fores gehennæ ſtat miſericordia; & neminem miſericordem permittit in carcerem mitti.* Non fonti tantùm, ſed etiam flumini pleno alveo fluenti ſimilis aſſeritur eleemoſyna. Quòd ſi per flumen naves, & majora pondera trahuntur; ita per flumen hocce eleemoſynarum indulgentiam ad nos trahimus peccatorum: huc accerſendus S. Laurentius Novarienſis Epiſcopus homil. de pœnit. inquiens: *Sufficit tibi exemplum Publicani iſtius, qui miſerabiles actus tranſacti temporis per eleemoſynam, quaſi per flumen indulgentiam traxit, ſéque avaritiæ laqueo per erogationem eripuit.*

35 Convenit etiam eleemoſyna cum aqua; quia ſicut aqua areſcenti, ac ſitienti terræ utilis eſt; madidæ verò, multóque humore ſcatenti noxia; perinde eleemoſyna ut utilis ſit, eroganda eſt indigentibus, famelicis, & ſitientibus; non ſaturis, ac divitibus exhibenda: id innuit ſanctus Bernardinus Senenſis ſerm. 1. de eleemoſyna art. 2. cap. 7. *Non eſt danda eleemoſyna niſi indigenti exemplo naturæ, quæ corporalibus membris ſecundùm eorum neceſſitatem diſtribuit cibum; terræ quóque ſitienti aqua utilis eſt; non ſitienti damnoſa.* Hæc igitur divitiarum aqua derivanda in pauperes utilis tunc eſt, fructúſque promovet vitæ alendæ peridoneos, ſi permittatur fluere per ſterileſcentes pauperum campos, per areſcentes, ac ſitientes inopum agros; ſibi malè conſulit, qui arcarum, ciſtarúmque repagulis has aquas coërcent, ne fluant in pauperum utilitatem; eáſque emortuas detinent, ne areſcentes pauperum campos irrigent. *Utilis eſt pecunia*, ait D. Ambroſius in Pſalm. 37. *Sed ſit pretioſa per fidem; cum diſpergitur*: eſt fides, quæ repagula impedientia fluxum hujus aquæ disrumpit, & curſum eidem impertitur, ut per motum, alienam promoveat utilitatem: eſt ſiquidem fides, quæ pecuniam indigentibus diſtribuit; niſi fides ineſſet diſtribuenti, eas non diſtribueret: niſi crederet, DEUM redditurum cum fœnore, quod ille pauperibus elargitur, non adeo faciles ſuas permitteret opes in alios derivari: avaritiæ notâ is dicitur ſordeſcere, qui aquam, quâ utitur in manuum ablutionem dolens, mœrénſque profundit, non effuſurus, niſi proprias ſordidiſſimas manus ablueret: quod in Euclionem avariſſimum retorſit Plautus in Aulul. ac. 2. ſcen. 4. *Aquam herclè plorat, cum lavat, profundere Famem urentem, ſi roges, nunquam dabit.* Eodem morbo laborant divites aquas divitiarum impedientes, ne fluant in aliorum utilitatem, negántque exhibere ſitientibus aquas, non quibus ſunt loti, ſed quibus abluantur: hi aquas vitiant, corrumpúntque divitiarum, dum motum iiſdem denegant, nec permittunt ad alienam irrigandam ariditatem, ac ſiccitatem fluere: aqua ni moveatur vitium contrahit, & corrumpitur in damnum poſſidentis: ita vitiantur divitiæ dum fluere non ſinuntur, nec ſparguntur in pauperes: abſtergunt verò, ſi eant, ſi ſpargantur. Quòd ſi aquæ quotidie ſparguntur, ut manus laventur, & contractæ ſordes abſtergantur; quò animæ maculæ, quas per patratas noxas contraximus, ablutæ deleantur, neceſsè eſt, aquis diluantur eleemoſynæ, id nobis perſuadet ſanctus Chryſoſtomus homil. 9. de Pœnit. inquiens: *Sicut aquâ manus lavas, veſtes purgas: ſic eleemoſynis ſatage manus animæ diluere*: ita eſt; divitiarum aquis ſordes abſterguntur; non tamen ſi quieſcant; ſi immotæ jaceant; ſed ſi fluant, ſi agitentur, ac moveantur, ſeu communicentur indigentibus; neque timenda earumdem diminutio; ſiquidem etiam putei dum hauriuntur ſalubriores, ac ſpecioſiores fiunt; neque decrementum ſubeunt, ſed aucto fœnore augetur earum ſalubritas: ele-

ganter Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 466. *Quemadmodum fontium gurgites cum hauriuntur, uberiùs ſcaturiunt, altiùsque quàm priùs exiliunt; ac mammillæ cum ſuguntur, non ante deficiunt, quàm infans ad ſolidiorem cibum admittendum adoleverit: eodem modo divitiæ, cum hauriuntur decrementum minimè patiuntur.* Non ſterileſcit, neque exſiccatur eleemoſynæ fons; eò ſurgit, exilitque uberior, quò plenior ad irrigandos areſcentes pauperum agellos fluit; creſcit ditior, ſi in pauperum commoda minuatur; non ſecus ac ubera muliebri in ſinu, quæ dum mulgentur, opplentur copioſiora: huc accerſendus Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædag. cap. 1. *Largitio bonus eſt fons benignitatis, & potum ſitientibus communicans: rurſus augetur, & repletur: quemadmodum ad ubera, quæ ſuguntur, vel mulgentur, ſolet lac copioſius accedere.*

86 Neque jejunam eleemoſynam dixeris, ſi hæc jejunio nupſerit; quia pingueſcit vegetior, enim jejunium protrahitur religioſius; quapropter Chriſtus nos monet, ut cum jejunamus, non jejunent pauperes, ſed eos tunc per erogatas largius eleemoſynas paſcamus Matth. 6. 17. *Cum jejunas, unge caput tuum*; quod expendens S. Maximus homil. in die cinerum appoſitè ad rem noſtram ait: *Ungit revera omnis devotus caput ſuum, cujus religioſum jejunium eleemosynæ ubertate pingueſcit.* Sterileſcit jejunium, niſi aquis beneficentiæ irrigetur; neque florem ullum virtutis prodit; ſed in vitiorum degenerat ſenticeta, quia ut ait S. Chryſologus ſerm. 8. *Jejunium ſine eleemoſyna non eſt virtus, ſed hypocriſis.* Et ſerm. 42. *Jejunium ſine miſericordia deficit; jejunium ſine pietate jejunat; fames eſt avaritiæ jejunium ſine miſericordia. Eſt ager cultus ſine ſemine, ſine miſeratione jejunans.* Sunt, qui ſua bona diſtribuunt quidem pauperibus, ſed eò tantùm tempore quando ampliùs ſua non ſunt; non verò quando ſua ſunt: ſeu mortui ſunt, nec ampliùs frui divitijs poſſunt; quamdiu vivunt, avaritiâ ſordeſcunt; divitijs congregandis ſedulò inſiſtunt; quas non pro redemptione animæ pauperibus diſtribuunt; ſed alijs poſt ſe diſpenſandas reſervant. Eccleſ. 14. 13. *Ante mortem benefac amico tuo*: ſeu da tua, dum tua ſunt, pauperi; quia poſt mortem tua non ſunt. Erogandæ ſunt divitiæ non divitibus, ſed egentibus; id mulierem viduam edocuit Eliſæus, cum eam juſſit oleum ponere *intra vaſa vacua* 4. Reg. 4. 3. quia ſi liquor in vas plenum infundatur, deperditur: & divitiæ, quæ conſanguineis legantur divitibus, & teſtamento donantur parum elargienti proſunt: neque Paterfamilias in evangelio divitijs affluentes, quos paſceret, introduxit ad convivium, ſed pauperes, cæcos, & claudos Luc. 14. 21. *Cæcos, & claudos introduc.* Verecundis præſertim, & qui ex aliquo illuſtri ſtemmate mendicare erubeſcunt, laudabiliter ſuppeditatur eleemoſyna ſub aliquo honeſto titulo, ac ſi non ipſis daretur; ut præſtitit Booz Ruth. 2. 16. Non juſſit Booz dari Ruth ſpicas, ſed ſuis meſſoribus; ac ſi Ruth non indigeret, ne ſcilicet erubeſceret. Ruth 2. 16. *de veſtris quoque manipulis projicite de induſtria, & remanere permittite, ut absque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat.* Chriſtus etiam nos monet, ut erogantes eleemoſynam nolimus tubâ canere; quia ut ait S. Chryſologus ſerm. 9. Hæc eleemoſyna hoſtilis eſt, non civilis; verecundiam pauperis non relevat, ſed fatigat Exod. 25. 20. *Utrumque latus propitiatorij Cherubin tegant expandentes alas.* Summus Benefactor, qui in Propitiatorio ſpeciali colebatur veneratione tegi voluit propitiando, & benefaciendo, ab alis Cherubinorum: quò nos edoceret, proximo benefacere, pauperibus opitulari in occulto: cum igitur eleemoſynas indigentibus præſertim verecundis elargimur, nolimus canere, ſed exemplo propitiatorij velo ſilentij tecti opem jisdem feramus; ne erubeſcentia accipientes torqueat; & vana gloriola dantes inficiat: hinc Eccleſ. 29. 15. *Conclude eleemoſynam in corde pauperis*, eſt eleemoſyna veluti ſemen, quod non germinat, non vireſcit niſi in ſinu occatæ telluris tectum; non germinat, ſi detectum pateat, ſed fit eſca volucrum: ſi eleemoſyna pateat vermis vanæ gloriæ facilè ejus medullam corrodit, ſeu meritum deſtruit; felicior germinat, ac creſcit in optatos fructus, ſi tegatur ſilentio. Idque cauſæ, cur Chriſtus Matth. 6. 2. dixerit: *Cum facis eleemoſynam noli tubâ canere.* Moris erat, quo Judæi hypocritæ elargituri eleemoſynam pauperibus tubâ canentes percurrerent plateas civitatis, & pauperes in peramplo foro congregarent, quò ab omnibus viderentur ſubſidia pauperibus ſuppeditare; & inde laudarentur, auramque popularem ſibi captivarent. Licèt dicerent Judæi ſe tubâ canere ad congregandos omnes pauperes; ne ex ignorantia quis remaneret ſine eleemoſyna: revera intendebant, ut omnes ad ſpectaculum confluerent, ac ſcirent, quis eſſet eleemoſynam erogaturus, ut notant S. Paſchaſius lib. 4. in Matth. Anſelmus, Rupertus, & alij; & hac de cauſa Chriſtus eos redarguit.

EXPENSIO XI.

Producuntur aliquot concionatoriæ argutiæ in commendationem Prudentiæ.

PRudentia virtutum cardinalium princeps, 1
reliquarum moralium eſt directrix, ac morum regulatrix: vocantur hæ virtutes morales, eò quia mores excolunt, ac perpoliunt, & à Caſſiodoro *lib. de anima cap. 11.* dicuntur *ambiendæ divitiæ, ac pretioſus animæ cenſus*, cui adſtipulatur Clemens Alexandrinus *6. ſtrom. cap. 5.* & Epictetus *lib. 3. cap. 1.* apud Arianum ubi eleganti diſſertatione oſtendit, veram hominis pulchritudinem ex hiſce conſtare virtutibus, inter quas principatum tenet prudentia, quæ cæteras dirigit: pulchrè Jamblicus epiſt. ad Aphaleum: *Prudentia*

vir-

virtutum Princeps eſt, reliquisque omnibus utitur, ipſarúmque ordinem, modum, & occaſionem in præſentia, tanquam oculus quidam mentis undequaque lucidiſſimus oſtendit. Generatur ergo hæc primùm quidem à ſincera, perfectáque mente; atque ſic genita in ipſam mentem intuetur, à qua perficitur, modúmque, & exemplar inde ſibi pulcherrimum omnium ſuarum actionum habet. Hujus beneficio bona, & mala, honeſta, & turpia diſcernimus, factáque convenientia judicamus, & emendamus.

2 Nulli itaque dubium, quin prudentia cæterarum moralium virtutum regina ſit, à qua reliquæ formam accipiunt, decorem hauriunt, ſplendorem contrahunt, & pretium habent: & ſine qua quod ſpeciem præſefert virtutis in turpitudinem degenerat vitij; & quod fortitudinem videtur æmulari fœdam labitur in temeritatem, hinc Ariſtoteles lib. 6. Ethic. cap. 12. *Si prudentia una adſit, jam continuo unà cum ea reliquæ omnes aderunt virtutes.* Quod tamen intelligendum non eſt de prudentia illa humana, quæ politica dicitur, eſtque humani cerebri filia, propterea virtus ſpuria, & larvata; ſed intelligitur de prudentia cœlitùs emiſſa, & divinitus infuſa: hæc enim rerum optima eſt magiſtra, docétque quid cogitandum, & qua intentione agendum ſit: & qua ratione operationes ad optatum finem perducendæ. Hæc vires metitur humanas, ne quid minus homines aggrediantur. Hæc tumultuantes appetituum paſſiones, motúsque concupiſcentiæ contra rationem inſurgentes coërcet, impetus iræ compeſcit, & deſideria obliqua, ac à rectitudine declinantia fræno cohibet rationis: hæc eſt arcana ars res bene gerendi, norma ſalutis, lux operum, dux operantium, vitæ cynoſura, & qui eâ præcellunt augures ſont boni, æquique auſpices, recti amantes, & veri tenaces: hæc futura eminus proſpicit, antequam cominus obtingant, ut quaſi ex præeminenti ſpeculo futura videatur prævidiſſe, quæ præſentia dirigat, & ad ſuos optatos fines perducat; dicatúrque propterea fabuloſum imitari Janum, cum à fronte, à tergo, reſpiciat, proſpiciat, & præterita cum præſentibus, & futuris conferat, quinimò & Centoculum Argum æmulatur, cui eſt & præſentium ſcientia, & præteritorum reminiſcentia, & futurorum providentia. Non ſapiunt reliquæ morales virtutes, niſi ſale condiantur prudentiæ; ſine hoc ſpeculo, abſque hac libella nequit homo quidquam rectè agere; ſcitè Auguſtinus ſerm. de Providentia ad Eremit. *Prudentia docet quomodo præſentia ordines, quomodo futurorum recorderis, & quotidie futura provideas.*

3 Sumpta prudentia laxè, ſignificat quamcunque veri cognitionem humano ſtudio, & labore partam, ſive illa practica ſit, ſive ſpeculativa, & plerumque etiam ſapientia audit, in quo ſenſu ait S. Ambroſius lib. 1. de offic. cap. 24. *Prudentia in veri inveſtigatione verſatur, & ſcientiæ plenioris infundit cupiditatem:* cui adhæret Cicero *lib. de offic.* aſſerens, Prudentiam conſiſtere in veri cognitione aiens ipſe: *prudentia, quæ in veri cognitione conſiſtit, maximè naturam attingit humanam:* cenſuit Tullius prudentiam non tantum ſcientiam eſſe practicam, verùm etiam ſpeculativam. Sed D. Thomas 2. 2. *q. 47. art. 2. ad 3.* ediſſerit eſſe tantùm ſcientiam practicam, eò quia ejus proprium munus ſit dirigere actus cæterarum virtutum, quod ad praxim pertinet. Eſtque propterea prudentia virtus moralis tanta majeſtate cæteris præcellens, ut nobiliſſima ſit earundem magiſtra, ac veluti Apollo muſarum choro præpoſitus: dirigit enim reliquas morales virtutes, & quid agendum ſit, quidque omittendum, ad rectam rationis normam ſuggerit: hoc autem obire officium proprium eſt cognitionis practicæ, & talem eſſe prudentiam etiam docet D. Auguſtinus *lib. 1. de libero arbit. cap. 13. & 83. quæſtionum quæſt. 31. ubi definit prudentiam eſſe rerum appetendarum, ac vitandarum ſcientiam.* Verùm juxta hanc notionem non ſecerni ut prudentia à morali ſcientia, ad quam tantùm addit cognitionem particularem eorum, quæ in caſibus ſingularibus expenſis circumſtantijs expetenda veniunt, vel fugienda: quo pacto poteſt prudentia illis ineſſe, qui non rectè agunt, tametſi cognoſcant, quid in univerſali, vel particulari agendum, vel declinandum ſit. 4

Prudentia verò, quia virtutum moralium princeps, ijs tantùm ineſt, qui rectè agunt juxta dictamina rectæ rationis. Quamobrem prudentia propriè eſt virtus intellectualis morum directiva, quia proprium eſt prudentiæ regulare, ac dirigere reliquas morales virtutes, à quibus differt perinde ac regulans à regulato; & pertinet ad intellectum, dicitur enim prudentia à *porrò videndo*, ut placet Iſidoro *lib. 10. Etymolog. cap. 15.* ubi ait: *Prudens dicitur quaſi porrò videns. Perſpicax enim eſt, & incertorum videt caſus:* quamobrem licèt generatim ſumatur prudentia pro omni notitia veri, quæ aliquo modo ad rectè vivendum pertinet, in quo ſenſu dixit D. Ambroſius lib. 1. de offic. cap. 24. *prudentiam in veri inveſtigatione verſari, & ſcientiæ plenioris infundere cupiditatem*, nihilominus propriè ſumitur pro virtute intellectuali proximè morum directrice: & in hoc ſenſu eſt virtus Cardinalis, quam D. Antonius referente Caſſiano *collat. 2. cap. 2.* cæteris omnibus prætulit virtutibus, ut earundem directricem. Id muneris prudentiæ proprium eſt, reliquas morales virtutes dirigere, ne à recto ad dextram, vel ſiniſtram deflectant: reliquæ morales virtutes, niſi prudentia dirigantur vel nimio fervore impingunt, vel nimia remiſſione torpent: & prudentia præſtat, ut regia incedant via, & eſt veluti prælucens fax rectam ſemitam præſignans: & in Evangelio vocatur oculus, & lucerna corporis noſtri. 5

Symbolum prudentiæ fuit ignea illa columna, quæ Iſraelitas præcedens per vaſta deſerti ſolitudines in terram lacte, & melle fluentem perduxit, & iiſdem præluxit. Hæc non ſolùm præſtitit, ne populus per invia, & devia erraret à via, quà eundum erat; ſed prævio ſuo

ſuo lumine etiam præſignabat, quò pergendum eſſet, ut rectà iret. Hæc interdiu ſolis æſtus temperatura in nubem congeſta umbram fundebat, & contra lunæ rigorem noctu in flammam accendebatur. Quidni in hac vita mortali, & fluxa, perinde ac in via non ad terram floentem lacte, & mille, ſed ad cœlum beatitudine donandi, ſumus peregrini; viæ nobis terendæ ſunt ſaxis aſperæ, ſentibus òbductæ gurgitibus interciſæ, montibus laborioſæ, rupibus perdifficiles, & præcipitijs periculoſæ; proinde neceſpitemus, ne labamur, ne laſſitudine deficiamus, ne labore opprimamur, neceſſe eſt è cœlo nobis præluceat ignea hæc columna, ſeu prudentia, quæ dirigat, & quà ſine periculo ſit eundum nobis præmonſtret: hujus lumen columnæ tunc eſt maximè perneceſſarium, dum per amfractuoſas turbulentiorum affectuum ſemitas, vel per ſaxorum perrupta, rupiùmque faſtigia præcipites homines feruntur: niſi prudentia tunc frœnum injiciat paſſionum violentijs, & internas animi turbulentias compeſcat præcipites aguntur homines.

Neque prudentia ad internos paſſionum
6 motus, ac pravorum affectuum impetus coercendos tantùm neceſſaria eſt, verùm etiam ad rectum exterioris reipublicæ regimen, Eſt ſiquidem prudentia, quæ gladium acuit Judicibus, ut eo rectè utantur; faſces exhibet Conſulibus, ut rempublicam ſolerter moderentur; tela cudit, dátque Tribunis, ut ea in hoſtes cautè uſurpent; ſceptra gemmarum nitoribus ornat, ut Reges ſuas feliciter ditiones gubernent: diademata Imperatoribus ſiſtit, ut laudabiliter ſuos gubernent ſubditos. Id eſt prudentia in republica quod gubernator in navi, qui ventos omnes obſervat, & ad illos ſe accommodat, clavum regit: hoc idem præſtat princeps, ut reipublicæ navis læto vectorum celeumate in portum tranquillæ proſperitatis provehatur. Hæc illa eſt virtus, quæ jugiter noſtris præ oculis eſſe debet, quia, ut ajebat Bion, prudentia tantò cæteris virtutibus antecellit; quantò cæteris ſenſibus viſus præſtat: quia ſicut oculi prælucent toti corpori; ita prudentia dat reliquis omnibus virtutibus decorẽ. Eſt itaque prudentia juxta Ariſtotelem lib. 6. Ethic. cap. 5. *recta ratio agendorum*, ſeu certum, & liquidum judicium de rebus ſingulis nobis obviantibus, & quæ agendæ, vel omittendæ proponuntur, adeo ut verſetur hæc virtus circa actiones omnes humanas, quæ à libera hominis voluntate proficiſcuntur, ut in proprium materiale objectum, cui formam, & elegantiam impertitur, cum honeſtatem in eaſdem actiones humanas inducit: eſtque hujusmodi honeſtas orta ex directione prudentiæ formale hujus virtutis objectum; & medio tantùm gaudet inter exceſſum, & defectum. Etenim eſt ſola honeſtas veluti ſcopus, in quem inſomni, ac oculo perſpicaci collimat prudentia, quæ eo à reliquis virtutibus differt diſcrimine; quia cum ſit virtus intellectus, neceſſariò ſemper tendit in verum, & quidem practicum: reliquæ virtutes quandam reſpiciunt bonitatem. Philo quærens cur principatus prudentiæ detur ut reliquarum virtutum ſit princeps, reſpondet tres animæ humanæ partes eſſe, rationalem in capite, ubi ratio dominatur: iraſcibilem in pectore, ubi ardor ſanguinis cor ambit: concupiſcibilem in inguine, quæ pars eſt inferior corporis: & pro ratione partium corporis, ac ordine à Deo ſapienter collocato, ait, dignoſci eximiam virtutum dignitatem, Prudentia enim ut domina rationis, conſiliorúmque gubernatrix præſidet in capite, veluti in editiſſima arce: fortitudo in pectore, temperantia in inguine, ſeu in partibus inferioribus, quibus caput præeſt, ac præeminet. Ex hiſce tribus virtutibus ita diſpoſitis in humano corpore pulchra oritur harmonia, quæ juſtitia dicitur, eſtqoe quarta Cardinalis virtus. Æquitas exigebat, ut, quod in homine præſtantiſſimum eſt, imperet, eíque obediant, quæ deteriora cenſentur.

Ratio igitur moderante prudentia in ho- 7
mine imperat, ſceptróque utitur, cuj ad bonum regimen neceſſe eſt, obediant partes inferiores, ac paſſiones utriúſque appetitus concupiſcentis, & iraſcentis. Hæcque ex Philone ratio, cur virtutum principatus ſoli tribuatur prudentiæ: hæc enim attingit omne bonum potentiæ rationalis, ſeu intellectûs, & voluntatis. Intellectum prudentia perficit, quia ei exhibet verum, eúmque promptum, & expeditum conſtituit ad aſſentiendum veritati, & in eodem aſſenſu firmat, corroborátque, ne ad falſum abducatur. Perficit qooque voluntatem, quia vires eidem ſuppeditat, ut abſque reniſo, excuſsâ omni deſidiâ, excluſâ hæſitatione promptè, celeriter, ac firmiter in ſuum feratur bonum, cuj immobiliter adhæreat, ne ab honeſtate pro ullo eventu ſejungatur. Idque cauſæ, cur vir ſummè prudens ſimillimus ſuperis eſſe dicatur, qui immortali fruuntur felicitate: eorum ſiquidem felicitas in eo dignoſcitur ſita, quia rationalis potentia toto niſu, modóque perfectiſſimo tendit in bonum quavis ex parte infinitum. Intellectus corroboratus lumine gloriæ ſummum Verum intuetur; & voluntas ardens amore in poſſeſſione ſummi Boni quieſcit: hinc conijcimus, in hac vita nullum eſſe feliciorem viro prudente cùm ſit prudentia totius perfectionis
complexus. 8

Hinc SS. Patres ſoli prudentiæ tribuunt principatum S. Ambroſius *lib. 1. de offic. cap. 15.* ait: *Primus officij fons eſt prudentia*, eò quia ab ipſa tota oritur in humanis officijs, & actionibus rectitudo, & honeſtas. S. Gregorius *lib. 2. Moral. cap. 36.* ait: Solidum mentis noſtræ ædificium qoatuor ſuſtineri virtutibus cardinalibus veluti fundamentis, & primum locum prudentiæ tribuit, quaſi prima ſit petra fundamentalis totius ædificij. D Auguſtinus *lib. 1. de morib. Eccleſ. cap.* 15. Quadripartitam vult eſſe virtutem ſcilicet Prudentiam Juſtitiam, Fortitudinem, & Temperantiam: & cap. 34. expreſsè aſſerit ſine prudentia eſſe non poſſe cæterarum virtutum uſum. Caſſianus

nus itidem collat. 2. cap. 2. de prudentia ait: *Hæc eſt, quæ oculus, & lucerna in evangelio nuncupatur, ſecundùm illam ſententiam Salvatoris: Lucerna corporis tui eſt oculus tuus.* Ethnici itidem Philoſophi ſolo ſpiculo naturæ lumine noverunt, prudentiam virtutem eſſe præſtantiſſimam, ac veluti fundamentum, cuj cæteræ innituntur virtutes morales. Ariſtoteles 6. Ethic. cap. 13. ait: *Conſtat neque propriè bonum eſſe ſine prudentia; neque prudentem ſine morali virtute quempiam eſſe;* cuj adhæret Tullius lib. 2. Tuſcul. quæſt. inquiens *Sine prudentia, neque intelligi quidem ulla virtus poteſt*: & Seneca epiſt. 68. *ſine prudentia nullum initur conſilium* ſcilicet probum; & quod ad vitæ felicitatem conducat.

9 Prudentiæ ſymbolum præ cæteris ſerpens exhibetur, de quo fertur deludere incantatorem obdurando aurem unam cum terra, & aliam cum cauda. Quidni viri prudentes, ac ſtudio virtutum addicti fallunt cacodæmonis inſidias, mundi illicia, carnis blandimenta, quæ veluti ſirenulæ cantu demulcent, ut interimant: unam ſiquidem aurem ſerpentem imitantes caudâ obturant, ſeu mortis recordatione, & aliam terrâ claudunt propriæ fragilitaris conſideratione, ut notat S. Bonaventura *diat. ſalut. cap. 28. de prudentia.* Quòd ſi ſerpens lippientibus oculis ſucco dicitur feniculi mederi: nos monet S. Baſil. *Homil. 9. Hexam.* ut ſerpentem imitantes veræ prudentiæ pharmaco omnes cogitationes, quæ mentis oculum obnubilant excutiamus, omnémque lippitudinem exuamus.

10 Ponitur etiam prudentiæ ſymbolum hyacinthus gemma, de qua ait Dioſcor. *Hyacinthus aëri vel maximè ſe conformat, ut ſit in nubilo nubiloſus, in ſereno ſerenus.* Quidni vir prudentiâ pollens perſonarum, ac temporis ſe accommodat neceſſitudini, ac ſtatui, ne ulli ſit moleſtiæ, ſed ſingulis ſolatio; nulli obſit, omnibus proſit, cum gaudentibus gaudeat, cum lugentibus lugeat, omnéſque per exercitia virtutum, patientiæ, & fortitudinis dirigat. In ſacris literis ſymbolum prudentiæ *Jachim* exhibetur, & *Booz* eo quia Iachim nomen hebraicè idem ſit, ac directio, & rectitudo 3. Reg. 7. 21. *Nomine Jachim*, & *Booz* executio; quia vir prudens duplici indiget columna, ut fiat templum Dei; ſcilicet directione ad diſcernendum, quod agendum eſt, & Booz id eſt fortitudine ad illud exequendum. Prudentia ſiquidem eſt veluti prævia fax viam virtutis, & ſanctitatis oſtendens.

11 Vir prudens fuit Joſeph, ſed is etiam caſtiſſimus, ac plenus Spiritu Dei Geneſ. 41. 38. *Num invenire poterimus talem virum, qui ſpiritu Dei genitus ſit.* Prudens fuit cum Pharaoni ſuggeſſit, ut tempore fertilitatis in annonæ ubertate omnia regni ſui horrea frumento repleret, quod urgente caritate tempore ſterilitatis uſui foret. Quod conſilium & Regi arriſit, & populo profuit. Plenus ſanè ſpiritu Dei fuit, qui pauperibus ac miſeris conſuluit, ne fame perirent; eorum miſertus eſt, cum abundantia fructuum populos recrearet, dixítque cum Davide Pſal. 118. v. 64. *Miſericordia tua Domine plena eſt terra.* Hanc prudentiam ut diſcamus, Salomon ad Scholam Magiſtræ formicæ nos mittit Proverb. 6. 6. *Vade ad formicam* mirũ tamen adhuc eſt, debere hominem ſagaciſſimum perſpicaci inſtructum intellectu formicæ frequentare Scholam prudentiæ addiſcendæ cauſa? quid vilius, obſcurius, ac tenuius formica, quæ ob exiguitatem hominis videtur potius ſenſus fugere, quàm allicere ad aliquid ab illa diſcendum? quomodo tantillum animal humi repens, rationis expers, intellectu deſtitutum hominem ad imaginem, & ſimilitudinem Dei prudentiam poterit edocere? ſed quamvis exiguum ſit formica animal, ſpiritu, & intellectu deſtitutum; miro tamen ingenio pollet; mira in rebus gerendis claret prudentia, cujus præcipuæ dotes ſunt cautio, & providentia, illa in malis arcendis actuoſa; hæc in bonis congerendis non deſidioſa: has dotes in formicis potiſſimum relucere, nemo niſi iniquus judex inficias ibit. Formicæ ſiquidem propriam conſtituunt, promovéntque rempublicam, non Solonis, aut Lycurg. præſcriptis, ſed æternis naturæ legibus conſtitutam; in qua diſtribuuntur officia, & ſingulæ propria obeunt munia quavis excuſſa ſegnitie; & ne continuo labore vires infringantur, certis diebus quieſcunt, quaſi nundinas exercentes, & ſocialis vitæ commercia inſtituentes. Fit tunc frequentior omnium concurſus; ſibi invicem jucundæ obviant, ſiſtunt gradum, quaſi ſalutationibus perhumanis ſe exciperent, & colloquia ſimul miſcerent: Revertuntur poſtea ſingulæ in proprias domunculas multiplici mæandro flexuoſas, quas ſibi ad varios uſus miro ædificârunt artificio: nocte illuni quaſi ſyderis abſentia triſtes ſuas intra cavernulas ſe continent. Ubi cœli facies ſerenior, ac clementior arriſerit, nullius rei magis impatientes, quàm otij, & deſidiæ, foras egrediuntur nigrigantis inſtar exercitûs, ſi non ferro, dentibus armatæ, quibus ſe ipſas propugnant, & hoſtes nitentes damnum inferre expugnant; huc, illúcque repentes proxima rura pabulantur. Unus omnium in ſubeundis laboribus, unus omnium ſpiritus in promovendo bono communi; unum omnium ſtudium in demandatis ſibi officijs exercendis: hinc aliæ prædas per calles anguſtos, nunc humeris obnixæ, nunc pedibus averſæ magna corporis contentione convectant: onera ferunt corpuſculis ſuis grandiora; nec ſub onere ſuccumbunt, ſed alacres captam prædam, vel ore & dente deferunt; vel ſecum pede trahunt. Aliæ venientes gratulationibus excipiunt; nonnullæ continuis morſibus humum egerunt; quædam conſtructis aggeribus meatus excludunt aquarum; illæ dente grana corrodunt, ac veluti forcipe dividunt, ne in herbam germinent; iſtæ fruges madidas exſiccant, & moderato in ſole apricant: omnes ſuis in obeundis officijs occupatæ otium excutiunt, labores alacriter tolerant, quò non minus laborioſæ ſint, quàm

for-

fortes; non minus in terendis itineribus ſedulæ, quàm in acervanda annona providæ; nemine cogente ingentes ſubeunt labores; omnes angulos ſurſum deorſum, dextrorſom, ſiniſtroſum, omnes herbas, agros, ſulcos, horrea, cellaria, intus, extra perrepunt anxiæ, ut in meſſe frumenti acervum congregent, ne ſub hyemem fame pereant, vel mendicatò vivant, ut mures, vel rapro, ut corui: quòd ſi formicæ natura duce ſibi provident in futurum; multò magis homines ad imaginem Dei conditi deberent in hac præſenti vita fructus bonorum operum congregare, quibus vivant in futura vita, quæ nunquam deficiet?

12 Hugo Cardinalis vitam hanc mortalem æſtati comparat; quia cum nunc ardeant tentationes, æſtuent concupiſcentiæ, ferveant animi paſſiones, tempus eſt colligendi merita futurorum præmiorum per exercitia virtutum; per delatas ex coërcitis pravis affectibus victorias. Diem Judicij hyemi pariat; quia tunc nulla relinquetur facultas laborandi pro alenda vita; & quisque adigetur comedere de reconditis in horreo, dum viverent. Idque apologo ſolet explicari. Formica cum hyeme cœlo ſereno, ſole ſplendente eductum ex cavernula frumentum ſiccaret, cicada eſuriens rogavit enixim, ut fami propellendæ cauſâ aliquid concederet frumenti. Cuj formica, ecqoid feciſti tota æſtate? cècini, repoſuit illa: ergo, concluſit formica, ſi cantaſti æſtate, hyeme ſalta: *qui congregat in meſſe*, ait Salomon Proverb. 10. 5. *filius ſapiens eſt: qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis*: Chald. legit *qui operatur in æſtate filius ſapiens*: per æſtatem, & meſſem, tempus indicatur rei gerendæ opportunum: ſymbolum dixeris æſtatem præſentis vitæ; luridam, nubilámque hyemem mortis, ac ſtatus futuri ſæculi, ubi nullum ſuppetit merendi tempus; nósque propterea monet Apoſtolus, ut *dum tempus* habemus, ſeu in hac vita *operemur bonum.*

13 Non tamen vir prudens id operatur, ut divitias acervet, vel dignitate præ cæteris ſplendeat; ſed quò Deo inſerviens merita cumulet; & culturâ virtutum eniteat. Is prudens, qui coram Deo virtutum ſolerti ſtudio lucere exambit, contemnens apud homines dignitate carere. Arbores in comitijs congregatæ in id convenerunt conſilij, ut olivam regia inſignirent dignitate Judic. 9. v. 9. *Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ſe regem: dixeruntque olivæ: Impera nobis.* Sed oliva prudenter actura ſeria cogitatione cæpit perpendere, quòd ſi regia dignitate inaugurata reſplenderet inter plantas ſuam deberet pinguedinem exuere, quâ lucet in aris, ac lampadibus coram Deo; & regiam maluit dignitatem reſpuere, quàm ſua privari pinguedine, prætulitque lucere coram Deo, quàm præeminere inter plantas: reſpondit enim; *nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, quâ & Dij utuntur, & homines, & venire ut inter ligna promovear?* oliva amici, ſacrique luminis matet, & altrix non dubitavit, potuiſſe in pleno Plantarum cœtu clareſcere, ſi earumdem inſcendiſſet regium faſtigium; ſed quia eidem innotuit, repudiata præeminentia, rejectaque regia dignitate, poſſe Numinis aris, templíſque diu, noctúque ſplendere; perpenſis utrinque rationibus prudenter conſultiùs duxit, evanido ſe principatu abdicare, & ſacris templis, arisque inſervire; ac luminibus nutrimentum, & ſplendoribus perennitatem ſuppeditare: audiendus eſt Abulenſis q. 29. *Dij utuntur ſcilicet, quia tam Deo Judæorum, quàm Diis aliarum gentium oleum ad lucernas præſtabatur*: quia oliva ſuam exuiſſet pinguedinem, quâ lumen nutrit in templis; ſi regiam induiſſet dignitatem; præferre prudenter duxit Deo ſervire, quàm Cæteris plantis imperare; lucere maluit in templo, quàm eminere in regiæ dignitatis faſtigio. 14

Pepercit David in ſpelæo Sauli perſequenti; condonavit Saul victo, captóque Agago regi Amalecitarum; ſed quia David Dei gloriam prudenter prætulit principatui, quo potiri potuiſſet interempto Saule, ad regium Iſraelis thronum promotus aſcendit: Saul verò quia in proprium honorem, & ut ejus triumphus ſplenderet illuſtrior Agagum non occidit, regno ſpoliatur, & acerbè punitur. David divini honoris zelo ad ſingulare certamen deſcendit cum Goliatho, qui gigantæa ſtatura, & armis robori paribus ferox, & truculentus laceſſere ad pugnam ſingulis diebus conſueverat, ſi quis ex toto Hebræorum exercitu cum ipſo dimicare auderet: cúmque nullus eſſet ex parte Hebræorum, qui publicum dedecus abſtergeret; David adhuc adoleſcens ad caſtra ex rure pervenerat, ſéque obtulit ad dimicandum cum Philiſthæo, qui cum adoleſcentem inermem fuiſſet intuitus, nullo pugnæ apparatu formidabilem; & in quo debellando plus pudoris, quàm gloriæ hauriret, indignabundus juſſit è conſpectu ſuo ſtatim abſcedere imbellem Catellum, niſi mallet pedibus proteri, corvíſque dari in pabulum; ſed non minus valuit David in redundendis convicijs, quàm Goliathus in ijſdem inferendis: poſt verborum velitationem, ad decretorium certamen venitur. Jam Goliathus toto corpore cataphractus, manúque haſtam vibrans, Davidem licèt inermem aggreditur, ſed hic ocyus ſilicem è pera rapit, fundæ imponit, librátque ictu adeo prudenter directo, ut excuſſus lapis mediam Philiſthæi frontem feriret, fractóque cerebro hæreret fixus. Verùm ſi Goliathus cecidit, hoſtis ſurrexit acerbior Regis Saulis invidentia, poteſtate, viribúſque armata, & victori Davidi inimica. Proſtrato Goliatho, fugatis, ac conciſis Philiſteis exercitus Iſraelitarum palmis onuſtus in patriam redux epinicion lætus canebat. Rex Saules cum Jonatha, cœterisque filijs curru regio ſublimis vehebatur; ſequebantur reliqui militiæ duces, & Præfecti, inter quos David veſtibus, armíſque Jonathæ refulgens, manúque famulari amputatum devicti Goliathi caput in conto perferens. Præibat currum regium multa Philiſthæorum in vinculis turba, ſervituti mancipata, inter ſtrepen-

pentibus tubis, liruiſque, feſtóque tympanorum fragore. Huic triumphali agmini obviârunt ex urbe puellæ hebrææ feſtivis cantibus, jucundiſque choreis reduces victores ſalutantes,& præſertim Davidem Goliathi proſtratorem, & Philiſthinorum fugatorem, inſignémque victorem: Epinicion erat; *Percuſſit Saul mille, & David decem millia*: & ſicut felicitatis comes invidia eſt, hæc Saulem incepit torquere, ſimúlque Davidem in bellum alud priore diuturnius, ac moleſtius pertraxit, in quo Saules Davidem ad internecionem perſequi non deſtitit.

15 Verùm cùm Saules per lucos, montéſque præruptos Davidem inſequeretur, & quadam ventris exonerandi neceſſitate adactus fuiſſet ſpelæum ingredi, incidit in manus Davidis, qui intus cum ſuis latebat militibus; à quibus ſuadetur, uti oblata ſibi occaſione tyranni interficiendi; ac imponere tandem finem tot perſecutionibus, & ærumnis, quibus premebatur; jugulatóque uno Saule omnium ſaluti conſuleret: annuit David ſuorum conſilijs, ſuóque impetu conciratus, tacitus accedit ad Saulem, capitali inimico necem illaturus: ſed mox conſilij pœnitens, nefáſque ratus in eum ſævire, quem Deus ſua electione ad imperij faſtigium provexerat, dixit. 1. Reg. 24. v. 7. *Propitius ſit mihi Dominus ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto Domini, ut mittam manum meam in eum.* Occaſio opportunè ſe Davidi obtulerat, delendi è vivis Saulem, qui ad mortem eum perſequebatur; maluit tamen manſuetudinem ſervare intaminatam, quàm hoſtili ſanguine manus cruentare; prudenter prætulit manſuetudinem ſævitiei; neque cum veritate Deum alloquens, dixiſſet Pſal. 131. *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.* Noverat prudentiſſimus, ſatiùs eſſe, virtutem excolere, ejúſque exercitium promovere, quàm thronum inſcendere, regióque coronari diademate.

Vir prudens non regij diadematis nitere gemis ſatagit, ſed ſplendere virtutum ornatu: prudenter igitur David maluit abſtinere à temporali corona, ne virtutem læderet manſuetudinis: qui prudenter judicat, agitque, pluris facit ſplendorem virtutis, quàm ornatum coronæ: huc accerſendus Baſilius Seleucienſis, qui nomine Davidis loquitur orat. 16. *Oblatum inimicum contumelioſa cæde non conſiciam, gratiam ſanguine non cruentabo*: Sed quia David maluit virtutem excolere manſuetudinis, & à ſuſione ſanguinis abſtinere, quàm regio diademate renitere; glorioſior ad regium inſcendit Thronum; & illuſtrior ſplenduit virtute, quàm ſceptro: quia prudenter Sauli pepercit, ne ſanguinis fuſione virtutem macularet manſuetudinis.

16 Quidni? pepercit etiam Saul Amalecitis genti Paleſtinæ, ſed quia parùm prudenter non præmium meruit, ſed ſupplicium ad ſe traxit. Iuſſus quippe à Deo Saules fuerat, Amalecitas ob patrata ſcelera radicitùs excindere nulla habita miſericordia in ſexum fragilem, ætatem tenellam, formam ſpecioſam, imò neque in armenta, pecora, ac reliqua animantia. Saules inito conflictu Amalecitas cruenta cæde proſtravit, ſed quæ animalia juſſu Dei fuiſſent trucidanda, & quæ capta, ferro, flammiſque deſtruenda: ipſe tum milites, tum Regem Amalecitarum Agagum è fuga retractum illæſum ſervavit ad uberiorem, illuſtriorémque triumphi pompam: neque flammis veſtes, & pretioſa mobilia; imò neque greges, & armenta pinguiſſima conſumpſit; ſed propriæ ſervavit cupiditati. Sed Saules in conflictu victor; quia imprudenter poſt partam victoriam ſe geſſit, maluítque ſplendere pretioſa devicti Agagi ſupellectile, quàm obedientiâ Numini debitâ, & virtuti prætulit evanidum, fluxúmque mundi ſplendorem, divitiarum acervationem, ideo in ipſa victoria ſorduit obſcuratus, & cecidit ipſe profligatus, quia captum Agagum vita donavit, Numiniſque decretum ſprevit. 1. Reg. 15. v. 9. *Pepercit, Saul & populus Agag*: qua re intellecta Samuel irati Numinis vindictam iterum Sauli denuntiat ob arrogantiam contumacem, & avaram inobedientiam: ſimúlque bobus omnibus Obeſiorem Agagum ob imminentis mortis propinquitatem toto corpore contremiſcentem, ad aram trahit, ſuâque dextra concidit in fruſta. Tunc Saul 1. Reg. 15. *Peccavi, ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei.* 17

Quærunt Interpretes, cur Saul maluerit Agagum vitâ donari, quàm cruenta nece interimi juxta Numinis decretum? & reſpondent plerique, ſervâſſe illæſum devictum Regem, quem ante thedam ad ſolemniorem triumphi pompam captivum traheret. Quidni? ſi eum occidiſſet coram Deo clarior ſplenduiſſet, quia ejus mandato paruiſſet; ſed quia putavit minus ſplenduiſſe ejus triumphum apud homines; ideo contra regulas prudentiæ deſipuit, & quia prætulit clareſcere apud homines, neglexit obſervantiam divini decreti, nec curavit culturâ virtutis, exercitio obedientiæ lucere coram Deo, ſcitè S. Gregorius *Qui abjectionis ſententiam ſuſcipit, per appetitum elationis honores quærit.* Voluit Saules uberiori triumphi pompa ſplendere coram hominibus, & à prudentiæ regulis deficiens culpam vera pœnitudine non delevit, ut indicavit Toſtatus hic *quæſt.* 17. inquiens: *Quæret aliquis quare Saul acceperit vivum Regem Agag, & non occiderit eum? aliqui reſpondent, quod hoc fecit Saul propter ſuperbiam ad jactandum triumphum, quem habuerat de hoſtibus: nam eùm eum vivum duceret, gloriabatur quod haberet ſub ſe unum Regem.* Sed malè ſano conſilio ductus, ut Regem vivum ſecum duceret in triumphum, à regno ampliſſimo fuit ipſe deturbatus: non prudenter egit Saules, qui ut pro exiguo tempore, pro momentanea pompa vano exciperetur plauſu, ac umbratili tutilaret ſplendore, neglexit Numinis obtemperare decreto, & virtutis exercitium vanæ glorioſæ poſthabuit.

18 Non ita ſe geſſit David choreas coram Acca inſtituens, neque curavit ſi ab hominibus haberetur contemptui: maluit prudenter deſpici ab hominibus, & Deo inſervire, quàm laudibus excipi, quàm à cultu Numinis deficere 2. Reg. cap. 6. v. 20. *Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſrael diſcooperiens ſe ante ancillas ſervorum ſuorum, & nudatus eſt, quaſi ſi nudetur unus de ſcurris.* Protulit hæc verba ironicè Michol conremnens Davidis choreas, & ſaltus, & redarguens ejus nuditatem. Sed David retorſit *Ante Dominum, qui elegit me potiùs quàm patrem tuum ludam, & vilior fiam.* Ducebatur David regulis prudentiæ; quò Numini placeret, veritus non eſt ab hominibus haberi contemptui. Saules igitur dum ſatagit clarior coram hominibus ſplendere; coram Deo luminibus virtutum deſtitutus obſcuratur, imò & à regno excluditur & throno, privatur ſceptro, & regia ſpoliatur Chlamyde: David verò, quia prudenter egit, & virtutis culturam prætulit hominum plauſui coram Deo meruit ſplendere, & tunc conſcendit altiùs ad thronum, cùm choreas, ſaltúsque coram arca duxit, quaſi diceret David ait. S. Gregorius apud Gloſſam *vileſcere coram hominibus appeto: quia ſervare mihi coram Deo ingenuitatem per humilitatem quæro,* quia nonniſi ad prudentiæ regulas ſuas David operationes direxit, maluit apud Deum ſplendere culturâ virtutum, quàm hominum plauſu, & laude excipi, imò non curavit apud homines haberi deſpectui, dummodo à Deo aſpiceretur probatus.

19 Plures ſunt, qui ſatagunt prudentes videri ab hominibus tantùm; idque vel ut umbratilem aucupentur gloriolam, vel divitijs inhiantes aliquid inde lucri enanciſcantur: & ad id ea feruntur ſedulitate, & labore, ut videantur prudentiores alijs Luc. 16. 8. *Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet; quia filij hujus ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt:* Laudavit herus villicum ſuum, ejúſque prudentiam commendavit, non tamen quia donaverit aliena, ſed quia ſibi in futurum providerit, ſuæque domui conſuluerit: non laudavit diſpenſatoris furtum, ſed providitoris ingenium, quo ſuo commodo in futurum proſpexit: & quamvis ſpuria fuerit hæc prudentia, nihilominus laudatur, quò & nos exemplo villici, ita agamus in præſenti, ut nobis provideamus impoſterum, nobíſque ritè conſulamus; unde Moyſes in ſuo cantico Deuter. 32. v. 29. *Utinam noviſſima providerent.*

20 Laudavit igitur Dominus ajunt prudentiam, quò veram nos edoceret; ideóque ſubdit, filios hujus ſæculi eſſe prudentiores, quia ſolertiori ſtudio, improbiorique labore ſibi in futurum provident: hæc enim ea eſt prudentia, quæ omnia molitur, labores ſuſcipit, pericula adit, ærumnas tolerat, vigilias protrahit, ut ſibi conſulat, ac commoda præſentis vitæ quærat: eſtque prudentia carnis, cujus commodo tantùm ſtudet, quæque apud Deum ſtultitia vocatur; neque ulla dementia major, quàm prudentia carnis, & ventris, quæ imprudentia eſt mentis: hanc qui prudentiam carnis callet, callidus eſt, ſed ſimul demens, & fatuus: huic qui carnis prudentiæ ſtudent, ſunt verſipelles, callidique veteratores, aſtutiarum opifices, duplicitatis promotores, fraudum fabri, verſutiarum authores, in machinis conſtruendis vigiles, in parandis inſidijs prompti, in ſimulationibus arguti, in alijs decipiendis lyncei, in commodis ſibi procurandis Argi centoculi: ſed ſi in coacervandis terræ divitijs ſunt ſtudioſi, laborioſi, & oculati; in cultura veræ virtutis torpent, & ſqualent: ſi in vanidis terræ negotijs perſpicaces ſunt aquilæ in promovenda cœli felicitate cæcutiunt ut noctuæ; ideóque flocci, vel nihili faciunt legem Domini, quàm ſingulari audacia transgrediuntur; non intelligunt minantis Numinis potentiam, quam deſpiciunt; non conſiderant imperantis DEI authoritatem, quam non reverentur; non vident niſi turpitudinem, quam ſequuntur; non decus honeſtatis quod flocci faciunt; non præmia virtutum, quæ vili pendunt; non æternæ gloriæ felicitatem, de qua nunquam cogitant, quia in eorundem oculis lippitudo ad extremam excrevit craſſitiem; in mente caligo nocte obſcurior; in judicio tenebræ Ægyptiacis tetriores; cúmque omnia eorum ſtudia, & conſilia in mundi negotijs occupentur, prorſus caligant circa cœleſtia; & iſti ſunt terræ negotiarores, fucatæ prudentiæ amaſij, qui in humilibus, & abjectis negotioſi, vividi, ac ignei ſunt; in cœleſtibus verò, ac divinis frigidi, emortui, ac ſtupidi: & hæc eſt *prudentia carnis, quæ mors eſt,* ad Rom. 8. v. 6. & diſtinguitur à prudentia ſpiritûs, quæ juxta eundem Apoſtolum *vita & pax eſt.* Idque cauſæ, cur Diabolus dextris noſtris oculis potiſſimum dicatur inſidiari: quia nimirum dexter oculus prudentiam ſignificat ſpiritualem, ſiniſter carnalem: non ſatagit cacodæmon carnalem prudentiam in nobis extinguere, ſed ſpiritualem; illam promovere ſtudet, hanc removere. Notat Petrus Bleſenſis *epiſt.* 14. Omnes quotquot militant in caſtris ambitionis, indulgent carnis voluptatibus, occupantur in congerendis terreois divitijs, & prudentiæ carnis ſtudent, captos eſſe à Naa Amonite, dextróſque amiſiſſe oculos, eò quia perſpicaces tantùm ſint in acquiſitione temporalium, & cæcutientes talpæ in ſtudijs virtutum, in aquirendis bonis æternis.

21 Mirum dictu quanto impenſo labore, quanta ſedulitate, mentíſque occupatione filij hujus ſæculi ſatagant divitias, quibus inhiant acervare; voluptatibus, quas quærunt indulgere; commodis quæ peroptant uti; adeo ut pauci enumerentur viri ſancti, qui tot labores ſubeant pro æterna gloria acquirenda, in quo ſenſu *Filij hujus ſæculi prudentiores filijs lucis in*

gener

generatione ſua ſunt. Luc. 16. 8. non enim, ait Theophilactus hîc, tam facilè inveniuntur, qui tantam prudentiam habeant in acquirendis bonis æternis, quantam calliditatem, exercent filij hujus ſæculi in bonis, commodiſque temporalibus acquirendis. Euſebius Emiſſenus *Domin. 9. Pent.* eos vocat ex conſuetudine prudentes, & ſapientes; qui incommoda, & noxia ab utilibus in rebus humanæ vitæ diſtinguere curant, qui propterea non dicuntur ſimpliciter, & abſolutè prudentes, ſed ſecundùm conſuetudinem hujus vitæ, quæ in carne agitur, & hi dicuntur villici iniquitatis ait. S. Baſil. in Pſal. 48. *quia prudenter conſuluut diſpenſandis ſuæ ipſorum vitæ commodis.* Vera prudentia ſimplicitate gaudet, & omnem à ſe duplicitatem excludit, eſtque veluti oculus, qui ſi ſimplex fuerit totum corpus lucidum eſt Matth. 6. 22. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus lucidum erit*, ait Hugo Cardinalis ex S. Chryſoſtomo, ſicut qui graves habet oculos in loco obſcuro, ac tenebricoſo clariùs videt, & in meridiano ſolis jubare obſcuriùs, imò & cæcutit; eò quia lux intenſior ſolis oculorum extinguat tenuitatem: ita qui oculo tantùm ſiniſtro videt, ſeu fucata prudentia agit, quique terrenis deſiderijs mentem gravatam habet, ejúſque aciem lippitudine confuſam, tametſi in rebus mundialibus, in negotijs hujus ſæculi ſapiat, videatúrque aſtutus, ſagax, & perſpicax, ſi tamen trahatur ad ſpiritualia, quia dextro oculo caret, veráque prudentia deſtituitur, omnino cæcutit, nilque ſapit.

EXPENSIO XII.

Vir prudens morte utitur magiſtra, à qua diſcit rectè vivere

1 QUi verè prudens eſt, non præſentia mundi commoda, quæ fluxa, vanida, ac diaria ſunt ambitioſo conatu quærit, ſed quæ rerum viciſſitudinibus non ſunt obnoxia, ſeu cœleſtia tantùm appetit, hinc ſcribit Beat. Petrus Damianus *lib. 4. Epiſt 5.* ad quendam Epiſcopum amicum. *Nunc dum tibi mundus arridet, dum carnis ſanitas ferret, dum proſperitas terrena demulcet: quæ poſt iſta ſequuntur, excontia; & jam quaſi tranſactis, quæ præſto ſunt, illuc prudentia veſtra ſoleter examinet, quæ præſentibus futura ſuccedant.* Vir prudens non in extima ſuperficie, quæ ſenſum titillant, aſpicit, ſed interiora penetrat, & qualia ſint in ſe, quæ mundus exhibet commoda introſpicit, perpendítque, num operæ pretium ſit ejſdem adhærere, Luc. 14. v. 28. *Quis ex vobis volens turrim ædificare non priùs ſedens computat ſumptus.* Priùs, ſedet, quod perinde eſt, ac ſedulò conſiderare intra ſe conſcientiæ ſuæ ſecreta; unde Jeremias Thren. 3. 28. *Sedebit ſolitarius, & tacebit*, hoc eſt diligenter conſiderabit ſeorſim à quovis tumultu hominum, & tacitus negotia mente volvet: quòd ſi priùs ſedet, poſtea computat, quod perinde eſt: ac providere, & omnia media diſquirere ad ea eligenda, quæ opportuniora ſunt ad finis conſecutionem; adeo ut omne, quod agimus prævenire debeamus, ait Gloſſa, per ſtudium conſiderationis, unde Salomon Proverb. 4. 25. *Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.* Idque præſtant, qui vera prudentia ducuntur & oculo dextro res aſpiciunt: qui enim ſiniſtro vident, hallucinantur, ac perperam agunt; ut ille in Evangelio Luc. 14. 18. *Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam.* An non imprudentia erat redarguendus, cum priùs villam emerit, pretium ſolverit, antequam eam exploratum iret, ejus ſitum videret, latitudinem, & longitudinem dimetiretur, ejúſque fertilitatem cognoſceret: perinde ſe gerunt imprudentes hujus ſæculi; voluptates, honores, cœteráque bona priùs emunt, antequam ejus pericula; incommoda, vanitatem, moleſtias, ac ſupplicia, quæ ſecum trahunt, conſiderent: ſecus prudenter ſe geſſit mulier illa, quæ Proverb. 31. 16. *conſideravit agrum, & emit eum.* Prius voluit agrum illum explorare, ejus latitudinem metiri, feracitatem cognoſcere, & poſtea de pretio ſolvendo convenire, & per contractum emptionis jura agri illius in ſe transferre. Is prudenter agit, qui ita intelligit, ut ſingula conſideret 3. Reg. 2. *Ut intelligas univerſa quæ facis*, ſeu ut prudenter, ac intelligenter agas, hoc eſt legit Chald. *Ut proſpera reddas omnia, quæ feceris*, ſiquidem qui prudenter ſua agit, proſperè ea perficit; & is prudenter agit, qui finem reſpicit, qui ſeriò de morte cogitat, ejúſque recordatione pravos quoſque affectus coërcet, paſſionum impetus retundit, larvatas mundi voluptates, vel fugat, vel fugit. Mors præ oculis habenda eſt, hæc nos docet prudenter agere.

Non tamen de morte cogitemus ut eminus remota, ſed cominus imminente; Libithina æquè ſua falce juvenum flores, adoleſcentum vireta, parvulorum tenellas herbulas, ac ſenum exſiccata, & adulta ſtramina, uno eodem reſecat vibratu: hinc ſapiens Eccleſ. 12. 1. *Memento Creatoris in diebus juventutis tuæ.* Quid quòd ſolius meminerit juventutis? num ſenes memoriam debent Creatoris obliterare? abſit hoc; ſed quia mors, quæ ab adoleſcentibus creditur procul diſtare perſæpe ijſdem imminet propterea tam juveni, quàm ſeni præ oculis ſemper habenda eſt, non enim ex annorum citamur cenſu, ſed quævis ætas mortis eſt portio: ita perſæpe mors prævolat, ut reliquas prævertat ætates, in quas ſi memoria Creatoris differatur, prorſus aufertur; incertum eſt enim quid poſſit in futurum contingere; quòd cum noviſſent inſipientes illi qui nonniſi mundi voluptatibus, carníſque blandimentis indulſerunt ne ſuis privaremur delicijs, dixerunt Sapient 2. 6. *Utamur creatura tanquam in juventute celeriter*, non dixerunt, utamur creatura ſimpliciter, ſed addiderunt celeriter, ne ſi temporis protrahant 2

ſpatia à morte præocupati, frui ampliùs voluptatibus nequeant, unde per Iſaiam 22. 13. etiam dixerunt *Comedamus, & bibamus, cras enim morienur*: ſed ſi brevì erant morituri, cur conſultiùs non dixerunt; jejunemus, ploremus, reſipiſcamus, contractas noxarum maculas lacrymis deleamus, cras enim moriemur.

3 Vir prudens ita vivit, ac ſi eſſet ſtatim moriturus, & quia ita vivit, eum non pœnitet in morte vixiſſe, & mora eſt ipſi tranſitus à miſeria ad felicitatem. Idque cauſæ, cur Deus Protoparentibus minatus fuerit mortem ſtatim, ſi tranſgreſſi fuiſſent injunctum ijſdem præceptum, ut abſtinerent ab eſu pomi vetiti Geneſ. 2. 17. *In quocunque die comederis, morte morieris.* Quidni divinum violavit Adam præceptum, & non tamen illicò mortuus fuit: ſed tametſi non ſtatim fuerit mortuus, cœpit tamen mori, ait Auguſtinus ſuper geneſim, quatenus ſententiam mortis incurrit, & mori cœpit, quid eſt mori, quàm currere ad mortem? & poſt tranſgreſſionem præcepti Protoparentes morti facti ſunt obnoxij, & ad mortem cœperunt currere, conſequenter mori 2. Reg. cap. 14. v. 14. *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur.* Vix homo oritur, & ſtatim moritur: etiam in areolis, & horto Sponſæ adoleverunt, ac creverunt flores diſcolores, qui colorum varietate, & odoris ſuavitate alliciebant adſtantes Cant. 2. 12. *Flores apparuerunt in terra noſtra*, & tamen ſtatim ingemuit *tempus putationis advenit* cum verno tempore jocantur, & adoleſcunt flores in hortis, vel rident in pratis, ſimul lugent vites, quæ amputatæ lacrymas emittunt, quò inde diſcamus vitam & mortem, gaudium & luctum nullo fermè intervallo diſtare. Vix naſcimur, morimur, & nativitas curſus eſt ad mortem, & ſi incipit homo mori, cùm currit ad mortem; jam nativitas & mors, uno eodémque tempore ſimul nectuntur.

4 Hinc Jeremias. 9. v. 21. *Aſcendit mors per feneſtras*, ſed cur non per portas, ut nimirum imprudentes, & imparatos rapiat homines, ſiquidem majus impendunt ſtudium in januis, quàm feneſtris cuſtodiendis, propterea Chriſtus Matth. 25. v. 13. nos monet, ut vigilemus ſive vita noſtra adoleſcat in flore juventutis, ſive langueat, ac frigeat in hyeme ſenectutis, & indicans cauſam Marci. 13. 33. ait: *Neſcitis quando tempus*, ubi Theophilactus: *Utiliter abſcondit Deus conſummationem vitæ, ſive omnium in communi, ſive uniuſcujuſque in ſingulari, ut dum incertus eſt finis, ſemper ſoliciti ſimus, & anxij, expectantes illum, & timentes, ne imparatis ſuperveniat.*

5 Prudenter qui agit, cuncta prævidet, ſibique conſulit, ne quidquam ei deſit de neceſſarijs, ut præſtitit Abrahamus, qui juſſus filium ſuum Iſaacum, quem è Sara grandæva ſuſceperat immolare, ſeu domus, totiúſque familiæ ſplendorem extinguere, parentum delicium abigere, & proprium filium ſuis manibus jugulare eo in monte, qui deſignandus eſſet à Numinis interprete Genio, ſtatim divino obſecutus imperio duxit ſecum Iſaacum filium, & quidem etiam bajulum lignorum Geneſ. 22. v. 3. *Cúmque concidiſſet ligna in holocauſtum*: mirum tamen quòd Abraham ligna ſecum tulerit in montem? an non aderant ibi ſylvæ, vel ſaltem in vicinijs, ut labori, & oneri parceret, ſibíque ſufficienter conſuleret? ſed quia fortaſſis dubitavit Abraham, num in loco immolationis præſtò eſſent ligna, & ſacrificium remoraretur; prudenter cuncta voluit parata eſſe, & ſimul nobis eſſe documento, ut omnia noſtra nunc componamus, & bona, quæ agimus, nobiſcum feramus, quia neſcimus, quid impoſterum nobis poſſit contingere.

Prudenter non ſe gerunt, qui mundi negotijs immerſi nil cogitant niſi de præſentis vitæ commodis; hi prorſus cæcutiunt, & ambulantes claudicant, neque commoda alterius vitæ experientur. 6 Rex ille, qui in Evangelio nuptias filij celebraturus convivium ad omnem inſtituerat lautitiem, ſervos miſerat, ut vocarent invitatos, ſed quia iſti larvatis coloribus cauſas ſategerunt excuſationis obtegere, juſſit tunc Rex è vicis, & plateis obvios quoſque vocari pauperes, cæcos, claudos. Luc. 14. *Exi cito in plateas, & vicos civitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* Verùm adhuc regia munificentia numerum vicit miſerorum, & adhuc locus ſupererat pluribus alijs recipiendis peraptus: cúmque ſervus renuntiâſſet Regi fercula ſuperare convivas, & plura adhuc ſupereſſe loca pro alijs, juſſit Rex famulum iterum exire, & alios quærere, quò loca omnia implerentur Luc. 14. *Exi in vias, & compelle intrare*, Sed quæ ſepes, & viæ vocantur à D. Luca, viarum exitus dicuntur à S. Matthæo Matth. 22. v. 9. *Ite ad exitus viarum*: inſurgit tamen ſtatim difficultas, cur in exitu viæ inventi compellantur intrare; cum reperti in vicis, & plateis ſtatim ingrediantur invitati, & non compulſi: illos invitat Rex ad regiam ſuam menſam, ad luxum in epulis, ad miſcendum ſecum colloquia, & tamen neceſſe eſt eos compellat, adigátque venire Luc. 14. *Compelle intrare*; ita eſt inventi in exitu viarum compelli, & adigi debent à Rege, ut ejus palatium ingrediantur, & parato prandio fruantur, quia hi memores mortis ſolatia hujus vitæ reſpuebant, viarum enim exitus vitæ admonent finem, & hos exitus, qui conſiderant in via hujus vitæ omnem deponunt ambitionem, & palatia principum fugiunt etiam vocati, & nonniſi compulſi ea ingrediuntur, opportunè ad rem noſtram S. Hilarius apud D. Thomam in Matth. 22.

7 *Per viam tempus ſæculi intelligendum eſt, atque ideo ad exitus viarum jubentur ire*: ut memores mortis prudenter agant, & ſua instituant negotia: D. Ambroſius in D. Lucam. 14. ait: *Mittit ad vias, & circa ſepes: quia hi videlicet apti ſunt regno cælorum, qui nullis præſentium cupiditatibus occupati, ad futura feſtinant*: qui in pla-

plateis degunt, vicos perambulant, ſæculi negotijs occupantur præ cæteris regiam exambiunt familiaritatem, libenter principum palatiã ingrediuntur, dignitates, & honores quæſituri, officia vel obſequijs, vel pecunijs empturi; & iſti non eſt neceſſè, compellantur, ſed ſufficit; ſi invitentur, imò ingrediuntur, ſi cognoſcant aditum ſibi patere: at qui in terminis, ac finibus verſantur viarum; hi ad exambiendam regiam amicitiam, ad ineundam cum Magnatibus conſuetudinem, non ſufficit, ſi invitentur, ſi illis pateat aditus, ſed neceſſè eſt, vi honeſta compellantur; quia memores mortis prudenter res ſuas diſponunt, & à mundi delicijs libentiùs abſtinent, ut cœleſti donentur felicitate: ſecus qui plateas, & vicos perambulant longè ab exitibus viarum, ſeu procul à mortis memoria, hi cæcutiunt in mundi ſplendore; & claudicant perambulantes vias dignitatum Luc. 14. *Exi citò in plateas, & vicos, & Cæcos, & claudos introduc huc:* qui verò in exitibus reperiuntur viarum, neque claudi dicuntur, neque cæci deprehenduntur: quia exitus viarum, ſeu mortis recordatio oculos aperit, ut rectè, & prudenter quis ambulet citra lapſûs periculum: qui verò mundi negotijs occupati divitijs inhiant, hi nunquam ſaturi acriori ſame ſemper torquentur, & quia prudenter non ſe gerunt, neque de morte cogitant imminente, ita res ſuas inſtituunt, ac ſi æternùm eſſent victuri, & nunquam morituri.

8 Teſtis eſt, qui in Evangelio divitijs affluebat, & cui meſſis ubertas, ac telluris fæcitas felicitatem adauxerant, hic in fortuna pingui pauperior, in felicitate miſerior noctes duxit inſomnes mente volvens, quomodo fructuum ubertatem recondere poſſet; & de ampliandis horreis ſollicitus, vel in ipſo exitu viæ, ſeu in ſenio vitæ, fores jam jam morte pulſante inanibus ſe torquebat cogitationibus Luc. 12. v. 18. *Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos? & dixit, hoc faciam, deſtruam horrea mea, & majora faciam.* Sed hiſce occupatus cogitationibus, quibus non minus mentem implevit, quàm fructibus horrea, ſententiam audit, qua redarguitur ſtultitiæ, & ſimul inopinus ei ſignificatur mortis adventus: *ſtulte hac nocte animam tuam repetent à te.* Jure meritò ait S. Baſilius ſtultitiæ nota inuri debuit; cum urgente nocte, frigeſcente jam ſenectutis hyeme de novis conſtruendis horreis cogitaverit, ac ſi vitam redorditi mox deberet. Si floruiſſet ipſe adhuc in juventa aliqualem fortaſſis excuſationem potuiſſet colorare; ſed cùm in ultimo jam verſaretur ſenio, & ex nivibus canitiei membra corporis frigerent, ſumma fuit illi ſtultitia cogitare de horreis ampliandis, & non potiùs de morte ritè obeunda, ait Baſilius: *Permiſſus eſt deliberare ſu omnibus, & manifeſtare propoſitum proprium, ut condignam mereretur ſui affectus ſententiam:* rectè ſententiam audit, qua nota inuritur ſtultitiæ, quia cum deficeret ei tempus, de novis conſtruendis, & ampliandis horreis cogitavit, ad quorum initium ponendum tempus defuit.

Sunt, qui licèt ſenio confecti, adhuc ſemper ſperant diutiùs vivere; & hos redarguit, ut parùm prudentes D. Auguſtinus de verbis Domini, inquiens: *Quid eſt diu vivere, niſi diu torqueri:* nil certè, in ſenibus præſertim, miſerius ipſa vita, cum ipſi acriùs torqueantur ob plures ægritudines, quibus ſunt obnoxij; nil habet vita præſens niſi malorum cooſenſionem, miſeriarum pertinaciam; quapropter Lyces princeps cenſuit, vitam eſſe animo ſupplicium haud diſſimile illi, quo viventes homines cadaveribus conſtricti os ori, pectus pectori, manus manibus, diriſſimè torquebantur: quando anima noſtra divinitatis portio puri, fluidóque alligatur corpori non ſine cruciatu. Quò quis proximius per ætates accedit ad mortem, vividiùs debet de exitu cogitare; deſideria vana excutere, affectus ad dignitates, divitias coërcere, ne imprudentiæ nota redarguatur, idque cùm noviſſet, Seneca ſcripſit *epiſt. 12.* ad amicum ſeneſcentem: *Jucundiſſima eſt ætas devexa, jam non tamen præceps, & illam quoque in extrema tegula ſtantem judico habere ſuas voluptates; aut hoc ipſum ſuccedit in locum voluptatum, nullis egere. Quàm dulce eſt, cupiditates fugaſſe, & reliquiſſe.* Fugantur cupiditates, cùm coërcentur, & exercitio virtutum admitimur ſplendere, ut nos monuit Chriſtus Luc. 12. v. 35. *Sint lumbi veſtri præcincti*, cupit nos paratos ſemper eſſe, ac ſervos imitari, qui herum expectantes non quaſi de longinquo, ſed de proximo mox advenientem, luceroas ſemper accenſas in manu tenent, ut pulſante Domino ſtatim eidem obvient, ac inſerviant quavis diſruptâ morâ. Mors enim dedignatur expectare.

Hinc villicus Evangelicus dixit Luc. 16. 3. *Aufert à me villicationem*, hoc eſt, de præſenti aufert, non de futuro auferet: quò inde diſcamus, mortem, & tempus reddendæ rationis, non ut futurum perpendere, ſed ut præſens timere: ait Iſidorus lib. 1. Solilog. *Quotidie dies ultimus appropinquat; quotidie ad finem tendimus, ad mortem quotidie properamus.* Reum perpende, qui ob patrata delicta ducitur ad patibulum, quamvis per longiorem eat viam, greſſúque tardiore; non propterea patibulum minus eſt ipſi timori, cum certo ſciat ſeriùs, aut ocyùs debere illuc pervenire; nec poſſe ab itinere ſuſcepto retrocedere. Quid ni? omnes rei ſumus, & morte ex æterni Judicis ſententia damnati, tamerſi firma fruamur valetudine, vegeti ſimus, in via ſumus, quâ ducimur ad mortem, neque nobis poſſibile eſt retrocedere; ſed velimus, nolimus, properamus die, noctúque ad ſepulchrum quavis ſecluſa mora; quamvis longiore via ducamur; non tamen minus mortem timeamus, cum hæc ineluctabilis ſit, nec poſſimus eam declinare; imò celeri ac nunquam interrupto paſſu ad eam properamus, quia vita noſtra non ſolùm eſt calamitate ferox, verùm & ce-

 leritate

inanes umbras, qui à nobis honores, ac præeminentiæ cenſebantur.

13 Si præcedentes per vitæ ætates ſtudia neglexit homo virtutum, ſenectutis ſaltem imminentis mortis, ac vitæ occaſûs excitatus ſtimulis ſibi conſulat; errores anteactæ vitæ corrigat, mores ad normam virtutum componat, ſéque ad tranſitum, & migrationem de fluxis ad permanentia, de temporalibus ad æterna ſe diſponat. Id enim, ut nos Magiſter Chriſtus edoceret, biduo ante eſum agni paſchalis nihil legitur, quod fuerit coram hominibus operatus, ut nos internam recollectionem ab ipſo diſcamus, cùm vitæ occaſus imminet Matth. 26. 2. *Scitis, quia poſt biduum paſcha fiet*: ſed quid Chriſtus egerit, illo biduo non conſtat, non enim legimus, eum docuiſſe in templo; quia quæ docuit tam ipſa die palmarum, quàm feria ſecunda, & tertia, ſcribunt Evangeliſtæ Matthæus à cap. 21. uſque ad 25. Marc. cap. 11. & ſequentibus. Lucas cap. 29. & ſequent. Quid autem hoc biduo docuerit, reticetur; & SS. Patrum conjectura eſt, tunc Chriſtum non docuiſſe, ſed ex more ſuo in monte Oliveti preces fudiſſe ad Deum Patrem, & per internam recollectionem cœleſtia meditatum fuiſſe, ut nos doceret, quàm neceſſaria ſit ante mortem ſibimet vacare, & propriæ animæ conſulere, ex corde reſipiſcere, preces, & eleemoſynas præmittere, & per exercitia virtutum debitam ponere diſpoſitionem ad tranſitum in aliam vitam; quòd ſi Chriſtus innocentiſſimus voluit illo tempore ſe recolligere, quantò magis nos nocentes neceſſe eſt ante mortem noſtra diſponere per internam recollectionem animæ conſulere, & ſoli Deo vacare, ut per exercitia virtutum aliquid inde colligamus meriti exemplo Chriſti Luc. 22. v. 12. *Ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum, & ibi parate.* Juſſerat, ſuos Diſcipulos ingredi civitatem, & domum quærere, in qua eſſet paſcha celebrandus, & Diſcipuli Magiſtro obſequentes Matth. 26. v. 19. *Paraverunt paſcha*: ſed Magiſter juſſit, & lapidem tollere Joan. 11. v. 39. *Tollite lapidem*: nimirùm quò proximiùs appropinquabat morti, eò præclariora, ac plura edebat ſigna, ne quisquam eſſet, qui ejus mortem humanæ infirmitati tribueret. Sed D. Auguſtinus *Tractat. 79. in Joan.* cenſet, Chriſtum morti proximum hæc edidiſſe ſigna, ut ſuo nos exemplo doceret in ſenectute, in vitæ occaſu, cum non multùm diſtamus à morte majori ſtudio adnitamur virtutes exercere, vitam corrigere, mores emendare, & præclariora præſtare, quàm in anteactæ vitæ curſu. Chriſtus Joan. 13. *ſciens, quia venit hora ejus*: Diſcipulos dilexit, & opera amoris excitavit, ut & nos diſcamus per charitatis exercitia diſpoſitionem ad vicinam mortem præmittere. Chriſtus iturus ad Patrem omnia priùs in tempore præparat *Joan. 13. Ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem*, ut & nos diſcamus pro tranſitu ad Judicem ſupremum nos præparare. Chriſtus cruci affixus, ſanguinem fudit pretium redemptionis noſtræ, & pectus apperuit, quo per patentem aditum faciliùs nos in corde exciperet; ut nos diſcamus ex corde illatas nobis injurias condonare, & inimicos ex corde diligere, eóſque in corde ſervare. Chriſtus, cùm in cruce omnia ritè peregiſſet, dixit. *Conſummatum eſt*, ut & nos imminens mors paratos, & expeditos inveniat: ne quidquam ex negotijs temporalibus nos detineat hisce terrenis implicatos.

Talis fuit Job, qui cùm per exercitia virtutum ſe ad mortem præparâſſet, eam non horruit accedentem, ſed eidem obviavit venienti Job. 29. v. 18. *In nidulo meo moriar*, ubi D. Hieronymus: *Cùm Job etiamnum feliciſſimus ageret, mortis tamen nunquam oblitus, nidum ſibi ſtruxerat quotidiana meditatione.* Nam ſicut aves nidulos ſibi ædificant frequenti ramulorum, aut glebularum congeſtu; ita Job quotidie prævidit mortem: & ſic velut ſedula hirundo glebas comportavit ad conſtruendum nidulum, in quo defungeretur, ut notat Drexelius *tribunal. Chriſti lib. 2. cap. 6.* Sed quid? quòd Job dicatur, plenus dierum mortuus, & vitam ad ultimum ſenium protraxiſſe: Job 42. 16. *Mortuus eſt* (Job) *ſenex, & plenus dierum.* Appoſitè dicitur mortuus plenus dierum, cum toto tempore anteactæ vitæ dies impleverit virtutum exercitijs, ac ſingularis pietatis operibus, ne ullus eſſet, qui vacuus flueret: ſunt enim, qui dierum vacui hinc decedunt, eò quia vanitatibus hujus mundi inſervivěrint, & merita pro vita æterna morientes ſecum non detulerunt; quia parum, vel nihil boni egerunt: hi pleni dierum migrant ex hac vita, qui in id incubuêre ſtudij, ut dies ſingulos anteactæ vitæ bonis implerent operibus. Hi mortem non vident, quia illam prævident, ſéque ad illam ritè præparant per mundi contemptum, per exercitia virtutum, & ſtudia pietatis. 14

15 Hanc ad mortem præparationem præſertim in vitæ occaſu negligere nemo debet, præſertim cum mors quavis hora poſſit domum noſtram pulſare, propterea neceſſe eſt, ut quisque vigilet Luc. 12. 39. *Si ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam.* Mors furi pariatur, qui domum ſpoliaturus, ſi herum inveniat vigilem, eum, perhumaniter ſalutat, & ſermones tantùm cum ipſo miſcet: ſin autem ſomno ſopitum reperiat, ejus comprimit fauces, & ædes ſpoliat. Vir prudens mortem prævidere ſtudet, ne à morte imparatus rapiatur, ſi baſiliſcus hominem videat, antequam homo illum prævideat, eum dicitur ſolo viſu interficere: ſin autem homo prævideril baſiliſcum, hic emoritur: pari pacto, qui mortem vident in hac vita, ſeu illam prævident, ferunt de ipſa victoriam, ſecus ſi mors priùs eos viderit, antequam eam conſiderent, de ipſis triumphat. Vir prudens ne in conflictu cum morte cadat, ſe contra ipſam præmunit, ac præparat; præſertim propè vitæ occaſum Exod. ... *Eſtote parati in diem* ter-

tertium, jamque advenerat dies tertius. Expoſitores per hos tres dies inrelligunt principium, medium, & finem vitæ noſtræ, quidni? die ultimo præſertim convenit nos paratos eſſe, Eſtote parati in diem, quia tunc audientur tonitrus conſcientiæ reclamantis, & Dæmonum accuſantium: fulmina terrebunt, & ferient, ſeu patrata peccata conſcientiam lacerabunt, torquebúntque ad internecionem; nubes triſtitiæ, & confuſionis ſolis ſplendores abripient, ut totus homo in ſqualore, luctu, & umbra mortis jaceat.

16 Ne igitur hiſce ſimus miſerijs obnoxij, neceſſe eſt, quovis tempore ſimus parati per exercitia virtutum, verámque reſipiſcentiam, quapropter dicitur Joſuë 3. v. 5. *Sanctificamini*, ſeu ut legitur in textu Hebraico, *Eſtote parati*, hoc eſt, per opera virtutum, quibus ſanctificamur, & mores corrigimus, per exercitia charitatis, quibus pauperibus opitulamur, & proximo proſumus: & cum nobis non innoteſcat, quando futura ſit hora noſtra, neceſſe eſt, ſimus ſemper parati, ne dicamur arboribus ſimiles, quæ nullo divites fructu excinduntur, & de quibus Apoſtolus Judas *v. 12.* ait, quòd ſint quaſi *arbores autumnales, infructuoſæ bis mortuæ*, ita enim vocat peccatores, negligentes exercitia virtutum, quique de propria ſalute nullam curam habent. Ut ſimus parati, neceſſe eſt, jugiter vigilemus, quia *beati ſunt*, ait Chriſtus Luc. 12. v. 27. *Servi illi, quos invenerit vigilantes.* In ſcripturis, qui benè vivunt, vigilare dicuntur; dormire verò, qui negligentes virtutum exercitia vitijs indulgent, hinc Apoſtolus 1. Corinth. 15. v. 34. ait: *Vigilate juſti, & nolite peccare.* Perinde eſt vigilare, ac benè agere, & ne mors imparatos nos inveniat, neceſſe eſt, vigilemus, ſeu virtutes exerceamus, & vitia quæque declinemus, & hoc eſt, quod à nobis exigit Chriſtus Matth. 24. 42. *Vigilate, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit:* ait Auguſtinus epiſtol. 80. *In quo quemque ſtatu ſuus invenerit noviſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi noviſſimus dies, quoniam in die iſto quiſque moritur, talis in die illo judicabitur: ac per hoc vigilare debet omnis Chriſtianus, ne imparatum eum inveniat adventus Domini. Imparatum autem inveniet dies ille, quem imparatum inveniet ultimus dies.*

17 Imparata non fuit ſponſa, cùm ſtatim ſurrexerit ſuo aperitura Sponſo Cant. 5. v. 5. *Surrexi, ut aperiam dilecto meo, manus meæ ſtillaverunt myrrham.* Quid? quòd ſponſæ manus dicantur myrrham ſtillare, cùm fores aperiunt ſponſo intranti? ſurgit ſponſa, ut aperiat, quando Dominus in obitu venit, & quia ſponſa ſe ad mortem jam præparaverat per exercitia virtutum, & amoris, quo ſponſum fuerat proſecuta, ejus non timuit adventum, quia paratas habuit manus, quæ ideo myrrham ſtillaverunt, quia nunquam otio torpuerunt, ſed per exercitia pietatis viam ſibi ſtraverunt ad mortem S. Gregorius Niſſen. homil. 11. ait: Myrrham mortis eſſe ſymbolum, & inde concludit, ſponſam ſtatim aperuiſſe ſponſo, quia ejus manus myrrham, ſeu mortem ſtillaverunt, cum oſtium ſponſo venienti aperuerunt.

Hi cum ſponſa ſtatim pulſanti ſponſo aperiunt, qui per bona opera ſategerunt myrrham colligere, & mortis memoriam frequenter excitare. Non timent ſponſum, qui myrrham manibus præferunt, ſeu bona opera exercent, quibus ad mortem ſe præparent, mori non timent, qui benè vivere ſtudent. Idque cauſæ, cur Abraham dicatur mortuus in proſpera ſenectute Geneſ. 25. 8. *Abraham mortuus eſt in ſenectute bona*; eò quia in exercitijs virtutum, in bonis operibus perſeveravit, & in bonitate propoſiti permanſit; & quia mors eſt teſtimonium vitæ anteactæ, ideo mors bona dicitur, & ſenectus bona, ſi vita benè inſtituta eam præceſſerit; quem enim conſcientia non pungit, mors non terret: mortis enim appetere acceſſum, vel ejus horrere adventum, eſt hominis, ac conſcientiæ, unde ajebat Apoſtolus 1. ad Philipp. 23. *Coarctor deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto:* è contra Cain mortem timuit, quia fratrem Abelem interemit Geneſ. 4. 14. *Omnis, qui invenerit me, occidet me.* Mors eos occidit, quos mala opera perdiderunt, & eos vivificat, quos exercitia virtutum commendabiles conſtituerunt: non igitur mors per ſe mala eſt, ſed quæ perperam nos egimus, mala nobis ſunt: appoſitè S. Ambroſius lib. de bono mortis cap. 8. *Non mors ipſa terribilis eſt; ſed opinio de morte, quam unusquiſque pro ſuo interpretatur affectu, aut pro ſua conſcientia perhorreſcit.* Nemo mortem accuſet, ſed ſua opera incuſet, non eſt mors acerba, ſed conſcientiæ vulnus ſecum acerbitatem trahit. 18

Mirum quòd cùm avari, ac divitijs inhiantes impenſo labore quærant, unde divitias poſſint coacervare: triſtitia preſſi, & mœſtitudine oppreſſi, quò poſſint exhilarari: ægritudinibus laborantes medicum peroptent, cujus arte priſtinæ reſtituantur ſanitati, eò quia mortem timeant, adhuc nemo, vel rarus ſit, qui remedium quærat, quò illam non timeat; & tamen, quòd mortem non timeamus, noſtri eſt arbitrij, ſi enim benè vivamus, quod mediante ope divina à noſtra dependet voluntate, mortem non timemus, quia mors tunc nobis non eſt, ſed tranſitus ad vitam immortalem. Illud metuere debemus, unde mors à nobis metuenda conſtituitur, éſtque vita mala, vitijs indulgere, carnis concupiſcentias ſequi, mundi blandimenta appetere, ſenſuum voluptates quærere. Cum interrogaretur Plato a Socrate, quomodo ſe in vita geſſiſſet, & quomodo in morte cogitaret ſe gerere, prudenter reſpondit, *Scito Socrates, in juventa operam me dediſſe; ut benè viverem, & in ſenectute, ut benè morerer:* & quia ſategit per honeſtamenta virtutum ſingulas vitæ ætates ornare, mortem non exhorruit, ſed lætus expectavit. Si chriſtianus Ethnicum Philoſophum imitaretur, non haberet, quo mortem 19

rem in ſenectute horreſceret. Duo potiſſimùm ſunt, quæ difficilem ſuperatu mortem hominibus repræſentant: amor ſcilicet eorum, quæ relinquimus: & metus illius, quod expectamus: ſed præſens vita nihil poſſidet, quod noſtro videatur amore dignum, cum omnia ſint fluxa, voluptates larvatæ, gaudia perſonata, quæ nonniſi lachrymas, & luctum tegunt; quòd ſi vita bona præceſſerit, nil mors habet formidabile, quod metuas. Ne igitur mortem timeamus, neceſſe eſt, ante mortem ſtudeamus benè vivere.

20 Quinimò qui benè vixerunt, hi in morte beati ſunt, & felicitatem enanciſcuntur Apocal. 14. 13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Quid ni? in homine nil moritur, niſi quod antea in ipſo vixerit, & qui virtuti vixerunt, in Domino moriuntur, proinde beati mortui, nec debent mortem horreſcere, S. Bonaventura ſerm. 2. Domin. 15 Pent. ait: *Sic in Domino moritur, quicunque eſt membrum Domini per fidem, & amorem; & nullus in eo moritur, qui in eo non vivit.* Mala mors cenſenda non eſt, quam vita bona præceſſit, ſed illa tantum mala, quam præcedentia mala pejorem conſtituerunt.

21 Si prudentes ſumus, in id toto niſu incumbamus ſtudij, ut mortem nobis conſtituamus bonam, idque præſtamus; ſi bonis operibus inſiſtamus, & nobis ſolis vacemus, David deſcribens ornatum reginæ, ait Pſal. 44. *Aſtitit regina in veſtitu deaurato in fimbrijs aureis.* Quid? quòd cùm reginæ veſtes dicantur tantùm deauratæ, ejúſque fimbriæ aureæ celebrentur? ſeu ex puro puto auro intextæ, cum veſtes tantùm aſſerantur auro illitæ. S. Paſcaſius expendens has veſtes ait: *per fimbriam ſignificari hominis extremam ſenectutem, quam non deauratam ut veſtes fuiſſe dixit, ſed totam auream, quia in fine vitæ tota perfectio amoris quæritur:* cui conſonat Caſſiodorus intelligens per fimbrias veſtium, ſeu extremas lacinias humanæ vitæ extrema, ſeu hominis ſenectutem, & concludit, non ſufficere, ſi hæc ſit tantùm auro illita, ſeu ſplendeat in extima ſuperficie, ſed ut ſit aurea tota: eſt enim ſenectus propriè tempus hominis, quia tunc ſibimet, & non alijs debet attendere, & ſibi ſoli conſulere, accuras omnes terrenorum deponere, quapropter Elias non ſolùm curas depoſuit, ſed & pallio ipſo ſe ſpoliavit 4. Reg. 2. 13. *Levavit pallium Eliæ:* hoc eſt Propheta migraturus ex hac vita, & curtum aſcenſurus pallium à ſe abjecit, ſignificans; terrena quæque ad vitæ diſceſſum impedimento eſſe, ac proinde eſſe longiùs abjicienda, ne iiſdem vel gravemur, vel implicemur.

22 Mortis hora, noſtra eſſe dicitur, quia in vitæ extremo nonniſi nobis debemus proſpicere, imò etiam hora Chriſti morientis aſſeritur ab Evangeliſta Joan. 13. 1. *Sciens, quia venit hora ejus:* horam ſuam mortem dicit, quia mortis hora verè eſt hominis hora: quia ſi tempus anteactæ vitæ multis impendimus negotijs domeſticis, quibus conſuluimus domui, animi voluptatibus, corporis commodis, amicorum conſortijs, tale tempus noſtrum non fuit, ſed aliorum. Hora verò mortis noſtra eſſe dicitur, ut tunc reliquo iam omnium oblitti, nobis tantùm vacemus, ac animæ noſtræ conſulamus.

23 Mors quam vita proba præceſſit non planctu, ſed cantu; non fletu, ſed gaudio ſuſcipienda eſt, quia mors non eſt, ſed tranſitus ad vitam; quam verò vita lurida peccatoris anteceſſit, hæc lugenda eſt, quia mors verè eſt: Joſue 24. Moritur Joſue, & nullæ funduntur lachrymæ, nulla emittuntur ſuſpiria; nullóque planctu ſepelitur. Deuter. 34. 7. obit Moyſes, & ullulatibus repletur aër; pluvijs lachrymarum irrigatur terra, lamentis, & querelis tota reſonat aula: quænam diſcriminis cauſa? Reſpondent SS. Patres Moyſis mortem præfiguraſſe peccatoris obitum; & mortem Joſue tranſitum juſtorum ad æternam beatitatem: appoſitè S. Hieronymus epiſt. ad Paulam in obitu Bleſillæ ſcribit. In Moyſe, ſeu in lege veteri ſub peccato Adam omnes tenebamur; & ad inferos deſcendentes; conſequenter lachrymæ proſequebantur juxta Apoſtolum ad Rom. 5. 14. *Regnavit mors ab Adam usque ad Moyſem.* In JESU verò, ſeu Joſue, nimirum in Evangelio; quia per JESUM Chriſtum Juſtis Paradiſus apertus eſt, mortem gaudia proſequuntur. Viris probis, cultura virtutum florentibus mors lætitiæ, veríque gaudij fructus adfert; éſtque iiſdem læta non mœſta, plena ſolatio, & lachrymis vacua: & hanc Job non caliginoſæ, ac terricæ nocti comparat ſed diei læto, ac ſereno, qualem Mercenarius expectat præmium ſuſcepturus præſtiti, & exanclati laboris. Job. 7. 1. *Et ſicut dies mercenarij dies ejus*, ſeu mors viri probi, qui plurimum laboravit, in cultura virtutum. *Mercenarius* (ait Hugo Cardinalis hic) *dies ſuos citò deſiderat tranſire, ut ad præmium perveniat.* Ita juſtus optat, ut citò fluant dies hujus mortalis vitæ, quò celeriùs præmio donetur in cœlis laborum, quos in terris exanclavit. Unde Job, quia plurimum impendit laboris in excolendis virtutibus ſerena fronte, lætóque animo mortem expectavit, ut æterna donaretur beatitate. Job. 14. 14. *Expecto donec veniat immutatio mea*, ſeu ut explicat Symmachus, *donec veniat nativitas mea;* vocat mortem nativitatem; quia beneficio mortis vir juſtus naſcitur ad vitam nulli obnoxiam morti.

24 Idque cauſæ? cur ſepulchri putredinem patrem ſuum vocaverit, & vermes matrem, & ſororem Job. 17. 14. *Putredini dixi: Pater meus es; mater mea, & ſoror mea vermibus.* Sepulchrum Jobo incunabula ſuppeditavit; putredo eum genuit, & vermes pepererunt ad lucis iſtius uſuram, quæ nullum ſentit occaſum, nulli eſt viciſſitudini obnoxia: hinc Origines expendens verba Jobi ait: *ſicut pueri conſolatores habent parentes: ita Jobus mortem, & putredinem.* Quia juſtus ad mortis acceſſum per-

fundit*ur* gaudio, non lachrymas effundit; mœſtitiam abigit, & lætitiam accerſit: Proverb. 31. 25. *Ridebit in die noviſſimo*, ſcilicet vir juſtus, ſeptuaginta Interpretes legunt: *gaudebit in diebus noviſſimis.* Syrus expreſſiùs: *Exultabit in die extremo.* Per diem noviſſimum mortem intelligunt Patres, quæ propterea viro pio eſt cauſa lætandi, non occaſio mœrendi; quia prœmium accipit laborum, quos in cultura virtutum ſuſtinuit. Hinc Paterfamilias vergente in occaſum ſole vocavit operarios, ut promeritam acciperent mercedem Matth. 20 8. *Voca* operarios. Nota Patrem familias non vocâſſe viros illuſtres nobilitate ſanguinis claros, nec dignitatis purpura eminentiſſimos, nec ſcientiarum encyclopedia celebres, nec divitiarum acervatione felices; nec otij marcore deſides; ſed ſolos operarios, *Voca operarios*, quia ſoli, qui laborârunt in cultura virtutum prœmium accipiunt, & promerita donantur mercede. Dies deſtinata labori, & qua Paterfamilias operarios vocavit, eſt præſens vita: vinea, in quam conducimur ad illam excolendam, eſt eccleſia, vel anima noſtra, quæ cultura indiget, ut in ea ſemina ſerantur virtutum, ut creſcant, in uberrimam meritorum meſſem: excolitur hæc vinea, ſi operarij mores componant ad normam virtutum, ſi ſentes, & vepres pravorum affectuum evellantur; ſi gramina terrenorum deſideriorum eradicentur; ſi luxuriantes malæ herbæ depravatæ concupiſcentiæ reſecentur; ſi pœnitentiæ lachrymis, quæ adoleſcunt virtutum plantæ; irrigentur, ne exareſcant; ſi reſipiſcentiæ vomere tellus cordis noſtri conteratur; & ſemina eidem concredantur earum virtutum, quæ optatos creſcunt in fructus.

25 Hujuſmodi operarij ſunt, qui vergente ad occaſum vita noſtra, ſeu tempore mortis, cum dilapſa eſt jam dies, promeritam accipiunt mercedem. Tunc magis proderit latuiſſe in religioſorum clauſura, quàm reſplenduiſſe in faſtigio dignitatis; utiliùs erit pravos coërcuiſſe affectus, quàm inſignes Cæſari retuliſſe victorias; plus emolumenti adferret pecuniola data pauperibus, quàm ampliſſimæ Crœſi divitiæ; magis proderit jacuiſſe in ima humilitatis valle, quàm ſediſſe in ſupremo regio throno. Tunc operarij laborum ſuorum fructus recipient. Proverb. 31. 31. *Date ei de fructu manuum ſuarum*, ſeu laborum, quos in cultura vineæ tolerârunt. Vir juſtus audiet ab Angelis, *date ei de fructu*, ſeu date ei mercedem, & gloriam pro merito laborum, pro menſura virtutum, quas excoluit: id cum Davidem minimè latuiſſet, dixit Pſalm. 29. 6. *Ad veſperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*, SS. Patres per tempus veſpertinum legem intelligunt peccatoribus traditam: & per matutinum gratiam juſtorum. Putâtim per veſperam tetricam obſcuram mortem indicari peccatoris; & per tempus matutinum, clarum, roſeum, mortem ſignificari cultoris virtutum; quia hæc æternum eidem parit in cœlis diem. Ad veſperam igitur fletus, cum peccatores decedunt, & ad matutinum lætitia cum juſti moriuntur. Tunc dicitur tempus adveniſſe putationis Cantic. 2. 12. *Tempus putationis advenit*: æquiparant SS. Patres mortem juſtorum putationi arboris: quemadmodum arbor fructuum ferax, quò novos ferat, amputatur: ita juſtus Chriſto unitus veluti palmes putatur in morte, ut dulciores fructus ferat in horto cœleſtis gloriæ, diteſcat fructibus divinæ viſionis, luminis gloriæ, & æterni gaudij, & tranquillæ pacis, quia juſti cum ſancto ſene Simeone dimittuntur in pace. Luc. 2. 29. *Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundùm verbum tuum in pace.* Id proprium Juſtorum tranquillè mori, & æterna frui pace: Geneſ. 15. 15. Abrahæ dicitur. *Tu autem ibis ad Patres tuos in pace.*

Sed ſi juſtorum mors honorifica eſt, & beata; improborum infelix, & miſera. Saul à Philiſthæorum exercitu profligatus in ſola fuga ſpem ſalutis poſuit; verùm furijs exagitatus conſcientiæ, & veritus, ne in hoſtium inſequentium manus incideret, à quorum ſagittis jam vulnus acceperat, conſultiùs cenſuit ſe ipſum interficere mano propria, & hoſtilem declinare; cúmq; adeſſet Amalecites, juſſit ab ipſo interimi 2. Reg. c. 1. 9. *Sta ſuper me, & interfice, quia tenent me anguſtiæ.* ſed acriùs animam torquentes, quàm corpus: legit textus hebræus apud Abulenſem 2. Reg. cap. 1. *Tenent me oræ veſtimenti ſacerdotalis*; objiciebantur ejus animo, & oculis ſacerdotes Domini, quibus injurias, & damna intulit; animus anceps, & bifidus; quo divina non ſatis æſtimavit, regni magis cupidus, quàm DEO ſubjici: DEI præceptum, obſequendi contumacia flocci feciſſe, cùm juſſus Amalecitas delere, Regi pepercit, & opima ſpolia ſibi ſervavit, & pervicaci miſericordia gregibus indulſit, quos in propriam deſtinavit utilitatem, licèt perdere in DEI honorem debuiſſet, quod propterea ei exprobrans Samuel dixit 1. Reg. cap. 15. *Nunquid vult Dominus holocauſta, & victimas, & non potiùs, ut obediatur voci Domini? melior eſt enim obedientia, quàm victima.* quia ut ait D. Gregorius. Per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur. 26

Animum corrodebat Saulis recordatio perſecutionis, quâ ex invidentia Davidem innocentem ſategit è vivis delere. Cruciabatur ob magiam accerſitam, ubi enim ſuperos flectere in vota ſua non valuit, maluit Acheronta movere, & Pythoniſſam conſulere; ſeu anum divinatricem, Necromanticam, Sagam: in qua re Saules tantò fuit deteſtabilior, quantò antea laudabilior cum regni initio Magos, Ariolos, Pythones, mulieres pythoniſſas omnes ex Iſraële abegit. Quidni? quod Sauli infelici contigit, idem peccatori obtinget, quando circumdabunt ipſum dolores mortis, torrentes iniquitatis ipſum obruent, & pericula inferni utrinque imminebunt. Tunc ponetur ante 27

oc-

oculos vitæ anteactæ turpitudo; apparebit ſublata larva, excuſſo fuco, delictorum gravitas; tunc occurrent memoriæ fraudati mercede operarij; res alienæ invito Domino ſurreptæ; puellæ conſtupratæ, divitiæ injuſtè congeſtæ; tunc cum Saule dicent peccatores, *tenent me anguſtiæ*, quia recurrent delicta patrata; luxuriæ, quibus ſenſui indulgentes ſordoerunt; neglectus divini obſequij; tempus luridè conſumptum, occaſiones exercendæ virtutis prætermiſſæ; preces neglectæ; ſacramenta nonniſi rariſſimè, vel tantùm perfunctoriè uſurpata: tunc repetet peccator cum Saule, *tenent me anguſtiæ*: appoſitè S. Chryſoſtomus concione 2. de Lazaro ait: *Cùm ſemper nos ſtimulet peccatorum conſcientia; tum verò maximè illa hora, cùm hinc ſumus abducendi*: tunc enim quæ quis rapuit, ſi aliquem fraudavit, ſive contumeliâ affecit, ac univerſus peccatorum cumulus renovabitur.

28 Ad hæc addentur Dæmonum inſidiæ, quorum impetus & aſſultus, quia ultimi, erunt valentiores; & ipſi patrata accuſabunt delicta, gravitatem exaggerabunt peccatorum, ut in deſperationem inducant animam agentem: vel extenuabunt, ut moriens ea parvi pendat, & non reſipiſcat, nec lachrymas eliciat, quibus eorundem maculas abſtergat: omnibus ſiquidem machinis morientem erunt aggreſſuri; modos omnes adhibebunt, quò eum in gehennam trahant, tentationes repetent eas præſertim, quibus aliquando ſuccubuiſſe, eos non latet; & ex ea parte morientem invadent, ex qua debiliorem eſſe deprehendent: & vergente celeriùs ad occaſum hujus vitæ die vires deſerent jacentem in extremis, cujus membra rigebunt, ſenſus deficient, mens turbabitur, cor palpitabit, ſqualebit vultus; caligine offundentur oculi, ſudor frigebit in fronte, & anima ad labia deducta à corpore diſcedet, & hominis vita, ſplendor, decor, unico evaneſcet momento; quin in terrũ ſtatim mutabitur cadaver, circumſtantibus horribile, amicis moleſtum, conſanguineis grave, & linteo involutum lacero quidem, & detrito effertur ad ſepulchrum, abjicitur in foſſam, vertitur in putredinem, & tandem abſumpta ſanie deſinit homo in oſſa arida.

29 Mors impij non poteſt non eſſe miſera; & infelix, cùm ipſe luridè vixerit Proverb. 2. v. 22. *Qui iniquè agunt, auferentur ex ea*, ſeu ut legit Chald. *Diceptores eradicabuntur ex ea*: hoc eſt, ait Cornelius à Lapide: *Impij, inviti, & cum magno dolore à terra avellentur, cui toto corde erant affixi.* Quódqoe deteriùs evelluntur plerumque è terra extempore, cùm minùs de morte cogitant, quapropter Eccleſ. 7. 18. dicitur. *Ne moriaris in tempore non tuo.* Mori dicitur tempore non ſuo, ac importuno, qui conſummatus non fuit in exercitio virtutum, ſed in peccatis hinc decedit, quibus hic convixit.

30 Plures ex reprobis ſalutem conſequerentur, ſi in tempore ſuo morerentur, ſeu cùm ſunt in ſtatu gratiæ, qui tamen æternis cruciatibus torquebuntur, quia moriuntur non tempore ſuo. Id intereſt diſcriminis improbos inter, & juſtos, quia impius dies ſuos non complet Iſaiæ 38. verſ. 10. *Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi*, dixit in dimidio dierum, quia dies ſuos nondum compleverat exercitijs virtutum, operibus pietatis, ſed dimidiavit, ac fregit delictorum patratione. Juſtus verò dies ſuos complet, ſeu ſecum defert plenos bonis operibus, & oppletos virtutibus, talis fuit Abrahamus, qui *mortuus eſt plenus dierum in ſenectute bona.* Impij decedunt in dimidio dierum licèt ſenio confecti; quia ut ait ſanctus Hieronymus: Non implent opera virtutum; nec ſtudent pœnitentia obliterare delicta. Hinc impio dicitur Lucæ 12. verſ. 12 *Animam tuam repetent à te*, ſcilicet hac nocte non expectato die, quem impius nunquam implevit bonis operibus, ſed ſemper vacuum dimiſit; tunc cacodæmones crudeles tributorum exactores, & aſpectu terribiles animam impij repetent ipſo invito: quia ut ait Theophilactus: *Semper ſtimulat conſcientia peccatorum, ſed præcipue, cùm debet homo trahi ad terribile DEI judicium: tunc enim tota congeries criminum innovatur, & præ oculis poſita mentem percutit.* Quinimò viri improbi dolores ſentiunt imminentis mortis, unde David nomine peccatoris agentis animam ait Pſalm. 17. verſ. 5. *Circumdederunt me dolores mortis*, non enim tunc deeſt dolor afflictionis, nec dolor cogitationis: quatuor enim ſunt genera cogitationum, quæ mentem agentis animam pulſant, ſúntque doloris, amoris, timoris, & ſpei. Súntque veluti quatuor venti, de quibus Daniel dixerat cap. 7. v. 2. *Quatuor venti cœli pugnabant in mare magno*, ſeu in amara morte. Inſurgit dolor, quia ut ait D. Gregorius, illuc dirigitur tota intentio mentis, ubi ſentitur vis doloris. Oritur amor in filios, uxorem, divitias, honorem, dignitates, & eorum omnium, quæ in vita placuerunt. Excitatur timor ob mortem, quæ imminet, ob infernum, qui patet; ob ſæculum alterum quod morientem expectat: neque deſunt cogitationes ſpei, quia peccator, etiam cùm moritur, adhuc ſperat mortem poſſe evadere: & de hac ſpe dicitur Pſal. 54. v. 24. *Non dimidiabunt dies ſuos*; non dicit dies ætatis ſuæ, ſed dies ſuos, ſeu quos ipſi ſibimet promiſerunt, & ſperârunt, poſſe ad illos vitam protrahere.

Sed ſi mors eſt homini terribilis, ejus 31
memoria erit ſemper ſalubris, ſi ſtimulos addiderit ad culturam virtutum, ad exercitia pietatis, unde monet S. Bernardus in ſpeculo Monach. *In omni opere ſuo dicat quisque ſibi ipſi, ſi modò moriturus eſſes, faceresne iſtud*: nemo adeò protervæ conſcientiæ eſt, & inſanæ mentis, ut ſi videat præcipitium, velit ad illud currere; nemo ſi viderit hoſtem diſtricto gladio contra ſe venientem, velit inermis ipſi obviare; quia quisque ſtudet mortem declinare,

nare, ac vitam ſervare indemnem: neque quidquam eſt, quod efficaciùs à malo avertat, quàm ipſa mortis memoria, qua etiam ipſe DEUS uti voluit, ut Protoparentes à transgreſſione injuncti ſibi præcepti averteret, Geneſ. 2. 17. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris* Quærunt Interpretes, cur DEUS Protoparentem coërciturus ab eſu pomi vetiti, mortis memoriam ei objecerit? ſiquidem efficacius forſan potuiſſet eum à tali transgreſſione avertere, ſi timorem gehennæ eidem incuſſiſſet. Verùm Pererius reſpondet, quòd tametſi pœna inferni re ipſa gravior ſit, & longè ſuperet ſupplicium mortis corporis; adhuc comminatio mortis corporalis acrior eſt, & efficacior ad commovendum hominem, eúmque retrahendum à malo, qui enim ſeriò mortem cogitat, quæ quovis poteſt momento imminere, conſcientiam noxis non maculat, ſed lachrymis lavat, & maculas contractas abſtergit. Hinc Tobias, cùm manſiſſet, juxta fluvium Tigris lavit pedes ſuos, quos à pulvere, quem in itinere contraxerat, purgaret, & totus mundus, ac purus eſſet Tob. 6. 2 *Manſit juxta fluvium Tigris: & exivit, ut lavaret pedes ſuos.* Sedebat Tobias defeſſus ex itinere in litore fluminis, & ex fluxu delabentis aquæ ſeriò perpendit velocitatem, quâ dies noſtri tranſeunt. Tigris ſiquidem à velocitate nomen ſortitur; & quia ſeria conſideratione meditabatur in tranſitu aquæ velocirer fluere dies, & mortem imminere, in hac cogitatione ſurrexit ſtarim, & non contentus manu, vel linteo pulveres excutere è pedibus, eos exactiùs ut purgaret, omnémque labem abſtergeret, in fluvio conſultiùs cenſuit lavare. Quid ni ſi cum Tobia ſeriò brevitatem hujus vitæ; celeritatem, quâ dies noſtri fluunt, perpenderemus, utique, ſi non flumine pedes lavaremus, lachrymis tamen veræ reſipiſcentiæ contractas conſcientiæ maculas abſtergeremus, & pulveres omnes terrenorum affectuum à nobis longiùs abigeremus. Hinc David ſciens quantæ utilitatis ſit mortis memoria ad frœnum injiciendum pravis omnibus affectibus DEUM enixim rogavit, ut jugiter præ oculis eam haberet Pſalm. 38. verſ. 5. *Notum fac mihi Domine finem meum.* Non ignotavit Regius Vates ſe morti eſſe obnoxium; non petjit, ut DEUS diem ſui obitus revelaret, ſed ut mortis memoria jugiter in ejus mente vigeret, & præ oculis haberet, quia metus mortis ſtimulos addit ad virtutum exercitia; & frœna cudit, ad pravos quóſque coërcendos affectus. Qui ſeriò mortem cogitat, non poteſt non rectè vitam inſtituere, & paratus ſemper eſſe ad eidem aperiendum, cùm primùm januam pulſaverit.

32 Si ſuperbiâ tumidus incedit homo mortem mente evolvat, ejus memoria frœnum injiciet ſuperbiæ, ejúſque tumorem reprimet. Levit. 1. 16. juſſerat DEUS, plumas avis, quæ illi offerebatur in locum cineris projici ad partem orientalem. Quid cohærentiæ cineris cum plumis avis Numini oblatæ? plumæ enim in ſublime aves evehunt; & cinis innato pondere deorſum feruntur; plumæ in aëre vehuntur; & in aquilis præſertim ſolari jubare fruuntur; vel ſupra nubes cœlo gaudenr ſereno; cineres verò vel inter umbras ſqualent Manium, vel in locis jacent obſcuris: cur igitur juſſit DEUS plumas avis ei oblatæ in cineris locum conjici ad partem orientalem? quia nimirum plumæ in altum avolant, & homines dignitatum culmina, bonorum faſtigia appetunt, quò ſupra cæteros emineant, & quia elati ut plurimum ſolent ſuperbia intumeſcere, aliósque habere contemprui, ideo DEUS has plumas honorum, ac dignitatum cineribus vult eſt contubernales, quia cinis memoriam exhibet mortis, quæ ſuperbiæ coërcendæ accommodatum eſſe frœnum. Hinc DEUS, ut Juſue, cùm ad culmen Imperij eveheretur, mortis recordatione omnem ſtatim tumorem deprimeret, ac deponeret, dixit Joſue 12. *Moyſes ſervus meus mortuus eſt, ſurge, & tranſi Jordanem iſtum.*

Juſſit, electum Regem non ſolùm Jordanem trajicere; verùm etiam ut memoriam 33 excitaret demortui Moyſis, ut mortis memoria, quæ ipſi exhibebatur in trajectione Jordanis, & obitu Moyſis omnem tumorem compeſceret: quia proſternendæ ſuperbiæ nullum aptius telum ipſa mortis recordatione; qua etiam ipſe David ſuperbientem Goliathum proſtravit. Reg. 17. verſ. 4. *Et egreſſus eſt Goliath:* nimirum per quadraginta dies ducebatur potiùs, quàm gereretur bellum Philiſthæos inter, & Hebræos, neutris aleam tentantibus, cùm Goliathus gigantea ſtatura, & armis robori paribus ferox in medium progreſſus truculenta voce provocaret ad pugnam, ſi quis ex Hebræis auderet cum ipſo deſcendere in ſingulare certamen. Et quia has minas, & convicia tumido faſtu, ac ſuperbiente arrogantia quotidie jactaverat David, qui tunc temporis è rure venerat ad caſtra miſſus à patre cum comeatu ad fratres, & munuſculis ruris, ut dedecus abſtergeret, & honorem hebraicæ gentis propugnaret, petit à Saule, ut ſibi facultas fiat dimicandi in ſubjecta valle cum tumido, ac ſuperbiente Goliatho: pugnam Saules poſcenti permiſit, quem & juſſit armis depromptis ex ſuo armamentario muniri, ſed cùm non eſſet David armis illis aſſuetus, & plus perciperet impedimenti, quàm ſubſidij; depoſitâ catafractâ armis ſe munivit ruralibus, ſeu baculo, pera, funda, & lapidibus, quos de torrente ſelegerat 1. Reg. 14. v. 40. *Elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente*, & hiſce munitus graditur adverſus Philiſthæum, qui adoleſcentem intuitus inermem nullo dimicationis apparatu formidabilem indig-

dignabundus juſſit à ſuo ſtatim aſpectu abire, niſi vellet pedibus proteri, & corvis in eſcam dari: ſed cùm non minus animi, & linguæ fuerit Davidi in Gigantis convicijs retundendis; poſt verborum otrinque velitationem ſingulare initur certamen, in quo Goliathus toto corpore cataphractus, manúque haſtam evibrans Davidi obviat, qui tamen ocyue ſilicem extrahit è pera, quem fundæ imponit, & librat icto tam aptè directo, ut excuſſus mediam Philiſthæi feriret frontem, fixusque fracto cetebro hæreret, ac gigantea moies proſtrata in humum caderet, & David victor ejuſdem gledio caput amputares. Quis Golietho tumidior, qui tori exercitui erat terrori, omnibúsque timotem incuſſerat, & tamen hanc gigantis ſuperbiam unicus lapis de torrente ſelectus coërcuit, & penitus proſtravit. Si quæras, quænam virtus fuerit in hoc uno lapide ut ſuperbientem gigentem proſterneret; non putes aliam fuiſſe, quàm illam torrentis exiccati, qui ſymbolum erat mortis, & ejus memoriam ſecum tulerat lapis, qui propterea gigantis ſupetbiem profligavit, & vicit: torrens exhibens Davidi lapides exiccatus erat, & aridus, quia aquæ jam fluxerant, & alveus torrentis exaruerat, ſymbolúmque mortis, ac vitæ jam delapſæ exhibuit; qua armatus David ſuperbiam in gigante facilè proſtravit.

34 Non ſolùm ſuperbiam refricata mortis memoria coërcet, ſed etiam affectus quoſque ad mundi voluptates compeſcit. Sedebet Jonathas ad umbrem hederæ, cujus folia ſolares tedios retundebant, ne Prophetæ eſſent moleſtiæ, cujus gaudium totum viruit in hedera illa: ſed hunc Prophetæ affectum in umbræ voluptatem, & hæderam tegentem, mortis recordatio illicò excuſſit: ſiquidem vermiculus opacam Prophetæ hederam morſu arroſit Jonæ, 4. 7. *Et paravit Deus vermem aſcenſu diluculi in craſtinum, & percuſſit hederam, & exaruit.* Sola mortis memoria florentem Prophetæ voluptatem arefecit: id notatu dignum, quod atroditur hedera vermiculo diluculi, quia tante eſt tenuitas & fragilitas humanæ voluptatis, ut vel in ipſo exortu deficiat, & ſtatim ad occaſum vergat.

35 Optima eſt morum magiſtra mors, ejus ſcholam neceſſe eſt frequentemus, ſi velimue addiſcere rectè ac feliciter vivere. Joſeph Patriarcha, hanc magiſtram ſuis dederat fratribus, quò ab ipſe inſtructi proficerent in virtutum exercitijs Geneſ. 50. 24. *Aſportate oſſa mea vobiſcum* in fratrom utilitatem juſſit eb ijſdem oſſa ſua arida ex Ægypto in patriam aſportari, ut mortis frequenter refricantes memoriam, diſceteut nihili facere mundi dignitates, quæ veluti inanes umbræ nil habent veræ ſubſiſtentiæ; flocci penderent honorum ſplendores, qui vix nitent, & ſtatim extinguuntur; parvi æſtimarent congeſtas auri, argentique divitias, quæ plus adferont ijſdem affluentibus graveminis, quàm levaminis: non fiderent larvatis mundi gaudijs, quæ nonniſi lacrymas eliciunt; non adhærerent carnis voluptatibus, quæ dum mulcent, vulnerant; dum eblandiuntur interficiunt; ſed unicè vacarent ſtudio virtutum, quo ſanctè viverent, & Deo ſoli adhærerent: juſſit Joſeph à fratribus aſportari ſua oſſa in Ægyptum, quò mortis memores eſſent, & quoties fratris demortui oſſa aſpicerent; dicerent: hæc ſunt oſſa Proregis Ægypti, ſeu viri potentis, æquè & ſapientis fratris noſtri Joſeph, de cujus dignitate, honore, & potentia, hæc tantùm ſuperſunt oſſa arida; extinctus eſt ſplendor dignitatis, evanuit umbra honoris, defecit potentiæ robur; effluxit dum fulſit principis claritas; cecidit dum vix ſtetit Proregis authoritas; quòd ſi de viro præpotente nil aliud mundus poſſidet, quàm hæc oſſa arida; quid de nobis ſupererit, qui brevi erimus etiam morituri? utiliùs erit ſi dum vivimus ubique imprimamus veſtigia virtutum; relinquamus exempla pietatis, ut poſteris ſimus incitamento ad eadem exercitia, ad quæ oſſa arida Joſephi per refricatam gelidæ mortis memoriam ardorem ſuppeditant.

Vult Deus ut memores ſimus mortis, quò diſcamus rectè vivere; idque fortaſſis cauſæ cur occultatum voluerit Enochum Geneſ. 5. 24. *Ambulavit Enoch coram Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus;* ſi quæras, cur Deus eum occultaverit, reſponſum tibi ſuppeditet textus Chaldæus: *quia non mori eum fecit Deus;* adeo cordi, ut ita dicam, Deo erat, ut mortis recordatio vigeret impreſſa mentibus hominum, quò quaſi ex rimote, ne iſti Libithinæ metum excuterent, mortiſque memoriam ex mente prorſus evellerent, ſi vidiſſent Enochum non mori, ſperantes fore, ut etiam ipſi eſſent mortem vitaturi, ſicut volvit, eum occultari Geneſ. 5. 24. *tulit eum Deus.*

36 Morbis omnibus animi curandis adeo efficax eſt mortis memoriæ alexipharmacum; ut Deus Protoparentibus poſt contractam mentis infirmitatem, & corporis mortalitatem per pomi vetiti eſum, aliud curandis proprijs ægritudinibus non præſcripſerit pharmacum, quàm ipſam mortis recordationem Geneſ. 3. 21. *Fecit Dominus Deus, Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas.* Si autem quæras, cur poſt transgreſſionem præcepti, poſt contractas ægritudines æquè mentis, & corporis voluerit eos tunicis indutos pelliceis, & non potiùs ex alia nobiliore, & elegantiore materia, vel ſaltem ex diſcoloribus avium plumis. Reſpondet Origines *homil. 6. in Levit: quia talibus oportebat peccatorem veſtibus indui, quæ indicium eſſent mortalitatis, quam per peccatum ſuſceperant, & fragilitatis ejus; quæ ex carnis corruptione veniebat;* congruum fuerat, ut talibus tegerentur veſtibus, quæ detegendæ propriæ mortalitati eſſent accommodatæ; & quia tunicæ pelliceæ exuviæ erant animalium mortuorum mortis memoriæ refricandæ fuerunt opportunæ. Hinc cum Davidem non lateret quantæ ſit mortis recordatio efficaciæ ad pravos quoſque affectus compeſcendos, ſive biberet, ſive comederet, hanc ſemper refricatam in mente voluit. Pſal. 101. 10. *Cinerem tan-*

ſiam & Joſaphat aſſerit, Moris olim fuiſſe, quo priſci homines Sanctorum reliquias, ſeu mortuorum oſſa religioſè in theca ex collo pendula geſtârent, non tantùm venerationis gratiâ, verùm etiam mortis refricandæ memoriæ causâ; nimirum præ oculis ſemper habuerunt excitatorium propriæ mortalitatis, ne quidquam agerent, quod turpitudinem oleret, minúsque ſanctis illis placeret, quorum reliquias gerebant è collo pendulas. Nicolaus Godinus *lib. 1. de rebus Abiſſinorum cap. 6.* refert: Abiſſinorum Regem Præteianem vocatum in prandio, & cœna conſueviſſe vas vitreum cineribus plenum præ oculis habere; cujus aſpectus mortis memoriam excitaret, & diem extremum comedenti objiceret, ut hoc monitorio perſobrius eſſet in eſculentis, & poculentis. Scimus vitrum, & ſpeculum ex cineribus conflari: ſed ex mortis, & ſepulchri cinere vir pius ſpeculum fit omnium virtutum, ſobrius eſt in cibo, & potu, caſtus in corpore, purus & ſimplex in mente, Dei amans in corde; rectus in pede, ne unquam à rectitudine deflectat. Fuerunt etiam qui in annulis & gemmis ſculptam calvariam gererent, quò ſibimet ſuggererent à morte æternitatem pendere, cujus ſymbolum annuli circulus præſefert.

EXPENSIO XIII.

Carpitur peccatum ut prudentiæ adverſum, ejúsque turpitudo varijs ſacris argutijs pungitur, ut prorſus expungatur.

1 PEccatum prudentiæ adverſatur, quia per ipſum homo ſe avertit à ſummo Bono, & ad creaturam ſe convertit, ſeu relinquit fontem aquæ viæ, quò ciſternis adhæreat diſſipatis, quo imprudentius nihil audiri poteſt. Peccatum ſive in natura, ſive in arte vel moribus eſt ſemper quidam receſſus è rectitudine, & regula præſcribente modum operationis: hinc monſtra dicuntur peccata naturæ, quia recedunt à recta regula, quâ ſolet natura operari: defectus in artefactis, artis dicuntur peccata, quatenus artefacta per hos defectus à recta artis regula recedunt. Peccata autem moralia, quæ proprio nomine peccata dicuntur, ſunt, quæ deflectunt à recta regula rationis: & adeo hujus peccati natura eſt lurida, ac deformis, ut quid ſit vix intelligi poſſit, eò quia recedit à tota rectitudine regulæ, unde Job cùm fusè diſſeruiſſet de peccati malitia ſub figura Behemot, ubi ad ejus quidditatem pervenit quaſi anceps hærens dixit: *Quis revelabit faciem ejus? & medium oris ejus quis intrabit? portas vultus ejus quis aperiet?* unde etiam David: *Peccata quis intelligit*: & D. Auguſtinus loquens de peccato, ejúſque natura ait: *Magnus puteus eſt profunditas iniquitatis*: ſiquidem omnium ſputcitiarum immundiſſima eſt coacla, omnium turpitudinum fœx, ſordium colluvies, fœditatum complexio, deformitatum coacervatio, adeo ut unicum peccatum purulenta ſua ſanie, ac fœda corruptione toti cœlo, ac Cœlitibus omnibus nauſeam ingeneret. Si enim peccatum eſſe dixeris animæ peſtem, corporis luem, ſtigij draconis ſputum, lernææ hidræ excrementum, Cerberi aconitum, cacodæmonis tabificum phlegma, naturæ dehoneſtamentum, mortis ſtipendium ac malorum omnium congeſtum compendium, adhuc turpitudinem peccati non explicas: nullus ſiquidem eſt hœdus, qui tam malè oleat, nulla ſentina, quæ tam graviter fœteat, nulla cloaca, quæ tam corruptam emittat mephitim.

Jeremias Thren. 3. v. 44. peccatum deſcribit ſub figura nubis: *Oppoſuiſti nubem tibi*: neque abs te peccata nubes vocantur, cùm ſint velut putreſcentes terræ evaporationes, aſcendentes non ex corrupta palude, ſed ex pravo corde: ſiquidem æterni Solis, ſeu Dei aſpectum, & gratiam perinde ac nubes atræ ſimul conglobatæ nobis abripiunt. Quòd ſi ex nubibus grandines, tonitrua, & fulmina prodeunt: ex peccato tota proſilit malorum congeries. Et demum ſi nubes cœlum ſeparant à terra, & obicem ponunt, ne homines in terris lucentia in cœlis videant ſydera; perinde peccata hominem peccantem à Deo, cœlo, Angelis, ac Cœlitibus omnibus ſeparant: & per hanc ſeparationem emoritur anima Deo; quia ſicut anima unita corpori, eſt vita hominis, & per ejus ſejunctionem emoritur homo, ita gratia ſanctificans efficiens animam eſt vita animæ, & ſeparatio gratiæ, quæ fit per peccatum, quo peccans avertitur à Deo, eſt mors animæ, quam David timens Deum enixim rogavit, ne permitteret, ut indormiret in morte, ſeu jaceret in peccato Pſal. 12. v. 4. *Ne unquam obdormiam in morte*: ſunt qui in morte dormitant, & hi dicuntur, qui frequenter peccant, & reſipiſcunt; labuntur, & reſurgunt. Sunt etiam qui in morte obdormiunt, & iſti ſunt, qui pervicaces peccatum defendunt, à quo non niſi ægrè ſeparantur, ſed tamen aliquando reſurgunt, & expergeſiunt è ſomno. Demum ſunt, qui in morte dormiunt, & hi cùm ceciderint; non ampliùs reſurgunt. Videtur in Eccleſ. 43. 22. eorum ſymbolum expreſſum: *Frigidus ventus aquilo flavit, & gelavit cryſtallus ab aqua.* Aqua dormitationem indicat, cryſtallus obdormitionem, & glacies dormitionem: eſtque triplex hic ſomnus mors delectationis, conſuetudinis, & obſtinationis, eſtque peccatum obſtinationis peius, idque indicatur per Jeremiam Thren. 3. v. 53. *Lapſa eſt in lacum vita mea & poſuerunt lapidem ſuper me*, quæ verba explicans Hugo Cardinalis ait per lapſum denotari delectationem, per locum conſuetudinem, & per lapidem obſtinationem.

Non ſolùm peccator obdormit in morte, 3
ſeu in peccato manet, ſed in ipſo ſomno etiam ſtrages ſpargit, & funera, & ſanguinem fundit, quatenus perſeverans in peccato non ſo-

lùm

lùm virtutes interimit, ſed alia congerit peccata; unde Iſajas alloquens peccatores 5. 15. ait: *Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt*, hoc eſt ſceleribus; ſanguis enim è vulneribus fluens ſymbolum habetur peccati Oſeæ 4. 2. *ſanguis ſanguinem tetigit*, ubi D. Gregorius lib. 13. Moral. cap. 3. ait: *Sanguis ſanguinem tangit, cùm culpa culpam cumulaverit.* Præterea quia ſanguinis effuſio, ſeu homicidium graviſſimum eſt peccatum: & demum quia ſanguinis eſus utpote peccati ſymbolum Judæis erat vetitus Levit. 7. 27. Quòd ſi ſanguis ex inflictis vulneribus fluens via eſſe dicitur ad mortem quaſi per vulnera veluti per patentes hiatus anima è corpore exeat, perinde peccatum via dicitur mortis Jerem. 21. 8. *Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis.* Tropologicè explicatur; ut per viam vitæ exercitia intelligantur virtutum, & per viam mortis peccatum, legisque prævaricatio. Hinc vulnera homini inflicta qui deſcendens in Jericho incidit in latrones ſymbola habentur peccati Luc. 10. v. 30. *Homo quidam deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto.* & v. 33. *Samaritanus quidam iter faciens venit ſecus eum, & videns eum miſericordiâ motus eſt, & appropians alligavit vulnera ejus infundens oleum; & vinum.* Deſcenſus ab Jeruſalem eſt averſio à pace, à virtute, à quiete, proinde averſio à ſummo Bono, ſeu Deo, in quo pax ſumma viret, & floret: Jeruſalem locus pacis interpretatur; malè igitur ſibi conſulit, qui à pace ſe avertit, ſeu à ſummo Bono per peccatum. Hic miſer, quia deſcendit à Jeruſalem, in latrones incidit. Is latro eſſe dicitur, qui invito Domino rem alienam ſurripit. Quidni omnis peccator per peccatum rem alienam ſurripit invito Domino, ſeu rationem ultimi finis ſoli Deo debitam, hanc ſurripit, ut det creaturæ, in quam convertitur, quatenus diſcedens à Jeruſalem deſcendit in Jericho, ſeu diſcedens ac ſe avertens à ſummo Bono, convertitur ad creaturam: quinimò Chriſtus etiam jure redemptionis factæ per ſolutionem pretij, ſeu ſui ſanguinis, plenum itidem ſibi vendicat Dominium in vitam, potentias, & actus omnes noſtros, ut nonniſi ad ipſum referantur; unde cùm homo avertitur à Deo, ſeu deſcendit à Jeruſalem, & convertitur ad creaturam per deſcenſum in Jericho, rem ſurripit alienam invito Domino, & operationes, actúſque quos tenetur in Deum dirigere eúmque diligere, dat creaturæ, quam Deo præfert. Hinc deſcendens à Jeruſalem incidit in Latrones, qui plagis impoſitis ſemivivus deſeritur, quia vulnus peccati peſſimum eſt, & per conſuetudinem ad mortem pertrahit æternam: hinc S. Gregorius Nazian. in Pſal. 50. ait. *Utinam Domine JESU ad me miſericordiâ motus digneris accedere; qui deſcendens ab Jeruſalem in Jericho, proruens ſcilicet de ſummis ad infima, de vitalibus ad infirma, in Angelos tenebrarum incidi: qui non ſolùm gratiæ ſpiritualis mihi veſtimentum abſtulerunt, ſed etiam plagis impoſitis ſemivivum reliquerunt. Utinam peccatorum meorum vulnera, data mihi recuperandæ ſalutis fiduciâ alliges, ne deteriùs ſæviant, ſi ſanari deſperant. Utinam oleum mihi remiſſionis, adhibeas, & vinum compunctionis infundas.*

Cæterum peccatum multipliciter in ſa- 44
cris ſcripturis ſumi ſolet, pro peccato actuali, ſeu illo actu, quo quis à ſummo Bono ſe avertit. 1. Paral. 7. *Si confeſſus fuerit populus meus, & egerit pœnitentiam à vijs ſuis peſſimis.* Interdum pro peccato habituali, ſeu pro illo habitu peccandi aquiſito ex pluribus frequentatis actibus peccaminoſis Job. 20. *Oſſa ejus implebuntur vitijs adoleſcentiæ*, & Apoſtolus ad Gal. 5. *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt, cum vitijs, & concupiſcentijs*: nonnunquam ſumitur etiam peccatum pro ipſa concupiſcentia Pſal. 50. *In peccatis concepit me mater mea*, & D. Paulus ad Rom. 7. *Non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*, ſeu concupiſcentia, & fomes ut explicant SS. Patres, ſubinde ſumitur etiam peccatum pro ipſa pœna peccati 2. Reg. 12. *Tranſtulit Dominus peccatum tuum*, 1. Petri. 2. *Quia peccata noſtra ipſe pertulit*, ſcilicet pœnam, quam meruimus ob peccatum; ſumitur etiam aliquando pro ipſa hoſtia, & ſacrificio oblato pro peccatis Deuter. 9. *Peccatum veſtrum quod feceratis, igne combuſſi*, & Oſeas cap. 4. *Peccata populi mei comedam.* Hoc eſt ſacrificia oblata pro peccatis, in quo ſenſu intelligitur etiam illud D. Pauli 2. ad Corint. 5. *Pro nobis peccatum fecit.* Id eſt ſe obtulit hoſtiam Patri. Demum peccatum magis propriè ſumitur pro ipſo actu voluntatis, contra legem naturalem, & divinam, & definitur à D. Ambroſio de parad. cap. 8. *Divinæ legis tranſgreſſio, & cæleſtium inobedientia mandatorum*, & à D. Auguſtino Tom. 6. lib. 22. contra Fauſtum: *dictum, factum*
vel concupitum contra legem æternam. 5

Hieremias expreſſurus peccatum pinxit Heroinam oris venuſtate, ac eximio corporis habitu elegantem, quæ gemmarum ſplendore, ac murice ſpoliata inſtar ſcarabæi volutatur in luto, cœno, ac ſtercore Thren. 4. 5. *qui nutriebantur in croceis amplexati ſunt ſtercora*: ubi textus Græcus legit, *qui nutriebantur in cocco*; adeo ut regali purpura ſpoliata, nuptiali veſte privata, imperatoria trabea viduata, omnique ſplendore orbata in ſterquilinium ſe abijciat, quo veſcatur ſtercore. Quòd ſi non ſatis tibi videatur peccati expreſſum emblema; clariùs adhuc elucet in Lucifero. Erat hic Cherubinorum primus, & Seraphinorum princeps; in illo congeſtum erat quidquid naturæ, & gratiæ donum reliqui Angelorum ordines poſſidebant, quippe principatu potitus reliquos omnes dignitatis ſplendore antecelluit, ſapientiæ luce conſpicuus, ardoris igne fervidus, venuſtatis excellentia decorus Ezech. 28. *Omnis lapis pretioſus erat ejus operimentum* ſcilicet omnia dona naturæ, & gratiæ ejus ornamentum: ſed illi nocuit nimia felicitas, & in lactis dulcedine veneni ebibit amaritudinem: defectionis cauſæ à multis plures aſſignantur: quidam ajunt Luciferum invidiâ intus tortum iniquiſſimè tuliſſe hominis dignitatem in æqualem gloriæ

poſ-

poſſeſſionem cum Angelis venturam. Cenſent alij, Deum Angelis adhuc in curſu viæ ſuæ conſtitutis revelâſſe Verbi divini futuram cum natura humana conjunctionem, & hominem illum Chriſtum conſtitutum iri, non ſolùm hominum, ſed & Angelorum omnium caput, & principem, cui propterea Luciferus debitum detrectavit ei obſequium præſtare. Plures putant, Luciferum inſolente tumidæ mentis elatione Numinis ambijſſe æqualitatem; nec ſua contentum protervia, alios etiam plures Angelos ad ſuas pertraxiſſe partes. Sed quicquid ſit, ex qua cauſa defecerit; certum eſt à ſummo ſe Bono avertiſſe; & qui antea fuerat omnia excellentiæ miraculum, Dei ſignaculum, pulchritudinis prodigium; cum primùm peccavit, ac voluntate flagitium patravit omnem illico depoſuiſſe gratiæ ornatũ, virtutis decorem, dignitatis ſplendorem, & ſpeciem induiſſe horrificam, fœdiſſimam, quæ ſolo aſpectu eum incutiat terrorem, cui ſuſtinendo vix pares ſint homines: quamvis peccatores adhuc hanc tartaream furiam exoſculentur, & huic infernali monſtro amicè adhæreſcant. O extremam, ac lugendam vecordiam excordis hominis, qui ut fucatæ indulgeat voluptatulæ, ut rebellanti ſatisfaciat concupiſcentiæ, ut larvatis fruatur mundi delicijs ſe ultrò peccato contaminat, habitu ſe ſpoliat divinæ gratiæ, venuſtate, & decore deſtituitur, ſitque eodem momento quo peccat; ſeque avertit à ſummo Bono, horribile monſtrum, orci peripſema, carcinoma dæmonum, olidum ludibrium & malorum omnium abominanda congeries. Quòd ſi fœtor oris, & gravior inde exhalans ſpiritus ſufficiens aliquibus videtur cauſa divortij, quo Sponſus recedat à Sponſa; quomodo anima Chriſti Sponſa tot ſordibus inquinata per peccatum accedet ad ſponſum, ut eam Sponſus oſculetur oſculo oris ſui: quod ſi Sponſus in vultu Sponſæ non patitur labem; nec maculam in veſte, neque ſordes in manibus; quomodo patietur ad ſe venire animam tot ſordibus temeratam, tot fœditatibus contaminatam; tot turpitudinibus abominabilem, ut ſtabulum Augiæ, fœtentem ſentinam, corruptam maléque olentem mephitim potiùs repræſentet, quàm ſponſæ venuſtatem?

6 Aliud ſi cupis peccantis emblema; hoc tibi exhibet filius, qui in Evangelio prodigus audit, hic enim ſuſceptâ portione ſibi debita, ſeparavit ſe à patre, & profectus eſt in regionem longinquam, ubi bona, quæ ſecum tulerat abligurivit, & cum meretricibus luxurioſè vixit; adeo ut præ fame adactus fuerit porcis convivere, & optare fieri in domo patris, à quo diſceſſerat, unum ex mercenarijs Luc. 15. *Homo quidam habens duos filios, & dixit adoleſcentior ex illis patri: Pater da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit: & diviſit illis ſubſtantiam, & non poſt multos hos dies congregatis omnibus adoleſcentior filius peregrè profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè. Et poſteaquam conſumpſiſſet omnia, facta eſt fames valida in illa regione: & ipſe cæpit egere, & abiit, & adhæſit uni civium regionis illius, & miſit illum in villam ſuam, ut paſceret porcos. Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Satisfecit pater petitioni filij adoleſcentioris, ſubſtantiam diviſit, eique ſuam conceſſit portionem, non enim pater ex avaritia filiorum ſubſtantias ſecum detinebat; ſed ex amore filiorum, ne fervore juventutis ducti ea diſſiparent, quibus in provectiore ætate indigerent; non ex invidentia, ſed ex providentia cuſtos bonorum pater erat. Sed ubi divitiæ affluunt, etiam ipſa ſanguinis neceſſitudo diſſluit, fraterna unitas ſcinditur, conſanguineorum charitas vulneratur, & qui ſanguine junguntur, hos cupiditas opum ſeparat, & ad ſenſum præcipites agit: ſiquidem ſine parte cenſus filium adoleſcentiorem depauperavit non ditavit; ſpoliavit non induit; ad miſerias traxit, non ad felicitatem duxit. Separavit ſe a patre filius propriam ſecum ferens ſubſtantiam, ſed è gremio patris diſſitus cœpit luridè vivere, & omnia ſecum delata bona dilapidare. Non putes quid aliud eſſe hanc filij portionem, ac ſubſtantiam, quam abligurivit, niſi in homine peccante, ſeque à patre divino avertente gratiam ſanctificantem, quam per peccatum, per averſionem à Deo infeliciter homo peccans diſſipat; & hac ſpoliatus reliqua etiam deperdit ornamenta virtutum; non enim ampliùs floret caſtitas, quam proſtituit; non ſplendet pietas, quam extinguit; non ardet charitas, quam à ſe excutit: & bonis hiſce ſpoliatus mutat conditionem, & ex filio fit Mercenarius, ex locuplete egenus; ex libero ſervus; quódque deterius porcis convivit, quibus inſervit, ſeu vitijs indulget, in quibus cœnoſè ſe mergit. Quæ enim pius pater in commodum filij congregata cuſtodierat, filius vivendo luxurioſè ſtatim diſpergit, & diſſipat, & qui in domo paterna divitijs affluebat, à patre ſejunctus premitur paupertate, moritur virtutibus, vivit vitijs ſine gloria abſque fama, imò deturpatus, & coinquinatus vitijs ſine fama fame incipit torqueri Luc. 15. *Et poſteaquam conſumpſiſſet omnia facta eſt fames valida in regione illa.*

7 Indulgentiæ gulæ famis ſuccedit tortor, & luxuriæ ventris apponitur indigentia totius corporis, ut ibi ultrix pœna ſæviat, ubi pœnalis reatus exarſerat. Luc. 15. *facta eſt fames valida*, nimirum gulæ ingluvies ad talem ſemper tendit terminum, ut fame vel pereat, vel torqueatur. *Et ipſe cæpit egere*, hoc eſt abſentia filij à patre propria eum ſubſtantia deſtituit, quam pater locupletem ſervaverat, & cum filius penes patrem abundaret ſine ſubſtantia; diſſitus à patre cum propria ſubſtantia ea deſtituitur, & inops miſerè vivit Luc. 15. *Et adhæſit uni civium regionis illius, & miſit illum in villam ſuam, ut paſceret porcos.* Qui à Deo ſe avertit, & ſeparat, non poteſt niſi extraneo miſerè inſervire, & pietatis refuga porcis addicitur, quorum ſervituti traditur & cœnoſo cum pecore luridè vivit, ſeu vitijs omnibus coinquinatur; & tunc experitur, quàm mi-

miſerum ſit, & amarum ſeparâſſe ſe à patre, exijſſe è paterna domo Luc. 15. *Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Quam miſera eſt conditio vitijs indulgentium; cum porcis ſervientes, neque porcorum ſiliquas habeant, quibus ventrem impleant, & famem depellant; an non vitijs inſervientes cum porcis eſuriunt in ſagina? Miſeri ſanè ſunt cum ſqualentis cibi cupientes, non valeant nec ipſum impetrare. *Facta eſt fames valida* per regionem illam, quia omnis locus, quem à patria diſſiti incolimus, probo quolibet fructu deſtituitur, & locus penuriæ, ac egeſtatis eſt; nec poteſt non indigere homo per peccatum ſeparatus à patre cœleſti, cum ipſe bona omnia contineat, ut nihil boni extra Deum ſit.

8 Quamdiu in hac mortali vita vivimus, in via ſumus, & peregrinamur ad patrem, à quo abeſſe nolumus, ſi bene vivimus: & id intereſt diſcriminis inter bene, & malè viventes, quia peccantes in hoc mundo ſuam collocant patriam; in quo bene viventes nonniſi exilium inveniunt. Hinc Cajn quia fratricida, & malè vivens Geneſ. 4. v. 17. *Ædificavit ſibi civitatem*, quia propriam patriam in terra conſtituerat; ſecus Abel quia filius Dei, & peregrinus, noverat, terram non patriam, ſed exilium ſibi eſſe, proinde nullam non ſolùm civitatem; verùm nec domum voluit ſibi conſtruere. Sed filius prodigus cùm primùm cœpit eſurire extra patrem exilium expertus ſine domo, & recto unà cum porcis ſub dio degere adactus fuit. Sunt etiam porci maligni Spiritus, qui vitiorum ſtercore delectantur, & hos porcos illi paſcunt, qui eorum voluntati obediunt, eorumqoe deſideria complent; ſiliquæ ſunt vitia, ſuperbia, luxuria, temulentia, ingluvies, & alia ſimilia, quibus maligni Spiritus nutriuntur, & ex hiſce ventrem vix implent, quia quo plus indulgent vitijs, eò magis, cupiunt ijſdem immergi.

9 Qui a Deo per peccatum avertitur quovis in loco nonniſi miſer eſſe poteſt, quia extra Deum terra nonniſi ærumnas, ſentes, & ſpinas germinat Geneſ. 4. *Egreſſusque Cain à facie Domini habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden:* non tamen orientis ſolis lux ſolatio ipſi fuit, neque vitæ auſpicium, ſed potiùs mortis indicium; peccanti ſiquidem, & exulanti à Deo, vel in ipſo oriente paratur occaſus; & in ipſa luce nox ipſa illi obviat, & ubique eſt miſer, qui à Dei vultu, à patris præſentia diſcedit, quia cum filio prodigo ad ſiliquas currit. Diſceſſerat è domo Abrahæ Agar cum Iſmaele filio, ſed in ſolitudine cœpit egere, ac ſi igidam quærere, qua ardorem ſitis extingueret.

10 Non ſolòm peccatum ærumnas, & miſerias ſecum trahit, ſed & tenebras, caliginéſque offundit, quibos peccantes luridè cæcutiunt: hinc Jeremias inducens peccatorem loquentem ait Thren. 3. 6. *In tenebroſis collocavit me*, quia peccans amiſſo lumine gratiæ non poteſt, niſi in tenebris verſari omni ſolatio lucis deſtitutus, imò adeò craſsè cæcutit, ut qualis ſit, quàm miſer, quàm infelix non videat. Idque cauſæ, cur Philiſthæi capto Samſone ejus eruerint oculos Judic. 16. 21. & ab ijſdem retruſus in carcerem, ac duabus revinctus catenis, truſatilem verſare molam adactus fuerit addito etiam puero, qui mancipium dicterijs, exprobrationibus, imò & etiam verberibus ad aſſiduum adigeret laborem. Quidni peccantes veluti cæci molæ illigati truſatili ſemper in circuitu gyrant, & quia lumine deſtituti nunquam terminum vident laboris; hæcque eſt peccantium miſeria maxima, ita cæcutire, ut ſe ipſos non videant, nec qua ſit eundum, ſed in continuo labore verſentur. *Impij in circuitu ambulant*, quia de vitio in vitium delabuntur. 11

Quia Sedecias Rex peccantis habetur ſymbolum, Nabuchodonoſor cùm primùm captum habuit, oculos illi effodit, & vinctum in cavea Babylonem duxit, quo lumine deſtitutus miſerrimè viveret. Acceperat Sedecias à Nabuchodonoſore patrium regnum, adactus tamen priùs ad clientale Sacramentum: ut enim Sedecias regno potiretur Babyloniorum ſtipendiatium ſe conſtituit data Regi Nabuchodonoſori fide de obſequio præſtando: ſed Sedecias cùm primùm ſceptrum regale cœpit tractare, regnique gubernaculum dirigere, quia adhuc in flore vernavit juventutis, vitijs indulgere incœpit, & neglecto Numinis cultu ſacerdotes contemptui habuit, réſque ſacras nihili fecit, & populum à templo potiùs avocavit, quàm eidem fores aperiret; neque Jeremiam Prophetam ſaluberrimè monentem audire voluit: & cùm alij viri pientiſſimi ei ſuaderent morum reformationem, ſtudia virtutum, exercitia pietatis; & alij extrema mala etiam minarentur, id perinde ſemper fuit ac ſurdo loqui. Per ſeptennium clientale obſequium Nabuchodonoſori ſervaverat, cum præſidiario milite jam ſufficienter munita urbe, alijsque neceſſarijs ad eam propugnandam, & hoſtem arcendum de excutiendo jugo Babyloniorum cogitavit, & cum Ægyptijs inito fœdere detrectat Nabuchodonoſori promiſſum præſtare obſequium. Sed Nabuchodunoſor compertâ Sedeciæ defectione inſtructis ea majori celeritate, quam tempus permiſerat, copijs in Judæam, eas duxit, & Jeroſolymam obſidione vallavit: & quamvis cives Sedeciam rogarent, ut Babylonijs ſatisfaceret, priſtinúmque exhiberet obſequium, noluit ad eorum ſe flectere deſideria, ratus poſſe ab Ægyptijs vires ſibi ſuppeditari, quibus obſidentes Babylonios propellere poſſet. Interea Jeremias à Deo monitus deditionem urbis ſuadebat, quo obſidentium animi placarentur, ac omnia mitiùs ſuccederent, ſed Sedecias inflexilis toto biennio ſtetit pervicax, obſidionem ſuſtinuit, quamvis diriſſima fame urbs premeretur. Sed cum Ægyptij urbem vendicare ab obſidione non valuerint, Sedecias ſuum in fuga perfugium poſuit licèt ſerum. Nocte intempeſta

ma-

malorum declinaturus extremum, urbem deſeruit, quam tenere ultra non poterat, & beneficio tenebrarum per regios hortos mœnibus attiguas cum paucis bellatorum copijs exivit; ſed excubitores Chaldæi fugientem ſentientes Sedeciam eum inſequuntur per avias ſolitudines, & diſſiparis paucis militibus regiæ dignitatis cuſtodibus, Regem capiunt cum tota familia, & Jeroſolyma poſt diuturnam, ac luctuoſam obſidionem in poteſtatem cadit barbarorum, quorum crudelitas, & irruptio in urbem, eam cædibus, & cruore, implevit., ceſſeruntque omnia victoris furori, rapinis, contumelijs, ac libidini; ut ex populo nongenta millla trucidata ferantur, & captivorum innumera propemodum multitudo, quos inter etiam ipſe Pontifex Joſedecus enumeratur.

12 Sedecias captus ad Nabuchumdonoſorem ductus fuit, qui ſevero ſupercillio, vultúque truci captivum contuens ei exprobravit gratiam illi impertitam. Fractam ; actorum fidem; non ſervata, & denegata debita obſequia ſuo Domino, ingratitudinem, quia cum à ſua munificentia, ac liberalitate accepiſſet regiam poteſtatem, eandem auſus fuerit in beneficij authorem armare, ſéque fœdifragum, & perduellem conſtituere. Móxque eum ſupplicio mulctaturus ut ſentiret ſe mori, per motas vulnera juſſit diſpenſari, & priùs aſpiciente patre liberorum corpora trucidari, & impurum ſanguinem Sedeciæ totum effundi, ne ampliùs in terris repullularet. Poſt hæc jubet Nabuchonoſor Sedeciam exoculari, & ſtatim à militibus eruuntur eidem lumina, & veluti cæcutiens, & abjecta bellua Babylonem abducitur, quo ſuis miſerijs ſuperſtes viveret, ac peccatoris vivum ſymbolum poſteris exhiberet: peccator ſiquidem ſimilis eſt cæco ad ſolem ſedenti, qui tametſi ſolis perfundatur radijs, non tamen miſer videt lucem, ſed in ſua cæcitate miſerior ſuas nequit miſerias videre, quas tamen experitur.

Id proprium peccati cæcitatem invehere,
13 ne peccantes ſe videant, nec cognoſcant. Hinc Adam poſt violatum ſibi à Deo injunctum præceptum latebras quæſivit, ut è Dei ſe ſubduceret aſpectu Geneſ. 3. 8. *Abſcondit ſe Adam à facie Domini.* An non poſt peccatum Adam cæcutijt? non ampliùs vidit Dei immenſitatem, quam nullus poteſt locus ſubterfugere: ſciebat enim Adam ſcientiis omnibus tum naturalibus, tum ſupernaturalibus in ſtatu innocentiæ ditatus, Deum immenſum eſſe, & ubique locorum præſentem, nec ullam poſſe creaturam ab ipſius præſentia ſe ſubducere, & tamen cùm primùm peccavit adeò cæcutijt, ut putaverit, poſſe à Dei facie beneficio latebræ ſe ſubducere: ita eſt, peccatum ita mentem obcæcat, ut cum Adam in ſtatu innocentiæ ſapientiſſimus eſſet, poſt peccatum adeo luridè cæcutijt, ut putaverit poſſe latebras aliquas invenire, in quibus Dei oculos fugeret; quàm craſſa, & lurida eſt peccantium cæcitas! cùm abſcondere ſe à Deo putent, cùm ejus immenſitas non poſſit non replere latebras, & loca omnia, neque aliud Dei immenſitas eſt, quàm ubique & abſque termino ſui in omnem dimenſionem diffuſio, & quidem non per partes; ſed dixerim per totalitates: eſt enim Deus ait Cyprianus lib. quod Idola Dij non ſint, *Hinc & ubique totus diffuſus*, hoc eſt ubique non ſolùm per totum mundum, ſed etiam extra mundum per immenſum vacuum; in omnem dimenſionem, ſeu in longum, latum, profundum, ſurſum, deorſum, in rectum, in obliquum, unde ait David Pſal. 144. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis:* quibus ſignificatur non ſolùm immenſitas extenſionis, verùm etiam infinitudo eſſentiæ, hinc David Pſal. 138. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Oſtendit Propheta nullibi poſſe creaturam conſtitui; ubi non ſit Deus, cùm hæc ab ipſo dependeat, ut ſit, & conſervetur, unde Job. 11. *Excelſior cœlo eſt? quid facies profundior inferno, & unde cognoſces? longior terra menſura ejus, & latior mari:* apertè indicat Jobus, Deum excedere omnem menſuram, & expandi in immenſum cùm ſuperet omnia, quæ mens concipit, ut maxima.

Cùm igitur Adamum non lateret in ſtatu 14
innocentiæ Dei immenſitatem, cur poſt violatum ſibi injunctum præceptum de abſtinendo à fructu vetito ſtatim latebras quæſivit, in quibus à facie Dei ſe ſubduceret; niſi quia per peccatum cæcutijt, & adeo craſsè, ut Dei immenſitatem ampliùs non viderit, appoſitè S. Chryſoſtomus homil. 17. in Geneſ. *Talis eſt peccantium conſuetudo, ut tametſi occultari non poſſint, occultari tamen velint, & ſtudeant:* ita eſt ait Sophonias. 1. 17. *Ambulabunt ut cæci, qui Domino peccaverunt*, quia peccatum adeo luridas ſpargit caligines, ut ijſdem peccantes perfuſi cæcutiant, nec ampliùs videant in meridie ſolem, & more cæcorum ceſpitantes, modò in terram labuntur, nunc in parietem impingunt; & peccantes modò in avaritiam, nunc in libidinem, mox in ambitionem illidunt, donec præcipites in gehennam ruant. Joan. 17. v. 35. *Qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat*, ſeu neſcit infernum, quatenus eum non videt aperto hiatu ſibi præſentem; ſi enim eum videret, procul dubio ſatageret illum cavere, perinde ac cavet à morte corporis. Duplex eſt cæcitas, corporis una, altera mentis, & animæ, utraque horrendum malum; ſed illa tenebras offundit exteriùs; hæc interiùs, totúmque hominem obcæcat: illa defectum inducit naturæ; hæc ad gratiæ perducit jacturam, illa impedit ne creaturas videamus; hæc obſtat ne creatorem contemplemur; cæcus corpore viſibilium gaudijs privatur; unde Tobias cum hanc contraxiſſet cæcitatem dixit Tob. 5. 12. *quale gaudium erit mihi, qui lumen cœli non video:* ſed animâ cæcus lumine deſtituitur divinæ gratiæ, & in luctu jacet, in ſqualore, in umbra mortis ſedet omni decore ſpoliatus: ſymbo-

lum hujus cæci fuit, qui apud Lucam 18. 35. *ſedebat ſecus viam mendicans*, bene mendicavit, qui & obſonio divinæ gratiæ reficientis deſtitutus, & habitibus virtutum ſpoliatus erat; utroque indiguit, & ideo mendicavit à prætereunte Chriſto, quia potuit eum reficere, & illius nuditatem obtegere.

15 Cæcutiunt peccantes, & lumine gratiæ deſtituti vias perambulant tenebroſas, & obſcuras, neque vident, quà ſit eundum Proverb. 4. 19. *Via impiorum tenebroſa, neſciunt ubi corruant*; eſt tenebroſa propter ignorantiam, cum ex Philoſopho omnis peccans ſit ignorans ſed non ſolùm eſt tenebroſa, verùm etiam declivis, ac lubrica ad præcipitium, ut eam deſcribit Jeremias 23. 12. *Via eorum erit quaſi lubricum in tenebris*: utrumque cum Davidi innotuiſſet dixit Pſal. 34. 6. *Fiat via illorum tenebræ, & lubricum*: idque cauſæ cur impij conquerantur ob difficultates, ac pericula ipſis obviantia in ſuis vijs, quas perambulant, ut carnis delicijs perfundantur, mundi voluptatibus perfruantur; ſenſuum concupiſcentijs indulgeant; ajunt ipſi Sap. 5. 7. *Ambulavimus vias difficiles*. Diſtinguit Hugo Cardinalis expendens verba *ſapient.* Tres vias, quas perambulantes impij laſſantur. Aliam aſſerit eſſe montoſam, præruptam, in qua plura præcipitia; & hanc perambulant ſuperbi, & ambitioſi. Aliam ſaxis, lapidibúſque plenam; & hanc ait percurrere contentioſos, ac rixoſos, quique inimicitias excitant, & odia fovent. Aliam lutoſam, in cujus cœno volutantur delicijs ſenſuum indulgentes, guloſi, & luxurioſi: ait ipſe: *quidam viam montatam vadunt, ut ſuperbi ambitioſi. Alij viam lapidoſam, ut avari contentioſi. Alij lutoſam*, ut *guloſi luxurioſi*. Quotquot viam perambulant iniquitatis, ſinúntque ſe trahi à mundi illecebris, à carnis voluptatibus, à ſplendore divitiarum, quas congerunt exugentes pauperum ſanguinem, detinentes aliena, hi ait Sophonias 1. 17. *Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt*: quorum conditionis miſertus eorundem cæcitatem, ac ignorantiam excuſat apud Deum Patrem, quem rogat, ut velit illis parcere Luc. 23. 34. *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt*. Quoties peccator per lethalem noxam ſe avertit à ſummo Bono, quid agit ignorat; quia ſi ſciret non relinqueret fontem vivum ſurgentium aquarum, ac ſalientium in vitam æternam; ut putridas, cœnoſas, ac corruptas ciſternas diſſipatas terrenarum voluptatum biberent: Si ſcirent, non ſe præcipites agerent in cruciatus Gehennæ nunquam finiendos ob volatilem voluptatulam, ob larvatas delicias, quæ non niſi luctum, & miſerias parturiunt: ſi ſcirent non eſſent proni ad culpam, tardi ad compunctionem, remiſſi ad gratiam: ſi ſcirent quanta malitia divinæ bonitati, & dignitati injuriam inferunt; quanta turpitudine ſe coinquinant; quanta pœna, & ſupplicio ſe dignos conſtituunt; & quantum tormentum æterni cruciatus incurrunt; non facilè ſuis adhærerent concupiſcentijs, nec à ſummo ſe Bono averterent.

16 Hinc Apoſtolus hortatur Hebræos, quatenus Deum orent, ut offuſas ignorantiæ tenebras velit ab ijſdem excutere ad Hebræ. 9. 7. *Pro ſua, & populi ignorantia* SS. Patres præſertim Anſelmus, & D. Thomas per ignorantiam intelligunt quodvis peccatum, quia ut ait Salomon Proverb. 14. 21. *Errant, qui operantur malum*: & David etiam Deum rogavit, ut quas contraxerat ignorantias ipſi condonaret Pſal. 24. 7. *Ignorantias meas ne memineris* hoc eſt peccata mea dele, quò puro corde tibi impoſterum ſerviam. Quatuor ſunt peccatorum genera, quæ præ cæteris hominem obcæcant; ſúntque ex D. Bonaventura humor avaritiæ, livor invidiæ, tumor ſuperbiæ, & ardor luxuriæ; hiſce quatuor humoribus viſus oculorum vitiatur; mentiſque acies excæcatur. Imò adeo craſſa eſt peccantis cæcitas, ut quanti ſit regnum pretij non videns hoc pro vili lenticula ingloriè divendat, mundique quiſquilias cæli præferat divitijs; & gulæ lenocinium animæ beatitati.

17 Jacob Patriarcha pro ævi ſui ſimplicitate pulticulam ex lente ſibi in prandium apparaverat; quâ cum veſceretur, ſupervenit Eſauus oppido laſſus è ſylvis, in quas ob venationem ſe contulerat; cúmque ſame premeretur; vix oculos in edulium conjecit, & dentibus cæpit in cibum illum prurire, quem præfervidus expetijt famis explendæ causâ. Sed Jacob, cum intentus eſſet in occaſionem juris recipiendi Primogenito debiti, quod jure nativitatis Eſauus ſibi vendicaverat; & Jacob ratus cœli privilegio tale jus ad ſe pertinere; pultem ea conceſſit conditione, ut Eſauus natalem prærogativam ſibi cederet; & quamvis animo turbato hanc audiret conditionem, cupiditate tamen gulæ victus, petenti annuit, & unà cum vili lenticula principatum decoxit familiæ; pro gulæ pruritu regale ſacerdotium divendidit, ac opimiorem hæreditatis partem dilapidavit Geneſ. 25. 30. *Cum veniſſet Eſau de agro laſſus ait: da mihi de coctione hac rufa, cui dixit Jacob vende mihi primogenita tua. Ille reſpondit: En morior, quid mihi proderunt primogenita; Ait Jacob: jura ergo mihi: Juravit Eſau, & vendidit primogenita.* Eſau peccantem indicat, qui pro vili voluptatula, pro umbratili delectatione, pro larvato gaudio, quod lacrymis ſcatet divinam gratiam, ſeu jus ad cœli regnum, ad hæreditatem Chriſti, ad æternam gloriam miſerè divendit, ſéque privat jure poſſidendi regnum æternum pro vili pulticula ex lente, pro cœnoſa delectatione ſordeſcentis luxuriæ; appoſitè Hugo Cardinalis in Geneſ. 42. *In ſtatu peccati peſſima negotiatio eſt; ubi pro modica delectatione tranſitoria datur tota gloria paradiſi: & propterea obligat ſe anima pœnæ æternæ.* Quid ſtultiùs quàm pro vili, ac fucata voluptatula, jure deſtitui celeſtem adeundi hæreditatem; pro momentanea, & umbratili delectatione æterna privari felicitate, pro vili epulo paradiſi renuntiare delitijs;

Gu-

Digitized by Google

Gula Eſavum jure ſpoliavit primogeniti, & regali ſacerdotio; quidni gula etiamnum plures ſpoliat habitu divinæ gratiæ, ſeu jure regnum poſſidendi cœleſte; propterea monet Eccleſiaſticus cap. 37. v. 32. *Noli avidus eſſe in omni epulatione, & ne effundas te ſuper omnem eſcam.* *Non cibus*, ait D. Gregorius lib. 30. Moral. *ſed appetitus in vitio eſt. Unde & lautiores cibos plerumque ſine culpa ſumimus, & abjectiores non ſine reatu conſcientiæ deguſtamus.* D. Auguſtinus expendens verba Apoſtoli ad Rom. 14. *noli propter eſcam deſtruere opus DEI*, ait: *Non propter porcum, ſed propter pomum mortem primus homo invexit: & Eſau primatum ſuum non propter gallinam, ſed propter lenticulam perdidit.*

17 An non cæcutit peccans? cum ob vilem, ac momentaneam carnis ſpurcitiam, ob umbratilem, fluxámque voluptatem, quæ ſtatim tranſit, nec poſt ſe aliud relinquit, quàm cruciatus conſcientiæ, animi dolores, corporis ægritudines; ſe ſpoliet pretioſiſſimo habitu gratiæ, quò gratus erat DEO, & cælitibus; ſe privet decore, ac bonis omnibus, & pro venuſtate illa inexplicabili, pro decore illo inæſtimabili induat monſtroſam deformitatem, fiátque unico inſtanti horribile monſtrum ſtygiæ Paludis; ſtercorata larva gehennalis theatri, terriculamentum piatum mentium; olidum ludibrium, Inferni peripſema, mundi catharma, dæmonum carcinoma. Nec peccatum animum tantum peccantis contaminat, deturpat; ſed etiam cruciat, ac torquet; adeo ut peccati pediſſequa ſit pœna, quia ut ait S. Laurentius Juſtinianus lib. de peccato cap. 4. *Fiunt inſtrumenta pœnarum, quæ fuerant oblectamenta culparum*; & ibi eſt pœnæ cruciatus, ubi peccati fuerat oblectamentum. Quòdque deterius, cum pervicax perſiſtit in peccato, divinæ miſericordiæ vias obſepit, aditúsque ſibi intercludit; & divinæ renuntiat amicitiæ, Nûminis gratiam vilipendit, DEI favorem nihili facit; & mavult in cœnoſa peccati palude jacere ſordidatus, quàm inde emergere, ac priſtino reſtituri divinæ gratiæ decori; & ſponte ſua in illud ſe barathrum agit præcipitem, unde nec ſuis, nec aliorum hominum, nec Angelorum viribus potis eſt ampliùs emergere: & hæc eſt illa cæcitas, quam cacodæmon toto niſu ſtudet in hominem transfundere, ne videat ad quales, quantáſque calamitates trahatur à peccato; in hoc totum adhibet ſtudium, ut peccanti propriam celet peccati miſeriam; ſciens, quod ſi peccanti innoteſceret, toto corpore, & ſpiritu inhorreſceret, nec momento in ea eſſet manſurus; ſed Euro ocyus ad pedes curreret ſacerdotis conſcientiam expiaturus; & lachrymis, vel etiam ſanguine contractas noxarum maculas abſtergeret, ac deleret.

18 Quinimò adeo craſſa, & lurida eſt peccantium cæcitas, ut admittantur peccantes ipſam peccati turpitudinem honeſtate obtegere, & ipſam delinquendi conſuetudinem, quaſi ſancitam legem indemnem ſervare. *Geneſ. 19.* Vallis erat in Palæſtina juxta Jordanem, in qua ob loci amœnitatem, aërisque ſalubritatem, quinque fuerunt urbes conſtructæ, quibus nomen commune Pentapolis erat, & in ſpecie urbium nomina, quibus una ab alia ſecerneretur, erant Sodoma, Gomorrha, Sebois, Adama, & Segor, quarum tamen Incolæ flagitioſiſſimi præſertim Gomorrhæi, & Sodomæi omnium vitiorum cœno involuti, & præſertim nefandæ libidinis fœdiſſimi. Ex loci amœnitate, & delicijs otium foverunt, quod vitiorum omnium putidiſſimus eſt fons, à quo propterea omnium portenta libidinum ſcatutierunt, neque Lotus vir virtutum culturâ conſpicuus ſuis hortamentis, & exemplis cives ſuos ad morum emendationem, vitæque durioris ſtudia adducere unquam valuit, & enormiſſima eorum peccata cum cœlum non ſolùm inceſſerent clamoribus, ſed quaſi & obtunderent, promeritam pœnam ad ſe traxerunt. Adveniunt bini è cœlo Angeli luxuriæ impudentis ultores, qui Loto ſua erunt egredi è civitate, quo ſeveriores divinæ juſtitiæ rigores acerbè in Sodomitas exequerentur.

Obſecutus Lotus è mœnibus exivit ur- 19
bis, & cum ſuis in campi libertate ſe conſtituerat, conceſſerátque in oppidulum, cui nomen Balam, & Hebræi Segorem vocant. cúmque ſol ex horizonte primos ſuos in regionem illam radios emitteret et funeſtæ contra Pentapolitas tragœdiæ actui primo datur initium: ſiquidem ſub crepuſculum matutinum DEI vindicis imperio vapores excitantur, qui fuliginea tetricitate totum obſcurârunt aërem; cúmque Sodomæi adhuc in lectis ſterterent, vel infandæ indulgerent libidini, cœperunt flare venti, furere turbines, inſoleſcere procellæ, quaſſari terra, & Jordanes ipſe in fluctus, ac fremitus aſſurgere; cœlo fulgura micare, tonitruis horrendis aër immugire, & tota vallis denſiſſimis obſita tenebris inhorreſcere, móxque diſcindi fulminum jactu cœperunt nubes, & flammarum cataclyſmum deorſum demittere Geneſ. 19. v. 24 & 25. *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam, & Gomorrham ſulfur, & ignem à Domino de cœlo, & ſubvertit civitates has, & omnem circa regionem, univerſos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia*: adeò enormis fuit viventium ſtrages; adeò cruenta hominum clades, ut retroacta ſæcula parem non viderint, cum elementa ipſa propriæ oblita naturæ ſedem nativam dereliquerint, quo inſtrumenta fierent pœnarum, ac ſupplicij; & cœlum ipſum licèt aſſuetum benefacere, in Sodomitis tetris fuerit obarmatum nubibus, ac fulminibus; flammáſque omnes è ſulphure nutritas unà congeſſerit, ac deorſum perinde, ac fulmina evibraverit in Sodomæorum internecionem, extremúmque excidium, ac ad civitates illas infames uſtulandas, ac prorſus delendas. Quærunt interpretes, quidnam principaliùs has flammarum pluvias accenderit, ac inauditam ſupplici acerbitatem acciverit, & enormem illam hominum cladem evocaverit.

20 Non me latet pleróſque in ea verſari opinione, ut hujus incendij libidinem cenſeant fuiſſe excitatricem, eò enim creverat profuſæ libidinis fœditas, ut ad illam delendam quaſi non ſuffeciſſet elementum aquæ, cum ſuis cataractis, opus fuerit aliud elementum acrius, & efficacius ad ſupplicia delinquentibus inferenda; & ignis evocari debuerit: huc accerſendus S. Auguſtious lib. 16. de civit. Dei cap. 30. inquiens: *Liberato de Sodomis Loto, & veniente igneo imbre de cœlo tota illa regio impiæ civitatis in cinerem verſa eſt, ubi ſtupra in tantam conſuetudinem convaluerant, quantam leges ſolent aliorum factorum præbere licentiam:* adeò ſcelus impudenter percrebuerat, & eò devenerat libidinis inſolentia, ut quaſi lex haberetur ſancita de impudicitia promovenda; ita Gomorrhæi, & Sodomæi ſcortabantur impunè, ac ſi luxuriari liceret, & legis eſſet obſervantia: adeò effusè ferebantur cives illi in ſtupra, & alia nefanda ſceleta, ac ſi lex ipſa ad illas enormitates eos adigeret, ideóque pudore depoſito licitum erat cuilibet laſcivire, quaſi religioſa forent ſtupra, & honeſta nefanda ſcelera, eò quia de conſuetudinis, legiſque obſequio proditent, ait enim D. Auguſtinus: *Ubi ſtupra in tantam conſuetudinem convaluerunt, quantam leges ſolent aliorum factorum præbere licentiam.*

21 An non craſſiſſimam dixeris hanc cæcitatem, quâ ſuffuſi peccantes, honeſtate veſtiunt ipſam turpitudinem, & delinquendi proterviam, legem conſtituunt ſancitam, cujus obſequio impunè laſciviunt, qui veluti ſuea nonniſi in cœno volutantur carnalium voluptatum, quæ veræ non ſunt, ſed tantùm excrementa voluptatum? Adeò peccandi conſuetudo peccantes excæcat, ut non ſolùm propudioſum impudicitiæ ſcelus non erubeſcant; verùm etiam glorientur in malitia, quia potentes ſunt in iniquitate, quaſi venerea pravitas, & malitiæ turpitudo pietatis ſit cenſus, & gloriæ incrementum; etenim ſi ſemel peccantes verecundiam delinquendo excuſſerint, adeò tetra obcæcantur pravitate, ut ipſam libidinis turpitudinem honeſtam quodammodo impudenter cenſeant, & ipſum ſcelus pietate veſtiant, ut appoſitè notat Tertullianus in Apolog. cap. 7. ubi referens Gentilium adverſus Chriſtianos calumniam de inverecundia libidinis, quam tenebræ pudoris neſciæ negotiantor, ait in emaculata Herardi correctione: *Dicimur ſcelerati de Sacramento infanticidij, & pabulo inde: & poſt convivium inceſto, quod everſores luminum canes, lenones ſcilicet tenebrarum, & libidinum impiarum inverecundia procurent*: nimirum quia canea lumina, quæ evertunt, extinguunt; tenebrarum lenocinio excuſſa verecundia, quia libido inverecundè procuratur, ac ſi ab inverecundia pietatem nanciſceretur, quàm haberet venerationi.

22 Adeò enormis eſt cæcitas, quam peccatum offundit, ut peccantes toto inverſo naturæ ordine virtutis honeſtamento dent, quod vitij debetur turpitudini. Geneſ. 19. Cum Lotus unà cum filiabus declinaturus ſupplicium Sodomæorum, & obtemperaturus Angelis ſuadentibus, exiviſſet ab urbe, ac timuiſſet manere in Segor parva urbe Sodomis proxima in ardua montis cacumina cum filiabus feſtinavit: ſed cùm vitæ effugium quæreret, pudicitiæ periculum invenit, & in montis faſtigio caſtitas præceps ruit: cùm in montis ſpelunca Lotus cum utráque filia deliteſceret, dixit major ad minorem, Pater noſter jam ſenio eſt confectus, ejus ſanguinis frigere incipit, & nullus virorum ſuperfuit in terra, & quibus poſſimus nubere: Inebriemus igitur patrem noſtrum vino, & dormiamus cum ipſo, ut ſervare poſſimus ex patre noſto familiæ ſucceſſores. Quidni? malum conſilium fuerunt filiæ excuſsâ verecundiâ, & libidinis impudentia affectæ pejùs executæ: conceperunt igitur ambæ filiæ de patre ſuo Geneſ. 19. verſ. 37. *Peperitque major filium, & vocavit nomen ejus Moab, ipſe eſt pater Moabitarum uſque in præſentem diem.*

Excuſanda ob ſexûs fragilitatem, ſi eſſet puellæ audacia, eò quia nubilis, ac in flore ætatis maritum, cui nuberet, jamjam deſperâſſet: quo enim inflammatæ ſatisfaceret concupiſcentiæ, adeò cæcutjit, ut ſanguinis neceſſitudinem, propriúmque opprobrium noit viderit: ſed omninò intolerabilis, & à quavis excuſatione protſus aliena eſt glorioſa illa inverecundia propudioſi inceſtûs; cum ſpurio filio, quem ex patre conceperat, nomen iodiderit *Moab*, quod nonniſi impudentiſſima cæcitas ſuggerere poterat, etenim interprete S. Hieronymo *Moab interpretatur ex patre*, idque hebraicum nomen *Moab* oſtendit, ut docet idem Hieronymus. In tenebricoſo igitur occulti ſpelæi receſſu, cæcutientes libidine filiæ patris inceſtum inducta ebrietate negotiantur, & temulentiæ inſidijs ad paternum impudentiſſimè accedunt concubitum, paternámque furantur caſtitatem, ex quo accipientes concipiunt, & cum altera peperiſſet patris nomen impreſſum, voluit tenello fœtui. 23

An non cæca fuit, ac impudens puella, quæ ex patre, cùm concepiſſet, ſcelus non ſolùm non occultavit, ſed ut publicum fieret, nomen ſtupri, paterníque ſceleris impreſſum voluerit filio, cui nomen indidit *Moab?* an non ſatis erat occultum ſcelus partu in lucem edito manifeſtare? ad quid illud etiam impreſſum voluerit in tenella infantis carne, cuj nomen ſceleris *Moabi* vocabulo inſcripſit; quò in filio inceſtuoſæ matris impudentia unà cum flagitio legeretur, & quidem characteribus, qui deleti non poſſent, & tamdiu durarent, quamdiu nomen Moabi, & ejus poſteritas, ſeu gens Moabitica eſſet in mundo perſeveratura? huc accerſendus Cajetanus in Geneſ. 19. ubi de impudentia puellæ loquens ait: *Inverecunda autem ſatis fuit puella prima publicans inceſtum in nomine filij: ex eo etiam inſinuans, quàm audax fuerit priùs conſulendo* 24

lendo ſibi, & ſorori inceſtum paternum: nimirum excuſſo pudore, obliterata verecundia, adeò impudenter audet, & cæcutit libido, ut vel ipſam vitij turpitudinem veſtire geſtiat honeſtare, ac glorioſè toti publicare adnitatur poſteritati, quod omninò occultum, ac ſilenrio inſepultum exigeret eſſe. Scimus Joſephum Patriarcham poſt ſuperatas ærumnas, ditáſque feliciter exantlaras calamitates filium ſuſcepiſſe primogenitum, cui nomen *Manaſſes* indidit. Geneſ. 41. v. 54. *Vocavit nomen primogeniti Manaſſes, dicens obliviſci me, fecit DEUS omnium laborum meorum, & domus patris mei.* Nimirum ut expendit Lippomanus; Joſeph voluit *poſteros meminiſſe beneficiorum DEI: ideòque nomine veluti in propriam illorum carnem ſcripſit miſericordias Domini* quæ nobis à DEO impertiuntur beneficia, hæc publicari debent, quò reliqui in ſpem erigantur paria ſuſcipiendi, ſi piè vixerint, & ea à DEO enixim petierint. At Loti filia libidinis flamma exardens, & fumo impudicitiæ cæcutiens non impertita ſibi à patre beneficia propalavit, ſed parratum cum ipſo ſcelus glorioſè exaggeravit, & in filio, quem ex patre concepit, & lucis uſuræ peperit, poſteris voluit manifeſtum eſſe, quaſi ex patrato ſcelere laudes ſibi promeruiſſet, & ex turpitudine inceſtûs honeſtatem hauſiſſet, qua digna fieret, ut à poſteris commendaretur: hæc eſt illa cæcitas, quæ peccantes ita confundit, ut turpitudinem honeſtatem putent, & vitium veluti virtutem excolant: imò adeò cæcutit peccans, ut ſe ipſum non videat Apocal. 3. v. 17. *Neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, es pauper, & cæcus, & nudus.* Cum gloriaretur de divitijs, quibus affluebat; de vitijs, quibus indulgebat; de delicijs, quibus diffluebat, tunc miſer, pauper, nudus, & cæcus deprædicatur, quia ſcelus eam induit cæcitatem, quâ laborantes, qui peccant, ſe ipſos ampliùs non cognoſcant.

25 Non ſolùm peccatum tenebras offundit cæcitatis, luménque extinguit mentis, verùm & hominem è cognitione, & ſtatu hominis dejicit, vertítque, in brutum, idque innuit Deus ipſe Geneſ. 1. 27. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit, &c.* Quid? quòd homo poſtea deſcribatur deſtitutus inſigni hac dignitate imaginis, & ſimilitudinis DEI: videtur enim honori ejus detrahi, cùm ſcriptura reticens imaginem, & ſimilitudinem DEI tantùm dicat, *& factus eſt homo in animam viventem.* Quærunt interpretes, cur Moyſes ampliori titulo non commendaverit divinum opificium in homine; quem DEUS ipſe expreſsè dixit factum ad imaginem, & ſimilitudem ſuam? An quia licèt factus fuiſſet homo ad imaginem, & ſimilitudinem DEI, hanc poſtea deleverit per tranſgreſſionem violati præcepti, & propria ſpoliatus prærogativa parem ſe fecerit jumentis inſipientibus? Ita eſt, ait Rupertus: *Quia qui factus eſt homo, rationis dono non benè uſus eſt, & honorem ſuum non intellexit, ſed comparatus eſt jumentis, rectè illi jam quaſi detractum eſt illud, quo ſuperior eſt jumentis.* Idque fortaſſis cauſæ, cur poſt violatum ſibi injunctum præceptum fecerit DEUS protoparentibus tunicas pelliceas Geneſ. 3. 21. *Fecit quoque Dominus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.* Hoc eſt, ita induit, ut pellis pelliceæ carni immediatè adhæreret; & lana exteriùs appareret ad inclementiam aëris, & rigiditatem frigoris arcendam: nimirum poſt peccatum protoparentes ſimiles fiunt beſtijs, quarum ſpeciem in veſte præſeferunt, quò inde diſcamus, quantæ ſit peccatum turpitudinis, eum totum hominem devenuſtet, & à ſtatu dejiciat hominis, brutiſque damnet adſcitum.

Idque expertus fuit Nabuchodonoſor, qui divitijs affluens, ſed vitijs ſerviens totam deturpavit gloriam, quæ ex regia dignitate ei obtigerat. Somniavit arborem tantæ proceritatis, ut vertice, ramiſque ſuperioribus nubes ipſas contingeret, & amplissimo foliorum explicatu tractus omnium terrarum inumbraret, ac fructuum divitijs affluens, non ſolùm volucribus nidum, beſtijs hoſpitium, ſed mortalibus omnibus uberrimam ſuppeditaret eſcam. Sed quia humana felicitas fluxa eſt; & ſtatim exareſcit; adfuit de cœlo Genius excubitor, ac divinæ Miniſter providentiæ, qui minaci voce præcepit, arborem illam ſtatim ſuccidi, ramos omnes amputari, folia diſſipari, diſpergi fructus, relicta duntaxat ſtirpis radice: & ſtatim viriditas tranſivit in marcorem, divitiæ in inopiam, ornatus in nuditatem. Quærunt Interpretes qualiſnam fuerit hujus mutationis cauſa; & in ſuperbiam, faſtúmque inſanum refundunt Nabuchodonoſoris Daniel. 4. v. 37. *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? cúmque ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox de cœlo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonoſor rex. regnum tuum tranſibit à te, & ab hominibus ejicient te, & cum beſtijs, & feris erit habitatio tua: fœnum quaſi bos comedes, & ſeptem tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias, quòd dominetur excelſus in regno hominum.* 26

E regio fortè ſolario urbis Babylonicæ ſplendorem, amplitudinem, ac magnificentiam mente tumida, oculóque ſuperbo luſtrabat, & elatus ob molium, & extructionum magnificentiam, videbatur ſibi humanæ potentiæ limites ſuperâſſe, capútque novus Enceladus ſyderibus inſerere: ſed quò notum eſſet hominibus, non cæcis fortunæ, vel Fati conſilijs humana circumvolvi, & agi; ſed impulſibus rotari virtutum; aut virtutibus ſuffulciri; cùm primùm Nabuchodonoſor ſuperbiæ tumore inflatur, & à virtutis recedit honeſtamento; indecora deprimitur calamitate, & qui regio ſedet in throno, mox humi repens fœno paſcitur cœtui adſcitus beſtiarum: ob tumidam arrogantiam, quaſi cœleſti fulmine divinæ vindictæ ſideratus, de poteſtate mentis, thronique eminentia dejicitur: Et 27

quia

quia ſe Numinibus parem effecerat ; cultrix Nemeſis, nec inter hominum pariter conſortia : repitque per terram quadrupes, qui bipedum neminem ſibi parem toleravit ; etenim Nabuchodonoſor omnibus eminentior hominibus ; Imperantibus omnibus altior inſtar beſtiæ pronus abjicitur in paſtum ; degit ſub dio frigido, qui regio ſplenduit in palatio auro, gemmiſque tectus : moratur in campo ſine tecto ſilveſtribus, ſe feris aggregat, ijsdem convivit, herbas famelico dente corrodit, gramina mandit, deglutitque ; fœnóque ſtomachum implet, famémque propellit ; & frigidâ ſitis temperat æſtus : toto ſeptennio ſaltus, lucóſque manibus, pedibuſque perreptat inconditum emittens ſtridorem beſtiarum in morem, capillis, & unguibus excreſcentibus ad aquilarum horreſcentem æmulationem : ita fuit coërcenda tyranni ſuperbia : ita deprimendus Nabuchodonoſoris faſtus, ut inter feras humanitatem indueret, quam inter homines exuerat ; & mitior fieret feris adſcitus, qui ferox fuerat hominibus imperans : appoſitè Theodoretus orat. 4. *Intuere elatæ mentis faſtum. Inſpice arrogantiæ exuberantiam: ego enim inquit, ipſam urbem regiam feci, regia in ipſa conſtituta in honorem gloriæ meæ: hac feci potentia maxima præditus, omniúmque potitus. Verùm hæc gloriam, & fremens locutus eſt: At Dominus DEUS ſtatim ſupplicium intulit.* Ecce, quâ tumida arrogantia, ac elato ſupercilio propriam ſtudet gloriam provehere; ait. *Regiam urbem feci regia in ipſa conſtituta in honorem gloriæ meæ.* Eminere non poterat in urbe illa, in qua decreta ſanciebantur non ad regulas æquitatis, ſed ad faſtum ambitionis : leges, quas Nabuchodonoſor condidit, non pro bono publico faciendo inſtitutæ fuerunt ; ſed pro principis faſtu ſuſtinendo adinventæ : ſed quia diſceſſit ab æquitate, inſipido adigitur fœno veſci, beſtijs adſcitus ; quarum ſpeciem luridè induit ; quia cum regia potiretur dignitate, & vitijs, quibus indulſit, fœdè inſervivit ; à regia majeſtate, & hominum defecit humanitate. Diſcant Principes, ſi ultricem nolint Nemeſim experiri, ita majeſtatem tueri, ut faſtum deponant, ſuperbiam omnem à ſe abigant ; arrogantiam excutiant. Veneratio in principe neceſſaria eſt, cum ab eadem trahantur populi ad debita illi obſequia præſtanda ; qui contemnitur, imperare nequit, cum ex contemptu nihili fiant ejus præcepta. Sed faſtum imperando deponat, ſuperbiam exuat ; ille pater, hæc mater eſt odij ; nil magis avertit ſubditos à principe, quàm tumor, & ſupercilium ; quæ enim in principe modeſto concordiæ, & amoris ſunt vincula ; eadem in ſuperbiente, & faſtuoſo averſionis, & odij habentur incitamenta : nil efficaciùs ad amorem ſubditos excitat, quàm in principe comitas, & affabilitas ; faſtus verò, & ſuperbia odium, & contemptum pariunt. Quale debeat eſſe principis Chriſtiani imperium ediſſerit Chriſtus Math. 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Alioquin ut ait Eccleſ. 10. *Sedes Ducum ſuperborum deſtruxit DEUS ; & ſedere fecit mites pro eis : radices gentium ſuperbarum deſtruxit DEus, & reliquit memoriam humilium ſenſu.* Ex Imperantibus ſuperbia tumidus notatur Domitianus ; de quo ait Suetonius, quòd cum procuratorum ſuorum nomine dictaret, epiſtolam incæpit : *Dominus, & Deus noſter fieri jubet*, ſed faſtus iſte non amorem conciliavit, ſed odium excitavit ; *& oppreſſus fuit, amicorum, libertorúmque conſpiratione : ſimul & uxoris.* Princeps faſtuoſus fuit Caligula, de quo narrat Suetonius : *Templum Numini ſuo proprium, & ſacerdotes, & excogitatiſſimas hoſtias inſtituit : conſiſtens ſemper inter Deos medius, adorandum ſe adeuntibus exhibebat.* Sed ejus tumor triginta vulneribus confoſſus detumuit, & ipſe violentâ morte interemptus infeliciter occubuit Chærea, & Sabino auctoribus conſpirationis. Princeps ſuperbiâ elatus fuit Alexander Magnus, de quo Valerius lib. 9 c. 5. *Faſtidio Philippi, Jovem Hammonem patrem aſcivit ; tædio morum, & vultus Macedonici, veſtem, & inſtituta Perſica aſſumpſit, ſpreto mortali habitu, divinum æmulatus eſt : nec fuit ei pudori, filium, civem, hominem diſſimulare.* Sed pœnam dedit inſani faſtûs præmatura morte raptus : ſuperbia intumuit Herodes, de quo Act. 12. dicitur. *Veſtitus veſte regia concionabatur. Populus autem acclamabat : DEI voces, non hominis,* ſed quia ſupra homines elatus Numini ſe parem effecit ; infra homines viliſſimi vermes ejus faſtum depreſſerunt, cum ejus corpus in craſſiſſimum pus ſolutum corroſerunt Act. 12. *Percuſſit eum Angelus Domini, eò quòd non dediſſet honorem DEO, & conſumptus à vermibus expiravit.*

Atrogantiſſimo faſtu ſuperbivit mortalium omnium ſceleratiſſimus Antiochus, qui auditis proſperis Judæ Machabæi ſucceſſibus relictis Ecbatanis Medorum urbe in Judæam cum toto exercitu venit, non ſolùm Machabæorum gloriam obſcuraturus, verùm & fuſo ſanguine extincturus ; & funeſta clade deleturus quidquid ſplendoris ſupereſſet : cum celeri feſtinatione properaret, currúmque, quo vehebatur, agitari velociùs juberet, ut ægrè poſſet equitatus ſequi ; & peditatûs copiæ retrò manerent ex itinere accelerato defeſſæ, non ſine aliquo tumultu ; ex elephantis unus cæteris iracundior cœpit ferociſſimo cum ſtridore barrire, ad cujus barritum exterretur Antiochus ; paritérque exterruntur equi regij eſſedum trahentes, qui impatienter recalcitrantes, Antiochum iterata pluries ſuccuſſione è ſede, rhedáque excutiunt ; & quia corpore obeſus, graviori impetu in terram alliſus, totius corporis artubus contunditur, doloribus torquetur, mente turbatur, viribus deſtituitur, ſpiritu deficit, ut exanimi videretur ſimilior : à famulis humo erigitur, & Babylonem deportatur motum ægrè patiens ; cúmque dolores acriùs viſcera lancinarent, cruciatus incremento fierent acerbiores, ac toleratu difficiliores, ac animi deliquio experiretur 28

riretur mortem proximam; cœpit tunc mala, quæ fecerat, ac patrata ſcelera recolere 1. Machab. 6. *Nunc reminiſcor malorum, quæ feci in Jeruſalem*, cœpit infelix, doloribus tortus, cruciatibus afflictiſſimus recolere ſcelera patrata; crudelitates, quas exercuit contra Judæos, delicta Jeroſolimæ patr. ta; obverſabantur ante memoriæ oculos plura millia Judæorum ſine ulla probabili c. uſa ex ſolo livore invidiæ cæſa, eò quia proſpero ſucceſſu res jiſdem ad vota fluerent; Judæa pervaſtata, habitatores vel occiſi, vel fugati, pecora rapta, & interempta; Jeroſolyma flammis, ferróque abſumpta, templum profanatum, victimarum ara polluta, theſauri direpti, arx Sionis ſuis erepta heris, puellæ conſtupratæ, ſacerdotium cruore maculatum, cives inflictis vulneribus interempti, librorum ſacra monumenta porcino conſpurcata cruore, ſacræ paginæ laceratæ, templi ornamenta, vel ſurrepta, vel detrita, vel ſacrilegis ignibus abſumpta; lychnus immortalis, ac ſemper ſplendens extinctus, & ablatus; hæc & alia patrata ſcelera animum acriùs torquebant Antiochi, quàm dolores, & cruciatus corporis viſcera; vermis rodentis conſcientiæ diriùs Antiochum excruciabat, quàm vermes, qui ex pure in corpore enati membra torquerent, quæ famelico dente corrodebant; ajebat infelix Antiochus: *Nunc reminiſcor malorum, quæ feci in Jeruſalem*; obverſabantur memoriæ minæ, terrores, formidines vulnera inflicta innocentibus, cruentæ clades Judæorum; hæc & alia ſcelera tortores erant animi, & vermes, qui conſcientiam rodebant, quia ut ait Eccleſiaſticus cap. 25. *Omnis plaga triſtitia cordis eſt*: ſiquidem flagitia in ſupplicium vertuntur, quo impij diriſſimè torquentur, adeò ut ſcripſerit Tacitus lib. 6. *Si recludantur tyrannorum mentes poſſe aſpici laniatus, & ictus, quando ut corpora verberibus, ita ſævitia, libidine, maluconſultu animus dilaceretur.*

29 Neque putes, quid aliud Antiochum in hunc infeliciſſimum detruſiſſe ſtatum, & in imum dejeciſſe ærumnarum, quàm faſtum, quo intumuit; ſuperbiam, qua ſibi parem non fuit paſſus: de ipſo habetur lib. 2. Machab. cap. 9. *Qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare; ſuper humanum modum ſuperbia repletus, & montium altitudines in ſtatera rependere; nunc humiliatus ad terram in geſtatorio portabatur, manifeſtam DEI virtutem in ſemetipſo conteſtans: ita ut de corpore impij vermes ſcaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius, & fætore exercitus gravaretur; & qui paulò ante ſidera cœli contingere ſe arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fætoris portare; & cùm nec ipſe jam fætorem ſuum ferre poſſet, orabat ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Ad hunc finem ſolicitato curſu tendit ſuperbia, quæ dum nimium tumet inflata diſrumpitur; & nonniſi ſanguinem, vel lachrymas ex diſrupta cute elicit.

30 Cùm etiam ſuperbiâ elatus intumuiſſet Nabuchodonoſor non ſolùm è cœtu Numinum dejectus fuit unà cum aurea ſtatua, qua divina obſequia ſibi uſurpare auſus fuerat, verùm etiam è conſortio hominum excluſus cœtui adſciſcitur brutorum Daniel. 4. *Ejicient te ab hominibus, & cum beſtijs, feriſque erit habitatio tua, & fænum ut bos comedes, & rore cœli infunderis, donec ſcias, quòd Dominetur excelſus ſuper regnum hominum.* Qui ut Numen, ac divinitatis lumen ſplenduit in aurea ſtatua, una cum ſimulacro infeliciter ruit, & in imum delabitur infra homines; quantùm enim in ſtatua illa ſua aurea aſſurrexerit, tantùm ex alto in imum, & ad beſtiarum uſque conſortium dejectus fuit. Recordor Æſopi, qui rogatus à Chilone, quid Jupiter faceret, reſpondit, ut excelſa deprimat, & extollat humilia. Non ſolùm ad præcipitium aditum aperit ſuperbia, & peccatum, verùm etiam ab hominum conſortio excludit, quos ſuperbia inflat, & peccatum ſibi devincit: ecce Nabuchodonoſor non ſolùm è regio throno dejectus, verùm etiam inter pecora abjectus recta ſugit pronus in paſtum abjicitur, ſylveſtribus feris aggregatur, manibus, pedibus uſque perreptat, fœnúmque ut bos comedit Daniel. 4. *Et cum beſtijs, feriſque erit habitatio tua, & fænum ut bos comedes.* Inuſitata fuit hæc metamorphoſis: Nabuchodonoſor ex divitijs affluente inopia premitur; cùm ſederet in throno, abjicitur in humum; cùm ſupra homines erigi voluit, infra homines ſordeſcit abjectus; cùm aurea ſplenderet in ſtatua, umbroſo reptat obſcurus in luco, ſitque ex homine pecus, ex rege bos, ex imperante bellua ſine uſu rationis, abſque ornatu virtutis: quidni effectus eſt hæc metamorphoſis ipſius peccati, quod homines in beſtias vertit, & reges in bruta, unde David Pſal 48. v. 21. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*: illigati inſtar jumentorum detinentur, qui nexibus peccatorum irretiuntur: quinimò jumentis ipſis ſe produnt ſtolidiores: ſiquidem jumentum, ſi alligatum detineatur, ſi poſſet, utpote libertatis amans ſe ſolveret: & nihilominus peccator cum poſſit mediante ope divina peccatorum vincula ſolvere, & à cacodæmonis famulitio ſe ſubtrahere, adhuc liberè mavult in jiſdem vinculis detineri: neque à Dæmonis famulitio vult abſcedere, & quod turpiſſimum eſt obſonium, dulce ſibi videtur eſſe pabulum, cujuſmodi ſunt fœdiſſimæ carnis voluptates; mundique deliciæ, quæ porcorum ſunt ſiliquæ.

Ita eſt peccatum turpi metamorphoſi 31
peccantes è cœtu dejicit hominum, quos in bruta commutat; ut iracundos in leones, Siracides enim *cap. 4.* iracundum leoni confert; reſilientes à benè cœptis, & in peccata relabentes D. Petrus *epiſt. 2. cap. 2* pares facit cani ad vomitum revertenti, vel ſui lotæ ad volutabrum redeunti. Verſipelles, & aſtutos Chriſtus *Luc. 13.* vulpibus pares facit, & verſipellem Herodem vocat vulpem. Impij hœdis comparantur, qui ab ovibus ſeparantur, & à ſiniſtris ſtatuuntur Chriſtus *Matth 25.* Impios tanquam hœdos ab ovibus ſeparat. Et ipſa ſponſa

in *Cant. 1. 7.* ait: Paſce hœdos tuos, ubi Theodoretus hœdorum nomine peccatores intelligit, ſunt enim hœdi, quos Chriſtus à ſiniſtris ait locatum iri. Carnis ſpurcitijs maculati, & libidinem perversè olentes in hircos infelici metamorphoſi convertuntur, Zacharias cap. 10. loquens in perſona DEI ait: *ſuper hircos viſitabo*, ſeu fœtentes impuritate libidinis examinabo, & ab ovibus excludam.

32 David etiam peccantes equo, & mulo æquiparat Pſal. 31. *Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus*, ſúntque ex peccatoribus, qui iracundiæ calcibus alios impetunt, ut equi; vel ut muli per indomitam laſciviam mulierculis adhærent. Quinimò in aſinam etiam per peccatum homo degenerat. Chriſtus Matth. 21. v. 2. *Invenietis aſinam alligatam*: neque cenſeas, quid aliud eſſe peccantem niſi aſinum, quia perinde ac aſinus eſt ſtolidus. *Quidni Aſinum ad JESUM adducit*, ait. S. Bonaventura ſerm. 2. D. 2. pal. *Quicunque peccatorem ad Deum convertit.* Non ſolùm in aſinum peccatum hominem convertit, ſed etiam in porcum. Chriſtus *Luc. 8. Erat autem ibi grex porcorum.* Quærunt Interpretes, qui ſint porci iſti, ſed non putes, alios eſſe niſi illos, de quibus Matth. 7. v. 6. dicitur: *Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Sunt porci, qui immundorum animalium uſu vocis, ac rationis expertes lutulentis libidinum actibus, aliiſque ſordibus luxuriatum, ornamenta coinquinant virtutum: hinc filius in Evangelio prodigus, quia fœdè ſubſtantiam ſuam cum mulierculis dilapidaverat, ſeque in cœno libidinum volutaverat porcis adſcitur; & extrema adactus egeſtate *Luc. 15. 17.* in ſe reverſus dixit: *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Surrexit, quia fœdè jacuit; intellexit lapſum, quia paupertas oculos aperit; perrexit ad patrem, quia fames ſtimulos addidit Luc. 15. *poſteaquam conſumpſiſſet omnia facta eſt fames valida in regione illa.* Ad hunc finem ſemper voracitas tendit, ut ſubſtantiam exhauriat; & pietatis refuga porcis adjungitur, quorum traditus ſervituti, jam porcorum paſcua lutulenta percurrit; quò ſentiat, quàm miſerum ſit diſceſſiſſe à patre, ſe avertiſſe à Deo, & per peccatum diſſipâſſe hæreditatem, ac jus ad cœleſtem beatitatem. Quòd ſi filius prodigus porcis præfuit, etiam quivis alius, qui à patre cœleſti ſejungitur proprijs adhæſurus concupiſcentijs, beſtijs dicitur non præeſſe, ſed ſubeſſe, quatenus ſibimet non imperans beſtijs inſervit, quas in pravis paſſionibus nutrit: ſunt enim in homine beſtiæ plures, quibus & præeſt, & famulatur: beſtia ſiquidem eſt iracundia, quando focos intus, ut leena accendit, & nutrit; canis eſt livor, qui intus cor corrodit, & latrat, imò & quovis cane eſt crudelior, cùm mordeat, & interimat. Verſutiam vulpem eſſe dixeris, cùm omnia dolosè agat: appoſitè S. Gregorius Niſſen. orat. in illud Geneſ. *Faciamus hominem, & præſit beſtijs*, ait: *Impera beſtijs omnibus. quæ ſunt in te. Quid? inquies, ergóne in me beſtias habeo? tu verò beſtias habes, & eas quidem innumerabiles. Dic amabo, parváne eſt beſtia iracundia, quando latrat in corde tuo? nonne ea eſt quovis cane crudelior? Quid in callido animo tuo dolus latitans nonne quovis urſo fraudulento ſævior eſt? Quid? nonne fera eſt hypocriſis, vel immaniſſima? Qui autem impetu rapitur ad contumeliam nonne Scorpius eſt? qui præceps ad vindictam, ultionémque fertur, nonne eſt vipera graviſſima? Quid avarus ipſe? nonne lupus eſt rapaciſſimus? qui fœminarum amoribus inſaniunt, nonne furioſi ſunt equi?*

33 Quòd ſi peccatum peccantem brutis parem efficit; ſupplicium etiam cudit, quo puniat: ea enim eſt conditio peccantium, ut etiam ſuis artibus pereant, & quod in perniciem aliorum architectantur, in proprium exitium etiam nolentes moliantur. Id contigit Satrapis Darij Regis, qui exitium architectantes Danielis ſe ipſos interemerunt. Profectus erat Darius in Mediam itineris comitem ſecum duxit Danielem, quem plurimi ſemper æſtimaverat, imò eam poſſidebat principis gratiam, qua centum, & viginti Mediæ Satrapis, ac Magnatibus præfectus fuerit: à Daniele veluti ab Oraculo pendebat Darius; illi totius regni gubernationem concrediderat, cùmque proſperè principis negotia dirigeret, Danielis gloria, & ſplendor invidorum oculos obcæcavit, imò & odium in eorundem pectoribus ſuccendit: non enim Satrapæ, qui invidia intus torquebantur, tolerare exteriùs poterant hominem alienigenam, Judæum natione, imò & captivum, qui toti regno dominaretur: hæcque invidia anſam dedit exitium machinandi Danielis, eúmque à regis gratia abalienandi. Cum igitur Darius inſignem obtinuiſſet victoriam ex Babylone capta, & totum Chaldæorum regnum Perſis ſubjeciſſet, inſteterunt Satrapæ aſſentatores, ut cum rem humanis viribus majorem superâſſet, rerum geſtarum magnitudinem Perſis, aliiſque ſubditis manifeſtaret, quò majeſtatem regis, & totius imperij potentiam exploratam haberent: idque fieri, ſi inter homines Deum ageret, exemplo Nabuchodonoſoris, & Balthaſaris; & hæc regia divinitas innoteſceret populis per totum imperium, quod factu facile eſſet, ſi decretum ederetur, ne per totum imperium cuiquam licitum eſſet ab ullo vel hominum, vel Deorum intra triginta dies quidquam petere, niſi à ſolo Rege: & transgreſſores præcepti objiciendos eſſe leonibus, ut horrore ſupplicij à violatione decreti averterentur ſubditi. Darius quamvis intelligeret, quantum ineſſet injuſtitiæ in hac lege, per quam neque filio à parente, neque pauperi à locuplete, neque infirmo à Medico, neque lapſo ab erecto liceret quidquam rogare, niſi à ſolo Rege, qui nec locis omnibus adeſſe poterat, nec omnium neceſſitatibus occurrere, attamen ex metu ſeditionis, ne populus contra regiam majeſtatem inſurgeret, conſenſit in decretum, quod illicò promulgatum fuit.

Digitized by Google

34 Interea Daniel quamvis in regijs negotija expediendis, ac regni curis occupatiſſimus eſſet, nunquam tamen à pia ſua deſtitit conſuetudine fundendi preces ad Deum; ad id enim ſtatis horis ter quotidie in ſublimius ædium conclave aſcenderat, Deum adoraturus, à qua conſuetudine deſiſtere noluit, non obſtante regio edicto, & ſupplicio eidem addito. Sed cùm Satrapæ invidi, & Danielis æmuli eum deprehendiſſent ex genibus fundentem ad Deum preces, ſtatim læſæ majeſtatis in crimen lapſum hominem hebræum proclamant, & tunc diſplicuit Dario decretum edidiſſe, cognovitque, in quæ diſcrimina ſe, & Danielem fidiſſimum adminiſtrum conjecerit, de cujus innocentia quamvis certus eſſet, quia tamen Satrapæ omnes, totiusque populus cum ipſis poſtulârunt Danielem leonibus tradi, ne Rex contra torrentem niteretur, præſertim cum Satrapæ inculcaverint Perſicis legibus vim ineſſe ſacroſanctam, nulla vel immutatione, vel mitigatione alterandam, & totus populus clamaret *Daniel ad Leones*, ceſſit tandem Rex invitus alienæ ferociæ Daniel 6. v. 7. *Conſilium inierunt omnes Principes regni tui, Magiſtratus, & Satrapæ, Senatores, & Judices, ut decretum imperatorium exeat, & edictum, ut omnis, qui petierit aliquam petitionem à quocunque Deo, & homine usque ad triginta dies, niſi à te Rex, mittatur in lacum leonum.* Quàm perverſum fuit Satraparum conſilium! cùm perſuaſerint Regi, ut obſequia ſoli DEO debita, ſibimet uſurparet, & ab eo ſolo peterent totius imperij ſubditi, quod à DEO tantùm, vel ab alijs poterant hominibus obtinere. Regis potentiam amplificârunt; ejúsque majeſtatem divinitate veſtiverunt.

35 Interim Daniel læſæ majeſtatis detinetur captus per totam noctem, quam rex incœnatus inſomnem egit. Et cùm primùm manè ſol ſplendet, ad lacum leonis innocens ducitur, & veluti in carcere detruſus clauditur, cúmque Rex ſpem inter & metum pro Daniele conſtitutus acceſſiſſet ad lacum inclamavit Daniel. 6. *Daniel ſerve DEI viventis, Deus tuus, cui tu ſervis, putáſne, valuit te liberare à leonibus*, cui reſpondit ex lacu Daniel: *Rex in æternum vive; DEUS miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Vox iſta Danielis ſummo gaudio regem perfudit, apertóque lacu per funem demiſſum extractus fuit, & incolumis coram rege ſtetit, ſed rex quantum lætitiæ concepit ex incolumitate fidiſſimi adminiſtri, tantum in ſe indignationis excitavit contra præcipuos Satrapas adverſarios, qui mox vocari, & adduci juſſit, venerunt tum ipſi, tum uxores, & filij, qui attoniti ad miraculi magnitudinem ſiluerunt obſtupentes; ſed idem ſupplicium, quod in Danielem paraverant, in ſeipſos retorſerunt, & præter opinionem retia, quæ in perniciem texuerunt Danielis contra ſe ipſos conſtruxerunt, Daniel. 6. *Jubente rege adducti ſunt viri illi, qui accuſaverant Danielem, & in lacum leonum miſſi ſunt ipſi, & filij, & uxores eorum, & non pervenerunt usque ad pavimentum lacus, donec arriperent eos leones, & omnia oſſa eorum comminuerunt.*

36 Supplicium, quod Satrapæ in Danielis exitium fuerunt machinati, in propriam conſtruxerunt internecionem: ex livore, & invidentia à ſtudio receſſerunt æquitatis, & adulationi obſequentes regiam dignitatem Numinis majeſtati parem aſſerere ſategerunt, quò regem inducerent ad legem promulgandam, quæ regiam majeſtatem ad Numinis participandam divinitatem eveheret; & ſimul Danielem deprimeret, necémque illi inferret: ſed licèt viderentur vota aſſecuti; idem præcipitium, in quod Danielem pertrahere adnitebantur, ſibi apparârunt: appoſitè Theodoretus orat. 4. *Nec intellexerunt ipſi, quorum mentis acies perſtrinxerat invidia, non poſſe omnia regem præbere petentibus, neque bonam valetudinem, neque vitam; neque ut ſint filiorum parentes, nec pluviarum vim, neque alia omnia, quæ à ſolo DEO petentes accipimus; verùm amiſſâ mentis ſanitate, ea regi attribuunt, quæ DEO duntaxat conveniunt.*

37 Cum primùm Satrapæ invidiam foverunt, ac odium, quo perderent Danielem myſteriorum interpretem, veritatis aſſertorem, innocentiæ propugnatorem; in ſe ipſos tela vibrârunt; ſibi damna illa intulerunt, quæ Danieli inferre ſategerant; & quos vel regius favor, vel exculta virtus extulerat, ut reliquis præeſſent populis poſt Darium; iniquitas, & peccatum in imum detruſit calamitatum. Quia id proprium peccati ſuos deprimere fautores, ac in vile famulitium pertrahere, ubi nonniſi ærumnas, calamitates, quin & malorum omnium terribiliſſimum, ſeu ipſam mortem incurrunt, ut Satrapæ, qui invidiæ ſervientes, à qua corrodebantur, Danielis excidium intentârunt. Famulatui addicuntur, qui ſe pravis concupiſcentijs, ac peccatis mancipant, quia ut ait Chriſtus Joan. 8. 24. *Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.* D. Auguſtinus *Tract. 3. in Joan.* expendens Chriſti effatum, pluribus rationibus evincit, peccatores eſſe ſervos peccati; & cacodæmonis: ſiquidem ſervis indicuntur labores, quibus non modicè defatigantur, & plurimum in jiſdem tolerandis debent interdum ſudoris fundere absque requie, ſine ulla quiete; quapropter Jeremias alloquens peccatores ait cap. 16. 13. *Servietis Dijs alienis, qui non dabunt vobis requiem.* Dij alieni pravæ ſunt concupiſcentiæ, & mala deſideria, quibus cum homines adhæreſcunt, ſe avertunt à ſummo Bono ſua præſtituri obſequia fucatis mundi delicijs, carnis voluptatibus, gulæ illecebris, aliiſque vitijs, quæ ſunt Dij alieni, quibus peccantes inſerviunt. Rurſus, qui famulitio addicuntur viliſſimis ſolent cibis veſci, ut adoleſcens ille in evangelio prodigus, qui cùm ſe à patre ſeparâſſet, propriiſque concupiſcentijs inſervijſſet, fame preſſus ſiliquis cupijt exſaturari *Luc. 15. 16.* perinde peccatores veluti inſervientes peccato nonniſi abjectiſſimis ve-

ſcuntur cibis, ſcilicet ſpurcitijs luxuriæ fœtidiſſimis, ac corruptis aquis libidinis.

38 Præterea ea eſt mancipij infelix conditio, quia licèt plurimum laboret, adhuc quod lucratur, ſui non ſit juris, ſed heri, cui jure dominij in mancipium, debentur bona omnia, quæ huic obtingunt. Quidni etiam peccans utpote cacodæmonis mancipium, nil ſibi utile ad vitam æternam comparat, tametſi plures exantlet labores, multum defatigetur, ac inſudet, quis cacodæmon eſt herus peccantis, & omnia ad ſe ſe trahit. Demum ſi mancipia, & famuli habentur viliſſimi, & hominum opprobrium, plebíſque abjectio; ita peccantes hominum ſunt viliſſimi, omni vero bono carentes, habitu divinæ gratiæ ſpoliati, virtutum ornamentis viduati, & tot ulceribus ſaucij, quot peccatis deturpati. Hinc Apoſtolus ad Rom. 6. v. 12. *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore.* Quid? quòd Apoſtolus peccato regium tribuat diadema; illúdque regnare dicat, hortetúrque, ut non ſinamus illud regnare in noſtro corpore: ſi peccato nil turpiùs, nil vilius, nilq; abjectius, quomodo regio dicitur in throno ſedere, & regio ſplendore chlamydatus, ſi nonniſi turpitudine eſt indutum? ita eſt, regnat peccatum, quia peccantibus imperat; quot enim ſunt peccata, quot vitia, quibus peccantes indulgent, totidem ſunt reges, quibus obſequuntur, ac inſeliciter inſerviunt, dicitur peccatum regnare in corpore peccantis, quando iſte pravis ſuis adhæreſcit concupiſcentijs, ſinitque ab jiſdem trahi ad illicita: notat S. Chryſol. *ſerm. 113.* Apoſtolum non dixiſſe, non veniat ad vos, non vos provocet, non alliciat, non titillet peccatum; ſed non regnet, non dominetur, quia peccans, cùm ſinit à ſuis pravis duci concupiſcentijs peccato inſervit, quod propterea regnat in corpore, ubi pravæ concupiſcentiæ, æſtus libidinis, carnis titillationes, gulæ illecebræ ad illicita trahunt. Quò igitur efficaci frœno coërcerentur homines à peccato, dixit Apoſtolus, ut non regnet peccatum in mortali noſtro corpore indicans viliſſimum famulatum, cui peccans addicitur.

39 Imò eò eſt ſervitus turpior, quò adigitur quis ei famulari, cui antea imperaverat, quapropter hortantur Philiſthæi ad fortiter pugnandum contra Hebræos, ne ab hisce victi adigantur jisdem inſervire, quibus antea imperaverant, 1. Reg. 4. v. 9. *Confortamini, & eſtote viri Philiſtiim, ne ſerviatis Hebræis, ſicut & illi ſervierunt nobis: Confortamini, & bellate.* Poterant plerisque alijs rationibus Philiſthæi ad ſtrenuè dimicandum incitari ob præſertim opima ſpolia, quæ ex delata victoria jisdem obtigiſſent ob Philiſthææ gentis gloriam nullo ſæculo delendam: ob exempla majorum, qui ob victorias ex profligatis hoſtibus delatas, etiamnum vivunt à poſteris laudati; nihilominus hisce omnibus, & alijs omiſſis rationibus hanc unam ut efficaciſſimam cæteris prætulerunt, ne minùs fortiter dimicantes vincerentur ab Hebræis, quibus adacti eſſent inſervire: *ne ſerviatis Hebræis, ſicut & illi ſervierunt vobis:* turpiſſimum cenſuerunt in eam prolabi calamitatem, quâ deberent Hebræis inſervire, quibus antea imperaverant: huc accerſendus Abulenſis inquiens: *Reputabant, Philiſthiim peſſimam conditionem viri eſſe ſervitutem; nec quidquam pejus fortunam poſſe inducere: & cùm infeliciſſima ſors iſta ſit, adhuc infelicior eſt, cum quis efficitur ſervus ejus, cujus antea erat Dominus; quia iſta ſervitus eſt turpior.*

Tantò enim quis vilior eſt, quantò plus 40
deſcendit à conditione libertatis, qua à DEO, & natura donatus eſt homo: & nemo videtur magis deſcendere, quàm cùm efficitur ſervus illius, cujus antea erat Dominus, quia fit ſervus ipſius ſervi, quò nil vilius, nilque turpius: quia in eo ſtatu ſervitutis bonis omnibus ſpoliatur, ſordibus inquinatus, macie ſqualidus, labore conſumptus, idque prævidens Jeremias ſub allegoria Jeroſolymæ devaſtatæ animam exhibet ſervientem peccato Thren. 1. *Quomodo ſedet ſola civitas plena populo. Facta eſt quaſi vidua domina gentium, princeps Provinciarum facta eſt ſub tributo. Plorans ploravit in nocte, & lachrymæ ejus in maxillis ejus, non eſt, qui conſoletur eam.* Tropologicè anima in ſqualore jacens peccati ſola ſedere dicitur deturpata, deplorata, & quaſi *vidua* pjis exuta deſideriis, ac virtutum ornamentis ſpoliata; eò quia Chaldæorum dominio ſe ſubjecerit, ſponſúmq; pubertatis ſuæ contempſerit, ſeu à ſummo Bono infelix ſe averterit: Chaldæi námque *captivantes* interpretantur: unde *captiva* dicitur *domina gentium*, quia anima per peccatum à ſolio cœleſtis patriæ dejicitur, jure privatur ad perennem felicitatem, & in dœmonum poteſtate ponitur *ſub tributo*, quatenus adigitur ſupplicia ſolvere, ac pœnas in gehenna; ubi quamvia *plorans* videatur *plorare in nocte*, ſeu in tartareo illo ſpecu, in tenebris illis obſcuriſſimis, nullus adeſt, qui *eam conſoletur*, & adigitur peccato, & ſpiritibus illis immundis æternùm famulari. Qomodo *ſedes ſola civitas*, ſeu anima, quæ quondam *plena fuit* habitatoribus, ſeu virtutibus, quas excoluit, & quæ *erat domina gentium*, ſeu imperabat diverſis affectibus, ex quibus pravos coërcuit, & probos excitavit, poſtea à malignis ſpiritibus, à concupiſcentijs carnis, flammis ſuccenſa libidinis, & deſtituta Angelorum ſolatio, divinóque carens conſortio, *ſedet*, ſeu abjecta jacet tot miſerijs ſqualida, quot vitijs deturpata, quibus *facta ſub tributo* nonniſi pravas, ac probroſas elicit actiones, quas tributaria cacodœmoni ſolvit; adeò ut quæ erat *princeps Provinciarum*, & domina gentium, facta ſit ſerva dœmonum, bonorum ſuffragijs deſolata, virtutum ornatu ſpoliata, & cœleſtis ſponſi favoribus viduata.

Fit peccans ſub tributo cacodœmonis, unde 41
Solomon nos avertens à peccato ait Prov. 5. v. 9. *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne fortè impleantur extranei viribus tuis.* Quoties homo peccat, dat honorem ſuum quaſi tributum cacodœmoni, ſeu gratiam, & adoptionem filiationis DEI alienis, ſeu dœmonibus; & annos ſuos crudeli, ſeu dœmoni, cui anima vinculo illigata peccati, veluti famulitio

addi-

addicta inſervit, ſuóſque labores, & annos impendit. Neque credas, animam jacentem in ſqualore peccati uni tantùm Hero famulari, quia pluribus miſera inſervit: tot enim habet Dominos, quot ſunt vitia, quibus indulget. Hinc Apoſtoli, cùm Jeroſolymam ingreſſi ſolverent pullum aſinæ ex Chriſti Magiſtri præcepto dicitur Luc. 19 v. 33. *Solventibus illis pullum dixerunt Domini ejus*: notatu dignum eſt, quòd pullus ille non unius tantùm fuit Domini, ſed plurium, non dicitur Dominus, ſed in plurali Domini, eò quia plures eſſent Jeroſolymitæ, qui dominium haberent in aſinum illum, tametſi jumentum ſit vilis pretij. Sed D. Chryſoſtomus *homil. 11. in Marc.* per pullum aſinæ hic intelligit peccatorem: hic enim pullus multorum eſt dominorum, quia pluribus inſervit vitijs: idque cauſæ, cur duo præcipui Apoſtoli ad ſolvendum pullum aſinæ miſſi fuerint; Quia ſolvere peccatorem, eúmque ad meliorem frugem trahere, res eſt perquàm difficilis, & nonniſi juſſu Chriſti, & ope divina à vinculis quis ſolvitur peccatorum.

42 Neque abs re jumenta ſymbola exhibentur peccantium; cùm iſti jugo ſe ſubijciant, non ſecus ac jumenta: hinc qui in evangelio invitatus fuerat à patrefamilias, ut ſederet ad nuptiale convivium ſe excuſavit ob emptos boves Luc. 14. 19. *Juga boum emi quinque*, & quamvis Chriſtus dicat: *Jugum meum ſuave eſt.* Matth. 11. v. 30. iſte cæcutiens, ne jugo ſuaviſſimo Chriſti ſe ſubijceret, humeris ſuis quinque graviſſima impoſuit juga. Vides, quàm grande, & enorme ſit peccans jumentum, cum quinque juga ſubire valeat: & hanc ſervitutem ſibi imponit homo liberè peccans, ut notat Auguſtinus *de civitate lib. 19. cap. 14.* inquiens: *Conditio ſervitutis jure intelligitur impoſita peccatori*, homo enim non fuit in conditione ſervili conditus, ſed plenè libertate donatus, unde S. Chryſoſtomus *Tom. 6. Tractat. in terræ motum* ait *Deus cùm hominem formarat, ſervum illum nequaquam fecit, ſed liberum: à peccato ſervus orta eſt.*

43 Hæc ſervitutis juga Deus plerumque infringit, & vincula peccatorum ſolvit, quò homines in famulatu cacodæmonis detenti libertate donentur: & quia duriſſima ſunt peccati juga, pluribus utitur inſtrumentis, quibus percutiuntur, donec frangantur: ſúntque adverſitates, quibus peccantium durities, vel frangitur, vel emollitur: & tunc per adverſa peccantes Deus premit, ut ſurgant; amarum illis pharmacum porrigit, quò ægritudinem depellant peccati. & priſtinæ gratiæ ſanitati reſtituantur, adeò ut miſerentis ſit Dei beneficium peccantem ærumnis premi, quódque cùm noviſſet Seneca *lib. de providentia cap. 1.* ait: *Inter bonos viros, ac Deum amicitia eſt conciliante virtute: amicitiam dico; imò etiam neceſſitudo & ſimilitudo: quoniam quidem bonus ipſe tempore tantùm à Deo differt, diſcipulus ejus, æmulatórque, & vera progenies, quem parens ille magnificus virtutum non lenis exactor, ſicut ſeveri patres, duriùs educat.* Ut homo ex ſtoici ſententia Numinis præſeferat ſimilitudinem in virtutis officijs; neceſſe eſt procudatur, & ut artifex ſtatuarius limis mordentibus, malleis percutientibus, igne urente, alijsque ſuppliciorum inſtrumentis utitur, ut ſimulacrum effingat, poliat, & concinnet: Deus enim hominum Opifex laboribus, & ærumnis, calamitatibus, & adverſitatibus ſuum efformat in homine ſimulacrum, quod cùm verberat, perficit, cum urit, emollit; cum vulneret, efformet, cùm tundit nobilitat: & felicia ſunt hæc ſupplicia, quæ hominem cudunt in ſui artificis ſimilitudinem; ter beatæ ſunt pœnæ, quibus vincula ſolvuntur peccantium, qui à famulitio ad libertatem efferuntur.

Idque cauſæ, cur ſponſa, quia delicatè in nutrita, & tenerrimè dilecta, ac eleganter veſtita, quò ſuæ indulgeret levitati, Sponſum ſuum reliquerit, amaſios quæſitura, quos fugere debuiſſet, à Sponſo corripiatur Oſeæ 2. v. 5. *Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi.* Quidni? ſi ab amaſijs extraneis panes accipit, à proprio ſponſo nonniſi ſenticeta, & vepreta illi exhibentur, quibus cruentantur pedes vias iniquitatis ambulantes, & dilacerantur manus alios viros amplectentes: *Ecce ego* aiebat Sponſus *ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria.* Quid? quòd cùm exteri amaſij flores exhibeant in pane Sponſæ quærenti famem propulſare, & ſitim extinguere, ſeu propriæ ſatiſfacere concupiſcentiæ; è proprio Sponſo nonniſi ſpinæ exhibeantur, quibus cruentetur? cur non potiùs, ut eam ſibi alliceret, flores, vel ornamenta ei oſtendit? Verùm ſi myſterium introſpiciamus, deprehendemus, ardentiori amoris æſtu fuiſſe ſponſum affectum in propriam ſponſam, cum eidem ſpinas obtulit; quàm exteri amaſij, qui panes, & munera illi exhibuerunt. Sponſus ideo ſpinis viam ſepivit, ne ſponſa ad laſcivientes amaſios pergeret: impedimenta ſpinarum ſponſæ pedibus objecit, ne illuc properarent, ubi caſtitas detrimentum fuiſſet paſſa; ubi pudicitia à ſuo cecidiſſet candore fœdata: quæ Sponſæ videbantur adverſari ſpinæ, eidem favebant, ne caderet, ſed & in cultura virtutis firmior ſtaret; illexerunt exteri amaſij panibus, ac muneribus ſponſam, quam in ſua vota traherent; non tamen, ut panes eidem prodeſſent, ſed ejuſdem caſtitati obeſſent; ſecus legitimus Sponſus ſpinas, vulnera, cruorem objicit Sponſæ, ut per ærumnas, & diſcruciamenta à peccato avertat, & in cultura virtutis detineat: ſcitè Baſilius Seleucienſis orat. 11. *In ſuppliciorum comminatione plena commiſerationis inſunt verba: punctionis promiſſio, & affectionis demonſtratio: Oſoris vox, & mens miſerentis.* Via ſpinis ſata, vepribus clauſa commiſerationem teſtabatur: ſiquidem Sponſam à recta virtutis ſemita declinantem tribulis, & ſpinis ſtuduit coërcere, & per objecta impedimenta eam detinere, & ad ſe per pudicum amorem allicere: pia fuit Sponſi ſeveritas, & clemens crudelitas; dum per obices ſpinarum pedes vulnerantium, & manus cruentantium Sponſam à malo aver- 44

vit; quia dum dolor eem corripit, dum Spinæ eam cruentant ad virum ſuum revertitur, nec ampliùs eliò divertitur exteros quæſitura amaſios Oſeæ 2. v. 7. *Vadam, & revertar ad virum meum priorem*: ſpinis vulnerata, tribulis lancinate revertitur ad virum ſuum, qui ideo ſpinie viem ſepivit, ne ſponſe ab emalijs deciperetur extraneis, ac illuderetur Oſeæ. 2. 6. *Propter hoc ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas tuas non inveniet.* Roſæ pnrioris emoris ex hiſce in via ſatis ſpinie germinêrunt, quarum fragrentie ſpoſam illexit, ut ad ſuum reverteretur ſponſum, omnémque libidinis ſœtorem abigeret. Amor ſponſi ſpines ſparſit in via, ne in termino juſtus Judex promerites à luxuriante Sponſe accenſas flammas ejacularetur. Quòd ſi ſpinas objecit Sponſus ſuæ ſponſæ declinanti à rectitudine, id præſtitit, ut leſiem cum ſanguine, quem ſpinæ elicerent è pedibus, & manibue diſceret ipſa rubere in vultu, & erubeſcere enimo, séque ab emalijs illis avertere. Quòd ſi objecit ſpinas, quæ ſanguinem eunti ſponſæ elicerent, eidem redeunti, & ad Sponſum reduci lac propinevit Oſeæ 2. v. 14. *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem. & loquar ad cor ejus.* Dulcedo ſtillavit ex ſpinis cruentetis; quia ærumnæ, & ſpinæ viem ſternunt ad candorem ſervandū pudicitiæ, quam ſaturitas panis apud amaſios vel corrumpit, vel deturpat. Sponſus quia ſponſam ademavit, ſpinas ei objecit; minus emâſſet, ſi plus eidem indulſiſſet, & à ſpinis ebſtinuiſſet.

45 Cœleſtis Sponſus averſurus à peccato homines inſtrumente plerumque edhibet ſupplicij, quæ temen fomenta ſunt veræ dilactionis. Deliquerent ſub mundi initium Adam & Cain, ille embitionis tumidus inſanivit; hic irâ exæſtuans efferbuit, & invidia lividus ſui ipſius corroſor, & carnifex ſuit: ſiquidem Cainus ex invidentie Abelem fratrem interemit, & feritatem ſupergreſſus orco januem aperuit. Uterque igitur mundi exordia peccando infecit, ſed diſpari ſupplicio dimittuntur ad pœnam damnati, Adamus è paradiſo terraſtri excluditur, duríſque ingretæ glebæ laboribus extraditur Geneſ. 3. v. 23. *Emiſit eum Dominus de paradiſo voluptatis, ut operaretur terram, de qua ſumptus eſt.* Adam adigitur terram excolere, ac proprio rigere ſudore, ut à proprie matre ſi non lectie dulcedinem ſugeret, fructuum leſiem decerperat obſonium, quo vitem aleret: quia Numen in obſervantia injuncti ſibi præcepti non coluit, vomere, & ligone terram excoluit, quam per inflicta vulnera adegit, ed ee ſuppeditende elimente, quæ vitæ ſuſtentandæ neceſſaria ſunt; & rigationem, quam defectus pluviæ negavit; ſudore è fronte pluvius ſupplevit Geneſ. 3. *In ſudore vultûs tui veſceris pane tuo*: neque ceſſavit terræ uterum effodere, donec ſepulcrum ſibi aperiret, ut eodem utero, quo terre mater mundo primum hominem edidit, deglutiret: & quem lucis dederat uſuræ, ſuis obvolveret tenebris, recouderet viſceribus. Sed Cainus fratricida non prohibetur regionem amœnam, fructibus ferecem, delicijs affluentem, ſeu Eden plagam inhebitare, Geneſ 4. v. 16. *Egreſſus Cain à facie Domini habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden.*

46 Quid? quòd Adam quia uxori obſequntus, quia oblatum ſibi à muliere pomum deglutivit, terræ deſtinatur culturæ, duríſque amandatur laboribus: & Cainus Abelis innocentie interemptor à laboribus dimittitur immunis; imò & terrenis donatur delicijs? An non miriùs Deus ſe geſſit cum Caino, & cum Adamo duriùs? hic ſiquidem de paradiſo excluditur terrenæ voluptetis, & exul pellitur, & ærumnoſæ verteudæ telluri eddicitur colonus: Cainus vero ec ſi ſanguis fratris ſui Abelis non clemâſſet contra ipſum, terrenis fulcitur delicijs: ita eſt, ſi in extimo tantùm cortice utriusque delicti perpendemus punitionem à marine videtur ſententia diſcordare; ſed hæc diverſites ſententiæ Adamum meliori reſtituit paradiſo; Cainum verò ſupplicijs deſtinat ſempiternis: quia dum Cainus voluptatibus circum fuſus terrenis fruitur delicijs patrati fratricidij incautam ſubit oblivionem, & ſalubrem negligit reſipiſcentiem, pœnitentiæ peragendæ obliviſcitur. Adamus verò dum terram fodit, cœlum ſibi eperit; dum in humum defatigatur incurvatus; ad ſydera ſurgit depuratus; quia dum lebore feſſus ſudore madet, contractem violati præcepti lebem abſtergit, ac delet; dum pellitus ſordet, gloriam induit; & divexatus ærumnis ad verem felicitatem ſibi aditum aperit: appoſitè S. Iſidorus in Geneſ. c. 6. *Qui diverſis erroribus contumaces ſunt reſiſtendo veritati; exeunt à facie Dei, id eſt à miſericordia dilectionis ejus, vel à participatione lucis ejus: Eden interpretatur epulatio ubi eſt plantatus paradiſus.* Quia Cainus in regione delicijs diffluente, & fructibus affluente epulabetur lautè; obliviſcebatur luridè pœnitudinis, neque lacrymas ſudit, nec ſudore maduit, neque ſpongiâ reſipiſcentiæ contractam fratricidij maculem valuit ebſtergere, nec delere: ſecus Adam quia è paradiſo, terrenisque delicijs excluſus, & terræ ſterileſcenti colendæ deſtinatus, fructus collegit dignos pœnitentiæ, ex terræ culture ad cæli gloriam edvectus eſt.

47 Hæc laboris beneficia etiem Devidi innotuit, qui propterea gratias Deo egit, eò quia leboribus, & ærumnis eum expoliverit; invectam ſcabritiem dedololaverit, morúmque ruditatem lævigeverit Pſal. 31. v. 4. *Quoniam die, ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua, converſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina. Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi. Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Spine cordi infixa Davidis fuit, quæ è roſe voluptatis ſuperſtes ejus pungebat conſcientiem; roſem collegeret eum Berſabeam in ſua vota flexit; ſed flore voluptas ſtatim exaruit, & ex roſa ſola ſpina ſuperſtes manſit, quæ cor pungeret prophetæ; & ſola reſipiſcentia hanc expungere, & foras educere

re

re valuit: ſola enim exhomologeſis, ſola confeſſio eſt, quæ ſpinas cordi infixas peccatorum foras educit: ſcitè Euthimius in Pſal. 31. *Hæc eſt clamoris cauſa: manum hîc ponit pro puniendi potentia: manu enim caſtigare ſolemus; quæ gravata eſt, hoc eſt graviter delata: die autem, & nocte dixit pro perpetuo: peccatum ſpinam appellat:* deinde ſubdit: *Ne obmurmurare Propheta videatur adverſus Deum, ſermonem mutat, & exponit, quomodo miſericordiam à Deo conſecutus ſit* ſpinas plerumque immitit Deus, ut ſtimulos addat ad culturam virtutum; dat ipſe dumos ut flores colligamus; proinde dum ijſdem à Deo pungimur, vulneramur, Dei manum debemus oſculari, & flagellis nos cædenti gratias agere.

48 Moris eſt apud Turcas, quò famuli in recipiendis verberibus à ſuis heris non ſolùm taciti patienter tolerent, ſed etiam manus exoſculentur verberantium, quaſi famulus, qui vapulavit non ictibus fuiſſet exceptus; ſed præmio donatus; refert hunc morem Augerus Buſequius *epiſt.* 3. cujus verba hîc attexo: *Eſt verò cum primis admirabilis Turcarum in accipienda caſtigatione patientia, in ſuris, in ſoleis, in natibus ſæpe ultra centum plagas excipiunt, ut plures cornei fuſtes nonnunquam confringantur, & illo identidem ſit opus. Cedo alterum, ac tametſi in promptu ſint remedia, ſit tamen aliquando, ut plures libræ vitiatæ carnis, è locis illis contuſis ferro circumcidendæ ſint. Nihilominùs adire eum, cujus juſſu cæſi ſunt, & manum deoſculari, & gratias agere coguntur, & lictori pro ſingulis verberibus certam mercedem ſolvere. Nam fuſtem quidem illi, quo caſtigantur, ſacrum habent, nec dubitant primum delapſum cœlo credere, non minùs quàm Romani ſua ancilia.* Plerumque adverſa, quæ vulgò mala cenſentur, mala non ſunt, niſi quia nos ijſdem non bene utimur; larvata ſunt mala, quæ intus plus utilitatis continent, quàm malignitatis; ſi larvam ijſdem detraheremus, & quæ nobis commoda adferunt perpenderemus utique more Turcarum etiam cum gratiarum actione manus exoſcularemur percutientis, & talia mala inferentis: mala non ſunt, quæ ad id inferuntur, ut hominem non malum faciant, ſed bonum. Ut plurimum ſunt adverſa collyrium, quod ſi cæcutimus oculos nobis aperiunt, ut pericula, in quibus verſamur, declinemus, vel ſi cecidimus, inde reſurgamus.

Id adverſitatibus tribuitur, quòd homi-
49 nes vitijs evacuent, & Dei gratia, cæteriſque virtutibus impleant, ut innuit S. Auguſtinus in Pſal 55. inquiens: *Ad hoc exagitat tribulatio, ut exinaniat vas, quod plenum eſt nequitiâ, & impleatur gratiâ.* Quotquot cœleſti donantur gloria, & ad tranquillitatem, malaciámque portûs æternæ quietis perveniunt; hi amarum pelagus adverſitatum procellis concitum, tribulationum fluctibus excitatum enavigârunt, ut eos vidit Joannes *cap.* 7. Apocal. ubi cùm facta fuiſſet duplex interrogatio: *qui ſunt, & unde venerunt?* uni tantùm non alteri ſatisfit interrogationi: *Hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione;* ſed cur ſi duplex eſt interrogatio per duplex itidem reſponſum non ſatisfit utrique? habemus unde venerint, *Hi ſunt, qui venerunt ex magna tribulatione*, ſed quinam ſint (& eſt altera interrogatio) non manifeſtatur; cur nobis non aperitur eorum dignitas, non explicatur nobilitas, non exprimuntur nomina, non referuntur virtutes? quia ſatis fuit ad hæc omnia ſignificanda dixiſſe, eos ex magna tribulatione veniſſe? ſiquidem magnus, & eximius eſt, qui incolumis ex adverſitatibus, ac procelloſis fluctibus, qui in pelago hujus vitæ hominem exagitant, evadit, nec ſuccumbit victus, ſed reſurgit victor. Quòd ſi Sanctorum veneramur imagines, & divorum colimus reliquias, non eſt, cur in cenſu malorum collocemus perſecutiones, flagella, ſpinas vulnera, paupertatem, tolerantiam, hæc enim omnia Chriſti fuerunt reliquiæ, quas nos venerari potiùs, & exoſculari debemus, & non ut mala, & pernicioſa, à nobis longiùs abigere: ex iſtis adverſitatibus venit Chriſtus, has perſecutionum procellas enavigavit, hoſtiluctus traiecit ingreſſurus cœleſtis patriæ tranquillum portum. 50

Plures pares dixeris unionibus: in aquis ſiquidem tribulationum, quibus obruuntur, molles ſunt ad virtutum ſuſcipiendas effigies, flexibiles ſunt ad obſequendum; qui tamen ex aquis ſemel emerſi obdureſcunt; cúmque fluctibus adverſitatum obrutri mires eſſent, ad divina monita ſe flecterent, Dei præceptis obſequerentur; ſi ſemel procellam evaſerint extra aquas duritiem contrahunt, & frangi potius malunt, quàm flecti. Flexibilis, ac mollis fuit Pharao, cùm tribulationibus utrinque premeretur; cùm Nili latices Moyſis virgâ percuſſi in ſpiſſum degenerârunt cruorem, ac piſcibus, & crocodillis extinctis putrefacti, potui amplius, ac ſiti extinguendæ apti non eſſent: cum ranarum immanis multitudo coaxatione, lue, ſordibus, & ſaltu, quidquid in Ægypto publicum erat, & pervium complevit, fœdavit: cum ciniphes, ſeu culices, è terræ pulvere producti in aëre congeſti inſtar nubium Diem ipſum adimerunt, terrámque obumbrârunt, in oculos involârunt, per nares, auréſque moleſtias procreârunt: Cùm muſcarum examina propoſcide, volatu, maculis, morſu, linctúque Ægypijs non ſolùm moleſtiæ, ſed & ſupplicio fuerunt, cùm morderent jumenta, contaminarent menſas, inquinarent veſtes, & vaſa, cùm epidemica lues pecora interfecit, turgentia ulcera humana corpora torſerunt, cum tenebræ triduanæ denſiſſimæ totam Ægypti regionem in luctu, ac ſqualore conſtituerunt: hiſce adverſitatibus exagitatus Pharao mollis evaſerat, ut rogari pro ſe peteret Exodi 8. v. 28. *Ego dimittam vos, ut ſacrificetis Domino Deo veſtro in deſerto: verumtamen longiùs ne abeatis, rogate pro me. Et ait Moyſes egreſſus à te orabo Dominum: & recedet muſca à Pharaone*, ſed ab aquis tribulationum vix emerſus iterum induruit *Induratum eſt cor Pharaonis.* Non igitur malæ ſunt adverſitates, cùm cordis duritiem emolliant, & hominem ad culturam virtutum, ad obſequendum divinis præceptis flexibilem conſtituant.

EX-

EXPENSIO XIV.

Juſtitia Reipublicæ provida moderatrix, multiplici ſacrarum argutiarum commendatur illicio.

1 Virtus prudentiæ ſolitaria nunquam conſuevit incedere, eam præcedunt, vel comitantur, vel ſubſequuntur aliæ virtutes, quas inter totam ducit familiam Juſtitia, quæ ſi abſit, nulla poteſt reſpublica ſtare, dixeritque propterea Democritus, duos, eſſe Deos, qui res univerſas gubernarent, præmium ſcilicet, & ſupplicium, quorum utrumque muneri juſtitiæ tribuitur, quæ probis, & merentibus præmia impertitur, & flagitioſis, impijsque ſupplicia infligit, quæ duo ſunt veluti fundamenta, quibus reſpublica quævis nititur, & ſubſiſtit: niſi enim per oblata præmia allicerentur homines ad ſtudia virtutum, jacerent iſtæ neglectæ, & niſi oſtenderentur impijs flagella, blaſphemis forcipes, perjuris eculei, homicidis gladij, furibus patibula, ſeditioſis carceres, & triremes, plures eſſent in civitatibus homicidæ, quàm in ſylvis belluæ.

2 Solet tamen juſtitiæ nomen dupliciter uſurpari ex Ariſtotele *5. Ethic. cap. 1.* Scilicet pro complexione omnium virtutum, quo pacto omne illud juſtum eſſe dicitur, quod adæquatum deprehenditur, & commenſum ſuæ regulæ: & juſtitia laxè ſumpta dicitur ea affectio, quæ efficit hanc adæquationem, & commenſionem; & quia collectio omnium virtutum ſive actu, ſive habitu reddit formaliter voluntatem commenſam, ſeu conformem ſuæ regulæ, ſeu legi divinæ jure meritò complexio virtutum omnium juſtitia dicitur, ut etiam quævis ſpecialis virtus pars ejuſdem juſtitiæ: quælibet enim virtus perinde ac juſtitia ordinatur ad alterum, ſeu ad Deum, cujus legi conformatur, & juſtitia per ſingulos reliquarum virtutum actus reddit ſemper Deo, quod ei debetur, quia cùm ſit Deus finis ultimus creaturæ rationalis, & hæc ſit tota ſub pleno, ac diſpotico Dei dominio tenetur ſe totam, & omnes ſuos actus in Deum dirigere; in quo ſenſu ſumitur juſtitia in ſcripturis: cùm dicitur *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt, juſtitiam.* Matth. 3. *ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Sumitur enim juſtitia pro obſervantia totius legis, in quo ſenſu dicitur Matth. 15. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra:* hinc juſtitia pro alijs ſpeciatim virtutibus ſumi etiam ſolet, præſertim pro charitate, quatenus charitas reddit voluntatem conformem toti legi divinæ; & quatenus vera charitas cæteras complectitur virtutes, in quo ſenſu ait Apoſtolus *Vinculum perfectionis eſt dilectio*, & D. Auguſtinus lib. de natura, & gratia cap. 38. ait: *Charitas Dei eſt, quâ unâ juſtus, quicunque juſtus eſt.* Juſtitiam de eleemoſyna etiam dici perſpicuum eſt, & in hoc ſenſu intelligitur David Pſal. 111. v. 3. *Juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi*, ſeu ut alij legunt *Eleemoſyna ejus manet in ſæculum ſæculi*; cuj interpretationi adhærens D. Chryſoſtomus ait: *Vel hic dicit virtutem in genere, vel juſtitiam, quæ repugnat injuſtitiæ. Vel quemadmodum dicit alius Interpres clementiam dicit, & miſericordiam. Talis eſt enim vis eleemoſynæ: res eſt immortalis, aliena ab interitu, & quæ minimè poteſt extingui: atqui humana quidem omnia convelluntur, fructus autem eleemoſynæ nunquam poteſt marceſcere, nec ulla difficultate temporum reprobari. etſi enim corpus fuerit diſſolutum: illa tamen non unà cum vita diſſolvitur, ſed ante illam excedit, ei manſiones præparans, de quibus dicit Chriſtus: In domo patris mei manſiones multæ ſunt.* Imò in ſacris literis etiam Dei præcepta juſtitiæ vocantur, eò quia juſtos cultores ſuos per eorundem obſervantiam efficiat, in quo ſenſu explicatur illud Pſal. 18. v. 9. *Juſtitiæ domini rectæ*, ſeu Dei præcepta juſta, & recta, eò quia juſtos, rectóſque conſtituant homines, qui ea obſervant, idque cauſæ fuit, cur priſci homines juſtitiam quadratam eſſe voluerint, eò quia perfecta ſit, ac ſibi æqualis: ait Antonius in Meliſſa: *Juſtitia ut videtur quadrata eſt undecunque æqualis, & ſimilis ſibi*: & juſtos ſæculorum firmamentum eſſe: nec ipſi Hebræi quamvis juſtitiæ expertes id diffitentur; hinc illud Rabini Jochanam dicentis: *Vidit Dominus Deus juſtos paucos eſſe, idcirco in omnes ætates eos poſuit, & ſuper eos orbem* poſtea addit: *uno homine juſto mundus ſervatur, ne pereat.* Hinc anima juſti ſedes audit ſapientiæ: pulvinar molle, imò juſtitia ipſa, unde D. Bernardus ſerm. 3. de adventu ait: *Beata anima, quæ ſedes eſt ſapientiæ. Quænam eſt illa anima? utique juſti. Meritò planè quia juſtitia, & judicium præparatio ſedis tuæ eſt.*

Speciatim ſumitur juſtitia pro illa parti- 3
culari virtute, qua voluntas inclinatur ad reddendum, cuique ſuum ad æqualitatem, & de hac juſtitia loquens D. Auguſtinus lib. 19. de civit. cap. 11, ait: *Juſtitia eſt virtus, quæ ſua cuiq; diſtribuit.* Et hæc eſt illa virtus, quæ voluntati inſidet tanquam prælucens fax viam præſignans, quà ſit eundum, cùm enim aliæ virtutes purè morales operanti tantùm deſerviant, juſtitia in reliquos ſuam diffundit utilitatem, eſtque propterea virtus præclariſſima ad inſerviendum alijs nata, & quæ poſſidet in proximos transfundens, nil petens ex ſe niſi uſum ſui. Hæc eſt illa virtus, quæ in republica homines à mutuis injurijs avertit, lites componit, jurgia ſedat, diſſidia diſcutit, præmia juxta meritorum menſuram diſtribuens; & ſupplicia infligens ad coërcendos flagitioſos, ac communis quietis turbatores: nil enim magis ipſi cordi, quàm mundum univerſum in pace conſtituere, ac tranquillum ſervare. Eſtque propterea juſtitia tacita quædam naturæ conventio, vinculúmque humanæ ſocietatis, quæ ſi juſtitiæ ſit expers, neceſſe eſt corruat. Hæc eſt illa virtus, quæ ſui cultorem ita ad æquitatem componit, ita ad rectitudinem conſtituit, ut neminem lædat, aliena non ſibi vendicet, nulli ſit injurius, omnibus proſit, rectè de ſingulis ſentiat, & unicuique, quod

ſuum

ſuum eſt, donet, nec bonum impediat alterius. Hæc eſt illa hoſtia pacifica, quæ diſſidentium hominum capita componit Levit. 3. 1. *Quòd ſi hoſtia pacificorum fuerit ejus oblatio, & de duobus voluerit offerre, marem, ſive fœminam, immaculata offeret coram Domino*, ubi Hugo Cardinalis obſervans in hac hoſtia ſuam habuiſſe partem, Deum, ſacerdotem, & offerentem; ait, fuiſſe hanc ſortitam nomenclationem hoſtiæ *pacificorum*, eò quia per partium diſtributionem ſingulos pacificaret, redderétque ſingulis, quod ſuum erat; proinde à ſacris Interpretibus haberi ſymbolum juſtitiæ, qua unicuique tribuendum eſt ſuum, ſeu Deo omnia noſtra obſequia, actúſque noſtros ſingulos, ne quidquam in nobis ſit, quod in Deum non dirigatur, ad quem creatura quælibet pertinet: & hominibus opera charitatis, miſericordiæ & reliquarum virtutum impendenda ſunt.

4 Ad id nos hortatur David Pſal. 4. v. 6. inquiens: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino*: quaſi diceret vobis tribunal perinde ſit, ac Levitis altare; ſententiam ut victimam honorate, & ſatagite, ne ulla ipſi macula inſit, quia has victimas reſpicit Deus; id eſt ſententiam ita proferte, ut ſolam ſapiat æquitatem, nullam redoleat corruptionem ex oblatis muneribus in eam derivatam. Sit victima integra, quam nulla paſſio læſerit, vel mutilaverit. Pronuncietur hæc ſententia eâ curâ, & diligentia, quâ verba ſacroſancta in ara, & conſecratione proferuntur nullâ amiſſâ ſyllabâ, nullo verbo mutilato, ne reus majeſtatis Divinæ victimam offerens conſtituatur. *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ*, id eſt ad aram tribunalis, ne permittatis accedere, ac comparere perſonarum acceptorem, promiſſa principum, ſpem lucri, amicorum reſpectum, quia has victimas Deus non acceptat; vult enim victimas nulla fœdas macula, adeo ut omnes victimæ partes congruant æquitati, ſicque ſacrificans, ſeu Judex perinde ac Cytharædus, qui omnes cordas æquè altas, ac imas, parvas, ac magnas ad unam concordat harmoniam, ut ſonus ſit auribus gratus: ungendus eſt quidem Judex, ſed unguento juſtitiæ, nec manus ſunt ungendæ muneribus, & pecunijs, ſed pedes ut rectè ambulet, ad ſemitas obliquas non declinet Joan. 12. v. 3. *Maria accepit libram unguenti*, ut ungeret pedes JEſu. Quæcunque anima ſi ſit fidelis cum Maria pedes ungit unguento pretioſo. Sed ſi quæras, qualénam ſpeciatim fuerit hoc unguentum, reſpondet D. Auguſtinus Tract. 50. in Joan. *Unguentum illud juſtitia fuit, ideo libra fuit.* Si hoc liniatur unguento victima aræ tribunalis ſacrificanda jam bene olet, & grata eſt Deo; dummodo miniſter ſuum etiam emittat odorem, & ut lilium in areola excultæ caſtitatis floreat; quia juſtitiam qui adminiſtrat debet ut lilium germinare, ut monet S. Bernardus ſer. 70. in Cant. *Juſtus germinavit ſicut lilium.*

6 Uni juſtitiæ reliquæ amico fœdere junguntur virtutes, quæ quadrigam Chriſtianæ perfectionis trahunt: ajebat Salomon Proverb. 30. 18. *Tria ſunt, quæ bene gradiuntur; & tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cœlo; viam colubri ſuper terram, viam navis in mari, & viam viri in adoleſcentia* in quadruplici hac via ſymbolicè quadriga deſcribitur virtutum, quæ juſtitiæ confœderantur; & in qua ſedentes vehuntur ad patriam æternæ felicitatis. Via aquilæ in cœlo virtutem indicat prudentiæ; quæ perinde ac aquila perſpicaciſſima pollet oculorum acie ad videnda præterita, quibus prudens inſtruitur; præſentia quæ in ſuos fines, & Deum finem ultimum dirigat; & futura prævidenda; quæ ſi bona ſint ad ſalutem animæ, per opportuna media aſſequatur; ſi mala caveantur. Via navis in mari prodit fortitudinem; quâ contra ſuperbiæ, & ambitionis fluctus decumanis tumidiores, contra tentationum procellas naufragium minitantes, contra ventos adverſitatum in ſcopulos, Charibdes, Scylláſque infrœni impetu trahentes, mare trajiciunt fluctuantis hujus vitæ, & ad portum appellunt æternæ tranquillitatis. Via viri in adoleſcentia Temperantiam ſubindicat quâ æſtus adoleſcentiæ hujus virtutis exercitio temperamus; concupiſcentiæ impetus coërcemus, gulæ voracitatem compeſcimus; & ſingulos paſſionum motus ad normam virtutis componimus. Via colubri in petra Juſtitiam prodit, quæ cuique ſuum tribuit; & ſicut coluber reptans per petram nihil illi adimit; ita juſtitia nulli obeſt, omnibus prodeſt. 5

Omnes à viro principe excolendæ ſunt virtutes, cum ſint hæ præcipuum, ornamentum, quo cæteris ſplendet illuſtrior: ſed præ cæteris neceſſe eſt ſtudio det operam Juſtitiæ, ex cujus cultura, & exercitio tranquillitas dependet Reipublicæ: Pax enim & juſtitia mutuis ſe fovent ſubſidijs, mutuis ſe oſculis proſequuntur; quod cum experimento ſedens in throno David fuiſſet expertus dixit Pſal. 84. 11. *Juſtitia & pax oſculatæ ſunt* ubi D. Auguſtinus: *Fac juſtitiam, & habebis pacem; ut oſculentur ſe juſtitia & pax: ſi non amaveris juſtitiam, pacem non habebis: ſi amicam pacis non amaveris; non te amabit ipſa pax; nec veniet ad te. Tu quare litigas cum juſtitia? ecce juſtitia dicit tibi: ne fureris: & non audis: ne adultereris, & non vis audire: inimicus es amicæ tuæ: dicit tibi Pax; quid me quæris? amica ſum juſtitiæ: quemcunque invenio inimicum animæ meæ, ad eum non accedo.* Adeo arctè ſimul confœderantur juſticia & pax, ut ſi una deſit, deficiat alia; ſi non ſtet una, corruat altera; non viret, nec floret pacis olea, ſi juſtitiæ rhamnus floribus ornatus, & ſpinis armatus non viget; Rhamnus ſymbolum habetur juſtitiæ, quia floribus præmia diſtribuit merentibus; & ſpinis vulnera, & ſupplicia infligit delinquentibus. Fertur de Maximiliano Cæſare tribus fuiſſe ſpectaculis delectatum, inſpicere campum militaribus copijs inſtructum in bello: Chorum refertum Monachis in Eccleſijs; & patibula plena furibus, & flagitioſis in foro; ajebat, primo ſpectaculo tutari urbes: ſecundo Religionem; tertio juſtitiam;

EXPENSIO XIV.

Juſtitia Reipublicæ provida moderatrix, multiplici ſacrarum argutiarum commendatur illicio.

1 Virtus prudentiæ ſolitaria nunquam conſuevit incedere, eam præcedunt, vel comitantur, vel ſubſequuntur aliæ virtutes, quas inter totam ducit familiam Juſtitia, quæ ſi abſit, nulla poteſt reſpublica ſtare, dixeritque propterea Democritus, duos, eſſe Deos, qui res univerſas gubernarent, præmium ſcilicet, & ſupplicium, quorum utrumque muneri juſtitiæ tribuitur, quæ probis, & merentibus præmia impertitur, & flagitioſis, impijsque ſupplicia infligit, quæ duo ſunt veluti fundamenta, quibus reſpublica quævis nititur, & ſubſiſtit: niſi enim per oblata præmia allicerentur homines ad ſtudia virtutum, jacerent iſtæ neglectæ, & niſi oſtenderentur impijs flagella, blaſphemis forcipes, perjuris eculei, homicidis gladij, furibus patibula, ſeditioſis carceres, & triremes, plures eſſent in civitatibus homicidæ, quàm in ſylvis belluæ.

2 Solet tamen juſtitiæ nomen dupliciter uſurpari ex Ariſtotele *5. Ethic. cap. 1.* Scilicet pro complexione omnium virtutum, quo pacto omne illud juſtum eſſe dicitur, quod adæquatum deprehenditur, & commenſum ſuæ regulæ: & juſtitia laxè ſumpta dicitur ea affectio, quæ efficit hanc adæquationem, & commenſionem; & quia collectio omnium virtutum ſive actu, ſive habitu reddit formaliter voluntatem commenſam, ſeu conformem ſuæ regulæ, ſeu legi divinæ jure meritò complexio virtutum omnium juſtitia dicitur, ut etiam quævis ſpecialis virtus pars ejuſdem juſtitiæ: quælibet enim virtus perinde ac juſtitia ordinatur ad alterum, ſeu ad Deum, cujus legi conformatur, & juſtitia per ſingulos reliquarum virtutum actus reddit ſemper Deo, quod ei debetur, quia cùm ſit Deus finis ultimus creaturæ rationalis, & hæc ſit tota ſub pleno, ac diſpotico Dei dominio tenetur ſe totam, & omnes ſuos actus in Deum dirigere; in quo ſenſu ſumitur juſtitia in ſcripturis: cùm dicitur *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt, juſtitiam.* Matth. 3. *ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Sumitur enim juſtitia pro obſervantia totius legis, in quo ſenſu dicitur Matth. 15. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra:* hinc juſtitia pro alijs ſpeciatim virtutibus ſumi etiam ſolet, præſertim pro charitate, quatenus charitas reddit voluntatem conformem toti legi divinæ; & quatenus vera charitas cæteras complectitur virtutes, in quo ſenſu ait Apoſtolus *Vinculum perfectionis eſt dilectio*, & D. Auguſtinus lib. de natura, & gratia cap. 38. ait: *Charitas Dei eſt, quâ unâ juſtus, quicunque juſtus eſt.* Juſtitium de eleemoſyna etiam dici perſpicuum eſt, & in hoc ſenſu intelligitur David Pſal. 111. v. 3. *Juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi*, ſeu ut alij legunt *Eleemoſyna ejus manet in ſæculum ſæculi*; cui interpretationi adhærens D. Chryſoſtomus ait: *Vel hic dicit virtutem in genere, vel juſtitiam, quæ repugnat injuſtitiæ. Vel quemadmodum dicit alius Interpres clementiam dicit, & miſericordiam. Talis eſt enim vis eleemoſynæ: res eſt immortalis, aliena ab interitu, & quæ minimè poteſt extingui: atqui humana quidem omnia convelluntur, fructus autem eleemoſynæ nunquam poteſt marceſcere, nec ulla difficultate temporum reprobari. etſi enim corpus fuerit diſſolutum: illa tamen non unà cum vita diſſolvitur, ſed ante illam excedit, et manſiones præparans, de quibus dicit Chriſtus: In domo patris mei manſiones multæ ſunt.* Imò in ſacris literis etiam Dei præcepta juſtitiæ vocantur, eò quia juſtos cultores ſuos per eorundem obſervantiam efficiat, in quo ſenſu explicatur illud Pſal. 18. v. 9. *Juſtitiæ domini rectæ*, ſeu Dei præcepta juſta, & recta, eò quia juſtos, rectóſque conſtituant homines, qui ea obſervant, idque cauſæ fuit, cur priſci homines juſtitiam quadratam eſſe voluerint, eò quia perfecta ſit, ac ſibi æqualis: ait Antonius in Meliſſa: *Juſtitia ut videtur quadrata eſt undecunque æqualis, & ſimilis ſibi:* & juſtos ſæculorum firmamentum eſſe: nec ipſi Hebræi quamvis juſtitiæ expertes id diffitentur; hinc illud Rabini Jochanam dicentis: *Vidit Dominus Deus juſtos paucos eſſe, idcirco in omnes ætates eos poſuit, & ſuper eos orbem* poſtea addit: *uno homine juſto mundus ſervatur, ne pereat.* Hinc anima juſti ſedes audit ſapientiæ: pulvinar molle, imò juſtitia ipſa, unde D. Bernardus ſerm. 3. de adventu ait: *Beata anima, quæ ſedes eſt ſapientiæ. Quænam eſt illa anima? utique juſti. Meritò planè quia juſtitia, & judicium præparatio ſedis tuæ eſt.*

Speciatim ſumitur juſtitia pro illa particulari virtute, qua voluntas inclinatur ad 3
reddendum, cuique ſuum ad æqualitatem, & de hac juſtitia loquens D. Auguſtinus lib. 19. de civit. cap. 11, ait: *Juſtitia eſt virtus, quæ ſua cuique diſtribuit.* Et hæc eſt illa virtus, quæ voluntati inſidet tanquam prælucens fax viam præſignans, quà ſit eundum, cùm enim aliæ virtutes purè morales operanti tantùm deſerviant, juſtitia in reliquos ſuam diffundit utilitatem, eſtque propterea virtus præclariſſima ad inſerviendum alijs nata, & quæ poſſidet in proximos transfundens, nil petens ex ſe niſi uſum ſui. Hæc eſt illa virtus, quæ in republica homines à mutuis injurijs avertit, lites componit, jurgia ſedat, diſſidia diſcutit, præmia juxta meritorum menſuram diſtribuens; & ſupplicia infligens ad coërcendos flagitioſos, ac communis quietis turbatores; nil enim magis ipſi cordi, quàm mundum univerſum in pace conſtituere, ac tranquillum ſervare. Eſtque propterea juſtitia tacita quædam naturæ conventio, vinculúmque humanæ ſocietatis, quæ ſi juſtitiæ ſit expers, neceſſe eſt corruat. Hæc eſt illa virtus, quæ ſui cultorem ita ad æquitatem componit, ita ad rectitudinem conſtituit, ut neminem lædat, aliena non ſibi vendicet, nulli ſit injurius, omnibus proſit, rectè de ſingulis ſentiat, & unicuique, quod ſuum

ſuum eſt, donet, nec bonum impediat alterius. Hæc eſt illa hoſtia pacifica, quæ diſſidentium hominum capita componit Levit. 3. 4. *Quòd ſi hoſtia pacificorum fuerit ejus oblatio, & de duobus voluerit offerre, marem, ſive fœminam, immaculata offeret coram Domino*, ubi Hugo Cardinalis obſervans in hac hoſtia ſuam habuiſſe partem, Deum, ſacerdotem, & offerentem; ait, fuiſſe hanc ſortitam nomenclationem hoſtiæ *pacificorum*, eò quia per partium diſtributionem ſingulos pacificaret, redderétque ſingulis, quod ſuum erat; proinde à ſacris Interpretibus haberi ſymbolum juſtitiæ, qua unicuique tribuendum eſt ſuum, ſeu Deo omnia noſtra obſequia, actúſque noſtros ſingulos, ne quidquam in nobis ſit, quod in Deum non dirigatur, ad quem creatura quælibet pertinet: & hominibus opera charitatis, miſericordiæ & reliquarum virtutum impendenda ſunt.

4 Ad id nos hortatur David Pſal. 4. v. 6. inquiens: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino*: quaſi diceret vobis tribunal perinde ſit, ac Levitis altare; ſententiam ut victimam honorate, & ſatagite, ne ulla ipſi macula inſit, quia has victimas reſpicit Deus; id eſt ſententiam ita proferte, ut ſolam ſapiat æquitatem, nullam redoleat corruptionem ex oblatis muneribus in eam derivatam. Sit victima integra, quam nulla paſſio læſerit, vel mutilaverit. Pronuncietur hæc ſententia eâ curâ, & diligentia, quâ verba ſacroſancta in ara, & conſecratione proferuntur nullâ amiſsâ ſyllabâ, nullo verbo mutilato, ne reus majeſtatis Divinæ victimam offerens conſtituatur. *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ*, id eſt ad aram tribunalis, ne permittatis accedere, ac comparere perſonarum acceptorem, promiſſa principum, ſpem lucri, amicorum reſpectum, quia has victimas Deus non acceptat; vult enim victimas nulla fœdas macula, adeo ut omnes victimæ partes congruant æquitati, ſitque ſacrificans, ſeu Judex perinde ac Cytharædus, qui omnes cordas æquè altas, ac imas, parvas, ac magnas ad unam concordat harmoniam, ut ſonus ſit auribus gratus: ungendus eſt quidem Judex, ſed unguento juſtitiæ, nec manus ſunt ungendæ muneribus, & pecunijs, ſed pedes ut rectè ambulet, ad ſemitas obliquas non declinet Joan. 12. v. 3. *Maria accepit libram unguenti*, ut ungeret pedes JEſu. Quæcunque anima ſi ſit fidelis cum Maria pedes ungit unguento pretioſo. Sed ſi quæras, qualénam ſpeciatim fuerit hoc unguentum, reſpondet D. Auguſtinus Tract. 50. in Joan. *Unguentum illud juſtitia fuit, ideo libra fuit.* Si hoc liniatur unguento victima aræ tribunalis ſacrificanda jam bene olet, & grata eſt Deo; dummodo miniſter ſuum etiam emittat odorem, & ut lilium in areola exculta caſtitatis floreat; quia juſtitiam qui adminiſtrat debet ut lilium germinare, ut monet S. Bernardus ſer. 70. in Cant. *Juſtus germinavit ſicut lilium.*

Uni juſtitiæ reliquæ amico fœdere jun-
5 guntur virtutes, quæ quadrigam Chriſtianæ perfectionis trahunt: ajebat Salomon Proverb. 30. 18. *Tria ſunt, quæ bene gradiuntur; & tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo; viam colubri ſuper terram, viam navis in mari, & viam viri in adoleſcentia* in quadruplici hac via ſymbolicè quadriga deſcribitur virtutum, quæ juſtitiæ confœderantur; & in qua ſedentes vehuntur ad patriam æternæ felicitatis. Via aquilæ in cœlo virtutem indicat prudentiæ; quæ perinde ac aquila perſpicaciſſima pollet oculorum acie ad videnda præterita, quibus prudens inſtruitur; præſentia quæ in ſuos fines, & Deum finem ultimum dirigat; & futura prævidenda; quæ ſi bona ſint ad ſalutem animæ, per opportuna media aſſequatur; ſi mala caveantur. Via navis in mari prodit fortitudinem; quâ contra ſuperbiæ, & ambitionis fluctus decumania tumidiores, contra tentationum procellas naufragium minitantes, contra ventos adverſitatum in ſcopulos, Charibdes, Scyllaſque infrœni impetu trahentes, mare trajiciunt fluctuantis hujus vitæ, & ad portum appellunt æternæ tranquillitatis. Via viri in adoleſcentia Temperantiam ſubindicat quâ æſtus adoleſcentiæ hujus virtutis exercitio temperamus; concupiſcentiæ impetus coërcemus, gulæ voracitatem compeſcimus; & ſingulos paſſionum motus ad normam virtutis componimus. Via colubri in petra Juſtitiam prodit, quæ cuique ſuum tribuit; & ſicut coluber reptans per petram nihil illi adimit; ita juſti-
tia nulli obeſt, omnibus prodeſt. 6

Omnes à viro principe excolendæ ſunt virtutes, cum ſint hæ præcipuum, ornamentum, quo cæteris ſplendet illuſtrior: ſed præ cæteris neceſſe eſt ſtudio det operam Juſtitiæ, ex cujus cultura, & exercitio tranquillitas dependet Reipublicæ: Pax enim & juſtitia mutuis ſe fovent ſubſidijs, mutuis ſe oſculis proſequuntur; quod cum experimento ſedens in throno David fuiſſet expertus dixit Pſal. 84. 11. *Juſtitia & pax oſculatæ ſunt* ubi D. Auguſtinus: *Fac juſtitiam, & habebis pacem; ut oſculentur ſe juſtitia & pax: ſi non amaveris juſtitiam, pacem non habebis: ſi amicam pacis non amaveris; non te amabit ipſa pax; nec veniet ad te. Tu quare litigas cum juſtitia! ecce juſtitia dicit tibi: ne fureris: & non audis: ne adultereris, & non vis audire: inimicus es amicæ tuæ: dicit tibi Pax; quid me quæris? amica ſum juſtitiæ: quemcunque invenis inimicum animæ meæ, ad eum non accedo.* Adeo arctè ſimul confœderantur juſtitia & pax, ut ſi una deſit, deficiat alia; ſi non ſtet una, corruat altera; non viret, nec floret pacis olea, ſi juſtitiæ rhamnus floribus ornatus, & ſpinis armatus non viget; Rhamnus ſymbolum habetur juſtitiæ, quia floribus præmia diſtribuit merentibus; & ſpinis vulnera, & ſupplicia infligit delinquentibus. Fertur de Maximiliano Cæſare tribus fuiſſe ſpectaculis delectatum, inſpicere campum militaribus copijs inſtructum in bello: Chorum refertum Monachis in Eccleſijs; & patibula plena furibus, & flagitioſis in foro; ajebat, primo ſpectaculo tutari urbes: ſecundo Religionem; tertio juſtitiam;

ſine qua urbes ſpeluncæ fierent latronum; domus privatorum proſtibula luxuriantium; viæ itinerantium receptacula graſſatorum; eadem facilitáte funderetur ſanguis, ad ſolatium aureæ ſitis; ac bibitur aqua ad æſtus extinguendos areſcentium, ac ſitientium faucium. Sine juſtitia urbes, provinciæ, & regna ipſa fierent omnium præda: tot eſſent malefici, tot homicidæ, ſacrilegi, ſtupratores, fures, ut pro patibulis conſtruendis ſi poſtea divina Nemeſis eos puniret, ſylvæ ipſæ pares non eſſent lignis, ramis, & arboribus ſuppeditandis: vel tot deberent eſſe cruces, quot ſunt arbores. Niſi juſtitia per inflicta ſupplicia deterreat à patrandis delictis, & inſolentiam compeſcat delinquentium, neceſſe eſt corruat quælibet reſpublica, & hominum cœtus; quia per inolita vitia omnia ſus deque verterentur; ſcitè Macrobius ſom. 18. *ſine juſtitia, nec exiguus hominum cœtus, imò neque domus quidem parva conſtabit*, ſi noxij ſupplicia non timent, neceſſe eſt timeant innocentes, ne à nocentibus perſumdentur, injurijs afficiantur, ac detrimenta ſubeant. Quòd ſi impij à Davide equis, & mulis pariantur non ſolo metu retrahendi ſunt à pravitate, ſed ſupplicijs, & verberibus; hæc jumenta adiguntrecta viâ incedere, impediúntque ad obliquas deflectere ſemitas.

7 Decet igitur Principem ad rectum Reipublicæ regimen juſtitia, quâ innocentes tueatur, & impios à patrandis ſceleribus coerceat; & quamvis ſit clementia nobile principis ornamentum; hanc tamen ita debet induere, ut juſtitiam non exuat; non enim clementiam fovere debet, ut juſtitiæ obliviſcatur, ſed utrâque debet inſigniri, illâ ut populos ad ſui amorem alliciat; hac ut eoſdem tueatur; hinc Jeremias 22. alloquens Principes ait: *Facite judicium, & liberate vi oppreſſum de manu calumniatoris; & advenam, & pupillum, & viduam nolite contriſtare, neque opprimatis iniquè. Quòd ſi non audieritis verba hæc in memetipſo juravi dicit Dominus, quia in ſolitudinem erit domus hæc.* Hiſce virtutibus commendabilis fuit Trajanus, quamvis Imperator Ethnicus; juſtitiæ ſiquidem ſtudioſus, quò ſuo floreret in imperio, adeo ſategit, ut interdum diſtrictum gladium Præfecto urbi in frequentia populi dederit dicens: *Cape ferrum hoc; & ſi imperium rectè geſſero, pro me; ſin aliter contra me hoc utere;* & quia hic Princeps juſtitiam excoluit, pacis olea in toto ſuo imperio efflоruit. Juſtitiæ cultor inter Principes Chriſtianos fuit Fridericus Imperator, hic cùm educaret Regem Hungariæ, & Bohemiæ non defuerunt ex Miniſtris, qui Imperatori ſuaſerint, puerum è vivis delere, cujus vita ingentes moleſtias erat Imperatori allatura, & mors duo regna, & ingentes opes Cæſari datura: ad quos tamen Cæſar æquitatis, & juſtitiæ cultor repoſuit: Ergo me oppulentum magis Regem, quàm pium, quàm juſtum cupitis? ſed ego juſtitiam, bonúmque nomen divitijs omnibus, quibus poſſem affluere per plura poſſeſſa regna; rebúſque cunctis præfero. Divitiæ, quibus Princeps Chriſtianus affluere ſatagit, ſunt virtutes, quas excolit; hæ thronum ſtabiliunt, diadema ornant, & regnum temporale, ac fluxum cum perenni permutant, ut faſſus fuit Salomon proverb. 29. *Rex, qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur:* ideo Princeps cæteris præeſt, non ut ipſis obſit, ſed ut omnibus proſit, ut Titus Imperator, de quo ait Suetonius: *Nulli civium quidquam ademit: abſtinuit alieno, ut ſi quis unquam: ac ne conceſſas quidem, & ſolitas collationes recepit.* Rarum quidem in Principe juſtitiæ documentum, etiam à conceſſis abſtinere, ne ulli ſit incommodo.

Quia verò Princeps per ſe ipſum immediatè nequit ubique locorum populis providere, & eorum neceſſitatibus conſulere, ſed id præſtat per ſuos adminiſtros; ideo in id vel maximè tenetur ſtudij incumbere, ut Judices conſtituat æquitatis amantes, à divitijs coacervandis alienos, & qui nullo ducantur affectu, ſed veritatis candori tantùm adhæreant, ut innocentiam protegant, exemplo Danielis, da quo ait ſcriptura Daniel. 13. 45. *Suſcitavit Dominus Spiritum ſanctum pueri junioris;* notatu dignum, quòd Daniel nunquam puer dicitur, niſi cum innocentiam Suſannæ fungens judicis munere propugnavit; tametſi ſomnium Nabuchodonoſori fuerit interpretatus, licèt è lacu leonum illæſus exiverit, nunquam tamen legitur inſignitus ſimplicitate, & æquitate pueri junioris, ſed tantùm cùm Suſannam judicavit innocentem: ut nimirum Spiritus Sanctus Judices erudiret quanta puerili ſimplicitate, & æquitate debeant judicium ferre, & ſolam innocentiam, ac veritatem defendere. 8

Debet Judex omnem querelæ occaſionem ſubmovere, ut quam profert ſententiam, hanc ſola merita cauſæ pariant, quia delinquentes omnem quærunt anſam propria excuſandi delicta, proinde frequenter conqueruntur, graviorem ſibi impoſitam pœnam fuiſſe: eſt quisque ſemper propriæ actionis ſupra cæteros benignior Interpres; & dum dolorem exaggerat, in Judicem ipſum perſæpe, ſi non gladio, linguâ tamen ſævit; & iniquis calumnijs nititur ejus famam obſcurare, cujus corpus nequit vulneribus cruentare. Judex igitur omni exutus paſſione, quavis ſpoliatus cupiditate ſolis munitus legibus veritati tantùm debet favere, quò iniquitati anſam eripiat criminandi: quò ſtatim appareat ſententiam ex meritis cauſæ purè prodijſſe, non ex ullo degeneri affectu; hinc Caſſiodorus 12. var. 1. *Periclitamur fateor in actionibus veſtris, ſi vos mala intentione tractetis: quod nulli accidit veſtrûm, alienum vitium noſtrum celebratur opprobrium, ſuſtinemus tales caſus, quales nos in alios vindicare non poſſumus, & lex, qua fruuntur cuncti, in nobis non poteſt cuſtodiri.* Ne igitur 9

Ju-

Judici vertatur vitio aliena iniquitaa, & Dei exaggeratus dolor; diligenti examine neceſſe eſt, merita cauſæ trutinentur, & ſtatim appareat, ſententiam Judicis puram olere juſtitiam juxta ſancitas leges.

10 Idque fortaſſis cauſæ fuit, cur Chriſtus Judices eruditurus propriam ſententiam hominum examini voluerit ſubijcere: quamvis ab æquitate nullo modo poſſet deflectere, eò quia Dei incorrupta ſit juſtitia; nec depravari poſſit, aut corrumpi affectu ullo degeneri; adhuc tamen homines Judices inſtructurus, & judiciorum ſubſellia eruditurus, ſententiam noluit judicialem proferre, quin priùs judicium cæterorum audiret Iſaiæ 5. v. 3. *Nunc ergo habitatores Jeruſalem, & filij Juda judicate inter me, & vineam meam: quid eſt, quòd debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quòd expectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas.* Omnem deleturus calumniandi ſuſpicionem, linguáſque malignantium iniquitati occluſurus; merita cauſæ exhibet perpendenda; indultum patientiæ ſpatium demonſtrat; culturæ adhibitum beneficium oſtendit; laborem impenſum in vineæ cultura declarat: cúmque cauſæ merita meridiano ſolis jubare eſſent clariora: Chriſtus officio Judicis fungitur, ſed ab omni priùs nævo malignæ ſuſpicionis exemptus; ab omni conviciorum temeritate provida cautione liber, & ait in prolatione ſententiæ: *Et nunc oſtendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ: auferam ſepem ejus, erit in direptionem, diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem, & ponam eam deſertam: non putabitur, & non fodietur, & aſcendent vepres, & ſpinæ, & nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem: vinea enim Domini exercituum domus Iſraël eſt.* Cùm jam conſtaret ex meritis cauſæ ſtudioſè, & accuratè perpenſis vineæ pervicacia in denegandis fructibus Colono, qui impenſo labore eam coluit ſudorum imbre rigavit, & ſubacto fimo ad dandos fructus excitaverat, quia adhuc probro maluit ſterileſcentis glebæ notari; ideo ne ſupervacaneè ulteriùs defatigaretur colonus, meritò juſſit Judex vineam deſtrui, ſepem ejus auferri, maceriam dirui, & eam in direptionem dari. Ait Lyra *hoc dicit inducendo populum ad conſiderationem prædictorum beneficiorum: quaſi dicat nihil defuit ex parte mea, quin deberet facere optima opera, & fecit peſſima: hîc conſequenter deſcribitur rectitudo divini judicij.*

11 Ea ſemper fuit Rei querimonia, Judicis collatam ſententiam plus adferre gravaminis, quàm delinquens mereatur; & tunc allegari ſolet judicantis malevolentia; animus in partem adverſam propenſus, quòd ſi ſuſpicio oriatur, accepiſſe Judicem ab æmulis aliqua munera illicò exaggeratur ejus corrupta juſtitia, & innutrita iniquitas per ſuſcepta obſonia, & munera: quapropter ne hiſce fiat Judex convicijs, & calumnijs obnoxius, neceſſe eſt omni purgetur ſuſpicione; merita cauſæ palam faciat, & ſententiam proferat, quæ neque latum unguem ab æquitate deflectat. Plurimum intereſt ſi Judex talis ſit, ut ab omni paſſione habeatur immunis, credatúrque ſolius rectitudinis amans; quia ſuſpicax improborum malignitas millenos aperit oculos, ut impij in judice nævum aliquem deprehendant, quo propria ſcelera ſi non totaliter delere, ſaltem minuere, vel obtegere valeant. Chriſtus igitur homines Judices eruditurus ſententiam, quam erat prolaturus, hominum judicio voluit priùs ſubijcere, quò perpenſis ſtudioſè, & accuratè meritis cauſæ, ſuum de eadem etiam judicium proferrent, quo omnem calumniandi anſam averteret, & linguas occluderet reorum.

Sub vineæ parabola Magiſter Chriſtus 12
non ſolùm ſuos voluit diſcipulos edocere, eò quia & ipſi erant homines judicaturi, verùm etiam alios omnes quotquot in humanis ſubſellijs munere funguntur Judicis, & ſententias in reos proferunt ad innocentiam propugnandam, & iniquitatem damnandam. Oſtendit Chriſtus vineam accuratè plantatam, diligenter excultam, ſolicitè ſatam, vigilanter cuſtoditam, forti vallo præmunitam, torculari ditatam, & eminenti turri ad prævidendas, & propulſandas inſidias inſtructam: ſed quia Dominus vineæ eandem locaverat colonis avaritiâ ſordeſcentibus, & ingratitudine temeratis, qui non ſolùm vites amputârunt, verùm etiam erradicârunt, & fructus reliquarum arborum dilapidârunt, & annonæ meſſem diſſipârunt, verùm etiam in eam devenerunt audaciam, ut quos Dominus ſervos delegaverat ad fructus vineæ accipiendos injurijs afflixerint, verberibus exceperint, lapidibus obruerint, & nece violenta interemerint denegatis locatæ vineæ proventibus Matth. 21. v. 34. *Alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidaverunt.* Quidni? vineæ dominus graviſſimis hiſce læſus injurijs non ſtatim diſruptis patientiæ vinculis in colonos illos excanduit, imò neque ijſdem iraſci voluit; ſed miſit alios ſervos, qui nulla de illatis domino injurijs mentione inducta, tantùm à colonis illis exigerent fructus vineæ hero debitos Matth. 21. *Iterum miſit alios ſervos plures prioribus:* non tamen ferro obarmatos, ſed prece præmunitos, ut duritiem agricolarum non gladio frangerent, ſed prece emollirent, ac flecterent in obſequium juſtitiæ, & æquitatis: ſed adhuc coloni ob perpetrata priora facinora ad omnem armati temeritatem, poſteriores non ſecus, ac priores exceperunt baculis, lapidibus, & gladijs.

Licèt patientiæ tolerantia in vineæ 13
Domino cum illatis altercaretur injurijs, adhuc patientia vicit, & reſipiſcendi tempus homicidis illis, & ruſticonibus colonis impetravit; quin indulſit, ut Dominus vineæ filium mitteret hæredem, ut majori præmunitus authoritate agricolas traheret ad exigentiam æquitatis. Verùm cùm debuiſſent tunc Coloni ſe flectere in obſequium juſtitiæ, cum

primùm eminùs viderunt filium Domini vineæ accedere ad ipſos inſaniùs iraſcentes eidem obviârunt, non ut ſua ipſi præſtarent obſequia, ſed crudeliter interimerent. Matth. 21. *Ejecerunt extra vineam, & occiderunt.* Tunc Dominus vineæ fungens officio Judicis, non ipſe ſententiam profert, ſed manifeſtatis meritis cauſæ, ipſosmet reos conſtituit Judices, ut ipſi ſententiam dicerent. Audi nunc qualem ipſi ſententiam protulerint Matth. 21. *Ajunt illi: Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.* Tunc Judex ratam habuit reorum ſententiam, quorum judicio annuit, quinimò gravitatem ſupplicij clementer imminuit Matth. 21. *Ideo dico vobis, quia auferetur regnum DEI à vobis, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Notatu dignum, quòd Judex ac dominus vineæ noluerit ſententiam proferre non præmiſſa reorum conſultatione, tametſi fuiſſet ab ijsdem tot injurijs affectus, tot homicidijs exaſperatus.

14 Rurſus ſi coloni in eam devenerunt opinionem, ut ex regulis æquitatis, deberent ipſi agricolæ malè perdi, & vinea dari alijs extraneis colonis, qui ex fructibus ejusdem Domino ſatisfacerent; cur Judex ſolùm dicit Matth. 21. *Auferetur à vobis regnum DEI, & dabitur genti facienti fructus ejus*, & omiſerit, quod Rei ipſi addiderant: *malos malè perdet?* Scholam Magiſter Chriſtus in hac parabola aperuit, quo homines Judices inſtrueret, quia vineæ dominus erat etiam Judex, & injuriæ à colonis fuerunt eidem illatæ: non ipſe in reos ſententiam proferre voluit, ne munere fungeretur ſimul Judicis, & partis, & ſententia ſuſpicionem contraheret alicujus gravaminis ultra meritum cauſæ; ideo ad purgandam in Judice omnem ſuſpicionem non ipſe ſententiam dixit, ſed reos accerſivit Judices, qui ſententiam proferrent juxta præcognita cauſæ merita; & tantùm quam ipſi ſententiam dixerunt, ratam habuit, quinimo eandem etiam ad anguſtiores traxit limites, & aliquid imminuit pœnæ: ne cùm Rei pœnas luerent, conqueri ullo modo poſſent de Judice contra ipſos indignato, ac jisdem iraſcente ultra cauſæ merita: ſcitè D. Hieronymus apud D. Thomam ait: *Interrogat quidem eos Dominus, non quòd ignoret, quid reſponſuri ſunt; ſed ut propria reſponſione damnentur:* cui adhærens D. Chryſoſtomus ait: *Quod verum reſponderunt, non eſt illorum, qui juſtè judicaverunt, ſed ipſius cauſæ: veritas enim violentiam fecit.* Antequam ſententia ulla proferretur in judicio, voluit Chriſtus, ut merita cauſæ explorata omninò eſſent etiam ipſis reis, qui à veritate adacti, vel inviti eam ſententiam dicerent, ad quam veritas ipſa ipſos compelleret: *veritas enim ipſis violentiam fecit:* hancque ſententiam utpote profectam ex cauſæ meritis meridiano jubare clarioribus ratam habuit Chriſtus, qui tametſi ad ipſum pertinuiſſet ſententiam proferre, adhuc ut anſam querelis omnibus deleret, ipſos reos judices accerſivit, qui à veritate ipſa, vel inviti adigerentur ad ſententiam juxta cauſæ merita proferendam.

Hinc eruditos voluit, ac inſtructos Chriſtus Judices omnes, ne in ſententijs proferendis ulla ſe ſinant paſſionum ſuggeſtione duci; neque ullo affectionis impulſu trahi ad partem alteram, ſed merita duntaxat reſpiciant cauſæ. Cum ſub primis mundi exordijs invidia cacodœmonem torqueret ob Protoplaſtorum in terris felicitatem, imò & majorem, quæ in cœlo eos maneret; & cujus ipſe poſſeſſione deturbatus fuerat, hisce invidentiæ flammis exæſtuans hominem è tanta feilicitate dejicere ſategit; & ſerpentem animal in primis aſtutum, & ſagax ſibi ſocium adſcivit, quem & artibus ſibi notis vocalem effecit, quò fœminam verborum illicijs perverteret, & alloquij lenocio falleret: Geneſ. 3. 1. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus DEUS;* propterea opportunam nacturus occaſionem, expectavit donec Fœmina; forſan juxta conſuetudinem ambulatum ſola iret per ridentia illa, & arridentia pratorum vireta; & quia ex fœminea curioſitate ad arborem ſcientiæ boni, & mali ſe contulerat; luſtratura poma ſibi vetita, quibus cum non deberet ſtomachum, ſaltem oculos paſceret: ibi adfuit ſerpens, ſive arboris ramis circumvolutus, ſive ejusdem innixus cauli; & tanquam ſoror ſorori affatus; & mira alloquij illecebra ejus ſibi benevolentiam captat, & ſenſim ſine ſenſu virus peſtiferæ cupiditatis excellendi ſupra hominum faſtigium inſtillat mixtum dulcedine pleniſſimæ libertatis; quod cum fœminæ ſaperet; adeò verborum illecebris eſum pomi illius ſuaſit, ut plenè illi perſuaſerit: invaſit mulier non reluctata dentibus pomum prohibitæ arboris; & unà cum pomo, felicitatem à ſerpente ſibi promiſſam quaſi jam devoràſſet læta, & geſtiens ad maritum cucurrit, cui virtutem pomis illis inſitam laudat, ac ſuadet eorum guſtare dulcedinem; & cum Adamum metu mortis tergiverſantem deprehenderet; inſtat mulier verborum illicijs, blanditiarum illecebris virum pellicere, qui tandem maluit DEO diſplicere, quàm fœminæ; manu pomum rapuit, ori admouit, dente momordit, & unà cum pomo mortem deglitivit, quæ ipſum, & poſteros omnes in primævum ſolveret pulverem. Deus vindicaturus injuriam ſibi illatam in violatione præcepti, quod unicum protoparentibus injunxerat ſerpentem Evæ deceptorem viliſſimum inter omnia animantia, & execrandum pronuntiat: *Ait Dominus DEUS ad ſerpentem; Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ.*

16 Certum eſt, præcipuum hujus ſceleris Authorem fuiſſe cacodœmonem, qui invidiâ torquente, & corrodente viſcera, pati non potuit, Protoparentes tanta donatos felicitate, à qua deturbare adnixus, ſerpentem cæteris callidiorem animalibus ſelegit, ut inſtrumentum ſuæ perverſitatis: quòd ſi ſerpens tantùm ut inſtrumentum influxit in ſcelus: & cacodœmon

dœmon ut cauſa principalis; Cur in hunc æquiſſimus judex ſententiam non pronunciat, & graviori mulcta non premit; & ſolum ſerpentem execrationibus onerat? Quidni? licèt uterq; deliquerit; quia tamen ſerpens, ut inſtrumentum cacodœmonis authoris principalis, cui adulari maluit, quàm indemne ſervari à Protoparentibus DEI præceptum; maluítque Dœmoni obſecundare turpiſſima ſervitute; ideò DEUS in ſolum ſerpentem ſententiam dicit, quem execrationibus onerat; quia non æquitati, ſed alienæ inſervivit iniquitati: ſcitè S. Chryſolgus ſerm. 105. *Malis voluntatibus obſecundat, ut ſit miniſter ſcelerum, criminum leno, paraſitus ipſe vitiorum*: additque: *ſic mendacio decepit Evam.* Ve judici, qui ut præpotenti inſerviat, ut principi faveat, ejúsque cauſam promoveat; æquitatem deprimit, juſtitiam vulnerat, & pauperum ſanguinem fundit, ſeu ſubditorum ſubſtantias ad principis implendum ærarium iniquis ſententijs pertrahit.

17 Judex ſi ut præpotenti, ac principi aduletur, ejúsque faveat cauſæ, pauperum obſurdeſcit rationibus, ſi non ſerpentis, ſaltem aſpidis obſurdeſcentis functus officio, ne merita juſtæ cauſæ audiat, ac protegat in favorem pauperum; perinde ac ſerpens onerabitur execrationibus; & Judex æternus, qui in hominibus non principatûs dignitatem, ſed ſolam intuetur, & tuetur æquitatem æternæ damnationis in eum ſententiam dicet. Hanc in judice propenſionem in cauſam præpotentis promovendam, non ſine gravi vulnere juſtitiæ, ac ſancitarum legum violatione lugens Habacuc; ſimul pauperum illachrymatur oppreſſioni, quâ faſtus præpotentis evehitur ſublimior; ait lachrymis madidus. Habac. 1. v. 3. *Factum eſt judicium, & contradictio potentior: propter hoc lacerata eſt lex; & non pervenit uſque ad finem judicium: quia impius prævalet adverſus juſtum propterea egreditur judicium perverſum.* Loquitur Propheta de Chaldæis, qui præpotentibus adhæſuri, ac eorundem cauſas promoturi, leges interpretabantur in favorem magnatum, quas in ſenſus trahebant obliquos, ut pauperes causâ etiam meliori, ac firmiori caderent; quod S. Hieronymus moribus formandis adaptat; & cenſet judicium ad finem non pervenire, quia judex præpotenti adulaturus, imbecillioris, ac pauperis cauſam inauditis, vel contemptis ejus allegationibus acerba condemnat ſententia, non abſque gravi juſtitiæ vulnere, & æquitatis læſione. Audi è Bethleemitico ſuo ſpecu D. Hieronymum expendentem præfatum textum Prophetæ. *Communis ad Deum ſanctorum querela eſt, quare contra eos injuſtum judicium fiat, & innoxium in perſecutionibus ſanguinem fundant: at ſi quando ante tribunal ſteterint judicum ſecularium; judex acceptis muneribus condemnet inſontem; & reum liberet: quod quidem non ſolùm de judicibus ſæculi, ſed interdum de eccleſiarum quoque principibus dici poteſt, quod pauper munera lacerent legem, & non perducant uſque ad finem judicium*; & ſubdit; *Impius prævalet adverſus juſtum; & magìs in judicio peccatum divitis, quàm pauperis veritas defenditur.*

18 Quoties judex præpotenti obſequitur, ejus ſcelera contra inferioris innocentiam defenduntur, cohoneſtantur; & pauperis innocentia dimittitur condemnata; quia prava affectio in præpotentem mentis aciem obtundit in Judice, qui cæcutiens, veritatem non videt, quam poſthabet falſitati; vitium colit, quod præfert virtuti; innocentiæ lilium odit, quia floret in horto pauperis; & gramina iniquitatis in delicijs habet, quia in agro creſcunt præpotentis; ſi affectu aliquo ducatur Judex, ejus judicium excutit, & facilè, vel adulatione corruptum, vel metu diſtortum à rectitudine deflectit, quia fertur quo paſſio trahit, non quò ratio ducit; de quo conquerebantur Chriſtiani apud Tertullianum ſub naſcentis eccleſiæ primordijs, cum tyrannorum rabies fureret in innocentes; & Ethnica ſuperſtitio primos in eccleſiæ horto vernantes flores radicitùs evellere niteretur. Pravus affectus ſi mentem præoccupet judicis, affectat hic veritatem ignorare, ne damnet iniquitatem; ſcire detrectat merita juſtæ cauſæ, ne ſceleris patrocinium cogatur deſerere; ait Tertullianus in Apolog. cap. 1. *Nec hoc ipſo modo ad æſtimationem alicujus latentis boni promovent animos. Non licet rectius ſuſpicari, non libet propiùs experiri: hic tantùm curioſitas humana torpeſcit: amant ignorare, cum alij gaudeant cognoviſſe. Malunt neſcire, quia jam oderunt. Adeo quod neſciunt, præjudicant id eſſe: quod ſi ſciant, odiſſe non poterant.*

19 Ethnicæ ſuperſtitionis judices adeò averſabantur Chriſti nomen ſub orientis eccleſiæ initijs, ut quotquot eo gloriarentur nomine Rei haberentur Imperatoriæ Majeſtatis; & humanam dignitatem divinæ præferentes, ut ſcelus damnârunt, quidquid vero Numini debitum exhibuit cultum, & adeò infenſi erant Chriſtianis, ut eorum cauſis non examinatis, & ipſis non auditis, ne cauſæ diſcuſſio eorum redargueret iniquitatem, ac veritatem detegeret, ſolius odij ducti malignitate, innocentiam ut ream damnârunt; virtutem ut reipublicæ pernicioſam puniverunt; veritatem quia vitijs non confœderatam, vel extorrem è patria adegerunt exulare; vel in patria ſupplicijs torſerunt. Pergit Tertullianus: *Chriſtianis ſolis nihil permittitur loqui, quod cauſam purget, quod veritatem defendat, quod Judicem non faciat injuſtum, ſed illud ſolum ſpectatur, quod odio publico neceſſarium eſt, confeſſio nominis, non examinatio criminis, quando ſi de alio nocente cognoſcitis, non ſtatim confeſſo eo nomen homicidæ, vel ſacrilegi, vel inceſti, vel publici hoſtis (ut de veſtris elogijs loquar) contenti ſitis ad pronunciandum, niſi & conſequentia exigatis qualitatem facti, locum, modum, tempus, conſcios, ſocios.*

20 Judices igitur Ethnici odij malignitate æſtuantes, cauſis non examinatis Chriſtiahis inauditis eos iniqua ſententia mortis dixerunt reos, non quia aliquem occiderint, aliena in-

vito domino ſurripuerint, proximi honori detraxerint, populo fuerint ſcandalo, vel aliquo alio ſcelere notati, ſed qui cum Chriſtiano nomine gloriarentur, virtutes excolerent, juſtitiam miniſtrarent, charitatem in proximum exercerent, & omnibus prodeſſe ſtuduerint, nemini obeſſe: quia igitur Judices non benè affecti in Chriſtianos, & lethali odio præoccupati, ſtuduerunt varijs coloribus ſuam obtegere iniquitatem, cum innocentiam in chriſtianis punirent, & ſcelera in Ethnicis impunita dimitterent: ſiquidem ſatagebant Ethnicorum culpas, vel excuſare, vel ſilentio, & oblivione delere; tametſi excuſati, imò & convicti Judici ſiſterentur; cùm tamen ex livore, & odio Chriſtianos quamvis innocentes, & à quavis ſceleris ſuſpicione purgatos acerbiores ſemper torſerint ſupplicijs: quia nimirum paſſione non ratione ducebantur: & ubi paſſio, & prava affectio aliquem occupat, judicium corrumpit, mentis aciem obtundit, cæcitatis caligines offundit, ne quid agendum ſit, juxta rectitudinem videant.

21 Niſi Judex omni fuerit paſſione ſpoliatus, in eam ſemper trahitur partem, cui paſſio favet etiam cum læſione juſtitiæ, ac lethali vulnere charitatis: neque deſunt Judici colores, quibus cauſam ita pingat, ut hæc eam partem repræſentet, à qua plus percipere putant emolumenti, vel pro arbitrio magìs placuerit. Idque cauſæ, cur Chriſtus captus, & accuſatus à Judæis, licèt à Pilato innocens, & alienus à quavis ſuſpicione criminis pronuntiatus fuerit Joan. 19. v. 4. *Nullam invenio in eo cauſam*, adhuc à Caipha alio Judice morte damnatus fuerit, ut iniquus, ac ſacrilegus, & blaſphemus Matth. 27. v. 65. *Tunc Princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens, blaſphemavit: quid adhuc egemus teſtibus? Ecce, nunc audiſtis blaſphemiam, quid vobis videtur? at illi reſpondentes, dixerunt: Reus eſt mortis.*

22 Rurſus cùm duceretur ad Judices ab jiſdem interrogatus de doctrina, quam populos edoceret, apertè reſpondit Joan. 18. v. 21. *Ego palam locutus ſum mundo.* Quidni? quia veritatem aperuit, verúmque dedit reſponſum, fuit è Pontificis famulis unus adeò temerarius, & audax, ut alspam eidem impegerit Joan. 18. *Hæc cùm dixiſſet, unus aſſiſtens Miniſtrorum dedit alapam JESU, dicens: ſic reſpondes Pontifici.* Quamvis tacuiſſet Chriſtus, ejus tamen ſilentium militis percutientis ſcelus accusâſſet, & militem reum mortis evidenter probaviſſet ob reverentiam debitam Pontifici, quam contemptui habuit; ob ſacrilegium, quo injuriam divinitati intulit, attamen *Reſpondit ei JESUS: ſi malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo, ſi autem bene, quid me cædis?* licèt Judices ſervum vinculis illigatum debuiſſet in carcerem detrudere, & reum mortis judicare, ſaltem ob reverentiam Judicibus debitam, adeò audaciter violatam, & legem non obſervatam, auſúmque temerarium; adhuc Judices famuli ſcelus, licèt coram ipſis patratum non vident, & diſſimulanter prætereunt. Chriſtum verò, quia ab omni ſceleris ſuſpicione immunem, veluti pluribus temeratum criminibus vinculis illigant, flagellis cædunt, vulneribus cruentant, ſpinis coronant: hoc eſt, vinculis traditur, ac ſupplicijs punitur, qui nullius culpæ reus deprehenditur: & abſolvitur, ac impunitus dimittitur, qui temerario auſu coram Judicibus ſedentibus pro tribunali legem violat, & reverentiam debitam Cæſaris adminiſtris pede conculcat: nimirum quia Judices odio æſtuabant in Chriſtum innocentem, & amore famulum proſequebantur nocentem, ideo in iſto nulla deprehenditur culpa, & in Chriſto innocentiſſimo ſcelus aſſeritur, quo reus mortis judicatur: quia ſcilicet Judicis affectus pro jure, pro lege, pro regula operandi, ac judicandi erat, & adeò cæcutijt Judex ob offuſas pravorum affectuum caligines, ut nocentem famulum dimiſerit tanquam innocentem, & innocentiſſimum Chriſtum damnaverit, ut nocentem. Apud Pilatum, quia pravo ſpoliatum affectu abſolvitur Chriſtus Joan. 19. v. 4. *Nullam invenio in eo cauſam.* Apud alios Judices odio præoccupatos indignatione inflammatos, invidiâ contaminatos, & æmulatione corruptos reus mortis declaratur, & lex ipſa vocatur in ſententiæ ſubſidium Joan. 19. v. 7. *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori.*

23 Ecce quantæ ſit efficaciæ paſſio in Judice, cum pro affectuum diverſitate Chriſtus profeſeratur innocens, & mortis reus: ubi nullus affectus Judicis mentem præoccupat, innocens Chriſtus declaratur; ubi verò odium, invidia, & æmulatio Judicem contaminant, ejus judicium etiam corrumpunt, & damnatur à pravo affectu ut nocens, qui excuſſo quovis affectu profertur innocens: ídque cum obſervâſſet S. Chryſoſtomus in caten. ad Joan. 19. ait: *Vidit Pilatus omnia inaniter fieri, unde ſequitur: dicit eis Pilatus, accipite eum vos, & crucifigite. Execrantis eſt, hoc verbum, & ad rem non conceſſam eos impellentis: Ipſi enim ducebant eum, & cum præſidis judicio hoc fieret: contigit autem contrarium, judicio præſidis eum magis abſolvi: unde ſequitur, ego non invenio in eo cauſam:* nimirum Pilatus à Paſſione immunis, pravo affectu ſpoliatus aſſerit abſolvendum, ac innocentem dimittendum, quem alij Judices, quia livore corrupti, invidiâ preſſi æmulatione inflammati, & odio præoccupati, ut nocentem, reum mortis pronuntiant: quaſi aliæ fuerint leges ſancitæ pro Judice paſſione præoccupato, & aliæ pro Judice à pravis omnibus affectibus immuni.

24 Oportet igitur, Judicem omnis prorſus affectus expertem eſſe; quo veritatem poſſit clarè videre, & merita, cauſæ uti in ſe ſunt, dignoſcere, & juxta eadem judicium ferre, ac ſententiam dicere: ſi enim miſericordia emolleſcat, faciliùs flectitur in eam partem, quæ reo favet, & legem interpretatur, ut ei non noceat, ſicque legem violat, cujus verum ſenſum corrumpit: ſi odio, vel indignatione inflammetur, damnatur ut reus, qui innocens

eſt

eſt abſolvendus: hinc ait Plutarchus lib. de audiendo: *Judicem quidem in disceptandis cauſis decet, neque infeſtè, neque ambitiosè audire; ſed ex conſilio ad æquitatem.* Si enim infeſtus ſit Judex, pravóque præoccupatus affectu iniquam profert ſententiam, & innocentiam, ut ream damnat: ſi benevolus legem in ſenſus obliquos, ac diſtortos trahit non ſine gravi legis læſione. Hinc conquæritur Chriſtus apud ſuum Prophetam, inquiens Jeremiæ 2. v. 8. *Sacerdotes non dixerunt, ubi eſt Dominus? & tenentes legem neſcierunt me, & paſtores prævaricati ſunt in me, & Prophetæ prophetaverunt in Baal, & idola ſecuti ſunt.* Nimirum quia paſſionibus præoccupati in idola legem, quam præ manibus tenebant, & oculis aſpiciebant, ignorare affectabant, vel ſaltem diſtortis eludere interpretationibus, ut lex iniquitati famularetur, ac ſceleri patrocinaretur: appoſitè S. Hieronymus expendens verba Jeremiæ ait: *Poſt tanta beneficia verterunt in contemptum privilegia dignitatis, ut ſacerdotes Dominum non quærerent, ut Doctores legis ignorarent eum, qui alios docere debebant, & Paſtores per negligentiam prævaricatores fierent, & Prophetæ, qui in populis diſputant, non DEO loquantur, ſed Idolo, & ſua figmenta venerentur.*

25 Quia igitur Judices, legiſque Doctores, & Prophetæ in partes propendebant Idolorum, ac varijs in eadem idola erant affectibus præoccupati, quò in eorundem favorem judicium ferrent, non erubuerunt Prophetias adulterare, legis textus diſtortis interpretamentis eludere, majorum monumenta, vel ſilentio reticere, vel circumſtantijs loci, & temporis in alium ſenſum explicare. Quidni? Prophetiæ adulteratæ, leges corruptæ, monumenta Majorum in favorem Idolorum clamabant; & nil adducebatur, quod pro DEO loqueretur: quia Judices in Idolorum partem propenſi omni ſtudio ſategerunt, quò ſententiam in eorundem proferrent favorem: & licèt Prophetiæ eſſent pro DEO, veróque Numine; adhuc in varios trahebantur ſenſus, ut diſtortæ Idolis patrocinarentur, quaſi prophetandi munus in Judicis conſiſteret affectu, cui prophetia obſequeretur, & pro varietate affectuum varios etiam prophetia ſenſus indueret. Ita eſt, ubi paſſio, non ratio judicium ducit, in arbitrio Judicis videtur lex ſita, ut non æquitati, ſed Judicis inſerviat paſſioni, & iniquinati.

26 Idque cum non latuiſſet Pilatum, dixit Chriſto Joan. 19. v. 20. *Neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere Te; & poteſtatem habeo dimittere Te?* leges ſancitæ eædem perſeverârunt immutatæ, & tamen Pilatus in una, eadémque cauſa, ait contrariam ſibi ineſſe poteſtatem, quaſi poteſtas non oriretur in Judice à lege, ſed ab ipſa paſſionum varietate: lex enim eadem non poteſt ſimul eundem accuſatum dimittere ut innocentem, & condemnare ſupplicijs ut nocentem; ſed quia variæ ſunt, & contrariæ paſſiones, quæ mentem præoccupant Judicis, ſi ejus poteſtas ab iiſdem dimanet, verè dicit Judex poteſtatem habere eundem reum dimittendi ut innocentem; & damnandi, ut nocentem: ſi enim Judex amore proſequatur reum, vel ſpes innutriatur aliquid emolumenti ab eodem accipiendi; tametſi nocentiſſimus ſit, ac leges ultimo ſupplicio eum damnent; Judex tamen varijs interpretamentis, ac Gloſſis leges eludit, patrata ſcelera varijs coloribus tegit, & reum nocentem dimittit impunitum, ac innocentem declarat: ſin verò contrarijs affectibus ducatur in accuſatum, quem vel odio proſequatur, vel livore ſit contra ipſum inflammatus, merita cauſæ negligit examinare; detrectat accuſatum audire, & pravo affectui non legi obtemperans innocentem condemnat: Pilatus quamdiu à quovis fuit affectu ſpoliatus Chriſtum innocentem declaravit Joan. 19. v. 4. *Nullam invenio in eo cauſam*, ſed cùm primùm varios incepit affectus induere, tunc utrámque etiam poteſtatem ſibi uſurpavit, eum vel dimittendi, ut innocentem, vel crucifigendi ut nocentem Joan. 19. verſ. 20. *Neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te.*

Quos Judex affectus induit, eoſdem ad- 27
hibet legum interpretes; & quia paſſiones mentis aciem obtundunt, & oculos claudunt, ne quæ juſta ſunt, & recta, videant, ideo Judices paſſionibus præoccupati non juſtitiam promovent, ſed injuſtitias ſuſtinent, quibus innocentes damnantur, & pauperes peſſumdantur, quod pulchra metaphora explicat Habacuc 2. v. 10. inquiens: *Lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter juncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.* Ad Judicis tribunal trahit Propheta lapides avulſos è pauperum domunculis, quo ſuperbis præpotentum ædificijs inſervirent, & proprijs ruinis alienam ambitionem conſtruerent, ut cauſam propriam coram Judice dicerent: ut etiam ligna de pauperum caſis vi extracta, & ad ſuperbas præpotentum fabricas tranſlata; quò lapides, & ligna injuriam paſſa, & à proprijs locis in aliena cum reniſu delata exertis clamoribus Judicis aures diverberent, ne excuſetur Judex, & accuſetur aurium ſurditas, ſi Judex in favorem præpotentis affectum foveat. Clamat lapis impenſo labore fuiſſe è terræ viſceribus extractum, multo ſudore ad artificis perveniſſe officinam; diuturno ſtudio celaturæ nitorem ſuſcepiſſe: lignum itidem conqueritur, quod è matre ſylva, à qua alebatur, fuerit non ſine inflictis vulneribus avulſum, & aliò aſportatum, ſecuri cæſum, dolabellis excarnificatum; & diuturnis vigilijs à fabris varijs ſupplicijs tortum, & morte ipſa damnatum, ut aliorum commodis inſerviret; & nunc cùm quieſceret in domo pauperis à temporum injurijs tectum, & protectum lapidibus, adhuc præpotentis ambitio quaſi ſuam eidem invideret quietem, aliò tranſtulit, quò inſanis ſubſtructionibus eſſet fulcimento. Sed licèt conſtet de rapina, quamvis injuſtitia ſit nota, adhuc ex ruinis pauperum conſtrui debent in-

ſanæ

ſanæ divitum, ac præpotentum ſubſtructiones, quia Judex, apud quem clamârunt lapides, & ligna avulſa è domo pauperis, jam præoccupatus in favorem præpotentis cauſam lapidis, & ligni detrectat audire, nec eorum clamor par eſt ejus ſurditati disrumpendæ, nec Judex ob evidentiam æquitatis, ob cauſæ merita; ad juſtitiæ exigentiam flectitur, ſed aſpidis indutus natura obſurdeſcit ad clamorem lapidis, & ligni, quia ubi Judex affectum fover in favorem unjus partis, oec merita cauſæ, nec rectitudo juſtitiæ, neque exigentia æquitatis eum valent in alteram trahere, imò neque lachrymæ pauperum emollire. *Sed lapis de pariete clamabit*, ait D. Hieronymus, *& querimonia eſt judicium exire perverſum*, Tunc perverſum exit judicium, quando Judex clamores lapidum, ſeu querimonias pauperum deſpicit, & ſententiam in favorem profert præpotentis.

28 Dignitas præpotentis quandam videtur magneticam vim præſeferre, quâ Judicem in ſuum trahit favorem, etiam cum detrimento pauperum, ac inferiorum. Gemelli fratres Jacob, & Eſau, qui antequam nati, pugnæ campum nacti in matris utero, ſimul pugnabant rixantes; lucis editi uſuræ contendere non deſtiterunt, tanti fit aſſuetudo, quæ in alteram ſtatim naturam tranſit. Rebecca affectu, & amore in Jacobum natu minorem præoccupata eum fratri præferre ſtuduit: & quo ſuis ſatisfaceret votis, Jacobum veſtibus exornavit fratris natu majoris, cui pio dolo benedictionem præripere ſategit Geneſ. 27. v. 15. *Veſtibus Eſau valde bonis, quas apud ſe habebat domi, induit eum.* Mirum tamen, quòd Rebecca tantum temporis in ornatu Jacobi impenderit, cùm periculum eſſet in mora, ne Eſau è ſylva, & venatione in domum redux eſſet Rebeccæ impedimento, ne ſuum exequeretur deſiderium: ſed mulier è converſo omne averſura periculum tempus impendit in ornatu Jacobi, quo à Patre Iſaaco jam ſenio confecto, cæcuriente, & in lecto jacente benedictionem extorqueret, nec ſe ipſam fefellit, quia Iſaacus pater non cauſam examinavit, ſed veſtimentorum fragrantiam ſubodoravit Geneſ. 27. v. 16. *Veſtibus Eſau valdè bonis, quas apud ſe habebat domi, induit eum; & ſtatim ut ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, benedicens ait illi: Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni;* Majoris fuerunt efficaciæ ad impetrandam benedictionem odor veſtimentorum, & agri fertacitas, & abundantia, quàm perſonæ merita: non dixit Iſaac ecce odor filij mei, quaſi benemeriti, ac mea digni benedictione; *Sed ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni;* quia Jacob perſonam induit divitis in veſtimentorum elegantia, ac pretioſitate, & fragrantia, & in agri opibus, & abundantia; Ideo flexit patrem Iſaacum ad benedictionem illi impertiendam; à quo fortaſſis iniquam audiviſſet ſententiam, quâ vacuus fuiſſet dimiſſus: appoſitè S. Auguſtinus apud Gloſſam: *Quis eſt in iſta benedictione dolus hominis ſine dolo: quis eſt dolus ſimplicis, quæ fictio non mentientis, niſi profundum myſterium veritatis?* myſterium in hujus benedictionis impertitione latuit, quia dum dignus perſonam retulit, divitia judicem traxit in ſua vota; à quo fortaſſis non ſuſcepiſſet juxta vota ſententiam; ſi pauperis egiſſet perſonam; quia cum dives, & præpotens, judicio contendit cum inferiore, & inope, non meritum cauſæ oſtenditur; ſed copia divitiarum, eminentia dignitatis, ornatus veſtium; quia ſi affectus in judice præpotenti faveat, inferior, ac imbecillis cauſâ cadit.

Is propterea eligendus in judicem, qui 29
omni prorſus ſpoliatus ſit affectu in contendentes judicio. Moyſes vocatus à DEO ut in judicem Iſraëlitici populi eligeretur, ſtatim faciem ſuam abſcondit. Exodi 3. v. 6. *Ego ſum DEUS Patris tui, DEUS Abraham, DEUS Iſaac, & DEUS Jacob; & abſcondit Moyſes faciem ſuam.* Quid? quòd Moyſes futuri populi Iſraëlis Judex faciem ſuam abſcondit, ne populum, quem erat judicaturus, videret? An quia plures ex populo ſanguinis neceſſitudine juncti erant Moyſi, & plures vinculo amicitiæ ſibi illigati; & è populo alij divitijs affluerent, potentia, & authoritate pollerent; & ne in ſententijs ferendis eos videret, nec ullo in eoſdem ferretur affectu, faciem ſtatim in judicem electus abſcondit? Ita eſt, eatenus electus in judicem vultum operuit, quò in ferendis ſententijs, in puniendis nocentibus nullum videret, nec cognoſceret conſanguineum, nullum amicum, nullúmque divitijs affluentem, ne ullo in ipſos moveretur affectu, ſed ſingulos judicaret juxta merita cauſæ, abſque ullo affectu ad conditionem perſonæ: huc accerſendus Tertullianus lib. de ſpectac. cap. 19. *Bonum eſt, cum puniuntur nocentes, quis hoc niſi nocens negabit? & tamen innocens de ſupplicio alterius lætari non poteſt, cum magis competat innocentiæ dolere; quod homo par ejus tam nocens factus eſt, ut tam crudeliter impendatur:* ait Bonum eſſe, cum nocentes puniuntur, quia ex eorum ſupplicio pij, & juſti ſolatium hauriunt; non ut ſupplicium læſionem, ac nocumentum inferat delinquenti; ſed ut ſcelera abigat extra reipublicæ limites; & culturam virtutum promoveat intra ejuſdem terminos; cum æquè divitijs affluentes, ac paupertate preſſi; æquè præpotentes, ac inferiores, obnoxij ſint iiſdem pœnis ob patrata delicta, ſine ſpe, quòd Judex affectu aliquo moveatur ad indulgentiam aliquam ipſis impertiendam, non alijs. Addit Tertullianus poſtrema verba, *ut tam crudeliter impendatur:* verbum impendo propriè ex ſacrificijs ſuam trahit originem; in quibus impendere hoſtiam perinde eſt, ac mactare hoſtiam; ex quo videtur Tertullianus concludere, occidere, ac delere ſontes, ſeu juſtitiam abſque ullo affectu, ſed facie aperta, oculíſque clauſis genus quoddam eſſe ſacrificij, quo DEUS delectatur, ac lætatur.

Judex nullo debet affectu eſſe præoccupatus, ſed ſola rectitudine cohoneſtatus: hine 30

Moy-

Moyſes, cùm primùm in aula Pharaonis virgam, quam manu geſtabat, projecit in terram, verſa fuit in colubrum Exodi 4. v. 10. *Projice eam in terram, & verſa eſt in colubrum*, quia Moyſes electus à DEO fuerat in Judicem Iſraëlitici populi, juſſus fuit virgam habere in manu, & hanc non obliquam, ſed rectam: quia virga ſymbolum habetur juſtitiæ, ut docet D. Thomas in cap. 12. Apocalypſis. Hæc autem virga in manu Judicis debet recta eſſe, & omnem excludere obliquitatem; quia Judex ſingulari debet rectitudine pollere, ne ullo modo in ſententijs ferendis leges trahat in ſenſus obliquos, & diſtortos, quibus deflectat ipſe à rectitudine juſtitiæ. Audiendus eſt Oleaſter: *Voluit Dominus Moyſem ſecum virgam ferre in manu, quoniam facturus erat judicia in Ægyptios: & ſi quæras, quare Judices virgâ rectâ utantur, adverte hac virgæ rectitudine rectitudinem animi Judicis deſignari, aut quia virgâ metiri ſolemus, oſtenditur, unicuique debere ſervari menſuram.* Sed cùm primùm virga è manu Moyſis delapſa in terram cecidit, ſeu terram tetigit, *verſa eſt in colubrum*, quia Judex terrenis inhians, terreniſque affectibus, veluti humano pulvere ſordidatus non ampliùs homo eſt, ſed ſerpens. Exod. 4. 10. *Projice eam in terram, & verſa eſt in colubrum*, cur non potiùs plumas induit, alas aſſumpſit, & mutata fuit in avem, quæ in ſublime evehitur, per aëra volitat; cum coluber tantùm humi repat, pulvere, vel luto ſordidatus? ſed quia per virgam ipſum Judicem intelligimus, & per terram ipſam terrenorum cupiditatem; jurè meritò virga in terram projecta vertitur in colubrum; quia cùm primùm Judex terrenis inhiat affectibus terrenis ſordidatus non ampliùs homo, ſed ſerpens eſt, quia venenum evomit, quo juſtitiam corrumpit, leges inficit, innocentiam interimit: ſi ſemel Judex terrenis adhæreſcit, quibus inhiat, ac diteſcere cupit, in ſerpentem vertitur, qui omnia vorat, etiam juſtitiam, ut divitias congerat.

31 Moyſis virga, quia Judicis ſymbolum fuit, eam voluit DEUS rectitudinem præſeferre, ut omnem prorſus exueret obliquitatem; quò diſcant Judices nunquam à recto, communi, & trito tramite declinare; idque Abraham luculenter poſteros edocuit, eum egredientes è ſua domo Angelos voluit per viam comitari. Geneſ. 18. *Abraham ſimul gradiebatur deducens eos*: cauſam cur Abraham ſe illis junxerit in via, indicat Cajetanus. *Declinaverunt eum à via publica, propterea Abraham comitatur eos ad mittendos eos per viam publicam.* Quid? quòd Abraham comitem, & ducem voluerit ſe illis jungere, ne per obliqua viarum defatigentur; ſi eos Angelos credidit, noverat non poſſe laboribus itinerum frangi, neque delaſſari; & quamvis per obliquos tramites pergerent, adhuc ipſi innotuerat, ubi Sodoma ſita erat, & illuc abſque dubio perveniſſent non defatigati, nec ſudore madidi. Hæc quamvis Abrahamum non latuiſſent; quia tamen Angeli ut judices proficiſcebantur, ut Sodomæos judicarent: licèt aliquod iter, ut forſan brevius, ſed non tritum noverint; voluit Abraham non ad Angelorum correctionem, ſe ad Poſterorum eruditionem, ut procedentes ad judicium, reóſque judicandos eant per viam rectam communem, & tritam, omnibúſque notam, ut omnis ſuſpicio injuſtitiæ deleatur. Quamvis Judex viam aliquam cognoſcat extraordinariam procedendi in jure, conſultiùs tamen ſemper erit procedere per vulgaria, communia, & ab omnibus trita itinera; ut omnis abſcindatur occaſio iniquè ſuſpicandi de Judicis rectitudine, & æquitate ſententiæ.

Ratio ſemper, nunquam paſſio Judicem trahat ad ferendam ſententiam: idque DEUS Moyſem edocuit, cum eidem præceperit, ne unquam ſine rationale ſententiam diceret Exodi 28. *Rationale quoque judicij facies*: quod expendens Lippomanus ait. *Moyſes nunquam dicebat jus in re gravi, niſi cum haberet rationale, ac ſupra pectus collocatum*: hoc eſt, quò juxta æquitatem, reguláſque rectitudinis Moyſes conſtitutus à DEO Judex populi judicaret: rationem ſemper accerſivit teſtem; & hanc non ſolùm intra ſe, ſed etiam in pectore, ſeu exteriùs ſupra pectus, ut rectitudo prolatæ ſententiæ ſtatim pateret, ac populo innoteſceret. Judex nec amore, nec odio, nec ulio affectu moveri debet, ad ſententiam dicendam; ſed à ſola ratione dictante puram rectitudinem emanatam ex meritis cauſæ: de Cæſare ait Saluſtius: *Sic incipit orare Cæſar: Omnes homines, qui de rebus dubijs conſultant ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decet.* Quòd ſi in rebus dubijs amore, & odio, alióque affectu carere Judices debet, quanto potiori jure in rebus claris; in delictis publicis, quando Author criminis eſt omnibus notus; tunc amor nullo jure poteſt reum eximere à ſupplicio; & ſocios reos conſtituere, ae eidem ſubjicere. Decet judicem quovis ſpoliatum eſſe affectu, ne ad unam potiùs, quàm alteram partem trahatur: idque Angelus Ioſuë edocuit: cum hic orationi vacaret in agro, Angelum vidit diſtricto gladio obarmatum Ioſuë 5. *Vidit virum ſtantem contra ſe, evaginatum tenentem gladium.* Nulli dubium, hunc Angelum nudatum gladium manu tenentem, oculiſque obvelatum, nequemque aſpiceret ſymbolum exhibuiſſe juſtitiæ, cujus ſimulacrum tam graphicè ſculpſerat: huic Ioſuë quavis diſrupta mora obviavit. Perrexitque ad eum, & ait: *Noſter es, an adverſariorum?* ægrè tulit Angelus interrogationem Ioſuë ſciſcitantis, cujuſnam partis eſſet: quòd ſi quæris, cur ægrè tulerit hanc Ioſuë interrogationem; non putes ex alia cauſa, niſi quia ſuſpicioni, ac rectitudini detraheretur. Cum enim perſonam gereret Iudicis; nullius debuit eſſe partis, ne æquitas læderetur juſtitiæ; reponit Angelus Ioſuë interroganti *nequaquam: ſed ſum princeps exercitus*

citus Domini : ſeu erat princeps, & miniſter, ſeu Iudex exercitûs : ergo neutri debuit eſſe parti addictus : ne ex amore, vel odio nudatum enſem vibraret ; ſed ad normam juſtitiæ juxta regulas æquitatis.

33 Plus ſemper habet roboris inermis, & nuda ratio ; quàm poteſtas armata : qui ſola ductus ratione alios dirigit, & judicat, feliciſſimè regit. De æterni Patris ſilio Chriſto Domino ait Sanctus Joannes Evangeliſta cap. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Quamvis Chriſti poteſtas ſit ſumma, & omnia per ipſum facta fuerint ; adhuc de ipſo antea dixerat Evangeliſta, *Verbum erat apud DEUM.* In Græco *Verbum* perinde ſonat, ac *Ratio.* Ergò priùs apud DEUM ratio eſſe dicitur, quàm DEUS dicatur omnia feciſſe ; ut ſcitè notavit D. Anſelmus inquiens. *Omnia ortum trahunt de ſpiritnali factoris ratione* : quia populi rector, gubernator, & judex omnia poteſt, & populos in ſua vota, prout magis libuerit, flectit, ſi prævia ducatur ratione ; non priùs meminit omnipotentiæ DEI, quâ omnia fuerunt ex nihilo traducta ad variam illam ſpecierum elegantiam, quam res poſſident ; ſed Verbi, ſeu rationis, quâ præmiſſâ opera poſtea recitat divinæ omnipotentiæ : ait Evangeliſta *Verbum*, ſeu ratio *erat apud DEUM* ; deinde opera memorat omnipotentiæ : *Omnia per ipſum facta ſunt* : quia Judex ſine prævia ratione non debet quidquam operari ; non condemnare, nec abſolvere. Neque ab aliena nobilitate, vel dignitate debet Judex ſinere ſe trahi ad judicandum ; ſed à ſola, & ſimplici ratione ; quæ prævia eſt fax ſignans, quà tutè ſit eundum : quia ut ſcitè loquitur Theodoricus apud Caſſiodorum lib. 3. variar. epiſtola 4. *Neſcit perſonas reſpicere, qui meram cogitat æquitatem* ; idque cauſæ, cur Apoſtolus, qui æquè gentes, ac populos abſque ullo diſcrimine adjicit ; ſcripſerit ad Rom. 1. *Sæpè propoſui venire ad vos, ut fructum aliquem habeam in vobis ; ſicut & in cæteris gentibus* : Si Romani tunc temporis erant præpotentes, ac cæteris dominabantur gentibus, cur Apoſtolus eos alijs non prætulerit populis, utpote potentiâ, authoritate, viribus, & divitijs pollentes ? quia Apoſtulus perſonas non reſpexit : ſed puram animarum ſalutem, quæ tam neceſſaria erat alijs gentibus in Græcia, & Aſia ; ſicut Romanis in Latio. Apoſtolus utpote fidelis Chriſti adminiſter, non ad nobilitatem, & præpotentiam reſpexit Romanorum, ſed ad neceſſitatem pro ſalute promovenda animarum ; quæ cum in alijs etiam urgeret locis, noluit alios negligere populos, quò Romanos adiret præpotentes : ita autumat Theophilactus, qui inducens Paulum loquentem ait : *Non quia imperium orbis apud vos eſt ; arbitremini vos reliquis gentibus Majores eſſe ; æquali enim ordine collocamini,*

Studeat Princeps tales Miniſtros, & Judices tegendis populis præficere, qui de æqualitate ſervanda ſint ſoliciti ; quique nullum induant affectum, quo uni potiùs adhæreſcant parti, quàm alteri ; quia id æquitati obeſt, quam graviter lædit : idque cum non lateret Theodoricum Regem, ait apud Caſſiodorum lib. 3 variar. epiſtola. 31. 34
Quos Duces eligimus, eis & æquitatis momenta jure delegamus, quia non tantùm minis, quàm judicijs vos effici clariores cupimus. Æquitatis limites nunquam debet Iudex excedere, ſed intra eosdem contineri, quò rectè procedat : quiquis medium excedit iter, facilè in præceps ruit ; in extrema declinare, non vacat periculo. Is dignus regimine, qui idem ſemper perſiſtit, & centrum imitari ſtudet, à quo ſemper pares in peripheriam totam ducuntur lineæ. Iuſtitiæ ſimulacrum ſi aſpiciat, bilancem ad æquitatem, ac perfectam æqualitatem libratam altera tenet manu ; & altera nudatum ſtringit enſem, ut Iuſtitiam deſcribit Gellius *lib. 14. noct. Attic. cap. 4.* Quidni ? diſtrictum, ac evaginatum gladium manu Iudex teneat ; at parata ſit etiam bilanx, ut diligenter ponderet gravitatem criminis ; tantúmque puniat, quantùm gravitas ſceleris juxta ſancitas leges poſtulaverit ; non quantum paſſio dictaverit, ſed quantum ratio ſuggeſſerit. Graviſſimum fuit crimen, quod Filij Heli perpetrârunt. 1. Reg. 2. 24. *Peccatum eorum grande nimis*, & tamen pater nonniſi leviſſimè eos punivit : & tantùm eos monuit, ut abſtinerent à ſcelere, & propriæ conſulerent famæ inquiens : *Nolite filij mei, non eſt bona fama, quam ego audio, ut transgredi, faciatis populum* : ſi ſcelus fuit grave, & populis ſcandalo, cur ſupplicium eſt ita leve ? culpæ, ſi debet pœna reſpondere ; cur tantùm monentur delinquentes, ut abſtineant à ſcelere, & non potiùs mulctantur ; ut ſcandalum deleatur in populo ? cauſam affert ſacer textus, inquiens de Heli judice in hac cauſa : *Non poterat videre lucernam DEI, priusquam extingueretur* Ideo Iudex cæcutiit, ut DEI lucem videre non valuerit ; ideóque neque gravitatem ſceleris videre potuit. Quòd ſi quæras, quidnam hanc cæcitatis caliginem offundere valuerit in oculos Iudicis : perpende Iudicis conditionem, Pater erat, amor in filios cæcitatem invexit, ne ſceleris gravitatem videret in filijs, quos amor à ſupplicio retrahebat, ad quod ſcelus ducebat. Vel caligaverunt oculi, & non poterat videre lucernam DEI ; ideo nec criminis enormitatem : quia Iudex, qui DEI lumine, ac rectitudine in judicijs ferendis non manuducitur, infeliciter cæcutit, vel caligines adit, & crimina, non prout in ſe ſunt, videt. Sed ut ab affectu, amore, vel odio illi repræſentantur.

35 Nullnm debet Judex affectum induere, nec ullum ſibi dominium uſurpare, ſed tantùm rectitudini inſervire, & cuilibet ſuum tribuere. Non enim pro ſuo libito debet Judex punire, vel abſolvere, cùm non ſit juſtitiæ Dominus, ſed miniſter. Tales fuerunt virtutes Gedeonis, talia ejus merita, ut Iſraëlitas illexerint, ac eundem ſibi dominatorem unanimi conſenſu elegerint: Judic. cap. 6. *Dominare noſtri Tu, & filius tuus, & filij filiorum tuorum*: ad quos Gedeon reſpondit: *Non dominabor ego veſtri.* Quid? qnòd cùm Gedeon Princeps fuiſſet populi conſtitutus, detrectat modò jisdem dominari: quomodo dicit, *non dominabor*, qui princeps erat populi, quem regebat? rectè dixit: *Non dominabor*, quia populum rexit quidem, ſed ut Judex, non ut Dominus, ut notat Abulenſis in præfatione ad lib. Judic. inquiens: *Voluit principatum judicativum, quia illum ſemper tenuit:* proinde ut Judex noluit dominari, ſed juſtitiæ famulari, eámque ad exigentiam rectitudinis miniſtrare, non pro ſuo arbitrio, ac diſpotico dominio diſpenſare, & exercere: Judex enim non ſuo obſequitur arbitrio, ſed ſancitis ad rectitudinem pro bono communi promovendo, & ſervando paret legibus.

36 Neque judicat pro ſuo libito, ſed juxta merita cauſæ; & auditis priùs partibus, ac diligenter utrinque diſcuſſis cauſis. Judex quò rectè procedat, neceſſe eſt, partes audiat, & poſtea juxta merita cauſæ judicet. Jeremiæ 12. v. 1. *Juſtus quidem es Domine, ſi diſputem tecum; verumtamen juſta loquar ad te.* Fatetur Jeremias, juſtum eſſe Deum, eò quia dederit ei facultatem diſputandi cum ipſo, ſeu merita ſuæ cauſæ eidem exponendi: Judex, ſi reos audit, juſtitiæ adhæret: ſed ſi Judex tenetur aures concedere reo; debet hic veritatem tantùm narrare, & non Judicem fallere. Judicium prævium exigit examen: & cauſa, quæ non auditur, examinari nequit. Hinc etiam David noluit, ut hoſtes ſui inauditi punirentur, ſed à DEO petjit, quatenus priùs audirentur Pſal. 34. 1. *Judica Domine nocentes: expugna impugnantes me*: priùs petit judicium, & quæ ad ipſum requiruntur, ſeu reorum citatio, ut audiantur, & exponant, quæ in favorem propriæ cauſæ putant poſſe producere: & auditis reis, ac examinatis eorundem cauſis rogat David DEUM, ut ſe impugnantes expugnet, & puniat: appoſitè D. Baſilius in Pſal. 34. *Primùm petit, ut omnia DEUS judicet, ac deinde eis ſupplicij ſententiam indicat*: alioquin ſi cùm primùm accuſatur, reus damnaretur inauditus; nemo eſſet, qui liber poſſet à judicio evadere. Tametſi ſcelus evidens ſit, & reus inexcuſabilis, adhuc Judex aures tenetur delinquenti concedere, & quæ in ſuum producit favorem audire.

37 Quòd ſi reus puniendus ſit, adhuc ita juſtitia exercenda eſt, ut clementia illius rigorem temperet; decet Principem juſtitiæ ita adhærere, ut tamen clementiam non deponat; neque hanc adeò tenaciter debet induere, ut juſtitiam exuat, ſed utramque ſimul fovere, ac tueri, ſeu juſtitiam ita exercere, ut ejus rigor rore temperetur clementiæ. Quòd ſi ſupremus omnium Judex DEUS eſt, & ſuavis, hanc alij Judices virtutem excolere unà cùm juſtitia debent: narraturus David laudes DEI, ut primas producit mititatem, & miſericordiam Pſal. 85. *Quoniam tu DEUS ſuavis, & mitis, & multæ miſericordiæ*: & quia noverat manſuetudine firmiùs ſtabiliri regna, hanc adeò ſtuduit excolere, ut DEUM rogaturus, quatenus cœleſti eſſet beatitate donandus, hanc præ cæteris virtutibus, quam exercuerat, exponit Pſal. 131. *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus*; háncque clementiæ virtutem alij Principes excoluerunt, quò feliciùs, & faciliùs populos regerent. Severus Imperator dixit: ſecuriorem ſe, & diuturniorem poteſtatem lenitate, & clementia feciſſe: hanc exercuit Titus Imperator, qui tantùm monitos voluit Patritios, ut à conjuratione deſiſterent, & de ipſo ſcribit Eutropius: *convictos adverſum ſe conjurationis, ita dimiſit, ut in eadem familiaritate, qua antea habuerit.* Manſuetudinem exercuit Antoninus, quando Avidij Caſſij filijs uxori, & genero pepercit. Auguſtus Cæſar, cum Cornelio conſulatum dedit: Veſpaſianus cum poſt patratas ſibi inſidias à Metio eum ad conſulatum promovit: & Vitelij complicis filiam matrimonio junxit, & dotavit. Alphonſus Aragonum Rex, cujus effatum dicitur illud eſſe: *Malo multos clementiâ ſervare, quàm paucos ſententiâ perdere.* Clementiæ ſtuduerunt alij Principes præſertim Rudolphus Imperator, quem pœnituit ſemel ſeverum fuiſſe, & nunquam placabilem, ac clementem extitiſſe ei diſplicuit. Pompejus Magnus, qui Tigranem benignis verbis recreatum, quòd abjecerat diadema capiti reponere juſſit dicens, pulchriùs eſſe reges facere, quàm proſternere: Antigonus, qui Pyrrhi oſſa aurea incluſit urna, & Helleno ejus filio deportanda ad Alexandrum fratrem in Epirum tradidit. Inter præfectos exercituum manſuetudinis adhæſiſſe Hannibalem refert Valerius inquiens: *Plus illi gloriæ Paulus Gracchus, Marcellus ſepulti, quàm oppreſſi attulerunt: ſiquidem illos Punico aſtu decepit, Romana manſuetudine honoravit*: & poſtea ſubdit: *Ergo humanitatis dulcedo etiam in efferata barbarorum ingenia penetrat, torvòſque, & truces hoſtium mollit oculos, & victoria inſolentiſſimos Spiritus flectit.*

Quòd ſi viri Principes plus commendationis, & laudis ex ſtudio hauſerunt clementiæ, quàm ex rigore ſupplicij in plectendis reis, debent & Judices, qui Principum ſunt Miniſtri, ac eorum vices gerunt, ita juſtitiam exercere, ut tamen illam clementiæ rore temperent. Judex dicitur fuiſſe Job, ſed vir fuit juſtus, & manſuetus, clemens, & rectus Job. 1. *Erat vir ille ſimplex, & rectus*, quæ verba expendens S. Gregorius lib. 1. Moral. cap. 9. ait: *In rectitudine juſtitia; in ſimplicitate autem manſuetudo demonſtratur.* In id ta- 38

men debet Judex ſtudij incumbere, ne juſtitia lædat manſuetudinem, nec in manſuetudine juſtitiam offendat: qui ſemper punit, rectus fortaſſis eſt, ſed non ſimplex, quia manſuetudinem, & clementiam exuit: hinc Chriſtus Pharisæos urgentes cauſam adulteræ, ejúſque punitionem; eos manſuetudine priùs delinitos voluit, & poſtea de ſupplicio delinquenti inferendo fuit locutus Joan. 8. *Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in eam lapidem mittat*: non ſtatim rigorem juſtitiæ in adulteram exercuit, ſed manſuetudinem maluit præmittere, ut diſcerent Judices in plectendis reis rigorem juſtitiæ lenitate clementiæ temperare: appoſitè D. Gregorius, *Qui ſine peccato eſt veſtrûm, dat manſuetudinem ſimplicitatis: primus in illam lapidem mittat, dat zelum juſtitiæ.*

39 Vult DEUS juſtitiam exerceri in reos, ſed taliter, ut amaritudo ſupplicij dulcedine miſceatur lenitatis, & clementiæ: idque cauſæ, cur juſſerat, oleo, & ſanguine Aaronem ungi Exodi. 29. v. 21. *Cúmque tuleris de ſanguine, qui eſt ſuper altare, & de oleo unctionis aſperges Aaron, & veſtes ejus, & filios, & veſtimenta eorum*: aſſumendus erat Aaron ad ſummum ſacerdotium, & ad judicandas cauſas in foro eccleſiaſtico, propterea juſſit aſpergi oleo manſuetudinis, & mititatis, & ſanguine juſtitiæ, quò diſceret rigorem iſtius olei lenitate temperare: Hoc idem Judices docturus inter cætera templi ornamenta, depictos, vel acu in aulæis, vel colore in tabellis, vel ſculptas in lapide elegit præ cæteris animalibus leones, & boves 3. Reg. 7. v. 29. *Et inter coronulas, & plectas leones, & boves, & Cherubin*: quia ferocitatē leonis manſuetudine bovis temperatam voluit, & ſacerdotes ſimul docuit, rigorem correctionis ſpiritu manſuetudinis lenire, ut notat Venerabilis Beda inquiens: *Sanctorum mentes habent cum leonibus boves, quando invectionem correctionis cum ſpiritu manſuetudinis exhibent.*

40 David itidem loquens de Salomone ait: Pſalm. 88. 26. *Ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus.* Si quæras, cur ita ſejunctas voluerit manus, ut una marinis maderet fluctibus, & altera laticibus immergeretur fluminum, reſponſum ſtatim ſuggerunt, utrique aquæ inſitæ qualitates: ſiquidem aqua maris utpote ſalſedine infecta, & ſiti extinguendæ inepta, fluctibus, & procellis obnoxia, naufragijs, ac necibus parandis plerumque ventorum flatibus excitata, ſymbolum eſt ſupplicij à rigore juſtitiæ profecti: ſecus fluminum aqua, quia leniter fluit, ſua dulcedine ſapit, & refrigerando ſitis æſtui accommodata, manſuetudinem in pellucidis ſuis laticibus, perinde ac in terſo ſpeculo repræſentat. Quidni voluit David, ut ex manibus Salomonis filij altera marinâ maderet aquâ, & alterâ laticibus fluminum; ut rigorem juſtitiæ diſceret manſuetudinis lenitate temperare.

41 Hinc Chriſtus, cùm beatos deprædicâſſet exercentes Iuſtitiam Matth. 5. 6. *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam*, poſtea ſequitur, & commendat miſericordiam, inquiens: *Beati miſericordes*, ut Judices ita ſitirent juſtitiam, ut diſcerent dulcibus miſericordiæ aquis ejus ardorem, & zelum refrigerare: ait Guaricus Abbas ſerm. in feſt. om. Sanctor. *Ne zelus immoderatior in vitium feratur, ſequitur miſericordia, qua temperetur.* Quinimò DEUS æternus Judex non aliter punitum voluit Pharaonem ad ejus duritiem frangendam, quàm juſtitia clementiæ conſociata Exodi. cap. 10. v. 1. *Et dixit Dominus ad Moyſem: ingredere ad Pharaonem, ego enim induravi cor ejus, & ſervorum illius: ut faciam ſigna mea hæc in eo.* Sed quandónam DEUS cor Pharaonis induravit? licèt tonitrua obſtrepuerint, licèt clades grandinis horrori populo fuerit, non tamen ita ſevera, & rigoroſa, ut duritiem mereretur: ſiquidem ait ſacer textus: *pluit Dominus grandinem*: non verò ait: dejecit cum impetu, vel immiſit grandinem: quid? quòd grando in Ægypto dicitur pluiſſe, cùm ubique terrarum cum impetu in terram dicatur dejici, & immitti? quia nimirum ut ſupplicium grandinis pluviâ, & rore mitigaret: ad temperandum igitur ſupplicium pluviæ dulcedinem accerſivit, ut non ad deſtruendum, ſed ad conſolandum ſupplicium videretur immiſſum. Huc accerſendus Sanctus Theophilus Patriarcha Antiochenus lib. 1. ad Autolycum, ubi hoc ediſſerit, inquiens: *Nubes à terræ extremitate ſurſum rapit, fulgura cum imbribus multiplicat, mittit fulmen in terrorem mortalium, fulminisque fragorem coruſcante fulgore prædicit, ne anima proſtrata, & ſubito conſternata, è mortali corpore evolet, fulguris ex cœlo deſcendentis magnitudinem ita contemperat, ut terram comburat, nam ſi ſuo arbitrio feratur orbis, concremaretur, ſi tonitrua ſuo impetu ferantur, omnia, quæ in orbe ſunt, ſubverterentur, hic meus DEUS eſt, & univerſorum Dominus.*

42 Quòd ſi Jupiter ex Poëtarum commentis fulmina, quibus impios plecteret, in Vulcani officina ex duriſſimo ferro, & inflexibili calybe cuſa voluit, quò durities Numinis rigore ſupplicij oſtenderetur: DEUS verus fulmina ſua ad puniendos impios non in officina ulla fabrili, neque ex ferro, & calybe vult conflata eſſe, ſed in ſinu blandæ nubis ex tenui materia; ut rore ſimul, & flamma contemperata admixtam miſericordiam cum juſtitia ſecum deferant. Judex, quò à Deo diſcat juſtitiam exercere, iſtius rigorem clementiæ rore temperet Zachar. 11. 7. *Aſſumpſi mihi duas virgas: unam vocavi decorem, alteram funiculum, & pavi gregem*: in textu hebræo legitur: *unam vocavi amænitatem paſcuorum*; nimirum DEUS ut Judex ſimul, & paſtor judicium exerciturus virgas aſſumit amœnam unam, ac decore veſtitam: duram alteram, & aſperitate induram, quod indicat funiculus. Quidni Judicis virga ad delinquentes puniendos funiculus ita debet eſſe; ut ſit etiam faſciculus ad ſolatium: ſit ſupplicium cum le-

nitate,

lenitate ſit rigor, cum amœnitate, ſit durities cum decore, Judicis virga debet quidem virga eſſe, & nunquam ſpoliari natura virgæ, ſed debet etiam virga hæc ſuis ornari floribus, non rigere in hyeme, ſed florere in vere, ut flores duritiem virgæ leniant, & amœnitas veris hyemis rigorem temperet; neque ſemper ferrea, & calybea eſſe debet Judicis virga, quia ſi non flectitur, ut virga florida; frangitur perſæpe ut ferrea, & Judex ipſe pœnas luit acerbitatis.

43 Diſcat Judex miſcere rigorem juſtitiæ cum lenitate manſuetudinis, quo ſupplicium ita mixtum animos ſimul alliciat ad cultum virtutis, ſimulque terreat, ac avertat à vitiis; ſi enim ſeveritas ſcelera reprimit, manſuetudo, quâ lenitur virtutes enutrit; neque morbi omnes eadem curantur medicina: interdum ferrum candens putridum membrum adurit; & plerumque non ingratus ſuccus humorem peſtilentem expellit, ſcitè Caſſiodorus 8. variar. 17. *Severitas publica ſicut ab innocentibus vacat, ita neceſſe eſt, ut in ſceleratis operam ſuæ diſtrictionis impendat; quia non ſemper unum merentur judicium diverſa merita perſonarum: morbi ipſi diſſimilibus ſuccis ſanantur herbarum, alijs cibus, alijs ferrum optatam revocat ſoſpitatem, & pro qualitate paſſionis præceptum merentur artificis.* Morbi diu connutriti & qui mutatione ætatum non corriguntur, ſunt ſemper ſanatu difficiliores; & curam ſemper difficulter ſuſtinent, proinde cautè procedendum, ne ſi nimis ſævum fuerit pharmacum non ſuccumbat natura; pro qualitate igitur ægritudinis aptanda eſt medicina.

44 Nabuchodonoſor, qui ſuperbia turgidus, & ambitione inflatus divinitatem æmulabatur, ſtatuam inſanis ſumptibus conſtruxit, quam adorandam populo exhibuit; non tamen ægritudo iſta animi regio nomine eum ſpoliavit, ſed cùm ungues excreſcere ceperint in modum aquilarum, & toto corpore pilis veluti plumis horteſcere, tunc è throno expellitur Daniel. 4. v. 30. *Ex hominibus abjectus eſt, & fœnum, ut bos comedit, & rore cœli corpus ejus infectum eſt, donec capilli ejus in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & ungues ejus quaſi avium.* Tunc brutis adſcitus throno excluditur, quando ferinis unguibus obarmatur. Si quæras, cur è regio throno expulſus non fuit, cùm primùm divinitatem ambitiosè affectavit: ſed tantùm cum feriuis unguibus fuit obarmatus, reſpondet Theodoretus; quia ſic in ſubditos furebat, ut unguibus diſcerperet, ac inſtar feræ dilaniaret, unde licèt ſuperbia eum è throni faſtigio non dejecerit, ſævitia tamen in ſubditos diademate, & regia chlamyde eum ſpoliavit, & brutis aggregavit, ait Theodoretus: *Cum eſſet in honore maximo, non intellexit, ſed comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis; & in ſibi ſubjectos ferina mente, & animo fuerat, meritò etiam ferina, & agreſti vita juſtiſſimè damnatus fuit:* nimirum qoia manſuetudine neſcivit rigorem regiminis lenire regia fuit dignitate privatus, quia ſibi ſubditos regere neſcius indignus regia dignitate deprehenſus fuit: qui enim alios regit, neceſſe eſt rigorem juſtitiæ, rore temperet manſuetudinis, quapropter D. Paulus loquens de Arca teſtamenti ait ad Hebr. 9. 4. *In qua erat urna aurea habens manna, & virgam Aaron, quæ fronduerat.* Quàm aptè virgæ, quæ Judicis habetur ſymbolum, & juſtitiam indicat, manna jungitur, quod ſua dulcedine, amaritiem ſolet ſupplicij temperare; in Arca ſeu eccleſiæ foro virga juſtitiæ mannâ deliniatur, & dulcedine, ut rigor ſupplicij miteſcat lenitate manſuetudinis, ut monet D. Gregorius 2. part. Paſtoral. cap. 11. inquiens: *In boni Rectoris pectore ſi eſt virga diſtrictionis, ſit manna dulcedinis:* tunc enim ſupplicium patienter toleratur, cum manſuetudine temperatur: tunc virga vulnus non infligit, ſed ſanat; vibices non imprimit, ſed cutem tantùm percutit, & pulveres ſordeſcentium actionum excutit: idque expertus David dixit Pſal. 22. n. 4. *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Non exhorret David, quam in manu Dei vindicis virgam videt; ſed ſerena fronte, lætóque vultu illam oſculatur, ob conſolationem ipſi allatam.

EXPENSIO XV.

Religio pars Juſtitiæ potentialis floribus ornatur concionatorijs, & argutijs.

Cum ſit Religio virtus exhibens Deo debitum cultum, ut primo rerum omnium principio; & creatura ob ſuam finitudinem nequeat totum illum cultum Deo dare, qui ejus adæquet excellentiam, quæ ſumma eſt ac infinita; ſequitur, Religionem eſſe partem juſtitiæ potentialem, deficientem ab exhibitione æqualitatis: Hinc duplex aſſignatur juſtitia, perfecta una fundata in jure, & debito legali cum poteſtate ponendi æquale, cujuſmodi ſunt juſtitia commutativa, diſtributiva, & legalis; quarum prima fundatur in jure legali unius privatæ perſonæ ad alteram, & debito legali alterius ad alteram orto ex mutuo contractu: diſtributiva fundatur in jure legali civium ad bona communitatis, & debito legali reipublicæ in ordine ad diſtribuenda bona ejuſdem communitatis geometrica proportione civibus. Juſtitia legalis fundatur in jure legali, quod habet Reſpublica ad bona particularia civium urgente neceſſitate promovendi, vel conſervandi bonum commune; & in debito legali, quod cives habent ſuccurrendi reipublicæ urgente eadem neceſſitate per propria ſua bona particularia ſervatâ geometrica proportione. Juſtitia imperfecta talis dicitur, vel defectu virtutis adæquandi jus alterius, cujuſmodi ſunt Religio, & aliæ virtutes erga Deum; pietas erga parentes; obſervantia erga ſuperiores, quibus ut docet Ariſtoteles *l. Ethic. cap. ult.* nunquam poſſumus reddere æqualitatem. Vel defectu juris, & debiti; cujuſmodi ſunt amicitia, gratitudo, liberalitas, 1

cas, affabilitas, veritas, fidelitas, quâ quis talem ſe exhibet in verbis, & tactis, qualis eſt: hæ omnes virtutes, quia ſunt ad alterum recenſentur inter partes juſtitiæ; ſed quia non ſupponunt proprium, & rigoroſum jus in uno, ita neque ſtrictum debitum in altero; ſed tantum jus, & debitum morale fundatum in ſola honeſtate, & condecentia virtutis, quæ homines moraliter obligat ad exhibendum ſe erga alios, ſicut ipſa honeſtas virtutis expoſtulat. Quamobrem omnes virtutes ad alterum ſunt partes juſtitiæ; ſed quia deficiunt vel in virtute adæquandi jus alterius, vel quia deficiunt in ratione veri juris, aut debiti; dicuntur partes potentiales juſtitiæ, inter quas primam ſedem occupat Religio.

Eſt ſiquidem Religio virtus, quæ debi-
2 tum cultum Deo tanquam primo rerum omnium principio exhibet: ſicut hominibus ob excellentiam aliquam ſingularem, vel dignitatem, præpotentiam, ſapientiam, vel virtutem debetur honor, & cultus aliquis, quo illam excellentiam cum quadam noſtri ſubmiſſione reſtamur; ita Deo ob infinitam excellentiam in omni genere perfectionis, quam eminenter continet, & ut eſt primum principium, ac ſupremus Dominus rerum omnium debetur ſingularis honor, & cultus exhibendus veluti tributum à quolibet creatura rationali: & ad hunc exhibendum cultum inclinat virtus religionis, cujus objectum eſt ſignum quodlibet ſive internum, ſive externum, quo divinam excellentiam cum quadam noſtri ſubmiſſione proteſtamur.

Hinc D. Auguſtinus *lib. 38. Quæſtionum*
3 *quæſt. 31.* ex Cicerone definit *Religionem eſſe virtutem ſuperioris cujuſdam naturæ, quæ cultum adfert, & cæremoniam.* Húncque externum cultum per cœremonias Deus ipſe præcepit populo Iſraelitico Exodi. 12. v. 25. *Cumque introjeritis terram, quam Dominus daturus eſt vobis, ut pollicitus eſt, obſervabitis cæremonias iſtas.* Sed ſi Deus eſt cordium ſcrutator, & intima noſtra exactiſſimè penetrat, cur teſtes noſtri obſequij exigit actus exteriores, & cœremonias, quæ ſub ſenſus cadunt? nónne ſufficeret, ſi homo toto corde; totáque mente Deum diligeret? An non per actus internos, qui ſenſus fugiunt exteriores poteſt homo in Spiritu, & veritate Deum colere, & venerari, ut Authorem, primúmque principium omnium creaturarum? ad quid igitur præcipere exteriores cœremonias exercendas per actus ſenſibiles, qui pateant oculis, alijsque ſenſibus? Verùm rectè præcepit Deus Iſraelitico populo obſervantiam cœremoniarum per actus exteriores ſenſibiles: quia cùm non ſit homo purus Spiritus, cujusmodi ſunt Angeli, ſed coaleſcat ex Spiritu, & corpore, & mens hominis membrorum ſic involucro irretita & anima implicata cum corpore, cujus adminiculo perſæpe movetur, nititúrque in ſummum Bonum; ideo, quò totus homo debitum exhiberet cultum Numini; non ſolum per actus internos, ſsd etiam per cœremonias exteriores ſenſibiles debuit hunc cultum religionis Deo exhibere; quia ſicut Spiritus per actus internos, qui minimè ſub ſenſus exteriores cadunt, Deum veneratur, & colit; ideo adhuc erat alius cultus conſtituendus, qui per miniſteria corporis, ac ejuſdem membrorum, rebus, ac actibus externis ſub ſenſus cadentibus exhiberetur: hinc S. Baſilius homil. de vita ſolit. cap. 5. *Si extra corpus conſtituti eſſemus, neceſſarium eſſet ea tantùm curare, quæ animæ tantùm conveniunt: quoniam verò geminus eſt homo, convenit eſſe geminum virtutum ſtudium, quod & corporis laboribus, & animæ exercitijs perficitur.* 4

Vult igitur Deus ab homine Chriſtiano coli, & venerari in Spiriru, & veritate, idque præſtatur per actus internos pietatis, & religionis, quibus Deo conjungimur, ejúſque Majeſtati dediti ſumus: hicque interior cultus in mente, & Spiritu, & in ipſa interiori voluntate conſiſtit, ſeu charitate, quâ adhærentes Deo unus cum ipſo Spiritus efficimur; & hac gaudet Deus ab hominibus coli, quia cum ſit ſpiritus, vult adorari, in Spiritu, & veritate: verùm quia ubi ardet vera charitas, non ita in ſola mente ſplendet recondita, & abſtruſa, quin exteriùs ſe diffundat, & ad ſpectantium oculos deveniat; adeo ut etiam inter homines actus exteriores, ut oculorum dejectiones, capitum inclinationes, pectorum percuſſiones, genu inflectiones, & alij hujusmodi externi, & ſenſibiles actus, qui cœremoniæ vocantur, ab actibus internis amoris, æſtimationis, venerationis prodeant; & quemadmodum hi externi actus proſunt ad promerendam benevolentiam hominum, qui non poſſunt non bene velle, & eos amore proſequi, à quibus ipſi cultu, & honore per actus illos exteriores afficiuntur: pari pacto cœremoniæ, quæ per actus exteriores perficiuntur, plurimum præſeferunt roboris, ac momenti ad Dei promerendam gratiam, ac miſericordiam. 5

Cæterum duplex eſt uſus cœremoniarum; quædam à veritate, & Spiritu profectæ in ipſo corpore, vel etiam in ijs, quæ unita ſunt eidem, ſuſcipiuntur; hujus generis cœremoniæ, dicuntur eſſe preces, Numinis invocationes; aliæ verò cæremoniæ non magis à veritate proficiſcuntur, quàm ad illam tendant, tales ſunt cæremoniæ, quæ in templis exercentur, præſertim in ornatu altarium, varietate ordinum, ritu ſacrorum, melodia cantuum; forma veſtium Levitarum, & ſacerdotum: ut etiam in diebus feſtis taliter celebrandis: harum enim cæremoniarum Inſtitutores nonniſi ex Dei amore adducti fuerunt ad cultum externum ei exhibendum, nec alium finem vel propoſitum ſibi conſtituerunt, quàm laudem, & gloriam ipſius.

Ordinantur etiam hujusmodi cæremoniæ ad populi inſtructionem, quia hic ſenſibus efficaciùs, quàm intelligentiâ movetur ad debitum cultum exhibendum Deo. Hinc D. Bonaventura Tract. de ſeptem donis Spiritus ſancti cap. 2. tit. de dono pietatis ait: *Duplex eſt cultus ſcilicet interior, & exterior cultus eſt, quo*

quis

quis ſe offert Deo tanquam principio ſuæ creationis, & fini ſuæ beatificationis, & hoc quantum poteſt ſecundùm omnia, quæ ab ipſo recepit, quod recta ratio dictat, & natura ad hoc inclinat: ratio dictat, quia inferius debet ſubeſſe ſuperiori, à quo dependet, & à quo multipliciter deficit, ideo ejus indiget influentia, quam conſequitur natura rationalis ſuum ſuperiorem colendo; ut dictum eſt, ſimiliter natura ad hoc inclinat, quod ſatis natura rationalis oſtendit, cujus deſiderium non quieſcit plenè niſi in ſuo ſuperiore. Unde Augu. in libro confeſſionum primò dicit: Domine inquietum eſt cor meum, donec veniat ad te, cujus ratio eſt, quia Dominus eſt patria, ut dicitur in libro de Spiritu, & anima, ſimile dicit Iſaac: in libro de contemptu mundi in principio: cultus exterior conſiſtit in oblationibus ſacrificijs, adorationibus & ſimilibus, quæ ſunt ſigna proteſtantia interiorem cultum, qui ſoli Deo debetur: unde Auguſt. in lib. de civit. Dei dicit, quod hic cultus ſoli Deo debetur, quia videmus in omni republica obſervari, quòd rectorem ſuum aliquo ſigno honorat, quem quicumque alteri exhiberet, incurreret crimen læſæ Majeſtatis: unde lege divina pœna mortis ſtatuitur his, qui divinum honorem alijs exhibent, qui immolat Dijs occidetur, præter quàm Domino ſoli.

7 Hunc qui Deo exhibet cultum, religioſus audit, ſumpta nomenclatura ab actibus religionis, quos exercet. Veri religioſi typum egit patriarcha Iacob: hic cum ob natalium primatum præreptum fratri in invidiam, & odia ejuſdem incurriſſet, illicò ejus declinaturus iras è patria auſpice Deo egreditur, ac iter ingreditur in Meſopotamiam Syriæ Provinciam ad Haran urbem, ubi ejus avunculus Labanus morabatur. Primo peregrinationis die cum magnis urſiſſet itineribus ad ſolis occaſum defatigatus prope urbem Luzam idoneum quieti locum ſeligit aperto ſub dio; pulvilli inſtar lapidem ſubjecit capiti, cùmque quieſceret ſomno ſopitus, dormienti ſcala objicitur è terra in cœlum protenſa, quot gradibus, tot arcanis plena myſterijs: ſiquidem aſcendebant per eandem ſurſum, & deſcendebant deorſum Genij cœlites, & ſcalæ faſtigio Deus ipſe ſuam videbatur majeſtatem inclinare, & præſignare Meſſiam olim naſciturum, in cujus perſona divinitas humanitati, ac cœlum terræ necti debuerat.

Tametſi hujus myſticæ ſcalæ plures ſint
8 apud ſacros Interpretes explicationes, adhuc placet cum D. Antonino in ſumma Theol. *part 3. tit. 26. cap. 10.* Religionem interpretari, ac typum aſſerere; ſiquidem perinde in religione, ac Iacobæa in ſcala dantur gradus, per quos religioſi angelicos mores excolentes aſcendunt ſurſum per gradus perfectionis, per exercitia contemplationis, charitatis, amoris in Deum, & per alias virtutes, per quarum ſtudia ſurſum aſcendunt ad Dei Majeſtatem, cui per perfectionem acquiſitam adhæreant. Alij qui per ejuſdem ſcalæ gradus deorſum deſcendunt per exercitia humilitatis, abjectionis, ac mortificationis, quibus religio conſtat, ſed iſti ita deſcendunt, ut iterum aſcendant, ad exercitia hæc virtutum offerenda Deo: ut etiam priores, qui aſcenderant, non dedignantur deſcendere ad exercenda opera charitatis in proximum, ac beneficia impertienda indigentibus, adeo ut aſcenſus ad perfectionem, ſit etiam deſcenſus ad opem præſtandam proximo, ejúſque ſalutem procurandam; & deſcenſus aliorum ſit etiam aſcenſus ad ſublimiorem perfectionis gradum. Ait, S. Antoninos loc. cit. *Bonum religionis ſignificatum eſt nobilis illa ſcala Jacob, cujus gradus nihil alij ſunt, quàm Lectionis, orationis, mortificationis, aliarúmque exercitationum, quibus religio conſtat. In hac aſcendunt Angeli ad opera hæc Deo offerenda: & deſcendunt ad deferenda ad religioſas animas varia munera, & beneficia.*

Cumque annus vigeſimus jam fluxiſſet 9
commorationis, qua Jacobus Labano inſervivit, è Meſopotamia egreditur in Palæſtinam, quia ut appoſitè ait Hugo Cardinalis: ſicut Iacob de domo Labano feſtinus aufugit & in Paleſtinam ſe recepit: ſic anima, quæ Deo placere ſtudet, in Domum Dei (hæc eſt vera promiſſionis terra religioſa) ſe recipit. Quòd ſi Iacob è domo paterna fugiens Angelos vidit, ac cœleſtia beneficia deguſtans poſt itineris laſſitudinem placidè quievit: ita è Meſopotamia in patriam redux Angelos habuit obvios Geneſ. 32. 1. *Iacob autem abijt in itinere, quod cœperat. fueruntque ei obviam Angeli Dei, quos cum vidiſſet ait: Caſtra Dei ſunt hæc.* Si quæras, cur cœlites Spiritus in terram deſcenderint Iacobo obviaturi peregrino, reſpondet Rupertus Abbas in Geneſ. 32. *Cui pro gloria triumphi pompa cœleſtis obvia præcedens feſtina exceptione obſequium præbuit*: nimirum ut Iacobo è domo conſanguineorum fugienti adgratulentur, & plaudant, adſunt Angeli; quia cum religioſis mores ſatagentibus componere ad normam virtutũ libenter aſſociantur Angeli, quibus ſunt ſolatio. Iacob etiam è Meſopotamia celer aufugit cum ibi idola colerentur, ſéque ad terram promiſſionis confert, & iterum obvios in itinere Angelos habet, à quibus non parum haurit ſolatij. Quòd ſi Meſopotamiam ubi coluntur idola ſæculum interpreteris, ubi ſæculares colunt idola juxta proprias concupiſcentias, quibus trahuntur vel ad divitias cumulandas, vel dignitates acquirendas, vel fœmineas venuſtates appetendas, hæc enim idola ſunt, quibus ſæculares ſuum exhibent cultum: terram promiſſionis dicas religionem eſſe, & tranſeuntes à ſæculo ad religionem obvios cum Iacobo Angelos habere, à quibus plurimum accipiunt conſolationis, & ſolatij. Patriarcha igitur Iacob typum exhibet animæ, quæ relicta paterna domo ad domum Dei, ad terram promiſſionis, ſeu ad religioſa clauſtra convolat, huic enim obviam veniunt Angeli, & Deus ipſe ſe propitium præbet, & tota cœleſtis aula illi congratulatur, ut non tam videatur religionem ingredi, quàm cœleſtem curiam intrare, unde exclamat S. Baſilius: *O cella cœleſtis exercitij mirabilis officina; in qua certe anima*

ter.

abſque labore ſingula ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria ſuppeditabantur: etiam religioſis degenribus in terreſtri paradiſo religionis, ſeu in monaſtico clauſtro cuncta providè miniſtrantur neceſſaria, tametſi terram non excolant, labores non ſubeant, ſudoribus non madeant: neque Deus permittit illis quidquam deeſſe, tametſi omnia reliquerint, nec quidquam poſſideant terrenæ portionis. Sunt enim religioſi Deo familiares, & domeſtici, quos propterea ex proprio penu, & menſa alit, ac reficit. Juſſerat olim Deus terrarum tractus per ſingulas Tribus partiri: præcepto tamen cavit, ne terra ulla Tribui Levi daretur, imò neque væniret, adeò ut nullo contractu venditionis,& emptionis poſſet Tribus Levi in jus venire alicujus terrenæ portionis, eámque poſſidere.

16 Quid? quòd Deus adeo parcus fuerit cum Tribu Levi, cùm munificum ſe oſtenderit reliquis Iſraëlis Tribubus? Si ſola Tribus Levi poſſeſſione cujusvis terreſtris tractus deſtituitur, quomodo tot millia hominum, qui in hac comprehenduntur tribu ſibi conſulere poterunt quoad victum; ſiquidem carentes terrena poſſeſſione nequibunt terram aratro ſcindere, ſemina jacere, plantas & olera excolere, nec arbores fructiferas plantare, quòd ſi non ſerunt, neque metere poterunt; conſequenter nec horrea implere, nec fructus colligere, neque neceſſaria ad victum acquirere; quomodo ergo Tribus Levi, quæ ſola prohibetur terrenam ullam poſſidere portionem, neceſſaria ſibi comparabit ad vitæ ſuſtentationem? an Tribus Levi enorme aliquod ſcelus patravit, ob quod opus fuit hac pœna mulctari? non deliquit Tribus Levi, neque privatio terrenæ poſſeſſionis ſupplicium ullum eidem fuit, quo reatum criminis purgaret, ſed Numinis ſingularis favor. Erant Levitæ viri religioſi divino dicati cultui, & religioſorum typum poſt Chriſti adventum viſi ſunt exhibuiſſe; proinde Deo fuerunt magis familiares, intimiúsque domeſtici, quàm populi ex alijs Tribubus. Meritò igitur Deus ſingularem curam de Tribu Levi ſuſcipere voluit, eámque de proprio penu alere, quod & ipſe innuit per Prophetam Ezechielem cap. 44. v. 18. *Non erit autem eis hæreditas eorum. Et poſſeſſionem non dabitis eis in Iſraël; ego enim poſſeſſio eorum.* Quidni religioſi nil terreni poſſidentes, ſunt divitijs magis affluentes; ſi agros, campos, caſtra, & terrarum tractus non poſſident, horreum tamen ſemper plenum habent, cùm nihil permittat Deus eiſdem deeſſe; ipſe enim eorum horreum ſemper implet, quòd ſi terrenis facultatibus carent, ex Numinis penu lautiùs, & ſecuriùs nutriuntur: dum facultatibus renuntiârunt terrenis educatorem Deum, ac nutricium acquiſiverunt, eſt enim religioſorum hæreditas, & ſecura poſſeſſio, cùm nihil deeſſe poſſit ijs, quorum curam Dominus ſuſcipit; divinæ Providentiæ Numinis miniſtræ incumbit neceſſaria quæque illis ſuppeditare.

17 Tantæ ſunt conditionis religioſi, ac Numinis cultui addicti, ut non ſolùm Deus, verùm & Principes ipſi Ethnici non permittant, quidquam ijs deeſſe; talis fuit Pharao, qui decreto ſancivit, ut ſacerdotibus, ac religioſis divino cultui addictis neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem ex horreis publicis ſuppeditarentur Geneſ. cap. 47. *Quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur*; dignus laudè commendatione fuit Pharao ob pietatem, & providentiam, quâ religioſis, ac divino addictis cultui conſuluit, ne quidquam ijſdem deeſſet: huc accerſendus Cajetanus in cap. 47. Geneſ. *Hinc apparet integritas Pharaonis, qui nec in tanta penuria ſubtraxit ſolita alimenta ſacerdotibus, qui divino cultui dedicati, & ſpeculationis ſcientijs addicti erant.* Quidni? vel ſolo naturæ ſpiculo lumine videbat Pharao, indignum eſſe regia majeſtate, ac virum principem dedecere, non conſulere hominibus Deo inſervientibus, & religioſis in cultu Numinis occupatis; tametſi annonæ charites Ægyptios affligeret, noluit tamen Princeps curam negligere religioſorum, quibus gratis frumentum, & alia neceſſaria ad vitam alendam ſubminiſtravit. Utinam noſtris temporibus Principes Chriſtiani à Rege Ethnico diſcerent ſacerdotes alere, & viros religioſos, templorum cultores ex proprio horreo nutrire; præſertim cùm ſciant eſſe, inde longè locupletiorem accepturi compenſationem. 18

Deus quia impensè Iſraeliticum populum dilexit Tribum Levi elegit, quæ divinum promoveret cultum in populo, qui cum exemplo Levitarum Deum coluit, tametſi in deſerto tarram vomere, & ligone non excoluit, neceſſaria tamen ad victum ei ſuppeditavit, & annonam, quam probro ſterilitatis notata terra denegavit, cœlum abundè ſubminiſtravit, cùm ut populum paſceret, manna de cœlo pluerit, & quidem ſingulis diebus adeò abundanter, ut quisque etiam ad delicias ſe reficeret, viréſque ex itinere detritas reſtauraret, cùm manna ſapores omnes delicatiores ad palatum demulcendum contineret: diebus tantùm Sabbathinis manna non pluit, quò populus magis ſolicitus eſſet de cultu Numini præſtando, quàm de alimonia ſibi procuranda; quia Deus quos ſuo cultui addictos habet, ut ſuos domeſticos, magiſque familiares ex proprio penu nutrit. Exodi 16. v. 4. *Egrediatur populus, ut colligat per ſingulos Dies, quæ ſufficiunt,* 19

Quòd ſi ſolicitus fuit Deus in victu quotidiano Tribubus omnibus Iſraelis ſuppeditando, certè nunc in lege evangelica uberiori dilectione religioſos, & ſacerdotes proſequitur, cùm diebus ſingulis eos in altari paſcat, & quidem ex propria menſa, in qua ipſe Deus in filij ſui humanitate panis eſt, & vinum; quòd ſi Iſraelitis in deſerto manna tantùm pluit; populo Chriſtiano ſe ipſum dat in cibum, & potum. Utinam Principes Chriſtiani adeo ſe propitios in divini altaris miniſtros oſtenderent, ac ſe præbuerunt principes inter ſuperſtitionis caligines adhuc obvo-

luti erga ſuos religioſos; quos propterea redarguit immiſericordiæ, ac avaritiæ D. Chryſoſtomus *homil. 63.* inquiens: *Audiant, qui nunc vivunt, quantam olim Sacerdotum idolorum curam habuerint; & diſcant vel ſaltem parem habeant honorem ijs, quibus omnium Dei miniſterium creditur, & qui ſacerdotio inſigniti ſunt*: erubeſcere procul dubio deberent Principes, qui Chriſtiano nomine gloriantur, eóſque pudere, quòd veri Dei Miniſtros, ac Religioſos minoris faciant, quàm Principes Ethnici, qui dœmonum ſacrificulos, viróſque idolorum cultui occupatos in magna habuerint æſtimatione: hinc pergit D Chryſoſtomus homil. 63. *Si errantes illi & tantam idolorum curam habentes, quia in hoc putabant idola magis coli, ita idolorum miniſtros colerent quantánam condemnatione digni, qui nunc imminuunt, quod ad illorum ſpectat cultum.* Quòd ſi contemptus famuli, ac injuria eidem illata quodammodo in herum videtur refundi, certè exiguum, vel nullum fovent amorem in Chriſtum Dominum, qui ejus miniſtros, religioſos, familiares, ac ſervos contemptui habent, & paſcere detrectant, quinimò & interdum injuriam inferunt, tametſi Chriſti perſonam in altari gerant, & diſpenſatores ſint fideles cœleſtis illius panis, qui ad vitam æternam ſumentes alit, non ſolùm erga populum, verùm & circa principes ipſos.

20 Non ſolùm deberent viri principes religioſis, ac Dei Miniſtris gratis ſuppeditare neceſſaria ad victum, verùm etiam eorundem Tributarios ſe conſtituere, ac arbitrari ſub hoc onere ſibi à Deo conceſſas divitias, quibus affluunt, & bona omnia temporalia, quibus diteſcunt, ut eccleſiam, & ejus Miniſtros teneantur paſcere: quod cùm Spiritu prophetico prævidiſſet Iſajas alloquens viros religioſos, & principes ait cap. 44. v. 23. *Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ*: quæ verba expendens Hugo Cardinalis ait: *Potentes ſæculi in temporalibus nutrierunt eccleſiam, ut Conſtantinus* & alij plures, qui nutricij religioſorum, ac Miniſtrorum eccleſiæ fuerunt. Quòd cùm prævidiſſet Iſaias alloquens eccleſiam à viris principibus enutricam ait cap. 60. *Suges lac gentium, & mammillâ regum lactaberis.* Seu ut legunt ſeptuaginta Interpretes *Divitias Regum comedes*: hunc textum SS. Patres præſertim Cyrillus intelligunt de muneribus, ac reditibus, quos viri, principes eccleſijs, religioſorum Monaſterijs, locíſque pijs dicârunt, cognoſcentes ſe obſtrictos eſſe, eccleſiam Dei, à quo bona omnia ſuſceperunt, locupletare, ejúſque paſcere Miniſtros.

21 Quinimò non ſolùm deberent Principes Religioſis, ac divino cultui deditis munifica manu neceſſaria exhibere; verùm etiam enixim eos rogare, ut accipiant. Judic. 17. Cum in monte Ephraim quidam vir pius Iſraëlita, virtutum cultor degeret Michas nomine, cui cordi erat pietatis exercitium, & amor erga viros religioſos, & quemdam vidiſſet virum Bethlemitem ad illam divertentem ſolitudinem inſtar peregrini, ab eo petijt, quisnam eſſet, & cujus conditionis, ac profeſſionis: cúmque ab eo audiviſſet ſacerdotem eſſe, & Numinis cultui dicatum, tunc Michas blandè ipſum alloquitur, invitátque ut cum ipſo maneat Judic. 17. v. 10. *Mane apud me, & eſto mihi parens, & ſacerdos: dabóque tibi per ſingulos annos decem argenteos, ac veſtem duplicem, & quæ ad victum ſunt neceſſaria*: nimirum quia vir, qui ad illam diverterat ſolitudinem, Levita erat, Dei cultui dicatus verbis melle illitis, ſericóque ſermone eum rogat, ut ſit non ſolùm ejus hoſpes, verùm etiam domeſticus, & director, & non ſolùm prandium illi offert ad detritas vires ex longo itinere reficiendas, verùm etiam ſuam propriam offert domum; menſam quotidianam, victum, & veſtitum quò nihil ei deeſſet ad vitæ ſuſtentationem; imò non ſolùm neceſſaria ei exhibet, verùm etiam nummos ad animum interdum laxandum, & honeſtam inſtituendam recreationem: neque dedecet, viros religioſos divino cultui deditos, & altaribus inſervientes, ſubinde animum laxare, quò vegetiores, ac ferventiores propria obeant munera, ac uberiori amore, & reverentia cultum divinum promoveant. Quidni ſacerdos manſit in ſolitudine illa Iſraëlitæ miniſtraturus, & ſua Deo obſequia præſtiturus Judic. 17. 12. *Acquievit, & manſit apud hominem, & habuit puerum ſacerdotem apud ſe*: cuj ut debito obſequeretur cultu tanquam patrem habuit: *Eſto mihi parens, & ſacerdos*: ut impensè eum amaret tanquam proprium filium, eum domi detinuit v. 11. *Fuitque illi quaſi unus de filijs.*

Quinimò non ſolùm viri principes neceſſaria ad victum, & veſtitum religioſis viris ſuppeditare deberent, verùm etiam honoribus inſignire, ſunt enim ſacerdotes Regibus pares, cum & ipſi coronam geſtent in capite in ſignum Sacerdotalis dignitatis, quòd ſi corona regiam indicat dignitatem, procul dubio ſacerdotium etiam regale conſtituit, hinc ſcripſit D. Hieronymus: *coronas in capite geſtant Preſbyteri in ſignum regni in Chriſto expectati.* Cenſeant igitur Principes viros religioſos, & ſacerdotes ſibi non eſſe inferiores, ſed pares, ac propterea pari eſſe itidem honore afficiendos; præſertim cùm D. Petrus *vocet regale ſacerdotium*, hoc eſt corona inſignitum, ac regia dignitate refulgens. 22

Quòd ſi Angeli hominibus præferuntur, 23
utpote creaturæ nobiliores, etiam ſacerdotes cæteris præferendi ſunt hominibus, quia & ipſi Angelis comparantur, Malachias cap. 2. 7. *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Vocat Propheta ſacerdotem in lege evangelica Angelum, quia animi puritate, morum candore, culturâ

vir-

virtutum, contemplationibus, & in ſacris miniſterijs obeundis diligentiam, ac puritatem angelicam debet imitari, ait Beda cap 7. *Omnes qui ſacerdotij nomine cenſentur, Angeli vocantur.*

34 Neque putes, in infimo Angelorum ordine eſſe religioſos ſacerdotes conſtituendos, altiùs enim dignitas ſacerdotalis eos evehit, unde D. Bernardus: *Monachus ſacris altaribus ſi ſacerdos eſt, tanquam unus ex ſummis Angelis in ſpiritu totus aſſiſtat*: ecce quâ reverentiâ debesent religioſi ſacerdotes a vitiis principibus proſequi, cùm non Angelis tantùm, ſed & Seraphinis parientur. Quòd ſi viro principi Angelus aliquis ex infimo ordine ſe ſpectabilem exhiberet, certè nonniſi ſumma reverentia eum coleret, gratiáſque ageret, eò quia dignatos fuerit ad ipſum accedere; Sacerdos autem non ſolùm infimis Angelis pariatur, verùm inter Seraphinos collocatur: obſequium igitur, quod Angelo exhiberetur, denegandum non eſt ſacerdoti religioſo; alioquin ſi Princeps religioſum ſacerdotem contemptui habet, quem Deus Angelum vocat, videtur nihili facere ipſos Angelos; imò & ipſum Chriſtum, cuj etiam comparantur Sacerdotes Abacuch *Exiſti in ſalutem populi tui, ut ſalvos faceres Chriſtos tuos*, quem locum expendens Beda ait: *Ut ſalvos faceres Chriſtos tuos, ſeu eos, quos unctione Spiritûs conſecrare, & tui ſancti nominis participes facere dignaris.*

35 Adeo inſignis eſt ſacerdotalis unctio, ut homines evehat, ac efficiat Chriſti ſucceſſores, cùm & Ipſe Chriſtus unctus eſſe dicatur: referunt enim Sacerdotes in altari perſonam Chriſti, cujus vices agunt, & conſecrant nominantes corpus Chriſti, *corpus meum*, ac ſi Chriſtus, ac ſacerdos ſit eadem perſona, idque fortaſſis cum prænoviſſet ſecuturum in lege evangelica David dixit Pſal. 104. *Noli tangere Chriſtos meos*, pates ſiquidem Chriſtus ſibi Sacerdotes quaſi conſtituit, cum in altari ad nutum ſacerdotis proferentis verba conſecratoria dignetur è ſummo cœlo deſcendere, quapropter magno ſunt in honore habendi ſacerdotes, quod & ſuadet Salomon Eccleſiaſt. 7. v. 32. *In tota anima tua time Dominum, & ſacerdotes ejus ſanctifica.* Timori ſui nominis illico adnectit reverentiam exhibendam ſacerdoti; quaſi poſt divinum obſequium ſtatim ſupra reliquas præeminentias inter homines dignitas ſacerdotalis primam mereatur reverentiam: neque putes ſanguinis nobilitate viros principes antecellere Sacerdotes; quia nobilitas à claritate nominis, virtutúmque exercitio in majoribus derivatur in Poſteros, qui gloriantur, avos, & alios natu majores habuiſſe illuſtres ſcientijs, vel fortes virtute bellicâ, & alijs præfuiſſe: hac autem claritate ſplendent ſacerdotes, cum cæleſti lumine coruſcos eos viderit Joannes in ſua Apocalypſi; ſi ſplendent ſtellæ non deeſt claritas Sacerdotibus; ut debitum exhibeas ſacerdotibus obſequium etiam ob nobilitatem, eos aſpice ſydereis coruſcos ſplendoribus; quales vidit Joannes Apocal. 1. *ſeptem ſtellæ Angeli ſunt ſeptem eccleſiarum*: ſi quæras quinam ſint hi Angeli, reſpondet Beda, *rectores eſſe eccleſiarum*, ſeu ſacerdotes, & religioſos, quibus cura concredita eſt animarum; ac demandatum officium promovendi divinum cultum in eccleſijs. Sacerdotes, ſeu Paſtores ſeptem eccleſiarum ſtellas ſimul, & Angelos vocat; nimirum ſtellas ob ſplendorem virtutum, quibus clareſcunt: & Angelos ob cordis puritatem, caſtitatem, ut intelligas, quò ſint Sacerdotes honore afficiendi, & obſequio honorandi ab hominibus: neque ſtellæ ſunt infimæ notæ; ſed de clarioribus, quæ ſplendent in Dei manibus. *Habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem*. Deus enim ſacerdotibus dexteram præbet, quæ nobilior eſt ſedes, & quomodo homines ad ſiniſtrum latus in loco abjectiore permitrent ſacerdotem jacere? ſi Deus religioſos altaris miniſtros, in palma, ut vulgò dicitur, dexteræ manûs gerit, quomodo homines audebunt pedibus ſacerdotes veluti conculcare? ſi Deus Religioſis manus aperit, ut beneficia iiſdem impertiatur; quomodo homines manus claudunt, ne iiſdem eleemoſynam elargiantur; ne ſuppeditent neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem?

Neque ſacerdotes in Dei dextera tantùm ſplendent; ſed etiam ſedent ut in regio ſolio, ac regali dignitate inſigniri; quò inde conijciant homines, quò ſint honore afficiendi ſacerdotes; cum reges ſedentes in ſolio in majori ſemper habeantur honore. De rege cuj nomen erat *Oriens* loquitur Deus per Prophetam Zachariam cap. 6. & ait *Oriens ſedebit, & dominabitur in ſolio tuo*: loquens itidem de Sacerdote JESU Filio Joſedech ait: *Et erit ſacerdos ſuper ſolio ſuo, & conſilium pacis erit inter illos duos.* Ubi Propheta ſermonem inſtituit de ſolio Regis, ſtatim agit de ſolio ſacerdotis; textus græcus legit: *Et erit Sacerdos à dextris JESU*; ſeu ut expendit Cyrillus Alexandrinus: erit Sacerdos in honore, & gloria. Rex igitur ita ſolium ſuum conſtituit, ut ad dexteram ſuam ſacerdotem collocet, ut ſupra ceteros habeatur in honore. Tunc Rex rectè dominatur in ſolio ſi Sacerdotes ad dexteram collocaverit, ſeu in honore habuerit; quis tunc ſacerdos orat pro Rege, & Deum flectit in ſua vota ut proſperè omnia regi obtingant. Honor Sacerdotalis regius eſt, quis in regem Sacerdos religioſos inungitur; quòd ſi quæras, quo oleo ungatur in regem, non credas ex alio oleo, quàm quod de ſaxo duriſſimo ſtillat Deuter. 32. 13. *Oleúmque de ſaxo*; quia quos Deus religioſos Sacerdotes inſtituit; hos ſupra excelſam petram, ſupra duriſſimam æque ac celſiſſimam rupem conſtituit; quò ſupra cæteros emineant, & cœlo proximiores cæleſtes fructus carpant, quò divinæ conſolationis melle paſcantur, & oleo de ſaxo præcelſo ungantur. Eſt religio regio præcelſa, in qua mons coagulatus, mons pinguis: ex qua pinguedine de monte ſaxoſo ſcaturit oleum, quo ſacerdotes religioſus in regem perungitur, quò regio afficiatur honore.

26 Hunc præcelſum montem inſcendit Elias 3. Reg. 18. 42. *Elias aſcendit in verticem carmeli*, hoc eſt in verticem montis, in ſupremum Religionis faſtigium: etenim Carmeli nomen ſtatum ſignificat Religionis. Quidni Eliæ religio, ſeu Carmelitarum ſupremum attingit Religionis verticem cœlo proximiot, à terris remotior, ut non niſi cœleſtibus paſcatur fructibus, & melle divinæ conſolationis, & oleo internæ pacis ob conſcienriæ munditiem, animique tranquillitatem divinis tantùm aſſueti contemplationibus. De excelſa hujus montis rupe oleum ſcaturit; ne Carmelitis, qui vacantes ſoli ſpiritui abſtinent ab eſu carnium, deeſſet, quo detritas vires reficerent Deuter. 32. 13. *Oleúmque de ſaxo* ideſt de ſaxo hujus montis Carmeli, cujus dulcedine pacifici Religioſi veſcantur, ambulantes per viam pacis ad cæleſtem patriam. Feraciſſimus eſt mons carmelus fruges abundè ſuis ſuppeditat incolis, quos & fructibus ditat, non tamen terrenis, qui putredini ſunt obnoxij; ſed cæleſtibus æternùm perſeveraturis, quique per bona opera colliguntur in refectionem vitæ æternæ; *Carmel* ſiquidem hebraicè idem ſonat ac *ſcientia circumciſionis*, & hujus montis cultores per exercitia mortificationum circumcidunt depravatas omnes paſſiones, affectus omnes ad mundi delicias, voluptates, & commoda; cupiditates, & vana quæque deſideria, cæleſtibus tantùm inhiantes. Hinc eſt quòd Elias à facie Jezabel Euro citius aufugerit, continuata fuga uſque ad verticem alterius montis 3. Reg. 19. 8. *Ambulavit uſque ad montem Dei Horeb.* Jezabel interpretatur ſterquilinium, eſtque mundi ſymbolum; à cujus facie Religioſi Carmelitæ cum ſuo Elia fugiunt uſque ad montem Horeb, ſeu eminentiam perfectionis, quam per continuatum curſum, ſeu exercitium virtutum aſſequuntur.

28 Non igitur mirum; ſi ſacerdotes in clauſtris degentes regio ſint honore afficiendi, cum in tanta, ac ita præcelſa perfectionis eminentia ſint conſtituti, ut montium ſublimiora faſtigia incolant: debetur igitur regius honor dignitati ſacerdotali, præſertim cum de Jojada ſacerdote dicat ſcriptura 2. paral. 24. v. 17. *Sepelierúntque eum in civitate David cum Regibus, eò quòd feciſſet bonum cum Iſraël, & cum domo ejus:* Jojada, quia ſacerdos, non cum populo, ſed cum Regibus demortuus ſepelitur, ut qui pari dignitate fulgeret, cum viveret, etiam inſigniretur honore demortuus, ac inter ſublimiora Regum Mauſolæa, commularetur: conveniens erat, ut qui vivus par Regibus in miniſterio habebatur, mortuus diſpar non eſſet in honore ſepulchri. Idque cauſæ, cur Deus ipſe in ſuos miniſtros reverentiam voluerit commendatam, & licèt ſceleribus obnoxios adhuc honorificè tractari velit, quod exemplo fortiùs, quàm verbis edocuit, cùm Hieroſolymam puniri juſſerit per adminiſtros Angelos inquiens Ezech. 9. v. 6. *A Sanctuario meo incipite* Si quæras, quid nomine ſanctuarij intelligatur, non credas quid aliud niſi religioſos, & Sacerdotes, ut ediſſerit D. Hieronymus in Ezechiel inquiens: *Septuaginta tranſtulerunt à Sanctuario, id eſt à Sanctis meis incipite. Vel Sacerdotes ſignificat, qui verſabantur in templo; vel eos qui Sacerdotij merito Sancti vocabantur à populo.* Mitius voluit ſacerdotes puniri, cum eos non privaverit dignitate ſacerdotali, imò adhuc eos Sanctuarium, ſanctóſque ſuos appellaverit. Hunc honorem regium ſacerdotibus debitum ex eo etiam conijciebat Athalaricus Rex, quòd Deo ſe cognoſceret Imperij debitorem, & ob id gratum ſe debere DEO, & ſuis adminiſtris exhibere, ſi templa vel conſtrueret, vel delabentia reſtauraret, vel vetuſtate ſqualida ornaret, & ſacerdotes maximo proſequeretur honore, ait ipſe apud Caſſiodorum epiſt. 24. lib. 3. ubi ad Clerum Romanum ſcribit: *Nam quid ſimile rependat Deo, qui potitur imperio? quod licèt pro tanto munere nihil compenſari poſſit, idoneè ipſi tamen gratias agitis, dum in ſervientibus honoratur.*

29 Quinimò non ſolùm pares Regibus religioſos, & ſacerdotes dixerim, verùm etiam ſupra Reges eminere: neque à veritate me deflectere ſinunt ſapientiſſimi totius Orientis Reges, qui natum in terris mundi Salvatorem relictis patrijs prævio lumine ſtellæ præſignantis itinera venerunt ad Bethlemiticas cunas infantem JESUM veneraturi: cæleſte in terris præſepium ingrediuntur, & ante ſupremi Regis pedes flexis genibus recumbunt, & miniſtrantes in ſtabulo perinde ac in templo, & in cunabulis ſervientes, veluti in altari Sacerdotio initiantur ſummo Deo in terris miniſtrantes, ait D. Chryſoſtomus *Magi adorantes facti ſunt Sacerdotes.* Quidni? ante ingreſſum ad Chriſtum jacentem in præſepio Reges tantùm Magi erant: & in præſepio Sacerdotio initiati egrediuntur, & Reges, & ſacerdotes: ſed uberiori ſunt reverentia digni in ſacerdotio poſt egreſſionem è præſepio; quàm in ſceptro ante ingreſſum: ſiquidem quandò relictis patrijs venerunt regia tantùm inſigniti dignitate ſola ſtella dux ijſdem fuit, ne errarent in via: Matth. 2. *Antecedebat eos uſque dum veniens ſtaret ſupra ubi erat puer.* Cùm verò ſacerdotio initiati ex ſtabulo egrediuntur, & in patriam ut ſacerdotes revertuntur, non ampliùs ſimplex ſtella itinera illis præſignat; ſed DEUS ipſe dux eſt, cui ſtellæ famulantur, & creaturæ omnes inſerviunt: eſtque via, quam perambulantes ad apicem perveniunt dignitatis, ſiúntque digni ſupremo honore, neque indigent aliorum Principum ingredi aulas, populorum auras aucupaturi Matth. 2. *Reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.* Ecce quali honore afficiuntur qui ſa-

ſacerdotio ſunt initiati, reſponſum vel à Deo immediatè, vel ab Angelo DEI nomine accipiunt, & cùm antea per ſtellas tantùm eos moneret in regia dignitate conſtitutos; nunc per ſe ipſum, vel per Angelos, quia ſacerdotio initiatos vult moneri: quando Reges tantùm fuerunt, per præviam ſtellam monentur, & ducuntur; ſacerdotio autem initiati per ipſum DEUM immediatè, vel per Angelum reducuntur in patriam, ac majori reverentia, & honore afficiuntur ſacerdotes revertentes ad patriam, quàm Reges proficiſcentes ad præſepium.

30 Felix eſt profectò illa, quâ quis relictâ patriâ ad præſepium tranſit, ſeu ad ſacrum clauſtrum DEO famulaturus, ac ſua obſequia præſtiturus: eſt hic tranſitus Paſcha, quo ſurgit, non ſolùm ad majorem dignitatem, verùm & ad perfectiorem ſtatum: legimus quadruplex fuiſſe Paſcha, primum in Rameſſe, quod eſt in finibus Ægypti Exodi 12. Secundum in deſerto ad montem Sinai *Num. 9.* Tertium trans Iordanem in Galgala *Joſue 5.* Quartum in Ieruſalem, quod fecit Ioſias *4. Reg 23.* Primum paſcha egreſſum ſignificat è mundo, ut explicat Hugo Cardinalis *in cap. 12. Exodi.* Secundus tranſitus in deſerto ad montem Sinai ſignificat ingreſſum ad religionem, quia etiam Chriſtus ſuos Diſcipulos, quos religioſos voluit, duxit in montem Matth. 17. 2. *Ducit illos in montem excelſum ſeorſum*, & religio locus eſt, quem DEUS eligit in tabernaculum ſuum, & myſticè per montem transfigurationis indicatur: tres enim Diſcipuli, quos ſecum duxit, tria indicant evangelica vota, quibus religioſi renunciantes mundo ad montem aſcendunt perfectionis. Tertius tranſitus eſt egreſſus è vita; & quartus ingreſſus ad gloriam. Eſt igitur religio tabernaculum Dei, in quo ſuſcipiuntur religioſi, ut ſecretiùs, & ſecuriùs viventes cœleſti gloria donentur morientes: David de ſe ipſo ajebat Pſal. 26. 5. *Abſcondit me in tabernaculo ſuo in die malorum, protexit me in abſcondito tabernaculi ſui*: tametſi ex Interpretibus plures velint tabernaculum, & abſconditum tabernaculi intelligi ſanctum illum, & auguſtum locum, in quo erat Arca DEI collocata, & in quo David à DEO protectum ſe fuiſſe fatetur, ne ab hoſtibus perſequentibus damnum ullum pateretur, quaſi tabernaculum illud non tam ad DEI habitationem, quàm ad pios homines tegendos, ac tuendos deſignatum fuiſſet: adhuc tamen per DEI tabernaculum religionem intelligimus, in qua DEUS tegit, & protegit religioſos, ſeu tegit in abſcondito tabernaculi ſui, quatenus eos veſtit innumeris beneficijs, favoribus, & gratijs; & protegit, quia ab hoſtilibus tuetur incurſionibus à mundi periculis. Religioſi itaque in DEI tabernaculo vivunt, & ab hoſtium inſidijs, malisque omnibus abſconduntur, ut cum Davide poſſit verè dicere Pſal. 26. 5. *Protexit me in abſcondito tabernaculi ſui.* Annon tranquilla donantur religioſi felicitate, cum divinis tecti favoribus, & à DEO protecti tutè in ejus morantur tabernaculo, in quo & tranquillè vivunt, & in pace quieſcunt: hinc D. Bernardus ſuos alloquens religioſos ſerm. de obedient. ait: *Nulla vobis hîc liberorum nutriendorum cura, nulla ſolicitudo, quomodo placeatis uxoribus; non de mundinis, non de negotijs ſæcularibus, non de ipſo victu, & veſtitu neceſſe eſt cogitare. Procul à vobis magna quidem ex parte diei malitia, & ſolicitudo vitæ: ſic abſcondit nos DEUS in abſcondito tabernaculi ſui.* Tanta eſt Religioſorum felicitas, ut ſi eam homines cognoſcerent, eorum plurimi neglectis mundi commodis, delicijs, ac voluptatibus religionem adirent, & in tabernaculo DEI ſe abſconderent, ut tecti, & à DEO protecti tranquillè viverent, & poſt tranſitum è mundi deſerto ad montem Sinai, ad tabernaculum DEI, ad ſacrum clauſtrum, tandem ad cœleſtem tranſirent gloriam, æterna donandi felicitate: hinc. D. Laurentius Juſtinianus differens de bono religionis dixiſſe fertur apud Surium in ejus vita: *Conſultò DEUS gratiam religionis hominibus occultavit, ne ſi cognoſceretur ejus felicitas, omnes ad eam confugerent.*

Non ſolùm in DEI tabernaculo, ſeu in ſacra religione degentes religioſi à DEO proteguntur, verùm etiam à Beata Virgine Chriſti Matre ſuo teguntur velo, ſua defenduntur protectione, eò quia ſanctiſſimæ ſuæ vitæ ſint magis conformes, quia paupertate, caſtitate, & obedientia imitantur Virginem Matrem, pauperem, caſtiſſimam, ac obedientem: idque cauſæ, cur religioſos ſingularibus cumulet beneficijs, ac ſub ſuæ protectionis velo contineat, & cuſtodiat. Quòd ſi religioſi tria emittentes vota ſpirituales quaſdã dicuntur cum Virginis filio nuptias celebrare, ideò Virgo Mater; quæ carnalibus interfuit nuptijs curatura, ut filius vini defectum suppleret in Cana Galileæ: nulli dubium, quin libentius nuptijs hisce interſit ſpiritualibus, quæ, non cum hominibus fiunt, ſed cum ipſo Chriſto ejus filio: quod ſi in nuptijs Canæ curavit, ut filius vini defectum ſuppleret; faciliùs procul dubio, & feliciùs religioſo tria vota emittenti aſſiſtet, ne ſuis in nuptijs quidquam deſit; & impetrabit non ſolùm vinum æſtuantis charitatis, ſed etiam plenam peccatorum remiſſionem, ne ulla notetur in ſponſo religioſo macula, quâ filio ſuo poſſit diſplicere. 31

32 Quidni? in ſacris hisce nuptijs Virgo Mater ſuas aperit veſtes ſponſos tectura, & ſimul protectura: refert Bzovius Tom. 13. Annal. anno 1219. num. 8. Sanctiſſimum Patriarcham Dominicum angore aliquo preſſum fuiſſe, ac timore correptum, an ſuæ inſtitutionis religioſi ſub Virginis tutela eſſent: quidni delevit hoc dubium, ademit timorem Virgo Mater, quam vidit aperto, & expanſo pallio innumerabilem fratrum ſuorum multitudinem inumbrantem, ſeu tegentem, & protegentem. Pleróſque alios ordines ſub Virginis veſte divinitùs viſos teſtantur Eccle-

 ſiaſticæ

ſiaſticæ hiſtoriæ, quò inde conſtaret, quo materno affectu eos amplecteretur. Quinimò non ſolùm ſuo pallio Virgo Religioſos ordines tegit, & protegit, verùm etiam proprium eiſdem aſſignat habitum, quo pacto fertur Servitis Patribus habitum aſſignâſſe, quem indui vellet, ut & regulam, quam eſſent ſervaturi. Idem præſtitit Olivetanis, & alijs, ut narratur in eorundem religioſorum hiſtorijs. Sed qui Religioſi MARIÆ pallio tecti, protecti vivunt, neceſsè eſt, ut eidem placeant, ejus virtutes æmulentur, ac ſuorum inſtitutorum veſtigia ſequantur, neque patitur aliter Religioſos quieſcere, quàm in lectulo floribus ornato, ut fuit lectulus Virginis Cant. 1. v. 15. *Lectulus noſter floridus.* Quod ſi ſponſæ lectulum religiones, & ſacra clauſtra eſſe dixeris, in quibus & ipſa quieſcit, ideo hos amat lectulos, quia floribus ſtipatos, quia virtutum cultura vernantes in floribus: quòd ſi religiones hyemarent in frigore tepiditatis ſine florum cultura, ibi ſuum lectulum non poneret, nec in ipſis quieſceret, amat ſponſa lectulum, ſed floridum, ſeu virtutibus omnibus ornatum, *Lectulus noſter floridus*: appoſitè S. Bernardus *ſerm. 46. in Cant.* ait. *Et in eccleſia quidem lectum, in quo quieſcitur, clauſtra exiſtimo eſſe, & monaſteria, in quibus quietè à curis vivitur ſeculi, & ſolicitudinibus vitæ; atqui is lectulus floridus demonſtratur, cùm exemplis, & inſtitutis Patrum tanquam quibusdam bene olentibus reſperſa floribus Fratrum converſatio, & & vita refulget.* Lectulum amat ſponſa Religioſorum, ſed floribus ornatum, in quo vernent, ac ſuaviſſimè oleant lilia caſtitatis, ferveant roſæ charitatis, licèt non ſine ſpinis mortificationum; germinent violæ humilitatis; & flores reliquarum virtutum ſuam depromant colorum, & foliorum pompam.

33 Eſt religio, & ſacrum clauſtrum non ſolùm ſponſæ lectulus floribus virtutum omnium ſtipatus, verùm etiam DEI locus ſanctus, quem ſpecialiter inhabitat ſuis cumulaturus beneficijs religioſos: huc enim flectuntur verba Davidis Pſal. 67. v. 7. *DEUS in loco ſancto ſuo, DEUS qui inhabitare facit unjus moris in domo*: hæc enim verba Hugo Charenſis ita expendit, ut per locum ſanctum ſuum ſacras religioſorum familias intelligat, in quibus Religioſi unjus ſunt moris in domo, ſeu eaſdem ſervant regulas. Non tamen degentes in loco ſancto decet otio torpeſcere, neque ita indormire in lectulo florido, ut ſibi ſemper non invigilent: nemo in hoc loco quamvis ſancto; in hoc lectulo quamvis florido, ſecuritatem ſibi ſpondeat, ſed meminerit, & in cœlo quamvis ſancto Angelum cecidiſſe; & in paradiſo terreſtri quamvis innocentia ſuffultos lapſos fuiſſe protoparentes. De Religioſorum clauſtris ſcripſit quidem S. Petrus Damianus opuſculo 52. cap. 26. *Monaſterium veſtrum dilectiſſimi quidam paradiſus eſt.*

34 Sed ſi paradiſum dixeris, non tamen credas à timore immunem eſſe, cùm & terreſtris paradiſus immunis à lapſu non fuerit, unde S. Innocentius ſerm. 1. in dom. 1. quadrag. ait: *Non ſit Monachus ſecurus in clauſtro, non ſit Eremita ſecurus in ſolitudine, quia tentatus eſt Adam in paradiſo, quia tentatus eſt in deſerto JESUS*: exinde conjice, tu nullibi eſſe hominem tutum, nullibi debere ſine timore degere; ſed jugiter ſibi invigilare, & quomodo ambulet ſolicitè videre, ne cadat; quod eleganter etiam inculcat S. Bernardus ſerm. de ligno, fœno, & ſtipula, inquiens: *Nuſquam eſt ſecuritas Fratres, neque in cœlo, neque in paradiſo, multo minùs in mundo; in cœlo enim cecidit Angelus ſub præſentia divinitatis: Adam in paradiſo de loco voluptatis; Judas in mundo de ſchola Salvatoris. Hæc idcirco dixerim, ne quis ſibi de loco iſto blandiatur, quia dicitur, locus iſte ſanctus eſt*: loci ſanctitas non prodeſt quidquam, niſi & ſanctus ſit loci ſancti inquilinus: niſi mores Religioſi loci ſanctitati, & religioſo nomini reſponderint, plus obeſt, quàm prodeſt, quia malos religioſos ab obſervantia ſui inſtituti deflectentes acriùs accuſabit, & ſeveriùs damnabit, ac graviores luent pœnas, eò quia in loco ſancto ſanctè non vixerint, & religioſo nominè ſordeſcentia vitia texerint, ac occultaverint.

Religioſi non ſunt, niſi ſolo nomine, 35
qui religiosè non vivunt, & in loco ſancto vitijs inquinantur, quos idolis pares feceris, cum totam divinitatem in extima tantùm præſeferant ſuperficie, & intus ſanctitatis anima deſtituantur, ut notat B. Umbertus ſerm. 5. ad Religioſos viventes ſine obſervantia proprij inſtituti. *Quid aliud eſt Monachus Religioſus, qui exteriùs habetur in reverentia, & nihil habet intus meriti, quàm idolum? Tot ergò ſunt idola in religione, quot Religioſi ſunt malæ vitæ.* Oſtendunt extima veſte formam ſanctitatis, cùm tamen vera ſanctitate intus deſtituantur: moribus ſæculum referunt, & de extimo tantùm habitu ſibi eblandiuntur: annon comparari poſſent Chriſti veſtibus, quæ in manibus Judæorum poſt mortem Chriſti corpore caruerunt, ita enim Monachos diſcinctos, ac proprij inſtituti negligentes perſtringit B. Umbertus ſerm. 18. ad Monachos diſſolutos inquiens: *Quidam ſunt Monachi, qui nihil vel quaſi nihil habent de Religione præter habitum: iſti ſunt ſicut linteamina ſine corpore JESU.* Quinimo eos pares feceris tunicæ Joſeph, quam ejus fratres cruentatam miſerunt ad Jacobum Patrem, ut crederet filium ſuum Joſephum à fera peſſima devoratum: miſerunt enim ad patrem tunicam multo ſanguine fœdatam ſine corpore Joſeph, quam cùm videret Jacob, ingemuit, dicens Geneſ. 37. *Tunica filij mei eſt, ſed fera peſſima devoravit eum.* Quidni malum religioſum fera peſſima devorat, cum vitio ſe coinquinat, cum lethali noxa irretitus divinæ gratiæ, quæ vera eſt vita, emoritur: & ſolus externus habitus de religioſo ſupereſt, qui tamen ad oſtendendam harum ferarum rabiem, maliſque religioſi torporem explicabitur, cum ipſe religioſus æterno Judici ſiſtetur.

36 Veri, qui ſunt religioſi morũ puritate, vitæ ſanctimoniâ Angelos referunt, quos Jacob vidit aſcendẽtes per ſcalæ gradꝰ ſeu virtutes, per quarum exercitia religioſi aſcendunt ad ſupremum perfectionis faſtigium, & iterum deſcendunt ad exercenda charitatis opera in proximum, ad opem ferendam indigentibus, ad ſalutem promovendam animarum, ad ignorantes docendos, & inſtruendos, ut perambulent vias rectas ſalutis; appoſitè S. Zeno *ſerm. de Jacob* ait: *Angelos puto rectè homines appellatos, ſeu religioſos; quibus Dominus per ſanctum Spiritum dicit: Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Neque putandum, caſu obtigiſſe, Patriarcham Jacob eo tempore Angelos vidiſſe, quò DEUS ſcalæ innixus ei apparuit, per quam crux ſignificabatur, quò inde conjiceret homines vitam debere Angelicam inire, moréſque Angelorum induere, ubi DEUS deſiderio hominem redimendi à cacodæmonis famulatu, cruci hæſit affixus; & revera Angelos referebant primi naſcentis eccleſiæ fideles ſingulari ſanctitate conſpicui, morum innocentiâ commendati, omniúmque terrenarum rerum contemptu divites, qui cum nihil proprium haberent, omnia poſſiderent, DEUM ſcilicet, in quo bona omnia comprehenduntur; *Et hæc*, ait S. Chryſoſtomus homil. 7. in Act. Apoſt. *erat angelica reſpublica, nihil dicere ſibi proprium.* Angelis adſciſcitur, qui affectu in bona temporalia nudus cœleſtibus duntaxat inhiat, & perennatura præfert perituris.

37 Symbolum Religioſorum fuerunt Nazaræi apud Judæos, qui ut liberiùs obſervantiæ legi, rerúmque divinarum contemplationi vacarent, à negotijs humanis ſe abdicârunt, ſaltem ad tempus, quod in debitis præſtandis DEO obſequijs impenderent. Nazaræus ſignificat ſeparatum, & DEO conſecratum, ut docet S. Gregorius Nazian. orat. in laud. S. Baſilij. Quidni Religioſi ſejungi debent à communi hominum vita, & divino cultui unicè vacare, Thren. 4. 7. *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphyro pulchriores:* in nive, & lacte candor viget caſtitatis; in ebore antiquo jugis, & fortis obedientia; in ſapphyro, qui cœleſtis eſt coloris pretioſa paupertas, quæ diteſcit in gemma; cùm ſpem ſuam in ſolum Deum figat. Angelis igitur videtur ſimilis, qui abſque ullo affectu in bona temporalia tantùm per gradus ſcalæ Jacobææ ſurſum aſcendunt ad perfectionem, qua ſoli DEO innitantur. Somno ſopitus humi jacebat Jacobus defeſſus ex itinere, cùm dormienti ſcala objiceretur è terra in cœlum protenſa, in qua quot gradus, tot arcana myſteria erant; viditque per eam ſurſum, & deorſum Genios cœlites commeare, & ejus faſtigio DEUM ipſum inhærere: & præſignabat Meſſiam olim naſciturum, in cujus perſona cœlum terræ, divinitas humanitati, erat conjungenda. In ſummo vertice ſcalæ æterni filij Pater; in imo Jacobus Chriſti progenitor repræſentabatur; interjecti gradus reliquos majores in Chriſti genealogia indicabant. Niſi per deſcendentes Angelos intelligamus nuntios Incarnationis myſterium hominibus annuntiantes, & per aſcendentes ardentia Patriarcharum deſideria, vota, & orationes ſurſum ferri ad DEUM; & per duo ſcalæ latera miſericordiam, & veritatem, ſeu fidelitatem DEI de promiſſo Meſſia deſignari. Non igitur mirum, ſi Angeli per hanc ſcalam viſi fuerint aſcendiſſe, cum Angelicam puritatem æmulari tunc vel maximè homines debeant, & Angelos vitæ ſanctitate, morum integritate referre, cùm DEUS ipſe propter hominem homo fieri voluerit, ut appoſitè innuit S. Chryſoſtomus *homil. 3. in epiſt. ad Epheſ.* inquiens; *Revereamur noſtrum caput, cogitemus cujus capitis ſumus corpus, cui omnia ſunt ſubiecta: hoc exemplo nos Angelis oportet meliores eſſe, & Archangelis majores, ut qui ijs omnibus ſimus honore præpoſiti: non Angelos apprehendit DEUS.* Quòd ſi DEUS non Angeli, ſed hominis naturam aſſumere voluit, par eſt, ut tanto honori hominibus indulto culmen reſpondeat ſanctitatis; & Angelis ſint ſaltem pares in mentis puritate, cultura caſtitatis, ſi Angelis meliores eſſe non ſtudent.

38 Angelis pares ſe effecerunt Ægyptij ſacerdotes ea inſigniti ſanctitate, ut de re nulla alia viderentur diligentiùs curam gerere, quàm de cultura caſtitatis, ſtudio puritatis, exercitio charitatis, & incremento reliquarum omnium virtutum teſte D. Hieronymo lib. 1. adverſus Jovinianum. Ubi teſtimonium refert Cheremonis Philoſophi viri eloquentiſſimi inquiens: *Ægypti antiquos ſacerdotes, omnibus mundi negotijs poſtpoſitis, ſemper in templo fuiſſe, & rerum naturas, cauſasque, & rationes ſyderum contemplates eſſe, nunquam cognatos, propinquos, ac ne liberos quidem vidiſſe. Ex eo autem tempore, quo cœpiſſent divino cultui deſervire, carnibus, & vino ſemper abſtinebant. Cubile de folijs palmarum attextum erat: humores corporis, qui naſcuntur ex otio, & ex manſione unjus loci, nimia victus caſtigatione ſiccabant.* Tametſi Angelos ubique, & omni tempore referre cultura virtutum, morum puritate deberent homines, tunc vel maximè, cùm ante Venerabile Sacramentum ſe ſiſtunt, ut preces fundant: perinde ac Cherubin, & Seraphin hærere tunc DEO deberent, omnéſque mentis evagationes inhibere, totámque mentem, ſingulóſque potentiarum actus in ſolum DEUM fervente voluntate, illuminato intellectu dirigere; ut monet S. Ephrem Syrus ſerm. de Virginit. inquiens. *Eſto totus orationis tempore velut cœleſtis Angelus, ſicque contende, ut oratio tua ſit ſancta, ac pura, immaculata, & irreprehenſibilis, ut cùm illam ſurſum aſcendere viderint portæ cœleſtes, gaudentes, ultro confeſtim ei aperiantur: ut ipſam cernentes Angeli, & Archangeli cuncti lætantes illi occurrant, & coram ſancto, atque excelſo throno immaculati Domino ipſam offerant. Sic ergo ſemper orationis hora eſto DEO conjunctus, ut Cherubim, & Seraphim.* Qui fuſu orationis ita DEO adhærent, Angelos imitantur, & divino æſtuantes amore Cherubinis, & Seraphinis adſciſcuntur.

Quòd

39 Quòd ſi Angelis tribuuntur alæ, eò quia citiſſimi ſunt volantes in DEI obſequium, & ad ea executioni demandanda, quæ ipſi à Deo injunguntur. Decet etiam viros Religioſos angelicis muniri alis, quibus abſque ullo reniſu, ſed expediti tota celeritate DEO famulentur: hinc Iſaiæ cap. 40. v. 31. *Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas*: quò celeriùs ad præſtanda debita DEO obſequia volare queant. Qui moribus Angelos æmulantur, opus eſt, moras omnes amoliantur, cunctationes ſingulas abſcindant, & alas aſſumant, quibus celeri volatu DEI exequantur mandata: neque binas tantùm alas induere debent, ſed plures, quò celeriùs DEO obſequantur: hinc Iſaias duos vidit Seraphin, & unicuique alæ ſenæ inerant Iſaiæ 6 v. 2. *Duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.* Quid? quòd cùm ſenæ cuilibet ineſſent alæ duas duntaxat explicent ad volatum; quia ex ſenis alis quatuor DEO inſerviunt, ejúſque obſequio impenduntur, & duas ita proprio uſui adhibent, ut totus volatus à DEI nutu pendeat, & ad illum dirigatur; ſintque propterea ſenæ alæ DEI obſequio mancipatæ: cum binæ ita proprio uſui inſerviant, ut etiam DEO obſequantur, ac totus volatus in ipſum dirigatur, à cujus nutu dependet: & tacitè hæ ſenæ alæ eos redarguunt, qui propria tantùm quærentes, vel divitijs affluentes, nonniſi exigua DEO offerunt, proprijs commodis magis ſtudentes, quàm Numini famulari, ut explicat Oleaſter, inquiens: *Duabus alis faciem ejus operiunt; duabus pedes integunt, & duabus volant. Quatuor quoque alis ſerviunt Domino, & duabus ſibi; ut nos doceant omnibus ferè noſtris DEO miniſtrare, & pauciſſima nobis relinquere. Qua in re taxantur omnes illi, qui multa ſecum expendunt, & pauca cum DEO ſuo.*

40 Sed ſi Seraphini impenſo ſtudio totum volatum, omnéſque ſenas alas in DEI obſequium viſi ſunt impendiſſe, cur non ambo ſimul divinas concinunt laudes, ſed tantùm alternatim Iſaiæ. 6. 3. *Et clamabant alter, ad alterum, & dicebant Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus.* Divinæ acclamabant Majeſtati, ſed alternatim unus poſt alium, & cur non ambo ſimul, ne à divinis laudibus unquam ceſſarent: non credas ob ullam defatigationem alternatim in divinis ſe occupâſſe obſequijs, non enim putandum eſt, Angelos defatigari in divinis laudibus canendis, ſed ideò alternatim ſua Numini præſtiterunt obſequia, ut ſibi mutuo cederent, honoris gratiâ, non ullius defatigationis, vel tædij causâ. Appoſitè S. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Iſaiam ait: *Os eorum plenum eſt fauſtis ominationibus, ac laudibus; gloriam enim decantant; idque alternis vicibus, non quia defatigentur; ſed honore ſibi mutuò cedunt.*

41 Angelicos igitur, qui mores induunt, ita omnia ſua obſequia debent DEO præſtare, ut etiam ſibi viciſſim inſerviant, ſintque ſibi ſubſidio, & honori; tunc eorum vita angelica potiùs, quàm humana cenſetur, & revera DEO inſervientes, ut religioſi, angelicos tantùm mores induere deberent, & hominem penitus exuere, quod videtur DEUS præcepiſſe, cùm injunxit Moyſi Levit. 16. v. 17. *Nullus homo ſit in tabernaculo, quando Pontifex Sanctuarium ingreditur, ut roget pro ſe, & pro domo ſua, & pro univerſo cœtu Iſraël.* D. Cyrillus Alexandrinus ex græca expoſitione legit, *Et non erit homo, cùm ingredietur Pontifex tabernaculum Sanctuarij.* Sed ſi Pontifex, & ſummus Sacerdos eſt homo, & quidem ut cæteri morti obnoxius, quomodo Deus præcipit, ne homo ingrediatur tabernaculum Sanctuarij, cùm ingreditur Pontifex, qui & ipſe homo eſt: quia nimirum ſacerdos ita debet morum innocentia, vitæ ſanctitate, mentis puritate, culturâ caſtitatis, & incremento cæterarum virtutum Angelum imitari, ut hominis videatur exuiſſe naturam, & angelicam induiſſe, audiendus eſt Cyrillus Alexandrinus in Levit. 16. *Quomodo non erit homo? ut ſuper eum ſermo impleatur, quem Dominus ipſe dixit: Ego dixi, Dij eſtis. Pſal. 81. Spiritualis effectus unus cum Domino Spiritus fiat.* Adeò vitæ ſanctitas, cordis puritas adnectitur ſacerdotibus, ut virtus cœleſti metamorphoſi eos tranſmutet in Angelos, nec alium admittant ornatum veſtium, quàm ipſas virtutes, quibus Angeli ſplendent: Hinc David Pſal. 13. v. 9. *Sacerdotes tui induantur juſtitiam.* Juſtitiæ nomine univerſitas intelligitur virtutum, adeò ut cum jubentur ſacerdotes juſtitiam induere, virtutibus omnibus debeant ornari, & non ſolùm intus in corde, ſed etiam exteriùs in verbis, & operationibus, adeò ut oculi modeſtiâ ornentur, inceſſus gravis ſit ſine agitatione, & ſtrepitu, verba nonniſi ſanctitatem oleant, omninò aliena à turpiloquijs; manus pauperibus aperiantur, quibus opem ferant, & toto corpore ita ſe gerant, ut juſtitiam, ſeu virtutem videantur præferre, & excolere. Quòd ſi David veſtes ſacerdotum, qui boves, oves, & hircos ſacrificabant, voluit ipſam ſanctitatem eſſe, nec alio ſplendere ornatu, quàm virtutum: quanto magis hæc ſanctitatis veſtis ſacerdotibus in lege evangelica, & religioſis convenit, qui ſacrificant, non boves, oves, & hircos, ſed æterni Patris filium in altari, & gratias DEO referunt pro beneficijs ſempiternis. Nulli dubium, quin DEUS ad altiorem perfectionis gradum vocet, quos ſacerdotio videt inſignitos, propterea ſupra reliquos vult culturâ virtutum ſplendere, cùm dicat per Davidem Pſal. 131 *Sacerdotes ejus induam ſalutari.* Quidni? ſalus animæ virtus eſt, ſicut vitium ejuſdem ægritudo: virtus igitur ſacerdotem decet, ut ejus duntaxat ornatu glorietur: quinimò DEUS filium ſuum noſtra inditum humanitate ſuis pro veſte dat miniſtris altaris, quos alloquens Apoſtolus ad Rom. 3. ait: *Induimini Dominum JESUM Chriſtum*, ſeu vitam ita inſtituite, ut veſtris moribus videatur ſanctitas eſfloreſcere, & juſtitia Chriſti, ſeu virtutes omnes ſplendere.

Sunt,

42 Sunt, qui ſacerdotio initiati, vel religioſum clauſtrum ingreſſi excolunt quidem amore ferventes hanc juſtitiam, ſeu virtutes, quibus ornantur, ſed cùm paulatim fervor tepeſcat; non perſeverant in inchoata cultura, & paulatim florum venuſtas exareſcit, & ubi flores vernabant; ſpinæ, & veprera naſcuntur: non ſufficit, ut qui onus ſubeunt religionis, incæperint religioſè vivere, ſed neceſſè eſt, perſeverent exemplo Magiſtri Chriſti, qui cruci affixus mori voluit Matth. 27. 50. *JESUS clamans voce magna emiſit ſpiritum*; quod præſtitit Chriſtus in ſua cruce, id quilibet religioſus agat, ut moriatur in eadem cruce, quam ab ingreſſu religionis bajulare cœpit, & quamvis mundus perſtrepat, & caro propria dicat; *Deſcende de cruce*, ei non reſpondeat, aures claudat. Refert Dionyſius Carthuſianus *exhort. ad Novit.* Chartuſianum virum in ſæculo divitijs affluentem, cùm primùm ingreſſus fuit religionem in ipſo tyrocinio, ſeu anno probationis pluries audiviſſe dœmonẽ ſibi dicentẽ deſcende de cruce, & quamvis pluries obſtitiſſet, tandem ex tædio ſolitudinis annuiſſe cacodœmoni, ac egreſſum è religione deliberâſſe: quia verò in cavea ex permiſſione Magiſtri Novitiorum aviculam canoram nutrierat, eam itidem libertate donatam voluit, & aperta cavea eam ſuper feneſtram locavit, ut in proximam ſylvam avolaret, dicens: vola, vola, quò tu volueris, quia ego te ſequar, ſed avicula volavit quidem non tamen in ſylvam, ſed intra cameram ſuos depromens læta cantus, & iterum caveam ingreſſa perſeveravit in cantu. Quidni? Charthuſianus divinæ id adſcribens gratiæ ſe ipſum confudit erubeſcens, quòd perſeverantiam ab avicula addiſceret, & gratijs DEO peractis, quòd aviculam illam magiſtram ei dederit, ferventiùs perſeveravit, neq; deſcendit de cruce, ſed in eadem cum Chriſto emiſit ſpiritum.

43 Sunt plerumque ex religioſis, qui audientes mundum, & carnis concupiſcentiam clamare *deſcende de cruce*, quamvis non deſcendant, ſeu non egrediantur è religione; tamen, quæ mundi ſunt, & carnis tepeſcente ſpiritu quærunt, & vitia aliquo ſatagunt virtutis colore obtegere, & laudanda vituperandis miſcent, ac turpia auro religionis oblinunt, ne appareant; ſed dum DEO, & mundo inſervire adnituntur, neutri obſequuntur; & æternum ad ſe trahunt exitium; ſiquidem Deus per ſuum Prophetam minatur tales diſperſum iri, eò quia in Domino jurant, & in Melchom: ait enim per Sophoniam 1. v. 4. *Extendam manum meam ſuper Judam, & ſuper omnes habitantes Jeruſalem, & diſperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina æditurorum cum ſacerdotibus, & eos qui adorant ſuper tecta militiam cæli, & adorant, & jurant in Domino; & jurant in Melchom.* Cùm debuiſſent jurare in Domino tantùm, cum prævaricati fuerint, jurârunt ſimul & in Melchom, ut utrique obſequerentur; cum tamen jurare in Melchō perinde fuerit, ac veram religionem expungere, conſequenter & vero Numini non obſequi; & nihilominus humana aſtutia, quò juramentum editum in Melchom obtegeret, ut non palam fieret, vitia, quibus indulſerunt colore religionis, habitu religioſo juramento Numini præſtito ſategerunt obtegere, ſed dum utrumque ſimul nectere, ſeu contraria labore inutili conciliare ſtuduerunt, proprium accerſiverunt exitium: ait D. Hieronymus expendens textum Sophoniæ. *In eodem ſanctuario idola, & Dominum pariter venerati ſunt: unde ſignanter idolorum ſacerdotes non ſacerdotes, ſed æditouos, vel phanaticos appellavit*: nonnullis interjectis ſubdit: *Adorant Dominum, & Melchon, qui ſæculo pariter, & Domino putant ſe poſſe ſervire, & duobus Dominis ſatisfacere DEO, & Mammonæ, qui militantes Chriſto obligant ſe negotijs ſæcularibus, & eandem imaginem offerunt DEO, & Cæſari.* Plures ſunt etiam ex ijs, qui religioſum profitentur inſtitutum, qui ut Principi obſequantur, ejúsque gratiam vel non amittant, vel expiſcentur non poſſeſſam, Principis effigiem in corde ſculptam gerunt, quam toto affectu colunt ob cōmodum aliquod inde ſperatum: & ne religioſi nominis laude priventur, ſimul affectant DEI imaginem populo oſtendere, ut pro temporum opportunitate jurent in utroque, ſed dum ſæcularibus ſe accommodant inſtitutis, jurántque in Melchon, effigiem DEI obliterant, & juramentum Domino præſtitum ſacrilega transgreſſione eludunt; & dum Principis gratiam aucupantur per juramentum præſtitum in Melchou, DEI gratiam infeliciter amittunt, cùm non poſſint ſimul DEO, & Mammonæ ſervire; & licèt proprio ſtudentes commodo, prout res exigunt, jurent nunc in Domino, & nunc in Melchom, ſeu ſæcularibus ſe accommodent inſtitutis, ut Magnatum favores ad ſe trahant, religioſi obliti inſtituti, tametſi habitu, & in externa ſuperficie religionem oſtendant, mentem tamen, & interiora ſæcularibus implent cogitationibus, vaniſque imaginationibus, quæ nonniſi puram, & ſimplicem umbram externam religionis præſeferunt.

Scimus numiſma Chriſto à D. Petro ob- 44
latum Cæſaris duntaxat exhibuiſſe imaginem metallo inſculptam: ſed iſti eidem numiſmati duplicem ſculpunt imaginem, ex una parte Melchon, ex altera DEI, quò pro rerum opportunitate, temporíſque conditione eam oſtendant imaginem, ſeu obſequantur parti, quæ ſibi utilior viſa fuerit: ſi cum miniſtris Melchon ſint acturi, jurant ſtatim in Melchon, ut eorundem favorem promereantur, ac eorum benevolentiam lucrentur, ad eum finem, ut inde per talia media poſſint propria commoda aſſequi, vel promoveri ad dignitatem, vel conſequi præeminentiam, vel officium aliquod obtinere, quo ab inſtituto ſe ſubtrahant religioſo, & iſti jurant in Melchon, cujus effigiem inſculptam exhibent in numiſmate, ſeu gerunt in corde. Sin verò cùm alijs religioſis, vel etiam ſuis ſuperioribus egerint, ſtatim vertunt in aliam partem numiſmatis, & oſtendunt Chriſtĩ imaginem ſculptam in animo, quæ tamen nil aliud eſt, quàm larva ſanctitatis, quam ſu-

fucata virtus, & dum Chriſto mentiuntur aſtuta ignorantia delirantes, ſibi ipſis perniciem inferunt: hanc aſtutiam fortaſſis poſteros edocuerunt Protoparentes poſt tranſgreſſionem præcepti ipſis à DEO injuncti, ſiquidem properantes ad ficum, ſub hujus arboris umbra oculos aperuerunt, quos meridiano in ſole clauſerant, & videntes non abſque erubeſcentia propriam nuditatem, veſtes ab ipſa ficu mutuârunt, ea tamen compactas aſtutia, ut pœnitentiæ aſperitatem, & blandimentum viroris ſimul præſeferrent, nimirum ex folijs ficus compegerunt ſibi tegumentum, quo propriam verecundiam, & nuditatem obtegerent Geneſ. 3. v. 7. *Conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Folijs ficûs ineſt viriditas, quâ eblandiuntur, oculóſque demulcent aſpicientium; & aſperitas, quâ ſi tangantur, manus videntur pungere, & ſi membris corporis admoveantur, cilicij cujuſdam videntur officio fungi: quidni? religioſi jurantes in Domino, & Melchon, ita pœnitentiam, & inſtitutum religioſum oſtendunt, ut ſimul virore retento, ſeu ſpe, quam nutriunt, poſſint à Melchon, ſeu à Principe commodum aliquod aſſequi, aſperitatem pœnitentiæ, ac religionis ſatagunt conciliare, cum aulæ virore, libertate, & commodis; ſicque ſibi conſuunt perizomata ex folijs ficûs delirante aſtutia jurantes in Domino, & Melchon: ſed hæc indumenta DEO diſplicent, vúltque religioſos eadem exuere, & jurare tantùm in Domino, cum & Protoparentes hiſce veſtibus ſpoliaverit, folia ficûs abjecerit, & pellibus, ſeu pelliceo tegumento Protoparentes induerit, ne ſcilicet in ipſo ſqualoris habitu folia ficûs ſpeciem pœnitentiæ præſeferentia carnis foverent pruritum, & voluptatibus ſtimulante concupiſcentia indulgerent, quia ut notat S. Hippolytus apud Gloſſam, *hujus arboris folia, ſi corpus tetigerint, pruritum gignunt*: cum Protoparentes DEI vocem timuiſſent carnem torquere, ac veluti cilicio obtegere ſtuduerunt, ſed ex folijs illis cilicium accerſivere, quæ pruritum excitant, & appetitum ſimul ad voluptates, & delicias accendunt; ſpémque fovent in virore commoda, & honores enanciſcendi: religioſi ſiquidem jurantes in Domino, & Melchon, retinent quidem veſtes, noménque religioſum, quod aſperitati foliorum favet; ſed ſimul fovent, nutriúntque ſpei virorem arbitrantes poſſe gratiam Principis promereri religioſa aſperitate, & ſimul aſſurgere, quò ambitio eos vocat..

45 Veri religioſi negotijs non ſe immiſcent ſæcularium eorum commercium fugiunt, ut DEO, & ſibi vacent, & in propria immorantur cella perinde ac in cœlo: vix Monachus è ſuo egrediens monaſterio, & quilibet religioſus è propria cellula, & clauſtro revertitur, qualis ante erat, viderat mater Samſonis virum, cujus aſpectus quandam præſeferebat angelicam venuſtatem, cujus tamen veſtes neſcio, quid terroris ingerebant, ac ipſe videretur terribilis Judic. 13. 6. *Vir DEI venit ad me habens vultum angelicum terribilis nimis*: apparuit angelicam præſeferre ſpeciem ob vitæ ſanctitatem, virtutum culturam, cordis ſimplicitatem, mentisque puritatem: ſed egreſſus, poſtquam circuivit vicos, & plateas, oppida & civitates, iterum revertitur, ſed non ampliùs mulier eum videt vultum præſeferentem angelicum Judic. 13. v. 10. *Ecce apparuit mihi vir, quem ante videram*, nimirum immutata ſtatim fuit ejus authoritas, cum antea vidiſſet eum vultum præſeferentem angelicum; nunc tantùm hominem eſſe memorat, ceciderat enim à ſpecie angelica; & mores induerat hominis, qui antea venuſtate ſplenduerat angelica; & fortaſſis ex reiterato acceſſu ad mulierem, qui antea Angelus erat, humana fit caro, & ex mulieris familiaritate & conſortio, quæ virtus erat virilis, ſuum deperdit robur, & quæ in lilio florebat caſtitas, plerumque putreſcit in carne: mater Samſonis nuntium, quem prima vice vidit, vocat virum DEI angelicam præſeferentem venuſtatem, *Vir DEI venit ad me habens vultum angelicum*, ſed in ſecundo adventu, quem in primo dixerat vultum habere angelicum, ob morum puritatem virum tantùm vocat: *Ecce apparuit mihi vir, quem antea videram*, quòd ſi tertiò apparuiſſet fortaſſis, nec homo ampliùs fuiſſet, ſed ſpectrum, vel cacodœmon: adeò eſt pernicioſa viris religioſis converſatio cum mulieribus.

Errant, qui putant poſſe ſimul jurare in 46
Domino, & Melchon, ſeu DEO ſervire, & mundo. Piſcis erutus ex aqua non ampliùs ſe ipſum paſcit, ſed alios; & religioſus extra clauſtra plerumque non ſpiritui vacat, ſed quò caro vocat, per inſanas concupiſcentias fertur, & ſi Angelus exivit, homo carnalis revertitur, & plerumque etiam religioſam tranquillitatem in clauſtro turbans, diſſidia excitat, & pellucidæ aquæ turbatæ ſuum deperdunt nitorem, & murmur incipiunt edere, quod cùm prævidiſſet prophetico ſpiritu regius Vates dixit Pſal. 76. 18. *Multitudo ſonitus aquarum voces dederunt nubes.* Quid nube mitius, ſi quieſcat? quid mollius ſi ventus non efflet? quid delicatius, ſi non diſſideat. Verùm ſi nubes pluviarum bajulæ ſitientes terrarum tractus opportunis reficiunt pluvijs, quas blandè terris inſtillant; ſi ſemel ventorum flatus inſurgant, & incipiant inter ſe ſe collidi, ignes accendunt, fulgetra ſuſcitant, tonitruorum minas ſpargunt, fulmina ejaculantur, & necibus, ac cladibus terram funeſtant. Quidni? adoleſcunt etiam inter rores flammæ, & fulmina cuduntur non ſolùm in Vulcani officina, ſed etiam in blando roſcidæ nubis ſinu, quo inde conjicias, nulla eſſe diſſidia deteriora ijs, quæ in clauſtris Monachorum inter viros pios excitantur: tametſi frigeſcere abſque iracundia cenſeantur, ſi tamen tangantur, etiam cum montibus fumigant, & flammas evomunt; etiam ſilex frigidus eſt, & chalybs ſuam itidem frigiditatem manui oſtendit, ſed ſi ſimul concutiantur, ſcintillas edunt, quæ incendijs excitandis aptæ ſunt. Cùm primùm religioſus hujusmodi excitat diſſidia, corripiendus eſt, vel dimittendus inemendatus in monaſterium aliud: quòd ſi nullibi quieſcit,

nec

nec mores corrigit, *expedit ei, ut ſuſpendatur in collo ejus mola aſinaria*, & ut ait S. Bernardus ſerm. 2. in feſto S. Michaëlis. *Pro ſuavi jugo, & levi onere Salvatoris, gravi molâ terrenæ cupiditatis humeris ejus impoſitâ demergatur in profundum maris hujus, quod eſt ſæculum nequam.*

47 Sit Monachus ſolitarius ut DEO tantùm, & ſibi vacet: ſi cellam aperiat, ut extra clauſtrum vagetur, inſidijs ſtatim exponitur cacodæmonis, qui die, noctúque vigilat, ut retia tendat, & viros religioſos in eaſdem inducat. Quod cancer præſtat, cum oſtreo inſidiatur, hoc idem cacodæmon imitatur, quo Monachum, virúmque religioſum ſui juris faciat· Cancer inſidias paraturus conchæ unionum, ſeu margaritarum matri, cujus carne delectabiliter veſcitur, cùm timeat, ne ſi concha claudatur, non poſſit inde poſtea exire, vel ſi chelas immiſerit relabente teſta coarctetur, & auceps ipſe ab oſtreo capiatur, in id incumbit ſtudij, ut ſaxum ſeligat opportunum quod chelis paratum tenet, & conchæ inſidens ſedulò expectat, donec concha aperiatur matutinum rorem ſuſceptura; tunc demittit lapillum in concham, quæ cum teſtam claudere ampliùs non valeat, cancer eam apertam adoritur, ingreditur tutus per patulum ſibi aditum, eámque vorat: & quæ tuta erat tecta, aperta exitium incurrit; quidni? vir religioſus gemma eſt, ac pretioſus unio, ut tutus ſit, neceſſe eſt clauſus immoretur in propria cellula; ejus ſymbolum exhibet concha, clauſa tamen, quæ tametſi cancer cum lapillo adſit ei inſidiaturus, ſi aperiatur; tamen quamdiu clauſa, eſt tuta, cui poteſt religioſus lemma addere, *tamdiu tuta, quamdiu tecta*, id eſt, margarita in ſinu conchæ tuta quieſcit, ſi clauſa intus fuerit: ſin verò concha, vel cella aperiatur, inſidiæ ſtatim ſunt paratæ, & pericula imminent.

48 Non ſolùm religio cœnobitas tuetur, & ab inſidijs præſervat cacodæmonis, verùm etiam Principes, qui vera religione gloriantur, propugnat; eſt enim religio inſtar firmiſſimæ anchoræ contra ventorum adſultus navim principatus immobilem ſiſtentis contra fluctus, & procellas. Idque cauſæ, cur David Principes, & Reges monitos voluerit, ut ſciant principatum ſibi à DEO commodatum, non datum; ut ſuperiorem DEUM habeant, cui obſequantur, ac inſerviant, Pſal. 2. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram, ſervite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*, & adferens cauſam incutientem hunc Principibus timorem ait, DEUM eſſe, qui Principes punit Pſal. 75. *Qui auſert Spiritum Principum.* Regiam dignitatem ſibi fuiſſe à DEO commodatam, cùm optimè noviſſet Salomon, ait: Sapient. 6. *Audite Reges, & intelligite: data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè judicâſtis, neque cuſtodiviſtis legem juſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem DEI ambulâſtis:* Vocat Reges, & Principes miniſtros regni DEI, quò intelligant regna terrarum, eſſe regna DEI, & tantum eſſe Regibus commodata, ut ij rectè adminiſtrent juſtitiam, & ambulent ſecundùm DEI voluntatem. Rectè regunt Principes, & juxta DEI voluntatem ambulant, ſi religioni inſerviant, DEI mandata cuſtodiant, pauperibus opitulentur: ex his regia majeſtas tantum ſumit auſpicium: & David, qui id noverat, quò regnum firmiter ſtabiliret, à religione voluit auſpicari.

Bellum inſtituerant Philiſthæi contra Iſraëlitas, & cum ambo exercitus fuiſſent caſtra metati in duobus montibus a valle interjecta ſejunctis, & quæ in pugnæ campum ſelecta fuerat, nullúsque eſſet ex Iſraëlitis, qui in vallem deſcenderet pugnaturus; ex Philiſthæis fuit Goliathus carnea mole cæteris omnibus altior, ut giganteam præſeferret ſtaturam; hic cùm pluries in vallem deſcendiſſet cataſractus; & maledictis, convicijſque Iſraëlitas inceſſeret, linguámque in Iſraëlis DEUM acueret ad caſtra id temporis venit David, qui auditis Goliathi convicijs in Iſraëlitas, & DEUM; eò religionis propugnandæ zelo exarſit, ut conducibilius duxerit vitam glorioſo diſcrimini exponere; quàm jactata probra ulterius audire. 1. Reg. 17. v. 36. *Nunc vadam, & auferam opprobrium populi: quoniam quis eſt iſte Philiſthæus incircumciſus, qui auſus eſt maledicere exercitui DEI viventis.* Quidni? Saul timore perculſus, turbatione correptus ob tumultuantes Iſraëlitarum phalanges Religionis, ac fidei propugnator, non fuit auſus in campum proſilire; timore priùs victus, quàm ab hoſte proſtratus: David verò propugnaturus religionem, pugnaturus cum Goliatho minis, & convicijs aërem implente, linguámque acuente etiam contra Deum Iſraëlitarum, deſcendit inermis in vallem non alium ſecum deferens clypeum ad retundendos hoſtis ictus, quàm DEI fiduciam; pugnavit David, & hoſtem proſtravit; & tunc firmiſſimum poſuit ſui regni fundamentum, cum primam petram ex quinque ſelectis in torrente fundæ impoſuit, libravítque ictu tam deſtinato, ut excuſſus mediam Philiſthæi frontem lethaliter percuſſerit, fractóque cerebro hæſerit fixus: & cum vaſta Gigantis moles cecidit, tunc regnum Davidis ſurrexit; firmiúſque ſtetit, cum David ſuperſtans jacenti caput amputavit, gladiô eductô è vagina proſtrati adverſarij: è converſo regnum Saulis tunc cœpit vacillare, cum timore correptus, Saul incœpit trepidare; & tandem cecidit, quò regnum David ſurgeret, ſtarétque nulli obnoxium lapſui, quia religionis propugnator deſcendit ad ſingulare certamen; Saul verò, quia detrectavit religionem armis defendere, cecidit è throno, ſpoliatus regno: huc accerſendus Baſilius Seleucienſis orat 15. *Militem ſuum producit in medium gratia, verè regem factis declarans, dum pugnæ provocationem David ad ſe rapit* nonnullis interjectis exclamat: *O qui palam feciſti fidem ad pugnam nullis egere armis! O qui in te ipſo*

 palam

palam feciſti fidei vim! O qui palam feciſti hominibus pro DEO pugnam eſſe capeſſendam. Ideo ſedes David erit in æternum manſura, ſicut ſol in conſpectu DEI, & ſicut luna perfecta nullis obnoxia menſtruis mutationibus, quia pro religione propugnanda, ut opprobrium deleret ex populo DEI deſcendit ad ſingulare certamen, & ſuperbientem, ac minantem gigantem proſtravit; non potuit non æternùm manere regnum Davidicum; ſiquidem eâdem petrâ quâ gigantem proſtravit, illud fundavit; & in uno victo gignante Religionis hoſtes omnes, vel delevit, vel fugavit.

50 Quantum roboris fuerit religio ſuis impertita propugnatoribus, omnium ætatum docemur hiſtorijs, ſi enim monumenta luſtremus retroacti temporis, paſſim nobis delatæ obviabunt victoriæ ab illis vel regibus, principibus, qui in favorem religionis pugnârunt: neque ceciderunt, qui in bello pro religione ſteterunt. Ut religionem propugnaret, pugnavit Conſtantinus cum Maximiano Herculeo, Maxentio, & Licinio; & crux religionis ſymbolum medio in aëre ſplendens pro labaro, & armis fuit, quibus hoſtes proſtravit. Refert Nazarius, cœleſtes ſpiritus veniſſe è ſummo cœlo opem Conſtantino allaturos, ait ipſe. *Flagrabant, vereudum neſcio, quid umbone coruſci, & cæleſtium armorum lux terribilis ardebat: tales enim venerant, ut tui crederentur. Hæc ipſorum ſermocinatio, hoc inter audientes ferebant; Conſtantino imus auxilio. Habent profectò & divina jactantiam, & cæleſtia quoque tangit ambitio. Illi cœlo lapſi, illi divinitùs miſſi gloriabantur, quòd tibi militabant.* Stetit pro religione Honorius, & nullus in conflictu cecidit ex ſuis militibus; cum ex adverſarijs ducentu Gothorum millia perierint. Theodoſio contra Maximum, & Eugenium tyrannos cœlites Joannes, & Philippus ſuppetias attulerunt, ut vinceret. Heraclius religionis cauſam tuiturus in tribus Coſrois ducibus tet victor evaſit non armorum pondere, ſed jejuniorum abſtinentia; non lorica tectus, ſed fide protectus; non ferro cataphractus, ſed cilicio indutus. Theodoſius Magni Theodoſij nepos in favorem religionis exercitum duxit contra Perſas, & Saracenos, quorum plura millia cruenta clade interemit, & ſuperſtites ad turpem fugam adegit; ſed DEUS timorem incuſſit hoſtibus, quos terruit, ut ex præcipiti in Euphratem decurrerent, & ſupra centum millia aquæ fluminis extinxerint. Aſperis exercitus ocyùs, quò pergeret ad victrices palmas metendas in cœſis hoſtibus ab Angelo ducitur per exiccatum virtute divina ſtagnum, & pro religione propugnanda fortiter pugnavit: quotquot enim pro religionis cauſa ſteterunt in bello adverſarios fregerunt, vicerunt, fugârunt; ut Ladislaus, & Boleslaus uterque Poloniæ rex Ruſſos; Henricus Auceps Hungaros; Joannes Comnenus Scythas; Clodovæus Germanos, eò quia prosiliverit ad vota ſe Chriſtianum futurum, ſi vinceret, & voti compos baptiſmo initiatur Chriſtianus; Childelbertus Amalaricum Viſigothorum regem; Aëtius Hunnos; Beliſarius Wandalos, & Perſas; Narſes regem Gothorum; quisquis igitur Rex ſuum cum Davide firmare regnum expetit, ne nutet; cum eodem Davide zelo ardeat religionis, hanc defendat, propaget; alloquebatur principes Alphonſus X. Hiſpaniæ rex, cum dixit: *quisquis bonum opus aliquid agreſſurus eſt, exordium ſumat à cæleſti Numine, ſupplexque petat, ut ejus voluntatem intelligere poſſit, viréſque ſibi ſubminiſtret, quibus cœptum feliciter abſolvat.*

EXPENSIO XVI.

Obedientia juſtitiæ partibus potentialibus accerſita, argutè commendatur.

INter potentiales juſtitiæ partes deficientes ab exhibitione æqualitatis, quatenus defectum includunt virtutis adæquandi jus alterius præter religionem, de qua hactenus diſſeruimus, enumeratur etiam obedientia parentibus, vel Superioribus debita, & hæc eſt illa virtus, ait S. Bernardus in Cant. *qua bonus obediens dat ſuum velle, & ſuum nolle, ut poſſit dicere paratum cor meum DEUS, paratum cor meum; paratum quodcunque præceperis facere; paratum ad nutum citius obedire; paratum tibi vacare proximis miniſtrare, me ipſum cuſtodire, & in cæleſtium contemplatione requieſcere:* eſtque verus obediens amabilis ſocijs, omnibus officioſus, nulli oneroſus; devotus ad Deum, benignus ad proximum, ſobrius ad mundum, Domini ſervus. Hinc Solon percunctatus, quâ ratione ſalva poſſet eſſe civitas, respondit; ſi Cives obtemperent ſuis Magiſtratibus, Magiſtratus autem ſuis Principibus: quod aſſerit Solon de civitate, idem dicendùm de quavis privata familia, & quovis in familia homine: ſcitè D. Auguſtinus de Civit. Dei lib. 19. cap. 13. ait: *Pax domus eſt ordinata imperandi, atque obediendi concordia cohabitantium.* Quidni? pax etiam totius civitatis erit ordinata imperandi, ac obediendi concordia civium. Nil eſt, quòd magis homini obſit, quàm nolle ſubeſſe: ſi alterutrum eligendum foret; conſultiùs ſemper eſſet obtemperate, quàm imperate; non Superiori imperanti illicita parendum eſt, quia tunc non ut ſuperior imperat, ſed ut ſeductor vitium promovet: hine Auguſtinus *in 11. quæſt. 3. Can. Ita corporis. §. qui reſiſtit,* ait: *Qui reſiſtit poteſtati, DEI ordinationi reſiſtit. Sed quid ſi illud jubeatur, quod non debeas facere? hic ſanè contemne poteſtatem: ipſos humanarum legum gradus adverte. Si aliquid juſſerit curator faciendum eſt, non tamen ſi contra Proconſul jubeat. Non utique contemnis poteſtatem, ſed eligis majori ſervire: nec hinc debet minor iraſci, ſi major prælatus eſt. Rurſus ſi ipſe conſul aliquid jubeat, & aliud jubeat Imperator, & aliud DEUS. Da veniam ò Imperator; tu carcerem, ille gehennam minatur; hic tibi aſſumenda eſt fides tua* 1

tanquam ſcutum, in quo poſſis omnia ignea jacula inimici extinguere. Obtemperare illicita præcipienti perinde eſt, ac animam vulnerare.

2 Cæterum dicitur obedientia quaſi *ab audientia*, quaſi præceptum ſuperioris vix audiatur, admittatur; & dupliciter ſumitur pro materiali, & formali, illa eſt quodlibet opus virtutis, quo præceptum adimpletur, tametſi hæc impletio non fiat ex intentione, ut adimplens præceptum obſequatur Superiori: ſufficit enim, ſi fieri potuerit ex tali intentione, quæ, ſi adeſſent, ſuperadderet illi formalem rationem obedientiæ: quamobrem materialis obedientia eſt, quâ opus præceptum impletur, quatenus ſubſtans voluntati ſuperioris, deſignando ijs vocibus duntaxat præceptum, in quod fertur obediens tanquam in rationem formalem, *quæ*; unde materialis obedientia non eſt ſpecialis virtus, ſed talis executio præcepti tranſcendens per omnes virtutes, quarum actus ſunt neceſſarij ex præcepto; adeo ut non poſſint ſine violatione præcepti prætermitti.

3 Obedientia formalis eſt, quæ eatenus expreſsè aliquid exequitur, quia præceptum eſt. Et quia habet ſpecialem honeſtatem, quam inducit in ſuum materiale objectum, ſeu in actum externum præceptum eſt ſpecialis virtus, cujus motivum formale eſt ipſum debitum ratione authoritatis, à qua dimanat præceptum, cui obeditur, qui enim proximè, & directè exercet actum formalis obedientiæ, movetur à debito, quod cognoſcit in actum præceptum reſultâſſe ex eo præcisè, quòd talis actus ſit præceptus. Hinc objectum, *quod* obedientiæ eſt omne opus præceptum, ad cujus executionem per ſe, & directè inclinat hæc virtus. Objectum *cui* eſt ſuperior, cui paremus, & qui omni caret ſuperiore, neceſſe eſt, virtute etiam careat obedientiæ; qua ratione hæc virtus non convenit Chriſto ſecundùm naturam divinam; quia ſuperiore caret, ſed tantùm ſecundùm aſſumptam, ſeu humanam, quæ ſuperiorem habet, ratione cujus, dicitur *factus obediens usque ad mortem.* Ratio objectiva formalis afficiens objectum materiale *quod*, eſt debitum, quod ratione præcepti debetur authoritati Superioris: ſiquidem obedientia eatenus exequitur opus præceptum, quia ratione præcepti fit quodammodo debitum; non quod tale opus ſit exercendum in commodum, & honorem ſuperioris, ſicut opus religionis: ſed quia ratione præcepti, ita ſit neceſſarium, ut abſque aliquo contemptu interpretativo, & vilipenſione authoritatis ſuperioris non poſſit ejus executio prætermitti: & quia tenemur declinare illam injuriam, quæ irrogaretur ſuperiori, ideò obligamur exequi ejus præceptum, & hoc debitum præcisè, & formaliter ſumptum, eſt formalis ratio informans, & afficiens objectum *quod* obedientiæ.

4 Conditiones, quæ in obedientia exercenda, commendantur, tres recenſentur principaliores: quòd ſit cæca, prompta, & fortis, non quod obediens non videat, vel cognoſcat, quid exequatur; non quòd temerariè, & impetu cæco irruat in executionem licitam, vel illicitam, quia id longè abeſt ab operante ex habitu virtutis, & juxta regulas rectæ rationis: dicitur igitur obedientia cæca, eò quia intellectus nullam in præcepto deprehendens rationem malitiæ, ſtatim illud exequitur, nec cogitat quid aliud, niſi quòd opus honeſtum præcipiatur à ſuperiore. Quamobrem perfecta obedientia dupliciter debet cæca eſſe; primò quoad imperfectiones, & vitia ſuperioris imperantis, perfectus enim obediens hæc in ſuperiore non conſiderat; neque ob hæc eſt minus ad obediendum paratus, quia tantùm conſiderat DEUM, cujus locum tenet, quapropter nos monet Chriſtus Matth. 23. *Omnia ergò quæcunque dixerint vobis, ſervate, & facite: ſecundùm verò opera illorum nolite facere.* Secunda obedientiæ cæcitas habetur ratione præcepti, & Superioris præcipientis, ne rationes perfectus obediens ſcrutetur, cur ſuperior talia præcipiat: quia verus obediens non curat rationes ſcire, cur aliquid præcipiatur, ſed ſatis eſt, ſi conſideret præceptum imponi ab eo, qui vices DEI tenet: & hæc eſt illa conditio, quæ plurimum in obedientia commendatur à SS. Patribus præſertim Bernardo *lib. de præcept. & diſpenſ. col. 6.* ubi ait. *Sive DEUS, ſive homo Vicarius DEI mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt cura; pari reverentia reverendum: ubi tamen DEO contraria non præcipit homo*, & B. Baſilius *Conſtit. Monaſt. cap. 23.* ait: *Quemadmodum Paſtori ſuo oves obtemperant, & viam quamcunque ille vult, ingrediuntur, ſic qui ex DEO pietatis cultores ſunt, moderatoribus ſuis obſequi debent, nihil omnino illorum juſſa perſcrutantes, quando libera ſunt à peccato.*

Hac cæcitate commendati fuerunt veri obedientes: juſſus enim Abraham à DEO 5
egredi è patria Geneſ. 12. 1. *Egredere de terra tua*, ſtatim domum relinquit, cognatos deſerit, è patria egreditur, tametſi quò deberet pergere, ei non innoteſceret: non longo examine perpendit, cur DEUS hunc ei egreſſum è patria præciperet, ſed quavis diſrupta mora, nulla difficultate objecta, veluti cæcus ad hæc omnia ſtatim obtemperavit, quia ut ſcitè D. Gregorius lib 2. in cap. 1. Reg. *Neſcit judicare, qui perfectè didicit obedire*: ſeu neſcit examinare cauſas, & motiva, cur ſuperior hoc, vel illud ei præcipiat, ſed ſtatim ſibi à ſuperiore injunctum exequitur: ita enim DEUS, quos amat, habètque cordi, exercet, protegit, & coronat. Cauſa migrationis è patria fuit, ut Judic. cap. 5. *deſerentes cæremonias patrum ſuorum, quæ in multitudine Deorum erant, unum Deum cæli colerent*, in textu græco additur. *Et ejecerunt eos Chaldæi è facie Deorum ſuorum, & fugerunt in Meſopotamiam.* Altera cauſa fuit, quia per talem emigrationem è patria inſignis Abrahami virtus, & Dei magnificentia oſtendenda erat: fides, & obedientia cæca parentis Abrahami celebratur à D.

Paulo ad Hebræos. 11. Ubi loquens de ipſo ait: *Qui exijt neſciens quò iret*, & quantum in ſe fuit patrem, patriam, cognatos, & omnis deſeruit; niſi illi ſponte comites profectionis eſſe voluiſſent, etiam paratus abire ſolus: neque ſtatim obedivit ſpe illectus alicujus mercedis, vel præmij, quia non dixerat, *veni in terram*, quam dabo tibi, ſed *quam monſtravero tibi*: in præmium tamen obedientiæ Deus ei pollicetur poſteritatem adeo copioſam, ut ſtellis cœli, & arenis maris compararetur: & quamvis vaga, & incerta peregrinatio ſoleat liberorum officere procreationi, id non expendens Abrahamus, cæcè Deo præcipienti exire è patria paret. Cæterum Deus in præmium obedientiæ addit etiam dignitates, opes, corporis incolumitatem vitæque diuturnitatem. Geneſ. 13. *Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus, benedicam benedicentibus tibi.*

6 Non ſolùm cæcè obedivit Abraham Deo præcipienti egreſſum è patria, ſed etiam cùm illi injunxit immolationem filij unici Iſaac Geneſ. 22. v. 2. *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi*: fortaſſis nocturnæ quieti Abrahamus ſe commiſerat, & ſomno ſopitus jacebat, cùm vox è cœlo ad aures allabitur, qua jubetur filium tollere, quem è grandæva Sara ſuſceperat: & quidem unicum, & eum manibus ſuis jugulatum Deo hoſtiam immolare. Novum, & retroactis ſæculis inauditum fuit imperium hocce, quod paterna viſcera propterea concuſſit: fuit enim id non ſolùm filij, ſed patris etiam jugulum petere: & nihilominus Abrahamus nihil dubitat de cruento mandato, non hæſitat in ejus executione, non examinat: an vox illa à Deo verè proceſſerit, vel a propria phantaſia, non diſputat de filij immolatione naturæ ipſi repugnante, ſed maluit naturam potiùs exuere, quàm obſequium, & illi ſatis fuit, Deum præcepiſſe ſive in ſomno, ſive in vigilia, ſtatim nulla interiecta mora paruit Deo præcipienti, & paravit manum operi, pedes itineri, qualis enim religio fuit credentis, tale etiam obſequium obtemperantis, nil enim cunctatus in negotio tam luctuoſo, ſummo mane ſurrexit, ſéque accinxit profectioni, nullâ rei mentione uxori factâ, ne lamentis moram inijceret feſtinanti voluntati: paravit neceſſaria ſacrificio, comitem itineris juſſit Iſaacum eſſe, cuj duos adjunxit è famulis cum aſello lignorum bajulo. Potuiſſet Abraham dubitare, num talie juſſio immolandi filium ſuum Iſaacom præceptum Dei eſſet, cùm ſpoponderit Deus ſemen Abrahæ multiplicatum iri per filium Iſaac, aliósque nepotes, ut multiplicantur maris arenæ, cœlique ſydera; potuiſſet ſecum ratiocinari, quomodo debeo filium unicum immolare, ſi per ipſum debent nepotes, & poſteri multiplicari? cùm certum ſit, non poſſe Deum me fallere, & ejus promiſſa ſint quavis ſecluſa dubitatione eventura; fortaſſis hæc præceptio immolandi filium ſomnium fuit à phantaſia profectum, non vox à Deo emiſſa, cùm fieri nequeat, ut radice exſecta rami pullulent; ſuccisâ arbore fructus creſcant, & maturiant: ſi poſteri futuri ſunt fructus provenientes ab Iſaaco, hoc interempto tota deficiet poſteritas, neque implebuntur, quæ fuerunt de poſteris multiplicandis à Deo promiſſa. Quia tamen perfectus fuit Abraham obediens, maluit cæcutire, ne has videret dubitandi cauſas, & ſtatim nullâ interjectâ morâ Deo parere *quaſi factus ab humana natura alienus*, ut ait D. Chryſoſtomus homil. 47. in Geneſ. *poſtponendam duxit divinis præceptis omnem affectionem, & dilectionem, ut ad implenda juſſa divina feſtinaret*. Abraham horis ſurgens antelucanis ducens Iſaacum cum duobus famulis, & aſinum lignorum bajulum è domeſticis exit parietibus inſalutatâ Sarâ uxore, ne moras inijceret, quia prima obſequij gratia eſt celeritas; & quia perfecta obedientia ſimplex eſt in ſubjectione judicij non diſcuſſis rationibus, quæ contrarium ſuadere potuiſſent, ſtatim, & clauſis, ut ajunt, oculis properavit ad Dei juſſionem exequendam. Obedientia enim, quò eſt oculatior, eò plerumque in caſum pronior; & quò magis cæca, eò minus obnoxia lapſui, & tutior incedit: in mandatis enim Dei tota ratio facti voluntas eſt jubentis. Non ſolùm Abrahamum Patrem, ſed etiam Iſaacum filium perfecta commendavit obedientia, cùm enim ſciſcitaretur Iſaac Geneſ. 22. 7. *Ubi eſt victima holocauſti?* filij curioſitatem ſtatim retudit Abraham pater illa voce *Deus providebit ſibi victimam*, quo audito reſponſo nil ultra puer quæſivit, & ideo perfectus etiam ipſe obediens, quia cæcè obedivit. Sed adeo utriuſque obedientia cæca Numini placuit, ut tam ſacerdoti, quàm victimæ pepercerit, & in Iſaacu ſemen Abrahæ, ac glorioſa progenies feliciter multiplicata, ac propagata fuit.

Hujus perfectæ obedientiæ flos in Virgine Matre vernavit unà cum humilitate: cùm enim ſalutata à Gabriele Archangelo myſterium fuerit Incarnationis dominicæ ei nuntiatum, nil aliud quærens ſtatim reſpondit, *fiat mihi ſecundùm verbum tuum*: non dixit faciam, quod dicis, ſed *fiat mihi*, & Deum Authorem hujus myſterij confeſſa nil ultra quæſivit, quaſi diceret, fiat mihi ſeu operetur Deus in me, quæ tu Dei nuntius mihi, ſignificas eſſe facturum, non arrogo quidquam mihi in hoc opere, neque quidquam poſſum mihi uſurpare, cùm virtus omnipotentis mihi innoteſcat: hæcque Virginis obedientia ad eum aſcendit perfectionis gradum, ut ex revelatione facta beatæ Joannæ à cruce plus meruerit MARIA Virgo aſſentiendo divinæ voluntati, quam meruerint omnes Angeli, omnes Martyres, & Confeſſores, omnéſque Virgines, ut narratur in ejus vita cap. 14. & ideo fuit hæc obedientia perfectior, quia non immediatè à Deo fuerit illi arcanum hocce myſterium revelatum, ſed per Angelum, quò major, & excellentior e- 7

jus

jus appareret obedientia, & quia in nuntio ad ipſam miſſo mittentis reverebatur Majeſtatem, dixit: *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, quaſi diceret, ait Titus Boſtrenſis expendens verba Virginis: *En tabula ſum vacua, ac nullis occupata ſcripturis: ſcribat ergo in me quodcunque viſum fuerit, faciat de me univerſorum Dominus quidquid libuerit.* Ad nutum quemlibet parata fuit parere Deo imperanti, & quia perfecta obedientia oculos omnes claudit, & tantùm pedes adhibet, ut ſtatim exequatur juſſa divina nil voluit ultra quærere. Hanc obedientiæ dotem, ac perfectionem cùm noviſſet David, dixit Pſal. 118. v. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, præfertur lucerna pedibus, non oculis, quia ad pedes pertinet exequi, & ambulare per divina mandata; neque oculi debent aperiri, ut videant cauſas, cur obediens debeat per hanc, vel aliam viam ambulare; ſed ſufficit, ſi auribus audierit præceptum Numinis, hoc enim audito per aures, pedes ſtatim exequuntur, quod eſt in mandatis: proinde lucerna eſt pedibus obſequentis verbum imperantis, unde David Pſal. 17. v. 45. *In auditu auris obedivit mihi*: ſufficit enim perfecto obedienti, ſi aures aperiat, ut Superioris mandatum audiat, & pedes moveat, ut viam mandatorum Dei perambulet: perfectus enim obediens, ubi vocem mandantis audit, nil cunctatur, nil hæſitat, neque ſcrutatur, cur tale mandatum ſit ipſi injunctum, ſed ſe movet ad executionem ait S. Laurentius Juſtinianus lib. de ligno vitæ cap. 5. *Sunt multi qui poſt præcipientis imperium plures faciunt quæſtiones, & ſæpe ingeminant, unde hoc venerit, quis hoc dederit conſilium? propter quod oritur murmuratio, excuſatio, ſimulatio, impoſſibilitas, advocatio amicorum, contra quos per Prophetam loquitur Dominus in auditu auris obedivit mihi.* Hoc eſt obedivit, cùm primùm Dei mandatũ audivit, nec oculos adhibuit, ut videret, ac examinaret cauſas, ob quas hoc vel illud imperet, ſed cæcutiens lucernam pedibus adhibet non capiti, quia oculos non aperit, ſed pedes movet, ut vias mandatorum Dei percurrat, *Lucerna pedibus meis verbum tuum.*

8 Hinc Angeli Numinis throno aſſiſtentes alis velabant faciem ejus Iſa. 6. 2. *Duabus velabant faciem ejus, & duabus volabant*: Quòd volent, celeritatem non tam alarum, quàm obedientiæ explicant, quod verò oculos obtegant cæcitatem indicant in perfecto obtemperante, qui nihil diſquirit, nilque examinat: Seraphini faciem pennis obvolvunt, quia obedientes oculis non indigent, ut videant, cur ſuperior ita imperet, ſed ejus vocem audientes veluti exoculati tota celeritate alas explicant ad volatum, ſeu ad exequendum ſuperioris mandatum. Virgo Mater, cùm primùm per Archangelum voluntatem audivit Dei, reſpondit *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum*: an hæc verba ſint optantis, orantis, vel aſſentientis, non videtur ita exploratum; D. Bernardus homil. 4. Super *miſſus eſt*, cenſet eſſe tantum verba deprecantis, eò quia B. Virgo deprecata fuerit ut tale myſterium in ea perficeretur, ait ipſe: *FIAT; deſiderij eſt ſignum, non dubitationis judicium, quamquam nil obſtat intelligi, FIAT: eſſe verbum orantis: vult autem à ſe requiri Deus, etiam quod pollicetur*: cauſam hujus deprecationis aſſerit eſſe incrementum meriti, ſubdit enim: *Et ideo fortè multa, quæ dare diſpoſuit, priùs pollicetur, ut ex promiſſione devotio excitetur: ſicque quod gratis daturus erat, devota oratio promereatur: ſic pius Dominus, qui omnes homines vult ſalvos fieri, merita nobis extorquet à nobis, & dum nos prævenit tribuendo, quod retribuat gratis, agit ne gratis tribuat, hoc utique prudens Virgo intellexit, quando prævenienti ſe muneri gratuitæ promiſſionis junxit meritum ſuæ orationis, fiat inquiens mihi ſecundùm verbum tuum; ſeu fiat mihi* 9
de verbo ſecundùm verbum tuum.

Hæc tamen quamvis generatim vera ſint, non tamen putârim Virgini Matri plenè congruere, quia videntur ejus humilitati non nihil detrahere: ſumma enim ejus humilitas non patiebatur, ut Deum oraret pro aquirenda ſumma dignitate, quæ relucet in genitrice Dei, quæ major eſt cæteris omnibus dignitatibus, quæ poſſint creaturæ congruere: ſi quò filius dignitate eſt eminentior, eò dignitas ejus Matris ſit excellentior, certè cùm dignitas filij utpote divini ſit ſumma, non poteſt non creſcere dignitas matris ad ſummum faſtigium dignitatum omnium, quæ poſſunt creaturis competere, quapropter maxima Virginia Matris humilitas non congruè dicitur per Verbum *FIAT* orâſſe Deum ut dignitas genitricis Dei ei impertiretur. Alij Interpretes cum D. Ambroſio *in cap. 1. Luc.* cenſent, verbum illud *FIAT* eſſe optantis, & deſiderantis, ac eſſe verbum voti, ac deſiderij. Verùm & iſta interpretatio, quæ etiam eſt Euthymij non placet, quia virgineæ humilitati videtur etiam derogare: humilitas enim non videtur pati optare, & deſiderare dignitatem, quæ eminet ſupra reliquas omnes creaturas: præſertim, quia Virgo præfata verba protulit, poſtquam divinum Verbum in ejus utero noſtram aſſumpſit humanitatem, ut cenſent alij aſſerentes Verbum factum fuiſſe carnem, ſeu aſſumpſiſſe humanitatem, quando Virgo dixit; *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, unde non ſatis erat notum, ſed ipſe conſenſus requirebatur, ad id enim miſſus Angelus fuerat, ut Virginis conſenſum exploraret, quamobrem putârim cum D. Auguſtino ſerm. 17 de ſanctis, & ſerm. 21. de tempore Vocem illam *fiat* eſſe conſentientis, ait enim Auguſtinus alloquens Virginem: *Aſſenſum tuum Angelus præſtolatur, inde eſt, quòd nuntius iſte moratur.* 10

Si quæras, cur voluerit Deus aſſenſum Mariæ habere, quo verbum divinum noſtram in ejus utero indueret humanitatem, multiplex ab Interpretibus ratio adducitur, quarum duæ ſunt potiores, nimirum ut tanto myſterio Virgo MARIA magis idonea fieret, ac aptior, & præparatior per exercitia ſummarum virtutum fidei, obedientiæ, humanitatis, charitatis, fuit enim obedientia Virginis, utpote

cæ-

rea, ac perfectiſſima, quæ magis Deo placuit; non quæſivit, quando fieri deberet tantum myſterium, & cur ipſam Deus ſeligeret, & ob quas cauſas, ſed ſtatim reſpondit *FIAT*, quia perfecto obedienti ſufficit voluntatem audire jubentis. Secunda cauſa hæc ſolet produci, ut Deus Virgini Matri ardentioris amoris vinculo homines obſtringeret, cum per hunc aſſenſum à Virgine præſtitum Verbum divinum humanitatem aſſumpſerit, ut divinæ juſtitiæ ſatisfaceret, nóſque redimeret à famulitio cacodæmonis, hancque rationem adfert S. Bernardus homil. 4. ſuper *miſſus eſt*, ubi ait: *Audiſti quia concipies, & paries filium, audiſti, quòd non per hominem, ſed per ſpiritum ſanctum: expectat Angelus reſponſum, tempus enim eſt, ut revertatur ad Deum, qui miſit illum, Expectamus & nos ò Domina VERBUM miſerationis, quos miſerabiliter premit ſententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium ſalutis noſtræ ſtatim liberabimur, ſi conſentis; in ſempiterno Dei Verbo facti ſumus omnes, & ecce morimur in tuo brevi reſponſo ſumus reficiendi, & ut ad vitam revocemur.*

11 Qui verè obedientes ſunt, oculis carent, ne videant cauſas, cur ſuperior hæc, vel illa injungat, ſed pedes ſtatim movet ad executionem mandati, ut Joſeph, qui vocatus à Patre, & juſſus ire ad explorandum, quid fratres ejus agerent, ſtatim ac audivit voluntatem patris, quavis diſrupta mora non oculos aperuit, ſed pedes paravit ad iter Geneſ. 37. v. 13. *Dixit ad eum Iſraël, fratres tui paſcunt oves in Sichimis, veni, mittam te ad eos, quo reſpondente præſto ſum: ait ei: vade, & vide ſi cuncta proſpera ſint erga fratres tuos, & pecora: & renuntia mihi quid agatur.* Quamvis fratres Joſephum odio proſequerentur, ob ſomniatam præeminentiam, & invidiam foverent ob polimitam veſtem diſcolorem à Patre ei datam, & non alijs, attamen non timens fratrum ſupercilium, neque itineris difficultatem, ſtatim reſpondit *præſto ſum*, & accinxit ſe ad iter: ſi oculos aperuiſſet cauſas plures adduxiſſet non adeundi fratres, ſed quia verus fuit obediens oculos non aperuit, ſed pedes ſtatim movit ad iter. Samuel cùm primùm Dei vocem audivit paratum ſe exhibuit, & oculos non aperuit, ſed pedes movit ad curſum, quò celeriùs Dei mandata exequeretur. 1. Reg. 3. v. 5. *Et vocavit Dominus Samuelem, qui reſpondens ait: Ecce ego & cucurrit ad Heli, & dixit: ecce ego: vocâſti enim me:* non oculos aperuit Samuel, ut Heli videret mores, actiones, & opera, ſed aures, quibus juſſa audiret, neque videre voluit, quam vitam ageret, ſed quam perſonam gereret, quia verò obedienti ſufficiunt aures, & pedes, illæ ut voluntatem audiant Superioris, iſti ut eandem ſtatim exequantur. Præceptum magiſtri Chriſti audivit Petrus mittendi hamum in mare Matth. 17. 26. *Vade ad mare, & mitte hamum*, & ſtatim ad littus properavit, pedes movit, non oculos aperuit ut videret, ac perpenderet, an capturus eſſet piſcem, in quo exenterato reperturus eſſet tributum ſolvendum Cæſari. S. Chryſoſtomus hanc Petri obedientiam titulo honorat fidei apud D. Tomam inquiens: *Admirare Petri fidem, quoniam rei tam difficili obedivit; ideóque de fide eum remunerans, copulavit eum ſibi in tributi datione, quod fuit abundantis honoris.*

Verus obediens ſuperioris intentionem non diſcutit, nec præcepta diſcernit, ſed gaudet ſuperioris obſequi mandatis; qui verò ægrè ferunt ſuis ſubijci ſuperioribus; cauſas fragunt examinare ſibi injuncti præcepti, quòd ſi aliquid præcipiatur inſueti, vel nonnihil difficultatis ad ſe trahentis, ſtatim turbantur, muſſitántque contra Superiorem; cum primùm diſcipuli Chriſtum viderunt marinos fluctus perambulantem, quia id videbatur quid inſuetum, viréſque excedere hominis, quaſi quodam timore percuſſis Matth. 14. 26. *Turbati ſunt, dicentes quia phantaſma eſt*, ſeu ut expendit S. Chryſoſtomus homil. 51. in Matth. *putaverunt eſſe phantaſma, cum viſu ipſum non cognoviſſent, non ſolùm ob noctis tenebras, verùm etiam quia nunquam auditum fuit, hominem ſuper aquas ambulâſſe.* Quid quòd cum antea viderint Apoſtoli Chriſtum cæcis reſtituere viſum, claudis dare greſſum, leproſis munditiem, ægrotis ſanitatem, imò & mortuis vitam, & pleraque alia patrare miracula, nunquam eum phantaſma putârint? quia Apoſtoli ſymbolum exhibent ſubditorum ægrè obtemperantium ſuperiori, ſi enim viderint aliquid præcipi inſueti, vel novum à Prælatis præceptum injungi ſtatim conqueruntur, muſſitántque eum phantaſma eſſe non ſuperiorem, & ejus non aſſequentes rationes, illum audent reprehendere, quia neſciat officio fungi ſuperioris; quamvis ſit Chriſtus, qui præcipiat. Veri obedientes pueros imitantur, qui primùm literas formare diſcunt: hi in præceptoris intenti regulas omne adhibent ſtudium, ut calamum ſcripturæ accommodent magiſtri, libenti, ac obſequenti animo notas excipiunt; verus obediens ſimplicitatem ſequitur pueri diſcentis ſeribere; cùm primùm præceptum audit ſuperioris illud exequitur, nec oculos aperit, ut cauſas videat, cur hoc, vel illud præcipiat.

Quòd ſi obedientia oculos claudit, ne cauſas videat, cur ſuperior talia præcipiat; pedes tamen movet ut promptè, & expeditè ſibi injunctum exequatur. Si obedientia quò ocularior, eò imperfectior; quò mobilior, ac expeditior eò excellentior. Talis fuit Patriarchæ Abraham obedientia. Nocturnæ dum quieti indulgeret vox è cœlo ad ejus delabitur aures, quâ jubetur filium ſuum Iſaacum, quem è Sara ſenio jam confecta ſuſceperat, ſeu unicum domûs fulcimentum, utriusque parentis deliciarum tollere, eúmque proprijs manibus jugulatum Deo hoſtiam immolare in eo monte, qui deſignatus eſſet ab Angelo Numinis interprete: quamvis potuerit ſuſpicari, ac anceps hærere, an vox illa revera fuerit è cœlo delapſa; vel è phantaſia ſomniante, noluit tamen, oculos aperire, ut hæc dubia videret, examinaret; ſed pedes ſtatim paravit, movitque ad iter Geneſ. 22. 3. *Igitur Abraham de nocte conſurgens ſtravit aſinum, ducens ſecum duos juvenes. & Iſaac filium ſuum*, adeo promptus, celérque fuit Abraham ad parendum juſſui cœleſti; ut non ex- 13

pectato mane, ſtatim de nocte, ſeu eodem prorſus tempore, quo Dei vocem audivit, ſurrexerit è lecto, paraverit omnia ad profectionem neceſſaria, inſcia Sarâ, ne moras injiceret; nil dixit uxori; quia verebatur, ne mora obedientiam læderet, & tarditas juſſionem impediret, nil fuit cunctatus in negotio tam luctuoſo, ſed læto animo, ſerena fronte ſe profectioni accinxit, gaudens ſuo privari gaudio in Iſaaco unico filio, quem immolationi Deus deſtinaverat ait S. Chryſoſtomus de fide Abrahæ: *Non contriſtat frontem devotiſſimus Abraham; nec dolor patri lacrymas perſuaſit, ſed exultat, & gaudet. Nec timuit ne parricidium ei imputaretur; ſed magis ut devotioni pareret: lætabatur hoc juſſiſſe Deum.* Triduano itinere proficiſcitur Abraham donec ad montem perveniat, quem illi cœlum oſtenderat, & cui nomen *Moria*, ad cujus radices cum poſt biduanum iter perveniſſet; juſſit famulo, ſubſiſtere, tranſlato in Iſaaci filij humeros lignorum faſce; foculum ipſe ferens, & gladium unà cum filio montis conſcendit faſtigia; & quamvis intueretur innocentis filij vultum nil triſte ſuſpicantis, & mox genitoris manu morituri; non tamen triſtitiæ nubes frontem obſcurant; non lacrymas oculi eliciunt; non paterna viſcera dolor contorquet, ſed quaſi in triumphum duceret Iſaacum, paterna exutus teneritudine, & loricata animi indutus fortitudine gaudens Iſaacum ducit propria manu, & gladio immolandum, pulchrè S. Zeno Veronenſis ſerm. 1. de Abraham. *O qui Dei ſervum ita ſe eſſe meminerat, ut patrem ſe eſſe neſciret, quid eſt Pater? ecce ſub oculis jacet filius vinculis adſtrictus. Ubi ſunt lacrymæ? ubi dolor? qui in humanis ſenſibus verſari conſuevit? in tantis filij caſibus lætatur, & gaudet, & ſe Dominum meruiſſe triumphat; à filio ad Agnum tranſtulit dextram ſemper lætus, & gaudens.*

Quam prompta, & expedita fuit Abrahæ obedientia, cùm ſtatim quavis diſrupta mora
14 rem factu difficilimam aggreditur, filij unici immolationem ad unicam tantùm cæli vocem & quidem in ſomnio duntaxat auditam, Geneſ. 22. *Tolle filium tuum unigenitum quem diligis Iſaac, & offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium, quem dixero tibi.* Quid ſuperatu difficilius, quid magis arduum, quam proprium filium, & hunc unigenitum, ſeu unicum totius familiæ fulcimentum, utriuſque parentis delicium proprio gladio immolare, & tamen Abraham, quia perfectè obediens rem difficillimam ſuperavit Numinis juſſioni obſecutus, huc acceſſendus Origines homil. 8. in cap. 22. Geneſ. ubi ait: *quonam hæc ſpectant, niſi ut dulcium appellationum repetitione paterni ſuſcitentur affectus, & amoris evigilante memoria creſcant tentationum augmenta? ad longitudinem viæ adjungitur montis aſcenſio, ut in his omnibus ſpatium certaminis accipiat affectus, & fides: amor Dei, & amor carnis, præſentium gratia, & expectatio futurorum. Magnitudinem victoriæ oſtendit arduitas pugnæ.*

Hæc eſt illa obedientia, quæ Deo magis placuit, quàm victima; hæc eſt, quâ Abraham
15 in filio omnes ſuos mactavit affectus, quos Deo unà cum Iſaaco obtulit; hæc illa eſt obedientia, in qua ſingulæ virtutis ſplendent prærogativæ, fuit enim cæca, & ſimplex in ſubjectione judicij, quia obedientia, quò eſt oculatior, eò remoratior, & plerumque in lapſum pronior: in Dei mandatis verus obediens cauſam non quærit, ſed executionem ſtatuit. Splenduit celeritas, & promptitudo, cum vix audita cœli voce expergefactus è ſomno ſurrexerit ſtatim, & ſingula paravit ad iter, & filij immolationem. Geneſ. 22. 11. *Abraham de nocte conſurgens ſtravit aſinum ſuum*: non expectato diluculo ſtatim ſurrexit Numini obſecuturus. Eminuit in hac Abrahami obedientia etiam fortitudo cùm ſtatim ad iter ſe accinxerit rem difficilimam executurus, ut fuit immolatio proprij filij, qualem non exercuit Abraham fortitudinem cum per unius ſpatium diei montis jugum inſcenderet; priùs enim affectus omnes immolavit in montis aſcenſu: ſecum volvebat animo; filium ſibi dari præcepit Deus, & quid in immolatione, & ſacrificio, & in unico filio tota debet domus corruere; ſpes poſterorum exareſcere, & gaudium Saræ in mœſtiſſimum verti luctum? non amplius propagatio nepotum erit numerò cum ſtellis certatura; ſed parendum eſt Numini, dedit parentibus jam ſenio confectis filium, nunc repetit, quod ſuum eſt; meo fungar officio reddam filium Domino exigenti, & ubi imbecillitas naturæ deficit ſupplebit Numinis gratia, & filium immolabo. Sed agnovit Deus immolantem, & utrique pepercit ſacerdoti, & victimæ, quia vera prompta, & fortis obedientia, ſi mactat, ſuſcitat; ſi perdit, redimit: juſſit, Deus Abrahamum brachium ſiſtere, & filio parcere Geneſ 22. *Abraham, Abraham non extendas manum*; quidni? ad ſimplicem Dei vocem in ſomno auditam: *Tolle filium tuum*, ſtatim omni abſciſſâ cunctatione ſurgit, non exhorret præceptum, obſequium fletibus, & ſuſpirijs non remoratur, ſed Abraham lætatur, hoc juſſiſſe Deum: ſed cum in montis vertice jubet Deus non extendere manum in filium, non vibrare gladium in ejus jugulum, videtur præcepta multiplicare, quaſi unum non ſufficeret, ut Abrahamis primo ſibi injuncto à Numine præcepto exequendo deſiſteret: Geneſ. 22. 18. *Non extendas manum tuam, neque facias illi quidquam* Unica præceptio, quâ ſomno ſopito dixit Deus Abrahamo *Tolle filium tuum*, ſatis fuit ad ſacrificium parandum, ad iter inſtituendum ad immolationem exequendam: & cùm juberet à mactatione abſtinere, multiplicat verba, iterat præcepta: *Non extendas manum tuam, neque facias illi quidquam.* Ita eſt, quæ difficiliora ſunt ſuperatu, hæc fortitudo obedientiæ faciliùs vincit; & quæ faciliora, difficiliùs ab iiſdem retrahitur: quid facilius potuiſſet Abraham filium immolanti obtingere, quàm brachium ſiſtere, vulnus non infligere, & filio parcere? & tamen quia ab inchoatione obedientiæ retrahi debuit, hoc illi difficilius fuit, & ad id multiplicata exegit præcepta.

Eminuit hæc fortitudo obedientiæ in Samuele, qui ad primum Numinis nutum ſurre- 16
xit divinum executurus mandatum, vel Numinis auditurus præceptum. 1. Reg. cap. 3. v. 5. & 6. *Et vocavit Dominus Samuel, qui reſpondens ait:*

Ecce ego, & cucurrit ad Heli, & dixit ecce ego, vocaſti enim me, qui dixit non vocavi, revertere & dormi. Minore vi, verbiſque paucioribus indiguit Samuel, ut extraheretur è lecto, quàm ut ad lectum iterum duceretur, ſiquidem, ut ſurgeret, ſatis fuit nominari Samuel: *& vocavit Dominus Samuel, qui reſpondens ait: Ecce ego:* non præcepit Deus Samueli, ut ſurgeret, neque dixit *veni*, ſed *vocavit* ſine præcepto: ſed ſatis fuit Samueli noviſſe Numinis nutum, ut ſtatim extraheretur è lecto: ſed ut reduceretur ad lectum, & dormiret præcepto, & imperio indiguit, *revertere, & dormi*, imò duplex ei iujungitur præceptum, & ut revertatur, & ut dormiat, quaſi unicum ſatis non fuiſſet, ut Samuel Numini præcipienti commodum, & quietem in lecto, & ſomno obtemperaret: an non ſomno ſopito difficilius obtingit è lecto ſurgere, quàm ad lectum iterum reduci? & tamen quod difficilius fuit Samueli, hoc perfecta ejus obedientia faciliùs exequi valuit: & quod facilius erat, ſeu ad priſtinam in lecto quietem reduci, hoc difficiliùs exequitur, & ad id duplicantur præcepta *revertere & dormi*: adeo verus obediens ab inchoata obedientiæ executione retrahitur; ut difficiliùs ei obtingat, quod eſt facilius: minore vi opus fuit, ut Samuel è lecto extraheretur, & laborem ſubiret, quàm ut quietem repeteret. Fuit Samuel in hoc Abrahæ imitator, quem ut Deus ad immolandum filium excitaret ſomno ſopitum nullis uſus eſt clamoribus, ſed placida duntaxat voce eum vocavit: *Abraham, Abraham* Geneſ. 22. 1. qui tamen ut à filio jugulando revocaretur; voce uſus eſt altiore, & quidem non ut dormientem excitaret, ſed ut vigilantem ad parcendum proprio filio invitaret, quia verus obediens, quæ difficiliora ſunt, faciliùs exequitur, & quæ faciliora, quia ab inchoata obedientiæ executione retrahunt, difficiliùs exequitur.

Obſervatu videtur dignum, quòd Ange-
17 lus monitutus S. Joſephum, & quidem de rebus graviſſimis nonniſi in ſomnis ter illi apparuerit, primò cùm de ſacroſancto incarnationis myſterio eum erudivit Matth. 1. 20. *Noli timere accipere Mariam.* Secundò cùm eum monuit, ut in Ægyptum cum JEſu, & Matre ejus fugeret. Tertiò cùm eum commonuit, ut reverteretur in terram Iſraël. Quærunt Interpretes, cur ſemper in ſomnis contigerit hæc trina monitio, & non aliquando in vigilia? reſpondet S. Paſcaſius l. 1. in Matth. ut *commendaretur obedientia Joſeph*: quia tametſi juſſa omnem humanum captum tranſcenderent, obedienti tamen ſufficit levis inſinuatio etiam per ſomnum: perfectus obediens præceptum non expectat, ſed nutum quærit ad captivandum intellectum, & voluntatem exequendam ſuperioris: quinimò Sola ſimplex aſpiratio ſufficit, ut obediens Numinis exequatur voluntatem: talis fuit Cyrus rex, qui tametſi Ethnicus ad ſimplicem Dei aſpirationem alas explicuit velut avis, ut celeriùs ad Deum accederet, Iſaiæ cap. 46. v. 11. *Vocans ab oriente avem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ:* loquitur Propheta de Cyro Rege, qui tametſi non noviſſet antea, quis eſſet Deus Iſraël, illico tamen ad clamorem, non ad vocem, ſed ad ſimplicem aſpirationem toto volatu perinde ac avis ad ipſum ſe contulit: quò inde diſcamus; moras non inijcere in divinis exequendis mandatis, ſed ea perniciſſima velocitate exequi, ne velimus ab Ethnicis vinci in exercitio virtutis.

Vero obedienti ſufficit voluntatem percipere Superioris, ut eam exequatur. Injungitur Apoſtolis evangelicam promulgare doctrinam per mundi ſingulas regiones: *Euntes in mundum univerſum prædicate* Marc. 15. Nullus Apoſtolorum orbis regiones noverat, & tamen licèt plures illis debuiſſent difficultates obviare, & pericula; non tamen ſe excuſant, omnes obediunt voci Chriſti: ait Gualfridus Abbas in allegorijs: *In univerſum mundum mittit eos, qui vix unam noverant regionem: neq; tamen fuit illis dicere Babylonem non vidi, locum neſcio.* Ecce quàm perfecta, quia cæca fuit Apoſtolorum obedientia; oculos non aperiunt, ut videant difficultates, & pericula, ſed pedes parant ad iter; moras non inijciunt ſed celeres, & alacres demandatam ſibi Provinciam peragunt: tametſi difficillimum eſſet tot peragrare regiones, & Ethnicos ab avita retrahere religione, adhuc injunctũ ſibi à Chriſto præceptum exequuntur.

Ea eſt perfecti obedientis felicitas, ut dif-
ficultatum ſpectra, quæ vel Herculeo pectori 18
metum incuterent, ſi cæcè, promptè, & fortiter obtemperet, ſtatim evaneſcant, & quæ difficillima apparent, obedientia prompta, & fortis ſuperatu exhibet facillima. Moyſes in Ægypto jubetur coram Pharaone ſerpentem apprehendere Exod. 4. v. 4. *Extende manum, & apprehende caudam ejus: & verſa eſt in virgam*: quid? quòd antea ſerpens timorem incutiens, venena ſpargens, viſui horridus, nunc virga fiat eblandiens ſuo virore, quæ ſi terræ matris nutriatur humore excreſcit in plantam, germinat in flores, foliorum comis ornatur, & fructus etiam parit, quorum maturitate hominem reficit? ita eſt, quod ante obedientiam horrebat in ſerpente, executio obedientiæ in ſolatium, & hominis blandimentum virtutis metamorphoſi commutat; quod ante in veneno ſerpentis inficiebat, poſt executionem obedientiæ fructuum maturitate reficit: ſi humanum judicium conſuluiſſet Moyſes, manum præ horrore retraxiſſet & potiùs metu correptus ſerpentem aufugiſſet: ſed quia celer totum ſe ſubdit divino juſſui, manum extendit, & obedientiæ executio totum excutit horrorem, & ſerpentem in virgam permutat: ſi Moyſes oculatior fuiſſet, ſerpentem fortaſſis non apprehendiſſet, nec virga, ſeu ſceptrum Iſraëlis ei obtigiſſet.

Perfectus obediens non oculos dirigit in 19
præceptum, an facilè poſſit exequi, ſed in præcipientem, ad cujus authoritatem tantùm attendit, ait D. Auguſtinus lib. 29. confeſs. cap. 16. *Optimus miniſter tuus eſt, qui non magis intuitur hoc à te audire, quod ipſe voluerit; ſed potiùs hoc velle, quod à te audierit.* Facilè præcepto acquieſcimus, ſi nobis perſuadeamus; Deum eſſe, qui jubet, quis tam pervicax, ut Deo imperanti non obſequatur, ſi noverit Deum eſſe, qui hoc præcipit. Mortalitatem exuerat Joſue, & populus de novo ſibi duce eligendo rogat Judic. 1. *Quis aſcendit ante nos? dixitque*

dit

Deus Judas aſcendit. Nulla de cœlo vox miſſa fuit, ſacerdos Phinees Judam creavit in ducem, ait Abulenſis in cap. 1. Judic. *Dixitque Deus reſpondendo per ſacerdotem Phineem.* Quidni nulla fuit oborta querela ab alijs Tribubus, eò quia ſelectus in ducem aliquis non fuerit ex ijſdem, ſed omnes acquieſcunt, & eligenti ſacerdori ſe ſubijciunt, quia nimirum exiſtimârunt, fuiſſe Deum locutum per ſacerdotem, & dum electionem illam cenſent à Deo proveniſſe, eidem totaliter acquieſcunt, & Deum ſimul ſibi obſtringunt ad patrocinium: ſi enim promptè obtemperes, Deum tibi devincis ad Gal. 3. v. 6. *Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Sed quæ cohærentia fidei cum juſtitia? tanquam ex juſtitia tenebatur Deus filium, quem Abrahæ promiſerat ſervare incolumen, eò quia fideliſſimus in obſequendo fuerit; & quamvis contraria promiſſis juſſus fuerit exequi; fixa tamen in Deo mente præceptum ſine diſcuſſione implevit, appoſitè D. Ambroſius in caten. Lippom. ad cap. 5. Geneſ. *Idea reputatum eſt ei ad juſtitiam, quia rationem non quæſivit, ſed promptiſſimè credidit.* Verus obediens rationem non quærit, cur ſuperior hoc vel illud præcipiat, ſed ſtatim mandatum exequitur, quia ſcit, Deum neminem poſſe fallere, neque præcipere, niſi quæ nobis ſint commoda, & utilia, proinde oculos non aperit, ſed pedes præparat ad executionem.

21 Rogatus à Sororibus Martha & Magdalena venit JESUS in Bethaniam earum fratrem Lazarum licèt quatriduanum in ſepulchro, ac corruptis carnibus fœtorem exhalantem reſuſcitaturus: vocavit eum JESUS, *Lazare veni foras*, quidni ſtatim qui mortuus erat, reviviſcit, & è ſepulchro Joan. 11. 44. *prodijt ligatus manus, & pedes.* Sed ſi prodijt, cur priùs vincula manuum, & pedum non diſrupit, ut celerius ſurgeret, promptiùs obediret? nimirum ne ullam quidem morulam in obſequendo Chriſti voci inijceret, noluit priùs nodos ſolvere, ſed ſtatim obedire, *prodijt ligatus manus, & pedes*: obedientia alas ſemper addit, quibus obediens, quamvis vinculis implicitus volat, & ſtatim mandatum ſibi injunctum exequitur. Hinc Seraphini ante thronum Dei licèt ſtarent, adhuc volabant Iſaiæ 6. v. 2. *Seraphin ſtabant, & volabant*; tametſi ſtare ſit impedimento, ne quis volet, & moveatur, Seraphin tamen, quia veros præſeferebant obedientiæ cultores, adhuc volabant ſtantes, ſeu exequebantur Numinis præceptum; non tamen alis illis, quas ad capita habebant, volabant, ne ad ſublimia tantùm viderentur anhelare, neque illis quæ pedibus inerant, ne viderentur ad ſola inferiora, ac faciliora expediti: ſed illis, quas habebant ad mediam cordis ſedem ad indicandum ait Lorinus, ſemper veros obedientes paratos eſſe ſive ad aſcenſum ſive ad deſcenſum, prout Deo magis placuerit; hinc Angeli illuc ſtatim toto impetu feruntur, ubi Spiritus invitat, Ezechiel. 1. v. 12. *Ubi erat impetus Spiritus illuc gradiebantur*: parati ſiquidem ad omnia nullum reſpiciebant locum, ut in quovis loco Dei mandatum exequerentur, & nos edocerent, non uni potiùs quàm alteri adhærere loco, neque amœniorem præferre rigidiori: perfecta non eſt ea obedientia, quæ ad unum, vel alterum tantùm coarctatur locum; amat hæc virtus æquè loca omnia ſive arboribus conſita, ſive rupibus, & ſaxis aſpera, ſive floribus ridentia, ſive gelu rigentia: ea huic virtuti regio eſt commodiſſima, in qua Dei voluntas adimpletur, ejúſque præceptum executioni demandatur: non timet verus obediens ſeptentrionis frigora, neque Caucaſi nives, quia charitate fervens teporem omnem excutit; & cum primùm vocem audit præcipientis pedes aptat ad ambulandũ etiam per montes, & colles, per loca invia ſentibus, ac vepretis hiſpida cant. 2. 8. *Vox dilecti mei; ecce iſte venit ſaliens in montibus.* cùm vox præcipientis aures incipit pulſare veri obedientis, hic quavis ſeclusâ morâ celeriter ad exequendum pedes movet, ſine tædio ſaliens in montibus, pertranſiens colles; difficultates itinerum, quæ ipſi obviant, hilaris ſuperat, labores libenti animo exantlat, ut præcepta, vel conſilia exequatur jubentis. 22

Etiam mulier Apocaliptica licèt à Joanne viſa coruſcantibus coronata ſyderibus, poſtea aligera eidem objicitur, & ad volatum parata Apocal. 12. 14. *Datæ ſunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum locum*: ad nutum ſuperioris alas explicat, quò celeriùs illuc perveniat, ubi præceptum exequatur ſuperioris, & licèt in hortum non eſſet volatum directura, ubi flores alliciunt, vireta germinant, auræ blandè ſpirant, fontes placido murmure fluunt; ſed in deſertum, ubi deliciæ nullæ, ubi commoda excluduntur, ubi inamœnus locus ſpinis, & ſentibus hiſpidus horreſcit, umbris, & rupibus ſqualet, adhuc tamen volatu celeri illuc fertur, ut abſque ulla interjecta mora pareat, ſimulque virtutem pariat, quâ inſigniatur, & quamvis olim fuiſſet ſtellis fulgida, nunc non renuit in deſerti umbra degere obſcura, mundóque ignota; quia ubi præcipienti paret, illic obedientia lætior quieſcit, & pacatior degit: eſt ſiquidem hæc virtus flos non tamen excultus in hortorum areolis tonſa myrtho circumvallatis, & ad delicias foliorum pompa, vel ad oculorum illicium varietate colorum natus, ſed flos eſt campi Cant. 2. v. 1. *Ego flos campi*: quòd ſi quæras, cur non potiùs flos horti? quia hortus nonniſi ad delicias excolitur, campus verò ad omnia eſt paratus, ideóque parentia flos eſt campi, qui modò tegitur, nunc oculis eblanditur, modò pedibus conteritur; & qui antea oculorũ erat oblectamentum, fit mox pecoris eſculentũ, & pro fœno dente conteritur qui vario depictus colore oculis eblandiebatur. 23

Eſt obedientia non ſolùm parentis ornatus, ſed etiam ſalus; adeo ut cohæreat cum ſalute parentia, dummodo hæc firma ſit, ac ſtabilis, ut ediſſerit D. Petrus Damianus expendens verba Matth. 17. *Dixit Simon Petrus ad JESUM: Ecce nos reliquimus omnia*: obſervat nexum utriuſque nominis *Simonis*, & *JEſus*, & quia Simon *obediens* interpretatur; & JESUS *ſalus*: pulchrè ſalutem nectit parentiæ, eò quia hæc ſalutem accerſat, cui gaudet copulari;

lari: verùm neceſſè eſt, ſit parentia firma, quæ petram referat, & à Simone non diſcrepet: quia cum ſit fundamentum ſalutis nutare non debet, ſed firmiſſimè ſtare: ait S. Petrus Damianus ſerm. 9. de S. Benedicto: *De eo planè, ejúſque ſequentibus dixit Simon Petrus, ad JESUM: ecce nos reliquimus omnia: amica prorſus confabulatio Simonis ad JESUM, dignúſque Simon, qui cùm Salvatore pleniùs loquatur: Simon námque obediens, JESUS Salvator, loquitur ergo obedientia cum ſalute, quia ſolis obedientibus æterna ſalus hæreditario jure debetur: ſi tamen ibi ſit Petrus, id eſt obedientia non vacillet, aut titubet, ſed fundata ſit ſupra firmam petram.* Obedientiam, qui excolit; ſalutem ut fructum parentiæ colligit, & ſupra cæteros effertur, qui alijs obſequitur: ingloria ſiquidem eſt ea gloria, quæ obedientiam à ſe abigit, quia ſalute deſtituitur, atque à vera gloria avertit; verus humilis obediens eſt, & per exercitia demiſſionis fundamentum ponit parentiæ. Quamvis Joſeph per ſomnum vidiſſet ſe à Sole, & luna, ac ſtellis undecim adorari Geneſ. 37. ſeu quamvis DEUS ei manifeſtâſſet, futurum ſuperiorem patri, & matri, ac fratribus, non tamen per latum unguem ſe ab eorum ſubduxit obſequio, quinimò promptiùs parentum nutibus ſemper paruit, ut innuit S. Ambroſius *lib. 1. offic. cap. 17.* inquiens: *Joſeph cùm ſomniaſſet, quòd ſol, & luna, & ſtellæ adorarent eum, ſedulum tamen obſequium deferebat patri:* eò præ cæteris fratribus lætior, & promptior parentibus obedivit, quò ſupra cæteros fratres dignitate erat eminentior futurus, ac honore inſigniendus: niſi enim parentia fundamento innitatur demiſſionis, non ſtat firma, ſed nutat imbecillis.

24 Hancque celerem parentiam forſan Joſephus filius à Jacobo patre didicerat, fuit enim Jacob inſignis obedientiæ typus, & exemplar, cùm enim primùm voluntas ei innotuit parentis, ut proficiſceretur in Meſopotamiam Syriæ Geneſ. 28. v. 2. *Vade, & proficiſcere in Meſopotamiam,* ſtatim obtemperans è patrio diſceſſit ſolo, in alienam ſe tranſtulit regionem, diu à ſuis abeſt patri obſecuturus, nec longas ullas traxit moras, nec impedimenta objecit, neque itineris labores, & pericula narravit, ſed veluti cæcus nil aliud videre voluit, neque cauſas examinare: & adeo hæc cæcutiens Jacobi parentia DEO placuit, ut myſterium ei aperuerit, quo divinum Verbum noſtram erat aſſumpturus humanitatem, idque per ſcalam in ſomno ei objectam, quæ culmine cœlum pertingebat, & per ejus gradus Angeli deſcenderent, & aſcenderent: cacumini enim Majeſtatem ſuam inclinavit DEUS, ut præſignaret Meſſiam olim naſciturum, in cujus perſona divinitas humanitati conjungenda erat: quòd ſi in ſummo ſcalæ faſtigio æterni filij Pater hærebat, imò Jacobus Chriſti ſecundùm hominem progenitor inhærebat, ac repræſentabatur futurus ex eadem ſtirpe: gradus interjecti cæteros præſignabant Majores, è quorum progenie erat Chriſtus naſciturus. Angeli deſcendentes incarnationis myſterium hominibus annuntiabant, & aſcendentes ardentia Patriarcharum deſideria, ac preces ſurſum ad DEUM ferebant: duo ſcalæ latera duo DEI attributa, ſeu miſericordiam, & veritatem præſignabant, quia per myſterium incarnationis *juſtitia, & pax oſculatæ ſunt:* unio hypoſtatica fuit hoc oſculum ex amore profectum, cùm propter amorem, quo dilexit mundum, miſerit filium ſuum unigenitum, qui miſericordiam, ſeu pacem, & juſtitiam ſimul invexit: quatenus pretium ſui ſanguinis ſolvit in redemptionem totius humani generis à famulitio tartarei hoſtis, & ut divinæ ſatisfaceret ipſe Juſtitiæ, ſimúlque miſericordiam exercuit, cùm eodem ſanguine noſtra delevit peccata, noſtráſque oblitteravit noxas: quinimò Jacob ob celerem parentiam proficiſcendi in Meſopotamiam poſt plures annos, quibus ſua impendit obſequia Labano in patriam redux, veluti triumpho celebris obvios habuit Angelos Geneſ. 32. v. 1. *Jacob abiit itinere, quo cœperat, fuerúntque ei obviam Angeli DEI,* eò quia DEO, & patri obtemperaverat; nimirum ſequuntur Angeli parentiam, & eos comitantur, qui celeres mandatis obſequuntur majorum; ne timeant, qui ex obedientia prolixa ſuſcipiunt itinera, in alienas proficiſcuntur regiones, DEUS enim comites illis Angelos adjungit, huc accerſendus Rupertus Abbas lib. 8. in Geneſ. cap. 3. *Jacob poſtquam præceptum patris peregit revertenti obviam fuerant Angeli DEI; ut ſciamus, quia poſt obedientiæ laborem, cuique viro fideli ſupereſt ſupernis illum revelationibus glorificari, & cæleſtium ſpirituum crebra viſitatione etiam in hac vita remunerari.*

Tantæ eſt parentia excellentiæ, ut An- 25
gelos ad ſe alliciat, quos habeat obſequentes: libenter Angelici ſpiritus comites adſciſcuntur ſuperiori obſequentibus: quia perfecta parentia ob celeritatem, & promptitudinem, qua majorum præcepta exequitur, homines in Angelos mutat, perinde ac inobedientia Angelos è ſummo cœlo in imum dejecit inferorum. Huc accerſendus S. Chryſoſtomus, qui expendens verba regij Vatis Pſal. 8. *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis,* ait homil. 16. in Geneſ. *Induiſti eum paulò minùs ab Angelis: atque hoc ipſum paulò minùs inobedientiæ peccatum introduxit: nam poſt prævaricationem hoc locutus eſt Propheta.* Ita eſt, à ſua excidunt dignitate, qui excuſſo jugo Numinis non obtemperant mandatis, negligúntque imperium: qui verò Numini obſequuntur, cœtui adſciſcuntur Angelorum, quorum gaudent familiaritate: & quamvis DEO, & ſuperiori obtemperantes ad imum, ac omnium viliſſimum dejiciantur officium, ob non querulam, ſed celerem parentiam, eò altiùs virtute eminent, quò infimius exercent officium.

DEO; qui parent, nil aliud quærunt, quàm 26
Numinis obſequi voluntati: alloquens DEUS Eliam ait 3. Reg. 17. v. 4. *Corvis præcepi, ut paſcant te:* & quia Elias DEO obſecuturus longum ſuſcepit iter, neque quæſivit, an corvi

ut-

utpote voraces eſſent illi ex itinere feſſo, & fame oppreſſo ſuppeditaturi neceſſaria obſonia ad virium refectionem: quidni? non ſolùm prandium à bajulo corvo accepit: ſed *3. Reg. cap. 19.* Angelum etiam habuit, qui neceſſaria ei ſuppeditavit eſculenta: nimirum quia Elias ſtatim fuit Numini obſecutus, Angelus non dedignatur ei miniſtrare, quinimò eidem adjungitur, ut famulus, & ſocius, cum neceſſaria ad vires reficiendas ſuppeditet: neque conquæritur Angelus juſſus à DEO Eliæ neceſſaria miniſtrare obſonia, ac corvis pariari, cùm id officij antea fuerit corvo demandatum: nil enim refert, quid quis præſtet: bene tamen refert ſtatim DEO obſequi: neque dedignantur Angeli officia etiam infima exercere, dummodo DEI voluntatem exequantur.

27 Quæſitura Maria Magdalena Magiſtrum Chriſtum mortuum, ad ſepulchrum anhela properavit, & ibi non corpus Chriſti, ſed Angelos reperit Joan. 20. v. 12. *Vidit duos Angelos in albis*: quidni? perinde fuit Angelis ſepulchro aſſidere, ac cœlo hærere: ſepulchrum cœlum ejs fuit, quia ibi verus obediens cœlum invenit, ubi DEI voluntatem adimplet; verus obediens totum ſuum gaudium in ſola DEI voluntate adimplenda experitur: hinc S. Chryſoſtomus in *Pſal.* a loquens de Angelis, quos Maria Magdalena ſepulchro vidit aſſidere, ait: *Ad ſepulchrum tanquam apud cœlum manebant.* Quidni? tametſi vilia ſint, quæ nobis obeunda miniſteria injunguntur, nunquam tamen eſt vile DEO obſequi, vel Superiori vices Numinis agenti, & tale miniſterium injungenti: quinimò eò eſt potentia glorioſior, quò miniſterium obeundum eſt abiectius; nunquam eſt vile, quod in DEI gloriam reſilit, & quamvis vile oculis videatur hominum apparere: quia tamen DEUS illud jubet, pretium excedit parentia rerum omniom, quæ ab hominibus pretioſæ judicantur, ſive niteant in gemmis, clareſcant in adamante, vireſcant in Smaragdo, ſplendeant in auro, ſufficit DEUM injungere tale miniſterium ab homine obeundum: idque cùm noviſſent viri pijſſimi, imò & ipſi Prophetæ, eis ſatis fuit, noviſſe DEI voluntatem, ut ſtatim nulla interjecta mora miniſterium quodvis obirent, quamvis ad hominum apparentiam obſcurum, & vile. Juſſus Jeremias lineum lumbare accipere, & ſuper lumbos ponere, non curioſè quæſivit, cur hoc inſuetum ei DEUS præciperet, & ad quem finem lineum illud lumbare deberet ita adhibere; ſed clauſis oculis ut nil de hiſce videret, pedes tantùm movit quæſiturus lumbare lineum, & Numinis præceptum executurus Jerem. cap. 13. v. 1. *Vade, & poſſide tibi lumbare lineum, & pones illud ſuper lumbos tuos, & in aquam non inferes illud.*

28 Volupe fuit Prophetæ ſtatim Numini obſequi præcipienti, à quo etiam mittitur ad Euphratem lumbare illud lineum ſepeliturus: DEI juſſui obtemperavit Propheta, neque rem abſurdam putavit, eò quia paratus ad omnia erat, ſive infima eſſent, & exigua; ſive magna, & ſplendida, quæ illi injunguntur; ſcitè S. Chryſoſtomus in caten. græca in cap. 13. Jerem. ait: *Dixit (poſſide, & pone ſuper lumbos) non dixit ad quid: ſed mandato paruit. Rurſus dixit vade ad Euphratem: non dixit, cur vadam? ſed ſatis illi fuit, & obedivit: hoc & nos agamus, non dixit, turpe eſt, ridiculum eſt, ſed paratus fuit ad omnia*: quod DEUS imperat magni ſemper eſt ponderis; quamvis ab hominibus leviſſimum cenſeatur, ac nullius momenti, fructum ſemper colligit ſalutis, & gloriæ incrementum, ideóque verus obediens, cùm primùm monetur, movetur, non cur oſè priùs diſquirit, cur, & quando debeat id exequi, ſed ſtatim, ac vox monitoris aures pulſat, pedes obſecuturis ad exequendum moventur. Hinc DEUS apud Zachariam cap. 10. v 8. *Sibilabo eis, & congregabo illos, quia redemi eos.* Obſervatu dignum, redemptos ſimulque ſanctificatos futuros unico, & exili ſibilo obtemperantes, ut minimè neceſſum ſit eos diſerta ſuaſione ad parendum flectere, & ad opus pertrahere. Solo ſibilo veros obedientes DEUS vocat, ſeu exiguo ſono, vel interna inſpiratione, & eos congregat etiam de remotiſſimis regionibus, ut legi pareant evangelicæ; hæcque vera eſt perfecti parentis nota, ſi ſtatim vel ad levem ſunum, nutúmque aut ſibilum moveatur, nec alijs verborum calcaribus ſit urgendus, quia verus obediens voluntariè non coactè obſequitur, ſcitè B. Umbertus cap. 8. ait: *Voluntaria quoque ſit obedientia, quæ non virga, vel calcaribus indigeat, ſed moneatur ſibilo dulciori*: poſtea addit: *Multum enim laudabilis eſt obedientia, quæ conſilijs, & admonitionibus obtemperat, ſed omni laude digniſſima, quæ præcipientis animo ſe conformat.* Verus obediens verbis non indiget urgeri, ſed quærit nutu adhærere; ſufficit; ſi voluntas ei innoteſcat Superioris, ſtatim paret.

Eſt obedientia polymita tunica, quam 29
Jacob filio ſuo Joſepho dono dedit Geneſ. 37. 3. *Fecitque ei tunicam polymitam*: quidni? obedientia talaris eſt tunica, quæ totum hominem tegit, & ornat, quòd ſi Joſeph, qui tunicam polymitam induit, *augmentum* interpretatur, parentia incrementum ſecum trahit gloriæ; hac veſte induti non frigent otio, ſed fervent amore: & ita ardent exequentes mandatum imperantis, ut ſimul candorem nivis præſeferant in lilio puritatis: neque putes, quid aliud eſſe lilia, inter quæ Sponſus paſcitur, quàm veros obedientes, & Chriſto parentes Cant. 2. v. 17. *Paſcitur inter lilia*: ait D. Thomas Aquinas ibi. *Obedientes Chriſto ſunt lilia habentes candorem munditiæ.* Hæc lilia non ſolùm in hortis excoluntur, ſed etiam è ſepulchris prodeunt, & inter fœtores florent gratioſiora. Lilium fuit Lazarus quatriduanus quamvis corruptione fœtens, quia cùm primùm inſonuit vox Chriſti jubentis ſurgere, ſtatim vitam reaſſumpſit, & floruit Joan. 11. 44. *Statim prodijt, qui fuerat mortuus ligatus manus, & pedes inſtitis, & facies illius ſudaris*

erat ligata: refloruit hoc lilium blandimento candoris indutum, ſeu inſtitis, vel faſcijs albis ligatus, & albo ſudario faciem cooperiente, ſed quomodo ſtatim prodjit, & iter carpit, qui & oculis erat orbatus, & pedibus vinctus? adeò expedita fuit Lazari obedientia, ut priùs obſequi voluerit, quàm oculos aperire, priùs pedes movere, quàm inſtitas, ſeu faſcias ſolvere, quia verus obediens nullam patitur interjectam moram, & ſtatim imperanti obſequitur: virtute operante obedientiæ ſuum natura non exigit officium; neque ſuo inſervit ordini, ſed divinæ obtemperat juſſioni. Sicut membra judicantur paralytica, ſi non moveantur ad imperium capitis, ait S. Bonaventura Diæt. Salut. cap. 20. de Relig. ita ægritudine cenſetur laborare religionis, qui ad nutum non movetur Superioris.

30 Lapidem Lydium eſſe dixeris obedientiam; hæc enim perinde, ac Lydius Lapis aurum, virum religioſum probat, & qualis ſit, perfectionis explorat, proditque: Pſal. 39.7. *aures autem perfeciſti mihi*, loquitur Chriſtus, ſeu perfectam mihi dediſti parentiam, ut ait Ugo Charenſis; non ſacrificio fuiſti delectatus, ſed parentia oblectatus; neque DEUS per ſacrificia veteris legis placatus fuit humano generi, ſed per obedientiam unigeniti ſui filij noſtra induti humanitate, *qui factus obediens uſque ad mortem*, humano generi morte ſua vitam impetravit: unde ajebat Chriſtus alloquens DEUM Patrem Pſal. 39. *Sacrificium noluiſti, aures autem perfeciſti mihi*, præfert obauditionem, ſeu parentiam ſacrificijs, & holocauſtis: & jure merito ait S. Gregor. Moral. l. 35. cap. 6. *quia per victimas aliena caro; per obedientiam verò propria voluntas mactatur.* Aures prætulit victimis; quia per aures obedientia deſignatur: unde Chriſtus æternum alloquens Patrem ait, *ſacrificium voluiſti, aures autem perfeciſti mihi;* ſeu ut alij legunt: *aures autem perforaſti mihi:* tunc aures perforantur, cum ad obedientiam aperiuntur; & tunc perficiuntur, cum mandata audiunt præcipientis, quæ obediens exequatur: unde ſtatim ſubdit: *tunc dixi: ecce venio, ut faciam voluntatem tuam;* cùm primùm DEI Patris mandatum aures pulſavit filij in noſtra degentis humanitate ad ejus voluntatem, nutúſque ſe ſubmiſit: *Tunc dixi, ecce venio, ut faciam voluntatem tuam;* non dixit meam, ſed tuam: ſive Pater flagella præcipiat, ſive crucem jubeat, ſive mortem imperet, vel opprobria, confuſiones, ignominias, paratus ſum ad omnia: *ecce venio.* Corpus, quod in Virginis utero æterni Patris Filius aſſumpſit, auris eſſe videbatur, quia totum erat obedientiæ germen, ac parentiæ fructus: ſed & Virgo mater auris etiam fuit; quia paratiſſima ſemper ad divina mandata audienda, quæ ſtatim exequeretur. Auris quoque dicta eſt B. Virgo, quia preces noſtras audit; & per ipſam DEUS hominum preces exaudit. Richardus expendens illud Pſal. 9. *Præparationem cordis eorum audivit auris tua*, per aurem Mariam intelligit, & ait lib. 2. de laudibus Virginis part. 2. *Præparationem cordis eorum id eſt; humilium audivit. Auris tua, id eſt, Beatiſſima Virgo, quia ea mediante pauperes exaudit; ſicut homo mediante aure ſua.* Ita eſt, qui à DEO vult exaudiri verba ad DEI aurem, ſeu Virginem dirigat; eſt Maria auris per quam DEUS preces noſtras audit, ut exaudiat.

31 Sed id auribus præ cæteris membris ineſt, præſertim in hominibus ſingulare; quòd non moveantur niſi moto capite; tametſi hoc immoto moveantur oculi, labia, lingua, nares, & reliqua corporis memba, manus, pedes, ſolæ aures nonniſi ad motum capitis moventur. Quidni? caput noſtrum Chriſtus eſt; caput noſtrum DEUS eſt; ideóque moveri non debemus niſi ad ea, quæ DEUS voluerit; alioquin pares efficimur belluis inſipientibus, quæ immoto capite aures movent. Qui perfectus eſt obediens, patulas ſemper aures exhibet, ut præcepta audiat Superioris, quæ ſtatim exequatur; háncque parentiæ virtutem nos Chriſtus edocuit Luc. 2. 51. *Et erat Subditus illis.* Quid? quòd totum tempus interjectum à Chriſti baptiſmate uſque ad prædicationem, & paſſionem unico duntaxat impleatur verbo ſubjectionis, & parentiæ, *& erat ſubditus illis?* nunquid Chriſtus toto illo tempore alias exercuit virtutes præſertim charitatis in proximum, demiſſionis, & humilitatis, temperantiæ, & reliquarum virtutum, quibus ſemper ſplenduit: ire inficias nequimus, Chriſtum eo tempore omnes exercuiſſe virtutes, quarum culturâ effloruit, ſed Evangeliſta eas laconiſmi causâ implicitè recenſuit in una virtute obedientiæ, & ſubjectionis: hæc enim virtus omnes alias includit, & Evangeliſtæ fuit ſatis, hanc ſolam explicuiſſe, ait enim S. Gregorius in catena S. Thomæ: *Ubi obedientia regnat, nulla abeſſe virtus poteſt:* eſt ſiquidem parentia magnes reliquarum virtutum, quas ad ſe trahit, ac ſuo fovet in ſinu: quamvis Chriſtus toto eo tempore digna memoratu plurima egerit, Lucas tamen compendio uſus, omnes in una complexus eſt parentia. *Et erat ſubditus illis.*

32 Idque cauſæ, cur pergrata ſit DEO obedientia, & hac vel maxime delectatus fuerit, ac voluerit ſua præcepta ad unguem ſervari Deuter. 12. 32. *Quod præcipio tibi hoc tantùm facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas.* Quid? quòd DEUS præcipiat non eſſe quidquam addendum in præceptis adimplendis cùm incrementa virtutis, & exercitium parentiæ ſit ſemper commendabile? quod imminutio inhibeatur, id virtuti eſt conſonum, ne trunca, & manca exerceatur: quiquid enim imminuitur, à perfectione recedit, ſi imminutum detrahatur honeſtati operationis: ſed cur, qui præcipitur, duos offerre Numini arietes, non poterit quatuor litare? cùm oblatio DEO facta, quò uberior, eò commendabilior? non inficior plura ſemper poſſe nos laudabiliter DEO offerre: ſed quia obedientia gaudet intra illos contineri limites, quos ſuperior ſtatuit, ideo quò ad unguem ſerventur præcipientis

pientis mandata, non placent DEO hæc additamenta, quia limites ſupergrediuntur parentiæ; placet DEO executio præcepti, ſed intra limites obedientiæ: diſplicet, quod extra eosdem excurrit, ſi non procedat ex obedientia, quamvis eſſet additamentum laudabile, alterius virtutis incrementum; exiguum obſequium præſtitum ex obedientia gratius eſt DEO, quàm ſine obedientia aliud grandius, & excellentius; idque cauſæ, cur in ſacrificijs populo injunctis omne prohibuerit additamentum, omnémque excluſerit diminutionem, quia obedientia gaudet intra illos tantùm contineri terminos, qui à præcipiente conſtituuntur.

33 Quid? quòd in ſacris Epitalamijs Sponſus conqueratur de vulnere ſibi inflicto à Sponſa non diſtricto gladio, ſed colli crine? Cant. 4. v. 9. *Vulneráſti cor meum, ſoror mea Sponſa in uno crine colli tui.* Non putes uno duntaxat, & ſimplici crine, Sponſam vulnus inflixiſſe Sponſo, fuit enim crinis ex pluribus ſimul implicatis compactus, ſeu fuit plexus, ac funis ex pluribus intortus crinibus: moris enim fuit, ut capilli capitis in varias plicas, tricásque colligarentur, ut præſtitit Samſon Judic. 16. 13. Et uno vel altero plexu ex pluribus crinibus intorto collum circumdarent. Per crinem igitur, ſeu plexum crinitum ſignificatur obedientia, qua religioſus, & Chriſti fidelis ſingulis DEI legibus, ac Prælatorum mandatis obſequi ſatagit, & per collum ſuperior præcipiens denotatur, ut etiam per vulnus caſtum amorem, quo anima ſancta uni Chriſto placere ſtudet: tunc hæc amoris vulnera infiguntur, cùm obedientes mandata Superioris præcipientis exequuntur.

34 Juſſerat DEUS Noë arcam conſtruere, & ex ſingulis animantibus bina, marem, & fœminam in eam inducere Geneſ. 6. 19. *Ex cunctis animantibus bina induces in arcam, ut vivant tecum.* Res factu difficilis videbatur, feras omnes in unam ſimul includere arcam, cùm ex ijs aliæ naturali feritate alijs necem inferre ſatagant, quo alieno ſanguine propriam extinguunt ſitim, & aliarum carne propriæ ſatisfaciant fami: certè non modicum videbatur Noë periculum incurrere, cum deberet cum hiſce feris crudelitate ferocientibus in eadem verſari; & nihilominùs Noë audita voce DEI præcipientis oculos clauſit, ne pericula videret, & pedes ſtatim movit ad executionem præcepti ſibi injuncti Geneſ. 6. 22. *Fecit igitur Noë omnia, quæ præcepit illi DEUS*: ſed cur inductæ in arcam feræ ſtatim nativæ oblitæ feritatis, ac ſævitiei, alijs nihil attulerint detrimenti, & feræ omnes exuta crudelitate ſtatim manſueſcerent, & cicures Noëmo obſequerentur, cùm poſt transgreſſionem divini præcepti in terreſtri paradiſo non ampliùs Protoplaſto obedire voluerint? quia nimirum Noë divino obſecutus mandato per obedientiam feras omnes cicuravit, próprióque ſubjecit imperio, quas Protoplaſtus per inobedientiam efferavit; huc acceſſendus S. Chryſoſtomus homil. 25. *Recordare, quantæ dignitatis fuerit Protoplaſtus ante inobedientiam. Poſtquam prævaricatio hanc poteſtatem (ſcilicet coercendi feras) nobis datam mutilaverat, & imminuerat; invenit bonus DEUS alium virum, qui potuit innovare imaginem priſtinam.* Obedientia Nohemi reſarcivit in brutis animalibus, quod in obedientia Protoplaſti deſtruxerat, & per Noëmi parentiam agnoverant beſtiæ iterum ſubjectionem, quam per Adæ inobedientiam excuſſerant.

35 Eſt parentia, quæ non ſolùm ruinas reperat, verùm & obedientes perficit, & ad ſublimiora provehit: Geneſ. 27. 3. præcepit Iſaacus filio ſuo Eſavo inſtrumenta ſumere venatoria, ac ire per ſylvas venatum, quò ferculum ex ferina venatu capta pararetur. *Sume arma tua pharetram, & arcum, & egredere foras. Cúmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum.* Non credas, ſenem Iſaacum, ex intemperantia, vel carnali affectu ferinam carnem appetiviſſe: ſed ut filius ſuus natu major ſibi in hoc obtemperans, *per parentiam*, ut ait Dionyſius Carthuſianus, *magìs donem redderetur ad benedictionis ſuſceptionem.* Quòd ſi petas, cur Iſaac vitam magìs protraxerit, quàm Abraham, & Jacob; ſiquidem Jacob vixit annis 147. Geneſ. 47. 28. Abraham annis 175. Geneſ. 25. 7. Iſaac verò annis 180. Geneſ. 35. 28. Reſpondent plures Interpretes, Iſaacum vitam produxiſſe longiorem ob continentiam, fuit enim magìs caſtitatis cultor; quia Monogamus, cum cæteri Polygami fuerint: ſed quamvis continentia, & caſtitatis cultura plurimũ conſerat ad longiùs protrahendã vitã; quòd tamen Iſaac diutiùs vixerit, ejus debetur obedientiæ: diutiùs vixit, quia vitam ſuam per obedientiam DEO imperanti conſecraverat: quòd ſi mors per inobedientiam Protoplaſti intravit in mundum; congruum erat, ut per obedientiam vita protraheretur longior, ac diutiùs ſaltem detineretur in homine; huc accerſendus S. Gregorius lib. 2. in lib. Reg. cap. 4 ubi de parentia loquens Samuelis: ait: *Obedientia unicum bonum eſt ad recuperationem vitæ; ſicut inobedientia culpæ malum ſufficiens fuit ad perpetrandam mortem.* Si igitur in malo inobedientiæ mors prævaluit, toties neceſſe eſt, reſtituamur vitæ, quoties obſequimur, ac obedimus ſuperiori præcipienti.

36 Quinimò immortalitate donatur, qui pro obedientia violenti fit morti obnoxius. Scimus, voluiſſe Numen vocari, Deum Abraham, Deum Iſaac, & Deum Jacob: ſed quid quòd nunquam ſaltem reſpectu Abrahæ, & Jacob nomen hoc uſurpaverit niſi poſt eorundem Patriarcharum mortem? quia per nomen hocce innuere voluit eorum immortalitatem: hoc enim argumento uti voluit Chriſtus contra Sadducæos negantes immortalitatem animarum Matth. 22. 31. *Non legiſtu, quod dictum eſt à DEO: ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob; non eſt Deus mortuorum, ſed viventium*: verumtamen DEUS ſe vocavit

ſemel

ſemel DEUM unjus Iſaac adhuc viventis: alloquens enim Jacob ait Geneſ. 28. 13. *Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac.* Sed ſi DEUS non ſe vocabat DEUM aliorum Patriarcharum adhuc viventium; ſed tantùm vita functorum; idque ut teſtatam faceret eorum immortalitatem: cur unjus Iſaaci adhuc viventis DEUM ſe vocat? quia nimirum Iſaac in monte Moria dum ſe DEO obtulit in ſacrificium obſecuturus divinæ juſſioni, & paterno deſiderio; ſi non corpus gladius mactavit id prohibente Numine; obedientiâ propriam jugulavit voluntatem; & quia victima cecidit parentiæ, ſurrexit glorioſior immortalitate donatus: quia paratiſſimus in juſſa Numinis ſine querela, abſque reluctatione aſcendit in rogum, procubuit in genua, manus obtulit ad vincula, jugulum nudavit, corpuſque invicta animi fortitudine exhibuit ad cædem, & cecidiſſet victima mactata, niſi vox de cœlo intonuiſſet, quæ filij cædem inhibuiſſet; ideo ſi non corpus, voluntatem mactavit victimam parentiæ, & quia mortem oppetjit, jmmortalitate donatur: ita eſt; qui ut obediat, mortem non timet, antequam moriatur, conſequitur immortalitatem.

36 Non ſolùm parentia immortalitatem impertitur, verùm & virtutem mira efficiendi: ſuborta maris procella fluctibus jactabatur Apoſtolorum Cymba; Euri invaleſcentes ad naufragium impellebant: vidit Petrus Magiſtrum Chriſtum, quem rogavit, ut præciperet, ſimúlque facultatem concederet, quò ad ipſum veniret, & à periculo tempeſtatis, cui navis obnoxia erat, ſe ſubtraheret Matth. 14. 28. *Jube me ad te venire ſuper aquas.* Quid? quòd Petrus tumentes fluctus intrepido pede calcare non timeat, & in navi floctibus agitata naufragium extimeat? ſi navis directores artem callebant nauticam; & remis, clavóque marinos fluctus eludebant; cur Petrus à periculo naufragij, ut ſe ſubduceret procellam ipſam ingreditur citra naufragij timorem, & inſoleſcentes fluctus pede coërcet? nimirum timet in navi naufragium, quia obedientiæ cinoſura nondum ſplenduit, cujus dirigente nitore litus, vel portum appelleret; ideóque ne hoc deſtitueretur lumine Magiſtrum Chriſtum rogavit, ut ei præciperet ad ſe venire, *Jube me ad te venire ſuper aquas*: & qoia Chriſtus Petrum voti compotem fecit, dixítque, *veni*, ſtatim è jactata fluctibus navi deſcendit, & fluctus ipſos intrepido pede perambulát, eorúmque tumorem compeſcit, & ad Chriſtum accedit, hoc eſt prælucente obedientiæ cinoſura ad portum, qui Chriſtus eſt, tutus appulit, quia obedientia ſuos non ſinit cultores periclitari.

37 Non timuit Petrus tumentes procellæ fluctus pede calcare, ſi ſuo vocetur à capite, ſi jubeatur ad Chriſtum venire, noverat enim, quantæ ſit virtutis parentia, quæ etiam in procellis portûs mallaciam invenit. Id curæ fuit Petro, ut à Magiſtro Chriſto vacaretur, & unicum tantùm verbum audiret, *veni*: tantæ ſiquidem credidit efficaciæ eſſe, ut coërcendis fluctibus, aquiſque conſolidandis peridoneum eſſe cenſuerit, Domine, ſi tu es, jube me ad te venire; ſi tu jubeas, propriæ fluxibilitatis oblitæ undæ conſolidabuntur, & marmoreum veluti pavimentum meis ſe pedibus ſiſtent, & ego tutus ad te accedam, qui es portus æternæ tranquillitatis, & in quo naufragium nullum imminet, S. Chryſoſtomus in catena ait: *Ubi obedientia intervenit, ipſa per ſe ſufficiens eſt ad multa miracula perpetranda, ac pericula omnia ſuperanda.* Non ſe Petrus, cùm primùm Chriſtum vidit, in mare dejecit, ſed priùs rogavit, ut Magiſter juberet, eum ad ſe venire ſuper aquas, & tunc quia audivit verbum illud, *veni*, nulla interjecta cunctatione procelloſos ingreditur fluctus, quâ duce obedientia non potuit portum non appellere: ſcitè Dionyſius Charthuſianus loqoens in perſona Petri ait: *Jube: quoniam tibi obediendo perire non valeo.* Quoties Diſcipuli ducem non quæſierunt parentiam, veluti cinoſura duce deſtituti, turbantur, nec tuti procedunt Matth. 14. *Videntes eum ſuper mare ambulantem, turbati ſunt*: & tunc tantùm omnem excutere turbationem cœperunt, quando ex præcepto Domini mare trajiciunt.

Hanc parentiæ virtutem edocuerat Pe- 38
trum Diſcipulum Magiſter Chriſtus: qui cùm per totam noctem laboraſſet, & nocturno piſcatu non piſces in capturam traxiſſet, ſed ſomnum in mare dejeciſſet; cùm poſtea ex Magiſtri Chriſti juſſione cœpit retia laxare, tunc incepit utiliter laborare Luc. 5. v. 5. *Domine per totam noctem laborantes nihil cœpimus, in verbo autem tuo laxabo rete.* Quidni? cùm primùm ex parentia rete laxâſſet unico tractu illud piſcibus implevit; & tempus nocturnum, quod perdiderat in mare naufragum ſine prævia parentiæ cinoſura, uno tractu ex obedientia recuperavit.

Qui ſine obedientia multùm impendunt 39
laboris in piſcatu, vel campi cultura parum, vel modicum lucrantur, qui tamen, ſi ex parentia rete laxent marino in ſinu, vel glebas evertant exculto in agro, quamvis parum laborent, multum lucrantur ex obedientiæ merito, rete enim piſcibus implent; & campum multiplicata ſegete metunt.

Eſt parentia non ſolùm reliquarum vir- 40
tutum fœcunda parens, firmúmque fulcrum, quo cœtus præſertim Religioſorum ſtant, ne cadant; ſed etiam fundamentum, quo rerum ipſa natura nititur, ac ſubſiſtit, ſi enim parentiâ deſtitueretur, & ſuo non obediret, authori omnia ſus deque verterentur, & elementa ſine obedientia confuſa primòm, antiquúmque accerſerent chaos, vel ſorderent in ſqoalore, quæ tamen dum parent legibus, ſuóque obediunt authori, conſiſtunt ſplendida, vigent corroborata, ſtántque ſine metu lapsûs: quia legem ſibi à DEO injunctam cognoſcit aqua, & termini ſui poſitorem adorat: tametſi in mare procella percito videatur bellum indicere finitimis terrarum tractibus, tamen

cùm

cùm primùm ad terminos ſuæ obedientiæ pervenit, arenas duntaxat litoris exoſculatur, & retrocedens non audet ſuos parentiæ terminos tranſilire. Obedientiæ innixa aqua ſubſiſtit in ſede; Terra itidem obedientiæ librata axibus omnigena florum ornatus varietate, herbarum virore veſtitur, ac ſaporatis diteſcit fructibus, & quia divino obtemperat mandato, ſtat firma, licèt medio in aëre pendula. Ignis ſuam itidem metam agnoſcit, in quam ex obedientia aſcendit, ſuáque quieſcit in ſphæra, ne alijs elementis quidquam inferat damni. Aër itidem infra ignem ſuperſtat aquis, terræque, & permeabilis itinera bajulis nubibus parat, ut pluvias ſitientibus terrarum tractibus ſuppeditent, plantáſque areſcentes reficiant: ſicque elementa ſingula ſuo obtemperantia authori, ſuóſque terminos non transgredientia, licèt contrarietate adverſa diſcordem tamen quandam inſtituunt concordiam, & harmonicum creaturarum omnium promovent concentum. Hinc Caſſiodorus non ſolùm Rempublicam rerum ſenſu carentium, verùm etiam hominum cenſet obedientiæ fulcro ſtare innixam inquiens l. 3. var. 26. *Admonitio noſtra ſe cumulat, ut ſecuriùs fiat, ubi reverentia noſtræ juſſionis accommodat:* eſt enim obedientia, quâ cujusvis Reipublicæ felicitas floret, quia leges, qui parent, non transgrediuntur, & bonum commune abſque conturbatione ulla ſervatur indemne, & cives ſine diſſidijs mutuis confœderantur amoris vinculis; hinc ajebat Æſchylus: *Obedientia eſt felicitatis mater, Servatoris uxor:* quia ſicut homo abſque uxore prolem non accipit legitimam, nec mulier ſine viro; & vir ſuæ adhærens uxori prolem multiplicat: perinde ipſe ſervator ſine obedientia, quæ ejus eſt uxor, felicitatem non procreat, nec ſalutem hominibus impertitur: ſecus obedientiæ cultor florem colligit proſperitatis, ajebat Eccleſiaſt. 8. 5. *Quis cuſtodit præceptum, non experietur quidquam mali:* quia ut ediſſerit Tertullianus lib. de patientia cap. 4. *Artificium promerendi, obſequium eſt, obſequij verò diſciplina morigera ſubjectio eſt.*

40 Hæc tamen morigera ſubjectio, & exprompta parentia ne imbecillis, inermiſque cenſeatur, contra quos pugnat, ad victoriam eoſdem expugnat, quapropter habetur Proverb. 12. 28. *Vir obediens loquetur victorias*, eò quia non unam tantùm detulit obediens victoriam, ſed plures; eò quia multos proſtraverit hoſtes, contra quos ita pugnavit, ut eos expugnaverit, ac victorias detulerit. Vincit obediens diabolum ipſum, quamvis ſecum trahat infernum totum armatum, ut ſcitè innuit S. Gregorius lib. 4. in 1. Reg. 5. *Victimæ ſunt obſequia obedientium: quia dum pro DEO hominibus ſubjicimur, ſuperbos Spiritus ſuperamus.* Quòd ſi per reliquas virtutes contra Dæmones pugnamus, per parentiam eos expugnamus, & vincimus. Contra mundum in ipſo mundo etiam pugnat parentia, & mundi fucatas voluptates larvatas delicias, umbratiles dignitates, vel fugat, vel proſternit, vincitque. Non ſolùm mundi illecebras, verùm & propriæ carnis prava deſideria, & appetitus ab honeſtate deflectentes compeſcit, vincitque: D. Bernardus in ſermon. de Feſto omnium Sanctorum, expendens ſecundam Beatitudinem; *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*, intelligit per terram corpus noſtrum; quod tunc anima poſſidet, quando non inſurgit caro per pravas concupiſcentias, neque inſoleſcit per appetitus, ac paſſiones nitentes virtutis evertere honeſtatem; ſed miteſcens imperio obſequitur Rationis: & tunc anima in corpus regnat, quando coërcitis depravatis, ac tumultuantibus affectibus, caro mitis eſt, & ſuperiori ſuo ſubjicitur: quòd ſi primus homo cùm primùm per obedientiam à DEO deſcivit; carnem ſenſit contra mentem recalcitrantem, ac rebellem parti ſuperiori; obedientia hæc componens diſſidia priſtinam promovet ſubjectionem, quâ caro miteſcens menti, ac ſuo paret Superiori.

Quinimò non ſolùm obediens pravas 41
carnis concupiſcentias coërcet, verùm etiam de ſe ipſo eò glorioſiores reportat triumphos, quò proprios affectus, propriámque voluntatem, ac judicium promptiùs ſubjicit imperio Superioris: ait D. Gregorius lib. 35. Moral. cap. 10. *Vir obediens loquetur victorias, quia dum alienæ voci humiliter ſubdimur, nosmetipſos in corde ſuperamus.* Neque verus obediens ſe ipſum tantùm vincit, ſed etiam alios quotquot bellum eidem indicunt: teſtis accerſitur Abraham, qui cum trecentis vernaculis expeditis, & ad nutum obſequentibus quatuor devicit Reges, fortéſque milites proſtravit, vel ad turpem fugam coëgit: neque credas, parentiam de ſolis hominib⁹ inſignes deferre victorias; elementa etiam ipſa vincit, cogitque ad nutum parêre: quo pacto D. Petrus parentiâ munitus in mare proſiljit, quorum fluctus coërceret, ac victori pede premeret, cum *Matth. 14. 29.* juſſu Magiſtri Chriſti ſuper mare ambulavit. Moyſes quia DEI mandato virgâ rubri maris fluctus diverberavit, undas portentoſo divortio diviſit, quò pendulæ utrinque parietes veluti marmoreos conſtruerent, viámque aperirent, per quam Iſraëlis populus ſicco veſtigio marinum ſinum trajiceret, & Joſuë *cap. 3. 17.* per Jordanem ſicco pede Hebræorum caſtra traduxit, cùm juſſu DEI flumen illud diſpeſcuit. Ignis in fornace Babylonica nutum DEI ſentiens non audet quidquam pueris inferre detrimenti, qui DEO obſequentes in fornace illæſi, perinde, ac in horto floribus conſito quieverunt Danielis 3. 24.

Imò & ſolem ipſum parentia remoravit, ejúſque pernicíſſimum curſum coërcuit, & 43
tunc contigit, cùm Joſuë pugnans contra quinque Amorrhæorum Reges DEO obediens ſolem ſtitit, ut caderet Amorrhæus, & ſurgeret illuſtrior Joſuë victoria. Senſit itidem ſol obedientiæ efficaciam, cùm Ezechias Numini

mini obſecutus oravit, ac rogavit per Iſaiam à lethali morbo, quo ad necem premebatur, liberari, & in teſſeram ſperatæ ſanitatis juſſit umbram ſolis retroagi per decem lineas in horologio ſciaterico Achazis ſub ipſum meridiem: obſecutus enim ſol retroceſſit, & ad conſuetas diei horas quinæ acceſſerunt, teſtes recuperandæ valetudinis. Non cœleſtia tantùm, ſed etiam infernus ipſe vim ſentit obedientiæ, cui cedere adigitur, cùm enim Chriſtus factus fuiſſet obediens usque ad mortem, meruit ad Philip. 2. v. 10. *Ut in nomine JESU omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum*: deſcendit propterea poſt victam mortem ad inferos, de quibus etiam triumphavit, cùm dimiſerint Patres, quos per ſæcula plura detinuerant, & Chriſtus omnes ſecum in cœlum traxerit: *& captivam duxit captivitatem.*

EXPENSIO XVII.

Clementia proprius Principis character cæteris virtutibus juſtitiæ annexis, ut perfecti debiti ratione carentibus, ſeu includentibus tantùm morale debitum adſcita, nonnullis donatur laudibus è SS. Patribus deprompris.

1 EST clementia præcipuum Principis ornamentum, definitúrque à D. Thoma 2. 2. quæſt. 175. *Lenitas ſuperioris ad inferiorem*: hinc liquet, eſſe virtutem ad alterum, ac recenſeri inter partes juſtitiæ potentiales includentes morale duntaxat debitum: licèt enim clementia alterum reſpiciat, in quem exercetur; non tamen ſtricto jure tenetur alteri favere, ſed tantùm ex quadam condecentia, quâ decet virum principem clementem in alios ſe exhibere. Tametſi teneatur Princeps juſtitiam tueri, hæc tamen, dum gladium denudat vulnus inflictura, à Principis clementia nonnihil coërcetur, quò mitius feriat: non ſolùm Princeps clementiam exercet in publicis, ſed etiam in privatis delictis, ut reus ita juſtitiæ ſentiat amarorem, ut ſimul clementiæ experiatur dulcorem, quia ut ait Cicero: *homines nullâ re propiùs ad Deos accedunt, quàm ſalutem hominibus dando.* Idque cauſæ, cur David laudes narraturus DEI dixerit Pſal. 85. *Quoniam tu DEUS ſuavis, & mitis, & multæ miſericordiæ*; quòd ſi ſuavis eſt DEUS, & mitis, multæque miſericordiæ, & Principes in terris vices Numinis gerunt, maximè illis congruit, ut ſuaves ſint, & mites: neque alia eſt virtus, quâ faciliùs regna acquiruntur, & acquiſita firmiùs ſtabiliuntur, quàm ipſa clamentia, qua ſubditorum corda ita mitefcunt, ut ad nutum flectantur Principis, idque cauſæ, cur Severus Imperator dixerit: *Lenitate, & clementia proprium firmaſſe imperium citrà lapſûs periculum.* Eſt clementia, quâ Princeps amorem, & affectum ſubditorum fovet, dum nonnihil remittit de pœnis infligendis: eſt clementia moderatrix pœnarum, quæ juxta leges ſubire tenentur, qui contra eaſdem deliquerunt: hinc Cicero lib. 1. de offic. ait: *Nihil eſt laudabilius, nihil magno, & præclaro viro dignius clementiâ.*

2 Juſtitia non ſolùm per ſeveritatem, verùm & per clementiam ritè, & rectè adminiſtratur, utrique virtuti unus, ac idem ſcopus eſt, ſeu præſtare, ne homines à regulis deflectant juſtitiæ, & licèt diverſis itineribus huc tendant, ſeveritas puniendo, & clementia leniendo, ac pœnas diminuendo, adhuc tamen utraque virtus unum, eundémque finem conſequitur, propterea ait Seneca lib. 1. de clementia cap. 14. Oportere Superiorem, penes quem eſt poteſtas plectendi induere perſonam patris, qui nonniſi neceſſitate adactus filios punit, & quamvis ad punitionem deſcendat, pœnam tamen quantùm poteſt, imminuit, qui non ex ira, non ex furore, ſed ex ſincero amore filios punit, ut corrigantur, non ut aliquid detrimenti patiantur: hæcque propterea eſt illa virtus, quæ non ſolùm novum imperium inchoantibus utilis eſt, ſed etiam neceſſaria, ut monet Tacitus l. 4. hiſtor. Idque cùm non latuiſſet Antoninum Pium fertur, dixiſſe: *Malle ſe unum civem ſervare, quàm mille hoſtes occidere.* Hanc in Principe clementiam ſymbolicè exhibiturus non nemo; pingi curavit apũ reges inermes cæteris præeuntes ſine aculeo, corpore proceriores, & tali ordine, ut Rex quilibet proprium ſuum præiret examen, ducerétque per pratorum amœna, ubi varij ludentes ſponte nati flores ex hiante calice, dulces abundè ſuccos api ſuppeditarent addicto hemiſtichio. *Signat clementia Reges.* Quòd ſi viribus, & armis comitantibus audacia, & fortuna, nonnunquam regna parantur, prudentia tamen, & clementia tutiùs ſtabiliuntur, ac firmiùs retinentur.

3 Hanc clementiæ virtutem, quia Roboamus Salomonis filius non coluit, imperium non firmavit, ſed perdidit. Cùm Jeroboamus in comitijs nomine populi ſuppliciter peteret à Roboamo, ut onus tributorum, quo Salomon ſubditos preſſerat, clementer relevaret, eò quòd plurimum impenſarum in templi ſtructura, regióque palatio ædificando, pluribúsque per imperium inſtaurandis, variisque uxorum fanis exſtruendis effecerit, ſuppeditaverit, & daret in ſignum clementiæ, & amoris in ſubditos aliquid levaminis populo, quem paratiorem haberet in omnia juſſa, adhuc à clementia noluit Roboamus initia novi imperij auſpicari; licèt ex Adminiſtris plures ei perſuaderent, ut regni auſpicia à clementia peteret, quâ faciliùs ad obſequia Principis populus flectitur: neque ullum firmiùs regnorum præſidium, quàm ſubjectorum benevolentiam, & affectus in Principem, quæ duo, ſi deſint, nutant cardines principatûs, & regni potentia ſtare diu nequit; & benevolentia ſubditorum nonniſi clementia, & manſuetudine Principis fovetur. Quòd ſi Princeps proprio duntaxar commodo ſtudeat, populo fit exoſus, & odium fovet in perniciem Principis, qui nimium emungens ſubditos non tantùm

lactis

lactis dulcedinem ad ſe trahit, ſed & ſanguinem elicit, quem nonnunquam vel invitus adigitur Princeps ebibere, non ſine fuſione proprij. Sed Roboamus nihili faciens conſilia ſuadentia Principi clementiæ exercitia, reſpondit, quòd ſi Salomon virgis populum verberâſſet; ipſe vellet ſcorpiones acceſſere lethalia evomentes venena 3. Reg. 12. *Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus*: noluit onera tributorum imminuere, ſed potiùs augere, ſed quia hæc onera vulnera ſunt animorum, & ferit odia Princeps, quoties ſubditorum fortunas metit 5. Roboamus non ſolùm denegata ipſi à Populo tributa perdidit, ſed etiam imperium amiſit, quia clementiam non admiſit; ſunt enim clementia, & affabilitas ſubditorum illicia, quæ, ſi Princeps negligat, odium fovet populi contra ſe ipſum, & ubi amore ſubditorum non fulcitur Phriucipis thronus, neceſſe eſt, nutet, & Princeps cadat, vel victima furentis populi, vel excluſus à dignitate, & ſceptro ſpoliatus.

4 Id expertus fuit Caligula, qui cum in quoslibet ſævitia, libidine, rapinis, extorſionibus, ac cædibus graſſaretur monitus ab Antonia Avia, ut modeſtiùs ageret, repoſuit: *Memento omnia mihi, & in omnes licere, oderint, dum metuant*: & infenſus turbæ ſibi adverſanti exclamavit, utinam populus Romanus unam carvicem haberet, ut unico eam ictu gladius meus amputaret: & dum Caſſio Cheræ Tribuno, ſuóque familiari arridens, cauſam rogatus dixit, rideo, quia caput tuum in manu mea eſt, ut illud ad libitum tibi tollam: ſed præventus à Caſſio gladio trucidatur, & imperio ſpoliatus miſerè perjit. Verba Principis melleam debent potiùs dulcedinem ſapere, quàm felleam amaritudinem Cant. 4. 11. *Mel, & lac ſub lingua tua*: laudat ſponſa ſuum ſponſum à mellea, & lactea dulcedine, quâ verba condit. Refert Tertullianus *lib. de corona militis*, moris olim fuiſſe, quo infantulis recèns luſtraris lac melle immixtum in os infereretur, quo ritu innuebant decere, virum Chriſtianum clementiæ dulcedinem, & lactis candorem, ſeu morum innocentiam: idque vel maximè Principi congruit, qui cæteris eminentior floret, ut lilium, quod cæteris eſt procerius floribus, quos & blandimento candoris, & ſuavitate odoris antecellit Cant. 2. 2. *Sicut lilium*: pariatur Princeps lilio ob clementiam, quia ut ait D. Bernardus ſerm. 70. in Cant. lilium præſefert innocentiæ candorem, & odorem ſpei; éſtque ſymbolum clementiæ.

5 Non verba dura populum flectunt in vota Principis, ſed frangunt in ejus perniciem: mollia objicienda ſunt ad impetum retundendum durioris populi Iſaiæ 7. v. 15. *Butyrum, & mel comedet*. Paſci debet Princeps butyro, ut nonniſi mollia lingua proferat, & mel comedere, ut dulcedinem verba Principis ſapiant; Emanuel Principem præſignans butyrum, & mel comedit, ſimúlque Principem edocet ipſum decere ſermonem ſuavem, veluti butyro conditum, & mellea dulcedine aſperſum: quia, ſi verba ſint amaritudine plena populum irritant, qui nonniſi fel guſtandum Principi exhibet. Idque cauſæ, cur DEUS Pater ad ſuum filium columbam miſerit Matth. 3. 16. *Vidit Spiritum DEI deſcendentem ſicut columbam*. Notat S. Bernardus *ſerm. 1. in Epiph.* non incongruè ad indicandum agnum veniſſe columbam: quia nihil decibus agno convenit, quam columba. Quod agnus eſt inter quadrupedes, hoc columba inter aves: ſumma utriúſque innocentia, ſumma manſuetudo, ſumma ſimplicitas; delectatur DEUS manſuetudine; idque cauſæ, cur ingreſſurus Jeroſolymam aſinam ſelegerit, quia manſuetudinem præſefert, & nemini eſt noxia, neque calcibus ullum lædit Matth. 21. 5. *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus ſedens ſuper aſinam*. non equum ferocientem, ſed aſinam ſelegit manſuetam, quam comitem voluit triumphi. Qui Chriſto inſerviunt, quò illi placeant, neceſſe eſt, ſint jumenta Domini, ſeu manſuetudine diſcant ad nutum parêre, nunquam recalcitrare, ſéque ad omnia flectere juxta Chriſti beneplacitum. Quòd ſi aſina, quâ Chriſtus vectus fuit in triumphum priùs per manus Apoſtolicas ſoluta fuit à vinculis, quibus detinebatur illigata: debet, qui jumentum eſt Chriſti, non ſolùm eſſe manſuetus; verùm à quovis etiam peccati vinculo ſolutus per manus Apoſtolicas, per authoritatem, & poteſtatem eccleſiæ, per cujus claves janua aperiatur æternæ ſalutis: hanc ſuper aſinam libenter ſedet Dominus, qui ſuum regit jumentum, dirigitque per tuta itinera, ne à rectitudine deflectat; ſed viam ſalutis perambulet. *Venit tibi manſuetus*; ut diſcas cum manſuetudine jugum ejus portare; ſcitè Drogo Oſtienſis de ſacr. Paſſionis. *Venit tibi manſuetus: qualis ipſe eſt, talem te eſſe vult; manſueſce, & aſſueſce jugum ejus portare, ut & ipſe ſedeat ſuper te aſinam ſuam, & pullum filiæ ſubjugalis*. Cum Chriſto incedere, qui cupiunt, eúmque comitari manſuetudini ſtudeant, quia manſuetus libenter manſuetis aſciſcitur: eſt mititas veluti mollis culcitra, in qua cœleſtis ſponſus quieſcit.

6 Quòd ſi jumenta Chriſti ſunt manſueti, qui Domino inſerviunt, aptantur tamen ipſi ex Chriſti famulatu, & ex cultura mititatis, ut alijs dignitate, & dominatu præferantur. Geminos Iſaacus ex uxore Rebecca filios ſuſceperat natu majori nomen Eſau, & minori Jacob inditum fuit, & ambo fratres gemelli, ac eodem fuerunt partu in lucem editi, licèt corporis habitu, animique dotibus perdiſſimiles. Idque cauſæ, cur Rebecca ſtudioſior fuerit erga Jacobum natu minorem, eò quia ingenio eſſet facilis, animo mitis, moribus elegans, & Eſau è converſo natura ferocior, moribus aſper, & fractus, ingenio aggreſti; tum, ac venatui addictus; cúmque Iſaacus præ ſenio viribus

deſtitutu uſuq; oculorum carens, in lecto jacens edulium ex ferina carne compactum appeteret, Eſavum acceſſivit, cui præcepit exire venatum per ſylvam, ſibique ex præda ſylveſtri obſonium viribus reficiendis idoneum apparare, ſed vix è domeſticis egreſſus eſt Eſau parietibus Patris executurus voluntatem, Rebecca pro Jacobo ſolicita eum ad ovilum gregem amandavit, duóſque juſſit hœdulos afferri, quos ſtatim pelle ſpoliavit, & alterum coctura adeò exquiſita, ac condita apparavit, ut crederet Iſaacus revera ferinam ad ſe allatam: & quia pio aſtu aduixa eſt paternam benedictionem in favorem Jacobi extorquere, hunc latorem cibi miſit ad Iſaacum Patrem, ſed vultu, collo, manibus ita pelliculis obtectus hœdinis, ut fratrem hirſutum mentiretur: & cum Iſaacus præ ſenio oculis caligaret, tactu exploravit, quod viſu non valuit: cumque hirſuta hœdorum tegmina hiſpidam referrent Eſau pellem, & veſtimentorum odor, quibus major natu uti conſueverat in ſacrificijs, aliiſque ſolemnioribus actionibus proderent illatorem ferculi eſſe majorem natu, id facilè Iſaacus ſibi perſuaſit, & tantùm anceps parum hæſit ob vocem, quæ Jacobi eſſe videbatur; quia tamen ſigna reliqua indicabant eſſe primogenitum, comedit edulium non jam ex ferina compactum, ſed ex agnina carne paratum; cúmque Iſaacus vires refeciſſet, oſculatus eſt Jacobum, cui primogenitorum privilegia eſt impertitus, & abundantiam frugum terræ apprecatus, honorem, & reverentiam apud exteros; authoritatem, dominium, ac juriſdictionem in domeſticos, & poſteros contulit. Hiſce vix peractis redux è ſylvis adeſt Eſau, qui re intellectâ cœpit irâ æſtuare, clamore irrugire, indignatione accendi, & lethali odio armari in Jacobum natu minorem. Iſaacus cum tranſlata in Jacobum jura, ac privilegia revocare ampliùs non poſſet, quò iram, & indignationem Eſau ſopiret, alia quædam ei munera contulit extra tamen jura, & privilegia, quæ perdidit primogeniti. Genes. 27. verſ. 39. *Cúmque ejulatu magno fleret, motus Iſaac dixit ad eum: In pinguedine terræ, & rore cœli deſuper erit benedictio tua. Vives in gladio, & fratri tuo ſervies:* hoc eſt, ſemper armatus incedes, tuíſque hoſtibus eris terrori, multumque viribus valebis: ſed fratrem tuum minimè tibi ſubjicies, ſed illi ſervies, quia morum lenitas, animi manſuetudo cum ad dominium ſupra cæteros fratres, ac nepotes evexit, & ad principatum erexit: & manſuetudine, ac lenitate tua contundet arma: appoſitè Sanctus Ambroſius lib. de Jacob. cap. 7. *Domina eſt crudelitatis pietas; & manſuetudo duris motibus præſtat:* quia Jacob fuit ingenio facilis, moribus mitis, animo lenis, pronus ad obſequia, & Eſau natura ferox, ingenio aſper, moribus durus, lenitas duritiem, mititas aſperitatem, manſuetudo ferociam vicit, & Jacobum ad dignitatem primogeniti, regaliſque ſacerdotij promovit.

Hinc etiam David, quia manſuetus præferri meruit Sauli, & in ejus ſedere throno, quia manſuetudo virtus eſt regia, ait S. Ambroſius lib. 1. Hexam. ſuóſque cultores edocet ſceptra tractare, ac eminentioribus ſplendere dignitatibus, terráſque poſſidere, hinc David DEUM alloquens ajebat Pſalm. 131. 1. *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.* Tametſi manſuetudo in throno ſedeat, non tamen juſtitiæ adverſatur, quàm ut ſororem amplectitur, éſtque ſoror zeli honoris DEI. Hinc etiam Chriſtus indicans manſuetos regia dignitate inſignitos, ait Matth. 5. 4. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram,* ſeu regnabunt ſuper terram, ac cæteris dominabuntur. Quòd ſi quæras, quo jure ſint mites terram poſſeſſuri, Textus Syrus habet: hanc poſſeſſionem jure hæreditatis eſſe in mites transferendam; *hæreditatis jure poſſeſſuri ſunt terram:* neque putes, hanc hæreditatem in manſuetos ab alio derivari, quàm à Chriſto hominum omnium mitiſſimo, & cui regnum, ac dominium totius terræ debetur, illudque propterea jure hæreditario transfundit in cultores manſuetudinis, & clementiæ. Imò non ſolùm mites terram poſſident, ſed & regnum cœleſte occupant, Luc. 12. v. 32. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Mirum tamen, quòd Chriſtus puſillo gregi regnum ſpondeat cœleſte; quid cum regno grex habet cohærentiæ? quid oves cum regio diademate, ſceptróque regali? ſi oves à paſtoribus, ac hominibus reguntur, quomodo erunt regnum poſſeſſuræ, & hominibus imperabunt, quibus ſubjici tantùm didicêre, ac nutui parêre paſtoris? cur non potiùs Apoſtolos, vel alios diſcipulos, aut ſaltem viros armis tractandis aſſuetos, militibúſque ducendis, pugníſque inſtituendis aptos non vocat ad regnum? quia non bellando, ſed tolerando, non ſanguinem fundendo, ſed labores ſuſtinendo regnum cœlorum invaditur, & non milites animo feroces, naturâ protervi, moribus fracti, & duri, & ad ſævitiem, ſanguiniſque fuſionem proni, ſed oves mites, greges manſueti, agni innocentes, ac lenes regnum occupant cœlorum, & quibus ut mitiſſimis promittitur à Chriſto: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Non faſtus, ſed lenitas; non pompa, ſed mititas, non divitiæ, ſed manſuetudo ad regnum cœlorum viam ſternunt: qui enim tumidi ſuperbiunt, & ſævi alienum ſanguinem fundunt, à regno excluduntur Eccleſiaſt. 10. 17. *Sedes ducum ſuperborum deſtruxit DEUS, & ſedere fecit mites pro eis.*

Non ſuperbos, ſed manſuetos ad thro- 8
num, & dominium terræ DEUS vocat Iſaiæ 16. 1. *Emitte agnum Domine Dominatorem terræ.* Vocat agnos, utpote manſuetiſſimos ad Dominium terræ. Et Joan. 1. 32. *Vidi Spiritum DEI*

de-

deſcendentem de cælo ſicut columbam, quò nimirum agnus, & columba regnarent in terris, ac dominium exercerent diſpoſiticum, ſupremámq; regiam dignitatem exercerent, ſed quid agnus cum ſceptro? quid columba cum regio diademate? quid avis cum terræ dominio? non eſt columba, non eſt agnus, qui terris dominatur, ſed columbina lenitas, & agnina manſuetudo, quæ hominibus dominatur, quos ſibi ſubijcit, & regalem occupat in terris ſedem: non vocavit ad dominium hocce regale rugientes leones, nec rapaces aquilas, ſed mites agnos, lenéſque columbas; hinc Prudentius Hymno 3. ait: *Agnus vice mirifica ecce leonibus imperat; exagitánsque truces aquilas, ſydere lapſa columba fugat.*

6 Hinc Samuel hoſtiles impetus coerciturus Philiſthinorum, ſuppetias non poſtulavit à ferocientibus leonibus in ſylvis, neque à Pantheris humanum ſanguinem ſitientibus, ſed à manſuetudine, ac lenitate agni. 1. Reg. 7. 9. *Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, & obtulit illud holocauſtum integrum Domino, & clamavit Samuel ad Dominum pro Iſrael, & exaudivit eum Dominus*: ita eſt agnina manſuetudo, non tigrina ſævities Philiſthinorum inſultus compeſcuit: agnum lactentem, ſeu dulcedine lactis perfuſum, & nativa lenitate mitem in ſacrificium obtulit, ut Philiſthæos proſtraret; & quia agnus cecidit in holocauſtum, non ſteterunt Philiſthini, ſed & ipſi cæſi ceciderunt agni manſuetudine victi: quia Dei addicti obſequio hoſtes ſuos vincunt non cædendo, ſed cedendo, non rugitu minante, ſed balatu leniente.

10 Qui cæteris imperant, neceſſe eſt, manſuetudini ſtudeant, & mitirate, ac clementia in throno magis ſplendeant, quàm ornatu gemmatum, aurique nitore; teneturque ſolarem ipſam lucem, ejúſque naturam imitari: id proprium blandæ lucis, umbrarum caligines, belluarum ſævitiem, ferarum crudelitatem ad profunda latebrarum antra detrudere, quatenus ſolis ortus omnem fugat truculentiam ferarum, quarum audaciam coërcet, & ungues retundit: nox enim eſt feritatis nutrix, ac ferarum amica, quas è proprijs latebris evocat, hinc David Pſal. 103. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ Sylvæ, catuli leonum rugientes, ut rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi. Ortus eſt ſol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur, exibit homo ad opus ſuum*, ſeu cùm primùm ſolare ſydus nocturnos excutit timores, ac caligines diſſipat, & terrarum tractus montium faſtigia ſol ſuis illuſtrat radijs, pingitque ſplendore: tunc homo alacer excuſſo timore exit ad opus ſuum ſyderis benignitate ſecurus, amicæ lucis lenitate tutus.

Idque fortaſſis cauſæ, cur Chriſtus in Taboris faſtigio ſolis inſtar ſuos voluerit radios per tractum illum diffundere, ac nocturnas umbras illuſtrare Matth. 17. v. 2. *Reſplenduit facies ejus ſicut ſol: veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix.* In montis ſupremo faſtigio præfigurante regalium dignitatum ſublimiores thronos veſtimenta Chriſtus protulit blandimento candoris, nivíſque mitirate allicientia non ſanguine ſordida, & cædes minantia; quò diſcant, ſedentes in ſupremis dignitatum faſtigijs populos manſuetudine, & lenitate regere, non cruentis cædibus exaſperare. Induit in montis cacumine veſtimenta alba ſicut nix, ut nivis frigiditate in dignitate conſtituti æſtus temperent furoris, iræ extinguant flammas, ac indignationis retundant incendia. Non ſolùm candorem nivis præſetulit in veſte, ut adſtantibus eblandiretur, ſed ſolis etiam aſſumpſit ſplendorem in facie animos reconciliaturus clementiâ: ſcimus, Cajum Cæſarem de hoſte proſtrato victorem ita ab ira abſtinuiſſe, ut non ſolùm victos decreverit non ulciſci, ſed curaverit, honoribus affici; unde Seneca lib. 2. de ira cap. 23. ait: *Fecit hoc & Cajus Cæſar ille, qui victoria civili clementiſſimè uſus eſt, cum ſcrinia deprehendiſſet epiſtolarum ad Pompejum miſſarum, ab iis, qui videbantur, aut in adverſis, aut in neutris fuiſſe partibus, combuſſit: quamvis enim moderatè ſoleret iraſci, maluit tamen non poſſe.*

Hac manſuetudine, animíque lenitate etiam ſplenduit Joſephus Jacobi filius, ac propterea ad ſublimem in Ægypto dignitatem promotus. Erat Joſephus ocellus Patris ſui Jacobi, eò quia in ſenectute eum genuerit, & cuj propterea polymitam veſtem, ſeu togulam multicolore filo eleganter contextam fieri curavit in amoris præcipui teſſeram: ſexdecim erat Joſephus annorum cùm à Patre miſſus fuit ad fratres, paſcendis gregibus occupatos, exploraturus quid agerent: quia mitiſſimus erat adoleſcens ſe ſtatim flexit ad nutum parentis, & ad fratres, veriùs tamen carnifices, acceſſit: hi ſiquidem procul venientem adoleſcentem intuiti conſilium de cruenta illius cæde inierunt, cúmque eum interimere concluſiſſent, unicus frater Ruben ejus ſanguini fundendo obſtitit, rogavitque reliquos fratres, ut ſicca morte non cruore madida adoleſcentem è vivis delerent, in ciſternam dejectum enecarent, cúmque conſilium cæteris placuiſſet. adoleſcentem polymita veſte exuerunt, & per funes in profundam dimiſerunt ciſternam, ut lenta fame deficeret; ac moreretur: non tamen diu latuit in ſubterraneo illo carcere: ſiquidem Authore Iuda retrahitur, & Madianitis negotiatoribus viginti divenditur argenteis, à quibus in Ægyptum abducitur, & Putiphari iterum pro pretio addicitur: ſed Joſeph poſt ſuperatam fratrum procellam, ac calamitatum fluctus, ſi non portum appulit, thronum inſcendit, in quem manſuetudo eum provexit: & in illo dignitatis faſtigio nil magis cordi fuit, quàm manſuetudini, & lenitati ſtudere: cum enim fratres fame adacti in Ægyptum venirent, ubi facilè potuiſſet Joſephus illatam ſibi injuriam ulciſci, adhuc lenitate, ac manſuetudine voluit ipſis eblandiri, ac menſam inſtruere, ut defeſſi ex itinere detritas vires reficerent Geneſ. 43. v. 37. *Sederunt cum eo*, & quos potuiſſet ſupplicijs, ac tormentis punire, luxu in epulis recreavit; novúmque genus virtutis homines edocuit, lædentem non lædere; imò 11

lædenti injuriam non immittere, ſed immiſſam remittere; ſed cur Joſeph in faſtigio dignitatis dignam de fratribus ultionem non expetiit? quia nimirum manſuetudinis ſtudioſus à cæde, ac ſupplicijs abhorruit; noluit dignitatem fraterno ſanguine fœdare, neque manſuetudinis claritatem umbris vindictæ obſcurare. lenitatis ſplendorem extinxiſſet, ſi dignitatem in ultionem propriæ injuriæ armâſſet, huc accerſendus Baſilius Seuleucienſis orat. 3. *Fert convictus domeſtici ſocios ſui nundinatione prius altos, & oblati per quietem manipuli e. igunt. Accepta igitur ulciſcendi poteſtate, videamus qualis fuerit. An tunc qui ſplendeſcebat, virtutis characterem obſcuravit? Num ex dignitatis occaſione præclarè factorum habes, & ruina ſubſecuta eſt? Nequaquam: cùm enim in manibus haberet homines injurios, & punire, non fratres; ſed hoſtes potuiſſet, quid egit? vide inuſitatam ultionis formam: invidiam, venditionem, belluinamque immanitatem humanitatis obſequijs ulciſcitur.*

Quàm pulchrum, quàm laudabile inven-
12 tum ulciſcendi ſibi illatas injurias! beneficij inflicta vulnera compenſare, amoris oſculis innutriti odij delere livorem; & præſtitis obſequijs invidentiæ mederi ulceribus! hæc ars non niſi in ſchola addiſcitur manſuetudinis, hæc morum magiſtra docet lædentem non lædere, injuriam lædenti non immittere, ſed immiſſam remittere: hanc eandem methodum delendi injurias ſibi irrogatas nos edocet Magiſter Chriſtus Math. 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde:* idque fortiùs exemplo, quàm verbis nos docuit: tota enim vita Chriſti tela fuit, in qua penicillo patientiæ, & colore reliquarum virtutum veram delineavit manſuetudinis effigiem. Fuit Chriſtus in medio Judæorum Luc. 1. *veluti ſignum, cuj contradicetur*, ſeu veluti ſcopus, in quem omnia conviciorum tela collimârunt, omnia malevolentiæ jacula, odij ſpicula, invidentiæ ſagittas adnixi ſunt intorquere; ſed Chriſtus maluit manſuetudine hoſtilia retundere ſpicula; quàm ſuæ poteſtatis virtute multatas propellere; cives arſerunt in eum indignatione; ſatrapi ex invidentia lethalem effuderunt livorem; populi eum ſequuntur, ſed non melioris diſcendæ frugis causâ; ſed opis accipiendæ gratiâ: non capiunt imperiri, qua ratione ſe dicat filium Dei: doctores inſidias conſtruunt, quò eum capiant in ſermone; ſi miraculorum patratione ſuam manifeſtat virtutem, ſcripturarum exiguntur teſtimonia; ſi populos docet divina myſteria, quærunt, unde homo idiota, & arti fabrili addictus literas noverit; ſi in illorum præſentia infirmis ſanitatem impertitur; cæcis à nativitate viſum; claudis greſſum, paralyticis incolumitatem, & mortuis vitam reſtituit, hæc miraculorum genera non approbant; ſed pro animi libidine, pro invidiæ livore, alia exigunt, & quæ ipſi volunt eſſe facienda: ſi illos monet, ut corrigantur, offenduntur, ſimùlque illi iraſcuntur; ſi noxas illis remittit, obmurmurant, & gratiam interpretantur blaſphemiam; ſi è corporibus obſeſſis dæmones pellit, id ajunt fieri potius ex familiari, & clandeſtino cum iiſdem commercio: ſi Samariam ingreditur, incolæ eum ab urbe excludunt, ut amicum Judæorum: ſi revertitur in Judæam Samaritanum Judæi eum pronunciant; ſi de regno, regiáque dignitate loquitur, habetur ut ſeditioſus: ſi de abjectione, & humilitate Sermonem inſtituit, & hanc virtutem alios edocet, non creditur eſſe Meſſias; fuit enim *veluti ſignum, cui contradicetur*, ut habetur *Luc. 1.* & tamen Chriſti manſuetudo ſemper triumphavit; fuit enim Chriſtus in omnibus illis obtrectationibus adeo pacatus, & tranquillus, ut à ſerenitate vultûs, à lenitate verborum, ab animi quiete nunquam viſus ſit deflexiſſe; & quamvis in eos polleret authoritate, potuiſſétque punire, nemini tamen obeſſe voluit; ſed omnibus prodeſſe; nulli unquam manum admovit, niſi ut beneficium impertiret. 13

Nullum vidit, quem gratijs non cumularet; adeout ſi hoſtes vicerit, non ferro, & armis proſtraverit, ſed manſuetudine ſuperaverit; & Deus Pater fuerit, qui hoſtes ſub ejus poſuerit pedibus Pſal. 109. 1. *Dicit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Quid? quòd æternus Pater ſub Chriſti pedibus inimicos ponere voluerit; quando Chriſtus ipſe fatetur, datam ſibi omnem poteſtatem in cœlo, & in terra: Math. 28. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* Accepit Chriſtus omnem poteſtatem, non tamen, quâ hoſtes proſterneret; ſed quâ proſtratos erigeret; oppreſſos elevaret, ærumnoſos ſolaretur, inopes ditaret, ac omnes beneficijs cumularet; propterea ſuos juſſit diſcipulos proficiſci in ſingulas terræ regiones, & viam ſalutis edocere omnes gentes Math. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes:* licèt omnis poteſtas fuerit ei data, non tamen inimicis tormenta decrevit; ſed eorum injurias ſibi illatas oblivione delevit, & eos beneficijs, ac favoribus affecit: totam vindictam Pater ſibi adſcripſit, cum dixit: *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum;* non Chriſtus injurias ſibi illatas ulciſci voluit, cum pro necem ſibi inferentibus rogaverit; *Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt:* ſed Pater juſtitiæ ſatisfecit: ait Euthymius: *Pater aſſumpto in cælum Chriſto dixit ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum:* & licèt utriuſque Patris, & filij fuerit una, & eadem poteſtas; attamen ad noſtram eruditionem dum throno inſidet filius, non dicitur hoſtes pedibus conculcâſſe, ſed Pater Juſtitiæ ſatisfacturus conculcandos ejus pedibus ſubjecit: quò diſcant, qui poteſtatem acceperunt, poteſtatem ſuſceptam hoſtili ſanguine non fœdare. 14

Habentibus poteſtatem ulciſcendi, viriſque principibus neceſſaria eſt clementia in hoſtes, quod cum noviſſet Auguſtus Cæſar Cinnæ vitæ ſuæ inſidianti, necémque molienti non ſolùm pepercit; verùm & ad conſulatûs provexit dignitatem, & amicitiâ ſibi devinxit: obſervatum ab hiſtoricis fuit; neminem ex

in-

inde in Auguſtum inſurrexiſſe, cujus vitæ plures antea fuerant inſidiati: quia clementia in principe ſubditorum exaſperatos lenit animos, iram extinguit, & odij gelu amoris fervore diſſipat, abigitque. Titus Auguſti manſuetudinem imitatus, duobus patritijs adoleſcentibus inſidias parantibus, quibus mortem ei inferrent, & cum rei læſæ majeſtatis vincti tenerentur, ultro ignovit; ut refert Suetonius inquiens: *Duos patricij generis convictos in affectione imperij, nihil ampliùs, quàm ut deſiſterent, monuit, dicens principatum fato dari. Si quid præterea deſiderarent, promittens ſe tributurum; nec ſolum illos familiari cœnæ adhibuit; ſed & ſequenti die gladiatorum ſpectaculis circa ſe ex induſtria locavit*: & ex inde Titus deliciæ Romani populi, & amor humani generis audijt; quia clementia, & lenitate ſtuduit hoſtium animos ſibi devincire, & omnes beneficijs cumulare. Titum imitari alij Cæſares adnixi ſunt. Adrianus Cæſar honoribus auxit, quos privatos hoſtes habuit. Antoninus plura fuit beneficia ijs impertitus, quorum inſidias, & arma expertus fuerat. Alexander Severus clementia & lenitate nefarias Quintij Camilli ſenatoris molitiones everrit; amicúmque inde ex hoſte ſibi effecit. Conſtantinus adminiſtris ſuadentibus, ut puniret deformatores ſtatuæ Imperatoris in foro, reſpondit: *Ego nullum vulnus ſentio.*

Magnos animos, & imperio dignos man-
15 ſuetudo commendat; talis fuit David, quem Baſilius Seleucienſis probat ob lenitatem, & manſuetudinem electum a Deo fuiſſe in regem Iſraelis. Magnanimus ſimul, & manſuetus fuit David. Populi communiſque ſalutis hoſtem audacter in valle proſtravit, in quam pugnaturus contra Goliathum deſcenderat, inermis contra cataphractum, puſillus contra gigantem, adoleſcens contra veteranum militem minas, terroréſque ſola voce ſpargentem. Quòd ſi David Goliathum generosè proſtravit, Saulem infenſiſſimum ſibi hoſtem incolumem ſervavit. Vexabatur Saules à nefario atræ bilis genio, mœſtitudini leniendæ causâ ex medicorum conſilio accerſitur è gregum cuſtodia adoleſcens David Bethlehemites, cujus peritia fidium, ac pſalterij cacodæmon exagitator ſopiretur; nec cunctatus, è caula ad aulam feſtinus acceſſit, & lyræ luſu, harmonióque vocis concentu, ſed efficaciùs fuſis ad Deum precibus malignos diſcuſſit humores; regíſque animum diſſipatis triſtitiæ nubibus ſerenavit, & ad priſtinam reduxit ſerenitatem, malo genio inde fugato: ſed poſt aliquid temporis reverſus iterum Saulem infeſtavit; & David accerſitus pulſu citharæ, vocisque grato modulamine tartareum inquilinum abegit: ea erat fidium harmonia, ea vocis lenitas, & ſuavitas; ut afflictum regem exhilararet. Verùm Saules mundi præmio cumulaturus Davidem, non aurum ad eum direxit; ſed ferrum in haſtæ acumine in eum contorſit, quem lethali inflicto vulnere è vivis deleret: David verò manſuetudine, & lenitate affectus oſori indulget, ejus ſaluti conſulit 1. Reg. 18. v. 11. *Declinavit David à facie ejus ſecundò*; hoc eſt ie à Saule ſubtraxit non timidus, ſed magnanimus; non indignatione, & ira accenſus, ſed manſuetudine & lenitate pacatus, cum David Goliathum hoſtem communem proſtráſſet, ut gloria ſurgaret Iſraelis; Sauli hoſti privato pepercit; & venia, ac manſuetudine ad regiam volavit dignitatem: ait Baſilius Seleucienſis orat. 15. *Militem ſuum producit in medium, gratia verè regem factis declarans*: neque putes alijs factis regiam promeruiſſe dignitatem, quàm mulcta gigantis communi ſaluti adverſantis, & veniâ datâ Sauli ſibi inſidianti. Latebat David profuga cum ſuis militibus ſexcentis in quadam ſpelunca longo receſſu opaca Engaddææ ſolitudinis, & ad necem quærebatur a Saule tribus millibus fortiſſimorum bellatorum ſtipatus; cúmque Saules naturæ forſan levandæ cauſa ſpeluncam fuiſſet ingreſſus, aggreſſus quidem eum David fuit, qui tacitus ad Saulem acceſſit, non tamen caput ut gigantis amputaturus, ſed fruſtulum chlamydis regiæ abſciſſurus; Davidis manſuetudini ſatisfuit, Chlamydis regiæ fruſtum non ſentienti reſecare, nefas ratus in eum ſævire, quem Deus ad regni faſtigium ſua electione provexerat. Mox egreſſo è ſpelunca Saule David quoque in apertum progreſſus, Regem Saulem inclamat, qui ad agnitam vocem cum ſe convertiſſet; David ſubmiſſa veneratione infenſi Saulis animum lenire, ac mitigare ſtuduit; poſtea modeſtè conqueſtus eſt; cum ne juſtæ quidem ultioni indulgere voluerit, injuſtis ab ipſo odijs infeſtetur, & ad necem quæratur. Qualis non fuit Davidis clementia cum tam generosè hoſti pepercerit capitali: quibus laudibus ſufficienter efferenda eſt ejus manſuetudo, ac vindictæ continentia? dixit David 1. Reg. 24. *Pater mi, vide & cognoſce* Saul ætate fuit pater Davidis, quia ſexageſimum tunc exceſſerat, cum David viginti ſeptem tantùm eſſet annorum. Affinitate poterat etiam dici pater, quia ſocer erat. Manſuetudini demiſſionem etiam copulavit ſubdens: *quem perſequeris Rex Iſraël, quem perſequeris? canem mortuum perſequeris; & pulicem unum.* Quid pulice vilius? quid mortuo cane, ac putreſcente abjectius; & tamen David quamvis de proſtrato Goliatho victor, adeo manſuetus, ac humilis fuit, ut demiſſiſſimè ſe Sauli ſubjecerit; ſed & tunc illuſtrior ſurrexit ad uberiora gloriæ incrementa; magis glorioſus de ſuperatâ per manſuetudinem vindictâ & ultione, quam potuiſſet à Saule exigere; quàm de amputato Goliathi capite, gladio è proſtrati gigantis vagina educto; fugatóque toto Philiſthinorum exercitu: appoſitè S. Chryſoſtomus homil. 2. de Davide, & Saule, ait: *Saul egreſſus eſt è ſpelunca; egreſſus eſt autem poſt illum, & David, liberis oculis cœlum intuens; ac tunc temporis magis exultans, quàm cum Goliath dejeciſſet, ac barbari caput amputaſſet. Siquidem hæc illa præſtantior erat victoria; hæc magnificentiora ſpolia; hæc præda illuſtrior, hoc glorioſius trophæum. Itaque redijt non barbari illius caput*

put

put geſtans, ſed animi commotionem ſuperatam, ſed iram enervatam: neque hæc ſpolia repoſuit Hieroſolymæ, ſed in cælo, inque ſuperna illa civitate; nunc haudquaquam in choris obviam veniebant fœminæ excipientes illum cum laudibus; ſed Angelicus populus è ſublimi applaudebat admirans ejus philoſophiam, & humanitatem.

16 David manſuetudine Saulis iram extinxit; & dum ab ejus cæde abſtinuit; gloriam ſibi promeruit, quam oblivio nunquam delebit. Ulciſcendi cupiditas tumultuantes in humanis pectoribus fluctus ſemper excitavit; is regiæ dignus regimine, qui turbulentiſſimum hunc affectum compeſcit, non armorum ſtrepitu, ſed manſuetudinis ſilentio; nulla victoria nobilior eâ, quæ de ſuperato deſiderio ulciſcendi injurias ſibi illatas defertur; idque nonniſi prægrandi datur animo ſe ipſum glorioſa fortitudine vincenti; ſcitè Seneca lib. 3. de Ira *Ultio, doloris confeſſio eſt; non eſt magnus animus, quem incurvat injuria. Aut potentior te aut imbecillior læſit, ſi imbecillior parce illi; ſi potentior parce tibi.* Quem vindicta hoſtili ſanguine cruentat, ira priùs proſtravit; & quia victus non proprio; ſed alieno rubeſcit cruore. Is fortis, quem manſuetudo flectit ad veniam; quem clementia emollit ad indulgendum. Qui ſpiritu Dei ducuntur irâ non accenduntur, ſed manſuetudine ad veniam pertrahuntur. A Syriæ rege Benadado perpetuo Iſraelitarum hoſte quæritur ad necem Eliſæus, eò quia pluries bellicos ejus eluſiſſet conatus, ne Iſraelitis obeſſent, nullum afferrent nocumentum; miſitque propterea peditum, equitúmque manum, quæ Dothainum oppidum, in quo tunc degebat Propheta, circumvallaret, & Eliſæum ſuis ſibi conſilijs adverſiſſimum caperet, ac in poteſtatem redigeret. Veniunt armatæ turmæ, terrorem oppidanis inijciunt, extremum metuentibus excidium; in hac trepidatione, famulus ad Eliſæum currit, nunciátque oppidum ab hoſtibus Syris vi armata obſideri; & oppidanos timore perculſos ſuppetias expoſtulare; juſſit Propheta, famulum bono eſſe animo, & caſtra caſtris adverſantia intueri; ſimúlque ei oſtendit montem armatis coopertum militibus, cum curribus, equiſque igneis, ſuiſque inſeſſoribus, minas, terroréſque ſpargentibus; credidit famulus armatas phalanges cæleſtes eſſe Spiritus è cœlo ſubmiſſos in auxilium Dothainarum contra Syros aggreſſores; tunc famulus revocato animo ultrò cum Propheta extra oppidum progreditur Samariam verſus, ubi hoſtes itinera infeſtabant. Cúmque vidiſſent ad ſe venire hominem ex oppido egreſſum vultu truci, vocéque minaci obviârunt illi, & Eliſæum de Eliſæo ſciſcitati ſunt, negavit rectam milites perambulare viam ad Eliſæum deprehendendum; quem ſi quærant velle ipſos ducere: quidni præit Eliſæus, ſequuntur milites; ſed dum procedunt, inhiántque prædæ oculis glaucoma objicitur; ut cæcutientes nil viderint & Eliſæo duce in urbem Samariam hoſtilem perducuntur; ubi potuiſſent gladijs trucidari, omnéſque interimi, niſi manſuetudo Eliſæi obſtitiſſet, & qui à militibus quærebatur ad mortem, vitam iiſdem ſervaſſet incolumem; & illatas ſibi injurias exhibitis beneficijs delevisſet: perſuaſit ſiquidem Regi, ut hoſtibus arte divina captis nil inferret detrimenti, imò ijſdem prodeſſet, ac beneficijs cumularet: Rex Eliſæo obſecutus milites excepit non ut hoſtes, ſed ut hoſpites, lautóque convivio recreavit, qui mirantes ſibi pro morte obſonium, pro pœna parari epulum; odium in amorem commutârunt, quo non ampliùs inſecuti, ſed proſecuti fuerunt Eliſæum, ac ſingularis beneficentiæ præcones in Syriam reverſi fuerunt, & qui ut hoſtes venerunt, amici diſceſſerunt 4. Reg. 6. v. 21. *Dixit Rex Iſraël ad Eliſæum cum vidiſſet eos, nunquid percutiam eos Pater mi? at ille ait: non percutiàs, ſed pone panem, & aquam coram eis, ut comedant, & bibant, & vadant ad Dominum ſuum.* Non armorum violentiâ, non inflictis vulneribus, nec cruenta cæde hoſtes vicit Eliſæus, ſed manſuetudine eorum coercuit audaciam, fregit duritiem, extinxit iram, & per impertita ijſdem beneficia non ſolùm eorum delevit odium, verùm & amorem inſculpſit in eorundem corde, quo Eliſæum, ut Patrem dilexerunt.

Sed ſi Propheta adeo manſuetus fuit in milites armatos, ut beneficijs eos cumulaverit, cùm potuiſſet eos juſtè ulciſci, ac proprio ſuo extinguere ſanguine; cur Propheta pueris non pepercit inermibus præſertim cùm pueri verbis duntaxat ipſum inſultaverint, quem milites verberibus ad necem quærebant. Bethelem oppidum Tribus Ephraimiticæ in montis faſtigio conſtructum aſcendebat: cúmque pueri Prophetam vidiſſent montem inſcendere, ſenile calvitium cœperunt exſibilare. Puerorum offenſus Vates convicijs, magisque parentum ſcelere, qui malè linguatos pueros peſſimè educârunt, ne propriam læderet manſuetudinem, tacuit, ſed divina Nemeſis impunitam noluit injuriam abire, ſed geminos de ſylvis evocavit urſos, qui prorumpentes contra pueros duos ſupra quadraginta in fruſta diſcerpſerunt, 4. Reg. cap. 2. v. 23. *Cùm aſcenderet per viam, pueri parvi egreſſi ſunt de civitate, & illudebant ei dicentes: aſcende calve, aſcende calve. Qui cùm reſpexiſſet egreſſi ſunt duo urſi è ſaltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Quærunt Expoſitores, cur manſuetus non fuerit Vates in pueros, illatáſque ſibi injurias non condonaverit, ac convicîantibus non pepercerit? præſertim cùm fuerint pueri inermes, qui nonniſi verbis, non verberibus potuerint Prophetam lædere: qui tamen ultro viris armatis, à quibus ipſe ad internecionem quærebatur clementiam exercuerit, ac beneficijs cumulaverit? ſi venia donandi erant, pueris potiùs parcendum erat, & non militibus, qui ira ſuccenſi, & lethali odio pleni Vatem nitebantur è vivis delere: cur ergo inermes pueri cruenta cæde puniuntur; & milites, armati beneficijs cumulari dimittuntur? cùm æquè milites, ac pueri injuriam intulerint Pro- 17

phe-

phetæ, & militer graviorem, iſti potiùs mulctandi videbantur, non pueri, qui verbo tantùm, & non verbere potuerunt Prophetæ nocere, ait Textus *pueri parvuli illudebant ei.* Reſpondet D. Auguſtinus ſerm. 204. de tempor. *Rem parentibus inſtigantibus feciſſe pueri contumelioſi credendi ſunt:* & quia parentes non per ſe, ſed per filios parvulos inſultaverunt Prophetæ: ijdem in cruenta cæde filiorum acriùs fuerunt mulctati; non tamen à Propheta, ſed ab urſis divinæ Nemeſis adminiſtris. Potuiſſet Eliſæus verberibus excipere pueros, à quibus verbis impetebatur, ſed manus noluit in ullum eorum inijcere, ne manſuetudinem læderet, quæ convenit Prophetæ, qui omnibus prodeſſe, & nemini obeſſe debet. Qualem Deus in homines manſuetudinem exercet; hanc vult à ſuis prophe-
18 tis, & ſervis in proximum derivari. Idque Joanni oſtendit cum in Inſula patmos ei obviavit oppanſa dextra manu ſeptem illuminata ſyderibus Apocal. 1. 16. *Et habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem.* Mirum quòd cum Joannes omnia in Chriſto deſcripſerit, ſiniſtræ manûs non meminerit? capillos, veſtem, faciem, vocem, pedes, & dexteram recenſuit, non verò ſiniſtram; quia per dexteram manſuetudo, & per ſiniſtram juſtitia, & ſupplicium indicatur: hinc in extremo Judicio electi ad dextram ſtabunt; reprobi ſiniſtram occupabunt.

Plus etiam potuit Propheta manſuetudine, quàm adhibita violentia. Inviſurus Propheta collegia, quæ ſibi ſubijciebantur, per conſuetam proficiſcebatur viam, qua itur ad urbem, cuj nomen *Suna*, ubi matrona virtutibus ornata marito perſuadet, ut Eliſæo frequenter illac tranſeunti prandium apparet, ea ferculorum tenuitate, qua noverat, Eliſæum delectari. Cúmque Vates officium non reſpuiſſet hoſpitalitatis, advertit, audium Dominus unum ad felicitatem deeſſe hæredem; quem ſpondet hoſpitæ, quæ fidem adhibuit Prophetæ, & non poſt multum temporis filium genuit, quem & feliciter peperit; ſed lætitiæ ſerenitatem triſtitiæ nubes perturbârunt, & parentum gaudium mœror ſtatim extinxit; quippe trimulus puer ex ardore ſolis (fuerat enim ruri ad patrem cum meſſoribus agentem delatus) æſtum contraxit febrilem, qui in mortis occaſum in eum ipſo meridie detulit, vitámque extinxit in materno gremio. Mulier tamen non ignara Prophetam æquè potentem eſſe in vita reſtituenda filij, ac in danda, ad ipſum proficiſcitur in Carmelo tunc degentem: lacrymiſque expoſuit luctum, & fletu efficaciùs, quàm lingua Prophetam flexit in ſua vota: permotus Eliſæus dolore ac lacrymis afflictiſſimæ matris famulum Giezium amandavit ſuo inſtructum baculo, ut eo cadaveri impoſito calorem in frigidos artus, animámque in demortuo corpore revocaret: Sed quamvis famulus fuiſſet Vati obſecutus, non tamen voti compos fit mulier, quia famulus uſu baculi nihil effecit, nec vitam reſtituit demortuo puero. Tunc Eliſæus Sunam profectus funus invenit in lectulo cubiculi ſui collocatum, & ut parentibus eſſet ſolatio cœpit Vates preces fundere, ut DEUS ſuam virtutem profunderet; poſtea incubuit ſuper puerum 4. Reg. cap 4. 34. *Ingreſſuſque clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper puerum, & oravit ad Dominum. Et aſcendit, & incubuit ſuper puerum, poſuitque os ſuum ſuper os ejus, & oculos ſuos ſuper oculos ejus, & manus ſuas ſuper manus ejus, & incurvavit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri:* qui cœpit aperire os, & oculos, Spiritum ducere, reviviſcere, ac iterum parentibus renaſci: nimirum quem 19
virga terroris ſuſcitare non valuit, manſuetudo Prophetæ ad vitam revocavit: durities baculi mortem non abegit, quæ baculo durior perſtitit in puero; & tantùm Vatis ceſſit manſuetudini, quam Eliſæus tunc exercuit, cum parvulo ſe accommodavit & compoſuit: Non potuit Giezius cum baculo puerum ſuſcitare, quem Eliſæus humili & manſueta inclinatione ad vitam revocavit: non durities baculi, ſed flexibilitas manſuetudinis mortis vicit contumaciam, ſuperavitque pertinaciam.

Adeo manſuetudo Deo placet, ut ea pollere voluerit Patriarchas, qui Chriſti Domini parentes futuri erant; voluit enim paſtoritio muneri addictos, quò ex ovium lenitate, gregiſque mitiſſimi manſuetudinem addiſcerent, ac mitiſſimum induerent animum: & revera, cùm Chriſtus agnus eſſet futurus immolandus in ara crucis ad redimendum humanum genus, decuit parentes ejus ſecundùm humanitatem Paſtores fuiſſe, qui curam agni gererent, eique præirent; formámque blandioris regiminis in nepotes transfunderent. Paſtoritiam exercuit Abraham, quem Deus in Regum parentem elegit; quo manſuetudinem ab ovibus perceptam, nepotes populorum moderatores edoceret. Paſtor fuit Iſaac; & paſtoritiam exercuit Jacob apud Labanum ſocerum, cuj inſervivit ob Rachelem, quam duceret in uxorem, imò & poſt nuptias in eadem perſeveravit paſtoritia arte ait Philo Hebræus lib. de ſomnijs *Poſt eas nuptias præfuit ad principatum ſe præparans; nam paſtoralis ars ad regimen eſt præludium: hoc eſt ad regimen hominum gregis manſuetiſſimi.* Nimirum cùm Deus Patriarcham Jacobum deſtinâſſet in principem Princi- 20
púmque progenitorem, decuit paſtoritio inſtrui munere, quo manſuetudinem edoctus eandem, quam ab ovibus didicit, in populos exerceret. Eſt paſtoritia ars, typus perfecti regiminis, non ſolùm quia Paſtores manſuetudini ſunt addicti, quam à grege manſuetiſſimo addiſcunt, verùm etiam, quia invigilant, ne lupi quidquam damni inferant ovibus ſibi concreditis.

Manſuetudine, & vigilantiâ, qui pollent, ad hominum regimen aptantur: & DEUS Paſtores ſelegit, quos regimini præficeret populorum: agnorum enim manſuetudo, quam Paſtores exemplo fortiùs, quàm balatu hauriunt, ac cordi imprimunt, non ſolùm pedo eos armat; ſed ſceptro e-

tiam ornat, ſcitè Philo lib. de Joſeph: *Præterea reges vocant paſtores populi: nam qui ſummus eſt in arte pecuaria, facilè Rex bonus evadit.* Idque cauſæ, cur Joannes Evangeliſta viderit Regem Regum, ſeu Dei filium in throno ſublimi ſtantem, non armis ſtipatum, non auro, gemmiſque fulgentem, ſed agnina pelle veſtitum Apocal. 5. 6. *Et in medio ſeniorum agnum ſtantem tanquam occiſum*: & procedentes viginti quatuor ſeniores coronas ſuas ante thronum tributarias mittebant. Mirum tamen quòd non potiùs in perſona Paſtoris, quàm in ſpecie agni Rex Regum & Dominus dominantium apparuerit, cùm ſeniores ejus ſubeſſent regimini. Nimirum adeo agnorum manſuetudinem exprimebat, ut non tam Paſtor, quàm agnus videretur: manſuetudinem, ut edoceret Reges terræ, agnum maluit referre, quàm Paſtorem; quia Paſtor manſuetudinem ab agno addiſcit; ſed quia agnus mitiſſimus tunc dignus imperio cognoſcitur, & non una tantùm corona ornandus, ſed pluribus, quas ſeniores procedentes offerunt agno ſedenti in throno, ideo ſola agni manſuetudo primatum promeretur, quo præſit Regibus omnibus terræ, quod cùm innotuiſſet Iſaiæ ait cap. 16. 1. *Emitte agnum dominatorem terræ.* Obſervatu dignum, quòd cùm Prophera expoſtulet dominatorem, eum agnum vocet, quia agnina manſuetudo dominatorem decet; nec mereatur dominari, qui miteſcere non didicit, quo inde diſcant Eccleſiæ præſertim Paſtores, & Prælati manſuetudinem fovere, & exercere in omnes, ac mitia præcordia præſeferre.

21 Mirum tamē quòd Deus Noëmum alloquens dicat Geneſ. 9. *Terror veſter, ac tremor ſit ſupra cuncta animantia terræ*: ſi ſupra animantia terræ, cur non etiam ſupra homines: nimirum quia homines non terrore, ſed amore reguntur, non baculo, ſed manſuetudine ducuntur: non illi populis regendis habentur idonei, qui terrores ſpargunt, tremores excitant, timores incutiunt, ſed qui manſuetudine lenes, amorem fovent, & populos benignitate, & lenitate ſibi devinciunt. Idque cauſæ, cur Chriſtus electurus D. Petrum in ſupremum Paſtorem ſui gregis, eum priùs interrogaverit, num eum diligeret ſupra cæteros Joan. 21. *Simon Joannes diligis me plus his?* & ubi audivit ab eo impenſiùs amari, regimen eidem concredidit ſui gregis: *Paſce oves meas, paſce agnos meos*: quia amore, & manſuetudine affecti digni ſunt, ut cæteris præficiantur, appoſitè Iſidorus Clarus expendens verba Chriſti Joan. 21. *Paſce oves meas* ait: *Ac ſi apertè dixiſſet Dominus, non debes paſtoris officium accipere, niſi charitate cæteris antecellas, quod jam tibi faciendum eſt*: nimirum quem ſupra cæteros conſtituere decreverat, eiſque regimen ſui gregis concredere, ſupra cæteros charitate ferventiorem, & manſuetudine illuſtriorem eſſe voluit: vult Paſtorem manſuetum eſſe, & amantem ſui gregis, quem paſcat; ſi quæras quo pabulo reſpondet Hugo alloquens Paſtorem: *Paſce mente, paſce ore, paſce opere, paſce animi oratione, paſce verbi hortatione, paſce exempli exhibitione.*

Hinc D. Paulus regimen ſubditorum nonniſi manſuetis cenſuit eſſe concredendum ad Gal. cap. 9. *Vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Spiritu manſuetudinis agere debet, qui cæteris præficitur: manſuetudo ſiquidem animis flectendis aptior ſemper eſt, quàm baculi durities, qua faciliùs ſubditi franguntur, quàm flectantur: quinimò Deus ipſe nonniſi miſericordia mundum gubernat, cùm miſericordiâ ejus plena ſit terra: & quia miſericors non eſt, qui manſuetudine non claret, ideo Apoſtolus vult Galatas inſtrui in ſpiritu lenitatis: ac ſi dicat, addit D. Bernardus: *Inter miſericordes deputari non poteſt, qui in ſemetipſo mitis non eſt.* Qui enim manſuetudini, & mititati non aſſuevit miſericordiam in alios vix exercere valet, & qui in alios miſericors non eſt, alios regere vix poteſt, non enim rudis ſubditus ſe inſtrui patitur ab inſolente duro ac iracundo paſtore; non durities ſed lenitas; non iracundia, ſed manſuetudo; non ruditas, ſed clementia regendis populis apta eſt. Oves patienter ſunt ducendæ, ac regendæ, ſi erraverint manſuetudine ad rectum tramitem ſunt reducendæ; & qui hominibus præeſt, errores ſubditorum ſuavitate & manſuetudine opus eſt corrigat, quòd ſi Paſtoris baculus virga etiam dicitur, molliries, & flexibilitas virgæ in ſubditos adhibenda eſt; & durities baculi in hoſtes, lupóſque nitentes damnum ovibus inferre. Quod ſi pervicacia ſubditi mulctam exigat, adhuc virga ovem percutere debet, & baculus lupum, ut ſupplicij moderatio amorem non abigat, ſed augeat in ſubditis erga rectorem, tunc enim attendentes ad manſuetudinem, & miſericordiam flagellantis dicunt cum Davide Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.

Delectatur Deus manſuetudine præſertim in viris principibus, qui regimini præficiuntur cæterorum, quia per exercitia clementiæ, & manſuetudinis conſtituit ſibi conſimiles Geneſ. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*: ſi quæras, in qua hominis dote præ cæteris ſplendeat hæc Numinis imago; perpende in homine manſuetudinem, hâc ſit homo ſimilis DEO, quia ut loquitur D. Gregorius in Geneſ. 1. *Dum manſuetudo amittitur, ſupernæ Charitatis imago vitiatur.* Inde conjice quanti DEUS manſuetudinem, & clementiam in homine faciat; dum ob hujus virtutis exercitia ſibi ſimilem efficit, quod cum innotuiſſet Claudiano cecinit. *Nam cum vincamur in omni munere, ſola DEOS æquat clementia nobis.* Quòd ſi cle- 22

men-

ſententia homines provehit ad Numinis ſimilitudinem, thronúmque principatûs; ſævities, & immitas, haut DEI obliterant in homine ſimilitudinem; & è faſtigio dignitatis in imum detrudunt calamitatis, deijciúntque infra hominum cætus. Idque nos edocet Nabuchodonoſor. Huic quieſcenti ſomnóque ſopito objecta fuit ſtatua quadriformis, capite aureo, pectore argenteo, ventre æneo, tibijs ferreis, deſinebátque ſtatua in pedes ex luto, ferróque permixtos, portendebátque quatuor mundi imperia, Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, Romanorum conterenda uno tamen lapide de montis faſtigio ruituro juxta Danielis interpretationem: Lapis iſte Chriſtus eſt natus ex Maria Virgine abſque humana opera, ſed ex Spiritu Sancto, Maria Virgo Mons eſt omnium virtutum ſublimitate coagmentatus, ſurgensque in eam ſublimiſſimam eminentiam, quâ cæteros Sanctorum montes longiùs exſuperet, cum eorundem ſuprema faſtigia vix hujus montis attingant fundamentum, quia ut ait Regius Vates *Fundamenta ejus in montibus Sanctis*; hoc eſt fundamenta hujus ſublimiſſimi montis Mariæ locata ſunt ſuper aliorum Sanctorum eminentiorem perfectionem, quod etiam innuit Iſaias c. 2. *Et erit præparatus mons domûs Domini in vertice montium*: plenitudo gratiæ, quæ in alijs fuit vertex, & culmen, in Beata Virgine baſis fuit, ac fundamentum; quia eminentia gratiæ Virgini cælitùs impertitæ tanta fuit ratione maternitatis filij Dei, ut ultra procedere nequiverit: ait S. Gregorius in 1. Reg. c. 1. *Mons quippe in vertice montium fuit Beatiſſima Virgo Maria, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ dignitate tranſcendit.* Fuit igitur Mons iſte è cujus faſtigio lapis decidit, qui ſuperbientem confregit ſtatuam: & hunc lapidem Chriſtum præfiguraſſe oriundum ex MARIA Virgine aſſerit David Pſal. 117. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Fuit hic lapis initio parvus, & exiguus utpote anguſto Bethleemitico circumſcriptus præſepio; ſed ejus virtus, qua plura patravit miracula, viſum reſtituit cæcis, greſſum claudis, auditum ſurdis, ſanitatem infirmis, & vitam mortuis, ejúsque gloria totam replevit terram, mediante promulgatione evangelicæ doctrinæ per Apoſtolos, ſplendore ſanctitatis, & illicientia virtutis longè, latéque propagatæ per ſingulos terrarum tractus; comminuitque propterea lapis iſte è montis cacumine delapſus Romanum Imperium, quod ad veram pertraxit religionem: pluſque valuit Martyrum patientia, fidelium
23 manſuetudo ad propagationem Chriſtianæ fidei, quàm tyrannorum ſævities ad eam extinguendam cruenta Martyrum internecione.

Sed Nabuchodonoſor ambitione inflatus, & ſuperbiâ tumidus ob ſibi in ſomno objectum ſimulacrum, in cujus aureo capite cenſuit præſignari, & inſoleſcens imperij ſui potentia, quòd tantùm cæteris præcelleret ipſe Regibus, quantum aurum inferioribus metallis nitore, & pretioſitate antecellit; juſſit coloſſæam erigi ſtatuam, cujus caput ejus exhiberet effigiem tantæ altitudinis, ut ſexaginta æquaret cubitos laminis obtectam aureis ad pretij incrementum, operis firmitatem, & venerationis illicium; ſiquidem ad præſtanda ſtatuæ obſequia regio edicto adigitur populus univerſus, & præſertim cœtus purpuratorum, in quo comprehendebantur Sidrach, Miſach, Abdenago, qui tamen renuerunt cultum Deo debitum ſtatuæ exhibere; imò & proteſtati ſunt mortem priùs millies oppetere, quàm tam grave, ac enorme admittere piaculum, ſeu cultum ſoli Numini debitum ligno, & metallo exhibere. Hæc loquendi libertas ad iram provocavit aulæ Magnates, quibus ex invidia Hebræorum gratia apud Regem tormentum erat, quo intimis in viſceribus torquebantur, à quibus propterea poſtulantur ad necem, & accenditur fornax, in quam ſeptuplò vehementiùs inflammatam quàm moris eſſet, immittuntur tres Hebræi veſtiti bracis, Perſicisque tiaris ligatis manibus, & pedibus; ſed ea fuit adoleſcentum manſuetudo, ut vel ipſas flammas cicuraverit, nequidquam inferrent læſionis, quæ propterea, ſi cingebant pueros coronabant, eò illuſtriùs, quò flamma erat clarior; ſi lambebant; non lædebant, ſed oſcula figebant, in obſequium hebrææ conſtantiæ, & manſuetudinis; ſi multiplici crepitu obmurmurabant, gloriam loquebantur immorantium citra læſionem inter flammas; è quibus tandem erepti tantò prodierunt illuſtriores, quantò per ignem eorundem fuit conſtantia 24
probata clarior: neque enim Deus eos deſerit, à quibus ipſe non deſeritur.

Sed quamvis Nabuchodonoſor ſuperbiâ elatus turgeret; ac ſtatuam à populo adorandam propoſuerit, & juvenes Hebræos detrectantes cultum divinum exhibere ligno, & metallo, ex quibus conflata erat ſtatua, immitteret in fornacem à flammis vorandos, non propterea ob hæc delicta expellitur ipſe throno regio, privatur ſceptro, ac regali ſpoliatur dignitate; ſed tunc tantùm è throno pellitur, cùm ungues inſtar avium acuit, quibus imperantis lacerata manſuetudine, ſubditos diſcerpere adnixus eſt; quia cùm ſola clementia, & manſuetudo ſit fundamentum, quo regius thronus ſtat; ſublata manſuetudine diruto fundamento, neceſſe eſt, regia dignitas corruat. Daniel 4. v. 30. *Ex hominibus abjectus eſt, & fœnum, ut bos comedit, & rore cœli corpus ejus infectum eſt, donec capilli ejus in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & ungues ejus quaſi avium*: quia divinos ſibi arrogavit honores, cultúmque ſoli DEO debitum petijt, ſi non mortem ſtatim oppetijt, ultrix tamen Nemeſis ab hominum cœtu eum dejecit, nec paſſa eſt hominem eſſe, qui ſe parem DEO effecerat: perrepſitque terram quadrupes, qui bipedum neminem ſibi parem tulit, furitque in obvios quosque, regia pri-

vatur dignitate, quia imperantis manſuetudinem exuerat: & qui cæteris hominibus coli eminentior voluit in ſtatua, inſtar beſtiæ pronus abjicitur in paſtum, & feris aggregatus ſylveſtribus toto ſeptenio avia, lucóſque manibus, ac pedibus perreptavit capillis, & unguibus inſtar aquilæ excreſcentibus, ac totum horrificantibus corpus; & qui antea ſedebat turgidus in throno, nunc
26 humi repit brutis adſcitus.

Quærit Theodoretus, cur non fuerit Nabuchodonoſor tunc è throno pulſus, cùm divinitatem in cultu aureæ ſtatuæ ſibi attribuit, ſed tantùm cùm ungues alijs diſcerpendis apros acuit; & reſpondet, quia nondum exuerat manſuetudinem, quam tunc abjecit, cùm ungues produxit, quibus ſubditos diſcerperet, feræque inſtar dilaniaret, ait Theodoretus orat. 4. *Cum eſſet in honore maximo non intellexit, ſed comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis: & in ſibi ſubjectos ferina mente, & animo fuerat; meritò etiam ferina, & aggreſti vita juſtiſſimè damnatus fuit.* Non debuit regia Majeſtate fulgere, quem conſtabat in ſibi ſubjectos ferali crudelitate ſævire. dedecet regiam manum ſubditorum ſanguine coinquinari: Principis manſuetudo ſubditorum vulneribus mederi debet, non vulnera infligere, & ſanguinem elicere: neque meretur coli, ut Princeps, qui manſuetudinem non excolit: Principem alloquens Seneca ait lib. 1. de Clementia cap. 5. *Animus Reipublicæ tu es; illa corpus tuum: vides, ut puto, quam neceſſaria clementia ſit: tibi enim parcis, cum videris alteri parcere: parcendum itaque eſt etiam improbandis civibus non aliter quàm membris languentibus, & ſi quando miſſo ſanguine opus eſt, ſuſtinendum eſt, ne ultra quàm neceſſum ſit, incidas: eſt ergo, ut dicebam, clementia omnibus quidem hominibus ſecundum naturam, maximè tamen decora Imperatoribus.*

27 Nutat thronus Principis, niſi manſuetudine, & clementia fulciatur, & plerumque corruit in perniciem imperantis, qui culturam neglexit clementiæ, ut contigit Carolo Siciliæ Regi, qui cum pertinaci obſidione Meſſanam oppugnaret, & cives deditionem exhibuerint, ipſe oblitus regiæ manſuetudinis, petitam veniam dare detrectavit, maluítque armorum vi urbem occupare, quàm clementiæ lenitate ſibi cives devincire, ſed excidit ſpe ſua, & regno ſimul: ad extremam adacti cives deſperationem deligentes potiùs mori, quàm famulari, adeò pertinaciter pugnârunt, ut regem ipſum expugnaverint, qui propterea è throno cecidit, quia throni fundamentum, ſeu clementiam, & manſuetudinem abjecerat; ſi clementiam ſervâſſet, ſi manſuetudinem excoluiſſet, felix regnâſſet, ſed quia manſuetudinem exuit, regno ſpoliatus jacuit. Ferunt hiſtoriarum monumenta haud diſſimile obtigiſſe Ludovico Malcano Gandavum obſidenti, pacem cives petebant, deditionem urbis exhibebant, ſed Ludovicus conditiones adeò indignas viris ingenuis præſcripſerat, ut maluerint Gandavenſes fame ferróque premi, ac cruenta nece perimi, quàm conditiones à Ludovico præſcriptas, & omni morte duriores admittere; cúmque ſe mutuò inhortarentur mori potiùs, quàm ita ſervire: ab extrema deſperatione adacti animos excitârunt, vires hauſerunt, & irruentes in hoſtes quinque mille armati cives triginta millia militum fuderunt, & Ludovicum in fugam adegerunt. In clementiam, quàm in ſæveritatem ſit princeps pronior; illâ facilè populos flectit in ſua vota, hâc exaſperat, & à ſe avertit; illâ propiùs ad Deum
accedit; ut teſtatur Cicero: *homines nulla re propius ad Deum accedunt, quàm ſalutem hominibus* 28
dando. David decantaturus Numinis laudes ſuavitati, manſuetudini, miſericordiæ primas dat ſedes Pſal. 85. *Quoniam tu Deus ſuavis, & mitis, & multæ miſericordiæ.* Deum imitentur terræ Principes, ut laudabile inſtituant regimen.

Ita eſt quoties Princeps clementiam exuit, ſpoliatur ipſe Principatu: ſævities & nimius rigor ſubditorum animos exaſperat, excitátque in perniciem Principis, quos manſuetudo, & clementia Principi agglutinat, ac reconciliat. Proprium manſuetudinis in viro Principe eſt animos ad ſe allicere, & attrahere, hinc DEUS ipſe in condendo homine non dixit per verbum imperij *fiat* homo, ſicut dixerat, *fiat* lux, *fiat* cœlum, & terra, & quo verbo uſus fuerat in condendis alijs creaturis, ſed verbum adhibens ſuaviſſimum dixit *faciamus hominem*: idque quò faciliùs per blandimentum manſuetudinis hominem voluntate liberum in ſuum traheret obſequium: ſimúlque docuit, cum ingenuis, & ratione præditis, non vi agendum eſſe, nec abſoluto imperio, ſed ſuavi voce, & blando alloquio, quapropter David Pſal. 118. 68. *Bonus es tu, & in bonitate tua doce me juſtificationes tuas.* Ubi. S. Auguſtinus ſerm. 4. de verb. Apoſtoli legit: *Suavis es tu, & in ſuavitate tua doce me*: quia verborum ſuavitas, & manſuetudo in Principe animos flectunt ſubditorum in obſequia ejuſdem, hinc D. Bernardus ſerm. 22. in Cant. explicans illud Cant. 14. *Trahe me:*
poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum 29
ait: *Propter manſuetudinem, quæ in te prædicatur, currimus poſt te Domine JESU; audientes, quòd non ſpernas pauperem, peccatorem non horreas.*

Princeps qui alijs præficitur, non dura, ſed mollia, imò & mellea neceſſe eſt verba proferat, ut in ſui obſequium populos alliciat, quos ſi duris imperat à ſe abigit, & à debito obſequio: hinc Iſaias cap. 28. 11. *In loquela labij loquetur ad populum*, hoc eſt, in loquela labij dulcis, ac mellei, ut verba dulcedinem perfundant, qua etiam exaſperati ſubditorum animi miteſcant ac dulceſcant, huc accerſendus S. Iſaacus Presb. lib. de cont. mund. cap. 13. *Acquire tibi dulcia labia, & habebis tibi omnes amicos.*

Hinc etiam Chriſtus, cùm primùm deſcendit de monte innumeras ad ſe traxit populorum turbas, quæ fuerunt eum ſecutæ Matth.

8. 1. *Cùm deſcendiſſet JESUS de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ*, hoc eſt, cum deſcendiſſet, de altitudine regiæ majeſtatis, de rigore legis, de vindicta ſanguinis, de duritie nominis illius, quo antea *DEUS ultionum* audiret, & *DEUS zelotes* vindicans peccata in quartam generationem Exodi. 20. 5. & manſuetudine in ima ſe demiſit, quò cum hominibus converſaretur humilis, clemens, & lenis, tunc turbæ ad eum acceſſerunt, quem & fuerunt ſecutæ: & quos rigor legis à cultu Numinis, à Chriſti ſequela retraxerat; Jeſû manſuetudo ad ſe attraxit, & benignitas, ac humanitas Salvatoris per rectos ſalutis tramites perduxit.

30 Vix Joannes Baptiſta Chriſti manſuetudinem ſymbolicè expreſſam in agno prædicavit populis, & iſti quavis diſrupta cunctatione fiverunt ſe allici, & trahi præſertim duo Diſcipuli, qui ſtatim ſecuti ſunt JESUM Joan. 1. 36. *Ecce Agnus DEI*: quæ verba adeò blandè in aures ſe inſinuârunt Diſcipulorum ob manſuetudinem agninam, ut ſtatim relictis omnibus eum ſecuti ſint Joan. 1. 37. *Secuti ſunt JESUM.* Etiam Joannes Evangeliſta, cùm vidiſſet in Inſula Patmos agnum ſtantem; illicò etiam vidit ex plutibus terrarum tractibus ad DEUM accedere populorum turbas, quas agni manſuetudo alliciens ad ſe trahebat, quem ſequerentur Apocal. 14. 1. *Ecce agnus ſtabat, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis*, & infra v. 4. *Hi ſequuntur agnum, quocunque ierit.* Non legimus, populos fuiſſe ſecutos leonem de Tribu Juda, quamvis victorijs decantatum, triumphis celebrem, palmis ornatum: *Vicit Leo de Tribu Juda*: bene tamen agnum manſuetum, poſt quem ſequuntur, quocunque ierit, quia agnina manſuetudo vi quadam veluti magnetica imbuta vim obtinet ad ſe trahendi populos: plus plausûs Chriſtus ſibi comparavit agnina manſuetudine, quàm leonina fortitudine, plus roboris obtinet exculta manſuetudo, quàm intruſa fortitudo.

31 Vir fortis fuit Saul, morum duritie aſper, animi ruditate immitis; è converſo lenis fuit David, ac manſuetus Pſal. 131. *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus*: quidni? uterque pugnavit Saul ferro, & chalybe armatus, fortitudine munitus; & David lenitate, & manſuetudine delinitus, ſed hic inermis decem millia proſtravit, cùm Saul fortis, & armatus nonniſi mille percuſſerit 1. Re. 18. 7. *Percuſſit Saul mille, & David decem millia.* Scilicet homo aliàs fortis, durus, & armatus vix decimam partem proſtravit ex ijs, quos David lenitate, & manſuetudine ſuperavit: pulchrè S. Ambroſius in Pſal. 43. *Ideo Saul in millibus, David in decem millibus: quia durus in paucis, manſuetus in pluribus.* Faciliùs manſuetudine, & lenitate vincuntur, & vinciuntur inimici, quàm fortitudine, & duritie frangantur. Idque cauſæ, cur Chriſtus duritiem populorum fracturus, & ad viam ſaluis perducturus butyrum, & mel ſelegerit in labiis, Iſaiæ 7. 15. *Butyrum, & mel comedet*, ut nimirum verba butyro mollia animos faciliùs flecterent, & mellea dulcedine traherent in viam ſalutis. Quod ſi ad corrigendos errores aliquam debuit lituram adhibere, ac modicum ſeveritatis oſtendere in expellendis vendentibus, & ementibus è templo Matth. 21. 12. *Ejiciebat omnes vendentes, & ementes*: quidni? ſtatim modicum duritiei mellea manſuetudine emollivit, & beneficijs accedentes ad ipſum cumulavit; *Acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in templo, & ſanavit eos*: Quòd ſi flagello Chriſtus manum armavit non ad cruoris effuſionem, ſed ad erroris correctionem, caput totum, frontem ſerenitate, oculos benignitate, labia mellea dulcedine perfudit, quò ſingulis beneficus eſſet: quinimò vel à pueris ipſis, qui templo inerant, amabatur Chriſtus flagello armatus, non ob verbera timebatur, tanta enim erat manſuetudo, quam ex oculis, totóque vultu ſpirabat, ut pueri flagellum non timentes, ad eum hilares properarent dicentes: *Oſana filio David.* Evangeliſta Matthæus deſcribens Chriſti triumphum, quo Jeroſolymam fuit ingreſſus totum apparatûs ornarum in manſuetudine triumphantis fatetur ſplenduiſſe Matth. 21. 5. *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus*, D. Thomas ob quatuor cauſas aſſerit, voluiſſe Chriſtum manſuetudine in hoc triumpho coruſcare. Ut malos faciliùs corrigeret. Ut omnibus ſe amabilem exhiberet. Ut omnes ad ſe traheret, & populum ſibi multiplicaret.

Ut manſuetudinem homines doceret, 33 præſertim in proſperitatibus, & triumphis, ubi humana arrogantia ſolet elatiùs inſoleſcere; qui ſi tunc miteſcant, ſuam illis DEUS gratiam impertitur, quâ de proſtratis hoſtibus victoriam reportent, de coërcitis pravis affectibus, déque ſe ipſis glorioſiores triumphent: ait Salomon Proverb. 3. 34. *Manſuetis dabit gratiam.* Miratur S. Chryſoſtomus, cur Salomon divinæ gratiæ largitionem ad ſolos coarctet manſuetos; annon, qui iejunijs carnis concupiſcentias compeſcunt; qui cilicijs, & cruentis flagellis corpus in ſervitutem redigunt; qui libidinis turpes æſtus frigidâ unâ cum ſiti extinguunt; qui eleemoſynis alienas miſerias abigunt, & pauperibus ſunt ſolario; qui caſtitatis lilium excolunt, & reliquarum virtutũ ſunt ſtudio addicti, gratiæ divinæ non fiunt participes, quæ ſolis confertur manſuetis? Confertur utique & ipſis gratia; ſed mites præcedunt, ſuntque primi, qui optimam partem, totúmque principatum recipiunt; populóſque manſuetudine regunt, ſeſeque ad debita obſequia. Sed quid? quod inter octonas beatitudines manſuetudo recenſetur veluti pediſſequa paupertatis, ad quam ſequitur? Matth. 5. 2. & 3. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Convenienter ponitur mitias poſt paupertatem ſpiritûs; quia pauperes ſpiritu facilè ſunt alijs contemptui,

ſiúntque ſcopus, in quem convicia collimant, & pluribus ſunt incommodis obnoxij, ideo manſuetudine indigent, quâ æquo animo ſibi adverſa tolerent; & ne ad iram, vel impatientiam concitentur. Mites ſunt, qui ſe ipſos poſſident imperturbata animi ſerenitate.

33 Alijs regendis minùs habetur idoneus, qui plena miſericordiæ non habuerit viſcera, & manſuetudine cor flexibile ad ſibi illatas injurias oblivione delendas. Indignus cenſetur, quò dominici gregis oves gubernet, qui manſuetudinem non induit, & paterna præcordia non gerit, alios rectè non regit, qui ſecum miſericordiam non fovet, qua alijs errata condonet: hinc Moyſes, quia manſuetus Iſraëlitici populi dux à DEO ſeligitur: fuit manſuetudo, quâ Moyſes præ cæteris ſplenduit hominibus. Joſue 1.2. *Moyſes ſervus meus* ait S. Dionyſius Areopagita *epiſt. ad Demophilum*, Moyſem adeò fuiſſe manſuetum, & clementem, ut hanc ob cauſam famulus DEI dicatur. Manſuetudo eſt, quæ DEO placet, quia ſimiles eidem fiunt manſueti, ait D. Chryſoſtomus homil. 9. in Geneſ. *Similes fiamus DEO manſuetudine, & clementia*, alloquitur præſertim Eccleſiæ Paſtores, qui oves Chriſti regunt: hi ſiquidem paterna debent præcordia induere, & viſcera manſuetudine plena ſemper gerere, ut DEI ſimilitudinem præſeferant, quam ſi manſuetudinis colorea pingunt in viro Principe; hic ſævitiæ cultro eâ eradit, & inclementiæ litura ſe ipſum deturpat. Debent Paſtores ſupremum imitari rectorem DEUM, ne turbentur, ſi oves errent, ſed duce manſuetudine eas quærant, & peccantibus non iraſcantur, ſed ad ovile clementer alliciant, quia ut appoſitè ait S. Chryſologus ſerm. 45. *DEUS nec paſſione ſubjicitur, nec irâ accenditur*, ſed dulcedinem ſuæ manſuetudinis offert, & lacte conſolationis fideles paſcit.

34 Hinc diſcant, qui cæteris præficiuntur in regimine ad authoritatem ſui muneris non pertinere ſubditos in virga ferrea ſemper urgere: licèt quandóque adhibenda ſit in pervicaces, adhuctamen manſuetudine duritiem ferri, neceſſe eſt, attemperet, quia ut pulchrè monuit D. Bernardus: *Prælati magis debent prodeſſe, quàm præeſſe.* Puniendi ſunt delinquentes, ſed per manum manſuetudinis ad correctionis proventum, non per gladium ſævitiei ad peccantis interitum. Quòd ſi nil præclariùs in Principe, quàm ſuis à ſubditis amari: non rigor, ſed clementia, & manſuetudo hunc conciliat amorem, & populorum corda in obſequia Principis emollit, & flectit.

35 Hanc manſuetudinem in DEO ſenſit D. Paulus, cùm armatis ſtipatus militibus ad necem Chriſti fideles perſequebatur, minas, cædéſque cruentas ſpirans, ſed cùm primùm in via vocem Chriſti audivit plenam manſuetudine Actor. 9. *Saule, Saule, quid me perſequeris, durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare;* ſtatim dejectus ab equo in humum, reſpondit: *Quis es Domine?* Dominum vocat, quem prorſus ignorat, nimirum ex potentia, quâ unico verbo eum ab equo dejecit, & ex manſuetudine, quâ fuit ipſum allocutus, conjecit Dominum eſſe, quia nulla eſt virtus, quæ virum Principem tam clarè prodat, quàm clementia: regali dignitate dignus probatur, quâ virtute ſplendet manſuetudinis: hac ſola Chriſtus duritiem Sauli perſequentis adeò emollivit, ut ſtatim flexerit, & ad rectum tramitem duxerit: ſe illico exhibuit Saulus paratum ad quemlibet nutum DEI. *Domine quid me vis facere.*

Quia hanc manſuetudinis virtutem excoluit, Virgo Mater DEUM ipſum allexit, 36
& ad ſe traxit, quò in utero manſuetiſſimo humanitatem indueret. Quòd ſi DEUS ſuam antea juſtitiam oſtenderit, cùm primùm manſuetiſſimum Virginis domicilium inhabitavit, rigorem juſtitiæ exuit, & miſericordiæ viſcera induit; & ſi antea *leo* erat de Tribu Juda; per Virginem fit *Agnus*, qui tollit peccata mundi: hinc velleri pulchrè fuit Maria pariara, quòd innuit S. Ambroſius ſerm. 9. inquiens: *Vellus planè Maria, ſiquidem de molli ſinu ejus. Agnus egreſſus eſt*: nimirum qui antea leo erat; in Virginis utero fit agnus, & manſuetudinem cum humanitate induit, huc acceſſendus Hugo de S. Victore lib. 1. Miſcel. Tit. 85. *Chriſtus in cœlo ex Patre ſine Matre DEUS: Chriſtus in terra ex Matre ſine Patre homo: in cœlo qualis Pater talis filius: in terra qualis Mater, talis filius; in cœlo cum Patre æternus, & immenſus: in terra cum Matre incorruptus, & manſuetus:* quia Chriſtus venerat congregaturus oves, quas paſceret in Eccleſia; in Virgine manſuetiſſima cum noſtra humanitate etiam manſuetudinem voluit induere: quò paſtores eccleſiæ edoceret, manſuetudine, & clementia eſſe oves regendas: idque etiam DEUS Moyſem antea Paſtorem, & poſtea populi ſui ductorem, & rectorem edocuerat. Rogavit Moyſes DEUM, ut ei ſuam oſtenderet gloriam, ſed DEUM audivit ſibi reſpondentem Exodi 33.19. *Ego oſtendam omne bonum tibi, & miſerebor, cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit.* Quid? quòd DEUS miſericordiæ tantùm & clementiæ meminerit, non verò juſtitiæ, quam prorſus reticuit? promiſerat nimirum DEUS ſe oſtenſurum Moyſi omne bonum, proinde non juſtitiæ, ſed manſuetudinis; non rigoris, ſed clementiæ meminit, quia à manſuetudine Principis, & directoris omne bonum derivatur in ſubditos. Virgo Mater non ſolùm omne bonum nobis oſtendit, ſed etiam exhibuit in Chriſto, quem nobis peperit, quo in ipſum ſpem noſtram dirigeremus, ab ipſo indulgentiam diſceremus ſperare, vitámque æternam.

Quinimò dixerim, omne bonum nobis 37
fuiſſe Mariam, cùm exculta manſuetudine æterni Patris filium ad ſe traxerit, quem noſtra veſtiret humanitate, ut nonniſi humanus, & manſuetus hominibus eſſet. Appoſi-

tè

rè Idiota in Prologo Tract. de Virg. Maria ait: *Inventâ Virgine invenitur omne bonum: ipſa namque diligit diligentes ſe, immò ſibi ſervientibus ſervit. Ipſa ſuper benedicto filio ſuo irato, potentiſſimè reconciliat ſervos, & amatores ſuos. Tanta quoque eſt ejus benignitas, quòd nulli formidandum eſt ad eam accedere, tantaque miſericordia, quòd ab ea nemo repellitur.* An non Maria omne bonum? cùm in ea inveniat quisque, quod amat, & propriam felicitatem? Omne bonum eſt Maria, quia omnibus ſuas impertitur gratias, ſuam profundit bonitatem, ſuam in ſingulos exercet clementiam, adeò ut dixerit S. Bonaventura in ſpeculo: *Gratia Mariæ colligit malos, impinguat bonos, liberat univerſos*

38 Quòd ſi DEUS oſtenſurus Moyſi omne bonum, ſtatim miſericordiæ meminit, & clementiæ Exodi. 33. 19. *Ego oſtendam omne bonum tibi, & miſerebor, cui voluero:* etiam nobis, cum in Maria omne bonum oſtenderit, benè ſtatim miſericordiæ, & clementiæ meminit, quia Maria non ſolùm DEI Mater audit, ſed etiam miſericordiæ, & ut Chriſtus Pater diceretur miſericordiarum à Matre miſericordiæ ſuam voluit humanitatem ſuſcipere, qua manſueſceret in agno, cùm antea rugiret in leone de Tribu Juda: neque facilè reperies DEUM Patrem miſericordiarum dictum fuiſſe, niſi poſtquam noſtram in Virgine humanitatem aſſumpſit, tunc enim vocatus fuit DEUS miſericordiarum ab Apoſtolo Paulo 2. Corinth. 1. v. 3. *Pater miſericordiarum, & DEUS totius conſolationis;* tametſi fuerit ſemper DEUS miſericordiarum cum attributum miſericordiæ à DEO ſeiungi non poſſit, non tamen in veteri teſtamento vocatur Pater miſericordiarum, hanc enim prærogativam, & nomenclationem à Virgine Matre voluit in ipſum derivari, ut per Matrem miſericordiæ, Pater diceretur miſericordiarum, & DEUS totius conſolationis.

39 Fuit uterus Virginis theſaurus, in quo gemmæ pretioſiores virtutum omnium aſſervabantur; ſed præ cæteris manſuetudo æterni Patris filium allexit, & ad ſe traxit, ut Maria Mater diceretur miſericordiæ, quæ filium peperit Patrem miſericordiarum: pulchrè Richardus lib. 4. *Cum Maria miſericordiam genuerit, quid aliud eſt ejus uterus, quàm ipſe miſericordiarum theſaurus? & ideò dicitur Mater miſericordiæ:* quia verò manſuetudo, & clementia nectitur cum oſtenſione omnis boni à DEO promiſſi Moyſi Exodi 33. 19. & cum omne bonum ſit ſui diffuſivum; ideo Virgo Mater, quam in ſe manſuetudinem, & clementiam fovit in alios transfuſam voluit, quo mater eſſet miſericordiæ.

40 Quòd ſi typus Virginis fuit mulier illa 4. *Reg. cap. 4.* cui oleum uberrimè fluebat, & non ſua tantùm vaſa domeſticos inter parietes implevit; ſed & alia vicinorum, ut cæteri de olei redundantia participes fierent: etiam Virgo Mater adeò oleo manſuetudinis, & miſericordiæ redundavit, & plena fuit, ut illius plenitudinis voluerit nos participes fieri, ut innuit S. Bonaventura in ſpeculo B. Virg. lect. 7. inquiens: *Maria ſignata eſt per illam mulierem, cui clauſo oſtio domus ſuæ omnia vaſa intus congregata facta ſunt miraculosè oleo plena: ad multiplicationem olei vaſa etiam vicinorum non pauca collecta fuerunt, ideò quoque per vaſa illa omnes ſignari poſſunt, qui plenitudinis miſericordiæ Mariæ participes ſunt.* Illud notatu dignum, quòd mulier illa 4. *Reg.* 4. etiam non rogata oleum ſuum vicinis communicaverit, qui non vaſa exhibuerunt, ut replerentur; ſed quæſivit ipſa mulier, & pro beneficio habuit, ut vicini vaſa ſua replenda oleo ei exhiberent: hæc que ultronea exhibitio Virginis beneficentiam commendat, quæ prompta ſemper ſua nobis etiam non merentibus, neque quærentibus impertitur beneficia; ſuum ſemper ſinum apertum exhibet Virgo Mater, ut ex plenitudine illius miſericordiæ, & ubertate olei, & manſuetudinis hauriamus, quò noſtras ſuppleamus indigentias.

Hinc David Virginem Matrem reſpiciens, quæ terram ſuam, ſeu noſtram humanitatem benedixit, cùm eandem in ſuo utero æterni Patris filio communicavit, dixit Pſal. 84. alloquens DEUM ſimul, & Virginem: *Benedixiſti Domine terram tuam,* quatenus DEUS uterum Virginis benedixit, cùm filius ſuus carnem ſumpſit in eodem, & tunc Virgo noſtram etiam benedixit humanitatem, quam Chriſto communicavit; ideóque ſtatim ejus miſericordiæ meminit Regius Propheta ſubdens: *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam:* ac ſi ex quadam conſequentia DEI miſericordia debuerit apparere, poſtquam Virgo DEI Mater efficiebatur: ut videtur indicaſſe Richardus Victorinus *in cap. 4. Cantic.* inquiens: *Quid mirum, ſi miſericordia affluit, quæ ipſam miſericordiam peperiſti:* quòd ſi manſuetudo ſuos evehit cultores ad regias dignitates, Mariæ manſuetudo, & filium æterni Patris allexit, & ſimul eam delegit, ut eſſet cœli, & terræ Regina: appoſitè Rupertus in cap 4. Cant. Virginem alloquens ait: *Coronaberis Virgo, ut in cœlis Regina Sanctorum, & in terris ſis Regina regnorum, prædicabitur de te, quòd ſis Mater Chriſti, ac proinde Regina cœlorum tu es jure poſſidens filij Regnum.* bene, quæ Patrem edidit miſericordiarum promoveri debuit, ut Regina eſſet illius Regni, in quo miſericordia triumphat; eſt ſiquidem Regnum nulli humanarum viciſſitudinum obnoxium mutationi, quia regnum Virginis, ait Daniel cap. 3. v. 100. *Regnum ſempiternum,* nunquam cadet hoc regnum, quia nunquam Virginis miſericordia deficiet. 41

Sed cur Regina vocatur Maria miſericordiæ; & non potiùs imperatrix? an quia Regina manſuetudinem prodit, quam imperatrix per rigorem imperij videtur excutere? & nonnihil timoris incutere, & manſuetudini detrahere? nomen enim imperij, & Imperatoris quendam præfefert juſſionis rigorem, qui parêre detrectantibus timorem incutit, & id fortaſſis cauſæ, cur Imperator, vel Impera- 42

trix

trix in divinis literis, nec de DEO, nec de Virgine dicatur ex obſervatione S Bernardi *ſerm. 61. in fer. 4. poſt Paſcha art. 1. cap. 3.* ubi loquens de Virgine ait: *Plus ei convenit hoc nomen Reginæ miſericordiæ, quàm ſi dicatur Imperatrix, nam Imperatrix eſt nomen magni timoris, atque rigoris; Regina autem plus eſt nomen providentiæ, & æquitatis. Propterea non credo in tota ſcriptura expreſsè nominari Imperatorem, ſed Regem, hoc nempe nomen eſt Majeſtatis.* Quò beata Virgo ſolam oleret manſuetudinem, omnémque excuteret rigoris umbram, nomen detrectavit imperatricis aſſumere, & tantùm illo reginæ, & Matris delectata eſt, ut manſuetudinem proderet, à quovis depuratam rigore. Quòd ſi inter arbores detrectavit olea thronum regium inſcendere, ne ad dignitatem regiam promota ſuam adigeretur pinguedinem relinquere Judic. 9. v. 8. *Ierunt ligna, ut ungerent ſuper ſe Regem, dixerúntque olivæ; impera nobis, quæ reſpondit: nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dij utuntur, & homines, & venire, ut inter ligna promovear.* Non id timuit Virgo, cujus regnum, cum eſſet pietatis, & miſericordiæ, ab hac ſejungi, nec potuit, nec voluit; quin ut uberiùs oleum manſuetudinis in alios effunderet, hac regia non recuſavit, ſed annuit dignitate inſigniri, huc accerſendus Richardus à S. Laurentio lib. 12. de laud. Virg. *Hæc eſt oliva, quæ noluit relinquere pinguedinem ſuam, quâ Dij utuntur, & homines, ut inter ligna promoveretur: quia noluit in mundo exaltari, nec gratiam ſibi datam de ſuperius relinquere, qua velut oleo miſericordiæ utuntur homines in peccatorum remiſſione, & gratiarum collatione.*

43 Non ſolùm olivæ, verùm & Platano gaudet Virgo Mater pariari, quia illa manſuetudinis, & miſericordiæ; hæc protectionis, ac defenſionis habetur ſymbolum, quapropter de ſe ipſa ait Eccleſ. 24. 19. *Quaſi oliva ſpecioſa in campis, & quaſi platanus exaltata ſum juxta aquas in plateis.* Sicut B. Virgo olivam refert ob manſuetudinem, & miſericordiam, quam in nos exercet; ita & Platanum ob protectionem, quâ ſuos clientes umbrâ ſui patrocinij tegit, & protegit; inumbrat, & illuſtrat; intuetur benigno oculo, & tuetur tuto præſidio; Platanum igitur refert B. Virgo ſua protectione, platanum non foliorum pompa luxuriantem in horto, ſed plantatam juxta aquas in plateis; quò intelligimus, quàm parata, exprompta, & obvia cuique ſit ejus protectio, cujus umbra extenditur per plateas, ubi frequentior eſt populorum occurſus, & concurſus: juxta aquas plantata creſcit, hæc platanus; quia ad ejus patrocinium confugientes refrigerium ſentiunt, quod aqua ejus protectionis ſuppeditat, ad extinguendos æſtus ſitis rerum noxiarum, ardoréſque depravatæ concupiſcentiæ: appoſitè Richardus lib. 12. de laudibus Virg. ait. *Maria Platanus patulam ſe exhibet peccatoribus; omnes, quantum in ſe eſt, parata recipere ſub ſua protectione, & omnes refrigerare malo igne exuſtos; & nota quòd ubi ſunt folia lata, ibi eſt umbra magna, & magna eſt umbra protectionis ejus. Nam protegit, contegit, contra carnalem concupiſcentiam, quia virgo; contra ventum mundanæ vanitatis, quia humillima; contra tentamenta divitiarum, quia pauperrima; contra fervorem ſolis, quia mater ſolis juſtitiæ.*

Ferunt, Themiſtoclem ſe Platano pa- 44
riatum voluiſſe, cujus viride tectum in laxis, luxuriantibúſque folijs expeterent quotquot in camporum planitie deciduo imbre madefierent; quia Themiſtocles in id viſus eſt ſtudij incubuiſſe, ut quos anguſtiæ adverſitatum premerent, ope ſuppeditatâ juvaret; & quibus imber tribulationum eſſet moleſtiæ; aliquid adferret ſolatij; ait Plutarchus in Apophtegmatis loquens de Themiſtocle: *comparabat Platani ſe, ſub quas tempeſtate coorta refugiant homines.* Quàm veriùs Platano B. Virgo ſimilis dicitur; quæ regit, ne imber adverſitatum nobis noceat; & protegit beneficâ foliorum umbra, ne æſtus depravatæ concupiſcentiæ, quos virtutum flores colimus, adurat. Id proprium Mariæ, afflictis condolere preſſos erigere, & ærumnis oppreſſos ſublevare, iiſque eſſe ſolatio: idque cauſæ, cur B. Virgo à D. Bonaventura *opuſc. 24.* dicatur: *Tutiſſimum Afflictorum omnium refugium.* à S. Damaſceno ſerm. de dormitione Virginis ſalutetur: *Ave unicum moleſtiarum levamen. Ave omnium dolorum cordium medicamentum*: & S. Petrus Damianus ſerm. 40. vocet Virginem Matrem: *Virgam conſolationis, de qua in Pſal. 2. 2. Virga, tua, & baculus, tuus ipſa me conſolata ſunt. Virga Maria, baculus lignum crucis:* hoc eſt, protegente Maria lignum crucis in arborem effloreſcit conſolationum; mare procelloſum adverſitatum dulceſcit in malaciam interni gaudij; jugum prementis ſervituris florum exhalat ſuavitatem; & onus laborum levitatem induens plumarum, alas nobis ſuppeditat, quibus ſurſum evehimur ad æternam quietem. Maria enim præfigurata fuit in ſcala, quæ Jacobo Patriarchæ nocte intempeſta ſomno ſopito objecta fuit; ſiquidem per hanc ſcalam æterni Patris filius è ſummo cœlo in terram deſcendit, cum noſtram induit humanitatem in Virginis utero; & per eandem ſcalam, ſeu protectionem Virginis aſcendimus in cœlum æterna donandi beatitate. Maria humani generis Redemptorem mundo peperit, qui cœli januas nobis reſeravit, quas peccatum Adæ clauſerat.

Non ſolùm ſcala typus Mariæ fuit Jacobo; 45
ſed etiam Aurora, quæ poſt nocturnam luctam defatigato luctatori ſolatium attulit. Obviavit Jacobo è Labano Socero in patriam reduci cœleſtis Spiritus virili indutus ſpecie, à quo ad luctam ultro provocatur; & videns neceſſitatem ſibi impoſitam congrediendi eum adverſatio, deſcendit in arenam, manúmque ſtatim conſerit manui, pedem pedi, ut ſolent Luctatores virium daturi experimentum; & eò fuit Jacob robore luctatus, ut cœleſtis colluctator ei palmam cedere videretur; qui ta-

men

men oſtenſurus ſuo Antagoniſtæ quis eſſet, os femoris nonnihil ei luxavit, nervúmque diſtorſit, & reliquum noctis plurimum Jacob laboravit, donec ſurgente Aurora nocturnos timores excuteret; ac exantlatis laboribus finem imponeret, & ab Aurora ſolatium hauriret Geneſ. *Et ecce vir luctabatur cum eo usque manè*, ſeu donec Aurora illuceſceret. Quid præſens vita, quàm jugis lucta? quid nocturnæ tenebræ ſignificant, quàm adverſa, quæ nos premunt; in hac lucta ſuppetiæ expectandæ ſunt ab aurora; ſolatium petendum eſt à B. Virgine. Quòd ſi Chriſtus Mariæ filius ærumnoſos, ac laboribus preſſos ad ſe vocat, quos reficiat, & recreet Matth. 11. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos:* hanc prærogativam reficiendi quos labor delaſſavit; conſolandi quos afflictio oppreſſit; ſublevandi quos onera depreſſerunt ſuæ Chriſtus Matri communicavit; quò ad ipſam confugerent laborantes ſub ſarcina ærumnarum; flentes, & gementes ſub onere adverſitatum; & refrigerium invenirent: appoſitè S. Bonaventura *in Pſalter.* loquens de Virgine, cui adaptat verba Chriſti Matth. 11. ait. *Venite ad eam, qui laboratis, & tribulati eſtis, & dabit refrigerium animabus veſtris.* Nullus eſt tam gravis labor, qui per Virginem non fiat levis; nullus tam fervens operarii æſtus, qui in Mariæ patrocinio ſolamen non reperiat; adeò gratum eſt hoc refrigerium; adeò ingens, ut laborem ipſum in ipſam videatur quietem permutare; & onus in levitatem; gravamen in ſolatium.

46 Chriſtus conferens Apoſtolos cum veteris teſtamenti patribus ait Joan. 4. v. 38. *Alij laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis.* Mirum tamen, quòd Apoſtoli dicantur, labores ingredi aliorum, quaſi ipſi immunes fuerint à labore; quos tamen ſcimus plurimum impendiſſe laboris in Evangelio propagando, in Chriſti doctrina promulganda; in eccleſia ſtabilienda: & quandónam quieverunt Apoſtoli; ſi die, noctúque, ſi quavis hora, in omni loco; in id incubuerunt ſtudij, ut excuſſis Ethniciſmi caliginibus beneficam evangelij lucem ſpargerent per ſingulos terrarum tractus; ac gentes ad veram pertraherent viam ſalutis? quantum non impendit laboris Petrus Apoſtolorum Princeps; ut petra, ſeu fundamentum fieret eccleſiæ; quantum non effudit ſudoris Paulus Doctor gentium; ut veram Chriſti doctrinam gentes edoceret? quos non exantlârunt labores reliqui Apoſtoli ſalutem promoturi animarum? nonne univerſum propemodum orbem peragrarunt: fame, & jejunijs emaciati, ſiti æſtu exſiccati, contumelijs affecti, doloribus excruciati; carceribus afflicti, vulneribus ſauciati, & mortem ipſam perpeſſi? quomodo ergò dicuntur aliorum labores introiſſe, quaſi ipſi non laboraverint? Non me latet, S. Chryſoſtomum in ipſam Apoſtolorum modeſtiam id refundere, intra quam voluit Magiſter Chriſtus ſuos perſeverare diſcipulos; ut cum plurimum laboraverint, ſudorem, imò & ſanguinem fuderint, ſervos ſe faterentur inutiles, quaſi nihil laboraverint: ait S. Chryſoſtomus Homil. 33. in Matth. *Non mitto, inquit Chriſtus, vos ad arandi, ſeminandique laborem; ſed ad ſegetis jam præparatam meſſem; id ipſum Joannes quoque alijs verbis ſcripſit: Alij námque inquit, laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis, his dictis ſimul ipſos in modeſtia continebat; ne ſibi ipſis attribuerent, quæ faciebant, & cum magnos labores jam præceſſiſſe oſtenderet promptiores eos reddebat.* inde diſcamus & nos, ita labores ſubire, ut minimè in jiſdem gloriemur, neque ſuperbia tumidi noſtræ nihilitati tribuamus, quæ divinæ ſunt debita bonitati, ex qua derivatur quicquid nobis boni ineſt.

Verùm adhuc Chriſti verba, quibus Apoſtoli in alienos dicuntur labores ingredi, in hunc alium aptè flectuntur ſenſum, ut Apoſtoli, quia laborârunt, vel præſente Chriſto in terris, vel aſpiciente è cœlo poſt aſcenſum ad patrem, & ſtimulos addente per immiſſa gratiarum illicia; ea fuerint perfuſi lætitia; tantum hauſerint ſolatij, ut labores illis quietis viderentur refrigeria; & reſpectu veterum Patriarcharum dicerentur non laborare; ſed tantùm eorundem labores introiviſſe. Laborârunt veteris legis Patriarchæ, quia Chriſtus fuit illis promiſſus, & nondum miſſus; proinde nuda ſpe fulciebantur; ſed Apoſtoli non in ſpe, ſed in re Chriſto meruerunt frui, à quo tantùm hauſerunt ſolatij, ut labores non ſenſerint, & incommoda corporis putaverint animi levamina, idque videtur innuiſſe B. Rupertus lib. 4. in Joan. ubi expendens verba Chriſti, ait: *Illi credentes, & ſperantes credendo, & ſperando fidem, & ſpem ſuam in propagationem carnis ſuæ tanquam in bona terra gloriæ DEI committentes ſeminaverunt, euntes, & flentes, & ſemina ſua mittentes; hoc modo laborioſam hyemem paſſi ſeminaverunt, & non meſſuerunt; etenim defuncti ſunt omnes non acceptis repromiſſionibus; ſed à longè aſpicientes ſalutaverunt eas: & ecce nunc alij metunt; ſcilicet vos qui promiſſionum, quæ ad illos factæ ſunt, præſentem habetis effectum.* In labores igitur Patriarcharum veteris legis introiverunt Apoſtoli, quatenus Chriſti præſentia eorum levavit labores quos ob ingeſtam conſolationem non ſenſerunt; cum Patriarchæ eam ſperantes plurimum laboraverint; nec eam obtinuerint, cum deceſſerint ante Chriſti adventum. Secus Chriſti præſentia, familiaritas, intuitio, adeò Apoſtolos recreavit, erexítque, ut ingreſſi alienos labores, proprios non ſenſerint. Et quia Apoſtoli æquè Chriſti, ac ejus matris frui præſentia meruerunt; ex eo quòd è Virgine ſcirent Chriſtum natum, etiam ex Virginis matris præſentia, tantum hauſerunt ſolatij, ut labores, quos impenderunt in Evangelij propagatione non ſenſerint, quamvis in labores ingreſſi aliorum. 47

EXPENSIO XVIII.

Commendabilis virtus gratitudinis nonnullis concionatorijs argutijs exhibetur expenſa.

1 PArtibus, quæ juſtitiæ dicuntur potentiales, quatenus morale tantùm includunt debitum alteri impendendum, accenſeri ſolet gratitudo, quæ plurimum etiam commendatur, eo quia beneficiorum memoriam non ſinat ſeneſcere, neque in oblivionis ſarcophago ſepeliri; ſed acceptum beneficium illicò rependit, & pluries per refricatam memoriam perpendit, quo ſua præſtet obſequia collatori. Quapropter deſcribitur gratitudo, quòd ſit virtus reſpiciens debitum ex ſuſcepto beneficio ortum, ut eidem aliquo modo ſatisfiat rependendo aliquid benefactori, cujusmodi ſunt obſequia, gratiarum actio, cultus, vel beneficium aliud in compenſationem ſuſcepti quod eſt objectum materiale remotum: proximum enim ſunt externi actus, obſequij, cultûs, gratiarum actionum, aut exhibitionis alterius beneficij in compenſationem ſuſcepti, adeò ut hi externi actus, quos perſona grata in gratiam ſui benefactoris exercet ad eum finem, ut ſuſceptum ab ipſo beneficium compenſet, ſint objectum materiale proximum, circa quod immediatè gratitudo verſatur. Objectum verò formale eſt illa honeſtas, quæ elucet in illis actibus externis, ſeu in objecto materiali proximo: eſt ſiquidem honeſtum, gratum ſe exhibere collatori alicujus beneficij: debet tamen hæc compenſatio fieri ex intentione expreſſa, alioquin præſtare aliquid cedens in obſequium illius, à quo beneficium collatum fuit, non eſt ſpeciale munus gratitudinis, quatenus hæc diſtinguitur à cæteris virtutibus: quamobrem in compenſante ſuſceptum beneficium requiritur expreſſa intentio compenſandi tale beneficium ſibi collatum.

2 Cæterum ſuſceptum beneficium, quod eſt objectum materiale remotum, circa quod verſatur proximum materiale, non eſt quodcunque beneficium, ſed illud tantùm, quod ſuſcipienti non erat debitum, adeò ut benefactor illud omninò gratis exhibeat, & ſuſcipiens nullum habeat jus in illud. Idque cauſæ, cur gratitudo propriè, & rigoroſè ſumpta ſoleat a DEO excludi ob imperfectionem, quam involvit, quia fundamentum gratitudinis ſit beneficium non debitum, & DEO non poſſimus quidquam exhibere, quod illi non debeatur, ratione totalis, ac pleniſſimi dominij, quod habet in omnes creaturas, ac earundem actus, ideò non poteſt creatura quidquam DEO exhibere, ob quod DEUS dicatur propriè, & rigoroſè gratitudinem exercere, in talem creaturam: nulla enim eſt creatura, quæ ſe poſſit gloriari contuliſſe DEO beneficium, quod ei non eſſet debitum. Quamobrem cùm nequeat DEUS recipere à creatura obſequium, vel beneficium illi indebitum; ſequitur non eſſe DEUM capacem gratitudinia propriè ſumptæ erga creaturas.

Nihilominus in laxa quadam ſignifica- 3
tione illa remuneratio, qua DEUS compenſat noſtra obſequia ei præſtita dici etiam ſolet gratitudo. Creatura verò quia ex ſolo DEI beneplacito traducta eſt ex nihilo, & quidquid poſſidet, eſt à DEO, cujus propterea dominio ſubjicitur; & dona ſupernaturalia ſunt nobis prorſus indebita, ideò gratitudo propriè ſumpta exercetur à creatura circa DDUM; & hac delectatur DEUS, qui eatenus hominem effinxit, ex limo terræ, ne unquam exercendæ gratitudinis erga ſuum Conditorem obliviſceretur, cùm memoriam ſui eſſe nunquam homo oblitteret, deleátque Geneſ. 2. 7. *Formavit Dominus DEUS hominem de limo terræ.* Quid? quòd cùm eſſet homo conſtituendus princeps terræ, ac reliquis omnibus præficiendus creaturis corporeis animatis, & inanimatis, vegetantibus, & ſentientibus, eum compactum voluerit ex limo terræ, ſeu ex luto, quo nil vilius, abjectius nihil, quod pede premitur, & ſi deciduo imbre madefiat, pedes ipſos coinquinat, habeatúrque propterea contemptui. Cur non potiùs rerum Conditor hominis corpus ex aëre ſubtili, & defœcato non compegit; cùm Angeli ſpeciem hominis induentes ex aëre corpus, quod aſſumunt, compingant? vel ſi non ex aëre, cur non ſaltem ex pellucidis aquarum laticibus, ex quibus piſces aquis innatantes, & volucres per aëra volitantes ſuam deſumpſerunt materiam, ex qua eorum corpora coaluerunt? vel ſi alia elementa videbantur incongrua, cur non potiùs ex puro puto auro, quo homo ſupra reliquas creaturas ſplenderet nitidior: vel cur non ſaltem ex ipſa luminoſa materia firmamenti ſtellati, quò ſupra reliquas creaturas, quibos dominatur, eſſet eminentior, non tam dignitatis imperio, quàm materiæ excellentia?

Reſpondet S. Ambroſius orat. de obitu 4
fratris: Terram nobile exhibere gratitudinia ſymbolum, cùm ſuſceptum beneficium ſemper rependat multiplicatum, ait S. Ambroſius. *Pro una glande viliſſima procreat quercum robuſtiſſimam: quæ acceperunt ſemina agri veluti creſcentibus uſuris multiplicatum reſtituunt.* Quò igitur diſceret homo gratitudinis ſtudere virtuti non ex aëre eum rerum Conditor compegit, quia licèt aër, ſi ſerenus ſit nobis arrideat, animum exhilaret, adhuc tamen ſterileſcit, & quæ ſuſcipit beneficia, non videtur alijs impertitis compenſare. Quamvis ſupra reliqua metalla ſplendeat aurum, tamen fœcunditate non gaudet, ut neque gemmæ, quæ quamvis lucidæ eas tamen exſpolienti nil producunt. Sola eſt terra, quæ ſuſcepta beneficia profuſa compenſans largitate, virtutem gratitudinis hominem edocet: ait

S.

Ambroſius lib. 3. Hexam. cap. 8. *Suſcipit granum tritici putris gleba, quod ſparſum occatio cohibet, ac materno veluti in gremio terra nutrix fovet. Inde cum ſe granum reſolverit, herbam germinat, quæ paulatim adoleſcit in fœnum, culmóque pubeſcens erigitur: & ubi geniculata ſe jam ſpica ſuſtulerit, vaginæ veluti cunæ futuræ frugi parantur, in quibus granum formatur, & creſcit, ne tenella ejus primordia, aut frigus lædat, aut ſolis æſtus exurat, aut ventorum inclementia, vel imbrium vis ſæva diſcutiat: & ne frugis numeroſioris pondere damnum patiatur, vaginis culmus includitur, qua geminatis viribus frugem valeat multiplicem ſuſtinere; ſicque cùm unum tantùm ſuſcipiat terra à cultore colono granum, eidem reſtituit in teſſeram gratitudinis multiplicatum.* Ut igitur diſceret homo non alio docente magiſtro, quàm ipſo ejusdem principio, quo coaleſcit, gratitudinem exercere, ex terra, voluit DEUS eum condere. *Formavit Dominus DEUS hominem de limo terræ.*

5 Cùm DEI beneficia ſint, quidquid boni poſſidemus ſive in corpore per ſenſus, ſive in anima per ejusdem potentias, gratitudo exigit, ut vices ei rependamus, ſi non pares, ſaltem, quas noſtra poteſt imbecillitas. Quidquid nobis à DEO collatum fuit, vel confertur, gratia eſt, quia nobis gratis datur, neque enim ullum præceſſit in nobis meritum, ob quod moveretur DEUS ad nos ex nihilo traducendum ad hujus lucis uſuram: quapropter, cùm totum, quòd poſſidemus ſive in anima, ſive in corpore, ſive exteriùs in coemptis poſſeſſionibus, cumulatis divitijs, acquiſitis dignitatibus omnia à DEO conferantur, deberet quævis noſtra reſpiratio continua eſſe gratiarum actio. Quis recenſeat omnia, & ſingula beneficia à DEO homini collata? hunc enim cæteris voluit, creaturis præficere, quibus imperaret, mentísque intelligentia dotavit, ut eſſet plenus conſilij, plenus rationis, inſtructus memoriâ præteritorum, ornatus præſentium conſideratione, & præditus futurorum prævidentiâ, quíque cœlum animo conciperet, & per exercitia virtutum conſequeretur, séque non tam ſibi, quàm DEO natum crederet; cultor eſſet honeſtatis, virtutis ſtudioſus, & officij moderator, liberalitate munificus, affatu comis, humanitate blandus, religione pius, corpore caſtus, anima virtutibus ornata eſt: ſiquidem anima in homine; per creationem DEI imago, per redemptionem DEI ancilla; per juſtificationem DEI filia; per adoptionem DEI hæres; per inhabitationem DEI templum, per dilectionem DEO amica; per deſponſationem DEI ſponſa; per adhæſionem DEI conviva; per infuſionem gratiæ divinæ conſors naturæ; per ſanctificationem jus obtinens ad regnum cœleſte: hæc beneficiorum cumulata congeries continuos addit ſtimulos, ut noſtra DEO exuberamus obſequia, ejúsque cultum promoveamus, & gratitudinis vices eidem rependamus, & quidem in omnibus ſive proſperis, ſive adverſis; ait Auguſtinus: *In proſperis, quia conſolaris; in adverſis, quia corrigis: antequam eſſem, quia feciſti me: cùm eſſem, quia ſalutem dediſti: cùm peccáſſem, quia ignoviſti; cùm converſus eſſem, quia adjuviſti; cùm perſeveráſſem, quia coronáſti.*

Gratitudinis ſtudioſa fuit columba, cùm à Noëmo ab arca dimiſſa poſt varios hinc inde volatus reverſa eſt ad Noëmum Geneſ. 8. verſ. 9. *Reverſa eſt ad eum in arcam*, rediit columba ad Noë cataclyſmo ceſſante, non tamen muneris vacua, ſed virentis olivæ ramum ore præferens, quò Noëmo in gratitudinis teſſeram vices rependeret, cùm Noë eam toto diluvij tempore in arca ditaret, ac neceſſaria ad victum ſuppeditáſſet, quamvis libertate poſtea donata, adhuc ad arcam revertitur ſua Noëmo exhibitura obſequia in olivæ virentis ramo, quo pacem præſignavit cœlum inter & terram, animúmque Noëmi exhilaravit, cui in gratitudinis repenſionem olivam, ſeu pacem detulit. Quidni columbam imitetur, quisquis peccatorum obrutus inundatione inde favente Numinis gratia emerſit, grato ſiquidem ore debitas proferat gratiarum laudes, & ad arcam, ſeu Chriſtum revertatur pacem ſervaturus, qua virentis olivæ ramum DEO offerat, à quo per lethalem noxam non ampliùs ſejungatur: ad Chriſtum, ſeu arcam, qui non revertuntur peccantes corvum non columbam imitantur, ideóq; nun virentis olivæ ramum ore decerpunt pacem indicaturi, ſed aquis innatantibus cadaveribus pedes figunt, quibus nutriantur: æquè columba, ac corvus introducti in arcam à Noëmo fuerunt, ac in ea ſervati, & ceſſante cataclyſmo ambo ex arca dimiſſi, ſed ſola columba, quia gratitudinis ſtudioſa vices repenſura virentis olivæ ramum Noëmo obtulit: cùm corvus gratitudinis minus ſtudioſus nil pro ſuſcepto beneficio Noëmo rependerit, ideóque putreſcentibus deſtinatus hærere cadaveribus.

Exigit DEUS à creaturis, quas beneficijs cumulavit gratitudinis officia. Idque cauſæ, cur manè & veſperè, ſeu initio, & fine diei agni exegerit immolationem Exodi 29. 39. *Unum agnum manè, & alterum veſpere.* Voluit ex lege antiqua agnos anniculos duos per dies ſingulos in altari immolari, & utrumque cum gratiarum actione, hoc eſt matutinum pro diurnis beneficijs, & veſpertinum pro nocturnis, quo indeſinenter gratias DEO homines agerent pro beneficijs, quæ ſemper ijsdem conferuntur. 7

Par eſt, ut quæ à DEO in nos derivantur beneficia, ad DEUM per gratiarum actiones revertantur: quia ſuam flumina originem trahunt ex mare; ſuæ originis minimè oblita in mare refluunt Eccleſ. 1. 7. *Omnia flumina intrant in mare.* Quidni fideles veluti flumina ſuam ab immenſo pelago divinæ bonitatis trahunt originem, ſuos deſumunt latices; & quidquid aquarum, quidquid boni poſſident à DEO in ipſos derivatur: par 8

igitur eſt, ut ſaltem per continuam gratiarum actionem in DEUM refluant, ſuámque repetant originem.

9 Iſraëlitæ cùm primùm venerunt in Marath, ubi aqua amaritudine conſperſa, & ſiti extinguendæ impar, dulcedinem induit, ſolatium ſitienribus allatura, quò DEUM ad ulteriora conferenda beneficia moverent, non diſtulerunt debitas gratiarum rependere actiones, ſed ſtatim dixerunt Exodi 15. 1. *Cantemus Domino: glorioſè enim magnificatus eſt equum, & aſcenſorem dejecit in mare.* Cur has gratiarum actiones non diſtulerunt ad tempus, quo in terram promiſſionis appulſi ſine curia, & incommodis viarum, ac defatigatione itineris DEO attentiùs vacâſſent; ſed ſtatim poſtquam ſicco pede, tutóq; veſtigio marinum ſinũ trajecerunt ad gratias DEO exhibendas ſe viciſſim invitarunt? præſertim cum multum adhuc ſupereſſet itineris, ac plurimas debuiſſent curas, ac labores exantlare: quinimò cum adhuc longâ ſupereſſet via, hac divina indigebant ope, & ad hanc præſtandam, ut DEUM flecterent, preces poſt ſuſceptum primum beneficium fuderunt, ſperantes fore, ut DEUS alia ijsdem beneficia refunderet: ut igitur DEUM quodammodo adigant ad nova beneficia conferenda ſtatim debitas rependũt gratias pro priori ſuſcepto; quia DEI beneficentia non ſinit ſe vinci ab hominum gratitudine; quam quoties homo per preces ad DEUM fundit; hic uberiora ſemper in homines beneficia refundit. Idq; cùm non latuiſſet Davidem DEUM, alloquens ajebat Pſal. 90. 2. *Suſceptor meus es tu, & refugium meum, DEUS meus, ſperabo in eum, quoniam ipſe liberavit me de laqueo venantium*, ſed obſervandum, quod David beneficia priùs ſuſcepta dulci commemoratione recolere non deſtitit Pſal. 90. v. 4. *Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis ejus ſperabis*, ubi notat D. Bernardus humiliter confitenti, & devotè gratias referenti ampliora ſemper promitti beneficia, & ideo reſpondiſſe ſpiritum. *Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis ejus ſperabis.* Quotquot exercitio virtutum addicti ſunt, gratitudini præſertim erga DEUM ob collata ſibi beneficia ſtuduerunt.

10 Quærunt Expoſitores, in quònam terrarum tractu habitaverit Noë poſt diluvium; & cenſent plures vixiſſe dies reliquos fortâſſis in humili tuguriolo prope arcam extructo in monte Armeniæ. Sed ſi ex toto humano genere Noë ſuperſtes vixit poſt diluvium, & quidem Dominus univerſæ terræ, cur non potiùs de ampla conſtruenda civitate pro ſe, & poſteris non cogitavit? ſuit Noë culturæ addictus virtutum, ideóque has ut impenſiùs exerceret ab arca ſejungi noluit, ut in ipſa divinæ miſericordiæ prodigium ei objiceretur, & ad debitas DEO reddendas gratea ſtimuli jugiter adderentur; & ex nova DEI beneficiorum memoria ferventiori amore eum proſequeretur. Utile eſt recolere ſæpiùs beneficia nobis à DEO impertita, quia ſtimulos addunt ad debitas rependendas gratias, quæ alia ad nos trahunt DEI beneficia.

Ea eſt gratitudinis indoles, ut vim eidem magneticam inſitam eſſe dixeris: trahit ſiquidem novum ſemper beneficium, eùm obſequium ob prius à DEO præſtitum exhibet. Idque cum conjugi Jacobi Patriarchæ innotuiſſet Rachaëli, cùm gratias DEO debitas impenderet pro ſuſcepto filio, ac beneficio ſibi impertito, ſimul ſperavit fore, ut alterum eſſet ſuſceptura, propterea hac præmunita fiducia dixit Geneſ. 30. 24. *Reddat mihi Dominus filium alterum*, cùm gratias ageret pro impertito ſibi beneficio in uno filio, quem feliciter lucis dedit uſuræ, ſecura de ſecundo hunc à Numine ſperat, quia gratiarum actio vi quadam magnetica ad ſe attrahit novum beneficium, quoties pro præcedente obſequium benefacienti impenditur: ait Lippomanus: *Quia pro primo ſuſcepto gratias egit DEO Rachael; & ſecundo quem minimè optavit, ditata eſt.* 11

Sunt beneficia veluti ſemina, quæ animo grato impertita veluti occatæ telluris in ſinu demandata, & excultæ terræ concredita creſcunt multiplicata; non enim gratitudine excultus animus probro laborat ſterilitatis, ſed beneficium ſibi collatum accedente veluti imbre gratiarum actione irrigatur ad uberiora beneficiorum incrementa. Idque nos edocuit Magiſter Chriſtus, cum turbis, quæ eum ſecutæ fuerant in eremo, prandium apparavit; cùm quinque tantùm ei panes Apoſtoli exhibuiſſent turbis diſtribuendos, & paucos piſciculos externæ cœnæ ſuperſtites; & Chriſtus noviſſet impares eſſe turbis exſaturandis; quò æternum Patrem veluti adigeret ad incrementa addenda, quæ ſufficerent, ſuppetias ab actione gratiarum expoſtulavit, quam propterea præmiſit ſecurus de incremento annonæ, eſt ſiquidem gratitudo beneficiorum collatori exhibita, quæ uberiora ſemper ad ſe beneficia trahit Joan. 6. 11. *Et cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.* Chriſtus exhibitos ſibi à Diſcipulis quinque panes præ manibus ſuſceptos DEO Patri obtulit, ſimúlque gratias egit. Tametſi viſa non fuiſſet neceſſaria gratiarum illa actio, eò quia quinque panes ex ſe minimè eſſent ſuffecturi ad reficiendas turbas circa quinque millia hominum: nihilominus ſciens efficaciam gratitudinis, & vim trahendi uberiora beneficia inſitam gratiarum actioni, pro exigua annona turbis diſtribuenda duxit præmittendam gratiarum actionem, cujus beneficio, & feracitate panes incrementum ſubirent turbis paſcendis idoneum, & ad earundem vires reficiendas ſufficiens: ſcitè S. Chryſoſtomus apud Salmeronem id ediſſerit inquiens: *Verbis præſertim, quibus gratias ageret DEO, panes multiplicavit*: nimirum gratitudo vim in ſe magneticam continet, quæ ſi ſemel pro ſuſcepto beneficio impendatur aliud ad ſe trahit, quo per incrementa beneficiorum efflorescat hæc virtus lætior, oleátque ſuavior. 12

Hinc Divus Paulus, quo Philippenſes 13

DEUM

DEUM flecterent in ſua vota, & per fuſas ad Deum preces ea conſequerentur beneficia, quæ peterent, eis ſuaſit, ut nonniſi cum gratiarum actione Deum rogarent; quia hæc gratitudo eſt, quæ petitum beneficium ad ſe trahit, Deúmque flectit in vota petentium ad Philipp. 4. 6. *Cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud DEUM:* qui enim ob ſuſceptum beneficium gratum ſe exhibet ad novum ſuſcipiendum ſe diſponit, propterea Chriſtus in eremo pro exigua annona, ſibi à Diſcipulis exhibita gratias DEO egit, quò uberius acciperet beneficium in multiplicatis panibus, qui reficiendis turbis ſufficerent: potuiſſet Chriſtus non præmiſſa illâ gratiarum actione incrementum addere exiguæ annonæ, & ad ſaturitatem eſurientes turbas paſcere, ſed quò nos erudiret, illam præmiſit actionem gratiarum, ut diſcamus eam, & nos præmittere, quoties aliquid à DEO petimus, quia ut appoſitè ait Cajetanus *Petitio futurorum ex gratitudine præteritorum conſurgere debet.* Si Deus nos memores videat beneficiorum, quæ ſuſcepimus, alia nobis uberiora impertitur; quia gratitudini ea vis ineſt, quâ novum ſemper ad ſe beneficium trahat: & quia nonniſi Dei beneficio vivit, & ſubſiſtit homo, ejus gratitudo in Deum nunquam immori debet; ſed jugiter vigere, quò Deus & vitam protrahat, & uberiora ſemper addat beneficia, quia ut monet S. Chryſoſtomus Tom. 1. homil. 15. in Geneſ. *Ita liberalis eſt Dominus noſter; ut quando videt nos bene, & cum gratitudine uti his, quæ jam nobis conceſſit; ultra nos potioribus, majoribúsque muneribus impleat.*

14 Natura Dei, quia eſt ipſa bonitas, nequit non eſſe benefica, neque extra ſe poteſt agere, quod non ſit beneficium nobis præſtitum. Quòd ſi ſol cœlo affixus ita per terrarum omnes tractus ſuos diffundit radios, ut abſque ulla ſui diminutione ſuum communicet ſplendorem, ſuámque virtutem impertiatur rebus omnibus, ſive lateant in terræ viſceribus; ſive vegetent in plantarum, olerúmque ſpeciebus; ſive ſentiant in animalibus, vel piſcibus æquora innatantibus: perinde, DEUS omnibus ſua impertitur beneficia, ſuámque communicat bonitatē abſque ulla ejuſdem diminutione: & ſicut Dei beneficio vivunt homines, ſubſiſtunt, paſcuntur, & vitam protrahunt; ita gratitudo id exigit, ut cùm beneficia ſint continua, ita non ceſſent gratiarum actiones; idque cum noviſſet D. Auguſtinus ajebat ſoliloq. cap. 28. *Confiteor tibi beneficia tua magna; quemam eripuiſti me de inferno inferiori ſemel, & ſecundò, & tertiò, & centies, & millies; & ego ſemper ad infernum tendebam, & tu me ſemper reducebas.*

15 Cum igitur innumeris nos quotidie beneficijs Dei bonitas proſequatur, & nihil aliud poſſimus eidem exhibere, quàm noſtra obſequia per gratiarum actiones; has rependere jugiter debemus, quò ampliora ſemper ſuſcipiamus: appoſitè S. Bernardus ſerm. de quadraginta debit. *Ecce in januis eſt qui fecit cœlum, & terram & creator tuus eſt, & tu creatura: tu ſervus, ille Dominus: ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, à quo totum habes; qui & te fecit, & benefecit tibi: qui tibi miniſtrat ſyderum curſus, aeris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem.*

Eſt gratitudo non ſolùm cuſtos beneficiorum, quæ ſuſcepimus, ſed etiam magnes aliorum, quæ ad ſe trahit; Dei enim munificentia nunquam exhauritur in beneficijs exhibendis, ſed uberiora ſemper ſuppeditat, ubi gratitudo animum ad illa ſuſcipienda diſponit; hinc ut ad hujus virtutis ſtudium alliceret, ac invitaret Eunuchum Reginæ Candacis, cum primùm fuit luſtrali baptiſmi aquâ ablutus, Philippum ab ejus ſubtraxit aſpectu Actor. 8. 39. *Spiritus rapuit Philippum.* Quærunt Expoſitores, cur tam citò, & poſtquam Eunuchus baptiſmum ſuſcepit Angelus Philippum rapuerit ab ejus præſentia? & reſpondet præ cæteris Lyranus, ut Neo-Chriſtianus intelligeret Philippum à Deo ſpecialiter miſſum fuiſſe ad ipſum, à quo de Chriſti doctrina inſtrueretur, ac baptizaretur. Ut autem alijs DEUS beneficijs cumularet eum allexit ad gratias DEO rependendas pro ſpeciali beneficio ſibi impertito in doctrina à Philippo ſibi tradita, & baptiſmo ſuſcepto, dat ſe Deus hominibus in ſocium, Inſtructorem, præceptorem, imò pretium & cibum, ut omnibus nos cumulet beneficijs, & rectè ambulemus per viam ſalutis, & ne declinemus ab exercitio virtutum, ut monet S. Anſelmus de humil. cap. 46. ubi loquens de Deo benefico in homines ait: *Imperat ut Deus: terret ut Dominus: protegit ut cuſtos: hortatur ut Pater: docet ut Magiſter: cohabitat ut frater: nutrit ut mater: blanditur ut amicus: amplexatur ut ſponſus: illuſtrat ut veritas: prævenit ut bonitas: ſe manifeſtat ut lux: loquitur ut verbum: dulcorat ut ſapientia. ſalutémque præſtat ut vita.*

Compenſandis hiſce beneficijs pares non 17
inſunt hominibus vires, ſed eas, quas poſſunt, & humana imbecillitas ſuppetit, debent tanto Benefactori grates rependere, eúmque nunquam offendere, ſed illi jugiter inſervire; cùm enim totum quod habet homo Deo debeat, æquum eſt, reddat totum quod eſt, & gratias ei debitas jugiter rependat. Dedit DEI filius ſe totum homini cùm plurimum laboraverit, ut ipſum ſibi lucraretur, quod beneficium compenſare cum non valeat homo ſaltem gratias rependere jugiter debet, ut ſcripſit D. Paulus ad Coloſ. 3. 14. & 15. *Charitatem habete quod eſt vinculum perfectionis, & pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in uno corpore, & grati eſtote.* Vult Apoſtolus Coloſenſes primum virtutum omnium manipulos unà colligare vinculo charitatis, & hoſce ligatos ne fur rapiat, aut fera devoret, cuſtodiam vult adhiberi per gratiarum actionem, & *grati eſtote*, quia gratitudo eſt, quæ impertita beneficia fideliter cuſtodit, & alia impertienda ad ſe trahit: hinc D. Chryſoſtomus homil. 26. in Matth. ait: *Optima benefi-*

cio: unus cuſtos eſt ipſa memoria beneficiorum, & perpetua gratiarum confeſſio.

18 Sunt qui ſuſcepta beneficia diu non ſervant, ſed perdunt, quia cuſtodem non adhibuerunt, quia debitas benefactori gratias non perſolverunt. Vel tamdiu grates rependunt, quamdiu accipiunt; & ſi ſemel ad tempus ijſdem beneficium denegetur, ac ſi præcedentia nunquam ſuſcepiſſent beneficia, quibus tamen fuerunt cumulati, non ampliùs gratos ſe exhibent per præſtita obſequia benefactori, de quibus propterea ait Eccleſiaſt. 29. 5. *Donec accipiant, oſculantur manum dantis*; quam ſi muneribus vacuam viderint, ingrato dente potiùs mordent, quàm gratis labijs oſculentur, quos propterea pares camelis feceris, qui *donec accipiant*, ſe in terram ſubmittunt. Beneficia nobis munificus Deus impertitur, ſed quo diutiùs ea poſſideamus exigit noſtram cuſtodiam, ſeu gratiarum actionem, quæ ſi deſit abſente cuſtode facile fures ea ſurripiunt.

19 Quòd ſi beneficia communia fuerint, ſeu pluribus impertita, exigit Deus, ut & communis ſit gratiarum actio. Hinc cùm Chriſtus decem leprâ ſordidatos mundâſſet, ac priſtinæ reſtituiſſet ſanitati; quia unus tantum ex mundatis gratias egit, & non omnes, Luc. 17. 15. *Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus eſt: regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes ejus gratias agens*: ſed quia non omnes hoc idem præſtiterunt ijſdem juſtè iratus Benefactor de eorundem ingratitudine conqueſtus reſpondit Lucæ. 17. 17. *Nonne decem mundati ſunt, & novem ubi ſunt*: æquitas, & virtus gratitudinis expoſtulâſſet, ut ſicut omnes beneficium ſuſceperunt, omnes etiam debitas egiſſent gratias, idcóque taxavit Chriſtus communitatem, eo quia communitas neglexit gratias referre; debuiſſet enim communitas, quæ petitura ſanitatem, venit ad cœleſtem Medicum, voti compos facta redire ad ferendas debitas gratias benefactori, unde unicus, qui ſanatus gratias egit, Chriſtum invenit offenſum in eos, qui grates præſtituri non acceſſerunt.

20 Idque cauſæ, cur Noë in gratiarum actionem voluerit de cunctis pecoribus, & volucribus mundis offerre Deo ſacrificium Geneſ. 8. 20. *Ædificavit Noë altare Domino & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare.* Quærunt ſacri Interpretes, cur de cunctis voluerit Noë DEO offerre in holocauſtum cùm potuiſſet gratias Deo agere per oblationem unius tantùm, vel alterius ſpeciei eorum animalium, quæ noverat magis Deo placere, cujuſmodi ſunt inter quadrupedes agni, & inter volucres columbæ, quæ ſymbolum præferunt ſimplicitatis, ac puritatis, quæ Numini vel maximè placet. Verum quia noverat Noë impertitum beneficium cunctis à Deo fuiſſe animalium & volucrum ſpeciebus, ideo de ſingulis voluit holocauſtum offerre, ne ulla animalium, vel volucrum ſpecies nota redargueretur ingratitudinis. Sicut igitur beneficium commune fuit omnibus animalium, & volucrum ſpeciebus, quas incolumes ſervavit in arca, ita debuit gratiarum actio communis eſſe; & Noë offerre in holocauſtum de ſingulis ſpeciebus, ut cuncta pecora, & volatilia ſicut ſenſerunt beneficium, ita gratias rependerent. 21

Diſplicet DEO, ſi videat creaturas per neglectam gratiarum actionem memores non eſſe beneficiorum, quæ illis impertitur, & ideo ijſdem uberiora ſubtrahit, quia ſe indignos conſtituunt; neque veniam merentur; hinc Chriſtus Matth. 12. 32. *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei; qui autem dixerit verbum contra Spiritum ſanctum non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro*: mirum cogitatu, quod cùm Deus indulgeat peccantibus in filium, veniam deneget offendentibus Spiritum ſanctum. Quid? quòd injuriam filio inferentes indulgentiam conſequantur, cùm peccantes in Spiritum ſanctum à venia excludantur? quia nimirum filius ſapientiam hominibus impertitur; cùm enim ſit Verbum Patris æterni, nos edocet, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, Spiritus Sanctus verò munifica profuſione munera impertitur; & cuncta ſua dona nobis elargitur; cúmque ſit amor ex Patre, & filio procedens ex puro amore cuncta ſua dona in homines diſpenſat. Quidni? beneficijs homines cumulat Spiritus S. quibus ſua impertitur dona; ergo non gratias agere tanto Benefactori, ſed injuriam potiùs eidem inferre, adeo enormis eſt ingratitudo, quæ carentiam veniæ ſecum trahit: & ſpes indulgentiæ, quæ vireſcit inter offenſas filio irrogatas, exareſcit inter injurias Spiritui ſancto illatas. 22

Eò ingratitudinis homines plerumque deveniunt, quò non ſolùm negligant pro collatis ſibi beneficijs debitas rependere grates, verùm quod deterius injurijs etiam audeant ſuum proſequi benefactorem, ſitque propterea argumentum injuriæ inferendæ beneficium aliquod homini collatum. Gravius ſubinde quis læditur ab eo, cui plura fuit beneficia impertitus, quàm ab alijs, quibus fortaſſis beneficus non fuit. Interrogat Joannes Chriſtum, quisnam ex Apoſtolis eſſet eum traditurus, cui reſpondet Magiſter Chriſtus Joan. 13. 26. *Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero*: nomen reticuit proditoris, quem tamen beneficium ei præſtitum manifeſtavit, ſubdit Evangeliſta; *Et cùm intinxiſſet panem dedit Judæ*: notatu dignum, quòd Chriſtus manifeſtè non reſponderit Joanni, Judas me tradet, ſed voluerit, ut proditorem cognoſceret ex beneficio collato, quaſi ſervator ille ab ipſo ſolo potuiſſet noxam ingratitudinis expectare. Utinam plures etiamnum Judæ non eſſent, qui poſt tot accepta à Deo beneficia illum adhuc produnt.

Quantis non cumulatur homo à Deo beneficijs cum ex nihilo fuerit traductus, & ditatus tot donis, quot ſunt facultates tum animæ, tum corporis, quibus viget. Quòd homo ſanitate donetur, incolumis ſervetur, à malis liberetur, omnia ſunt beneficia eidem à DEO collata, & nihilominus adeo eſt homo

in-

ingratus, ot offendete conditorem, contemnere benefactorem, & ſpernere Servatorem audeat. Da immemorem beneficiorum & ingrati animi vitio notatum, & hunc videbis inter ferventes tapidum; inter humiles ſupetbum, inter ſobrios intemperantem; inter cultores virtutum vitijs coinquinatum; inter manſuetos iracundum, inter pacificoa turbulentum, & malum inter bonos, proinde ſingulis exoſum, quia ut ait Seneca *peſſimi eſt debitoris creditori facere convicium*, etenim feræ ipſæ quamvis rationis expertes hoc vitium exhorteſcunt.

Refert Plinius *Lib, 10. natur. hiſtor. Aſpidis gratitudinem inquiens.* Aſpidem Ægyptius domi ſuæ aluit, quæ cania inſtar ad nutritij ſui manſam ſtatis horis accedebat: quidni geminos peperit in ea domo catulos, qui eadem cura ab Ægyptio enutriti fuerunt. Contigit autam ut aorum unus abſente matre filium Ægyptij momorderit, ac interemerit: quòd cum domũ reverſa marer ſenſiſſet indignata contra Catulum occiſorem, ipſamet eum trucidavir, & occidir; & arrepto alio in deſertum locum ſe ſe contulit quaſi pudore ſuffuſa non pateretur aſpicera vitio ingraritudinis temeratam à ſuo catulo benefactoris ſui domum. Plura exhibentur exempla brutorum vitium exhortentiũ ingratitudinis cum natura ipſa ſemina videatur implantâſſe cunctis animalibus, quæ naturæ inſtinctu amore proſequuntur eos, à quibus noverint beneficijs cumulari, ne ingratitudinis nota ſignentur. De Elephante fertur quòd ſi aliquando arboti malè firmæ adhærens corruat, & hominis ope iterum aſſurgat ea ſe gratirudinis lege arbitretur teneri, ut ſua non deſinat obſequia præſtare liberatori, ait Caſſiodorus, 10, var. 30. *Bellua ſuis greſſibus reſtituta novit memor eſſe beneficij in magiſtrum, quippe recipit, quem ſibi ſubveniſſe cognoſcit, ad ipſius arbitrium greſſus movet, ipſius voluntate cibos capit, & quod omnem intelligentiam quadrupedum ſuperat, non dubitat primo aſpectu adorare, quem cunctorum intelligit rectorem eſſe, cui ſi tyrannus appareat, inflexa permanet, nec impcni poteſt belluæ hoc, & malis pendere, quod à ſe novit bonis principibus exhibere.*

Quod ſi bruta ipſa gratitudinis legem
25 noverunt, cui obſequantur, ac debita ſuis præſlent benefactoribus obſequia, tantò magis tenetur tot cumulatus beneficijs exhibere ſa Deo gratum cum Davide; qui poſt innumera beneficia à Deo ſuſcepta cum ſufficientes non poſſet gratias rependere, veluti obæratus, nec eſſet ſolvendo ob naturæ inopiam, & ob ingentia, quæ à Deo beneficia ſuſceperat, anceps hærens dixit Pſal. 115. 12. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi.* Tot ſiquidem fuerunt beneficia à Deo Davidi impertita, ut huic pares non aſſent vires gratijs agendis: nihilominus licèt in naturæ humanæ cenſu nil invenerit, quò accepta à Deo beneficia dignè rependeret: ſingulis perpenſis ſubdit, *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*, quaſi dicat, cum tot ſint ingentia beneficia à munifica Dei benignitate mihi collata, & mea imbecillitas obærata non poſſit vices rependere. neque debitum ſolvera, id unum mihi ſupereſt, ut calicem ſalutaris accipiam, ſeu me totum, & vitam meam ei exhibeam, & cùm calice quidquid adverſi mihi poſſit contingere; omnes afflictiones animi, dolores corporis, hoc in calice libenter ebibam, ſimúlque Deo offeram, imò & mortem ipſam, quo aliquid obſequij munifico meo exhibeam benefactori, S. Cyprianus enim, Baſilius, & alij Sancti Patres interpretantur hunc calicem indicare martyrium, & dolores, ac cruciatus, quibus Martyres torquentur; & Davidem in aliquantulam compenſationem pro ſuſceptis beneficijs hunc calicem æquo animo ſuſcipere, ac avidè ebibere. Verùm textus Chaldæus hunc calicem non afflictione, ſed felicitate; non cruciatu, ſed nectare; non amaritudine, ſed dulcedine oppletum aſſerit: quapropter poſt epotum calicam ſtatim David nomen Domini invocat, ſeu debitas eidem gratias rependit pro ſibi præſtitu tanto beneficio. Præ cæteris beneficijs à Deo ſibi impertitis hunc calicem ſalutaris tecenſet regius Vates, & cùm imparem ſe noverit debito dignè rependendo ipſam accerſit gratitudinem, ex cujus penu mutuat ſolvenda in gratiarum repenſione. 26

David igitur quò pro ſua tenuitate aliquid DEO rependeret gratum te ipſi exhiber, ot par gratiarum actionem calicem ſalutaris accipiat, ſeu futuræ gloriæ ſpem ebibat, & uberiora deinceps à DEO beneficia ſuſcipiat: quia gratiarum actio tantæ eſt virtutis, ut non ſolùm pro ſuſceptis beneficijs retribuat; verùm etiam pro uberioribus recipiendis roget, & benefactorem in ſua vota flectat. Huc videtur alluſiſſe Ennodius in bened. cer. 1. inquiens: *Juſtum eſt, ut quod à te Domine accepimus prece ſaltem, & voce ſolvamus*: hoc eſt plena voce gratias agamus; quia per hanc vocem DEO quæ ſuſcepimus beneficia ſolvimus, ſi non re, ſaltem voluntate, & voto cum noviſſet David quanti ſit momenti, & ponderis gratiarum actio pro ſuſceptis beneficijs, hanc unicam accerſivit, quam retribueret Domino pro omnibus beneficijs, quæ fuerat ei impertitus: cùm enim nec in naturæ cenſu, nec in regio ærario aſſer quid dignè tanto benefactori rependerer, ſolam obtulit gratitudinem in ipſa gratiarum actione *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi, calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo:* ſeu gratias agam pro omnibus, quæ mihi Deus retribuit, & pro calice oppletò nectare æternæ felicitatis, quem ex illius ſponſione ero accepturus: *calicem ſalutaris accipiam gratias quas potero ferventiores agam, & nomen Domini invocabo.* Ut igitur defectum propriæ tenuitatis David ſuppleret, gratúmque ſe Numini exhiberet, ſuppetias non ab ærario regio, non à theſauro expetijt, ſed à ſola gratiarum actione, nam ut ait Ennodius *Juſtum eſt, ut quod à Domino accepimus, prece ſaltem, & voce ſolvamus.*

Gra-

27 Gratias DEO rependere pro beneficijs ſuſceptis, benefactorem prævenit ad uberiora vel impertienda, vel jam ſuſcepta incrementanda. Cùm langueret in Bethania Lazarus ejus ſorores Martha, & Magdalena nuntium ad JEſum miſerunt eum rogaturæ, ut veniret opem fratri periclitanti allaturus, ſed JEſus licèt ſuum diſtuliſſet adventum, venit tamen, queſtuſque condolet ſororibus, quarum nutantem fidem blandis firmat verbis, jubétque aperiri ſepulchrum: Joan. 11. v. 41. *Tulerunt ergo lapidem*, ſed licèt putreſcens jam cadaver fœtorem exhalaret, aërémque totum inficeret, & adſtantes aliò avocaret; JEſus tamen ſuſpiciens in cœlum gratias præmittit DEO Patri agendas: Joan. 11. *JEſus autem elevatis ſurſum oculis dixit: Pater gratias ago tibi quoniam audiſti me; ego enim ſciebam, quia ſemper me audis*: cúmque hæc protuliſſet verba voce clariori juſſit quatriduanum Lazarum ſurgere, & è ſepulchro proſilire dicens: *Lazare veni foras.* Mirum ſanè dictu, JEſum priùs gratias egiſſe, & poſtea beneficium ſuſcepiſſe à DEO Patre, quem rogavit pro Lazaro vitæ reſtituendo: Cùm priùs beneficia ſuſcipiantur, & poſtea pro ſuſceptis gratiæ agantur benefacienti, Chriſtus è contra priùs gratias agit, & poſtea beneficium ſuſcipit, & demortuo Lazaro vitam impertit: cur priùs non oravit ut vitæ Lazarus reſtitueretur, & poſt beneficium ſuſceptum, poſt vitam reſtitutam Lazaro non gratias egit; ſed has præmiſit? quia nimirum talis eſt efficaciæ gratiarum actio, ut DEUM moveat ad beneficia impertienda, vel incrementanda jam ſuſcepta.

28 Neque putes, hanc gratiarum actionem ſuo fruſtrari effectu, quo deſtitui non ſinit ejus virtus, ideóque certus cùm eſſet Chriſtus de beneficio ſuſcipiendo gratias præmiſit Deo Patri agendas ad noſtram eruditionem, quò inde conjiciamus quantæ ſit virtutis hæc actio, quæ ſi beneficia impertita non ſupponit, illa infallibiliter ponit; appoſitè Baſilius Seleu. orat. 42. *Quis unquam nihil ante præfatus orationis, tale incepit initium: gratias ago tibi inquit, quoniam audiſti me*: non præmiſit preces, non dixit in nomine Patris mei exi foras, ſupplicationem nullam protulit, ſed immediatè gratias egit, *gratias ago tibi quoniam audiſti me*, quia noverat tantæ eſſe efficaciæ hanc gratiarum actionem, ut ſi beneficia non ſupponat, ea ponat.

29 Origines perpendens Chriſtum ante orationem gratias Patri agentem, quaſi jam impetraſſet, quod necdum poſtulaverat ad illa verba: *gratias ago tibi quoniam audiſti me*: ita ait: *Sed præveniens illius orationem, qui ſolus bonus Pater eſt exaudiens dicenda.* Pro *impletione igitur orationis ſubdit gratiarum actiones dicens: Pater gratias ago tibi quoniam audiſti me*: Mira ſanè virtus ineſt gratiarum actioni, cùm beneficia ſi non ſupponat, infallibiliter ponat. Imò tantæ eſt efficaciæ, ut ipſam orationem compleat, viréſque eidem addat ad DEUM flectendum in vota orantis; nondum completa erat oratio, quæ beneficium à DEO poſtularet, & per gratiarum actionem integratur, viréſque ſumit ad impetranda petita, ſitque propterea, ait Origenes gratitudo orationis integritas, complementum, & efficacia: pro impletione orationis ait Origenes *adfert gratiarum actiones dicens Pater gratias tibi ago.* Niſi gratiarum actio præmittatur, vel ſubſequatur mutila eſt oratio, & ſua integritate deſtituta, minúſque propterea potens ad Deum flectendum in vota orantis; quæ tamen per gratiarum actionem corroborata vires acquirit ad impetranda beneficia, quæ per gratiarum actionem benefactori compenſantur, ut ait Enodius de benedic. cer. *Juſtum eſt, ut quod à Domino accepimus prece ſaltem, & voce ſolvamus.* Sed ſi Chriſtus plura alia fuit miracula operatus non præmiſſa publica gratiarum actione in conteſtationem ſuæ gratitudinis, cur reſtituturus Lazarum vitæ hanc publicam præmiſerit gratiarum actionem? an quia cum morte, & inferis pugnaturus & diffidentiam Judæorum expugnaturus, pro ſuſcepta victoria triumphum ipſum in ipſa gratiarum actione inſtiturum voluit? pulchrè Chryſologus ſerm. 65. *Fremit Chriſtus debellans mortem: quia non poteſt non fremere qui ſingularem rapit de hoſte victoriam.* Ubi Chriſtus ſingularem de morte, & tartaro, ac diffidentia Judæorum victoriam reportavit, gratias publicè egit, quas ſi diſtuliſſet victoriæ laus plenè non ſplenduiſſet. Adverſabatur infernus, & per fœtorem ſepulchri arcebat adſtantes, ne crederent Lazarum vitæ reſtituendum; & inferis confœderati Judæi, armati infidelitate ſe Chriſto oppoſuêre, cui tamen tota Trinitas opem tulit, qua inferos debellaret, mortem proſterneret, & Lazarum priſtinæ reſtitueret vitæ. 30

Præmiſit igitur Chriſtus actionem gratiarum, quæ viam ſterneret triumpho, quia hæc mortem ipſam proſtravit, & Lazarum reſuſcitavit, quem propterea præivit, ut è ſepulchro extraheret: cùm gratiarum actio in cœlum aſcendiſſet, è ſepulchro proſilijt Lazarus, pulchrè D. Chryſol. orat. 65. *Totius Trinitatis conſeſſus Lazarum præcipit exire, & tartarus ad reddendos omnes mortuos Chriſto juſſus eſt obedire.* Propterea æterni Patris filius clamat *Pater gratias ago tibi quia audiſti me*: triumphum cecinit in gratiarum perpenſione, quæ initium fuit, & complementum victoriæ à Chriſto delatæ de inferis debelatis; & morte proſtrata, cum ejus obſecutus juſſioni Lazarus è ſepulchri putredine, è mortis umbris ad vitalem novæ lucis auram reſurrexit: ait S. Chryſologus ſerm. 63. *Vis tota mortis impleta eſt, & forma reſurrectionis plena reſplendet*, ſeu reſplenduit reſurrectionis victoria, & delatæ victoriæ triumphus in ipſa gratiarum actione. *Pater gratias ago tibi, quia exaudiſti me.* 31

Quæ pro ſuſceptis beneficijs gratiæ Numini rependuntur, victorijs non ſolùm de proſtratis inimicis, verùm etiam de profligandis

præ-

prælndunt: idque cauſæ, cur injunxerit DEUS Iſraelitis, ut memores eſſent diei, quo fuerunt libertate donati, & ex Ægypriaco famulatu liberati, quia, cùm eſſent profecturi in terram promiſſionis, & plura deberent inire certamina cum varijs populis, ac plura ſubire pericula, laboréſque exantlare, ut adverſantia quæque ſuperarent, voluit DEUS eſſe memores diei, quo fuerunt liberati ex ſervitute Pharaonis, quia reſricata ſæpiùs hæc memoria ſtimulos addebat ad gratias pro tanto beneficio ſibi impertito DEO agendas Exodi. 13. 3. *Mementote diei hujus, in qua egreſſi eſtis de Ægypto, & de domo ſervitutis.* Nimirum ut gratias agentes ad victorias deſerendas ſibi viam aperirent, & Deum flecterent in ſua vota, eſt enim gratitudo, quæ benefactorem movet ad uberiora impertienda beneficia, & prodit, à DEO eſſe ſuſcepta beneficia.

32 Promiſerat DEUS Moyſi libertatem populi gementis ſub tyrannico jugo Pharaonis, & in ſignum beneficij præſtiti, teſſeram gratitudinis exegit à Moyſe, qui gratias publicè ageret libertatis aſſertori, ac DEO liberatori Exodi 3. 12. *Hoc habebis ſignum, quod miſerim te. Cum eduxeris populum meum de Ægypto immolabis DEO ſuper montem iſtum:* jubet immolationem victimæ, & ſignum honoris præſtiti aſſignat DEUS Moyſi ipſam gratitudinem, & gratiarum debitam repenſionem, quia hæc manifeſtat beneficium collatum à DEO eſſe, cuj gratias agimus: & non ſolùm benefactorem prodit, verùm etiam movet ad uberiora conferenda, eſt ſiquidem gratitudo quædam veluti oppigneratio, qua DEUS videtur ſe quaſi obligare ad nova impertienda beneficia. Rachael filium à DEO aſſequitur, cuj nomen imponit Joſeph, ſeu augmentum, & pro ſuſcepto beneficio gratias DEO rependens ſubdit Geneſ. 30. *Addat mihi Dominus filium alterum.* Quid? quòd Rachael ſuſcepto uno filio ſtatim roget pro alio? quia cùm gratias ageret pro primo ſuſcepto, nòverat tantæ eſſe efficaciæ hanc actionem, ut potis ſit DEUM flectere ad uberiora conferenda beneficia: huc accerſendus Lippomanus in Geneſ. 30. *Propterea quòd primo ſuſcepto gratias DEO agit Rachel, & ſecundo, quem maximè optavit, ditata eſt.*

33 Quòd ſi beneficijs à DEO cumulati hanc negligant gratitudinis teſſeram exhibere, ſibimet invident, & viam non ſolùm ſibi præcludunt ad uberiora ſuſcipienda, verùm etiam ad ſuſcepta complenda, ut totalem ſuum ſortiantur effectum, hinc quia Iſraelitæ poſt plura ſuſcepta beneficia debitas neglexerunt gratias DEO rependere, pane illis à divina impertito munificentia non fuerunt exſaturati Levit. 26. 26. *Comedetis, & non ſaturabimini*, non denegavit DEUS annonam populo, ſed quia grates munifico ſe non exhibuit benefactori, pane non fuit exſaturatus; ſeu beneficium ſuum non fuit ſortitum complementum. Secus panis, quem DEUS pauperibus diſtribuit, non ſolùm vires reficit, & damna per rodentem famem invecta reſtauravit, verùm etiam plene comedentes exſaturavit, David Pſal. 21. 29. *Edent pauperes, & ſaturabuntur.* Sed ſi eundem panem comedunt pauperes, & Hebræi, cur illi exſaturantur, & iſti adhuc fame corroduntur; illi vires reficiunt, & iſti adhuc famelici non reſtaurant; corpus illi corroborant & iſti enervant: diſcrimen ſuggerit David, in pſa textûs integritate *Edent pauperes, & ſaturabuntur*, & poſtea immediatè ſubdit, *Et laudabunt Dominum:* ideo exſaturantur pauperes, quia pro ſuſcepta annona, pro ſibi impertito beneficio DEUM laudant, gratias agunt, ſua obſequia ei exhibent, ſecus non ſaturantur Hebræi, quia pro ſuſceptis beneficijs debitas gratiarum actiones rependere neglexerunt: *Comedetis, & non ſaturabimini:* quia debita veſtra obſequia munifico benefactori non exhibuiſtis, neque per gratiarum perpenſionem veſtram eandem gratitudinem oſtenditis. Idque cauſæ, cur impertitum vobis panem comedetis quidem, non tamen ad plenam virium refectionem: quia per neglectam gratiarum actionem obicem poſuiſtis, ne beneficium ſuum totalem ſortiretur effectum: hinc Beda loquens de viris juſtis, cujusmodi ſunt pauperes ſpiritu, qui pane ſaturantur, ſeu vires acquirunt, per corroborata non ſolùm corporis membra, ſed etiam animæ munera ait ad cap. 8. Joannis: *Ad laudem non ſuam, ſed superni largitoris cuncta, quæ bene geſſerunt referunt:* ita eſt, ideo pauperes ſaturantur, quia pro pane ſibi impertito grates ſolvunt: Iſraelitæ verò non ſaturantur, quia rependere gratias negligunt, quod naturæ ipſius adverſatur legi, ait enim D. Ambroſius lib. 1. offic. cap. 3. *Quid tam contra officium, quàm non reddere, quod acceperis.* Tum accepta reddimus danti, cùm gratias eidem ſolvimus.

Hiuſæus Princeps Job, licèt ſedens in ſimeto miſerijs preſſus, ulceribus fractus, morbis varijs vexatus adhuc beneficiorum à DEO ſibi impertitorum memor ſe ipſum videtur redarguere, & accuſare, eò quia ſilverit, & metu correptus divinas non cecinerit laudes, nec gratum ſe Numini præſtiterit; quapropter erigens animum, ſéque ipſum urgens ait cap. 9. v. ult. *Loquar, & non timebo, neque enim poſſum metuens reſpondere.* Tametſi imparem ſe noverit compenſandis tantis beneficijs, eò quia non eſſet ſolvendo ob inopiam; adhuc tamen pro ſua tenuitate grates DEO ſolvere adnixus eſt, ut excuſſo quovis timore Numini benefacienti correſponderet, quia ut ediſſerit D. Gregorius expendens verba Jobi: *Deo ergo reſpondere eſt donis ejus præcedentibus noſtra obſequia reddere* 34

35 Quòd ſi gratitudo ſuſcepta incrementat beneficia; denegata benefactori obſequia non ſolùm beneficia minuunt, ſed etiam ingratitudine notatum divexant. Tributariam Sennacheribus ſibi conſtituerat armorum violentiâ Hieroſolymam regnante Ezechia, qui nonniſi cum intimo dolore hoc onus tolera-

vit, quapropter ubi rerum indignitas, & inſolentia crevit, de excutiendo jugo Aſſyriaco à cervicibus Judæorum excogitavit: cúmque ad bellum ſuſtinendum arma, milites, pecunias, & præſidia præparâſſet, ac civitatem validioribus propugnaculis firmâſſet, præſidiario milite præmunivifſet, ac neceſſario commeatu: conſueti tributi ſtipendia Sennacheribo ſolvere detrectavit, qui iraſcens Ezechiæ ob denegata tributa immenſum propemodum exercitum ex varijs compactum gentium nationibus in terram Cananitidem ducit, oppida, pagos, & urbes captas evertit, expilat infeſtus non ſolùm Judæis, ſed & ipſi DEO. Ezechias interea per preces, & hoſtias DEUM in ſuum favorem, ac præſidium trahere adnititur, & ab Iſaia Propheta DEI interprete, hac ſpe fretus minas, & terrores à Senacheribo ſparſas non timet; & opem divinam accerſit. 4. Reg. 20. v. 1. *Factum eſt in nocte illa venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia.* Quidni? poſt inauditam retroactis ſæculis victoriam, non auditur cantus, ſed planctus; non triumphus inſtituitur, ſed luctus introducitur; non lætitia aulam exhilarat, ſed triſtitia mœrore opplet, quia tunc Ezechias morbo corripitur, ægritudo invaleſcit, vires deficiunt, humor corrumpitur, ſanguis putreſcit, & imminens mors à Propheta Regi ægrotanti denuntiatur *In diebus illis ægrotavit Ezechias uſque ad mortem*, hoc eſt, eo tempore, quo ob delatam inſignem de proſtrato Sennacheribo victoriam, debuiſſet arcus triumphis inſignes erigere, delabitur ipſe in lectum; cum populorum debuiſſet animos exhilarare communis lætitia, ipſe extremo mœrore conficitur, & acerbo dolore vexatur. Quid cauſæ, quòd Ezechias poſt delatam victoriam plauſum verterit, in luctum; gaudium in mœrorem, & ipſe ad mortem decubuerit lethali morbo correptus, acerbo dolore afflictus, & interno mœrore confectus? Reſpondent nonnulli Interpretes cum Lyra, Ezechiam poſt delatam de proſtrato Sennacheribo inſignem victoriam neglexiſſe debitas DEO gratias rependere, idque in cauſa fuiſſe, cur triumphi lætitiam non potuerit inſtituere, & lethaliter decubuerit, ait Lyra expendens cauſam hujus decubitûs, *dicunt aliqui quòd hæc infirmitas contigit Ezechiæ, eò quòd non reddiderat gratias DEO ſufficienter de perſecutione exercitûs Sennacherib.*

36 Si debita Ezechias obſequia in gratiarũ actionem Deo exhibuiſſet, lethalem morbum non contraxiſſet; ſed quia elato animo gratias agere neglexit, triumphum mœrore infecit, gaudium abegit, & ipſe lethaliter decubuit: quò diſcant in bello victores non ſibi, ſed Numini tribuere victorias de proſtratis hoſtibus delatas, & ſoli Deo ſuam præſtanti opem debitas agere gratias ut præſtitit Debora: erat hæc vidua tota divinis mancipata obſequijs, quam DEUS Propheticdem effecit, non ad reſponſa tantùm danda, verùm & contra tyrannum arma movenda: cúmque Hebræi è Numinis cultu excidiſſent, robur quoque, & vires deperdiderunt, nec hoſti aggreſſori obſiſtere valuerunt; hortatu tamen Deboræ animos erigunt Hebræi, milites congregant, exercitum componunt ad decem millia hominum, quos Debora cum Baraco ducit contra Siſaram hoſtilis exercitûs ducem, & Barac eus victoriæ minimè dubius milites erigit in ſpem triumphi, & inſtructa acie cum Debora in medium agminis recepta in Cananæos irruit, & cœlo, nimbo, grandine, dejectis flammis, & facibus, imò & Angelo diſtricti gladij fulmine, vultúque minante, ac formidabili pugnante in favorem Deboræ hoſtis animo cadit, ſimul & viribus diſſolvuntur pedeſtres ordines, & equeſtres alæ Hebræis terga vertunt, turpíque ſe fugæ donant, & Debora tunc non Hebræorum viribus, ſed Numinis datæ opi, ac impertito auxilio delatam tribuit victoriam de hoſte fracto, & fugato, & debita per gratiarum actionem Deo rependit obſequia; & cum ipſa gratiarum repenſione triumphũ complet, quem Ezechias mutilavit ob neglectam gratiarum actionem poſt inſignem illam delatam victoriam de proſtrato Sennacheribo. 37

Adverſarios duos expertus fuerat Jacob Patriarcha Angelum colluctatorem, & Sichimitam exprobratorem. Cum Angelo Antagoniſta provocante ad luctam congreditur Jacob ea virium contentione, ut videretur cœleſtis colluctator Jacobo palmam ceſſiſſe: ſed quamvis nocte illa victoriam Patriarcha detuliſſet quovis die clariorem; adhuc tamen timore perculſus, anceps hæret, quaſi minùs ſecurus, petítque à colluctatore Antagoniſta in ſignum illibatæ benevolentiæ, ut ſibi bene precetur. Verùm poſt Dinæ calamitatem, & Sichimitarum tragædiam licèt timeat; DEUS tamen timorem excutit, animum exhilarat, vires ſuppeditat, & jubet, Patriarcham montem Bethel inſcendere, aram conſtruere, & ibi degere Geneſ. 35. v. 1. *Aſcende Bethel, & habita ibi, fácque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Eſau fratrem tuum.* Obſequitur Patriarcha Numinis juſſui, ſed dum montem aſcendit, terror in hoſtes deſcendit, dum vires acquirit, robur hoſtilis elanguet: *Terror DEI invaſit omnes per circuitum civitatis.* Quærunt Interpretes, cur Patriarcha montem inſcendens ſit hoſtibus terrori, cùm in nocturna lucta etiam poſt victoriam anxius fuerit, ac totus timore perculſus? & reſpondet Lippomanus: Ideo poſt luctam animo cecidiſſe, quia altare non erexerat, neque ibi gratias egerat, & cùm gratiarum actio non complevíſſet triumphum, non potuit de victoria delata plenè lætari: ait Lippomanus: *Exigit Deus gratiarum actionem à Jacob de beneficio liberationis ſuæ*: quia verò poſt aſcenſum in Bethel aram erexit, genua flexit, & gratias DEO egit, timorem excuſſit, & cum gratiarum actione plenâ potitur victoriâ, completo fruitur triumpho. 38

Non ſolùm in proſperis, & victorijs debemus noſtra DEO obſequia rependere, & omnium bonorum largitori gratias ſolvere, verùm etiam cùm anguſtiæ nos premunt, cùm hoſtes in nos irruunt, cùm moleſtiæ nos affligunt,

gunt, idenim ſuaſit Apoſtolus Epheſinis ad Epheſ. 5. v. 20. *Gratias agentes ſemper pro omnibus* ſcilicet pro omnibus ſive proſperis, ſive adverſis, quia virtus Chriſtianorum eſt, etiam pro ijs, quæ nobis videntur adverſari gratias DEO referre, eò quia Chriſtianus, quidquid ei contingat ex DEI permiſſu cogitat id obvenire, propterea ut DEI dona etiam adverſa ſuſcipit, æquo animo tolerat, cuj & debitas perſolvit gratias, credens, id ad ſalutem ei profuturum: etenim in proſperis duntaxat gratias DEO rependere etiam Ethnicus, Turca, & Judæus ſciunt, & per hoc diſtinguitur ab Ethnicis Chriſtianus, quia etiam de miſeria, quâ premitur; de doloribus, quibus affligitur, gratias DEO rependit: ſcitè S. Hieronymus expendens verba D. Pauli ad Epheſ. 5. ait: *Juxta Apoſtolum hæc virtus eſt maxima, ut in ipſis periculis, atque miſerijs DEO gratiæ referantur, & ſemper dicamus: Benedictus DEUS, minora me ſcio ſuſtinere quàm mereor, hæc ad mea peccata parva ſunt. Nihil mihi dignum redditur.*

38 Non ſolùm ad Epheſios, verùm etiam ad Theſalonicenſes hoc idem ſcripſit Apoſtolus, ut de ipſis miſerijs proventum facerent ad Theſal. 5. 18. *In omnibus gratias agite:* hoc eſt ſive divitijs affluatis, ſive præ inopia in neceſſarijs deficiatis; ſive ſanitate gaudeatis; ſive morbo decumbatis; ſive in proſperis hilares, ſive in adverſis triſtes, æquè in conſolatione, ac mœrore; in riſu ac luctu; in afflictione, ac lætitia; in depreſſione, ac exaltatione, quia plerumque majus eſt beneficium paupertate premi, quàm divitijs cumulari; adverſitatibus affligi, quàm proſperis erigi, quòd cùm noviſſet regius Vates DEUM alloquens dixit Pſal. 118. 71. *Bonum mihi quia humiliáſti me;* non quia ad regnum Iſraël fuit exaltatus, ſed quia humiliatus, & depreſſus gratias egit, quia & ipſa depreſſio quoddam bonum eſt, & beneficium, quo altiùs inſcendit afflictus per gratiarum actionem: quæ enim nobis videntur adverſari, beneficia ſunt, quibus DEUS nos perficit, & in ipſa afflictione perinde ac aurum in igne nos purgat; idque ut explicet S. Auguſtinus moris illius meminit, quo matres in balneis fricabant infantes, ait ipſe in Pſal. 33. *Matres quomodo fricant in balneis ad ſalutem filios? nonne parvuli clamant inter manus earum? illæ ergo crudeles ſunt, ut non parcant, non exaudiant lachrymas? nonne plenæ ſunt pietate? & tamen clamant pueri, & non eis parcitur. Sic & DEUS noſter plenus eſt charitate: ſed ideo videtur non exaudire; ut ſanet, & parcat in ſempiternum.*

39 Quæ nos videntur ærumnarum anguſtiæ premere, & adverſa opprimere, DEI ſunt beneficia, quibus viam ad æternam felicitatem non ſolùm nobis ſternunt, ſed etiam dilatant, quò per incrementa meritorum illuc perveniamus, ubi afflictio eſt nulla, ſed gaudium jugiter floret. Id cùm noviſſet David, non fuit conqueſtus ex perſecutione Saulis, ex rebellione Abſolonis, ex ægritudine qua lethaliter decubuit, neque ex preſſuris, & adverſitatibus, quibus ſenſerat ſe opprimi, ſed adverſa quæque, ut Numinis dona, ſerena fronte, hilari animo ſuſcepit, & gratias danti perſolvit Pſal. 117. v. 17. 18. *Narrabo opera Domini.* Sed ſi quæras, quæ ſint hæc opera, de quorum narratione David gloriatur, & gratias DEO agit, non credas in hac narratione recenſuiſſe opus creationis, quò à munifica DEI bonitate ex nihilo traductus fuit ad lucis uſuram, neque delarum de proſtrato gigante, de interempto Goliatho triumphum; neque victorias reportaras de occiſis leonibus, & urſis gregi, & caulæ inſidiantibus; neque illius unctionem in Regem Iſraëlis, ſed ipſa adverſa, quibus beneficus DEUS eum punivit, *Narrabo opera Domini. caſtigans caſtigavit me Dominus:* recenſuit inter Numinis beneficia ipſa verbera, quibus eum punivit; noverat enim quantum inde lucri erat in ipſum derivandum. 40

Ea eſt DEI conſuetudo, ut quos impensè amat, eoſdem acriùs puniat, etiam ob leves defectus, quò per ignem afflictionis purgentur, ac uberioribus cumulentur beneficijs. Afflictionum, ac preſſurarum examine juſtos in hac vita ſolet Deus probare, ut ſibi conſulant, præparéntque ad exercitia patientiæ, ut participes fiant coronæ, & triumphi, qui in certamine fuerunt Socij hinc Job. cap. 36. v. 17. *Cauſa juſti quaſi impij judicata eſt:* adeo diſtricto examine fuit Jobus à DEO exploratus, ac ſi non culturæ virtutum operam dediſſet, ſed vitijs indulſiſſet; adeo eum afflixit, ac ſi pluribus fuiſſet ſceleribus reus; quò inde conijciant peccantes, quid poſſint ſperare, cùm juſti ita à Deo excrucientur, ait D. Gregorius Magnus expendens præfata Jobi verba: *Bonorum cauſa quaſi impij dicatur, quia eorum hinc juſtitia paterno flagello fatigatur.* Sed ſi juſti flagello fatigantur, perinde ac fœcunda tellus aratro proſciſſa excoluntur, ut quæ ſuſcipiunt à DEO beneficia veluti ſemina ijſdem concredita aucto fœnore incrementum ſubeant. Hinc Chriſtus vocat æternum Patrem agricolam, & homines palmites, & ſtatim ſubjungit. *Omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat Joan. 15.* Notatu dignum, quòd non dicit, purgaturum palmites, qui fructum non adferunt, ſed eos, qui racemis coronantur, & multiplici fructu diteſcunt, quia quos DEUS vult uberioribus cumulatos beneficijs, ac excellentioribus diteſcere fructibus, & meritis abundare, eos purgat cultro afflictionis, ut fructum plus adferant, quod cùm innotuiſſet Venerabili Bedæ ait expendens textum Joannis: *Fert fructum, quia mundus eſt, atque ut plus afferat, purgatur adhuc: quis eſt enim in hac vita ſic mundus, ut non ſit magis, magisque mundandus?*

Aurum metallorum pretioſiſſimum æmulatur juſtus, quò enim igne adverſitatum, ac preſſura ærumnarũ magis purgatur, & premitur, eò plus pretij acquirit. 41 Chriſtus Joan. 15. ſtatim addit: *Mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.* Et tamen quos aſſerit mundos, eoſdem cultro ærumnarum, ut palmites purgat. Cauſam ſuggerit idem Beda inquiens: *Mundat*

*utique mundos hoc eſt fructuoſos; ut tantò ſint pre-
tioſiores, quantò fuerint mundiores.* Idque cau-
ſæ cur justi ac virtutum cultores tametſi labo-
ribus premantur, afflictionibus excrucientur,
tormentis torqueantur, ac ærumnis oppri-
mantur, nullam tamen triſtitiæ accerſunt nu-
bem, quâ mentis ſerenitatem obumbrent, ſed
æquo animo afflictiones, ut beneficia ſibi col-
lata à DEO amplectuntur, & oſculantur; ſciunt
enim tunc per hanc purgationem fieri DEO
gratiores, & preſſuras hujus vitæ æterna in
cœlis gaudia parere, ut ſcripſit D. Iacobus cap.
1. *Omne gaudium exiſtimate fratres mei cùm in
tentationes varias incideritis*, quia quæ nobis vi-
dentur adverſari, ad veram felicitatem nos du-
cunt: ſiquidem per labores, ærumnas, & af-
flictiones digni reddimur æternis gaudijs, un-
de Beda ſubdit: *Omni gaudio dignos arbitramini
eos, ſi propter fidem Chriſti tentationes ſuſtinere con-
tingat:* quia labores, & ærumnæ, ſi æquo a-
nimo, & patienter tolerentur ad æterna gaudia
nobis viam aperiunt, & lacrymæ, quas afflicti
fundimus ſemina ſunt, quæ excultæ virtutis
labore in noſtri cordis humo ſeruntur, ac ger-
minant in flores æternæ jucunditatis: appoſi-
tè Salvianus lib. de gubern. DEI: *Labor itaque
jejunium, & paupertas, & humilitas, & infirmitas
non omnibus onerosa ſunt tolerantibus, ſed tolerare
nolentibus: ſive enim gravia, ſive levia animus to-
lerantis facit.*

42 Non igitur juſtus ſi ærumnis, laboribúſ-
que prematur, triſtis conqueritur; ſed gaudens
gratias DEO perſolvit pro tanto beneficio ſibi
impertito: eſt tribulatio, quâ affligimur, ſi æ-
quo animo toleretur, regia via, per quam an-
guſtijs preſſi ad æternam felicitatem ducimur:
& nemo ſanæ mentis triſtatur, neque turbato
corde, tardóque pede incedit, ſi ſciat ad vera
gaudia, veráſque delicias pertrahi, ſunt enim
labores, & ærumnæ, quæ viam nobis aperiunt
ad cœleſtem patriam, ſcitè D. Leo ſerm. 1. de
quadrag. *Nulla ſunt dilectiſſimi ſine laborum expe-
rimentis opera virtutis; nulla ſine perturbatione fi-
dei, nullum ſine hoſte certamen, nulla ſine congreſ-
ſione victoria.* Sunt ærumnæ, & adverſitates,
quibus premimur ſtimuli, quibus ad pugnam
invitamur, ut victores ſurgamus, & laurea
donati æternùm triumphemus in cœlis. Quos
enim DEUS ad pugnam vocat, hos victores
cupit: labores ijſdem objicit, & adverſarios,
ut per initum conflictum, toleratóſque labores,
fiant laureâ digniores; & victorijs clariores.

43 Hanc laborum, ærumnarum, ac dolo-
rum viam nos edocturus Chriſtus, eam priùs
perambulavit, quò nos ejus veſtigia ſequentes,
ſimus participes triumphi in cœlis, ſi ſocij ſi-
mus in terris paſſionis, & tolerantiæ: dolores,
& labores, quos ipſe toleravit hæreditario jure
voluit ad nos derivari, ut cohæredes ipſius eſſe-
mus; quòd ſi cruci affixus, vulneribus ſaucius,
viribus deſtitutus, laboribus fractus ſitivit no-
ſtram potiùs ſalutem, quàm ſuum refrigerium;
adhuc tamen cùm Judæi calicem exhibuiſſent
felle, & aceto plenum noluit bibere: Matth.
27. 24. *Cùm guſtâſſet noluit bibere:* voluit qui-
dem Chriſtus omnes paſſiones guſtare, expe-
riri dolores, cruciatus, convicia, ærumnas;
vulnera, & mortem ipſam, ſed tamen cùm
guſtâſſet, *noluit bibere*, ſeu totaliter abſorbere,
ut nos etiam de eodem guſtaremus calice, &
ſequentes ejus veſtigia poſt exutam mortalita-
tem cum ipſo immortales regnemus in cœlis: ſi
igitur cum ipſo in terris ærumnis premimur,
convicijs impetimur, doloribus affligimur, &
vulneribus ſauciamur læti bibamus ca-
licem, quem ipſe guſtavit, & nobis propinavit.
Tametſi Chriſtus ſuo ſanguine noſtras 44
deleverit noxas; non tamen mortem voluit a-
bolere, nec priſtino nos reſtituere innocentiæ
ſtatui, antequam Protoparentes injunctum ſibi
à DEO præceptum transgrederentur. Voluit
quidem ſua paſſione noſtra delere peccata, vo-
luit nos æterno Patri reconciliare; voluit nos
divinæ gratiæ reſtituere, a famulitio dæmonis
nos redimere, ut libertate donati læto animo
ejus ſequeremur veſtigia; non tamen voluit
mortem abigere, & tollere, nec paſſiones fu-
gare, nec eas abſorbere totaliter, nec calicem
exiccare, ſed *cùm guſtâſſet, noluit bibere*, ut paſſio-
nes, & ærumnas eaſdem, quas ipſe paſſus fuit
propinaret; & participes earundem eſſemus,
quò nimirum per paſſiones, & mortem pro
Chriſto toleratam æterna evaderemus ſuppli-
cia, & cœleſti gloriâ perfunderemur. Hinc A-
poſtolus Jacobus nos monet, ut ærumnas, paſ-
ſiones, cruciatus, & tormenta læto animo am-
plectamur, ut DEI beneficia, quia viam nobis
ſternunt ad æterna gaudia Iacob. c. 2. *Omne
gaudium exiſtimate fratres, cùm in varias tentatio-
nes incideritis*, quia hæc ingentia ſunt DEI bene-
ficia, quibus divina bonitas ad cœleſtem glo-
riam nos trahit, unde Apoſtolus ſcribit ad Phi-
lipp. 1. 29. *Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolùm
ut in eum credatis, ſed ut etiam patiamini pro illo.*
Quòd ſi pati pro Chriſto nobis donatur, jam paſ-
ſiones, dolores, & cruciatus ſunt dona nobis à
DEO impertita, proinde beneficia, pro quibus
tenemur gratias rependere; eò quia viam æter-
næ felicitatis nobis aperiant. 45
Injunxerat Deus Abrahamo ſomno ſopi-
to immolationem proprij filij Iſaaci, quem ex
Sara grandæva ſuſceperat, qui propterea deli-
cium erat utriuſque parentis. Obſecuturus di-
vino nutui Abrahamus non expectato die, ho-
ris antelucanis omnia præparat pro filij immo-
latione in monte, quem cœleſtis nuntius eſſet
illi oſtenſurus; afflictio Patris cor premebat, &
naturam opprimebat; ſed virtus, & cœleſtis
gratia animos addebat, mentémque exhilara-
bat. Ad montis verticem cùm uterque perveni-
ſſet Pater, & filius opere tumultuario lignorum
ſtruem componunt, & cum nil ſupereſſet niſi
victima jugulanda, interrogavit filius patrem,
ubinam eſſet victima, cuj pater Geneſ. 22. 8.
Deus ſibi providebit victimam holocauſti fili mi. Au-
dito DEI nomine nullum ampliùs verbum pro-
tulit filius, ſed in opere pergebat cum patre.
Mirantur Expoſitores, cur Iſaac non plura quæ-
ſita propoſuerit, præſertim cùm potuiſſet dubi-
tare an deberet fieri ipſe victima paterno cultro
mactanda, ſed reſpondet D. Chryſoſt. homil. 4.
in 1. ad Corinth. *Ut Dei nomen audivit, nul-*

lum

lum ultra verbum addidit, nec curioſiùs quidquam inquiſivit: quia credere, adverſa, & quæ nobis contrariantur à Numinis providentia in nos derivari, à viris juſtis ingens cenſetur beneficium, qui & Numini gratias agunt.

46 Idque clariùs nos edocturus DEUS Moyſi voluit apparere in flamma ignis urente quidem in Rubo, ſed non comburente; ſplendores quidem emittente, ſed damnum non inferente Exodi 3. 2. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Quamvis debuiſſet Rubus igne illo cineſieri, indemnis tamen ſervatur; & flamma rubum oſculatur, non mordet; amplectitur, non lædit; coronat, non deſtruit. Quid? quòd rubus non timeat flammis adverſantibus circumſeptus? quia nimirum tota hæc flamma à DEO in rubum fuit derivata: ideóque non umbram interitûs, ſed gloriæ ſplendorem rubo attulit, quò inde illuſtrior, ac vividior efflóreſceret, quo adverſarius, acriùs urgeret: quæ enim nos premunt adverſitates à DEO ſunt, non in noſtrum miſſæ exitium; ſed ad incrementum noſtræ gloriæ admiſſæ, ſi æquo animo, ſine querela, abſque murmure rubi imitatores eas toleremus. Si DEUS plerumque immiſſis adverſitatibus nos mortificet, per incrementa ſuæ gratiæ, & elargitionem uberioris præmij vitam, & ſolatium impertitur 1. Reg. 2. 6. *Dominus mortificat, & vivificat.* Quia ſi inflicta vulnera corporis membra frangunt, vitæ conſulunt integritati; ſi ſanguinem fundunt; animam æterno ſolatio perfundunt; ſi inopia premit, & ad anguſtias adigit, ſpes præmij cor dilatat, & divitias nunquam perituras ſpondet: quòd ſi tyranus per cruciatus mortem invehit, DEUS vitam impertitur æternam, quia *Dominus mortificat, & vivificat*, & juſtus ærumnis preſſus ſciens, has à DEO in ipſum derivari, non conqueritur, ſed gratias agit; non triſtatur, ſed gaudet.

47 Cum cacodæmon facultatem exerceret ſibi à DEO conceſſam vexandi, & affligendi Jobum, nil ſtudioſiùs ſategit, quàm ut eum induceret ad credendum ærumnas, quibus premebatur à DEO non eſſe, ſed à creaturis in ipſum derivari; ideóque quas fuit Job calamitates paſſus eidem nuntiavit, ut ab hominibus inimicis invectas. Job. 1. v. 15. *Irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, pueros percuſſerunt gladio, & evaſi ego ſolus, ut nuntiarem tibi.* v. 17. *Chaldæi fecerunt tres turmas, & invaſerunt camelos, & tulerunt eos, & ego fugi ſolus, ut nuntiarem tibi.* Unde multiplex ille nuntius, ſive diabolus fuerit, ut putant S. Chryſoſtomus, & Olympiadorus; ſive alius diabolica fraude ſubmiſſus, ut cenſent Origenes, & alij, non tamen DEO, ſed ſemper creaturis calamitates illas in Jobum derivatas tribuit; quò nimirum ad impatientiam Jobum provocaret; qui tamen ſciens adverſa quæque eſſe dona DEI nobis impertita ad exercitium virtutis, & gloriæ incrementum læto animo, fronte ſerena omnes illas ærumnas, & calamitates ſuſcepit, & gratias DEO egit, inquiens: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum*: ait Auguſtinus in Pſal. 29. dixiſſe Jobum, *Dominus dedit*, quia non attendebat, quis percuteret, ſed quis permitteret.

Cùm igitur æquè proſpera, ac adverſa in nos deriventur à DEO ſive annuente, ſive permittente, noſtri officij eſt, debitas ſemper eidem gratias rependere: eſt enim hæc gratiarum actio teſtimonium viri juſti. Abraham, tùm plura audiviſſet ſibi à DEO promiſſa futuræ felicitatis, petijt à DEO argumentum aliquod non quidem dubius de Numinis fidelitate, ſed providus de ſua proſperitate Geneſ. 15. v. 5. *Eduxit eum foras, & ait illi, ſuſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes: & dixit ei, ſic erit ſemen tuum; credidit Abraham DEO, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, dixitque ad eum ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram iſtam, & poſſideres eam; at ille ait: Dominus DEUS, unde ſcire poſſim, quia poſſeſſurus ſum eam.* Mirum ſane, quòd cum Abraham nullum petierit ſignum ad credendum poſteros multiplicandos inſtar cæli ſyderum; argumentum poſtea expoſcat, ut credat ſore terræ poſſeſſorem. Si non fuiſſet Abraham eximius virtutum cultor, ſed alius terrenis hiſce addictus, mundíque divitijs inhians, faciliùs potuiſſet à DEO argumentum expoſcere, ut crederet ſe poſſeſſorem futurum terræ illius: quia tùm homines divitijs inhiantes niſibus totis eas expetant, faciliùs credere potuiſſent, cœleſtia nullo contradicente, & ſolo DEO favente eſſe obtinenda, non ita terrena, quibus tot homines inhiant, lites movent, bella indicunt, multum laborant pro jisdem acquirendis, proinde potuiſſent argumentum exigere. Sed Abraham cultor fuit virtutis, terrenis non addictus; cur igitur hocce à DEO petijt argumentum, ut crederet, ſe futurum poſſeſſorem terræ illius? Injunxit igitur DEUS Abrahamo ſacrificium Geneſ. 15. v. 9. *Sume, inquit, mihi vaccam trienem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam.* Sed adhuc iſta non videntur argumentum, quo Abraham, ſe futurum terræ illius poſſeſſorem crederet, cur igitur ad promiſſorum ſecuritatem poſtulat holocauſta: quia nimirum per ſacrificium illud gratias DEO Abraham referebat, & ad Numinis obfirmanda beneficia, & ad inducendam ſecuritatem, nil efficaciùs ipſa gratiarum actione, hac enim exhibita ſecurus conſtitui debuit Abraham non ſolùm de promiſſa multiplicatione poſterorum, ſed etiam de futura poſſeſſione terræ illius; quia gratitudo non poterat beneficium non fulcire, novisque incrementis augere, appoſitè Theodoretus quæſt. 65. *Hæc erant illorum ænigmata, quæ familiæ erant obventura: ſiquidem ſacrificio peracto ſubjunxit cognoſcens, cognoſces.* Ipſa gratiarum actio ænigma beneficij erat, quia ſicut in ænigmate res obſcurè tantùm latet; ſic obfirmatio ſponſionis, argumentum ſecu-

48

ritatis in ipſa gratiarum actione latebat involutum.

49 Quòd ſi argumentum ſecuritatis beneficij ſuſcipiendi latet ænigmaticè in ipſâ gratiarum actione; id tamen exigit gratitudo, ut nomen benefacientis indelebiliter memoriæ hæreat ſuſcipientis beneficium, vigeátque, quò nunquam hujus virtutis flos areſcat; ſed floreat ſemper vegetior; neque potis ſit mora ipſa ſuo gelu hunc decoquere virtutis florem. Aliquot notantur virtutes, quarum cultores licèt floruerint, cum in terris viverent; unà tamen cum mortalitate illas exuunt, deponúntque; adeò ut cœleſti beatitate donati his non ſplendeant virtutibus, quarum culturâ in terris floruerunt; non enim in cœleſti patria lumen gloriæ fidei pariter obſcuritatem, quam procul abigit; nec poſſeſſio ſummi Boni ſpei tolerat anxietates; neque perfecta felicitas patientiæ admittit exercitia; ut neque impoſſibilitas corporis carnis mortificationem. Una tamen gratitudo cum Beatis cœlum ingreditur, & in hortis floret cœleſtis patriæ; quin imò Joannes ipſos cœlites vidit gratitudinis floribus coronatos Apocal. 14. 1. Vidit eos; *habentes nomen ejus, & nomen patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis.*

50 Si quæras cur Beati illi ſculptum in fronte gerant nomen Chriſti, & æterni Patris; non credas ab alio exarata hæc nomina in Beatorum frontibus, quàm ab ipſa gratitudine; à Chriſto ſiquidem redempti fuerunt, ut libertate donati cœleſtem patriam ingredi poſſent; imò & alijs gratijs cumulari, quibus ad æternam ſalutem promoverentur, & ab æterno Patre ſedes acceperunt, in quibus ſederent, ac quieſcerent poſt exantlatos in terris labores. Matth. 10. 24. *Sedere autem ad dexteram meam, vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis; ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Nunquam Cœlites Benefactorum obliviſcuntur, quorum nomina inſculpta referunt in fronte characteribus exarata, qui deleri nequeunt; quia decet ſuſcepta beneficia jugiter ſervari, vigere in memoria ſuſcipientis, ne eorundem oblivio noxam incurrat vitij ingrati animi.

51 Primum gratitudinis munus eſt nomen haud ignorare Benefactoris, illúdque ne memoriâ excidat altiùs menti imprimere; & frequenter refricare, ne rubiginem ullam contrahat, quâ obſcuretur. Samſon ad proſternendos, fugandos, ac debellandos Philiſthæos natus; viréſque ob id cœlitus nactus, quibus, licèt inermis, ferocientem leonem diſcerpſit; aſiníque maxillâ veluti Herculeâ armatus clavâ mille interemit Philiſthæos contra ipſum irruentes; Gazæ urbis portas humeris, quaſi delatæ victoriæ ſpolia aliò tranſtulit, nonniſi per cœleſtem civem Parentibus prænunciatur: ſed audito à matre futuri filij nuncio; ſtatim ſollicita quæſivit, qualénam ejus nomen eſſet Judic. 13. 17. *Quod eſt tibi nomen; ut ſi ſermo tuus expletus fuerit, honoremus te.* Mirum quòd mulier tam anxiè quæſierit de Nunciantis nomine, quò pro impertito ſibi tam ingente beneficio, debito eum proſequeretur honore? an non ad id præſtandum ſatis fuiſſet ei innotuiſſe, nunciū illum, unum fuiſſe ex cœlitibus? certè huic poterat mulier debita præſtare obſequia, tametſi ejus nomen illam latuiſſet: ſed quia mulier indignum cenſuit beneficio impertiendo annuere, & nomen ignorare nunciantis tam ingens beneficium, cui debitam exhiberet gratitudinis teſſeram; ideò ne ingratitudinis umbram incurreret; ſi nomen ignoraret benefactoris, voluit ipſum ſibi innoteſcere, quò altiùs memoriæ hæreret impreſſum, crebriúſque per refricatam memoriam excitaretur ad gratias ſuo benefactori rependendas: huc accerſendus Hugo Cardinalis in Judic. 17. *Quærit nomen Angeli promittentis filium, ut tempore ſuo poſſit illi rependere vices; & ut ſciret, cui crederet.* Notâ inuruntur ingratitudinis, qui ſuſcipientes beneficia negligunt benefactoris ſcire nomen, cui debita præſtent obſequia. Samſonis mater, ne hoc contraheret vitium, ſcire ſtatim voluit nuncij nomen, quod altiùs memoriæ imprimeret, & tanto benefactori per refricatam ſæpius memoriam debitas rependeret gratias.

Non propriæ derogat authoritati, neque ſuo detrahit honori, qui benefactoris nomen propalat; ſed propriam incrementat virtutem, propriæque conſulit gloriæ; quia ejus tunc gratitudo clarior ſplendet, ac illuſtrior emicat; idque nos ſuo Chriſtus voluit exemplo edocere; cum miracula ab ipſo patrata virtuti à DEO Patre ſibi datæ tribueret Joan. 10. 25. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium peribent de me.* In miraculis, quæ Chriſtus in beneficium patrabat hominum, quibus ſanitatem, imò & vitam ipſam impertiebat æterni Patris meminit in ſuæ potentiæ teſtimonium; ſimúlque nos edocuit proprio non derogari honori, neque propriæ detrahi authoritati, cum nomen illius, à quo virtutem accipiunt homines evulgant; ſuóque benefactori debita referunt obſequia; quamvis filius eandem cum patre virtutem, naturam, & Deitatem habeat; adhuc quia generatur Verbum à Memoria fœcunda Patris in Patrem refundit omnem virtutem, quam ab eo ex origine haurit; ut diſcamus non erubeſcere, ſi benefactoris noſtri recenſeamus beneficia nobis impertita. 52

Quin imò adeò cordi fuit Chriſto gratitudo, ut vel ipſa obſequia ſibi exhibenda non admitteret; ſi remunerari impertita beneficia non deberet Marc. 3. 11. *Spiritus immundi, cum eum videbant, procidebant ei, & clamabant dicentes: Tu es Filius DEI. Et vehementer comminabatur eis, ne manifeſtarent illum.* Mirum videtur, quòd Chriſtus noluerit manifeſtari, cum ad id venerit in mundum, noſtrámque induerit mortalitatem, ut mundus eum cognoſceret; ſi Pater eum miſit, ſi noſtra voluit humanitate veſtitum, ut manifeſtus toti fieret mundo, quomodo nunc inhibet Dœmonibus, ne eum manifeſtent filium DEI? quia nimirum beneficium erat hujuſmodi manifeſtatio à Dœmoni- 53

busChriſto impertitum, quibus eum non poſſet
compenſationem retribuere; maluit benefi-
cium recuſare, quàm ſine gratitudine accepta-
re; promiſerat Chriſtus, ſe compenſarorum
honorem ſibi exhibitum Matth. 10. 32. *O-
mnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus,
confitebor eum coram patre meo*: hoc eſt, qui
me honorabit apud homines; honorabo &
ipſum apud Patrem meum: & quia Dœmones
capaces non erant, ut Chriſtus honorem ijs-
dem rependeret apud æternum Patrem; ne-
que divina poterant gratia cumulari, cujus ſe
conſtituerant incapaces; ideò detrectavit ac-
cipere beneficium, quod compenſare nequi-
verat; maluitque carere obſequio, quàm eo-
dem affici, ne ſi compenſatio non ſequeretur,
nota redargueretur animi parum grati.

54 Gaudet DEUS noſtra gratitudine; id-
que cauſæ, cur juſſerit paralyticum priſtinæ re-
ſtitutum ſanitati ſurgere è lecto, in quo decum-
bebat; & tollere, ſecúmque ferre grabatum
Joan. 5. *Tolle grabatum tuum, & ambula.* Si
quæras, cur juſſerit grabatum ſecum ferre;
putârim ut grabatum, quod oculis jugiter obji-
ciebatur memoriã refricaret ſuſcepti beneficij,
ut nunquam obliviſceretur debitę gratitudinis:
memoriam juvat grabatum, ſimulque ſtimu-
los addit ad repenſionem gratiarum. Lucæ
8. Hæmorrhoiſſa fluxu ſanguinis debilitata
per fluxum diuturni jam temporis duodecim
annorum deſatigaverat Hipocratem, quem
licèt per fluxum ſecundi ſanguinis in illius
manus per vacuitatem crumenæ derivati refe-
ciſſet; ipſa tamen viribus, & pecunijs deſti-
tuta nullam ex præſcriptis ſibi pharmacis ex-
periri potuit refectionem: ſed non inveniſſe
medicinam remedium illi fuit; im̃unda mor-
bi ſordibus fœmina alium quærit medicum,
à quo ſanguis ſiſteretur; & ſordes abſtergeren-
tur; & quia prohibita fuerat Chriſtum adire
in templo, expectavit in via; à quo ob mul-
titudinem non auſa medicinam palam expo-
ſcere, claucula manu ejus rapit fimbrias, &
& ſanitatem furata, non veſtes, à turbis ſe
ſubtrahit ſanitati plenè reſtituta; & ne ſu-
ſcepti unquam beneficij obliviſceretur, re-
fert Nolanus *de Imaginibus cap. 6.* juſſiſſe Chri-
ſti Domini figuram ex ære cudi, quò acce-
pti beneficij recordatio ſtaret ære perennior;
& mulieris gratitudo ære cuſa firmior peren-
naret; quia ut monet D. Joannes Chryſoſto-
mus homil. 25. in Matth. *Optima beneficio-
rum cuſtos eſt ipſa memoria beneficiorum, &
perpetua confeſſio gratia-
rum.*

EXPENSIO XIX.

*Generoſa Liberalitatis virtus ani-
mum prodit, vel regium, vel imperio
dignum, ſuiſque ornatur laudi-
bus.*

INter virtutes Juſtitiæ annnexas perfecti de- 1
biti ratione carentes recenſetur liberalitas
munifici animi nobile ornamentum, vi-
rique principis illuſtre decus. Suam libera-
litas ſortitur nomenclationem à liberatione rei
à Dominio dantis, ſeu exercentis hanc virtu-
tem, quod enim ex liberalitate datur, trans-
fertur de dominio dantis ad dominium accipi-
entis, ut notat D. Thomas 3. contra gentes.
Definitur autem Liberalitas virtus moderativa
amoris circa pecunias, quæque conſtituit nos
faciles, ac promptos ad eas expendendas, vel
dandas prout recta ratio dictat; huic defini-
tioni aſſentitur Ariſtoteles *lib. 4. Eth. cap.* 1. ubi
ait, liberalitatem eſſe mediocritatem, quæ ver-
ſatur circa pecuniarum dationem: vocat Phi-
loſophus hanc virtutem mediocritatem, eò
quia perinde ac cæteræ virtutes gaudeat me-
diam ſedem occupare inter utrumque extre-
mum recedens à medio, ſeu mediocritate per
exceſſum, vel defectum: eſt ſiquidem virtus
veluti iſthmus perangustus gemina inter ma-
ria, & utrinque præduris preſſus ſcopulis, in
quos naves iſthmum trajicientes, ſi impingant,
naufragium patiuntur: perinde à medio. qui
declinat virtutis, in ſcopulum extremi impin-
git, vitióque coinquinatur. Ne igitur laba-
tur quis in avaritiæ ſordes, vel in nimiam
profuſionem, quæ eſt prodigalitas, debet à
medio non abſcedere.

Quod autem liberalitas dicatur eſſe me- 2
diocritas, quæ verſetur circa pecuniaram da-
tionem, & acceptionem non intelligendum
ita eſt, ut ſolæ pecuniæ ſint objectum libera-
litatis: id ſiquidem deprehenditur falſum in
DEO, cui virtus liberalitatis convenit: & ta-
men ire inficias nequimus, poſſe liberalitatis
bona elargiri, quæ habet pretioſiſſima nullo
auro, argentóque æſtimabilia, & ipſi natu-
ræ prorſus indebita: quamvis non ſit in DEO
liberalitas ſumpta pro virtute moderante cu-
piditatem pecuniarum, adeò ut liberalitas
hoc pacto ſumpta nonniſi metaphoricè tribua-
tur DEO, ſicut ira, & pœnitentia; ſi tamen
ſumatur liberalitas magis propriè pro affectu
ad promptè, copioſè, & abſque intuitu com-
penſationis de rebus ſuis erogandum alijs ſive
interveniat cupiditatis moderatio, ſive non,
in hoc ſenſu virtus liberalitatis propriè tribui-
tur DEO, & quidem maxima, & in gradu
ſummo: quia ſicut maxima ſunt beneficia,
quæ nobis gratuitò impertitur, & quorum col-
latio eſt actus liberalitatis, ideo hæc virtus
Deo ineſt, qui propenſiſſimus eſt ad erogandum
nobis ſua bona, & quidem hilariter, copioſè,
& merè gratuitè, ut ejus decet beneficam na-
turam: eſt hujusmodi propenſio propriè libe-
ralitas.

talitas. Quamobrem nomine pecuniæ non intelliguntur ſoli numi, ſed quidquid cedit in commodum alterius, in quem liberalitas exercetur: quo pacto DEUS in elargitione bonorum ſpiritualium eſt liberalis, & talis elargitio eſt actus liberalitatis, quem DEUS præſertim in homines copioſè exercet; & id fortaſſis cauſæ, cùr in mundo condendo tunc tantùm requievit ab opere, cùm hominem condidit Geneſ 2. 2. *Requierit ab omni opere, quod patrârat.* Mirum tamen, quòd cum tot Angelorum myriades, ac innumeras propemodum differentias ſpirituum traduxiſſet è nihilo, & creâſſet; cœlos itidem per ſummas, & longè, latéque diffuſas extenſiones ampliâſſet, & aſtra in jiſdem accendiſſet, ſeu ſolem diurnam lampadem, & lunam nocturnum ſolatium, & reliqua ſydera, quibus cœlum tot noctu videtur vigiles oculos adaperire in noſtram cuſtodiam, quot ſtellæ ſplendent coruſcæ, non tamen dicitur quieviſſe, ut nec etiam poſt condita elementa, libratúmque terraqueum globum ſuiſmet ponderibus; animalium, plantarum, florum, ac herbarum varia genera licèt condidiſſet; non tamen legitur quieviſſe, ſed tantùm poſt hominem conditum; quia uberiorem libertatem DEUS circa hominem exercuit, cui plura dona ſpiritualia gratuita, & liberali elargitione impertivit: dicitè S. Thomas à Villa Nova ſerm. 3. in Nativit. *In homine quærit DEUS non in Angelis, non in cælo, quia benefaciendi, innoteſcendique, ſufficientem, affluentemque ſibi in eo materiam dari proſpexit.*

3 Quæ omninò gratuitò nobis beneficia impertiuntur, hæc DEO faciliùs tribuuntur. Filij Jacob cùm pro re frumentaria profecti fuiſſent in Ægyptum, & Joſeph ibi Prorex triticum ſimul, & pecuniam liberaliter ijsdem donâſſet, ſtatim admirantes dixerunt Geneſ. 42. 28. *Quidnam eſt hoc, quod fecit nobis DEUS!* Sed ſi triticum, & pecuniam gratis à Prorege acceperunt, cur Proregi non attribuunt beneficium; cur non dicunt, *quod fecit nobis Joſeph.* Cum vidiſtent frumentum omninò gratis abſque ullo pretio ſibi dari cenſuerunt tale donum ex divina liberalitate in ipſos derivari, ideóque rectè dixerunt eſſe id opus DEI, quia ut ait S. Athanaſius ſerm. 3. in Arianos: *Sine lucro aliquid dare DEI magis opus eſt, quàm hominum.*

4 Cum igitur ſit DEUS propenſiſſimus ad eroganda nobis ſua bona etiam ſpiritualia hilariter, copioſè, & merè gratis, ut ejus decet beneficam naturam, propriè eſt liberalis. Quinimò, ſi loquamur de liberalitate, quam homines inter ſe ſe exercent, neque ſola pecunia eſt materia liberalitatis, ſed etiam quidvis pecunia æſtimabile, cujuſmodi ſunt agri, domus, veſtes, picturæ, gemmæ, & alia id genus, quæ ex mera liberalitate poſſunt alijs donari, unde liberalitas verſatur circa æſtimationem, & affectum divitiarum, utrique modum imponendo, ut æſtimentur, & amentur in ſuo gradu, nec ſupra, nec infra, & circa earundem uſum; vel tollendo impedimentum recti uſûs: eo ipſo, quòd liberalitas coërcet affectum in divitias, nos reddit paratiores, & promptiores ad eas erogandas, quoties contigerit, ut id conveniens judicetur: nimius enim amor in pecunias hanc expeditam promptitudinem ad eas erogandas remoratur, vel impedit. Vel inclinando directè ad earundem elargitionem, ſeu ad certum modum elargiendi, quia liberales ex eo dicuntur, quia libenter, hilariter, & copioſè gratis de rebus ſuis alijs elargiuntur ex ſola ratione honeſtatis relucentis in eadem ſimplici elargitione. Quamobrem magni hæc virtus cenſenda eſt eſſe momenti: eſt ſiquidem ſummè utilis, & neceſſaria in politica hominum ſocietate, cupiditatem divitiarum compeſcere, & ſua bona alijs communicare, eſtque præſertim hæc virtus regia, quæ vel maximè virum principem decet, qui ſi munificentiam quà publicè, quà privatim populo prodat, eundem beneficijs ſibi obſtringit.

Sunt enim beneficia, quæ Principis liberalitas alijs impertitur veluti compedes, quibus ſibi donis devinctos in proprium adſciſcit famulitium, & quidem affecta: ubi enim Princeps aureis hiſce vinculis animos irretiverit, æternùm eoſdem poſſidebit; quia pudet virum ingenuum ingrati animi vitio notari deturpatum: quinimò etiam hoſtes, ſi dona admiſerint, Principi liberali ceſſiſſe neceſſe eſt, fateantur. Non ſolùm florente pacis olea Princeps munificus eſſe debet, ac beneficia ſubditis impertiri, ſed vel maximè obſtrepente bello: ſi enim Princeps liberalis fuerit cum ſuis militibus, eoſdem ſibi devincit, & animos jiſdem addit ad difficilia quæque ſuperanda, ad pericula quæque adeunda, cum enim Princeps manus aperit ad munera, militum manus expedit ad arma, & tantum experitur ipſe roboris in militibus, quantum muneris fuit jiſdem impertitus. Hinc Alexander Macedo ſuos milites quamvis numero non multos; ſed virtute ſtrenuos, ac veluti invincibiles effecit; quia frequenter impertitis muneribus eos exhilaravit, & liberalitas Principis, fortitudinem incrementavit militum. Refert Lypſius *de magnitud. Roman. cap.* 12. Lucium Domitium milites habuiſſe in pugnis invictos; eò quia eorum cuilibet quatuor jugera de proprijs agris promiſit, & dedit, licèt exercitu duodecim conſtaret millibus. Hinc Politicus ille ajebat: *Audeo dicere, militiam bonam eſſe non poſſe, niſi is, qui præeſt, ſit aliquantum prodigus.* Iterata beneficia fortiùs ſtringunt, perinde ac reperita vincula arctiùs innectunt. Cum Princeps Numinis vices in terris gerat, neceſſe eſt, ſit munificus erogator, ac dare ſemper poſſit; ſi non plura, ſaltem aliqua quibus ſubditorum affectus reficiatur, ac foveatur; neque cœlum ſemper imbres, ſempérque pluvias in terras demittunt, cùm plerumque ſolo rore reficiantur prata, inſtaurentur plantæ, earúmque ſiccitas temperetur tenui humore. 5

6 Cor igitur militum ſibi devincit, & hoſtes ſecuriùs vincit, ſi Princeps munificum ſe prodat in milites, ſitque ſolum in ſe parcus. Joſuë Ductor exercitûs Hebræorum terram promiſſionis juſſu DEI ſuis diviſerat militibus, adeò ut agros, urbes, ac terrarum tractus alijs diſtribuerit, ſibique nihil reſervaverit; ſed cæteræ Tribus non permiſerunt hanc Joſuë liberalitatem ſinere irremuneratam. Joſuë. 19. 49. *Dederunt filij Iſrael poſſeſſionem Joſue filio Num in medio ſui.* Adeò ſcivit animos militum ſibi devincire Joſuë exercitio liberalitatis; ut iſti quos poſſederunt, agros ei darent, eúmque in medio ſui, ſeu in intimo cordis locatum vellent: *Dederunt filij Iſraël poſſeſſionem Joſuë filio Num in medio ſui*, agros, quos uberiores poſſederunt Duci ſuo tribuerunt in medio ſui, ſeu in medio cordis, in quo ob liberalitatem, quam in ipſos exercuerat, eum ſovebant puro, ac ſincero amore. Quia Joſuë in milites munificentiſſimus nullum terræ tractum in proprium uſum ſibi reſervavit, ſed ſingulos agros, urbes, & tractus hilariter, promptè & copiosè ſuis diſtribuit militibus; ab jiſdem non ſolùm in corde fovetur, ſed etiam poſſeſſionibus ditatur, fitque dupliciter poſſeſſor, & agrorum, & cordium.

7 Debet tamen Principis liberalitas authoritate ſulciri, quâ potis ſit ſubditos continere, liberalitati debet majeſtas confœderari, ut vel aſpectum Ducis milites ſimul venerentur, & vereantur. De ſupremo exercituum Duce, ait David Pſal. 105. 9. *Increpavit mare rubrum, & exſiccatum eſt.* Si quæras, quibus minis DEUS mare illud increpaverit, reſpondet D. Auguſtinus in narrat. ejuſd. Pſal. *Non legimus ullam, quâ increparetur mare vocem emiſſam cœlitùs. Unam potentiam divinam increpationem appellat.* Sola DEI Majeſtas, ſola authoritas Ducis exercituum tumentis maris furentes impetus coërcuit, & ad deſtinatos terminos ad priſtinam malaciam contraxit; quò diſcerent exercituum ductores liberalitatem ita exercere in milites, ut ſimul majeſtatem, & authoritatem ijsdem oſtendant, quâ eorundem inſolentia coërceatur, & militaris tumultus, fervórque bellicus repeſcat ad rixas, compeſcatur ad latrocinia, & intra leges honeſtatis coarctetur; difficulter enim aſſueti pugnis, ac hoſtili ſanguini fundendo intra limites continentur honeſtatis, ajebat Caſſiodorus lib. 1. variar. epiſtola. 11. *Neſcio, quo pacto aſſiduè dimicantibus difficile eſt morum continere menſuram*: hi enim omnia ſibi licere facilè arbitrantur, & niſi Principis authoritas eorum compeſcat inſolentiam vix à rapinis, & cladibus ſe abſtinent.

8 De Habitatoribus Galaad ait Oſee Propheta cap. 6. 9. *Quaſi fauces virorum latronum*: in græco textu legitur. *Fortitudo tua viri pyratæ*: nimirum milites, in quorum bellica virtute, & fortitudine fidebat, pyratas, furéſque vocat; imò non ſolùm in hoſtes, ſed etiam in amicos ſæviunt, & quos defendere tenentur, divexant, & latrocinantur ſurripientes eorum bona, fundentes præſertim eorundem ſecundum ſuanguinem, ſeu pecuniam ſurripientes; in quos propterea querulus invehit Salvianus lib. 5. de gubern. DEI inquiens: *Illud grave, & peracerbum eſt, quòd hac lege tam pauperes videntur, ut ſpolient: hac lege defendunt miſeros, ut miſeriores faciant defendendo.* Princeps igitur, vel Dux exercitûs ita munificus in milites ſit, ut ſimul authoritate, eorundem valeat inſolentiam coërcere, eóſque intra limites detinere honeſti. Idque, quò faciliùs exequatur, furta non ſinat impunita exemplo Joſuë militiæ præfecti, qui Acanum militem lapidibus obrui juſſit, eò quia contra legem ſancitam coccineum pallium, regulámque auream ſurripuerat; Joſuë 7. 25. *Quia turbáſti nos, exturbet te DEUS in die hac.* Sed ſi Joſuë mitiſſimus fuit in milites, ſi munificus eosdem cumulavit beneficijs, quomodo nunc tam ſeverè militem punit, eò quia pallium, & regulam ſurripuerit? Voluit nimirum alios exercituum Præfectos edocere, in caſtris ſeveritatem neceſſariam, ut militum manus à rebus alienis ſerventur impollutæ, & unà cum liberalitate authoritatem etiam oſtendere, quâ militum inſolentia compeſcatur. Juſſerat olim Joſuë duodecim lapides excerptos in medio alvei exiccati Jordanis ad ſe aſportari in perpetuam teſſeram ſuſcepti à DEO beneficij in diviſione Jordanis, ut populus ſicco pede ejus alveum pertranſiret Joſuë 4. 9. *Alios quoque duodecim lapides poſuit in medio Jordanis*: nimirum pro duodecim lapidibus ſelectis ex ſiccato alveo fluminis, alios duodecim pares voluit Jordani reſtitui, ne fluvius poſſet, vel de unius lapidis rapina ducem, vel milites arguere.

Alijs, qui præſunt, omnes excutiant ſordeſcentis avaritiæ pulveres; ne ſibi pinguis fortunæ proſperitatem invideant. In aula Pharaonis peccârunt aulici duo, quibus, cum fortunæ proſperitate Regis benevolentia favebat; Piſtoribus aulæ præerat unus; alter pincernis, qui regi miniſtrabant, uterque ob patratum delictum detruditur in carcerem; poſt aliquot dies utrique eadem nocte per ſomnium objicitur, quod ad utriúſque pertineret officium. Utrumque excitatæ per ſomnium ſpecies triſtem effecerunt, ſimúlque ob futurorum expectationem ſuſpenſum tenuerunt. Pincernarum præfecto ſomnium vitem objecit cum tribus palmitibus, è quibus gemmæ priùs erumpebant; tum paulatim frondeſcentem; & tandem veſtitam folijs tenellis fructus minutos emittentem; qui florentes incrementa ſubirent, ac excreſcerent in racemos, qui cum ad maturitatem perducerentur, à pocillatore in calicem Pharaonis exprimerentur, Regíque porrigerentur ſiti extinguendæ, cordíque reficiendo. Piſtorum verò præfectus ſomniavit tria caniſtra viminea capiti ſuo im- 9

imponi, in quorum meditullio panes inerant candidi è polline confecti, & in ſupremo varia ſervabantur fercula, quæ advolantes depaſcerent volucres. Detinebatur tunc eodem in carcere etiam Joſeph, Jacobi Patriarchæ filius, quem fratres vendiderant Iſmaelitis negotiatoribus, qui interpretatus Pincernæ ſomnium dixit, tres vitis propagines totidem dierum intervallum adſignificare, & Pincernarum præfectum dilapſo triduo priſtino ſuo reſtituendum officio; ſed non ita interpretatio ſomnij ſui Piſtori arriſit, cui prænuntiavit fore intra trium dierum intervallum ſuſpendio interimendum, & corvis in pabulum extradendum: neque aliter, quàm Joſeph vaticinatus fuerit, utrique contigit.

10 Sed cur ſors ita Pincernæ faverit, ut priſtino eum reſtituerit muneri in aula obeundo, & Regis gratiæ; & nonniſi luctum, patibulum, necémque violentiam Piſtori exhibuerit? Putarim Pincernam à liberalitate, qua Pharaoni poculum muſto oppletum extradiderat, priſtinæ fuiſſe reſtitutum Principis gratiæ, ubi enim Pincernarum Præpoſitus in ſomnijs uvas vidit ſibi objectas, hilaris è vite pendulas decerpſit, manibus expreſſit poculum dulci mero implevit, & ſitienti Regi obtulit; & quia evigilans liberalitati exercendæ aſſuevetat, etiam ſomno ſopitus eidem addictus in Regem ipſum eam exercet, ideóque liberalitas etiam ſomniata è carcere Pincernam extraxit, priſtinóque reſtituit muneri, ac regio favori Geneſ. 40. verſ. 10. & ſequent. *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines creſcere paulatim in gemmas, & poſt flores uvas matureſcere, calicémque Pharaonis in manu mea: tuli ergo uvas, & expreſſi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaonis.*

11 Liberalitas, quam Pincerna exercuit carcerem reſeravit, aulæ januas aperuit, & priſtinæ Regis gratiæ eum reſtituit: ea enim eſt liberalitatis indoles, & excellentia, ut vel ipſos animos exaſperatos non ſolùm mitiget, ſed etiam reconciliet: ubi liberalitas munera offert, aditum ſibi aperit etiam in aulis Principum, quorum animos ſibi liberalitas allicit, & munera devinciunt. Idque cum innotuiſſet Hebræo Aodo, quò in Eglonis Regis Moab aula aditum ſibi aperiret, januáſque ſibi clauſas reſeraret, aliam non adhibuit clavem, niſi munera Egloni exhibenda; dixit Aod muneribus onuſtus, velle ſe cum Rege Eglone ſermonem quemdam non parvi momenti miſcere ſine teſtibus, abſque alio auditore Judic. 5. 2. *Imperavitque Rex ſilentium, egreſſiſque omnibus, qui cum eo erant, ingreſſus eſt Aod ad eum.* Mirum tamen, quòd Rex Eglon cum per duodeviginti annos aſſiduis bellis moleſtiſſimus fuerit Hebræis, quos hoſtes ſibi infenſos habuit, nunc quaſi præcedentis inimicitiæ oblitus, tam facilem duci Aodo præbuerit aditum in aula, & ad ſe admiſerit abſque ulla formidine, ſine ullo timore, & excluſis aulicis omnibus ipſum ſolùm ad ſe introduxerit? ſed ceſſat admiratio, ſi penſemus Aodum non fuiſſe vacuum aulam ingreſſum, ſed munera Regi Egloni obtuliſſe: hæc enim præcedentem obliterârunt inimicitiam, conceptum odium extinxerunt, & animum Regis Aodo munera exhibenti devinxerunt. Judic. 5. 17. *Obtulitque munera Eglon Regi Moab:* cùm igitur munera Regi antea obtuliſſet, aulæ januas ſibi aperuit, & Regis gratiam ad ſe traxit; ea enim eſt liberalitatis excellentia, ut animos ſibi conciliet, flectátque in ſua vota, ac ſecretiora cubicula ſibi adaperiat, quò liberè Principem adeat, huc accerſendus Abulenſis in cap. 5. Judic. quæſt. 4. Ubi ait: *Aod erat notus, & acceptus apud Regem, quia obtulerat munera; ideo potuit accedere faciliter ad Regem, quandocunque vellet.* Tametſi Aodus vir eſſet fortis, & bellica
virtute commendatus; non tamen hanc ſolam
adhibuit ad proſternendum, ac è vivis delen-
dum Eglonem Hebraicæ gentis hoſtem; ſed 12
auxiliatricem accerſivit liberalitatem, una cum
armis munera ſecum tulit. In humanis non à
ſola virtute omnia ſperanda; virtuti meritiſq; ſi
munera junxeris magna tunc poteſt munificus
ſperare. Facilè vincit, & de hoſte debelato tri-
umphat, qui aureis, vel argenteis pugnat armis.

Pincernarum itaque præfectus per ſom-
niatam liberalitatem, ac munera Regi ob-
lata carceris januas confregit, liberúmque
ſibi ad aulam aditum aperuit, animúmque
Regis ſibi reconciliavit, séque priſtino re-
ſtituit officio. Pincerna non ſibi vinum
ſed Pharaoni propinavit, ideóque tam dig-
nus venia fuit, quàm propenſus ad elar-
giendum quod poſſideret: quia exercitio li- 13
beralitatis Pincerna evigilans aſſueverat, a-
deò habitum contraxerat, ut nec in ſomno
ab ipſa ſejungi potuerit, & quia liberalita-
tis pediſſequa aſſolet felicitas eſſe; ideo non
potuit non liberari è carcere, ac priſtino reſti-
tui muneri.

De viro liberali ait David Pſalm. 1. *Et erit tanquam lignum, quod fructum dabit in tempore ſuo, & omnia quæcunque faciet, ſemper proſperabuntur*, ideò proſperè ei cuncta contingunt, quia liberalitatis addictus exercitio, *quia fructum dabit in tempore ſuo*, eſt vir liberalis veluti arbor frugifera, quæ quos parturit, nutrit, ac maturitate perficit fructus, non ipſa comedit, ſed munifica liberalitate aliis exhibet, quibus veſcantur, viréſque reficiant: eſt igitur liberalitas, quæ felicitatem ſibi adſciſcit, & cui propterea omnia proſperè contingunt, *& omnia quæcunque faciet, proſperabuntur.* Non poterat igitur Pincernarum præfectus diutius detineri in carcere, cui liberalitas januas reſeravit, aditúmque in aulam ſtravit, & animum regium ita ſibi conciliavit, ut priſtino fuerit muneri reſtitutus. Secus piſtor, quia nihil è ſuis bellarijs, quibus caniſtra opplevit, obtulit Regi, & potiùs à volucribus rapacibus permiſit devorari, & ipſe avaritiâ inſorduit, carceris januas non valuit ſibi aperire, ſed avaritia ad patibulum eum per-

duxit

ſuxit Geneſ. 40. 16. *Videns Piſtorum Magiſter, quod prudenter ſomnium diſſeruiſſet, ait: Et ego vidi ſomnium, quod tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum, & in uno caniſtro, quod erat excelſius portare me omnes cibos, qui fiunt arte piſtoria, avésque comedere ex eo*: quia liberalitas non ſplenduit in hoc piſtoris ſomnio, cum volucres eo invito obſonia illa rapuerint, ideo non valuit regis animum ſibi reconciliare, neque carceris januas ſibi reſerare, quas avaritia arctè clauſas cuſtodiebat, ideo non libertate ut Pincerna fuit donatus, ſed patibulo infeliciter damnatus.

14 Si obſonium, quo caniſtra oppleverat, Regi exhibuiſſet, ut Pincerna eidem ſomniatum vinum propinavit, regem ſibi reconciliâſſet, vitámque ſibi incrementâſſet, quia proſperè omnia ei obtigiſſent, ſed quia avaritia inſorduit, ignominiosè è patibulo pependit. Cibos à vidua petierat Propheta Elias fame tortus, ſed quia mulieri pauperrimæ nonniſi modicum ſupererat farinæ ſe excuſatam, voluit apud Prophetam 3. Reg. 17. 10. *Vivit Dominus DEUS tuus, quia non habeo panem niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ.* Aperuit mulier propriam inopiam Prophetæ, ut ceſſaret à tali petitione, ſed Elias efficaciùs urget, & jubet ſubcinericium panem ex ipſo farinæ modico confici. *Mihi primùm fac de ipſa farinula ſubcinericium panem, & affer ad me, tibi autem, & filio tuo, facies poſtea.* Importuna viſa fuerat Prophetæ petitio, cùm vix modicum illud farinæ ſufficeret pro ſubcinericio pane, quem petebat ſibi parari, voluit ex reliquijs mulieri, ejúsque filio poſtea ſatisfieri: ſi enim totus farinæ cenſus impendendus erat in ſubcinericio pane conficiendo, quomodo vidua propriæ, & filij conſulere potuit neceſſitati? Verùm hæc eſt liberalitatis excellentia, hoc munificentiæ privilegium, ut quæ alijs diſtribuuntur, non pereant, ſed incrementa ſubeant, ubi enim vidua voto annuit Prophetæ, & farinulam quam habuit: eidem diſtribuit, plus accepit, quàm Eliæ dederit, ipſa liberalitas cenſum farinæ auxit, & quæ vix farinula ſuffeciſſet pro unica virium refectione, tale ſubjit incrementum, ut propriæ, & filij neceſſitati potuerit mulier per multum temporis conſulere: ita eſt, qui munifica liberalitate propria, quæ poſſidet, alijs diſtribuit, non perdit, ſed cùm incremento lucratur Eccleſ. cap. 5. 18. *Omni homini, cui dedit DEUS divitias, atque ſubſtantiam, poteſtatémque ei tribuit, ut comedat ex eis, & fruatur parte ſua:* non dicit Sapiens datam diviti poteſtatem, ut omni fruatur ſubſtantia ſibi à DEO data, ſed tantùm parte ſua, quaſi non totum, quod poſſidet ſui ſit juris, ſed tantùm quædam portio, quæ ſibi ſufficiat, & reliquum per exercitium liberalitatis debeat alijs diſtribuere: ita eſt, qui divitijs affluit, is adigitur munificus eſſe, ac liberalis; neque quod alijs impertitur, ſibi imminuit, ſed aucto fœnore lucratur.

Sunt manus viri liberalis perinde, ac manus Satoris, quæ enim ſemina per campos diſtribuunt, manus coloni non perdunt, ſed aucto fœnore, & cum plurimo incremento iterum colligunt, & propria implent horrea, cum flaveſcentes ſegetes falcem expoſcunt: vir liberalis, quæ alijs dat, ſibi acquirit cum ubetiori proventu. Idque fortaſſis cauſæ, cur Joannes Baptiſta de Chriſto Domino dixerit. *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Quòd ſi quæras, in quo oportuerit Chriſtum Dominum creſcere, cùm virtutes omnes, ac perfectiones ipſi ineſſent; reſpondet Beda expendens ſententiam Joannis, id eſſe intelligendum de muneribus, diſtribuendis lijs ex virtute liberalitatis: ait ille; *Illum oportet dare, me autem accipere*, perinde enim eſt dare, ac incrementum ſibire; elargiri alijs, ac creſcere ſibi; diſtribuere, ac augeri: & quidem Chriſtus tunc dedit, cùm omnibus benefecit, cæcos illuminavit, claudis greſſum impertivit, ſurdis aures aperuit, mutis linguam ſolvit, febris æſtus extinxit, paraliticos ſanavit, & mortuos ipſos ad priſtinæ vitæ revocavit uſuram: *Illum oportet dare, me autem accipere.* Idque cum prævidinet David, vocavit populos ſpectatores hujus prodigij Pſal. 45. v. 9. *Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella.* 15

Poteſt prodigium dici ſuam ſortiri nomenclationem à prodigo, ſed liberali, ac munifico; ſiquidem mediante liberalitate fecit Chriſtus illa prodigia in patratis miraculis, quibus infirmis dedit ſanitatem, claudis greſſum, mutis loquelam, & mortuis vitam: quinimò non ſolùm Chriſtus hæc prodigia fecit, ſed & DEUS Pater, qui quaſi prodigus pro redimendis ſuis inimicis, à quibus per illatas ſibi injurias laceſſitus fuerat ad ſupplicia inferenda, proprium filium dederit, ejúsque ſanguinem fuderit, & ſolverit in pretium noſtræ redemptionis: fuit ſanè hoc prodigium profectum à Patre æterno prodigo, cùm pretium dederit, quod longè excederet humanam redemptionem: hinc de Chriſto dixit David Pſal. 67. 28. *Ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu*, ſeu ut explicat Hugo Cardinalis: *In prodigalitate Patris.* 16

Eſt liberalitas, quæ prodigia dat ſpectanda, hinc ſponſa manus deſcribens ſui Sponſi, eas mobiles, ac tornatiles pingit, quò facilè aperiantur Cant. 5. 14. *Manus illius tornatiles*, ſeu ut legunt ſeptuaginta Interpretes Manus *tornatæ*, ſeu affabrè elaboratæ, id eſt rotundæ, & concinnæ, ut facilè moveantur, ac aperiantur ad exercitia liberalitatis, ad pecunias auri, & argenti alijs diſtribuendas, textus enim hebraicus legit: *Revolutiones, & rotunditates, vel circuli aurei*, nectit rotunditatem manuum cum circulis aureis, ſeu cum aureis pecunijs, quia manus ſponſi utpote tornatiles facilè moventur, & aperiuntur ut munifica liberalitate aureas pecunias alijs diſtribuant. 17

18 Solent etiam manus tornatiles Chriſto aptari, eò quia beneficus fuerit in omnes: dicuntur ejus manus tornatiles, ſeu verſatiles ad omnem beneficentiam alijs impertiendam; aſſiduè enim ſe verſabant, volvebántque ad varia miſericordiæ opera, imò ſunt non ſolùm verſatiles, ſed etiam aureæ, utpote plenæ charitate, & ab æterni Patris divinitate tornatæ, ut faciles eſſent ad beneficia alijs impertienda. Hácque munificam liberalitatem non ſolùm DEUS Chriſti edocuit humanitatem in manibus verſatilibus; verùm etiam in propria ſua ſapientia, quam effuſam voluit ſuper omnia opera, quæ ipſe effecit Eccleſ. 1. v. 10. *Effudit illam ſuper omnia opera ſua.* Nimirum DEUS Pater ſapientiam, quam ab æterno in mente ſua conceperat, ac reconditam ſervabat in tempore creaturis omnibus communicavit etiam inanimis, ſed uberiùs animalibus, & volucribus, & præ cæteris hominibus, & Angelis, quos uberioribus cumulavit beneficijs. Non dicit, Sapiens dedit; ſed *effudit*, quia ſignificat amplam largitionem beneficentiæ DEI, cùm ſe, & ſua dona, & ſapientiam inſtar imbris, & torrentis copioſiſſimè effuderit in mundum, & præſertim in homines, quos ornavit habitibus virtutum ſupernaturalium, ut DEUM clariùs cognoſcerent, amarent, eique ſua exhiberent obſequia.

19 Hinc, ſi quæratur, qualénam ſit liberalitatis objectum; liquet eſſe, ſi loquamur de remoto omne, quod alteri prodeſſe poteſt, ac commodum eidem adferre, ratione cujus induit æſtimabilitatem. Proximum verò eſſe ipſam erogationem materiæ remotæ. Non enim putârim materiale objectum proximum liberalitatis eſſe moderatam cupiditatem pecuniæ, & objectum remotum ipſam erogationem: ſiquidem moderata cupiditas eſt ipſa volitio alteri erogandæ pecuniæ, & eſt potius actus elicitus à liberalitate, quàm ejus objectum; quapropter veriùs dicitur objectum materiale, & proximum liberalitatis eſſe, quod proximè terminat illam moderatam cupiditatem, ſeu eſſe ipſam largitionem: & objectum formale dicitur ipſa honeſtas relucens in materiali proximo, ſeu in erogatione ſub ea mediocritate, quam recta ratio dictat: honeſtum ſiquidem eſt, & hominum ſocietati, vel maximè conveniens erogare alijs ea bona, quæ quis poſſidet ſub mediocritate præſcripta à recto rationis dictamine.

Verùm hæc erogatio hac circumveſtita honeſtate, ut ſit objectum formale liberalitatis, non debet exerceri ex motivo, quia alius indigeat, alioquin honeſtas pertineret ad miſericordiam; nec quia alius fuit nobis beneficus, quia foret objectum formale gratitudinis, nec quia alter ſit amicus, & bona amicorum debeant eſſe communia, quia hæc honeſtas pertineret ad virtutem amicitiæ: imò neque debet hæc erogatio exerceri cum ſpe recompenſionis, quia tunc eſſet amor concupiſcentiæ, & ut ait Philo lib. de plant. Noë. *Eſſet liberalitas piſcatorum*, qui eſca hamum obtegunt, ut piſces capiant cum uberiori emolumento: ſed debet hæc elargitio bonorum ex eo præciſè exerceri, quia honeſtum ſit, & homini, vel maximè conſentaneum alijs benefacere, ac donare propria bona ſub ea mediocritate, quam recta ratio dictat. Eſt igitur liberalitas virtus ordinata ad alterum, ac propterea una ex annexis juſtitiæ perfecti tamen debiti ratione carentibus, ac includentibus tantùm morale debitum deſumptum ex quadam decentia, ac honeſtate actionis.

Neque ij dicuntur hac virtute ornati, qui ad eum finem beneficia conferunt, ut eis aliquid referatur, quia elargitio à liberalitate profecta eſt omnino gratuita: unde Seneca lib. 2. de benefic. cap. 2. *Tantum ergo tu: ſi reddet aliquid, lucrum eſt: ſi non reddet, damnum non eſt: ego illud dedi, ut darem, nemo beneficia in Kalendario ſcribit: nec avarus exactor ad horam & diem creditorem appellat, nunquam ille vir bonus cogitat, niſi admonitus à reddente, alioquin in formam crediti tranſeunt, Turpis fœneratio eſt beneficium expenſum referre.* 20

Qui magni ſunt pectoris, & anguſtias omnes e corde excludunt, ita beneficia alijs conferunt, ut exinde proprium non expectent commodum, quod anguſtum nimis, ac parcum proderet animum, quapropter S. Fulgentius Thraſemundum Vandalorum Regem à præclaro liberalitatis exercitio commendans ait lib. 1. cap. 2. *Sic Africano præſides moderando regimini: ut magis deſideres animi ſpatia dilatare, quàm regni.* Nulla eſt virtus, quæ magis animi latitudinem oſtendat, quàm ipſa munificentia, quæ quò latiùs in alios ſe diffundit, eò ampliorem eſſe animum probat, ut cenſuit Hildebertus, qui loquens de munifico Rege pulchrè ait epiſt. 3. *Norit regem magnum meliùs donativo ſplendere, quàm ſceptro.* Quod cùm non latuiſſet Philonem, liberalitatem lunæ pleno orbe coruſcæ pariavit, inquiens: *Beneficentia ſicut luna nunquam pulchrior apparet, quàm cum plena eſt.* Et liberalitas eò ſplendet illuſtrior, coruſcat clarior, quò plena manu in alios ſe diffundit, quia ut ait Xenophon. *Eſt longè honeſtiùs beneficiorum: quàm trophæorum multitudinem relinquere.* Splenduerunt hac virtute Principes animo prægrandes, quique nonniſi magna, & præclara moliri adnixi ſunt, ut Arthaxerxes Longimanus ſic vocatus à longitudine manuum, quas tamen promptiùs porrigebat, ut alijs benefaceret, ac longiùs impertita ab ipſo beneficia ſe extenderent; conſueverat enim dicere: *Regalius eſſe addere, quàm adimere:* ſeu regij animi eſſe, plura ſemper alijs impertiri beneficia: & anguſti pectoris ea coarctare, ac adimere. Claruit liberalitate Alexander Magnus, qui cum dediſſet cuidam ob præclara geſta integram civitatem, & ille aſſereret ſibi non convenire tam grande prœmium, quod humili ſuæ fortunæ non congrueret. Fertur reſpondiſſe: *Non quæro, quid oportet te accipere: ſed quid deceat me dare.* 21

Ut

23 Ut autem liberalitas exerceatur juxta regulas honeſtatis propriæ hujus virtutis, neceſſe eſt, ut actus liberalitatis, qui eſt veluti anima hujus virtutis eliciatur expeditè, & hilariter, ne beneficium, quod ex liberalitate confertur, panis ſit eidem lapidoſus, ut loquitur Seneca *lib. 2. cap. 7.* Liberalis enim, ut ex virtute agat liberalitatis, neceſſe eſt jucundè, ſeu fronte, & animo hilari, ac expeditè donet, quia ut ediſſerit Philoſophus, quod ex virtute fit, id cum animi voluptate, & ſine cordis dolore exercetur: & hujus hilaritatis index promptitudo eſt in donando, à qua plurimum pretij beneficio accedit, ut notavit Ennodius lib. 8. epiſt. 10. inquiens: *Quoties veſtra res repentè contigerit, pretium de ipſa temporis brevitate ſortitur. Cæleſtis enim, ut creſcat beneficij genus, ſubitum facit eſſe, quod tribuit, neve devenuſtet ſperantium prolixitas miſericordiam largitionis. Quis enim affectum deſiderij repente ſuſcipiens, non avidè impetrata veneretur?* Ille liberalitatem, ut oportet, exercet, qui ita dat, ſicut vellet ipſemet accipere: & nemo eſt, qui ſi ab alio petat aliquid, quo indigeat, nolit ſibi promptè, & hilari animo dari: ingratum ſiquidem eſt beneficium, quod diu ſpem deſiderantis torquet, & manibus hæret dantis: id perinde eſt, ac derumpare, quod præclarius eſt in beneficio, & obſcurare, quod illuſtrius ſplendet in virtute liberalitatis, quod eſt hilari vultu, & expromptа manu dediſſe: qui moroſi ſunt in beneficio conferendo; hi non liberè, & gratis videntur beneficium dare, ſed illud potiùs carò vendere, cùm qui accipit, plurimum debeat expectando doloris tolerare: hinc cunctabundi, & moroſi in beneficijs conferendis ſi non prorſus rationem doni gratuiti obliterant, eam ſaltem devenuſtant.

24 Hinc Chriſtus, ut hanc promptitudinem ſuos edoceret Diſcipulos, eis injunxit, ut non plura proferrent verba in petendis beneficijs, ne ipſi moroſi eſſent, ac cunctabundi in jisdem conferendis, ſed hilari animo, & prompta manu darent Matth. 7. 6. *Orantes nolite multum loqui.* Quærunt Expoſitores, cur vetuerit Chriſtus orationem longiùs protrahi; cùm ſit actus virtutis, & religionis, videretur potiùs protrahendus, quò per iteratos virtutis actus incrementa excreſcerent meriti. Sed Chriſtus eruditurus ſuos diſcipulos omnem cunctationem à beneficijs impertiendis ut removeret, ijſdem injunxit non verba protrahere, nec multum loqui, ut diſcerent beneficia eſſe prompta manu, & hilari animo alijs impertienda. Pulchrè S. Chryſol. ſerm 67. ait: *Chriſtus breviter orare docuit, qui citò vult poſtulata præſtare.* Vult Chriſtus, ut beneficia ſemper petentibus impertiantur, & nunquam transferantur in tempus aliud, quod non eliet promptè elargiri, ſed moroſè dare.

25 Idque fortaſſis cauſæ, cur Sabbathi obſervantiam inviolabili religione olim ſuſceptam, Chriſtus aboleverit, & in diem dominicam tranſtulerit, non abſque obmurmurantis populi Judaici invidia. Quòd ſi cauſam quæras hujus mutationis? eam præ cæteris putarim fuiſſe, quia Sabbatho ab operibus DEUS requievit in mundo condendo die verò dominica mundi fabricam fuit aggreſſus; & ne quis putaret Sabbathum adeo quieti eſſe dicatum, ut non liceat exercitijs liberalitatis moveri, & quietem frangere, ideò cultui divino diem maluit dominicam ſacrare; quia cum eo die DEUS in mundi molitione ſuum fuerit aggreſſus opus, inceperitque operari ad extra; voluit, ut diſcerent homines, neque ſabbatho, neque die dominica vacandum eſſe ab exercitio virtutis præſertim munificentiæ, ſeu à beneficijs conferendis, ſed cùm primùm petuntur prompta manu, & hilari animo, ea conferre, & alienis neceſſitatibus opitulari; & hoc eſt, quod injunxit Chriſtus ſuis Diſcipulis, ne cùm preces funderent, verba non protraherent, nec multum loquerentur: *Orantes nolite multum loqui*, ut ſicut ipſi petita beneficia promptè ſuſcipiebant, ita diſcerent expeditè alios exhilarare, ac eorum petitionibus ſatisfacere. Grave & oneroſum eſt verbum *rogo*, & quò pluries repetitur, eò ſemper obſcurius beneficentiam obnubilat, ut etiam eam devenuſtat aſperum ſupercilium elargientis, ut & tumida exprobratio dantis, ut innuit Seneca 2. *de benefic. cap. 4.* inquiens: *Plerique ſunt, qui beneficia aſperitate verborum, & ſupercilio in odium adducunt, eo ſermone, ea ſuperbia, ut impetraſſe pœniteat.*

Manus cunctabunda, & frons exaſperata beneficium corrumpunt, ut pœniteat rogantem accepiſſe, eò quia pluries debuerit erubeſcere, antequam acciperet. Hinc monet Eccleſiaſticus. *Fili in bonis non des querelam, & in omni dato non des triſtitiam verbi mali: nonne ardorem refrigerabit ros? ſic & verbum melius, quàm datum.* 26 Innotuerat Eccleſiaſtico, non deeſſe quorum pietas, & munificentia plus attulerit incommodi, quàm alienæ occurrerit indigentiæ: cunctabundi ſiquidem qui ſunt, & moroſi in beneficio præſtando priùs examinant cauſas petitiones, ſocordiam exprobrant, deſidiam damnant, nec plenè ſatisfaciunt petentis indigentiæ, quem modicâ eleemoſynâ exprobratum potiùs, quàm donatum dimittunt, ſcitè Hugo Cardinalis expendens verba Eccleſiaſtici ait: *Sicut ros de cœlo veniens ſolis ardorem expellit à ſegetibus: ſic & verbum dulce, & benignum refrigerabit pauperem meliùs, quàm datum ſolum, vel cum jurgio datum: unde proverb. 17. Melior eſt buccella ſicca cum gaudio, quàm plena domus victimis cum jurgio, item Proverb. 15. Meliùs eſt vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulum ſaginatum cum odio:* ita eſt olera, ſi animi hilaritate, frontiſque ſerenitate ſint condita, & prompta manu exporrecta plus placent accipienti, quàm vitulus ſaginatus, fronte exaſperata, & manu moroſa, & cunctabunda poſt plures repetitas ſupplicationes extraditus: valor enim beneficentiæ non à quantitate tantùm rei datæ penſatur, ſed præ ertim ab animo, quo datur, æſtimatur; hinc

Oleaſter, qui expendens alas Cherubinorum tegentes propitiatorium ait: *Summus benefactor eſt, & nihilominus tectus; ut te doceat benefacere, & nolle videri.* Velamen adhibet Deus, cum beneficia elargitur, quo diſcant homines vanam non aucupari gloriolam in beneficijs alteri impertiendis, ſed ſtudeant plauſus fugere, & in abſcondito, in ſilentij velamine alijs benefacere: tametſi beneficia ſilentij involvantur tenebris per ſe tamen ſplendent ſyderibus paria, quæ nocturnis obducta tenebris coruſcant clariora; talis fuit liberalitas D. Nicolai, qui nocte intempeſta ingentem pecuniæ ſummam per feneſtram occultè in domum cujuſdam civis nobilis immiſit, ut trium puellarum pudicitiæ conſuleret, non enim ſemel tantùm pecunias in domum immiſit, ſed iterum, & tertiò, ut tres filiæ nobilis illius civis dotem acciperent ad nuptias honeſtè ineundas: projiciebat Nicolaus aureos ſacculo incluſos per feneſtram in domum civis, & celeri pede fugiebat, ne ab ullo author beneficij cognoſceretur; ſed ipſa beneficia coruſcârunt, & in cœlis ſtellas æmulata ſplenduerunt mundo & poſteritati clariora: beneficium enim proximo præſtitum, quo ſilentij tenebris magis obvolvitur, eò illuſtrius clareſcit.

32 Non ſunt veræ liberalitatis cultores, qui munera à ſe collata evulgant, eorúmque pretium verbis exaggerant: quò enim præſtita beneficia clariori luce propalant, eò deturpant obſcurius, denigrantque fœdiùs; idque cauſæ, cur voluerit DEUS per Cherubinorum alas tegi propitiatorium, in quo homines divinis cumulabantur beneficijs, nimirum ne hæc non innoteſcerent niſi accipientibus, ac ſentientibus effectum, non alijs; ut nos erudiret non vanam aucupari gloriolam in beneficijs impertiendis Exodi. 25. 20. *Utrumque latus propitiatorij tegant expandentes alas, & operientes oraculum.* Erat oraculum, ex quo beneficia derivârunt in populum, proinde ne author beneficij innoteſceret Cherubinorum alis, obductum voluit: quia munificè liberalis beneficia, quæ confert, non meridiano jubari exponit, ſed nocturnis ſilentij tenebris inſepelit, quò inde plus meriti, ac ſplendoris hauriant, & coruſcent clariora in cœlis, quæ tenebris ſilentij occultantur in terris.

33 Hinc etiam Chriſtus, tametſi divinitatem humanitati dediſſet, ſeu ſummum, quod dare potuit, ut notat D. Auguſtinus Tract. 84. in Joan. inquiens: *Dicere audeo, quod Deus cum ſit omnipotens plus dare non potuit, cum ſit ſapientiſſimus plus dare neſcivit, cum ſit ditiſſimus, plus dare non habuit!* Nihilominus hoc ſummum beneficium ſilentio inſepelit, ſuámque tacet divinitatem humanitati communicatam; interrogans ſiquidem Diſcipulos ait Matth. 16. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis:* ſolius memor humanitatis quam ab homine accepit, & ſuam occultat divinitatem, quam hominibus dedit: ſed Petrus nomine cæterorum hominum humanitatem ab homine aſſumptam tacet, & divinitatem hominibus datam aſſerit Matth. 16. 16. *Tu es filius DEI vivi*, quia beneficium alteri impertitum, quò occultatur obſcurius, eò clareſcit illuſtrius; & quò ſplendoribus ornatur clarioribus, ut alijs innoteſcat, eò denigratur obſcuriùs.

Quòd ſi ſydera in cœlis, & flammæ in terris plus hauriunt ſplendoris à tenebris, quàm à meridiano ſole, à quo potiùs obſcurantur, Spiritus ſanctus ſua hominibus collaturus dona, ac cœleſtibus eos cumulaturus beneficijs, non nocte intempeſta id præſtitit, ſed die meridiano jubare corusco; ſed cur in hoc lucis incremento cùm ſol ſuis ſplendoribus terras illuſtraret clarius, voluit id præſtare, & non potiùs nocte? quia nimirum dona Spiritus ſancti ſpeciem induerant flammeæ linguæ, ignisque coruſci Actor. 2. 3. *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis.* Quidni? ſplendente interdiu ſole extinguuntur in cœlis ſydera, & in terris minùs ſplendent lumina, & flammæ, & quia Spiritus ſanctus tunc munifica liberalitate ſua hominibus impertiebat dona, quæ flammeas referebant linguas, ut minus ſplenderent meridiano ſolis jubare perfudit, & in terras effudit: ut ſua dona minus elucerent die, quæ magis, ac illuſtriùs ſplenduiſſent nocte, quò igitur minus mundo clarerent; non nocte, ſed die coruſca, & clariore ea impertivit hominibus, ut eò minus lucerent, quò ſol magis ſplenderet. Hinc David Pſal. 26. 20. *In mare viæ tuæ, & ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur.* Grande procul dubio fuit beneficium à munifica liberalitate populo Iſraëlitico impertitum, juſſit, mare facto divortio, ſe ipſum in partes binas diſcindere, ac propriæ oblitum naturæ inſitam ſibi exuere fluxibilitatem, marmoreámque induere duritiem, quò utrinque ad latera muros erigeret lapideos, ſiccúmque in proprio ſinu fugienti populo iter aperiret, ut ſicco pede tranſiret: & tamen tanti beneficij noluit veſtigia ſupereſſe, *ſemitæ tuæ in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur.* Quia impertitum populo beneficium munificam deprædicabat Numinis liberalitatem: adeo voluit occultari, ne veſtigium quidem ſupereſſet, idque proprium veræ liberalitatis beneficia alijs impertita ſilentij tenebris inſepelire, vel diminuere, quò minora appareant: quo pacto Spiritus ſanctus ſub forma linguarum ignearum ſua contulit Chriſti Diſcipulis dona in meridie, quò minùs diſpertitæ linguæ igneæ lucerent, minúsque emitterent ſplendoris in terris coruſcante ſole in cœlo. 34

Hinc Jacob munificæ liberalitatis cultor, quæ contulit beneficia non evulgavit, ſed tacuit, non verbis exaggeravit, ſed imminuit: cùm enim non potuiſſent Jacob ſe occultare, nec ſua dona omnino tegere, ſtuduit ſaltem verbis minuere, & parvulum vocare, quòd revera magnum erat: Obtulit Jacob ex Labano Socero in patriam redux Eſau fratri munera perquam ampla, ſiquidem oves obtulit ducentas, arietes viginti; capras ducentas, hircos viginti; vaccas quadraginta, boves vigin- 35

ti

ti, cum decem pullis, ut liquet ex texto, & tamen hæc omnia vocat parvulum munus Geneſ. 3. 3. 10. *Accipe munuſculum de manibus meis*: nimirum Jacob, quia munificus, & liberalis, cùm non potuerit ſe, & ſua dona occultare, ſtuduit ſaltem hæc minuere, quo beneficium minus appareret; id enim proprium animi munifici beneficia alijs impertita tametſi plura, & pretioſa verbis attenuere, & imminuere, quapropter Lippomanus ſcitè ad rem noſtram ait: *Munuſculum magna nuncupat munera, animis enim qui dat, datum ſuum modicum æſtimare debet, qui verò ſecus facit, ſtultus eſt*: neque immeritò is dementia dicitur laborare, qui verbis exaggerat, quæ alijs impertitur beneficia, quia tunc ea non donat, ſed vendit, quò enim magis munus exaggerat, eò cariùs divendit, nec pretium ipſe accipit, cum meritum deperdat: ipſa enim liberalitas pro pretio habenda eſt, quia vir munificus dum alijs beneficia dilargitur propriæ conſulit animæ, cujus merita incrementat, pulchrè Caſſiodorus lib. 12. variar. prol. ult. *Si nullum penitus indigere contingeret, locum proinde largitas non haberet: data eſt Provincijs in regis noſtri laudem penuria: ſteriles facti ſunt agri, ut ubertas Domini poſſit agnoſci.*

36 Qui verè eſt liberalis impertita alijs beneficia non exaggerat, ſed minuit, idque ut nos Chriſtus edoceret talenta, quæ alteri dederat pauca vocat, ac minuit. Dederat quinque talenta, quæ ingentem nummorum ſummam conſtituunt, & nihilominus quaſi exiguum dediſſet, pauca vocat, quæ magna erant Matth. 25. *Supra pauca fuiſte fidelis*, nimirum tam beneficus in homines eſt DEUS, ut beneficia, quæ per ſe magna ſunt, imminuat, & pauca eſſe fateatur: Quinimò veræ liberalitatis cultor, non ſolùm minuit, verùm etiam collata alijs beneficia quantum poteſt, vel ſilentio inſepelit, vel debiti titulo ſimulat collata; & ita donat, ut potiùs videatur ſolvere, & non gratis dare.

37 Virtute liberalitatis ſplenduit Joſeph in Ægypto, cùm per totum ſeptennium, quo regio illa frumenti laboravit penuria, ipſe Prorex ita Regi conſuluit, & ejus ærario, ac horreis, ut non negligeret ſubditorum indigentiis ſuccurrere, id tamen adeo cautè præſtitit, ac ſi ipſe author non fuiſſet beneficij, ſed tantùm ſui officij executor. Præclarum documentum hujus occultæ munificentiæ dedit, cùm ejus fratres juſſu Jacobi Patriarchæ Patris rei frumentariæ causâ in Ægyptum venerunt; juſſit tunc Joſeph ipſis annonam ſuppeditari, eâ tamen cautela, ut ejus liberalitas non appareret. Geneſ. cap. 42. *Juſſit Miniſtris ſuis ut implerent ſaccos eorum tritico, & reponerent pecunias ſingulorum in ſacculis ſuis datis ſupra cibarijs ad vitam.* Fratres à quibus fuerat ob innutritum odium, & corrodentem invidiam Joſeph demiſſus in ciſternam ſicca morte extinguendus, & negotiatoribus poſtea divenditus, mox muneribus cumulat: & quia verè liberalis, ita beneficium iiſdem largitur, ut non gratuitum donum, ſed debitum videatur, putetúrque magis ſolviſſe, quàm præſtitiſſe. Exhibitas à fratribus pecunias frumenti pretium accepit quidem Joſeph, ne gratis videretur annonam iiſdem ſuppeditâſſe, ſed nummis divenditam; hinc per acceptas pecunias debitum voluit contrahere, quô de jure teneretur frumentum fratribus extradere, & jure debiti munificentiam occultaret liberalitatis. Clam poſtea pecunias reſtituit, quas in ſacculis voluit latere, ne liberalitas, quam in ipſos exerceret, exteriùs ſplenderet; reſtituit pecunias, ut re ipſa annonâ donaret, quam divenditam voluit apparere.

Hoc pacto vult DEUS exerceri liberalitatem, ut nos invitet ad ejus beneficia ſuſcipienda Iſaiæ 55. 1. *Venite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione*: quæ nobis beneficia confert omnino gratis, jubet ut ea emamus abſque ulla pretij ſolutione *emite abſque argento, & abſque ulla commutatione*: ſed ſi dat ſine pretio, quomodo nobis injungit, ut ea emamus, quorum pretium non ſolvimus: id exigit emptionis, & venditionis contractus, ut venditor rem exhibeat, & emptor eam accipiat, quam per ſolutionem pretij faciat ſui juris: ſi ergo nulla intervenit pretij ſolutio, quomodo poſſumus cum veritate emere, quæ nobis DEUS beneficia impertit. Ut nimirum nomine emptionis videatur quodammodo debitum contraxiſſe beneficia impertiendi: pretium autem reſpuit, ne liberalitatis excellentia fiat minùs pretioſa: ſua nobis omnino gratis DEUS beneficia elargitur, ſed ne videantur gratuitò nobis collata, nos invitat, ut ad eum accedamus & ab eo emamus abſque argento, abſque ulla commutatione; nóſque ſimul edocet, gratis ita beneficia alijs impertiri, ut non videamur gratis dediſſe, & quæ à nobis liberalitas exercetur non appareat, ne ad vanam gloriolam aucupandam nos trahat. 38

Vel fortaſſis pretium Joſeph fratribus reſtituit, & annonam omnino gratis ſuppeditavit, ut beneficium à DEO ſibi impertitum crederent, cuj debitas perſolverent gratias. Noluit Joſeph gratias ſibi rependi, ſed ſoli DEO à quo ereptus fuerat è ciſterna, & ad Proregis dignitatem in Ægypto promotus, & cuj DEUS ſeptennem fertilitatem revelavit, & quomodo frumentum ſervandum eſſet ad tempus inopiæ & caritatis, prædixit, imò & fratres inſpiravit, ut in Ægyptum venirent, iiſque gratis annonam communicaret; qui cùm primùm deprehenderunt pretium accepti frumenti ſibi reſtitutum, DEUM tantæ beneficentiæ authorem cognoverunt, cuj & debitas perſolverunt gratias: *quidnam eſt hoc, quod fecit nobis DEUS.* Nos edocet Joſeph, quomodo per exercitia liberalitatis animos accipientium beneficia debeamus DEO lucrati, non nobis vanam gloriolam aucupari, & id ſatagimus, ut beneficijs cumulati DEO non nobis gratias rependant, ac ſi non à nobis, ſed à ſolo DEO beneficia ſuſcepiſſent, à quo omnia bona in creaturas ſingulas derivantur. 39

Hanc exercendæ liberalitatis methodum edocuit Abrahamum DEUS Geneſ. 17. *Ponam*

fa-

Fœdus meum inter me, & te; & nonnullis inrerjectis: *Ego ſum, & pactum meum tecum, erisque Pater multarum gentium*, & poſt aliqua iterum interjecta *Regéſque ex te egredientur.* Et iterum *Et tu ergo cuſtodias pactum meum*, ſed ſi DEUS cum Abrahamo paciſcitur jam tenetur ex jure ſtare pacto, illúdque ſervare, ad quid igitur à DEO ei injungitur, ut pactum ſervet? ut nimirum exercitia liberalitatis Abrahamum laterent; & videantur debita promiſſa à DEO beneficia, licèt omnino gratis promiſſa fuerint, & data; & Abraham id ex pacto præſtet, quod agere ex religione tenetur; voluit DEUS ſe ipſum quodammodo per pactum initum debitorem conſtituere, quò divina liberalitas eò ſplenderet illuſtrior, quò creaturam lateret obſcurior.

41 Adeo eſt DEUS cupidus ſuæ liberalitatis in homines exercendæ, ut beneficia nobis conferenda videatur ſitire, quapropter à muliere Samaritana petijt, quò per exhibitam ſibi aquam hanc poſſet ſitim refrigerare Joan. 4. 7. *Da mihi bibere*, ſed ſi Chriſtus erat ipſemet fons aquæ vivæ, ut ipſe fatetur Joan. 7. 27. *Si quis ſitit veniat ad me, & bibat*, quomodo fons pellucidis aquarum rivulis dives ſitit, & aquam à muliere expoſcit extinguendæ ſiti idoneam? ſi eſt ipſe, qui per Jerem. 2. v. 13. ait: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ*, quomodo expoſcit aquam à Samaritana? Non aquam ſitiebat Chriſtus elementalem, qua æſtus corporeæ ſitis temperaret, ſed ſalutem animæ deſideravit, idque cauſæ, cur ſublimi affixus cruci, & reſpiciens humanum genus indigum cœleſtibus beneficijs, ac divina gratia, qua promoveretur ad æternam ſalutem exclamavit dicens: *ſitio:* ſitivit quidem non frigidam, ſed noſtram ſalutem: Sitivit propter effuſum ſanguinem, exhauſtum humorem, exiccatum corpus, ſed hanc ſitim refrigerare non curavit, cùm exhibitum ſibi calicem reſpuerit, ſed ſitivit beneficia hominibus conferenda, ut hi ex fide cognoſcerent eſſe Chriſtum fontem aquæ, ut ad ipſum venirent, beneficia haurirent, & æſtus depravatæ concupiſcentiæ extinguerent. Fons vitæ erat, & ſitiebat; fluenta aquarum ſpondebat, & bibere cupiebat, hoc eſt ſitiebat nos, & dare ſe nobis cupiebat, quia ut ait S. Laurentius Juſtinianus de triumph. cap. 19. *Sitiebat nos, quia hæc ſitis de ardore dilectionis, de amoris fonte, de latitudine naſcebatur charitatis.*

42 Alia eſt ſitis noſtra, & alia Chriſti, nos quia inopes, & mendicitate premimur, exteri fontis ſitimus latices, quibus noſtræ ſitis æſtus extinguamus: ſitis verò Chriſti non ab extero foore aquas concupivit haurire, ſed deſiderium fovit ſe ipſum effundendi exteriùs, & alienos ardores depravatæ concupiſcentiæ extinguere, donisque cœleſtibus homines cumulare, ac eorundem ſalutem per impertita ijſdem beneficia promovere. Hinc cùm dixiſſet cruci affixus: *ſitio* poſtea miles lanceæ cuſpide latus ejus confixit: *ex quo* Joan. 19. 34. *Continuò exivit ſanguis, & aqua*, hoc eſt pretium noſtræ redemptionis, & luſtrale lavacrum baptiſmi, cujus aquâ, quas contraximus primævas maculas abſtergimus, & mundamur: ſitivit igitur, non ex indigentia exteri fontis frigidos laticea, ſed ex charitate ſe ipſum in noſtra effundere beneficia: ſitivit ſe ipſum nobis extradere pretium ſui ſanguinis æterno Patri ſolvere, ut à tartareo famulitio, à ſervitute peccati nos redimeret, & aquâ è corde effuſa, ſeu ex amore ex flamma charitatis profecta nos abſtergeret, & purgaret, quò invectâ munditie DEO Patri placeremus: ſcitè S. Ambroſius: *Tunc ſitiebat, quando de latere ſuo extincturus ſitim noſtram vivæ aquæ fluenta fundebat.* Noſtram, non ſuam hac aqua Chriſtus voluit ſitim extinguere, ut inde conijceremus quàm potens, & dives ſit DEUS, cùm etiam non rogatus ſua nobis impertiatur beneficia, séque ipſum nobis communicet, ut nos redempti pretio ſui ſanguinis, & emundati baptiſmi aqua, quam è ſuo latere effudit, eidem mundi, & ſancti adhæreamus.

Adeo eſt DEUS in nos munificus, ut accipere reputet, quæ nobis beneficia elargitur. 43
Cùm ingentem promiſiſſet DEUS Abrahæ mercedē ſollicitus Patriarcha ſpecialiùs ſciendi quid eſſet divina liberalitas ei datura, dixit Geneſ. 15. 2. *Domine quid dabis mihi.* An anceps hæſit Abraham de ſponſione ſibi à DEO facta? ſed ſi DEI fidelitas Patriarchæ innotuerat, non poterat dubius hærere, quapropter Philo lib. *Quis rer. divin. ſit hæres.* Aſſerit: Non dubitantis eſſe verbum, ſed gratias agentis pro acceptorum beneficiorum magnitudine, *dixitque Abraham Domine quid dabis mihi*: copioſæ enim ſunt, & ingentes gratiæ, & favores, quibus me cumulaſti, nullis poſſunt terminis circumſcribi beneficia, quæ tua mihi munificentia fuit impertita, nec aliud mihi ſupereſt quàm mea tibi obſequia exhibere, debitáſque tibi gratias perſolvere.

Gaudet DEUS, cùm ſuam in homines munificentiam exercet, ad quos redimendos filium ſuum miſit in mundum, ut noſtram indueret humanitatem, & factus homo DEUS redimeret hominem reum; fuit enim hæc redemptio, quæ Chriſtum filium DEI manifeſtavit, quod cùm regius Vates præſciviſſet dixit Pſal. 2. 7. inducens æternum Patrem ad Chriſtum loquentem: *Filius meus es tu ego hodie genui te:* quod intelligendum ſit de generatione temporali, ediſſerunt SS. Patres, præſertim Athanaſius, & Beda: tunc æternus Pater Chriſtum in terris natum filium vocavit cum redimere humanum genus voluit. Mirum tamen quòd ſequenti Pſal. cùm de Chriſti reſurrectione à mortuis agitur, non ampliùs Pater eum filium vocet, neque Chriſtus reſurgens DEUM Patrem ſuum dicat Pſal. 3. 6. *Ego dormivi, & ſoporatus ſum, & exſurrexi, quia Dominus ſuſcepit me*, non vocat DEUM Patrem, ſed Dominum, nec ulla fit mentio de filio, cùm tamen Chriſtus in terris natus, ut noſtram operaretur redemptionem, vocetur filius: hoc eſt in abjectione noſtræ humanita- 44

tis, in paſſione noſtræ infirmitatis à Patre vocatur filius, & in glorioſa reſurrectione reticetur nomen filij, nec ulla fit mentio Patris; quid hoc? niſi quia DEUS Pater tunc ſibi valdè complaceat, cùm nos videt per filium ſuum redemptos à famulitio cacodæmonis, à ſervitute peccati, & divinis cumulatos beneficijs? quando Chriſtus in mundum venit noſtram operaturus redemptionem, & daturus in pretium ſuum ſanguinem, ac beneficijs homines cumulaturus, quibus ſua morte vitam impertivit, vocatur filius æterni Patris; non ita cùm resurgens è mortuis corpore glorioſo aſcendit in cœlum. Appoſitè S. Ambroſius lib. 3. de ſacram cap. 1. *Ait Pater ad filium, ego hodie genui te, hoc eſt quando redemiſti populum: quando ad cœli regnum vocaſti, quando impleſti voluntatem meam, tunc probaſti meum te eſſe filium.*

45 Adeo ſibi complacuit DEUS de beneficio redemptionis nobis à Chriſti patientis liberalitate impertito per ſolutionem proprij ſanguinis, ut tunc ſuum voluerit filium manifeſtare: & Chriſtus, adeo in nos beneficus fuit, ut ipſa beneficia, quæ nobis contulit, ſibi data, & à ſe accepta velit; David Pſal. 67. v. 19. *Accepiſti dona in hominibus.* Sed ubi regius Vates ait *accepiſti*, Apoſtolus ad Epheſ. 4. 8. ponit: *dedit*. Utrumque contigit ait Theodoretus, quia *Accepit ab accedentibus ad fidem, & elargitur gratiam*: eadem beneficia, quæ Chriſtus nobis contulit, quaſi à nobis accepiſſet pro ijſdem ſuam nobis gratiam elargitur putans ſibi data, quæ nobis ſunt beneficia collata: hinc eſt, quod ſponſa eum viderit inter lilia ſe paſcentem Cant. 2. 16. *Qui paſcitur inter lilia*, delectatur cœleſtis Sponſus floribus, ſi tamen in lilia adoleſcant caſtitatis, ſi candorem induant ſimplicitatis, ſi odorem emittant omnium virtutum, & ſanctitatis: hos flores cœleſtis Sponſus ſua excolit manu, gaudétque cum ipſis morari, & inter illos paſci, & ſimul paſcere, quia beneficia per culturam, & ſuſceptos labores ipſis impertita ſibi data putat; & cum flores fluentis ſuæ gratiæ irrigat, & paſcit; eadem irrigatione etiam ipſe paſcitur, ut in ipſum redundet beneficium, quod alijs impertitur. Appoſitè S. Bernardus ſerm. 71. *Cùm paſcit, paſcitur, & paſcit cum paſcitur ſimul nos, & ſe ipſum gaudio ſpiritualiter reficiens, & de noſtro æquè ſpirituali profectu gaudens.*

46 Nil ferventiùs expetit, nil avidiùs cupit DEUS, quàm ſua nobis impertiri beneficia, ad quæ accipienda etiam nos invitat, quaſi eſſet ipſe beneficia ſuſcepturus ab hominibus, & eadem beneficia nobis collata, eſſent ſibi data, & quaſi ipſe acciperet, quæ nobis elargitur beneficia, & Iſaiæ 55. 1. *Sitientes venite ad aquas*, quaſi diceret, qui indigetis ad me accedite, ut veſtram ſuppleatis inopiam: ſcitè S. Gregorius Nazianzenus orat. 40. in Sanct. baptis. ait: *Sitit ſitiri bibere cupientibus, potum præbet. Cùm ab eo beneficium petitur, beneficia adducit prompta munifica, atque prolixa natura &* jucundiùs dat, quàm alij accipiant, neque de alieno, ſed de proprio dare gaudet Joan. 3. 16. *Sic DEUS dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Quæritur, cur hic dicatur non ſolùm *filius unigenitus*, ſed etiam addatur *ſuus*; & tamen cùm deſcribitur in ſinu Patris tantùm vocatur unigenitus filius, non verò filius ſuus Joan. 1. 18. *Unigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris*, tametſi ſit ſemper filius ſui Patris, adhuc tamen quandò eum nobis dat, quia eſt ſummum beneficium nobis collatum, ne de alieno, ſed de proprio crederemus nobis dare vocat unigenitum filium ſuum: *Sic DEUS dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret*: cùm verò non ampliùs nobis datur, ſed in ſinu Patris quieſcit, tunc *filium* quidem vocat, reticet tamen *ſuum*, quia non eſt tunc opus propria manifeſtare, cùm liberalitas ad extra per dationem filij non exerceatur, ſed complacentia ad intra in filio compleatur: quando pro noſtra redemptione datur nobis filius, & traditur ad mortem, magis dicitur *filius ſuus*, quàm cùm quieſcit in ſinu Patris.

Quòd ſi beneficia, quæ nobis conferuntur ſymbolicè per ſemina exprimuntur, quæ colonus ſinui occatæ telluris concredit fore ſperans, ut cum fœnore ſit eadem ſuſcepturus, tunc DEUS ſemen illud ſuum vocat; ne de alieno, ſed de proprio credamus nobis dare Luc. 8. 5. *Exit, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum* quia ſibi proprium reputat, quod alijs donat, quaſi beneficia alijs impertiri perinde eſſet, ac eadem ab alijs in ſe recipere. Sed ſi ſymbolicè beneficia, quæ nobis confert, explicat ſub allegoria ſeminis, vult, hæc non jacere otioſa, non putrefieri deſidioſa, ſed germinare, adoleſcere, incrementa ſubire, & optatos fructus colonis adferre, quorum labores fructuum ubertate cum fœnore compenſentur: ſuſcipit enim granum tritici ait S. Ambroſius *lib. 3. Hexam. cap. 8.* putris gleba, & ſparſum cohibet occatio, ac veluti materno ſinu terra fovet: & cum reſolvitur, herbam germinat, quæ ſtatim genus ſuarum ſimilitudine ſui prodit, ut in ipſo ſuæ ſtirpis exordio, cujus ſit herba generis cognoſcatur, & vel in ipſis herbis fructus appareant; cúmque nuditatem terræ matris herba veſtit, paulatim adoleſcit in fœnum, & pubeſcens in culmum erigitur, in quo ubi geniculata ſe jam ſpica ſuſtulerit vaginæ futuræ frugi parantur, in quibus granum formatur interius, ne tenella ejus primordia frigus lædat, vel ſolis æſtus exurat; vel ventorum inclementia, aut delabentium imbrium vis ſæva diſcutiat. Inde ſuccedunt ordines ſpicæ mira formati arte, vel ad ſpeciem grati, vel ad tutamen nexu quodam inter ſe naturalis colligationis adſtricti; & ne frugis numeroſioris pondere damnum ſpicæ inferatur, hæc vaginis quibusdam veluti geminatis viribus operitur, vallóque munitur ariſtarum, ne avium Minorum morſibus ſuis ſpolietur divitijs, hactenus D. Ambroſius. 47

Quòd

Digitized by Google

48 Quòd ſi cœleſtis colonus ſemen ſuum vocat beneficium, quod nobis impertitur, quò credamus de proprio nobis dare; vult etiam ut ſuſceptum à nobis ſemen exemplo terræ matris excreſcat in fructus multiplicatos: hanc liberalitatem natura ipſa nos edocet, quæ ſuſceptum ſeminis beneficium cum fœnore reſtituit multiplicatum: neque munificus quæ alijs dat, ſibi deperdit, ſed perinde ac ſemina terræ concredita ſibi incrementat. Quòd ſi DEUS bona, quæ ſua benefica largitate nobis impertitur eadem ſibi retinet eminentiori affecta perfectione, quo pacto inexhauſta perhibetur divina largiendi facultas: hoc idem videtur obtingere homini munifico, & liberali, adeo ut Marcus Antonius apud Rabirium Poëtam referente Seneca lib. 6. de benefic. cap. 3. *Cum bonis deſtitueretur fortunæ dixerit, hoc habeo quodcunque dedi.*

49 Idque verum ſi Chriſtianus liberalitatis cultor ſuas indigentibus elargiatur opes, dat enim ſibi, qui pauperi donat, & veras divitias poſſidet nulli obnoxias fortunæ viciſſitudini, qui munifica largitate ijſdem manus pauperum implet: hinc Salomon *Proverb. 5. 16.* æquiparans divitias pellucido fonti ait: *Deriventur fontes tui foras in plateis aquas tuas divide, habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes tui?* quid? quòd jubeantur effundi, & ſimul retineri, ſi ſemel effuſæ aquæ diſſipantur, quomodo poſſunt ulterius retineri? ſed Salomon per aquas opes vult intelligi, quas qui pauperibus munificâ liberalitate dilargitur aucto fœnore ſibi retinet; adeo ut tunc bene opes retineamus, cùm munifica liberalitate eas in manus pauperum effundimus; & hoc eſt, virum munificum, & liberalem apud ſe retinere, & ſolum habere, quas alijs impertitur opes; quas pauperibus diſtribuit pecunias, ex eo, quòd hæ foras prodeant, tutiùs conſervantur; verè tunc noſtræ ſunt divitiæ, quia ampliùs noſtræ non ſunt, ſed indigentium: hinc S. Petrus Chryſol. nos edocens modum diteſcendi, nobis ſuadet divitias dare pauperibus inquiens ſerm. 8. *Da pauperi, ut des tibi* Quidni? dat ſibi dives, ſi det pauperi: fœneratò recipit, qui ſine fœnore dat indigenti, quia is dat cœnum, & accipit cœlum, dat nummum & accipit regnum: ſed ſi DEUS dat de proprio cum dederit mundo *filium ſuum unigenitum*, & *ſemen ſuum* feminaverit, id eſt *ſuum* ne crederemus alienum, debemus & nos de proprio alijs dare, quod nobis injunxit DEUS per Iſajam 38. *Frange eſurienti panem tuum.* non dixit *panem* ſimpliciter, ſed cum addito *tuum*, ſiquidem direpta dilargiri furtum eſt, non liberalitas.

Præ cæteris hujus cultura virtutis Principem decet, qui munificentiæ quà publicè,
50 quà privatim oportet, ſtudeat; quò per impertita beneficia plures habeat ſibi adſtrictos. Munera enim ex benefica Principis liberalitate in alios derivata compedes ſunt, & vincula, quibus alij benefactori vinciuntur, cuj affectu adhæreſcunt, adeò ut vel i ſi hoſtes admiſſis ſemel muneribus victos ſe fateantur: ſi aſinum multo onuſtum auro in arcem duxeris, quamvis propugnaculis munitiſſimam; acceſſu, & expugnatu difficillimam, facilè occupas, faciſque tui juris; quia etiam in caſtris, qui non flectuntur ferro animi, auro obediunt, pluſque virium in arcibus occupandis obtinet aurum, quàm ferrum. Quia plerumque in caſtris plus habet roboris principis munificentia ad victoriam re- 51
portandam, quàm bellica ipſa fortitudo.

Chriſtiani autem hanc virtutum liberalitatis in pauperes debent exercere, quæ enim ijſdem impertiuntur pecuniæ, ſemina imitantur, quæ excultæ telluris concredita ſinui incrementa ſubeunt, & cum fœnore colonis reſtituuntur: divitiæ ſi in ſinu pauperum ſpargantur, perinde ac ſemina multiplicatum parturiunt fœnus, fructus uberrimos daturæ in cœlo, ubi nulla eos grando concutiet, nulla conteret procella. Quas enim vir munificus divitias pauperibus impertitur ijſdem regnum cœlorum ſibi emit, ut nos docet Chriſtus Luc. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula:* quæ verba expendens S. Chryſoſtomus homil. 67. ad popul. ait: *Si ad pauperem manus extenderis, manu ipſum cœli verticem tetigeris, qui enim illic ſedet, eleemoſynam ſuſcipit:* quam tamen nobis reſtituit cum multiplicato fœnoris incremento. Quod enim DEUS à nobis accipit; idem nobis aucto ſemper reſtituit proventu: & ideo à nobis petit; ut ſua nobis beneficia impertiatur; petijt à muliere Samaritana Chriſtus hauſtum aquæ frigidæ, ut eam inflammaret ad exercitia virtutum, ſuiſque cumularet donis, quibus reſcipiſceret Jan. 4. 7. *Da mihi bibere*, quia divini flammam amoris voluit mulieri dare, quâ accenderetur ad ſtudia caſtitatis, ad culturam virtutis, frigidam ipſe petit; adeo munificus fuit; ut cum daret, cenſeret ſe accipere. Fons vitæ juxta fontem ſedens bibere cupit non proprios, ſed mulieris æſtus extincturus; non enim bibere voluit, ſed potum dare impertiturus mulieri aquam immortalitatis; petit ipſe aquam è puteo hauſtam mortalitatis: ſitiebat enim ſalutem mortalium; non ut biberet, ſed potum daret. Idque proprium divinæ munificentiæ, reputare accipere, quod nobis donat. Cum nullius ſi DEUS indigus, noſtra non accipit, niſi ut ſua nobis munifica donet largitate. Idque nos edocuit DEUS. cum Abrahamo præcepit tollere filium, quem è Sara jam ætate provecta ſuſceperat unicum, qui propterea, gaudium erat unicum matris, & Patris Abrahami delicium; & illum proprijs immolare manibus, Numinique in victimam offerre, Geneſ. 16. *Da mihi filium tuum* non filium Abrahæ accipere voluit; neque Iſaacum immolari; ſed ipſe æternus Pater unigenitum filium ſuum nobis dare intendebat, qui ſua morte nobis vitam impertiret, petijt unigenitum Abrahæ, ut ſuum mundo elargiretur unigenitum filium, petijt ſibi immolari de-

Iſaacum, ut Chriſtum pro nobis morti extradere. Perinde Chriſtus hauſtum frigidæ à muliere petijt Samaritana, non ut biberet ipſe, ſed ut potum extraderet mulieri, huc acerſendus S. Chryſoſtomus *Tom 6. orat. in Samarit.* inquiens: *JEſus veniens ad cor hominis reſidet ſuper fontem, cum bona naturalia movet petens à nobis, ut nos petamus eum.*

52 Munere fungitur boni, verique Paſtoris, qui non ſolum in diſcrimina ſe inijcit vitæ, verùm & animam ſuam dat pro ovibus ſuis, quas indemnes ſervet, ad paſcua ducat, laurè nutriat, & in caula tutè cuſtodiat, Joann. 10. 11. *Bonus Paſtor dat animam ſuam pro ovibus ſuis:* tametſi ab ovibus non paſcatur, nec quidquam receptum narret ab ovibus à ſe paſcendis, ſufficit tamen ipſi, ſi oves paſcat, ſi à lupis earum cædi inhiantibus tueatur, eáſque benefico aſpectu intueatur, quia divina liberalitas noſtris non indiga reculis gaudet, ſi ſua nobis beneficia impertiatur, nóſque tueatur, ne quidquam detrimenti ſimus paſſuri, & ſi deflexerimus à recto tramite, ad eundem nos perducit: hinc David, quia ab hac deflexit rectitudine, cùm Solarium domûs regiæ perambulavit, & è fonte Betſabeæ laſcivientis concupiſcentiæ flammas hauſit, quibus caſtitas cinefacta perijt, & in fonte naufragavit; quas tamen flammas Venus enacta ubi fuerat in aquis nata, nonniſi lacrymas ſuperſtites Davidi reliquit, quibus contractas in fonte maculas abſtergeret: tunc quia peccavit: ovem ſe novit David, ſed per devia errantem; quapropter dixit Pſal. 118. v. 176. *Erravi ſicut ovis quæ perijt*, & quia à ſedulo Paſtore hæc ovis quæſita ad caulam fuit deducta neque ſufficientes poſſet pro ſuſcepto beneficio rependere grates ait Pſal. 115. 12. *Quid retribuam domino, calicem ſalutaris accipiam:* quæſivit quid Domino retribueret, nec quidquam aliud invenit niſi calicem, quem plenum lachrymis ebiberet, & contractas maculas adulterii, & homicidij abſtergeret: lacrymas ebibit David, quia divina gratia eaſdem ſuppeditavit, & ab oculis elicuit: propterea DEUS, eas dedit, ut reſipiſceret, & maculas abſtergeret; adeo eſt munificus DEUS, ut nil accipiens à creaturis pro beneficijs ijſdem impertitis, novis ſemper gaudeat eaſdem cumulare. Et hoc eſt diſcrimen inter Mercenarium, & Paſtorem ait D. Gregorius, quia Mercenarius accipere ab ovibus ſemper alia lucra deſiderat: Paſtor verò nil adeo curat, quàm ovibus dare, earúmque commodis conſulere.

53 Imò non ſolùm ſinit per fuſas noſtras preces ſe flectere in vota petentium, ſed plura uberiora, ac meliora ſemper dat, quàm ab ipſo petamus. Petierat Salomon à DEO ſapientiam, & addidit divina munificentia etiam divitias, quibus voluit affluere, & gloriam, qua ſupra cæteros emineret. Hinc Sponſa, ut Sponſum enancilceretur perijt ab ipſo tantùm oſculari, *oſculetur me oſculo oris ſui* Cant. 1. quia noverat DEI munificentiam non permittere ſe ullo coarctari limite, ſed uberiora ſemper ſuppeditare, quamvis ſolùm oſculum petierit, totum Verbum divinum Virgo Mater, quæ nomine ſponſæ petijt oſculari, in ſuo utero accepit, pulchrè S. Ambroſius lib. de Iſaac. & anima, cap. 3. *Illa oſculari popoſcit, & DEUS Verbum ſe ei totum infudit.* 54

Quia detrectavit Ezechias conſueti tributi ſtipendia Sennacheribo ſolvere, hic ex diverſis populorum nationibus exercitum compoſuit, quem in terram Chananitidem duxit, urbes plures occupavit, oppida diripuit, & fermè totam vaſtavit Provinciam, ejus faſtum cum victoriæ inflâſſent, miſit de ducibus Legatos Jeroſolymam cum militari manu, qui deditionem urbis ſuaderent, & præ cæteris Rabſaces excidium urbi, & Ezechiæ minatur, qui propterea DEO per preces & hoſtias placando intentus, petijt à DEO, ne hoſtis urbem ingrederetur, nec ejus arma ullum civibus damnum inferrent; tunc Iſaias Propheta Numinis Interpres urbis promiſit ſecuritatem, civiúmque indemnitatem Iſaiæ 37. 33. *Non intrabit civitatem hanc, & non jaciet ibi ſagittam.* Solam petijt Ezechias urbis indemnitatem, & DEUS non tantùm petitis annuit, ſed beneficia uberiora incrementat, hoſtéſque proſternit, interimit, extinguit, cúmque Aſſyrij Hieroſolymam obſidione vallâſſent, ac tota die vino, & epulis indulſiſſent & nocte ſomno jacerent ſopiti, miſſus à DEO fuit Angelus diſtricto armatus gladio, qui Barbarorum univerſum circa Jeroſolymam delevit exercitum ad centum octaginta quinque millia 4. Reg. 19. 35. *Venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta millia:* non ſolùm Aſſyrij non fuerunt Jeroſolymam ingreſſi, ut petierat per fuſas preces Ezechias, verùm etiam DEI munificentia ad omnem excutiendum timorem, & ad totam civium ſecuritatem exercitum delevit Aſſyriorum, quia DEUS ſemper plura dat, quàm ab ipſo petamus.

55 Quòd ſi Pater familias voluit in Evangelio rationem ponere cum ſervis ſuis Matth. 18. 23. *Voluit rationem ponere cum ſervis ſuis.* nomine Patrisfamilias DEUS intelligitur, cujus ſervi nos ſumus, non quod noſtro indigeat miniſterio, ſed quia nos ejus indigemus munificentia, à qua bona ſingula in nos derivantur, & ſine qua ſubſiſtere non valemus. Debebat autem unus ex conſervis decem millia talenta Matth. 18. 24. *Debebat ei decem millia talenta*, & cùm non eſſet ſolvendo ob exceſſum debiti enixim rogavit, pro aliqua remiſſione, debitíque diminutione, & tunc pietate commotus, ubera oſtenſurus miſericordiæ, & exercitia proditurus liberalitatis totum remiſit, debitúmque delevit, è cujus vinculo ſervum ſolvit Matth. 18. v. 27. *Miſertus autem Dominus ſervi, illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.* Divina munificentia plura ſemper nobis tribuit, quàm ab eo petamus. Decem millium talentorum debitores ſumus, cùm toties per patrata delicta, illatáſque injurias ejus offenderimus bonitatem; & cùm non ſimus ſolvendo, neque ex noſtris poſſimus quid

quam

quam retribuere munificentiſſimus DEUS ſuam nobis impertitur gratiam, qua noſtra extinguit debita Luc. 5. 20. *Remittuntur tibi peccata tua*, cùm ſit Chriſtus munificentiſſimus; plus elargitur, quàm nos ab ipſo petamus: petierat Paraliticus ſanitatem corporis, & Chriſti munificentia ei etiam addidit ſanitatem animæ, quam vult præcedere illam corporis, ſimúlque nos edocuit ea à DEO expoſcere beneficia, quæ ad animæ ſalutem conferunt. Non pro peccatis remittendis, ſed pro ſanitate corporis Paraliticus Chriſtum rogavit; qui ſuperbonus uberiora, & longè meliora exhibuit roganti, cui utrámque ſanitatem animæ, & corporis contulit; nimirum priùs ſanavit animam, quàm petitam contulerit corporis ſanitatem, priùs conſuluit animæ ſanctitati, & poſtea corporis ſanitati, quia DEI munificentia plura ſemper, & meliora dat, quàm nos ab ipſo petamus.

55 Adduxerant turbæ ad JESUM cæcum, quem rogârunt, ut vellet illum tangere Marci 8. 22. *Rogabant eum, ut illum tangeret.* ſed JESUS non ſolùm cæcum illum tetigit, ſed & tota manu prehenſum duxit eum ſecum extra oppidum Marci 23. *Et apprehenſa manu cæci eduxit eum extra vicum.* Non ſolùm digito adductum ad ſe cæcum tetigit, ſed tota manu eum apprehendit, ſecúmque duxit, quia plura ſemper divina munificentia nobis impertitur, & meliora, quàm nos ab ipſo petamus. Huc accerſendus S. Chryſologus ſerm. 176. *Illi rogabant, ut tangeret eum; ſed Chriſtus, qui horrere neſcit pauperem, pauperem ſcit amare; totam dedit pauperi manum, & debilitati DEUS publicam præbuit ſervitutem.* Quidni? dicitur DEUS tribus digitis totum fulcire mundum, tribus digitis cœlos condidiſſe, & ampliâſſe, ſolem diurnam lampadem accendiſſe, lunam nocturnum ſolatium illuſtrâſſe, ſtellas per cœlorum tractus illuminâſſe, elementa creâſſe, & per mutua diſſidia eorundem, harmonicam terraquei globi tranquillitatem invexiſſe; piſcibus aquas impleviſſe, volucribus aërem, feris ſylvas, floribus, & herbis prata; & pomis, fructibúſque plantas ditâſſe: hæc omnia, & alia, quæ in mundi ſtructura, ac ſubſiſtentia divinam nobis ſapientiam manifeſtant, opera ſunt digitorum DEI; ſed indigentijs conſulere pauperis ejus miſerias excutere, ac inopiæ ſubvenire opus fuit non unjus tantùm, vel alterius digiti, ſed totius manus DEI: *Et apprehenſa manu cæci eduxit eum extra vicum.* Plus enim ſemper divina munificentia nobis dat, quàm ab ipſo petamus.

56 Petierat, qui in cruce reſipuerat bonus latro, ut Chriſtus ipſius meminiſſet Luc. 23. 42. *Memento mei, dum veneris in regnum tuum;* nil ampliùs petjit, niſi ut recordaretur illius, ſed Chriſtus plura, quàm petjerat ei daturus, non ſolùm memoriam ſpondet, ſed & paradiſum tribuit Luc. 23. 43. *Hodie mecum eris in paradiſum.* Quid? quòd tam citò latro furatus fuerit non paucos nummos, non unam, vel alteram civitatem, aut provinciam in terris, ſed regnum integrum in cœlis? quid? quòd tam citò latroni venia relaxatur, & tam ingenti prœmio donatur? quia nimirum apud munificum DEUM uberior ſemper eſt gratia quàm precatio, plus ſemper DEUS tribuit, quàm ab ipſo petatur, huc accerſendus D. Ambroſius in Lucam cap. 12. *Latro tantùm petjit ſui memoriam, & paradiſum accepit.*

Zacharias, & Eliſabeth opprobrium abſterſuri ſterilitatis divinam enixim rogarunt munificentiam, ut prolem aliquam eis daret, ſive hæc mas, ſive fœmella eſſet. Patiens tuit, ac perſeverans Eliſabeth, & DEUM in ſua vota flexit, concepit enim ex Zachariа, & probrum ſteriléſcentis uteri delevit Luc. 1. v. 57. *Eliſabeth autem impletum eſt tempus pariendi.* Et licèt ejus votis ſatisfeciſſet DEUS, ſi filiam eis conceſſiſſet, cùm tantùm cuperent conjuges probrum delere ſterilitatis, DEI munificentia plus quàm petjerint, eis conceſſit, quia filium iiſdem dedit, quo Luc. 1. 57. *Inter natos mulierum non ſurrexit major.* 57

Petjerat ultimo jam confectus ſenio Simeon Salvatorem in terris natum videre, & poſtea emori, ac dimitti in pace, & voti cumpos factus gratias egit, & dixit Luc. 2. *Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundùm verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Petijt tantùm videre, & plus accepit; quia non ſolùm oculis vidit, ſed & manibus contrectavit, & brachijs ſtrinxit, & pectore, ac corde portavit, & labijs oſculatus fuit: & quia petjerat in pace dimitti, non ſolùm dimiſſus fuerat, ſed & æternâ vitâ donatus, ac à morte liberatus Luc. 2 26. *Reſponſum acceperat non viſurum ſe mortem.* 58

Quòd ſi interſuit Chriſtus nuptijs in Cana Gallilææ, & deficiente vino cœperunt ſponſi erubeſcere; quò Virgo Mater eorum conſuleret indigentiæ, Filium JESUM rogavit, ut vini defectum suppleret, petjit Virgo tantùm ſuppleri defectum, ſed Chriſtus juſſit impleri hydrias aqua, quam cum guſtâſſet Architiclinus, expertus in vinum generoſum verſam; & non tantùm defectum vini ſupplevit pro nuptijs illis, ſed etiam ſex plenas hydrias vino reliquit in domo ſponſorum, ut per aliquot dies, palato indulgerent, & ſiti ſatisfacerent; quia DEI munificentia plura ſemper, & meliora nobis impertitur, quàm ab ipſo petamus. Non ſolùm per ſe, ſed etiam per ſuos Prophetas hanc exercet munificentiam, quâ ſuſcepta beneficia incrementat. Sitiebat ex ſuſcepto labore itineris Elias Propheta, & cum veniſſet in Sarephta, obviavit illi ad portam civitatis mulier vidua colligens ligna, quam vocavit, & petjit ab ipſa parùm aquæ, cujus hauſtu ſitis æſtus temperaret 3. Reg. cap. 17. v. 11. *Da mihi paululum aquæ in vaſe, ut bibam*, & cùm mulier ſua Prophetæ præſtitura obſequia iret, ut aquam adferret, clamavit tunc Propheta non ſolùm ſiti æſtuans, ſed etiam fame corroſus, & viribus deficiens, ut ei etiam cùm aqua buccel- 59

lam panis adferret v. 12. *Affer mihi, obſecro, & buccellam panis in manu tua.* Mulier tamen ſe excuſatam ab initio voluit, eò quia panis ei deeſſet, & modicum duntaxat farinæ ei ſupereſſet 3. Reg. 17. 12. *Quæ reſpondit, vivit Dominus DEUS tuus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho*, ſed cùm inſtetiſſet Propheta, & juſſiſſet, fœminam excutere timorem deficientiæ, ei ſuaſit petita concedere v. 13. *Fac de ipſa farina ſubcinericium panem parvulum, & affer ad me.* Obſecuta mulier Prophetæ juſſui, aquam attulit cum ſubcinericio pane: parum exhibuit mulier, ſed DEI munificentia multum ei retribuit; quia non ſolùm totam replevit farinâ vaſorum vacuitatem, ſed etiam oleum multiplicavit, ut oleum miſericordiæ nunquam deeſſet, & oleum pacis in domo viduæ abundaret verſ. 14. *Hæc autem dicit Dominus DEUS Iſraël: hydria farinæ tuæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur.*

60 Non finit DEI munificentia ſe vinci ab hominum liberalitate: accipit hauſtum aquæ frigidæ, & plenum gaudiorum fontem in cœlis impertitur: accipit à vidua duo minuta æta, & cœlorum regnum eidem donat: accipit à Zachæo dimidium propriæ ſubſtantiæ, & totam gloriam ei impertitur: accipit à Petro & Andrea detrita retia, ratémque parvulam, & ille Apoſtolico principatu inſignitur, hic per crucem, ut per ſcalam cœlos aſcendit Matth. 4. 22. *Illi autem ſtatim relictis retibus ſecuti ſunt eum.* Multum tamen Petrus, & Andreas dimiſit, cùm uterque etiam ipſa deſideria habendi reliquit, quia regnum DEI tantum valet, quantum quis habet: quòd ſi valuerit Zachæo dimidium ſubſtantiæ ſuæ; viduæ duobus tantùm minutis valuit, & alteri calice aquæ frigidæ. Eſt DEUS paucis contentus dummodo hæc è corde prodeant; & non ſola manus, ſed affectus ea dilargiatur, quapropter ajebat David Pſal. 75. 11. *Reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi;* quaſi diceret; non ſolùm cogitationes cordis, ejúſque affectus feſtum diem inſtituunt ad gratias DEO rependendas pro beneficijs munifica largitate nobis collatis; verùm etiam cogitationum reliquiæ; ſeu michæ; quæ ſuperſunt è prandio; quia non ceoſus, ſed ſenſus, & affectus eſt in pretio apud DEUM. Hinc Chriſtus Matth. 10. 31. ſuis ſuaſurus diſcipulis labores ſubire in ſua vinea, illos ad id allicit, eò quia DEUS pater ſit remuneraturus minima quæque: *Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.* Minima noſtra non contemnit DEUS, ut maximo compenſet præmio, capillos ipſos quos creavit, & minimas noſtras cogitationes, quas in ejus impendimus obſequium ſedulò enumerat, quibus ſua impertiatur præmia: ait Auguſtinus ſerm. 6. de verb. Dom. *Non eſt ei difficile capillos numerare, cui difficile non fuit creare.* Nec divina munificentia patitur à nobis, qui labores ſuſtinuimus, oneriſque portavimus præveniri in præmij petitione pro laboribus in ſua vinea, in militante eccleſia ſuſceptis; ſed ipſemet operarios vocat, quibus pactam mercedem impertiatur Matth. 20. 8. *Voca operarios, & redde illis mercedem*, non expectat, ut ad ipſum veniant; ſed illos prævenit, vocátque ad mercedem recipiendam; magiſque eſt ipſe ſollicitus de noſtra utilitate, quàm de ſua commoditate in ſolvenda operarijs mercede. Neque credas, exiguam eſſe mercedem, cum impendatur duplicata; Matt. 5. 3. *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum;* duplex deſignatur à Chriſto præmium pro virtutis exercitio, pro labore in ſua vinea impenſo: unum quod ſint Beati; & alterum, quòd obtineant regnum cœlorum: pro uno labore duplex præmium DEI munificentia nobis impertitur, quò efficaciùs alliciamur ad labores; & exercitia virtutum: ex quibus non ſuam, ſed noſtram promovet utilitatem.

61 Quòd ſi Magdalena ſanctiorem acquiſitura mentem unguentum pretioſum effudit ſuper caput Chriſti, quò bonus odor in ipſam redundaret Matth. 26. 6. *Cum JESUS eſſet in Bethania in domo Simonis Leproſi, acceſſit ad eum mulier, habens alabaſtrum unguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis;* hunc Pietatis, & amoris actum, voluit Chriſtus in Evangelio indelebiliter exaratum, & eodem opobalſamo nomen illitum voluit Magdalenæ, ut nulli ampliùs foret corruptioni obnoxium; ſed in memoriam beneficij Chriſto præſtiti floreret ſemper, ac oleret ſuaviùs. Voluit Chriſtus hoc pietatis obſequium, hanc mulieris unctionem celebrari ad publicam per totum orbem Magdalenæ laudem Matth. 26. 13. *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc evangelium, dicetur, quòd hæc mulier fecit in memoriam ejus.*

62 Quòd ſi diſcipuli die azimorum cœnam Magiſtro apparârunt, ut Paſcha celebraret, vires reficeret; pro ferculis temporalibus munificentiſſimus hoſpes excluſurus è mundo cibum, ijsdem diſtribuit divinum, quo ad vitam ſe reficerent æternam Matth. 26. 16. *Cœnantibus autem eis accepit JESUS panem, & benedixit, & fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait, accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum.*

63 Si mulier vidua, ac inops ſuum exhibitura ad altare munus duo duntaxat æra minuta offert, Divina liberalitas hoc exiguum pretium accipit, & integrum cæli regnum mulieri extradit Luc. 21. 2. *Vidit quandam pauperculam mittentem æra minuta duo.* S. Auguſtinus in Pſal. 147. *Viduæ ſufficerunt duo minuti nummi ad faciendam miſericordiam: ſufficerunt duo nummi ad emendum regnum DEI.* Ea eſt divinæ munificentiæ indoles, ut ſi nos exigua, & minima obtulerimus grandi ſemper, ac maxima liberalitate nos remuneret. Hinc S. Chryſologus ſerm. 25 expendens verba Chriſti Matth. 26. *Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis ait,* DEUM alloquens. *Chriſte? quo te pertrahit amor tuorum? ut avarum lucrifacias, facis eum,*

quod

quod deſiderat, non quod oportet audire. Sacculos imperas ; æternos theſauros, qui non deficiunt, vis parare : ut avarus dum conſueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut à virtute capiatur.

EXPENSIO XX.

Carpitur ſordidum avaritiæ vitium, ejúsque detegitur turpitudo, quæ declinetur.

1 LIberalitati duo opponuntur vitia, prodigalitas, & avaritia, illa per exceſſum, hæc per defectum ; & de qua hic agendum : eſt avaritia illiberalitas, ut eam vocat Ariſtoteles, eò quia ſit indigna homine libero, & ingenuo, & excedat inæſtimatione, & amore divitiarum, in quibus congerendis, vel retinendis nimium impendit ſtudium, vitæ diſcrimina ſubit, laboribus non parcit, dummodo per fas, & nefas eas coacervet, & opponitur avaritia liberalitati per defectum quatenus deficit in erogando, & alienis miſerijs levandis, quando recta ratio exigit ; éſtque propterea, quæ humi ſemper repit, cui mordicùs adhæreſcit inhians duntaxat terrenis, quibus diteſcat. Geneſ. 1. 24. *Tria exhibet Moyſes reptile, beſtias, & jumenta*, quæ tria omne, quod eſt in mundo, indicant : cum enim de terra oriantur, de amore terrenorum univerſa malitia oritur. Per reptile igitur ſignificantur avari humo ſemper adhærentes ; & ejus divitijs auro, & argento, quæ ſuo humus fovet in ſinu, & gemmis, ejúſque terrarum tractibus, campis, vineis, boníſque poſſidendis inhiant, hi enim dicuntur terram repere ; quia nonniſi terrena ſapiunt. Hinc Geneſ. 3. 14. Quia ſymbolum avaritiæ ſerpens ponitur, qui humi ſemper repit, terra ipſi in cibum, quo veſcatur, viréſque ſuas reficiat, deſtinatur v. 14. *Terram comedes.* Serpentis cibus terra eſt, quia avaro nonniſi terrena ſapiunt.

2 Quòd ſi eſt terra fœcunda parens plantarum ; avaritia plurium eſt genitrix vitiorum, adeo ut inter peccata recenſeatur capitalia, quæ ſunt veluti fontes malorum omnium : immodicus enim divitiarum amor ita excreſcit, ut plerumque homo propter divitias coacervandas parvi pendat divina præcepta, ſítque paratus ad ſcelera omnia patranda, dummodo eas ſibi poſſit acquirere, ídque cauſæ, cur Eccleſ. 10. dicatur. *Avaro nihil eſt ſceleſtius*, quia paratus eſt ad ſcelera omnia, ad leges divinas, & humanas conculcandas, ad ſanguinem innocentis fundendum, ad injurias alteri inferendas, ad alios interimendos ob divitias coacervandas : quapropter S. Gregorius *lib. 31. Moral. cap. 31.* ſeptem enumerat avaritiæ filias inquiens : *De avaritia Proditio, Fraus, Fallacia, perjuria, Inquietudo, Violentiæ, & contra miſericordiam obdurationes cordis oriuntur* : quia cum avaritia excedat in duobus, ſeu in retinendo, & acquirendo : quatenus excedit in retinendo, parit obdurationes cordis, & claudit viſcera ſua ad preces pauperum : in acquirendo trahit ſecum inquietudinem, ſupervacaneas curas, ſollicitudines in craſtinum, hæcque omnia quoad effectum, quia ut dicitur, *Eccleſ. 5. Avarus non implebitur pecunia.*

Cæterum quoad affectum, plerumque impellit, ut ab avaro vis proximo inferatur, quo aliena ſurripiat, & ipſe de eorum bonis diteſcat ; interdum utitur dolo, ut in contractibus, & tunc ſi dolus committatur ſimplici verbo, dicitur fallacia, ſi addatur juramentum, vocatur perjurium : ſi committatur in opere, vel id ſit circa rem aliquam, & dicitur fraus ; vel contra perſonam, & vocatur proditio : ex quibus liquet, filias avaritiæ oriri ex hoc vitio ſecundùm rationem cauſæ finalis : impellit enim avaritia ad hujuſmodi peccata ; non ſecus ac intentio ad electionem : patrantur ſiquidem prærecenſita mala ex inordinato affectu pecuniæ acquirendæ, vel acquiſitæ retinendæ ; in moralibus enim finis habet rationem principij, & modus, quo prærecenſita mala oriuntur ex avaritia eſt moralis. 3

Fratres Joſephi filij Jacobi Patriarchæ, quia hoc avaritiæ cœno ſorduerunt, ad tale ſcelus eos avaritia impulit, ut non erubuerint proprium ſanguinem, fratrem ſuum Joſephum propter pecunias acquirendas divendere Geneſ. 37. 28. *Iſmaelitis eum vendiderunt viginti argenteis, qui duxerunt eum in Ægyptum*, mox foventes eandem avaritiam polymitam veſtem, quam fratri detraxerant, cum eum ſpoliârunt, ſanguine hœdino tinxerunt, quam ad patrem miſerunt ſimulaturi fuiſſe fratrem à fera interemptum, ac in fruſta diſcerptum Geneſ. 37. 31. *Tulerunt autem tunicam ejus, & in ſanguinem hædi, quem occiderant, tinxerunt mittentes, qui ferrent ad patrem, & dicerent, hanc invenimus : vide, utrum tunica filij tui ſit, an non.* Adeò avaritiæ cœno inſorduerunt Joſephi fratres, ut ſanguinis non viderint neceſſitudinem, proprio non pepercerint fratri, & mendacia patri vendiderint, pretium divenditi fratris ſibi retinentes : huc accerſendus S. Chryſologus ſerm. 29. inquiens : *Sic avaritia ſiccavit mentes, ſic corda depreſſit, ſic quod in eis fuerat humani ſenſûs ferinam in rabiem commutavit, ut non offenſam DEI, non ſancti patris dolorem, non proprij ſanguinis ſenſum meminiſſe permiſerit.* Fera peſſima, quæ devoravit Joſepum, non fuit beſtia ſylvis innutrita ; ſed avaritia in fratrum cordibus ſtabulata. 4

Quòd ſi vitiorum alphabetum noſtris ſubjiciamus oculis, nulli dubium, quin avaritia eorundem ſit alpha, quia non ſolùm initium eſt aliorum vitiorum, ſed etiam quia ita immodicæ fluxis fortunæ bonis, terreníſque divitijs inhiat, ut nullum ſibi terminum præſcribat, quo effrœnem coërceat cupiditatem, & mala propterea ſibi parturit infinita. Neque credas ſibi parcere. Detinebantur detruſi in carcerem in Ægypto Pharaonis Pincerna, & Piſtor utrique nocte intempeſta, ſomnóque ſopito ſomnium objicitur proprijs congruens 5

otiis.

officijs, quæ geſſerant. Joſephus acceſſitur interpres. Somnium Pincernæ fuit vitis eidem objecta, cum tribus palmitibus, è quibus gemmæ jam eruperant, & inceperant auſpicatò paulatim frondeſcere, fructus emittere, qui florentes incrementa ſubjerunt, & ad maturitatem perducti à Pocillatore in calicem Pharaonis fuêre expreſſi, Regique exporrecti in dulciſſimi muſti hauſtum palato eblandiendo, ſitique extinguendæ peraptum. Somnium ita fuit Joſeph interpretatus, ut tres viteis propagines totidem dierum intervallum indicarent: quo elapſo Pincerna ſuo eſſet officio reſtituendus. Piſtor itidem ſuum expoſiturus ſomnium dixit, viſa à ſe fuiſſe tria caniſtra viminea capiti ſuo impoſita, in quorum medio, & imo panes inerant candidi confecti ex polline; in ſupremo varia ſervarentur fercula, cibóſque, qui arte piſtoria fiunt, quóſque advolantes depaſcerent volucres Geneſ. cap. 40. *Vidi ſomnium, quod tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum: & in uno caniſtro, quod erat excelſius portare me omnes cibos, qui fiunt arte piſtoria, aveſque comedere ex eo*: prænuntiavit tunc Joſeph omnia contra Piſtorum præfectum, & illa tria caniſtra indicare intra trium dierum intervallum eſſe patibulo ſuſpendendum, ac in eſcam corvis tradendum: neque vaticinium à vero deflexit, utrique obtigit, ut ijsdem fuerat Joſeph vaticinatus: qui ad regios ſtabat cyathos, priſtinæ gratiæ, regióque favori, unde exciderat, reſtitutus fuit, Piſtorum verò præfectus patibulo interemptus, & ſuſpenſus corvis extraditus. Si utriusque diſcriminis cauſam disquiras Pincernarum præfectus, quia liberalitati aſſueverat, quam virtutem die exercuit, nocte ſomniavit, & virtus priſtinæ eum reſtituit regis gratiæ. Piſtorum verò præfectus, quia avaritiâ ſordeſcebat, neque aſſueverat quidquam alijs dare, ſed bona ſibi coacervare, hocce vitium ſomniavit in tribus illis caniſtris ei in ſomno objectis pane oppletis, & obſonijs arte piſtoria confectis; quæ omnia congeſſerat, nec ſibi, nec alijs profutura, ſed tantùm volucribus. Cibos deferebat Piſtorum Magiſter, quos tamen ipſe non comedit, nec alteri comedendos obtulit, quod proprium eſt eorum, qui avaritiæ in cœno ſordeſcunt, & de quibus propterea ait Regius Vates Pſalm. 33. *Divites eguerunt, & eſurierunt.*

Sed ſi divitijs affluunt, quomodo egêre dicuntur? ſi rebus abundant, quomodo eſuriunt? quia avaro tam deeſt, quod habet, quàm quod non habet, etiam Magiſter Piſtorum caniſtra farinâ, & panibus oppleta ſecum deferebat, & tamen nec ipſe comedit, nec alijs ad comedendum exhibuit, & ita eſurivie miſer, ut vires deperdiderit, vitámque in patibulo, ſcitè D. Hieronyma epiſt. ad Paulin. *Nec ſibi ipſi avarus prodeſt: opes ſuas quaſi ſacrum aliquid veretur attingere. Fame potiùs peribit, quam cibos capiet.* Caput ſuum Piſtorum Magiſter oneraverat tribus caniſtris plurimo oppletis obſonio, cùm ipſe fame deficeret, & nec ſibi, nec alteri quidquam dedit ad comedendum: hinc avaro bona deſunt, cùm adſunt, divitijs caret, quas coacervavit, fame perit, dum penuaria eſculentis, & poculentis opplevit; quamvis bonis ipſe abundet, ſibi tamen ſemper eſt malus, quia avarus bonis, quæ poſſidet, non fruitur, ſed torquetur ob ſollicitudines in iiſdem cuſtodiendis, ſitque propterea potiùs cuſtos, quàm Dominus divitiarum, quibus ſordidè potiùs inſervit, quàm divitiæ eidem ſerviant, qui propterea quærens felicitatem in congerendis divitijs fit infelix earundem poſſeſſor, ac deſiderio fortunæ ſe ipſum infortunarum conſtituit: ſi congeſto affluit ipſe auro, alienum ferrum plerumque timet: putat, fures congeſtis ſuis inhiare divitijs, ac ſibi velle violentam inferre mortem, quia ubi multæ divitiæ, ibi ut ab alijs acquirantur, multæ tenduntur inſidiæ: quapropter avarus, neceſſe eſt, invigilet in cuſtodia divitiarum, quas congeſſit, fiatque propterea earundem cuſtos, & ſervus.

7 Hinc ſi Pincerna liberalitati aſſuetus manu cyathum tenuit, quem ſiccandum exhiberet Regi: Piſtor avaritiæ typus nil de cibis obtulit, quos in manu non habuit, ut alijs offerret, ſed capite caniſtra detulit, ut ipſe onere premeretur bonorum, quæ poſſidebat, & ciborum fieret tantùm bajulator miſerrimus, non Dominus munificus, qui ſibi, & alijs cibos diſtribueret ad vires reficiendas: & quia non comedit ipſe, nec alteri exhibet, divitiarum fit avarus viliſſimus ſervus, non Dominus. Premitur dives avarus unà cum Magiſtro Piſtorum capitis pondere, non tam caniſtrorum onere, quàm mentis cogitationibus, ſollicitudinibus, & curis: defert ſupra caput, quas congeſſit divitias, quia avarus ijsdem ſubjicitur, non eas ſibi ſubjicit; ambulátq; ſemper infra, & nunquam ſupra divitias, quæ ei ſuperſtant capiti. *Vidi per ſomnium, quòd tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum.*

8 Opes ab avaro congeſtæ eidem dominantur, non ipſe earum eſt Dominus, ſed infelix ſatelles, quem D. Chryſologus ſerm 21. vocat *auri cuſtodem, & argenti ſervatorem*, ſed non abs re avarum ſpongiæ pariaverim humoribus exſorbendis natæ, & quibus epotis dilatatur, neque ſinit, quos ſemel ebibit liquores in alios derivari, niſi adhibita vi ab aliena manu comprimatur: perinde avaritia ſordeſcens divitijs inhiat; ne fortè indigeat, & nihilominus ſemper indiget, quia ſemper ſervat; quòd ſi aliquid ſibi indulget obſonij, amiſſas deflet opes, D. Ambroſius introducit avarum querulum cum uxore rixante ſuas narrantem querelas, eò quia ſibi pro matutino hientaculo ovum obtulerit, ex quo poſſet oriri gallina, & ex hac plura alia produci ova, ex quibus poſſent plures aliæ gallinæ oriri, ac propterea ingemiſcens, ac deflens ſorbitionem ovi, dixit mulieri, heu me miſerum, & infelicem! quia plurimas gallinas in hoc unico ovo devorare adigor. Avarus quamvis multa poſſideat, plurima tamen adhuc deſiderat, & plus eum torquet unum

quo

quo caret, quàm multa, quæ habet, & qui ſitis æſtu nunquam extinguit, ſed per deſideria alia ſemper habendi fomentum ei ſuppeditat, neceſſe eſt perpetua torqueatur ſiti, Tantalo ſimilis, qui aquis immerſus, ſitim nunquam valuit extinguere, neque famem ſedare ex fructibus, ad os usque pendulis. In rerum copijs duplici ſemper avarus inopia torquetur, indiget enim divitijs ſuperfluis, quas experit, indiget & rebus neceſſarijs, quibus non utitur; non ſolùm alijs, ſed & ſibi abominabilis, imò ſibi magìs deteſtabilis, quia nulli magìs quàm ſibi eſt avarus, cùm vel ipſa neceſſaria ſibi ſubtrahat, ut ſuperflua congerat.

9 Quòd ſi ſordeſcit ipſe avaritiâ, nonniſi ægrè fert alios ſplendere liberalitate, quorum propterea carpit munificentiam. Avaritiâ inſorduit Judas Proditor, qui triginta argenteis ſuum vendidit Magiſtrum, cui nullum pretium erat, cum ab ipſo ſuum res omnes pretium traxerint: hic unguentum à Magdalena ſupra Chriſt. Domini caput munificè effundi videns, ægrè ferens illam profuſionem ex munificentia profectam ſtatim exclamavit Matth. 26. 8. *Ut quid perditio hæc, poterat enim illud venundari multò, & dari pauperibus.* Doluit pretio, quod potuiſſet avarus lucrari, & carpit fœminam, cui de liberalitate debuiſſet adgratulari; ægrè enim fert avarus, alios munificentiâ ſplendere, cùm ipſe avaritia ſordeſcat: huc accerſendus D. Gaudentius, qui expendens iniquam Judæ querelam ait: *Irreligioſus planè atque importunus, quia quod ad honorem Chriſti factum fuerat, non modo ſuperfluum computavit, verùm etiam ſermone improbiſſimo reprehendit.* Admixus fuit turpitudinem ſuæ avaritiæ pallio charitatis exercendæ in pauperes obtegere: cui tamen nulla inerat cura de pauperibus ſublevandis, qui pro triginta argenteis Magiſtrum Chriſtum venalem exhibuit Judæis inimicis: conceperat Proditor hoc impium facinus, quod ſola avaritia eum potuit edocuiſſe: ſacerdotes adivit exacturus pecunias, & daturus ijsdem in mercedem vendibilem DEUM. Dolebat Magdalenæ largitionem, quia oderat ejus liberalitatem.

10 Quòd ſi avarus ſuam nunquam ſitim extinguit deſiderandi divitiarum ſuperflua, neque ſuam explet famem. Dives ille evangelicus, cui gratus, & excultus ager centuplicata reſtituerat ſuſcepta ab ipſo ſemina, tota ejus ſollicitudo in tanta annonæ ubertate in meſſis copia fuit famem magìs acuere, quàm ſedare; de horreorum anguſtijs conqueſtus dixit Luc. 12. 17. *Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos.* In illa meſſium copia, & annonæ ubertate de fame ſedanda non cogitavit, ſed de horreis ampliandis; quærit ſollicitus, quomodo terræ fructus poſſet in horreis occludere, quos tutiùs ſervâſſet, ſi pauperibus aperuiſſet, ac ijsdem diſtribuiſſet, ut notat Baſil. Seleuc. inquiens in Luc. 2. *In promptu erat dicere: aperiam horrea mea, convocabo egenos,* ſed quia avaritia inſorduerat, *cogitat, non ut diſtribuat, ſed ut congreget,* tantùm de coacervatione fructuum eſt illi curæ, non de diſtributione annonæ, qua afflictæ inopiæ opituletur, pauperum famem propulſet, deficientium vires recreet; tametſi præ fame deficientes videret, non tamen de ſuperfluitate annonæ quidquam ijsdem exhibet, quo eorundem miſeriam ſuppleret: non cogitavit de panis fruſtulo mendicis erogando, neque de frumenti modico labenti familiæ ſuppeditando, ſed tantùm de horreis ampliandis, de annona coacervanda, & claudenda, quamvis nullibi tutiùs cuſtodiatur, quàm ſi pauperibus aperiatur, ac ijsdem diſtribuatur; quòd ſi in horreis clauſa detineatur, vel jacet otioſa, vel corrumpitur deſidioſa: in ſinu autem pauperum veluti in exculta tellure excreſcit fructuoſa, quod enim ſinus pauperis ſuſcipit, hoc veluti ſemen fovet, ut elargitori cum fœnore reſtituat: eſt ſinus pauperum fœcundus ager, quæ illi ſemina concreduntur, benignè fovet, ac multiplicata reſtituit.

Secus avari divitis domus licet multo auro, argentóque onuſta, alijs, & ſibi perinde, ac macra arena, vel jejuna glarea ſteriloſcit; ſcitè S. Joannes Chryſoſtomus homil. 4. in epiſt. ad Corinth. *Sicut terra, auri, & argenti ferax venas habens alijs in rebus ſterilis eſt, & inculta: ſic avari divitijs affluentes, & metalla in animo portantes nullum bonum fructum producere ſolent:* imò ſuperfluis inhiantes ſibi congeſta invident, quorum uſu deſtituuntur; ſimiles dixeris hebræis, qui deſiderio cumulandæ alimoniæ manna colligebant, plus quàm permiſſum eſſet; hi enim cum eſculenta crederent ad uberiorem lautitiem coacervare, nonniſi vermes, & putredinem deprehendebant ſe poſſidere, quæ neque ſibi, nec alijs potuit eſſe uſui: quod enim ex manna hebræorum avaritia ſupra permiſſam menſuram collegerat, illicò putreſcebat: quidni? avari ſuperfluis inhiantes plus ſordium, quàm ſolarij, & lucri referunt; non enim divitiæ ab ipſis congeſtæ quidquam ijsdem adferunt emolumenti, cum ab officijs pietatis eos arceant, idque cauſæ, cur DEUS Levit. 11. à ſacrificijs excluſerit milvos, accipitres, vultures, herodios, aliáſque aves rapaces, quia aſſuetæ rapinis ſymbolum expreſſerunt avari, cujus ſordidam turpitudinem DEUS ſemper odiſſe legimus: hinc Iſaias 33. *Væ qui prædaris:* ait S. Vincentius Ferrerius: *Cacodæmon, ſeu tartareus ſerpens, qui calcaneo noſtro inſidiatur; ſeu vitæ noſtræ extremo; dicet avaro: tu fuiſti avis de rapina; modò rapieris.* Avarum parem dixeris Abſoloni, niſi quòd iſti aurei crines, quos nutrierat, laqueum torſerunt; quo è præcelſa quercu penderet priùs, & mox caderet fructus ex arbore, ſi non ſuilli gregi paſcendo; corvis tamen volucrum nebulonibus nutriendis peraptus; & avaro congeſti aureorum acervi perniciem afferant: Abſalon tribus confoſſus lanceis è quercu cecidit; & avarus tribus inflictis vulneribus miſerè perit; in mente ſpoliatur divitijs, corpus datur vermibus, & anima dæmonibus.

12 Quin imò avarum mortuum dixerim, antequam moriatur; mortuus ſiquidem eſt coacervatis pecunijs, quas ſepultas tantùm cuſtodit; quòd ſi eas diſtribueret indigentibus, manus moveret, quarum motus vitam proderet; ſed avaritia eas motu deſtituit, & emortuas detinet; & una cum pecunijs videtur avarus etiam ſe ipſum ſepelire: quia avaritia inſorduit Judas, qui ob triginta argenteos Magiſtrum Chriſtum venalem effecit, & Judæis divendidit: ex pecunijs ipſis ſolutis Principes ſacerdotum agrum emerunt, ac deſtinârunt in ſepulturam peregrinorum: meritò ſepulturæ erant pecuniæ deſtinandæ, quas avaritia ſepelire conſueverat: æquè avari, ac ejus bona ad ſepulturam damnantur, quia ubi pecuniæ ad manus perveniunt avari ab eodem ſtatim ſepulturæ deſtinantur, ut emortuæ jaceant, & alijs non ampliùs proſint. Quidni? putreſcunt in ſepulchro in horreis clauſis frumenta; vermes, & tineæ veſtes abſumunt in armarijs, & avarus quamvis divitijs affluat ſemper pauper, & miſer eſt, & niſi alij ejus conſulant fami, ne proprium panem comedat, mavult fame torqueri.

13 Hoc vitio inſorduerunt Hebræi, cùm liberati ab Ægyptiaco famulitio in deſerto fame torquebantur, & cupiebant exſaturari obſonijs in Ægypto relictis Exodi 16. 3. *Utinam mortui eſſemus per manum Domini in terra Ægypti, quando ſedebamus ſuper olas carnium, & comedebamus.* Mirum tamen, quòd cùm Iſraelitæ ſecum ex Ægypto duxerint armenta, arietes, agnos, ædos, & boves, & carnibus ipſi abundaverint, adhuc cupiant carnibus veſci, quibus in Ægypto nutriebantur, ſiquidem Exod. 12. 38. narratur, aſcendiſſe, cùm populo libertate donato: *Oves, & armenta, & animantia multa nimis*: ſi ipſis non defuerunt armenta neque boves, neque agni, cur ad propulſandam famem ſuppetias expetunt è carnibus, quas in Ægypto comedebant? & non potiùs ipſi in deſerto boves, & agnos occiderunt, quibus facilè potuiſſent exſaturari, vires reficere, ac proprijs conſulere indigentijs? ſed cùm populus ille avaritiâ inſorduerit, non proprio pane, ſed alieno exſaturari cupiebat, ut proprium ſervaret, & alienum voraret; id proprium avaritiæ alienis ſemper bonis inhiare, & proprijs non uti; mavult potiùs fame torqueri avarus, quàm arietem de proprio grege, aut de armento bovem mactare.

14 Juvenis ille in Evangelio prodigus, qui cùm proprias ſuas obliguriviſſet ſubſtantias porcorum cuſtodiæ addictus fuerat, cupiebat implere ventrem de ſiliquis, & famem, qua torquebatur, cibo ſedare ſuilli Luc. 15. 16. *Cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, & nemo illi dabat.* Quæritur, cur ſiliquæ ei defuerint, cum ijsdem ſuillus grex, cui præfuit, abundaret; ſi ſiliquis ſaginabantur ſues, cur juvenis unà cum ſuo grege non epulabatur? an quia Dominus gregis illius ſuilli avaritiâ ſordidus facultatem famulo denegaverat veſcendi ſiliquis, quas impinguandis porcis, quos cariori pretiò divenderet, deſtinaverat? ita & avarus pluris facit ſuillum gregem, quàm hominem, ſi plures ille pecunias ei ſpondeat: ad animantia alenda ſola ſpe uſuræ munificus, ac liberalis eſt, qui ad pauperum propulſandam famem manus ſemper clauſas habet. ſed divitias, quas avarus coacervat, ſéque implet, adnititur perſæpe evomere, ait enim Job de avaro cap. 20. 15. *Divitias, quas congregat, evomet.* Quòd ſi per vomitum ingeſta fercula violenter projiciuntur, quæ condita latebant in ſtomacho, ita perſæpe ex reconditis avarorum theſauris violenter pecuniæ extrahontur, & adigitur avarus evomere, quæ per multum temporis non abſque labore, non ſine ſolicitudine congregaverat, cogente ad id Principe: quòd ſi in vomitu non tantùm ſuperflua; verùm etiam ſanitati utilia ex ſtomacho foras emittuntur, ita avarus, qui commodè potuiſſet de ſuperfluis alienæ conſulere indigentiæ, in pœnam ſordeſcentis avaritiæ non ſolùm ſuperfluis, ſed & neceſſarijs adigitur privari: éſtque ſimilitudo, quam exhibet Nicetas, inquiens: *Ut enim, qui aliquem noxium cibum ſumpſit, unà cum eo probos etiam evomit; ſic qui iniquè conquirendis opibus ſtudet, non ſolùm ipſas, ſed etiam, quas priùs juſtè poſſederat, plerumque amittit.*

Calamitatem ad ſe trahit, qui avaritiâ 15
ſordeſcere mavult, quàm ſuperflua indigentibus elargiri, éſtque acquirendi cæca cupiditas non ſolùm acquiſitionis diſpendium; verùm etiam avari exitium. Gedeon cum fractos, & fugientes hoſtes bellica conſtantia inſequeretur, militúmque vires præ fame deficientes reficere, ac inſtaurare per neceſſaria obſonia percuperet; nuntios miſit ad viros Socoth; ut vellent ipſis ſuppeditare obſonia; ſed viri Socoth, quia avaritiâ ſordeſcentes inurbanè petita denegârunt eſculenta Judic. cap. 8. v. 5. *Date obſecro panes populo, qui mecum eſt, quia valdè defecerunt, ut poſſimus perſequi Zebee, & Salmana Reges Madian, & reſponderunt Principes Socoth: forſitan palmæ manuum Zebee, & Salmana in manu tua ſunt.* Ne petita à Gedeone elargirentur eſculenta cauſam ineptam accerſiverunt, quàm fuco colorarent: ſed avaritiâ ad inopinam calamitatem eos pertraxit; ſeniores ſiquidem punivit varijs plagis, ac vulneribus inflictis ad ſanguinis usque effuſionem, ſpinis enim ac tribulis dilacerati adacti fuerunt proprium fundere ſanguinem, qui de ſuperfluis petita eſculenta alijs refundere detrectârunt, & alienis indigentijs conſulere Judic. cap. 8. 28. *Tulit ergo ſeniores civitatis, & ſpinas deſerti, ac tribulos, & contrivit cum eis, atque comminuit viros Socoth.* Quidni avarus, cum detrectat alienæ conſulere indigentiæ, famémque abigere per diſtributa obſonia ſpinas colligit, quibus ſeipſum pungit, quia expungere à ſe avaritiam neſcit, quæ propterea calamitatem avaro procudit: ubi textus larious ait: *Tulit ſeniores civitatis, & ſpinas, deſerti, ac tribulos*, Chaldæus Par

phraſtes,

phraſtes ait : *Nuda illorum corpora projecit in ſpinas, & calcavit ea pedibus ſuis* : qui ſecundùm ſanguinem, ſeu pecunias, & bona ſuperflua refundere detrectant ad levandas alienas miſerias, plerumque adiguntur primum effundere : viri Socoth, quia poſtulata à Gedeone eſculenta elargiri noluerunt, adacti ipſi fuerunt proprium dare ſanguinem, & avaritiæ experiri ſupplicia, & vulnera : ſpoliantur priùs veſtibus, & poſtea ſpinis, & tribulis excruciantur, & primum ſanguinem coguntur dare, qui ſecundum denegârunt : hinc aiebat Caſſiodorus 4. variar. v. 39. *Avaritiam radicem eſſe omnium malorum lectio divina teſtatur, quæ tali ſorte punita eſt.* Punitur avaritia nuditate, & bonis ſpoliatur, quæ alienis jugiter inhiabat ; & quæ ſuperflua detinebat, non ſine opprobrio, & dolore, non ſine vulneribus, & cruciatu adigitur alijs impertiri.

26 Symbolum avaritiæ exhibuit mulier illa in amphora, perinde ac in carcere, detruſa, ut nonnihil ſepulta viveret, & vivens ſepulchri experiretur ærumnas, Zachariæ 5. v. 6. & ſeq. *Hæc eſt amphora egrediens, & dixit : hæc eſt oculus eorum in univerſa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una ſedens in medio amphoræ, & dixit : hæc eſt impietas ; & projecit eam in medio amphoræ, & miſit maſſam plumbeam in os ejus.* Quid ? quòd ſedens projiciatur, & amphora veluti exercitus obſidione circumvallетur, ne inde exeat, ſed detineatur obſeſſa? An quia avaritia, quas congeſſit opes carceri addicit, condemnátque ſupplicio carceris, cujus fit avarus cuſtos, qui licèt videatur ſedere, & quieſcere, laborat nihilominus, & curis, ac ſollicitudinibus torquetur, ideóque à ſua dejicitur quiete, & in calamitates projicitur acerbas ? ſi enim quæras, quid amphora illa ſignificet, reſpondet D. Gregorius 14. *Moral. cap. 26.* per amphoram illam deſignari avaritiam, ait ipſe : *Avaritia quippe velut amphora eſt, quæ os cordis in ambitu appertum tenet :* Et addit, *maſſa plumbi in os mulieris mittitur, quia ſcilicet impietas avaritiæ peccati ſui pondere gravatur.* Ergo dum maſſa plumbea os occluditur amphoræ, mulier intus velut in carcere detruſa ſedet infelix, loci anguſtijs preſſa, & calamitate oppreſſa : quòd ſi maſſam plumbeam in ipſius ſedentis mulieris os injectam crederes, carnificinam in ipſam exercuiſſe putares : quia avarus, cùm divitias ebibit, ſe ipſum torquet, séque infeliciter aggravat, quo plura auri, & argenti pondera coacervat.

27 Quòd ſi ſcire cupis, quam mulier illa terræ regionem incolere deſideret, non alibi immorari petit, quàm in terra Sennaar, Zachariæ 5. v. 10. *Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me, quò iſtæ deferunt amphoram ? & dixit ad me, ut ædificetur ei domus in terra Sennaar, & ſtabiliatur, & ponatur ibi ſuper baſem ſuam,* ibi ineptè ſtabiliri voluit, ubi cùm moleſtiſſimus fuerit labor in ædificijs conſtruendis nullum ex impenſo labore fructum capere valuit : eſt ſiquidem terra Sennaar campus ille, in quo ſuperbientes gigantes temerario auſu turrim conſtruere, & erigere cœperunt, cujus faſtigium cœlum pertingeret, quod & violenta manu occuparent ; cùm tamen poſt plurimos impenſos labores, multóſque effuſos ſudores, quibus defatigati madueruntin turris ſtructura, non alium inde fructum laboris decerpſerint, niſi propriam, & linguarum confuſionem, quia tametſi avaritia plurimum laboret, ſe ipſum ſemper torquet. Huc accerſendus D. Gregorius *loc. cit.* ubi ſubdit : *Sennaar quippe ſunt, quæ eſt, in qua turris à ſuperbientibus ædificari cœpera, quæ linguarum facta diverſitate, deſtructa eſt, quæ ſcilicet turris Babylon dicta eſt, pro ipſa videlicet confuſione mentium, atque linguarum ; neque immeritò ibi avaritia amphora ponitur, ubi Babylon, id eſt, confuſio ædificatur : quia dum per avaritiam, & impietatem certum eſt omnia mala exurgere, rectè hæc ipſa avaritia, atque impietas in confuſione perhibentur habitare.* Non alium igitur fructum colligunt avari ex laboribus, quos in congregandis divitijs impendunt niſi propriam confuſionem, & propria ſupplicia : neque temperant æſtum deſiderij, quo majores ſemper opes concupiſcunt, ſed eò magis accendunt, ut diriùs torqueantur, quò uberiùs adaugent opum incrementa. Fit enim tunc avarus coacervati auri infelix cuſtos, qui ex aggregato auro, & argento nil extrahit, niſi pervigiles noctes, dies anxios, inquieta deſideria, adeò ut veluti in maris procella ſemper agitetur, & nunquam in portu quieſcat, ſemper torqueatur, & nunquam dolori medeatur, quia tortorem ſecum defert, in ipſo corde fovet, & nutrit, eſtque deſiderium plura ſemper, & plura habendi.

Quòd ſi divitijs affluens tibi videatur avarus curru trahi, & ſplendida vehi rheda, ſcias avaros curribus quidem ferri Pſalm. 19. v. 8. 18
Hi in curribus, hoc eſt avaritiâ ſordeſcentes in curribus quidem vehuntur, ſed inſeliciter ad tartara ad gehennam perducuntur : quod ſi quæras, quænam ſint rotæ, equi, & auriga currum, in quibus vehuntur avari, reſpondet D. Bonaventura expendens verba Davidis : Rotas eſſe quatuor ſcilicet inhumanitatem, puſillanimitatem, contemptum DEI, & mortis oblivionem. Equos tamen duos tantùm eſſe tenacitatem, & rapacitatem. Quòd ſi aurigam quæris, amor eſt pecuniarum, & plura ſemper habendi, quia avari, tametſi divitijs affluant, ſemper indigent, jugiter eſuriunt Pſal. 33. 11. *Divites eguerunt, & eſurierunt.* Hoc eſt avari, quamvis divitiis affluant, adhuc indigent, & fame torquentur : in textu hebræo non legitur divites, ſed *Leones*, vocat David avaros divitijs inhiantes, leones appertis faucibus alios aggredientes, quos devorent, quia avari aliena rapiunt.

Quòd ſi Leo circuit, quærens, quem devoret, avari hinc inde vagantur, David Pſal. 19
11. 9 *In circuitu impij ambulant*, hoc eſt, avari

ri in rerum temporalium cupiditate nunquam quieſcunt, ſemper circumeunt, jugiter laborant, noctes ducunt inſomnes, idque ut terræ quiſquilias, ut lutum, & muſcas captent, quos propterea David araneis comparat Pſal. 38. 12. *Tabeſcere feciſti ſicut araneam animam ejus*, pariat Propheta araneo avarum: quos non ſubit araneus labores in ſuo texendo rete? ſe ipſum exenterat, eviſcerátque materiam texturæ ſuppeditaturus, ſive corrumpatur ſtato tempore alvi natura, ut cenſuit Democritus; ſive ſit intus in hujus inſecti viſceribus quædam lanigera fertilitas à natura reti compingendo idonea, texere orditur, opus ſuum è meditullio, jactis priùs fundamentis per varia diducta ſtamina, è varijs oppoſitiſque parietis pendula partibus, quæ tam moderato ungue, támque ſubtiliter ducta net, ut oculos ipſos diffugiant. Circinato orbe ſubtegmina nectit, maculas paribus ſemper intervallis, niſi quòd plerumque juxta ſinus exigentiam creſcentibus ex anguſto dilatat, nodóque implicat indiſſolubili, ut faciliùs diducta diſrumpas fila, quàm eorundem diſſolvas nexus; miro artificio pedicas celat ſcutulato rete graſſantes, ſtamina per aëra trahens, videtur araneus, veluti funabulus per illa deſcendere, & reciproco meatu aſcendere, & volitare per aerem: juxta Heſiodum, ſuam ſibi etiam domunculam miro conſtruit artificio, quò muſcis, quibus inſidias nectit, ſe occultet, eſtque ædificium villoſum, architecturâ concameratum, ſejunctum è medio, in quo ſe araneus claudit volitantes expectaturus muſcas, quas ſuo aucupetur rete. Plures ſubit araneus labores, ſe ipſum exenterat, propria viſcera in nendis ſtaminibus torquet, die, noctúque excubias agit; ſed ad quid tanta molimina, tótque ſubire labores cum proprij corporis detrimento? propter muſcas, quas araneus aucupari admititur. Quàm bellè igitur araneo pariatur avarus, cujus anima perinde, ac aranei viſcera, abſumitur, curiſque, ac ſollicitudinibus torquetur, ut muſcas aucupetur, ſeu divitias, quæ vel Euro citiùs avolant; vel inopino Fato ijſdem deſtituitur Pſalm. 38. 12. *Tabeſcere feciſti, ſicut araneam animam ejus.* Tela araneæ inſtabilitatem rerum temporalium ſignificat, quæ ut muſcæ illicò avolant, nóſque deſerunt, vel ipſæ à nobis deſeruntur: quia ſicut araneus impenſo, & improbo labore ſe ipſum exenterat, denique in ſua texenda tela, quæ facilè ſolo ſcopæ tactu diſrumpitur; ita bona temporalia, quibus avari inhiant, labore improbo, plurimóque diſcrimine congeruntur, & repentino, vel præmaturo fato amittuntur: appoſitè Hugo Cardinalis expendens verba Pſalmi 38. ait: *Avarus araneo comparatur, qui pro muſcis laborat, ſeu pro temporalibus, quæ ut muſcæ citò avolant.* Et Divus Bonaventura Dominicæ ſexageſimæ ſermone 3. *Avari ſunt araneæ diaboli. ad modum enim aranearum, quando telam bonorum temporalium componunt exteriùs, ſe eviſcerant interiùs.*

20 Non araneo tantùm avarum pariavit Regius Vates, verùm etiam locuſtæ alienas ſegetes depaſcenti Pſalm. 108. 23. *Excuſſus ſum ſicut locuſtæ;* tametſi avarus plura coacervaverit bona, ingentes congeſſerit divitias, ſéque auro, argentóque impleverit; excutietur tamen, & inſtar locuſtæ evacuabitur; nilque ei ſupererit ex congeſtis divitijs. Ferunt locuſtæ capacitatem ventri totam ineſſe, eò quia ventrem habeat reliquo corpore laxiorem; cujus vacuitatem, matutino rore opplet, quo vires reficiat; ſed incaleſcente ſole adigitur totum epotum rorem evomere, totúmque ventrem evacuare. Eſt ros antelucanus, qui cum argento analogiam præſefert, diceréſque rorem fluxum argentum; & argentum fixum, durúmque rorem. Sitit avarus fixum rorem, quò propriam expleat vacuitatem, quamvis ſitim non extinguat, ſed acuat, augeátque; ſed incaleſcente divino ſole, ac juſtitiæ ſuæ radios demittente in avarum, hic perinde ac locuſta evacuabitur; æſtúque gehennali exuretur; & eſt, quod avaritia ſordeſcens invenit poſt quæſitas pecunias: quærunt alia vitia, quæ appetunt; concupiſcentia carnis, quem diligit ut ultimum finem, quærit in lectulo; ſuperbia vitæ, ac ambitio in honoribus, & dignitatibus; ſed avaritia, quæ dicitur concupiſcentia oculorum, eſtque divitiarum cupiditas in auro, argento, boniſque temporalibus; ſed tandem quod invenit, eſt gehenna; quia nonniſi terrena quæſivit, terræ tandem meditullium invenit, non in quo quieſceret; ſed à quo æternum torqueretur, idque innuit Jeremias, dum loquens de avaro terrenis tantùm inhiante dixi. Jerem. 22. 29. *Terra, terra, terra, audi ſermonem meum*, non ſatis fuit Prophetæ ſemel, & iterum dixiſſe, *terra audi*, ſed avaritiæ pulvere, cœnóque ſordeſcentem ter vocavit terram, nec immeritò; quia homo avarus terra eſt, quia ex terra plasmatus: & iterùm terra eſt, quia omnes ejus cogitationes nonniſi terram ſapiunt; omnia deſideria terrena ſunt; & ejus opera nonniſi circa terram verſantur; & tertiò, quia brevi iterùm in terram revertetur.

21 Si dicas, avarum ex congeſtis divitijs ædificiorum conſtruere molitiones, quæ cœlum potiùs ob altitudinem videntur inſcendere, non terræ centrum petere; & dignitatibus eminentioribus excupere inſigniri: non diffiteor avaritiâ ſordeſcentes ornari dignitatibus optare: ſed etiam aquila Ezechieli objecta plumis veſtiebatur, & alis, quibus in ſublime avolabat; ſed ubi plumæ ornabant, ungues alienas carnes dilaniabant Ezechielis 17. 3. *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu plena plumis, & varietate.* Septuaginta Interpretes pro *plena plumis* legunt *plena unguium.* Quid plumæ, cum unguibus? illæ aves veſtiunt, quas ungues ſpoliant; illæ præſertim, ſi variæ, ac diſcolores ſint, ornant; iſti dilacerant, & per fuſum cruorem de-

tur-

turpant; illæ in ſublime evehunt; & ungues terram petunt, eſcam quæſituri, quam aquila depaſcatur: ſed bene cum plumis ungues nectuntur; quia plumæ ſymbolum præſeferunt ſuperfluitatis; & ubi ſuperfluitas in ornatu, ædificijs, quæſitis dignitatibus, quibus avari in ſublime vehuntur, ibi etiam ungues typum exhibentes rapinarum; nunquam avaritia veſtitur plumis, quibus altum aſcendat, quin priùs ungues acuerit ad rapinas, & alienum ſanguinem, quem ſitivit, fuderit, ſibique propterea gehennam promeruerit: unde Jerem. 2. 34. loquens de proceribus avaris ait: *in alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum*; hoc eſt *in unguibus tuis*, quibus aliena rapuiſti.

22 In id avarus ſemper videtur ſtudij incumbere, ut ungues acuat, quibus aliena rapiat; & os aperiat, ut aliorum ſubſtantias deglutiat Habacuc. loquens de avaro ait c. 2. 5. *Dilatavit quaſi infernus animam ſuam*; paratur avarus à D. Bonaventura diæt. ſal. c. 6. de Avaritia, morti & inferno. quia nunquam ſatiatur illa occidendo, hic deglutiendo. Avarus ſemper aperit os, ut aliena devoret; eſtque uncinus ad ſe trahens plantarum ramos, quos ſuis ſpoliet fructibus, ait Amos propheta cap. 8. 1. *Ecce uncinus pomorum* Rupertus in ſenſu tropologico per uncinũ intelligit avaritiam; per ramos, & poma divites, ac eorumdem opes; quid pomo levius, ac minoris pretij? quamvis ejus dulcedo pueros alliciat & pictus purpurâ cortex extimus oculos demulceat; viris tamen cordatis non ita eblanditur, ut ſinant ſe ab ipſo demulceri; ac trahi ad quærendum uncinum, ramúmque arboris flectendum, quo pomo illo veſcantur; quia licèt pueris pomum arrideat, quibus & quisquiliæ placent, viris tamen ætate provectis non ſunt in pretio poma. Quid per poma ex arborum ramis pendula intelliguntur, quàm bona hujus mundi, quæ ſi extima ſuperficie alliciunt, & intima placent dulcedine, tamen quia pendula facilè cadunt, & putreſcunt; & bona hujus mundi quia fluxa illicò tranſeunt, deficiunt; & ſi quid videntur dulcedinis continere, fucata, ac larvata eſt, videtur quidem dulcedinem exhibere, ſed non niſi fellis amaritudinem dat degluriendam. Pueris propterea licèt ſint oblectamento poma, & ijs qui uncinis muniti arborum ramos ad ſe trahunt, quos ſuis ſpolient fructibus, ſeu avaris inhiantibus alienæ ſubſtantiæ: ſapientibus tamen quibus non niſi cæleſtia ſapiunt, poma hæc contemptibilia ſunt. Et quia primo homini arriſit pomum, illúdque deglutivit, ut ſaperet, deſipuit; quia dum exiguum pomum acquiſivit, totum amiſit paradiſum; unóque exiguo malo, mala omnia introduxit in mundum, quæ hæreditario jure transmiſit in poſteros.

23 Divitijs acervandis dum inhiant avari laqueum ſibi apparant, quo infeliciter pereunt. Qui ſapiunt non ſolùm in pomo noxiam qualitatem, ſed etiam in auro laqueum cavent, & compedes in divitijs ſcitè S. Ambroſius lib. 4. in Lucam ait: *Laqueus in pecunia, laqueus in Religione, laqueus in ſtudio caſtitatis.* & de Bono mortis cap. 5. *Laqueus in auro, viſcus in argento, nexus in prædio, clavus in amore. Dum aurum quærimus ſtrangulamur, dum argentum quærimus in viſco ejus hæremus dum prædium invadimus, alligamur.* Avaro noxiæ ſunt congeſtæ pecuniæ nullum ei cõmodum adferunt, nullam impertiunt utilitatem, quia illis non utitur; ſed eas ſepelit, condemnátque perpetuis tenebris, ſeque earumdem vigilem conſtituit cuſtodem, aliam inde non ſuſcepturus mercedem, quàm curas mordentes, ſolicitudines lancinantes, timores affligentes, & laqueos tandem ſtrangulanres, quia ut ait S. Baſilius ſer. 34. *Aurum eſt laqueus animarum.* Plures ad laqueum aures adigunt, qui auro inhianres aliena ſirripiunt; & ſuſpendio interempti, e patibulo penduli, laqueo torti coguntur pœnas dare, ad quas avaritia, ac deſiderium coacervandi divitias eos pertraxerat.

24 Hunc laqueum in cupiditate divitiarum invenit Judas, qui avaritia ſordidus, & auri amore poſſeſſus dum pecunias quæreret, laqueum adinvenit, quo avaritia ſtrangulatus miſerè perijt. Prodiderat nequiſſimus diſcipulus Magiſtrum Chriſtum, cui pacis oſculo lethale bellum indixerat; Eliſæum æmulatus os idens applicuit; hoc tamen diſcrimine, quòd ſi propheta demortuo puero ſpiraculũ vitæ inſpiravit; Judas exitiale mortis venenum in faciem vitæ evomuit: Eliſeus puerum mortuum vitæ reſtituit; ſed Judas Authorem vitæ morti extradidit; Eliſæus afflictæ matri deperditum filium repertum ſtitit, cujus incolumitas Viduæ lacrymas exſiccavit: ſed Judas filium unigenitum æterni Patris Judæis vendidit triginta argenteis, ut laqueum ſibi coëmeret ab avaritia ſtrangulandus: appoſitè Drogo Epiſcopus Oſtienſis *ſerm. 1. de Sacramento Dominicæ paſſionis*, ubi Judam carpens ait: *Ecce infelix qualiter excæcatus eſt. Maluit ſe ipſum perdere, quàm denarios perire. Denarios templo, ſe ipſum laqueo addixit. Amabat hæredes ſuos, qui eoſdem denarios exinde colligerent, qui etiam nunc reſervant in ſua Corbano. Projecit eos in templo, & abiens, laqueo ſe ſuſpendit. Jam diu erat quidem, quòd à Chriſto receſſerat &, avaritiæ laqueo ſe ſuſpenderat: ſed quod fecerat in occulto palam omnibus innotuit.*

25 Non ſolùm avaritiæ laqueus corpus ſtrangulat, ſed etiam mentem premit, & animam interimit, adeo enim eam ſtringit, ut non ſinat bona deſideria ad cor pervenire, ut cenſet Beda in *cap. 13. Matth.* inquiens: *Divitiæ ſtrangulant guttur, & mentem; nec ullum bonum deſiderium ſinunt in cor intrare;* adeo mentem premunt, & guttur ſtringunt laqueo avaritiæ, ut non ſinant probam ullam cogitationem è capite ad cor deſcendere, quo inde conijciamus, quanto ſpatij intervallo diſtet avarus à recto Salutis tramite, cùm proba deſideria, & utilia monita cordis illius ſinum penetrare nequeant. Neque putes divitias, quibus a-

varitia inhiat ſimplicem eſſe laqueum; quia ſunt opes, quæ ab avaro congeruntur laqueus diaboli; hoc enim laqueo tartareus auceps utitur, quò avaritiâ ſordeſcentes infeliciter aucupetur, & ſecum trahat in gehennam: id aſſeruit Apoſtolus 1. Timot. 6. *Qui volunt divites fieri, incidant in tentationem, & in laqueum Diaboli.* Quæ verba expendens S. Ambroſius orat. 14. in *Pſal.* 118. ait: *Adverte laqueum Diaboli eſſe divitias, quem tetendit etiam Servatori. Ac ne mediocrem hunc laqueum putes; hic laqueus Judam Apoſtolum ſtrangulavit.* Ea potitur hic laqueus fortitudine, ut etiam hominum fortiſſimum Chriſtum Dominum premere, ac ſtringere intentaverit, & Apoſtolum ipſum proditorem ſtrangulaverit, qui avaritia ſordidus vili pretio vendidit eum, à quo pretioſa quæque ſuum hauriunt valorem.

Joannes emblemate delineatum exhibet
32 Judam equo inſidentem nigro manu ſtateram tenentem Apocal. 6. v. 5. *Et ecce equus niger, & qui ſedebat ſuper illum habebat ſtateram in manu ſua.* Equus niger avaritia eſt, quia ſicut color albus præ cæteris fit conſpicuus, & apparet, oſtenditque res, quæ oculis objiciuntur; ita è converſo color niger utpote obſcurus res obtegit, quæ oculos fugiant; idque proprium avaritiæ, quæ acervatas pecunias, ne alijs pateant, abſcondit, ne viventibus proſint, Manium umbris tegit, & inſepelit. Seſſor hujus equi ſtateram manu tenens Judas eſt, avaritia ſordidus, mente obcæcatus, tenebris circumvolutus, ut non videret quanti eſſet ponderis ac pretij Magiſter, quem triginta argenteis Judæis divendidit: quod fuit magis ponderoſum, & infiniti valoris in ſtatera avari leve eſt, & in ejus oculis parum, vel nihil ponderat, cùm triginta argenteis, quem ſua ponderavit in ſtatera Magiſtrum venum Judæis dederit: plus ponderis ac pretij vidit in triginta argenteis, quàm in Chriſto; cum illos huic prætulerit; ita eſt avaritiæ pulvere non ſolùm ſordeſcit avarus, ſed etiam cæcutit, quaſi hujus ſordeſcentis vitij pulveres in oculos fuerint injecti avari.

24 Imò adeo craſsè cæcutit avarus, ut domum DEI, ſacrum templum non videat, eredátque ſpeluncam Matth. 21. v. 13. Cum vidiſſet Chriſtus templum ingreſſus avaros loco ſacro, poſtquam ejeciſſet vendentes, & ementes, & menſas Nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertiſſet, dixit: *Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Avaritia, & lucri cupiditas, nec loco parcit ſacro, quem ſpeluncam conſtituit latronum, quæ nonniſi rapinis direſcit, & furtis oppletur; JEſus enim vendentes in templo propter prædatorium avaritiæ vitium latrones vocat, quia quæ in templo debentur DEO mentis cogitationes voluntatis deſideria, avari negotiatores furantur, furripiúntque invito vero Domino, cuj propterea injuriam inferunt, & in ſpeluncam ſordidæ, & obſcuræ avaritiæ trahunt: Latrones erant, quia quæ ad ſacrificiorum uſum neceſſaria erant in turpis quæſtûs materiam avaritiâ cæci vertebant. Adeo premit avaritiæ laqueus quos ſtringit, ut non ſinat, neque in ipſo loco aſyli gaudere immunitate; cùm etiam in loco ſacro eos captivet, ac torqueat: ubique avaritia ſua extendit retia, nec ulli loco, quamvis ſacro parcit: ſunt enim hujusmodi retia divitiæ, quibus avari implicantur, ſúntque ait Hugo Carenſis in Prolog 91. retia Diaboli, ait ipſe: *Retia Diaboli ſunt fatuæ mulieres, & divitiæ.* 25

Hiſce avari irretiuntur, cùm terrenis inhiant; negotijsque implicantur quæſtûs causâ; nec mirum ſi mente ad ſublimia, & cœleſtia avolare nequeant, cùm retibus implicati detineantur in terris ubi avaritia ſordeſcentes pluris faciunt cœnum, quàm cœlum, illud toto deſiderio quærunt, & ut acquirant, labores ſubeunt, ſudores ſundunt, curas, & moleſtias ſuſtinent, cùm iſtud vix aſpiciant, & cogitent: & quò immobiliùs detineantur avari cœno immerſi etiam compedes, & vincula in divitijs deliteſcunt, ſiquidem opibus inhiantes, ne fugiant, & elabantur, avaritia aurea compede, argenteiſque vinculis detinet illigatos, quod innuit Nicetas Choniates in Manuele Comneno: ubi de Joanne Epiceno ait: *Sed divitias perpetuò vinculis inſolubilibus conſtrictas teneret, nec eas magis in publicum prodire pateretur, quàm Danaem Acriſius.*

Adeo vinciunt avaros divitiæ, ut non 26
ſinant eos manus movere, ac aperire ad opitulandum pauperibus. Juſſerat Chriſtus hominem manum extendere, quæ ob ægritudinem clauſa, & contracta erat Matth. 12. v. 13. *Tunc ait homini: Extende manum tuam, & extendit, & reſtituta eſt ſanitati.* Quidni? avaritiâ qui ſordeſcunt non tam æſtu, & cupiditate cumulandi pecunias ardent, quàm febris calore vitiato abſumuntur, & deficiunt langui di Luc. 4. 38. *Socrus tenebatur magnis febribus*, in typo huius mulieris ſocrus Simonis, & Andreæ varijs criminum febribus caro noſtra langueſcit, ac diverſarum cupiditatum immodicis æſtuat illecebris; & præſertim avaritia febris eſt, quæ non ſolùm corpus abſumit, ſed etiam, quod deterius animam interimit. *Febris noſtra* ait S. Ambroſius *avaritia eſt.* Quòd ſi febris ex inordinato, vitiatóque calore oriri dicitur, & cor interius premere, omnéſque corporis artus accendere, & abſumere: hoc idem efficit avaritia, dum animum inficit, accendit enim deſideria in divitias, ex quo æſtu abſumuntur cogitationes piæ, probi deſtruuntur affectus. 27

Quòd ſi hac febri æſtuant intus avari præcordia; in membris exterioribus, adeo friget avarus, ut potis non ſit manum aperire, & extendere in pauperum ſubſidium, Apocal. 16. v. 9. *Æſtuaverunt homines æſtu magno*, hoc eſt avari febri æſtuantes avaritiæ, totum intra calorem trahunt, & exterius adeo fringent, ut contractam manum præ frigore non valeant aperire in pauperum ſubſidia, in egenorum ſolatia, eſtque manus avari, de qua Chriſtus

Matth. 12. 10. dixit: *Ecce homo manum habens aridam*, adeo exaruerat, ut aperire non potuerit. Quòd ſi quæras, ex qua ægritudine aruerit manus hujus infirmi, reſpondet D. Thomas cum V. Beda in Matth. 12. Hunc hominem ex morbo avaritiæ manum habuiſſe aridam, quæ propterea ope humana cum curari non potuerit, opus fuit medicum accerſere divinum, ejúſque opem implorare; ab ipſo enim tantum potuit priſtinæ reſtitui ſanitati, Matth. 12. v. 13. *Tunc ait homini extende manum tuam, & extendit, & reſtituta eſt ſanitati ſicut altera.* Caveant tamen qui manus habent ſanitate purgatas, ne avaritiæ pulvere ac cœno eas coinquinent: ſæpe eas aperiant in pauperum ſubſidium, pulveres excutiant, ne avaritiæ ſordes contrahant: *Non ſit in eccleſia* ait S. Chryſol. ſerm. 32. de manu arida, *cujus manum areſaciat cupiditas, contrahat avaritia, debilitet rapina, tenacitas ægrotam conſtringat, ſed ſi acciderit id ipſum, audiat Dominum, & citò eam in opere pietatis extendat, relaxet, & in miſericordia, in eleemoſynis porrigat.*

28 Non ſolùm coinquinat avaritia, ſed etiam ligat avari manus, imò & areſacit, ne aperiantur in ſubſidia pauperum, in ſolatium indigentium; quia dum avari coacervatas claudunt divitias ſimul cum ciſtia manus etiam claudunt; cum ſacculos ligant, vincula ejus manus patiuntur; imò & ſeipſos totos avari vinciunt non alio vinculo, quàm cupiditatis, ut cenſet S. Chryſoſtomus *homil. 13. in epiſt. 1. ad Corinth*, inquiens: *Quando divitijs fuerimus alligati, quomodo vincemus adverſarios? ſunt enim manuum vincula his, qui uti neſciunt.* An non inſanæ eſt mentis, deſipitque, qui cum libertate gaudeat, vinciri velit? ſive enim aureæ ſint compedes, ſive ferreæ libertatem ſemper adimunt, quæ non bene deperditur pro pretio quovis aureo. Inhiantes divitijs libertatem auro divendere, ut iiſdem famulentur, ac iiſdem alligentur, edíſſerit S. Chryſoſtomus homil, 14. in Matth. inquiens; *Sicut cum aliquem videris in carcere vinctum, & cervice, manibus, pedibúſque ferratum, propterea illum maximè miſerearis: ſic etiam cùm videris divitem infinitis rebus circumdatum, noli illum propter illa vocare locupletem: ſunt enim vincula præter illa autem vincula habent cuſtodem carceris ſeveriorem, pravum ſcilicet amorem pecuniarum.*

29 Neque cenſeas avaritiæ vincula eſſe tantùm aurea, vel argentea, ſunt enim etiam lutea, & ex cœno compacta, quò magis erubeſcat avarus videns luteo vinculo ſe detineri. Quid enim ſunt poſſeſſiones, campi, vineæ, quibus avarus inhiat, & plurimos ſubit labores, ut eos poſſideat, culat, quàm lutea vincula? Quòd ſi moris fuit apud priſcos homines ut ſervi terræ culturæ deſtinati vincirentur, ne fugere facilè poſſent vinculis, ac compedibus conſtricti; putârim, avaros divitijs famulantes ſtrictiori vinculo detineri illigatos, ſi non corpore ſaltem animo, quia nimio deſiderio terrenos tractus poſſidendi, adeo iiſdem adhærent, ut ab ipſis ſejungi non valeant. Non modica eſt poſſeſſionum, ac vinculorum cohærentia, cum enim Geneſ. 47. 11. ev. us latinus habeat: *Dedit eis poſſeſſionem in Ægypto*, textus hebraicus legit: *Et apprehendit eos poſſeſſio: quòd ſcilicet*, ut explicat Pagninus in lexico, *qui eam habet, illo teneatur in loco.* Quidni avarus ita poſſeſſioni ſuæ animo, amore, & deſiderio illigatur, ut ab eadem vinciri, licèt luteo vinculo ſe ſinat, ac propterea ipſa poſſeſſio ſit, quæ poſſeſſorem poſſidet, ac veluti apprehenſum, ne diffugiat, vinctum tenet: & niſi hæc vincula avarus diſruperit, nunquam à jugo famulitij liber evadet; ut eum monet S. Auguſtinus *ſerm. 25. de Verb. Domini* inquiens: *Patrimonij tui, quo es ligatus, compedes in hac vita reſolve, abijce à te divitiarum onera, abijce vincula voluntaria.* Quamdiu ſinit homo hîce detineri, ac vinciri luteis vinculis ſurſum non aſcendit, ſed in imo terrarum detinetur agglutinatus; nunquam ad cœlum aſcendet, qui in terris vinciri ſe ſinit, ac detineri, quod innuit S. Nilus orat. de avaritia inquiens: *Avarus in cœlum conſcendere huic ſimilis eſt, qui pedibus ſuis vinculo conſtrictis currere conetur.* 30

Quod ſi divitiæ corpus non vinciunt, animam tamen irretiunt, quam pondera auri & argenti premunt, ne ſurſum tendat per proba deſideria, ſed terrenis ſemper inhæreat affectu in bona temporalia. Divitias avari mentem vincire, ac animum illigare, & terrenis adglutinare expertus fuit Matthæus ipſe, cum adhuc officio fungeretur Telonarij, ac publicanus eſſet, ait enim de ipſo S. Chryſolog. ſerm. 28. *Matthæum Publicanum divitiæ ſic cupiditatis publicabant Magiſtrum, fornace avaritiæ ſic coquebant, ſic alligabant vinculis cautionum, ſacculorum ponderibus ſic premebant, ut levari ad innocentiam, ad juſtitiam ſurgere, ad virtutem progredi non valeret.* Sicut enim hæc vincula ſive ex auro, argento, vel luto compacta libertatem adimunt, nec ſinunt a jugo ſervitutis ſurgere niſi diſrumpantur, ideo Matthæus ad juſtitiam ſurrexit, ſanctitatem inſcendit, & cœlum aſcendit, quia hæc vincula diſrupit. 31

Quos avaritia ſuo coinquinat pulvere, duplici Tartareus auceps ſibi laqueo vincire ſatagit, ne aufugiat, ne in ſublime, cælum verſus avolet; laqueo lethalis noxæ, & vinculo, nexúque divitiarum. Refert Tertullianus moris fuiſſe apud priſcas gentes, quô reos, nocentéſque non niſi aureis, vel auro illitis vinculis, catenisque, vel detruſi in carcere, vel ad ſupplicium perducti illigarentur, Tertullianus lib. de Habitu mulier. cap. 10. *Aurum ipſum, cujus vos gloria occupat, cuidam genti ad vincula ſervire referunt Gentilium litteræ.* Quatenus viri nequam, plurimorúmque Rei ſcelerum, quò ſupplicium experirentur in divitijs, quas fortaſſis furtim coacervaverant, ac ſurripuerant, & iis punirentur, in quibus deliquerant; fierentque inſtrumenta ſupplicij, quæ fuerant illicia peccandi, & eo apparerent locupletiores auro onuſti, quò nocentiores, ac ſceleratiores eſſent. Tertullianus lib de Habitu mulier. cap. 7. *Qui auro vinctos in ergaſtulo habent, & divi-*

tijs

tijs malæ onerant tanto locupletiores, quanto nocentiores.

32 Neque putes, avaros exteriùs tantùm auro illigari, divitijs premi, quia interiùs etiam in viſceribus gravantur incommodioribus. Chriſtus quamvis immunis à ſolutione cujusvis tributi, cum ipſi tributariæ famulentur creaturæ omnes; ne tamen à communi videretur ſe lege eximere, voluit & ipſe tributum ſolvere Cæſari; & quia pecunijs deſtitutus, quia ab opibus congerendis alienus, juſſit Petrum marinos adire fluctus, hamum in mare demittere, piſcémque inde extrahere, qui tributum Cæſari ſolvendum ei ſuppeditaret Matth. 17. 27. *Ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum; & eum piſcem, qui primus aſcenderit tolle, & aperto ore ejus invenies ſtaterem; eum ſumens, da eis pro me, & te.* Piſcem ſymbolum exhibuiſſe avari inhiantis divitijs; ex eo conijce, quòd ſtaterem deglutiverit ex vitiata cupiditate aliena rapiendi, cum nil emolumenti ab illo ſperare potuerit; imò & ſolùm detrimentum, quo intus gravaretur, cùm ei non ſuppeteret calor ſtateris digerendi; avarus enim non ſolùm exteriùs, imò & diriùs intus torquetur curis, & anxietatibus deglutitas divitias cuſtodiendi. Avarus enim perinde, ac piſcis in vaſto gurgite hujus fluctantis vitæ innatat, aurúmque potat, ac deglutit, divitias ebibit, quibus inhiat; idque proprium ſordeſcentis in avaritiæ cœno, undiſque lutoſis, divitias, quas ſitit ebibere: hinc Moyſes, quia Hebræi avaritiâ ſordeſcentes ex auro vitulum conflari voluerunt, cui ſua exhiberent obſequia, cùm proprium ſit avari aurum colere, divitias adorare, juſſit eundem vitulum in pulveres conteri, ac bibendum exhiberi Hebræis, eorum puniturus avaritiam, ac idololatriam debito ſupplicio caſtigaturus; quia inſorduerunt Hebræi avaritiâ, & aurum ſitiverunt, aurum etiam biberunt. Obſecuturus igitur Petrus Magiſtro Chriſto ad marinum litus cucurrit, hamum in mare demiſit, & ſtatim piſcem extraxit, qui ſtaterem, quem deglutiverat, in ore habuit. Huc vocandus Theophilactus in Matth. 17. 26. *Propter hoc quod ablatus eſt ſtater de ore ipſius aperto, dandus eis quorum proprius eſt ſtater, & exigunt numiſma quaſi ſuum.* Malè deglutivum à piſce ſtaterem cum dolore cogitur piſcis reſtituere, & aliena quæ rapuit nonniſi in proprium interitum ſibi uſurpavit.

Quòd ſi piſci avarum pariaveris, qui di-
33 vitijs perinde ac piſcis innatat undis à vero non permittet te ſejungi S. Nilus orat. 3. de avaritia, ubi ait: *Nunquam ſine fluctibus eſt mare, nec avarus ſine ira, & mærore:* dixerim ſine curis, moleſtijs, & ſolicitudinibus, quòd ſi mare, quamvis omnia ebibat flumina, non expletur tamen ejus ſitis, nec ſatiatur; ita neque avarus tametſi plures ebiberit divitias, plures deglutiverit ſtateres, plures ſorbuerit aureas, argenteáſque opes, non tamen inde expletur, neque in vaſto divitiarum gurgite ſuam extinguit ſitim; appoſitè S. Nilus loc. cit. *Nec multitudine fluminum mare, nec divitiarum copiâ avari animus expletur.* Putârim avarum Tantalea torqueri ſiti, quæ medijs in aquis ſedari non potuit, ſed ſitis æſtus eò crevêre majores, quò aquæ exundârunt uberiores: aurum ſitiunt avaritiâ inſordeſcentes, nec propriam valent ſitim extinguere, appoſitè Nicetas Choniates lib. 3. in Alexio: *Tantaleam ſitim perpeſſi enim fontem haberent, bibere non potuerunt, ſed crebrò haurire conati, aurum ex manibus amiſerunt.* 34

Quamvis avarus per congeſtas divitias ſitim, qua laborat, conetur explere, acriùs tamen ſemper torquetur, non ſecus ac hydrope laborantes, à quibus quò plus bibuntur, plus ſitiuntur aquæ, eſt enim avaritia æſtus adeo acer, ut nulla ſit auri, vel argenti aqua, quæ potis ſit eum extinguere, hinc Petrus Bleſſenſis epiſt. 12. *Quidam more Tantalico in aquis ſitiunt, dum inter opulentias inediâ ſe affligunt.* Quòd ſi piſcis ſtaterem habuit in ore; avarus nil aliud in ore videtur habere, quàm aurum, cum non audiatur loqui niſi de opibus coacervandis: an non eſt id cum piſce mari innatare? opum aquas ebibere, divitiarum ſymbolum ore cuſtodire, dentibus arripere, & ſtaterem, ſeu aurum, argentúmque in ore habere? ſed ſi piſcis cùm eſcam in hamo deglutivit, exitium ac interitum ſibi apparavit; perinde ac navis avarus divitiarum in mare demerſus in Scyllam impingit; & plerumque etiam in Charybdim; & ubi crediderat portûs gaudere malaciâ, & per congeſtas divitias felicitate frui, Scyllam incurrit, ubi naufragium patitur, vel vorticibus trahitur Charybdis, quibus ob voracitatem non tam à marino monſtro, quàm ab ingluvie avaritiæ deglutitur ad interitum: ſiquidem in pelago divitiarum avaritia Charybdis eſt, quæ ſuis vorticibus, quos tenet, devorat, quia ut ſcitè S. Hieronymus epiſt. 4. ad Ruſticum: *Ubi Charybdis, ſeu avaritia; ibi radix omnium malorum:* ſed ſi piſci obfuit, eſcam deglutiviſſe in marinis fluctibus: avaro eſt etiam noxium pecunijs inhiare, eáſque veluti eſcam deglutire: aquæ enim divitiarum plurimum officiunt ſaluti, ſi nimis avidè, & avarè congregentur, ut ſcitè notavit Guilihelmus Pepinus in cap. 1. Geneſ. Clauſul. 7. inquiens: *Aquæ in ſacra ſcriptura, quandoque ſignificant divitias terrenas, & temporales, quia fluunt, & currunt de uno in alium. De quibus in Pſal. 31. Verum tamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt:* ac ſi appertè diceret, aquæ bonorum temporalium, aquæ divitiarum, auri, argentíque ſi abundent plus humanæ ſaluti adferunt detrimenti, quàm utilitatis, plus homini ijſdem inhianti obſunt, quàm proſint, quia teſte Apoſtolo. 1. Timoth. 6. *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli:* in luto volvi, & non coinquinari perinde videtur, ac delabi in fluvium, & non madefieri: inhiant in luto avaritiæ ſordeſcentes, aquis, quæ ſub cœlo ſunt, non ut luti fœditates abſtergant, ſed quò profundius merguntur: laborant die, noctúque,

ut

ut aquas divitiarum congregent in locum unum, ſeu recludant in arcis ſuis, vel defoſſis in terræ cavitatibus inſepeliant, ne currant ad aliorum utilitatem, ne fluant in pauperum ſolatium, ſed otioſè vitium contrahant, quò ſuum corrumpant poſſeſſorem, qui propterea malè olet, quia avaritiâ ſordeſcit: ſuntque hujuſmodi avari vulpes, de quibus Chriſtus dixit Luc. 9. 58. *Vulpes foveam habent*: avari enim perinde ac vulpes foveas excavant, quibus coacervatas pecunias inſepeliant, ut veluti mortuæ jaceant, nulli adferentes utilitatem Clemens Alexandrinus lib. 4. ſtrom. ait expendens has vulpium foveas: *Eos qui in effodiendis, & in fodiendis divitijs verſantur, homines pravos, & planè terræ filios, ſeu avaros terrenis tantùm inhiantes bonis vulpes Chriſtus appellavit.*

35 Divitias inſtar aquæ vitium contrahere, & corrumpi ſi in manus pauperum non fluant, ſed in avarorum foveis detineantur immobiles exploratum ſatis eſt; imò non ſolùm corrumpuntur ipſæ aquæ vitium contrahentes ex carentia motûs, ſed etiam noxiæ ſunt ſuo poſſeſſori, qui nil ex ijſdem habet niſi pervigiles noctes, anxios dies, inquieta deſideria, timores lancinantes, curas mordentes, adeo ut ſemper fluctuet in ſuo divitiarum gurgite, perpetuo agitetur fluctuum motibus, & anxietatibus, & nunquam quieſcat in portu. Idque in ſupplicium propriæ avaritiæ cùm indignum ſit, avarum plura poſſidere, ac ſepulta, & veluti emortua cuſtodire, ex quibus poſſent plures vivere.

36 Eſt avarus pecuniæ potiùs cuſtos, quàm Dominus, & pervigil Draco, quàm homo quieſcens in ſomno. cenſuerunt priſci homines, Dracones theſauris cuſtodiendis deputatos, divitijsque conſervandis conſtitutos, ut meminit Cicero Philippica. 13. *An is non reddet, qui Domini patrimonium complexus, quaſi theſaurum Draco Pompei ſervus, Libertus Cæſaris agri Lucani poſſeſſiones occupavit?* Cælius Rhodiginus hoc idem adſtruit *lib. 3. lect. antiq. cap. 3.* ubi ait: *Pervulgatum eſt ædium, adytorum, oraculorum, nec non theſaurorum cuſtodiæ præfici dracones.* Quòd ſi quæratur, cur Draco cuſtos deputetur auri, reſpondet Philoſtratus lib. icon. *Collem hunc circumnavigabilem Draco habitat theſauri cujuſdam cuſtos, qui humo conditus hic jacet; hæc enim fera auro benevola; quidquid auri viderit amare ac fovere dicitur, itaque pellem apud Colchos & Heſperidum mala, quæ aurea viderentur duo inſomnes cuſtodiebant Dracones, ſibique ipſis vindicabant. Et Palladis Draco, qui adhuc arcem habitat Athenienſium populum auri cauſa mihi amare videtur, quod illi in cicadis, ut capiti ornamento eſſent, ei informabant.* Qui igitur auro inhiant, & divitijs acquirendis theſauris poſſidendis cupiditate ducuntur, neceſſe eſt plura ſubeant diſcrimina, & vigilem Draconem priùs ſapiant, quia ſine oſſa, abſque donario non ingreditur quis Magnatum domûs, nec Principum aulas pro acquirendis dignitatibus.

37 Idque fortaſſis cauſæ, cur Petrus palatium Pontificis ingredi non potuerit, & tantùm foris in atrio ſe detinuerit Joan. 18. 16. *Petrus autem ſtabat ad oſtium foris.* Et 17. *dicit ergo Petro ancilla oſtiaria.* Cenſet Hugo Cardinalis, hanc ancillam eſſe ipſam cupiditatem ſine cujus nutu nullus intrat oſtium Principis ſacerdotum. Hinc eſt, quod Iſaias dixerit cap. 59. v. 14. *Æquitas non potuit ingredi.* Quidni Petrus Chriſti Diſcipulus pauper cùm nil haberet, quod donaret, domum ingredi non potuit, & foris tantùm in atrio ſe detinuit, quia ubi cupiditas avaritiæ munera non accipit, ubi vigili draconi oſſa non exhibetur, quò ſopiatur; in diſcrimen ſe injicit. 38

Neque abs re dicitur avarus vices referre vigilis draconis à priſcis hominibus theſauris cuſtodiendis deſtinati; neque avarus, quid aliud eſt, quàm cuſtos divitiarum, quas congeſſit, nec alio eum donat nomine Petrus Chryſologus ſerm. 22. ubi loquens de avaro ait: *Auri cuſtos eſt. Servator argenti ſecuritatem non habet*, & adhæret S. Chryſoſtomo homil. 2. ad populum Antiochen. *Avarus*, inquit, *cuſtos eſt non Dominus pecuniarum; Servus non poſſeſſor.* Idque antea innuerat Seneca lib. 11. controvers. 1. *Quiſquis es avarus pecuniæ cuſtos immenſæ, dum multa quæſieris, poteris ne omnibus frui?* Cùm avarus pecunijs non utatur ſed emortuas ac ſepultas ſervet ſe illarum tantùm cuſtodem, non Dominum conſtituit, nec alia donatur ipſe mercede ob peractas vigiles excubias, ob adhibitam cuſtodiam, quàm curis, ſollicitudinibus, moleſtijs, ac timoribus, quibus die, noctúque miſerè torquetur; pares avaros dixeris Draconi, qui, ut eſt in fabulis, Heſperidum poma vigili cura cuſtodiebat, cum ijſdem ipſe non veſceretur: cuſtodiunt enim avari aurum, quo ipſi non utuntur. Divitias qui poſſidet, illisque non utitur, draconem imitatur, cujus officium æmulatur, cùm theſauris cuſtodiendis invigilet, quòd cùm obſervatu dignum exiſtimaret S. Baſilius homil. de legend. lib. Gentil. ait. *Ego non video, quid proſint illi divitiæ niſi fortè more draconum in fabulis jucunditatem aliquam adferat theſauris defoſſis invigilare:* hinc donatur explicatu, quod habetur *in lib. 4. Conſtitutionum Apoſtolicar. cap. 3.* ubi ad excutiendos omnes avaritiæ pulveres, & ad ſordidum hocce vitium eliminandum dicitur: *Qui habet pecunias, & cum alijs non communicat, imò neque utitur, locum ſerpentis ſortitus eſt, quem ajunt in theſauris cubare.*

Ut Chriſtianus ſe ab hac nota eximat, 39
nolit cuſtos eſſe, ſed profuſor divitiarum, ſinat eas non quieſcere, ſed fluere ad irrigandas alienas ariditates, ad extinguendos ſitientium æſtus, ad pauperum ſinus fœcundandos, ut inde aliquid hauriant ſolatij. De aquis divitiarum dixit Salomon Proverb. 5. v. 16 *In plateis aquas tuas divide*, vult Salomon aquas divitiarum eſſe dividendas, ut fluant per plateas ubi confluunt pauperes, in quos deriventur. Sed ſi jubet Salomon ut aquæ divitiarum dividantur, quomodo ſtatim ſubdit. *habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes tui*, qui alijs dividit, quod habet, non ſolus habet, ſed alteri e-

tiam communicat; quomodo ergo vult Salomon, ut ſolus eas habeat, ſi eas alijs dividit? quomodo prohibet, ne alieni ſint participes illarum, ſi ijſdem dividuntur? quia nimirum quæ alijs erogantur divitiæ in eorundem ſolatium, ad eorum miſerias levandas, lacrymaa ſiccandas verè poſſidentur; & quæ ampliùs non habet bona, quia pauperibus deſtribuit, tutiſſimè poſſidet, & hoc eſt, quod monet Salomon ut divitiarum aquas nemo ſibi Soli habeat, quia tunc eas poſſidet, cùm in aliorum ſolatia fluunt, cùm ad pauperum ſterilitatem rigandam derivantur; ita tamen ut inde qui ſinit aquas ſuas in alios fluere vanam gloriolam non ebibat, ut notavit B. Solonius Epiſcopus Viennenſis inquiens: *Si aquas in plateis dividere debemus, quomodo ergo eas ſoli habere poſſumus? aquas in plateis dividimus, quando alijs verba divina latè prædicamus, & tamen ſoli aquas habemus, quia de ipſa prædicatione humanas laudes non quærimus.* Quod Solonius de prædicatione aſſerit, poſſumus nos de aquis divitiarum adſtruere, quæ ſi in alios deriventur, à nobis tutiùs poſſidentur ſine timore, ne fures nobia clanculò eas ſurripiant. Divitiarum aquas tunc quis poſſidet, cùm eas pauperibua communicat, quod innuit Salomon loc. cit. *Deriventur fontes tui foras, in plateis aquas tuas divide, habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes tui.* Tunc damus nobis, cum levandæ alienæ miſeriæ causâ pauperibus erogamus; dandum eſt pauperi, ut demus nobis, quæ inopi diſtribuimus, nobis tribuimus ait enim S. Petrus Chryſolog. ſerm. 8. *Da pauperi, ut des tibi.* Tunc retinentur aquæ cùm effunduntur, tunc tutè poſſidentur, cum pauperibus donantur, tunc incrementum ſubeunt, cum decreſcunt, & foras derivantur in ſolatium pauperum, quorum ſinus veluti occata, & fœcunda tellus, quæ ſuſcipit eleemoſynæ ſemina aucto fœnore reſtituit.

Quòd ſi Salomon fontium aquis divitias
40 pariavit indigentibus erogandas; fontem iſtum put:um eſſe dixeris, è quo cùm plures hauriuntur aquæ ſalubriores ſemper fiunt, & latices pellucidiores, ut expendebat S. Baſil. homil. in illud Lucæ. *Deſtrnam horrea mea;* ubi ait: *Putei dum exhauriuntur, ſpecioſiores fiunt, dimiſſi verò ac quieti vitium contrahunt, & putent. Sic divitiæ quieſcentes, & repoſitæ inutiles ſunt, quæ verò moventur, ac tranſeunt utiles in commune ſunt, ac fructuoſæ.* Hoc idem indicat homil. 3. in divites avaros inquiens: *Qui dando divinæ gratiæ confidunt, puteos imitantur, qui continuò exhauſti minimè deficiunt, ſed duplo copioſiores evadunt.*

Quòd ſi avarus divitias, quibus affluit non
41 ſinit in pauperum ſolatia fluere; vel in proximi etiam commodum in alios derivari; eſt quidem cuſtos divitiarum, non tamen eas ſibi cuſtodit; ſed alijs, qui quos avarus effudit ſudores, quos exantlavit labores in divitijs aggerandis per multum temporis, intra paucos dies irritos facient, ebibéntque aquas omnes divitiarum; & ideo miſerrimus eſt avarus, qui divitijs non utitur, quas congeſſit, quia anxia ſollicitudine cuſtodit alijs, qui eas abliguriant. Ille probè ſibi opes cuſtodit, qui pro ut opus eſt eas expendit in propriam, vel alienam utilitatem; qui ſinit eas fluere ad rigandam alienam ſiccitatem. Alioquin improbus divitiarum cuſtos non fabularum Draconem, ſed è tartareo ſpecu cacodæmonem ad ſe trahit, ut aggeſtis incubet opibus. Cum avaris, eorúmque divitijs accumbere dœmonem cenſuit S. Joannes Chryſoſtomus homil. 18. in epiſt. 1. ad Corinth. ubi ait: *An non exiſtimatis cum avaris diabolum ſimul accumbere.* Neque accumbit ut famulus, ſed tanquam herus, & poſſeſſor; ut viſus eſt innuiſſe dives ille in evangelio, cuj exculti ab ipſo campi in gratitudinis teſſeram concredita ſibi ſemina multiplicato ultra ſpem fœnore reſtituerat; licèt ſolus eſſet: ajebat Luc. 12. 17. *Quid faciam? quia non habeo, quò congregem fructus meos:* ita loquitur ac ſi alius adeſſet, quem alloqueretur, eúmque conſuleret: quòd ſi quæras quiſnam fuerit ille, à quo videbatur conſilium petere; non putes, alium fuiſſe, quàm cacodæmonem menti incubantem avari, & quem propterea viſus eſt conſuluiſſe, ita cenſet S. Chryſologus ſerm. 104. ubi expendens verba avari *quid faciam?* ait: *interrogantis vox eſt. Et quem putas interrogabat iſte? erat in illo alter: quia ad ejus penetralia jam diabolus poſſeſſor inſederat, & qui intraverat in cor Judæ mentis ejus tenebat arcanum.* Quòd ſi cacodæmon avaro incubat, rectè avarus dæmoniaco comparatur Matth. 8. 16. Obtulerunt ei multos dæmonia habentes; ſed adhuc avarus dæmoniaco eſt deterior; quia hic verbo Chriſti abactis dæmonibus liberatur à ſpiritibus immundis, & Chriſtum ſequitur, cuj gratias rependit Matth. 8. 16. *Veſpere autem facto obtulerunt multos dæmonia habentes, & ejiciebat Spiritus verbo*, Avarus verò, ut Judas, qui pecunijs inhians triginta argenteis Chriſtum vendidit, Magiſtrum non audivit cum dixit *unus ex vobis me traditurus eſt*, ſitque propterea eligibilius cum mille aſſociari dæmoniacis, quàm uni adhærere avaritiæ morbo laboranti. Satiùs ſuilli gregi aggregatur avarus; quia ſus quandiu vivit nulli eſt utilis, cum nec vellera alijs communicet lanarum, ut oves; nec lac ſuppeditet, ut capræ, vaccæ; & tantùm poſt mortem aliquid incipit utilitatis alijs ſubminiſtrare, ſeu propriam ſaginam: perinde avarus nulli cum vivit eſt utilis, nec ſibi, nec alijs cum non utatur divitijs in proprium commodum, nec ſinat illas fluere in ſolatium aliorum; cum moritur tunc incipit alijs utilis eſſe, qui ejus adeunt hæreditatem, ejúſque fruuntur aggeſtis, ac relictis opibus; ſi tamen avarus, cum moritur, quas coacervavit pecunias relinquat, & non potiùs ipſe ab illis relinquatur. Sues cum primum manu apprehenditur ac detinetur altiori grunnitu, totoque niſu vociferatur, quia non habens lanam, neque lac, nec quid aliud boni quod alteri elargiatur, putat ſe detineri, ut interimatur. Avarus cum primum obviat alicuj petenti pecunias, vel quid aliud, timore perculſus, putat ab eo-

dem

dem ſibi mortem intentari, animámque ab ipſo petere, quam in pecunijs poſuerat.

42 S. Cyrillus ex Apologis l. 3. c. 2. daturus ſymbolum avari talpam animal cæcutiens, terreniſque ſoveis addictum producit: æquè terræ cœno ſordeſcit avarus, ac talpa; ille affectu; hæc effectu; ille anima, hæc corpore: æquè cæcutit avarus, ac talpa; ille licèt oculos habeat non videt, niſi terreſtria, ac cœnoſa, ad quæ tantum aperit, ac dirigit oculos, & defixos jugiter tenet; cæcutit verò ad cæleſtia, quæ nunquam videt, nunquam ad ipſa dirigit oculos, defigit intuitus; cæcutit prorſus avarus, cum terrena pluris faciat, quàm cæleſtia; fucata, & falſa mundi bona veris, ac æternis præferat; peritura in terris perennaturis in cœlo; corruptibilia nulli obnoxijs viciſſitudini. Si talpa cute tegitur obſcura; avarus loca quærit obſcura, quibus pecunias obtegat, vel inſepeliat. Si talpa probro notatur ignorantiæ; avarus eadem videtur ignorantia infici, cum pretium ignoret cæleſtium, quibus terrena præfert, pluſque impendit laboris, ac ſtudij in hiſce coacervandis, quàm in illis acquirendis, quorum poſſeſſionem negligit.

43 S. Gregorius Nyſſenus orat. 1. in verba Iſaiæ 65. 25. *Lupus & agnus paſcentur ſimul, Leo, & bos comedent paleas,* ſymbolum viri avari Lupum exhibet; quia hoc animal continua corroditur fame, rapaciſſimum eſt, ovili gregi inſidiatur, ut agnos rapiat, quibus veſcatur. Quidni? avarus nonniſi rapinis gaudet; continua fame & ſiti congerendi pecunias premitur; boniſque inhiat alienis; & lupina tortus fame nunquam ſatiatur. Inſorduit avaritia Eſauus, & quamvis dapibus abundaret, quæ ex venatu, & jure primogenituræ illi inerant adhuc eſurivit, petijtque à fratre partem ſui edulij quia ſatiari nunquam potuit Geneſ. 25. 30. *Da mihi de coctione hac rufa.* Inſorduit avaritia in domo Abrahæ Rachel, & quamvis lautiores illi non deeſſent epulæ, neque exquiſita fercula, quia tamen ſatiari non potuit, aliquam deſideravit portionem edulij Iſmaelis, quo veſceretur; vel quia avari bonis ſemper inhiant pauperum, quæ devorent; vel quia ipſis nunquam ſatis; dixerat Rachel ad Liam Geneſ. 30. 14. *Da mihi partem de mandragoris filij tui.* Inſorduit avaritia in Ægypto Pharao, & quamvis divitijs afflueret, auro argentóque clarus, regnóque potens, adhuc ſatiari non potuit, & Judæorum ſpolijs inhiavit Exod. 15. 9. *Dividam ſpolia implebitur anima mea.* Inſorduit avaritia Axa Neo-ſponſa, & quia ſatiari non potuit, licèt Pater terram auſtralem ei dediſſet in dotem, adhuc ſubtriſtis, ac mœrens deſideravit uberiorem terræ portionem, quia terrena ſitim avaritiæ non extinguunt, ſed acuunt Joſ. 15. 19. *Terram auſtralem, & arentem dediſti mihi, junge, & irriguam* Fontes petijt quorum laticibus terra rigaretur, non propria ſitis expleretur. Avaritiâ inſorduit Rex Achab reginæ Iezabellis maritus, & quamvis regium ærarium theſauris cuſtodiret oppletum; horti ad omnem exculti florulentam amœnitatem, illi non deeſſent, neque colles Baccho grati, vitibus coronati, racemis ornati, dulcique vindemia ſpumantes; neque longè, latéque diffuſæ planities, in quibus flava ceres caput incurvaret, annuerétque prædiviti meſſi; adhuc ſatiari non potuit; & vineam petijt Nabothi, cujus vindemia, dulcique muſto ſitis æſtus augeret, non minueret, quia avaritia hydrope laborans, eò magis ſemper ſitit, quò plus bibit 3. Reg. 21. 2. *Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum:* voluit priùs vineam vindemiare, & poſtea olera ex eadem extorquere: hæc tamen fuit cæcitas avaritiæ, Bacchi coronæ vilia præferre olera; & ubi penduli è vite matre racemi hauſtum ſpondebant generoſum; olerum expectare ruſticitatem. *Avarus non tam cupit utile poſſidere,* ait D. Ambroſius de Habuche cap. 3. *quàm alios à propria excludere poſſeſſione. major eſt ipſi cura de pauperum ſpolijs, quàm de proprijs emolumentis; injuriam ſibi illatam cenſet, ſi quid pauper habet, quod dignum poſſeſſione divitis judicetur.*

Non abs re avari ſanguiſugæ pariantur, 43
quia ſi iſtæ primum ſanguinem bibunt, quem ſitiunt, illi ſecundum exſugunt, quem appetunt proverb. 30. 15. *Sanguiſucæ duæ ſunt filiæ dicentes affer, affer.* V. Beda has duas filias avaritiam, & luxuriam interpretatur, quæ nunquam ſatiantur, illâ pecunijs, hæc carnis voluptatibus, concupiſcentiæ illecebris. Hydrope dixeris avarum laborare; vel hydropico parem Luc. 14. 2. *Et ecce homo quidam hydropicus,* quia quanto magis hydropicus aquas bibit, eò ardentiùs ſitit, cujus æſtum non temperat, ſed accendit: perinde avarus quò plures poſſidet divitias; eò majores ſemper appetit, ut ſuam nequeat famem ſaturare. Obſervat S. Gregorius lib. 14. Moral. c. 5. Redemptorem noſtrum ante Phariſæi domum hydropicum curâſſe, & cum diſceptationem contra avaritiam inſtituiſſet Luc. 16. 14. *Audiebant hæc omnia Phariſæi, qui erant avari, & deridebant eum:* quid? quod Cæleſtis Medicus in terris converſatus ante Phariſæi domum hydropicum priſtinæ reſtituit ſanitati? niſi quòd per alterius ægritudinem corporis, in altero exprimitur ægritudo animi? Hydropicus enim quò plus aquæ bibit, emittitque in ſtomachum, eo ſitit æſtuoſior. Et Avarus quò plures haurit divitiarum latices, eò uberiores ſemper appetit; ſitimque non extinguit, ſed accendit acriorem; quia ad alias ſemper acquirendas opes anhelat. Quòd ſi Chriſtus ante domum Phariſæi avari hydropicum curavit; id præſtitit non ſolo verbo, quo ejecit dæmones ab ænergumenis; non ſolo contactu veſtium quo fluxum ſanguinis coërcuit, & Hæmorrhoiſſam curavit; ſed totam manum adhibuit qua hydropicum apprehendit, ut Phariſæum edoceret, quantum requiratur laboris, & quàm difficulter morbus curetur avaritiæ, ſi incaluerit, ac per plures ætates fuerit innutritus; ne ſcilicet Phariſæus differret ad medicum accedere: huc accerſendus S. Auguſtinus, lib. de verb. Domini. *Alios cæleſtis medicus, verbo,*

veſtimenti attactu ſanavit ; hunc autem dexterâ apprehendit , ad ſignificandum , quàm difficilis curatu ſit hydrops avaritiæ. Lethalis eſt avaritiæ morbus ; niſi cæleſtis Medicus ſuam in ejus curatione manum adhibeat , curatu non videtur poſſibilis ; quia æſtus febrilis nunquam extinguitur. Idque fortaſſis cauſæ , cur filius à Patre ſejunctus , & ab hero, cui ſerviebat ſuillis gregis cuſtodiæ adhibitus cuperet ventrem implere de ſiliquis , quas ipſe ſuibus abundè ſuppeditabat Luc. 15. 16. *cupiebat implere ventrem de ſiliquis.* Si ſues ſiliquis ſatiabantur , cur ipſe cuſtos cupit tantùm ventrem implere? Reſpondet S. Ambroſius ; *quia avarus impleri poteſt divitijs, non ſatiari.*

45 Eſt igitur avaritia morbus curatu perdifficilis, & eò gravior, quò qui eo laborat minus ſentit morbi dolorem ; neque alio nomine S. Baſilius in homil. Lacizíæ habita avaritiam donat inquiens : *nunquam quieſcit avaritiæ morbus ;* cui adhærens S. Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 412. ait *inexplicabilis eſt hic morbus, & ænigmati ſimilis :* vocat avaritiam morbum ænigmati ſimilem ; quia ſicut ænigma eſt explicatu perarduum ; ita avaritiæ hydrops ſanatu perdifficilis , cum oportuerit , cæleſtem medicum totam adhibere manum ad ſanandum hydropicum ante fores domus Phariſæi, qui ſymbolum præſeferebat avari ; cum morbos alios, vel ſolo verbo , vel veſtium ſolo curaverit contactu. Quòd ſi lethali febri æſtuantibus vena inciditur, quò æſtus per effuſionem vitiati humoris minuatur , ac ſanitati priſtinæ reſtituantur : avaritiæ febri , qui inficiuntur , ſi non primum ſanguinē , ſecundum effundant; ſi non venam, ſacculos aperiant , & acervatas in ijſdem pecunias ſinant in pauperum ſolatium fluere ; hoc eſt pharmacum à cæleſti medico præſcriptum , & quidem præſentiſſimum eſt hoc alexipharmacum , ac curando avaritiæ morbo peridoneum Luc. 11. *Verumtamen quod ſupereſt date eleemoſynam , & ecce omnia munda ſunt vobis :* ſi avaritia eſt lepra, quæ corporis membra inficit : hæc aquis eleemoſynæ in pauperes derivatis mundatur : ſi avaritia hydropiſis eſt, congeſtas, epotáſque aquas tunc evacuat , & morboſum expellit humorem, cum pecuniæ pauperibus erogantur. Divites avaros hydropiſis laborare morbo evincebat S. Auguſtinus *de Verbis Domini ſerm.* 5. ubi ait : ſunt homines in morbo humore pleni , & humorem ſitiunt. *Quomodo ergo delectas opulentiam , qui habes hydropem concupiſcentiam.*

46 Eſt avaritia hydria mulieris Samaritanæ, ex qua bibentes ſitiunt adhuc, quia æſtus hujus morbi gehennalis eſt , nunquam extinguitur , nunquam ſatiatur. Congerere divitias avarus poteſt, nunquam tamen ſatiari , nunquam vitiatos æſtus, prava poſſidendi deſideria extinguere: parem dixeris inferno , qui licèt os ſuum dilatet non tamen impletur , ſed novos ſemper quærit hoſpites , novis jugiter inhiat lucris , nunquam contentus acquiſitis , ſemper cogitans de acquirendis : appoſitè S. Auguſtinus lib. de ſalutaribus documentis cap. 30. *Avarus inferno eſt ſimilis : infernus enim quantoſcunque devoraverit , nunquam dicit ſatis eſt : ſic & ſi omnes theſauri confluxerint in avarum , nunquam ſatiabitur,* quas avarus divitias ebibit ab hydris Samaritidis eas haurit, deglutiri poſſunt, non ſitim extinguere , cum dixerit Chriſtus mulieri ; *qui biberit ex hac aqua ſitiet adhuc.* Idque cauſæ cur S. Ambroſius lib. de viduis ; mulierem quamlibet , avaritiæ febri æſtuantem ; mittat ad medicum Chriſtum ; ut tangat ille manum, & alexipharmacum adhibeat curandæ infirmitati accommodatum : ait ipſe. *Et tu igitur , quæ varijs mundi æſtuas cupiditatibus , vel forma alicujus viri capta , vel pecunia ; roga Chriſtum , adhibe medicum , porrige ei dexteram tuam ; tangat interiora tua DEI manus , verbique cæleſtis gratia interiorum venas ſerutetur animorum.*

47 Non ſolùm optimus eſt Chriſtus medicus curandis morbis omnibus peridoneus , ſed etiam medicina, quam nobis exhibuit , cum pauper pro nobis effectus eſt : ipſa Chriſti paupertas efficax eſt alexipharmacum morbo avaritiæ curando ; hinc D. Auguſtinus lib. de Agone Chriſtiano cap. 11. *Quomodo avaritia ſanari poteſt, ſi paupertate filij DEI non ſanatur ?* ſi homines ante Chriſti adventum avaritiâ inſorduerunt , opibus inhiârunt, divitias congeſſerunt, bona temporalia conquiſiverunt , rebus perituris adhæſerunt, fortaſſis tolerabile id videri potuit : non ita poſt Chriſti adventum ; quando Chriſti paupertas efficax eſt pharmacum, quo avaritiæ morbum curemus : DEI filius noſtra in terris humanitate indutus ſua paupertate amorem damnavit divitiarum , quibus ſtudium prætulit paupertatis , ne nos ijſdem cor apponamus, *divitiæ ſi affluant nolite cor apponere :* hoc eſt ſi DEUS opes nobis conceſſerit, non eas affectu cordis veluti objecto repagulo detineamus; ſed ſinamus in ſolatium pauperum ; in levamen alienæ miſeriæ eas fluere : opportuna avaritiæ ſanandæ medicina opum eſt elargitio : ſi morbo laboranti vena inciditur , ut vitiatus humor foras fluat, & ægrotus priſtinæ reſtituatur ſanitati ; ita avaro divitijs affluenti aperienda eſt non vena , ſed arca, ut quas intus ſervaverat pecunias, otioſas , quæque abſque motu vitium contraxerant , quo non ipſæ , ſed poſſeſſor ipſarum inficiabatur; ſinat foras fluere : ſanatur enim dives ſi divitias in miſerorum ſolatia, in pauperum refrigerium ſinit fluere. Neque putes, ſolius avaritiæ eſſe eleemoſynam medicinam ; ſed etiam aliarum omnium ægritudinum , quibus avarus dives inſici conſueverat ; ut innuit S. Gaudentius in Præfat. ad ſuos tractat. inquiens : *Providenter fecit DEUS divitem , ut per opera miſericordiæ inveniret peccatorum ſuorum vulneribus medicinam.* Quòd ſi avarus divitijs affluens opibus ſtudeat coacervandis morbum non levat , ſed gravat. Vera diteſcendi ars eſt cumulatas pecunias pauperibus erogare ; quales tunc divitias ſibi aquirat, ediſſerit Petrus Ravennas in ſerm. inquiens ; *Manus pauperis eſt gazophilacium Chriſti, & quidquid pauper accipit , Chriſtus acceptat. Da*

ergo

ergo pauperi terram, ut accipias regnum: da micam ut accipias totum: da pauperi, ut des tibi: quia quidquid pauperi dederis tu habebis: quod pauperi, non dederis, habebit alter.

48 Qui divitias tantùm congregant, & non ſinunt eas in alienam fluere utilitatem; divitijs, quas poſſident, non dominantur, ſed ijſdem famulantur; quos propterea David viros vocat divitiarum, non heros, ſeu dominos Pſal. 75. 6. *Dormierunt ſomnum ſuum viri divitiarum*: vocat viros divitiarum, quia cum divitijs non utantur, eáſque habeant ac ſi non haberent, nullum exercentes in eaſdem Dominium, earumdem Domini non ſunt, ſed tantùm ſervi, & cuſtodes: quemadmodum in ſcripturis *viri DEI* vocantur; qui DEO fideliter inſerviunt; perinde David *viros divitiarum* vocavit avaros, quia per vigilem cuſtodiam illis fideliter inſerviunt, ut ſerventur indemnes, ne à manu furaci ſurripiantur. Famulantur avari divitijs non dominantur, cum ijſdem perpetua cuſtodia ſint mancipati. Et quamvis David aſſeræt, viros divitiarum dormire ſomnum ſuum; non tamen credas, vera in hoc ſomno frui quiete: Etenim eccleſ. 5. 11. *Dulcis eſt ſomnus operanti; ſive parum comedat, ſive multum; ſaturitas autem divitis non ſinit eum dormire*; divitiæ, quas dives congeſſit, curas, ſollicitudines, moleſtias, & timores ingerunt, & non ſinunt eum dormire.

49 Laboribus aſſuetus famulus tranquillè quieſcit in ſomno, cum herum divitijs affluentem non ſinat cura augendi lucri plena anxietatibus eum vel in ipſa quiete quieſcere ob ſollicitudines, quibus vexatur; ob timores, quibus turbatur. *Verumtamen fruſtra conturbatur* ait David *Pſal. 38. 7.* cum enim dixiſſet, nullam inveniri creaturam, quæ ſi commovetur, non iterum quieſcat: ſolum hominem ait ſemper commoveri veluti mare procellis percitum; quia ſemel captus cupiditate divitiarum, mentis ſerenitatem abigit, cordiſque tranquillitatem, & malaciam excludit, & decumanis luctibus agitatur. *ſed fruſtra conturbatur omnis homo vivens*; ait S. Chryſoſtomus in Pſal. 38. *Commoventur aquæ, & iterum ſedantur, movetur terra, & iterum confirmatur; venti impelluntur, & iterum quieſcunt; omnis fera tumultuatur, & ſatiata deſinit; flamma excitatur, & materia ſubjecta cum conſumpta fuerit, extinguitur. At homo cum ſemel pecuniæ cupiditate inflammatur, nunquam deſinit: cumque hoc accepit ad illud cupiditate rapitur; & cum illud aſſecutus eſt, ad aliud impellitur.*

50 Nunquam avaro aggeſtæ divitiæ ſufficiunt; nova ſemper cupiditate accenditur, donec extinguatur ipſe, & ſingula coacervata per impenſos labores, per adita pericula; & ſervata per curas affligentes, per timores lancinantes, per anxietates torquentes momentò temporis deperdat, ſéque cum ipſis, ut contigit Judæ proditori Matth. 25. 5. *Abiens laqueo ſe ſuſpendit* ubi S. Chryſoſtomus homil. 86. *Audite iſta, audite inquam avari, verſate animo, quod Judas paſſus fuit: nam & pecuniam amiſit, & ſcelus admiſit, & animam perdidit.*

51 Imò ex-tempore, quæ in tempore congregat avarus cogitur amittere Luc. 12. 20. *Hac nocte animam tuam repetent à te, quæ paraſti cujus erunt?* convenienter *hac nocte* ait S. Chryſologus ſerm. 104. *Quia fugiens miſericordiæ lucem, avaritiæ tenebris ſe mancipaverat.* Avarus nonniſi tenebras, & latibula quærit, quibus aggeſtas inſepeliat opes lucem odiſſe conſueverat tenebrarum amans: rectè avari anima nocte repoſcitur, aſſuetus tenebris nonniſi in tenebris detineri debuit; quòd ſi opes, ipſúmque auri ſplendorem tenebris inſepelivit; par erat ut & ipſe in tenebris extingueretur. Divitiæ tunc mortem afferunt cum occultantur, cum ſepeliuntur; aurum cum ab avaro conditur in ferrum avaritiæ metamorphoſi vertitur, cuditurque in gladium, qui poſſeſſorem ſuum interficit: quòd ſi epidemica lues non graſſatur niſi eum ſe prodit; ſi enſis vulnera non infligit niſi eductus è vagina, & foras refulget; ſi anguis non mordet niſi è caliginoſo ſuo ſpecu foras in lucem proſiliat; ſola avaritia tunc eſt noxia cum divitias condit, occluditque; quòd ſi avarus in tenebroſis latebris divitias condit, divinæ quaſi vindictæ ſenſu pulſentur, vices rependunt diviti avaro, quem in tenebris gehennæ ſepeliunt Luc 17. 22. *ſepultus eſt in inferno* dicitur *ſepultus* cum tamen dicantur damnati mitti in gehennam Matth. 13. 42. *Mittens eos in caminum ignis*, & Matth. 18. 9. *quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Aptè apud Lucam dicitur *ſepultus* quia de divite avaro loquebatur; quem auri pondera, divitiarum onera non tam deorſum premunt, quàm in profundioribus gehennæ tenebris ſepeliant.

52 Pluris avarus facit divitias, terræ excrementa, quàm ipſam divinitatem. Judas tametſi noverit Chriſti divinitatem ob tot miracula ab ipſo patrata, quæ humanis viribus fieri non poterant; quia tamen avaritiâ inſorduit, & pecunijs inhiavit, has Chriſto prætulit, acceſſit enim ad Principes Sacerdotum, ut pecunias acciperet Matth. 26. 15. *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam.* Pluris pecunias fecit cum triginta argenteis eum vendiderit, à quo pretium hauriunt, quæ apud homines magni æſtimantur. An non laboravit ſtultitiâ? an non cæcus fuit, qui pretioſiſſimum gemmarum, & auri, triginta argenteis vendidit? non potuit niſi avaritia has cæcitatis offundere tenebras; non potuit niſi avaritia pretium imponere ei, à quo pretioſa quæque derivantur; non potuit niſi avaritia Chriſtum Judæis tradere crucifigendum Matth 27. 38. *Crucifixi ſunt cum eo duo latrones:* ecce cum ijs, qui pecunijs inhiarunt, cum latronibus crucifigitur Chriſtus, ſed cur ſola avaritia cum Chriſto crucifixa eſt in latronibus? quia nimirum ipſa ſola Chriſtum cruci affixit. Non adulterio coinquinatus, non immodico vino temulentus, non à religione transfuga, non veneficijs, & homicidijs infamis juxta æterni Patris filium ſecundum humanitatem aſſumptam crucifigitur, ſed ipſa avaritia, quæ in

latronibus ſimul cum Chriſto è cruce pependit crucifixa.

53 Voluit medius inter latrones Chriſtus crucifigi, putârim ut avaritia cum ipſo moreretur in mundo, à quo mala quæque abigeret, quæ ab una promanant ſordeſcente avaritia: fuit igitur ſola avaritia, diſcipuli proditoris, quæ Chriſtum crucifixit cum triginta argenteos ei prætulit, qui eſt ſupra omne pretium: quando ipſe pecunias accepit Magiſtrum cruci affixit Luc. 9. 44. *Filius hominis, futurum eſt, ut tradatur in manus hominum.* Notatu dignum, quòd non dicitur filius hominis pedibus iniquorum erit proterendus, convicijs impetendus, verberibus ad ſanguinis effuſionem ſauciandus, ferreis clavis vulnerandus, ac crucifigendus, ſed ut *tradatur in manus hominum?* An quia ſint manus avaritiæ inſtrumenta, cum pecunias accipiant, numerant, & inſepeliant?

Diſcipuli Proditoris manus triginta acceperunt argenteos, quos iteratò numerârunt, & JEſum Judæis tradiderunt: neque aliud humani corporis membrum in tantum devenisset audaciæ, neque tantum facinus perpetrâſſet: ſine miniſterio manus, abſque interventu pecuniæ Chriſti proditio non potuiſſet inchoari, imò & Pontifices ipſi Chriſtum morte damnârunt, eò quia timuerint, ne ob ejus doctrinam decimæ ſibi imminuerentur, quapropter avaritia fuit, quæ in Juda proditore ſacrilegum facinus inchoavit; avaritia fuit, quæ ſcelus continuavit in principibus ſacerdotum, & avaritia fuit, quæ crucifixa cum Chriſto pependit in cruce cum latronibus aſſuetis pecuniæ inhiare; tametſi in mundo mortua cum Chriſto non fuerit, cum adhuc vivat, & poſt Chriſtum mortuum adhuc vires ſuas reſumpſerit in Anania & Saphira uxore, qui cum agrum divendidiſſent, ex avaritia Ananias conſcia uxore ſua non nihil de pretio fraudavit, cujus tantùm partem ad pedes Apoſtolorum attulit, unde dixit Petrus Actor. 5. 3. *Anania cur tentavit Sathanas cor tuum? mentiri te Spiritui ſancto & fraudare de pretio agri*, in textu Siriaco habetur, *Cur Sathanas implevit cor tuum*, quia ubi deſideria pecuniarum cor occupant, ibi Sathanas omnes cordis receſſus implet, ut nullus Angelo tutelari angulus ſuperſit, ubi poſſit degere, & ſuum clientem protegere. Ita eſt avaritia Ananiam, & ejus uxorem Saphiram dementaverat, ut cum ſe totos Chriſti famulatui mancipaverint partem poſtea pretij devenditi agri ſibi retinuerint: & de ijs videtur David prædixiſſe Pſal. 48. v. 11. *Simul inſipiens, & ſtultus peribunt*: perijt enim Ananias, perijt & Saphira quia avaritiâ ſordeſcentes mentiri Principi Apoſtolorum auſi fuerunt, dixit Petrus Act. 5. v. 4. *Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus. ſed DEO. Audiens autem Ananias hæc verba cecidit, & exſpiravit*, & v. 7. *Factum eſt autem quaſi horarum trium ſpatium, & uxor ipſius neſciens quod factum fuerat introivit, reſpondit autem ei Petrus, dic mihi mulier ſi tanti agram vendidiſtis? at illa dixit etiam tanti. Petrus autem ad eam: quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum ad oſtium, & efferent te. Confeſtim cecidit ante pedes ejus, & exſpiravit.* Rectè igitur dixit David: *Simul inſipiens, & ſtultus peribunt*, id eſt avari, & à cupiditate divitiarum poſſeſſi; unde ſubdit: *Et relinquent alienis divitias ſuas.*

Viri igitur divitiarum avaritiâ ſordeſcen- 54
tes, qui aggeſtis non utuntur divitijs, ſed earundem incrementis inhiant, ſuas alijs relinquent opes impenſis laboribus coacervatas, & vigilijs, curis, & anxietatibus cuſtoditas, & ipſi inſipientes, & ſtulti peribunt: ſcitè Agellius in Pſal. 91. *Stultus qui divitijs, opibúsque ſuis fretus eſt, appellari ſolet in ſacris litteris, ut Pſal. 48. Simul inſipiens, & ſtultus peribunt, & relinquent alienis divitias ſuas. Et in evangelio Stultè hac nocte animam tuam repetent à te, quæ paraſti cujus erunt.* Idque fortaſſis cauſæ, cur Iſaias inſipientem, & ſtultitiâ laborantem vocet avarum divitijs affluentem, & novis ſemper lucris inhiantem cap. 32. 5. *Non vocabitur ultra his, qui inſipiens eſt Princeps*, inſipientis nomine divitem opibus affluentem, & avaritiæ ſordeſcentem intelligit, ut opportunè ex textu hebræo vertit Oleaſter inquiens: *Non vocabitur amplius ſtultus liberalis*: & poſtea ſubdit, ut explicet qualis ſit hic ſtultus: *Sumitur ſtultus pro divite avaro, qui in evangelio dicitur: ſtulte hac nocte repetent animam tuam, & dictio conſentit.* 55

Demens eſt, & vera laborat ſtultitia avarus divitijs affluens, quas agens animam poſteris ſuis relinquit, qui una die, quæ avarus per annos plures coacervavit, abliguriunt; & pecuniæ, qui avaro nonniſi curas, moleſtias, & anxietates; & ſolicitudines pepererunt, ac ipſi proinde obfuerunt, alijs tantùm proſunt, qui ijſdem utuntur licèt plerumque in contemptum avari ijſdem abutantur; quò clariùs ſtultitiam redarguant divitis avaritiâ ſordeſcentis. Huc flectitur illud Fulgentij lib. 2. Mytholog. inquiens: *Mydas græcè idem ſonat ac nihil ſciens: avarus enim tantùm ſtultus eſt, ut ſibi prodeſſe non norit*: & quidem extremæ eſt dementiæ impenſis laboribus opes coacervare, & de ijſdem ſibi non conſulere, & ſui quaſi oblitus, ſua ita aggerare, ut & ad ſe pertinere nō videantur & ob ſitim divitiarum ſame torqueri, & nuditatem non tegere, nec ſibi neceſſaria de ſuperfluis ſuppeditare: eſt hæc illa dementia, contra quam invehit Salvianus lib. 3. ad Eccleſias Cathol. inquiens: *Quid ſive tam ſtultum, ſive tam perditum, quàm ut aliquis de ſuo ſibi non conſulat.*

Quinimò non ſolùm ſibi non conſulit, 56
nec ſibi neceſſaria de ſuperfluis aggeſtis ſuppeditat, verùm etiam ſibi noxia haurit, ſibique obeſt, ut alijs proſit, quibus omnia lucra parat, omnes divitias relinquit: an non eſt ſtultitiâ laborare, ſe ipſum torquere, ut alij lætentur; ſibi ſupplicia parare, & alijs tripudia comeſſationes, temulentias, & gaudia profundere: idque putârim in pœnam ipſius avaritiæ, quæ adeo mala eſt, ut etiam ſuos cultores peſ-

ſimè

ſimè torqueat, qoia ut ſcitè S. Valerianus Nicienſis Epiſcopus homil. 10. *Nil eſt malorum, quod non cupiditas aut coucipiat, aut pariat, aut paſcat, aut uutriat: ex hoc enim ſomite videmus pullulare odiorum cauſas; binc evenire criminum pugnas, binc fraternas acies iuſtrui; binc amicitiarum fœdera diſſipari.* Et homil. 20. aptiùs ad rem noſtram ait: *ſtultitiæ genus eſt alijs feciſſe lucrum, & ſibi paràſſe ſupplicium: uam ita dicit Apoſtolus 1. ad Timoth. 6. Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.*

57 Quòd ſi avarus utilis eſt alijs, ſibi tamen ſemper noxius; ſibi ſupplitia apparat, ut alios lætitiâ perfundat, curas, & ſollicitudines, anxietates, & moleſtias ad ſe trahit, ut alijs ſolatia impertiatur; jugi torquetur ipſe mœrore, nt alios exhilaret: de ſœnore jugiter cogitat, quò alios locupletet, & ſibi funus apparet; benè ſicut nomine, ita & re ſimul cohærent, fœnus, & ſunus, ut unum in aliud ex mutatione exigua emigret, ut feſtivè innuit S. Ambroſius lib. de Tobia cap. 10. ubi ait: *Nihil intereſt inter funus, & fœnus, uihil inter mortem diſtat & ſortem. Perſonat funebrem ululatum fœnoris uſura.* Non tantùm nominum, ſed & rerum habetur cognatio, quia divitijs affluens, eò quia lucris ac ſœoori inhiet, funeri ſe ipſum addicit, ut pulchrè rem hanc urget S. Leo Papa ſerm. 6. de jejunio ſeptimi mens. inquiens: *Multiplicatur quidem facultas injuſtis, & triſtibus incrementis, ſed mentis ſubſtautia contabeſcit, quoniam fœnus pecuniæ, funus eſt animæ.*

58 Crudelia, & injuſtus eſt ſibi avarus cùm funus ſibi propter fœnus conſtruat; imò non ſibi tantùm, ſed & rebus ipſis, quas poſſidet, ſiquidem frumentum in horreis, veſtes in armarijs, & alia eſculenta in cellia penuarijs putreſcere permittit de quibus dixit Jacob. 5. 2. *Divitiæ veſtræ putreſactæ ſunt.* Et io hoc divitea avari crudeliores ſunt ipſis Dœmonibus, qui nullum in gehennæ carcerem detrudunt, qui pœnas illas ſibi non promeruerit: & avari res inanimatas, quæ nil mali fecerunt, nullum patrârunt crimen, cùm ſceleris ſint incapaces non ſolùm in tenebricoſos detruduot carceres, verùm etiam tinearum, ac vermium, damnent ſupplicijs, morſibus, ac dilacerationibus donec pereant, & demortuæ nec avaro, nec alijs ſint utiles; de quibus propterea ajebat Apoſtolus *Divitiæ veſtræ putreſactæ ſunt*: hinc S. Chryſologua peraptè divitem avarum vocat crudelitatis Dominum, quatenus ſævit in res, quas poſſidet; eas vermium dentibus damnans, ut licèt ionocentiâ protectæ pœnas luant de illis delictis, quæ nunquam noverunt ait Chryſologus ſerm. 29. loquens de divite avaritiâ ſordeſcente: *Crudelitatis Dominus eſt; ſævus boſtis, qui amando lædit.*

59 Eſt avaritia, quæ nunquam ſuos æſtus extinguit, ſed novis ſemper divitiarum inhiat incrementia; adeo ut pecunia avari ſemen ſit, quod non jacitur, nec alteri concreditur, niſi germen poſſit producere, & ſpem lucri adferre, quo ſimul germinet in aliena tellure, & in proprio ærario lucrum reduplicet: hinc Iſaiæ, 5. v. 24. ubi in textu latino habetur *Germen eorum*, Interpres Chaldæus legit: *Ex pecunia rapina eorum*: quia tunc pecuniæ germen dicuntur reſerre, cùm alteri ſœnerantur, quas ſeminibua parea effeceris; quia ſi ſemina excultæ telluris ſinui concredita inde erumpunt in germen, vireſcunt in ſpem lucri, adoleſcunt & incrementa ſubeunt, fructus ſoppeditatura uberiores: perinde pecunia ad uſuram alteri data citiùs naſcitur, ubetiùs adoleſcit, & aucta reſtituirur fœneratori, appoſitè S. Baſilius in Pſal. 14. homil. 4. ait: *Semina progreſſu temporis naſcuntur, & animalia tempore perficiuntur: verùm uſura bodie generatur, & bodie parere incipit. Animalia quæ citò pariunt, citò parere ceſſaut: verùm pecuniæ citum avaritiæ principium ſumentes infiuitam acceſſionem ſemper ulteriùs progredientem acquetuut. Ajunt lepores ſimul parere & educare, & ſuperfœtare. Et fœneratoribus pecuniæ ſimul ad uſuram dantur, & generantur, ac ſubnoſcuntur.* 60

Id tamen intereſt diſcriminis Agricolam inter, & fœneratorem, quia ille ut incrementa ſeminum colligat, plurimum debet laboris impendere in ſibi comparandis inſtrumentis ruſticis, cujusmodi ſunt Sudes, vallus, linter, plauſtrum, traha, cribrum, crates ſcirpeæ, ſitulæ, trulæ, metilones, aratra, occæ, ligones, corbes, furcæ tricuſpides, tridentes, mallei, ſalces, meſſoriæ, ſtramentariæ, fœniſecæ, putatoriæ, arborariæ, ſylvaticæ, dolabra, ſecures, & alia, quibus ad ſubeundos labores agritola utitur, qui tude ſolum ad cultutam præparat, vepres extirpat, ſpinera eradicat, fimeto exſtercorat, & aratro junctis bobus ſtimulo agitatis proſciodit, ſulcos imprimit, & terram liratim arat, quatenua arando iterat ſulcos, quaſi totidem eſſent uti in lira fides; mox glebas ſrangit Cylindris ſupervolutatis, vel occis, vel crate ferrea. Mox ſemina jacit per areas, quæ ne ab avibus minutis rapiantur, & in ſinu telluris matris ſoveantur, tegit, terræque inſepelit, quod oſt runcare ſata, quæ dum incipiunt fructiceſcere, ne à Zizanijs, lolijs, & lappis ſuffocentur, ab ijſdem expurgantur, tribuli evelluorur, & lappæ eradicantur: dum verò flaveſcunt ſegetes meſſorias falcea agricola parat, & incurvatas ſpicas ſcindit, ac in manipulos colligit, quos romicibus, vel vinculis ſtramineis colligat: congeritque acervatim per denos, vel quindenos manipulos, quos mergâ prehenſos plauſtris imponit, & domum ducit aocto quidem fructu, ſed plurimo labore priùs impenſo. Fœnerator autem terram non excolit, labores non ſubit, ſodorem non fuodit, & tamen pecunias ſuas ſeminibus vult parea eſſe, & lucrum ei adferre, aliáſque pecunias ei producere, ac ſi non eſſent pecuniæ ſterilitatis probro notandæ, ſed ſœcunditatia laude commendandæ: occultis enim incrementis ſtudet auctam pecuniam colligere: non alio uſus aratro, quàm calamo, licèt non aliam araverit terram, quàm papyrum ipſam litteris exaratam, nec alia irrigatam pluvia, quàm atramento: apoſi-

[illegible] S. Gregorius Niſſenus *orát contra Uſura-* [illegible] loquens de divite avaro fœnus exigente ex mutuata pecunia abſque ullo impenſo labore: *vult omnia ſibi ſine ſatu, & inarata progigni, cujquidem aratrum eſt calamus; ager carta, ſemen atramentum; pluvia tempus, quod illi pecuniæ fœnus occultis incrementis adauget, & educat; falx illi eſt repetitio, arca domus, in qua miſerorum fortunas ventilat.*

61 Imò non agriculturam tantùm ſine labore exercet dives avarus; verùm etiam piſcatoriam. Quòd ſi vita hæc mortalis pelago pariatur, fluctibus concito; in hoc Oceano expiſcatur avarus, hamum proijcit ſub eſca ſubſidij præſtandi latitantem, quo hiſce innatantes fluctibus piſces, & pabulum quæritantes alliciat, ſimúlque rapiat: timendus eſt avari hamus; dat eſcam ut rapiat, fingit juvare mutuata pecunia; ſed fœnus exigens plus obeſt, quàm proſit, ut notavit S. Gregorius Niſſen. orat. contra uſurarios ubi Uſuratium premens ait: *Circumfert loculos, ut miſeris eſcam oſtendat, qui ei ob neceſſitatem inhiantes, devorent ſimul uſuræ hamum.*

62 Verùm ſi hamo alios expiſcatur, ſe ipſum rete illaqueat, eò quia dum pecuniæ exhibitione alteri videtur eſſe ſolatio, & levamini, ſibi eſt gravamini; ac culpâ illaqueatur, dum fœnus exigit, & proprias incrementat pecunias ait enim DEUS Exodi 22. 25. *Si pecuniam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum; non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes.* Se igitur illaqueat avarus uſuras exigens, quibus alios opprimit, non alleviat.

63 Quinimò non ſolum avaritia fœneratorem irretit, verùm etiam ſauciat, ac lethaliter vulnerat, eſt enim avaritia, quovis gladio nocentior, & ſi non corpori, menti tamen lethalia infligit vulnera, unde ait Caſſiodorus lib. 1. variar. cap. 30. inducens Theodoricum Regem ſancientem legem contra avaros: *Si verò tanti facinoris reum fide mala Dominus judicijs præſentare diſtulerit, noverit ſe decem librarum auri diſpendio vulnerandum, & noſtræ ingratitudini, quod multò gravius eſt pericula ſubiturum.* Dolorem hujus vulneris ſentit dives cùm avaritiâ laborat, ſitque propterea idem fœnus exigere, & vulnere ſauciari, quia per noxam, quam contrahit, vulnus animæ infligit; & adeo grave eſt vulnus hocce ab avaritia inflictum, ut curatu ſit perdifficile, & medicam Chriſti manum exigat, ut convaleſcat. Curavit cœleſtis Medicus hoc vulnus, dum ſe contulit ad ægrotantem Matthæum, non jam decumbentem in lecto, ſed ſedentem in telonio, ut pulchrè ait S. Petrus Chryſolog. ſerm. 28 *Ecce quare ad Matthæum venerat Chriſtus: ut avaritiæ curaret vulnera.* Ideo eſt curatu difficile vulnus ab avaritia inflictum, quia divitijs affluentes Nabuchodonoſoris aureum æmulantur ſimulacrum, caput & ipſi præſeferunt aureum, ſeu plenum cogitationibus, ac deſiderijs auri, & divitiarum; cùm nihil præter divitias coacervandas mente verſent, aureum ſibi conflant caput.

64 Quòd ſi quæras, cur totum ſtudium ſit in aureo hoc capite cudendo, totus labor in opibus congerendis, tota ſollicitudo in lucro acquirendo; quia ſe mortales non cogitant, lutúmque propriæ mortalitatis ad pedes abijciunt, & conterunt, quamvis non alio pulvere ſordeſcant ipſi, quàm avaritiæ: mortis oblivio deſideria parturit divitiarum, mentem implet cogitationibus opum; quòd ſi non in capite fulgeret aurum, ſed pedibus conculcaretur, & lutum è pedibus in caput aſcenderet, & divitijs inhians ſe brevi moriturum ſeriò cogitaret, humana quæque haberet contemptui de divitijs coacervandis non cogitaret, ſed de meritis cumulandis, de bonis operibus congerendis, & quas divitias poſſidet ſtatueret pauperibus erogare: ad curandum avaritiæ vulnus unicum hocce præſcribit pharmacum S. Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 133. inquiens: *Quæ collecta ſunt, vel confertim, vel paulatim egenis diſtribuamus: nam hæc ſola ratio eſt, qua ab hujuſmodi captivitate revocamur:* & cauſam hujus curationis aſſignat S. Bernardinus Senenſis ſerm. 6. de amore inquiens: *Si ligna appoſita igni ſubtrahuntur, deficit ignis: ita in avaro ſi divitiæ ejus ſubtrahuntur ſibi, & dividantur inter pauperes extinguitur ejus inſatiabilis appetitus.* 65

Quòd ſi avaritia febris eſt, qua dives avarus æſtuat, dum divitias concupiſcit, hæc febris alio efficaciore pharmaco non curatur, quàm per contactum manûs, quo pacto Chriſtus ægrorum, qui ſymbolum præſeferebat avari manu eum apprehendit, ut nos edoceret avaritiæ morbum alio præſtantiori pharmaco non curari, niſi per extenſionem manûs, niſi per pecunias pauperibus diſtributas; quia ſi radix omnium malorum avaritia dicitur; radix omnium bonorum elargitio eſt eleemoſynæ, ut qui vulnerati ſunt per avaritiam, diſcant per eleemoſynam convaleſcere. Hinc Chriſtus Luc. 15. ad peccatores revocandos ad ſaniorem frugem tres exhibet parabolas, ſcilicet ovis, drachmæ, filij; & parabolam ovis ponit ad comprimendum tumorem ſuperbiæ; parabolam drachmæ ad excutiendos avaritiæ pulveres; parabolam filij ad extinguendos luxuriæ æſtus: is igitur ſanatur ab ægritudine avaritiæ, qui Drachmas pauperi indigenti porrigit, qui pecunijs aliorum indigentijs opitulatur: ſi vulneratur qui avaritiâ correptus divitijs cumulandis ſtudet, huic vulneri non medetur niſi per elargitionem pecuniarum: huc acceſſendus Forerius, qui expendens verba Iſaiæ cap. 56. *Omnes in viam ſuam declinaverunt. unuſquiſque ad avaritiam ſuam*, ait: *Ad utilitatem, & emolumentum ſuum: eſt enim à verbo, quod vulnerare notat, ac deinde avaritiam exercere: quare pro lucro, ſeu emolumento accipitur: cuj, qui intentus eſt alios vulneret neceſſe eſt: vel quòd qui hoc vitio laborant, habeant in corde veluti vulnus, ut non à lucro mentem, aut ſenſum valeant avertere.* Avaritiam vulnera infligere, & venena ſpargere etiam Ethnici noverunt, qui finxerunt, Mercurium, quem lucris, & negotijs præeſſe cenſuerunt, virgam ferre ſerpentibus adnexam; ut in parandis lucris non ſce-

ptrum,

ptrum, & imperium tantùm homines ſperarent, ſed etiam vulnera, & venena à ſerpentibus inſligenda, & fundenda pertimeſcerent, ut innuit S. Fulgentius lib. 1. de Mercurio inquiens: *Mercurium dicunt præeſſe negotijs, virgam ferentem ſerpentibus nexam ob hoc, quòd Mercatoribus det aliquod regnum, ut ſceptrum; & vulnus ut ſerpentium.*

EXPENSIO XXI.

Commendatur maſculæ fortitudinis virtus.

HÆc eſt virtutum illa invictiſſima heroina, quæ licèt pericula non appetat, ut temeraria; non tamen formidat ut pavida, ſed imperturbato animo ea adit quoties recta ratio dictat, neque ſinit ſe adverſis deprimi, nec proſperis extolli, neque tormentis terreri, neque cruciatibus frangi, quæ ſi vulneribus ſauciatur, ſanguinem fundit, integritati ſanctiùs conſulit, & purpuram veſtit. Eſt fortitudo, quæ inconcuſſa pectoris firmitate novercantis fortunæ minas ridet, lacrymas exſiccat, dolores ſuperat. Eſt fortitudo, quæ molles animos ita obarmat, ut ſi plura bene cœptis obſtant impedimenta, ea generosè ſuperet: eſt enim, ait Seneca epiſt. 113. *Munimentum humanæ imbecillitatis inexpugnabile*, quia ipſa, ut ait Valerius Maximus lib. 2. *Enerves animos odiſſe ſolet*: hanc propterea qui excolunt virtutem, fortunæ jacula non timent, nec ejus terrentur ſupercilio, quamvis exilio puniat, tormentis feriat, vulneribus ſauciet, doloribus torqueat, convicijs pungat, & ipſo vitæ diſcrimine terreat, non tamen viri fortes timent, quia fortitudo eſt ſtabile fundamentum totius honeſtæ vitæ, nutétque propterea ædificium reliquarum virtutum, niſi columnæ innitatur fortitudinis, adeo ut hac una labente, totum corruat ædificium.

2 Eſt autem fortitudo duplex ut docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 123. *art.* 2. Una quæ reſpicit animi firmitatem circa bonum honeſtum, cui firmiter adhæreſcit, in quo ſenſu ratione objecti, & materiæ, extenſione eſt virtus potiùs generalis; perinde ac amor honeſti in genere: ſicut enim firmum poſſumus elicere propoſitum proſequendi in quovis negotio bonum honeſtum prout recta ratio dictat, ita poſſumus velle firmiter in eodem perſiſtere, adeo ut non ſinamus ab eo ſejungi ob incommoda ſubeunda, ob labores ſuſcipiendos, difficultates ſuperandas: hoc enim propoſitum perſeverans in nobis per modum habitus eſt virtus quædam, de qua D. Ambroſius lib. 1. de offic. cap. 36. ait: *In duobus generibus fortitudo ſpectatur animi. Primò ut externa corporis pro minimis habeat, & quaſi ſuperflua deſpicienda magis, quàm expetenda ducat. Secundò ut ea, quæ ſumma ſunt, & res omnes, in quibus honeſtas relucet, præclara animi intentione uſque ad effectum proſequatur.* Liquet ex D. Ambroſio proprium eſſe fortitudinis nihili facere honores, voluptates habere contemptui, ſibique proponere firmiter, ac jugiter bonum honeſtum proſequi, eique adeo firmiter adhærere, ut nullis irruentibus malis vel obviantibus difficultatibus ſe ſinat ab eo divelli; qua ratione fortitudo eſt potiùs virtus generica tranſcendens per reliquas omnes virtutes; cùm proprium ſit cujusvis ſpecialis virtutis, firmiter inhærere ſuo objecto honeſto: quia ſi virtus fuerit imbecillis facilis eſt expugnatu; ſin autem perfecta, præfert honeſtatem ſui objecti omnibus incommodis, ac difficultatibus, & inconcuſſa firmitate in eadem perſiſtit honeſtate, à qua ſe divelli non ſinit à difficultatibus obviantibus, nec a laboribus ſubeundis. Alia eſt fortitudo, quæ inconcuſſa animi firmitate labores ſuſtinet, pericula adit, & difficilia quæque ſuperare nititur: in quibus fortiter agendis neceſſaria erat aliqua ſpecialis virtus, qua actiones humanæ dirigerentur, ne deflecterent à præſcripto rectæ rationis. Idque cauſæ, cur plures licèt fortes dicantur, non tamen æquè polleant fortitudinis virtute. Dicitur ſiquidem quis fortis, ſi corpore ſit robuſtus, viribúſque corporeis plurimum valeat, ut inter priſcos Romanos Milo. Dicitur etiam vir fortis ſi medijs abundet ad nocendum, in quo ſenſu David Pſal. 78. *Irruerunt in me fortes*, ſeu ut expendit D. Auguſtinus: Irruerunt in me homines potentes, & facinoroſi ad perdendum. Tertiò dicitur vir fortis, ſi pluribus affluat divitijs, in quo ſenſu fortis ſibi videbatur dives Evangelicus Epulo, cùm dixit Luc. 12. *Habes anima mea recondita bona plura, epulare*, ex quo Auguſtinus vocat hunc divitem fortem: *Ecce tibi fortem.* Quartò ſi proclivis ſit ad audenda nefaria, pronus ad temulentiam, ut apud Iſaiam. 5. Et tandem dicuntur viri fortes, qui de ſua præſumunt juſtitia, de quibus ait D. Auguſtinus: *Hoc genus fortium cavendum eſt, metuendum, averſandum. Fortitudo iſta non virtutis eſt, ſed inſaniæ. Avertat DEUS ab imitatione noſtra fortes iſtos.* Verùm nulla ex iſtis eſt vera fortitudo prout honeſtatem induit virtutis, prima enim magis viget in animalibus, bobus, & elephantis, quàm in hominibus. Secunda potiùs videtur adverſari virtuti, cujus indoles potiùs eſt alijs prodeſſe, quàm obeſſe. Tertia itidem à virtutis ratione deflectit, quia divitiæ ſuos poſſeſſores potiùs emolliunt, quàm corroborent; enervant, quàm fortes faciant. Quarta omnino ab honeſtate virtutis aberrat, quia non induit honeſtatem, neque objectum reſpicit honeſtum. Quinta arrogantia potiùs eſt judaica, cùm præſumerent Judæi de ſe, quòd juſti eſſent.

Eſt igitur fortitudo virtus Cardinalis, & 3
moralis inducens mediocritatem circa affectus timoris, & audaciæ obſtituros honeſtati decenti hominem circa pericula, & res arduas, ac ſuperatu difficiles. Verſatur enim circa honeſtatem, quæ relucet in illa mediocritate circa prærecenſitos affectus timoris, & audaciæ, ut injiciunt impedimenta voluntati in or-

dine ad amplectendum proprium objectum honeſtum, quapropter fortitudo eſt vera virtus, & quia proprium ipſius eſt ſuperare difficultates. quæ illi obverſantur in aſſecutione ſui objecti, eſt ſpecialis virtus diſtincta ab alijs: quia ubi eſt peculiaris difficultas in tenendo præſcripto rationis, ibi neceſſe eſt, detur peculiaris virtus, & quia in ſuperandis mortis periculis, alijsque difficultatibus adeſt ſpecialis difficultas, deſiderabatur virtus ſpecialis, quæ voluntatem juvaret, ac corroboraret ad difficultates illas ſuperandas, & vincendas; ſicut quæ bona ſunt, aut nobis talia videntur naturæ inſtinctu ea appetimus, & proſequimur: ita eodem inſtinctu ea declinamus, ac metuimus, quæ nobis mala apparent, quæque poſſint aliquid detrimenti nobis adferre, quamvis perſæpe plus æquo, & quàm recta ratio dictet, metuamus: quapropter neceſſaria erat virtus, quæ firmiter nos ſtabiliret in ardua ac terribili materia, ut ſunt imminentis mortis pericula, ut eadem cùm expedit moderatè adgrederemur, neque ob injectum timorem ſineremus nos ab ijſdem averti.

Fortitudo igitur nou ſolùm eſt virtus
4 moralis perficiens naturam rationalem, prout hæc eſt rationalis, ſeu quatenus eſt principium intellectionis, & volitionis, verùm etiam eſt talis ſpecialis virtus, quæ verſatur circa honeſtatem relucentem in mediocritate circa affectus timoris, & audaciæ, quia tunc perficit voluntatem, quæ bono honeſto firmiter inhæret, & ſuum finem aſſequitur: eſt enim proprium virtutis juxta Ariſtotelem *7. Phyſ. cap. 3.* Ut ſit diſpoſitio perfecti ad optimam operationem circa ſua objecta, & propriam materiam: eſtque virtus moralis, quatenus hominum mores ſecundùm præſcriptum rectæ rationis componit: & recenſetur inter virtutes Cardinales, quibus cæteræ adnexæ ſunt tanquam partes poteſtativæ. Vocantur cardinales, quia ſunt generales, & principales quædam rectitudines, quibus tota vita noſtra dirigitur, & in quibus veluti quatuor cardinibus ſtabilitur.

5 Proprium igitur viri fortis eſt ardua quæque ſuperare, & quæ ſiunt obviæ difficultates animo conſtanti ſuperare, quo pacto inter viros fortes recenſetur, & maximè laudatur Banaias, eò quia rigente brumâ cum alta nive tellus ſepulta jaceret; leonem, qui ſolo rugitu terrores ſpargebat, & timorem incutiebat, interemit. 2. Reg. 23. 20. *Qui interſecit leonem in diebus nivis*, tametſi viro forti detur laudi, ſi leonem interimat; majorem tamen meretur commendationem, ſi tempore hyemis urgente tribulatione, accedente deſolatione, & auxilijs deficientibus; quia tunc animi conſtantia ſplendet clarior. Quidni? leonem interficit, qui iraſcibilem coërcet, omnéſque ſuos motus compeſcit, tunc enim mortua eſt, cùm non movetur, & ſi id contingat tempore hyemis, cùm deſunt nobis auxilia, cùm videmur deſtituti viribus, ac prorſus deſolati, tribulationibus obruti, adverſitatibus preſſi, tunc uberiori, ac illuſtriori datur nobis laudi.

Qualis ſit viri fortis præſtantia, ut innot- 6
teſcat, adverſa fortuna opus eſt Lydium lapidem ſuppeditet, cujus affrictu prodat virtus ſuum nitorem: hoc Lydio claruit illuſtrior Jobi fortitudo, quæ in fracto ulceribus corpore nihil ſuæ deperdidit integritatis; imò eò firmior, ac robuſtior ſtetit, quò Jobus ab hoſte Tartareo divexatus; filijs orbatus, armentis, ac bonis alijs ſpoliatus, viribúsque deſtitutus cecidit in ſterquilinium, ubi jacuit improperatus ab uxore, derelictus ab amicis; tunc enim cum ærumnis premeretur, ulceribus ſcateret, dignam viro forte vocem emiſit Job. 13. *etiam ſi occiderit me in ipſo ſperabo;* tametſi adverſitatum fluctibus quateretur; ærumnarum procellis agitaretur, contrarietatum turbinibus impeteretur, quò ejus fortitudo in ſcopulum colliſa impatientiæ, vel naufraga periret, vel fracta caderet; citra tamen omne naufragium procellas ſuperavit, & veluti in portu immobilis fuit, ac ſi non tempeſtas in ipſum fureret; ſed malacia ei arrideret; vexari, & exerceri potuit Jobi fortitudo, non tamen frangi: quia contra omnes adverſitates immobilis ſtetit innixa DEI fiduciæ: *Si conſiſtant adverſum me caſtra, ſi exurgat adverſum me prælium* ajebat David Pſal. 26. ſi in me irruat totus malorum exercitus, ſi me circumdent, ac adoriantur malignantium omnium phalanges: *Ego tamen in Domino ſperabo:* quamvis cœlum ſua in me fulmina intorqueat; licèt infernus ſuas contra me vires exerat, tametſi elementa omnia in me armentur, *ego tamen in Domino ſperabo:* tametſi novercans fortuna armenta rapuerit, flaveſcentes in campis ſegetes combuſſerit, domum facto ventorum impetu à fundamentis everterit, filios priùs ſepeliverit ſubruentis domus ruinis, quàm mors eos interemerit, nunquam tamen potis erit ſpem meam, quam in ſolo DEO locatam habeo, eripere. *Ego tamen in Domino ſperabo.* Stat inconcuſſa, & citra lapsûs periculum illa in adverſitatibus fortitudo, quæ ſpe nititur in Numinis ope: potuiſſet quidem irruens hoſtis animam è corpore ſejungere, non verò hanc fortitudinem frangere; nec ſpem, cui innititur evellere. Fuit hæc fortitudo clypeus, quo Jobus tectus, & protectus adverſa quæque retundere valuit, & ſuam virtutem non ſolùm defendere, ac ſervare indemnem, verùm etiam validiùs corroborare. Neque Huſſæus Princeps honeſtam oppetijt mortem, ut ærumnoſam vitam fugeret, quia tametſi mortem contempſerit, non tamen ærumnas, & adverſitates odiſſe voluit, nec eas à ſe excutere. ſciens virtutem ſine adverſario langueſcere, & ferri ipſius fortitudinem rubiginem contrahere, & corrumpi, niſi frequenter exerceatur, & abſtergatur, quapropter ajebat Curtius lib. 5. *Fortium virorum eſt magis mortem contemnere, quàm odiſſe vitam.*

Qui ad declinandos labores, ad excutien- 7
das à ſe moleſtias, fugiendas ærumnas mortem oppetit, vel ſibi violentas inijcit manus, vir fortis non eſt, ſed ſuam potiùs prodit imbecillitatem, quâ nequit adverſantia ſuſtinere,

ne-

neque labores ſubire: plus timet tunc ærumnas pati, quàm mortem oppetere, ut notavit Tertullianus ad Martyras cap. 4. inquiens: *Mortis metus non tantus eſt, quantus tormentorum;* & hujusmodi rimor non fortitudinis, ſed imbecillitatis eſt fœtus: qui enim timore tormentorum ad ſupplicia declinanda, ad cruciatus non tolerandos vitam prodigit, mortíque extradit propriam teſtaiut ignaviam, non invictam animi conſtantiam, & fortitudinem; vir enim fortis immotus perſiſtit, quamvis adverſa fortuna omnia ſua in ipſum tela evibret: quinimò exercendæ virtutis cauſa interdum adverſarios provocat, ut pugnas ineat: non calamitates, & ærumnæ fugiendæ ſunt, ſed vir fortis animo imperterrito, ac fortitudine loricato ijſdem obviat: hinc Tertullianus *loc. cit.* quò edoceat Chriſtianos vitam ignavè non odiſſe, ſed mortem generosè contemnere varijs id exemplis eruditè confirmat. Timebit forſitan caro gladium gravem, & crucem excellam, & rabiem beſtiarum, & ſummam ignium pœnam, & omne carnificis ingenium in tormentis. Sed Spiritus contraponat ſibi, & carni, acerba licèt iſta, à multis tamen æquo animo excepta, imò & ultrò appetita, famæ, & gloriæ cauſa, nec à viris tantùm, ſed etiam à fœminis, ut vos quoque benedictæ ſexui veſtro reſpondeatis. Longum eſt, ſi enumerem ſingulos qui ſe gladio confecerint, animo ſuo ducti de fœminis ad manum eſt. Lucretia quæ vim ſtupri paſſa, cultrum ſibi adegit in conſpectu propinquorum, ut gloriam caſtitati ſuæ pareret. Mutius manum ſuam dexteram in ara cremavit, ut hoc factum ejus fama haberet. Minus fecerunt Philoſophi, Heraclitus qui ſe bubulo ſtercore oblitum exuſſit. Item Empedocles, qui in ignes Æthnei montis diſſiluit, & Peregrinus, qui non olim ſe rogo immiſit; cùm fœminæ quoque contempſerint ignes. Dido cùm poſt virum dilectiſſimum nubere cogeretur; Item Aſtrubalis uxor, quæ jam ardente Charthagine ne maritum ſuum ſupplicem Scipionis videret; cum filijs ſuis in incendium patriæ devolavit. Regulus Dux Romanus captus à Carthaginenſibus, cùm ſe unum pro multis captivis Carthaginenſibus compenſari noluiſſet, maluit hoſtibus reddi, & in arcæ genus ſtipatus undique extrinſecus clavis transfixus tot cruces ſenſit. Beſtias fœmina libens appetijt, & utique horridiores aſpides, ſerpentes, & tauro, vel urſo, quas Cleopatra immiſit ſibi, ne in manus inimici perveniret, hactenus Tertullianus. Quamvis præcenſiti non fuerint mortem averſari, ſtuduerunt tamen per mortis contemptum poſteritati vivere, nec mortis metus tantus fuit, quantus tormentorum.

8 Quòd ſi Ethnici mortem contempſerunt, ut famam ſibi facerent, noménque illuſtrius darent, quanto magis Chriſti fideles non ob famam futilem, & mentiri aſſuetam, ſed propter fidem, ac religionem cruciatus æquo animo tolerare debent, & vitam generosè contemnere, non tamen prodigere; quia licèt haberi debeat contemptui, non tamen omnino deſpicienda eſt, ut potiùs mors eligatur, quàm cruciatus, & ſupplicia fortiter ſuſtinere. Vir fortis morti non appetit, ut tormenta, & dolores declinet, ſed in hiſce tolerandis fortitudinem exercet, ut præſtitit Huſæus Princeps, qui ærumnarum turbine impetitus, inconcuſſa fortitudine mala quæque ſuſtinuit, neque ad ea declinanda mori petijt: quinimò cum ejus uxor degeneri erga ipſum afficeretur amore, mortémque conſuleret pro pharmaco ſuæ ægritudinis Job. 2. v. 9. *Dixit illi uxor ſua, adhuc tu permanes in ſimplicitate tua, Benedic DEO, & morere.* Eam Jobus corripuit, ac ſtultitiæ probro infecit, eò quia virtutis exercitium, fortitudinis documenta abijcere ſuaderet & mortem accerſere, quæ finem tolerantiæ imponeret; quapropter reſpondit Jobus *Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es*: quia animi fortitudo non ſplendet in morte ſubeunda, ſed in ærumnis tolerandis, calamitatibus ſuſtinendis, laboribus ſufferendis. Vir fortis mortem non appetit, ut a paupertate, dolore, & cruciatu ſe eximat, quod imbecillitatem prodit; ſed ærumnis obviat, cruciatus amplectitur, dolores læto animo ſuſtinet, ut fortitudo ſplendeat clarior, corroboretur firmior; non igitur mors appetenda eſt à viro forte, ſed cruciatus, & dolores animo tranquillo, frontéque ſerena ſuſtinendi, ſcitè Joſephus de bello judaico cap. 14. *Non viri fortis eſt ſemet occidere; imò ignaviſſimi: nam & gubernatorem timidiſſimum puto, qui tempeſtatem metuens ante vim turbinis navem ſponte ſubmergit.* Vitæ tœdium non excutitur à viro forti, ſed vincitur; ſupplicia, & dolores non recuſantur, ſed æquo animo tolerantur, quia non mors, ſed tolerantia fortitudinem probat.

9 Tametſi pluries David fuerit à Saule impetitus, & perſecutionibus ad necem quæſitus, nunquam tamen violentas in ſe manus injecit, ſed ad tolerantiam animum præparavit, & per honeſtam fugam maluit tolerantiam protrahere, quàm violenta, & præmatura morte adverſitates prærumpere, quia per tolerantiam fortitudinem corroboravit, cujus ſpecimen illuſtrius fuit. Secus Saul in montibus Gelboe, ne ab hoſtibus irrideretur, & adigeretur ipſe ærumnas pati, convicia audire, maluit diſtricto gladio vitam ſibi adimere. 1. Reg. 31. v. 5. *Arripuit itaque Saul gladium, & irruit ſuper eum.* Vitam, quam David honeſtâ fugâ ſervavit, Saul nudato ferro diſrupit, & profligavit; quidni? fortior fuit David, quàm Saul, quia ille ærumnas, & calamitates, ac perſecutiones declinare non ſategit, ſed beneficio fugæ ijſdem læto animo obviavit quò inde anſa ei daretur exercendæ fortitudinis per tolerantiam adverſitatum. Saul verò in montibus Gelboe, quia hoſtilem non valuit irriſionem tolerare, ſéque ſuſtinendæ calamitati imparem novit; quando gladio vitam ſibi ademit, propriam prodidit imbecillitatem, ut notavit Cajetanus in 1. Reg. 31. inquiens: *Hinc apparet mollities animi ejus non valentis ſufferre irriſiones*

à Philiſthinis, nam ad evitandas hujuſmodi irriſiones ſe ipſum peremit: quod etiam Philoſophi molli animo tribuunt: quia vir fortis ſupra adverſantis fortunæ turbines aſſurgit, & ærumnis impetitus, calamitatibus preſſus procellarum fluctibus agitatus mente tranquillus, animo ſerenus potiùs malaciâ fruitur, ut David, qui varijs calamitatum vorticibus obrutus ſupra fortunam aſſurrexit & invicto animo contra calamitates pugnavit, & adverſa quæque expugnavit, cùm fortiter toleravit.

10 Viri fortes non ſuccumbunt cruciatui, & dolori, nec cedunt ærumnis, ſed animo aſſurgunt & calamitates flocci faciunt, quas intrepidè tolerant. Adverſitas, & calamitas eſt, non mors violenter obita, quæ virum fortem prodit, ut enim quò procella furit acrior, eò dilucidiùs Naucleri prodit dexteritatem: perinde quæ adverſa contingunt, ſi æquo animo tolerentur, fortitudinem clariùs commendant. Demetrius vir fortis ad tolerantiam ærumnarum æquè paratum ſe exhibuit, ac ad proſpera ſuſcipienda; Numina alloquens ait apud Senecam de Providentia cap. 5. *Vultis liberos ſumere, illos vobis ſuſtuli, vultis aliquam partem corporis, ſumite:* poſtea addit: *Nihil cogor, nihil patior invitus; neque ſervio DEO, ſed aſſentio:* quidni dum laboribus, ærumniſque tolerandis aſſentitur, animi adamantinam fortitudinem commendat: pueri ſunt, quibus, ſi aliquid ad votum non obtingat, ſi moleſtiam ſentiant, ſtatim lugent, & veluti liqueſcunt in lacrymas: Cato autem, quem fortitudo animi commendabat, tametſi fluerent viſcera, torquerentur corporis membra, vultûs tamen gravitatem, frontiſque ſerenitatem illæſam ſervavit, Scævola intrepidâ conſtantiâ manum, quæ erravit in vulnere infligendo admovit igni, & ſerena fronte cineſceri in flammis aſpexit, neque ob dolorem eam retraxit, quò tolerantia corporis, animi corroboraret fortitudinem.

11 Non ſolùm vir fortis corporis cruciatus ore ſereno tolerat, verùm etiam animi dolores mente tranquilla ſuſtinet. Monuerat DEUS in ſomno Abrahamum, ut filium ſuum Iſaacum immolaret ſuper unum montium, quem cœleſtis nuntius eſſet illi oſtenſurus. Qualem fuerit tunc Abraham dolorem expertus ex eo facilè conijcitur, quia Iſaac ex Sara jam ſenio confecta genitus fuerat, erátque fulcrum familiæ, delicium parentum, & tamen propriæ fortitudinis daturus documentum paruit divino juſſui, internúmque cruciatum, & dolorem æquo animo ſuſtinuit, & illicò è lecto ſurrexit injunctam ſibi immolationem filij executurus Geneſ. 22. v. 3. *Abraham de nocte conſurgens ſtravit aſinum ſuum ducens ſecum duos juvenes, & Iſaac filium ſuum* ad montis radices cum appuliſſet Abraham, juſſit famulos ibi expectare, aſcenſurus ipſe cum filio tantùm montis editiora faſtigia. Suam Abrahamus animi fortitudinem exploratam fecit, dum internum dolorem viſcera corrodentem adeo corde preſſit, ut nec Sara conijcere quidquam potuerit de immolatione filij; neque famuli ſuſpicari de hoc quidquam valuerint.

12 Fortitudo Abrahami fuit, quæ urgentiſſimum dolorem viſcera torquentem, & præcordia adurentem frontis ſerenitate ſepivit, ad omnem ſiquidem compoſitus tolerantiam, nil magis ei cordi fuit, quàm quavis diſruptâ morâ Numinis juſſioni obſequi, nullum emiſit ſuſpirium, nulláſque fudit lacrymas, nec ulla triſtitiæ nube frontem obſcuravit, ne famuli inde conijcerent Abrahami dolorem, cujus fortitudo propterea ſplenduit clarior, ut eleganter expendit Baſil. Seleu. *orat.* 7. inquiens loquens de Abrahamo juſſo filium immolare: *Quomodo ad eam vocem non inhorruit? quomodo non fuit animus vocis percuſſione contractior? quomodo filij jugulationem morte non antevertit. O animi firmitudinem! non gemuit, non illachrymavit, non naturæ vi raptus eſt, non in varias partes conſilia partitus eſt, oris conſtantiam tenuit.* Deinde ſubdit: *Facinus tam audax Saram celat, neque ad matrem effert mandata:* quamvis internus dolor ſuaſiſſet, ut matrem conſciam faceret de filio Numini reſtituendo, à quo jam grandæva acceperat: ne tamen mulier immolationi eſſet impedimento, ne moras inijceret feſtinationi, tacuit Abraham, & invicta fortitudine dolorem ſuſtinuit viſcera, & præcordia corrodentem.

13 Viri enim fortes non ſolùm æquo animo labores tolerant, verùm etiam ſerena fronte internos dolores, & cruciatus ſuſtinent; idque cauſæ, cur Chriſtus ſuos eruditurus Diſcipulos ad labores ſuſcipiendos, & tolerandas adverſitates gaudentes, ac lætitiâ perfuſos eſſe ſemper voluerit, & nunquam triſtitiæ nube in fronte obſcuratos Luc. 6. v. 22. *Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cùm ſeparaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen veſtrum tanquam malum propter filium hominis: gaudete in illa die, & exultate.* Non ſolùm jubet laborum tolerantiam, verùm etiam ipſum dolorem in gaudium vertere, & externa lætitia internum obtegere mœrorem, quo fortitudo corroboretur validiùs: huc accerſendus D. Ambroſius, qui expendens præfata verba Luc. 6. ait: *Eſt fortitudinis iram vincere, indignationemque cohibere, ac per hoc fortitudo animum juxta, corpúſque confirmat, nec perturbari ſinit timore aliquo, vel dolore, quibus velut pravis interpretibus, plerumque percellimur. Ergo temperantia cordis habet, animique munditiam, juſtitia miſericordiam, pacem prudentia, manſuetudinem fortitudo.*

14 Non ſinit fortitudo vultum impalleſcere, quamvis dolor intus præcordia torqueat, ſed veluti impenetrabilis Clypeus tela omnia adverſitatum retundit, ſeque indemnem ſervat. Tametſi Chriſti Diſcipuli perſecutionibus ad necem quærerentur ab inimicis, cruciatibus affligerentur, convicijs, & verberibus impeterentur, non tamen inde turbantur, ſed veluti ſcopuli in medio maris fluctibus utrinque diverberati immoti manebant; & hæc eſt vera fortitudo, cujus præſtantiam ærumnæ, labores, perſecutiones veluti Lidius lapis probant.

tunc

tunc enim cognoſcitur an adulterina ſit, vel legitima virtus. Quia vera ac probata fuit Jobi fortitudo, quamvis ærumnis, & calamitatibus impetitus non ſuccubuit dejecto animo mœſtus, quinimò tunc vegetior ad certamen ſe erexit vera loricatus fortitudine Job. 1. v. 20. *Tunc ſurrexit Job*: cùm crederetur calamitatum fluctibus merſus, confuſis ærumnarum vorticibus obrutus; armentis, ſegetibus filijs, bonisque omnibus ſpoliatus, tunc ſurrexit lætior, & comam totondit, perinde ac Joſeph cùm è carcere eductus ad thronum fuit adductus, ut notavit Origenes lib. 1. in Job. *Totondit comam capitis ſui ſicut Joſeph cum de carcere à Pharaone educeretur*, non permiſit Job triſtitiæ ullius nube frontem turbari, ſed tranquilla oris ſerenitate ærumnas riſit, calamitates vicit, & veræ fortitudinis ſpecimen dedit, cùm ſurrexit contra inſultationes immotus, contra ærumnas imperterritus, contra iniquas malignantium ſuſpiciones impavidus, quia fortitudo, ut loquitur Philo lib. de fortitudine. *Curat, ut perturbationibus tanquam fluctibus pulſata, & oppugnata peſſum eat ſuſtentans eam, attollensque, & quodammodo animans, immortalemque faciens*, quia fortitudo quandam inſpirat hominibus immortalitatem, eos enim conſtituit inter procellas immobiles, inter calamitates ridentes, ac ſi dolores non ſentirent. Id proprium fortitudinis calamitates emollire, & quidquid adverſi contingit, nihili facere, ac ſi virum fortem non tangeret, appoſitè D. Gregorius 5. Moral. cap. 13. *Tantò quisque ſe ad fortitudinem profeciſſe veriùs demonſtrat, quantò aliena mala robuſtiùs tolerat*, & nonnullis interjectis ſubdit: *Qui igitur patientiam tenet, animam poſſidet, quia inde contra adverſa omnia fortis efficitur, unde ſibi, & ſe ipſum vincendo dominatur, & quòd ſe laudabiliter frangit, infractam in ſe fortitudinem exerit.* Vir fortis irruentibus calamitatibus geminum experitur hoſtem impatientiam, & calamitoſam fortunam, ſi impatientiam vicerit, infractus perſtat, quamvis adverſa fortuna jacula intorqueat, quia mens imperturbata manet, ſibique adoreas canit.

15 Sed ſi vir fortis de coercito impatientiæ impetu ſtat victor, ac triumphos virtuti erigit, pro qua fortiter pugnavit; adhuc ſplendet illuſtrior in laborum tolerantia: parum eſſet pro tuenda Virtutis cauſa in arenam deſcendere; niſi diſceret dolores, & cruciatus ſuſtinere pro virtute, & in ipſo certamine labores infracta conſtantia ſubire. Si Athleta in arenam deſcendat, & antagoniſta careat, quia nolit pugnam experiri; præmium quidem aſſequitur, cum per ſe non ſtet quo minus certamen inſtituatur; non tamen fortitudinis laude clarct, quia competitore caret: qui cum adverſario non colluctatur, experimentum non exhibet de ſe ipſo, de quo propterea judicium anceps hæret. Gaudet virtus proprio madere ſudore in laboribus exantlandis, in doloribus tolerandis. Moyſes ſuæ ſpecimen fortitudinis non dedit, quando Ægyptium aggreſſus, & inflicto vulnere interemit, ac ſabulo inſepelivit Exodi 2. v. 12. *Percuſſum Ægyptium abſcondit ſabulo*, quia non ipſe adverſa toleravit, non dolores ſuſtinuit, ſed Ægyptium proſtravit: tunc autem pompam fortitudinis explicuit, quandò ab ipſis, quos beneficijs cumulaverat, impetitus, fugam arripere adactus fuit; quia tunc plura incœpit tolerare, & labores ſubire, qui anſam ei exhibuerunt iteratò in arenam proſiliendi, & cum Hebræis, ac Ægyptijs certamen inſtituendi Exodi 2. *Audivit Pharao ſermonem hunc, & quærebat occidere Moyſem, qui fugiens de conſpectu ejus moratus eſt in terra Madian.* Ad perfectum fortitudinis dandum ſpecimen pro virtute tuenda violentas manus in Ægyptium injecit, & in fuga labores ſuſtinuit, incommoda toleravit: quid niſi fortitudine laureatus victor in Ægyptum revertitur ſymbolum fortitudinis deferens in manu, ſeu virgam prodigiorum patratricem Exodi 4. v. 20. *Reverſus eſt in Ægyptum portans virgam DEI in manu ſua*, nimirum tolerantia laudabilem commendavit Moyſis fortitudinem, qui cum pugnâſſet pro virtute, labores toleravit, ac gloriam conſummavit fortitudinis, huc accedendus S. Ambroſius lib. 1. de offic. cap. 36. inquiens: *Sanctus Moyſes hinc priùs orſus eſt tentamenta bellicæ virtutis: nam cùm vidiſſet Hebræum ab Ægyptio injuriam accipientem, eum defendit.* 16

Quòd ſi Moyſes prima ſuæ fortitudinis rudimenta poſuit, cum innocentiam Hebræi propugnavit, & Ægyptium expugnavit; tunc tamen totam fortitudinis gloriam hauſit, cùm labores ſuſtinuit, perſecutiones toleravit, plurimóſque ſudores fudit: eſt enim labor æquo animo, ac mente ſerena toleratus Lidius, qui perfectionem explorat, probàtque veræ fortitudinis: neque is deprædicandus eſt vir fortis, quem exantlati labores non exercuerunt; calamitatem viciſſe, laboribus non ceſſiſſe ærumnas, cruciatus, & dolores ſuſtinuiſſe mente imperturbata, fronte ſerena, hæc fortitudinis probant præſtantiam. Neque Mutius Scevola ut vir fortis fuit tunc commendatus, cum diſtricto gladio adverſarium aggreſſus eſt; ſed poſtquam dexteram ictum fallentem puniturus; manum, quæ erravit, flammis admovit ac igne cremari maluit, quàm conjuratos prodere, & proditione conſtantiam infringere, & fidelitatem temerare; tunc ſplenduit clarior fortitudo, cùm flamma acrior dexteram torquebat, tunc gloria virtutis crevit uberior, cùm manus igne abſumpta decrevit, tunc Mutius nomen ſuum illuſtrius poſteritati demandavit ſcriptum, cum carbone uſus pro calamo manum non movit ad ſcribendum, ſed flammis admovit ad tolerantiam doloris,
& cruciatûs: quia non ſplendet clarior forti- 17
tudo, niſi cum ærumnis, & adverſitatibus conſtanter toleratis premitur acrior.

Neque quid aliud Davidis commendavit fortitudinem, quàm laborum tolerantia. Accerſitus è ſua caula ad aulam Saulis cantu cacodæmonem, à quo Saul vexabatur, abegit. Sed quamvis lyræ pulſu, & vocis harmonia tartareum hoſtem vicerit, quem ad fugam adegit, non tamen ſpecimen tunc ullum dedit fortitudinis, quia labores non ſuſtinuit: ſed

tunc tantùm vires à divina gratia illi impertitas declaravit, cum dixit. 1. Reg. 17. v. 9. *Veniebat leo, vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum.* Et ad fortitudinis præſtantiam ſubjungit: v. 34. *Et illi conſurgebant adverſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebámque eos.* Quamdiu leo in Davidem non inſurrexit cum eo pugnaturus, eúmque expugnaturus, tunc David noxias gregi belluas abegit, quod officium erat Opilionis, debuitque eo fungi, ne proprio muneri deeſſet, ſed cum aggredienti leoni terga non vertit, ſed imperterritus, ac invicta loricatus fortitudine eum expectavit, labores cum ipſo ſuſtinuit, pericula non timuit, tunc quidquam ſupra humanam conditionem, & aliquid divinitatis ei ineſſe declaravit, ut expendit D. Auguſtinus apud Gloſſam inquiens: *Intellexit Saul cùm videret audentem puerum aliquid in eo divinitatis eſſe, nec illum tenera ætate ſine divino inſtinctu talia poſſe præſumere.* Abſque fortitudine divinitus ei impertita pericula non evaſiſſet David adhuc adoleſcens, tot labores in expugnandis feris non tolerâſſet, ſed quia tolerati labores præſtantiam probant fortitudinis, David glorioſior inde evaſit. Idque cauſæ, cur D. Paulus ſcribens ad Timoth. veram fortitudinis laudem à laboribus animo imperterrito toleratis oriri, ait. 2. ad Timoth. 2. v. 3. *Labora ſicut bonus miles Chriſti JEſu*: præ cæteris laborem commendat, quem non ſecus ac miles in caſtris patienter toleret. Miles enim in conflictu non ſolùm adverſarios impetit, verùm etiam vulnera ab eodem ſibi inflicta parvi pendens exinde ſtimulos ſumit, acriùs pugnandi, ac diutius labores tolerandi, ſtátque immotus adverſus ipſam mortem: ergo cùm Apoſtolus velit Timotheum imitari militem in caſtris, vult tolerantiâ laborum ſpecimen propriæ fortitudinis exhibere, quia ſine labore bellica fortitudo non ſplendet, ſine certamine victoriam non defert, ſine ſanguinis fuſione purpuram non induit, appoſitè S. Ambroſius lib. 1. de offic. cap. 36. *Illi mentem ita intendas tuam, ut quidquid acciderit, quo frangi animi ſolent, aut patrimonij amiſſio, aut honoris imminutio, aut obtrectatio infidelium, quaſi ſuperior non ſentias. Deinde ut te ſalutis ipſius pericula pro juſtitia ſuſcepta non moveant, hæc vera fortitudo eſt, quam habet Chriſti Athleta.* Vir fortis quamvis calamitatibus impetitus ærumnis preſſus, adverſitatibus circumdatus non tamen animo cadit, neque terga vertit, ſed ſtat immobilior contra adverſarios, & per toleratos labores ad coronam
18 pervenit victoriæ.

Hanc virtutem tunc DEUS commendavit, & ad ejus exercitia nos allexit, cùm mundum conditurus ex abyſſo ſui nihili firmamentum extraxit, extenditque in ſublime tot monilibus ornatum, quot ſyderibus coruſcum, quia fortitudini ſui nunquam deſunt ſplendores Geneſ. 1. v. 6. *Fiat firmamentum*, neque putes quid aliud in nobis eſſe firmamentum, quàm firmitatem animæ in DEO, & cœlis defixæ; quæ conſtanter ſuſtinet aquas ſuperas pellucidas, & criſtallinas proſperitatis, & ſolatij; ac inferas ſeu elementares procellis obnoxias, ſeu adverſitates, quæ premunt; ærumnas, quæ affligunt: quapropter quo naufragium in hiſce procelloſis aquis declinemus, neceſſe eſt, ſit nobis fortitudo veluti dies quintus, in quo hujus exagitati maris tempeſtates toleremus, ac veluti ſpirituales piſces effecti decumanos hos inter fluctus ita vivamus, ut non opprimamur; hiſce aquis ita innatemus, ut præſtantiam fortitudinis irrigemus. Marinos fluctus adverſitatum trajicientes portum appellimus æternæ quietis. Mare enim hujus mundi varijs ſemper tribulationum fluctibus agitatur, & ne pereamus, neceſſe eſt piſces referamus, qui à marinis fluctibus nil incommodi, nilque periculi patiuntur ob invictam conſtantiam, qua feliciter amaris innatant aquis; quos propterea ſi erimus imitaturi, nihil noxij in noxio tribulationum pelago nobis obtinget, dummodo mente imperterrita, animo forti, & conſtanti iiſdem innatemus, appoſitè S. Ambroſius lib. 3. de Sacrament. cap. 1. *Ergo tibi ſæculum hoc mare eſt habet diverſos fluctus, undas graves, ſævas tempeſtates, & tu eſto piſcis, ut ſæculi te unda non mergat.* 19

Quòd ſi ſquamigeri greges aquis innatantes in aquis paſcuntur, in fluctibus nutriuntur, in mare vivunt, quibus erepti, & ad littus adducti, aquis deſtituti moriuntur: perinde viri fortes, & pro juſtitia pugnantes, ita aquis innatant adverſitatum, ita fluctus tolerant ærumnarum, ita in mare tribulationum paſcuntur, ut ſine illis vix videantur vivere, ac ullum exhibere fortitudinis ſpecimen. Ut ærumnarum aqua ſit nobis ſalubris, neceſſe eſt ita moveatur, ut & nos exagitet: aqua enim quæ ſubſidet, & otioſa jacet motu deſtituta à nativa deficit bonitate, & ab illa diſcedit perfectione, qua prædita eſt aqua fluvialis, quæ excurrit, vel fontalis, quæ ex rupe foras exilit, & per flexuoſos meandros varios excurrit terræ tractus; beneficio enim motûs ſuam ſervat perfectionem, à qua deficit, ſi motu ſit deſtituta, quia tunc incipit corrumpi in excavatis foveis, vel marceſcit in ſtagnis: perinde ut vir fortis præſtantiam ſuæ virtutis indemnem ſervet, neceſſe eſt, fluctibus adverſitatum, aquiſque afflictionum exerceatur, ſi enim torpeat omni motu exercitij deſtitutus, neceſſe eſt noxia quiete corrumpatur, & à propria præſtantia cadat, non ſecus ac ferrum, quod licet metallorum fortiſſimum ſine motu abſque abſterſione rubiginem contrahit, & à ſua duritie, ac perfectione cadit, quod ſi frequenter abſtergeretur, ea non careret, imò & clareret illuſtrius, ut in aratro, quod quo diutiùs conteritur, & exercetur in cultura terrarum, eò ſplendeſcit illuſtrius. Hinc S. Chryſoſtomus in Pſal. 14. ait. *Aqua quæ conſiſtit & non meat, noxia eſt, ſed quæ movetur, exhauritur & per tubos, & aquæ ductus tranſmittitur, non ſolum ea eſt ſalubris, ſed & viſu, & tactu, & potu eſt jucundior; ſæpe enim vicit naturam afflictio.*

Non

20 Non quies ſed labor virum fortem probat, & viri fortes lumbos ſuos accingunt fortitudine, ut brachium corroborent, ac validiùs pugnent, laboréſque ſubeant Proverb. 31. 17. *Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachium ſuum*, viri fortes dicuntur accincti, & ſuccincti, erat enim cingulum militare ſymbolum fortitudinis, & Marti dedicari conſueverat referente Homero Iliade 13. & priſci Romani legem ſanxerunt, qua militibus injunxerunt, ut cincti ſemper eſſent, ut notat Alexander ab Alex. *lib. 1. dier. gen. cap. 20.* Idque cauſæ etiam fuit, cur milites diſcincti male audirent, & ob id Octavius Auguſtus referente Tranquil. in ejus vita cum militem ignavum ad ignominiam punire vellet, diſcinctum per medias acies tranſire juſſit, quò eò majorem indueret pudorem, quò ipſe cingulum exuit. Quidni? miles Chriſtianus diſcinctus procedit, ſi invicta patientia, ſi inconcuſſa fortitudine adverſitates non tolerat, & pugnare detrectat ad tuendam virtutem, & expugnandum vitium: ſi in fluctibus adverſitatum non innatat ſuperior, ſed mergitur oppreſſus: fluctus enim adverſitatum ſi virum fortem commendant; diſcinctum fortitudine merguut: eadem enim aqua, quæ arbores rigat, & nutrit ad vitam, myricam dicitur enecare, ut notavit Victorinus in caten. græc. cap. 17. ubi expendens illud Jeremiæ; *Et erit quaſi myrica in deſerto* ait: *Myrica mori dicitur cum imber ſupervenerit.* Ab aquis tribulationum fortitudine accincti nutrimentum, & vires hauriunt, diſcincti verò mortem ebibunt, quia tribulationibus perpluti pejores fiunt. Quòd ſi quæ aquis immerguntur majora imò & pulchriora videntur apparere, quàm ſint in ſe; aquis tamen tribulationum obrutus non ſolùm grandior apparet, ſed etiam verè fit, quia per toleratam adverſitatem fortitudo corroboratur, & vir fortis illuſtriùs commendatur.

21 Neque David major fuit, neque illuſtrior ſplenduit, quàm cum adverſitatibus preſſus à Saule ad necem quærebatur, tunc enim illuſtrius ſpecimen ſuæ fortitudinis dedit, quàm cùm in valle Goliathum proſtravit: quia ſi in valle gigantem fortiter expugnavit, in ſpelunca fortius ſe ipſum vicit, cùm Sauli pepercit; latebat profugus David cum ſuis paucis militibus in ſpelunca Engaddeæ Solitudinis, in quam naturæ fortaſſis levandæ causâ, cùm Saul ingreſſus fuiſſet, & David à ſuis incitatus ut illum interficeret, ut Saule interempto omnium ſaluti conſuleret, David tamen tacitus adſerpens ad Saulem non vulnera illi inflixit, ſed chlamydis regiæ particulam tantùm abſcidit ratus nefas in eum ſævire, quem DEUS ad imperij faſtigium electione ſua provexerat: egreſſo autem è Spelunca Saule David quoque extra eandem progreditur, Regem inclamat, quem ſubmiſſa veneratione mitigare ſtudet, ejúſque iram temperare, deinde modeſtè conqueritur, quòd ad necem ab illo quæratur, cùm ipſe nullo odio eum proſequatur, nec quidquam mali illi inferre velit, quem cùm potuiſſet in ſpelunca occidere, maluit indemnem ſervare: cum non majori negotio potuiſſet Regis caput amputare, quàm veſtis regiæ laciniam præſcindere, maluit veſti vulnus infligere, quàm Regi.

Invictam exercuit David fortitudinem, cùm tot labores, ut perſecutionem Saulis fugeret, conſtanter toleraverit, & ſe ipſum fortiſſimè vicerit, cùm Sauli pepercit, hinc S. Chryſoſtomus homil. 66. ad popul. ait: *David quando mirabilis fuit, & glorioſus? nonne dum in tentationibus fuit? Abſolon autem quoad fugiebat, nonne modeſtus erat?* Ita eſt, aquæ tribulationum fortitudinem irrigant, quæ grandeſcit uberior, ſtátque firmior. Viros fortes, & magnos tribulatio facit, quia non ſolùm homines vitijs exſpoliat, ſed etiam DEI gratia, ac virtutum honeſtamentis veſtit: evacuant adverſa, quæ noxia ſunt in homine, quem exercent, ut eum impleant utilioribus, ut notavit S. Auguſtinus in Pſal. 55. inquiens: *Ad hoc exagitat tribulatio, ut exinaniat vas quod plenum eſt nequitia, & impleatur gratia.* Ferunt Urinatores corallia aquis immerſa nutriri vegetiora, & creſcere grandiora, & ab aquis emerſa ſtatim exareſcere, & duritiem contrahere cum in aquis flexibilia eſſent. Quidni? pleroſque dixeris corallijs pares, quos ſi aquæ adverſitatum mergant, flexibiles ſunt, & molles ad virtututum ſignacula ſuſcipienda, qui tamen extra aquas obdureſcunt pervicaces, neque divinis monitis obſequuntur, talis fuit Pharao, qui cùm adverſitates eum obruerent flexibilis erat ad vota Moyſis, divinis obſequebatur monitis, & adeo mollis fuit, ut Moyſem rogaverit, ut vellet in ſui favorem preces fundere ad DEUM: ſed ab hiſce adverſitatum aquis vix emerſus obduruit. Exodi. 6. *Induratum eſt cor Pharaonis.* Verùm hac duritie non fortitudinem, ſed mollitudinem, imbecillitatem animi oſtendit, ac levitatem, qua tam facilè fieret mutationi obnoxius. Fortitudo æquè aquis immerſa ac ab iiſdem emerſa ſtat inflexibiliter, hærétque firma in propoſito æquo animo adverſa tolerandi: neque ab aquis adverſitatum ullam contrahit mollitiem, quæ fortitudini noxia ſit. Quin imò fortitudo fluctibus immerſa adverſitatum perficitur firmior; perinde ac ferrum candens frigidâ merſum obdureſcit firmius, ut ediſſere viſus eſt S. Gregorius Nazianzenus *orat. 25.* inquiens *Generoſior redditur animus Philoſophi ipſa laborum tolerantia, firmatúrque periculis, ut ferrum candens frigidæ aſperſione.* Quòd ſi duritiem contrahit, ut adverſantis Fortunæ tela retundat; mollitiem etiam induit, quâ faciliùs, ac expeditiùs ſignacula recipiat virtutum; ſéque promptiùs flectat in DEI obſequia; & tunc parem ſe facit unionibus, qui intra marinos, vel fluviatiles fluctus molles, ac flexibiles ſunt. 22

Viros fortes aptè unionibus pariaveris ſi eorum pretium ſpectes, molleſcunt ut flectantur in Numinis obſequium, in culturam virtutis; & obduriunt, ut frangi nequeant ab irruente vitio: ait Petrus Berchorius lib. 19. 23

Re-

Reductorij Motalis. *Margarita in aquis mollis eſt, maximè dum eſt in viſcere matris; duratur autem eviſcerata*: pati pacto vir forris mollis eſt,& flectitur in obſequium Numinis; obdureſcit verò contra adverſitates, quas vincit; & à quibus non frangitur. Hic autem unio virtus eſt, quâ vit fortis ſimul ornatur ad triumphum, & armatur ad pugnam contra adverſarios. Is præ cæteris habetur vit fortis, & ſtrenuus, qui in cultura virtutis ſupra alios eminet: appoſitè Clemens Alexandrinus *lib. 2. Strom. Fidelis, & ſincerus in ſeditionibus nunquam fuerit abſque omni virtute; pugnaces autem vel in bello mori volunt permulti mercenarij, quorum plerique fere omnes ſunt audaces.* Virtus eſt, non audacia, quæ virum fortem, & ſtrenuum commendar. Cum exuiſſet Joſuë mortalitatem primates de duce Judæorum eligendo conſilium inierunt Judic. c. 1. v. 1. *Poſt mortem Joſue conſuluerunt filij Iſrael Dominum dicentes quis aſcendet ante nos contra Chananæum, & erit Dux belli*: Reſpondit DEUS per unanimem populi vocem, & conſenſum, eſſe Judam cæteris præferendum: *dixitque Dominus: Judas aſcendet.* Cenſet Abulenſis, hanc tribum præ cæteris ad bellum deſtinaram; eò quia milires ex hac tribu cæteris eſſent fortiores, air Abulenſis quæſt 4. *Iſta tribus erat honorabilior, & erant in ea viri fortiſſimi.* Quòd ſi quætas in quóusm ſplenduit Judæ fortitudo, non credas emicuiſſe in robore corporis, in brachijs viribus muniris; quia ſola virtus fuit, quæ in Juda præclariora exhibuit virtutum ſpecimina; idque prodit ipſum Judæ nomen: ait D. Hieronymus in q q. Hebraic. *Juda confeſſio, ſive laus interpretatur*: Ideo Judas cæteris eſt in bello fortior; ideo eligitur dux Judaici populi, quia ſplendet virtute, ejúsque coruſcat honeſtamentis, quia DEI confeſſione, laudibúsque eidem ſolvendis eſt reliquis præſtantior: ſola igitur virtus eſt, in qua fortirudinis coruſcant ſpecimina: virtus eſt, quæ vires corroborat, dátque animos, excitátque ſpiritus ad fortiter pugnandum, ad vitia vel fuganda, vel proſternenda.

84 Bellum Madianitæ Hebræis indixerunt, quos ut expugnarent exercitum congregârunt ad centum,& triginta millia bellatorum ex omnium fermè gentium delectu, Duces fuerunt Orebus, & Zebus Madianiridis Reges, ut etiam Zebeus, & Salmanazar Principes ejuſdem gentis, hi enim dignitate præ cæteris ſplenduerunt: terrorem incuſſerat hebraicæ genti bellicus Madianitarum apparatus, præſertim cùm Madianitæ Paleſtinam invaſerint, & plures ejuſdem tractus devaſtaverint. Verùm Gedeon animos erecturus Hebræorum, velleris eiſdem promulgavit prodigium, omen victoriæ contra Madianitas aggreſſores deferendæ, etenim vellus ovillum in area ſubdiali per duas noctes expanderat Gedeon, & cum prima nocte fuiſſet cœleſti rore imbutum, & reliqua prope vellus loci ſpatia omnino exſiccata: & è converſo altera nocte vellus ſuſtulerit omnino ſiccum, & proxima loca depluto rore madefacta: ex hocce prodigio conjecit victoriam delaturum de proſtratis Madianitis, ſi diſtricto gladio eos adoriretur: & hac ſpe fretus triginta duo Hebræorum millia propriæ militiæ addixit ſacramento, fuitque ad crepidinem Aradi fontis caſtra metatus. Non tamen placuit Numini bellicus iſte apparatus, neque quòd Gedeon in militum numero ſpem locaret victoriæ; gaudet enim DEUS in paucis oſtendere ſuam potentiam, qui propterea injunxit Gedeoni, ot per excurrentem caſtra præconem miſſionem daret trepidis, ac timore correptis, quos à dato ſacramento relaxaret: ob hanc conceſſam facultatem diſcedendi è caſtris duo ſupra viginti millia militum ſtatim exceſsêre, trepidantes, & trementes ad auditas Madianitarum vires, coactíque exercitûs multitudinem: quapropter decem duntaxat millia poſt datam dimiſſionem Gedeoni ſuperfuerunt, quæ contra centum, & triginta hoſtium millia pugnare debebant, ſed quidni? adhuc hæc militum paucitas reſpectu hoſtilis multitudinis nimia viſa fuit DEO, qui propterea juſſit Gedeonem hunc numerum contrahere: cùm enim fervente ſolis æſtu, geminatóque cœli calore milites ſitis æſtu ſub meridiem accenſi eſſent, & à Gedeone Duce ad Aradum fluvium ducti fuiſſent, adeo effrœnis fuit in pleriſque bibendi aviditas, ut inflexis poplitibus, & ore aquis immerſo frigidam illam intemperanter hauſerint, ventrémque impleverint: & ex decem millibus militum, qui ad fontem venerant, trecenti tantùm fuerunt, qui frœnum cupiditati bibendi inijcientes, & intemperantiam compeſcentes hauſtam volâ manûs aquam ori admovebant, eam potiùs more canum lambentes, quàm ut boves deglotientes, & hos trecentos tantùm virtutis temperantiæ ſtudioſos voluit DEUS, ut cum Gedeone contra Madianitas pugnarent, ac futuræ victoriæ participes forent Judic. 7. 5. *Dixit Dominus ad Gedeon, qui lingua lambuerint aquas ſicut ſolent canes lambere, ſeparabis eos ſeorſum, qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt.* Collegit ergo Gedeon ex divino inſtinctu lagenas fictiles, tædas cerâ compactas, tubáſque corneas, quas ſingulas ſingulis ex trecentis, qui ſi ſuperfuerunt, miliribus diſtribuit: & nocte intempeſta cum per exploratores audiviſſet Madianitas ſuis in caſtris eſſe ſomno ſopitos, ſuos Gedeon trecentos milites animavit ad fortiter pugnandum, quos in tres centurias diviſit, & cum quilibet miles lagenam ſuam ſemi apertam cum face ardente læva manu deferret, & tubâ altera manu raucum, ac terrificum ederent ſonum, expergefacti Madianitæ, vocéſque audientes *gladium Domini, gladiúmque Gedeonis* ſtatim præcipiti ſe fugæ dederunt relictis caſtris cum comeatu, & Gedeon cum ſulis trecentis in ternam diviſis centuriam, ſeu in nomine Trinitatis, ac virtute ſupera præmunitus cum ſuis paucis militibus virtute temperantiæ loricatis inſignem detulit victoriam. Hic accerſendus Origines *homil. 9. in Judic.* ubi loquens de hac delata à

Ge-

Gedeone victoria ait: *Trecenti ſunt ſoli, quia ſacramenti hujus imaginem ferunt, iſti electi, probati, & ad victoriam conſecrati: qui etiam ipſo numero ſacramenti obtinere adverſarios poſſunt: trecenti enim ſunt, qui tertio centeno multiplicati perfectæ Trinitatis numerum gerunt.* Quia igitur trecenti Gedeonis milites virtute Trinitatis muniti, & temperantia loricati adorſi fuerunt Madianitas; centum, & triginta eorundem millia fregerunt ac in turpem fugam adegerunt: quia bellicam fortitudinem non militum multitudo, & ingens numerus conſtituit, ſed ſola, virtus, quæ & animos ſuppeditat, & vires corroborat.

Hinc Salomon eos milites delegit ad
25 lectuli ſui cuſtodiam, qui fortitudine eſſent corroborati, & ad cæcutientis noctis timores depellendos præliandi artem pollerent. Cant. 3. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, uniuscujusque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.* Sed ſi ſexaginta delecti milites propter timores nocturnos debuerunt vigiles excubare, quò parati eſſent ad irruentes hoſtes retundendos, cur potiùs non jubentur diſtrictos gladios tenere in manu ad terrorem hoſtibus incutiendum? cur femur gladio jubentur obarmare, & non potiùs nudato ferro dexteram, quæ in conflictu gladium movet, ictus dirigit, vulnera infligit? Verùm quia hi ſexaginta milites cuſtodientes lectulum Salomonis debuerunt fortes eſſe, imò, & ex fortiſſimis Iſraël *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael*: hanc fortitudinem militibus lectuli cuſtodibus non manus pugnans nudato ferro ſuppeditare poterat; ſed ſola virtus femoris concupiſcentiam coërcens: quia non robur manûs, non vires brachij, ſed præſtantia virtutis eſt, quæ fortitudinem aptam victoriæ deferendæ ſubminiſtrat: bene igitur femur armatur gladio, qoia in femore concupiſcentia, & luxuria ſolet inſoleſcere, & ſapientiſſimus Salomon, eos cenſuit fortiſſimos, quos prope lectum virtus compeſcens carnis libidinem muniret.

Non ſunt arma, non vires corporis, nec
62 militum multitudines, quæ fortitudinem bellicam commendant, ſed ſola virtus, quæ ſi virium proſtraverit, de hoſte quamvis numeroſiore victo epinicium ſibi occinit, & cæteris commendatur præſtantior: ut fuit Centurio ille in evangelio, qui virtute, & fide munitus acceſſit ad Chriſtum Matth. 8. 5. *Acceſſit ad eum Centurio rogans eum.* Obtinuit bellicam dignitatem, quia propriæ fortitudinis ſpecimen dederit, non milites occidendo, ſed miſeros vivificando; non hoſtes proſternendo, ſed pauperes ſublevando; non quia aliena diripuerit, ſed quia loca ſacra religioſo ſumptu, vel ædificaverit, vel reſtauravit; non quia hoſtilem ſanguinem fudit in alienam perniciem, ſed quia proprias pecunias profudit in levamen indigentium: hinc ajebant Judæi in ejus favorem Luc. 7. v. 4. *Dignus eſt, ut hoc illi præſtes; diligit enim gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificavit nobis.* Militavit Centurio iſte non ſolum corporis robore, ſed præclariùs animi virtute; ideóque meruit de fortitudine principatum, nec refertur hoſti ſubjectus, ſed militibus præfectus, ac in eos exercens dominatum Matth. 8. *Dico huic Vade, & vadit, & alij veni, & venit.* Vera Centurio iſte fuit bellica fortitudine corroboratus, ac alijs prælatus, quia virtute protectus ac fide munitus; vera enim bellica fortitudo eſt, quam virtus ſuppeditat, non quam arma, & militum multitudines oſtentant; appoſitè S. Chryſolog. ſerm. 102. *Centurio hic Romanus erat: ſed plus erat hic ipſo fructu cenſeſimo Chriſtianus, & Deo magis militabat iſte, quàm ſæculo; & in humano bello fortis, fortior in divinæ pacis cuſtodia permanebat:* tunc Centurio militare cinxit cingulum, cùm mores excolere cœpit; militiam tunc inchoavit, cum virtutis ſtudium initiavit; tunc ſpecimen fortitudinis dedit cum virtutum honeſtamentis ſe ornavit: ait Chryſolog. *In humano bello fortis, fortior in divinæ pacis cuſtodia permanebat.* 27

Non corporis moles, non nervoſa brachia, non vigor manûs vera fortitudinis exhibent ſpecimina; ſed ſola virtus, contra quam qui militat, non ſtat victor, ſed cadit victus. Duriſſimo Ægyptiacæ ſervitutis excuſſo jugo Hebræorum populus iter, præſignante de nocte coruſcante igne, & interdiu candida nube, quæ conſpicua populum præibat verſus rubrum mare, pergebat: & tertio poſt profectionem ex Ægypto die Pharao cùm intellexiſſet per Exploratores Hebræos ſacrificia non inſtituere, neque in campis ſiſtere, ut Numini litarent, ſed præcipiti, & occulta fugâ ſe ſubducere, ac ſubtrahere ab ejus dominio, indignatus, exercitum ea majori celeritate, quâ potuit, congregavit, quò fugientes inſequeretur. Sextus jam dies elapſus fuerat à ſuſcepta profectione cum columna nubis præambula, ſteterit ſupra rubri maris littus, fluctusque procella percitos; qui proprerea non modicum fugienti populo incuſſerunt timoris; ſed quia nubes præambula maris tranſitum præſignavit, Moyſes hortatus priùs populum ad excutiendum pavorem, ac fiduciam ponendam in ſolo DEO, qui eos à famulitio Ægyptiaco in libertatem aſſeruerat, manum, qua conſuetam ſibi virgam tenebat ſuper maris fluctus extendit, diviſitque ſtatim in duas partes, adeo ut fluctus facto divortio ſe ſeparaverint, erexerintque in geminos veluti lapideos muros ſternentes in proprio maris ſinu ſicca itinera, per quæ pertranſiens populus etiam pulverulenta relinqueret veſtigia. Pertranſivit exiccatum maris ſinum populus præeunte Moyſe: cúmque Pharao ſpolijs inhians, cædésque fugientium Judæorum ſpirans, fuiſſet, & ipſe cum ſuo exercitu mare ingreſſus; Moyſes ex oppoſito litore ex divino inſtinctu virgam, manúmque ſuper undas iterum explicat, & fluctus ſtatim priſtinas repetentes ſedes Pharaonem cum toto ſuo exercitu priùs ſepelierunt, quàm mortui fuerint, priùs merſi Arabici ſinus voragine, quàm poſſent ad oppoſitum littus devenire, videntque pro-

propterea Hebræi enatantia Ægyptiorum cadavera, quæ læti ſpoliârunt, iiſque arma detraxerunt, quæ proxima nocte iiſdem erant formidini, loricas, galeas, toraces in proprium vertentes munimentum: nimirum quia Pharao virtutem Moyſis, & patientiam, ac tolerantiam Judæorum inſequi ad internecionem auſus fuerat, ſe ſuóſque omnes perdidit: quia non armorum apparatus, non militum multitudo, ſed ſola virtus eſt, quæ victores instituit ſuos cultores Exodi 14. v. 6. *Iunxit currum, & omnem populum ſuum* hoc eſt, excuſſo quovis timore, & accerſita plena fiducia in DEUM Moyſem pertranſeuntem marinos fluctus ſequitur Pharao, ſed virtute deſtitutus, cedit merſus fluctibus, qui Moyſis nutui obtemperantes ejus ceſſerunt virtuti: non arma prævaluerunt contra marinos fluctus, ſed ſola virtus, qua cum munitus non fuiſſet Pharao ferales cupreſſos invenit, ubi victrices palmas Moyſes collegerat, huc accerſendus D. Bernardus ſerm. 18. in Cant. *Accipe quales is ſuis Principibus Pharae præparavit currus ad perſequendum populum DEI. habet namq; malitia currum ſuum rotis quatuor conſiſtentem; ſuntque ſævitia, impatientia, audacia, impudentia: valde enim velox eſt currus iſte ad effundendum ſanguinem, qui nec innocentia ſiſtitur, nec patientia retardatur, nec timore frænatur, nec inhibetur pudore.*

28 Non armorum apparatus ad victoriam iterſternit, ſed ſola, quæ virtus excolitur. Reverſus Saul Rex ex urbe Galgalorum in regiam ſuam à neſario atræ bilis genio, quaſi per cauſam latentis invaletudinis obſidetur, & licèt dæmon tyrannidis ſuæ niteretur notam celare; non potuit tamen Saules, oculorum turbatione, corporis agitatione, tartareum ſuum incolinum non prodere, cui mitigando de medicorum, ac familiarium conſilio, David adoleſcens è cuſtodia gregum, è ſua caula pecuaria ad regiam fuit aulam accerſitus, cujus peritiâ fidium, ac luſu Pſalterij Dæmon exagitator ſopiretur, vel è corpore Saulis eijceretur: vocatur ad pugnam contra cacodæmonem adoleſcens David, non quia armis munitus, ſed quia virtute ornatus, fiducia in DEUM tectus, & ſpe protectus. 1. Reg. 16. v. 18. *Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitem ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus eſt cum eo,* Ideo fuit David vir fortiſſimus, ac bellicoſus, non quia armis onuſtus, ſed prudentia in verbis inſtructus, non quia corpores mole robuſtus; ſed quia virtute inſignitus: non quia militibus ſtipatus, ſed quia excultis moribus ornatus: *Ecce vidi filium Iſai fortiſſimum robore, virum bellicoſum;* ſed ideo fortiſſimus, & bellicoſus, quia prudens in verbis, & pulcher moribus, elegans culturâ virtutum, *Et prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus eſt cum eo*, tota fortitudo ex cultura virtutum germinabat; bellicus valor ex eleganti morum concinnitate oriebatur: & quia virtute ſemper ornatus, fortis ſemper exſtitit contra hoſtes, quos expugnavit; audiendus eſt Abulenſis *quæſt.* 34. inquiens: *Hoc dixit ille puer Saulis Zelo bono concitatus, quia viderat David eſſe magnum Cythariſtam, & virum omni probitate laudabilem:* hoc eſt ubi virtus excolitur, ubi probitas floret, ibi bellica fortitudo commendatur, idque præmiſerat Abulenſis inquiens: *Quòd David tunc eſſet vir bellicoſus ſatis eſt: quia non vocatur vir bellicoſus ille ſolus, qui ætatis maturæ eſt, & bella novit; ſed quicunque robore excellens eſt, & facit opera fortior; ſic autem erat David, quamquam eſſet juvenis: quia erat fortis robore, & faciebat opera admiranda, & erat ad bella aptiſſimus.* Davidis fortitudo non in belli experimento, non in nervoſo brachio, non in ætate matura ſplenduit, ſed in ſola cultura virtutis, qua vegetior ſemper crevit, floruitque ad victorias, & triumphos.

Fortitudinem non probat corporea moles, neque robur brachiorum, ſed virtus, quæ 29
veræ fortitudinis fœcunda eſt parens, ubi enim virtus ſplendet, ibi fortitudo ſuas exerit vires. Timuit Rex Saul Davidem, ut virum fortem, qui gigantem proſtraverat, & opprobrium abſtulerat è populo Iſraëlis; ſed eundem habuit contemptui, deſpexitque Rex Achis. Quòd ſi quæras, cur David, qui Achi fuit contemptui, à Saule in magna fuerit æſtimatione habitus, credas, id obtigiſſe ex ſplendore, & catentia virtutis, David enim cum ad urbem Getheam veniſſet, & ad Regem Achim ſe contuliſſet, finxit ſe mente captum, ſtultitiâ laborantem, ac ſtoliditatem ſimulavit. 1. Reg. 21. *Impingebat ad oſtia portæ, deſluebántque Salivæ,* cùm primùm igitur Achis Davidem vidit virtute deſtitutum, veluti enervem, imbecillem, & abjectum deſpexit, dixit enim Achis *vidiſtis hominem inſanum, quare adduxiſtis eum ad me.* Tametſi David adhuc adoleſcens leones, & urſos perinde ac exiguos catellos, vel fugâſſet, vel inito conflictu, brachiorum robore, corporiſque viribus eos proſtrâſſet, quamvis Goliathum virum aſpectu terribilem, minas, cædes, & neces ſpargentem in ſingulari certamine viciſſet; adhuc tamen Achis Davidem credidit fortitudine deſtitutum, quia virtute ſpoliatum. Secus Rex Saul eatenus Davidem timuit, ut virum fortiſſimum, ac ſuperatu difficilem, quia virtute vidit ornatum; ait enim Samuel. 1. Reg. 15. *Vidit Saul, quòd prudens eſſet nimis, & cœpit timere eum.* Tametſi viderit Rex Saul ſuiſmet oculis Davidem dimicantem adhuc adoleſcentem cum Goliatho milite veterano, ac territante ſolo aſpectu, & unico jactu lapidis è funda vibrati eum proſtrâſſe, ejúſque caput amputâſſe, adhuc non legimus Davidem fuiſſe Sauli timori, neque Regem victorem adoleſcentem cenſuiſſe fortem, quia tunc nondum virtus David Sauli explorata fuit: ubi enim ſplendor illius virtutis, & prudentiæ illuxit, eique innotuit, tunc virum fortem credidit, quem propterea timuit, *vidit Saul quòd prudens eſſet nimis, & cœpit timere eum,* quia credidit poſſe ſibi ſceptrum, & diadema auferre; quia ubi virtus ſuos delegat nitores, ibi fortitudo ſuas exerit vires, & ad victorias ſibi

iter

ter ſternit. David quia prudentiâ celebris, fortitudine enituit. 1. Reg. 18. v. 30. *A principio egreſſionis eorum prudentiùs ſe gerebat David, quàm omnes ſervi Saul, & celebre factum eſt nomen ejus nimis.* Ideo enituit bellica fortitudine ſupra reliquos Iſraëlitas, quia præ cæteris cultura virtutum ſplenduit.

30 Quis Samſone fortior, qui Hebræorum Hercules audit: vix adolevit, & plura invictæ fortitudinis ſpecimina dedit, quorum primum fuit, cum Catulum leonis ad vineas Oppidi Philiſthinorum impavido pectore adorſus licèt infano rugitu territantem, utraque manu apprehenſum, rictúque comprehenſum in fruſta diſcerpſit, & quidem abſque ullo armorum præſidio, ſolis nudis manibus fortitudine tamen veſtitis. Secundum fortitudinis ſpecimen dedit cum à Philiſthæis per contemptum ſervituris provocatus, certamen ſolus contra ipſos inſtituit, & triginta eorundem interfecit, reliquos fugavit. Tertium cum funes, quibus illigatus fuerat veluti ſtupeum filum ambabus manibus diſrupit, vincula projecit, & in campi medium proſilivit, ubi cum reperiſſet aſini maxillam, carne quidem nudatam, ſed dentibus adhuc armatam, eâdem uſus, ut inſtrumento bellico in confertos hoſtium cuneos irrupit, & in partes ſingulas imperterritum corpus circumagens ea animi fortitudine, ea corporis dexteritate hoſtes cædebat, interficiebat, ut vir unus unica tantùm jumenti maxilla armatus mille proſtraverit Philiſthæos. Aliud fortitudinis ſpecimen exhibuit cum Gazæ civitatis portas ſibi averſas ſuſtulit, militéſque ſtationarios, & excubias fugavit, nemine Gazentium diſcedentem Samſonem cum portis, feris, poſtibus ac cardinibus evulſis inſequente.

31 Neque credas ab alio tantam fortitudinem potuiſſe Samſonem haurire, quàm ab ipſa virtute paterna, & propria. Fuit enim Samſon natus Patre Manue de tribu Dam, qui à cunabulis Nazaræorum inſtitutа, vivendi normam, & colendæ virtutis regulam ſectatus vino, & quavis alia inebriante potione abſtinuit, comámque enutrivit intonſilem, quod religiosè etiam ſervavit ipſe Samſon, qui non ſolùm à paterna, verùm etiam à virtute matris cum lacte fortitudinem ſuxit; habuit Manue uxorem ſterilitate laborantem, cuj apparuit Angelus Domini, dixitque ad eam ſterilis es, & abſque liberis, ſed concipies, & paries filium. Promiſit Angelus mulieri probro laboranti ſterilitatis filium; qui tamen, ut fortitudinis laude clarus eſſet, ac virorum fortiſſimus; injunxit Angelus matri culturam virtutis, exercitium jejunij, ut natus puer fortitudinem non à materno lacte hauriret, ſed à virtute exculta ſugeret, dixit Angelus mulieri Judic. cap. 13. v. 4. *Cave ergo, ne bibas vinum, ac ſiceram, nec immundum quidquam comedas. quia concipies, & paries filium, cujus non tanget caput novacula; erit enim Nazareus DEI ab infantia ſua, & ex matris utero; & ipſe incipiet liberare Iſrael de manu Philiſthinorum.* Materna igitur virtus fuit, quæ cum lacte fortitudinem Samſoni inſtillavit; hanc enim vix natus, cùm nactus fuiſſet leonem rugitu territantem diſcerpſit apprehenſis nuda manu ejus faucibus, quas dilaceravit, ac leonem interemit Judic. 14. *Dilaceravit leonem quaſi hædum in fruſta diſcerpens*: non terruit Samſonem leonis rugitus, ſciebat virtutem rebus arduis probari, & exerceri, propterea venienti belluæ corde imperterrito obviavit, quam & proſtravit, quòd ſi in faucibus extincti leonis, mellis dulcedinem fuit poſtea expertus, id fuit eidem documento virum fortem, nec adverſis frangi, nec proſperis flecti, ac molleſcere, & fructum laboris eſſe ſemper dulcedinem præmij, & gloriæ. Quòd ſi unica tantùm armatus jumenti maxilla cruentam ſparſit hoſtium cædem, & Philiſthæos vicit, ac fugavit, inde nos edocuit non referre, quibus armis, ſed quibus pectoribus vis hoſti inferatur, ſeu illata propulſetur. 32

Quòd ſi natura homines inermes progignit nullo armorum præſidio munitos; cum ungues, dentes, urſis, leonibus, pantheris aliiſque feris abundè ſuppediter, quibus in hoſtiles turmas aliarum ferarum armatæ irruant: homini ſolam reliquit virtutis culturam, quâ ſi muniatur, fortitudinem induit, qua facili negotio feras omnes vincit armatas, ſcitè Saluſtius in Jugurtino ait: *Magis invenies naturæ induſtriam hominum, quàm vim, aut tempus deeſſe*, non armorum pondera, non militum numerus ſtrategum fortem deprædicat, ſed ſola virtus, quâ ſi fuerit munitus timorem incutiet integro exercitui. Scimus Annibalem in agro Cannenſi viribus, armis, & milite majorem fuiſſe Romano Fabio, & tamen virtute iſtiua paulatim fractæ fuerunt vires illius. Ex induſtria, & virtute cunctabundus Fabius impedivit Annibali, ne Romam ingrederetur, & mora Fabij cunctantis Romam incolumem ſervavit, & Annibalem expugnavit. Quòd ſi fortiores cenſentur, qui victoriam aſſequuntur, nulli dubium, quin virtutum cultores fortes ſint cenſendi. Plerumque quem arma opprimere non poſſunt, hunc Sola virtus, & induſtria proſternit. Fuerant tres Curiatij Albani cum tribus Horatijs, iiſque Romanis in duellum à ſuis ducibus deſtinati, quo reliquorum ſanguini parceretur, & arbitri eſſent pro utroque exercitu Albano, & Romano, & is epinicium caneret, in quem fuiſſet victoria refuſa è ſuis tribus bellatoribus. Quidni primo impetu tres illi Curiatij fratres duos de Horatijs diſtricto gladio, vulneribúſque inflictis ſuperârunt, interfecerunt: ſed qui de Horatijs ſuperfuerat is fugam arripuit, quem à tergo inſequuntur victores Albani, ſed cum eſſent curſu impares faciem, frontémque vertit Horatius in eum, qui ſibi jam proximior adhærebat, quem gladio transfixit: & iteratò priſtinam fugam continuavit, quem cùm alij duo ſuperſtites fratres adhuc inſequerentur, iterum cum vidit unum altero ſibi proximiorem, verſa iridem contra ipſum fronte pugnavit, eúmque inflicto vulnere proſtravit, & tunc faciliori de-

negotio cum tertio fratreCuriatio ſuperſtite intrepido marte conflixit, eúmque iridem ſuperavit: non numero igitur militum, non armorum præſidio Horatius tres Curiatios vicit, ſed ſola virtute & induſtria, qua unum poſt alium interemit, & ut ait Livius *decad. 1. lib. 1. in laud.* Horatij: *Quos viribus non poterat, arte, & induſtria tandem ſuperavit; & quam victoriam trium fortitudo amiſerat, virtus tantùm unius reſtituit.*

Ubi agitur de inſigni victoria deferenda contra formidabilem hoſtem, non militum numerus, ſed virtutis præſtantia requiritur, quia bellica fortitudo virtute innutritur, non armorum pondere premitur: hinc DEUS ipſe debellaturus tartareos hoſtes, & ab eorundem ſervitute humanum genus redempturus ex pluribus Angelorum myriadibus unicum ſelegit Gabrielem, quem delegavit ad Virginem Nazaræanam, cuj myſterium nuntiaret divini Verbi, quod in ejus utero noſtram eſſet humanitatem induiturus. Sed ſi quæras cur nuntium tanti myſterij ad Virginem Gabrielem delegaverit; quia nimirum Gabriel DEI *fortitudo* latinè vertitur, ut expendit S. Hieronymus *in Daniel. lib. 1. cap. 2.* inquiens: *Gabriel in lingua noſtra vertitur fortitudo DEI, vel robuſtus DEI; unde & eo tempore, quo erat Dominus naſciturus, & indicturus bellum dæmonibus, & de mundo triumphaturus Gabriel venit ad Zachariam, & Mariam.* Voluit DEUS, ut nuntius ad Mariam miſſus proprio nomine DEI proderet virtutem, ac fortitudinem, quia cùm decreviſſet noſtram aſſumere humanitatem, & infernum adoriri, vincere, ac proſternere, ac de ejus famulitio humanum genus eripere, decuit ut DEI fortitudo manifeſtaretur per nuntium tanti myſterij ad terrorem incutiendum tartareis legionibus, contra quas erat certamen ineundum: appoſitè S. Gregorius homil. 34. ait: *Per DEI fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum Dominus & potens in prælio ad debellandas poteſtates aëreas veniebat.* Ejuſdem nominis etymologiam expendens venerabilis Beda *de interpret. nom. Heb.* ait: *Gabriel virtus mea, DEUS confortavit me, & confortatio mea DEUS.* Interpretatur nomen Gabrielis virtus DEI confortans, & huic interpretationi adhæret Hugo Carenſis *in cap. 1. Luc.* inquiens: *Interpretatur Gabriel confortavit me Dominus; quia ad hoc veniebat Dominus, ad hoc ut diſſolutum populum confortaret.*

34 Quinimo eandem fortitudinem, quam nomine Gabriel circumtulit, Mariæ virtus in proprio ſinu jam enutrierat à DEO corroborata, & plenitudine divinæ gratiæ præventa. Fuit ſiquidem Virgo ex progenie Davidis, cujus nomen *manus fortis* interpretatur, fuit enim Virgo mater, quæ ante omnes alias fœminas manum ſuam miſit ad fortia, & peccatum ipſum priùs expugnavit, quàm contra ipſam pugnaret; priùs proſtravit, quàm ipſam tangeret; priùs vicit, quàm ipſam aggrederetur; ideóque tota pulchra deprædicatur, in qua macula nunquam fuit. Magna ac nervoſa requirebatur fortitudo, ut homo avocaretur à lapſu, purgaretur à culpa, & hoſtes tartarei proſternerentur, mórsque ipſa victa caderet, & vita glorioſior ſurgeret. Factu igitur optimum, quòd Gabriel nuntius mitteretur tanti miſterij; cujus nomen, ſeu DEI fortitudo infernum ipſum terreret; & humanum genus ab ejus famulitio in libertatem aſſereret. 35

Quòd ſi DEUS *Iſajæ 6.* Olim miſit Seraphin in hominum auxilium; vix potuit iſte unius Prophetæ extima labia appoſito carbone purgare, quapropter ad totius populi maculas abſtergendas longè major videbatur virtus neceſſaria, divina ſcilicet præſignata in nomine *Gabrielis* in divina fortitudine: miſſus enim DEI filius in terras fuit, ut noſtram indueret humanitatem, noſtróſque hoſtes expugnaret, & omnium maculas aboleret, quas peccando contraximus; appoſitè S. Ambroſius *lib 4. in Luc.* ait: *Seraphin dirigeret, & ipſum deſcendit in terras in medium populi immunda labia habentis, & unius tantùm Prophetæ labia appoſito carbone mundavit: alius dies requirendus fuit, quem ſequerentur omnes, quis tantus eſſet Dux, qui prodeſſet omnibus niſi ille, qui ſupra omnes eſt?* Certè ad tartareas proſternendas legiones, ad mortem vincendam, ut vita reſurgeret, ad peccata ex cordibus noſtris delenda, & ad totum humanum genus reſtaurandum nulla alia fortitudo niſi divina fuiſſet idonea. Divina requirebatur fortitudo, quæ humanum genus lapſum erigeret, & in famulitio detentum peccati in libertatem aſſereret; hinc Iſaias cap. 63. v. 1. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ; ego qui loquor juſtitiam, & propugnator ſum ad ſalvandum.* Quando agitur de hominibus ſalvandis, DEUS ipſe è ſummo cœlo in ſua deſcendit fortitudine, imò & in multitudine fortitudinis ſuæ ut ait Iſaias, ut inde conijciamus quanti ſit moliminis humanum genus è famulitio peccati ad libertatem perducere, & tartareas legiones proſternere: ſcitè S. Petrus Damian. ſerm. 40. ait: *Gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ, non ſolùm in fortitudine, ſed etiam in multitudine fortitudinis: quia nulla fortitudo fortior fuit, quàm redimere ſervum, & in divinitatis dexteræ perpetuò collocare.*

EXPENSIO XXII.

Adamantinus Patientiæ Clypeus retundendis adverſitatum telis neceſſarius oſtenditur.

1 PAtientia virtus eſt, quâ mala hujus ſæculi æquo animo, fronte ſerena, vultúque hilari ſuſtinemus, adeo ut ob calamitates, quæ imminent; ob anguſtias, quæ premunt; ob miſerias quæ affligunt, & ob dolores, qui torquent, nec interiùs immoderatè turbemur, aut triſtemur; neque exteriùs quicquam minus decorum, & honeſtum admittamus; ſed perinde ſtemus, ac ſi quæ nobis adverſantur; nos non tangerent; poſſitque quisque cum Moyſe dicere Exod. 3. 3. *Ibo, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Viderat Moyſes in vertice Orebi montis rubum flammis utrinque intus & foris obſeſſum; ita tamen, ut voracitas flammæ viriditati non noceret rubi, ſed eam illuſtraret; ignis ſerpens per rubi ramos folia non læderet, ſed vegeriora redderet; incendium plantam non voraret; ſed veluti antelucanis ſtillicidijs irroraret, ut vegetior adoleſceret; altior creſceret; ac lætior vireſceret: quidni? hanc viſionem virtus patientiæ ſpectandam ſuis exhibet in cultoribus: magna eſt viſio, ſi videas hominem convicijs impetitum, anguſtijs preſſum; calamitatibus obrutum, doloribus tortum, ac tribulationum ignibus utrinque ardentem, non tamen comburi; & in nullum impatientiæ verbum irrumpere, nullam depromere querimoniam; ſed immotum perſiſtere, ac ſcopulum æmulari marinis percuſſum fluctibus abſqoe ullo motu; rubúmque Orebi imitari flammis ardentem citra læſionem. Hoc tribulationum igne clarior virtus illuceſcit: Eſt enim patientia inter virtutum gemmas pellucidus adamas Ezech. 3. *Ut adamantem dedi faciem tuam, ne timeas eos* non pavet patientiæ cultor adverſantis fortunæ impetus, quos citra ullum damnum retundit. Dixeris, patientiam eſſe veluti adamantinum, clypeum quo tectus ictus omnes fruſtrat adverſitatum Amos 7. 7. *de manu ejus trulla cæmentarij* Symmachus, textus Syrus, & 70. Interpretes pro *trulla* vertunt *adamantem*, quaſi patientia ſit adamantinus clypeus in manu pugnantis contra adverſitates: S. Hieronymus expendens præfata verba prophetæ ait: *Adamas ſui nominis lapis eſt, quem nos indomitum poſſumus appellare, eò quia nulli cedat materiæ; nec ferro quidem; nam ſi ponatur ſuper incudem, & gravi ictu feriatur mallei; antea incus & malleus accipiet vulnus, quàm adamas conteratur. Quòd ſi ignis omnia domat, & univerſa metalla conſumit, reddit adamantem fortiorem, ac duriorem.* Hinc nulla ferrea, vel chalibea lima potis eſt adamantem mordere; ſed potius adamas limam terit. Summus Pontifex in ſymbolum patientiæ & fortitudinis, crucem geſtat in pectore adamantinam; quia ſumma in ipſo deſideratur patientia in regimine eccleſiæ, & fortitudo in arcendis ab ovili Chriſti lupis, ac in defendenda eccleſia contra hæreticos. 2

Eſt patientia non ſolùm adamantinus clypeus retundendis adverſantis fortunæ externis ictibus accommodatus; verùm etiam efficax panacea curandis internis morbis tum animi, tum corporis opportuna: non enim nobiſcum iniquios actum eſt, quàm cum feris ſylvarum. Quòd ſi aper, ut propriæ medeatur ægritudini dicitur ad ſuam currere hederam; ſi draco ad ſylveſtrem lactucam; ſi anguis ad marathrum; quin imò alijs etiam proximiora ſuppeditantur remedia; ſiquidem cani inflictis vulneribus ſaucio, ipſa lingua eſt pharmacum opportunum, adeo ut niſi lingat vulnus, langueat ipſe: hominibus commune eſt pharmacum, & contra ægritudines omnes efficax panacea ipſa patientia, & ſilentium, sitque propterea poſſe mala pati, perinde ac à quavis ægritudine quamvis curatu perdifficili liberari: facilè à malis omnibus, quæ patitur ſe expedit, qui patienter ea ſuffert 3

Eſt enim patientia pernéceſſaria homini, quia ſicuti nihil eſt illi familiariùs, quàm pati, ita nihil magis neceſſarium quàm ipſum exercitium patientiæ, cujus partes integrales ſunt æquanimitas, & longanimitas; quatenus eadem virtus penes diverſas materias vocatur æquanimitas, patientia, & longanimitas, cùm enim patientia adverſantia quæque æquo animo ſuſtineat, adeo ut propter illa vir patiens nec interius immoderatè perturbetur, aut triſtetur, neque exteriùs aliquid minus decorum admittat; oritur, quod pro diverſis malis, quæ in hac fluente vita contra nos irruunt, & occurrunt toleranda, eadem patientiæ virtus diverſas ſortiatur nomenclationes: ſi enim mala intra fortunarum jacturam reſtringantur, eorum tolerantia, æquanimitas dicitur: ſi intra alia mala, patientia vocatur: & quia ex hiſce malis unum eſt moleſtia illa, quæ percipitur ex rei expectatæ dilatione, tolerantia hujus moleſtiæ vocatur longanimitas, eſtque patientia ſpectata præcisè, eò quia verſetur circa incommodum; quod percipitur ex rei expectatæ dilatione. Æquanimitas verò eſt habitus inclinans ad tolerandas fortunæ viciſſitudines æquo, & tranquillo animo ſine mentis perturbatione, aut immutatione immodica, adeo ut æquanimis dicatur, qui æqui eſt animi, & non extollitur proſperis, nec frangitur adverſis, ſed eodem ſemper tenore utramque aſpicit fortunam, ſive rideat proſperis, ſive ſæviat adverſis, in quo ſenſu Plautus in Ruden. ait: *Animus æquus optimum eſt ærumnæ condimentum:* quamobrem æquanimitas coarctatur ad bonorum jacturam, quatenus hæc æquo animo toleratur, & eſt veluti mentis anchora in fluctibus, & procellis, quibus res humanæ agitantur, & quatiuntur.

4 Hæc virtus altiùs hæret animo, ſi seriò perpendatur externorũ bonorum fluxibilitas, fugacitas, & vilitas, & mens noſtra elevetur ad conſiderationem illius ſummi boni, quod nul-

nulla poteſt nobis fortuna eripere, niſi velimus nos ab illo avertere: Si seriò perpenderemus, ac introſpiceremus res humanas, facilè quàm ſint fluxæ, & ſuapte natura evanidæ deprehenderemus: quòd ſi bona fortunæ mutationum viciſſitudinibus obnoxia ſunt, & eorum fugacitas euro ipſo velociùs avolat; nemo eſſet qui horum bonorum miraretur caducitatem, & eorundem jacturam æquo, tranquillóq; animo non toleraret: ſunt enim bona fortunæ ut loquitur Epictetus apud Arrianum lib. 1. cap. 24. Hoſpitium, quo ad exiguam horam, vel moram hoſpites utuntur: & ſicut omniſi improvidè quis in hoſpitio firmam, ac ſtabilem figeret ſedem: ita vir prudens fluxis hiſce bonis non adhæret, neque iiſdem fidit: deſipit enim, qui ſinit ſe animo frangi ex eorundem jactura.

Ad patientiam verò quod attinet, ſolet
5 hæc juxta D. Thomam dupliciter ſumi, nimirum pro virtute, quæ firmat animum contra timores, & mœrores mortia, imò etiam contra mala ipſa, quæ mortem invehunt; quo pacto virtus patientiæ in Martyribus enituit, & eſt pars integralis fortitudinis. Rurſus ſumitur quatenus eſt habitus inclinans ad fortiter excipiendas, & tolerandas injurias, & moderandum mœrorem, ac triſtitiam, adeo ut ſit proprium patientiæ animum obfirmare, ne vacillet, cùm mala irruunt, & moderari mœrores, qui ex iiſdem percipi ſolent, ne animus turbetur, & aliquid agat indecori: qua ratione patientia in morte parentum, filiorum, amicorum; in morbis, contumeliis, adverſitatibus, aliiſque id genus malis munit, ſimùtque animum ad eadem adverſa, ſibique contraria mala fortiter, & æquanimiter toleranda: quia hæc mala magnos ſolent mœrores adferre, qui hominem perturbant, ac ab officio deiiciunt virtutis, tunc patientia hos mœrores coërcet, ne homo recedat à præſcripto rationis, neque exteriùs quidquam agat minus honeſtum, quia perſæpe ob mœrores, & triſtitias impeditur homo ab operibus, ad quæ tenebatur: & ne id contingeret neceſſaria erat virtus, quæ hos mœrores moderaretur, & hæc propriè patientia, dicitur, *quâ* ut loquitur Auguſtinus lib. de patient. *mala æquo animo toleramus*. Nulla eſt virtus, cujus exercendæ frequentiores occurrant occaſiones: quia ſicut malorum agmina, quæ in nos irruunt plura ſunt, & quotidiana, ideo exercitium patientiæ continuum eſſe debet, & nunquam interrumpi: quòd ſi militia eſt vita hominis ſuper terram, in hoc conflictu ſola patientia eſt impenetrabilis clypeus, quo hoſtiles impetus retundimus, & ne vulneremur ſemper cavemus. Cæterum materia hujus virtutis eſt triſtitia, & afflictio animi, quæ ob recenſita mala ſolet in nobis excitari: proprium enim patientiæ eſt hos mœrores, vel plenè coërcere, vel ſaltem moderari, ne regulas transgrediantur rectæ rationis: & illa ſpecialis honeſtas, quæ relucet in hac moderatione triſtitiæ, & mœroris juxta præſcriptum rationis, & ut decet virum patientem, ſit hujus virtutis proprium objectum formale; ac proprium ſpecificativum illius.

6 Hinc patientia non ſolùm mœrores in adverſitatibus coërcet, ſed etiam injurias ſibi illatas oblivione delet; ſerena fronte ærumnas amplectitur, quas æquo animo tolerat: hujus virtutis cultor fuit Joſeph, qui æquo animo, ac eadem mente utramque fortunam arridentem proſperitatibus, & ferientem adverſitatibus excepit, ut notavit S. Zeno Veronenſis de Joſeph inquiens: *Joſeph invenitur patiens in paſcuis cum à fratribus rapitur, patiens cum in puteo detinetur, patiens in carcere, in regno patientiſſimus cùm deſideratos fratres agnoſceret*: uberioribus encomiis commendat Joſephi patientiam in regni proſperitate, quàm in carceris calamitate, quia licèt viri patientis ſit æquo animo utramque fortunam excipere; ſi tamen ſlante aurâ proſperitatis non intumeſcit, clariores emittit virtutis ſplendores: quia patientiæ amplexu fratres excepit, promeruit ſupra cæteros commendari in Ægypti regimine, & gubernatione, quia ut ait Salomon proverb. 14. v. 19. *Qui patiens eſt multa gubernatur prudentiâ*. Tametſi fuerit Joſeph à fratribus in ciſternam demiſſus, ut ſiccea morte periret, & poſtea mercatoribus divenditus, has tamen ſibi illatas injurias patienter tulit, oblivione delevit, & æquo animo, vultúque tranquillo fratres ſuos amplexus eſt, quos & beneficiis cumulavit: tametſi durum videretur pacis oſculo eos excipere, à quibus fuerat injuriis laceſſitus; patientia tamen oblivione illatas omnes ſibi injurias jam diu extinxerat, & fratres non ut ſibi infenſos, ſed ut ſanguinis neceſſitudine ſibi devinctos amore, & charitate amplectitur, annonam ſine pretio impertitur, ac pluribus cumulat beneficiis; quia patientia, quam in ærumnia Joſeph excoluit fructus peperit reliquarum virtutum præſertim charitatis, & benevolentiæ: *radix omnium virtutum patientia eſt*, ait D. Gregorius Magnus: & Joſephi patientia, nunquam illuſtrior ſplenduit, quàm cùm ſe fratribus ſuis benignum exhibuit, injuriarum immemorem, charitate amantem, liberalitate munificum. Parum fuiſſet injurias paſſum fuiſſe à fratribus, niſi ulterius animum addidiſſet benevolum, amore ferventem, & liberalitate munificum; quinimò ut omnem deponerent fratres pavorem, animúmque erigerent, cùm primum ſe fratrem eorum aperuit, dixit Geneſ. cap. 45. *Nolite pavere*. Eus verborum affabilitate allexit, ut timorem excuterent, & vindictæ umbras in fratre tunc in Ægypto præpotente non timerent.

Scimus, Deum erectutum homines in ſpem ſerenitatis, aëriſque arridentis arcum ſuum poſuiſſe in nubibus, qui teſtatetur veniam delictis indultam, & timores prorſus excuteret, homineſque certiores faceret futuræ ſerenitatis, ac ſponderet nunquam ulteriùs Numinis iram exaſturam in homines, ſicut in diluvio Geneſ. 9. *Hoc eſt fœdus, quod conſtitui inter me & omnem carnem*, Si quæras, cur DEUS hominibus peccantibus teſſeram ſuæ clementiæ præ-

præſtiterit, reſpondet D. Chryſoſtomus in Geneſ. 9. Ut eos alliceret, ſibique amore devinciret, & per exercitium patientiæ ſymbolum pacis, benignitatis, ac charitatis cœlo ſuſpenderet: ait Chryſoſtomus: *Nam cordatus beneficia magis, quàm pœnæ alliciunt ad mandatorum obſervantiam*: ut inde diſcant, qui cæteris dignitate, & poteſtate præficiuntur, non nimis, & incuſſo timore, ac poteſtate tumida, & ſuperba ſubditos in ſua vota trahere, ſed amore, & tolerantia, charitate, & patientia; quæ enim duris franguntur, charitatis igne molleſcunt, & flectuntur. Neque DEUM aliter flectimus in noſtra vota, quàm per charitatem, & patientiam ait Petrus Damianus: *quærentibus DEUM duæ propenſiùs neceſſariæ ſunt virtutes Charitas, & patientia*; per exercitia utriuſque virtutis quæritur DEUS, & invenitur: & eadem ratione alliciuntur homines, & trahuntur, quia qui beneficijs obſtringuntur non poſſunt niſi in laudes erumpere benefactoris, hinc Apoſtolus ad Roman. 12. v. 20. *Si eſurierit inimicus tuus ciba illum, ſi ſitit potum da illi: hoc enim faciens carbones congeres ſuper caput ejus*: ſed ſi beneficijs cumulantur eſurientes, & ſitientes quomodo carbones dicuntur congeri ſuper eorum capita, cùm carbones æſtus non extinguant, ſed accendant, famem non ſatient, ſed dolores incrementent? ſcitè Apoſtolus ait: *carbones congeres ſuper caput ejus*, quia pollut cùm eſſet Prophetæ lingua immiſit DEUS Angelum, qui ignito calculo eam purgaret, ſolveret ad loquelam, & ad verba digna laude proferenda. Quidni? ſi beneficijs hoſtem affeceris carbonem congeres ſuper caput ejus, ſeu omnes perverſas cogitationes vindictæ combures, ac delebis; mentem à malignante odio purgabis, & eum tibi reconciliabis, qui propterea linguam ſolvet in tui laudes, ubique deprædicandas.

8 Tametſi fuiſſet Joſeph ſuis à fratribus injurijs impetitus, ærumnis afflictus; imò & ad mortem damnatus, adhuc eoſdem eſurientes per exercitia charitatis, & patientiæ maluit paſcere, quàm umbram ullam malevolentiæ depromere; ſemel & iterum gratis donavit annonam ad convivium eos admiſit, eorum ſitim extinxit, & iiſdem ſalutem, omnémque proſperitatem propinavit, & Proregis defunctus fuit officio, ſimùlque veri patientis documentum exhibuit, ſcitè D. Leo Papa ſerm. 9. de quadrag. *Ad hoc potiùs intenta debet eſſe cura Rectorum, ne ullus algeat, ullus eſuriat, ne quis inopiâ deficiat, quantumlibet enim exiſtant cauſæ offenſionis ab homine tamen in hominem non tam delicti magnitudo, quàm naturæ eſt cogitanda communis, ut de judicio, quo alterum judicat miſericordiam DEI judicantis obtineat*: hæc eſt vera ara vindicandi injurias ſibi illatas, illarum prorſus oblivisci, & pro illatis convicijs beneficia rependere: exulceratis animis medentur, quæ iiſdem impertiuntur beneficia.

9 Quòd ſi cultores virtutis permittit Deus, adverſijs impeti, ærumnis premi, doloribus torqueri paupertate anguſtiari, calamitatibus affligi, non ut eos puniat, id permittit, ſed ut probet, ac eorum virtus adverſitatum tenebris obſita illuceſcat mundo clarior: examen enim patientiæ ſunt, quæ cultori virtutis obtingunt adverſa, ait D. Paulus ad Roman 5. 4. *Tribulatis patientiam operatur, patientia autem probationem*: eſt adverſit as lydius lapis, cujus duritie virtus probatur, & *qui tribulationem detrectat*, ait D. Baſilius in Pſal. 53. *probatione ſe privat*, nec qualis ſit ejus probitas innoteſcit: ait Salomon Proverb. 1. *Doctrina viri per patientiam noſcitur*, & patientia non exercetur niſi adverſitates, quæ tolerentur, acceſſerint; & qui æquo animo adverſa non tolerant, patientiam non exercent, neque per patientiam, qualis ſit eorum doctrina, ſeu virtus, & ſanctitas apparet: DEUS illis impertitur ſcientiam Sanctorum, qui plurimum impendunt laborum in tolerandis ærumnis, & calamitatibus, quibus premuntur Sapient. 10. v. 10. *Dedit illi ſcientiam Sanctorum, honeſtavit illum in laboribus, & complevit labores illius*. eatenus dat DEUS ſcientiam ſanctorum. quia cohoneſtat labores æquo animo, & patienter toleratos, quos & complet, quatenus ad normam virtutis perficit. Notatu dignum, quòd cùm Salomon ſemel tantùm meminiſſet ſcientiæ; bis labores repetere voluerit, an quia non per unum tantùm, ſed per plures patienter toleratos labores ſcientia Sanctorum, ſeu virtus acquiritur? D. Bernardus cenſet, bis Salomonem meminiſſe laborum, eò quia vera ſcientia Sanctorum ſit temporaliter cruciari, & ſimul de labore tolerato, de cruciatu ſuperato gaudere, & gratias Deo agere; ſitque propterea primus labor paſſivus, quatenus qui cruciatus ſuſtinet, patitur; & ſecundus labor activus, eò quia qui toleravit laborem paſſivè, mox activè gratias rependat DEO, ait Bernardus *Scientia Sanctorum hic eſt temporaliter cruciari, & delectari*: æquo, & læto animo ſuſcipiendi ſunt labores, ut poſtquam fuerint exantlati, & adverſitates patienter toleratæ gratias omnium bonorum rependamus Largitori, qui per exercitia patientiæ ad præmia cæleſtis gloriæ nos perducit 10

Qui patienter adverſa tolerat DEUM flectit in ſua vota, & quod petit, munifica largitate à DEO accipit. Sterilitatis probro laboraverat Anna uxor Elcanæ cum Phenenna altera ejuſdem uxor fœcunditate felix, prole gauderet; idque cauſæ, cur affligeretur, & jugi mœrore confecta lacrymas, & preces in templo funderet; ut DEUM emolliret, ac flecteret in ſua vota, & optatam prolem ſuſciperet; cumque in templo lugens in fundendis precibus labia moveret, & intimiore corde oraret; Heli ſacerdos, quia vocem precantis non audivit, & ſolos labiorum motus vidit; non tantùm lacrymis, ſed uberiori fluxu vini eam cenſuit madidam 1. Reg. 1. v. 14. *Æſtimavit ergo eam Heli temulentam; dixitque ei, uſquequo ebria eris.* Anna verò patienter ferens ſibi à ſacerdote illatum convicium, ſe humiliter excuſat; & urbanitatis memor vocat ſacerdotem Dominum v. 15. *nequaquam Domine mi; nam*

mu-

mulier infelix nimis ego ſum, vinúmque, & quod inebriare poteſt, non bibi. Tunc Heli admiratus mulieris patientiam, ſe eidem victum dedit, dixítque num. 17. *Vade in pace, & DEUS Iſrael det tibi, petitionem tuam*: in textu hebræo legitur *Heloim det tibi* hoc eſt DEUS Judex exaudiat tuas preces, quas lacrymis madidas fundis; & quod petis det tibi: ſed cur Heli vocat DEUM Judicem; & non potius bonorum largitorem munificum? An quia cum ſit DEUS juſtus Judex debuit veluti ex juſtitia patientis fœminæ preces exaudire; & diu optatam prolem ei dare? quando ipſa patienter tulit injuriam ſibi illatam, & bonum pro malo rependit; ſeu pro contumelioſo verbo *temulentiæ* urbanum *Domini* nomen reſtituit? Ita eſt, patientia inurbanitatem vicit Sacerdotis; & lacrymas exiccavit mulieris plangentis, & Deum flexit in vota precantis fœminæ; ſeu ſibi præſtitit, quod alteri condonavit, beneficium optatæ prolis ſuſcepit; quia patienter illatam ſibi injuriam tulit, ſcitè Caſſiodorus *lib. 11. variar. Præf. 35. Tibi præſtas, quod parcis alteri.* Convicia nobis illata, & æquo animo, ac patienter tolerata, nobis impetrant optata, ſi ea libenti animo condonemus.

11 Vult DEUS cultores patientiæ, ac virtutis, quosque ſuo aggregat famulatui duplici veſte indutos Proverb. 31. 21. *Omnes domeſtici ejus veſtiti ſunt duplicibus* ſeu veſte hyemali, & æſtiva; illâ ut regamur contra rigiditatem aëris, injurias temporis, humiditatem pluviarum, frigiditatem nivium; eſtque hæc veſtis ipſa virtus patientiæ, quâ protegimur contra injurias, convicia, calumnias, quæ contra nos proferuntur; hac veſte defendimur contra grandines moleſtiarum, contra pluvias tentationum; contra gelu perſecutionum. Alia veſte ut utamur æſtivo tempore, ſeu cum cuncta proſperè fluunt; aër tranquilla ſerenitate arridet, ſegetes in campis flaveſcunt, arbores ſuos nobis fructus offerunt, & hæc veſtis eſt diſcolor varijs ornata virtutibus, ſeu patientia contra moleſtias caloris, ſobrietate contra irritamenta gulæ, & præſertim humilitate, ne cum proſperè omnia nobis fluunt, inflemur ſuperbiâ. Non ſolùm adverſa, ſed etiam proſpera virtutem probant. etenim DEUS virtutem probaturus ſui populi ubertatem fructuum, & eſculentorum abundantiam munifica largitate impertivit exod. cap. 16. verſ. 4. *Dixit autem Dominus ad Moyſem. Ecce ego pluam vobis panes de cœlo: egrediatur populus, & colligat, quæ ſufficiunt per ſingulos dies, ut tentem eum utrum ambulet in lege mea, an non:* hoc eſt ut probem, an in copia eſculentorum, an faventre proſperitate ſit ſervaturus mea præcepta, vel ab eorumdem receſſurus obſervantia, ac inceſſurus ſuperbia tumidus, arrogantia pervicax, ambitione inflatus.

12 Sed ſi ubertate, & copia eſculentorum populum Iſraelis probavit; etiam in probationem vocavit Jobum virum ſecundum cor ſuum; ſed oppoſito, ac diſpari examine, quia ſi populo proſperitatem, & eſculentorum abundantiam indulſit. Jobo è converſo facultates amplas, quas poſſederat, ſubtraxit; bonis ſpoliavit, armentis, ovibus, ſegetibus, domo, & filijs ipſis privavit, eúmque, ulceribus, ac ærumnis afflixit. Fuit Jobus gente Idumæus Princeps Regionis Hus, ſeu Idumææ, vir juſtus, ac virtutum culturâ inſignis, quem propterea ut cacodœmon everteret, eum ad ſingulare certamen à DEO popoſcit: probaturus igitur DEUS virtutem Jobi per exercitia præſertim patientiæ facultatem Dœmoni conceſſit, experimentum cum Jobo habendi; ita tamen ut poſſit eum ærumnis, ulceribus, doloribus, bonorum ſpoliatione vexare, non tamen mortem illi inferre: Dœmon facta ſibi à Deo poteſtate omnes tentavit nocendi vias, Sabæos Idumææ conterminos conciravit, armavítque contra Jobum, in cujus ditionem irruerunt, & ſupra mille quingenta majoris pecoris capita boum, & aſinorum abegerunt cuſtodibus gladio peremptis uno tantùm ſervato, qui initium calamitatum Jobo nuntiaret; qui tamen æquo animo abſcta armenta, & devaſtatam Provinciam audivit, ac inconcuſſæ patientiæ primum ſpecimen dedit; ſed vix abivit primus nuntius, & alius ſtatim ſupervenit, qui ſilens, & ægro ſingultiens anhelitu, ſeoſúque ſtupens tandem in has ſemifractas voces erupit, DEUS ò Princeps iratus contra nos voraces flammas accendit, & greges tuos ovium combuſſit unà cum opilionibus, voracique incendio omnes, & ſingulas oves tuas abſumpſit, ne una quidem ſuperſtite, quam in victimam DEO offeras ad ejus iram placandam: ſed Jobus veluti ſcopulus marino emergens è ſinu, & novo procellæ fluctu perculſus immotus manſit, fluctúsque exortæ procellæ fregit ipſo infracto. Vix ſecundus loqui abſolverat, & ecce tertius ſupervenit famulus, qui vultu tetrico, plenus querelis aſſeruit, Chaldæos equites raptò vivere aſſuetos in tres diviſos turmas, tria Camelorum millia rapuiſſe cæſis famulis, & cuſtodibus præter unum, qui triſtiſſimæ ſtragis teſtis acceſſit. Adfuit & quartus, qui præcedentes calamitates auxit, dixítque vehementem turbinem tali impetu irruiſſe in domum ubi ſeptem filij Jobi, & tres filiæ ſimul convivantes menſæ inſidebant, ut à fundamentis concuſſerit, ſepeliverítque in ruinis: ſed Job audita filiorum morte, & domus dilapſæ ruina, non tamen cecidit ipſe animo, ſed inconcuſſa patientia tela hæc adverſitatum retudit, & tantùm veſtium dilaceratione dolorem ſuum teſtatum voluit, capútque more lugentium raſit, poſtea proſtratus in genua DEO punienti demiſſiſſimè ſe ſubijciens, ei gratias egit, dixítque Job 1. v. 21. *Dominus dedit Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum*: potuit Cacodœmon bona diripere, armenta rapere, oves incendere, camelos aliò abducere, domum evertere & filios interimere priùs ruinis inſepultos, quàm mortuos, & hæc fuit facultas Orco conceſſa à DEO ad probandam Jobi virtutem Job. 1. v. 11. *Dixerat Dœmon ad Deum*

ex-

extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet, ac ſi diceret, ait D. Gregorius, *interrogatus afflictionibus boni dignoſcitur.*

13 Imò non ſolùm bona externa tetigit, & diſſipavit Cacodæmon, ſed etiam manus injecit in ipſam pellem, carnem, viſcera, & oſſa Jobi, cum horrendo ulcere totum corpus afflixerit, & cum illo morborum propemodum omnium cohortem, ac cruciatuum turmas induxerit, qui ſingulos corporis artus, ac viſcera diſtorquerent à calce ad verticem, fueritque propterea Jobus ſpectrum potiùs corruptum, quàm homo vivens, cujus aſpectus oculis erat offendiculo, & fœtor naribus intolerabilis; ſed ſi ulceribus ſingula totius corporis membra fracta vermes nutriebant, nil obfuerunt patientiæ integritati, cujus indemnitatem corporis vulnera potiùs incrementârunt, cùm Jobus ſemper æquo animo, mentéque ſerena abſque querelis, ſine ullo impatientiæ motu tam corporis ægritudines, viſcerum dolores, artuúmque torturas, quàm exteriùs abacta armenta, & bonorum omnium ſpoliationem toleraverit: Deóque gratias rependerit: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum,* hoc eſt, ait Auguſtinus in Pſal. 97. *Tuba ductilis erat Job, quando repente percuſſus tantis damnis, tunſione illa tantæ tribulationis tactus ſonuit: Dominus dedit, Dominus abſtulit.*

14 Probat DEUS immiſſis adverſitatibus; quos novit virtutum culturâ claros, non ut animo cadant, ſed ſublimiùs erigantur; non ut adverſitatum ictibus virtus frangatur, ſed fortior corroboretur; quapropter ſcripſit Apoſtolus 1. ad Timoth. 3. *Omnes, qui piè volunt vivere, perſecutionem patientur,* quia perſecutionibus preſſi veluti racemi in torculari expreſſi liquorem emittunt, qui vera charitate inebriat: premitur juſtus adverſitatibus, & ærumnis, non ut opprimatur anguſtijs, ſed ut dilatetur meritis, & gloriâ: Olivas juſti æmulantur, quæ contuſionibus preſſæ oleum fundunt veræ pacis, & tranquillitatis: ſi enim ærumnæ, calamitates cultores virtutum contundunt, patientiam non frangunt, ſed ejus integritati conſulunt, & tunc oleum internæ pacis, mentiſque tranquillæ exhibent uberiùs, quia tribulatio virtuti non obeſt, ſed eidem prodeſt, quam promovet, & perficit ad Rom. 5. verſ. 3. ſcribit D. Paulus: *Scientes, quòd tribulatio patientiam operatur,* quæ verba expendens Hugo Cardinalis cenſet, Apoſtolum innuere patientiam eſſe velut terram fœcundam, quæ ut fructus ferat, ut annonam reſtituat cum fœnore, indiget dilacerari aratro, exerceri culturâ, madefieri pluvijs, flatu ventorum diverberari: quòd ſi vir patiens ærumnis evertatur, injurijs impetatur, calumnijs exerceatur, imò & verberibus flagelletur, ut lachrymarum pluvijs madeat; non inde quidquam patitur detrimenti, ſed uberiorem meritorum ſegetem producit.

15 Quòd ſi patientiam flori pariaveris, roſam dixerim, quæ ſpinis circumſepta olet ſuavior: ſi metallo ſimilem feceris, quod non frangitur malleatum; aurum dixerim, quod igne tribulationum purgatur pretioſius: ſi gemmis parem aſſerueris, dixerim adamantem eſſe, qui ardente ferro ærumnarum, ac perſecutionum politur purius: ſi demum patientiam frumento electorum comparaveris, quo juſti nutriuntur, & ſubſiſtunt, dixerim quidem triticum eſſe, ſed in ſpica reconditum, quod bacillis percuſſum, vel pedibus conculcatum à paleis ſeparatur, & ad cœleſtia horrea aſportatur, hinc Baſil. epiſt. 66. ait: *Beatus qui dignus habetur, ut pro Chriſto patiatur; beatior, qui abundantiùs tribulationes tulit,* & epiſt. 101. ait: *Meliùs eſt calamitate premi, quàm uti rebus ſecundis,* quia urgente procella, & marinis fluctibus agitati portum quærimus veræ tranquillitatis. Fluctibus agitatur homo, quamdiu hujus mortalis vitæ mare trajicit, neque tam proprium eſt aggeris à decurrentibus fluminis undis diverberari, quàm hominis adverſitatibus percelli, idque vel ipſum Adami nomen videtur nos docere, quamvis ſileat, quod notatu dignum cenſuit Goropius lib. 4. Hermothænæ inquiens: DAM *agger eſt,* ADAM *quod eſt demabam, eò quòd impetus fluctuum inundantis maris aggeres doment.* Nulla elegantior comparatio inveniri poſſit, quàm ſi hominem dicas perpetuis tentationum procellis veluti aggerem quendam fluctibus aſſiduo impetu tundentibus objectum eſſe. Revera mare eſt præſens hæc vita, cùm fluctibus adverſitatum jugiter agitemur; omni ſtudio ſatagere debemus, ut hujus maris procellas eludamus, marinos fluctus declinemus, & portum cœleſtis patriæ appellamus per exercitia virtutum, quòd ſi homines navibus æquora trajicientibus pariantur, neceſſe eſt, ut patientia clavum hujus navis dirigat, ut naufragium evitemus, procellas eludamus, ſola enim patientia eſt, quæ nos ad tranquillitatem portûs perducit.

Eſt mundus quoddam veluti æſtuarium 16
alternis incrementis, & decrementis reciprocum, imò & vaſtum pelagus ventis ambitionis percitum, fluctibus ſuperbiæ intumeſcens, procellâ ſæviens, & naufragia minans, hoc qui trajiciunt mare virtutis cymbam, neceſſe eſt, inſcendant, ut dirigente patientiâ ducantur in portum. In ſcopulos impingunt, & naufragi pereunt, qui ſine patientia dirigente navis clavum, ſine virtutis cynoſura hujus maris fluctus trajiciunt. Non ſolùm vita præſens verùm & mundus ipſe æſtuario ſimilis dicitur ſuis incrementis, & decrementis reciprocus, ac varius, & minora ab Oceanis fluctibus ſunt pericula expaveſcenda, & pauciora, quàm in hoc æſtuario diſcrimina à fluctuum voraginibus, ſeu quàm à mundo, ejúſque voluptatibus, quæ ſunt veluti Sirenes, quæ ſuo cantu incautos alliciunt, quos devorent: neque in hoc æſtuario deſunt charybdes, quæ ſuis vorticibus in tartara rapiunt, quos tenent: neque deſunt Scyllæ, quæ ad æternum naufragium impellant: ſola virtus

eſt, quæ hujus æſtuatij fluctus eludit, ſola patientia eſt, quæ fungens officio Naucleri nos ducit per fluctus laborum, & tribulationum ad cœleſtis patriæ portum, cujus tranquillitatem nulla procella perturbat, cujus malaciam nullus fluctus exagitat, cujus ſerenitatem nulla nubes infuſcat, cujus felicitatem nulla calamitas interrumpit.

17 Quòd ſi præſens hominis vita mare eſſe dicitur varijs tribulationum fluctibus commotum, neceſſe eſt piſces referamus, qui nihil mali, nilque periculi, aut detrimenti hiſce in fluctibus, ac undarum voluminibus patiuntur; ſed incolumes innatant tranquillè, & vel in ipſo fluctuum motu quieſcunt, ut monet D. Ambroſius lib. 3. de Sacram. cap. 1. *Ergo tibi ſæculum hoc mare eſt, habet diverſos fluctus undas graves, ſævas tempeſtates, & tu eſto piſcis, ut ſæculi te unda non mergat.* Quòd ſi quæras, quomodo poſſit homo naturam piſcis induere? putârim id fieri beneficio patientiæ, quæ inter fluctus tribulationum quieſcit tranquilla, inter ærumnarum procellas innatat tuta, inter calamitatum volumina nil damni patitur, & inter undarum agitationes, fluctuum tumores, immota perſeverat, ac ſi non procellæ undis pulſaretur, nec ærumnarum fluctibus quateretur, ſed malacia frueretur. Eſt patientia, quæ piſcis naturam induens ab aquis tribulationum, à procellis perſecutionum nil detrimenti patitur; quinimò vegetior nutritur, quòd ſi piſces aquis innatantes vivant, & ad litus perducti extra aquas moriuntur, perinde viri patientes fluctibus adverſitatum obruti fiunt vegetiores, quatenus plus meriti inde hauriunt, & nihil patiuntur detrimenti; quod ſi ærumnæ ceſſent, deſinunt, & merita, quia patientia ærumnis nutritur, in adverſitatibus creſcit, & veluti palma ponderibus tribulationum preſſa erigitur ſublimior, & qualis ſit virtutis præſtantia prodit.

18 Quinimò tanta eſt patientiæ in perſecutionibus, ærumnis, & doloribus præſtantia, ut ex ipſa ſola Chriſti divinitas manifeſtetur. Quærebant Judæi ſignum à Chriſto, quo eum crederent DEI filium Matth. 12. v. 38. *Magiſter volumus à te ſignum videre*, ſed reſpondit Chriſtus, *non dabitur niſi ſignum Jonæ.* Quærunt Interpretes, cur non potiùs in ſuæ divinitatis manifeſtationem dederit ſigna ſuæ potentiæ, ut per miracula ad meliorem frugem Judæos traheret? ſed Chriſtus nova noluit mira patrare, nec alia prædicere futura, quamvis hæc ſuam manifeſtarent excellentiam: quia aliud efficacius ſignum continuò dabat, quo veluti collyrio oculos abſtergeret Judæorum; eóſque aperiret, ut ejus divinitatem viderent: fuit autem hoc ſignum ejus ſumma patientia in perſecutionibus, convicijs, ærumnis, flagellis, & vulneribus tolerandis; & quia beneficio hujus collyrij noluerunt Judæi oculos aperire, ejus videre divinitatem, fateri excellentiam, ſuperfluum fuiſſet alia ſigna depromere, ſcite Tertullianus lib. de patientia: *Hinc vel maximè Phariſæi Dominum agnoſcere debuiſſis: patientiam hujuſmodi nemo hominum perpetraret.* Patientia Chriſti in Judaica perſecutione, ſignum erat, quò ſole clarius ejus divinitas oſtendebatur, quam propterea æternus pater teſtatus eſt Matth. 17. v. 5. adhuc eo loquente. *Ecce nubes lucida obumbravit eos, & ecce vox de nube dicens: hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipſum audite.* Sed cur in Taboris cacumine æternus pater Chriſtum teſtatur filium ſuum dilectum, & non potiùs quando infans vagivit in caula Bethlehemitica, vel cùm in circumciſione Sanguinem emiſit pretium noſtræ redemptionis, vel cùm fugit in Ægyptum? quia nimirum hiſce in locis nondum plenum ſuæ patientiæ effuderat theſaurum, ſicuti in paſſione, de qua erat tunc ſermo cum diſcipulis, quos ſecum in montis verticem duxerat, quibus injunxit ſilentium circa viſionem Taboræam, donec totam ſuam conſummâſſet paſſionem, & a mortuis ſurrexiſſet Matth. 17. v. 9. *Nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat.*

Imò adeo perſpicuum, & clarum fuit ſignum divinitatis patientia Chriſti in ſua Paſſione, ut vel ipſi Dæmoni innotuerit, qui per uxorem Pontificis procuravit ejus liberationem à morte Matth. 27. v. 19. *Sedente autem illo pro tribunali miſit ad eum uxor ejus dicens: nihil tibi & juſto illi, multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum*, tametſi Diabolus paulò antea miſiſſet in cor Judæ, ut Magiſtrum ſuum proderet; nunc uxorem Pontificis moleſtijs vexat, nocturniſque illuſionibus terrirat, minatúrque pejora, niſi marito ſuadeat Chriſti liberationem. Quare hoc? quia cum vidiſſet ejus patientiam; cùm captus à militibus, alapâ percuſſus, injurijs impetitus, calumnijs denigratus, ærumnis preſſus, ludibrijs illuſus, flagellis cæſus, ſpinis coronatus, & toto corpore ſaucius, & cruentatus in nullum prorupit impatientiæ motum, nullam protulit querelam; ſed æquo animo, & ſumma patientia, opprobria, convicia, contumelias, alapas & flagella toleravit; inde conjecit eſſe ſupra humanam conditionem; & in tali homine latere divinitatem: quam cum ſciret non eſſe morti obnoxiam, per Pontificis uxorem ſtuduit Pilatum inducere ad non ferendam mortis ſententiam in Chriſtum, ſed ut libertate donaret: adeò ut Chriſti patientia fuerit, quæ ejus oſtendit Divinitatem, eámque edocuit dæmonem; qui cùm putavit eſſe Chriſtum purum hominem, Judam incitavit ad ejus proditionem; & quando ex Chriſti invincibili patientia intulit, eſſe ſupra hominem, & ſub cortice humanitatis latere divinitatem, & eſſe verum Meſſiam, ſtuduit per mulierem impedire ejus mortem. *Hinc S. Bonaventura* reprehendit Judæos, qui in ſignum divinitatis, & ut Chriſtus ſe manifeſtaret filium DEI, petebant ab ipſo, ut deſcenderet de cruce, cum Chriſti patientia in tolerandis contumelijs, convicijs, vulneribus, opprobrijs 19

teſti-

teſtimonium fuerit irrefragabilius illius divinitatis: ait D. Bonaventura *ſerm. 1. Domin. infra Octav. Nativit. Domini*, ubi expendens verba Judæorum 27. 42. *Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere; ſi rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Invehit D. Bonaventura contra petentes deſcenſum de cruce in ſignum, quòd eſſe Rex Iſraël, & Filius DEI, in quem crederent, cùm Chriſti patientia luculentius fuerit divinitatis argumentum, ex quo intulit ipſe Dæmon ejus divinitatem: Exclamat igitur D. Bonaventura loc. cit. *O ſuperbi Judæi! non attendentes quonam majoris virtutis eſt patienter in tormentis uſque in finem perſeverare, quàm de cruce deſcendere, & ab infirmitate carnis miſerabiliter ſuperari. Si enim nullus ſalvabitur, niſi qui perſeveraverit uſque in finem, quomodo Chriſtus JESUS nomine, & re; ſalus re diceretur, ſi in cruce patienter uſque in finem non perſeveraſſet.*

20 Quanta verò fuerit Chriſti patientia, ex eo conjicitur, quia à Phariſæis convicijs impetitus, calumnijs accuſatus Pilato ſiſtitur, qui cùm diligentiſſimè ejus cauſam examinâſſet, & neque in minimo reum agnoviſſet, ſed in ſingulis innocentiſſimum, & ne innocentiam ſi abſolveret, potentiam offenderet criminantium, ut ijsdem aliquo pacto ſatisfaceret, duris, cruentisque flagellis tradiderit, ut furentium invidia, innocentis cruore vel ſopiretur, vel extingueretur; & innocentia non periret: verùm dum utriq; e ſtuduit Pilatus ſatisfacere, juſtitiæ cauſæ, & impietati calumniantium, utramque partem offendit: milites enim à Phariſæis ſubornati apprehenſum JESUM duxerunt in prætorium, & flagellis ſingulos corporis artus cruentârunt, ac vulneribus ſacratiſſimum corpus fregerunt, cujus anima ab integritate motum, & virtutum ſejungi non poterat: poſt flagella irriſoria chlamyde circumveſtiunt, ac ſpineo diademate ejus caput coronant, & manum ornant levi arundine inſtar ſceptri: poſt ludibria ad calvarium montem eum ducunt propriam crucem bajulantem, cuius ſub onere preſſus, & toleratis laboribus defeſſus pluries cecidit; licèt æquo ſemper & læto ſtaret animo: & demum acutis clavibus ejus beneficas manus, & pedes, qui rectiſſimè ſemper ambulârunt, cruci fixerunt; in quibus omnibus licèt convicijs impetitus, calumnijs accuſatus, alapis percuſſus; contumeliis illuſus, funibus illigatus, flagellis cruentatus, ſpinis vulneratus, & cruci affixus ſemper patientiſſimus fuit, quod hominis conditionem cùm ſuperavetit; quam inferre ex tanta patientiæ virtute noluerunt divinitatem, nec eam cognoſcere; hanc ex eadem patientia clarè viderunt creaturæ licèt ſenſibus, & oculis deſtitutæ, quæ teſtimonium daturæ ejus divinitatis ſenſum induerunt doloris, & unam omnia elementa protulerunt ſententiam, qua Filium DEI declarârunt.

21 Cœlum enim extinctis luminaribus obſcuriſſimum induit peplum, & mœrore confectum jacuit in triſtitia, quaſi peractâ tragædiâ ſua voluerit lumina ſubtrahere. Quod ſi ſydera dixeris vigiles cœli oculos; hos in argumentum doloris corrupit fletu, quo injuſtiſſimam ſui Conditoris necem lugeret, ac Chriſti divinitatem teſtaretur, quam ex invicta ejus patientia conjicere, imò & videre noluerunt Judæi. Dies itidem refugâ luce tenebris ſe involvit, ut mortuo ejus Creatore ſqualeret in luctu, jaceret mœrore confectus. Terra itidem tota contremuit, & inſolitis quaſſata motibus ſigna dedit doloris ob injurias illatas ſuo Conditori, & quia etiam injuſtiſſima morte eum damnârunt Judæi ſuum aperuit ſinum, in quo eum reciperet, & monumentum pararet; ad id enim ſaxa aperta fuerunt, ut eum ſuſciperent, ac ſepulchrum conſtruerent: quinimò terra mortuos, quos antea acceperat, foras ejecit ampliorem daturа locum, quem cœli capere non poſſunt; & univerſitas creaturarum attacta trepidivit coram Judice ſuo, quem mortuum ſecundùm humanitatem ſenſit: ejus divinitatem teſtatæ ſunt ſigno aliquo doloris, & mæſtitiæ inſenſibilia ipſa, ut elementa, ſydera, cœlum, lapides, imò & ipſum velum templi Matth. 27. 51. *Et ecce, velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo uſque deorſum. & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.* Ex Chriſti igitur patientia in toleratis calumnijs, flagellis, vulneribus, & morte ipſa creaturæ omnes etiam ſenſu destitutæ Chriſti divinitatem teſtatæ ſunt ſigno ſenſibili, quam Judæi apertis oculis videre noluerunt.

Quòd ſi quæras, cur elementa tunc tantùm Chriſti divinitatem teſtata ſunt, quando mortem ſubivit in cruce, & non antea cùm fuit à Judæis captus, alapis percuſſus, flagellis cæſus, calumnijs accuſatus, ludibrijs illuſus, reſpondet D. Hieronymus, quia uberiora patientiæ ſigna dedit inter immaneſcrucis dolores, ac sæviſſima paſſionis tormenta, tunc enim divinitatis ſigna ſplenduerunt clariora, adeo ut vel ipſi cæcutientes potuerint eam cognoſcere, ſcitè D. Hieronymus in Catena expendens verba Matth. 27. ait: *Notandum, quòd quando flagellatur JESUS, & conſpuitur, non habet propria veſtimenta, ſed ea, quæ propter peccata noſtra ſumpſerat: cùm autem crucifigitur, ſtatim elementa turbantur, & Creatoris dat teſtimonium creatura.* Hinc Centurio cùm primùm vidit JESUM cruci affixum alta voce ejus fuit divinitatem teſtatus, Matth. 27. v. 54. *Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes JESUM, viſo terræ motu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde dicentes, verè Filius DEI erat iſte.* Quærit S. Paſchaſius, quomodo poſt tot cœlorum, & elementorum ſigna potuerit Centurio moveri ad credendum Chriſtum cruci affixum verè fuiſſe Filium DEI, & reſpondet, Centurionem auditis Judæorum verbis, quibus dixerunt Chriſto cruci affixo, ut deſcenderet de cruce, & ei crederent 22

Match. 27. 42. *Deſcendat nunc de cruce, & credimus ei*, & obſervâſſet Chriſtum in cruce læto ſtetiſſe animo, & vultu, talia apud ſe cogitâſſe: qui tam patienter dolores cruciatus, & mortem ipſam tolerat, is purus homo eſſe non poteſt, quia tanta patientia conditionem excedit hominis; ergo inferendum eſt ex ſua patientia in illa humanitate cruci affixa latere divinitatem, ait D. Paſchaſius: *In vultu ejus tanta erat alacritas; tantâque claritas, ut poſſent omnes intelligere, quia ſua ſponte moriebatur.* Quòd ſi voluntariè jam non coactè, ſed quia voluit, & carnem aſſumere, & humanum genus redimere, quod nonniſi Filius DEI præſtare poterat.

23 Voluit Chriſtus, ut ex ejus patientia in tolerandis injurijs ſibi illatis, vulneribus ſibi inflictis, & morte ſibi data, explorata fieret hominibus ejus divinitas, & homines doceret, nullibi excellentiam virtutis coruſcare illuſtriùs, quàm in adverſitatibus patienter toleratis, quapropter cum ſuis ſe manifeſtâſſet Diſcipulis Marci 8. 28. *Interrogabat Diſcipulos ſuos dicens eis, quem me dicunt eſſe homines*: & v. 29. reſpondit Petrus: *Tu es Chriſtus*, poſt hanc confeſſionem cœpit eos inſtruere de ſua paſſione, quò inde diſcerent ejus divinitatem ex patientia in tolerandis injurijs, calumnijs, alapis, flagellis, vulneribus, & morte ipſa eſſe hominibus manifeſtandam Marci 8. 31. *Et cœpit docere eos, quoniam oportet filium hominis pati multa, & reprobari à ſenioribus, & à ſummis ſacerdotibus, & Scribis, & occidi, & poſt tres dies reſurgere*: quia Magiſter Chriſtus ſuæ divinitatis ſenſum mentibus Diſcipulorum altiùs impreſſerat, eos ſtatim inſtruit de ſubeunda paſſione, & morte, ut faciliùs ex tolerandis patienter convicijs, quibus erat impetendus; calumnijs, quibus erat accuſandus; alapis, quibus erat percutiendus; opprobrijs, quibus erat illudendus; flagellis, quibus cædendus; vulneribus, quibus cruentandus, & morte, qua humano generi vitam impertiret, abſque ulla hæſitatione ejus crederent divinitatem, quæ illuſtriùs ſplenduit in paſſione, æquo, & læto animo, ac vultu ſereno tolerata; ſcitè Victor Antiochenus expendens verba Marci ait: *Poſtquam divinitatis ſuæ ſenſum illis impreſſit, doctrinam de Cruce, & paſſione ejuſdem expreſſit, ut faciliùs ejus divinitas crederetur.*

24 Non ſolùm Chriſti Diſcipuli ex invicta Chriſti patientia ejus crediderunt divinitatem, ſed etiam ipſe latro, qui ad latus Chriſti in cruce pependit, cùm enim obſervâſſet Chriſtum æquo animo, vultúque læto, ac imperturbato crucis tormenta ſubire, & mortem tolerare: ac ſi divinitatis radij foras emiſiſſet, ſtatim eam cognovit, & furtis aſſuetus cœlum ipſum furari etiam in ipſa cruce ſcivit, cùm ejus divinitatem confeſſus eſt, quam ex invicta ejus patientia non poterat non inferre Luc. 23. v. 42. *Et dicebat ad JESUM Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi JESUS, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo*, adeò latro pluribus, ac frequentioribus aſſueverat furtis, ut habitum contraxerit furandi, nec potuerit etiam in cruce à furto abſtinere. Quòd ſi furtum fecit, illud tamen adeò cohoneſtavit confeſſione Divinitatis Chriſti, quam ex ejus intulerat patientia, ut meruerit in cœlis coronari, pulchrè S. Maximus *homil. 8. de Latrone* expendens verba Lucæ, *Memento mei*, ait: *Hæc eſt fidei plena devotio, ut cum de vulneribus Domini profluens ſanguis cernitur; tunc de poteſtate ejus venia poſtuletur, cùm videtur ejus humilitas, tunc magis timeatur ejus divinitas: cum morti addictus putatur; tunc Regis illi honorificentia deferatur.*

25 Neque Nathanaël ex alio conjecit Chriſtum eſſe filium DEI Joan. 1. v. 49. *Reſpondit ei Nathanaël, & ait Rabbi, tu es filius DEI*; ideo teſtatus eſt ejus divinitatem, quia ab adamantina patientia, qua toleravit convicia, eam conjecit Joan. 1; 46. *Et dixit ei Nathanaël; à Nazareth poteſt aliquid boni eſſe*, & cùm Chriſtus ad hæc verba nullum deprompſiſſet motum iræ, ſed fronte ſerena, ac æquo animo hoc convicium tolerâſſet, & eum benignè excepiſſet, tunc Nathanaël ex hac invicta patientia intulit, non potuiſſe Chriſtum ſimplicem hominem eſſe, ſed DEI Filium, cùm ipſa divinitas inter convicia ſplenderet in ejus vultu clarior: neque duo illi Diſcipuli, qui in Emaus iter inſtituerant, clariùs Chriſti divinitatem noverunt, quàm ex ejus paſſione, in qua inter convicia, contumelias, dolores, & vulnera ejus tolerantia ſtetit firmior, & ejus patientia ſplenduit illuſtrior Luc. 24. v. 30. *Et factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis, & aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum.* Neque quid aliud fuit obſonium panis fracti, & impertiti Diſcipulis, quàm ejus caro in paſſione vulneribus fracta, ut hominum conſuleret integritati, & ſaluti: hanc carnem in pane Euchariſtico nobis impertitur, quò nutriamur, ac vegetiores facti per exercitia virtutum, per tolerantiam paſſionum viam ſalutis perambulemus: quia Diſcipuli in fractione panis meminerunt tolerantiæ, & patientiæ, qua æquo animo fractionem ſui corporis in prætorio flagellis cæſus, & in cruce vulneribus fractus ſuſtinuit, ideo in fractione panis, in tolerantia paſſionum, ideo in patientia inter cruciatus, dolores, & vulnera cognoverunt eum; appoſitè Drogo Oſtienſ. ſerm. 1. de paſſione Chriſtum alloquens ait: *Panis caro tua eſt: fregiſti panibus corpus tuum, quia poteſtatem habeas ponendi animam tuam: fregiſti corpus tuum, quod foris apparebat, & oſtendiſti medullam, quæ intus latebat: niſi enim parturis, non cognoſceris.*

26 Quia igitur Chriſtus voluntariè ſuam carnem fregit, & invicta patientia toleravit flagella, & vulnera, ideo ejus Diſcipuli cognoverunt eum in fractione panis. Idque poſt reſurrectionem, cùm in Emaus proficiſcerentur: quia ad reſurrectionem voluit tolerantiam paſſionum præceſſiſſe, ut nos doceret, per exercitia patientiæ ad triumphum gloriæ perveniri, quia ſine conflictu, ſine fuſione ſanguinis non acquiritur victoria, nec

cele-

celebratur triumphus, ideóque permiſit Lazarum emori, & ſepeliri, ut reſurgeret glorioſior, cùm enim ſorores nuntium miſiſſent ad JESUM, ut veniret ſtatim curaturus fratrem Lazarum, reſpondit JESUS Joan. 11. 4. *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria DEI, ut glorificetur filius DEI per eam.* Quid quòd filius DEI voluerit glorificari per mortem Lazari? ſi glorificatio omnem diſpellit mœroris umbras, ac mortis caligines, quomodo è ſepulchro Lazari haurire potuit ſplendores, quibus ejus gloria coruſcaret illuſtrior? an Chriſtus glorificari indiguit per monumenti caligines? cùm ab ipſa divinitate ita eſſet glorificatus, ut ab ipſa non poſſet ſejungi. Voluit tamen filius DEI glorificari per mortem Lazari, non quòd gloria indiguerit, cùm ejus divinitas glorificata ſemper fuerit ante omnem creaturam, ſed ut glorificaretur ad coronam virtus patientiæ, qua Chriſtus toleravit convicia Hebræorum Joan. 11. v. 36. *Dixerunt ergo Judæi, ecce quomodo amabat eum: quidam autem ex ipſis dixerunt, non poterat hic, qui aperuit oculos cæci, facere ut hic non moreretur:* appoſitè Cyrillus Jeroſolymitanus Cathec. 11. *Non quòd priùs non habeat gloriam (glorificatus enim erat ante mundi conſtitutionem, ſed glorificabatur tanquam DEUS ſemper) nunc verò glorificatus eſt patientiæ ferens coronam.*

27 Non ſolùm divinitatem in Chriſto manifeſtavit patientia, verùm & ſuperexcedentem humanas vires in hominibus prodit virtutis excellentiam, & quid divini ſubindicat, ſi vultu hilari, lætóque animo cum Davide calicem adverſitatum ebibat, & ſupremo Numini pro potione ſalubri gratias rependat Pſal. 115. *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo:* calicem manu non tremula, ſed firma, & exporrecta accepit, cum Saul ad necem fuit ipſum perſecutus, lætus calicem perſecutionis exſiccavit, cum æquo animo ærumnas, fugam, famem, ſitim toleravit; & gratias DEO egit, cujus nomen invocavit. Læti biberunt hunc calicem Chriſti diſcipuli, poſtquam eorum Magiſter in nuptijs Canæ in Galilæa celebratis ſuppleturus ſponſorum indigentiam, merique defectum aquam in vinum convertit Joan. 2. 8. *Dicit ei JESUS haurite nunc, & ferte Architriclino, & tulerunt, ut autem guſtavit Architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat, unde eſſet; miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam, vocat ſponſum Architriclinus, & dicit ei: omnis homo primùm bonum vinum ponit; & cum inebriati fuerint tunc deterius: tu autem ſervaſti bonum vinum.* Vinum ex aqoa factum eſt gaudium, quod percipitur ex patienter toleratis ærumnis, paupertate, tribulationibus, quæ plerumque lachrymarum eliciunt ſtillicidia. Eſt vinum, quod lætificat cor hominis, quia verus patiens poſt toleratos labores, ærumnas, & tribulationes ex vero corde lætatur, quatenus ex puro DEI amore adverſa quæque patienter ſuſtinet: calicem igitur ærumnarum, perſecutionum, & laborum læto animo tunc biberunt Apoſtoli, quando ibant gaudentes a conſpectu concilij, ac digni habiti ſunt pro nomine JESU contumeliam pati: tunc facta eſt hæc converſio aquæ in vinum, ſeu tribulationum in lætitiam, quia ſi exiccârunt calicem dolorum, & ærumnarum; quæ aqoa fuit adverſitatum, converſa fuit in vinum lætitiæ: *Et triſtitia veſtra convertetur in gaudium.*

Veræ patientiæ cultor non ſolùm labores libenter ſubit, adverſitates æquo animo tolerat, ſed etiam gaudet, guſtátque vinum ex aqua factum: quapropter Paſtor ille evangelicus, è cujus grege ovis una aberraverat, plures exantlavit labores, eam quæſiturus per montium faſtigia, per invia deſerti, ac ima vallium, quam cùm tandem inveniſſet, laborum oblitus eam tulit, amplexata eſt, & impoſitam ſuper humeros gaudens ad greges aſportavit Luc. 15. v. 5. *Cum invenerit, eam imponit in humeros ſuos gaudens.* Poſt exantlatos labores, fuſóſque ſudores, ut ovem, quæ erraverat, inveniret, non ovi iraſcitur, ſed ſibi adgratulatur; non mœrens exardet iracundia, ſed gaudio perfuſus lætabatur in corde, & tunc guſtavit aquam laborum converſam in vinum, cùm gaudens ovem in ovile detulit: ſed eatenus guſtavit vinum ex aqua factum, quia patientiam exercuit, neque ira exarſit, neque ullo fuit furore commotus, ſed patienter labores toleravit, & ſudores in quærenda ove fudit: labor ſuſceptus paſtoris patientiam deprædicabat, ſimúlque nos inſtruebat cum ſilentio proximo compati, ſi erraverit, & eum oſculo charitatis ad ſanam frugem perducere, & non illi iraſci, quia niſi noſtra tolerantia flammis ſcintillet charitatis à perfectione degenerat patientiæ, neque gaudemus de toleratis ærumnis, de ſuſcepto labore, neque guſtamus vinum ex aqua factum, huc accerſendus Tertullianus lib de patientia cap. 12. *Erroneam ovem patientia paſtoris requirit, & invenit: nam impatientia unam facilè contemneret, ſed laborem inquiſitionis patientia ſuſcipit, & humeris inſuper advehit bajulus patiens peccatricem derelictam.* 28

Bonus Paſtor patientiæ eſt cultor, errantibus ſcit compati, devias oves quærit, quas inventas amat, & humeris impoſitas incolumes defert ad ovile, neque iraſcitur ovibus, quæ erraverunt, ſed ſibi adgratulatur, & ex corde lætatur, quòd devias invenerit, & errorem correxerit. Interdum inventa ovis bajulatur quidem, ſed non cum charitate ad ovile perducitur, nec Paſtor ſibi adgratulatur inventam, nec lætitiâ perfunditur, ſed ira accenditur, & tunc patienter prævios non toleravit labores, qui propterea gaudium non parturiunt, ſed mœrorem fovent, & furorem excitant; & tametſi prævios toleraverit labores, non tamen hæc tolerantia patientiæ eſt filia, ſed furoris conjux. Iterum accerſendus huc Tertullianus cap. 15. ubi de vera patientia ait: *Fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem inſtruit. pœnitentiam expectat, exhomologeſin aſſignat: carnem regit, Spiritum ſervat, linguam frænat, manum* 29

continet, tentationes inculcat, ſcandala pellit, martyria conſummat. Verus patiens non obmurmurat, ſi quid laborioſum ei obtigerit, neque iraſcitur alteri erranti, ſed mente tranquilla, æquóque animo ſatagit errorem corrigere, nec labori parcit, ut vulneri medea-
30 tur.

Idque nos edocuit Samaritanus ille, qui cum deſcenderet in Jericho, hominem invenit, vulneribus ſaucium, quem patienter ſuſtulit, ejúſq; curam ſuſcepit, ut ejus vulneribus mederetur Luc. 10. v. 3. *Infundens oleum, & vinum, & imponens illum in jumentum ſuum, duxit in ſtabulum, & curam ejus egit*: Oleum infudit, quatenus patientiam & charitatem in vulneribus ſaucium exercuit; imò non contentus oleum fudiſſe, vinum addidit, quia cum gaudio hunc laborem ſuſcepit, & lætitiâ perfuſus illa incommoda toleravit: quia vera patientia, ut ait Tertullianus: *pacem gubernat, dilectionem adjuvat.* Homo ille ab Jeruſalem deſcendens in Jericho, figuram præſefert protoparentis Adæ, qui dum aliena appetijt, propria amiſit; dum pomum rapuit, paradiſum perdidit; & à Jeruſalem in Jericho, deſcendit, à loco pacis ad agrum laboris, ad cujus culturam damnatus proprio ſudore, adactus fuit excultam terram rigare, ut panem comederet in ſudore vultûs, & tunc inflicta ſibi vulnera ſenſit, cùm concupiſcentia regimini rationis ampliùs non conſenſit, cùm erubeſcentia propriæ nuditatis faciem coloravit, non membra corporis veſtivit; cum iraſcibilis ſuas cœpit flammas accendere, & in portionem hominis ſuperiorem rebellare: plagis hiſce vulneratum ſacerdos, & Levita neglexerunt, neque opem ullam obtulerunt, & languit miſer, donec Samaritanus veniret, & vulnera curaret: quia ſacerdos, & Levita legis Moſaicæ oleo caruit, & vino, quod infunderet in vulnera humanæ naturæ inflicta, ſeu inſufficiens fuit ſacerdotium Moſaicum ad naturam lapſam erigendam ad priſtinam gratiam: ad id enim requirebatur Samaritanus, ſeu Chriſtus Dominus, qui è fonte Jacobi oleum ſecum tulit in erectione lapidis effuſum, & quia hoc oleum fudit, cùm pro redemptione humani generis proprium ſanguinem effudit, labores ſuſcepit, ærumnas, convicia, calumnias, flagella, & vulnera toleravit, huic oleo paſſionis, tolerantiæ, & patientiæ, addidit vinum lætitiæ, ut nos inſtrueret labores læto animo ſuſcipere; ærumnas, convicia, calumnias, & adverſa quæque cum gaudio tolerare: ſi Chriſtus hoc oleo, & vino, ſeu ſua paſſione cum patientia, & gaudio tolerata naturæ humanæ voluit vulneribus mederi; noſtræ etiam infirmitati bene conſulimus, ſi oleum, & vinum, ut pharmacum adhibeamus, ſeu ſi adverſitates, & tribulationes oleo patientiæ, & vino lætitiæ toleremus. Samaritanus vulneribus ſaucium curaturus non ſolum oleum, & vinum fudit, ſed etiam in proprium jumentum impoſuit, quia ſi Adam divinitati inhians inter jumenta ſe dejecit, brutiſque animantibus ſe adſociavit Pſal. 48. 13. *Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.*

Noſter Samaritanus, ſeu DEI filius, tunc 31
fieri voluit veluti jumentum, in quod hominem lapſum, & vulneribus ſaucium imponeret, ſanaret, & erigeret, quando noſtram induit humanitatem, ut ait Auguſtinus in Catena inquiens: *Jumentum ejus eſt caro, quâ ad nos venire dignatus eſt*, cui adhærens D. Ambroſius expendens parabolam Luc. 10. ait: *Jumento imponit, dum peccata noſtra portat, & pro nobis dolet: homo enim jumento ſimilis factus eſt: & ideo ſupra jumentum ſuum nos impoſuit, ne nos eſſemus ſicut equus, & mulus.* Non ſolùm Samaritanus in ſuo jumento nos portavit, ſed etiam pro nobis doluit, cùm oleum infudit, cùm ejus caro vulnerata fuit, ut ſuis vulneribus, vulnera noſtra ſanaret, & huic oleo voluit etiam vinum addere. *Infundens oleum, & vinum, & imponens illum in jumentum ſuum*: quia vinum lætitiæ adhibere voluit, ſeu cum gaudio patienter tolerare calumnias, verbera, vulnera, & mortem, ut nos edoceret, veram patientiam, non ſolùm adverſitates cum ſilentio tolerare, verùm etiam cum gaudio, & vera cordis lætitia: portant perſæpe homines graviſſima onera degeneri ſufferentia, & tolerantia obærata, quia ſi adverſitatibus premantur, ſi calumnijs, & convicijs impetantur, ſi etiam inviti debeant labores ſubire, exardeſcunt in iram, accenduntur furore, feruntur indignatione. Alij quamvis adverſa tolerent, non tamen gaudent, ſed, ſi poſſent, onus excuterent, & hæc patientia tametſi oleum fundat, quia tamen vinum lætitiæ non addit, adhuc à ſua deficit perfectione, neque excellentiam totam virtutis prodit.

Sunt tribulationes, & quæ nobis obrin- 32
gunt adverſa, noſtræ virtutis artifices, eam expoliunt, ac perficiunt, ſi patienter tolerentur: idque cauſæ, cur David perſecutionibus preſſus, anguſtijs obſeptus non quæſivit à tribulationibus liberari, ſed ſtuduit illis proficere, ut virtus perficeretur illuſtrior Pſal. 137. *Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me.* Notatu dignum, non dixiſſe *liberabis me*, ſed *vivificabis*, quia virtus in tribulationibus, patientia in laboribus, & perſecutionibus æquo animo toleratis clareſcit illuſtrior; & perficitur nobilior, & patiens vivificatur incremento divinæ gratiæ, appoſitè S. Auguſtinus in Pſal. 137. *Non ſic ait*: inquit: *tanquam diceret, ſi fortè venerit tribulatio aliqua liberabis inde me. Sed quomodo, ſi ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me, id eſt, aliter non vivificabis, niſi in medio tribulationis ambulavero.* Non tantùm ſtare debet verus patiens, ſed etiam ambulare, ſeu obviare tribulationibus, & in medio earundem gaudere: quia veri cultores patientiæ, cum premuntur adverſitatibus, ſe ipſis fiunt majores, & per incrementa gratiæ creſcunt ad gloriam;

tunc

tunc Apoſtolus Paulus ſublimiùs avolavit, cum detruſus in carcere ærumnis premebatur, ut notavit S. Chryſoſtomus *homil. 66. ad popul.* inquiens: *Cùm Paulus in carcerem cecidit, tunc ille fecit mirabilia: cùm naufragatus eſt, & in barbaram rejectus regionem: tunc maximè glorificatus eſt, & cum vinctus forum intravit, tunc vicit, & Judicem.*

33 Licèt nos frangere videantur tribulationes noſtræ; tamen tunc conſulunt integritati: cum ærumnæ, & adverſitates nos premunt, tunc ad altiora nos ſublevant; dum ſub onere laborum, & adverſitatum videmur cadere, tunc ſurgimus vegetiores, cùm caligines, & tenebræ ærumnarum videntur nos obrepere, nóſque ſepelire in umbra mortis, tunc virtus ſplendet illuſtrior, ut notavit D. Auguſtinus in Pſal. 55. ubi enim David ait: *In ira populos confringes*, legit S. Auguſtinus: *In ira populos deduces*, hoc eſt, quæ tractio videbatur, deductio eſt; quod vulnus apparebat, fit ſanitas, & integritas; ſcitè Auguſtinus expendens præfatum Pſalmum: *Iraſcitur Pater filio contemptori præceptorum ſuorum: iratus ei eum colaphizat, cædit, aurem vellit, manu trahit, ad ſcholam ducit: in ira populos deduces: quàm multi ingreſſi ſunt, quàm multi impleverunt domum Domini, in ira ejus deducti ſunt, id eſt tribulationibus territi, & fide impleti.* Si igitur, quæ videntur adverſitates nos premere, ſurſum nos ſublevant, ſi qui videbantur labores nos frangere, noſtræ conſulunt integritati, & nos ad gloriam deducunt, & præmium laborum; non eſt, quò debeamus ærumnas fugere, labores declinare, moleſtias excutere, cùm ad puræ libertatis amorem nos deducant. Legimus olim ſervos libertate donandos fuiſſe alapis percuſſos: quidni? herus noſter DEUS eſt, plerumque nos duris percutit, & adverſitatibus premit, ut libertate donemur, ut ad cœleſtem patriam aſcendamus, ut à famulitio cacodœmonis liberemur, huc flectendus S. Chryſoſtomus homil. 64. ad popul. ubi ait: *Propterea DEUS præſentem vitam nobis fecit laborioſam, ut ab illa nos abſolvat ſervitute, & ad puram libertatem perducat. Propterea pœnam quoque minatus eſt, & vitæ noſtræ labores conſtituit, laſcivíam reprimens.*

34 Non damnum ullum nobis adferunt ærumnæ, & adverſitates, ſed auxilium nobis ſuppeditant, arma nobis miniſtrant, quibus impetus carnis retundimus, concupiſcentiæ flammas extinguimus, ſuggeſtiones dœmonum extutimus: hæcque auxilia ex tribulationibus in nos derivata expertus David ajebat Pſal. 9. *Adjutor in opportunitatibus in tribulationibus.* Sed ſi DEUS ubique ſuam nobis ſuppeditat opem, qua deſtituti, nec eſſe, nec vivere poſſemus; ſi ſive bibamus, ſive comedamus, ſive gaudeamus nobis ſemper DEUS ſua ſubminiſtrat auxilia, ſine quibus non poſſumus quidquam, cur David ſignatè dicit *in tribulationibus?* quia nimirum licèt DEUS ſuam omnibus opem ſuppeditet, ijs tamen præſertim uberiora ſubminiſtrat auxilia, qui patienter convicia, calumnias, perſecutiones invicta patientia tolerant, ſcitè S. Chryſoſtomus expendens verba Davidis ait: *Ejus ſemper opus habemus auxilio, etiam cum nobis res ſunt ſecundæ. Sed tunc maximè ſentimus auxilium, quando verſamur in afflictionibus.* Quia cùm ærumnis premimur; cùm adverſitates patienter toleramus, uberiora nobis ſuppeditat auxilia, quibus vegetiores erigimur, & validiores pugnamus contra adverſarios, quos proſternimus.

Tunc triumphum inſtituit D. Paulus, & 35
ſpectaculum DEO, & hominibus exhibuit gratum, cùm varijs fuit ærumnis obrutus flagellis cæſus perſecutionibus ad necem quaſi-tus: quia adverſa quæque læto animo, invicta patientia toleravit ſcribens 1. ad Corinth. cap. 4. v. 9. ait: *Puto enim, quòd DEUS nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos, quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus:* & afferens cauſam, cur hoc exhibuerit ſpectaculum, ſubdit: *Uſque in hanc horam, & eſurimus, & ſitimus, perſecutionem patimur, & ſuſtinemus, blaſphemamur, & obſecramus:* ſed cur potiùs hîc dicit Apoſtolus ſe ſpectaculum factum mundo, Angelis, & hominibus & non alibi, cùm mare trajiciens naufragium ſubijt, cùm proficiſcens in Damaſcum ſpirans minarum & cædes in Chriſti fideles cœleſtis luminis impetu percuſſus cum equo cecidit, humi proſtratus? an quia tunc eam non dedit patientiam mundo ſpectandam, ſicut hîc ſcribens ad Corinthios? ſiquidem veluti ſpectaculum attentè aſpiciunt Cœlites, & attoniti intuentur homines, imò & mundus miratur, cùm vir patiens non ſolùm ſilens adverſa tolerat, labores ſubit, convicia, calumnias ſuſtinet, ſed cùm bonum pro malo reſtituit, & preces fundit, proſperitatem exoptat convicíantibus, & calumniantibus: Apoſtolus igitur tunc fuit factus ſpectaculum Angelis, mundo, & hominibus, cùm obſecravit, precéſque fudit pro calumniantibus. Hoc ſpectaculum Stephanus adeo gratum DEO exhibuit, ut Deus ipſe in cœlis ſtare voluerit ſpectator Actor. 7. 55. *Video Filium hominis ſtantem*, mirum tamen, quòd Stephanus viderit Filium hominis ſtantem, cùm jam ſederet ad dextram Patris; David Pal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dexteris meis*, ſi ſedet, quomodo vidit eum ſtantem? quia nimirum ſpectaculum adeo gratum Stephanus in terris exhibuit, cùm oravit pro lapidantibus ſe, ut filius hominis in cœlis ſurgere voluerit ad illud ſpectandum, ſeu nos edocere quàm gratum ſit DEO, non ſolùm patienter tolerare convicia, calumnias, & perſecutiones; ſed etiam beneficijs eos cumulare, qui convicijs nos impetunt; preces fundere, & bene precari ijs, qui nos oderunt; ut præſtitit Stephanus, qui pro lapidantibus DEUM orabat; inferentibus mortem, vitam apprecabatur æternam.

Quòd ſi Stephanus lapidibus impeti- 36
tus oravit pro inimicis, Patientia, qua cor-

po:is

poris tunſionem, oſſium fractionem, ſanguiniſque fuſionem æquo animo, lætóque vultu toleravit, ijsdem lapidibus ſcalam extruxit, cujus culmen cœlum attigit, per quam Stephanus purpuratus, cœlos inſcendit, & laureatus Capitolium cœleſtis gloriæ ingreſſus fuit; Cant. 3. 10. *Fecit aſcenſum purpureum.* Patientia, quæ ex lapidibus ſcalam Stephano erexit, per quam cœlum inſcenderet, eadem purpurâ eum induit, ſanguine colorata, quò cœleſtem Sponſum ſequutus faceret *aſcenſum purpureum.* Meritò Patientia Stephanum purpura veſtivit, quâ reges conſueverunt ornati; cum non defuerit Protomartyri Stephano ſui nominis corona, neque deeſſe debuerat, ut cum Sponſo faceret aſcenſum purpureum; & quia aſcenſus regius fuit, non ſolùm purpureus, ſed & coronatus nomine Stephani eſſe debuit; quòd ſi coronæ Principum lapidibus ornantur pretioſis; in hac corona Stephani ſplenduit pellucidus adamas inconcuſſæ fortitudinis; coruſcavit carbunculus ardentis amoris; viruit Smaragdus vegetæ ſpei: neque defuerunt aliæ gemmæ, quæ pretium augerent hujus coronæ, cum unà cum Patientia virtutes omnes in Protomartyre floruerint, qui ſi ſui nominis fuit corona, meruit etiam Filium DEI in terris natum coronare: neque mirum videatur, ſi audias DEUM coronari homine; quia cum voluerit humanitatem induere, non alia decuit corona caput hominum tegi, quàm humana. Ex coronis aliæ ex auro; aliæ ex floribus compactæ fuerunt: aurum enim reges coronare conſuevit, ut metallorum princeps plebeja capita faſtidiens in ſolo principum vertice ſplenderet; debuit, & Martyrum Principi hæc aurea dari corona ornata lapidibus pretioſis, & gemmis: immo & florea debebatur Stephano corona, ex lilijs, & roſis intexta, cum hi flores Stephani totum corpus veſtierint Proverb. 31. 22. *Byſſus, & purpura indumentum ejus:* Byſſus eſt candor conſcientiæ, & innocentia vitæ, ut exponit Hugo Cardinalis; purpura autem eſt ſymbolum patientiæ; hæc fuerunt indumenta Stephani; imò & etiam Sponſi Cant. 5. 10. *Dilectus meus candidus, & rubicundus;* rubet charitate, albeſcit caſtitate; quod perinde eſt ac lilijs, & roſis ornari; delectatur Servator noſter his floribus, quos in horto ſuæ eccleſiæ vult efflorere; cujus propterea areolas ſuo irrigavit ſanguine, licèt nec roſis, neque lilijs ſuæ deſint ſpinæ ad patientiæ exercitia, ad addendos ſtimulos ad cuſtodiam reliquarum virtutum; grata propterea Chriſto ſemper fuit patientia, quâ moleſtiæ, & ægritudines tolerantur, & patientiæ cultores alijs prætulit. Licèt in probatica piſcina jaceret multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum, ut benefico lavacro ſanarentur à languoribus ſuis, Chriſtus tamen illac pertranſiens in Paralyticum præ cæteris oculos injecit Joan. 5. 6. *Cum vidiſſet JESUS Jacentem, & cognoviſſet, quòd jam multum tempus haberet, dicit ei, vis ſanus fieri.* Vidit Chriſtus patientiam Paralytici, & adeo grata ei fuit, ut oculos ſuæ miſericordiæ ſtatim in tantæ virtutis cultorem conjecerit, per triginta, & octo annos hunc jam excoluerat virtutis florem, quem licèt aquis piſcinæ nunquam irrigavit, lachrymis tamen pluries humectavit, cum non adeſſet homo, qui ad motum aquæ illum demitteret in lavacrum Joan. 5. 5. *Erat autem quidam homo triginta, & octo annos, habens in infirmitate ſua.* Quàm felix, quàm DEO grata eſt patientia: quæ Chriſtum ad ſe allicit, trahitque miſericordiæ oculos, ex quorum benefico intuitu ægritudines abiguntur; & paralyſis, quamvis temporis diuturnitate inoleverit, radicéſque fixerit, quæ humana arte evelli non poſſent, ſtatim patientiæ cultorem deſeruerit. Ubi patientia floret, ibi divinæ miſericordiæ oculi diriguntur, & morbi abiguntur.

Si tamen in probatica piſcina paralytici 37
patientia cauſæ fuit, ut Chriſtus oculos ſuæ miſericordiæ in infirmum dirigeret, cui ſanitatem impertiret; nos ſi velimus à noſtris infirmitatibus ſanari, neceſſe eſt oculos noſtros in patientem Chriſtum dirigamus, cujus exemplo injurias nobis illatas oblivione deleamus. Num. 21. 9 *Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno, quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur.* Serpentem hunc fuiſſe figuram Chriſti cruci affixi conſentiunt Interpretes. Quidni laborant homines varijs infirmitatibus, torquentur pluribus doloribus; alij arctantur inopia, iſti premuntur adverſitatibus; illi impetuntur injurijs; coanguſtiantur nonnulli perſecutionibus: hi omnes, ut ſanentur ab infirmitatibus ſuis, oculos mentis dirigant in Chriſtum, ut ejus paupertatem, dolores, toleratas calumnias, imò & vulnera ac mortem videntes, ac conſiderantes exemplo tanti magiſtri diſcant tacita patientia, ſine querelis tolerare opprobria, calumnias, vulnera, & adverſa quæque; verùm & præſentiſſimum pharmacum contra infirmitates omnes eſt oculos dirigere in Chriſtum cruci affixum; & ejus exemplo ſine querelis patienter tolerare adverſa quæque. Terra, quam colimus ſpinas, & tribulos, producit, quibus pungimur frequenter, & affligimur Geneſ. 3. 18: *Spinas, & tribulos germinabit tibi.* Quamvis ſpinæ nos pungant, ne tamen graviter læderent, earundem acumina voluit Chriſtus obtundere cum ijsdem Judæi ejus ſacroſanctum caput transfixerunt; geſtavit ipſe in ſuo capite ſpinas, ut ab earum moleſtijs nos liberaret: appoſitè Tertullianus de corona militis cap. 14. *Abſtulit virtus crucis omnes aculeos mortis; in Dominici capitis tolerantia obtundens.* Quòd ſi ſpinæ nos pungunt, non lædunt, ſed ſtimulant ad exercitia virtutum, ut per tolerantiam adverſitatum coronemur nos floribus. Hanc coronam cum ſpectaret David ſibi à DEO dari, ut aliquid ex proprio retribueret pro favore ſibi impertiendo optavit per exercitia patientiæ

in tolerandis adverſitatibus ad illum perveni-re Pſal. 115. 12. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi, calicem ſalutaris, accipiam*, optavit calicem bibere ærumnarum, dolorum, adverſitatum, ut per exercitia patientiæ, per ſpinas tribulationum coronam acciperet floribus intextam.

38 Si exemplo Chriſti ærumnas, convicia, calumnias, flagella, vulnera, & adverſa quæque æquo animo toleraverimus, cum ipſo conregnabimus. Chriſtum imitemur ſpinis coronatum, ſi cum cæleſti Sponſo cupimus floribus fulciri: *egredimini*, clamat Sponſa 3. Cant. 11 *& videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua*: diadema, quod ei Sinagoga intexuit, ſpineum fuit, ſeu patientiæ, & tolerantiæ, ut diſceremus, & nos ſpineta moleſtiarum, vepreta adverſitatum ſine querela, abſque impatientia tolerare; audiendus eſt Richardus à S. Victore in Cant. cap. 13. O *Filiæ Sion cum adverſa patimini, egredimini ab imperfectione veſtra, & impatientia; ut leviter feratis illata vobis mala. Videte Regem veſtrum pro vobis paſſum, & per paſſionem gloria, & honore coronatum. Lætitiam regis veſtri conſiderate: hoc exemplum vobis proponite.* Decet, membra dolere cum capite, ſi exambiunt cum ipſo coronari. David fugiens Abſolonem perſequentem, & rebellantem non potuit à lachrymis ſe temperare; & cunctus populus, qui cum eo erat, etiam flevit 2. Reg. 15. 23. *Omnesque flebant voce magna*: ait Abulenſis: *totus populus flebat, ſicut videbat flere David: quia putabant ſubditi ſe ſuum munus non rectè exequi, niſi lachrymanti regi collachrymarentur.* Si exemplum David movit totum populum ad lachrymas; æquum eſt, ut Chriſti patientia nos moveat ad tolerantiam adverſitatum ſine querela, ſine murmure, abſque impatientia.

39 Neque ærumnarum torrens, quem pertranſivit David, ullum debet nobis timorem incutere; quia ſi rex præceſſit, debemus, & nos ejus veſtigia ſequi, & æquo animo trajicere torrentem Cedron afflictionibus, ærumnis, & adverſitatibus redundantem: ait David Pſal. 59. 9. 10. *Juda rex meus: Moab olla ſpei mei.* Quid olla ſignificat, quàm tribulationes, & adverſitates? at ſi olla plena ærumnis ebullit, cur ſperat, & non potiùs timet ærumnas, & calamitates redundantes ab olla ebulliente? Non timet ærumnas, & adverſitates, ſed ſperat *olla ſpei meæ*, quia per has tribulationes, & adverſitates præceſſit. *Juda rex meus*: Cum igitur Chriſtus rex noſter nos præceſſerit per ærumnas, convicia, calumnias, tribulationes, ſpinas, flagella, vulnera, & mortem, non eſt, cur debeamus timere; ſed bene ſperare: *olla ſpei meæ*: quia olla tribulationum, ſi æquo animo patienter toleretur, ſpem producit æternæ gloriæ: *ad pacem per patientiam pervenitur*, ait S. Laurentius Juſtinianus de virtute Patientiæ c. 1. *Ita itaque magis pace fruetur homo, quanto erit patientior.* Hinc Chriſtus ſuis præceperat diſcipulis omnem excutere timorem, & in ſpem gloriæ animum erigere Matth. 10. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*; hoc eſt, non timeatis propter perſecutiones, carceres, & vulnera, quæ vobis poſſunt tyranni infligere, quia ſi multo vulnere corpus frangunt, integritati conſulunt animæ, ad cujus gloriam per patienter toleratas paſſiones pervenitur.

Hac ſpe fretus vir patiens non ſolùm adverſa ſine querela tolerat; verùm etiam læto animo, & gaudens convicia, calumnias, ærumnas, & tribulationes omnes ſuſcipit, & ſuſtinet, ſolémque cœlo affixum æmulatur, cui nil adimunt innatæ ſerenitatis, ac inſiti ſplendoris nubium, ventorúmque procellæ, quibus ſemper ſplendet Sol hiſce ſuperior: hanc in adverſitatibus imperturbatam lætitiam ſemper ſervavit D. Paulus ſcribens 2 ad Corinth. cap. 7. ait, *repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra*: non in fame, & ſiti tantùm ſervavit vegetam hanc lætitiam; imò non ſolùm in vinculis, carceribus, plagis ſplenduit ſerenior hæc lætitia; ſed etiam in omnibus ærumnis, anguſtijs preſſuris, cruciatibus, ac morte ipſa: *ſuperabundo gaudio in omni tribulatione.* Hujus lætitiæ ſerenitatem nullæ valuerunt imminuere, nec obſcurare triſtitiæ nubes in S. Martino Turonenſi Epiſcopo, de quo refert Severus Sulpitius, nunquam viſum fuiſſe iratum, nunquam mœſtum; ſed jugiter pacatum, ſibique ſimilem. Nobile hujus gaudentis patientiæ ſymbolum daturus Iſaacus poſteritati, uxorem duxit Rebeccam: quadrageſimum jam exegerat annum Iſaac, cum Abraham genitor Eliezerem rei domeſticæ procuratorem miſit in exteram provinciam, ut ſponſam filio adduceret de cognato ſanguine; cúmque perveniſſet prope urbem Haranem, ubi degebat Bathuel filius Nachoris, & Abrahami ex fratre nepos implorata Numinis ope obviavit Rebeccæ filiæ Bathuelis, quæ hydriam plenam frigida domum deferebat: petjit Eliezer à puella hauſtum aquæ, ut æſtus ardentis ſitis temperaret, Rebecca non ſolùm hydriam exhibuit Eliezeri, ſed ad fontem reverſa etiam pro illius camelis abundè aquam ſuppeditavit; cúmque eſſet puella venuſta ex Abrahæ cognatione, & ſanguine; exiſtimavit à DEO hanc eſſe puellam deſtinatam uxorem Iſaaci, ad quem propterea conſentientibus parentibus duxit; Iſaac, cùm primùm audivit Rebeccæ adventum, ei obviavit Geneſ. 24. 63. *Cúmque elevaſſet oculos, vidit Camelos venientes propè*, & Sponſam introduxit in tabernaculum Saræ matris ſuæ, quæ ante triennium deceſſerat, è vivis evocata, ibique inter ſuaviſſimas ſalutationes, & adgratulationes excipitur Rebecca cum ſuo gynæceo, & nuptiæ contrahuntur Geneſ. 24. 67. *Et accepit eam uxorem.* Hocce matrimonium ſymbolum fuiſſe patientiæ lætantis, & gaudentis in tolerandis ærumniis, convicijs, & adverſitatibus, deducunt SS. Patres ex ipſis Sponſorum nominibus; aſſerunt enim Iſaacum hebraicè 40

riſum ſignificare, & Rebeccam *patientiam*: ſicut igitur Iſaac uxorem duxit Rebeccam, ita perfecta patientia interno nubit gaudio, ſcitè S. Clemens Alexandr. lib. 1. Pædag. cap. 5. ait: *Riſus à tolerantia adjuvatur*: ut riſum à viro mulier eliciat, neceſſe eſt patienter ferat jugum matrimonij, tribulationes, quæ obtingunt, patienter toleret.

41 In hac puri abſcinthij, ac lachrymarum valle, non ſemper vices humanarum rerum ad vota fluunt, propterea neceſſarium eſt patientiæ condimentum, quo afflictiones hoc conditæ ſaccharo dulceſcant animo, fructúmq; dent ſalutis, quia ſine patientia adverſa non proſunt, ut peritè ſcripſit Petrus Bleſſenſ. *epiſt.* 31. inquiens: *Corporis afflictio citra meritum, & fructum ſalutis eſt, ſine patientiæ condimento*, quinimò amarities ærumnarum, ſi hoc deſtituatur condimento, acriùs affligit animum. Secus, qui læta patientia loricatum tegit pectus, nulli fit vulneri obnoxium, & quidquid adverſi ei contingit, extimam duntaxat cutem tangit, non intus animum pungit: ſicut ardentes prunæ protinùs extinguuntur, ſi in profundum pelagi injiciantur, ita moleſtia quæcunque illa ſit, quamvis ingens, ſi in animum ſibi bene conſcium, ac lætæ patientiæ aſſuetum incidat, illicò perit, & vim totam deperdit: quapropter ad retundendos adverſantis fortunæ ictus, & ad tranquillam, piámque vitam ducendam neceſſarius eſt hujus gaudentis patientiæ clypeus, quo adverſitatum tela citra animi læſionem retundantur: nemo eſt, qui tametſi profundam enavigaverit mare, vadoſa non experiatur littora: neque cœlum ita arridet ſemper ſerenum, quin plerumque appareat nubibus fœdum, vel denſa tegatur caligine; neque terra ita eſt felix, & fœcunda, quin in aliquibus locis jejuna glarea ſteriles cat: neque lætæ ſegetes ita in campis flaveſcunt, quin intermixta dedecorentur avena: perinde vita hominis obnoxia ſemper eſt adverſitatibus, non ſecus ac mare procellis: licèt pelagus interdum malacia quieſcat, mox flantibus ventis excitatâ procellâ turbatur, naufragiúmque marinos fluctus trajicientibus minatur: homo enim quamvis divitijs affluat, dignitatibus emineat, honoribus afficiatur, ſuis adhuc adverſitatum procellis eſt obnoxius, & ne mergatur, opus eſt opem efflagitet ab ipſa patientia, quæ ſi læta fuerit, malaciâ portûs, vel in ipſis procellis fruitur, & tunc, quæ videntur adverſa, lætæ loricâ patientiæ ſolatium adferunt, non detrimentum; quia hac patientia pectus ſuum munierat Apoſtolus, non anguſtiabatur preſſuris, ſed gaudio dilatabatur; non ærumnis premebatur, ſed gaudio afficiebatur 2. Corinth. 4. 8. *Tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur*: quia patientia læta anguſtias non patitur, ſed latitudinem ſibi aperit, quam cùm expertus fuiſſet David DEUM alloquens, à quo lætam patientiam ſuſceperat, ajebat Pſal. 4. 2. *In tribulatione dilatâſti mihi.*

42 *Hinc* etiam Sponſa pertranſiens vepreta afflictionum, & ſpinas ærumnarum in ſterileſcente deſerto floribus quaſi ſtipata lætabatur Cant. 8. 5. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delicijs affluens*: tametſi in deſerto terra vel jejuna glarea eſuriat, vel ſpinis, & dumetis armetur ad vulnera infligenda, ad cruorem eliciendum; quamvis in deſerto nulli adoleſcant flores, nullæ vireſcant pratorum amœnitates, adhuc tamen Sponſa delicijs affluit, & in ſpinis deſerti flores colligit conſolationum, quia quæ in deſerto experitur ſibi adverſa læta patientia ſine querimonia tolerat, egeſtatem, & famem ſine murmure ſuſtinet, & DEO frui in ipſis anguſtijs, & preſſuris deſerti cor ſuum dilatatum lætitiâ, & gaudio experitur cum Davide Pſal. 4. 2. *In tribulatione dilatâſti mihi*, quia gaudij proprium eſt cor dilatare, quod triſtitia premit, & coarctat: & cùm Apoſtolus gloriaretur in tribulatione, gauderet in adverſitatibus, hanc cordis dilatationem expertus fuit.

Imò tantæ eſt virtutis læta patientia, 43
ut ipſam tribulationem grata cœlitibus metamorphoſi converrat in gaudium: *Et triſtitia veſtra convertetur in gaudium*, fiátque ipſum vulnus inflictum ſanitas, & proſperitas Cant. 2. 12. ajebat Sponſa: *Tempus putationis advenit*: lætabatur, eò quia vinea ferri cultura eſſent ſcindenda, legunt enim ſeptuaginta loco *tempus putationis*, *tempus ſectionis*: quia cùm vites putantur, cultro ſcinduntur: ſed in textu hebraico legitur: *Tempus cantilationis advenit*; quaſi putatio vitis quidam ſit cantus, & vitis triſtitia cantûs lætitia, ac amputatæ vitis lachrymæ riſûs ſemina: ita eſt, quia vitis amputationem abſque murmure, ſine querela tolerat, vulnera eidem inflicta, ejuſdem gaudio, ſanitati, & fructibus conſulunt. Quidni cœleſtis agricola DEUS palmites ferentes fructus varijs purgat adverſitatibus, ut inde plus fructuum adferant: cùm igitur vir patiens ærumnis premitur, adverſitatibus affligitur, tunc tempus putationis advenit, quod eſt illi tempus cantilationis, ſeu cantilenæ, quia lætus, & gaudens adverſa quæque tolerat: hinc Joan. Apocal. 14. 19. *Miſit falcem ſuam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ*: hoc eſt falce tribulationum permiſit affligi, vulnerari juſtos, ut inde vindemiaret, ſeu fructus meritorum colligeret uberiores. Quòd ſi nec falce palmites amputaret, neque aratro terram proſcinderet, nec vites racemos darent ad vindemiam; neque terra annonam ſuppeditaret ad nutrimentum corporis, & inde non fructus colligerentur, ſed vepres legerentur non ſine cruoris fuſione. Iſaias 5. 6. loquens de anima, quæ tribulationibus non exercetur, neque adverſitatibus excolitur, ait: *Ponam eam deſertam; non putabitur, & non fodietur, & aſcendent vepres, & ſpinæ*: ſi igitur ferrum perſecutionum, & adverſitatum vites amputet, & ſi aratrum ærumnarum terram excolat; & vites vinum ſuppeditant ad ſitis extinctionem, cordiſque lætitiam; & rellus aratro proſciſſa, & exculta flaveſcentes ſegeres miniſtrat

niſtrat ad implenda horrea, & famem abigendam: ſin verò cultor vites non amputet, & per culturam aratri terra non proſcindatur, creſcunt vepres, aſſurgunt ſpinæ: appoſitè S. Baſilius Magnus expendens textum Iſaiæ ait. *Quemadmodum, qui vineam putant, obſtringunt ejus vites, & externè comminuunt; ut majori cum temperamento procedat ad ferendos utiles fructus: pari pacto contingit animæ aſſiduitate tribulationum incurvatæ; quodammodo in ſe contrahitur, ſeque humiliter demittit, atque ad ſui diligentiorem cuſtodiam retrahitur: è contrario animia, quæ indulgenter ac remiſsè vivere ſinitur, perinde ac vinea quædam neglecta luxuriat, & ſylveſcit.*

44 Vinum lætitiæ non ſuppeditant, niſi palmites amputati; lætam ſegetem non ſpondet, & horrea non implet, niſi terra aratro dilacerata, ac vulnerata: quia vir patiens ex vulneribus, & adverſitatibus plus gaudij, & meriti intus ſuſcipit, quàm ſanguinis exteriùs fundat: quapropter etiam DEUS voluit ſuum populum nonniſi ex duritie petræ dulcedinem ſugere mellis, oleúmque tranquillitatis ex toleratis laboribus Deuter. 32. 13. *Ut ſugeret mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo*, quia vera pax, cujus oliva eſt ſymbolum, non poſſidetur, niſi bella, & conflictus præceſſerint; niſi victoria de irruentibus adverſarijs delata ſit: neque mellis dulcedo guſtatur, niſi durities petræ eam ſuppeditet; niſi ærumnæ, & adverſitates, quam præſeferunt amaritudinem beneficio patientiæ gaudentis in mellis verterent dulcedinem. Huc accerſendus S. Antonius Paravinus *Conc. de Trinit.* ubi ait: *Petra eſt duritia adverſitatis, vel tribulationis: mel de petra ſugit, qui adverſitatis duritiem in ſuavitate mentis recipit.*

45 Regulæ ſervandæ ad fortiter adverſa tolleranda, & lætà patientià ſuſtinendas ærumnas, ſunt, ut cùm primùm adverſa nos premunt, calamitates divexant, ad DEUM mentem convertamus, ejúſque opem imploremus cum Davide Pſal. 120. ubi ærumnis preſſus ajebat: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi: auxilium meum à Domino.* Deinde lingua cohibenda eſt, & ſilentio illatæ nobis injuriæ ſunt oblitterandæ: ſi enim minùs potis, quis eſt ad animum coërcendum, ſaltem os contineat, & cum Davide dicat: *Dixi cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator adverſum me. Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis.* Qui enim inter convicia, & injurias linguam non coërcet, in præceps illico trahitur ab ira, & dolore; perinde ac languentis ſtomachi eſt, non poſſe cibum duriorem concoquere, ita puſilli eſt animi duriuſcula non poſſe verba ferre. Tertiò conſultiùs ſi ærumnis, & adverſitatibus preſſus ſe totum divinæ voluntati conformet, ac divino beneplacito ſe arctiſſimè devoveat, ſupremóque bonorum omnium largitori gratias agat, quòd nos dignos judicet cruce, qua Chriſtum ſequi poſſimus: & in hoc divinæ voluntatis amplexu dicat cum Jacob luctante cum Angelo Geneſ. 32. *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* Quartò poſt ſedatam nonnihil tempeſtatem fundendæ ſunt preces ad Virginem Matrem, & Cœlites, ut velint, ſi perſecutiones urgeant tuæ cauſæ ſuſcipere patrocinium. Quintò ſi afflictiones urſerint, laudabile eſt uti conſilio prudentis, ac probi alicujus viri, ut monet Siracides eccleſ. 32. *Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebit.* Cùm moleſtijs angimur factu optimum etiam eſt, ſi ſuaviſſimam DEI penſemus diſpoſitionem, conſideremus DEUM eſſe, qui hanc telam orſus eſt, & illi optimè innoteſcere, qua ratione ſit pertexenda. Quòd ſi poſt fuſas preces res adhuc ad votum non fluxerint; ſi poſt omnem adhibitam diligentiam adhuc, adverſa urſerint, tunc patiens nulli iraſcitur creaturæ, ſed maturè cogitat ſcire DEUM ad unguem omnia, quæ patitur, & ea permittere ad præclarioris virtutis exercitia, vel in anteactæ culpæ pœnam debitam, qua ratione non conſiderat, quid patiatur, ſed quàm multa dignus ſit pati propter peccata. Hac conſideratione adhibita nunquam adverſa virum patientiæ aſſuetum è mentis tranquillitate dejicient.

EXPENSIO XXIII.

Donatur explicatu inclyta virtus Temperantiæ, commendantúrque ejus filiæ Abſtinentia, & Sobrietas.

TEmperantia tametſi inter virtutes Cardinales ſit loco poſterior, dignitate tamen nulli videtur cedere, ſunt enim eidem ſua decora, quibus ſplendidè eminet: 1
eſt hæc virtus auro dives, gemmis coruſca, colore roſea, ſpecioſa, greſſu decora, & majeſtate ſpectabilis, cui adaptari poſſit illud Cant. 4. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es*, & Cant. 7. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis.* Ad hanc virtutem flectuntur verba Cant. 1. *Oculi tui Columbarum*, quia hæc virtus eſt, ait D. Proſper lib. 3. de vita contemplativa cap. 19. quæ *facit hominem pudicum, abſtinentem, parcum, ſobrium, moderatum, tacitum, verecundum.* Si enim animo hæſerit, libidines frœnat, affectus temperat, deſideria ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat, & cuncta intra nos confuſa coordinat, ſcientiam ingerit, æſtus concupiſcentiæ extinguit, & mentem, totúmque hominem placida tranquillitate componit. Si enim fortitudo terribilia reſpicit, quæ ſunt humanæ vitæ corruptiva. Temperantia pharmaco ſuo humanam vitam conſervat ſive in individuo, ſive in ſpecie. Verſantur fortitudo, & temperantia circa paſſiones componendas ad normam rectitudinis: ſunt enim paſſiones moderationis capaces, eò quia dirigantur per apprehenſionem, quæ nata apta eſt regulari,

per rationem, ut docet D. Thomas *quæſt. 25. de veritate, art. 1. & 4.* Et quamvis temperantia, ſi præcisè conſideretur, omnem comprehendat paſſionum moderationem, ut notat Heſichius, imò & apparatum omnium virtutum, quibus animus ad perfectam perducitur puritatem: attamen preſſius ſumpta, & conſiderata eſt reſtricta ad quaſdam paſſiones coërcendas: & notat S. Ambroſius, voluiſſe DEUM ab hac virtute mundum inchoare, & reliquiſſet hominem in paradiſo, ſi temperantiam amâſſet, ejuſque aſſueviſſet ſtudio.

2 Quamobrem temperantia virtus eſt moralis earum moderatrix paſſionum, quæ verſantur circa delectabilia corporis ſecundùm ſenſum tactûs in uſu cibi, & potûs, & venereorum: cùm enim temperantia naturam perficiat rationalem, quatenus eſt talis, ſeu ut eſt principium intellectionis, & volitionis non poteſt niſi virtutibus accenſeri, quia tota ratio virtutis ad perfectionem harum duarum functionum immediatè ordinatur, & conſiſtit hæc perfectio in attingentia veri, & boni, ſeu honeſti; ſiquidem ſolum bonum honeſtum eſt proprium naturæ rationalis; & illud dicitur honeſtum, quod eſt decorum, & congruit juxta præſcriptum rectæ rationis. Unde liquet, temperantiam, ut determinatè coërcentem appetitum in concupiſcentijs, & delectationibus corporalibus, quæ vim maximam habent retrahendi à bono rationis eſſe ſpecialem virtutem: quia in illa moderatione relucet peculiaris honeſtas, à qua temperantia ſuum deſumit eſſe ſpecificum: ubi enim relucet ſpecialis honeſtas, ibi ſplender ſpecialis virtus: & in eo quòd homo moderatè ſe gerat circa corporeas delectationes, ac compeſcat immodicum appetitum in illas non obſequendo ſenſui, ſed obtemperando recto dictamini rationis, relucet ſpecialis honeſtas, quæ virtus eſt; ait enim S. Ambroſius lib. 1. de Jacob. & vita beata cap. 2. *Temperantia eſt, quæ reſecat cupiditates. Hanc primis hominibus tenendam mandavit DEUS dicens; de fructu autem ligni, quod eſt in paradiſo, non edetis, nec tangetis illud, ne moriamini. Et quia non eſt retenta, ideo transgreſſores virtutis egregiæ paradiſi exules facti ſunt, & immortalitis exortes.*

3 Quia protoparentes in paradiſo non coërcuerunt appetitum circa pomum vetitum, neque excoluerunt virtutem temperantiæ, adacti fuerunt, terram colere extortes è paradiſo: fuit Eva, quam animi libido, ac curioſitas aſpiciendi poma ſibi vetita pepulerat ad arborem ſcientiæ boni, & mali genitricem accedendi, ubi circumvoluta arboris ramis adfuit ſerpens, qui veluti ſoror cum ſorore cœpit ſermones miſcere, cúmque verborum illecebris benevolentiam ſibi captivâſſet mulieris, virus peſtiferæ cupiditatis excellendi ſupra humanam conditionem inſtillavit, & adeo efficaciter guſtum arboris vetitæ ſuaſit, ut eidem præcepti transgreſſionem, ac virtutis temperantiæ violationem perſuaſerit: quia circa eſculenta appetitum non coërcuit, & virtutem abegit temperantiæ, invaſit dentibus pomum, & rata unà cum pomo beatitatem devorâſſe, quavis diſruptâ morâ ad maritum cucurrit, cui vim pomis illis inſitam laudat, hortatúrque, ut & ipſe comedat, experiatúrque ejus dulcedinem, effectúmque ſcientiæ, & quamvis anceps vir hæſiſſet, mortis metu correptus tandem ut uxori placeret, maluit DEO diſplicere; manum ad oblatum ſibi pomum admovit, dente momordit, & in ſtomachum unà cum pomo mortem demiſit, cui ſe obnoxium conſtituit, & quam meruit ipſe pœnam, transfudit in poſteros omnes: ſi enim temperantiam coluiſſet, & appetitum in eſculentum illud, pomúmque vetitum compeſcuiſſet, paradiſum non perdidiſſet, neque excolendæ terræ damnatus in ſudore vultûs panem comediſſet, ut damna temperantiæ illata reſarciret.

Ubi temperantia abeſt, ibi mors accelerata venit; idque vaticinio exploratum fecit Joſeph in Ægypto. Detinebatur in carcere cum duobus ex aula Pharaonis Palatinis, quorum alter Pincernia, alter præerat piſtoribus, cúmque utrique eadem nocte ſomno ſopito objectum fuiſſet ſomnium, cum officijs, quæ geſſerant, uterque Joſephum rogavit, ut ſomnij interpretationem proderet. Somnium Pincernæ erat objecta vitis cum tribus palmitibus, è quibus gemmæ primùm eruperunt, quæ paolatim turgeſcentes folia emiſerunt, & fructus minutos, qui florentes, & incrementa ſuſcipientes ad maturitatem devenêre, & à Pincernatum Præfecto fuerunt uvæ, dulces, & maturæ in calicem Pharaonis expreſſæ, eique propinatæ Geneſ. 40. 10. *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, & creſcere paulatim in gemmas, & poſt flores uvas matureſcere: calicémque Pharaonis in manu mea tuli ergo uvas, & expreſſi in calicem, & tradidi poculum Pharaoni.* Somnij proditurus ſignificationem Joſephus tres vitis propagines totidem dierum intervallum dixit indicare, & hominem poſt tridui fluxum muneri ſuo eſſe reſtituendum. Ex hac proſpera conjectatione etiam Piſtor ſpem concepit impetrandæ libertatis, & ſuum itidem expoſuit ſomnium; viſa nimirum à ſe tria viminea Caniſtra capiti ſuo impoſita, in quorum medio, & imo panes inerant candidi è polline confecti, & in ſupremo varia ſervabantur fercula, quæ advolantes aves depaſcebant Geneſ. 40. 16. *Et ego vidi ſomnium, quòd tria Caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum, & uno Caniſtro, quod erat excelſius portare me omnes cibos, qui fiunt arte piſtoria, avéſque comedere ex eo,* Joſephus audito ſomnio Piſtoris omnia alia fata prænuntiavit, nimirum fore, ut intra dierum trium ſpatium ſuſpenſus penderet è patibulo, & corvi ejus carnibus veſcerentur Geneſ. 40. 18. *Tria caniſtra tres adhuc dies ſunt, poſt quos Pharao auferet caput tuum, & ſuſpendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.* 4

Quid

Quid cauſæ, quòd ſomnia tam diſparia indicaverint fata? cur Pincernæ libertatem, & Piſtori capitis diminutionem, & violentam mortem prænuntiaverint? Cauſam diſcriminis ex eo commodè peti poteſt, quia quam temperantiæ virtutem Pincerna coluit, Piſtor ferculorum redundantia oppreſſit, Pincerna ſiquidem ex vite eas duntaxat decerpſit uvas, quæ in muſtum expreſſæ Pharaonis ſiti temperandæ ſufficerent: Piſtor verò non contentus panibus, quibus duo impleverat caniſtra viminea, adhuc tertium oppleverat omnibus ferculorum generibus, quæ arte piſtoria fiunt. Facilè igitur fuit Joſepho ex cultura temperantiæ conjectare Pincernæ libertatem, & priſtinum ſui officij exercitium: & è converſo Piſtori ferculorum copia intemperanti, ac ſe oneranti præmaturam, & violentam mortem; quia ſi temperantia vitam protrahit, intemperantia mortem accelerat, in Pincerna fuit temperantia, & ſobrietas in poculentia cauſa ſalutis: in Piſtore verò mortem accerſivit præmaturam ferculorum copia, qua intemperantiæ indulſerat.

5 Idque cauſæ, cur eſurienti populo ſuppediraturus DEUS neceſſaria obſonia è cœlo demiſit; ita tamen ut quisque non ad ſarietatem colligeret, ac comederet, ſed quantum ſufficeret ad reſtaurationem virium, ad nutrimentum corporis juxta regulas temperantiæ Exodi 16. 16. *Colligat unusquisque quantum ſufficiat ad veſcendum gomor per ſingula capita*: quia voluit DEUS populum ſuum in deſerto proſpera valetudine ſervari, ad præſcriptum temperantiæ injunxit, ut ſuppedirata ſibi fercula comederent, quia ſtomachi repletio non eſt vitæ fomentum, ſed virium oppreſſio, & mortis acceleratio, idque nos edocet Eccleſ. 37. 32. *Noli avidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam, in multis enim eſcis erit infirmitas.* Quòd ſi oneribus ferculorum opprimuntur vires, & per repletionem ſtomachi evacuatur ſanitas, per ſtudia temperantiæ vires reficiuntur, & vitæ incrementa protrahuntur Eccleſ. 37. 34. *Qui abſtinens eſt, adjiciet ad vitam*: trita eſt parœmia: pone gulæ metas, ut ſit tibi longior ætas: cibus enim ita ſumendus, ut vires reficiantur, non opprimantur, quotquot temperantes in eſculentis, & poculentia fuerunt, vitam ab incommodis ægritudinum liberam ad ultimum protraxêre ſenium. Scimus Paulum Eremitarum Anteſignanum vitam protraxiſſe ad annos quindecim ſupra centum, ex quibus centum egit in ſolitudine paucis dactylis, & modicæ aquæ hauſtu contentus, idque per primos quadraginta totos annos; reliquis enim dimidio pane, quem corvus ei miniſtrabat, vires & naturam conſueviſſe reficere teſtatur S. Hieronymus. Scimus S. Antonium Eremitam ad años centum, & quinq; vitá protraxiſſe, ex quibus nonaginta in eremo ſolo pane, & frigida uſus fuit pro prandio, & cœna, quibus referente S. Athanaſio in extrema ſenectute nonnihil oleris addidit. Scimus S. Paphnutium annos nonaginta exegiſſe in eremo ſolo pane, & frigida delabentes vires reficientem. Scimus, Simonem Stilitem annis octoginta, quibus in columna ſtetit referente Theodoreto, quadrageſimas viginti octo tranſegiſſe, & nil eſculenti, & poculenti immiſiſſe in ſtomachum. Scimus D. Hieronymum in ſuo Bethlehemitico ſpecu vixiſſe propè ad centeſimum annum; Sanctum Romoaldum vixiſſe centum & viginti annos. S Franciſcum à Paula deceſſiſſe nonagenarium, ut & S. Andream Avellinum, & alios plures ad extremum usque ſenium vitam protraxiſſe in columem, nec alio fuiſſe uſos pharmaco, quàm temperantia in eſculentis, & poculentis.

Non legimus in ſacris ſcripturis, DEUM 6
Servis ſuis ad virium refectionem, ad deficientis naturæ reparationem luxum in epulis ſuppeditâſſe, ſed ex communi pane, & aqua eorundem indigentijs conſuluiſſe. Cùm Elias Propheta declinaturus furorem Jezabelis plurium dierum ſuſcepiſſet itinera, & labore fractus, ſtimulis famis corroſus, & ſitis æſtu abſumptus eſſet; nonniſi parum panis, & aquæ DEI munificentia ei ſuppeditavit ad virium reſtaurationem. 3. Reg. 19. v. 6. *Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergo, & bibit, & rurſus obdormivit*: & in convivio, ad quod Eliſæus invitavit filios Prophetarum ad ferculorum lautitiem, aliud ijsdem non exhibuit niſi coctas in olla herbas, 4. Reg. cap. 4. 39. *Et egreſſus eſt unus in agrum, ut colligeret herbas agreſtes, invenitque quaſi vitem ſilveſtrem, & collegit ex ea colocynthidas agri, & implevit pallium ſuum; & reverſus concidit in ollam pulmenti.* Reliqui idem Prophetæ virtuti temperantiæ unicè ſtuduerunt, Propheta Amos non alia admiſit in prandio, & cœna fercula, quàm fructus Sycomori, ſúntque ficus fatuæ, & inſipidæ *Amos cap. 7. 14.* Joannis Baptiſtæ cibus fuerunt locuſtæ, & mel ſylveſtre, *Matth. 3. v. 4.* Ezechielis panis hordeaceus ſubcinericius, & aqua, *Ezechiel. 4. 12.*

Materia virtutis temperantiæ ſunt dele- 7
ctationes corporales non tamen omnes, ſed quæ tactu percipiuntur in eſculentis, & poculentis, & rebus venereis, in quo ſenſu ait D. Auguſtinus lib. de moribus Eccleſiæ cap. 19. *Munus temperantiæ eſſe in coërcendis, ſedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea, quæ nos avertunt à legibus DEI, & à fructu bonitatis ejus.* Quæ autem nos à ſummo Bono avertunt, ſunt potiſſimum voluptates, quarum aliæ ad corpus, aliæ ad animum pertinent, cujusmodi ſunt voluptates ambitioſorum, curioſorum, & illæ omnes, quæ ſequuntur mentis operationem, vel phantaſiæ, & oriuntur ex honoribus, dignitatibus, divitijs, & cogitatione objecti cujusvis congrui: ſed coërcere has animi delectationes propriè ad temperantiam non pertinet: neque qui delectatur, divitijs dicitur intemperans, ſed avarus, & qui delectatur honoribus, & dignitatibus, am-

ambitioſus audit, & ita de alijs animi delectationibus: impropriè tamen, & metaphoricè dici poſſunt intemperantes, eò quia plus quàm par ſit, delectentur, in quo ſenſu ait S. Chryſoſtomus homil. 7. in 1. ad Timoth. *Impudicus eſt, non modò fornicator, verùm & avarus quoque & impudicus, & intemperans meritò dici poteſt. Quippe eſt ea concupiſcentia, carnali libidine minimè inferior. Qui igitur non illam temperat, intemperans dicitur.* Propriè tamen temperantia ad ſolas coarctatur corporis delectationes, quibus ſenſus corpori implantatus ſenſibile ſuum percipiendo appetitum excitat, & hujus delectationis cauſa, ac origo eſt paſſio corporis, cujuſmodi eſt, quæ ſingulorum ſenſuum functionibus reſpondet.

8 Ratio, cur temperantia dicatur moderari tantùm voluptates, quæ oriuntur ex ſenſibus tactus, & guſtus, ea eſt, quia virtus moralis non verſatur per ſe niſi circa eas operationes, quæ poſſunt immediatè, & per ſe contrahere bonitatem, vel malitiam moralem: & appetitiones per actiones circa delectabilia aliorum ſenſuum non habet rationem bonitatis, vel malitiæ moralis, niſi interdum per accidens: quatenus referuntur ad appetitiones circa delectabilia tactûs, vel objecta aliarum paſſionum: ex quo ſequitur, earundem moderationem nonniſi per accidens pertinere nonnunquam ad virtutem temperantiæ. Secus appetitiones circa delectabilia ſecundùm guſtum, & tactum per ſe, & immediatè capaces ſunt bonitatis, vel malitiæ moralis, ut liquet ex lege divina, naturali, & humana prohibente per ſe hujuſmodi appetitiones: quapropter neceſſaria erat virtus, ſeu temperantia, quæ per ſe tales moderaretur appetitiones, ut enim docet D. Thomas 2. 2. *quæſt. 141. art. 3. ad 1.* Paſſiones appetitus concupiſcibilis, ut amor concupiſcentiæ, & delectatio conſiſtentes in quadam proſecutione boni, ſunt primæ, & potiſſimæ paſſiones, pro quibus moderandis conſtituta eſt virtus temperantiæ, quæ principaliùs occupatur circa moderationem tactilium: & quia delectabilia ſecundùm tactum corporis latiùs patent, quàm delectabilia, quæ percipiuntur ex uſu cibi, & potus, ideò temperantia principaliùs dicitur has appetitiones moderari.

9 Hinc materiale objectum proximum temperantiæ ſunt delectationes, & triſtitiæ ortæ ex objectis guſtatilibus, & tactilibus, licèt principaliùs ex tactilibus, ſeu ex plena cibatione, & commixtione corporum. Verſatur immediatè temperantia circa has appetitiones, & delectationes, ut illas coërceat, & ad mediocritatem redigat juxta præſcriptum rectæ rationis. Materia verò remota temperantiæ eſt ipſe externus uſus eſculentorum, poculentorum, & venereorum, quia huic temperantia modum imponit, ut talis ſit, qualis decet virum temperatum. Materia remotiſſima dici poſſunt ipſa objecta delectabilia. Quamobrem munus temperantiæ eſt humanas operationes ad rectæ rationis amuſſim componere, concupiſcentias coërcere; & ſi paulò laxiùs hæc virtus ſumatur iraſcenti animo frœnum injicit, blandimenta voluptatum coërcet, deliciarum illicia compeſcit. Hæc eſt illa ſpiritualis circumciſio, quæ ſingulorum ſenſuum ſuperflua cultro præcidit rationis; & ad cibum, & potum accedit, ut vires reficiantur, non opprimantur, natura reſtauretur, non concupiſcentia inſoleſcat.

Ad actus temperantiæ quod attinet, alij 10
ſunt eliciti, alij imperati, illi immediatè eliciuntur à voluntate adjuta habitu temperantiæ, ſintque propterea actus eliciti virtutis, volitiones immediatè à voluntate per habitum temperantiæ productæ, & quibus appetitur hujus virtutis objectum, ſeu mediocritas in eſculentis, poculentis, ac venereis juxta præſcriptum rectæ rationis. Actus imperati ſunt affectus moderati circa delectabilia guſtus, & tactus, quia mediante illa volitione imperatur talis coërcitio voluptatum.

Regula ſtatuenda in exercitio temperan- 11
tiæ deſumenda eſt à neceſſitate corporis, & ejus exigentia, ut poſſit animæ inſervire, ait Auguſtinus lib. de morib. Eccleſ. cap. 21. *Habet vir temperans in rebus mortalibus, & fluentibus vitæ regulam, ut eorum nihil diligat, nihil per ſe appetendum putet: ſed ad vitæ hujus, atque officiorum neceſſitatem, quantum ſatis eſt, uſurpet, utentis modeſtia, non amantis affectu.* Hæc quæ ratio fuit, cur Clemens Alexandrinus 2. *Pædagog. cap. 1.* quoſdam redarguerit dicentes: ſe vivere, ut ederent, & ſaturarentur, & alios commendaverit, aſſerentes è converſo cibum appetere, ut viverent, & *lib. 3. cap. 7.* aſſignans menſuram ſervandam circa delectabilia guſtûs, & tactûs, ſtatuit tantam eſſe, ut corpori ritè accommodetur, perinde ac calceus pedi, ut neque manca ſit, neque ſuperfluat. Eandem regulã ſtatuerunt Philoſophi Ethnici, ut refert S. Baſilius *homil. de legend. cum fructu lib. Gent.* inquiens: Corporis tantùm indulgendum, quantum ei opus (ut ait Plato) ut Philoſophiæ miniſterium, atque auxilium ſuppeditet. Et convenit hæc doctrina cum ſententia D. Pauli monentis, nullam corporis habendam diligentiam, & rationem ad concupiſcentiæ materiam, quia gerentes nimiam curam corporis, animam negligunt, unde corpus potiùs coërcendum eſt, ne inſurgat contra animam, eſt corpus animæ carcer, à quo nonniſi damna trahit: hinc Pythagoras videns quendam exercitationibus, ac cibis lautè, & aptè ſe ſaginantem: *Heu*, inquit, *miſer non deſinis continuò duriorem tibi carcerem præparare.* Et Plato, cùm noviſſet ex corporis nocumento paſſiones enervari, Academiam Athenis in loco peſtilenti, & aëre inſalubri erexit, ut nimiam corporis proſperitatem, perinde ac vitis luxuriantes palmites amputaret.

Temperantiæ regula in ipſa debet rerum 12
neceſſitate, & utilitate ad humanam vitam contineri, quæ neceſſitas, & utilitas non debet honeſtati repugnare, ſed eam promovere.

Ne-

Neceſſitatis nomine intelligitur etiam utilitas, & convenientia, non enim illud tantùm dicitur neceſſarium vitæ humanæ, ſine quo vivere homo nequit, ſed etiam ſine quo non poteſt commodè, & convenienter juxta exigentiam proprij ſtatûs, & conditionis ſubſiſtere: quapropter hæc temperantiæ regula requirit prudentiam in illam exercente, quâ penſatis omnibus dirigantur actiones juxta exigentiam proprij ſtatus, & conditionis, ac negotiorum occurrentium perſonæ circa eſculenta & poculenta: hæc regula deſumenda eſt ex fine, ob quem uſurpatur: eſt autem hic finis bona corporis valetudo, ac mentis perquam idonea diſpoſitio ad proprias obeundas functiones; ad hunc finem vir temperans eſculentis utitur, & poculentis, ut medijs ad aſſecutionem bonæ valetudinis corporis, & ut potentiæ animæ ſua valeant munia obire: niſi ob alium finem altiorem ſubtrahantur alimenta corpori, & jejunijs emacietur caro, ut ſatisfaciat quis pro ſuis peccatis divinæ juſtitiæ ope divinæ gratiæ per JESUM Chriſtum.

13 Ratio cur debeamus uti eſculentis, & poculentis ad eum finem, ut fruamur bona corporis valetudine, ex eo petitur; quia eſculenta & poculenta, & omnis, quæ ex ipſis voluptas oritur, ac in nos derivatur, ordinata fuerunt à DEO ad corporis noſtri inſtaurandas vires: cum calor innatus humidum radicale abſumat, corporíſque ſubſtantiam deſtruat; ad has reſarciendas ruinas delabentis corporis, neceſſaria erant eſculenta, & poculenta, ut vires corporis conſerventur in ſua integritate, ac vigore; & inde animæ facultates ſua valeant munia obire; quòd ſi corporis nimia eſculentorum repletio animam aggravat, éſtque eidem impedimento, ne expeditè ſuis utatur facultatibus: eſculentorum deficientia eſt cauſa, cur corporis organa ſuis deſtituantur viribus, deficiant ſpiritus vitales, ſine quibus facultates animæ unitæ corpori non operantur in ſenſibus. Qui igitur utitur eſculentis & poculentis plusquam congruit bonæ valetudini corporis, ác idoneæ diſpoſitioni mentis ad ſuas obeundas functiones non dicitur ſervare temperantiæ regulam; ut nec etiam, qui causâ ſolius voluptatis utitur eſculentis, & poculentis; quia hæc voluptas non eſt opus virtutis; non enim motivum ſimplicis voluptatis eſt quid per ſe honeſtum, & laude dignum.

14 Partes Temperantiæ aliæ ſunt integrales, aliæ ſubjectivæ; & aliæ potentiales, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæſt. 143. & ſequent.* Partes integrales ſunt, quæ relucent in ipſo actu temperantiæ; ſúntque honeſtas, & verecundia: quia cum integrum temperantiæ officium conſtet ex fuga turpitudinis, quæ intemperantiæ ineſt; & amore decoris temperantiæ, & ad fugam turpitudinis juvet verecundia; ut & honeſtas ad amorem decoris; ſequitur, partes integrales temperantiæ eſſe duas, honeſtatem, & verecundiam. Dicitur honeſtas ex Iſidoro *lib. 10. Etymolog.* quaſi honoris ſtatus, ſeu quaſi id ob quod honorem quis meretur; & ſi honeſtus dicitur, qui nihil habet turpitudinis; in temperantiæ actu honeſtas eſt illud decorum, quod non exorbitat à debita moderatione. Dupliciter in moralibus contingit honeſtum, genericè, quo pacto convenit omnibus, ac ſingulis virtutum actibus; quia ratio honeſti moralis conſiſtit in conformitate cum judicio rectæ rationis, éſtque veluti regula operationis naturæ rationalis; ſecundò ſpecificè pro illo ſpeciali decore, quod relucet in actu, ſeu opere temperantiæ: hi enim actus habent ſpecialem honeſtatem, quâ habitus temperantiæ diſtinguitur à cæteris virtutibus. Verecundia, quæ eſt altera pars integralis temperantiæ, quamvis propriè non ſit virtus, ſed potiùs quædam paſſio: dicitur nihilominus in ſenſu laxiore eſſe virtus; quatenus laudabile eſt turpia fugere, ac ea declinare, quæ probro habentur digna; & utrumque præſtat verecundia, quæ eſt horror ex conſideratione dicti, vel facti probroſi, & turpis; & quia verecundia, quæ probra ſunt, horreſcit, ac fugit; id etiam præſtat, ut eadem vitemus.

Partes ſubjectivæ Temperantiæ ſunt abſtinentia, ſobrietas, caſtitas, pudicitia, quia 15
ex doctrina D. Thomæ ſpecies virtutum deſumunt ſuam diſtinctionem ex ordine ad diverſa objecta, ſeu materias; & materiæ temperantiæ ſunt præſertim delectationes tactûs, quarum aliæ oriuntur ex eſculentis, & earum moderatio vocatur ſobrietas: aliæ oriuntur ex venereis, & earum moderatio juxta regulas honeſtatis dicitur caſtitas. Partes potentiales ſunt aliæ quædam virtutes in hoc affines temperantiæ, quia occupantur in coërcendis appetitionibus, & actionibus circa quædam delectabilia, quæ tamen non ſunt ita vehementia, ſicut delectabilia tactûs. Ex partibus ſubjectivis temperantiæ Abſtinentia principem occupat ſedem, éſtque virtus inclinans voluntatem ad conſectandam in ciborum uſu mediocritatem ſecundùm præſcriptum rectæ rationis: beneficio hujus virtutis coërcemus voluptatem ſitam in uſu ciborum, & debitum modum in eſculentorum ſumptione ſtatuimus: proprium enim virtutis eſt compeſcere impetus, & exceſſus omnium paſſionum; & quia eſculentorum cupiditas recenſetur has inter paſſiones excedentes, & hominem plerumque ita detinent, ut totus ſit in cute curanda per ventris obſequia, neglectis mentis exercitijs, debuit virtus dari, cujus munus eſſet hos coërcere impetus inordinatos circa eſculenta, & compeſcere has delectationes, quæ dicuntur inordinatæ, quia vel trahunt ad id, quod eſt illicitum, ut ad veſcendum cibo vetito, vel loco, & tempore incongruo, vel ad exceſſum in quantitate; vel ad modum indecorum; vel quia non ſinunt hominem aliud cogitare quàm de cibo, & potu, & ventre. Has igitur inordinatas cupiditates, ac delectationes eſculentorum virtus

abſti-

abſtinentiæ moderatur, eſt enim quid honeſtum non excedere in eſculentis, & poculentis, ſed ea tantùm ſumere, quæ ſufficiant, ut vires reficiantur, & corporis incolumitas conſervetur, quod conducit ad virtutis meritum. Moderatio igitur, quam abſtinentia imponit cupiditatibus, ac delectationibus in eſculentis, & poculentis eſt, quæ valetudini, & officijs mentis obeundis congruit, ſcitè D. Auguſtinus lib. 10. confeſſ. cap. 31. DEUM alloquens ait: *Hoc me docuiſti, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam.*

16 Adeo cordi fuit Chriſto hæc temperantiæ virtus, ut eam pluries voluerit nos edocere; ac veluti inculcare: ſi enim in deſerto neceſſitati conſuluit turbarum, quæ ipſum fuerant ſecutæ ad earundem ſedandam famem, viréſque reficiendas obſonium quidem, & eſculenta ipſis diſtribuit, ſed juxta regulas ſobrietatis, & temperantiæ Joan. 6. 11. *Diſcubuerunt ergo viri numero quaſi quinque millia; accepit ergo JESUS panes, & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus, ſimiliter & ex piſcibus.* Panem diſtribuit hordeaceum, & parum piſcis, idque fuit tota lautities prandij, quod Chriſtus paravit turbis, quæ non tantùm paſtæ, quàm edoctæ fuerunt virtutem temperantiæ. Potuiſſet Angelis præcipere ut omnis generis delicatiora fercula afferrent, & ſicut per incrementa panis multiplicati famem abegit, quæ turbis moleſtiam intulit; ita potuiſſet lautiora obſonia ijsdem ſubminiſtrare, ut non ſolùm vires reficerent, ſed & gulæ indulgerent: ſed id non præſtitit, quia ſequentibus Chriſtum non convenit luxus in epulis, ſed temperantiæ ſtudium: non ſequimur Chriſtum, neque cum ipſo diſcumbimus, ſi per eſculentorum delectationes gulæ indulgemus, ſed ſi per abſtinentiam temperantiæ ſimus addicti, Panibus hordeaceis diſcumbentes turbæ vires refecerunt, non gulæ indulſerunt.

17 Eſt abſtinentia, quæ non ſolùm vires corporis reficit, ſed etiam mentem illuminat, ut qui erraverunt in eſculentorum ſatietate, reſipiſcant in ciborum frugalitate, ut prodigus adoleſcens, qui quamdiu divitijs affluit, ac gulæ, & veneri indulſit Epicuri de grege pecus fuit, & cùm primùm cœpit egere, & ſuile obſonium concupiſcere ad famis moleſtias abigendas, tunc beneficio abſtinentiæ reſipuit, & qui erat porcorum cuſtos, fit virtutum cultor ad patrem reverſus. Si Chriſtus ad nuptias invitatus indigentiæ Sponſorum occurrere voluit per converſionem aquæ in vinum ſobrietatem etiam edocuit; hydrias enim aqua plenas in vinum mutavit, ſed quantum vini caperent, ſimul exploratum voluit Joan. 2. 6. *Capientes ſingulæ metretas binas, vel ternas*, nimirum ſimul conſuluit indigentiæ Sponſorum, & modum præſcripſit ſobrietatis: ſuſpecta ſemper eſt copia, ſi modum neſciat: ita erat in nuptijs vinum propinandum, ut ſitis æſtum extingueret, non gulæ irritamenta provocaret, conſuluit neceſſitati, & ſimul modum adhibuit, ne per helluationem naufraga periret ſobrietas in poculis exiccandis; non ſolùm in deſerto turbas edocuit temperantiæ virtutem, & ad ſtudia ſobrietatis novo miraculo ſponſos erudivit in Cana: ſed etiam è cathedra crucis Magiſter Chriſtus hanc eandem voluit lectionem repetere, & ut altiùs memoriæ hæreret, mentibúſque imprimeretur hominum, proprio exemplo confirmandam eſſe cenſuit. Cum ob ſanguinis effuſionem, toleratos labores, ſiti æſtuaret, milites ad æſtus ſitis temperandos acetum obtulerunt ei Joan. 23. 36. *Milites accedentes, & acetum offerentes ei* noluit bibere: recuſavit bibere, æſtúsque ſitis temperare, ut ſobrietatem nos edoceret fortiùs ſuo exemplo, quàm verbo, ſcitè Chartuſianus expendens verba Evangeliſtæ ait: *Conſideremus quotidie hanc noviſſimam Chriſti menſam, quapropter nos cibatus eſt felle, & potatus aceto, ſicque diſcamus cibi & potûs ſuperfluitatem, & voluptatem vitare; per abſtinentiam carnem libenter, ac rationabiliter caſtigare, & de victualium tenuitate non murmurare.* Hanc Magiſtri Chriſti lectionem ſtatim didicit ejus diſcipulorum Princeps, cùm enim D. Petrus poſt ſuſceptos itineris labores eſuriret oblata ſibi obſonia, licèt non recuſaverit, non tamen ſtomachum replevit, ſed tantùm guſtavit, famem potiùs irritaturus acriorem, quàm ſedaturus Act. Apoſt. cap. 10. v. 10. *Et cùm eſuriret, voluit guſtare.* Ad praxim ſtatim deduxit, quam à Magiſtro docente è cathedra crucis ſobrietatem didicerat, non ventrem implevit, ſed ore tantùm guſtavit, & id ſolùm demiſit in ſtomachum, quod noverat ſufficiens ad vires corporis reficiendas: quia ubi temperantia excolitur, ibi flores virtutum feliciùs vernant:

Imò non ſolùm Chriſtus, ſed etiam ipſa 18
natura hanc nos edocet temperantiæ virtutem ut eſculenta, & poculenta ita ſumamus, ut vires tantùm reficiantur, & mens ſua expeditiùs valeat munia obire, quia ſicca anima eſt ſapientiſſima, & optima, ut loquitur Clemens Alexandrinus *lib. 2. Pædagog. cap. 2.* Ideóque natura ipſa, ut non ſolum corpori, ſed etiam menti conſuleret, facta magiſtra voluit nos temperantiam edocere, cùm unum tantùm nobis os dederit, & quidem anguſtum, & exiguum, ut inde diſcamus ad exiguam menſuram eſculenta, & poculenta in os immittere, ut per exercitia temperantiæ menti conſulamus, & ſimul corporis vires reficiamus, huc accerſendus S. Bonaventura ſer. 45. *Natura, quæ homini dat os parvulum, dedit illud brutis longum, & latum. Natura etiam, quæ tibi duos oculos dedit, duas etiam aures impendit, unum tantùm tibi os exhibuit, in quo tibi edendi menſuram oſtendit.* Non impertivit nobis natura os dilatatum ut brutis, ſed anguſtum, & exiguum, ut non more brutorum ad ſatietatem, ſed ad regulas temperantiæ eſculentis, & poculentis utamur, diſcamúſque ex oris exiguitate modicum tan-

tùm

tùm cibi in ſtomachum demittere, ut vires reficiantur, & ſpiritus vitales reſtaurentur.

19 Verumtamen, cùm non ſit omnium idem calor naturalis, nec eadem profeſſio, nec ventris capacitas, nec unus, idémque ſuccus cibi cujuslibet, nec eadem ſemper anni tempeſtas; ita neque eſt una ſemper, ac eadem menſura temperantiæ. Uberioribus enim eſculentis, & poculentis indigent adulti, quàm pueri, ut etiam ruſtici laboribus aſſueti, quàm deſides domi. Hyems itidem plus poſtulat alimenti, quàm æſtas, quia ut ait Hypocrates. *Hyeme ventres natura calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi, quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda: etenim tunc calor innatus plurimus eſt, ac pluribus indiget alimentis.* & lib. 1. Aphor. 17. ait: *Dandum aliquid eſt tempori, regioni, ætati, & conſuetudini*, quapropter cavandum, ne facilè alios inſimulemus intemperantiæ, eóſque ex nobis metientes, ad quod alluſit Apoſtolus ad Coloſ. 2. *Nemo ergo vos judicet in cibo, aut potu.* Quæ verò ſit hæc menſura juxta regulas temperantiæ in eſculentis, non poteſt in alio conſiſtere, quàm in ipſa mediocritate, qua vires reficiantur, non opprimantur; ſpiritus vitales reſtaurentur, ut animi functionibus inſerviant, cæterum ut loquitur Ariſtoteles lib. 2. Ethic cap. 9. *In unaquaque re medium invenire eſt difficile, ut circuli medium deprehendere non cujuslibet, ſed ſcientis ſolummodo eſt.* Hinc Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 21. perpendens difficultatem medium inveniendi juxta regulas temperantiæ ait DEUM alloquens: *Ecquis eſt Domine, qui aliquando non rapiatur extra metas ſobrietatis? quiſquis ille eſt, magnus eſt, magnificat nomen tuum: ego autem non ſum, quia homo peccator ſum.* Docent tamen communiter hoc medium ſitum eſſe in illo eſculentorum uſu, qui valetudini, & mentis officijs congruit, vel coërcitioni carnis, ut ſpiritui ſubigatur absque notabili læſione valetudinis.

20 Hinc habenda eſt ratio ad complexionem, educationem, & conſuetudinem: & huc pertinet hiſtoriola Romani Monachi, qui cùm profectus in Orientis eremum fuiſſet unà cum famulo, & Monacho Ægyptio parum vini exhibuiſſet, ac cibos mediocris ſucci, ſcandalizatus fuit ſtatim Ægyptius de famulo & ciborum lautitie; quod cùm obſervâſſet Romanus Monachus Ægyptium interrogavit, cujus eſſet parentis, cujus Provinciæ, quibus eſcis educatus, & quibusnam eo tempore veſceretur. Produxit Ægyptius Monachus conditionem ſuam viliſſimam, & addidit hauſtui aquæ aſſueviſſe, ut & pani ruſticano exiguo: tum Romanus Monachus repoſuit valde magnum, mirúmque non eſt, tibi tam vile alimentum ſufficere, qui in tugurio ruſticano natus, & neceſſitate compulſus, nihil unquam expertus deliciarum, duræ hujus paupertatis habitum contraxiſti. ego autem in urbe Roma fui illuſtris, & felix ſecundùm ſæculum, divitijs affluebam, luxui in epulis aſſueveram, famuli plures mihi inſerviebant, quibus omnibus propter Chriſtum me abdicavi, & unum tantum iſtum famulum, qui mihi adhærere voluit: neque in animo eſt famulum ſemper mecum habere, neque eſculentis iſtis ſemper uti, ſed tantùm ad tempus, donec in me corruboretur uſus vitæ monaſticæ. Quidni? hisce auditis erubuit Ægyptius, neque dubitavit magis placere DEO illum vivendi modum Romani Monachi, in quem à culmine tot deliciarum, ac voluptatum deſcenderat, quàm qualemcumque ſuæ vitæ auſteritatem: quapropter in ſervandis temperantiæ regulis habenda eſt ratio ad varias circumſtantias, quæ occurrunt præſertim ad ætatem, conditionem, & aſſuetudinem.

Quòd ſi abſtinentia ab uſu eſculentorum major fuerit, quàm virtus temperantiæ per ſe exigat, tunc non ſemper ſuſcipitur ex affectu abſtinentiæ, neque propterea eſt ſemper actus temperantiæ: ſi enim rigoroſa abſtinentia in eſculentis, & poculentis ſuſcipiatur ex affectu placendi DEO eſt formaliter opus charitatis: ſi intendatur ad ſatisfaciendum pro peccatis, eſt opus pœnitentiæ, ſi ne caro inſoleſcat contra ſpiritum, ſed ut eidem ſubjiciatur, eſt actus caſtitatis; cujus munus eſt impetus concupiſcentiæ coercere, motusque carnis compeſcere. Sin verò abſtinentia ab eſculentis, & poculentis intendatur, eò quia ſit conveniens homini, & conducat ad hoc, ut mens ſit magis idonea, & apta ad ſuas obeundas functiones, tunc eſt propriè opus hujus virtutis abſtinentiæ: quapropter plerique ſtudijs literarum vacantes, ut mente expeditiore, ac ſine ullo impedimento poſſint ſpeculari, ſobrietati, vel maximè ſtudent in eſculentis, & poculentis, & contrarium exceſſum deteſtantur, eò quia mentis impediat contemplationem, beneficio enim abſtinentiæ intellectus clariùs intelligit, & expeditiùs ſuas poteſt functiones obire: ait enim D. Hieronymus lib. 2. adverſus Jovinian. quæſt. 3. *Animæ hominum multo cibo fartæ adipibus tanquam luto involutæ, & in multo vino tanquam in cœnoſo gurgite natantes ad nihil valent ſubtile, aut cœleſte ſpargere.* Cui adhærens Clemens Alexandrinus 2. *Pædagog. cap.* 1. ait loquens de Helluonibus eſculenta vorantibus, & ventrem implentibus: *Tales, abdicato hominis decore ventri tantùm indulgere, quia nimirum mens illis, & anima plurima nebuloſitate ex eſculentis ſuffuſa abducitur*: & addit, hanc fuiſſe cauſam, cur Pythagorei carnem comedere recuſaverint, vinúmque bibere refugerint, eò quia id potiùs ſit ſtomachum ſuffarcinare, ut exhallatio inde exurgens offundat animæ tenebras, quòd cum adnotâſſet Heraclitus, ajebat, quod ſicut lux ſicca, & ſine nube pulchrior; ita anima in corpore temperati, & abſtinentis eſt ſapientior: ſicut enim pluvijs, craſsiſque vaporibus, & halitibus ex uliginoſa tellure eductis aër infuſcatur, minùs jus 21

ad ſanitatem efficitur opportunus: perinde mens obnubilata appulſu vaporum, ac fuliginum ſubvectarum per calorem nativum è nimio in ſtomachum demiſſo cibo, quaſi obcæcatur, & tenebreſcit.

22 Philo in Coſmopœia ſerpentem, qui in paradiſo Evam ſeduxit, myſticè interpretatus eſt vitium gulæ, quia ſerpens ventre nititur, cùm pedibus careat: terræ glebis pro cibo utitur: venenum nutrit in dentibus, quo ſolet morſos interimere: & ijsdem malis obnoxius eſt homo gulæ indulgens: ſiquidem ſtomacho gravatus ægrè caput attollit, nec mentem elevat ad divinorum contemplationem, & per intemperantiam humi ſerpit, ut etiam per appetitum ad eſculenta & poculenta: & quia obſonio ventrem implet, ſtomachum aggravat, & non minùs quàm ſerpens venenum circumfert in dentibus, quibus eſculenta conterit, & demittit in ſtomachum ſupra exigentiam naturæ, cujus propterea vires non reficiuntur, ſed opprimuntur; eſt enim immoderata eſculentorum congeſtio lætifera, & venefica.

23 Quòd verò ad modum attinet comedendi exigit recta ratio, ut eſculenta in ſtomachum demittenda, priùs benedicantur, quem ritum ſuo nos edocuit exemplo Magiſter Chriſtus, qui in deſerto antequam ex quinque panibus, & duobus piſcibus turbas paſceret, oculos in cœlum elevavit, & eſculenta illa benedixit; ut aſſerunt Evangeliſtæ *Matth. 34. Marc. 6. Luc. 9.* Neque refert, S. Joannem *cap. 6.* ſcripſiſſe Chriſtum Dominum gratias egiſſe: quia cùm reliqui Evangeliſtæ uſi fuerint verbo benedicendi, ne putemus S. Joannem ijsdem contrarium, ita explicatur, ut gratias agere perinde ſit, ac invocare divinam munificentiam pro incremento panum, qui cùm tantùm eſſent quinque minimè ſuffeciſſent pro tot hominum turbis, & gratias agere ſit rogare pro panibus multiplicandis, ſitque idem gratias agere, ac benedicere panes, ut multiplicentur: quia cùm nondum eſſent panes multiplicati, non erant tunc gratiæ agendæ, quòd eos multiplicâſſet, unde ſenſus eſt, ut benedixerit quinque panes, qui multiplicarentur; non enim dicit Joannes, Chriſtum benedixiſſe DEO, ſed panibus, quapropter gratiæ, quarum Joannes meminit, non ſunt ad DEUM referendæ, ſed ad panes. Quamobrem exemplo Chriſti eſculenta, & poculenta, antequam ſumantur, benedici debent, præſertim cum Cacodæmon interdum ſe ſe cibo immiſceat, ut hominibus obſit, cui periculo divinæ preces occurrunt.

24 D. Gregorius *lib. 1. dial. cap. 4.* narrat de quadam puella, quæ ſpiritum malignum deglutivit, non ob aliam cauſam, niſi quia prætermiſerit lactucam benedicere, ut faſſus fuit ipſe Dæmon ad Exorciſtam, inquiens: Ego quid feci? ſedebam ſuper Lactucam, venit illa, & deglutivit me; ſi enim adhibuiſſet benedictionem; ad ſignum crucis diſceſſiſſet malignus ſpiritus, & cum lactuca non intraviſſet in ejus corpus. Abſoluto itidem prandio aut cœna ſunt DEO gratiæ agendæ exemplo Chriſti, qui poſt cœnam hymno dicto exivit in montem olivarum. Cùm enim eſculenta, & poculenta à divina munificentia nobis ſuppeditentur, æquitas exigit, ut pro impertitis nobis beneficijs gratias ei rependamus. Neque eſculenta, & poculenta ſunt in ea quantitate ſumenda, ut nos impediant, ne orationi vaeemus, ſed juxta regulas temperantiæ, ut mens etiam poſt prandium, & cœnam liberior ſit, ac expeditior ad preces fundendas, & ad divina beneficia nobis impertita perpendenda. Paravit Ozias poſt initum conſilium cœnam magnam quidem, ut Presbyteri poſt expletum jejunium vires reficerent Judic. cap. 6. v. 19. *Tunc Ozias initio conſilio ſuſcepit eum in domum ſuam, & fecit ei cœnam magnam, & vocatis omnibus Presbyteris ſimul expleto jejunio refecerunt*, id eſt vires. Poſt jejunium ſervatum, poſt diuturnam abſtinentiam refecerunt quidem vires per eſculenta ſibi ab Ozia parata, & appoſita, ita tamen ut poſt cœnam vacare poſſent orationi, & mentem elevare ad divinas contemplationes: ſubdit enim ſcriptura loc. cit. v. 21. *Poſtea verò convocatus eſt omnis populus, & per totam noctem intra Eccleſiam oraverunt petentes auxilium à DEO Iſrael.* Ita ſumenda ſunt eſculenta, & poculenta, ut poſt prandium, & cœnam oratio ſemper ſequatur, & eſculenta animi functiones non impediant, ſed expediant, ut D. Hieronymus *epiſt. 19.* monet Euſtochium, & ſcribens ad Lætam epiſt. 7. ait: *Sic comedat, ut ſemper eſuriat, ut ſtatim poſt cibum poſſit legere, & pſallere*, & Clemens Alexandrinus *2. Pædag. cap. 5.* hoc idem inculcans ait: *Sit nobis cœna tenuis, & expedita, apta ad vigilias; & quæ à Pædagogi diſciplina minimè ſit aliena.*

Quia verò abſtinentia fœcunda eſt mater 25
virtutum, quarum eſt nutrimentum, illis enim ſuppeditat lac puritatis, & innocentiæ, quo factæ adoleſcunt vegetiores; & abſtinentia, vel maximè jejunio delectatur, quo ſpiritus alitur robuſtior: qualis ſit jejunij præſtantia, quod & abſtinentiæ eſt felix ſoboles innuendum hîc eſt, ne & nos jejunemus à jejunio, quod à SS. Patribus pluribus excipitur laudibus, eò quia alimentum ſuppeditet orationi, & reliquarum virtutum ſapidiſſimum ſit nutrimentum, quo efflorеſcunt nervoſiores: unde pleraque ſubjiciam de jejunio. Fuerunt olim, qui jejunantes à pane quidem, & aqua abſtinuerunt contra conſuetam jejunandi legem, qua fideles in illo naſcentis Eccleſiæ exordio ab omnibus ſe abſtinebant ferculis ſolo pane, & frigida contenti, ſed eorum jejunium pane deſtitutum, & frigida carpitur à S. Hieronymo, eò quia abſtinentes ſe à pane, & aqua alijs uterentur ſorbitiunculis, & quidem ad delicias, quapropter epiſt. 2. quæ eſt ad Nepotianum ſcribit: *Audio quoſdam contra rerum, hominúmque naturam aquam non bibere, nec veſci pane, & ſorbitiunculas delicatas, & contrita olera, betarúmque ſuccum*

non

non calice ſorbere, ſed conchâ. Prô pudor! non erubeſcimus ejuſmodi ineptijs, nec tædet ſuperſtitionis? Inſuper etiam famam abſtinentiæ in delicijs quærimus. Fortiſſimum jejunium eſt aqua, & panis: ſed quia gloriam non habet: & omnes pane, & aqua vivimus quaſi publicum, & commune jejunium non putatur: Cave ne hominum rumuſculos aucuperis, ne offenſam DEI, populorum laude commutes.

26 Verum jejunium non ſolùm gaudet abſtinentiâ ferculorum, ſed & carentia encomiorum: à laudibus abſtinet, quas reſpuit, perinde ac cibos rejicit vetitos, quòd ſi iſti jejunium violant, ac proſternunt; quæ experiuntur ob jejunium laudes, ejus corrumpunt honeſtatem, & virtus ipſa in vitium degenerat vanæ gloriolæ. Huc accerſendus S. Proſper lib. 2. de vita contemplat. cap. 23. ubi referens poma aliqua delicatiora, ut & ſorbitiunculas inſuetas, quæ jejunantibus apponebantur, ait: *Illi autem, qui parciores videri volunt, & gloriam ſuis velut de abſtinentia diſtrictiore conquirunt, ſic ab omnibus animalibus judicant temperandum, ut peregrinis pomis, ac ſorbitiunculis delicatis, cæteriſque alijs cibis, immanem ſui corporis impleant appetitum: cùm ſpiritualis abſtinentia non aliquorum ciborum uſum, ſed deſiderium ſuadeat compeſcendum.* Verum jejunium non ſolùm paſcitur abſtinentia corporis, ſed etiam carentia laudum, & abſtinentia à vitijs; & oratione pingueſcit: jejunium ſiquidem, quod ciborum compeſcit copiam, verum eſt orationis nutrimentum, quo ſpiritus vegetior alitur: pingueſcit enim virtutum epulis, cùm corpus emaciatur ciborum abſtinentia; bibit ad ſitis æſtûs temperandos, non ad delicatas ſorbitiunculas deglutiendas, ſed ad fuſas preces perficiendas. Cum macie obſcuratur corpus, tunc animo virtutum ornatu clareſcit pulchrior: dum vires jejuni corporis deficiunt, robuſtior inſurgit ſpiritus contra impetus concupiſcentiæ, fortior pugnat contra depravatos affectus, quos vel proſternit, vel fugat, & beneficio jejunij victrices palmas colligit, ut aſſeruit D. Ambroſius de Elia, & jejunio cap. 1. & 3. inquiens: *Canamus tuba, ut annuntiemus ſolemnitatis diem: ſimul nobis, & certamen imminet, & victoria repromittitur.*

27 Certamen noſtrum jejunium eſt, quo ipſe Salvator ad noſtr m eruditionem pugnavit, ſimúlque in deſerto expugnavit tartareum hoſtem, qui tunc cœpit anceps hærere, & ambigere, num Chriſtus verè filius DEI eſſet: tanta enim eſt jejunij præſtantia, ut ex Chriſti jejunio in deſerto conjicere potuerit Dœmon, Chriſtum verum eſſe DEI Filium: elevat enim jejunium hominem ſupra conditionem hominis, & Angelis eum adſciſcit, qui à cibo, & potu abſtinentes proximiùs ad divinitatem accedunt, à qua recedunt per cibum, & potum homines, qui brutis aſſociantur: communicant enim per eſculenta, & poculenta cum brutis animantibus, & per jejunium Angelorum cætui adſciſcuntur; adeò ut jejunium hominem jejunantem elevet ſupra hominis conditionem, & Angelis pares inſtituat. Hinc D. Ambroſius de Elia, & jejunio cap. 3. ait: *Quid eſt jejunium niſi ſubſtantia, & imago cœleſtis? jejunium refectio animæ, cibus mentis eſt. Jejunium vita eſt Angelorum, jejunium culpæ mors, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum eſt caſtitatis.* Unde beneficio jejunij expeditiores ad DEUM pervenimus: jejunio Elias ante quàm currum inſcenderet, j m ad Angelorum ſocietatem aſcenderat, ſubdit Ambroſius. *In deſerto ille vacavit jejunijs, & ideo quia vitæ humanæ poſſibilitatem continentia ſupergreſſus fuerat, non homo, ſed Angelus æſtimatus eſt.*

Cùm igitur obſervaſſet Cacodœmon, Chriſtum in eremo produxiſſe j junium ad quadraginta dies, conjecit hominem non eſſe, ſed aliquid ſupra hominem Matth. 4. v. 3. *Et cum jejunâſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſurijt. Et accedens tentator, dixit ei, ſi Filius DEI es, dic, ut lapides iſti panes fiant.* Non enim aliunde potuit cacodœmon conjicere, ac ſuſpicari Chriſtum non fuiſſe purum hominem, cum prolixo jejunio obſervâſſet eum vultu emaciatum, & corporeis viribus veluti deficientem, & ideo in hac perplexitate ad pugnam eum provocavit, ut vel ipſum vinceret jejunantem, ſi à jejunio revocaſſet, armiſque jejunij ſpoliâſſet: vel ex novo miraculo clariùs cognoſceret ejus divinitatem, ac Filium DEI deprædicaret; idque cauſæ, cur petjerit, ut lapides eremi juberet panes fieri: ſi enim fuiſſent lapides panes facti ſuam firm ſſet illationem, & credidiſſet, Filium DEI eſſe docente novo miraculo ejus divinitatem: ſin verò recentes panes comediſſet, quos ſtudiò eidem concupivit exhibitos, ut inde comederet, & per fractum jejunium vires non reficeret, ſed deperderet, tunc Victor tartareus hoſtis inde evaſiſſet. Sed ſi de Chriſti divinitate Cacodœmon anceps hæſit, cur è jejunij indicio ambiguitatem non depoſuit? adeò enim excellet jejunij præſtantia, ut inde conjicere potuerit, Chriſtum in eremo jejunantem humanam ſuperexceſſiſſe conditionem, & in illa humanitate aliquid latere divinitatis, ac Filium DEI, cum ad quadraginta dies jejunium protraxerit. Huc accerſendus Chryſol. ſerm. 13. ubi ait: *Si Filius DEI es, dic, ut lapides iſti panes fiant. Videtis, quia jam non hominem, ſed DEI Filium credit, quem liberum è ventris conſpexerat ſervitute. Senſit, ſenſit Diabolus jejunium cunctis virtutibus anteferri. Joannem viderat urbium delicias, ſqualentis eremi habitatione mutâſſe; mollitiem carnis veſtis aſperitate calcâſſe, agreſti cibo mundi totam frænâſſe luxuriam. Et quod ſolùm Deitatis inſigne eſt, hominibus dimiſiſſe peccata. Et tamen non ei dixit, ſi Filius DEI es. At ubi Dominum vidit, jugiter jejunantem proclamat, ſi Filius DEI es.* Quamvis cacodœmon vidiſſet Joannem à cunis vitæ aſſueviſſe aſperitati; ſylvas, & eremum incoluiſſe,

urbium delicias abjeciſſe, & cilicio indutum ſqualuiſſe in ſylvis, non tamen inde conjecit aliquid in Joanne ſupra hominis conditionem, imò neque ex eo, quòd audierit eum dimiſiſſe hominum peccata, licèt ſit hæc poteſtas, ut loquitur Chryſolog. *individuus Deitatis character*: quamvis Joannes in deſerto fuerit virtutum ſchola, ut loquitur Baſil. Seleu. *orat. 34.* Magiſterium vitæ, ſanctitatis forma, juſtitiæ norma: virginitatis ſpeculum; pudicitiæ titulus, peccatorum venia, fidei diſciplina, non tamen inde conjecit cacodœmon aliquid in Joanne latere divinitatis, quam tamen intulit in Chriſto ex jejunio, quod ad quadraginta dies protraxit, ait Baſil. Seleuc. orat. 34. *At ubi Dominum videt, jugiter jejunantem proclamat, ſi Filius DEI es*: quaſi jejunium inſigne foret divinitatis: quia tanta eſt jejunij excellentia, ut hominem ſupra hominis conditionem elatum ad DEI conſortium, cœtui adſcitum Angelico perducat.

29 Quòd ſi homo ita à DEO conditus fuerit, ut templum ejus fieret, dicente Chriſto: *Templum DEI eſtis vos*, & ornatus hujus templi ſunt virtutes: quas excolimus, voluit etiam, ut in hoc templo altare erigeretur; & modum illud conſtruendi etiam præſcripſit Exodi 27. 8. ubi loquens de altare à Moyſe conſtruendo ait: *Non ſolidum, ſed inane, & cavum intrinſecus facies illud, ſicut tibi in mente monſtratum eſt.* Altare igitur, quod in nobis, ut in ſuo templo exigit DEUS erigi, non vult ipſum ſolidum eſſe, ſeu plenum; ſed inane, & concavum, hoc eſt vacuum intus in ſtomacho, & corde ſine affectu terrenorum, abſque repletione eſculentorum, ſed vacuum, & jejunum: eſt cor noſtrum altare, in quo ſacrificium laudis debemus jugiter DEO offerre, ſed ut ritè hoc præſtemus, ac juxta DEI præſcriptum, debet altare eſſe vacuum pravis affectibus, terrenis deſiderijs, debet eſſe intrinſecùs inane ſine ulla repletione eſculentorum, ut per jejunium immoletur ſacrificium laudis DEO, cui per jejunium adglutinemur, ac participes ſimus ejus gloriæ, qua ſatiemur: ſcitè S. Bonaventura in diæt. ſalut. cap. 15. de jejunio ait; *Concavum altare eſt cor pœnitentis, ubi debet immolari ſacrificium laudis; quod quidem non debet eſſe ſolidum, ſeu delicijs plenum, ſed inane, & concavum, id eſt pœnitentia, & jejunio attenuatum.*

30 Delectatur DEUS in ſuo templo altare vacuo, ſeu corde aſſueto jejunijs: idque cauſæ, cur Matth 17. Chriſtus inſcendens Thaboris verticem cum Petro, Jacobo, & Joanne, cum transfiguratus fuiſſet coram ipſis, ſuæque divinitatis radios eis manifeſtâſſet Matth. 17. v. 3. *Reſplenduit facies ejus ſicut ſol, veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix;* in hac transfiguratione, ac ſuæ gloriæ manifeſtatione accerſitos etiam voluerit Moyſem, & Eliam Matth. 17. v. 3. *Et ecce, apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes.* Quærunt Interpretes, cur ex tot Prophetis veteris legis, & ex tot viris culturæ virtutum addictis, & ſtudio pietatis illuſtribus Moyſem, & Eliam nuncupatim voluerit eligere, qui ſuppari gloria ſecum in Thaboris vertice coruſcarent: cur potiùs non elegerit Abrahamum, qui in tribus peregrinis totam Trinitatem excepit hoſpitio? cur non potiùs Iſaacum ejus filium, qui divino obtemperaturus juſſui in florente adhuc ætate Patrem comitatus, victimam ſe exhibuit Numini mactandam in vertice Moræ montis? vel cur non vocaverit Jacobum, cum quo fuit per totam nocte luctatus, & ad quem deſcenderat per ſcalam, cujus ſummitas cœlo innitebatur? vel ſaltem cur non accerſivit Noëmum, qui humanum genus à cataclyſmo ſervavit? Cur igitur Eliam, & Moyſem prætulerit tot viris pientiſſimis, qui gloriâ perfuſi adeo Chriſti Diſcipulos illexerunt, ut petierint ibi thronos extruere, & immorari? *Faciamus hîc tria tabernacula tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.* Reſpondet Tertullianus, Chriſtum prætuliſſe Moyſem, & Eliam cæteris Prophetis, & Patriarchis, eò quia pares habuerit in jejunio, Moyſes enim accepturus à DEO legem quadragintadiale jejunium præmiſit, & Elias iram declinaturus furentis Jezabelis ad quadraginta dies jejunium protraxit, adeò jejunium Chriſto placuit, ut quos habuit pares in abſtinentia, ſocios ſelegerit in manifeſtatione gloriæ: pulchrè Tertullianus adverſus Pſychicos cap. 6. *Meritò igitur etiam in carne ſe Dominus Moyſi oſtendit Collegæ jejuniorum ſuorum non minus, & Eliæ* (& nonnullis interjectis addit) *Tanta eſt circumſcripti victûs prærogativa, ut DEUM præſtet homini contubernalem, parem revera à pari. Si enim DEUS æternus non eſuriet, hoc erit tempus, quo homo DEO adæquetur, cum ſine pabulo vivit.* Adeo DEO placet homo jejunio aſſuetus, ut ſe illi contubernalem, & veluti parem efficiat: quia Moyſes, & Elias jejunio aſſueverant, quod ad quadraginta protraxerant dies, ſimiles ſibi voluit in gloriæ manifeſtatione.

Sed ſi Chriſtus in eremo jejunavit, & 31
ex jejunio cacodœmon intulit ejus divinitatem, cur exhibuit ei lapides, ut ex ijſdem panes fierent, ac propriæ conſuleret indigentiæ, cum noviſſet eum eſurientem Matth. 17. *Et cùm jejunâſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſurijt; & accedens tentator, dixit ei, ſi Filius DEI es, dic, ut lapides iſti panes fiant.* An non impudens fuit Cacodœmonis temeritas provocare, ut hominem imbecillum, quem ſuſpicabatur DEUM eſſe; ſi viderat cœlum prope Jordanem diſrumpi, & columbam deorſum evolare teſtem divinitatis Chriſti luſtrali baptiſmi aqua in Jordane abluti à Joanne; ſi vocem Patris audierat, quâ ejus filius renuntiabatur, cur modò audet tartareus hoſtis eum tentare; an non diabolus temeritatis arguitur, quia Chriſtum tentat perdiu jejunantem, ut aſſerit D. Hilarius, qui expendens verba Matthæi ait: *Erat igitur in diabolo de metu ſuſpicio, non de ſuſpicione cognitio: movebatur enim quadraginta dierum jejunio.* Et nonnullis interjectis ſubdit;

cit: *Igitur iſtius temporis metu in tentando eum, quem hominem contuebatur, ſumpſit temeritatem.* Grandis procul dubio fuit Cacodœmonis audacia, cum ſuſpicaretur DEUM tentandum aggredi: caruit ſuſpicione audacia, cùm eum adoriri voluit, quem DEI Filium pronunciatum audierat voce de ſummo cœlo delapſa. Sed de metu jejunij in eum tentando, quem hominem contuebatur, & DEUM ſuſpicabatur, temeritatem ſumpſit: ideo fuit temerarius, quia cùm vidiſſet jejunium ad quadraginta dies, & totidem noctes pertraxiſſe, adhuc auſus fuit, jejunantem tentatione pulſare: nimirum jejunio loricatum, & diuturna abſtinentia armatum inermis, ac viribus deſtitutus hoſtis aggredi auſus fuit; fuerat enim cacodœmon ex tam prolixo jejunio convictus de jejunantis divinitate, & nihilominus licèt creatura quævis nihil ſit reſpectu DEI, adhuc auſus fuit DEUM aggredi, ac tentatione pulſare, ait Tertullianus loc. cit. *Si enim DEUS æternus non eſuriet, hoc erit tempus, quo homo DEO adæquetur, cùm ſine pabulo vivit.*

32 Jejunium tantæ eſt præſtantiæ, ut homines ſupra humanam elevet conditionem; & S. Bernardus, ſanctitatem, quâ ad DEUM proximiùs accedimus, refundit in abſtinentiam ab eſculentis; expendens enim verba DEI Levit. 11. v. 44. *Eſtote ſancti, quia ego Sanctus ſum. Ne polluatis animas veſtras in omni, quod movetur ſuper terram:* ait Melifluus Doctor *ſerm. 22. in Cant.* apud Cornelium *in Levit.* temperantiam, & abſtinentiam à cibis vetitis vocari ſanctitatem, ſeu puritatem, eò quia cibi vetiti cenſerentur immundi, polluti, & execrabiles, ac contaminare comedentes. Neque putes abſtinentiam hominem elevare ad mediocrem Sanctitatem, cum hanc DEUS ipſe ſimilem ſuæ propriæ deprædicet: *eſtote Sancti, quia ego Sanctus ſum*, cupit nos ſanctos, eò quia ipſe Sanctus ſit, ſeu ut æmulemur quodammodo ejus ſanctitatem, quòd ſi gulæ indulgentia DEI imaginem, ac ſimilitudinem in ſanctitate obliteravit in primo homine, cùm pomum vetitum deglutivit, abſtinentia hanc deletam DEI ſimilitudinem reſculpſit, Geneſ. 1. 27. *Creavit DEUS hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem DEI creavit illum.* Sed poſt deglutitum pomum vetitum interiori gratiæ ornatu ſpoliatus hanc DEI ſimilitudinem deperdidit, adeo ut redarguerit DEUS primi hominis audaciam, qui ut ſcientiam totius boni, & mali, imò & ipſam divinitatem unà cum pomo deglutiret, nonniſi mortem, & malorum omnium turbam expertus fuit voràſſe, Geneſ. 3. 22. *Ecce Adam, quaſi unus ex nobis factus eſt:* loquitur DEUS ironicè redarguens primi hominis temeritatem in transgreſſione præcepti, in eſu pomi vetiti.

33 Cùm ex humo fuiſſet homo conditus, nulli obnoxius mortis incommodo, nullíque ægritudinis moleſtiæ, & cœleſtis Conditor animum eidem inſpiràſſet præditum facultate intelligendi, appetendi, ac reminiſcendi, pluribúsque ornatum gratiæ, ac primævæ innocentiæ condecoratum donis cum pleno in cuncta animantia dominatu, eſſétque propterea ſimilis DEO ratione Dominij, quod illi in cæteras animantes impertierat DEUS, Geneſ. 1. *Et præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli*, imò & ob ſimilitudinem divinarum virtutum, ob libertatem arbitrij, ob animum, qui nullo circumſcribitur loco, éſtque totus in toto, & totus in quavis parte; ob cognitionem; DEI amorem, & cultum; ob ſapientiam, & providentiam, quarum ope actionum ſuarum agnoſcit homo finem, ac media eligit ad eius aſſecutionem, & tandem ob Trinitatem, quatenus intelligendo rem aliquam ejusdem verbum producit, & ex verbo procedit amor in rem ipſam præconceptam, ſi congruam præſeferat bonitatem.

Hanc DEI imaginem quoad virtutes, 34
& dona ſupernaturalia, ſtatúmque innocentiæ delevit in primo homine ingluvies, pomique eſus, ac violatæ abſtinentiæ illicium; adeo ut ad illam reſtaurandam, ac in homine reſculpendam novum debuerit jejunium indici, & nova abſtinentia accerſiri, quæ ruinas violatæ DEI imaginis à primo homine reſtauraret in alijs: appoſitè Tertullianus adverſ. Pſychicos cap. 4. *Ut primordiale delictum expiaretur majoris abſtinentiæ operatione, nam & primus populus primi hominis reſculpſerat crimen, pronior ventri, quàm DEO deprehenſus:* ruinæ, quas in DEI imagine hominibus inſculpta effecerat violata abſtinentia, ac gulæ indulgentia, ut reſtaurarentur, opus fuit, artificem abſtinentiam iterum accerſere, cujus ope DEI imago reſculperetur: gulæ enim indulgentia delictum induxit, quod DEI imaginem delevit; ſed jejunium invectas, reparat ruinas, & deletum reſtaurat, hominémque iterum elevat ad divini opificis ſimilitudinem, ſcitè Tertullianus adverſ. Pſych. cap. 6. *Tanta eſt circumſcripti victûs prærogativa, ut DEUM præſtet homini contubernalem parem revera pari, ſi enim DEUS æternus non eſuriet, ut teſtatur per Iſaiam, hoc erit tempus, quo homo DEO adæquetur, cum ſine pabulo vivit.*

Quòd ſi in pomi eſu primus homo ſa- 35
pientiam humano faſtigio majorem eſurivit Geneſ. 3. v. 5. *Eritis ſicut Dii ſcientes bonum, & malum*, cùm crederet eam cum pomo deglutiviſſe, deprehendit ſolam ignorantiam ebibiſſe: eſurivit celſitudinem ſapientiæ, quaſi foret gulæ obſonium, & cibi delicium, non jejunij fœtus, quapropter Propheta regius dixit Pſal. 48. v. 21. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis:* quia ſtomachum primus homo eſu pomi vetiti replevit, loco ſapientiæ, quam eſurivit, nonniſi ignorantiam deglutivit, & mentem evacuavit, huc iterum accerſendus Tertullianus adverſ. Pſychicos cap. 6. *Nunc ſi temerè rationes caſtigati à DEO victus, & caſtigandi propter DEUM à nobis ad primordiorum experimenta revocavimus, conſcien-*

tiam communem conſulamus, ipſa natura enunciabit, quales nos ante pabulum, & potum in virgine adhuc ſaliva exhibere conſueverit rebus duntaxat ſenſus agendis, quo divina tractantur, ſi multò pollentioris mentis, ſi multò vivacioris cordis; quàm cùm totum illud domicilium interioris hominis eſcis ſtipatum, vinis inundatum, decoquendis, jam ſtertoribus æſtuans, præmeditatorium efficitur latrinarum, in quo planè nihil tam in proximo ſuperſit, quàm ad laſciviam ſapere. Mirum tamen quòd DEUS poſtquam primus homo gulæ illecebris captus indictum ſibi jejunium violavit, ac à divino prævaricavit præcepto, DEUS, cujus immenſitas omnia replet loca, & ſpatia, cujus ſcientiam nulla poteſt ſuptergugere creatura, cujus ſapientiæ nota ſunt omnia, adhuc ſolers quæſiverit, ubinam degeret prævaricator homo Geneſ. 3. v. 9. *Vocavitque Dominus DEUS Adam; & dixit ei, ubi es:* ſi nulla poteſt creatura ſe à divino ſubducere aſpectu, cur DEUS quaſi neſcius primi hominis petjit, ubinam degeret? Gula fuit, quæ in deglutito pomo tales ebibit ignorantiæ tenebras, ut à DEO non ampliùs cognoſceretur; quia qualis ab ipſo fuerat Adam conditus, non ampliùs ſe ſpectabilem dedit, ſed alium ab illo, hoc eſt ſpoliatum dono innocentiæ, ſine ornatu virtutum ſupernaturalium; quo pacto receſſerat à DEI imagine, séque à DEO ſubduxerat, cujus gratia exciderat, ſed quos gulæ indulgentia, & ingluvies à Numinis præſentia tetrahit, & à DEI imagine ſubducit, jejunium ad eundem iterum adducit, pulchrè Euſebius Emiſſenus homil. in jejun. quadrag. *Sed & beatum Moyſem per quadragenarium continuatæ abſtinentiæ ſacrificium cœleſtis colloquij legimus acquiſiviſſe commercium. Hoc ideo legimus, ut intelligamus hominibus purificatione jejunij vicinam DEI, præſentiámque conferri.* Jejunium igitur eſt, quod devios homines, & à Numinis præſentia, ſeu à DEI gratia diſſitos, ad DEI præſentiam iterum trahit, ut qui per ingluviem DEI gratia exciderant, per ſervatum jejunium iterum ſurgant.

36 Eſt jejunium, quod gulæ non ſolùm ruinas reparat; lapsóſque erigit, ſed etiam erectos protegit, munitque contra hoſtiles incurſus, tametſi Elias zelo accenſus religionis aras ſacrilegas Baalis evertiſſet: quia tamen Jezabelem vidit ſibi iraſcentem, fœminam timuit indignantem, qui Baalis ſacerdotes non expavit armatos; fugítque propterea Elias iraſcentis Jezabelis furorem, & per invia deſerti jejuno ſtomacho, detrito laboribus corpore; cúmque ex prolixo defatigatus itinere deficientes vires beneficio ſomni reſtauraret humi proſtratus per modicum temporis ſomno ſopitur, ſed ab Angelo ſtatim excitatur 3. Reg. 19. v. 5. *Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi, ſurge, & comede.* Modicum obſonij exhibuit, non ut ſtomachum repleret, ſed collapſas vires erigeret, & tractas ex itinere redintegraret. Comedit itaque Propheta, bibitque ſine abſtinentiæ læſione, abſque virtutis detrimento: & cum iterum ſomno indulſiſſet, iterum jubetur ab Angelo ſurgere, & aliud modicum ad virium refectionem ſumere eſculenti: *Reverſus eſt Angelus Domini ſecundò, & tetigit eum: dixitque illi ſurge, comede.* Cùm debuiſſet Elias fugam proſequi, & adhuc per prolixa itinera labores ſuſcipere, ac vigilias tolerare opus erat delabentes vires reficere.

Sed cur Angelus comedenti Prophetæ 37
voluerit adſiſtere, & modicum obſonium ſuppeditare, & illum in itinere, & ad montis cacumen tendentem non concomitari, cur ſi Angelus comitatur prandentem, non etiam eidem aſſociatur per viam tendenti: Ad noſtram eruditionem noluit Angelus Prophetam fugientem reginæ indignationem concomitari. Jezabel carnis fluxus interpretatur, propterea indiguit Propheta jejunio obarmari ad retundendos iraſcentis fœminæ impetus, & quia à fugiente Propheta vires fugerant per modicum obſonij eaſdem debuit revocare, ut reliquum iter conficeret, & quia Propheta parum ſumpſit eſculenti teſtis non violati jejunij, adeſſe voluit Angelus, qui ad tutamen Prophetæ contra hoſtiles incurſus, duo præſtitit, dum Prophetæ vires reficienti adſtitit; eum tutatus, ne quid adverſi illi obtingeret, & tam modicum fuit obſonium à Prophera ſumptum, ut teſtis ſervatæ abſtinentiæ, & non violati jejunij adeſſet: hinc qui adfuit Angelus Prophetæ comedenti, abfuit cum ſicco ore, ventre arido, ſtomacho fere vacuo inchoatam proſequitur fugam, quia tunc ipſum jejunium Prophetam pro angelica tutela defendit; iterum accerſendus huc Tertullianus adverſ. Pſychicos cap. 6. *Minantem Jezabel fugiens poſt unicum pabulum, & potum, quem ab Angelo expergefactus invenerat, & ipſe quadraginta diebus, & noctibus vacuo ventre, arido ore pervenit in montem Choreb.*

Quòd ſi Jezabel fluxus carnis interpretatur, noſtra eſt hæc eruditio, ut quoties caro 37
noſtra inſoleſcit, & per turbas pravorum affectuum nos perſequitur, quò tot hoſtes in nos inſurgentes vincamus, neceſſaria nobis eſt fuga, jejunij tutelâ corroborata: eſt enim jejunium, ait S. Chryſolog. ſerm. 8. *Vitiorum mors, vita virtutum, robur mentium, vigor animarum, eſt jejunium caſtitatis murus, pudicitiæ propugnaculum.* Quòd ſi jejunium vires corporis adimit; animam corroborat, & cœleſti ope protegit. Quoties populus Iſraëlis per prolixa deſerti itinera jejunio munitus ad terram ſibi à DEO promiſſam pergebat hoſtiles impetus retudit, exercitus in ipſum irruentes fregit, & victrices palmas collegit: at dum gulæ indulſit, vinóque maduit, non palmas, ſed ferales cupreſſos ſibi irrigavit, & inter hoſtes nudus invenitur; opprobrija, non minùs, quàm periculis obnoxius Exodi 32. v. 25. *Exſpoliaverat eum Aaron propter ignominiam ſortis; & inter hoſtes nudum conſtituerat.* Non hoſtis populum ſpoliavit, ſed gulæ ingluvies, dum enim lautiori menſæ ſtetit,

exar-

exarmatus cecidit; dum multo vino maduit, proprium ſanguinem ex inflictis ſibi vulneribus effudit; dum ſtomachum implevit, animos ad conflictū evacuavit; & dum mente hebetavit, gladiorum etiam acies retudit ad pugnam: *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere*, gravatus ingeſtis in ſtomachum ferculis moveri ad pugnam vix potuit; & manus, quas ori ac labijs pluries ad exiccandos calices admovit, non arma ad certamen, ſed aleas ad luſum tractârunt, *& ſurrexerunt ludere*: neque manuum duntaxat fuit luſus, ſed & totius corporis, quod nudum inventum eſt ad certamen, cùm maduit immodico vino, gulæ indulgens. Tunc caruit armis, cùm eſcis abundavit, tunc inter hoſtes invenitur robore, & auxilio nudus, cum jejunio deprehenditur ſpoliatus, & eſcis infarcinatus; tunc virtus bellica cecidit, cum ſurrexit ludere: ſcitè iterum Tertullianus adverſus Pſychicos cap. 6. *Ipſa natura enuntiabit, quales nos ante pabulum, & potum in virgine adhuc ſaliva exhibere conſueverit rebus duntaxat ſenſus agendis, quo divina tractantur, ſi multò pollentioris mentis, ſi multò vivacioris cordis quàm cum totum illud domicilium interioris hominis eſcis ſtipatum, vinis inundatum, decoquendis jam ſtercoribus æſtuans præmeditatorium efficitur latrinarum, in quo planè nihil tam in proximo ſuperſit, quàm ad laſciviam ſapere, manducavit populus, & bibit, & ſurrexerunt ludere.*

39 Jejunium eſt, quod licèt videatur corporis vires infringere, eas tamen ad victorias, & prægrandia facinora corroborat, dátque animos ad præclara quæque, neque Samſon Hebræorum Hercules, tot ſpecimina virium dediſſet cum Catulum leonis prævalidum, ac inſano rugitu ferociam ſuam profeſſum apprehenſo rictu nuda manu fruſtratim diſcerpſit; cùm Philiſthæos triginta interfecit; cum ſegetes, vineas, & oliveta barbarorum incendit, cum funes, quibus illigabatur veluti tenuiſſima fila dirupit, & in confertos hoſtium cuneos irrupit, ſævíque leonis inſtar ad partes omnes imperterritum circumagens corpus hoſtes cæcidit ad dextram, & ſiniſtram, & quidquid usquam infeſtum obſtitit, valido brachio ſuperavit, & mille Philiſthæos vir unus jumenti maxillâ interfecit, reliquo Philiſthæorum exercitu in fugam coacto: cùm Gazam urbem in Palæſtina nobilem ingreſſus portas civitatis fugatis excubijs proprijs humeris ſuſtulit: hæc enim Samſonis illuſtria geſta è jejunio, cui erat addictus, profecta fuerunt Judic. 14. 6. *Irruit Spiritus Domini in Samſon*: quem fortitudine monſtrat, quia jejunio aſſueverat, & è parentibus natus, qui abſtinentiæ erant dediti; cum mater ejus probro laboraret ſterilitatis, lachrymis ſe rigavit, fuſis ad DEUM precibus excoluit ſuam tellurem, probrum abſterſit ſterilitatis, & invectâ fœcunditate optatum uteri fructum produxit. Judic. 13. 3. *Aparuit Angelus Domini, & dixit ad eam, ſterilis es, & abſque liberis; ſed concipies, & paries filium: cave, ne bibas vinum, ac ſiceram, nec immundum quicquam comedas.* Jejunium probrum abſterſit ſterilitatis; jejunium matris Samſonem peperit; jejunium vires addidit, fortitudinem impertivit Judic. 13. 12. *Quid vis, ut faciat puer, aut à quo ſe obſervare debebit. Dixitque Angelus Domini ad Manue, ab omnibus, quæ locutus ſum, uxori tuæ abſtineat ſe, & quidquid ex vinea naſcitur, non comedat*; injunxit Samueli jejunium, quò fortior fieret, ſcitè S. Baſilius *homil. 2. de Jejun.* ait. *Jejunium magnum illum Samſonem educavit; idque quamdiu viro adfuit ſingulis conflictibus mille hoſtes proſtrati ſunt, urbium portæ ſubreptæ ſunt; leones robur manuum ejus non ſuſtinuerunt.*

Non ſolùm vires ſuppeditat jejunium, 40
verùm & victoriam de fugatis, vel proſtratis hoſtibus impertit. Congregaverat Samuel populum Iſraëlis in Maſphat, cúmque id Philiſthæi intellexiſſent, claſſicum cecinerunt, milites ad ſua vocârunt vexilla, & exercitum numerò majorem in Iſraëlitas moverunt, qui timore perculſi fugæ ſe dediſſent, niſi Samuel in ſpem victoriæ erexiſſet, quotquot animo ceciderant, opémque DEI promiſiſſet; indixit jejunium usque ad veſperam, quo abſtinentià armati, & jejunio corroborati validiùs pugnarent contra Philiſthæos, quos & expugnârunt quamvis numero majores, ac fortiores; quia præmiſſum jejunium ad victoriam viam ſtraverat 1. Reg. cap. 6. *Et convenerunt in Maſphat: hauſerúntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini, & jejunaverunt in die illa.* Jejunio loricati non ſolum hoſtilia tela recuderunt, verùm & abſtinentiæ armis hoſtes ad turpem fugam adegerunt, eorúmque terga inflictis vulneribus cruentârunt, quò hoſtilis ſanguinis fuſu victrices palmas irrigarent: jejunium à Samuele injunctum populo, Iſraëlitas armavit; ne caderent, fulſit; quinimo ut firmiores ſtarent, & victores hoſtem profligarent, corroboravit. Iterum huc accerſendus Tertullianus adverſ. Pſychicos c. 7. *Iſraël in adaquatione apud Maſphat congregatus à Samuele, ita ſtatim delictum jejunio diluit, ut periculum prælij ſimul fugeret, ceciderunt paſtos impaſti, armatos inermes. Hæ erant vires jejunantium DEO; cœlum pro eis militat.*

Quantæ ſit jejunium efficaciæ ad hoſti- 41
les impetus propulſandos, & ad victoriam jejunantes erudiendos, cum non lateret Saul, moturus exercitum contra Allophylos indixit toti exercitui jejunium, ut corroborati, armisque muniti ex armamentario deſumptis abſtinentiæ validiores irruerent in hoſtes 1. Reg. cap. 14. 24. *Adjuravit autem Saul populum, dicens maledictus vir, qui comederit panem usque ad veſperam, donec ulciſcar de inimicis meis, & non manducavit univerſus populus panem.* Quidni animos, & vires hauſit populus à jejunio, quo corroboratus ea virtute bellica irruit in hoſtes, ut primo impetu eorum cuneos fregerit, & ſolutis ordinibus potior eorum pars ceciderit interempta, & reliqui ſuperſtites terga vertentes integram Iſraëlitis

excle-

ceſſerint victoriam, ad quam jejunium iter ſtravit, & ſtimulos addidit, hinc S. Ambroſius *ſerm. 25. de quadrag.* ait loquens de Saule Rege injungente militibus jejunium ante conflictum: *Bonus planè Rex, qui hoſtes ſuos non tam armis, quàm devotione vincebat, & plus dimicabat religione, quàm telis.*

42 Ut jejunium ad victoriam milites corroboret, non ſufficit, ſi à ſolis eſculentis, & poculentis, abſtineant, niſi à vitijs etiam jejunent, parum enim prodeſt venter eſculentis vacuus, ſi mens vitijs impleatur: non ſolùm Saul jejunio corroboratus pugnavit, ſed etiam devotione, religione, & alijs virtutibus armatus hoſtem proſtravit. Idque cauſæ, cur Joël Propheta nobis ſuadeat ſanctificare jejunium, Joël 1. 14. *Sanctificate jejunium,* neque aliud eſt jejunium ſanctificare, quàm tempore jejunij opera ſanctitatis exercere, abſtinere ſe à vitijs; miſerias pauperum per impertitas eleemoſynas ſublevare; Orphanos, & pupillos juvare, in carceribus detruſos inviſere, lugentium lachrymas exſiccare, declinantes à recta ſalutis ſemita ad ſaniorem frugem reducere, illatas ſibi injurias oblivione delere, inimicos amore proſequi: neque aliud eſt ſanctificare jejunium ait S. Gregorius *Homil. 16. in Evang.* quàm adjunctis bonis alijs dignam DEO abſtinentiam carnis oſtendere, ut ceſſet ira, ſopiantur jurgia: in caſſum enim caro teritur, ſi à pravis voluptatibus animus non compeſcatur. Pugnatura Juditha contra Holophernem pertinaci circumvallatione Bethuliam prementem, armari quidem voluit priùs jejunio, non tamen ſimplici, ſed ſanctificato demortuo enim Manaſſe marito caſtitatem excoluit, & talem domeſtico cum gynecæo vivendi normam inſtituerat, ut ejus domus ſchola videretur probitatis, templum ſanctitatis; imò & hortus, in quo omnium flores virtutum exculti vernarent, ac nonniſi ſanctitatis olerent odorem: neque vepres, dumique defuerunt, hos flores tutantes, cum ipſa aſpero cilicio conſueverit lumbos ſepire, & quotidianis jejunijs reliqua corporis membra affligere: fundendis precibus adeò addicta erat, ut ſuperiorem ædium partem in formam cujuſdam ſacelli conformaverit, ubi à populi ſejuncta ſtre; itu, à virorum remota aditu, nonniſi meditationibus divinis, piiſque contemplationibus vacavit.

43 Cúmque per exercitia virtutum ſanctificâſſet jejunium, hoc corroborata, armíſque munita abſtinentiæ, & reliquarum virtutum Holofernem aggreditur Bethuliam obſidentem, ſed antequam in campum prodiret abjectis externis pœnitentiæ veſtibus, oris venuſtati nativæ ornatum addidit veſtium pretioſarum, quas habuit, mitram aptavit capiti, auribus appendit elenchos, digitos ornavit anulis, & gemmulis, pedes Sandalijs induit; & cùm externo huic ornatui cœlum addidiſſet ſpecialem venuſtatem, quam Judithæ pulchritudini adjectum fuiſſe ſcriptura meminit; nocte intempeſta comitante famula frugalem ferente commeatum in aſcopera ex urbe egreditur obſeſſa, & poſt non modicum nocturni temporis inſumpti in fuſis precum, die jam illuceſcente in excubias hoſtilis exercitus incidit, & transfugium ſimulans perhumaniter excipitur, quorum gratiam, & benevolentiam non tam oris majeſtate, quàm verborum concinnitate ſibi captivavit, & eam dignam cenſentes Imperatoris connubio ad Holofernem duxerunt, ſedebat tunc exercitûs Aſſyriorum Strategus ſub conopeo purpureo, auro, gemmíſque radiante, quem Juditha, cum vidiſſet, procumbens in genu venerabunda ſalutem dixit Holoferni, qui ſtatim juſſit mulierem ſurgere, quæ prædata fuit Ducem, antequam ipſa retia explicaret; rapuit enim tam ſingularis, & rara venuſtas modeſtiſſimæ fœminæ ipſum Strategum, qui ſuum propterea mulieri conceſſit arbitrium; cúmque diverſorium illi aſſignâſſet, ſeu idem tabernaculum, cui Holofernes theſauros ſuos crediderat, quò ijsdem Juditha fœminarum pellucida gemma, & quidem cæteris pretioſior adderetur, quæ ibi aſſervabantur: non deerant ibi dapum lautitiæ, quas tamen illa modeſtè recuſavit, negans ſibi fas eſſe per religionem alijs veſci cibis, quàm quos ſecum attuliſſet: hoc unum duntaxat humiliter expoſcere ab Holoferne, ut liceat ſibi ſub noctem, & diei crepuſculum extra tentorium ſe efferre pro conſuetis ablutionibus, fusúque precum juxta morem gentis ſuæ: & quia Judithæ venuſtas Holofernem ſibi jam captivaverat, ſingula ei ad votum conceduntur, quæ per tres continuas noctes egreſſa è tentorio, itum, & reditum iteravit, omnémque excuſſit ſuſpicionem fugæ: jam quatriduum in caſtris egerat, & Holofernes juſſit convivium apparari Aſſyrio ſplendore, & Juditham ad illud vocari; quæ quamvis ſerena fronte, vultúque hilari comparuerit, biberit, ediderítque, non tamen de alijs cibis, quàm quos ſecum in ſportula attulerat. Exiccavit Holofernes cum Babylonijs Proceribus epulantibus plures calices, adeo ut immodico jam vino madidus offuſa caligo ejus impleret caput, ſenſúsque ſopiret, & non tam mero, quàm ſomno gravis deferretur in proprium tentorium, in quo fuit & Juditha inducta, ſed dum Holofernes profundo jacet ſomno ſopitus Juditha jejunio ſanctificato armata acinacem ad caput lectuli pendentem denudat, divinam expoſcit opem, & quantum poteſt virium niſu ictum geminat in obeſum dormientis caput, quod amputatum involvit conopeo, & pediſſequæ foris præſtolanti extradit, ut ſuæ immitteret peræ: inde properantes ambæ, caſtra, & excubias prætergrediuntur, & dato Bethulienſibus ſigno ſui adventûs, victrix cum amputato capite Holofernis urbem ingreditur, & illuceſcente die pro mœnibus Bethuliæ Holofernis caput oſtendit obſidentibus Aſſyrijs, qui eo fuerunt timore perculſi, ut ſoluta obſidione aufugerint, & una Juditha ſolo jejunio ſanctificato armata integrum

Aſſy-

Aſſyriorum fugavit exercitum, & ab eorundem pertinaci obſidione patriam vendicavit.

44 Verum jejunium non ſolùm abſtinentia paſcitur corporis, ut à vitijs ſe abſtineat, verùm etiam oratione pingueſcit, lachrymis madet, cilicio armatur, & reliquis munitur virtutibus. Verum jejunium orationis eſt cibus, magnus enim eſt orationis, & jejunij nexus, imò & confœderatio adeo fortis, ut ipſum invincibile vincat, trahátque in vota precantis, & jejunantis: jejunârunt, precéſque fuderunt Samſonis parentes, & licèt probro ſterilitatis laborantes, quia tamen ſanctificato jejunio muniti DEUM rogârunt, ut excuſſa ſterilitate beneficio fœcunditatis concupitam prolem eis concederet, cum flexerunt in ſua vota, & Samſonem filium virorum fortiſſimum ſuſceperunt, & quas jejunium vires corporeas ademit parentibus, cum incremento proli communicavit.

45 Non ſolùm Samſonem jejunium ſanctificatum parentibus impertivit, ſed etiam Samuelem Annæ jejunanti, & continuò oranti in templo, jejunium ſanctificavit, cùm preces continuavit, & lachrymas fudit, quibus DEUM flexit in ſua vota, & probrum ſterilitatis abſterſit; pulchrè Tertullianus *adverſus Pſychicos cap. 7.* ubi loquens de Anna Matre Samuelis ait: *Anna quoque ambiens uxor Helcanæ retro ſterilis impetravit facilè à DEO manem cibo ventrem filio implere.* Jejunium ſanctificatum Annæ ventrem evacuavit, quem Samuele impleret, quem B. ſilius vocat filium jejunij, eò quia à jejunio prodierit, fueritque jejunij fructus, ac germen, ait ipſe homil. 1. de jejunio. *Jam Samuelem nonne deprecatio cum jejunio conjuncta donavit matri?* Hoc idem adſtruit de Samſone, inquiens: *Samſon cum jejunio in utero matris conceptus eſt, cum jejunio educatus eſt: jejunio in virum adoleuit: quod jejunium Angelus matri indixerat.* Non ſolùm ſanctificati jejunij germina fuerunt Samſon, & Samuel, ſed etiam ipſa DEI Mater, quæ proles ſanctificati jejunij à pleriſque Patrum aſſeritur, quos inter Euſtachius in Hexamer. ubi loquens de S. Joachimo Patre B. Virginis Mariæ ait: *Deſerta petit, & ſupplicibus votis DEUM orabat, ut ſibi quemadmodum Abrahæ legitimæ prolis concederet fœcunditatem, & ſic in quadraginta dierum jejunio DEUM deprecabatur.* Adhæret huic jejunio ſanctiſiato per Joachimum Patrem Virginis S. Germanus, qui in encomio B. Virginis S. Annam ejuſdem Matrem ita loquentem adducit: *Conjux autem meus ſolus in monte cùm eſſet, dies quadraginta jejunans ſimiliter DEUM comprecabatur.* Exemplo mariti ſuum etiam jejunium ſanctificavit S. Anna, de qua ait Joannes Lanſpergius *ſerm. in ejus feſto: Annam propriarum virtutum venuſtas ſummè decorat, ut in hoc ipſo cunctis fœminis præſtet jejunijs, & orationibus, quibus tandem obtinuit uteris fœcunditatem.* Uterque conjux jejunium à lege injunctum ſanctificavit, DEumque flexit in ſua vota, & prolem ſuſcepit, quæ dignitate, ac virtute parentes, & reliquas fœminas longè ſuperavit.

Noſtræ telluris ſterilitas jejunij aratro 46
proſcindenda eſt, ut flores virtutum, & fructus bonorum operum producat: jejunium aratro pariavit S. Ambroſius ſerm. 36. inquiens: *Illa terra aratris ſcinditur, ut mundanis ſit congrua frugibus, mea terra jejunijs iuaratur, ut cœleſtibus ſit apta ſeminibus. Sicut enim reditum uberiorem capit, qui frequentius vexando exercet campum, ita majorem gratiam percipit, qui exercet corporis ſui campum, ſæpiùs jejunando.* Non ſolùm jejunium terram corporis noſtri proſcindit, ſed etiam probis fœcundat ſeminibus, quæ in uberrimam fructuum meſſem exceſcunt. S. Chryſologus, cui ſub metaphora aratri jejunij laudes producit, aſſerit In hac exculta tellure jejunij aratro chariratem ſerere, meſſémque parare innocentiæ, ait ipſe ſerm. 31. *Jejunium eſt ſingulare ſanctitatis aratrum, colit corda, charitatem ſerit, ceptam nutrit, parat innocentiæ meſſem.* Quidni? hanc culturam præſtiterunt Joachim, & Anna: ſiquidem ſanctam eorundem terram aratrum jejunij ſanctificati proſcidit: in eadem exculta tellure charitas virginem ſevit, quæ in uberrimam excrevit innocentiæ meſſem, cùm ab omni nævo peccati immunis ab hac exculta tellure educta fuerit, germinaverit, & in plenam cœleſtium donorum meſſem maturuerit, cùm ab Archangelo Gabriele ſalutata fuerit *gratia plena.* Non poterat niſi gratiſſimum DEO eſſe hoc ab utroque parente Joachimo, & Anna ſanctificatum jejunium, cùm Virginem redoleret, virginem ſaperet, & nonniſi virginem quæreret, quam in exculta tellure charitas ſevit, & cœlum ſibi demeſſuit, cùm aſſumpta MARIA fuerit in cœlum; quòd ſi cibus Protoparentes ejecit è paradiſo; jejunium in paradiſum Virginem introduxit, & eum ipſa quotquot cultura virtutum ſanctificant jejunium: ſcitè S. Chryſoſtomus Procem. in Pſal. *Cibus à paradiſo ejecit, jejunium te reducit.*

Quòd ſi per indulgentiam gulæ clauſus 47
hominibus fuit paradiſus, per jejunium à nobis ſanctificatum iterum aperitur, quia ut ait S. Zeno ſerm. de jejunio. *Per cibum offenſus eſt DEUS, per jejunium mitigatur*, ſi per cibum mundus cecidit, æquum eſt, ut per jejunium erigatur: ſi cibus à DEO nos ſejunxit, abſtinentia nos debet iterum DEO unire, ſi Protoparentes per eſum pomi à ſummo Bono ſe averterunt, & eſu unius mali mala omnia, imò & mortem ipſam deglutiverunt: ut iterum in ſummum Bonum convertamur; & ad ipſum accedamus; neceſſe eſt per abſtinentiam à vitijs, per jejunium ſanctificatum ad ipſum properemus. Acceſſurus Moyſes ad DEUM in montem, ut cum ipſo ſermonem miſceret, jejunio, quod per quadraginta dies præmiſit, ac virtutum exercitio ſanctificavit, voluit ſe reficere, ac corroborare, ne deficeret in via, tanto munimine deſtitutus; neque fuiſſet auſus montis faſtigium inſcendere, niſi quadragintadiali jejunio ſe præparâſſet ad

itet, ut expendebat S. Baſil. *homil. 1.* de jejunio inquiens: *Moyſem per jejunium ad montem acceſſiſſe cognovimus. Non enim auſus fuiſſet vertice fumante, neque confiſſus fuiſſet ingredi in caliginem, ſi non jejunio fuiſſet armatus.* Cenſent nonnulli ex SS. Patribus in montis illius cacumine myſterium Verbi divini aſſumentis humanitatem in utero Virginis fuiſſe Moyſi revelatum, qui propterea per jejunium quadraginta diebus ſanctificatum ſe præparavit ad montis aſcenſum, non ſolùm ut purior, ac defœcarior à terrenis voluptatibus coram DEO ſe ſiſteret; verùm etiam ut excipiendis divinis myſteriis aptior eſſet, præſertim iis, qui de Virgine erant; quapropter Virgo Mater ut præconcepta, ac prævisa germen fuit jejunij Moyſis, & ut concepta in utero Annæ, ac in lucem edita filia fuit jejunij, quod S. Joachim quadraginta diebus in deſerto ſanctificavit, cùm enim jejunâſſet Moyſes quadraginta dies myſteria intellecturus, quæ de Virgine erant, S. Joachim etiam quadraginta dies ſuum ſanctificavit jejunium, ut Virgo Mater filia naſceretur jejunii, & paradiſum nobis aperiret in filio, quem indulgentia gulæ nobis clauſerat in Adamo; nec ampliùs erat, quò ſerpentem in ipſo timeremus, cùm contriverit eius caput hæc jejunii filia, de qua prædixerat DEUS Geneſ. 3. v. 15. *Ipſa conteret caput tuum.*

48 Quòd ſi Noë poſt quadraginta dies arcæ feneſtram aperuit Geneſ. 8. v. 6. *Cùmque tranſiſſent quadraginta dies, aperiens Noë feneſtram arcæ.* Virgo Mater jejunii filia arca fuit, quæ in filio, quem peperit humaoum genus, ſervavit, ne æternum ſubiret naufragium in mundi cataclyſmo, ſed cœlum aperiretur, in quo humanum genus Chriſti ſanguine redemptum reciperetur. Huc acceſſendus B. Alcuinus, qui expendens verba Geneſ. 8. 6. *Cum tranſiſſent quadraginta dies aperiens Noë feneſtram arcæ*, alludens ad numerum quadragenarium ait: *Cur quadragenario numero pluvia inundabat; & iterum poſt quadraginta dies dicitur Noe feneſtram aperuiſſe? Reſpon. Quadragenarius numerus tribulationem pœnitentiæ oſtendit. Quòd verò poſt quadraginta dies feneſtram aperuit Noe, ſignificat jejunio cœlum reſerari. Ideo Moyſes & Elias, & ipſe Salvator quadragenario numero jejunia conſecrarunt tanquam tribus temporibus neceſſaria ante legem, ſub lege, ſub gratia.* Non ſolùm jejunium propagatione hominum, genus humanum ſervat, ſed & mundum totum munit, tuetúrque. Ideo Servator mundi quadragintadiale jejunium invexit, ut quaterna jejunii decade quatuor mundi partibus conſuleret; & ubique terrarum homines de jejunio erudiret, edoceretque abſtinentiam à vitiis, ac corroboraret in cultura virtutum: pulchrè S. Chryſologus ſerm. 42. *Ipſe victor ſingularis adinvenit jejunium quadrageſimale ſtatuens in procinctu, ut quaterna decade jejunii quadraturam mundi totam muro inexpugnabili communiret.* Eſt jejunium murus inexpugnabilis, quem nullus aries evertit, nullus ſubterraneus cuneus igne tartareo diſrumpit; eſt jejunium eccleſiæ propugnaculum, fidelium munimen, clypeúsque impenetrabilis, quo tela nequiſſimi hoſtis retundimus; eſt gladius, quo cacodœmonem vel fugamus, vel proſternimus: idque cauſæ cur Chriſtus certamen in eremo initurus contra Dœmonem hoc voluerit quadragintadiale jejunium præmittere, ut in armamentario abſtioentiæ diſceremus & nos arma deſumere, iiſque muniri contra tartareos impetus, contra rebellantis concupiſcentiæ æſtus, contra larvatæ voluptatis illicia, ut innuit S. Chryſoſtomus *tom. 1. homil. 1. in Geneſ.* inquiens: *Dominus noſter JESUS Chriſtus quadraginta dierum jejunio certamen contra diabolum aggreſſus eſt omnibus nobis exemplar dans, ut per illud armemur, & ex illo robur ſumamus, ac ſi aciem in prælio contra ipſum inſtruamus.* Theophilactus *in cap. 4. Matth.* aſſerit, Chriſtum jejunâſſe, ut oſtenderet, veram armaturam contra tentationes eſſe jejunium; ſicut indulgentia gulæ principium fuit in paradiſo terreſtri omnis peccati. Quòd ſi primus homo, quia gulam aperuit unà cum pomo mortem deglutivit, hanc ut nos longius abigamus, & deperditam gratiæ vitam reſumamus, os per ſalutare jejunium claudamus, per abſtinentiam obſtruamus. Si Adam, quia gulæ indulſit, miſerè cecidit; nos ut ſtemus, jejunio muniamur. Ad Tartarei hoſtis coërcendos aſſultus, impetúſque retundendos nulla jejunio armatura efficacior: poſt jejunium Chriſtus in deſerto tartareum hoſtem fugavit, & ipſe glorioſior triumphavit: ita & nos jejunemus, ſi velimus Dœmonis impetus compeſcere, tentationes ſuperare, ac hoſtem in conflictu proſternere: non corporis fortitudine; ſed attritæ carnis imbecillitate Dœmon vincitur, eiúſque tentationes eluduntur: ait S. Ambroſius in epiſt. ad Epheſ. cap. 6. *Contra terrigenes hoſtes corpus ſaginâ roboratur, & poculis emens invitatur, ut repugnandi ſumat audaciam. Adverſus autem ſpiritualia nequitiæ ſpiritualiter repugnandum eſt; & ſobrietatis arma, & abſtinentiæ ſumenda ſunt, ut infuſi S. Spiritus immundos, & erraticos ſpiritus devincamus.*

EXPENSIO XXIV.

Promovetur cultura caſtitatis, quò ejus lilium ſuaviùs oleat: & gramen oppoſiti vitij radicitùs evellatur.

HÆc eſt illa virtus, quæ ſuos cultores 1
byſſina induit veſte, quâ Cœlitum choris adſciſcantur; non enim alio cœleſtis Patriæ incolæ delectaotur indumento, quàm ſymbolum in albedine caſtitatis præſeferente Apocal. 19. 14. *Et exercitus, qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo:* eſt byſſus tenuiſſimi lini genus proximam ab asbeſto dignitatem obtinens, ex quo ſubtiliſſimæ, ac mundiſſimæ conſtruuntur veſtes,

quæ

quæ præſertim puellis ſunt in deliciis, ac caſtitatis cultoribus aptantur. Joſeph enim in Ægypto eximius caſtitatis cultor, cum pro tuenda caſtitate dimicâſſet, & beneficio fugæ victor evaſiſſet relicto pallio in manu adulteræ; ſymbolum propugnatæ caſtitatis ſtolam byſſinam accepit relicto pallio longè pretioſiorem; quia teſtis fuit delatæ victoriæ; & cœleſtis Patriæ incolis eum aggregavit Geneſ. 41. 42. *Veſtivitque eum ſtola byſſina;* ut inde conjiciamus, quàm proximi cœleſtis patriæ civibus ſint cultores caſtitatis: qui dimicantes in terra, & viventes armis generoſæ fugæ triumphos agunt in cœlo; ideò Joſeph ſtola byſſina indutus fuit; quia relicto in manu ejus pallio fugit; in caſtris caſtitatis, qui pugnantes fugiunt, exeunt victores ad triumphum; ſtant laureati, quia moventur fugâ notati.

2 Caſtiorum, & caſtorum magnam eſſe cognationem adſtruit S. Iſidorus *lib. 9.* ubi caſtris vult dici quaſi caſta, ut caſtitatis cultores pugnis aſſueſcant, in quibus tamen non frontem hoſtibus, ſed terga oſtendant, ac Parthorum more, ut ajunt, fugientes præſertim imbellem ſexum vincant; quòd ſi ut ſcribit S. Hieronymus ad Ocean. *Nemo miles cum uxore pergit ad bellum*: in caſtris, qui militant caſtitatis, à fœminarum contubernio abſint, colloquia cum ſexu imbelli non miſceat; quia mollia, quæ proferunt mulieres verba ipſius Martis frangunt duriorem fortitudinem; Una fuit Venus, quæ Martem proſtravit; & quamvis id ſit in fabulis: Veritas tamen nos edocet, blandimenta mulierum virorum fortiſſimos enervâſſe. Quis Samſone fortior? qui leonem aggreſſus, fauces hiantes nudis arripuit manibus, ac in fruſta diſcerpſit? Philiſtheorum exercitum fugavit, & ſola armatus jumenti maxillâ hoſtes plures ſolus interemit, ac vicit? qui Gazæ civitatis januas aliò humeris tranſtulit? & tamen amore captus Dalilæ Philiſthææ cecidit victus à fœmina, qui victor ſteterat contra integrum Philiſthæorum exercitum. Judic. 16. *Cumque moleſta eſſet ei, & per multos dies jugiter adhæreret* (id eſt Dalila Samſoni) *ſpatium ad quietem non tribuens defecit anima ejus* (Samſonis) *& ad mortem usque laſſata eſt.* Verè potuit Samſon fateri cum Eccleſiaſte cap. 7. *Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum eſt.* Tunc Dalila inſidias paravit Hebræorum Herculi, virorum fortiſſimo cum fœmineis illecebris ei eblandita fuit; tunc manibus extradidit hoſtilibus cum muliebri in ſinu detinuit ſomno ſopitum, tunc enervavit, viribúsque ſpoliavit, cum illiciis fortitudinis ſecretum extorſit, & capillos reſcidit: proſequitur Eccleſiaſtes, loquens de muliere procaci, *& ſagena cor ejus. Vincula ſunt manus illius. Qui placet DEO, effugiet illam*: quod præſtitit Joſeph.

3 Nullum abſinthium amarius, nullum aconitum lethalius, nullum venenum nocentius fœmina illiciente, ac eblandiente: Samſon, qui leones ſtraverat, à lupa ſternitur; qui ſolus contra Philiſthæos dimicans hoſtes vicit, à fœmina victus illecebris proſternitur; qui jumenti maxillâ ſolo dente armata mille viros interemit, ab una vincitur muliere non armis munita, ſed lenocinijs emollita: nexus, quo mulieri depravatæ, quia cupidineo illigatur vinculo rumpendus ſtatim eſt, non lentè ſolvendus; quò diutiùs infractus finitur, virtutis inſidiatur integritati, & eò valentiùs, quò magis nexus protrahitur: ſi Samſon ſicut funes, quibus à fœmina fuerat illigatus, hunc amoris nexum diſrupiſſet, meliùs ſibi, ac ſuis conſuluiſſet. *Samſon* (ait S. Ambroſius Apol. 2. David. cap. 3.) *validus & fortis leonem ſuffocavit: ſed amorem ſuum ſuffocare non potuit. Vincula ſolvit hoſtium, ſed ſuarum non ſolvit nexus cupiditatum. Meſſes incendit alienas; & unius ipſe mulieris incenſus igniculo, meſſem ſuæ virtutis amiſit.* Quis poſt Samſonem Davide fortior? quis & ſanctior? Fuit ille filius ex ſeptem fratribus, natu minor, ſed virtute cæteris major, à puero paſcendis gregibus addictus, tractandæ citharæ aſſueverat, harmonicóque concentui cum vocis reſponderet ſuavitas, quas inter ſylvas, & paſcua pia compoſuerat carmina plectro modulabatur, divinas concinens laudes: huic pietatis tyrocinio aliud reſpondit fortitudinis, cujus prima ſpecimina dedit, cum certamen cum feris inivit, quæ ovili inſidiabantur, cum quibus adeo operoſa fuit lucta, ut ferociſſimas beſtias prædæ inhiantes ovili curſu perſequeretur perniciſſimo, & comprehenſas manibus, arreptóque mento diſcerperet; de quo Syracides: *cum leonibus, quaſi cum agnis, & cum urſis, quaſi cum agnis victor luderet.* Goliathum virum Philiſthæum gyganthæa ſtatura, armis, ac bellicis inſtrumentis cataphractum, & timores incutientem toti Iſraeli in ſingulari conflictu proſtravit, & hoſtili ſanguine opprobrium ex Iſraël delevit, abſtulitque; & tamen licèt David leones & urſos forti manu decerpſiſſet in montibus; Goliathum armatum proſtrâſſet ipſe inermis in valle, ſola funda, & lapide munitus; hoſtiles exercitus viciſſet in campo, adhuc ipſe ab imbelli fœmina, non ſolùm armis, ſed & veſtibus ſpoliata vincitur, proſternitur, quæ tamen ideo armata, quia ſpoliata.

Poſt epulas, ſomnúmque meridianum ſolarium domûs regiæ aere fruiturus liberiore perambulavit David, cùm Bethſabeam contra ſolares æſtus corpus in horto domeſtico ablueret ad pellucidos fontis latices, qui tametſi nativa frigiditate fœminam ſe lavantem refrigerarent, Davidem tamen è ſolario inflammârunt, ac libidine accenderunt aſpicientem; mulieris enim forma, ac venuſtas Davidis devenuſtavit virtutem: cùm enim Rex oculos conjeciſſet in mulierem, flammas ex illo fonte hauſit impudicas, quibus exardens miſit ex ſuis domeſticis, qui nomen, genus, & vitæ conditionem exquirerent 4

 mu-

mulieris ſe lavantis, cúmque intellexiſſet Uriæ eſſe uxorem, alios miſit, qui eam ad ſe adducerent, & maculas, quas fontanâ abſterſit mulier è corpore, ebibit Rex mente adulterium concipiens: interpellata ſiquidem mulier à Rege de corporis uſuta, cum non fuiſſet obluctara, ſed votis annuiſſet petentis, ſcelus commiſit, & David cecidit, qui victor ſterit contra pugnantes exercitus; & qui Goliathum proſtravit in valle, & leones, ac urſos nudis manibus diſcerpſit in monte, vincitur nunc ipſe à fœmina 2. Reg. cap. 11. v. 2. *Accidit, ut ſurgeret David de ſtrato ſuo poſt meridiem, & deambularet in ſolario domus regiæ, viditque mulierem ſe lavantem ex adverſo*, & nonnullis interjectis: *Quæ cùm ingreſſa eſſet ad illum, dormivit cum eo.* Poſt epulas, & ſomnum cecidit David, quò inde diſcamus, quàm proclivis ſit ab indulgentia gulæ, & ſomni tranſitus ad Venerem. Vidit mulierem ſe lavantem, ſed fons fuit inſidioſum ſpeculum, quod procul aſpicientem Davidem uſſit, ejúſque caſtitatem combuſſit. Profanus Cupido ex fonte illo telum in Davidem ejaculatus fuit, vulnúſque inflixit, quod quamvis blandum, lethale tamen fuit, pulchrè Auguſtinus in Pſal. 50. *De longè vidit David illam, in qua captus eſt. Mulier longè, libido propè. Alibi erat, quod videret, in ipſo unde caderet.* Cecidit David in ſolario domus regiæ ad primum impetum laſcivientis aſpectûs, qui fortiter ſteterat in caſtris, & pluries hoſtiles impetus coërcuit, & fregit, qui Goliathum timores incutientem toti Iſraëli proſtravit in valle, vincitur ipſe in domo regia ab imbelle, imò à denudata fœmina, in quam cum primùm oculos direxit, mente à cultura virtutis deflexit, quia ut appoſitè S. Gregorius expendens lapſum Davidis ait: *Laſcivus aſpectus ſcintilla fuit, quæ dum in paleam fœmineam formam incideret, momento rapuit flammam, & fœdi amoris incendium excitavit, intueri non licet, quod non licet concupiſcere.*

5 Quis ſapientior Salomone, cùm de ſe ipſo aſſerat Sapient. 7. *Propter hoc optavi, & datus eſt mihi ſenſus, & invocavi, & venit in me Spiritus ſapientiæ; & præpoſui regnis, & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius*: & rectè Rex ſapientiſſimus ſapientiam prætulit divitiis, mundíque theſauris, quia unà cum ſapientia bona omnia poſſedit, ſubdit enim Sapien. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*: quia ſapientia ipſa theſauros omnes includit, divitias poſſidet, gloria cumulatur, virtutibus ornatur, ut ipſamet fatetur Proverb. 8. ubi de ſe ipſa loquens ait: *Mecum ſunt divitiæ, & gloria, opes ſuperbæ, & juſtitia*: hæc ſapientia fuit Sponſa, quam Salomon in flore ætatis, in æſtu juventutis quæſivit captus illius venuſtate Sapien. 8. *Amavi, & exquiſivi à juventute mea, & quæſivi Sponſam eam mihi aſſumere, & amator factus ſum formæ illius.* Quòd ſi petas, quænam fuerit hæc venuſtas in ſponſa, quæ Salomonem rapuit? Spiritus S. eam deſcribit Sapient. 7. inquiens: *Dicitur eſſe in illa Spiritus intelligentiæ, ſanctus, unicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, ſtabilis, ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus.* Hæc fuit illa Sapientia, quam Salomon omnibus mundi divitijs prætulit, & in comparatione illius nihili eſſe duxit; hæc fuit, qua ſibi Sponſam delegit, & cujus pulchritudinem caſto amore dilexit, & expetjit; neque hanc Sponſam Salomon acquiſivit, niſi per exercitia virtutum, & ſtudia pietatis: neque ipſa ſapientia alij ſponſo nubit, niſi virtutum ſtudioſo, & quidem ab ineunte ætate: ut nondum à vitio occupatus, & coinquinatus fuerit Proverb. 7. *Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me, invenient me.* Notatu dignum illud *manè*, quia ſapientia, quem ſibi Sponſum delegit, illi non nubit, niſi tempeſtivè à puero, à teneris unguiculis virtutum aſſueverit ſtudijs, & invigilaverit, ne ullo coinquinaretur vitio, ſed floribus ornaretur excultæ pietatis: hanc igitur ſibi Salomon quæſivit Sponſam, & invenit, non tamen vicos, & plateas percurrens, ſed Numini preces fundens pietati addictus, charitate exardens, ut de ſe ipſo teſtatur Sapien. 8 inquiens: *Adij Dominum, & deprecatus ſum illum ex totis præcordijs meis*: hanc Sponſam permodeſtè divino accenſus amore petjit à DEO, & obtinuit, quia ſpem totam ſuam in ſolo DEO collocaverat. 3. Reg. 3. *Poſtulâſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulâſti tibi Sapientiam ad diſcernendum judicium: ecce feci tibi ſecundùm ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens.*

Pietas Salomonis qualis fuerit; templum Jeroſolymitanum ab ipſo exſtructum ſatis ediſſerit; erat enim hoc, ſedes præparanda divinæ Majeſtati, cujus Idæam præconceperat David, qui in Salomonem transfudit: fuítque opus, quod ab omnibus pro mundi miraculo haberetur, & ſimul ſummæ venerationi: plura hominum millia in eo exſtruendo per totum ſeptennium laborârunt. Locus, ubi ſtructura ſurgebat mons erat *Moria* illuſtris ob ſacrificium Abrahami, in quo Numini obtemperaturus paratus erat Iſaacum immolare. Latitudo templi, ſi ſpectetur, integram æquabat civitatem, & ejus altitudo eminus aſpicientibus montem niveum mixtura auri coruſcum (ut refert Joſephus) referebat. Sed tanti ædificij majeſtatem, & ornatum corruptione morum deturpavit Salomon, ejúſque ſcelera protrivêre, ſolóque æquârunt, & quod virtus extruxit, vitium deſtruxit; prodigioſam de ſe ipſo exhibuit mundo antitheſim Salomon è mortalium ſapientiſſimo dementiſſimus per vitiorum indulgentiam factus: nil illuſtrius priore Salomonis gloria, ſed & nihil ignominioſius poſteriore ejus turpitudine: morum pravitate religioſam juven- 6

autem

tutem corrupit, ſplendorem ejus ſapientiæ obſcuravit adhæſione cum mulieribus; ubi enim Salomon fœdis cœpit voluptatibus indulgere, ubi meretrices ad ſe venite permiſit, ſanam mentem, & ſapientiam ipſe amiſit.

7 Incœpit convivia, luxúmque in epulis inſtituere, ut ijsdum placeret, neque erubuit ſibi uſurpare verba illa Eccleſ. cap. 2. *Vadam, & affluam delicijs, & fruar bonis*: & quidquid expetierunt oculi, quantumvis turpiſſimum, ijsdem non negavit Eccleſ. 2. 10. *Omnia, quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis: neque prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in iis, quæ præparaveram.* Ex hac indulgentia ſenſuum cœpit pietatis ſtudium refrigeſcere, rerum divinarum oblivio induci, & non ampliùs ſacri cantus audiebantur in aula, ſed cantatricum voces, quæ Salomonem allicientes ad turpia, à cultura caſtitatis averterunt, & quis libidini nunquam ſatis, mille fœminatum thalamis regiam implevit, quibus omnia petita indulſit, profanas aras erexit, Idolorum ſimulacra, & cultum permiſit: & qui ſupremo Numini templum auguſtiſſimum toto orbe celeberrimum extruxerat, ſingulis poſtea exteris uxoribus ſingula ſana, & delubra conſtituit Dœmonum, quibus, & ipſemet thus adolevit, victimas immolavit, & ut placeret mulieribus, maluit vero DEO diſplicere; ecce quot ruinas, quot damna intulerunt fœminæ virtutibus Salomonis, Davidis, & Samſonis. Pernicioſum ſemper fuit homini mulieris conſortium etiam ab initio mundi conditi, cùm prima mulier Adamum ſeduxerit, eíque pomi vetiti eſum ſuaſerit, quo totum humanum genus perdidit, cum pomum acquiſivit, ac deglutivit. Siſara cum primùm Jaëlis tentoria ingreſſus, hauſtúmque frigidæ petjiſſet, fæmina florem lactis exhibuit, ut eum ſopiret, ac interficeret; Abimelechus, quia Tebeæ mulieri fidit, ab eadem interfectus fuit, & una Helena Græciam, Trojam, & Aſiam evertit, damna à fœminis mundo invecta recenſens Ephrem Syrus vir ſanctiſſimus, ait *Tom 5. ſerm. in mulieres improbas*: *Quid eſt improba mulier? naufragium terrarum, fons nequitiæ, theſaurus immunditiæ, repoſitorium malitiæ, pernicies oculorum, animarum exitium, cordis ſpiculum, juvenum charybdis, virorum ſcopulus.*

8 Caſtitatis cultores, ſi ſapiunt, conſortia declinent mulierum; quæ interitum caſtitatis unicè intendunt, cingulum modeſtiæ nunquam deponant: olim in caſtris miles ſuccinctus eſſe jubebatur, & diſcinctus pro inerti, & ignavo habitus fuit, ut indicat Tacitus *lib. 12.* Quidni? etiam in chriſtianis caſtris, ut caſti milites Chriſti ſerventur, baltheo neceſſe eſt modeſtiæ, præcingantur: ne ſint diſcincti, aſpectus in mulieres nunquam dirigant, nec ſermones cum ijsdem miſceant, qui parum redoleant virtutis, & libidinis oleant fœtorem; appoſitè S. Petrus Chryſologus *ſerm. 22.* expendens verba Chriſti: *Sint lumbi veſtri præcincti*, ait: *Cincti ergo caſtitatis baltheo, quod eſt inſigne militiæ chriſtianæ, fluxam carnis detruncemus ignaviam*: quotquot Chriſto militant, in caſtris virtutum caſtitatis baltheo, neceſſe eſt, cingantur, ſi fortiter pugnare velint, & irruentes hoſtes expugnare: appoſitè S. Leo Papa ſerm. 1. in quadrageſ. *Videte dilectiſſimi quàm potentibus nos telis, quàm inſuperabilibus munimentis Dux multis inſignis triumphis, & invictus chriſtianæ militiæ magiſter armaverit; ſuccinxit lumbos baltheo caſtitatis, calcavit pedes vinculis pacis, quia & diſcinctus miles citò ab impudicitiæ incentore vincitur, & non calceatus facilè à ſerpente mordetur.*

Tartareus hoſtis in id præſertim incumbit ſtudij, ut caſtitatem evertat, quam propterea telis concupiſcentiæ impetit, ut æſtu carnali flos pudicitiæ exareſcat *Judic. 7.* Præceperat Holofernes, ut milites Aſſyrij aſcenderent contra Bethuliam: nitebatur urbem evertere, in qua caſtitas ſuos agebat triumphos, *Beth* enim Hebræis *Virginem* ſonat: quia igitur *Bethulia* idem ſignificat, ac *virginitatem*, & *caſtitatem* excultam, ac florentem, tartareus Holofernes omnem adhibet conatum, ut hanc evertat, eam cingit inſidijs, ut occupet: ſed ſi una ſuffecit Juditha baltheo ſuccincta caſtitatis ad proſternendum Holofernem, & Aſſyrios Bethuliam circumvallantes fugandos: etiam quilibet militans ſub vexillo Chriſti, ſi baltheo ſit ſuccinctus, ſi caſtitatis ſit cultor, tartarei hoſtis inſidias facilè evadit. Plures ſunt milites Chriſtiani, qui ne diſcincti videantur, baltheum ſibi videntur quidem comparare, ſed non ex lino, ſed ex lana intextum, & hi quia non arctè ſuccincti facilè diffluunt, & plerumque etiam hoſtili vulnere ſaucij cadunt, quia lana nimis laxa hoſtiles impetus non ſemper retundit Proverb. 31. 13. *Quæſivit lanam, & linum*, nimirum ut baltheum ſibi texeret, ac in Chriſti militia diſcinctus non videretur; ſed nimis laxa eſt lana, quæ propterea aliquid ſemper indicat carnale, ex quo ſuam trahit Originem; cùm ex ovibus, aliiſque pecoribus detonſis deſumatur: linum verò ſpirituale ſubindicat; quia in ordine veſtimentorum interiora, cujusmodi ſunt induſia, linea eſſe ſolent, & lanea tantùm exteriora, quæ apparent: qui igitur tantùm apparenter videri cupiunt in caſtris chriſtianæ militiæ baltheo ſuccincti, hi nonniſi laneo cinguntur baltheo, quo nonniſi ad apparentiam caſtitatem colunt, cùm tamen pravis plerumque adhæreant concupiſcentijs: *Lana enim*, ait S. Auguſtinus ſerm. 217. de temp. *de commixtione animalium naſcitur, linum verò ſine carnis voluptate de terra procreatur, ideò caſtitatis imaginem præſefert.*

Baltheum igitur chriſtiani militis lineum ſit, non laneum, caſtitatem oleat, non 10
carnis concupiſcentijs fœteat; tametſi veſtimentum totum chriſtiani militis candidum eſſe debeat Matth. 28. 3. *Veſtimentum ejus ſicut nix.* Non tamen candor laneus ſit, ſeu

apparens tantùm in extima ſuperficie, ſed lineus, qui intus effloreſcat in lilio, & divini amoris æſtum foveat: appoſitè Drogo Hoſtienſ. lib. 1. de Sacram. Domin. paſſion. ait: *Quid per candorem nivis, & veſtimentorum ſpeciem niſi corporis noſtri frigida, & mundiſſima caſtitas ſignificatur? quæ præſidenti in ſe angelicæ claritati ſimilis, & teſtimonium præbet, & obſequium. Frigiditas nivis, & candor veſtis angelicæ caſtitatis habetur ſymbolum.* Non ſufficit, ſi baltheum tantùm in extima ſuperficie candorem oſtenteret, niſi intus albedinem ſervet, quæ nivis æmuletur candorem: nivis candor frigiditatem ſervat, quâ æſtus concupiſcentiæ coërcentur, quâ calor libidinis extinguitur, ut quæ caſtitas albeſcit in nive, feliciùs effloreſcat in lilio: veſtimentum igitur chriſtiani militis album ſit ſicut nix, candorem caſtitatis præſeferat, non tantùm in externa ſuperficie, ut videatur baltheo ſuccinctus, ſed nivem æmuletur, cujus frigiditate intus concupiſcentiæ æſtus, carnis laſcivias, libidinis flammas extinguat, & non ſinat quidquam intus inſurgere, quo carnis concupiſcentia inſoleſcat in detrimentum caſtitatis: hoc igitur lineo baltheo æmulante in candore ipſam nivem vult Chriſtus ſuos milites præcinctos Luc. 12. 35. *Sint lumbi veſtri præcincti.* Huc flectendus S. Ambroſius in Pſal. 42. *Habet cytharam ſuam anima noſtra. Cythara eſt caro noſtra, quando ſeptiformem accipit ſpiritum in baptiſmatis ſacramento. Teſtudo enim, dum vivit luto mergitur, ubi mortua fuerit, tegmen ejus aptatur in uſum canendi. Similiter caro noſtra, ſi vivat, illecebris corporalibus in quodam cœno vivit, & voragine voluptatum. Si luxuriæ moriatur, atque incontinentiæ; tunc veram vitam reſumit, tunc edere incipit bonorum operum dulce modulamen. Dulcis ſonus eſt caſtimoniæ, dulcis ſonus timentium DEUM.*

11 Ut autem miles Chriſtianus baltheo præcinctus caſtitatis victor pugnet, non fronte aperta hoſtem aggrediatur, ſed terga vertat, quia in caſtris caſtitatis is ſtat, & vincit, qui fugit; cadit verò, qui ſtare præſumit, & frontem oſtendere hoſti, qui eblandiendo vulnerat, & extorquendo conſenſum interimit. Contra hoſtem caſtitatis pugnavit in Ægypto Joſeph cum Hera, quæ juvenem deperiens ejus veſtes arripuit exiſtimans pugilem caſtitatis jam tenuiſſe, ſuique juris feciſſe; præſertim, cum domeſticos intra parietes, remotis arbitriis, laſciviens mulier adoleſcentem fuiſſet aggreſſa. Adeò eſt difficile domo immorari laſcivientis fœminæ, & baltheum caſtitatis non ſolvere, ut Ægyptia fœmina jam crediderit in ſua vota Joſephum pertraxiſſe. Audierat Jerichontinus princeps Hebræos exploratores civitatem ingreſſos domo immorari Rahab meretricis: captos quidem voluit Princeps Exploratores, ſed cùm primùm audivit, eos detineri in domo meretricis, ac converſari cum fœmina laſciviente, jam credidit eos captos per ipſam meretricem, cui propterea ſine alio apparatu militum injunxit, ut viros, qui ad ipſam venerant, ad ſe adduceret Joſuë 2. *Miſitque Rex Jericho ad Rahab dicens: Educ viros, qui venerunt ad te.* Mirum ſanè, quòd cùm ſciverit Hebræos civitatem ingreſſos, Exploratores eſſe, ac expugnationem, & everſionem civitatis moliri: militum cohortes ſtatim quavis diſruptâ morâ non miſerit ad domum meretricis, plateas non cuſtodierit, portas civitatis non clauſerit, & armata manu Exploratores non caperet? cur milites non miſerit, ac diviſerit per urbis januas? domûs meretricis oſtium, & armatos ſatellites non præceperit domum ingredi fœminæ, & angulos omnes, ac receſſus intimiores penetrare, & explorare, donec Hebræos caperet? Supervacaneum putavit Rex Jerichontinus hunc armorum apparatum ratus non poſſe Hebræos Exploratores adhuc juvenes auffugere, ſi ſemel ingreſſi ſint domum meretricia, cujus blanditiæ, & lenocinia fortiora ſunt ad viros illaqueandos, quocunque bellico machinamento. Non igitur cultor caſtitatis, quamvis baltheo præcinctus pudicitiæ, hoſtem aggrediatur, ut vincat, ſed fugiat, ne proſternatur. Satis fortiter pugnat, qui in caſtris caſtitatis hoſtem videns citò fugit.

Non tamen Rahab, licèt laqueos pa- 12
râſſet, quibus juvenes irretiret Proverb. 7. *Intexui funibus lectum meum*, meretrix enim laqueos ubique habet, ut viros faciliùs poſſit illaqueare, à quibus nec Samſon ipſe valuit ſe expedire, licèt fortiſſimos funes perinde, ac tenuiſſima fila diſrumperet: adhuc tamen Rahab non perijt cum incredulis, ſed id prodigio datur fidei, quæ enim fide deſtituta immerſa in libidinum chloaca detinebatur; fide cùm primùm munita fuit, emerſit, & omnibus ſpoliata concupiſcentiæ lenocinijs, cœpit, & ipſa caſtitatem excolere; & meliùs olere. *Fide Rahab meretrix non perijt* ad Hebr. 1. 3. 21. quia fides erigit, quos luxuria deprimit, illa lapſos ſublevat, hæc ſtantes dejicit; illa corroborat, hæc enervat; illa prodeſt, ne quis pereat; hæc obeſt, ut intereat, ſcitè D. Ambroſius lib. 4. epiſt. 5. *Ubi incœperit, quis luxuriari incipit deficere à fide vera*: ſed ſi vera, & ſincera fide muniatur, qui laſcivierat, tametſi ceciderit, & ſcelerum pondere prematur, adhuc ope fidei ſurgit.

Peccaverat in civitate Magdalena, ſed 13
quia credidit Chriſtum tunc in domo Phariſæi manducantem verum eſſe DEI filium, hac fide munita ſurrexit à libidinum fœditatibus, & alacris ingreſſa domum Phariſæi ad pedes Chriſti procubuit, ut rectè diſceret ambulare, quæ antea ſemper erraverat: lachrymas fudit, quibus contractas libidinis ſordes abſtergeret; unguentum ſparſit, ne fœtor anteactæ vitæ adſtantes offenderet: conſcia enim graveolentiæ animæ non auſa fuit ſine anthidoto lectiſſimi odoris domum ingredi Phariſæi, & ad pedes Chriſti accedere: veniam plorans rogavit, & remiſſionem impetravit, idque prodigio fidei, à qua ſalutem fuit con-

ſecuta:

ſecuta: & adeo ingens fuit, ut voluerit Chriſtus per orbem totum propagari Matth. 26. 13. *Ubicunque prædicatum fuerit evangelium hoc in toto mundo, dicetur, quòd hæc fecit*: quòd enim fœmina libidini aſſueta reſipiſcat; quæ immerſa diu jacuerat in carnis ſpurcitijs ſurgat ad culturam ſpiritûs, & caſtitatis, adeò ingens videtur eſſe prodigium, ut Chriſtus voluerit per totum mundum promulgari: adeò difficulter ſurgit, qui per ſtimulos carnis cadit, ut vi ſupernaturali alicujus virtutis, & gratiæ reſurgere tribuatur. Surrexit tamen Magdalena, quia fide animata, & charitate inflammata: ingreſſura domum, in qua Chriſtus aſſidebat alabaſtrum ſecum tulit, & aromata effudit, & gratum Chriſto præſertim odorem ſparſit Joan. 12. 4. *Et domus impleta eſt ex odore unguenti*: quæ enim impudica malè olebat, tunc cœpit ſuavem emittere odorem; cùm reſipiſcens ad pedes Chriſti procubuit, turpitudinem totam cogitationum è capite excuſſit.

14 Adeò arduum eſt æſtu concupiſcentiæ accendi, & non comburi, ut miraculo tribuatur; cum Joſeph paterna afficeretur benedictione, ait Moyſes Deut. 33. 16. *Benedictio illius, qui apparuit in Rubo veniat ſuper caput Joſeph.* Mirum, quod Moyſes rubi meminerit in hac benedictione, qua Joſeph condecoratur: ſed meritò rubo pariatur, quem Moyſes viderat in Orebo monte, qui flammis vallatus non comburebatur, quod prodigium Moyſem provocavit ad proximiùs accedendum: clariúsque miraculum aſpiciendum Exodi 3. v. 3. *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Quòd ſi rubus flammis circumdatus, nil inde læſionis contraxit, nihil damni ſuſcepit: Joſeph ardente hera libidinum flammis non incenditur, ipſe non comburitur, nil patitur detrimenti, quod prodigium grande fuit pariandum rubo, quem Moyſes viderat incombuſtum Geneſ. 19. *Apprehenſa lacinia veſtimenti ejus diceret, dormi mecum*: flammas injecerat mulier impudica, quibus adoleſcentis caſtitas cinefieret: ſed adoleſcens egregiè reſtitit, & flammis libidinis nives objecit caſtitatis, imò & pelagum divinæ præſentiæ nullo clauſæ litore Geneſ. 39. *Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in DEUM meum.* Munimen contra aſſultus libidinis DEUS eſt ad ipſum tunc accedere per precum fuſionem, à periculo recedere eſt: ignis extinguitur, ſi vel lachrymæ fundantur, vel auxilium à DEO petatur; vel ſaltem, ne noceat, vis ejus retunditur, quod fuit prodigium à Moyſe in rubo viſum, cùm hic flammis circumſeptus nil contraxit detrimenti.

15 Non ſolùm Moyſes in Orebo, ſed etiam Babylone tres adoleſcentes in fornace ſimile exhibuerunt expectandum prodigium, cùm enim in fornacem ignis ardentis injecti fuiſſent, flammis ſtatim devorandi, & abſumendi, flammarum voracitati preces objecerunt, quas DEO fuderunt, Daniel. 3. v. 21. *Tunc hi tres quaſi ex uno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant DEUM in fornace.* Oratio vires retudit, ne flammæ fornacis adoleſcentes læderent, qui laudatores DEUM voracitatem coërcebant flammarum, & fundentes preces quaſi pluviam effunderent, ac ignem extinguerent, incolumes inde evaſerunt: quòd ſi adoleſcentes Babylone fuſu precum incolumes ſervantur in fornace: Joſeph in Ægypto in domo laſcivientis fœminæ licèt improbis, fœdisque libidinum flammis petitus, illæſus tamen evaſit, qui ad DEUM cucurrit, opémque petijt: memoria DEI opitulantis, libidinem coërcuit fœminæ petulantis: *Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in DEUM meum.*

Non deſtiterat laſciviens hera ad turpia 16
allicere caſtitatis cultorem, ſed blanda verba aërem tantùm pulsârunt, non juvenem flexerunt; verùm quia illicia, & lenocinia linguæ fruſtranea deprehenderat ad adoleſcentem illaqueandum manus ipſas adhibuit Geneſ. 39. *Apprehenſa lacinia veſtimenti ejus diceret, dormi mecum*, adoleſcentem adnixa eſt tenere, ad ſcelus juvenem raptura, ſed Joſeph relicto pallio, ſeu lacinia, quam mulier manu prehenderat, victoriam delaturus aufugit Geneſ. 19. *Qui relicto in ejus manu pallio fugit*: quia eximius caſtitatis cultor, non frontem objecit, ſed terga mulieri dedit, & beneficio fugæ ad victoriam cucurrit, quia in caſtris caſtitatis is vincit, qui fugit, & citiùs ad victoriam pervenit, qui velociùs currit, *relicto in manu ejus pallio fugit*: quia pallium laſciviens mulier tetigerat, cui peſtem libidinis impreſſerat, ne ulterius lues irreperet, pallium reliquit, & maluit periculo ſpoliari, quàm pallium, quod mulier tetigerat, induere.

Quòd Joſeph indemnis evaſerit in domo 17
laſcivientis heræ prodigium dixerim ſuppar illi adoleſcentum, qui in fornace Babylonica pugnantes cum flammis victores evaſerunt, adeo ut ſi flammæ crepitarent, adoreas canerent, ac triumphos adoleſcentum promulgarent; ſi cingerent, coronas texerent; ſi ſplenderent, clariorem illuſtrarent victoriam, id cenſuit S. Chryſoſtomus *homil. 62. in Geneſ.* inquiens: *Profectò non tam admirabile in fornace Babylonis mihi videtur eſſe, tres pueros, & illæſos permanere, ut admirabile hoc, & rarum, quòd tantum certamen juſtus ſuſtinuerit.* Egregius fuit miles Joſeph, quia caſtitatis baltheo ſuccinctus, & ad fugam expeditior aufugit, & citiùs pervenit ad victoriam, quia DEUM ſibi præſentem, & adjuvantem novit Geneſ. 39. *Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in DEUM meum*, DEUM timuit, & mulieris audaciam compreſſit; timuit DEUM, & fugit, & non ſolùm heram deluſit, vitium declinavit, verùm & pernicíſſimè ad victoriam cucurrit, & ad palmam pervenit. Memoriam tunc ſubijt DEI recordatio, & ejus timore corroboratus fortiter pugnavit, & beneficio fugæ libidinis vitium expugnavit: quo inde diſcamus, cùm pericula imminent

dilabendi ſtimulante concupiſcentiâ in turpe ſcelus, DEUM cogitare nobis præſentem, & eundem credere judicantem: ſi enim penſemus DEUM nobis præſentem, & ſingulos actus noſtros intueotem vix erit adeo audax, & temerarius, qui velit ſcelus patrare, ac injuriam illi irrogare, idque cauſæ, cur David crediderit quaſi impoſſibile poſſe quempiam peccare, ſi DEUM Judicem, ſimúlque præſentem cogitet, cenſuitque propterea omnes delinquentes immemores eſſe DEI præſentis *Pſal. 53.* *Non propoſuerunt DEUM ante conſpectum ſuum*, & alter *Pſal. 9.* de alio, qui peccato aſſueverat, vitióque involutus perſeveraverat, dixerat: *Non eſt DEUS in conſpectu ejus; inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.*

18 Senes itidem inſanientes amore cupidineo, ut Suſannam in ſua vota flecterent, ne DEUM viderent, oculos ipſos clauſerunt, ut apertiùs libidine frenetici irruerent in pudicam mulierem, ac ruerent in ſcelus Daniel. cap. 13. 9. *Declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum juſtorum*: ſi oblivio igitur DEI præſentis ad ſcelera quæque januam aperit, quia mentis oculos claudit, ne cœlum videant, ne DEUM cogitent; DEI præſentis recordatio clypeus eſt retundendis concupiſcentiæ, carniſque ſtimulis opportunus: facilè enim caſtitatis cultor concupiſcentiæ impetus coërcet, ſi DEUM præſentem cogitet, & actus omnes noſtros aſpicientem; cùm enim ſit judex, timorem incutit, quo armati, hoſtes, ſeu carnem, mundũ, & infernũ, vel proſternimus, vel fugamus, hinc David à DEO petijt hunc timorem, quo munitus tela omnia adverſariorum retunderet Pſal. 118. *Confige timore tuo carnes meas à judicijs enim tuis timui*: Mirum tamen quòd David, cùm DEUM timeret, adhuc timorem à DEO expoſtulet, ſi timuit à judicijs DEI, cur iterum petit configi timore ſuo carnes? quia nimirum, quem de DEO timorem jam conceperat, enixim efflagitat, ut in ejus anima, & corpore ita infigatur, ut nunquam abigatur; ſed indelebilis perſeveret; ſciens non poſſe eum peccare, quem timor DEI, ejúſque judicij tegit, & protegit, hinc S. Baſilius expendens verba Pſal. 23. 12. *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos*: præ cæteris ſaluberrimis monitis hoc addit: *Cum te appetitus invaſerit peccandi, velim cogites horribile illud, & intolerabile Chriſti tribunal,*
19 *in quo præſidet judex.*

Veneris amuletum meditatio eſt Noviſſimorum; ignis concupiſcentiæ ignibus extinguitur gehennæ, ſi ſeriò perpendantur; ait S. Iſidorus lib. 2. cap. 39. *Recordatio ardoris gehennæ ardorem extinguit libidinis.* Si caſtitatis cultor ſe pulſari ſentiat ſtimulis depravatæ concupiſcentiæ, carniſque inſuleſcentis; frœnum ijsdem gehennalis cruciatus injiciat; coërcentur luxuriæ impetus, & æſtus libidinis ſedantur, cum primùm ijsdem ignis objicitur gehennalis: non ſolùm gehennæ incendia; ſed etiam mortis gelu efficax eſt ad ignem luxuriæ extinguendum; cedit caro, nec audet impudicos ſuos excitare æſtus, ſi mortis ei exhibeatur imago; Libithinam timet, à qua proſternitur, ac in cineres conteritur: hiſce armis muniatur caſtitatis cultor, hiſce pugnet contra impetus inſurgentis concupiſcentiæ, contra ſtimulos carnis excitantis ad turpia; ſed abſtinentiâ loricatus conflictum inſtituat; eſt ſiquidem lorica abſtinentiæ, quæ hoſtilia quæque tela retundit, ne vulnus ullum inlligant; imò nec audet concupiſcentia inſurgere, neque pugnare contra caſtitatis cultorem hiſce præmunitum armis, quæ carni ſunt terrori; Hinc Zeno Veronenſis. *Mihi crede; non habet concupiſcentia locum, ubi ſobriè vivitur; ubi mors timetur*: & præſertim recordatio ignis gehennalis luxuriæ opponitur igni: friget caro ad ſolam gehennalis ignis memoriam; gelu fiunt, qui æſtus erant, quibus lilium ſolet exareſcere caſtitatis; ſepulchri vermes ipſam corrodunt concupiſcentiam, ne exæſtuet; proſternunt, ne inſurgat; ſunt è ſepulchro accerſiti vermes, auxiliares copiæ, quibus in caſtris chriſtianæ militiæ, baltheo caſtitatis præcincti hoſtes, quos mundus mittit ſuis voluptatibus munitos, infernus ſuis ſuggeſtionibus catafractos, & caro ſuis ſtimulis contra virtutem phalanges armatas proſternunt, ac vincunt citra vulnera ſibi inflicta Eccleſ. 7. 40. *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Sed præ cæteris ad victoriam expeditior, 20
ac brevior via eſt, quam fuga celer præſignat; tutiùs, ac glorioſiùs vincit in caſtris caſtitatis, qui non manibus pugnat, ſed pedibus fugit: cum hoſtis non ferri duritie, ſed vocis mollitie pugnet; non gladio vulnera infligat, ſed labijs oſcula figat; non minis terreat; ſed illicijs eblandiatur, timendum eſt, ne quæ pugna erat, luſus fiat; & is perdat ſtans, qui fugiens victoriam fuiſſet lucratus; neque ſibi fidat licèt baltheo præcinctus caſtitatis, plures enim quamvis cincti pugnarint, diſcincti cecidere, quia ſtare voluerunt: non cecidiſſent, ſi non ſtetiſſent, ſed celerem fugam inſtituiſſent, propterea monet Apoſtolus 1. Corinth. 10. 12. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat*, quæ verba expendens D. Leo ſerm. in quadrag. ait: *Nemo eſt tanta firmitate ſuffultus, ut ſtabilitate ſua debeat eſſe ſecurus.* Timor fulcimentum eſt caſtitatis, ne cadat, & qui timet venientem hoſtem, non expectat, ſed fugit: non ignaviæ in caſtris caſtitatis datur timor, qui fugam militibus ſuadet, ſed fortitudinis, & virtutis eſt nobile ſymbolum, qui enim ſugit, fortitudinem prodit, quam timor manuducit: quia tametſi pluries caſtitatis cultor ſtans vicerit, contingere facilè poteſt, ut cadat, quem tamen à lapſu liberat, & tuetur fuga ex timore profecta. Huc accerſendus S. Chryſologus *ſerm. 12.* inquiens: *Longo ſtudio ſeges ſeritur, ſole atque imbre diutino naſcitur, ſed tamen una, & ſubita ſcintillâ conſumitur, & paulìſper ædificia ad alta conſurgunt, quæ repentinis caſibus terram petunt.*

Pro-

21 Prolixus eſſet cathalogus, ſi hic attexeretur eorum, qui ſanctitate eximia illuſtres, & præſertim cultura caſtitatis florentes per plures annos, adhuc inſeliciter ceciderunt, eò quia ſibi fidentes non timuerunt: & cùm pedes non moverint ad fugam; manus porrexerunt ad ſcelus: & hæc eſt illa fiducia, quæ ipſas virtutum columnas in ruinam traxit, ubi occaſio luxuriæ exhibita fuit, quam fugere neglexerunt: Cultor caſtitatis non ſibi fidit, ſed de ſe diffidens celer fugit, ut firmior ſtet, neque ex pluries delatis victorijs futuras infert, ſed ſancto ſemper timore correptus celer fugit. Quòd ſi *gubernator in tempeſtate dignoſcitur*, ut loquitur S. Cyprianus, *& miles in acie probatur*, perinde caſtitatis cultor, & cuſtos non ſtando, ſed fugiendo fortis probatur: occaſio eſt, quæ virtutem prodit, ait Salòmon Proverb. 9. v. 9. *Da ſapienti occaſionem, & addetur ei ſapientia*: eſt autem hæc ſapientia timor DEI, & occaſiones declinare peccandi, oculos avertere, ne muliebrem videant vanitatem: cum mulieribus ſermones non miſcere, ſed celeri pede fugere: hæc eſt vera ſapientia, quâ cultor caſtitatis rectè ſapit, ut fugiens ſtet, & non cadat: hanc ſapientiam, cùm DEUS Joſephum edocuiſſet, non fuit cum hera locutus, cùm hæc capta amore adoleſcentis ejus veſtem arripuit, qua caſtitatem raperet, cum apprehenſa lacinia veſtimenti ejus dixit Geneſ. 39. *Dormi mecum*: non vim ullam Joſeph adhibuit, qua Pallium recuperaret, ſed relicto eo in manu fœminæ, non manus adhibuit, ut pallium ſecum traheret, ſed pedes celeriter movit, quò expeditiores eſſent ad fugam Geneſ. 39. *Relicto in manu ejus pallio fugit*: expeditior ſine pallio cucurrit ad victoriam, & beneficio fugæ ſtetit, ubi alij ſtantes cadunt, unde monet S. Cyprianus: *Nemo diu tutus eſt, periculo proximus; nec evadere Diabolum ſervus DEI poterit, qui Diaboli laqueis implicatur.*

22 Lilium caſtitatis, qui excolit mulierum, præſertim contubernia evitet; colloquia cum ipſis non immiſceat, oculos in eaſdem non figat, ſed ſi concupiſcentia ſtimulet, Euro citiùs fugiat, ne libidinis æſtu excultum diu lilium exareſcat. Quòd ſi turpis cogitatio mentem ſubeat, excutienda ſtatim eſt, perinde ac accenſa pruna, ſi ſericas tuas in veſtes caderet, quia quò diutiùs immoratur, eò majora ſui veſtigia imprimit, & caſtitatis virtutem deprimit, enervat, ac comburit. Qui in caſtris caſtitatis timere neſcit, neque pedes ad fugam movere, vincere non valet, & quia ſibi fidit unà cum timore etiam victoriam à ſe expellit, ut ſcitè D. Bernardus *ſerm. de Annuntiat. Quæ fiducia et, qui periculum non attendit? aut quod timoris remedium ubi, nec timor ſentitur, neque materia ipſa timoris timetur.* Hoſtes fugere in caſtris caſtitatis ad triumphum eſt currere: neque ignaviæ eſt fœtus, ſed adamantinæ fortitudinis prodit hæc fuga ſpecimina, eſt enim fuga, quam licèt timor ſuadeat, fortitudo tamen illi viam ſternit, ut beneficio fugæ citiùs ad victoriam perveniat, appoſitè S. Cyprianus *de ſingularitate Clericor. Magna compendia providentiæ, ut aliquando fiat virtus, & victoria per timorem, magna remedia contulit Dominus ad ſalutem, ut habeat & timidus laudem.* Quòd ſi militibus ſub Martis vexillo probro datur, ſi hoſtes fugiant, in caſtris caſtitatis inſigni datur virtuti, & bellicam prodit fuga fortitudinem: eſt enim fuga, qua caſtitatis cultor ad coronam avolat, quia hoſtem fugiens, hoſtem vincit, & coronam ſibi acquirit.

Moris olim fuiſſe, quo ſponſi coronarentur ob caſtitatis lilium fidè ab ijsdem uſque ad nuptias excultum, & ob devictos pudicitiæ hoſtes, coërcitos carnis ſtimulos, extinctos libidinis æſtus, & ob victorias contra luxuriam delatas refert S. Chryſoſtomus *Homil. 9. in epiſt. 1. ad Timoth. cap. 3.* inquiens: *Idcirco coronæ imponuntur capiti, ut victoriæ ſigna ſint, quòd ſcilicet antea libidini impenetrabiles, ita demum cubiculum ingrediantur; alioquin cujus jam rei gratia incedat coronatus, qui tam fœdæ libidini colla ſubdiderit.* Gloriotior eſt illa corona, in qua lilia olent caſtitatem, quàm aurea, ubi adamantes ſplendent, & fortitudinem depromunt, quamvis illam caſtitatis cultor beneficio fugæ fuerit enactus, & hanc pugnantis exercitus ſtrategus per hoſtium inſecutionem acquiſiverit. Dignum diademate eſt caput, ſi luxuriæ jugum excuſſerit, ſi turpes cogitationes ad Venerem excitantes abegerit, ſi carnis ſtimulos compreſſerit, ſi impetus inſoleſcentis concupiſcentiæ coërcuerit, meretur enim coronari, qui in certamine caſtitatis victor ſtetit, quia fugit. 23

Etiam Sponſa in ſacris Canticis, quia lilium caſtitatis in Libano feraciſſimo monte omnium virtutum excoluit, coronari meruit Cant. 4. 8. *Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Ter Sponſus Cœleſtis ſuam vocat ſponſam ad coronam, quam ob culturam caſtitatis trina donandam cenſuit corona. Qualis fuerit pulchritudo, qualis candor, quem prætetulit excultum à ſponſa lilium, teſtatur ipſe ſponſus Cant. 4. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te, veni de Libano ſponſa mea*, quia tota pulchra, & abſque ullo nævo, quo lilium ab ipſa excultum in Libano denigraretur, propterea ad coronam ter invitat, quam trina noverat dignam coronâ; placet Sponſo Libanus, ſed quia lilia nutrit, quia caſtitatem olet in lilio; placuit, & ſponſa quam dilectam à ſe vocavit, & ter ad coronam advocavit, quia lilium excoluit caſtitatis in Libano: neque potuit non placere ſponſa lilijs circumvallata cœleſti ſponſo, qui nonniſi immorari, & inter lilia paſci expetit Cant. 2. 6. *Paſcitur inter lilia*, nimirum flos de radice Jeſſe lilijs delectatur, inter quæ paſcitur, quòd ſi *Flos campi* feracitatem etiam in campis ornat telluris, adhuc paſcitur inter lilia, quibus etiam in imo vallium vult conſtipari, ac dici *Lilium convallium*, cum igitur Sponſa in Libano lilia excoluerit, 24

meritò à ſponſo ter vocatur ad coronam; & ut ob culturam caſtitatis videretur ſibi coronam commeruiſſe ter ad ipſam eam vocavit; cujus modeſtia forſan coronari recuſâſſet, niſi ter vocata, quaſi adacta fuiſſet, nunquam Sponſa coronari meruit à ſponſo niſi poſt culturam Lilij caſtitatis in Libano: tametſi excoluerit ſponſa hortum ſuum, quamvìs cedris fuerit delectata, nec cellaria eidem deeſſent, in quibus charitas ſervaretur, non tamen ſponſus ſuam ad coronam vocavit ſponſam ex horto, licèt omnigenis floribus ornato; neque ex domo cedrina incorruptis alijs virtutibus oppleta; neque ex cellarijs charitate redundantibus: ſed tantùm è Libano ubi lilium excoluit caſtitatis: præ cæteris floribus lilium placet, quia & color, & lilium ſymbolum præſeferunt caſtitatis, propterea ob hujus floris culturam ad coronam vocatur: quia cultor caſtitatis plura ſupponitur certamina ſuſtinuiſſe, & hoſtem ſemper viciſſe, ſi lilium præſeferat nullo denigratum nævo.

25 Dignus igitur eſt ornarí diademate, & ad ſolium Regni evehi, qui caſtitatis lilium jugiter excolit; puritatem amat, & libidini, ac luxuriæ, aliiſque caſtitatis inimicis bellum indicit. Cultor caſtitatis eximius fuit Joſeph in Ægypto, & propterea licèt detruſus in carcere videretur ejus candor tenebris illius loci obſcuratus, adhuc tamen ad coronam evehitur, & in regno ſublimatur: libertate enim mox donato dixit Pharao Geneſ. 41. v. 40. *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet:* neque putes ab alio fuiſſe Joſephum diademate coronatum, quàm ab ipſa cultura caſtitatis: pugnaverat cum hera, quam vicit, cùm fugit; victoriam obtinuit, non manu diſtricto gladio pugnante, ſed pede velociùs currente, & quia victor coronari meruit, ac cæteris præeſſe; *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet*: illæſus ab impudicæ heræ illecebris fugerat, propterea meritò ad regnum erigitur, & corona redimitur ob caſtitatem, quam excoluit, & illæſam ſervavit: cùm pugnam viciſſet, promerita debuit corona donari: huc accerſendus S. Zeno ſerm. de pudicitia, ubi ait de Joſeph: *Pudicitiæ ſplendore veſtitus poſt calumnioſam damnationem, & liberatus à DEO eſt, & honoratus. Denique Rex jure ſecundus factus eſt regni, qui inſignitus erat jam antea, pudore.*

26 Caſtitatis cultor, quia ſibi imperat, ſuóſque affectus ad normam dirigit virtutis impetus concupiſcentiæ coërcet, dignus eſt, ut & alios regat coronâ ornatus; ac cæteris imperet diademate donatus. Hoc imperium in caſtitatis cultore etiam ipſæ feræ rationis expertes noverunt, cui ſe ſubmittunt; quapropter pepercerunt Danieli, cùm in lacum ab ipſis vorandum demiſſus fuit: venerati enim leones caſtitâris virtutem, propriæque feritatis obliti virgineas Prophetæ carnes, nec ungue tangere, neque dente lædere auſi fuêre: caſtitas fuit, quæ Danielem in lacu ſervavit indemnem, & leones conſtituit ejus imperio obtemperantes: ſcitè S. Joannes Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 25. *Quid de Daniele dicam, cujus corpus virginitate ita obduratum eſt, ut ferarum dentes ei configi nequiverint.* Virginitati etiam feræ ſubjiciuntur, quam & lædere non audent, coronata proinde incedit virginitas, cujus imperio non ſolùm feræ, & alia viventia obſequuntur, ſed etiam ipſa elementa tam excelſam virtutis dignitatem reverentur, non enim ignis in babylonica fornace tres pueros læſit; ſed eorundem virginitatem in reverentiæ notam tantùm fuit oſculatus, quòd ſi ſplenduit ignis, clariorem hanc mundo reddidit: non enim adeo illuſtres, ac clari fuiſſent poſteritati; neque ad coronam ſurrexiſſent, niſi in fornacem demiſſi fuiſſent, Daniel. 3. v. 94. Huc iterum accerſendus S. Joannes Damaſcenus loc. cit. ubi loquens de tribus pueris ait. *Quid tres pueri, nonne cùm virginitatem coluiſſent, ignis ardorem ſuperârunt; id videlicet per virginitatem adepti, ut eorum corpora igne confici minimè poſſent.* Non audet ignis in virginum corpora ſævire, cujus dignitatem reverenter adorat: quòd ſi virginitati adblandiuntur nives ejuſdem ſymbolum; timet ignis has nives, quas propterea tangere non audet, ne lædatur ipſe victus à nive, & extinctus, meritò igitur debetur caſtitatis cultori corona, cùm non ſolùm in bruta animalia, verùm & in ipſa elementa ſuum exerceat imperium.

Imò non ſolùm in terris, verùm & in 27
cœlo dominium ſuum protendit, ut in Elia, qui pro arbitrio cœlum clauſit ad ſiccitatem, & diduxit, ut pluviam deduceret 3. Reg. cap. 17. 1. *Vivit Dominus DEUS Iſraël, in cujus conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, & pluvia niſi juxta oris mei verba*, & cap. 18. v. 45. *Cùmque ſe verteret huc, atque illuc, ecce cœli contenebrati ſunt, & nubes, & ventus, & facta eſt pluvia grandis.* Quòd ſi quæras unde tanta vis, & virtus in Elia, ut vel ipſi cœlo imperaret, non putes tantam auctoritatem fuiſſe in Eliam derivatam, niſi ab ipſa cultura caſtitatis: ſi enim Elias caſtitatem non coluiſſet, tot prodigia mundo non dediſſet, ut notavit S. Gregorius Nyſſenus *lib. de virgin. cap. 6.* inquiens: *Elias ob virginitatem quaſi DEI munerum quæſtor aliquis, cum ex poteſtate quadam cœli adminiſtrationem haberet illius, & peccatoribus obſtruendi, & iis, qui pœnitentiam agendo reſipiſcerent aperiendi poteſtatem habuit: non profectò ad eam magnitudinem perveniſſet, ſi nuptiæ eum corporis oblectamentis molliviſſent.* Nec mirum ſi ſuum caſtitas etiam in cœlis imperium exerceat; cum ſit & ipſa cœleſtis, & è cœlo in terris accerſita; ut terrigenos cœlitibus adſciſceret: D. Ambroſius lib. 1. de Virgin. appoſitè ad rem noſtram. *Virginitas è cœlo accerſivit, quod imitaretur in terris; hæc nubes, aëra, angelos, ſyderáque tranſcendens Verbum DEI in ipſo ſinu Patris invenit.*

Floret illibata virginitas, non ſolùm in 28
cunctis cœleſtis horti areolis, verùm etiam in ipſa Triade in ſinu æterni Patris, in quo ut

lilium

lilium puriſſimum vernat perpetua virginitas, è qua ſimul, ac in Patre æterno, & Filio Roſa germinat charitatis, & amoris in ipſo Spiritu Sancto, ut in tota Triade perennis triumphet virginitas amori nuptijs juncta intemeratis, & nonniſi olens lilij ſuavitatem, gratúmque virginitatis odorem; idque cauſæ, cur S. Gregorius Nazianzenus *lib. de Virgin.* cecinerit. *Prima Trias virgo eſt*; quapropter ſapientes illi, quæ nomina rebus impoſuerunt, caſtos voluerunt vocari cœlibes, quaſi cœlites, & cœleſtes; non ſolùm quia virginitas è cœlo in terris fuerit accerſita, ſed etiam, quia caſtitatis cultores, & cœlibes vitam in terris imitantur cœleſtem, vivúntque cœlibes veluti cœleſtes; & Virgines; propterea in ſummo ſemper fuerunt honore habiti; adeo ut olim Romæ ſi Conſules, Imperatores; imò & ipſi curru vecti triumphali, & victores urbem ingredientes, alicui Veſtali Virgini obviâſſent, de via decederent, primúmque honorem virginitati cederent, eámque ut quid cœleſte delapſum in terram venerarentur, quódque ſolis radium imitaretur, qui terreno immotaus lutui, hunc ita illuſtrat, ut nullam inde ſordem contrahat, nilque quod ejus deturpet candorem: quòd ſi virginitatis naturam intimiùs velis introſpicere, S. Cyprianus eam definit *ſumus humanæ ſubſtantiæ*, quia virginitas ita floret in terris, ut terrenæ neſcia conditionis, emortua vivere inter homines videatur; liberata quippe à carnis concupiſcentijs, à pravis affectionibus prorſus aliena, vivit veluti inter homines emortua, & licèt in carne floreat, nil tamen carnale ſapit; quia licèt in carne, veluti in exculta tellure floreat, eſt tamen, ut loquitur Climacus, *Exceſſiva naturæ abnegatio*, quatenus inconcuſſa fortitudine pugnans, ſimúlque & imperans motus omnes coërcet inſurgentis concupiſcentiæ, æſtus extinguit libidinis, impetus omnes compeſcit luxuriæ; ſenſus omnes dirigit, ne quid turpe contrahant, quod poſſit ſuum temerare candorem.

29 Sed quamvis emortua videatur in carne virginitas vivere, non otio marceſcit, & frigida jacet, ſed bellatrix ſurgit, & in caſtris caſtitatis ad victoriam pugnat: & quia contra ipſam inſurgunt interiùs, exteriùsque hoſtes perpetuum contra ipſos certamen init, & non ſolùm internos hoſtes, carnis ſtimulos, concupiſcentiæ motus, pravorum affectuum impetus expugnat; ſed etiam externos, quos mundus in ſuis illecebris, voluptatibus, & delicijs contra ipſam armat, & Cacodœmon falſis ſuggeſtionibus, ac tentationis aſſultu eam impetit, vincit, ac proſternit, quod cum non latuiſſet D. Hieronymum ſcribens ad Furiam epiſt. 10. ait: *Grandis eſſe virtutis, ac diligentiæ in carne non carnaliter vivere; ſecum pugnare quotidie, & inclusum hoſtem Argi ut fabulæ ferunt centum oculis obſervare*: hoc eſt in caſtris chriſtianæ militiæ quotquot baltheo caſtitatis ſuccincti pugnant, neceſſe eſt, ne cadant, animalia illa Apocalyptica imitentur, quæ plena erant oculis ante, & retro, adeo ut oculos præſeferant in manibus, ut videant, quæ tangunt; in pedibus ut videant, quò pergunt; in lingua, ut videat, quæ loquitur; in auribus ut videant, quod audiunt, an obſcœnum ſit, quod caſtitati obeſſe poſſit; debent & in tergore oculos habere, ut pericula, quæ caveant, prævideant, & præſertim in intellectu, ut videat, quid cogitet, ut ſi quid inhoneſti cogitationes ſecum deferunt, illico excutiant, coërceántque: debet & in corde oculos aperire, ut diligenter videat, quid deſideret, quidque amet, & ſi quid occurrat, quod lilium non oleat caſtitatis, ſtatim abigat: adeo multa ſunt pericula imminentia, quæ caſtitatis cultorem utrinque circumvallant, ut mille debeat jugiter oculos aperire, ne cadat, & ſibi jugiter caveat: quod cum noviſſet Tertullianus in caſtris chriſtianæ virtutis militem caſtum confert cum funambulo, qui tenuiſſimum funem pendente veſtigio ingreditur, ait ipſe lib. de pudicitia cap. 3. *Age tu funambule pudicitiæ, & caſtitatis, & omnis circa ſexum ſanctitatis, qui tenuiſſimum filum diſciplinæ ejusdem veri à via pendente veſtigio ingrederis, carnem ſpiritu librans, animam fide moderans, oculum metu temperans. Quid itaque in gradu tutus es? perge ſane, ſi potueris, ſi volueris, dum tam ſecurus, & quaſi in ſolido es.*

30 Sibi jugiter invigilat caſtitatis cultor, ut plura, quæ ex quavis parte pericula imminent, declinet, hoſtésque, qui eum adoriuntur, fortiter expugnet, & aſtra ipſa, in quæ caſtitas ſuum exercet dominium, ſuúmque extendit imperium in ſuppetias expoſcat, ut præſtitit Joſuë inſignis miles baltheo caſtitatis ſuccinctus, ut enim Amorrhæum proſterneret, ſolem, & lunam in copias accerſivit auxiliares, cùm enim Joſue fortiter pugnaret, mentem impellente Numine, ſolem ſtare juſſit, qui tunc ut in æſtivo ſolſtitio Gabaonem illuſtraret, imò & lunam, quæ contra vallem Ajaloniam jamjam illuceſcebat; utrumque ſydus ſuum ſiſtere motum juſſit, ſolem, ne properaret ad occaſum; & lunam, ne ulterius ſurgeret, ac pleniore radio noctem inchoaret: quidni? ad imperium Joſue, ſeu militis baltheo ſuccincti caſtitatis ſtetit ſol, ne ſtaret Amorrhæus. Occaſuro ſoli inclamavit dux caſtitatis cultor, ſol contra Gabaon ne movearis Joſue cap. 10. *Stetit ſol in medio cœli*, ſe exhibuit ſtationarium militem, quò ſtativam in caſtris Amorrhæorum fortunam proſterneret, metam diſtulit dici attingere, quò caſtitatis cultor inimicorum palmas ad poſtremum usque demeteret; paſſus eſt ſyderum princeps unjus ducis baltheo caſtitatis ſuccincti voce vinciri, quò veri Numinis vinceret, fugatétque perduelles: paruit imperio ducis utrumque ſydus, & prorogato ſplendore ſolis, quantum unjus æſtivi diei ſpatium conſuevit, ſuppeditante DEO vires potuit Amorrhæos rumpere, confligere, ſternere, ac interimere: neque ad finem deductus fuit con-

conflictus, quin priùs ad internecionem ſuſus eſſet Amorrhæus, & tunç ſol, cùm plenam vidiſſet, & apertam victoriam à Joſue delatam, diem ſuum clauſit, & luna ſuum reſumpſit curſum, noctiſque tenebras illuſtravit, ut clarior etiam in nocturna caligine appareret cultoris caſtitatis victoria. O prodigium! exclamat S. Bernardus expendens verba illa: *Stetit ſol in medio cœli &c. Obediente DEO voci hominis Joſue 10. O prodigium! O ſtupor! O dignatio nunquam in cœlis, vel terris audita! quòd Creator creaturæ, & DEUS obediat homini. Erubeſce cinis, DEUS ſe humiliat, & tu te exaltas. Erubeſce pulvis, DEUS obedit homini, & tu nec homini, nec DEO obedis.*

1 Adeo eſt DEO grata cultura caſtitatis in terra, ut in ſua vota DEUM ipſum flectat in cœlis. Exercuit tunc Joſue in cœlis ſuum dominium, cùm ſiſtere ſolem fecit, quia cælebs extitit, & à conjugij voluptatibus immunis; hoc eſt, cœlum ipſum regit, qui carnem ſuam in terris cohibet, & à carnalibus delicijs corpus coërcet. Obſervat S. Hieronymus *lib. 1. contra Jovinianum* Moyſi demortuo populum Iſraëlis parentâſſe non ſolùm lugubri apparatu, ſed etiam fuſu lachrymarum, ut liquet *ex cap. 34. Deuter.* Joſue verò, cum obijſſet, fuiſſe quidem ſepultum, ſed ſine planctu Joſuë 24. 29. *Poſt hæc mortuus eſt Joſuë filius Nun, ſervus Domini centum, & decem annorum, ſepelieruntque eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamnathſare, quæ eſt ſita in monte Ephraim*, & nulla fit mentio de lugubri apparatu, & de populi planctu, ſed ſimpliciter narratur, quòd fuerit ſepultus. Abſtinuit populus à pompa funebri, à lachrymarum fuſu in Joſuë ſepultura, quia cùm eximius fuiſſet caſtitatis cultor, & ſtrenuus miles baltheo ſuccinctus pudicitiæ, lugeri non debuit ejus obitus; neque ullo funebri apparatu funeſtari, quia ejus mors tranſitus fuit ad æternum triumphum. Moyſis verò funus rigatum fuit lachrymis, quia caſtitatis cultor non fuit, ut Joſuë, quod notavit S. Hieronymus *lib. 1. contra Jovinianum* inquiens: *Moyſes moriens plangitur à populo Iſraël. Joſuë autem quaſi victurus non plangitur, nuptiæ enim finiuntur in morte: virginitas poſt mortem incipit coronari*, quia virginitas ergo non moritur, ſed ejus mors tranſitus eſt ad vitam, & triumphum, planctu lugeri non debet, ſed in victoriæ teſſeram coronari: nuptiæ verò, quas Moyſes contraxerat, quia in morte, & ipſæ moriuntur, plangendæ erant, fuſûque lachrymarum rigandæ, ne ſepulchri cineres planè ſterileſcerent, ſed flores alios, quos Moyſes excoluit, enutrirent: Joſuë, quia non ſolùm cœlebs fuit, ſed & virgo planctum, & lachrymas exiccavit in terra, cùm ad æterna gaudia eſſet migraturus[9].

32 Rectè igitur caſtitas coronatur in argumentum dominationis, in ſignum imperij, quod non ſolùm in homines, & bruta in terris, ſed etiam in elementa, & nubes in Elia, & aſtra ipſa in cœlis cum Joſuë exercet, quia adeò eſt potens, & amplum caſtitatis imperium, ut in cunctas videatur creaturas extendi, quæ eidem obediunt oblitæ propriæ naturæ, ut ignis, qui in fornace babylonica tres pueros adhuc virgines non fuit auſus lædere: ut leones, qui in lacu Danielem, caſtitatis cultorem, neque famelico dente læſerunt, neque acuto ungue tetigerunt; ut nubes, quæ ad imperium Eliæ à pluvijs in terram demittendis abſtinuerunt, & præcipiente eodem concupitos imbres effuderunt: ut in cœlis aſtra, quæ præcipiente Joſuë ſuos coërcuerunt curſus, ac ſteterunt, donec cultor caſtitatis, dux baltheo virginitatis ſuccinctus pugnans hoſtem proſterneret, & ex illius lapſu victor ſurgeret: ex quo liquet, tantæ eſſe virtutis, & dignitatis, ac præſtantiæ caſtitatem, ut eidem obediant creaturæ omnes in terris, aëre, & cœlis: nec mirum cum DEUS cuncta terræ animantia, cœlique volucres adduxerit ſub mundi initio ad Adam, ut videret, quid vocaret ea. *Geneſ. 2. v. 19.* cum ad pedes Adæ cuncta animantia fuiſſent adducta, ejus fuerunt, & dominium faſſa. Sed ſi quæras, quonam tempore animantia ſe Adamo ſubjecerint, ejúſque noverint dominium: non credas id contigiſſe poſt nuptias cum Eva initas; ſed id obtigiſſe cum adhuc virgo eſſet Adamus. Non fuit hoc dominium Adamo impertitum, poſtquam uxorem duxit, & fœminæ adhæſit, liberóſque procreavit, ſed cum adhuc eſſet virgo, ut inde virginitatis privilegium probaretur, & caſtitatis prærogitiva illuſtrior clareſceret. Eſt ſiquidem caſtitas flos paradiſi, Cœlitibus vel maximè gratus: ab hac caſtitatis cultura ea germinant lilia, inter quæ cœleſtis ſponſus paſcitur, & quibus coronatur, neque unquam marceſcunt, ſed jugiter vernant, verúmque emittunt odorem: quinimò ſi in cœlis cultores caſtitatis ſyderum roſas, charitatis ſplendore purpureas vocares, & lilia roſis adderes, ut utroque flore coronentur cœlibes, & virgines à veritatis ſcopo non errares: ſtellæ ſunt virgines, quæ vel noctu vigiles nos erudiunt, neque in firmamento ſatas, ſecuras efflorеſcere roſas ſine vigilantia, ſoliſq; præſentia: ſicut enim ſuos ſydera à ſole nitores hauriunt, quibus ſplendent; perinde caſtitatis cultores, & virgines à divino ſole radios ſupernæ gratiæ recipiunt, quibus & illuſtrantur, & corroborantur: ſunt propterea virgines veluti ſtellæ, quæ lucebunt in perpetuas æternitates, & quibus DEUS ipſe nomen indidit, ac earundem dignoſcit nomina, unde ajebat David Pſal. 46. 4. *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat*: quàm felices ſunt cœlibes, quàm beati caſtitatis cultores! quorum nomina altiùs DEI memoria impreſſa ſervantur.

Quòd ſi exculta caſtitas perinde ac ſydus in cœlis coruſcat, in terris eam dixeris pretioſam margaritam, cui candor incrementum addit pretij, & ad eam ſibi comparandam cœleſtis ipſe negotiator in terram deſcendit, ut videtur innuere D. Gregorius Nyſſenus *lib. de virgin. cap. 2.* inquiens: *Quæ DEI Verbum ad-* 33

veiſſe

veniſſe demonſtrâſſet, ſola caſtitas idonea fuit. In pretium hujus margaritæ cœleſtis ſponſus theſauros proprij ſanguinis ſolvit, cùm eundem fudit in cruce, ex qua tot ſecum in cœlum redux traxit margaritas, quot virgines, & caſtitatis cultores, qui ſecuri ſunt agnum *Apocal. cap. 14. 4. Ii empti ſunt ex hominibus primitiæ DEO, & agno. Sine macula enim ſunt ante thronum DEI.* Quòd verò hi empti ex hominibus ſint virgines, & caſtitatis cultores, edixerat paulò ante Joannes. *Ii ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati virgines enim ſunt: hi ſequuntur agnum, quocunque ierit.* Quàm pretioſa eſt caſtitatis margarita, quàm pellucidus, & gratus ejus candor: qui cœleſtem ipſum negotiatorem è ſummo cœlo traxit in terram, ut eam ſibi compararet, pretiúmque ſui ſanguinis dedit, fuditque in terris, ut hanc pellucidam gemmam, hanc ſibi gratiſſimam margaritam à ſe emptam deferret in cœlum: hoc eſt, unde ſuam originem caſtitas in cœlis traxerat, ſuum reperit ibi natale ſolum mortis neſcia, cùm vivere in cœlis incipiat, cùm vita ejus deſinit in terris.

34 Quòd ſi inter gemmas margaritæ caſtitas pariatur; inter cœli volucres ſimilis non abs re Phœnici aſſeritur: eſt caſtitas velut Phœnix: ſiquidem Phœnix ne ſeneſcat, & mortuus putreſcat, expanſis alis ignem excutit, flammas accendit, è quibus repueraſcens ſurgit formoſior, exitque robuſtior, vitámque ex ipſis flammis haurit illuſtriorem: cùm enim perit flammis abſumptus, ſeipſum Phœnix parit: perinde caſtitas ne putreſcat, & moriatur ſeneſcens, divini amoris alis flammas accendit charitas, è quibus formoſior ſurgit, avolátque in cœlum æternùm victura, quia ut ait Nazianzenus: *Sola vita, quæ puritatem colit firma, & ſempiterna eſt.* Debebatur privilegium immortalitatis caſtitati, quæ Angelicæ particeps conditionis ejus cultores Angelos in terris carne veſtitos efficit, ut innuit S. Chryſologus *ſerm. 143.* inquiens: *In carne præter carnem vivere non terrena vita eſt, ſed cœleſtis; & ſi vultis ſcire, angelicam gloriam acquirere, majus eſt, quàm habere. Eſſe Angelum felicitatis eſt; virginem eſſe virtutis:* ita caſtitatis cultores in terris carnem induunt, ut hanc veluti ſpiritualizent exercitio virtutis, quia ut ait D. Chryſoſtomus homil. 8. in Geneſ. *In terra ambulantes, & corpore circumdati angelicam vitam imitantur:* tanta eſt caſtitatis prærogativa, ut à corporum craſſitie ſuos liberet cultores, qui quaſi nullo corporeæ molis pondere preſſi Angelis aſſociantur, ad quod tamen ſine DEI ope, & ſpeciali Numinis patrocinio non pervenitur, cùm *Sapientiæ 8. v. 21.* dicat Sapiens: *Scivi, quòd non aliter poſſum eſſe continens: niſi DEUS det, & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire, cujus eſſet hoc donum.*

35 Quinimò adeo cultores caſtitatis DEO placent ob florem, quem excolunt, ut ſpeciatim eorundem DEUS eſſe velit, ac dici; cum Rahab mulier, quia libidinum fœditatibus coinquinata, DEUM non ſuum, ſed Hebræorum eſſe dixerit; eò quia cùm noviſſet Hebræos Exploratores, quos hoſpitio ſuſceperat caſtitatis culturæ addictos, eorum DEUM eſſe verum Numen, faſſa eſt Joſue 2. 11. *DEUS veſter ipſe eſt, DEUS in cœlo ſurſum, & in terra deorſum:* ſed ſi Rahab jam reſipuerat, & è chloaca libidinum emerſerat, & Hebræis favebat, cur Hebræorum DEUM ſuum eſſe Numen non edixit? quia nimirum cùm veluti glorietur DEUS, eſſe virginum, ac cultorum caſtitatis DEUM, ſéque noviſſet libidinibus coinquinatam, & meretricio quæſtu antea vixiſſet, auſa non fuit caſtitate deſtituta DEUM Hebræorum ſuum vocare, appoſitè S. Cyrillus Alexandrinus: *Suum dicere non audebat, quia impuram ſe ſentiebat,* quia DEUS virgines, & caſtitatis cultores ſpeciali amore proſequitur, quos perinde, ac coruſcas ſtellas per nomina vocat, ideò Rahab, quia mulier impudica rata proprium nomen deletum è DEI memoria, non fuit auſa DEI nomen ſibi arrogare, eúmque ſuum aſſerere, qui caſtorum eſt DEUS, quaſi ignoret DEUS, vel diſſimulet neſcire impurorum nomina: & id fortaſſis cauſa, cur cùm juſſiſſet Dœmonium ab homine exire, de nomine illum interrogaverit Marci 5. v. 9. *Exi ſpiritus immunde ab homine, & interrogabat eum: quod tibi nomen eſt.* Sed ſi omnia adeo explorata DEO ſunt, ut ejus ſcientiam non poſſit quidquam ſubterfugere, cur interrogat de nomine cacodæmonis? an quia immundus erat, ac ſpurcitijs libidinum, quas alijs ſuggerebat involutus, ejus nomen neſcivit? ita eſt, cùm libidinem oleret, neſcire diſſimulavit, quia quem immundum DEUS cognoſcit, hunc DEUS ignorat, quo pacto etiam virginibus fatuis, quæ cœli januas ſibi reſerari expoſcebant, reſpondit Matth. 25. 12. *Neſcio vos:* quia ut ait Theodoretus: *Si caſtas virgines agnoviſſet, aditum non potuiſſet petentibus denegare.*

Caſtitas eſt, quæ fœminas non ſolùm 36
ornat, ut DEO placeant, eáſque ſuas eligat ſponſas, ſed etiam ijſdem vires ſuppeditat, ut eò glorioſiores hoſtes vincant, quò in cultura caſtitatis ſunt diligentiores. Obſidione Bethuliam cinxerat Holofernes, hoc eſt, caſtitatem oppugnabat Judith. 8. 1. *Præcepit Holofernes, ut aſcenderent contra Bethuliam, Bethul* hebraicè *virginem* ſonat; quam ut everteret, & ad deditionem adigeret, aquarum rivulos, è quibus Bethulienſes frigidos conſueverant latices haurire ſiti extinguendæ peridoneos, aliò divertit, cunctóſque aquæductus deſtruxit, cumque cives intus in urbe animo cecidiſſent, una ſurrexit cultrix caſtitatis vidualis Juditha, quæ laſciviam oppugnatura, & patriam liberatura, non alijs munita armis, quàm à cultura caſtitatis mutuatis egreditur è civitate obſeſſa nocte intempeſta, bellum ipſa indictura Holoferni, quem proſtravit, vicit, cujus amputatum caput in urbem detulit obſeſſam, quam vendicavit ab hoſtium circumvallatione, fugato, diſſi-

patóque Aſſyriorum exercitu; ſcitè S. Fulgentius epiſt. de ſtatu viduali ait, loquens de Juditha: *Egreditur caſtitas oppugnátura laſciviam, & ad interitum ſuperbiæ humilitas ſancta procedit; ille pugnabat armis, iſta jejunijs; ille ebrietate, iſta ſobrietate; ille gladio, iſta oratione. Igitur quod omnis Iſraëlitarum populus facere non potuit ſancta vidua caſtitatis virtute perfecit.* Tanta eſt caſtitatis prærogativa, ut in Juditha dominium ſtatim in Holofernem enacta fuerit, fecit mulier ſui juris Aſſyriorum Ducem, & caput totius exercitus pedes fœminæ proterverunt Judith. cap. 9. *Sandalia ejus* (ſcilicet Judithæ) *rapuerunt oculos ejus*, ſeu Holofernis: adeò potens eſt caſtitas, ut vel in muliere pedibus caput ſibi ſubjiciat illius, qui toti Iſraëli timorem incuſſerat; calcei, quibus humum terimus, lutum calcamus, ac ignobiliſſimam corporis partem contegimus, oculos rapuerunt Tyranni, quem dominatui ſubjecêre caſtitatis, & terror hebraicæ gentis captivus vincitur à fœminæ crepita: fuit Juditha huic Prometheo Caucaſus, ad quem ſuis vinctus tenebatur libidinibus, & à pedibus fœminæ victus, ac conculcatus: ſed parta victoria exculta debetur Judithæ caſtitati, quæ & Holofernem ſibi ſubjecit, & coronam ſibi texuit ex lilijs puritatem olentibus, adeò ut meruerit caſtitas in Juditha coronari in ſignum imperij, in argumentum dominationis, quam in Holofernem enacta fuit per pedum integumenta. *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus*, ſeu involucra pedum irretierunt caput, ſibíque ſubjecerunt Aſſyriorum Bethuliam obſidentium.

37 Ubi virginitas militat, etiam viri fortitudo eidem ſubjicitur, cujus dominio cedit *Geneſ. 21. v. 12.* alloquens DEUS Abrahamum ait: *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus.* Quid? quòd DEUS injungat Abrahamo uxori Saræ obtemperare, eique ſubjici? ſi mulier eſt, quæ viro ſubditur, cur Abrahamo præcipitur Saræ uxori obedire, & ejus verba audire, & mandata exequi: an non naturæ ordo invertitur? quo cúm debeat homo præeſſe, nunc ſubeſſe mulieri adigitur: undénam tanta prærogativa in Sara uxore, ut debuerit ſibi ſubjicere maritum? præſertim cùm ejus virtus, ac bellica fortitudo ob delatas victorias ex proſtratis pluries hoſtibus illuſtrior mundo clareſceret: ita eſt Sara uxor dominium, imperiúmque enacta fuit in Abrahamum maritum ob caſtitatem ab ipſa excultam; non fœminæ natura, & conditio virum ſibi ſubjecit; ſed excultæ caſtitatis præeminentia imperium fuit in virum enacta. Audjerat Sara Angelum, quem hoſpitem habuit, ſibi filium promittentem, quem tamen Sara riſit memor caſti propoſiti, quo caſtitatis culturæ ſe noverat addictam, quapropter Angelo promittenti prolem repoſuit illa Geneſ. 21. 13. *Poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo?* ægrè Sara à propoſito caſtitatis ſe abducere poterat, tametſi DEUS per ſuum nuntium etiam in ætate illa ſenili prolem ſponderet: & ideo caſtitas fuit, quæ in Sara dominium quodammodo acquiſivit in virum, qui ideo ſubjicitur uxori, cujus vocem audire, & mandata exequi præcipitur, quia non adeò cuſtos fuit caſtitatis ſicut Sara, ſiquidem antequam uxorem duxiſſet Saram, jam cognoverat Agarem, ex qua Iſmaëlem conceperat. Huc flectendus S. Petrus Damianus *epiſt. 137.* inquiens. *Quibus utique verbis perſpicuum eſt, Saram jam tunc caſtitatis tenuiſſe propoſitum. Et poſt hoc dixit DEUS ad Abraham omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus, ecce, cui priùs Abraham imperaverat, & dominus dicebatur, jam illi per caſtitatis meritum obedire præcipitur, ut ejus verbis jam in cunctis obediat.* Ita eſt: adeò ſublimis eſt excultæ caſtitatis prærogativa, ut ſupra ordinem naturæ emineat, & in fœmina floreſcens virum ſibi ſubjiciat, & revera dignus imperio eſt, qui caſtitati famulatur, ejúſque culturæ addicitur: regio eſt dignus diademate, qui caſtitatis ſplendore incedit ornatus, quia cùm ad normam honeſtatis affectus omnes concupiſcentiæ dirigat, ne à recto virtutis tramite declinent, meretur & alios regere, regiáque donari corona, cæteríſque præcellere.

Quidni? non ſolùm exculta virginitas maritum ſibi ſubjicit in muliere, verùm etiam ipſum DEI filium hominem factum, tanta enim fuit Virginis Matris puritas, & in Joſepho marito exculta caſtitas, ut tantæ virtuti voluerit DEI filius noſtra indutus humanitate ſubjici Luc. cap. 2. 51. *Et erat ſubditus illis.* Non igitur mirum, ſi ob continentiæ propoſitum Abraham jubetur Saræ uxori ſubjici, ejúſque verba audire, & mandata exequi, cùm vel ipſe filius DEI voluerit in terris ſe ſubjicere caſtitatis cultoribus. Bne meruit puritas Virginis coronari ſtellis illis duodecim, quas Joannes vidit in ſua Apocalypſi coronam texere Virgini, cùm etiam viderit eandem adeò eminere ſublimem, ut luna ejus ſubjiceretur pedibus Apocal. 12. 1. *Et luna ſub pedibus ejus;* quia exculta caſtitas coronam meretur, & imperium in reliquas creaturas, quas ſibi ſubjicit. Meruit ſtellis coronari virginitas, quæ accenſo, ac ſplendenti pariatur lumini inextinguibili tamen, ſi oleum non deſit culturæ: eſt virginitas exculta in carne mortali, perinde ac lampas accenſa nocturnis in tenebris, quæ ubique ſuos delegat nitores, & clarior ſplendeſcit: & quia virgines fatuæ parum curârunt hujus lampadis ornatum, & per negligentiam culturæ oleo ſe noverunt deſtitutas, clamârunt Matth. 25. *Lampades noſtræ extinguuntur*, hoc eſt, quia defecerant in cultura caſtitatis, ſplendor lampadarum extinguebatur: Secus virginis Matris puritas, quia ſemper diligentiſſimè exculta, ejus lampas clariſſimo ſemper enituit ſplendore, cæteríſque præluxit virginibus, nec unquam fuit ſplendor diminutus, ſed jugiter adauctus, quia pietatis oleum nunquam ei defuit, quod & ſuum etiam ſubivit incrementum, quapropter Proverb. 31. 18. dicitur. *Non extinguetur* 38

guetur in nocte lucerna ejus. Eſt caſtitas lucerna, quæ die, noctúque juſſu DEI ardere debuit, ac ſplendere in templo Exodi 17. Hanc lampadem fuiſſe ſymbolum caſtitatis à Virgine Matre excultæ aſſerit Bernardinus de Buſtis part. 9. ſerm. 4. inquiens: *Ubi præcepit DEUS, quòd in templo ſemper lucerna arderet, quæ nunquam extingui deberet. Hæc lucerna fuit B. Virgo, quæ ſemper permanſit accenſa coram divino altari, & nunquam fuit extincta, ſed ſervavit lumen divinæ gratiæ præbendum viatoribus unde poſſint videre viam ſalutis.*

39 Imò dixerim Virginem Matrem templum totius Trinitatis, & Sanctitatis, & in hoc templo lampadem caſtitatis jugiter amorem charitatis arſiſſe, ac die, noctúque ſplenduiſſe, & hoc templum ſibi DEUM ipſum conſtruxiſſe per Joachim, & Annam ſuos Operarios, quod videtur prædixiſſe Iſai. cap. 66. v. 1. *Quæ eſt iſta domus, quam ædificabitis mihi.* Quòd ſi pudicum corpus DEI templum eſt, multò magìs anima, quæ templum corporis non tantùm fulcit, ne cadat, ſed etiam ornat, quò ejus venuſtas magis placeat, ſi præfertur anima corpori, multò magìs ornatus animi præferendus eſt, unde D. Ambroſius l. 2. de virginibus ait: *Si corpus virginis DEI templum eſt, Animus, quid eſt, qui tanquam membrorum cineribus excitatis ſacerdotis æterni redopertus manu vaporem divini ignis exhalet:* virtus animi non ſolùm fundamentum eſt, quo templum corporis caſti nititur, ſed etiam lampas, quâ illuſtratur, imo & ſuffitus cœlitibus gratiſſimus, ex quo nonniſi caſtæ evaporent cogitationes, quæ veluti aromatum odores ſurſum aſcendunt. Quod ſi corpus Virginis, in quo cultura floret caſtitatis, templum dicitur DEI; multò veriùs de virgineo Mariæ corpore adſtrui id debet, cùm in ejus utero ſuum Verbum æternum domicilium conſtituerit, & canat Eccleſia: *Creator generis humani animatum corpus ſumens de Virgine natus eſt.* Cujus templi ſtructuram, magnitudinem, & ornatum, cùm fuiſſet admiratus S. Proclus *orat. 1. in laudem DEI Genetricis exclamat: O uterum, in quo confectus eſt communis noſtræ libertatis libellus. O ventrem, in quo adverſus mortem fabricata ſunt arma. O templum, in quo DEUS ipſe factus eſt Sacerdos, naturam non demutans, ſed eum, qui eſt ſecundùm ordinem Melchiſedech, per miſericordiam induens.*

40 In hoc virgineo templo DEI filius ſacerdos effectus, ne hoſtia deficeret, cujus ſacrificio humanum genus DEO Patri reconciliaret, ſe ipſum victimam obtulit immolandam in ara crucis: in hoc templo virgineo ſacerdotio voluit initiari, ut à Virgine initium noſtræ ſalutis cognoſceremus. Quòd ſi olim DEUS templum Salomonis ſanctificaverit, ut orantes in loco illo DEUM flecterent in ſua vota, ac divinis cumulari beneficijs debitas bonorum omnium largitori grates rependerent. 2. Paralip. 7. 15. & 16. *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ*, ad orationem ejus, qui *in loco iſto oraverit; elegi enim, & ſanctificavi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Quòd ſi orationes olim fuſæ in Salomonis templo audiebantur à DEO, & orantes exaudiebantur, quantò magìs, quæ in templo virgineo funduntur preces, & ad Virginem Matrem diriguntur, vim obtinebunt DEUM flectendi in vota precantium? in hoc enim templo oculi DEI ſemper ſunt aperti, ut miſerias noſtras oculatiſſimè prævideat, illiſque provideat, ne ijsdem angamur, ac premamur: in hoc templo aures habet erectas, ut eorum preces exaudiat, qui hoc Marianum templum ingrediuntur, in quo preces fundunt, opémque petunt, appoſitè Richardus à S. Laurentio *lib. 2. de Laudib. Virg. cap. 5.* ait: *Maria deſignata eſt templum Salomonis, de quo dicit Dominus 2. Paralip 7. Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erunt erectæ ad orationem ejus, qui in loco iſto oraverit: elegi eum, & ſanctificavi locum iſtum.*

Tunc elegit ſibi templum, cùm Ma- 41
riam in Matrem ſibi delegit; templum ſanctificavit, cum ipſam inhabitavit; ornavit, cùm virtutes MARIÆ promovit; in hoc templo apertos ſemper oculos habet DEUS, ut noſtras aſpiciat indigentias, nobiſque opituletur, aures ſemper habet erectas, ut noſtras audiat preces, & vota exaudiat, ſi animæ, ac ſaluti ſint profutura, ſed quid? quòd DEUS dicatur priùs oculos aperire, & poſtea aures? *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ*, ſi in templo preces funduntur, aures pulſant, ut audiantur, non oculos tangunt, ut aperiantur, cur priùs dicitur oculos aperire, quaſi fuſius precum oculos excitaret? quia nimirum per apertos oculos vult noſtras indigentias videre, & quibus indigeamus prævidere, ut noſtras poſtea preces audiat; quia plerumque ea petimus, quæ petentibus magìs obeſſent, quàm prodeſſent, & ideo priùs oculos aperit, ut juxta noſtram exigentiam, & ut ad ſalutem promovendam ducunt, videat, & poſtea exaudiat, quia ſi priùs audiret, & exaudiret, plura, quæ nobis obeſſent, juxta petita concederet, quapropter, ne nobis obſint, quæ petimus, oculos priùs aperit, ut videat, ſi proſint: ſed ſi priùs oculos aperit, & poſtea aures erigit, cur iterum oculorum tantùm meminit, & non ampliùs aurium? ſed locò aurium cor ſubſtituit, inquiens: *Et permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus:* Quia non oſcitanter, & perfunctoriè tantùm uti ſolent plerúmque viri Principes preces audire ſubditorum, ſed ex corde bene affecto, & ex animo attento, adeo ut non ſimpliciter preces audiat, ſed ut exaudiat, ſi per apertos oculos viderit petita nobis prodeſſe.

Quòd ſi olim in Solymæo templo Thy- 42
miama deeſſe non debuit ex unguentis pretioſioribus, & aromate compoſitum, ut omnia in templo ſuaviter olerent Exodi 30. v. 34. Non credas in templo animato DEI Matris ſuaviſſimos virtutum omnium odores defuiſſe, cùm flores earundem diligentiſſimè

ex-

excoluerit, & florem ipſum campi, liliúmque convallium proprio foverit in ſinu, in quo per menſes novem effloruit, pulchrè D. Baſilius Seleuc. orat 39. *Dominus tecum, quia templum exiſtis verè DEO dignum caſtitatis aromatibus bene odoratum*, nunquam aromata caſtitatis, nunquam ſuavolentia virginitatis imminuta in hoc templo fuit, ſed ſemper adaucta, neque ob filij partum quidquam fuit virginitas detrimenti paſſa, ſed incrementa ſubjit ſplendoris, quia qui ſibi templum ſacravit, illud & cohoneſtavit, & puritate ornavit, ne unquam ſuavem exhalare odorem hoc in templo virginitas deſiſteret: quinimò adeo perfecta, ac pulchra effloruit in hoc templo Mariano Virginitas, ut ex ipſis parietibus ex virginea carne odor foras dimanaverit, ut cenſuit Dionyſius Chartuſ. *lib. 1. de laudib. Virgin.* inquiens: *Cur non putetur credibile, quòd virginea ejus caro dulcem ſit ſortita odorem?* quia nihil terreni ſapuit, nonniſi cœleſtem potuit ſuavitatem exhalare.

43 Quòd ſi lilium caſtitatis ſacra templi altaria ornare debet, & per ſingulas templi partes ſuum exhalare odorem; cultores hujus lilij ſint ſacerdotes, aliíq; præſertim Numinis addicti obſequijs, ut hoc lilio bene Cœlitibus oleant. Eccleſiaſtici, qui præeminent dignitatibus, cæteriſque imperio in eccleſia præſunt, hoc neceſsè eſt, lilio floreant: digna enim ſola eſt caſtitas, quæ præeſſe, ac imperare debet, cum id haud obſcurè DEUS ipſe innuerit, cum ſuis Iſraëlitis præcepiſſet agnum comedere, modum etiam comedendi eos edocuit Exod. 12. n. 11. *Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus.* Sed cur baculis voluit DEUS Iſraëlitas fulciri? quia baculum in manibus accipere, paſtoralem indicat dignitatem; ergo paſtorali dignitate in eccleſia inſigniri, neceſsè eſt, lumbos præcingant, ſeu concupiſcentiæ motus compeſcant, libidinis impetus coërceant; caſtitatem indemnem ſervent, ac tueantur: renes enim, & lumbos accingere argumentum eſt excultæ caſtitatis: hinc D. Gregorius expendens verba Luc. 12. *Sint lumbi veſtri præcincti*, ait ad rem noſtram: *Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus*: ſi igitur renes ſunt præcincti caſtitatis baltheo, dignæ ſunt manus pedum, ſeu paſtorale tenere, ſeu ut cultores caſtitatis dignitatibus præficiantur eccleſiaſticis: perinde eſt caſtitatem excolere in renibus, ac manus aptare ad paſtorale; iterum accerſendus S. Gregorius *loc. cit.* ſubdens: *Tenentes baculos in manibus, quia illi debent curam paſtoralem ſuſcipere, qui jam in ſuo corpore ſciunt fluxa luxuriæ domare.*

44 Lumbos, qui baltheo præcingunt caſtitatis, rametſi ætate juniores, digni ſunt, ut provectioribus, ſenióque confectis præſint, ſi minus fuerunt culturæ addicti caſtitatis; præfuit enim Daniel adoleſcens, quia caſtus ſenibus illis judicibus, qui libidine inſanientes Suſannæ innocentiam mortis ream damnârunt. Ducebatur Suſanna ad ſupplicij locum, non alio rea flagitio, niſi quis ſceleri aſſentiri detrectaverit, cum frequentior eſſet cœtus ſpectentium, prodjit in medium Daniel annis tunc non ampliùs duodecim, qui divino concitatus ſpiritu, palam redarguit ſenum Judicum injuſtitiam, séque ab iniqua cæde alienum eſſe; petiitque propterea retexi judicium, & de cauſa exactiùs cognoſci. Miratur populus prudentiam, ac verba adoleſcentis loquentis ſupra ætatem, ei injunxit cauſam retexere, ac verum ferre judicium; En Daniel licèt ob tenellam adhuc ætatem non potuiſſet reſiſtere, eligitur Judex, præfertur ſenibus, quos adoleſcens ſuum integriùs obiturus munus, juſſit in diſtincta ſecedere loca, cumque ſeorſim interrogâſſet ſub quánam arbore Suſanna flagitium patrâſſet, & unus reſpondiſſet ſub *Schino*, ſeu Lentiſco reſinam exſudante; & alter aſſereret ſub *Prino*, éſtque arbor ex genere ilicum; Daniel coram omni populo apertiſſimi mendacij eos redarguit, utrumque calumniæ convincit criminis, condemnat; & eadem, quam perjuro teſtimonio meruerant, pœnâ, & lege talionis conſentiente populo uterq; punitur, ſicque laſcivi judices locum adoleſcenti pudico ceſſerunt; & exculta caſtitas juvenem, ac impuberem ſenioribus prætulit, qui pudicitiæ fuerant inſidiati, cui, & bellum indixerant: appoſitè S. Zeno Veronenſis *lib. de pudicitia* ait. *Eſt enim tantæ virtutis, ut honorabilis ſit etiam ſuis hoſtibus:* caſtitatis baltheo præcinctis poteſtas ineſt diſcinctos omnes etiam inferorum proſternendi; ac ægritudines curandi; quia ubi caſtitas floret, ibi corpora vigent Matth. 10. 1. *Dedit illi poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem.* Ubi Apoſtoli caſtitatis cultores poteſtatem à Magiſto Chriſto acceperunt ſupra omnes ſpiritus immundos, ac diſcinctos; ægritudines etiam, & languores expulerunt; quia caſtitate florentes imperium exercent etiam in morbos humana corpora corrumpentes; & in dœmones ſatagentes hominem per lubricos libidinum tramites perducere.

Idque cauſæ, cur etiam Ethnici pluri- 45
mi fecerint pudicitiam, quam & in ſingulari voluerunt honore haberi; & impudicitiam perinde, ac ſummum dedecus abominati fuerint. Præclarus apud Ethnicos caſtitatis cultor commendari ſemper conſuevit Spurina adoleſcens Etruſcus, quem ob elegantiam formæ plures deperjerant fœminæ, à quibus ſollicitatus ad turpia, ne candorem denigraret excultæ caſtitatis, maluit inflictis ſibi vulneribus genas fœdare, & fuſu cruoris delere venuſtatem, quæ alijs occaſio erat inſurgendi contra lilium caſtitatis, quod hactenus excoluerat, quodque ne exareſceret in æſtu libidinis proprio irrigavit ſanguine; & cicatricibus venuſtiſſimam faciem deturpans, cultro & vulneribus, quaſi ſepe delicatiſſimum florem circumdedit, quò tutiùs impoſterum efflorerer. Spurinam ob cuſtoditam fortiter caſti-

caſtitatem laudat Valerius Maximus. Fuit egregius caſtitatis cultor Damacles etiam apud eosdem Ethnicos: adoleſcens ſiquidem à laſciviente Demetrio in balneo circumventus aperto efferveſcentis lebetis ore in ebulliente aqua inde exiliente reſupinatum corpus aduſſit, ne caſtitas naufraga periret in unda; & maluit ipſe mori; ne unquam exculta ab ipſo caſtitas intermoreretur; ſed vegetior viveret, ut refert Plutarchus in vita Regis Demetrij. Non ſolùm mares; ſed & fœminæ maſcula munitæ fortitudine voluntariam mortem appetierunt vitam ſervaturæ caſtitati, ut Græca mulier Hippone, quæ cum captiva è manibus non poſſet militum elabi; è navi, quâ vehebatur, ſe præcipitem marinis fluctibus dedit; & vitam maluit in aquis extingui, ne extra aquam pudicitia naufragaretur, ut narrat Valerius Maximus *lib. 6.* Recenſet etiam Roma ſuas Lucretias; commendat ſuas Veſtales, quæ caſtitatis culturæ addictæ tanto fuerunt in honore habitæ, ut ſi fortè Veſtalis aliqua Virgo ad locum deveniret, quo reus eſſet morte plectendus; vel ſi fortè tranſiret per plateam, in qua duceretur reus; veluti abſolutus dimitteretur libertate donatus; quaſi ſplendor caſtitatis umbras omnes rum ſcelerum, tum mortis excuteret; quam tamen Juditha Hebræorum heroina invexit citra ſceleris ſuſpicionem, cum Aſſyriorum funeſtavit exercitum in amputata Holofernis cervice, ut uno, eodémque ictu caput ſtrategi, ſimúlque Bethuliæ ſolveret obſidionem: ſi enim quæras, quibus munita armis fuerit Juditha Holofernem agreſſa; non credas hæc ab alia mutuâſſe panoplia, quàm ab illa caſtitatis Judit. cap. 10. 3. *Induit ſe veſtimentis jucunditatis ſuæ, aſſumpſitque dextrariola, & lilia.* Ubi textus Chaldæus legit: *Aſſumpſit ornamenta liliorum plena, ornamenta in modum liliorum facta.* Ornamenta Judithæ plena fuerunt liliorum, quæ ſymbolum præſeferunt excultæ caſtitatis; unde caſtitas fuit, quæ Juditham armavit contra Holofernem. Caſtitas fuit, quæ pugnavit, & ſtrategum expugnavit, quæ victoriam dedit, & Bethuliam vindicavit. Quòd ſi cœleſtis ſponſus lilijs delectatur, inter quæ paſcitur Cant. 2. 16. *qui paſcitur inter lilia.* Adfuit pugnanti Judithæ lilijs ornatæ, DEUS, qui opem tulit, ut eò glorioſior triumpharet, quò cultura caſtitatis eſſet clarior.

46 Quòd ſi cœleſti ſponſo lilium placet excultæ caſtitatis, & adeò lilijs delectatur, ut nonniſi inter lilia paſcatur; voluerítque lilium candore, ac celſitate alios præcellere flores; maximè tamen averſatur, quæ huic lilio adferunt detrimentum: Hinc Luxuriam, cujus æſtu lilium exareſcit, abominatur. Eſt luxuria perinde, ac corvus ex Noëtica arca egreſſus, qui innatantibus delectatus cadaveribus maluit ijsdem adhæreſcere, quàm reverti in Arcam Geneſ. 8. 6. *Dimiſit corvum, qui egrediebatur, & non revertebatur.* Secus columba ſymbolum præſeferens caſtitatis cadaveribus nec pedem fixit, ſed perniciſſimo volatu ad arcam fuit reverſa. Luxuriâ, qui trahi ſe ſinit, dimiſſâ continentiæ arcâ corvum imitatur, quatenus carnalibus adhæreſcens delectationibus, iiſque immorans in illis etiam moritur, & arcam non ampliùs ingreditur ſalutis. Neque à Venereis delectationibus quid aliud expectari poteſt, quàm excluſio ab arca, à ſalute, à DEO. Balach, quia DEO contrarius, impoſuit Balaamo inſcendere verticem montis Phogor Num. 23. 28. *Cumque duxiſſet eum ſuper verticem montis Phogor.* Quid? quòd Balach, quia DEO contrarius adeo ſolicitus ſit, ut Balaam montis aſcendat cacumen? an ut fugeret, omitterétq; cultum, qui DEO præſtabatur in exporrecta planitie ad montis radices; ſi DEO erat contrarius ejus cultum iminuere forſan ſtuduit? Sed non quia cultus tunc ſolemnis DEO inſtituebatur in montis inferiore planitie, ſuaſit Balach Balaam aſcenſum in verticem montis: ſed quia ut obſervat Origenes homil. 17. *Phegor* interpretatur *delectatio*; & in vertice delectationis, & luxuriæ non poteſt libidini adhæreſcens non indulgere carni, ſéque à ſummo bono avertere; & in extremum delabi malorum; quos enim luxuria per carnis blandimenta illicit, in perniciem vehuntur non ſecus ac Abſolon, qui à mulo, cui inſederat, & quo vehebatur, ductus ad patibulum fuit, in quo pependit 2. Reg. 18. 9. *Cùmque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum, mulus, cui inſederat, pertranſivit.* Quid Abſolon repræſentat, quàm juvenem per inordinatos motus carnis repugnantes legi mentis ſe avertentem à Patre æterno, à DEO ſummo Bono, perindeac Abſolon bellum Davidi indixit, à quo ſe avertit? mulus, cui Abſolon inſidebat, indicat carnis concupiſcentiam, cui adhærens vehitur in barathrum malorum omnium, in vitæ, ac ſalutis irreparabile detrimentum: crines, quibus quercui implicatus Abſolon eidem hæſit in aëre pendulus, turpes ſunt cogitationes, quibus qui per conſenſum adhæret, ac implicatur, mortem incurrit; niſi capillos velis interpretari divitias, quas carnis voluptatibus indulgentes abliguriunt cum meretricibus, ut prodigus ille adoleſcens in evangelio, qui vivendo luxurioſè totam ſubſtantiam, quæ illi contigerat, diſſipavit. Neque per quercum, quid aliud putes indicari, quàm ipſam inveteratam luxuriam, quæ nonniſi fructus parturit porcorum; ait Hugo Cardinalis hîc, *Quercui per Cæſariem Abſolon pendet, quando peccator fomento divitiarum luxuriæ inhæret.* Abſolon mulo inſidet, cum peccator carnis adhæreſcit concupiſcentijs; capillis quercui implicatur, dum per conſenſum pravis cogitationibus, carniſque illecebris delectatur.

Coërcenda eſt concupiſcentia, ne inſo- 47
leſcat, nóſque in malorum extremum ducat: fugienda eſt compta mulier, ſi concupiſcentiam moveat: quamvìs mulier in opem, auxiliúmque hominis condita à DEO fuerit, in perniciem, mortémque hominis converſa eſt

appoſitè S. Chryſologus ſerm. 127. *Hæc eſt mulieris antiqua malitia, quæ Adam ejecit de paradiſi delicijs; hæc cæleſtes homines fecit eſſe terrenos: hæc humanum genus miſit in infernum; hæc vitam abſtulit mundo propter unius arboris pomum.* Fugienda eſt mulier, quæ, ſi loquitur, irretit; ſi aſpicit, vulnera infligit; ſi ipſam adeas, te interimit; idque expertus fuit Abimelech, Judic. 9. 53. *Et ecce una mulier fragmen molæ deſuper jaciens; illiſit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus.* S. Bonaventura *diæt. ſalut. cap. 9. de Luxur.* Cenſet Abimelechum nimis appropinquantem ad turrim, hominem indicare luxurioſum incautè appropinquantem ad mulierem. Fragmen molæ ſignificare tentationem à muliere procedentem, & luxurioſum interimentem. Ita eſt mulier præſertim, ſi compta fuerit, concupiſcentiam movet, tentatione pulſat, & conſenſu interimit; propterea ſemper ab ipſa cavendum tametſi tibi videaris frigere; quia mulier præſertim compta, etiam ſenectutis rigorem, ac ætatis frigiditatem inflammat, hominum mentes turbat, turbatas pervertit.

48 Imò non in aliorum tantùm pudicitiam bella movet, verùm etiam in propriam. Prima quæ fuit in mundo mulier, etiam poſtquam ſermonem cum ſerpente miſcuiſſet, quamdiu in nativa ſtetit corporis ſimplicitate, ac nuda permanſit, decorem ſervavit virginitatis; quem tunc exuit, cum induit ornamenta viriditatis Geneſ. 3. v. 7. *Conſuerunt folia ficûs, & fecerunt ſibi perizomata.* cum primum cœpit ornatum corporis quærere nobiliorem, quam poſſederat, gemmam perdidit, virginitatem amiſit; quia poſt perizomata artificiosè contexta ad corporis tegumentum, & ornatum mulier refertur à viro cognita Geneſ. 4. v. 1. *Adam cognovit uxorem ſuam Evam*, ut inde erudiamur ornamentum mulieris ſemper virginitati eſſe inſidioſum: ſcitè Tertullianus *de cultu fœmin. cap. 9.* ait ad rem noſtram: *Erga veſtitum quoque, & reliqua compoſitionis veſtræ impedimenta proinde vobis curanda eſt amputatio, & decuſſio redundantioris nitoris*, poſtea ſubdit contra Pomparum cultæ fœminæ luxum. *Hæ pompæ, quàm de proximo curent luxuriæ negotium, & obſtrepant pudicitiæ diſciplinis, dignoſcere in faculi eſt; quid gratiam decoris cultûs ſocietate proſtituant.* Eva antequam viridi ſe ornaret veſte lilio floruit Virginitatis; gloriâ eminuit virtutis, quam tunc amiſit, cum primùm ornamentum admiſit; *fecerunt ſibi perizomata.* Sunt muliebria ornamenta, quæ Virginitati obſunt, quam devenuſtant: Aptè Tertullianus *de velandis Virgin. cap. 2.* ait: *Illam conſuetudinem, quæ virgines negat, dum oſtendit, nemo, probáſſet, niſi aliqui tales, quales virgines ipſæ:* quæ murice foris mulieres fulgent, intus, ut plurimum in animo ſordeſcunt, non ſemper nitor veſtis ſplendorem prodit excultæ caſtitatis, neque candor lintei, teſtis eſt candoris animi, cum corporis cultus, veſtium luxus, ornatus membrorum caſtitatem deturpent, & mentis devenuſtent pulchritudinem; luxus, ſi modeſtiam lædat probitatis, fit probrum, & opprobrium vanitatis: odores, quos veſtes inhalant, nonniſi perversè olent caſtitati, quam inficiunt; gemmæ in auribus, annuli rutilantes in digitis, translucida vela, quæ pectus magìs nudant, quam operiant, quid aliud ſunt quàm aucupia libidinis? Cincinni, calamiſtra, ſpecula, pigmenta, chirothecæ, myrothecia; & alia vanitatis ſexcenta inſtrumenta quid aliud ſunt, quàm laquei vanitatis, quibus irretiuntur quotquot comptis adhæreſcunt fœminis? Si laqueos times mulierem euro citiùs fuge. Timuit, & longiùs fugit Elias Jezabelem 3. Reg. 19. 3. *Timuit ergo Elias, & ſurgens abiit.* Timuit, & ſtatim ſurrexit, & abivit; ut & nos erudiamur, diſcamúsque quâvis diruptâ morâ fugere conſortia mulierum, cum non ſimus Prophetæ, neque zelo inflammemur Eliæ. Symbolum nobis exhibet Elias cujus via juſti; & Jezabel carnis concupiſcentiam ſignificat, quam cultor caſtitatis compeſcit, & longiùs fœminas fugit; cultor caſtitatis fuit Elias, quem propterea Jezabel, ſeu carnis concupiſcentia ad internecionem perſequebatur: *Timuit Elias, & ſurgens abiit*, fugit in deſertum jejunio contra Jezabelem, ſeu carnis concupiſcentiam, armatus, & victrices palmas deſertum ei peperit; quia in pugna contra Jezabelem contra concupiſcentiam carnis ille pugnat egregiè, non qui manus movet, ut vulnera infligat; ſed qui pedes, ut velociùs fugiat.

Quòd ſi concupiſcentia prævaluerit, &
luxuria campum ſemel occupaverit, ſupera- 49
ru eſt poſtea difficilis. Adeò creverant in terris luxuriantium fœditates, ac libidinum ſpurcitiæ, ut mundus immunditiarum videretur cloaca; propterea iraſcens DEUS hominibus ſtatuit aquarum cataclyſmo tot immunditias delere, hominúmque libidinea extinguere, ac luxurioſos interimere Geneſ. 6. 13. *Finis univerſæ carnis venit coram me; & ego diſperdam eos cum terra.* Audivit Noë has Numinis minas; non tamen ipſe preces ad DEUM fundit, ne cœlorum cataractas aperiat, & diluvium non effundat; non ſatagit lachrymas elicere, iram Numinis extincturus, vel ſaltem temperaturus; tacet Noë non rogat pro venia; imò neque pro dilatione ſupplicij: cum tamen Moyſes enixim rogaverit, ut populo peccanti, pluribúſque coinquinato ſceleribus veniam impertiret; Exod. 32. 31. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Si quæras, cur oraverit Moyſes pro populo, cui DEUS patrata ſcelera condunaret; & nullam fuderit Noë precem pro humano genere, naufragium mox paſſuro in aquis diluvij; cauſam ſuggerit ſacer textus Geneſ. 6. *Omnis caro corruperat viam ſuam:* adeo libido inoleverat, ut jam corruperit carnem, intimiora penetraverit viſcera, oſſiúmque medullas; propterea cum nulla ſpes affulgeret, inveteratam corru-

ptionem

ptionem emendandi, moréſque depravatos corrigendi ſupervacaneum cenſuit Noë Numini ſupplicare, quia ut ait S. Laurentius Juſtinianus de contin. cap. 2. *Majus miraculum eſt de propria carne fomitem eradicare luxuriæ, quàm expellere immundos ſpiritus de corporibus alienis.* Secus Moyſes ſupplicavit DEO pro populo, quia peccatum erat emendabile.

50 Eadem de cauſa non oravit Loth, non ſupplicavit DEO, ut parceret Sodomæ mox flammis è ſummo cœlo deplutis abſumendæ; pro qua tamen preces fudit Abraham quamvis DEUM in ſua vota, urbiſque veniam non flexerit. Loth Numini non ſupplicavit, ſed omnino tacuit, quia intimiùs mores noverat civium eſſe inemendabiles Geneſ. 19. 4. *à puero uſque ad ſenem*: morbi enim, ſive animi, ſive corporis, diu connutriti, quique mutatione ætatum non corriguntur, curatu ſunt ſemper difficiliores; & inveterati curam omnem reſpuunt: appoſitè S. Chryſoſtomus homil. 25. in 1. Corinth. *Loth, qui præſens aderat, noverat immedicabile eſſe malum urbis, nec DEUM rogandum eſſe pro venia.* Sed unde conjecit Loth, morbum civitatis eſſe ſanatu impoſſibilem? quia ut ait ſacer textus *à puera uſque ad ſenem.* Libido omnes infecerat, & impuris ſuis flammis etiam ſenes adusſerat, quia libido inſenuerat cum ſenibus, morbus nullum ampliùs pharmacum ſuſtinebat; vanúmque cenſuit Loth preces fundere, ac DEO ſupplicare pro civitate mox igne delenda; ut enim loquitur S. Cyprianus lib. de Bono Pudicitiæ *Laſcivia mater eſt impœnitentiæ*: quia luxuriæ ignis nova ſemper appetit incrementa; & quem ſemel inflammat ad cineres uſque eum perducit, ſoleátque propterea Dipſadi pariari. Eſt Dipſas genus aſpidum, & latinè ſitula audit, quia quos momorderit, ſiti pereunt, ut notat S. Iſidorus *lib. 12. Ethymol. 4.* Dipſades itaque ſerpentes ſunt nocentiſſimi, & ab ijsdem morſi ſtatim inardeſcunt, ſitíque laborant ardentiore, quam extincturi aquam ebibunt, donec diſſiliant: parem huic ſerpenti dixeris luxuriam, quæ quos ſemel ſuo inflammat igne, abſumit, donec ſepulchrales ſolvantur in cineres; eſt enim luxuria ait Job 31. 12. *Ignis uſque ad perditionem devorans*, non ſolùm impudicus luxuriæ ignis conſumit corpus, qood in cineres ſoluit; verùm etiam devorat uſque ad conſumptionem animæ per divinæ gratiæ expulſionem; uſque ad diſſipationem divitiarum, bonorúmque temporalium; ut prodigus ille adoleſcens Luc. 15. 13. qui *diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè.* Ignis eſt luxuria, quia abſumendo nunquam dicit ſatis Proverb. 30. 16. *Ignis nunquam dicit, ſufficit*; hinc adoleſcens, qui in Evangelio totam ſuam abliguriverat cum meretricibus ſubſtantiam Luc. 15. 16. *cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis.* Quid ſiliquæ ſignificant, ait S. Chryſoſtomus, quàm carnalium deſideriorum illecebræ? ideo experebat ſatiari de ſiliquis; quia in cœno merſus luxuriæ, ac ſuilli de grege effectus, congruum ſibi quærebat obſonium, quo tamen exſaturari non potuit, quia luxuria nunquam terminum ulium præſcribit; nonquam ſatur, dicit ſatis.

51 Difficilis eſt ergo ſuperatu carnis illecebra, quæ novis ſemper augetur incrementis; & quamvis ſemel, & iterum ſuperata, adhuc non quieſcit, ſed inſurgit petulantior, viget valentior, pugnat fortior; ipſa nos aggreditur, in noſtris ipſis viſceribus ſerpit, ut cancer; ardet ut ignis; rugit ut leo; mordet ut canis; tumet ut coluber; abſumit ut flamma. Quòd ſi libido ſuis illecebris placet; roſam imitatur, quæ pulchra aſpectu, ſpinis pungit, & cruentat. S. Fulgent. Mithol. 2. *ut roſæ rubent, & pungunt; ſic libido rubet verecundiæ approbrio, pungit peccati aculeo.* non floret roſa niſi ſuis armata ſpinia, vulnera minatur volentibus eam tangere: & luxuriæ, cùm primùm quis adhæſerit, damna ſentiet; ſitque propterea luxuriæ comes ipſa triſtitia; & quamvis hilaris appareat, ſub larva tamen lætitiæ lachrymas, luctúmque tegit; dolorem parturit, cum gaudium ſimulat; & ex dolore naſcitur timor, ex timore angor conſcientiam torquens, animam pungens; quòd ſi luxuriam roſam dixeris, hæ ſunt illius ſpinæ dolor, fletus, pudor, timor, angor, & horror, & ſi manum non cruentant, conſcientiam tamen dilacerant: Sin verò non roſæ, ſed arbori parem feceris luxuriam; non ita ubertim foliorum pompa luxuriat arbor, ſicut ab una luxuria pullulant vitia, quorum fructus indicans Apoſt. ad Rom. 6. 21. ait. *Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis?* Diſplicent fructus luxuriæ, pudétque nos eos carpſiſſe, ac delibâſſe, cum nonniſi amaritudine palatum infecerint, mentem fœdis imaginibus deturpaverint; intellectum tenebris obſcuraverint; ac nonniſi ſolicitudines invexerint animum agitantes, anxietates præcordia prementes, vermes conſcientiam rodentes, pavores cor anguſtiantes; hi ſunt fructus hujus luxuriantis arboris. Si non vis madere lachrymis, noli gaudio affici, quod tibi luxuria exhibet: vera non eſt ejus lætitia, quæ ad æternum fletum viam ſternit: hinc Joan. Apocal. 12. 12. *Væ terræ, Væ mari.* Hugo Cardinalis *in cap. 9. Joſue* per terram avaritia ſordeſcentes intelligit; per mare luxurioſos carnis delicijs innatantes, quos tartareus hoſtis ſecum trahit ad æterna ſupplicia: ait Hugo: *Per terram avari, per mare luxurioſi intelliguntur, ad quos principaliter venit Diabolus; quia plures per hæc vitia ſeducit.*

52 Hinc Chriſtus mundum judicaturus ſub figura hædorum ſupplicijs deſtinatos æternis ſtatuet à ſiniſtris Matth. 25. 33. *Statuet oves quidem à dextris; hædos autem à ſiniſtris.* Sed cur totam damnatorum colluviem ſub hædorum figura erit exhibiturus? cur non potius ſub figura leonis rugientis, vel tigridis frementis, vel lupi ululantis? quia potior pars hominum damnatur ob libidinem, cujus eſt hædus ſymbolum; hinc per ſpatioſam viam

ambulare perinde eſt, ac deſiderijs carnis inhærere Matth. 7. 13. *Lata porta, & ſpatioſa via eſt*, quia libidini addicti incedunt per laxiſſimas deliciarum terrenarum vias; vitiorum abrupta perambulant; & quovis excuſſo timore in omne ſe vitium ingurgitant: propterea pedes eorum deſcendunt in infernum, quem inhabitantes opplent Prov. 5. 5. *Pedes ejus deſcendunt in mortem; & ad inferos greſſus illius penetrant*: ubi textus Hebræus legit, *ſuſtentabunt*; hoc eſt, fulcient, quaſi corrueret infernus, niſi à luxurioſis roboraretur; quia pauci eſſent ejus incolæ, cum potior hominum pars præceps in gehennam ruat propter luxuriam: ait Cornelius expendens verba Proverb. 5. *Sicut ſuſtentatur paries fulcro, ne cadat; ita Infernus evacuaretur, & quaſi caderet, niſi libidinoſi eum implerent.* Si non vis æternùm comburi, noli momentaneè uri; noli æſtuare libidine in hac vita, ne accendaris in alia: ait Iſaias 40. 6. *Quid clamabo? omnis caro fœnum.* Quid aliud eſt, homo quam fœnum, quid fœno aridius, quid ſuſcipiendæ, nutriendæque flammæ aptius? coërce libidinis impetus, ne te ad æterna trahant incendia; præſertim occaſiones fuge, fœminarum contubernia, & familiaritatem declina; tibi ne fidas, quia tametſi pœnitentiæ cinere tibi videaris frigere, adhuc igniculus concupiſcentiæ viget ſopitus ſub hoc cinere. Audi D. Hieronymum *epiſt. 22. ad Euſtoch. de Cuſtodia Virginitatis*: quid ipſe pœnitentiæ cinere obtectus, jejunio emaciatus, viribus deſtitutus fuerit in ſe expertus prodit, inquiens. *O quoties ego in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine; quæ exuſta ſolis ardoribus, horridum Monachis præſtat habitaculum; putabam me Romanis intereſſe delicijs. Sedebam ſolus, quia amaritudine repletus eram: horrebant ſacco membra deformia; & ſqualida cutis ſitum Æthyopicæ carnis obduxerat. Quotidie lachrymæ, quotidie gemitus; & ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet, nuda humo vix oſſa hærentia collidebam ----- Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum ipſe me tali carcere damnaveram; Scorpionum tantam ſocius, & ferarum; ſæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora jejunijs; & mens deſiderijs æſtuabat in frigido corpore; & ante hominem ſua jam carne præmortuum; ſola libidinum incendia bulliebant.*

EXPENSIO XXV.

Jaciuntur, & ſtabiliuntur Humilitatis fundamenta, quibus Chriſtiana Perfectio nititur.

1 HUmilitas ſuam ab humo trahens nomenclationem, in humum ſe deprimit, ſed inde ſurgit ſublimior; dejicit hæc virtus hominem in imum, limúmque, ſeu in cognitionem propriorum defectuum, ut ſe ipſum floci faciat, ſibique vileſcat. Poteſt autem hæc depreſſio dupliciter contingere: Primò reluctante voluntate, ut cum quis ab altero viribus prævalente violenter, & renitente propria voluntate deprimitur: & in hoc ſenſu humilitas virtus non eſt, ſed pœna, in quo ſenſu dicitur in Scripturis ſacris: *homo, qui ſe exaltat, humiliabitur*, ſeu pœnam luet ſuperbiæ. Secundò voluntariè ex parte ſe deprimentis, ac humiliantis; ut cum quis ex conſideratione propriæ imperfectionis ſpontè ſe deprimit, ſéque parvi facit; in quo ſenſu definitur à D. Thoma 2. 2. quæſt. 160. a. 1. ad 1. *Virtus quâ quis cognoſcens ſuum defectum, ſe in infimis ſecundùm modum ſuum continet*; & D. Bernard. lib. de gradibus humilitatis, ait eſſe virtutem, quâ quis veriſſima ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit; quod etiam Ethnici noverunt, & ad omnem expungendum tumorem, altiùs voluerunt animis impreſſam Delphicam illam epigraphem. *Noſce Te ipſum*, ait D. Chryſoſtomus homil. 46. in Matth. Ea inſcriptione voluiſſe Ethnicos illos humilitatem commendare, ejúsque exercitium promovere: cum enim quis elato ſupercilio ſuperbiret, & tumida mente alios haberet contemptui, retorquebatur vulgatum illud apud Græcos. *Non ſe novit*, quia ſi ſe noviſſet, non habuiſſet occaſionem ſuperbiendi, & alios contemnendi. Tanto erat in pretio Epigraphe illa, *noſce te ipſum*, ut Juvenal. *Satyr. 10.* putaverit, eam è ſummo cœlo in imas terras delapſam: & Tullius *5. de finib.* ait, ideo fuiſſe epigraphem illam DEO tributam, quia majus erat, quod in ipſa contineretur, quàm ut ab homine proditum videretur: ſed D. Ambroſius lib. 4. *Hexaem. cap. 6.* putat epigraphem illam è ſacra fuiſſe ſcriptura deprompram, præſertim ex illo Deuter. 4. *Attende tibi*, ex hac ſuæ vilitatis, imò ex ſui nihili cognitione vir humilis continet ſe in infimis ſecundùm modum ſuum, éſtque internus animi motus, & affectus, quem humilitas elicit, & coërcet hominis tumorem, ne ad ſublimia evehatur, ſeu ſupra id, quod oportet; ſed tantùm intra menſuram ſibi debitam ex proprijs meritis ſe contineat.

Eſt Humilitas duplex interior, & exterior; illa ſentit de ſe modeſtiſſimè, creditque convenire ſibi extremam demiſſionem, quam propterea eam ſibi gratulatur, ut ſibi conſentaneam, ac propriam; adeo ut vir humilis totus inſiſtat cognitioni propriæ conditionis, habeátque præ oculis proprios defectus, nec appetat ab alijs laudari, neque alijs præferri, ſed omnibus ſubeſſe, nulli præeſſe. Exterior eſt, quâ quis modeſtè de ſe loquitur, in noviſſimo loco recumbit, humi jacet, veſtitu, & inceſſu modeſtè procedit: hujus duplicis humilitatis meminit S. Hieronymus epiſt. ad Cælaſiam inquiens: *Humilitatem ſequere, non quæ oſtenditur, aut ſimulatur geſtu corporis, aut fracta voce verborum; ſed quæ puro cordis affectu exprimitur. Aliud enim eſt virtutem habere; aliud virtutis ſimilitudinem*: aſſerit, veram humilitatem in externis minimè ſitam eſſe; ſed in ſincero animi affectu. Verus humilis 2

pro-

propriaſ perpendit miſerias, conſiderat defectus, cogitat probra, examinat dedecora, ſéque propterea deſpicit, contemnit, & ad ima ſe demittit; atque propterea humilitas: *Laudabilis ſui ad ima dejectio*: quia proprium eſt viri exercitijs addicto humilitatis, non ſe extollere, neque cupere extolli ultra meritum; ſed in imum ſe demittere, alijs ſe ſubjicere, & infra meritum cupere deprimi. Cum enim vir humilis nil ſibi, ſuiſque meritis adſcribat, non cupit laudari, nec honorari, nec præferri alijs, ſed ſubjici omnibus; ſicut viliſſimè de ſe ſentit, ita ab alijs cupit flocci fieri, ac nihili æſtimari, idque cogitatione, & verbis; imò & in effectu, ac opere; adeo ut gaudeat contemptibiliter tractari, ac in vilioribus officijs: ac functionibus occupari, in loco inferiori collocari, viliſſimis detritis, ac laceratis veſtibus tegi.

3 Hinc actus veræ humilitatis plures ſunt, quorum primus eſt vilipenſio ſui, ſuique contemptus, & per hunc actum nihili ſe, & ſua æſtimat, quatenus ſe novit purum eſſe nihil: & ſiquid ipſi boni inſit, id à miſerente DEO eſſe in ſe derivatum. Secundùm cenſere ſe ad omnia ineptum. Tertius: non cupere ab alijs magni fieri, neque laudari, neque æſtimari: quia verus humilitatis cultor cognoſcit honores, & laudes ſibi minimè congruere, ſed tantùm datori bonorum omnium. Quartus deſiderare ab alijs contemni, ac nihili æſtimari; quia verus humilis talem ſe cupit ab alijs judicari, qualem revera ſe eſſe cognoſcit: hinc D. Bernardus 16. in Cant. *Verus humilis vult vilis reputari; non humilis prædicari, gaudet contemptu ſui, hoc ſolo ſanè ſuperbus, quod laudes contemnat.* Quintus dolere, ſi videat ſe ab alijs honorari, magníque fieri. Sextus cenſere ſe ipſum cæteris viliorem, ac deteriorem. Septimus ſubjicere ſe DEO veluti teſtam figulo, vel ut opus ſuo Factori, vel mancipium Domino, ut diſponat de ſe ipſo prout magis illi libuerit, præſertim, quæ ad hanc vitam pertinent, eujusmodi ſunt fortunæ, viciſſitudines, ſanitas; ægritudo, infamia, mors. Octavus ſe omnibus ſubjicere propter DEUM. Nonus ex rebus externis, ac functionibus quantum eſt in ſe id ſemper amplecti, quod viſum fuerit abjectius, minúſque honoratum.

4 Quòd verò ad proprietates attinet humilitatis, quatuor ſolent aſſignari, quarum prima eſt, ut ſit voluntaria, & ſpontanea, quia ut rectè notat S. Bernardus, alij cum rancore humiliantur, alij patienter; alij libenter. Secunda ut ſit ſincera; adeo ut verus humilis talem ſe oſtendat exteriùs, qualem ſe cognoſcit interiùs; ſunt enim qui nequiter ſe humiliant; & quidam ſunt intus dolo contra quos invehens D. Bernar. ait. *Appetere de humilitate laudem humilitatis virtus non eſt; ſed ſubverſio: quid enim perverſius, quid indignius, ut inde videri velis melior, unde videris deterior.* Hæcque humilitas alienas ſatagens laudes expiſcari pura non eſt, ſed hamata. Tertia proprietas eſt, ut ſit circumſpecta; quia verus humilis, neceſsè eſt, cognoſcat; quo in loco; & officio, quo fine debeat ſe humiliare. Quarta ut ſit conſtans, ſibique ſemper ſimilis, quia virtus ſtabilis eſt, & inconcuſſa manet. Hinc humilitas virtus eſt perquàm eximia, & excellens, cum incliner ad ſubjiciendum nos DEO, in omnibus; & noſtris ſuperioribus, ut DEI adminiſtris. Quòd ſi ſuas in humo radices agit, non credas gramen eſſe ſemper humi ſerpens. Arbor eſt, quæ eò creſcit ſublimior, quò profundiùs ſe demittit, abjicitque: neque ſterileſcit hæc arbor; ſed fructibus diteſcit Cœlitibus pergratis: paradiſiacam enim redolent ſuavitatem, quia veram ſapiunt virtutem, ac idonei ſunt pietati nutriendæ, ac ſanctitati farciendæ, augendæque. Hinc Sponſa Cant. c. 4. *Nigra ſum*, ſeu humiliatione, & abjectione obſcura; *ſed formoſa*, ſeu ſanctitate, ac perfectione inſignita. Humilitas ſydera æmulatur, quæ in tenebris luceſcunt clariora, rutilant pulchriora. Non tamen vera humilitas appetit dignitate clareſcere, quinimò eam inſequentem fugit, oblatam abjicit; hæcque ratio, cur Sponſa *Cant. 4.* quamvis præſentiam concupiverit Sponſi, cujus ubera vino, & fragrantiam unguentis optimis prætulit; nihilominus non accurrit ab eo vocata. *Veni de Libano Sponſa mea; veni de Libano, veni coronaberis,* Ter à Sponſo vocata, nec ſemel legimus accurriſſe. Quid? quòd Sponſa licèt tota exarderet in Sponſum amore, & tarda molimina neſciat amor, non moveatur vocata, ſed cunctetur accita? cur ſi Sponſus vocat, non ſtatim properat ad eum, in quem amore fertur, & deſiderio ardet? Verùm licèt ſponſa traheretur amoris impetu, retinebatur tamen ſtudio humilitatis. Vocata à Sponſo alas explicabat illuc avolatura, ubi cor amoris flamma vehebatur: ſed quia vocata ad coronam: *veni Sponſa mea coronaberis*, à Sponſo avocabatur coronante, quæ à Sponſo vocabatur amante. Alliciebat Sponſus, ſed terrebat corona; trahebat dilectus, ſed retrahebat diadema: Sponſum concupivit amantem, quem oderat coronantem: adeò vera humilitas dignitates averſatur, ut malit à Sponſo exulare, quàm cum corona exultare.

Veræ humilitatis cultores malunt cum Sponſa nigreſcere, quàm cum diademate clareſcere, non auri nitore, non gemmarum fulgore ſplendet ſponſæ caput; ſed capillorum obſcuratur nigredine *Cant. 5. v. 11.* *Comæ ejus ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi corvus.* Quid per capillos, quàm mentis cogitationes nobis ſignificantur? veri humiles non mentem implent cogitationibus ſplendore dignitatis ſuperbientibus, ſed nigredine humilitatis detumeſcentibus; nitor ex aureo emiſſus diademate oculos perſtringit, & plerumque lapſui non prælucet, ſed præludit. Saul ad regium evectus ſolium perjit. David poſtquam fuit in regem inunctus cecidit, cum è ſolario regiæ Domus Bethſabeam vidit; Sa- 5

lomon regio redimitus diademate, è ſapientia, & veritate defecit; Vir humilis ſceptro frœnum præfert; quia illud mores laxat, quò ad lapſum velocior ſit curſus, viáque planior; iſtud coërcet, ne à recto exorbitent: hæcque fortaſſis cauſa, cur viginti quatuor ſeniores (Apocal. 4.) adoraturi viventem in ſæcula coronas depoſuerint; ſciebant difficulter poſſe utrumque præſtari, DEO debita dare obſequia, & coronam geſtare: coli vult, non colere, cui caput aureo irradiat diademate; non cervicem flectit, ſed ſupercilium extollit. Viri religioſi ſtudio addicti humilitatis veluti capilli in capite Sponſæ non auro fulgere cupiunt, ſed nigredine obſcurari, & quamvis veluti elatæ palmarum ſint ſanctitate ſublimes, adhuc humilitate denigrantur; quia ut ait S. Gregorius *in Cant.* 5. Quamvis virtutibus in cœlum ſe erigant: ſemper tamen peccatores ſe eſſe exiſtimant: & S. Thomas expendens illud Ezechielis 32. 7. *Nigreſcere faciam ſtellas ejus*, ait juſtos, & humiles in eccleſiæ firmamento eſſe veluti ſtellas, eò quia in tenebris humilitatis ſplendeant clariores, ardeant ſpiritu charitatis, niteant verbo veritatis. Quò viri ſtudio virtutum addicti ad ſublimiores aſcendunt perfectionis gradus, eò ad infimiora ſe demittunt, deſcendúntque infra alios humilitate, qui charitate, & ſanctitate ſupra cæteros aſcenderant, eóſque æmulantur Angelos, quos per ſcalam viderat Jacobus aſcendentes, & deſcendentes Geneſ. 28. 12. Ubi ait D. Thomas Aquinas: Per Angelos deſignantur Sancti, quorum eſt aſcendere ad DEUM, & deſcendere ad proximum. Aſcenſus Angelici ſunt illuminationes, & meditationes aſcendentes in cœlum: deſcenſus verò ſunt conſiderationes peccatorum, & miſeriarum, omniúmque defectuum noſtrorum, & compaſſiones ad proximum. S. Cyprianus *ſerm. de nativitate Domin.* per deſcenſum interpretatur Verbum æterni Patris noſtram aſſumens humanitatem, ut nos doceret humilitatem, & per aſcenſum reſurrectionem à mortuis, & aſcenſionem in cœlum: ait ille. *Non eſt confuſus ſe ad formam ſervi exinanire; ut qui de fraternitate ejus glorìantur, & volunt aſcendere, eidem ſcalæ cum Jacob innitantur, & cantantes canticum graduum ab imis ad ſuperiora conſcendant.*

6 Niſi deſcendas humilitate, non aſcendes ſanctitate, hæc enim non floret, niſi ſuas in limo humilitatis ſuas egerit radices; quia vix reperitur, qui ſplendeat ſanctitate, & imum non teneat humilitatis: hócque edocturus DEUS Moyſem nonniſi in flamma ignis ei apparuit in Orebi vertice Exod. 3. 2. *Apparuitque Dominus in flamma ignis.* Cur Moyſem alloquuturus DEUS in ignis flamma ſplenduit? ſi Moyſes erat inſtruendus, ut filios Iſraël de Ægypriaco famulitio educeret, ac in priſtinam aſſereret libertatem, cur cathedram in rubo enactus è flamma urente, non comburente eum voluit edocere? An ut oſtenderet, qualis eſſe debeat, qui populo præeſt, eúmque dirigit, liberátque à pravis conſuetudinibus; & à jugo peccati in priſtinam aſſerit libertatem? Ignis primum eſt elementum, ſedémque occupat cæteris ſublimiorem: & tamen DEO obſequuturus non detrectat infra reliqua ſe demittere elementa, & omnium infimum occupare locum in gehenna; adeo ut qui natura eſt omnium primus, ſit humilitate, & obedientia cæterorum poſtremus; quique prope lunam eblanditur innocuus; comburit, & torquet in imo terræ; ut diſcant, qui alijs præſunt, ſe ad inferiora demittere, & per exercitia obedientiæ Numini inſervire. Tutiùs ſemper eſt ſubeſſe, quàm præeſſe. Vix reperitur, qui in umbra, & pulvere intumeſcat; & vix recenſetur, qui in ſublime elatus non fuerit tumidus ampullatus, & inſoleſcens, non obſtrepuerit. Vapor ipſe, cum è cœno in cœlum ſubſilit, placidiſſimè ſurſum ſolari vehitur radio, aëris ridente, ac arridente ſerenitate; ſed ubi ſurſum jam inſcendit, nubibus admiſcetur, cum ipſis igneſcit, tonitru minas ſpargit, fulgurat, imò & fulmina jacit, ſinúmque terræ matris dilacerat.

Plerique in umbris obſcuræ conditionis omnigenæ virtutis claruerunt nitore, qui ad culmen evecti ſplendidæ dignitatis vitiorum caligine obſcurati ſorduerunt in ſcelere. Non quæ ſunt exteriùs nitida, intus ſemper clareſcunt: quid telluris extima facie redeunte vere elegantius? laſciviunt turgentes plantulæ; rident jocantes herbulæ, emicant diſcolores floſculi; ſed ſi intus exploremus, quid in ſinu foveat, non flores, ſed cepas, non plantas, ſed ſtirpes, non herbulas oculis eblandientes, ſed vermes ſtomachum moventes deprehendemus ibi latere: è converſo quid mare procellâ præſertim concito deſpicatius, ſi extimam ejus luſtremus faciem? humorem tantùm nobis exhibet, & hunc ſiti levandæ minimè aptum, vel ſpumam ex fluctuum colliſione in ſcopulos ortam; ſin autem ejus viſcera penetraremus ibi gemmæ, uniones, adamantes, aurum, omníſque pretioſior ſupellex obvia ſtatim nobis fieret. Humilitatis cultor non flores cum terra foras explicat; ſed cum pelago gemmas intus fovet. Sola humilitas eſt, quæ veris locupletatur divitijs, quæ cum ad ima ſe demittit, ad ſublimiora aſcendit. *Filius unjus anni erat Saul, cum regnare cœpiſſet* 1. Reg. 13. 1. hoc eſt humilis, & quaſi parvulus anni unjus; & quia humilis inungitur Rex Iſraëlis, neq; ultra biennium legitur regnâſſe. *Duobus autem annis regnavit ſuper Iſraël;* quia eo tantùm tempore culturæ fuit humilitatis addictus, & juſtè rexit populos, alijs annis ſedit quidem in throno non tamen ut Rex, ſed ut tyrannus, quia à cultura humilitatis ab adminiſtratione juſtitiæ receſſit. Verus ſplendor in dignitate regia eſt, qui ab humilitate in regem derivatur, qua eò luculentiùs clareſcit, quò obſcuriùs tenebris cingitur, ac lampades æmulatur ſponſæ Cant. 8. 6. 7

8. 6. *Lampades ejus, lampades ignis*, cœleſtis Sponſus ijs oblectatur, quibus delectatur. Lampades in ſua adamavit ſponſa: quæ tunc accenduntur, & ſplendent, cum noctis tenebris omnia obvolvuntur, cum humilitatis caligine, quæ coluntur vitutes reliquæ obteguntur: neque ſolo lumine vult Sponſæ lampades ſplendere, ſed uberiori coruſcamine clarere; *lampades ejus, lampades ignis*, quia ſi lumen oleo nutritur; ignis non auro, non argento, non gemmis coronatur, ut ſplendeat; ſed ut accendatur, & vegetior illuceſcat, ſtipulis, fœno, ligno, aliiſque vilibus, ac humilibus exigit ali; quò inde intelligamus, non reſidere in nobis Spiritum S. ſi vilia refugiamus, ſi à cultura humilitatis recedamus. Quia quæ nobis videntur exigua, & vilia, hæc humilitas ornat, & excolit, ut DEO ſupra excelſiora placeant: exigua, & humilis eſt herba nardus, & tamen adeo gratum exhalat odorem, ut Sponſa eam ſuo obtulerit Sponſo Cant. 1. 11. *Nardus mea dedit odorem*; ſed adeò pergratum emiſit nardus odorem, non ſolùm quia exigua, verùm etiam quia calidæ eſt naturæ, quia ſi humilitas fervori copuletur charitatis, adeo gratum, ac ſuavem emittit odorem, ut cœleſtem Sponſum illiciat, & ad ſe trahat. Complacet ſibi DEUS cum humilibus converſari, ac veluti ludere, perinde ac Joſeph in Ægypto Prorex cum fratre ſuo Benjamino cæteris juniore Geneſ. 44. 2. *Scyphum meum argenteum pone in ore ſacci junioris.* Tametsi ſub initium fingeret Joſeph velle in carcerem Benjaminum fratrem juniorem ſibi carum detrudere, vincire fune, torquere tormentis, ut furem; id tamen totum per jocum inſtituit, cum ludere cum fratre juniore gauderet, quem oſculo, & amplexu cæteris prætulit. Perinde agit DEUS cum humilibus, ait Cornelius; permiſſit, eos ab alijs haberi contemptui, & affligi; ſed ijsdem humiliter, ac patienter ſibi adverſa tolerantibus adgratulatur, ac blanditur DEUS; quos ope ſuæ gratiæ ad ſublimiora evehit dona, ut tanto fiant glorioſiores, quanto fuerant abjectiores.

9 Imò adeò fuit Christo humilitas grata, adeo cordi, ut ſuo eam nos exemplo edocturus, toto vitæ tempore exercuerit: etenim ſi è ſinu æterni Patris in terram deſcendit noſtram induiturus humanitatem, non Jeroſolymam civitatem celeberrimam patriam præelegit, in qua naſceretur, & claritate Patriæ ipſe ſplenderet; ſed humilem, & obſcurum locum Luc. 1. 26. *In civitatem Galileæ, cui nomen Nazaret*, ait Hugo Cardinalis: *in hoc, quòd humilem locum elegit, humilitatem commendavit, & nos docuit; ut illa eligamus loca, quæ poſſint de nobis magis, quàm nos de ipſis gloriari.* Natus in terris, non in aula principum, ſed in caula humilium animalium cicurum, & manſuetorum annuntiatur humilibus paſtoribus Luc. 2. 22. *Invenietis infantem pannis involutum*, divina majeſtas, cujus immenſitatem non capiunt cœli, nec orbis totus, in caulæ anguſtijs coarctatur, pannis jacet involutus, per quem reges ſtant, & principes; ſcitè D. Bernardus *ſerm. 4. in Nativit. Dom.* expendens verba Lucæ ait. *Certè cœlitùs annuntiatur humilitas; quia hæc quaſi propria virtutis divinæ exhibenda ſit Majeſtati.*

Neque credas in ſola Paſtorum caula humilitati adhæſiſſe, hanc enim unà cum humanitate æterni Patris filius, ſecum aſſumpſit, quam nunquam, quamdiu in terris verſaretur, dimitteret; ſi enim poſt octiduum circumciditur, pretio ſanguinis incrementa ſibi comparat humilitatis; demiſſiùs ſiquidem ſe humiliavit in circumciſione, quàm nativitate; quia ſi in hac formam induit hominis; in illa ſpeciem aſſumpſit peccatoris: ſi in nativitate minoratus eſt paulò minus ab Angelis; multò magis in circumciſione, cum non formam hominis tantùm, ſed hominis peccatoris aſſumpſerit. Quòd ſi debellaturus mortem peccati venerat gladium in terris mittere, hunc primùm in ſe ipſum impulit, ut vulneribus aſſueſceret; quibus noſtræ conſuleret ſaluti. Si crevit ætate, non decrevit humilitate, quam individuam ſibi accerſivit ſociam usque ad crucem Luc. 51. *Et erat ſubditus illis*: hinc D. Bernardus *homil. 1. ſuper miſſus* hominis tumorem pungit, ut diſcat detumeſcere, inquiens: *Erubeſce ſuperbe cinis! DEUS ſe humiliat, & tu te exaltas? DEUS ſe hominibus ſubdit; & tu dominari geſtiens hominibus, tuo te præponis authori. Quoties enim hominibus præeſſe deſidero; toties DEUM meum præire contendo.* 10

Adeo ſtudioſus fuit humilitatis Magiſter Chriſtus, ut ſedentes diſcipulos in genua ipſe procumbens exemplo fortiùs illam edocuerit; ſedebant diſcipuli; ſed virtus omnipotentis ad terram usque ſe dejecit genua coram ipſis flexit; & ut diſcerent omnem tumorem è capite abjicere, pharmacum lavacri pedibus applicat, in quibus ſordes non tolerat, quas abſtergit, ut nonniſi puriſſimas cogitationes mente volverent; & ut pedes evangelizarent pacem, oſculum charitatis ijsdem infererit. Joan. 13. 5. *Et cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe. Deinde miſit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes diſcipulorum.* Animum relaxaturus exercitio humilitatis præcinxit ſe; ne voluptati inde percipiendæ deeſſet, quo coarctaretur, coanguſtari peroptans, quò ſpatia charitatis dilatarentur in ſuis, quos adeò à terrenis volvit alienos, ut ne pulverem quidem in eorum pedibus toleraverit, quos abſterſit, & à quovis terrena labecula purgatos voluit. Quòd ſi totam Chriſti vitam perpenderis, nonniſi humilitatis documenta percipies, & inde ejus conjicies divinitatem, Quia ſi *Verbum caro factum eſt*, ſtatim ſubdit Joan. 1. 15. *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre.* Adeo ſublimis, & excellens eſt virtus humilitatis, ut ipſam nobis manifeſtè divinitatem: exclamat D. Bernardus *tract. de Paſſ. cap. 17.* *O quanta humilitas! Incomprehenſibilis DEUS vult comprehendi, ſummus humiliari, potentiſſimus deſpici, pulcherrimus defor-* 11

dore ſuffundi, & verborum parſimoniam. Humilitas niſi fucata fuerit, bonis, quibus divinitus cumulatur, verbis non exprimit, ſed religioſo ſilentio ſupprimit. Eliſabeth jam ſenio confecta, ac ſterilitate uteri laborans certa de fœtu reticet, quod majori miraculo erat evulgandum; indultam ſibi fœcunditatis gratiam tacet; ne miraculi evulgatione ſtudio detraheretur humilitatis. Diſcant non ſuperbire, nec intumeſcere, qui cum unam, vel alteram conceperint pietatis guttulam, vel lachrymulam doloris effuderint, eam ubique divulgant, ut in alienas diffluat aures; ut tenues lachrymulæ, quarum fluxu vix genæ maduerant, longiùs ad alios fluant illos irrigaturæ laudum flores, quos inde ſore ſperant, ut ſint collecturi. Eliſabeth cœleſte donum tulit, & tacuit. Humilitatis cultori ſufficit ejus fructus legiſſe, & gratiam apud DEUM inveniſſe. Non ſolùm tuetur DEUS, quos humiles intuatur, ſed & cœleſtibus opplet donis; idque nos edocuit vellus, quod imbutum rore in pelvim Gedeon expreſſit *Judic. 9. De nocte conſurgens expreſſo vellere, concham rore implevit.* D. Auguſtinus pro concha legit pelvim, & mentem flectit ad pelvim, quâ Chriſtus humilitatis magiſter pedes lavit diſcipulorum. Vix poterat æterni Patris filius humiliùs ſe demittere. Ros in pelvim mittitur, ut oſtendatur ſupera ſtatim eſſe gratia implendos, qui Chriſti exemplo ſtudio incumbunt humilitatis: appoſitè Auguſtinus de verbis Apoſtoli ſer. 2. *Complutum eſt vellus, area tota ſicca erat, expreſſit mane vellus in pelvim, quoniam humilibus dat gra-*
15 *tiam.*

Qui cœleſti rore imbui cupiunt, hauriant de fontibus Salvatoris, vitija ſe ſpolient, virtutes, & præſertim humilitatem induant: quia DEUS pellucidos ſuos fontes emittit *in convallibus* Pſalm. 103. ſeu ut explicat Hugo Victorinus: *gratiam ſuam præſtat humilibus.* Idque fortaſſis cauſæ, cur in ſacris Epithalamijs Sponſus dicatur deſcendiſſe in hortum nucum, *ut videret poma convallium*, ſignatè dicitur, ut videret poma convallium, non collium, non montium; quia DEUS ſuo fovet amore, quos humilitas ad ima vallium deprimit; iiſque favet, qui montium elata faſtigia aſpernati, humiles valles incolunt; quia delectatur DEUS humilium operibus, & ſuperborum deſpicit cacumina, eorúmque reſpuit gomorrhæa poma, quorum venuſtas in extima tantùm cute ſplendeſcit, & intus inani cinere opplentur: DEI enim gratia humiles intus cœleſtibus implet beneficijs, omnéſque potentias ad ſolum DEUM dirigit, ut nil ſapiant, niſi divina; nil appetant niſi ætherea, nil exoptent niſi cœleſtia: quia non ſinit quidquam in humilibus à divinis vacare laudibus, ut rectè innuit S. Laurent. Juſtinian. cap. 3. de Humil. inquiens: *Sicut non patitur natura vacuum, quia illud repleat; ſic nec gratia humilem, quin ille ſe infundat.* Eſt humilitatis cultura, quæ ad divinam gratiam ſuſcipiendam, & ad divina recipienda beneficia diſponit. Jacob ſuſcepturus à caligante præ ſenio Iſaaco parente benedictionem, júſque primò geniti, ac dignitatem ſummi Sacerdotij primogenitis adnexam, non proprias virtutes commemoravit, ſed ſe ad ovilem uſque pelliculam humiliavit; innocentes ovium mores, cum ab adoleſcentia hauſiſſet, etiam indumenta aſſumpſit. Geneſ. 27. 16. *Pelliculáſque hædorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit:* ſed ſi eum agnis, & ovibus ad caulam deſcendit, ſéque humiliavit, ad principatus faſtigium aſcendit, & benedictione à parente Iſaaco ſibi impertita dignatus fuit Geneſ. 27. 28. *Det tibi DEUS de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini. Et ſerviant tibi populi, & adorent te Tribus. Eſto Dominus fratrum tuorum: & incurventur ante te filij matris tuæ.*

EXPENSIO XXVI.

Per deſcenſum humilitatis in cœlum aſcendimus.

SI ad cœli regiam aſcendere cupimus, non dedignemur ad inferiora deſcendere per exercitia humilitatis, cui innocentes ovium mores ſint integumento, & ornatui: plerique humilitatem profitentur verbis, quorum intus cor intumeſcit ſuperbia, & inflatis cogitationibus mens oppleta erigitur faſtoſa: hi quia umbratili, ac fucatæ ſtudent humilitati, à cœleſti regia excluduntur inanitate repleti: Etiam Saul ſe humiliavit, ſicut & David; ſed quia ille verbis tantùm non mente; ore non corde humilitati ſtuduit, à regno excluditur, dejicitur à ſolio; cui adjicitur David, eò quia non fucatæ, ſed ſinceræ addictus humilitati. Ille ſpoliatus regia purpura è ſolio dejectus; hic ſacco indutus, in ovium caula abjectus regali clamyde induitur, ſceptróque donatur, qui nonniſi paſtoritio baculo antea aſſueverat: non quæ ab ore, ſed quæ à corde prodit humilitas, hæc humilibus prodeſt; Saul quando verè humilis fuit, ad thronum Iſraël aſcendit 1. Reg. 15. 17. *Nonne cum parvulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël factus es?* Tunc magnus fuit coram DEO, cum Saul ſe exinanivit, ſéque parvulum cenſuit, ac credidit: ſed cum primùm ſe ſupra cæteros aſpexit, ac ſuperbivit, à magnitudine cecidit, à DEO deſpectus; quia ut monet S. Gregorius Moral. lib. 18. cap. 20. *Tanto unaquæque anima fit pretioſior ante oculos DEI; quanto præ amore veritatis deſpectior fuerit ante oculos tuos.* Idque cum non latuiſſet Eſtherem; muliebrem omnem voluit ornatum abjicere, ſéque in imum dejicere humilitatis, ut Domino placeret, quem lachrymis emolliret, & precibus in ſua vota flecteret. Eſth. 14. 2. *Cumque depoſuiſſet*

veſtes regias, fletibus, & luctui apta indumenta ſuſcepit, & corpus ſuum humiliavit.

2 Quòd ſi apud homines plurimum exhibet illicij muliebris ornatus, & venuſtas; apud DEUM humilitas eſt, quæ allicit, & impetrat, quæ petit. Eſther, cùm regem adivit Aſſuerum impetratura clementiam in Hebraicam gentem, longè, latéque diffuſam, ac propagatam per totum Imperium Perſicum, cui ob decretum ab Amano extortum à rege, mortis imminebat periculum; totum muliebrem mundum ſecum detulit in ornatum fœmineæ venuſtatis, ut regi placeret, eúmque ad amorem accenderet, ſimúlque ad clementiam moveret: DEO autem ſupplicatura muliebrem mundum abjicit, omnia deponit ornamenta, ſéque humiliat, veſtes induit detritas, uſu laceratas, fletibus, ac luctui accommodatas, quia DEUS cordis humilitate gaudet, non oris venuſtate: gnara regina Eſthter apud DEUM valere ſolum virtutis meritum; non veſtium ornatum; mentis humilem ſinceritatem, non corporis cultam venuſtatem: & ab hominibus virtutem haberi contemptui; & veſtium pompam in pretio; ideo ſupplicatura DEO ſe humiliat, abjicitque in vilem, neglectámque famulam: ſed placitura homini, & mundo, ſe ad pompam veſtium, ad ornatum muliebrem, ad ſæculi dignitatem ſe erigit: parvuli ſumus coram DEO, indigemus ejus foveri alis, protegi favoribus; hinc David Pſal. 62. 8. *in velamento alarum tuarum exultabo*, cum parvuli ſimus, ad eum, qui ſolus magnus eſt, curramus, eúmque rogemus, ut perinde, ac pulli in velamento, ſeu protectione alarum ſuarum tegamur, & protegamur: bonum eſt nobis, ſi ipſe ſuis nos alis tegat, ac protegat, ut cum pulli ſimus ejus ſotu creſcamus: ſcitè D. Auguſtinus in Pſal. 62. *Tunc ſemper in illo magni eſſe poterimus: ſi ſemper ſub illo parvuli ſimus.*

3 Proprios, quos habet gallina pullos ſub alis tegit, & protegit, maternóque fovet calore, quia adhuc parvuli ſunt; & quos ex hominibus DEUS exiguos, & humiles deprehendit, probat, & approbat, ut filios: humilis fuit David, cum ovium addictus cuſtodiæ paſtoritiam exercuit; ſed à DEO probatus, & approbatus, è caula pecudum ad aulam accerſitur procerum, ſceptro donatur, & diademate coronatur. Chriſtus ipſe tunc æterni Patris filius probatur, & approbatur cum ſtudio humilitatis in Jordane aſſumptâ ſpecie peccatoris baptizatur: humilitas Chriſti in aqua vocem ad ſe traxit de cœlo, quâ æterni Patris probatur filius, & approbatur Matth. 17. *Et ecce vox de cœlo dicens: hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* ſeu æternus Pater ſibi complacuit in Chriſti humilitate, quæ propterea probatio filij fuit, & approbatio, ad quam ſequitur manifeſtatio: *hic eſt filius meus dilectus*: ſuos non probat, nec approbat DEUS, ut filios, quos humilitas ad inferiora non dejicit, ſed jactantia in ſublime evehit. *In DEI* conſpectui eſt ſublimis, qui ſui deſpectui eſt vilis, neglectus, & infimus; nulla res eſt grandior ſuſpicienda, quàm ſui deſpicientia. Non aſcendimus ad DEUM, neque illum invenimus, niſi excuſſo ambitionis tumore per exercitia humilitatis deſcendamus, dum à fluctibus æſtuantis pelagi hujus vitæ agitamur. Petrus Apoſtolorum Princeps tunc Magiſtrum JESUM invenit, cum è cymba, quâ altum mare trajecerat, deſcendit Matth. 14. 29. *Et deſcendens Petrus de navicula, ambulat ſuper aquas, ut veniret ad JESUM.* Deſcendentes per ſtudia humilitatis, adeo certi ſunt de aſcenſu, ut citra merſionis pericula, etiam ipſa fluxa elementa perambulent, quæ propriæ oblita naturæ marmoream induunt duritiem. Petrus iturus ad JESUM: deſcendit de navi; ſi deſcendas, quamvis in omnium infimum locum venias, ibi JESUM invenis: hinc David Pſal. 138. v. 7. *Si deſcendero in infernum, ades*, adhuc ſibi complacet in deſcendentibus, ut vel in ipſis terræ intimioribus viſceribus eos ſua dignetur præſentia, imò & in ipſo inferno ſua muniat gratia, cujus beneficio, ex terræ profundioribus abyſſis ad cœli ſublimiora faſtigia evehuntur; idque nos edocet Joannes 1. 15. ubi ait, quod ſimus viſuri. *Angelos DEI aſcendentes, & deſcendentes ſuper filium hominis*, ideo aſcendunt ad DEUM, quia deſcendunt per exercitia humilitatis ad filium hominis, quem imitantur deſpectum, humiliatum, colaphis percuſſum, flagellis cæſum, ſpinis obrutum, vulneribus cruentatum, & cruci affixum; per hæc patientiæ, & humilitatis gradus deſcendimus ad filium hominis, & ſimul aſcendimus ad ejus gloriam, ſcitè D. Auguſtinus ſerm. 41. Non diceret aſcendentes ad filium hominis, niſi ſurſum eſſet; non diceret deſcendentes ad filium hominis, niſi deorſum eſſet: ipſe ſurſum, ipſe deorſum, ſurſum in gloria, deorſum in humilitate; ſurſum cum beatis, deorſum cum humilibus; ſurſum in triumpho, deorſum in pugna; ut humiles deorſum pugnantes cum inferno, ſurſum triumphent cum beatis, ſitque propterea deſcenſus ad humilitatem, aſcenſus ad ſanctitatem; adeo ut tantùm quis deficiat in ſanctitate, quantum non proficit in humilitate: neque aliud eſt profectus ad ſanctitatem, quàm acceſſus ad humilitatem, ſitque quis eò ſanctior, quò humilior; eò ſublimior in cultura virtutis, quò depreſſior in exercitio humilitatis.

Vir Chriſtianarum virtutum addictus 4
ſtudijs nihil facit, niſi ſe nihili faciat, niſi ſe nihili æſtimet: is veris ſe bonis replet, qui per humilitatis exercitia didicit ſe ipſum exinanire. Quòd ſi natura vacuum horrens, quo illud impediat, tendunt gravia ſurſum, lævia deorſum; ignis, & aër deſcendunt; terra, & aqua aſcendunt. Gratia huic amica vacuitati per ſtudia humiliationis eam promovet; imò eſt hæc ſui vacuitas magnes divini amoris. Tunc DEUS te reſpicit, cum te ipſum deſpicis; tunc te omni bono implet,

plet,

plet, ſi te penitus evacuas, exinanis: te erigit in ſublime; ſi in imum te deijcis; abeſt à te, ſi erigis te, ut ediſſerit D. Auguſtinus ſerm. 2. in Feſto Aſcenſ. inquiens. *Altus eſt DEUS; erigis te, & fugit à te. Humilias te; & deſcendit ad te. Quare hoc? quia Excelſus; humilia reſpicit, & alta de longè cognoſcit.* Erexit Chriſtus Zachæum, non quia divitijs aſflueret; auro, & gemmis ſplenderet, & ſæculi bonis locuples eſſet; ſed quia puſillus, & humilis Luc. 19. 2. *Non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat*: ſeu nullâ nobilitatis ingenitæ, dignitate ſublimis; ſed quia humilis; Chriſtum excepit hoſpitio Luc. 19. 5. *hodie in domo tua oportet me manere; & feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens:* quia deſcendit per humilitatem non triſtem, ſed lætam, Chriſtus aſcendit in ejus domum, & eum evexit, ut quem videre præ turba non poterat, quia ſtatura puſillus erat, propiùs in propria domo intueretur remoto quovis impedimento, ſublato omni obſtaculo: ad videndum DEUM humana non valent faſtigia; ſed prodeſt humilitatis deſcenſus. Nihil Zachæo profuerunt divitiæ, ut DEUM videret: ait S. Ambroſius: *Divitiæ arboris obtinuerunt faſtigium, præcurrens aſcendit non dignus, ſed opulentus*: divitiæ niſi pauperibus erogentur, oculos obnubilant, ne DEUM videant; ſed optimum colyrium eſt obſcuritas humilitatis, hæc enim nebulas diſcutit, ut videat homo, qualis ſit; & deſcendens ad ſui cognitionem; ad DEI aſcendat viſionem. Centurio evangelicus viſurus Chriſtum cœleſtem Medicum hoc humilitatis collyrio oculos abſterſit t. Matth. 8. 8. *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum*: ſed dum dixit ſe indignum, ſe præſtitit dignum, non in cujus domeſticos ingrederetur parietes; ſed intima ejus cordis intraret: ait D. Auguſtinus ſerm. 6. de puero Centur. *Non erat dignus, ut Chriſtum domo reciperet; & jam corde receperat.*

5 Præ cæteris humilitatis fructibus recenſetur etiam lumen, quo humilitatis cultor intus illuminatur mente, ut quæ agenda ſunt, videat, & ea exequatur, non ut laudes inde aucupetur, ſed ut ſoli DEO inſerviat, eique famuletur. Imò hoc perſuſus lumine è cognitione ſui veluti è profunda caligine ad notitiam conſcendit cœleſtium arcanorum, rapitúrque in DEUM, cujus amore ferveſcit: eſt enim hæc illuminatio, quam expertus David in ſua humiliatione dixit Pſal. 138. 11. *Et nox illuminatio mea in delicijs meis*: non lumen fulſit in tenebris, non lux ſplenduit in obſcuritate; ſed nox ipſa, ſeu humilitas, quæ in tenebris deliteſcebat illuminatio fuit, qua David arcana cœleſtia videret, ac divina contemplaretur myſteria perfuſus gaudio, delicijs cumulatus; non ſolùm nox, ſeu humilitatis obſcuritas Davidem illuminavit, ſed & cœleſtibus locupletavit notitijs, perfudit delicijs: *nox illuminatio mea in delicijs meis.* Quæ à profundo humilitatis prodit obſcuritas, mentem illuminat, ut videat homo, qualis ſit, & ex ſui cognitione ad notitiam conſcendat cœleſtium arcanorum, Deúmque amet: non enim, quæ ab humilitate procedunt tenebræ, mentem obſcurant, ſed illuſtrant, non obumbrant, ſed clarificant: pergit David loquens de hiſce humilitatis tenebris: *Quia tenebræ non obſcurabuntur à te; & nox ſicut dies illuminabitur*, quia nox humilitatis in diem vertetur æternæ beatitatis; *& ſicut dies illuminabitur*, quia cultor humilitatis in terris, gloriæ lumine perfuſus in cœlis clareſcet ſplendidus, perinde ac dies nullis fœdus nubibus, ſoliſque radijs colluſtratus; nec dies ulli ampliùs erit occaſui obnoxius: neque hujus diei claritas ſemper eadem; ſed ut pergit David Pſal. 138. *ſicut & tenebræ ejus; ita & lumen ejus*: ſeu lumen gloriæ ſua ſubit incrementa juxta gradus tenebrarum, ſeu humilitatis; quò hæc obſcuriùs latet, profundiùs ſe demittit; eò clarior ſplendet dies; & ſublimior clareſcit.

6 Non ſolùm dies ab hac humilitatis nocte ſuam haurit claritatem; verùm etiam DEUS ipſe, quem ex creaturis extrinſecam poſſidet gloriæ ſplendorem à tenebris humilitatis, vult in ſe derivatum Daniel. 3. 74. accerſitur terra non ſolùm ad laudes ſupremo Numini concinendas, ſed etiam ad ejus exaltationem promovendam: *Benedicat terra Dominum, laudet, & ſuperexaltet eum in ſæcula.* Quid? quòd terra elementorum infima vocatur ad benedicendum, imò & ſuperexaltandum Altiſſimum; ſi infimam inter creaturas occupat ipſa ſedem, ſi obſcura jacet in profundo abyſſi, quomodo potis erit Altiſſimum ſuperexaltare, cui non cœnum, ſed cœlum ipſum eſt ſcabellum; ſi id officij ad cœlum potius pertinet, cur terræ, & cœno injungitur? An quia humilitas ſui abjectione, ac in imum demiſſione in ſublime evehit ſupra reliquas creaturas, & DEO proximior ejus gloriam inferioribus manifeſtat? An quia humilitatis ſtudioſis uberiora ſuppetunt argumenta DEUM glorificandi; ejúſque laudes ad ſublimiora evehendas? quia igitur eſt terra ſymbolum, & imago humilitatis utpote reliquis elementis inferior; abjecta in ſuperficie, ab animalibus pede conculcata; obſcura, & cœnoſa in intimioribus ſuis viſceribus; ideo ipſa accerſitur ad gloriam Altiſſimi promovendam, & ſuperexaltandam; quia quò humilitas eſt obſcurior, eò clareſcit ſplendidior; quò abjectior jacet, eò glorioſior ſurgit; & quò profundior deprimitur, eò ſublimior elevatur, & reliquæ creaturæ ei famulantur: cœlum ipſum ſuis influxibus ejus promovet fœcunditatem; ſuo lumine ejus fovet fœtus; ſuo motu ejus excitat inertiam, ſol ſplendet, ſed ſuis radijs terræ favet, quam illuminat, juvátque vim ſibi inditam, qua vegetabilia enititur. Luna ſua ſubit incrementa, ſed plantis famulatur, quæ à matre terra generantur, & nutriuntur, per lunæ ſiquidem incrementa, vires, robúrque acqui-

runt, ac vegetiores luxuriant: aër, & aqua terræ inſerviunt; ille bajulas pluviarum nubes ventorum impulſu hac, illácque transvehit, ut aqua beneficis imbribus ſitienti terræ ſit refrigerio, plantarum ſitim extinguat; & herbarum olers lacteo veluti hauſtu alat, nutriátque vegetiora: ergò quia terra cæteris humilior, ac abjectior creaturis, hæ ſua illi præſtant obſequia, exhibent famulitium.

7 Imò quia terra reliquis elementis eſt humilior, ſupra reliqua eſt fœcundior prole, & dirior virtutibus, quas ſuo tegit in ſinu: etenim ſolis fœtus unus eſt lucis ſplendor; cœli ſoboles unics tantùm in aſtris noctu coruſca; Maris una piſcium propagó, unus grex ſquamigerus: aëris una volucrum fœcunditas: ſed terra, quia cæteris humilior, eſt alijs fœcundior; quot herbarum genera, quot olerum, & plantarum varietates; quot arborum, fructuum, ſegerum, florum, ſtirpium, ſpecies, quot metallorum, lapillorum, ac gemmarum pellucidæ ſoboles? ita eſt, tantò ſit, quis ditior, & fæcundior, quanto eſt cæteris humilior; tantò ſplendeſcit clarior apud DEUM, quantò inter homines deliteſcit obſcurior.

8 Humilitatem, qui excolunt, alijs præſunt; licèt ſerant exilia, metunt tamen grandiora, & divina colligunt beneficia, quæ nonniſi humilibus impertiuntur: idque cauſæ, cur turbæ JESUM ſequutæ in deſerto cœleſtem ſuſcepturæ refectionem juſſæ fuerint diſcumbere Joan. 6. 10. *Facite homines diſcumbere. Erat autem fœnum multum in illo loco.* Tametſi potuiſſent ſtantes cibum accipere, ſéque reficere; juſſit tamen eos ſedere ſuper fœnum: quia cœleſtia beneficia, divina obſonia hominibus reficiendis idonea non dantur ſuperbè ſtantibus, ſed humiliter jacentibus diſpenſantur. Voluit turbas diſcumbere non ſuper terram non innixas ſaxis, ſed ſuper fœnum, quia *omnis caro fœnum*, fœnum fœno ſtravit, quatenus ex notitia ſui ſurgerent ad perceptionem divinorum. Quotquot de Chriſti panibus ſe volunt reficere, diſcumbant priùs ſuper fœnum, ſe humilient, exinaniant, cognoſcant ſe fœnum eſſe. Diſcumbentes ſuper fœnum Chriſti pane reficiuntur, quia humiles tantùm divinis judicantur digni beneficijs; ait Salomon Proverb. 12. 2. *Qui bonus*, ſeu humilis, *eſt*, *hauriet gratiam*, ſeu pellucidos latices, qui ſcaturiunt de fontibus Salvatoris: haurientes aquam neceſſe eſt, ſe inclinent, humilient, ut aquam proprio in fontis alveo hauriant: quia aquas exilientes de fontibus Salvatoris non hauriunt niſi humiles, niſi qui ſe exinaniunt, inclinántque in profundum; hi enim reficiuntur, recreantur divinis laticibus; huc accerſendus Umbertus lib. 4. de erud. relig. part. 2. cap. 4. inquiens: *Humilitas ad nihilum peccatorem adducit, ut ſe nihil reputet: & ex hoc nihilo fit recreatio, ſicut ex nihilo ſimpliciter facta eſt creatio*: reficitur humilis, & eò uberiùs, quò profundiùs ſe inclinat; haurientes aquam eò puriorem, ac copioſiorem hauriunt, quò fons in puteo ſcaturit profundiore; qui ad ima ſe demittunt, aquas ebibunt ſalubriores, ſitimque extingunt rerum temporalium, ac fluxibilium; ſi valles abundant frumeato Pſal. 64. 14. *& valles abundabunt frumento*, quia ut ait D. Bernardus ſerm. de S. Benedicto, in vallibus pinguedo eſt: ibi proficiunt plantæ; ibi plena flaveſcit ſpica, ibi centeſimus oritur fructus: perinde in putei profunditate ſalubriores ſcaturiunt fontes, & à terrena craſſitie, ac infectione defœcatiores, ne ad plenam refectionem æquè in eſculentis, ac poculentis nihil humilibus deſit; cum ubique profunda vallium, profunda puteorum, illa ad famem ſedandam, hæc ad ſitim extinguendam obſonia ſuppeditent. Tunc divinæ refectioni ſumus aptiores, cum ſtudio humilitatis quærimus profundiora, quia ut ait S. Bonaventura ſerm. 2. de S. Andrea Apoſtolo: *ſicut aqua ſemper fluit ad valles: ſic DEI gratia ad humiles.* Fons divinæ gratiæ in cor hominis non aſcendit, ſeu in cor ambitione inflatum; ſuperbia elevatum; quia fonti proprium, & naturale eſt ad inferiora deſcendere, non ad altiora aſcendere. Divina gratia, ſi fons eſt reficiendis animabus peraptus, ſitíque noſtræ extinguendæ idoneus, nonniſi ad humiles deſcendit; ſi frumentum eſt, in valle germinat, fructúmque multiplicat Pſal. 64. 14. *Et valles abundabunt frumento*, vallis eſt humilis intra montium anguſtias umbris amans obſcurari, non elatione ſublimari. Hæc vallis tunc ſemina ſuſcipit, quæ germinant fœcundius, florent lætius; & fructificant uberius, cùm humilis ſe ipſum novit, ſéque exinanit, ſuúmque nihil perpendit: niſi ita ſeminemus, non floret in nobis humilitas.

Quòd ſi humilitas gaudet in umbriferis 9
germinare vallibus, non tamen credas, ibi deliteſcere obſcuram; quia umbræ humilitatis in valle clariores illuceſcunt montium jugis; talis fuit obſcuritas Davidis humiliati Pſalm. 138. *nox illuminatio mea*: hæc humilitatis obſcuritas nitidiſſima eſt fax, quæ præſignat, oſtendítq;, quà ſit eundum per viam pacis, & ſalutis. Illuminandis hominibus nil aptius hac humilitatis obſcuritate. Abſterſurus Chriſtus ab oculis cæci nati cæcitatis caligines, non aliud adhibuit collyrium, quàm ipſum humilitatis ſymbolum, quod cæteris omnibus prætulit pharmacis Joan. 9. *Luto oculos ejus linivit*: quid luto humilius? naſcitur ex humo; quid luto abjectius? coaleſcit ex pulvere, & humore; quid luto contemptibilius? conculcatur à brutis, quorum veſtigia ſuſcipit, ac ſervat, declinatur ab homine, ne inde maculas contrahat; nil certè luto deſpicatius; in terræ imo naſcitur, adoleſcit, ac ſeneſcit; & nihilominus, quia humili gaudet ſede cæcis illuminandis peridoneum aſſumitur collyrium: cæcutientes oculi luto illiti tenebras excutiunt cæcitatis; & illuminantur: ita eſt ibi lutum, ſeu humilitatis

ſym-

ſymbolum ſplendet clarius, ubi humilitas in tenebris jacet obſcurior: abſterguntur luto oculorum caligines, abiguntur tenebræ; & cæcus virtute Chriſti videt; ut humilitatis medica virtus appareat, quæ ſupero lumine mentem perfundit, cæcitatem abſtergit, ut divina videre queat: qui ſibi eſt vilis, qui luto non detrectat copulari, memor propriæ conditionis, hic collyrium adhibet, quo cæcitatis caligines excutit, & ſuperna, ac divina videt; & huc collineavit S. Ambroſius *lib. de Viduis* inquiens. *Cæci oculos luto illinit, ut videre poſſet; creatórque omnium docet, nos noſtræ memores debere eſſe naturæ, & corporis cernere vilitatem: nemo enim magìs poteſt videre divina, niſi qui humilitatis ſuæ conſcius neſcit extolli.*

10 Nil efficaciùs cæcitatis caligines excutit, nil clariùs illuminat luto humilitatis. Prodigus adoleſcens apud Luc. 15. inter ſplendores domeſtici parietis cæcutiens portionem ſuam petijt, quam vitijs indulgens abliguriret; & tunc tantum excutere cœpit caligines cæcitatis, ſuóſque videre errores, cum in imum fuit dejectus humilitatis; fame preſſus ſuilli gregis addicitur cuſtodiæ; aſſueta bruta animalia in luto volutari lutum objecerunt cæco adoleſcenti, qui propriam cœpit conditionem videre; ac excutere cæcitatis caligines: ad patrem reverſus in genua procumbens proteſtatur, ſibi non deberi cum filijs ſedem: Joan. 15. *Jam non ſum dignus vocari filius tuus.* Et ne ex ſola modeſtia crederemus prodijſſe hunc humilitatis fructum, radices hujus plantæ præmiſerat, cum dixit: *Pater peccavi in cælo, & coram te,* ſuum fatetur humilis errorem; ſéque aſſerit indignum paternæ hæreditatis. Verùm fuiſſe lutum, quod cæcutientem adoleſcentem illumivaverat, ejus nuditatem cooperuit ſtola candida, eúmque paternæ gratiæ reſtituit. Ille, verè ſapiens, qui humilitatis perfuſus lumine ſuam intuetur, ac perpendet vilitatem; ſéque flocci faciens in imo ſe detinet humilitatis. Non ſuperbis, & altiora petentibus, ſed humilibus, & in imo jacentibus dat DEUS intellectum, oculos mentis aperit, ut divina videntes ſtolâ induantur Pſal. 118. 130. *Intellectum dat parvulis,* ſeu humilibus: eſt enim humilitas clavis ſcientiæ pertinentis ad intellectum Luc. 11. 52. *Tuliſti clavem ſcientiæ:* hæc autem clavis ſcientiæ ipſa eſt humilitas, quæ parvulis dat intellectum; ut divina contemplentur: *quia ſuperbi*, ait Hugo Cardinalis in Pſal. 118. *ad rerum divinarum contemplationem ingredi non poſſunt.*

11 Niſi collyrio humilitatis inungantur mentis oculi, iſti, non vident divina, ſed veluti cæcutientes talpæ nonniſi terrena ſapiunt: unde Joan. 3. 18. nos monet, ut collyrio humilitatis cæcitatem oculorum abſtergamus. *Collyrio inunge oculos tuos,* ſeu ut explicat Rupertus: *Cor tuum vera humilitate purifica, ut paupertatem tuam videas, & divitias bonitatis DEI agnoſcas.* Cœleſtia, & divina myſteria non vident niſi in humili conſtituti. è profundo putei etiam ſplendente ſole cœli divitiæ, ſeu ſtellæ, ſplendentes olympi gemmæ aſpiciuntur; quæ prorſus latent ſublimioribus inſedentes montium faſtigijs Luc. 10. 21. *Abſcondiſti hæc à ſapientibus,* ſeu ſuperbis eminentias, & altitudines quærentibus: *& revelâſti ea parvulis,* ſeu humilibus in imo ſuæ vilitatis jacentibus; ſomnia Pharaonis non revelavit DEUS ſapientibus Ægyptijs, neque magnatibus ex aula; ſed humili Joſepho tunc detruſo in carcere, cujus tenebræ mentem humilis illuminârunt, ut quid veritatis in ſomnijs lateret, clarius videret: ait Stella in Luc. 19. 21. expendens verba Chriſti. *Confiteor tibi Pater, quia revelaſti ea parvulis. Oculi eminentes imbecilli ſunt viſus; ſubmiſſi melius vident.* Hinc etiam Salomon ſagacitatem, aſtutiam, ſeu intellectum præ grandioribus dari parvulis edixit Proverb. 1. 4. *Ut detur parvulis aſtutia,* nectitur aſtutia parvulis, quia DEUS humilibus intellectûs ſagacitatem impertitur, ut clarius divina contemplentur: imò & natura ipſa vires, quas parvulis denegavit animantibus, viſa eſt aſtutiâ ſuppleviſſe juxta vulgatum illud. *Ingenio pollet, cui vim natura negavit:* experimur, vulpes aſtutiores elephante, & leone; canem ſagaciorem camello; ſimiam ſolertiorem bove; ex avibus parviores eſſe in cantu erudiriores, & concentu doctiores aquilis, aliiſque mole corporea grandioribus: ſi ad humillima deſcendimus inſecta, quid formicis prudentius; apibus induſtrioſius; aranea ingenioſius? ſi veram ſatagis ſapientiam enanciſci, ait Salomon Proverb. 2. 2. *Inclina cor tuum,* docet Salomon modum ſapientiæ acquirendæ; eſtque inclinare cor ſuum ad ſapientiam, eique ſe humiliare; ſéque ipſum cognitione ſui nihili exiſtimare; quò plus humilis ſe exinanit, ſéque deprimit eò uberiori gratia diteſcit, & eminentiori ſapientia clareſcit, quia ubi humilitas ibi ſapientia; ait Hugo Cardinalis. *Inclinare eſt cor ad cognoſcendam prudentiam humiliare:* vel ut expendit Beda, *inclinare cor, eſt emundare cor, quod dignum fiat ad percipienda myſteria veritatis.*

Vera ſapientia non percipitur, niſi per 12
aures inclinatas, per animum humiliatum mentem ingrediatur audientis; non ſufficit, aures aperire, ſed neceſſe eſt inclinentur, ſeu cervices humilientur Eccleſ. 6. 34. *Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam,* in hac aurium inclinatione humiliationem agnoſcunt Interpretes præſertim Hugo Cardinalis, quòd ſi per aures inclinatas, per ſtudia humilitatis ſapientiam perceperimus, hæc mira operabitur etiam per exigua, & humilia inſtrumenta; & grandia proſternet; an non fuit ſapientia, quæ in Samſone arreptâ mandibulâ Judic. 15. v. 15. *mille interfecit viros?* An non fuit ſapientia; quâ 2. Reg. 23. 8. *David quaſi teneriimus ligni vermiculus octingentos interfecit impetu uno,* ait Rupertus: *per humiliora inſtrumenta DEUS glorioſius triumphat;* ne de proprijs ſe poſſit homo viribus

jactare; ſed totum divinæ tribuat Sapientiæ, cui per exercitia humilitatis aures ſuas inclinavit: ſcitè Salvianus lib. de Provid. cap 7. *Quando DEUS evidenter intelligi voluit, magna opera à ſe patrari, aut per paucos, aut per infirmos res acta eſt: ne opus cœleſtis dexteræ virtuti aſſignetur humanæ. Ideo Dux Siſara, quem Hebræus timebat exercitus, à muliere imbelli proſtratus eſt.*

13 DEI Sapientiâ non repletur ignis, quia lunæ conterminus ſupra cætera elementa ſublimem ſibi ſedem uſurpat; non ditatur aër, qui ſuper reliqua duo eminet elementa; neque aqua locupletatur, quæ terram obtegit, cui ſuperſtat; ſed elementorum infimum, ac humillimum Iſa. 11. 9. *Quia repleta eſt terra ſcientia Domini*: ſi quæras, quænam ſit hæc ſcientia Domini, quæ mira efficit ſuper terram, quam replet; reſpondet Rupertus *lib. 2. in Iſa.* hanc eſſe humilitatem propriam terræ, quæ infima inter elementa locum occupat. Humilitas congruit terræ, quæ cum ſit fundamentum, quo ædificia materialia eriguntur in ſublime; perinde humilitatem fundamentum eſſe dixeris, cui virtutes omnes innituntur; nec poſſit quisquam ad ſanctitatem aſcendere, quin priùs per humilitatem deſcenderit; neq; ipſe Phariſæus fuiſſet à DEO juſtificatus, niſi fundamentum ſanctitatis poſuiſſet ipſum deſcenſum, ſeu humiliationem Luc. 18. 14. *Deſcendit hic juſtificatus*, quia deſcendit, aſcendit ad juſtificationem; quia humiliavit ſe, juſtificatus ſurrexit: ſine deſcenſu in effoſſo fundamento non conſtruitur ædificium, neque in altum erigitur; & ſine ſtudio humilitatis nulla ſtat ſanctitas, quia ut monet S. Gregorius homil. 7. in Joan. *Qui ſine humilitate virtutes congregat, quaſi in vento pulverem portat.* Qui flante aura diſſipatur, ac evaneſcit.

14 Non in magnis, neque vaſtæ molis corporibus virtus conſiſtit, ſi propria ſublimitate tumida ſuperbiant; ſed parvis, exiguis, & humilibus ineſt eò fortior, quò res, cui nititur, eſt infirmior: neque vis illa mira Samſonis in corporis oſſibus, neque in membrorum nervis fovebatur corroborata; ſed in exiguis hærebat capillis; quid crine tenuius, quid capillo imbecillius: & tamen firmitas Samſonis in capilli infirmitate reperiebatur fundata; quia ut ait S. Cyrillus in Apolog. cap. 18. *virtus Spiritus humilitas eſt*; & virtus corporia parva ſemper eſt, niſi & virtus adſit animi humilitati innixa; eſt ſiquidem humilitas ſtabile fundamentum reliquarum virtutum, & fulcimentum totius profectus ſpiritualis, quod ſi nutet, neceſſe eſt, corruat ædificium, ait D. Bernardus de conſider. ad Eugenium lib. 5. *Si nutet humilitas, virtutum aggregatio nonniſi ruina eſt*; non enim ſine humilitatis fulcimento ſtat virtus. Jacob ſenio confectus, cum noviſſet, eſſe brevi ſolvendum naturæ penſum, eò quia mors immineret, ſingulis filijs ſuis benedixit, antequam mortalitatem exueret; & eorum arguens defectus futura prædixit; & ſolum Iſſacharem dixit futurum virum fortem. Quærunt Interpretes, cur fortitudinem ſoli tribuerit Iſſachari, cum conſtet in tolerandis adverſis fortem fuiſſe Joſephum. Sed quia Iſſachar præ cæteris fratribus humilitatem excoluit, ideo præ alijs prædicitur fortis; humilitati fortitudo tribuitur, ut fulcimentum ſit reliquarum virtutum; hæc eſt munitio; hæc eſt murus inconcuſſus; hæc inexpugnabilis turris, è qua mille pendent clypei ad retundenda hoſtium tela; hæc totum fulcit, ac ſuſtinet ædificium; non ſinens contra ventorum violentiam, imbrium delabentium impetus, vímque ſpirituum dejici. Iſſachar ideo fortis, quia humilis Geneſ. 49. 14. *Iſſachar aſinus fortis.* Quid inter quadrupedes aſino vilius? quid abjectius? quid laboribus exantlandis, oneribus vehendis, inediæ ſitíque tolerandæ magìs aſſuetum? Igitur Iſſachar, quia humilis ſibi viluerat, quia aſinum animal præ cæteris vilius ſe reputaverat; ab humilitate, quæ inconcuſſum eſt reliquarum virtutum fundamentum, ac fortiſſimum propugnaculum fortis deſumpſit nomenclationem. *Iſſachar aſinus fortis*; quia humilis ut aſinus, fortis effectus eſt in laboribus exantlandis, adverſis tolerandis; quia humilitas armatur virtute Judic. 15. 16. *In mandibula pulli aſinarum delevi eos*, non haſtâ, non gladio, non telo dextram armavit; ſed ſymbolo humilitatis, mandibula pulli aſinarum; non bellicus apparatus, non armorum acervus; ſed humilitas, qua fuit Samſon in mandibula aſinæ corroboratus Philiſthæos delevit, & de proſtratis adverſarijs indelebilem retulit victoriam: huc acceſſendus B. Petrus Damianus *lib. 6. epiſt. 17.* *Quid eſt per jacentem mandibulam aſini mille viros occidere; niſi per linguas humilium, atque ſimplicium perfectum non credentium numerum à pravitatis ſuæ ſtatu dejicere, atque per humilitatem Chriſti per ſanctæ prædicationis officium inclinare?* Neque Jonathas ad debellandos adverſarios alia voluit arma adhibere, quàm ſelecta, & deprompta ex armamentario humilitatis. Pugnaturus cum hoſtibus humiliavit ſe 1. Reg. 14. 13. *Aſcendit Jonathas manibus, & pedibus reptans, & armiger ejus poſt eum. Itaque alij cadebant ante Jonatham; alios armiger ejus interficiebat ſequens eum.* Non erecto ſupercilio, non ſuperbo capite; ſed toto corpore incurvatus aſcendit Jonathas ad victoriam, *manibus, & pedibus reptans*, ſeu humiliatus, in terram inclinatus; non aſcendiſſet victor, niſi deſcendiſſet humiliatus toto corpore.

David, quem non valuit Saulem perſequentem armis vincere, ſuperavit humilitate. Latebat David profugus una cum ſexcentis ſuis ſelectis militibus in ſpelunca longo receſſu opaca; tenebríſque obvoluta Engaddææ ſolitudinis, ubi cingebatur à Saule tribus millibus armatorum virorum ſtipato, qui ad internecionem profugum Davidem inſequebatur. Seceſſerat forſan levandæ naturæ cauſa Saul ad os ejusdem ſpelæi: occaſionem divinitus miſſam ſe tandem eximendi à perſe- 15

cutio-

cutionum moleſtijs ſuggerunt commilitones delitеſcenti intus in eodem ſpelæo Davidi, quem enixim rogant, velit oblatam ſibi à DEO opportunitatem interficiendi tyrannum ſitientem effuſionem ſanguinis innocentis non negligere; neque ſuis elabi è manibus hanc ſibi paratam occaſionem finem imponendi tot miſerijs, quibus afficiebatur, tot anguſtrjs, quibus premebatur, tot perſecutionibus quibus adigebatur profugus, & extorris errare per ſylvas, vagari per montes, latere in ſpelæis: ſuadent, ut egregium facinus excitato animo audeat, & uno interfecto omnium ſaluti conſulat: ſurgit David, & tacitus, laneiſque pedibus ad Saulem appropinquat, capitalem hoſtem, & tyrannum iniquè perſequentem interfecturus; ſed cum jam propior acceſſiſſet eum ſuſcepti conſilij pœnituit; aliúdque concepit, non ferro, neque ſanguinis fuſione ſe à perſecutione tyranni liberandi, ſed humiliatione ſe ſubtrahendi ab anguſtijs, quibus coarctabatur; unde non lethale vulnus gladio infligit; ſed forficibus fruſtum regiæ clamydis abſcindit; maluit veſtem diſcindere, quàm corporis integritatem lædere, cutemque membrorum ferro diſrumpere; nefas ratus in eum ſævire, quem DEUS in regem unxerat, & ad ſui populi elegerat imperium: Egreſſo Saule ex ſpelæo David quoque in apertum progreditur, regem inclamat, quem ſubmiſſa veneratione, humilique obſequio ſtudet mitigare, animúmque exaſperatum pharmaco propriæ abjectionis, & exinanitionis lenire; deinde modeſtè conqueritur; quod injuſtis perſecutionibus infeſtetur, cum ipſe nihil mali egerit, neque in regem unquam peccaverit, licèt in ſpelæo facili negotio potuiſſet ipſum injuſtè perſequentem interimere, capútque ei amputare, perinde ac regiæ veſtis laciniam forficibus præſcidit abſque ullo obice; veritatis teſtem clamydis abſciſſum fruſtum exhibuit, quem, cum vidiſſet Saul, obſtupuit, neque potis fuit à fletu ſe temperare, & lachrymis madidus ſe reum, & Davidis innocentiam faſſus eſt; duritiem Saulis perſequentis emollivit non ſanguinis fuſione, ſed verborum humiliatione; non armorum ſtrepitu, ſed animi demiſſione: implacabilem hoſtem compellans, clamavit 1. Reg. 24. v. 9. *Domine mi rex. Et reſpexit Saul poſt ſe: & inclinans ſe David pronus in terram adoravit*, vocat inimicum perſequentem Dominum, & regem, cui ſua præſtitutus obſequia pronus in terram procumbit; ſed hac ſui demiſſione, ad victoriam de ſuperato inimico ſublimior elevatur: utque firmiùs delatum de victo hoſte triumphum ſtabiliat, ſubdit paucis interjectis: *Pater mi vide, & cognoſce, quem perſequeris Rex Iſraël, quem perſequeris? canem mortuum perſequeris, & pulicem.* Vocat inimicum patrem non ſanguine, ſed ætate, cum Saul ſexageſimum tunc exceſſiſſet annum; & David ſeptimum ſupra vigeſimum ageret, potuit Saul ætate dici Davidis pater; imò etiam affinitate, cum eſſet ſocer ob ductam à Davide in uxorem Saulis filiam; ſunt maritus, & uxor caro una, proinde unus utriusque pater dici poteſt: ſed quem vocaverat Patrem, etiam regem edixit, quem pronus in terram adoravit; ſeque comparativè ad tantam regiam Majeſtatem, *Canem mortuum, & pulicem unum*, fatetur; quid deſpicatius, quid abjectius cane mortuo? cujus fœtor intuentes abſterret; quid pulice vilius, quid parvius? & tamen ad hæc exigua, & abjecta ſe demittit rex David, quibus & ſe parem facit, nec ipſum pudet, cum ijsdem vileſcere. Sed cum ſe abjecit, ſplendidior ſurrexit ad triumphum: quam efficax fuit vox Davidis ſe demittentis ad intima brutorum; quàm valida, & potens humilitas, quæ adamantinum cor Saulis confregit; iram extinxit, furorem lenivit, impetum coërcuit; & ejus duritiem non ſolùm emollivit, flexítque ad veniam, & vota Davidis, verùm etiam ſolvit in lachrymas, quibus palmas rigavit, quibus humilitas Davidis triumphavit: duplicem triumphum uno conflictu retulit, quia non ſola humilitas victrix ſurrexit ex ſui demiſſione ad abjectiora animalia; ſed ex commentia vindictæ in ipſo ſpelæo Engaddææ ſolitudinis veluti Martio in campo vicit eò clariori victoria, quò pugnæ locus erat obſcurior: huc accerſendus S. Chryſoſtomus *homil 2. de Davide, & Saule*, ubi appoſitè expendit hanc duplicem delatam victoriam inquiens: *Saulus egreſſus eſt è ſpelunca; egreſſus eſt autem poſt illum, & David, libe-ris oculis cœlum intuens; ac tunc temporis magis exultans, quàm cum Goliath dejeciſſet, ac barbari caput amputaſſet. Siquidem hæc illâ præſtantior erat victoria; hæc munificentiora ſpolia, hæc præda illuſtrior, hoc glorioſius trophæum. Itaque redjit non barbari illius caput geſtans, ſed animi commotionem ſuperatam; ſed iram enervatam: neque hæc ſpolia repoſuit Hieroſolymæ, ſed in cœlo, inque ſuperna illa civitate: nunc haudquaquam in choris obviam veniebant fœminæ excipientes illum cum laudibus: ſed angelicus populus è ſublimi applaudebat admirans ejus Philoſophiam.*

Humilitatis ſtudioſus fuit David, ideoque non ſolùm Saulem ſuperavit, ejúſque duritiem emollivit, ſed etiam Gigantem ſuperbientem proſtravit; exilivit hic in campum cataphractus, ferro armatus, ſuperbia elatus; ſéque illi oppoſuit inermis David fundâ tantùm ſtructus, & lapide munitus, quem in exſiccato torrente inclinatus in humum, ſeu humiliatus ſelegerat; humilitate igitur armatus ad ſingulare certamen in vallem deſcendit contra Goliathum cataphractum, qui adoleſcentem intuitus inermem, nullóque dimicationis apparatu formidabilem, in quo debellando plus pudoris, quàm gloriæ colligeret, indignabundus juſſit è conſpectu facеſſere imbellem canem, niſi mallet pedibus proteri, & corvis dari in pabulum. Sed David, qui inermis contemptui fuit armato, non ſibi fidens, ſed DEO ad minas Philiſthei non cecidit animo, ſed belli ferveſcens ardore poſt 14

ver-

verborum velitationem certamen inivit, in quo Goliathus toto corpore cataphractus obviavit Davidi vibrans manu ingentem haſtam: ſed David ſilicem illicò è pera extrahit, fundæ imponit, librátque ictu tam deſtinato, ut excuſſus lapis mediam Philiſthæi vulneraverit, fregerítque frontem, & gigantea moles, turris carnea inſtar bovis procubuerit, & victor David ſuperſtans jacenti educto gladio ex proſtrati adverſarij vagina caput amputaverit. Humilitas exculta à Davide quæque caput eſt reliquarum virtutum, caput præſcidit ſuperbientis adverſarij; humilitas, qua David Goliatho imbellis videbatur, quem indignabundus juſſerat è ſuo faceſſere conſpectu, niſi ſuis illicò mallet proteri pedibus, ac in pabulum extradi corvis; caput proſtravit cataphracti, ac minitantis gigantis. Pugnavit David inermis, quia humilitate loricatus, proinde à DEO viribus corroboratus; Pugnavit Goliathus, ſed armis cataphractus, & proprijs viribus ſuperbiens; & ideo cecidit proſtratus: ſcite Auguſtinus *ſerm. 5. dë verbis Apoſtoli. Qui pugnat viribus ſuis, antequam pugnet, proſternitur.* S. Chryſoſtomus homil. de David, & Goliath: *David dixit ad eum. Tu venis ad me fidens in gladio: ego in DEO. Tu terrenis armis dimicas; ego cœleſtibus pugno: tu in lancea, ego in fide; tu in clypeo, ego in pace; tu venis ad me in armorum virtute? ego in potentiſſimo adjutore. Denique in Te tua arma vertentur: in te tuus gladius exeretur: DEI erit, & ipſa victoria.* David humilitate dejectus pugnavit inermis: Goliathus ſuperbia elatus dimicavit armatus; ſed iſte cecidit proſtratus, & ille ſurrexit victoria colluſtratus; quia humilitate dejectus; quia quam humilitas gloriam fugit, aſſequitur: dum ſe ad ima demittit, ad altiora evehitur; dum deſcendit, aſcendit. Jonathas aſcenderat glorioſior, ſed quia deſcenderat humilior 1. Reg. 14. 13. *manibus, & pedibus reptans.* David quia humilis, & inermis fuit Goliatho contemptui 1. Reg. 17. 44. *Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cœli.* Flocci fecerat Goliathus Davidem: ſed humilitas iſtius ſuperbiam proſtravit illius, appoſite S. Auguſtinus in Pſal. 143. *Provocavit Goliath David: provocavit impietas pietatem: provocavit ſuperbia humilitatem; poſtremo provocavit diabolus Chriſtum, quid miramini diabolum victum? ille erat grandis ſtatura corporis; iſte autem parvus ſtatura, ſed fide magnus.*

17 Non in corporis magnitudine ſita eſt bellica fortitudo; ſed in animi demiſſione, in ſpiritus humiliatione Habac. 3. 4. *Ibi abſcondita eſt fortitudo ejus.* Quòd ſi quæras, quænam ſit hæc fortitudo, non credas, eſſe in caſtris armorum apparatu cataphractam, neque in aulis corporea mole ſublimiorem; ſed in caulis humilitate depreſſam; in aſceterijs demiſſione dejectam, ut explicat Drogo Oſtienſ. de Sacram. Dominicæ Paſſionis inquiens: *Quæ eſt fortitudo ſua niſi humilitas?* hæc vera fortitudo abſcondita, ne pateat, ſed ſecuriùs ad pugnam erudiat, ad victoriam inſtruat; hanc nos magiſter Chriſtus edocuit Matth. 11. 19. *Diſcite à me, quia ſum humilis corde*, non dicit. diſcite à me famelicas turbas in deſerto multiplicato pane reficere, quatriduanos mortuos è ſepulchro evocare, ac priſtinæ reſtituere vitæ; cæcos illuminare, ut rectè procedant, & quò ſit eundum, videant, ne à via aberrent veritatis; claudis greſſum dare, ut rectè ambulent: fluxa elementa conſolidare ut pedi calcanti, & ambulanti obſiſtant, & propriæ fluxibilitatis oblita naturam induant ſicci, durique itineris: hæc quia vires totius naturæ excedunt, non vobis propono, ut imitemini: ſed quia *humilis ſum.* Tutior eſt, & efficacior profunda, & deliteſcens humilitas, quàm ventoſa celſitudo, hæc enim ventorum procellis, ac mentibus objecta fulminibus percuſſa facilè conteritur; illa abjecta, & deliteſcens ſecurior, ac firmior ſtat in imo profundi, & quo cadat, non pavet, nec ruinas ex eminentia expavet: hinc de humilibus ait Chriſtus Luc. 12. 32. *Nolite timere puſillus grex*, non armorum apparatu, non virium corroborata firmitate, non fœderatorum ſuppetijs timorem abigit; ſed ſolo humilitatis titulo illum excutit: *Nolite timere puſillus grex*, puſillitas, ſeu humilitas animum erigit, vires adauget, ſpiritus ſuppeditat ad timorem omnem excutiendum, & fortiter ſtandum ait S. Chryſologus ſerm. 32. *Puſillum gregem humiles vocat: quia humilitas omnem prorſus timorem excutit, & fortes reddit* ad pugnam contra adverſarios, qui in nos irruunt, & proſternit, ſi imbecilles nos invenerit; & debellantur ipſi, ſi fortes nos deprehenderint bellatores; ait Apoſtolus Epheſ. 6. 12. 13. *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem: propterea accipite armaturam DEI.* Olim pugiles non ferro cataphracti in arenam pugnaturi exiliebant; ſed veſtibus ſpoliati adverſario obviabant; non gladio armati, non lorica muniti, ſed nudo pectore, manúque inermi in arena pugnam inſtituebant: is fortiter armatus, qui nudus per humilitatem luctam inſtituebat, quatenus non proprijs armis, & viribus luctabatur; ſed virtute divina ei per humilitatem impertita; egregius pugil fuit D. Paulus, qui non niſi victoria certus luctabatur: ideóque ſcripſit 2. Corinth. 12. 9. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitent in me virtus Chriſti.* De propria gloriabatur infirmitate, quâ vera munitus humilitate Chriſti virtute muniebatur ad victoriam contra ſpiritus nequitiæ, contra perduelles concupiſcentiæ affectus, mundíque illecebras.

Pugnavit etiam contra ipſum tartareum 18
hoſtem Jobus princeps regionis Hus, ſeu Idumææ; ſed ne caderet in conflictu eò periculoſiore, quò cum armato, ac fortiſſimo hoſte erat pugna ineunda, ab ipſa humilitate, cum qua fœdus inivit, ſuppetias petijt; viribus deſtitutus humanis inermis, & ſeminudus pugnæ campum eligit vile, abjectum fœtidum ſterquilinium: quid abjectius, quid vilius, ac humilius ſterquilinio? hunc tamen

certaminis campum ingreditur Huſſæus princeps cum Dœmone pugnaturus; & quia adverſarius elementa ipſa erat contra Jobum excitaturus; ne caderet impetu aliquo adverſarij imperitus noluit ſtans pugnare, ſed ſedens, ut eò firmior ſtaret victoria, quò humilior, & loco, & corporis ſitu adverſarij ictus retunderet: Job. 2. 8. *Sedens in ſterquilinio*. Sedens in humillimo, & abjectiſſimo fimeto, quò caderet, habere non poterat, cum locus humilitate depreſſior non eſſet. Pugnaturus igitur Satan cum Jobo totum viſus eſt Acherontem in ipſum moviſſe; & in omnes nocendi vias intentus, & homines, ac elementa contra ipſum etiam armâſſe: Sabæos Huſſææ regionis conterminos excitavit, ut violentis excurſionibus in Jobi ditionem irruerent, qui tanto impetu irruperunt, ut mille quingenta majoris pecoris capita, boum ſcilicet, & aſinorum abigerent, cuſtodibus gladio trucidatis, uno excepto, qui perferret funeſtiſſimum nuntium ad Jobum, qui tamen mentis tranquillitatem, nec frontis ſerenitatem nube ulla triſtitiæ turbavit; ſed clypeo patientiæ, & humilitatis hocce primum retudit telum: ſed mox alter ſuperveniens nuntius, ſtupens ſenſu ait: cœlum O princeps tibi, tuóque gregi eſt averſum: Iratus DEUS voracem ignem in tuos ovium greges accendit, & ſeptem millia ovium unà cum opilionibus vaſto incendio abſumpſit, ne ulla quidem victimâ ſuperſtite, qua DEUM tibi iratum placare poſſis; ego ſolus è flammis evaſi incolumis, ut tibi nunciarem. Vix ſecundus ultima protulit verba, tertius ſtatim adfuit famulus, qui vultu ſubtriſti, voce ſingultu frequenter fracta dixit, Chaldæos equites rapto vivere aſſuetos in tres partitos turmas tria camelorum millia in prædam abſtraxiſſe cæſis famulis uno excepto teſte inexpectatæ ſtragis, ut tibi nuntiaret, quæ contigerunt. Vix tertium audivit triſtia narrantem; comparuit, & quartus, nuntians, vehementi turbine concuſſis atque avulſis à fundamento quatuor ædium angulis domum corruiſſe, & ruinis inſepultos manſiſſe ſeptem filios, & tres filias ſimul eadem in domo convivantes, ſed ad hæc triſtiſſima Jobus firmior adamante nullum impatientis animi prodidit ſignum; nec prædones, nec fortunam adverſantes, nec dœmones inſultantes incuſavit; ſed tantùm veſtium dilaceratione dolorem ſuum teſtatum voluit, & caput more lugentium abraſit; móxque coram luctuoſiſſimis nuncijs intenta ora tenentibus procumbens in genua DEO gratias egit, eò quia dignatus ſit illius meminiſſe, ac promerita flagella in ipſum exercuiſſe; & cum nudum in hujus lucis uſuram terra mater eum protulerit; nudum etiam hinc abeuntem ſit ſuſceptura. Job. 2. 20. *Tunc ſurrex.. Job, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram adoravit, & dixit: nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. Dominus dedit, Dominus abſtulit; ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.*

Tametſi tartarei hoſtis homines, & elementa, imò & totam Acherontis rabiem in eum moverit, non tamen illum movere potuit à mentis in DEUM adhæſione. Quamvis fecerint hoſtes per ſummam injuriam, quæ Jobo damna intulerunt; mente tamen imperturbata, æquóque animo adverſa quæque toleravit; & ideo victor ſtetit, quia humiliatus, & abjectus ſedens in ſterquilinio pugnavit; neque ſibi, ſed DEO epinicion cecinit, cui gratias egit, eò quia pro ſua æquitate, & providentia præclarè ſecum egerit, ſuúmque amorem oſtenderit: cum quos ipſe amat, flagellet, ut per paſſiones incremento cumulentur meritorum, & ad ſublimiora gloriæ faſtigia aſcendant ovantes. Tametſi victus ringeret tartareus hoſtis, non tamen deſtitit à pugna, nec receſſit à certamine; ſed ad expugnandam animi conſtantiam, ad diſrumpendam adamantinam pectoris firmitatem novas molitur machinas, quibus non ampliùs eminus in armentis, ovibus, ſegetibus, domo, & prole ipſum invadat; ſed cominus eum expugnaturus, in ipſum Jobi corpus ſævijt, cui plura inflixit vulnera, & membra fere omnia ſauciavit, diſrupit, dilaceravit, nunquam tamen animi læſa integritate, cui per fracta membra illuſtriùs, firmiúſque conſuluit. Horrendo igitur ulcere totius corporis membra, omniúmque membrorum artus inficiuntur, & dolore acerbiſſimo affliguntur; mox tota fere morborum cohors Jobum facto impetu invadit, ut nulla membrorum pars à calce ad verticem ſine vulnere, abſque ſanguinis, vel puris fuſione videretur. Sunt, qui morborum genera quatuor ſupra viginti recenſeant, quibus hoſtis Acheronticus veluti totidem inflictis vulneribus in omne Jobi corpus deſævijt per intervalla tamen, quò ex morborum diuturnitate in deſperationem tandem dejiceret. Sed Jobus quamvis morborum, dolorúmque immanitate diriſſimè vexatus, ſemper victor fortiter ſtetit, quia pugnavit humiliatus, & abjectus Job 2. 8. *Sedens in ſterquilinio*, & quia ita ſedit, fortiter ſtetit. Potuit Satan permittente DEO corporis membra inflictis ulceribus diſrumpere, nunquam tamen animi conſtantiam frangere; potuit totum corpus lacerare, nunquam tamen integritatem lædere, omnem adhibuit violentiam, impetus iteravit, ut eum dejiceret, ſed nunquam cecidit, quia *ſedens in ſterquilinio*, & quia ſedit abjectus, & humiliatus ſtetit victor, & glorificatus.

Non igitur miremur, ſi Jobo in ſterquilinio ſedente omnia Diaboli, & totius Averni machinamenta fuerint diſturbata; quia cum ſederet in fimo, non habuit, unde caderet; ſed tantùm quò firmior ſtaret, quia ita humiliatus, & abjectus ſedens: cecidiſſet forſan; ſi ſteriſſet; ſed quia ſedit, firmior ſtetit: ſed quomodo ſi ſedit, ſtetit? quia per ſeſ-

ſeſſionem corpus inclinatur: & humiliatur; ſeſſionis igitur humiliationi; & ſterquilinij abjectioni innixus ita ſedit, ut firmior ſtaret: ſunt humilitas, & ſui dejectio fulcimenta, quæ non ſinunt eum cadere, qui ijsdem innititur. Hinc. S. Chryſoſtomus ſerm. 2. in Epiſt. ad Rom. 2. 12. *Humilitatem exerceamus; nihil enim illâ potentius: ſed & petrâ eſt fortior, & adamante ſolidior; & in majorem nos ſecuritatem collocat, quàm queant, vel turres, urbes, muri; omnibúsque Diaboli machinationibus ſublimior facta contingere volentibus, inſuperabiles facit.* Potuit Satan Jobi corpus morbis inficere, doloribus torquere, ulceribus dilacerare, nunquam tamen ejus integritatem lædere: potuit morborum cohorte illum aggredi, totóque impetu in ipſum irruere; non tamen illum ſuperare: quia *in omnibus his non peccavit Job labijs ſuis* Job. cap. 2. Quamvis humiliatus, & ſedens in ſterquilinio; quia humilis in DEO ſperavit, omnes inimici conatus fruſtravit: unde etiam David ajebat Pſal. 26. *Si conſiſtant adverſum me caſtra, ſi exurgat adverſum me prælium.* Si totum adverſum me moveat Acherontem: *ego tamen in Domino ſperabo*: potuit Orcus totus ſuas in Jobi perniciem vires omnes exerere; non tamen valuit illum à ſua dimovere conſtantia, neque quatere, ut caderet; quia ſedens in ſterquilinio in DEO ſperavit, neque ipſum ſua fefellit ſpes: ſiquidem ob partam victoriam de Phlagethonteo inimico priſtinæ, & meliori fuit felicitati reſtiturus, corpore ſanior, viribus validior; bonis fortunæ locupletior: amici ei obviârunt, à quibus inter plauſus, & gratulationes delatus in regiam fuit Job. 42. 11. *Et reddidit Dominus omnia, quæcunque fuerint Job duplicia. Venerunt autem ad eum omnes fratres, & univerſæ Sorores ſuæ, & cuncti qui noverant eum priùs, & comederunt cum eo panem in domo ejus.* Pugnavit Satan cum Jobo, ſed eum non expugnavit, quia ſuperbia Luciferi, qui veluti maris procella tumentibus ſuis fluctibus ſubmergere, ſeu obruere Jobum nitebatur, ac imminens naufragium minabatur; in arenam impingens humilis Jobi ſedentis in ſterquilinio diſrupta detumuit, & quaſi præ rabie ſpumas ſuas reſorbuit retrocedens. *Poſui arenam terminum mari* Jerem. 5. 22. Quid per Maris arenam ſignatur, quàm humilis: hunc DEUS terminum poſuit ad vincendum tumorem ſuperborum: ad erectos fluctus inſoleſcentis procellæ adverſitatum diſrumpendos, ait Rabanus Maurus: *Arena humiles ſignificat; quos DEUS poſuit ad vincendum tumorem ſuperborum.*

21 Non ſolùm maris arena tumentes coërcet procellarum fluctus; ſed etiam in domo Abrahæ propriæ oblita ſterilitatis poſteros in ubertimam fœcunditatis ſegetem multiplicat Geneſ. 17. *multiplicabo ſemen tuum ſicut arenam maris*: hoc poſterorum incrementum ideo promeruit Abraham, quia humilitatis ſtudioſus viliſſimum ſe pulverem edixit Geneſ. 18. 27. *Loquar ad Dominum, cum ſim pulvis, & cinis?* hic pulvis humilitas fuit, quâ Abraham, quæ Numini præſtitit obſequia, cooperuit. Moris eſt, quò exaratos elegantiores in papyro characteres pulvere inſpergamus, ne maculas contrahant, nec à propria deficiant venuſtate: quæ bene operamur, ne fuco devenuſtentur vanæ gloriolæ hoc humilitatis pulvere ſatagamus operire; non fœdamus, quos hoc pulvere characteres à nobis exaratos operimus; ſed pulveris injectione defœdatio antevertitur, & venuſtas cuſtoditur. Hic pulvis eſt ipſa humilitas, qua Abraham, quæ magnalia egit, operuit hominibus, & ſoli DEO aperuit, & ideo ſuam ſervârunt venuſtatem, quia oderunt humanæ gloriæ vanitatem; quia hominibus latuerunt, Numini claruerunt ſplendidiores. Tantæ eſt humilitas efficaciæ, ut ſi in domo Abrahæ prolem in poſteris multiplicavit; in domo Sunamitidis filium, ſeu tenellum florem, quem mors ſuo gelu decoxerat, & è vivis abraſerat, priſtinæ reſtituerit vitæ uſuræ. Conſueverat Eliſæus Iſacharææ Tribus civitatem, cui nomen erat Sunæ pertranſire causâ inviſendi prophetarum collegia ſua ſubjecta regimini. Ibi matrona morabatur æquè bonis fortunæ locuples, ac cultura virtutum ornata, quæ marito ſuaſit, & perſuaſit, ut Eliſæo illac ſæpe tranſeunti hoſpitium in propria domo indulgeretur, ac cellula conſtrueretur à reliquis ædibus ſejuncta, ea tenui ſupellectili, quâ ſciret Prophetam delectari. Annuit Maritus piæ uxoris voto; gratiſſimum pluries hoſpitio ſuſceperat hoſpitem; qui cum de gratitudinis teſſera rependenda pro ſibi indulta hoſpitalitate animo volveret; advertit, ædium heris unum deeſſe ad terrenæ felicitatis culmen attingendum, filium ſcilicet hæredem: hunc propheta ſpondet hoſpitæ, quæ præ gaudio videbatur non poſſe ſe capere; fidem præſtitit promittenti, quam & paulo poſt natus filius confirmavit: ſed hæc lætitia in domo Sunamitidis flos fuit ſolſtitialis, qui vix incœpit florere, ſtatim exaruit, & exſicatus cecidit exanimis. Trimulus enim puer ex ſolari æſtu, delatus ad patrem turi tunc cum meſſoribus agentem concepto intus febrili ardore cœpit male ſe habere, diémque ſupremum in ipſo meridie clauſit, in ipſo matris gremio, quæ tota colliquit in lachrymas: ſed non ignara, Prophetam æquè potentem eſſe ad vitam revocandam, ac fuerat ad dandam, ad Eliſæum feſtinato greſſu in carmelo tunc degentem proficiſcitur, ſui cauſam adventus gemens aperit, immaturam mortem pueri trimuli exponit; & acerbo dolore torta lachrymis efficacius, quàm verbis Prophetam rogat, ut extinctum filium ad priſtinam velit vitæ uſuram revocare. Permotus Eliſæus afflictiſſimæ matris mæſtitudine amandat Giezium famulum ſuo inſtructum baculo, cui injungit cadaveri ſuperimponi, animámque in frigidos artus revocare: ſubſequitur cum matrona Propheta, ſed revertitur per eandem viam famulus, nuntiátque nullam baculo ineſſe

vis-

virtutem revocandi extinctum puerum ad priſtinam locis uſuram: Eliſæus lachrymas exſicaturus mœſtiſſimiæ genitricis Sunam usque profectus, mortuum puerum reperit in lectulo cubiculi ſui, quem cum ſcipione non valuiſſet ſuſcitare, humiliatione adnixus eſt ad vitam erigere; preces fudit, ſéque inclinavit humiliatus ſuper puerum jacentem emortuum 4. Reg. 4. 34. *Incubuit ſuper puerum*, humilisvit ſe, & puerum jacentem erexit. Miſit Eliſæus oculos ſuos ſuper oculos defuncti pueri, manus ſuper manus, os ſupra os: hoc eſt vir provectæ ætatis, ſe humilians contraxit in puero, cui totus congrueret; & quia ſe humiliavit in puero, tantæ fuit efficaciæ hæc humiliatio, ut demortui pueri ad vitam fuerit exaltatio. Ait D. Auguſtinus Dom. 5. Trinit. ſerm. 2. *Quod Eliſæus in puero præſiguravit; hoc in toto genere humano Chriſtus implevit:* exinanivit ſe formam ſervi accipiens, & habitu inventus ut homo, ut homines lapſos erigeret, iiſque emortuis divinæ gratiæ vitam impertiret, quâ filij DEI fierent adoptivi.

EXPENSIO XXVII.

Humilitas, quos in cœnum dejicit, in cælum erigit.

1 ID proprium humilitati, eos evehere, qui ſe demittunt, ſuóſque cultores ad cœlum efferre, quos in cœnum dejicit infimæ ſortis; quia quos humilitas demittit, DEUS ad altiora admittit: ait D. Auguſtinus lib. 16. de civit. cap. 4. *Tutam, verámque in cælum viam molitur humilitas; ſurſum levans cor ad Dominum.* Quòd ſi humilitatem Jacobeæ patiaveris ſcalæ, manum ſtatim porriget, tibíque adhærebit B. Umbertus, qui gradus humilitatis ſcalam adſtruit conſtruere, per quam humilitatis cultores cœlum inſcendunt eòque ſublimiùs, quò infimiùs per ſcalam hanc deſcenderunt: ait ipſe *cap.* 37. de utilitate humilitatis: *Ut humilitatis fructum noveritis, agnoſcatis, quod eſt fundamentum ſpirituale; ædificium ne cadat ſuſtentans, & ſcala ad cæleſtia nos ſublimans.* Scala æquè ima reſpicit ac ſublimia. Hoc humilitatis arcanum edocuit DEUS Jacobum, cùm ex itineris defatigatione propè Luzam aperto ſub dio locum ſelegit, in quo per nocturnam quietem ſomno indulgeret, ac detritas ex itinere vires reficeret. Dormienti ſcala objicitur è terra in cœlum usque protenſa, quot gradibus, tot arcanis plena myſterija: commeabant ſorſom, & deorſum Cœleſtes Genij; & quia deorſum deſcendentes, ſurſum vegetiores, & alacriores aſcendebant; nullum vidit Jacobus ſtantem, nullum ſedentem, ſed omnes vel aſcendentes, vel deſcendentes: nimirum quia deſcenderant ad inferiora per gradus humilitatis, glorioſiores aſcendebant ad ſublimiora: ſcitè D. Bernardus *epiſt. ad Abba. Souſſion.* expendens hunc aſcenſum, & deſcenſum per ſcalam Jacobæam ait. *Vidit Jacob in ſcalæ Angelos aſcendentes, & deſcendentes: nunquid ſtantem quempiam, ſive ſedentem? Non eſt conceſſum ſtare in pendulo fragilis ſcalæ; neque in incerto hujus mortalis vitæ quidquam in eodem ſtatu permanet. Non habemus hic manentem civitatem, aut futuram poſſidemus, aut inquirimus. Aut aſcendas, neceſſè eſt, aut deſcendas.* Et ideo aſcendimus ad ſuperiora, quia per gradus humilitatis deſcendimus ad inferiora.

2 Eò altiùs ſuos humilitas cultores effert, quò profundiùs demittit; eos edocet deponere ſupercilium, qò altiora in cœlis videant; avocat à faſtu, tumore, & ſuperbia, ut à mundano fumo lachrymis eliciendis tantùm idoneo ſejungat, & mentis ſerenitati conjungat. Hanc virtutem ſuos edocturus Magiſter Chriſtus diſcipulos, ſuo fortiùs exemplo, quàm verbis alienæ voluit menti altiùs imprimi; naſci voluit non in aula alicujus principis, ſed in caula humilium paſtorum, ubi Majeſtas divina noſtra voluit humanitate coarctari, & habitu inveniri ut homo paſſionibus, ægritudinibus, temporum, hominúmque injurijs obnoxius: quòd ſi ſemel, & iterum ſe filium DEI edixit; dignum obſervatu; ſæpiùs, & frequentius ſe vocavit filium hominis, quàm DEI; quamvis longè nobilior hæc appellatio ſit, quàm illa: docendæ humilitatis causâ id præſtitiſſe credimus, ut homines in terris vel nobilitate illuſtres; vel dignitate inſignitos diſcerent ſupercilium deponere, & à titulis abhorrere jactabundis: ſcitè Ugo Carenſis *in cap.* 25. *Proverb.* ait: *Sæpiùs vocat ſe (Chriſtus) Filium hominis, quàm Filium DEI: è contrario multi faciunt, ſemper à Majore in ſuo genere, licèt remotiori ſe nominant.* Tanta eſt humilitatis ſublimitas, ut in Chriſto è cœno humanitatis ad cœlum inſcenderit conſors divinæ Majeſtatis; nos propterea monet B. Nilus in Parænet., ut de humilitate gaudeamus, cujus altitudo nulli eſt lapſui obnoxia: ait ipſe: *Humilitate gaude; altitudo enim ejus firma eſt, nec ruere poteſt.* Neque humilitatem vilem credas, ſi abjectam vides; neque ignobilem ſi obſcuram deprehendis. Nobilis enim humilitas, utpote ſummi Regis filia, quæ è ſummo cœlo in imum terrarum cum DEI filio deſcendit, firmiora in terris ſtabilitura cæterarum virtutum fundamenta: *eſt quippe humilitas*, ait S. Bernardus epiſt. 37. *virtutum magiſtra* Singularis Filia Summi Regis *à ſummo cælo, cum cælorum Domino deſcendens in cæleſtibus animis æternam poſuit manſionem. Sine humilitate per prudentiam eligere, quod diligendum eſt* (ſicut Sapiens ait) *erronea diſcretio eſt: adverſa per fortitudinem ſuperare tacens victoria: illecebris per temperantiam reſiſtere, temulenta ſobrietas: operibus juſtitiæ inſiſtere, palliata ſuperbia. Sola eſt humilitas, quæ virtutes beatificat, & perennat; quæ vim facit regno cælorum.* Eſt enim humilitas in terris, quæ triumphos agit in cœlis.

3 Quò quis majori humilitatis impetu ſe in terram projicit, eò fortiori vi in cœlum fertur

victoriæ palmas rapturus ait D. Auguſtinus in Pſal. 93. *Humiles quaſi in terram ſe deprimunt; & in cælum aſcendunt.* Moyſes qui indignum ſe exiſtimavit, ut cum Pharaone manus conſereret, & populum ab ejus famulitio vindicaret, ejúſque eriperet manibus; non ſolùm virium ſuſcepit incrementa, ut adverſarium vinceret; verùm, & DEUS ipſe Pharaonis conſtitutus eſt; quem humilitas demiſit; DEI Majeſtas exaltavit: ſcitè B. Rupertus lib. 1. in Exod. cap. 26. *Quoniam tu mitiſſimus virorum pro tuo glorioſo negotio, cum Pharaone dimicare, & cum regibus confligere te indignum ducis; atque hoc modo uſque ad noviſſima terræ te deprimis: ecce, ſuſtollam te ſuper altitudinem nubium, faciámque te DEUM, non quem ille fideliter adoret, ſed quem ſerviliter formidet, ut imperes aquis pro poteſtate DEI.* Quia Moyſes humilitate ſe demiſerat, ſublimiore dignitate donatus evehitur ſupra reges: quia infra homines ſe dejecit; DEUS ſupra regem Pharaonem eum extulit.

4 Non ſolùm Moyſem humilitas, ſed & Petrum Chriſti diſcipulum eo extulit ad ſublimiora, quò ad inferiora ſe demiſerat. Piſcationi aſſuetus Chriſti præſentia ſe indignum cenſuit Luc. 5. v. 8. *Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine,* ſe in imum humilitatis dejicit Petrus, quamvis ex piſcium captura ampliore locuples; ut diſcamus divitijs affluentes non ſuperbire; beneficijs cumulati non intumeſcere; honoribus affecti non extolli; ſed humiles deponere ſupercilium, quò uberioribus donemur beneficijs, cumulemur donis. Si petas, quò humilitas hæc Petrum extulerit; non ad unum, vel alterum humani honoris gradum; ſed ad ſummum Apoſtolatûs apicem, ut vices DEI in terris gereret: ſe in cœtum demiſit Petrus peccantium, ſéque indignum divinæ præſentiæ edixit; ſed quò profundiùs ſe in cœnum dejecit; eò ſublimiùs humilitas eum extulit; quia dixit humiliatus magiſtro Chriſto, exi à me, quia peccator ſum, ad Apoſtolatûs principatum aſcendit ſublimatus: huc accerſendus S. Chryſoſtomus *homil. 3. in Matth.* ſic enim Petrus ait: *exi à me Domine, quia homo peccator ſum*, ſed inde in imum, cum deſcendit, factus eſt eccleſiæ fundamentum; & ſuper hanc petram ſuam Chriſtus fundavit eccleſiam: ait Chryſoſtomus: *Nihil enim ſic eſt amicum DEO, quàm ſi quis ſe minimis annumeret: hoc eſt enim caput totius Philoſophiæ, atque faſtigium:* quia Petrus in imum ſe dejecit, ad culmen honoris eum humilitas evexit. Non Petrum ſolùm, quia in imum demiſſum humilitas in altum extulit: verùm etiam Virginem Mariam ſupra omnes creaturas evexit; eò altiùs ſupra reliquas omnes creaturas evecta eſt gratiarum cumulo plena, & dignitatis decore inſignita, quò ſe magìs infra reliquas demiſerat; neque ſuper omnes cœlicolas aſcendiſſet, niſi mentis humilitate infra cunctos terricolas deſcendiſſet, quò profundiùs deſcendit; eò ſublimior aſcendit; imò adeò ſublimis evecta eſt, ut in DEI Matrem electa fuerit: audiamus, ſi lubet, ipſam loquentem apud S. Brigittam *in Revelat. lib. 2. cap. 23. Ut quid me tantùm humiliabam, aut unde promerui tantam gratiam, niſi quia cogitavi, & ſcivi, me nihil à me eſſe, aut habere? ideo nolui laudem meam, ſed ſolius Doctoris, & Creatoris.* Humilitas Mariam ad tantam evexit celſitudinem, ut DEI Mater fieri mereretur; ideo excelſior cæteris creaturis, quia infra omnes ſe poſuit: ſupra omnes extollitur, quia omnibus ſe ſubmiſit; nulli ſe prætulit.

Qui deorſum per humilitatem deſcendit, 5
ad ſublimiora, non ſolùm ſcandit; ſed & perniciſſimo volatu inſcendit. In ſacris Epithalamijs ſponſæ capilli laudantur à ſponſo, eò quia ſponſæ cogitationes, quæ per capillos ornantes caput intelliguntur, ornamento fuerunt menti ob amoris roſas, & puritatis lilia, quæ olebant, & ſponſum alliciebant: ſed ſi flores olent, cur à ſponſo gregibus pariantur caprarum; & non potiùs hortorum areolis, quæ tonſa myrto veluti capillitio circumornantur? Cant. cap. 4. 2. *Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de Monte Galaad.* perinde ac pariatio capillorum cum gregibus non videtur congrua; nec locutio aſcendendi de monte eſt propria, quia aſcendimus ad montem, & deſcendimus de monte; ſi igitur capræ aſcendunt, cur non dicitur ad montem? & non de monte? Sed congrua & opportuna eſt locutio, quia dum deſcendit ſponſa per humilitatem, aſcendit per charitatem, & gratiam, ſitque propterea deſcenſus idem, ac aſcenſus. Cœleſtis ſponſus nos eruditurus, eos ad perfectionem aſcendere, qui per exercitia humilitatis in ima deſcendunt, appoſitè capillos, ſeu cogitationes ſponſæ, quæ humilitatem redolebant, gregibus pariavit caprarum, quæ aſcenderunt de monte; quia dum deſcendunt per humilitatem, aſcendunt per charitatem, & gratiam; qualis fuit Virgo MARIA, quæ quò magìs vilem ſe putavit, eò major erat apud DEUM: huc accerſendus Richardus à S. Laurentio *lib. 4. de Laud. Virgin.* ubi appoſitè ait. *Humilitas MARIÆ fuit in cogitatu; unde dicit ei ſponſus ab humilitate cogitationum ipſam commendans Cant. 4. Capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad; capilli ſunt cogitationes humiles, quæ de corde, veluti de capite oriuntur; & aſcenderunt de monte Galaad, id eſt de ſublimitate perfectionis ſuæ, quam commendat, & de qua loquuntur teſtimonia ſcripturarum. De hoc monte Greges humilium cogitationum ejus aſcendebant, cum conſiderata ſua celſitudine, quam divina magnificentia in tantum honorabat, ſe & ſua per humilitatem extenuabat; ſicut capilli tenues ſunt, macilenti, & exiles, nominans ſe ancillam. Benè igitur dicitur, Aſcenderunt, licèt deſcenderint; quia hic deſcenſus in oculis ſuis; ante oculos Domini erat magnus aſcenſus.* Si velimus ad ſublimia aſcendere, opus eſt ad ima, deſcendamus per humilitatis ſtudium; eſt hic deſcenſus ipſe aſcenſus, quo ad ſublimia nitimur;

nos

nos DEUS ad excelſa evehit, ſi nos ad ima demittimus: ſed quò DEUS ad ſublimiora nos evehit; quò firmiùs ſtare poſſimus, in poſtremum nos locum deijciamus: quia tunc jacimus fundamentum ſtabilis celſitudinis: id præſtitit Iſaias, qui ſublimi viſione ad cœleſtia evectus; ſtatim deſcendit, ſéque in vilem ſuam conditionem dejecit, quam ſibi objiciens dixit Iſaiæ 6. v. 5. *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labijs ego ſum.* Septuaginta Interpretes legunt: *Et dixi ò miſer ego, quia compunctus ſum; quia homo cum ſim, & immunda labia habens*: quò per viſionem interiùs illuſtratus, fuit ad celſiſſima percipienda myſteria evectus, eò ad inferiora ſe dejecit, ſéque virum vocat non inſigni viſione donatum; ſed myſterijs cumulatum: cum alius tumidus hac viſione dignatus, ſe felicem deprædicaſſet; Iſaias quia in ſchola humilitatis eruditus, ſe in imum dejecit, cùm primùm ſe novit in ſublime evectum. Abraham itidem quia humilitati unicè ſtuduit, cum eveheretur uſque ad DEI thronum, & cum ipſo ſermones miſcendos, ſe in imum ſuæ vilitatis dejecit, ſéque vocavit inanem cinerem; appoſite S. Chryſoſtomus expendens verba Iſaiæ ait: *Viſio immodica admiratione perculit Prophetam; & confeſſionem ſuæ indignationis perpulit; utque vilitatem propriæ materiæ agnoſceret, effecit: etenim tales ſunt omnes Sancti; ſi quando quopiam cumulatiore potiuntur honore; tunc demiſſius ſe dejiciunt; ad hunc modum ſe geſſit Abraham: ſermonem enim faciens cum DEO, ſe vocabat terram, & cinerem.*

6 Plerique humilitatem profitentur ore, ſed corde ſuperbiâ intumeſcunt; ſed iſti, quia fucatæ, & umbratili ſtudent humilitati, inanitate oppleti rejiciuntur vacui, dimittuntur inanes: etiam Saul ſe humiliavit, perinde ac David; ſed ille quia fucatam exhibuit, humilitatem dimittitur vacuus, rejicitur reprobatus: David verò, quia veræ, ac ſinceræ ſtuduit humilitati, evehitur ad ſceptrum, ille ſpoliatur purpura, & ſolio dejicitur: iſte ſacco indutus regiam induit clamydem: ille tumidus mente, elatus ſupercilio coronâ privatur; iſte aſſuetus caulæ, gregibúſque paſcendis diademate redimitur: non quæ ab ore, quæ oritur è corde prodeſt humilitas: David, quia verè humilis veræ humilitatis collegit fructum: éſtque præcipuus humilitatis fructus lumen, quo humilitatis cultor perfuſus à cognitione ſui ad notitiam conſcendit cœleſtium arcanorum: hæcque illa eſt illuminatio quam David Pſal. 138. ſuis aſſerit hauſiſſe è tenebris, & obſcuritate, ac vilitate: *Nox illuminatio mea.* Non lumen fulſit in tenebris, ſed nox ipſa, ſeu humilitas, quæ in tenebris deliteſcebat, lux fuit regio Vati. Nil hominibus illuminandis, mentíſque tenebris excutiendis aptiùs humilitatis nocte, ac obſcuritate; eſt obſcuritas hæc meridiano ſole clarior, cujus beneficio ſe ipſum qualis ſit, videt homo. Neque cœleſtis Medicus Chriſtus ad caligines abſtergendas à cæco nato alio uſus fuit colyrio, quàm ipſa humilitate Joan. 9. *Luto oculos ejus linivit*; quid luto humilius, quid deſpicatius, & abjectius? equorum ferratis unguibus conculcatur, brutorum pedibus proteritur, ab homine declinatur, ne ſordes contrahat; jacet lutum in locis humilioribus, ac profundioribus, ubi fœces ſtabulantur ſordidiores: luto igitur, ſeu ſymbolo humilitatis perinde, ac colyrio uti Chriſtus voluit, ut cæcitatem excuteret ab oculis cæci nati, & lumen impertiret; quò ſe videret: quid eſt homo, quàm humus lutoſa? ex humo ſuam homo trahit originem, in humo adoleſcit, in humo ſeneſcit, & in humo ſordeſcit demortuus homo: & tamen quia humo gaudet homo cultor humilitatis, vel ab ipſo luto illuminatur, ut cœlum videat, in quod per exercitia humilitatis fertur. Fit cæcus Chriſti virtute videns, ut humilitatis medica vis appareat, quæ ſupero lumine mentem perfundit; ut divina videat, cœleſtia aſpiciat, terrena deſpiciat: ita eſt, qui ſibi eſt vilis, qui luto non detrectat copulari propriæ memor conditionis; is à DEO illuminatur, & ad cœleſtia trahitur; huc collineavit S. Ambroſius lib. de Viduis inquiens: *Alij oculos luto illinit, ut videre poſſet; creatórque omnium docet, nos noſtræ memores debere eſſe naturæ, & corporis cernere vilitatem: nemo enim magìs poteſt videre divina, niſi qui humilitatis ſuæ conſcius neſcit extolli.* Idque cauſæ, cur DEUS hominem effinxerit de limo terræ Geneſ. 2. 7. *Formavit Dominus DEUS hominem de limo terræ*, ut propriam conditionem præ oculis jugiter habens nunquam ab exercitio deſiſteret humilitatis, & ad cœleſtia ſemper tenderet, citra periculum lapsûs fundamento ſemper innititur humilitatis, ſeu memor propriæ vilitatis.

Eſt humilitas, quæ in imum, ac veluti 7
in cœnum ſuos dejicit cultores, quos in cœlum evehat. Bis ſcimus promiſſam à DEO Abrahæ prolem, ac poſterorum propagationem, & in prima ſponſione ob eorundem innumeram propemodum multitudinem filios, & poſteros ejus æquiparâſſe pulveri terræ Geneſ. 13. 16. *Faciámque ſemen tuum ſicut pulverem terræ*; in ſecunda verò promiſſione comparâſſe cœlorum ſtellis Geneſ. 15. 5. *Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes; ſic erit ſemen tuum.* Sed quid cohærentiæ inter viliſſimum pulverem, & ſublimem ſtellarum nitorem? quid cum cœlo cœnum? illud nulli corruptioni obnoxium noſtra ſuper capita motu circumrotatur, harmonicas temporum vices diſpenſat, ac totius naturæ promovet commodum: pulvis terræ infra pedes conteritur, calceis adhæret, quos deturpat; vento facilè rapitur; & aquæ ſi immiſceatur, vel pulvis madefiat, in lutum concreſcit, quo nil deſpicatius, nilque vilius: cur Abrahæ poſteri priùs pulveri patiantur, qui poſtea cœli ſtellis comparantur? quia cum priùs terræ pulveri aſſociati per ſtudia humilitatis per exercitia propriæ demiſſionis; rectè poſtea cœli ſtellis aggregantur per numeri paritatem;

quia quos humilitas in cœnum demittit; in cœlum evehit; quos pulveri ſordeſcenti pares facit in terra; ſyderibus in cœlo ſplendentibus oſtendit annumeratos. Quidni? cupis cum ſtellis ſplendere in cœlo; non dedigneris vileſcere in cœno; ſi pulvere inſordueris per exercitia humilitatis in terris; ſplendore illuſtraberis cum ſyderibus in cœlis: ut ſis ſtella, & ſplendeas; eſto priùs pulvis, & humilitate obſcurus; exiſtima te cœnum, ut transmuteris in cœlum; ſis pulvis, ut fias ſtella: ita eſt, in cœlum evehuntur; qui per exercitia humilitatis in cœnum uſque demittuntur, ſordeſcunt in terris ut pulvis; & ſplendent in cœlis, ut ſydera.

8 Quòd ſi ſplendentes in terris honoribus affecti, dignitatibus inſigniti, divitijs cumulati dimittuntur vacui, quia meritis deſtituti, de quibus dicitur Luc. 1. *Divites dimiſit inanes:* pauperes, ſeu humiles, & eſurientes implentur; cumulantur divinis beneficijs Luc. 1. *Eſurientes*, ſeu inopes, & humiles *implevit bonis.* Quòd ſi natura totis viribus admititur, ut vacuum impediat, omnique conatu à ſe arceat; totúmque implet; idem præſtat Gratia, quæ in humiles ſtatim ſe ubertim diffundit, eos oppletura Luc. 3. 5. *Omnis vallis implebitur*, quid per valles niſi humiles deſignantur; & quid impletio indicat niſi exaltationem? dum igitur impletur vallis humilis exaltatur, ac divinis favoribus cumulatur: mentem humilem, & nullo tumore ſuperbiæ inflatam gratia ſtatim implet, neque ſinit in ipſa quidquam vacuum: appoſitè S. Laurentius Juſtinianus *cap. 3. de humilitate* ait: *ſicut non patitur natura vacuum, quin illud repleat: ſic nec gratia humilem, quin illi ſe infundat.* Si nolis inanis dimitti, ſi cupis divinis oppleri beneficijs, neceſſe eſt, ſtudeas humilitati, quia ut notat Ugo Victorinus *cap. 2. in regul.* S. Auguſtini. *DEUS gratiam ſuam præſtat humilibus:* neque permittit Valles, quibus humiles præſignantur ſterileſcere, neque probro notari infœcunditatis: unde ſponſus in ſacris Epithalamijs, ſi in vallem deſcendit horti ſui, non ut æſtus declinaret ſolis, illac deſcendit umbris fruiturus, & aura tepeſcente; ſed ut poma luſtraret, quibus humiles valles diteſcunt Cant. 6. verſ. 10. *Ut videret poma convallium*; quàm pulchrè dixit *poma vallium* non montium; quia humiles ſuo fœcundat favore, ſua fovet gratia, ne ſterileſcant; ſed uberem fructuum meſſem producant, quibus cœleſtis ſponſus delectatur, ſeu humilium operibus, quibus vis quædam videtur ineſſe magnetica, qua ad ſe, vel ipſum cœleſtem ſponſum alliciunt, & trahunt.

9 In valles, ſeu humiles DEI gratia confluit, fontéſque ſuæ beneficentiæ vult derivari, ut pellucidis irrigentur laticibus, ac cœli madeant rore; & uberem bonorum operum meſſem ſuppeditent; à montibus verò ſuperbarum mentium abeſſe videtur, ut non abs re ſcribentis Apoſtolus 1. Corinth. 2. 9. *Nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit DEUS ijs, qui diligunt illum*, ſtudiò ait, non aſcendit, quia DEI gratia non aſcendit ad mentes ſuperbientes, quæ veluti montes nonniſi ad altiora nituntur; ſed ad valles deſcendit humilium: excelſitas; & ſublimitas illi tantùm debentur ut proprietas, & non vult ab ulla creatura ſibi arrogari; unde per Pſalmiſtam dicitur: *Quoniam excelſus Dominus, & humilia reſpicit; & alta à longe cognoſcit:* non ſolùm humiles reſpicit, ſed etiam replet: id nobis indicatum fuit in vellere, quod nocturno rore imbutum expreſſit Gedeon in pelvim Judic. 6. 38. *De nocte conſurgens expreſſo vellere, concham rore implevit.* Divina gratia, quæ roſcidus eſt imber mentibus humilium rigandis peraptus, de nocte, ſeu in obſcuro humilitatis deſcendit, vellúſque ſymbolum humilitatis madefacit, ut concham, ſeu humilem impleat: Noctis obſcuritas; velleris tenuitas, & concha argilacea ſymbola præſeferunt humilitatis: non aſcendit ros, ſed deſcendit ad inferiora, ad humilia: Hinc David Pſal. 103. 10. *Qui emittis fontes in convallibus, inter medium montium pertranſibunt aquæ.* Quod expendens D. Bernardus ſerm. 4. in Vigil. nativit. Domini ait. *Hoc autem eſt, unde admonere ſæpius ſtudeo charitatem veſtram; quia DEUS ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: fons enim ad altiorem non aſcendit, quàm ſit locus ejus, unde procedit.* Ut fons humilitatis te ſuis irriget laticibus nolli eſſe mons, ſed vallem te exhibe; non ſublimia aſcende, ſed ad inferiora te demitte.

Animi ſuperbientis eſt ſe extollere, altiora ſe petere; & præcipitium invenire, ubi in altitudine vera donari felicitate ſuperbus exiſtimabat; idque expertus fuit Luciferus; fuit hic à DEO conditus, ut reliquis præeſſet Angelorum cohortibus; in quem propterea congeſſerat quidquid ornamentorū ſpiritualium; quidquid naturæ, & gratiæ dotium; reliqui Angelicorum ſpirituum chori poſſiderent; quæque diviſæ in reliquos fuerunt naturæ, & gratiæ prærogativæ, in uno ſimul collectæ, & confibulatæ fuerunt Lucifero; cui tamen nimia felicitas nocuit, qua inflatus cum altiora petijſſet cecidit Iſ. 14. 14. *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris plenus ſapientia, & perfectus decore:* cum in venuſtatis, & elegantiæ ſingulare exemplar fuiſſet à DEO conditus; ſtatim deturpatus in teterrimum mutatur cacodœmonem. 10

Excutienda eſt igitur ſuperbia, quæ in ſublime evehit, quò lethalius præcipitet, quos ſublimiter effert Luc. 12. *Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Superbia quamvis gradatim aſcendat, momento tamen præcipitat; ideo caſus Luciferi aſſimilatur fulguri, quia ob citiſſimam velocitatem ſtatim ruit; vix ſplendet, & illico extinguitur; oritur, & ſimul moritur. 11

Quòd, ſi ſuperbia præcipitium, humilitas gratiam, & celſitudinem ad ſe trahit, non ſecus ac magnes ferrum. Fit magnus, cui magnes humilitatis ineſt; & eò major, quò mi- 12

minor l; eò altior, quò demiſſio: præſefert magnes ob inſitam ſibi à natura obſcuritatem, ac ruditatem ſymbolum humilitatis; adeóque quò quis per ſtudia humilitatis jacet obſcurior, eò ſplendeſcit clarior; quò ignotior, eò illuſtrior. Si magnus tibi videris; in id incombe ſtudij ut fias magnes, ſeu obſcurus humilitate: ait eccleſiaſt. cap. 3. v. 20. *Quanto magnus es humilia te in omnibus, & coram DEO invenies gratiam*, quá ad ſublimiora evehetis, ac illuſtrior clareſces. S. Auguſtinus expendens verba Eccleſiaſtici; humilitatis menſuram infert ex magnitudine, qoa humilis à DEO donatur, & ex menſura gratiæ, quâ cumulatur: & ſpeciatim magnates monet, ut ſint humiles, ait ipſe *lib. de S. Virginit. Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus, & coram DEO invenies gratiam; menſura humilitatis, cuique ex menſura ipſius magnitudinis data eſt; cui eſt periculoſa ſuperbia, quæ ampliùs amplioribus inſidiatur.* Non ſtat celſitudo, niſi fundamento innitatur humilitatis: ſtudeat humilitati, qui in culmine verſatur dignitatis; ne præceps ruat, ſe demittat, humilitati innitatur. Noluit Amanus in aula Aſſueri regis purpuratorum primus, & à ſacratioribus principis conſilijs ſe in ea dignitatis ſublimitate conſtitutus demittere, nec fundamento inniti humilitatis; quia honorem, & cultum, qui ſoli debetur DEO, ſibi uſurpaverat, eúmque à ſibi inferioribus exigebat, ut ſibi debitum; & ſi quis ejus videretur arrogantiæ adverſari, eíque parêre detrectaret; ſanguinem fundere, neces ſpargere, omniáque funeſtare minabatur. Fuit is origine Amalecita, ſeu ex ſtirpe Amalecitica Hebræis ſemper infeſta; maternum tamen genus a Perſis trahebat; cum conſuetudinem, & familiaritatem cum Perſis inſtituiſſet, in regiam quoque aulam irrepſit, regisque benevolentiam ſibi conciliavit; adeò ut Princeps nil ageret, nilque moliretur ſine Amani conſilio. Hunc igitur tam vecors libido ceperat, ut ab omnibus hominibus vellet de genibus adorari, ac coli, & quidem eo cultûs genere, quo ſolum DEUM colimus; & qui detrectaret eum hoc venerari cultu, hoſtis regis, ac centum viginti ſeptem provinciarum Perſicæ Ditionis, veluti reus Regiæ Majeſtatis haberetur, ac diris propterea ſupplicijs puniendus; idque exequi in Mardocheum ſaregit virum non minus fortem quàm pium, ac pro patria religione tuenda imperterritum; non ob aliam cauſam niſi quia cultum, qui ſoli DEO debetur, præſtare Amano recuſaret; imò & cum ipſo Mardochæo univerſam Judaicam ſtirpem ſanguine delere, & ferro eradicare ex omnibus Perſici juris terris moliebatur: jamque regium decretum extorſerat toti Judæorum genti fatale, quodque non ſolùm Suſis, ſed per ſingulas Perſici imperij urbes, & pagos evulgari per curſores feſtinabat.

12 Perijſſet tota Gens Judaica, niſi Eſtheris præſidio ſuffulta fuiſſet, ne caderet: poſt triduanas preces, corporisque afflictiones, aſſumpto veſtium ornatu, orisque venuſtate à natura ſibi indita petijt ad regem ingredi, cui cum Rex annuiſſet, ejus captus pulchritudine, cui ſingularis modeſtia plurimum addebat pretij, in benevolentiæ, & amoris teſſeram ad oſculum oculi aureæ virgæ, ſeu ſceptri in eam protenſi admiſit; cúmque Eſther cognoſceret regem ad vota propenſum, blanda ſermonis ſuada ei ſuaſit, ut epulum ab ipſa apparandum dignaretur non recuſare, ſimúlque convivam habere Amanum, qui quantum lætitiæ hauſit ab hac invitatione, tantùm indignationis concepit contra Mardochæum excubantem ad fores regij palatij, eò quia ingredienti Amano regiam ſe in genua non demiſiſſet. Adeo ſuperbia inflatus intumuerat, ut latriæ cultum ſoli DEO debitum exigeret ab hominibus; ſed Amani celſitudo, quia fundamento nulli innixa humilitatis, ſed auræ evecta vanitatis, citò corruit, & in imum ruit dedecoris. In illa dignitatis eminentia infeliciſſimum ſe putabat, niſi è vivis ſublatum videret Mardocheum detrectantem latriæ cultum illi præſtare: conſilio inito cum Zara uxore, & amicis, deliberatur, quo mortis genere Judæi hominis pertinacia plecti debeat; & commune judicium fuit, Mardochæum eſſe in præalto patibulo plectendum ſuſpendio ad terrorem incutiendum ceteris, qui tranſeunte Amano detrectarent in genua ſtatim ſe demittere; ſed Amani ſuperbia, quod alteri paraverat patibulum, ſibi erexit: eadem nocte inſomnis Aſſuerus hiſtoriam ſuorum ſibi geſtorum perlegi juſſit, cumque intellexiſſet per Mardochæum detectas inſidias regi paratas per Bagathanem, & Tharem Enuchos nullis collatis indicanti, ac benemerenti gratijs, nullóq; dato prœmio; & cum manè ſolito maturior adfuiſſet in regis Amanus, eum interrogavit rex, quo honoris genere eſſet afficiendus, quem rex percuperet, vel maximè condecorare; & credens Amanus, hunc honorem ſibi eſſe præſtandum ad uberius propriæ dignitatis incrementum, id ſuggeſſit conſilij, ut is regio veſtitus ornatu equo regio veheretur, ac circumduceretur per urbem, tenente frœnos principe ſatraparum, & præconis inſtar præclamante: *Sic honorabitur, quemcunque voluerit rex honorare.* Annuit Rex Conſilio, juſsitq; Mardochæum in morem regis ſplendidè ornatum, aureo fulgentem diademate, equóque regio vectum duci per civitatem ab Amano, quo inter proceres nemo erat potentior, præconem agente, frœnósque equi tenente. Ecce quomodo faſtus humiliatur, & ſuperbiæ tumor evaneſcit.

Fuit à pedibus Amanus Mardochæo, 14
quem cum tota Judæorum gente deletum credidit, ſervile obſequium adigitur præſtare inimico. Mardochæus regio inſidens equo purpura ſplendebât; & Amanus non rubuit, ſed erubuit propria confuſus, & perfuſus verecundia: officio fungens famuli anteambulonis frœnos equi prehendebat, quibus aptiùs potuit inſoleſcentes animi affectus coërcere,

im-

impetus ſuperbiæ edomare. Quòd ſi faſtus hic in ſaxum impegit, & cultrum; in patibulo Mardochæo parato penitus detumuit in dedecus nullâ delendum ſpongiâ. Juſſit enim rex Amanum in eodem patibulo, quod Mardochæo paraverat, ſuſpendi, ac enecari unà cum decem Amani filijs; addictis damnatorum fortunis fiſco reginæ: in ſublimi aulicæ dignitatis evectus Aman, quia nulli humilitatis innixus fundamento non ſterit, ſed in imum extremi dedecoris infeliciter cecidit. O rerum humanarum vices! qui in aula Aſſueri ſuprema fuerat dignitate donatus, ac humana felicitate cumulatus; infeliciſſimum ſe cenſuit; eò quia unus ex prætoriana cohorte miles detrectaret eo tranſeunte ſe in genua demittere; genu non flexum crux fuit Amano, & omnium felicitatum abſynthium: quàm mirus divinæ providentiæ luſus in aulis Principum: qui proximus erat regio ſolio, hunc ambitionis turbo in vilis famulitij dejecit officium, fitque ſtrator equi, cum crederet ornatu imperatorio indui, equóque regio vehi; ex fulminaſtro aulæ Encelado cunctos territante, fit ridiculus præco; imò & perduellis, læſæque Maieſtatis reus, qui à rege Patris nomine dignabatur; & qui elato ſupercilio, oculíſque trucibus videbatur minas in omnes ſpargere, ac terrores incutere; vultum non ſuſtinet irati regis aſpicere: qui Mardochæo patibulum paraverat ob non flexum genu; dat ipſe eidem caput, collúmque laqueo conſtringendum, & ſuſpendio interimitur.

15 Sublimitas dignitatis non innixa fundamento humilitatis bulla eſt, quæ cito inflatur, & cito rumpitur; fax eſt, quæ perit cum fœtore; ignis fatuus in aëre circumactus, præluceus in avia, & ſtatim evaneſcens; lampas, quæ tunc extinguitur, cum felicitas nimium olei affundit; Fumus, qui aſcendendo conſumitur, & ſublimis evaneſcit, & ante aſcenſum lachrymas elicit, quia ut monet Salomon Proverb. II. *Ubi fuerit ſuperbia, ibi erit & contumelia.* Humilitas eſt, quæ ſublimia fulcit, ne cadant. Qui in aulis Principum ad altiores evecti dignitates humilitati inniti neglexerunt, lethali lapſu corruerunt. Ex familiaritate junctis Alexandro Macedoni ſcimus Lyſimachum leoni objectum; Clitum haſtâ trajectum; Calliphenem mori juſſum; Philetam miſerè cæſum, Parmenionem per ſpeciem amicitiæ occiſum: in aula Tiberij Sejanum per ſcalas Gemonias unco tractum: in aula Conſtantij Ablavium in fruſta diſceptum: in aula Theodoſij Eutropium ſecuri percuſſum, & Ruffinum gladio interemptum: in aula Honorij Stiliconem ferro trucidatum: in aula Juſtiniani Belliſarium poſt plures delatas in bello victorias, poſt imperium ampliatum, hoſtes, vel proſtratos, vel fugatos bonis omnibus ſpoliatum, oculis orbatum mendicum ſtetiſſe in ponte, ac rogâſſe pertranſeuntes, ut obolum darent Belliſario: & temporibus proximioribus ſcimus eidem lapſui fuiſſe obnoxios Alvaros de Luna ſub Joanne II. Legionis, & Caſtellæ rege: Duces Olivares ſub Philippo IV. in Gallia Bironios, & Ancræos: in Anglia Volſæos, & Eſſexios: in Germania ſub Friderico II. Imperatore Petrum de Vinea, & alios plures. Tuta non ſtat præſertim in aulis principum celſitudo dignitatis, vel officij, aut præeminentiæ niſi fundamento innitatur humilitatis; idque apologo ediſſerit S. Nilus orat. 8. de ſuperbia: ubi refert, arbores conſilium iniviſſe, quò ſe à damnis, ac injurijs hominum expedirent: & Cedrum utpote dignitate, & conſilio alijs ſuperiorem ſuam priùs ſententiam dixiſſe: nimirum ſævire homines in ligna ſecuribus, ferris, gladio, aſcijs, terebris, quibus arbores etiam radicitus evellunt, vel amputant in imo caule; ſcindunt, dilacerant in plura fruſta, torquent, dolant, ac millenis modis diſcruciant; id propterea ſuggerere conſilij ne ampliùs hominibus ligna ſuppeditentur; cum in ſuam Cedrus ſententiam plures traxiſſet arbores præcelſas, quæque plus damni patiuntur ab hominibus, ut ſunt quercus, cupreſſus, fagus, nux, ulmus, populus, pinus, abies; & aliæ, quæ celſitudine gaudent, ægrè ferentes injurias ſibi ab hominibus illatas: tandem ſurgit humilis rubus, qui ſuam proferens ſententiam dixit: Nolite arbores in tantam altitudinem creſcere; eritis, mihi credite, ab hominibus tutiores: recenſitas à vobis injurias non ego experior, quia in altum nunquam excrevi, ſemper malui humi repere, vel humilis detineri prope terram: vis in gradu celſitudinis poſitus non cadere, ſed tutus ſtare, fundamento innitere humilitatis: *Omnes delectat celſitudo,* ait D. Auguſtinus de verb. Domin. *Sed humilitas gradus eſt. Quid tendis pedem ultra te? cadere vis non ſcandere, à gradu incipe, & aſcendiſti.*

Eſt humilitas ipſa celſitudine excelſior; 16
quia hæc lapſui obnoxia; illa unde cadat, non habet, ſed ubique ſtat; ubi ſuos illuminat cultores, ut quo ſit recte eundum videant. Vero enim perſundit mentem lumine humilitas; quo ex ſui notitia ad cognitionem aſcendit divinorum. *Humilitas* ait S. Auguſtinus ſerm. in Dom. 3. Advent. *eſt oculus animæ, per quem homo conditionem ſuam, ac ſtatum ſuum veriſſimè recognoſcit. Humilitas eſt virtus, qua homo veriſſima ſui cognitione ſibi vileſcit.* Lutum adhibuit Chriſtus tenebras cæcitatis abſterſurus ab oculis cæci nati, lumen illi impertiturus: quid per lutum niſi humilitas præſignatur? hoc collyrio ſatagamus oculos mentis illinire, ut divina videre poſſimus, ac DEI virtutem experiri; non aſcendimus ad cognitionem cœleſtium, ad viſionem divinorum, niſi hoc luto humilitatis priùs oculos illiniamus: ídque cauſæ, cur Propheta Ezechiel quoties ad cœleſtia, & divina inſpicienda vocaretur, filius hominis priùs diceretur: quid homo eſt? niſi humus, ex quo à Divino Opifice compactus fuit 1. Geneſ. 2. 7. *Formavit igitur Dominus DEUS hominem de limo terræ,* quid limus quàm lutum, ſymbolum humilitatis,

tis,

tis. Ezechiel ut divina videret, luto ſuæ humanitatis, ſeu collyrio humilitatis ſe priùs illinit cæcitatis caligioes omnes abſterſurus: quia ad cognitionem divinorum non aſcendimus, niſi noſtram priùs exploratam habeamus vilitatem, ſeu per exercitia humilitatis nos demittamus, ne ſublimium rerum cognitione donati intumeſcamus: huc accerſendus S. Gregorius *homil. 12. in Ezechielem*, ubi expendens, cur Propheta Ezechiel, antequam ad divinorum cognitionem trahatur, vocetur filius hominis, ait: *Obſervandum eſt, cur Ezechiel Propheta, vel quoties ſublimia conſpicit, vel quoties agere aliqua myſtica jubetur, priùs filius hominis appelletur? ſæpe enim ſublevatur ad cœleſtia, & occultis, ac inviſibilibus rebus ejus mens paſcitur; neceſſè ergò eſt, ut inter occulta, quæ penetrat filius hominis, vocetur, ut ſemper agnoſcat, quod eſt; & nunquam extollatur de his, ad quæ ducitur.*

EXPENSIO XXVIII.

Humilitatis collyrio caligines excutiuntur cæcitatis, & tumor reprimitur humani faſtûs.

1 Humilitas igitur eſt verum collyrium; quo illiti oculi cæcitatis caligines excutiunt, & divina aſpiciunt: ad cognitionem rerum cœleſtium non pervenimus, niſi per gradus humilitatis ducamur: per hos aſceodit Daniel ad DEI arcana penetranda, ad divina myſteria percipienda, quorum inſignis fuit propalator. Terrorem incuſſerant Nabuchodonoſori ſpecies per ſomnium illi objectæ, pro quarum interpretatione ariolos, & haruſpices vocari juſſerat propoſitis etiam prœmijs pro interpretatione; ſed cum harioli, & haruſpices tergiverſantes ſomnium regis non explicarent, juſſit Nabuchodonoſor eos interimi: eadem ſors Danielem cum ſocijs manebat, ſed Propheta ſupplicium averſurus inducias perbrevis temporis petijt, quibus per Ariochum militiæ priocipem impetratis didicit nocte intempeſta per lumen è cœlo delapſum evolutionem myſterij: eſt notatu, & diſcuſſione dignum, quòd prædicturus regi futura petierit ſe in regis conſpectum, introduci per Ariochum militiæ præfectum Daniel. c. 2. v. 24. *Introduc me in conſpectu regis, & ſolutionem regi narrabo;* ſeu interpretabor ſomnium, cujus ſpecies plurimum illi moleſtiæ ingerunt; ſi Danieli aditus ad regem, antea ſemper patuit, ſi nulli erat ei janua clauſa; ſi ejus acceſſus ſemper erat principi gratus; ſi abſque ullo obice, ſine ulla difficultate fuerat ſemper quovis tempore ſe ſolo ſine introductore ad regem ingreſſus; cur nunc ſomnium interpretaturus, & futura prædicturus petit ab alio introduci, non cenſeas id temerè factum; latet hic ſtudium humilitatis adnexum rerum divinarum cognitioni; quia ad divina cognoſcenda myſteria nonniſi per gradus humilitatis pervenimus; & non ſolùm petit introduci, ſed etiam introductus ſupplex rogat regem, ut velit ipſum audire Daniel. 2. verſ. 16. *Daniel ingreſſus rogavit regem*, non ſe ingerit docturus regem arcana DEI, ſed futura prædicturus, introducitur ſupplicaturus, quò diſcamus ad divina, vel percipienda, vel explicanda per humilia obſequia, per gradus demiſſionis perveniri; huc verba Danielis flexit Richardus Victorinus *lib. 1. de Erud. inter. homin. cap. 15.* inquiens: *Quid quæſo hoc loco ab alio ſe introduci petit, qui jam ſuperiùs ante regis conſpectum per ſemetipſum intravit: ſed ſuperiùs intravit, ut regi ſupplicaret: hîc verò; ut regem doceret: illud fuit humilitatis, iſtud magnæ ſublimitatis. Magnæ inquam ſublimitatis fuit illud regem docere, quod ab alio nemine poterat didiciſſe. Ad humilitatis ergo obſequia libenter ſe ipſum ingeſſit: ad celſitudinis officia impudenter ſe ingerere declinavit. Exemplo diſcamus, quid in ejuſmodi caſu facere debeamus.*

Veræ, & non fucatæ humilitatis ſtudioſi non ſe obtrudunt in ijs obeundis muneribus, è quibus aliquid poſſunt gloriæ, vel honoris haurire; ſed libentius vilia obeunt obſequia, ex quibus aliquid ignominiæ videatur in ipſos derivari. Eſt humilitas, quæ veram probat virtutem, perinde ac aurum Lydius lapis. Neque Chriſtus ſuam clariùs hominibus manifeſtavit divinitatem, quam per exercitia humilitatis. Latro è cruce pendens tunc Chriſti Divinitatem agnovit, & faſſus eſt, cum ejus excellentem vidit humilitatem, quâ uſque ad mortem ſe humiliavit; tunc enixim eum rogavit, ut ſui recordaretur in regno cœlorum Luc. 23. 42. *Memento mei, cum veneris in regnum tuum,* appoſitè S. Maximus homil. 2. de Lattone. *Salvatorem tunc Majeſtatis Dominum recognoſcit, cum videt humilitatis patientiâ cruciari.* Quòd ſi in cruce Chriſti humilitas ejus divinitatem latroni manifeſtavit; non credas, quid aliud Paſtoribus adorantibus in Bethleemitica caula puerum natum, DEUM, & hominem eſſe edixiſſe, quàm humilitatem nati in terris pueri pannis involuti Luc. 2. 21. *Invenietis infantem pannis involutum:* huc accerſendus S. Bernardus ſerm. 4. in Nativit Dom. ubi ait: *Certè cœlitus annuntiatur humilitas, quia hæc quaſi propria virtutis divinæ exhibenda ſit Majeſtati.* 2

Adeo DEO placet hominis humilitas, ut factus homo eam aſſumpſerit in teſſerâ ſuæ Divinitatis: tunc vox de cœlo audita eſt deprædicans Chriſtum DEI filium, cum per exercitia humilitatis baptizari voluit in Jordane, cujus latices abſtergere non poterant ſordes, quas nunquam contraxerat, nec poterat contrahere. Matth. 3. 17. *Et ecce vox de cœlo dicens. Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Humilitas Chriſti in Jordane non ſolùm exemplo homines allexit ad aquas, quibus maculas, quas contraxerant, eluerent, ſed etiam cœlum vocale effecit, ut ejus divinitas hominibus pateret, in terris evulgaretur per ſtudia humilitatis: ait S. Hilarius in Pſ. 138. 1. expendens verba illa. *Domine probâſti* 3

me, & cognoviſti me, ait. *Demonſtrandum autem in Evangelio ubi & probatus, & cognitus eſt. Humilitas itaque probatio ejus eſt. Unigenitus namque DEUS baptizari tanquam peccator expoſcit, & probatur in iſtis omnibus. Probationem mox conſequuta eſt cognitio: & quem humilitas probabilem fecerat; hunc paterna vox Filium oſtendit.* Nocentis remedium admiſit innocens, & quas non habuit ipſe maculas, quas aquis abſtergeret; alienas ſuo accerſivit exemplo, quæ aquis deleentur; & ab aquis non ſolùm piſcatores vocavit, ut retia extenderent non ampliùs in piſcium, ſed hominum capturam; verùm & portum ſalutis in aquis præſignavit, ut citra naufragium procelloſum hujus vitæ pelagum trajicerent mortales, & malaciam appellerent æternæ tranquillitatis. Humiliavit ſe Chriſtus, ut nos edoceret hujus virtutis exercitia, exemplo efficaciùs, quàm verbo: quò ejus culturæ aſſueſcamus, neque poteſt hæc virtus ſterileſcere, quam Chriſtus ipſe laticibus Jordanis irrigavit, ut fructus humilibus pareret reliquarum virtutum, quarum eſt humilitas fœcunda mater, & cuſtos. Parturit humilitas integrum reliquarum virtutum chorum; & non ſolùm reliquas parit virtutes, ſed etiam fovet, nutrit, & cuſtodit, ne quidquam patiantur detrimenti. Quòd ſi in ſacris epithalamijs hortus ſponſi ferax dicitur aromatum; non putes per hunc hortum quid aliud indicari, quàm excultam humilitatem, non enim ſponſus dicitur aſcendere ad ſublimia hunc luſtraturus hortum, ſed deſcendere ad imum, ubi degit humilitas Cant. 6. verſ. 1. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum.*

4 In horto humilitatis excultæ genera omnia aromatum germinant, & bene olent: quia humilitas, cujus cultura cœleſti arridet ſponſo, omnes virtutes per aromata indicatas parturit, fovétque in ſinu; appoſitè S. Antonius Patavinus *ſerm. 5. in Dom. 2. poſt Epiphan.* expendens verba *Cant. 6.* ait. *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum.* Non ſolùm parturit, & fovet, verùm etiam, dat iiſdem condimentum, ſitque veluti ſal, quo deſtitutæ reliquæ virtutes non ſapiunt, neque gratæ ſunt cœleſti ſponſo: huc accerſendus Petrus Bleſenſis *ſerm. 30.* in feſto S. Auguſtini, ubi humilitatem primogenitam filiam ſummi regis vocat condimentum reliquarum virtutum inquiens: *Humilitas eſt primogenita filia ſummi regis. Sal & condimentum reliquarum virtutum, dulce vehiculum compeditis, qui injecerunt pedes ſuos in compedes ſapientiæ.* Quòd ſi ſale humilitatis adſperſæ reliquæ virtutes ſapiunt; quò indemnes ſerventur, & foveantur, cinere ejuſdem humilitatis obteguntur: quia quas humilitas virtutes parturit, eaſdem fovet, ſervat, ac cuſtodit, ſcitè cineri pariatur à B. Umberto *de Humilitatis utilitate cap. 33* ubi ait. *Ut humilitatis fructum noveritis, agnoſcatis, quòd cinis eſt virtutum carbones in fervore conſervans.* Imò & earum ſervat venuſtatem, cuſtodit decorem; ſi venuſtos exaraveris calamo characteres, ne devenuſtentur, & maculas contrahant pulveres ſuper ipſos ſtatim inijcis, non ut fœdentur, ſed ne à propria deficiant pulchritudine; quid pulveris injectio, quàm ſtudium indicat humilitatis? hoc pulvere ſi reliquæ, quæ in te florent virtutes inſpergantur, hoc tectæ, ac protectæ pulvere propriam ſervant venuſtatem; earum deturpatio hujus pulveris injectione anteverritur: ſi actus charitatis, pietatis, temperantiæ, mortificationis veluti characteres in cordis tui libro exaraveris, ne deformentur hujus injectione pulveris eos tege! exercitia virtutum Margarita æmulantur in ſinu conchilij, quæ tamdiu tuta, quamdiu tecta.

Plures virtutum characteres exaraverat Abraham, ſed ne deturparentur humilitatis pulvere operuit, ſéque pulverem eſſe fatetur Geneſ. 18. 27. *Loquar ad Dominum, cum ſim pulvis, & cinis?* Venuſtos patientiæ, ac fortitudinis characteres ſcripſerat Job, ſed ne propriam deperderent venuſtatem hoc pulvere tectos voluit; ſéque cinerem dicit, & favillam Joh. 42. v. 6. *Ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere.* Hoc pulvere nitidiores in eccleſia ſtellæ nigreſcunt, quò ſplendeant clariores: ait Ezechiel. 32. 7. *Nigreſcere, faciam ſtellas ejus*, ſeu ut explicat D. Thomas, juſtos omnes, qui in eccleſiæ firmamento ſunt, quatenus ſpiritu charitatis ardentes, ac verbo ſplendentes veritatis tenebris circumſepti humilitatis ardent aeriùs, ac ſplendent clariùs. Sponſa ipſa in ſacris canticis; ne à propria deficeret venuſtate, ſe ipſam hoc pulvere operuit; Cant. 1. 4. *Nigra ſum, ſed formoſa;* quia obſcuritas humilitati non obeſt, ſed prodeſt venuſtati reliquarum virtutum. Rebecca cum primùm vidit ſponſum ſuum Iſaac, ut eidem placeret obvianti demiſit ſe in terram, ut humilitatis pulvere conſperſa inſitæ ſibi à natura pulchritudini conſuleret, & ſponſi benevolentiam ſibi conciliaret. Geneſ. 24. 64. *Rebecca conſpectu Iſaac deſcendit de camelo*, ſe humiliavit in terra, & pulvere, & venuſtior ſuo viſa eſt ſponſo, & magis grata; ſordes non contrahunt, qui pulvere conſperguntur humilitatis, ſed virtutis conſulunt pulchritudini, quà Numini magis placent; quia quo depreſſior eſt humilitas, eò DEI gloriam ad ſublimiora exaltat; idque cauſæ, cur non ignis quamvis lunæ conterminus, non aër, neque aqua, ſed ſola terra dicitur DEUM ſuperexaltare Daniel. 3. 74. *Benedicat terra Dominum, laudet, & ſuperexaltet eum in ſecula.* Terram accerſit, non ſolùm ad laudes cum reliquis elementis Numini concinendas; ſed ſpeciatim etiam ut DEI gloriam extrinſecam, quæ ex creaturis in DEUM derivatur, promoveat, & exaltet, at cur non potiùs cœlo, & ſtellis id munus DEI gloriam exaltandi non fuit demandatum? cum cœli dicantur enarrare DEI gloriam Pſal. 18. *Cœli enarrant gloriam DEI.* Putârum id officij non cœlo,

ter-

ſed terræ fuiſſe injunctos, quia humilitas dum ſe ad ima dejicit, ſe ipſam erigit, ſimúlque extrinſecam DEI gloriam in ipſo humilitatis cultore exaltat: & quia ex elementis ſola terra ſymbolum eſt humilitatis, quia reliquis inferior, ideo ipſi ſoli injungitur, DEUM laudare, & ſuperexaltare in ſæcula.

6 Sola terra accerſitur ad DEUM ſuperexaltandum, quia ipſi plura ſuppetunt argumenta id officij exequendi; cum reliquæ creaturæ ei obſequantur. Fulget cœlum, tot monilibus nocte ornatum, quot ſtellis coruſcum; tot roſis pictum, quot ſyderibus ſplendidum; ſed quæ in cœlis ſplendent lumina terræ obſequuntur], cujus promovent fœcunditatem; Sol diurna mundi lampas cœlo affixus ſuos ubique terrarum radios ſpargit, quibus agrorum fœtus fovet, & fructus ſingulos terræ ad perfectam perducit maturitatem. Luna ſuis incrementis, & decrementis terræ famulatur, ejúſque nocturnas caligines diſpellit: aër, & aqua terræ inſerviunt; ille circumvehit nubes bajulas pluviarum; & aqua areſcentis terræ ſitim beneficio rigationis extinguit, ac nutritium lac munifica largitate plantis, ac frugibus ſuppeditat, quo nutriuntur, creſcunt. Imò non ſolùm humilitas reliquas creaturas in proprium vocat auxilium, ſed etiam ipſum Creatorem ad ſe trahit, à quo divinis cumulatur beneficijs; appoſitè S. Auguſtinus in feſt. Aſcenſionis ſerm. 2. *Altus eſt DEUS, erigis te, & fugit à te. Humilias te, & deſcendit ad te; quare hoc? quia excelſus eſt, humilia reſpicit, & alta de longè cognoſcit.*

7 Altus eſt DEUS, non deſcendit, niſi ad humiles, quibus ſua impertitur beneficia. Hinc Chriſtus refecturus in deſerto turbas, quæ eum ſequutæ fuerant, noluit eas ſtantes paſcere, neque ijsdem ad ſe venientibus diſtribuere multiplicatum obſonium, ſed præcepit, ut diſcumberent Joan. 6. 10. *Facite homines diſcumbere: erat autem fœnum multum in illo loco.* Cur Benefactor Chriſtus adauctam annonam ſtantibus non diſtribuit turbis, quæ faciliùs ad ipſum acceſſiſſent? cur fecerit eas ſedere, ſuper fœnum? quia divina beneficia noo à ſuperbè ſtantibus percipiuntur, ſed ab humiliter in imo jacentibus accipiuntur. Quid fœno dejectius? quod pede conteritur; quid humilius? cum vix è terræ matris ſino erigatur, non enim in ſublime creſcit ut arbor, ſed humile detinetur, ac jacet io imo; in ſymbolo igitur humilitatis juſſit Chriſtus turbas diſcumbere, quia non alta ſapientes, ſed humilia ſentientes divinis reficiuntur beneficijs, huc accerſendus S. Honorius *Dominic. 4. Quadr.* ubi expendens modum, quo Chriſtus panes diſtribuit turbis, ait: *ſuper fœnum diſcumbentes ſaturantur: quia humiles tantum refectione Domini digni judicantur.*

8 Quòd ſi loca deſerta propriæ oblita ſterilitatis annonæ incrementa humilibus, ſeu diſcumbentibus in fœno diſtribuit: valles inter montium anguſtias humiles, uberiores humilibus ſuppeditant fructuum ſpiritualium meſſes David Pſal. 64. 14. *Et valles abundabunt frumento. Vallis*, ait Joannes Climacus 25. grad. *eſt humilis anima inter medium montium ſinè arrogantia ſemper, atque immobilis permanens.* Ita eſt in vallibus cultores humilitatis uberrimam fructuum meſſem colligunt: quia ut ait S. Bernardus ſerm. de S. Benedicto. *In Vallibus pinguedo eſt; ibi proficiunt plantæ, ibi plena ſpica, ibi centeſimus oritur fructus. Audis, quia ubique vallis laudatur: ubique humilitas prædicatur;* ſed ideo valles abundant frumento; quia ibi fontes ſcaturiunt divinæ gratiæ, quibus terra irrigatur, & ſegetes uberiores fructus adferunt, quibus humilitatis cultores diteſcunt. S. Proſper expendens illud Pſal. 103. *Qui emittis in convallibus*, appoſitè ad rem noſtram ait. *Convalles humilitatem ſignificant, quæ nunquam ſine fonte gratiæ eſt. Non eſt autem inſolens; ut qui montes ſunt propter S. Spiritûs magnitudinem, convalles ſint propter ſui Spiritus humilitatem.*

Latices hujus ſaluberrimi fontis ebibunt, 9
qui ſe in terram demittunt, séque humiliant cum vallibus. Qui erecto ſupercilio ſtant ſuperbi, ſitim non extinguunt in fontibus iſtis Salvatoris, quia nonniſi in vallibus ſcaturiunt humilitatis. Vis veræ ſapientiæ haurire pellucidam aquam, vis ſaluberrimos ebibere latices, in vallem deſcende humilitatis, & ibi monet te Salomon, ut in terram te demittas Proverb. 2. 2. *Inclina cor tuum*, niſi te inclinaveris ſapientiæ pellucidos latices non ebibes, neque ſitim extingues: neque putes, quid aliud eſſe inclinare cor ad ſapientiam, quàm per exercitia humilitatis ſe demittere in terram, & qualis ſit homo ex humo conditus ſeriò perpendere; hæc conſideratio hauſtus eſt, qoo vera ebibitur ſapientia, quo ſitis temporalium bonorum ſedatur, quo ardor depravatæ concupiſcentiæ extinguitur, appetitus terrenarum voloptatum comprimitur, & vires animæ reficiuntur. Ait Hugo Cardinalis: *Inclina cor tuum per humilitatem ad cognoſcendam prudentiam. Ubi humilitas, ibi ſapientia:* idque antea aſſeruerat V. Beda in Proverb. 2. inquiens: *Inclinare cor, eſt cor ad cognoſcendam prudentiam humiliare; & emundare cor, quod dignum fiat ad percipienda myſteria veritatis:* ait Iſaias 11. 9. *Repleta eſt terra ſcientia Domini;* terra quia ſymbolum præſefert humilitatis, cum inferior, ac humilior ſit reliquis elementis repletur ſcientia Domini, quia vera ſapientia in ſola humilitatis ſchola addiſcitur. *Ubi humilitas, ibi ſapientia* ait Hugo. Hinc Chriſtus Matth. 11. 28. nos invitat, ut ad ipſum accedamus, qui eſt fons vitæ, ſuos nobis diſtribuens latices, quibus reficiamur. *Venite ad me*, ſi quæras, per quam viam, reſpondet D. Bernardus per humilitatem; fructus hujus acceſsûs noſtra eſt refectio: *& ego reficiam vos.*

Non ſolùm humilitas vires reficit, ſed 10
etiam adauget, ut humilitatis cultor hoſtes proſternat, & victor ex humiliatione ſurgat.

Cultor humilitatis fuit David adoleſcens cum opilionem agens, & ex caula miſſus ad aulam, dixit ad Saulem regem 1. Reg. 17. 34. *Paſcebat ſervus tuus patris ſui gregem, & veniebat Leo, vel urſus, & tollebat arietem de medio gregis; & proſequebar eos, & percutiebam, eruebam de ore eorum, & illi conſurgebant adverſum me, ac apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, & interficiebam eos.* Opilionem agebat David, & caulæ præerat, antequam vocaretur ad aulam. *Paſcebat ſervus tuus Patris ſui gregem.* Humilitatis cultor ſervum ſe reputat, ſubeſſe mavult, quàm præeſſe, minus de ſe ſentit; flocci ſe facit; ſed in hac humilitatis cultura, interfecit David Leonem Iraſcibilis; vicit urſum concupiſcibilis, proſtravit petulantiam Goliathi, ſeu luxuriam carnis, interemit ſuperbiam gigantis, cum quo deſcenderat ad ſingulare certamen. Arma moverant Philiſthæi in Hebræos, vicina inter ſe caſtra Hebræi, & Philiſthæi locaverant ſejuncti tantùm erant ex interjecta valle, quæ pugnæ campus deſtinabatur, ſi hoſtis deſcendiſſet; quadraginta jam dies effluxerant, cum bellum potiùs protraheretur, quàm gereretur neutris aleam tentantibus; tantum ex Philiſthæorum exercitu Goliathus gigantæa ſtatura, armis robori patibus ferox, ferro cataphractus, ſupercilio erectus vultu minax ſolus in vallem deſcenderat, vocéque truculenta conſueverat diebus ſingulis provocare, ſi quiſpiam eſſet ex Hebræis, qui ſecum auderet dimicare; talem Goliathi minæ, & faſtus hebræis timorem incuſſerant, ut nemo auſus fuerit cum ipſo pugnare Venerat ſub illis diebus in caſtra David adoleſcens miſſus à Patre cum commeatu ad fratres, qui cum vidiſſet Goliathum in valle provocantem, imò & convicijs excitantem Hebræum aliquem, ſi auderet ſecum congredi eâ conditione, ut ſuæ genti, vel æternam ſervitutem victus, vel imperium victor adferret; David non minùs ferociam, & arrogantiam Goliathi, quam imbellem Hebræorum trepidationem deleturus, ſpiritus concepit DEO plenos, & ad pugnandum cum gigante ſe obtulit; Saul rex imparitatem certaminis ei objicit, & inexpertam contra veteranum bellatorem militiam; reſpondet adoleſcens, fuiſſe in ſylvis cum feris truculentioribus congreſſum, & eas proſtrâſſe, interemiſſe; & nihil timoris minas Goliathi ſibi incutere, parvi facere ejus truculentiam, & arma: delectatus Saul animo, & ſpiritu adoleſcentis juſſit ipſum armis muniri ex ſuo depromptis armamentario; ſed David Numinis fiducia fretus, quæ omni chalibe eſt firmior, omni gladio valentior ad hoſtem proſternendum; quovis armorum genere ſe ſpoliavit, & cum baculo, pera, fundâ, & quinque lapidibus, quos fortè de proximo exſiccato torrente ſelegerat, deſcendit in vallem cum Goliatho pugnaturus. Philiſthæus cum primùm fuiſſet adoleſcentem intuitus, nullo pugnæ apparatu formidabilem, nullis præmunitum armis, ratus plus pudoris, quàm gloriæ collecturus, ſi adoleſcentem inermem proſterneret; juſſit indignabundus, eum ſtatim è ſuo faceſſere conſpectu; niſi mallet proteri pedibus, & corvis dari in pabulum; Goliathus ſpargens minas, & contemptui habens adoleſcentem ait 1. Reg. 17. 44. *Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cœli*, inermem armavit non armorum apparatu; ſed humilitate, & contemptu; humilis adoleſcens, & contemptus à Gigante, armis, quibus humiles ac abjecti inter homines conſueverunt pugnare, ut ſunt opiliones, & alij infimæ notæ ad ſingulare devenit certamen; humilitas ſcilicet contra ſuperbiam; parvus adoleſcens, contra gigantem thraſonem. Jam Goliathus toto corpore cataphractus, ingentem manu haſtam vibrans venienti obviat adoleſcenti, qui ſilicem ſtatim è pera extrahit, fundæ imponit, librátque ictu tam deſtinato, ut excuſſus mediam Philiſthæi frontem fregerit, hæſeritque lapis cerebro fixus, & vel uno ictu lapidis gigantem proſtraverit; ſeu humilitas ſuperbiam; ex jejuno, & exiccato torrente ſelegerat David lapides; & ipſe à Goliatho contemptui habitus, armatus humilitate, & jejunio pugnam inivit contra adipatam carneam molem gigantis, cujus ſuperbiæ humilitatem objecit David, ſeu fundam inſtructam lapide; hiſce armis pugnavit adoleſcens, & carneam turrim proſtravit, ſcitè S. Chryſoſtomus homil. 13. in Marc. 11. *Veſtra arma jejunia ſunt, veſtra pugna humilitas eſt.* Et homil. de David, & Goliath inducens Davidem alloquentem Goliathum ait: *Tu venis ad me fidens in gladijs; ego in DEO; tu terrenis armis dimicas, ego cœleſtibus pugno; tu in lancea, ego in fide; tu in clypeo, ego in pace; tu venis ad me in armorum virtute; ego in potentiſſimo adjutere. Denique in te tua arma vertentur; in te tuus gladius exeretur. DEI eſt hæc pugna, DEI erit, & ipſa victoria.*

13 Non Goliathum tantùm humilitas proſternit, ſed & Dœmonem ipſum. De S. Macario narrat Bollandus in ejus vita 15. Januarij, in via ei Dœmonem obviâſſe, qui falce eum fruſtra percutere aniteretur: cumque nil damni poſſet illi inferre dixit: magnam à te vim patior Macari; quia adverſus te nil valeo, nilque poſſum, & conatus mei omnes fruſtranei ſunt. Ecce, quod tu facis, & ego facio: jejunas, & ego: vigilas, & ego non dormio. Unum eſt, in quo me ſuperas. Quid eſt illud? interrogat Macarius? Reſpondet Dœmon, humilitas tua, & ideo contra te nihil valeo, nec poſſum. Idem Bollandus ex hiſtoria Lauſiaca Palladij cap. 22. refert 7. Martij S. Paulum ſimplicem agricolam uxorem in adulterio deprehenſam deſeruiſſe, & S. Antonium Abbatem adiviſſe, ut ſub ejus diſciplina DEO inſerviret: juſſus Paulus à S. Antonio Dœmoniacum curare, fuſis ad DEUM precibus dixit ad Dœmonem: exi immonde ſpiritus ab hoc corpore, quia meus Abbas Antonius vult, ut exeas; ſed repoſuit Dœmon, non egrediar: inſtetit Paulus,

lus, & accepta pelle ſua ovilla verberat Dæmoniacum à tergo inquiens egredere, egredere immunde ſpiritus, quia meus Abbas vuit, ut egrediaris: ad hæc dæmon dixit diſcedo, non quia Abbas Antonius jubet; ſed quia Pauli ſimplicitas, & humilitas me expellit, nec poſſum tantæ demiſſioni obſiſtere. Superbiam Dæmonis vincit humilitas; quia ut ait D. Auguſtinus in Pſal. 92. *Omnis fortitudo in humilitate; quia fragilis eſt omnis ſuperbia.* Dæmonis inſidias evadunt humiles, non ita ſuperbia inflati. Vidiſti rete, quod è mari vel lacu ad litus, vel in navim piſcatores trahunt; piſces gramdiores ipſo capiuntur, quia nullus ijſdem aditus patet; exigui verò unà cum aqua facilè diffluunt, è rete per patula foramina exeunt: huc accerſendus S. Bonaventura diæt. ſalut. cap. 36. de humil. *Sicut piſciculi evadunt ſagenam; ſic humiles rete, ſeu tentationes diabolicas.*

12 Prodeſt exilitas ad inſidias hoſtis tartarei declinandas; & humilitas alas nobis ſuppeditat, quibus in ſublime ovantes, & victores enitamur. Solent pleræque avea alis, quibus in altum evehuntur etiam pullos ſuos tegere, ac protegere ab alijs rapacibus alitibus: quid? animæ alas, quibus tegimur, ac protegimur contra tartareum aucupem nobis ſuppeditat humilitas: his alis tegamur, ut à Satanici hoſtis inſidijs nos ſubducamus; audiendus eſt S. Ephrœmus Syrus *de recta vivendi ratione* ubi oſtendit quàm ſint nobis utiles humilitatis alæ, quibus tegimur inquiens: *Humilitatem diligito, & nunquam diaboli laqueis capieris: velociſſimis enim humilitatis alis ſemper ſublevatus ſublimior eris, quàm ut inimici retibus capi poſſis.* Retibus utitur Satanieus auceps, quibus nos capiat, ſuique juris faciat; ſed ſi exiles, parvuli, & bumiles fuerimus; facilè ab ejus inſidijs nobis patebit exitus per maculas, plagáſque retium; ſin verò tumore ſuperbiæ fuerimus inflati vix nobis via patebit inſidias evadendi. Non me latet, conſueviſſe antehac gladiatores retia ſub ſcuto gerere, quibus adverſarium implicarent, deijcerent, ſternerent, ſuperarent, & idcirco retiarios fuiſſe nuncupatos: Satanicum noſtrum adverſarium tetiatium eſſe dixeris; qui cum vi, & impetu nequeat nos ſternere, omnem adhibet conatum, ut ſaltem dolo nos proſternat, & arte ſuperet; ſua in nos retia jacit, quibua nos involvat, implicétque, & implicatos ſternat; ſi quætas qualia ſint hæc retia, quibus implicamur, & capimur; reſpondet S. Nilus, ipſam eſſe ſuperbiam, quâ tumidi, ac magni non poſſumus per Satanici Retis maculas ejus inſidias evadere, ait ipſe *orat. de ſuperbia: Ante lapſum quoad ejus fieri poteſt da operam, ut ſuperbiæ retia effugiat:* modus autem evadendi; & per maculas, plagáſque retium exeundi ſtudium eſt humilitatis; ſi exiles, ſi humiles erimus pertranſire facilè horum retium maculas poſſumus, & Satanici Aucupis evadere inſidias.

13 Ad id incumbendum humilitatis ſtudij plura ſunt, quæ non ſolùm nos excitant, movéntque; verùm etiam adigunt, quorum præcipuum propria noſtra eſt vilitas; quia ex humo conditus homo non poteſt niſi ſibi vileſcere, ſi ſuam penſet originem; ſi cogitet, lutum eſſe; imò nihil; quia ex natura nihil eſt; & ſolius naturæ viribus nihil poteſt, valétque nihil; & ex nihilo ad hujus lucis uſuram traductus à Creatore mundi fuit. Exercendæ humilitatis incitamenta plura ſolent à SS. Patribus aſſignari, quæ tamen ad tria facilè coarctantur capita; quorum primum eſt ratio veritatis, quia ſi verè noſtram cognoſcamus vilitatem, rerúmque externarum inanitatem, æquè nos, ac bona externa contemnimus: undique viliſſimi ſumus, tum ob id quod non ſumus: ob ea quæ fecimus, & ob ea quæ non fecimus: nihil boni fecimua, quia ex nobis ſi divina deſtituamur gratia nihil poſſumus, nihilque valemus boni agere; ſed tantùm plura pattare ſcelera: quis non ſe demittat uſque ad terræ centrum, & ſi quid eo eſt inferius ob pleraque mala, quæ fecit, & bonum nullum quod egit? Secundum eſt exemplum Chriſti; ſi quis enim cogitet quid egerit pro homine redimendo à Dæmonis famulitio bumilis JEſus, non poterit niſi erubeſcere, tumorem omnem deponere, ſéque deijcere in imum ſuæ vilitatis. Tertium eſt ipſius humilitatis prærogativa, quæ fundamentum eſt reliquarum virtutum.

Ratio igitur veritatis, quæ primum eſt incitamentum exercendæ humilitatis, principalius ſita eſt, ut quiſque veram ſui enanciſcatur notitiam, quæ ut perfecta ſit exigit DEI cognitionem, ex qua oritur amor, qui humilitati ſemper adnectitur, perinde ac cognitio ſui DEI copulatur notitiæ: ex eo quòd quis cognoſcat ſe nihil prorſus eſſe, infert neceſſariò totum ſuum eſſe, & quidquid boni ineſt à DEO in ſe fuiſſe derivatum; proinde ex ſe nihil prorſus eſſe, & quidquid illi ineſt boni totum eſſe à munifica DEI bonitate; inde argumentum deducit diligendi DEUM, ut benefactorem, ſeque deſpiciendi ut viliſſimum agaſonem, pulchrè D. Auguſtinus: *Noverim te, noverim me, ut amem te, & contemnem me.* Ad curandum mentis tumorem nullum poteſt homini tumido exhiberi præſtantius alexipharmacum, quàm ſuæ propriæ conditionis genuina cognitio. Hoc pharmacum ad depellendum omnem tumorem adhibuiſſe Leſcum Poloniæ regem refert Cromerus *lib. 2. de. reb. Polon.* Cum ex bumiliori plebis conditione ad regimen illius regni fuiſſet evectus ſceptro, & diademate donatus, ne propriæ oblivilceretur conditionis aulæa tum acu picta, tum textili opere auro, vel argento nitente compacta ſemper reſpuit, & ſi quid aliud pretioſioris ſupellectilis adeſt; craſſioribus tantùm uſus pannis, ut & vaſis fictilibus, quibus memoriam juvaret propriæ præcedentis conditionis. Quòd ſi proditurus in publicum munus regiæ dignitatis exigeret, ut ſplendori indulgeret principatus, tunc craſſos, ac rudes illos pannos, quibus in præcedente humili fortuna uſus fuerat, ſibi obijci mandavit, ut anterioris 14

conditionis memor intumeſcere omnino dediſceret. Si propriam quilibet homo ſibi conditionem objiceret, & quid revera ſit homo ſeriò perpenderet, nulla ei obviaret ſuperbiendi occaſio, ſed in imum propriæ vilitatis ſe demittendi: nam ut appoſitè loquitur S. Laurentius Juſtinianus tract. de ligno vitæ cap. 4. *Quis ſe extollet, ſi carnis ſuæ originem, vitæ calamitatem, & finem diligenter inſpexerit? recogita O homo ut humilieris, originem tuam; intellige unde venis, & erubeſce: adverte in quo conciperis, & humiliare. Nam in putredine conciperis, in ſordibus generaris, in latebris confoveris, in doloribus parturiris.* Et paulo infra *Primam vocem plorando emittis, utpote vallem plorationis ingreſſus:* ubi nonniſi doloribus, ægritudinibus, ærumnis, ac miſerijs eſt homo obnoxius; & ex vitæ progreſſu oſtendit tot eſſe malis, & incommodis afflictum hominem, ut mors cenſeatur eidem potiùs remedium, quàm pœna. Quid enim miſerius homine, quem humores corrumpunt, dolores torquent, infirmitates extenuant, febriles ardores abſumunt; fercula ægravant, ſitis exſiccat, aër inficit, æſtus debilitat, frigus premit, invidia rodit, triſtitia opprimit, paupertas deijcit, infirmitas frangit, & tandem amara mors interimit.

15 Quòd ſi diſcere cupis qualis poſt mortem ſit humani corporis conditio Scholam ingredere ſepulchri, & corruptio carnis, fœtor intolerabilis, vermes inde naſcentes te docebunt, nil aliud eſſe hominem, quàm putredinem, & fœtorē cum degeneret homo in corruptionē, & ex corruptione naſcantur vermes, ex vermibus fœtor, & ex fœtore horror. Habet igitur homo ex ſui genuina cognitione luculenta argumenta ſe in imum deijciendi, ac operam dandi culturæ, & ſtudio humilitatis. Quòd ſi glorieris, te ad DEI imaginem fuiſſe conditum; id non inficior, ſiquidem Geneſ. 1. 27. *Creavit DEUS hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam:* ſed ſi ſuam tibi impreſſit imaginem, te etiam ex viliſſimo luto compegit, te ex pulvere compactum voluit Geneſ. 2. 7. *Formavit Dominus DEUS hominem de limo terræ,* ut ſi imago DEI te extolleret inani faſtu, ne ſuperbires pulverem adjecit, quo tumorem reprimeres, & in imum te demitteres. Quos DEUS ſuis cumular beneficijs, nobilitat virtute, vult memores eſſe propriæ vilitatis; & ſigno nobilitatis teſſeram adnectit ignobilitatis, quæ memoriam juvet humilitatis. Conceſſurus DEUS Moyſi facultatem perpetrandi mira mediante virga, cuj elementa obſequi deberent, juſſit eamdem manum, quæ virgam patratricem miraculorum teneret, ſinum immitti. Exod. 4. 6. *Dixitque Dominus: mitte manum tuam in ſinum tuum, quam cum miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar nivis.* Ut ſi virga ob patrata miracula mentem inflaret, ac tumorem aliquem inveheret inanis faſtûs, ſcabies infectæ manus pharmacum ſtatim exhiberet faſtui deprimendo peropportunum. *Voluit DEUS* ait Theodoretus *hoc ſigno admonere Moyſem perpetuæ humilitatis, quando manum ejus ſuturam thaumaturgam, & ipſa etiam elementa commutaturam prius leprâ infecit.* Etiam Jacob poſt luctam divinam ſuſcepturus benedictionem in teſſeram pugnæ bene pugnatæ, ne inde erigeret ſupercilium; ſymbolum humilitatis in pedis claudicatione benedictioni adjecit. Cum manſiſſet Iacob cis amnem ſolus, fudiſſétque conſuetas Numini preces ſpectabilis ei ſub diluculo obviavit Angelus tutelaris virili ſpecie, à quo ad luctam ultro provocatur: videns Iacob neceſſitatem ſibi impoſitam congrediendi cum adverſario, adactus ab æmulo in arenam deſcendit, manum manui conſerit, pedem pedi ea virium contentione, ut videretur cæleſtis collutator palmam homini concedere Geneſ. 32. 25. *Qui cum videret, quod eum ſuperare non poſſet, tetigit nervum fœmoris ejus, & ſtatim emarcuit. Dixitque ad eum dimitte me jam enim aſcendit aurora. Reſpondit non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Ait ergo quale nomen eſt tibi. Reſpondit, Iacob. At ille nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael: quoniam ſi contra DEUM fuiſti fortis, quanto magis contra homines prævalebis. Vocavitque Iacob nomen loci illius Phanuel dicens vidi Dominum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea. Ortúſque eſt ei ſtatim ſol. Ipſe verò Claudicabat pede.*

Ne inani faſtu elatus ſuperbiret Iacob ob 16
pugnam fortiter pugnatam; ob nomen Iſraelis ſibi impoſitum, in teſtimonium fortitudinis; ob locum certaminis, qui Phanuelis, ſeu viſionis DEI meruit nomenclationem trahere; delatæ victoriæ, teſtimonio fortitudinis adnexuit ſignum humilitatis; pedis claudicationem: *ipſe verò claudicabat pede,* ut pedis claudicatio omnem è capite tumorem excuteret, faſtum propelleret. Victor Iacob brachijs, & manibus claudicavit pede. Cum fortitudinem jactarent brachia, torporem contraxēre fœmora: tametſi cæleſtis collutator videretur homini palmam concedere, tamen oſtenſurus antagoniſtæ ſuo quis eſſet, cum quo inijſſet certamen, os ei fœmoris luxavit, nervumque diſtorſit; non tamen dolor potis fuit ut animo caderet, & ejus virtus ſuccumberet, quæ magis, ac magis ſe colligens injectis brachijs adverſarium implicat, arctiorique ſtringit complexu, quo ampliorem detulit victoriam; ſed ne cum brachiorum victoria inani faſtu caput intumeſceret; pedis claudicatio opponitur ad faſtum oppugnandum, ad victoriam firmiùs ſtabiliendam. Nulla eſt tam abſoluta victoria, cuj non ſit alia pugna ſuperſtes. Victori poſt delatam victoriam alia ineunda eſt pugna contra ipſam victoriam, ne inani faſtu intumeſcat: neque in hac poſtera pugna alijs indiget ad victoriam armis præmuniri, quàm propriæ demiſſionis, & humilitatis; quàm genuina cognitione propriæ inſufficientiæ, cum nihil ſit illi boni, aut virtutis, quin à DEO acceperit. Nunquam deſunt homini ex ſui genuina cognitione luculenta argumenta jugem dandi operam ſtudio humilitatis, omnémque abijciendi tumorem, faſtúmque deprimendi. Quid enim eſt homo

quàm

quàm imbecille corpus, fragile, ſuapte natura inerme, maſſa luti, fœdum animal ad omnia mala proclive, ægritudinibus, doloribus, corruptioni obnoxium: hæc conſideratio apud Nyſſenum efficax eſt ad ſupercilium deponendum, præſentiſſimum alexipharmacum ad tumorem ſuperbiæ ſanandum; peridoneum frœnum ad faſtum omnem coërcendum: ait Nyſſenus *orat. 2. de homin. procreat.* loquens de plaſmatione hominis. *Sumpſit DEUS pulverem è terra. Cum pulverem audis, diſce tumorem humanum deponere. Ne ſuſpicias hominum perſanas, cur ſpiritu tollis? cur de te magnificè ſentis? quando tibi cogitationes inciderint, quibus intumeſcas, quibus inflammeris; illud tibi in memoriam revoca, quomodo creatus ſis: ſumpſit DEUS pulverem de terra; ſi à terra diſcederes, forſan conditionis tuæ poſſes oblivisci. Nunc autem ab ea nunquam diſcedis, ſed cum illa naturaliter conjunctus es; incedas in terra, ſubſiſtis in terra, conquieſcis in terra; in terra litigas, in terra vivis, in terra moveris; & in terram iterum reverteris.* Ubique nobis terra obviat, ne noſtræ unquam obliviſcamur conditionis, ne ſupercilium unquam erigamus, ſed tumori ſuperbiæ objiciamus noſtræ conditionis vilitatem; ut hoc in pulvere generoſè ſordeſcens homo faſtum ſuperbiæ proſternat.

EXPENSIO XXIX.

Quos Deus ſuis cumulat donis, ne inde tumeſcant præſidio communit humilitatis.

1 QUos DEUS aliqua præexcellenti virtute inſignivit, quâ vel elementis ipſis imperarent, vel alijs præeſſent hominibus, memores voluit propriæ conditionis, ne intumeſcerent; & aliquo humilitatis præſidio præmunivit, quo ſuperbiam proſternerent, faſtúmque coercerent. Plurium virtutumch oragio inſignitum voluit DEUS Eliam Thesbitem, qui propterea religioſo Numinis cultui ab ineunte ætate aſſuetus plura egit ſupra naturæ vires. Sarephtam Sidoniorum urbem ingreſſus à muliere hauſtum frigidæ ſiti extinguendæ, & bucellam panis fami mitigandæ expoſtulat; excuſat ſe mulier, propriámque accuſat egeſtatem, quam triennalis agrorum ſterilitas effecerat; aſſeritque non plus farinæ in hydria ſupereſſe, quàm quantum manus pugillo capi poſſet: oleum itidem in Lecytho ad paucas guttulas olearum ſterilitatem redegiſſe. Juſſit nihilominus Propheta placentam ex ſuperſtite illa farinula ſibi fieri prunis torrendam. Mulier nil cunctata obtemperat Prophetæ, hoſpitalitatis officia exequitur: ſed ex pugillo farinæ tantum panis conficit, quantum ſatis erat non ſolùm ad famem explendam, prorſúsque ſedandam Eliæ; ſed etiam ad totam familiam abundè exſaturandam; & quidem mirabili repenſæ charitatis fœnore, quia ex tenui penu jugis deinceps farina effluxit. Quinimò cum viduæ filius lethali morbo correptus deceſſiſſet, lacrymas exſiccaturus Elias plorantis matris, ac doloris leniturus acerbitatem in preces humi procumbens effunditur: inde contractis ad modum puerilis corpuſculi membris os ori, oculos oculis, manus manibus, pedes pedibus componit, & trino repetito incubitu, & inhalatione ſpiritus animam exanimi corpori reſtituit. Licèt pleraque alia Propheta præſtitiſſet mira; Baalis Sacerdotes in Carmelo congregatos confudiſſet, Baalem falſum eſſe Numen, nullius potentiæ, nec virtutis oſtendiſſet; & ſolùm Hebræorum DEUM verum, ad quod evincendum Vates duodenis è ſaxis juxta numerum tribuum hebræorum aram erexit, in qua mactati bovis membra juſſit collocari, & plurima aqua perfundi, ut è contrarijs luculentius miraculum eluceret. Utque ſuſpicio tolleretur alicujus fomitis igniarij ſub altari abſconditi, voluit foſſam aræ circumduci repletam aqua: quidni inchoato vix ſacrificio ignis de ſummo cœlo in terram demittitur, quâ momento non ſolùm victimam, ſed & aram totam, lapides: imò & ipſam aquam in ſcrobe abſumit; cum Baalis Pſeudo prophetæ per diem integram clamantes neque minimam ignis ſcintillulam viderint è cœlo in terram depluere.

2 Quamvis cælum ejus nutui obedierit in nubibus excutiendis, & ſerenitate accerſenda, vel in pluvijs fundendis, & terræ Siccitate recreanda. Sicco pede Jordanem tranſierit, cum Eliſæo comite, quem diſciplinæ ſuæ ſucceſſorem conſtituerat, adhuc minas Jezabelis, ſeu fœminæ imbellis timuit 3. Reg. 19. 2. *miſitque Iezabel nuntium ad Eliam dicens. Hæc mihi faciant dij, & hæc addant, niſi hac hora cras poſuero animam tuam ſicut animam unius ex illis. Timuit ergo Elias, & ſurgens abijt.* Elias ignem de cælo depoſuerat, aquas cælo alligaverat, ne caderent; terrarúmque tractus irrigarent; aquas Jordanis propriæ juſſerat obliviſci fluxibilitatis, propriámque exuere mollitiem; & tamen ne ob hæc patrata miracula ſupercilium erigeret, mentémque tumore inflaret ſuperbiæ, virtuti miracula patranti alligavit DEUS timorem, quo etiam minas imbellis ſexus timeret, qui in cælum, nubes, & in elementa imperium exercuerat: appoſitè Theodoretus *quæſt.* 17. ait ad rem noſtram expendens hunc Eliæ timorem. *Timor erat divinæ diſpoſitionis: nam nè magnitudo miraculi ejus ſpiritum nimis attoleret, conceſſit gratiæ naturæ, ut timorem ſuſciperet; ut ſuam agnoſceret imbecillitatem.*

3 Frœnum timoris adjecit DEUS virtuti mira patrandi, quo tumor ſuperbiæ coërceretur, & propheta propriæ non obliviſceretur infirmitatis, & intra terminos contineretur humilitatis. Prophetas, viróſque ſummæ virtutis addictos culturæ vult DEUS ſimulacrum æmulari, quod in ſomnis obverſabatur Nabuchodonoſori. Tametſi auro fulgeant ardentis charitatis, argento niteant excultæ caſti-

tatis, ferro muniantur invictæ fortitudinis, adhuc fictiles in ipſis pedes exoptat, ut memores propriæ conditionis humilitatis innixi fundamento ſtent firmiores Daniel. 2. 33. *Pedum pars quædam fictilis.* Pedum partem fictilem auro, argento, alijsque metallis, quibus conſtabat ſtatua adjecit; quia ſi ſplendore auri, quo fulget caput, mens ſuperbo faſtu intumeſcit, capiti ſuperbienti humilitas pedis fictilis injecto frœno tumorem compeſcit. Etiam Apoſtolorum Principi, cuj Magiſter Chriſtus Claves concrediderat regni cælorum Matth. 16. 19. *Tibi dabo claves regni cælorum,* ne tam excelſa inſignitus dignitate intumeſceret, in ſchola humilitatis ſymbolum dedit, quo magiſter fieret veritatis; neque putes quid aliud fuiſſe hoc ſymbolum, quàm ſui contemptum: cum ſuprema donaſſet Petrum in eccleſia militante dignitate *Matth. 16. 19. paulo poſt v. 23.* eum à ſe reijcit, & parem dicit ſpiritui immundo *Vade poſt me Satana* quid? quòd tam cito dæmon dicatur, qui claviger cœlorum regni creatus fuerat? cenſet S. Petrus Damianus *lib. 4. epiſt. 12. id factum ad conſervandam Petri humilitatem.* Ne faſtigium tam ſublimis dignitatis nutaret, ſed firmiùs ſtaret, nec unquam corrueret, inniti voluit fundamento humilitatis: Sathanæ pariavit clavigerum regni cælorum, ne ſuperbiret tanta inſignitus dignitate. Quam ſuperbia cæcitatem invehit, humilitas excutit; & quem dignitatis faſtigium tumorem in oculos ſolet educere, humilitatis collyrium premit, ſanátque, ut clarè quà ſit eundum per virtutum ſemitas videamus. Idque nos edocuit Magiſter Chriſtus, cum cæco à nativitate lumen benefica fuit munificentia impertitus: ſymbolum adhibuit humilitatis pro collyrio abſtergendis cæcitatis tenebris perapto. Joan. 9. 6. *Fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos.* Superbiæ cæcitas luto humanæ conditionis ſeriò perpenſæ excutitur. Quid per lutum indicatur quàm humana conſtitutio, cum ex humo ſit homo conditus? quid per ſputum, quàm ſuperfluum, ac redundans excrementum humanæ corruptionis argumentum; utroque igitur humilitatis ſymbolo veluti præſentiſſimo alexipharmaco, & efficaci collyrio ſuperbiæ cæcitas excutitur. Quamvis invecto faſtu ſuperbiat homo, neceſſe eſt detumeſcat, ſi lutum perpendat propriæ conditionis, non ſecus ac pelagus horribiliter infremens, cujus fluctus in litoris impingentes arenam, ſtatim detumeſcunt, ſéque ſubmittentes totum tumorem demittunt & litus oſculari, retrocedunt humiles.

4 Etiam Apoſtolo Paulo, quia evectus fuerat uſque ad tertium cœlum ubi audivit arcana DEI, ne inde anſam arriperet ſuperbiendi datus eſt ſtimulus, à quo vexaretur, & ad ima ſe deprimeret; 2. Corinth. 12. 7. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis,* quò Spiritus ſuperbiæ non inſurgeret, carnis infirmitas accerſitur, quæ frœno humilitatis mentis elationem compeſceret; & concupiſcentiæ æſtus faſtum adureret ſuperbæ elationis. Paulus, qui aſcendit Empyreum pati adigitur carnis moleſtias, ut propriæ memor infirmitatis, omnem deponeret ſpiritus tumorem. Ita eſt: quos DEUS divinis cumulat beneficijs, ne inde anſam ſumant ſuperbiendi; ijſdem aliquid ſemper adijcit, quo memores propriæ vilitatis, ac imbecillitatis ſe in imum demittant humilitatis: appoſitè D. Gregorius *lib. 3. cap. 14* ait. *Magna eſt Omnipotentis DEI diſpenſatio, & plerunque contingit; ut quibus majora bona præſtat, quædam minora non tribuat: quatenus dum appetunt perfecti eſſe, & non poſſunt; & laborant in hoc, quòd non acceperunt, nec tamen elaborando prævalent: ut in his quæ accepta habent ſe minimè extollant, ſed diſcant: quia ex ſemetipſis majora bona non habent, quia in ſe ipſis vincere parva, vilia, atque extrema non poſſunt.* Etiam ipſi prophetæ, qui divino lumine illuſtrati divina vident myſteria, & futura prædicunt hominibus, ne inde intumeſcant propriæ vult DEUS imbecillitatis memores; quò occaſio illis ſuppetat ſe potiùs in propriæ conditionis humum deijciendi per conſiderationem humanæ fragilitatis, carniſque lutuæ. Ezechiel, Daniel. & Zacharias quia ſæpe angelorum conſortio admiſſi, ne mente intumeſcerent, ne angelicis ſpiritibus adſciti crederent angelicam induiſſe naturam, admonentur humanæ fragilitatis, & filij hominum culpantur, ut & ipſi ſe eſſe homines noverint; & per deſcenſum humilitatis, mereantur ad DEUM, ac conſortium Angelorum aſcendere; quia ut ſcitè Caſſiodorus expendens illud Pſal. 63. *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum* ait: *magnus aſcenſus ad Deum eſt cognitio infirmitatis ſuæ.* 5

Quærit S. Joan. Chryſoſtomus *homil. 3. in epiſt. ad Coloſſ.* qua ratione homo dicatur conditus ad imaginem, & ſimilitudinem DEI, & non potiùs Angelus, qui utpote natura perfectior proximiùs accedit ad DEUM, quàm homo, qui corporea mole gravatus corruptioni eſt obnoxius, & longiùs diſtat à divinis perfectionibus Geneſ. 1. 27. *Et creavit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam:* & reſpondet ſolum hominem dixiſſe factum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam; non Angelum: *quia in hoc natura ſublimitas pluries in impietatem conjeciſſet: in homine verò tenuitas, & humilitas ſecuritatem præſtat.* Quia homo ex humo conditus fuerat, in propria natura ſemper habet, quò tumorem deprimat ſuperbiæ; & in corpore argilloſo, quo mentis comprimat elationem. Geneſ 2. 7. *Formavit Dominus DEUS hominem de limo terræ:* ſed ſi homo utpote conditus ad imaginem, & ſimilitudinem DEI eſt perfectior cæteris creaturis corporeis, quibus præeſt, eſt divitijs affluens, honoribus plenus, cur ultimus omnium conditus fuit, & non potius ante reliquas creaturas viſibiles, quibus ſicut dignitate, ac nobilitate præeſt; ita & nativitate, & tempore illas præcederet? reſpondet Procopius apud Mendozam in 1. *Reg. 5. v. 9. ne gloriaretur, & ſe quaſi jactaret cooperatorem DEI.* Sed S. Chryſoſt. *homil. 12. in Geneſ.* ait, fuiſſe hominem compactum ex luto infimo

ele

elemento, & ultimo loco: *Ne ignorando homo quomodo conſtitutus ſit, magnus ſibi videatur, & præſcriptos ſibi limites tranſeat.*

6 Quoties cæleſti aliquo locupletatur homo beneficio, ne inde intumeſcat anſam ſemper aliquam DEUS eidem exhibet ſe demittendi, ac humiliandi. Prærogativa à DEO inſignitur ſui delegati Ezechiel ad populum Iſrael; ſed ne inde ſupercilium erigeret, ne ſuperbiret exiſtimans divino fungens munere aliquid eſſe ſupra humanam conditionem enatum; eum priùs vocat filium hominis, ut memor ſuæ vilitatis, ſuique luti non intumeſcat Ezech. 3. 4. *Et dixit ad me. Fili hominis vade ad domum Iſrael, & loqueris verba mea ad eos.* Quia Propheta ad cæleſtia, & occulta DEI myſteria percipienda evehebatur; refricata humanæ ſuæ conditionis memoria frœnum inijciebat tumori ſuperbiæ; appoſitè S. Gregorius *homil. 12. in Ezechielem* ait: *Priùs filius hominis appellatur: ſæpe enim ſublevatur ad cæleſtia; & occultis, ac inviſibilibus rebus ejus mens paſcitur. Neceſſe eſt ergo, ut inter occulta, quæ penetrat filius hominis nuncupetur; ut ſemper agnoſcat quod eſt, & nunquam extollatur de his, ad quæ ducitur.* Hoc compeſcendæ jactantiæ frœnum adhibuit Abraham: qui tametſi regia dignitate inſignitus, divitijs affluens, divinis beneficijs donatus, adhuc populo terræ ſe ſubmiſit, quem & reveritus fuit Geneſ. 23. 7. *Surrexit Abraham, & adoravit populum terræ* Non erubuit ſe infra ſuos ſubditos deijcere; & eos adorare, à quibus dignitas regia Abrahami cultum exigebat; imò non ſolum ſua populo præſtitit obſequia, verùm etiam ſe in terram uſque incurvavit, ſéque terram, & cinerem eſſe faſſus eſt, ut ſuperbiam amputaret, & arrogantiam cohiberet: ait Iſidorus lib. 11. orig. cap. 1. hominem ab humo dici, eò quia ex humo factus ſit homo; cuj nec ingens, nec maximum corpus datum eſt, ſed reſpectu elephantis parvum, & exiguum; ut memor propriæ exilitatis, non intumeſcat: huc accerſendus Theodoretus *quæſt. 48. in Geneſ.* ubi perpendens hominem ex luto effictum mole corporea infra pleraque animalia poſitum, ait: *Si homines exiguis corporibus præditi, non contra ſe modò, ſed contra DEUM creatorem attolluntur; quid non commiſiſſent, ſi maxima corpora ſortiti fuiſſent?*

7 Quò ſe attolat homo non habet, ſed infinita, ut infinities ſe humiliet; proprium quod ex ſe habet homo eſt ipſum nihil, quia ex natura ſua nihil eſt homo; & ſi quid ipſi boni, vel pulchri inſit, id ſuum non eſt, ſed DEI, à quo fuit ipſi mutuatum: idque cauſæ, cur in ſacris epithalamijs Sponſa venuſtatem, quâ ſuo placuit Sponſo lunæ pariaverit Cant. 6. 9. *Pulchra ut Luna*: ſed ſi pulchritudo ſponſæ tanta fuit, ut cæleſtem Sponſum illexerit, ac amore incenderit Cant. c. 2. 10. *Surge propera amica mea columba mea, formoſa mea, & veni*, cur non potiùs dixit: Pulchra ut ſol: quippe luna non niſi nocturnas inter cimerias ſplendet; & Sol ſecum advehit diem, ſuiſque radijs veluti totidem penicillis diſcolorem pingit in hortorum areolis florum venuſtatem; in pratorum irriguis ſpatijs Smaragdinum herbarum virorem; in arborum comis foliorum elegantiam; in pomorum cute purpuram: cur igitur Sponſa ſuam venuſtatem, qua cæleſti placuit Sponſo lunæ pariavit, quam ſoli prætulit? an quia luna non niſi nocturnis tenebris obducta, atque umbrarum nigrore circumſepta ſuæ venuſtatis emittit ſplendores, ſuámque oſtendit pulchritudinem; & Sponſæ pulchritudo à nigredine tenebrarum, & obſcuritate non abhorreat noctis? Cant. c. 5. *Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Ieruſalem;* & ideo nigra & formoſa, quia humilis Luc. 1. *ecce ancilla Domini.* Humilitas quamvis obſcuris gaudeat, virtus tamen eſt eò venuſtior; quò obſcurior: ſed quamvis Sponſæ nigredo clariſſimus ſit humilitatis fœtus; adhuc noluit dici pulchra ut Sol; ſed pulchra ut luna; quia noverat Sponſa pulchritudinem ad ſe derivatam fuiſſe à DEO, & nihil ex propria natura habere in ſe venuſtatis; ideo dici maluit pulchra ut luna, quàm ut Sol: quia luna totam ſplendoris venuſtatem mutuat à Sole, qui ſui luminis faber cæteris planetis ſuos impertitur fulgores, quibus in cœli theatro ſplendent; pulchra maluit dici ut luna, quàm ut Sol, quò innoteſceret cujlibet creaturæ, pulchritudinem gratiæ in ipſam derivari à Solo DEO, perinde ac Luna ſuos à ſole nitores accipit, & inde humilitatis exercendæ cauſa ei non deeſſet, cum ex ſe nihil habeat boni, nilque pulchri, & undique viliſſima ſit ob id quod non eſt; ob id quod ex ſe agit, & ob id quod non agit; & ob id quod DEUS egit pro nobis, & ob id quod nos non agimus pro DEO. Quis non ſe demittat uſque ad centrum terræ, & ſi quid ſit eo inferius ob patrata flagitia, commiſſa ſcelera. Sponſa non ſolùm ob ſplendorem mutuatæ ſibi à DEO juſtitiæ ſole ſuæ venuſtatis ſplendorem ſe lunæ pariavit; verùm etiam quia quævis creatura quandiu in hujus vitæ ergaſtulo detinetur mutabilis eſt in exercitijs virtutum, quarum ſplendore ſi hodie clareſcit, cras quovis nitore deſtituta jacet ſqualida, & obſcura.

Sponſa quamvis ſtudio virtutum divinum Sponſum in ſui amorem traheret, & ſplendore venuſtatis ei ſingulariter placeret, adhuc maluit dici *pulchra ut luna*, non ut Sol, ut ſplendor virtutis per exercitia humilitatis deliteſcat in tenebris. Viri ſancti, & virtutum cultores; quò flureſcunt pulchriores, eò nituntur deliteſcere obſcuriores; quò ad ſublimiora vehantur, eò ſtudent humi jacere depreſſiores. Duo in ſomnijs fuerunt Joſepho repræſentata objecta ſublime, & excelſum unum; humile, & rurale alterum; illud in cœlo, iſtud in cœno; illud ſplendore coruſcum, iſtud campeſtri cultura paleis immixtum. Has imagines per ſomnium ſibi objectas ex propria innocentia alienam metiens, ſuis aperuit fratribus, dicens vidiſſe per quietem ſe, & fratres ſuos colligare manipulos; 8

& ex ipſis ſuum ſtetiſſe erectum, imò & ado-
rari à fraternis manipulis circumſtantibus. In
alio ſomnio narravir, fuiſſe ſibi objectas ſpe-
cies ſolis, lunæ, & undecim ſtellarum ſe ſe
deveneranrium Geneſ. 37. 7. *Audite ſomnium
meum, quod vidi. Putabam nos ligare manipulos
in agrs: & quaſi conſurgere manipulum menm,
& ſtare; veſtrósque manipulos circumſtantes ado-
rare manipulum menm. Reſponderuut fratres nun-
quid rex noſter eris? aut ſubijciemur ditioni tuæ?
Aliud quoque vidit ſomnium, quod narrans fratri-
bus ait. Vidi per ſomnium quaſi ſolem, & lunam,
& ſtellas undecim adorare me.* Gemiua hæc ſo-
mnia Joſephi principatum proculdubio ad-
umbrârunr.

Quòd ſydera ſuis niroribus ſplendorem
9 repræſenrent regiæ dignitaris in terris, nil in-
de oritur difficultaris, cum principarus in ter-
ris perinde ſplendear, ac Sol planetarum prin-
ceps in cælis. Sed quòd delineetur per rurales
manipulos, id viderur captu difficile; quid
paleâ deſpicarius, & quid principatu illu-
ſtrius? quid ſpica iu campo tenuius, & quid
ſceptro iu terris gramdius? quid manipulo ab-
jectius, cum à ſolis ruſticis manibus compin-
gatur, pedibus conteratur, bacillis diverbe-
retur; & quid regio diademare nobilius, quod
tot ſyder.bus ſplender, quot gemmis coruſcat.
Sed appoſitè fuir Joſephi principatus per ge-
mina illa adumbrarus ſomnia; ideo meruit
Joſephus ſyderibus coronari, in throno ſede-
re, quia inter ruſticanos manipulos non eru-
buir paleis ſtipari; non ſplenduiſſet ſyderibus
redimirus, niſi ad paleas uſque fuiſſet demiſ-
ſus: ſed ad ſymbolum exhibendum principatus
cur non potius virga ſeligitur? quæ Moyſis in
manu ſceptri fuerat officio functa: cur ſpica
virgæ præfertur? eum illa vili veſtiarur pa-
lea; hæc Smaragdino nobiliretur virore? ſci-
tè præfertur ſpica, quia hæc flaveſcens matu-
ra, capur iucurvat, ſéque in humum inclinat;
quo inde diſcamus, agnatam ſublimitati eſſe
humilitatem: virga quia erecta fructu deſti-
tuitur; ſpica quia annonâ direſcit in imum
curueſcit, & quò ditior, eò curvior, ac bumi-
lior. Spicæ curvæ in humum inclinatæ prin-
cipatum præſagiunt; ſi deſcendis per exerci-
tia humilitaris, aſcendis per gradus ad cæli
principatum. Joſeph ideo ſtellis coronatur;
quia ſpicis onerarur, & paleis humiliarur. *Vi-
debam conſurgere manipulum meum*: ſi vidit con-
ſurgere, ergo quia ante jacuerar: non ſurgit
quiſpiam niſi priùs jacuerit; & quia jacuit
humilis in palea; ſurrexit ad celſiorem in
Ægypto dignitatem; ubi quia ſrarribus ſuis
erar frumentum diſpenſarurus; perapte ijſ-
dem imagines narrar ſibi dormienti objectas de
ſpicis, ac manipulis; ne ſomniaram conte-
mnerent annonam, quæ ijſdem erar ſuppedi-
tatura viræ ſubſidia. Sed licèr manipulum
viderit conſurgere, non tamen credas, ſo-
mniantem otio torpuiſſe; quia non ſolùm fra-
tres vidit ſuos ligantes manipulos; ſed etiam
ſe liganrem proprium manipulum vider; quia
humilitas, ut aſcendat ad ſublimia, non debet
deſes jacere; ſed per bona opera, per exerci-
tia aliarum virturum aſcenſui præludere: &
quia ſublimitas non ſtat firma, & tuta, niſi fun-
damento innirarur humilitaris; quamvis Jo-
ſeph viderit manipulum ſuum adorari ab alijs
undecim manipulis; ne otietur ſublimi di-
gnitare donatus etiam ipſe unà cum fratribus
ſuum ligat manipulum, ſe incurvat per exer-
citia humilitatis; & quos haber fratres ſuæ
dignitaris adoratores; ijſdem ſocius adſciſci-
tur laboris; ne cum manipulum ſuum viderit
ſurgentem, ipſe deſes ſterteret dormiens; niſi
quis ſe movear, niſi nitarur otium excutere
non ſurgit ad ſublimia; & niſi quis priùs ja-
cear humilis non ſurgir excelſus. Scitè Lip-
pomanus expendens Joſephi manipulum aie
*in Geneſ. c 37. Viderat manipulum ſuum in ſomniis
Joſeph, quid poſtquam jacuiſſet ſe ſe erexit, &
firmiter conſtitit, veluti columna ſtabilis; aptus enim
providentiæ eſt. Eſt revera fidelium fides deijcî
non poteſt ab hominibus quantumlibet malignen-
tur, & inſiſtant: quanto enim magis impedire ni-
tuntur, tanto plus premevent, & confirmant re-
verentiam deferentes.* 10

Indignari ſrarres ob narrata à fratre natu
minore ſomnia, eum veluri mendacij inſimu-
lanr Geneſ. cap. 37. *Nunquid rex noſter eris,
aut ſubijciemur ditioni tuæ?* Verus humilis non
ſolùm ſe ipſum contemnir, ſed gaudet ſi ab a-
lijs deprimatur, & nihili fiat; quaſi menda-
cia effurierir, & ſomnia finxerit à reliquis fra-
tribus redarguirur: quem ſceptro indignum
probare ſtudent, mendacem aſſerunt; quia ut
air Salomon Proverb. 17. num. 7. *Non decet
principem labium mentiens*; quia mentiri perin-
de eſt, ac ſervire ex Ariſtotele, qui mendacium
dicit eſſe ſervitium: ne igirur Joſeph ad ſo-
mniatum aſcendat priucipatum mendacij in-
ſimularur à fratribus: quia principis eſt im-
perare non famulari. Sed Joſeph conuicijs im-
petirus, calumnijs gravarus in ciſternam de-
miſſus non conquerirur, ſed humilis ſiler, & æ-
què lætarur de ſpicis ei per ſomnium objectis,
ac de ſtellis, quarum ſplendore coronabatur;
ideo DEUS ex ariſtis eum ſupra ſydera eve-
hit? Geneſ. 37. 7. *Vidi per ſomnium quaſi ſolem,
& lunam, & ſtellas undecim adorare me.* Quid
paleâ vilius, quid ariſta levius? quid ſceptro
nobilius? quid corona illuſtrius? & tamen,
quia à fratribus humiliarus in ciſterna è palea,
& ariſta evehitur à DEO ad ſceptrum, & co-
ronam: quia quos humiliras in imum demit-
tit, DEUS ad ſublimia admittit. 11

Non videt DEUS, ut videt homo, cuj
humilia, & ſqualida ſunt contemptui. DEI
oculus non ſolùm extimum corticem luſtrat,
ſed intimiora penetrat; & quas in luto humi-
litatis virtutum gemmas reperit coronæ inſe-
rit, ut illuſtriùs ſplendeant. Jobus quia hu-
milis jaceret in fimeto, ſqualore obſitus, ſordi-
bus deturpatus, anguſtijs preſſus, calamira-
tibus oneratus DEUM alloquens, id rogavit ne
oculi hominum eum viderent; quia judican-
tes ex cortice extimo eum cenſerent ob patrata
ſcelera Numini exoſum Job. cap. 7. n. 7. *Me-*

men-

mento, quia ventus eſt vita mea; & non revertatur oculus meus, ut videat bona, nec aſpiciat me viſus hominis. Copiens divinos ſibi reddere propitios oculos, ſimul ſatagit oculos hominum declinare inquiens: *nec aſpiciat me viſus hominis:* qoia ſi homo videat in ſimeto jacentem, ſordibus fœdum, anguſtijs preſſum, ulceribus fractum, pure, & vermibus ſordidum, ac malè olentem, me à divina gratia judicabit dejectum: unde non oculi hominum, ſed tuì me aſpiciant, ut ſurgam à miſerijs, quibus affligor, ab anguſtijs quibus premor, à doloribus quibus torqueor, à ſimeto, & ſordibus in quibus jaceo abjectus, ſordidus, ſqualidus: quia quem oculi tui aſpiciunt humilem, & dejectum, à miſerijs eximunt, & ad ſublimia evehunt; & non ut oculi hominum afflictum aliarum acceſſione afflictionum onerant: unde ſubdit. cap. 10. n. 4. *Nunquid oculi carnei tibi ſunt? aut ſicut videt homo, & tu videbis?* conqueritur de oculis carneis, viſuque hominum qui cum videant jacentem in ſimeto ſqualidum, pure ſcatentem, ulceribus fractum, doloribus tortum; infirmitatibus abſumptum, ſordibus fœdum, ſtatu humiliatum putant eſſe à DEO derelictum, forſan ob patrata ſcelera; propterea dignum eſſe, ut redarguatur, increpetur. Propterea DEUM rogat, ut ſuos benignitatis, ac clementiæ oculos in ipſum figeret, qui cum non ſint carnei eum judicabunt dignum levamine, & conſolatione, non deſpectione. Non enim oculi tibi carnei ſunt, ut ſicut homines, deſpicias, ac derelinquas humiliatum, & ærumnoſum: *non enim ſicut homo videt, & tu videbis* quem videt homo divitijs affluentem, dignitate illuſtrem, viribus præpotentem commendat, laudat; ſed ærumnis afflictum, anguſtijs preſſum, paupertate pannoſum, & à pinguiori fortuna ad macriores dejectum incitas hunc flocci facit, deſpicit, habétque contemptui: ſed oculi tui hunc clemenre aſpectu à miſerijs liberant, ab anguſtijs ſolvunt, ab ærumnis vendicant; & dejectum erigunt, pauperem ditant, derelictum beneficijs cumulant, unde ajebat Job ca. 5. loqoens de DEO: *Qui ponit humiles in ſublimi, & mœrentes erigit ſoſpitate.*

Injunxerat DEUS Samueli ut unum ex
12 Iſai filijs ungeret in regem; ſed quia Propheta oculis videbat hominis in Eliabum oculos ſtatim direxit, quia ſtatura erat procera, oris venuſtate commendabilis; corporis viribus robuſtus; & quadam majeſtate decorus: ſed DEUS dixit ad Samuelem 1. Reg. 16. n. 7. *Ne reſpicias vultum ejus, neque altitudinem ſtaturæ ejus, quoniam abjeci eum:* quia Samuel oculis carneis filios Iſai aſpexerat, ſtatim in Eliabum ob membrorum elegantiam, oris venuſtatem, frontis majeſtatem, ac totius corporis commendabilem proceritatem ſuo voto collimavit; qoia venuſtas, & corporis proceritas oculis prophetæ carneis placuit; DEO diſplicuit: ſubdens: *Neque juxta intuitum hominum ego judico: homo enim videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Falluntur oculi carnei extimam tantùm luſtrantes corporis ſuperficiem; & non penetrantes cordis interiora: etiam poma Sodomitica in extima cute purpuram induebant eleganter picta, cum intus non niſi inanem cinerem continerent, de quibus ait Solinus: *Poma Sodomitica præſeferunt quidem ſpeciem maturitatis ſpecioſæ cutis ambitione, ſed favillaceam intrinſecus fuliginem abſcondunt, quæ vel levi preſſa tactu exhalet, & fatiſcat in vagum pulverem:* oculi carnei vident fulgentem honoribus, divitijs affluentem, viribus præpotentem; ſed DEUS aſpicit miſerijs obvolutum, anguſtijs preſſum, inopiâ pannoſum, ærumnis afflictum, ut conſolatione oppleat, & ad ſublimia erigat: *Non ſicut homo videt & tu videbis.* Altiùs, ac intimius penetrant DEI oculi, & cordis penetralia ingrediuntur; ſcitè Tertullianus *oculi Domini alti: homo in faciem; DEUS in præcordia intuetur.* Quis igitur ex filijs Iſai in regem Iſraël ungetur à Samuele? ſeptem adduxerat Iſai filios, venuſtate, ac corporis proceritate commendabiles: 1. Reg. 1. 16. n. 12. *Adduxit itaque Iſai ſeptem filios ſuos coram Samuele,* ac ſi omnes adduxiſſet, & nullus alius ſupereſſet, qui poſſet ad coronam promoveri, ac ſceptro donari; quia cum Iſai oculis carneis vidiſſet Davidem nato minorem, corpore minus elegantem, nullam duxit de ipſo mentionem facere: & cum Samuel ulterius interrogaſſet: *nunquid jam completi ſunt filij tui? qui reſpondit, adhuc reliquus eſt parvulus, & paſcit oves:* oculi carnei Iſai Davidem quia parvulum, digniorem cenſuit, ut præeſſet caulæ, quàm aulæ, pedo donandus, quàm ſceptro: hoc ſonant verba Iſai *adhuc reliquus eſt parvulus, & paſcit oves* quid abjectius poterat proferre in contemptum Davidis; idque cum obſervâſſet D. Chryſoſtomus in Pſal. 50. pulchrè ait: Erubuit Pater: *Habeo inquiens, unum parvulum, & contemptibilem, qui paſcit oves: tu autem Regem quæris.* Sed parvulus, qui oculis carneis Iſai parentis erat deſpicatui, ac contemptui; oculis DEI ſupra cæteros fratres placuit, quia parvulus, ſeu humilis, & exercitijs vilioribus in caula addictus, & hunc voluit à Samuele perungi in regem, ut in aula cæteris fratribus præeſſet: dixit DEUS ad Samuelem: *Surge, unge eum, ipſe eſt enim:* ita eſt, ait D. Chryſoſtomus: *Homo deſpicit humilem, ſed DEUS coronat,* quò diſcant ſublimioribus dignitatibus inſigniti ab ſtudio non abhorrere humilitatis: Idque cauſæ, cur ſummus ſacerdos juberetur induere veſtes lineas, & hyacinthinas Exod. 28. 4. *Hæc autem erunt veſtimenta, quæ facient. Rationale, & ſuperhumerale, tunicam, & lineam ſtrictam, cidarim, & baltheum. Facient veſtimenta ſancta fratri tuo Aaron, & filijs ejus, ut Sacerdotio fungantur mihi. Accipient aurum, & hyacinthum, & purpuram.* Lineum veſtimentum, ait Rupertus Abbas *lib. 4. in Exod.* terram ſignificat; hyacinthinum aërem ob colorem; & ſicut terra humilem; ita aer ſublimem in dignitate præſignat; juſſit ac igitur DEUM veſtes ſummi Sacerdotis lineas, ac

hyacinthinas eſſe, ut in eccleſia prælati, ac eminentioribus inſigniti dignitatibus diſcerent humilitatem ſervare in ipſa dignitatis ſublimitate; & per obſcura humilitatis exercitia, clariùs ſplendere operibus charitatis in proximum exercendæ.

13 Si eveheris ad dignitatem, quæ in eccleſia emineat, imitare cedrum Libani. Arbor eſt, quæ in præcelſo montis Libani faſtigio radices agens, tanto profundiùs demergitur, ac in imum terræ demittitur; quanto in aëre aſſurgit ſublimior; ne fundamentum humilitatis celſitudini deſit dignitatis: ait S. Hieronymus in cap. 14. Oſeæ. *Arbores Libani, quantum in auras conſurgunt vertice, tantum radicem in ima demergunt, ut nulla tempeſtate quatiantur; ſed ſtabili mole conſiſtant.* Tutè ſtant, & citra periculum lapſus in ſublime vehuntur, qui fundamento innituntur humilitatis. Cedrus Libani fuit Virgo mater Eccleſ. 24. 17. *Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano*; quia radices egit in profundum humilitatis, crevit ad celſitudinem maternitatis, cuj nulla poſt humana dignitas æquari. Peculiare humilitatis eſt, eos ad ſublimiora evehere, quos ad inferiora deijcit; illos demittit in terra, ut ſublimiores mittat in cœlum, huc accerſendus D. Auguſtinus lib. 16. de civit. cap. 4. *Tutam utramque in cœlum viam molitur humilitas, ſurſum levans cor ad Dominum, non contra Dominum*: & B. Umbertus cap. 37. de utilitate humilitatis, ait, hanc eſſe ſcalam, per quam in cœlum aſcendimus: Scala ima ſimul, & ſublimia reſpicit, ſiquidem per ejus gradus deſcendimus ad imum; ſimulque aſcendimus; quidni? humilitas utrumque præſtat; quia cum deſcendit per exercitia humilitatis, aſcendit per merita charitatis: ait B. Umbertus: *Ut humilitatis fructum noveritis, agnoſcatis, quod eſt fundamentum ſpirituale: ædificium ne cadat ſuſtentans, & ſcala ad cæleſtia nos ſublimans.*

14 Huic ſcalæ innitamur, quò firmiores ſtemus, hanc aſcendamus, ut ad cœlum perveniamus; aſcendimus ſi per hujus ſcalæ gradus deſcendimus; quia deſcenſus per humilitatem eſt aſcenſus per uberiora incrementa meritorum ad ipſam beatitatem. Folem luſorium dixeris humilitatis ſtudioſum æmulari, qui quò majori impetu in terram projicitur, eò ſublimiori ſaltu erigitur: ait Auguſtinus in Pſal. 93. *Humiles quaſi in terram ſe deprimunt, & in cœlum aſcendunt*, idque ex ſententia Salvatoris teſtimonium habet irrefragabile: *qui ſe humiliat exaltabitur.* Se in humum dejecit Moyſes, ſéque humiliavit, cum indignum ſe dixit, cenſuitque, ut cum Pharaone contenderet, manus confereret; & populum ab ejus manibus, ab Ægyptiaco famulitio eriparet; ac DEUS Pharaonis conſtitueretur Exod. 7. 1. *Dixitque Dominus ad Moyſem. Ecce conſtitui Te DEUM Pharaonis.* Quaſi dixiſſet, ait Rupertus lib. 1. in Exod. cap. 26. *quoniam tu mitiſſimus virorum, pro tuo glorioſo negotio cum Pharaone dimicare, & cum regibus confligere te indignum ducis, atque hoc modo uſque ad noviſſima terræ te deprimis: ecce ego ſuſtollam te ſuper altitudinem nubium, faciámque Te DEUM, non quem ille fideliter adoret, ſed quem ſerviliter formidet, ut imperes aquis pro poteſtate DEI.*

Moyſes Regis DEUS conſtituitur, quia 15
infra regis famulos ſe demiſerat; imperat elementis, quia hominibus famulari non dedignabatur; evehitur ad ſublimia, quia ad inferiora ſe dejecerat. Deſcenſus per exercitia humilitatis eſt aſcenſus ad apicem dignitatis: deſcenderat D. Petrus cum ſe peccatorem fateretur, & indignum ut Chriſtus ſecum degeret, ejúsque conſortio frueretur Luc. 5. 8. *Exi à me, quia homo peccator ſum Domine.* Indignum Chriſti præſentia ſe dicit, & cauſam indignitatis peccatum adducit. Quid? quòd Petrus ex piſcatu piſcibus onuſtus, proventu dives ſe ad imum demittit humilitatis, & peccatorem, ac indignum Magiſtri præſentia deprædicat? cum potius ob piſcium divitem capturam debuiſſet lingua ſuperbire, & mente intumeſcere cum divitijs affluentibus, Petrus piſcibus captis factus locuples non extollitur ſed humilis infra peccatores ſe deijcit, ut nos edoceret non debere animum ſuſcipientis DEI beneficia intumeſcere, ſed ſe demittere; quò ad uberiora percipienda ſibi viam ſternat. Petrus quia ſe dejecit inter peccatores, deſcenditque per exercitia humilitatis, aſcendit ad principatum Apoſtolatus; ait enim Ampigollus in ſua Biblià aurea cap. 59. *Petro dicente humiliter Chriſto, Exi à me, quia peccator ſum ego: ex hoc officium Apoſtolatus ipſi Dominus benignè commiſit*; non facilè ad apicem aſcendiſſet tantæ dignitatis, niſi deſcendiſſet ad ſtatum peccatoris per exercitia humilitatis, ut cenſuit S. Chryſoſtomus *homil. 3. in Matth.* inquiens: *Sic etiam Petrus ait: Exi à me Domine, quia homo peccator ſum*, ſe dimiſit ut fundamentum jaceret eccleſiæ, factus ipſe petra fundamentalis, quæ propterea erat in imo locanda, ut eccleſiæ ſtructura ſublimiùs aſſurgeret: ait Chryſoſtomus. *Nihil enim ſic eſt amicum DEO, quàm ſi quis ſe minimis annumeret, hoc eſt enim caput totius Philoſophiæ; & faſtigium.* Ad ſummum Apoſtolatus apicem Petrum inter peccatores dejectum humilitas evexit; quia profundiùs ſe demiſit, ſublimiùs humilitas eum extulit: quia quos humilitas in profundum demittit, ad ſublimiora admittit, ac evehit; ad altiora aſcendit qui per exercitia humilitatis ad inferiora deſcendit. Altum enim in ſacris literis non ſolum excelſum ſignificat; ſed etiam profundum Joan. cap. 4. *Puteus altus eſt*, ſeu profundus: imò etiam in prophanis dicimus ex arboribus illæ ſtant firmiùs, quæ altiùs radices agunt; ſeu profundiores demittunt radices: unde altum profundum etiam dicitur; & altitudo de profunditate aſſeritur; quo inde intelligamus tunc humilitatem in altitudinem nos extollere, cum ad ima, & profunda nos deijcit: ſitque perinde deſcendere per exercitia humilitatis, ac aſcendere per merita ad apicem ſublimitatis: neque altus, & excellus is meretur dici, qui profundus per humili-

militatem non eſt. Virgo mater ideo ſupra reliquas creaturas excelſa, quia præ cæteris creaturis humilis ſcitè Richardus *libro 9. de Laudibus Virginis:* expendens illud. *Joan. 4. Puteus altus eſt* ait. *Altus æquivocum eſt ad profundum, & excelſum; Maria profunda eſt per humilitatem. Excelſa per vitæ Sanctitatem.*

Quotquot ſanctitate eminent, humili-
16 tate in imum ſe demittunt; & quò ſplendent clariores, nituntur latere obſcuriores; quò ſunt altiores, eò ſe demittunt profundiores: id ediſſerit ſponſa in ſacris epithalamijs, ubi deſcribens ſponſi comam, ait Cant. 5. 11. *Comæ ejus ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi corvus.* In elatis palmarum ſublimitas indicatur juſtorum, qui victores de coërcitis pravis affectibus, de proſtratis mundi vanitatibus, de ſuperatis cacodæmonis inſultibus; de rejectis carnis illecebris evehuntur palmis triumphalibus coronati: *comæ ejus ſicut elatæ palmarum* quaſi capilli degeneraverint in palmas; neque in capite ſponſi quid aliud appareret, quàm elatæ palmarum; neque quidquam intus lateret, quàm victrices palmæ, ſeu cogitationes piæ, caſtæ, & ſanctæ, quæ ſtimulis carnis, vitiorum illecebris, dæmonis ſuggeſtionibus fortiter obſtiterunt, ac hoſtes generosè vicerunt; ſed hæ comæ, hæ cogitationes, quia victrices palmis redimitæ, ad celſitudinem triumphi elatæ, & ſublimes ſanctitate propriæ non obliviſcuntur nigredinis, ſeu peccatorum, ut ad corvinam ſe demittentes nigredinem per exercitia humilitatis firmiores ſtent in apice ſublimitatis. Quamvis viri ſancti cultura virtutum clareſcant, ac ad ſubliniora evehantur, ſemper tamen ſe peccatores cognoſcunt; & eò cupiunt videri obſcuriores, quò ſplendent clariores; ut explicat S. Gregorius Papa in cap. 5. cant. ubi expendens verba ſponſæ: *comæ ejus ſicut elatæ palmarum* ait ad rem noſtram: *comæ ſicut elatæ palmarum ſunt: quia electi quique dum ſemper ad alta virtutum ſe efferunt, per DEI gratiam, quandóque ad victoriam ſe perducunt. Nigræ autem ſicut corvus exiſtunt: quia quamvis virtutibus in cœlum ſe erigant; ſemper tamen peccatores ſe eſſe cognoſcunt.*

EXPENSIO XXX.

Sanctitate inſignes, ne hallucinentur ad claritatem virtutis, ſe demittunt in obſcurum per ſtudia humilitatis.

1 QUos ſanctitas in ſublime evehit, humilitas, ne cadant, in imum demittit, neque arbitreris, humilitatem à celſitudine abhorrere; quin potius excelſos in imum trahit, ut deſcendentes per ſtudia humilitatis ad celſiora ſemper nitantur. Aſcenderant cum magiſtro Chriſto tres diſcipuli Thaboris faſtigium, ſeu ſanctitatis attigerant apicem; ſed cum primùm vocem audierunt Matth. 17. 5. *Et ecce vox de nube dicens, hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui ipſum audite: & audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam* In montis faſtigio; in celſitudine Sanctitatis, ut firmiores ſtarent, ceciderunt in facies ſuas; ne claritate Magiſtri circumfuſi oculi cæcutirent in lapſum proni: etenim Matth. 17. 2. *reſplenduit facies ejus ſicut Sol.* Viri in ſublimitate Sanctitatis conſtituti, ne hallucinentur ad claritatem virtutis, & ſplendorem inde emanantem; ſe demittunt per ſtudia humilitatis, & ad terram ſe ſternunt in facies ſuas, ſeu perpendentes quid per ſenſus faciei peccârunt, quò inde anſa illis ſuppeditetur ſe confundendi ad perpenſa patrata per ſenſus faciei peccata; non intumeſcendi ad excelſa virtutum, & dignitatum evecti. Virilis eſt animi, non mentis fœmineæ proprios perpendere defectus; & inde anſam aucupari ſe demittendi; mulieres quas non tergunt lacrymis maculas noxarum tegunt turpius, quàm patraverint; vel ſatagunt varijs excuſationibus obvelare: huc accerſendus Richardus lib 8. de Laud. virginis ubi loquens de B. Virgine ait: *Hæc eſt terra appenſa ſuper nihilum per humilitatem. Job. 26. Vera enim humilitas, quæ ſoli DEO innititur, infra ſe non videt niſi nihilum, ſeu defectus proprios, & mundi vanitatem. Unde dicitur Thren. 3. Ego vir videns paupertatem, id eſt, ideo virilis, quia cognoſcens meos defectus: ſicut terra, quæ ideo firma quia ſuper nihilum appenſa Jer. 4. Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihil.*

Quanto quis eſt DEI donis cumulatus, & 2
ſublimior conſtitutus; tanto plus ſtudeat per humilitatis exercitia ad inferiora ſe demittere; quanto eſt dignitatis ſplendore illuſtrior; tanto obſcurior ſatagat per demiſſionem degere; eſt hæc obſcuritas, quæ uberiores ſuppeditat dignitati ſplendores; non enim humilitas dignitatem deſtruit, ſed adſtruit; non aufert, ſed affert; hinc B. Virgo licèt præelecta mater DEI, & cæleſtibus donis cumulata, & ab Arcangelo ſalutata *gratia* plena, adhuc neque latum capillum à ſua abſceſſit humilitate, neque à perpenſione ſuæ nihilitatis ceſſavit: ait ipſa Luc. 1. v. 49. loquens de donis ſibi à DEO collatis. *Fecit mihi magna qui potens eſt, & Sanctum nomen ejus.* Perpendendum eſt, non dixiſſe, *Fecit me magnam, qui potens eſt.* ſed fecit mihi magna, ne magna in ſe crederetur, ſed quidquid magni illi ineſſet hoc non à ſe habere, ſed à DEO fuiſſe munifica largitate ſibi collata: nunquam perpenſionem voluit abijcere propriæ nihilitatis; ne habitum exueret invectæ humilitatis: & ideo excelſior cæteris creaturis, ideo mater filij æternij Patris ſecundùm humanitatem mater præelecta; ideo caput contrivit ſatanici ſerpentis; quia non capite intumuit ſed pede per exercitia humilitatis ambulavit. Geneſ. 3. v. 15. *Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus* Quid? quod ſerpens Virginis inſidietur calcaneo, & non potius alteri corporis parti? quia Satanico ſerpenti nihil in Virgine magis diſplicuit, quàm humilitas figurata per calcaneum, ſeu ultimam

pedis partem; hac enim expugnata virtute fore ſpetavit, ut reliqoas eſſet proſtraturus; perinde ac ſejuncto fundamento totum corruit ædificium: ſoli calcaneo Virginis, ſeu humilitati fuit ſerpens inſidiatus, quia ab hac una ſe victum iri formidabat; idque contigit, cum Virgo DEI mater electa caput contrivit ſerpentis cum filium DEI peperit noſtra indutum humanitate, noſtra veſtitum humilitate. MARIA hoc humilitatis calcaneo caput contrivit ſerpentis, & ab ejus famulitio genus humanum vendicavit.

3 Imò tantæ fuit MARIÆ humilitas prærogativæ, ut eidem Verbi æterni conceptio in ejus utero tribuatur: etenim cùm reſpondit Angelo DEI nuncio. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm Verbum*, ſtatim ac in eodem inſtanti noſtram Verbum æterni Patris induit humanitatem ope divini Spiritus ex puriſſimo Virginis ſanguine efformatam: tunc Spiritus S. eam obumbravit, ac fœcundam reddidit, adeo ut de MARIÆ potius humilitate, quàm de Virginitate aſſeratur conceptus Dei filius in noſtra humanitate; ſi ſtudium humilitatis neglexiſſet, ſeque ancillam Domini non dixiſſet, Dei filium non concepiſſet: ſed cũ protulit verbum humilitatis, ecce ancilla Domini Verbum æternæ Majeſtatis concepit: pulchrè Bernardus *homil. 1. ſuper miſſus eſt* ait ad rem noſtram: *Et ſi placuit ex Virginitate, de humilitate tamen concepit*; cuj adhærens B. Albertus magnus ait ſerm. 6. de nativ. Domini, *MARIA non tantùm pro eo quod erat mundiſſima; ſed potius pro eo, quòd erat humillima meruit concipere filium DEI; ſicut per ſemetipſam teſtatur: reſpexit inquam humilitatem ancillæ ſuæ; non ait caſtitatem, licet eſſet caſtiſſima; ſed humilitatem* Fuit Virginis humilitas, quæ Verbum æterni Patris allexit, & in ſuum traxit uterum. Idque in ſacris epithalamijs innuit Sponſa cum dixit Cant. 1. v. 11. *Nardus mea dedit odorem ſuum*: hoc eſt mea humilitas ſe exteriùs effudit, & DEI filium, cæleſtem Sponſum, quem dilexi, ad me allexit: appoſitè verba Sponſæ expendens Mellifluus Doctor ait. *Quid eſt aliud nardus mea dedit odorem ſuum, quam placuit mea humilitas: non mea inquit ſapientia, non mea nobilitas; non mea pulchritudo, nulla erant mihi; ſed quæ ſola inerat humilitas dedit odorem ſuum, id eſt ſolitum: ſoliti placet DEO humilitas; ſolito planè, & ex conſueto excelſus Dominus humilia reſpicit; & ideo cum eſſet rex in accubitu, id eſt in excelſo habitaculo ſuo; illuc quoque humilitatis odor aſcendit*; quàm efficax, quàm præpotens hujus nardi, ſeu exculta in terra humilitatis odor cum etiam in cœlum ſuam diffundat fragrantiam; cujus ſuavitas ita DEO placet, ut in terram trahat, in hortum ubi nardus germinat, ſeu in Virginis uterum felici ducat illapſu. Humilitatis odor quò ſe ad inferiora magis demittit, eò altiùs ad ſuperiora, ac eminentiora aſcendit. Subdit S. Bernardus: *Ergo cum eſſet Rex in accubitu ſuo; nardus ſponſæ dedit odorem ſuum. Accubitus Regis ſinus eſt Patris; quia ſemper in Patre filius; neque dubites Regem hunc eſſe clementem, cui perennis accubitus eſt paternæ benignitatis diverſorium.* Cum odorem ſui nardi expoſuiſſet Sponſa, ſtatim ſobdit Cant. 1. v. 13. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.* Quid? quòd unigenitus dilectus à Patre, in cujus ſinu cum accumbat, ſtatim inter Sponſæ ubera commoretur. Quid filium à ſinu Patris, abſtraxit; & inter ſponſæ ubera traxit? Non putes hanc vim abducendi, & abſtrahendi filium à ſinu Patris eſſe alteri tributam, quàm humilitati Sponſæ: hæc filium in ſinu Patris accumbentem allexit; & quia Sponſa, quæ Sponſum dilexit; inter ubera voluit commorari; quò lactis dulcedine, cordis puritate amor aleretur. Humilitas allexit & traxit inter ubera ubi puritas nutrimentum ſuppeditat amori: audiendus eſt D. Bernardus ſerm. 43. in Cant. *Faſciculus Myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Ante in accubitu Regio, modò inter Sponſæ ubera. Magna humilitatis virtus, cui etiam Deitatis Majeſtas tam facilè ſe inclinat.* 4

MARIÆ humilitatem diceres Iacobæam fuiſſe ſcalam, per quam divina Majeſtas ad nos deſcendit, ut ad cæleſtem Sponſum nos aſcenderemus per humilitatis gradus, appoſitè S. Auguſtinus ſerm. 35. de ſanctis, ad cœlum evehit humilitatem MARIÆ, inquiens. *O verè glorioſa MARIÆ humilitas, quæ porta paradiſi efficitur; ſcala cœli conſtituitur. Facta eſt certè humilitas MARIÆ ſcala cæleſtis, per quam deſcendit DEUS ad terras: quia reſpexit, inquit, humilitatem ancillæ ſuæ: & quid eſt dicere reſpexit, niſi comprobavit, placuit ei humilitas mea?* Quòd ſi humilitas è ſinu æterni Patris filium traxit in Virginis uterum; nos è limo terræ è valle plorationis hujus mortalis vitæ evexit in cœlum æterno gaudio ac beatitudine donandos. Humilitas MARIÆ DEUM hominibus peperit, & homines DEO: unde iterum exclamat S. Auguſtinus ſerm. 35. *O verè B. Humilitas, quæ DEUM hominibus peperit, vitam mortalibus edidit: Cælos innovavit, mundum purificavit, Paradiſum operuit, & hominum animas ab inferis liberavit.*

Quàm præpotens eſt humilitas, quæ è ſinu DEI Patris unigenitum filium abſtrahit, & non ſolum in terram trahit, verùm etiam ad Inferos ducit, ut inde plenam hominum catervam in cœlum perducat. Deſcendit per humilitatem, & in Virginis humilitate requievit; & iterum ex ejus humilitate prodivit, ut prædixerat Iſaias cap. 11. v. 1. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Quid? quòd ex radice dicatur flos egredi, & non potius ex ramis virgæ, qui floribus coronantur, & fructibus curveſcentes diteſcunt? quia per radices humilitas præſignatur; cuj deſcenſus filij Patris in terram tribuitur. Flos de radice hujus virgæ dicitur aſcendere, quia de humilitate Virginis prodijt flos, qui fructum ſalutis mundo attulit. Non ex Virgæ celſitudine, non ex dilatatis ramis; ſed ex radice flos aſcendit; quia non ex ſublimitate corporis, ſed ex humilitate mentis

aſcen-

aſcendit flos,ut eò altiùs veheremur, quò flos profundior in radice germinavit, & humilitate crevit. Radix latere gaudet, & terra obrui, ne animalia eam videant; & quia humilitas itidem amat latere, pompam fugere; ita etiam flos voluit de radice aſcendere, ut ejus pulchritudo occultaretur, ejus divinitas homines lateret, idque innuit Iſaias cum Seraphinos geminos vidit, qui duabus alis faciem DEI velabant Iſaiæ 6. 2. *duabus velabant faciem ejus:* nimirum gratum exhibituri Numini obſequium ſataguot alarum velamine ejus obregere faciem, ſcientes ejus propenſionem ſe hominibus occultandi, ne quidquam ijſdem propriæ ſplendeat Majeſtatis; quòd ſi ſedens in throno alis operitur Seraphinorum; jacens in ſtabulo noſtra indutus humanitate brutis ſtipatur animalibus, quibus ſuam cooperit divinitatem; ſeu ſplendorem ſuæ gloriæ nube obtegit noſtræ vilitatis, ſeu velo humanitatis, tegumento palearum, involucro faſciarum; adeo ut vel ipſi reges à ſtella præambula ad præſepium ducti eum noverint, ac infantem JEſum in ipſo JESU quærentes dixerint Matth. 2. 2. *Ubi eſt, qui natus eſt rex Judæorum?* & niſi ſtella eos edocuiſſet, puerum pannis involutum, ipſum eſſe DEUM, minimè id ſibi perſuaſiſſent. *Vidimus enim ſtellam ejus in oriente;* niſi cœlum ſtellâ perinde ac lingua fuiſſet uſum, ut Magos edoceret puerum natum eſſe DEUM & hominem; minimè terra id illis oſtendiſſet; quia ſplendores ſuæ Divinitatis velamento maluit noſtræ humanitatis obtegere; quò nos exercitia edoceret humilitatis.

6 Sed ſi ſtella docendis regibus magiſtra deligitur; cur non plures ad id muneris obeundum deſtinantur? quæ luminis incremento clariùs viam monſtraſſent, & ſplendidiùs DEI majeſtatem ſub tegumento noſtræ humanitatis obvolutam oſtendiſſent? verùm quia terreni reges cupiditate ſplendoris illecti plura accendunt lumina, quibus eorum Majeſtas enitear illuſtrior; DEUS quia ſuam divinitatem noſtra voluit humanitate occultare, nóſque edocere humilitatem à multiplici abhorruit ſtellarum ſplendore; & nonniſi obſcuris, & humilibus fuit delectatus: hæc certa fuerunt indicia JEſum inveniendi Luc. 2. 12. *Hoc vobis ſignum: invenietis infantem pannis involutum:* ecce qualia indicia divinæ Majeſtatis in terra, involui in præſepio pannis; quid abjectius, quid vilius, quàm bruta inter animalia jacere pannoſum; pauperes pannis involvuntur, qui propterea pannoſi audiunt: dixerat Angelus *Hoc vobis ſignum.* Quia quòd elegerit abjectam caulam, qui ſplendidam potuit ſibi in terris aulam apparere, in qua Spiritus cæleſtes ſua ei naſcenti præſtarent obſequia, & famularentur nato; quòd detritis voluerit pannis involui, qui ex pretioſioribus ſericis, ex delicatioribus linis poterat indumenta ſibi componere: quòd palleas caulæ prætulerit mollioribus aulæ regiæ lectulis, vile præſepium ſumptuoſo palatio, nuditatem parietum aulæis acu pictis, auróque intextis; bruta animalia, & paſtores nobilibus aulicis, quos potuiſſet in ſuum famulatum accerſere; hoc certum fuit ſignum, infantem natum majorem eſſe homine, & aliquid ſupra hominem: quia vix inter puros homines reperies, qui proprios ſplendores ita premant, compeſcant, tegántque pallio humilitatis, ut foras non erumpant: propterea ſcitè dixit Angelus *hoc vobis ſignum invenietis infantem, pannis involu-* 7
tum.

Neque putes in ſolo præſepio fuiſſe natum in terris DEUM, & hominem humilitatis ſtudioſum; hanc enim virtutem ſecum ſemper voluit comitem etiam in ipſo triumpho ubi omnia clareſcunt nobiliori pompa Matth. 21. 5. *Ecce Rex tuus ſedens ſuper aſinam;* non equo generoſo inſedit; ſed huic aſinum jumentorum viliſſimum prætulit; ne in nobili triumpho latum capillum à ſtudio diſcederet humilitatis, quod ſignum fuit divinitatis: ſi Evangeliſta dixiſſet Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus & Salvator ancipites, ac dubij fuiſſemus, an Chriſti fuiſſet triumphus, quia plures fuerunt recti, & juſti, & qui ſalutem curarunt ſubditorum: nullus tamen qui in triumpho urbem ingrediens Jeroſolimam, vel aliam nobilem, aſinæ inſederit; hócque ſignum proprium fuit divinitatis humilitatem in triumpho comitem accerſere: ecce vobis ſignum regis cæleſtis in terris triumphum agentis: *ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ.* Quinimo etiam in ſua gloria ſplendidus ſuos voluit nitores obſcurari aliena luce, ne minus videretur humilitatis amans. Suam in Thaboris faſtigio oſtenſurus diſcipulis gloriam ſolem ſibi locavit in vultu Matth. 17. 2. *reſplenduit facies ejus ſicut ſol.* Solem accerſivit, non ut illius ſplendore proprium augeret, ac appareret fulgidior; ſed ut proprium obſcuraret fulgorem ſolis jubare; quis enim ſolem reſpicit, & tenebras inde non hauriat, non cæcutiat? ubi Moyſes etiam & Elias evanuerunt totus illius gloriæ apparatus diſparuit, ut viderentur ipſi totam fulgoris claritatem emiſiſſe, nihilque lucis à Magiſtro diſcipuli crederent emanatum, quos propterea monuit, ne cuj lucidum ſpectaculum enarrarent, ut viam ſibi præcluderet gloriæ, laudiſque inde ab hominibus captandæ. 8

Imò vel in ipſis miraculis patrandis ab ſtudio noluit humilitatis abſtinere. Invitatus in Cana Galilææ ad nuptias, cum vinum defeciſſet, verecundiæ ruborem deleturus juſſit ſex lapideas hydrias aqua impleri, ne deeſſet quo Sponſi notam abſtergerent inopiæ; & ipſe defectum ſuppleret non patiens vinum deeſſe, qui ad Sanctam mundo amoris ebrietatem inducendam ſuum proprium ſanguinem eidem propinare deſtinaverat. Sed ſi vacuæ erant hydriæ, cur non ſtatim eas vino impleverit? cur juſſerit aquâ priùs oppleri; id præſtitit ut prodigij magnitudinem minueret; voluit infundi aquam, quâ partem ſaltem extingueret miraculi, cum majus ſit ex nihilo aliquid traducere, quàm ex præſuppoſito ſub-

jecto

ſeſto aliud efficere: quo pacto utrique ſatisfecit; defectum vini ſupplevit, & propriam humilitatem explevit. Idque prædixerat Ezechiel cap. v. 8. *Et manus hominis ſub pennis* ideſt manus filij hominis, ſeu Chriſti *ſub pennis*, quia quæ ſupra naturæ vires operabatur Chriſtus per manus divinitatis occultati voluit hominibus, quatenus operationes Deitatis tegebantur carnis aſſumptæ infirmitate; ut nos doceret, non jactare ſi quæ bona agimus, ſed humiliter occultare, & à cultura humilitatis nunquam deſiſtere licet prodigia, & miracula agamus, ut præſtiterunt quotquot ſplendore ſanctitatis claruerunt: Jeremias ſua exordiri voluit oracula à virtute humilitatis, ne ullo unquam tempore nutarent, ſed huic innixa fundamento ſtarent firmiora, ait ipſe Jerem. c. 1. *Verba Jeremiæ filij Helciæ, qui fuerunt in Anatoh:* indicat nomen patriæ apud Judæos obſcuriſſimæ, quò ſtatim umbram omnem jactantiæ eliminaret, & invecta patriæ obſcuritate, ſe ipſum tegeret humilitate: ex S. Jeronimo: *Fuit Anathothites, quis eſt uſque hodie viculus tribus ab Jeroſolimis diſtans millaribus* ab obſcuritate Patriæ anſam deſumit ſe demittendi; ut à cultura humilitatis ſua exordiatur oracula. David etiam quia ſummis claruit virtutibus fundamento voluit humilitatis inniti. 2. Reg. 7. 18. *Quis ego ſum Domine DEUS? & quæ domus mea, quia adduxiſti me huc uſque.* Noverat ſe ovium Paſtorem, aſſuetum ducendo gregi ad caulam; non populis regendis in aula; nullo nobilitatis genere clarum; & propterea quando unctus in regem fuit à Samuele ex nihilo ſe novit evectum, & de ſtercore elevatum ad ſceptrum; & quia ſedens in throno non fuit oblitus ſuæ originis; dixit loquens de ſe ipſo Pſal. 112. *Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem. Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui.* Neque erubuit ſuam fateri ignobilitatem quando juſſu Saulis regis congredi ac dimicare voluit cum Goliatho; juſſerat Saul adoleſcentem Davidem armis muniri, ex ſuo depromptis armamentario; ſed David gravamen ſentiens armorum, quæ ipſi potius erant impedimento, quàm munimento, ſe modeſtiſſimè excuſavit inquiens 1. Reg. cap. 17. 39. *Non poſſum ſic incedere, quia uſum non habeo. Et depoſuit ea: & tulit baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus.* Non dixit arma hæc meis non aptantur membris; mihi potius ſunt gravamini, quàm munimini; meo corpori non bene accommodantur: ſed apertè, ac ſincerè ſe fatetur bubulcum, non militem; ignobilem paſtorem, non illuſtrem pugnatorem, unde dixit: *uſum non habeo*, ſeu armis gerendis non ſum aſſuetus, quia militiam nunquam ſui profeſſus; quin paſtoralia præferens inſignia armorum apparatui occurit Goliatho cum funda, & ſilice, humilitate verius, quàm fortitudine pugnaturus, cúmque expugnaturus.

9 Non proprijs viribus fulti hoſtes proſternimus; ſed humilitate dejecti ad victoriam erigimur; ſi vinci nolumus, ab hujus virtutis cultura nunquam deſiſtamus; præſertim cum plura ſint, quæ nos adigunt ad ſupercilium deponendum, & ad nos infra alios demittendos. Quod nobis proprium eſt, non putes quid aliud eſſe, quàm ipſum nihil, è quo fuimus ad lucis uſuram traducti; quicquid nobis ineſt, non à nobis eſt; ſed à Numinis munifica bonitate in nos derivatum; ex natura nihil ſumus, & ſolius naturæ viribus nihil poſſumus, quò ſalutem mereamur æternam; adeo viles ſumus, & imbecilles, ut nihil poſſimus ob id quod ſumus; & id quod non ſumus; ob ea quæ egimus, & ob ea quæ non egimus. Neque debet quiſpiam cenſere ſe aliquid eſſe ob ampliora quæ poſſidet dona, neque intumeſcere ob graviora, quæ alijs inſunt mala, ex neutro habet homo, ut ſupercilium extollat: non quòd ampliora ſibi videatur bona poſſidere, quia noɫomnia in uno, eodémque homine confibulantur ornamenta; ſed in iſto multa; in alio plura, nec facile ſit dignoſcere, quiſnam uberiora poſſideat; neque anſa illi datur ſupercilium extollendi, eò quia plura, & majora putet alijs ineſſe mala; ſiquidem qui oculatiſſimus, & fabularum, ut ita dixerim, centoculus Argus eſt in perſpiciendis alienis defectibus; cæcutit in ſuis, quos ſi videret, tumorem omnem deponeret, ſeque viliſſimum fateretur. Quòd ſi videat, ſe non fuiſſe in aliorum errores delapſum; adhuc eoſdem ſibi deberet imputare; quia quod non fuerit in eoſdem prolapſus non propriæ id poteſt virtuti tribuere; ſed ſoli divinæ gratiæ attribuere; qua de cauſa ajebat D. Auguſtinus lib. 2. Confeſ. cap. 7. *Domine gratiæ tuæ deputo, quæcunque non feci mala.* Et nonnullis interjectis ſubdit: *omnia mihi dimiſſa fateor; & quæ mea ſponte feci mala, & quæ te duce non feci.* 10

Quamobrem non habet homo ex cognitione ſui, neque ex viribus quæ ipſi inſunt anſam ullam intumeſcendi, ſed potius ſe demittendi infra reliquas creaturas. Si ſe perpendat homo, quid aliud eſſe deprenderit; quàm imbecille corpus, fragile, ſuapte natura inerme, corruptioni obnoxium; fœdum animal ad omne malum perpetrandum proclive: hæc ſeria perpenſio eſt alexipharmacum apud D. Gregorium Nyſſenum; quo tumor ſuperbiæ ſanatur: loquens de Plaſmatore hominis ait orat. 2. de Hom. Procreat. *Sumpſit DEUS pulverem è terra. Cum pulverem audis diſce, tumorem humanum deponere, ne ſuſpicias hominum perſonas. Cur Spiritus tollis? cum de te magnificè ſenties? quando tibi cogitationes inciderint, quibus intumeſcas, quibus inflammeris; illud tibi in memoriam revoca, quomodo creatus ſis: ſumpſit Deus pulverem ſi è terra diſcederes forſan conditionis tuæ poſſes oblivſci. Nunc autem ab ea nunquam diſcedis, ſed cum illa naturaliter conjunctus es; incedis in terra, ſubfiſtis in terra, conquieſcis in terra, in terra litigas, in terra vivis, in terra moreris, & in terram iterum reverteris?*

EXPENSIO XXX.

Homo ex bonis temporalibus, quæ poſſidet anſam non habet ſupercilium erigendi.

1 NAſcitur homo ex terra compactus, vivit brevi tempore in terra; moritur & revertitur in terram: vix in terra terrenus natus homo imbre lacrymarum ſuam irrigat terram, non ut uberem det gaudiorum fructus; ſed ut inde nonniſi ærumnarum, ac miſeriarum meſſem colligat; lacrymæ in ipſo infantiæ rudimento præſagia ſunt eorũ, quæ in vitæ progreſſu toleranda ſunt. Quòd ſi patrati graviſſimi delicti reus, catenis, & compedibus vinctus in carcerem trahitur; perinde natum hominem vincula ſtatim excipiunt, vinciúntq; ut in hac mortali vita veluti in carcere ſe cognoſcat detruſum ob culpam à protoparente in poſteros derivatam; & ob id brutis dixeris deteriorem; quia ubi brutorum fœtus ex utero exciduntmatris; agnoſcunt matrem, ex cujus uberibus pendent: homo die, quo naſcitur nec patrem, à quo procreatus eſt; nec matrem, à qua fuit in lucem editus; imò neque obſtetricem à qua ſuſceptus eſt agnoſcit; & nec oculis videre, nec auribus audire, neque guſtu diſcernere poteſt; neque alijs uti ſenſibus; quo nil miſerius, infelicius nihil: neque priùs quàm manibus, pedibúsque ab obſtetrice devinctis, faſcijsque involutis lacte paſcitur fluxu lacrymarum immixto.

2 Quòd ſi vitam hominis pelago pariaveris, ubi voluptatum Sirenulæ alliciunt ad necem, ſcopuli pravarum occaſionum ſtatim æquora trajicientibus obviant, in quos impingentes naufragantur; procellæ inſurgunt adverſitatum; Euri, notique, efflant affectuum tum rebellantis concupiſcibilis, tum inſoleſcentis iraſcibilis ad naufragium impellentes; fluctus volvuntur ſuperbiæ, & ambitionis decumanis tumidiores; in hoc fluctuante pelago parvuli veluti fluctuum ſpuma innatant naufragi, ut eleganter innuit D. Ambroſius in funeb. ort. Theodoſij inquiens; *Parvulos naufragos in hanc vitam, quidam naturæ fluctus expuit.* Hinc perinde ac marinis fluctibus, cunis agitatur; neque aliam emittit vocem, quàm querulam, vagitu fractam, lacrymis madidam, videatúrque infantiæ ſuæ fragilitatem ploratu ominari; naſcendo plorat, & plorandi materia uberior ipſi ſemper ſuppeditatur: mundi procellas ingreſſus, pericula priùs ſentiens, quàm videat utrinque imminentia, ſuæ ſorti illacrymatur; quamvis pedes, manúsque habeat non tamen illos ad inceſſum, neque has ad ſcalpendum habiles; ſed ſoli oculi fundendis lacrymis aptantur; ob uberrimam materiam lacrymarum, quæ ubique nato parvulo exhibetur. Quòd ſi reliquis animantibus munifica æquè, ac provida natura integumenta dedit contra æſtivos calores, ac hiberna frigora, ut ovibus lanam; volucribus plumas, ſuillo gregi ſetas, equis pilos, urſis villos, piſcibus ſquamas, teſtudini, & oſtreis conchas; adeout nullum ex brutis animalibus adigatur ad procuranda ſibi indumenta, neque ad veſtes ſibi conficiendas, nec ad velamina ab alijs mutuanda, hiſce omnibus ſolus homo indiget; quia inermis, ac nudus oritur, & moritur; & propriam operiturus nuditatem ab ovibus lanam emendicat, à cervis, damiſque ſylveſtribus pelles, à vermibus ſericum, à bobus corium, ne nudipes incedat; dixitque propterea Arnobius, homines naſci brutis animantibus pauperiores, à quibus *imbecillitatis auxilia mutuantur.* Non enim reges cum naſcuntur purpuram ſecum deferunt, qua materna teguntur in alvo; neque Cæſares paludamentum; neque principes trabeam, neque milites ſagum, nec philoſophi pallium: ſed omnes nudi, miſeri, aliena ope indigentes naſcuntur; & propriæ imbecillitatis auxilia etiam à brutis, mutisque mutuantur animalibus, quibus ſe fatentur pauperiores.

3 Non ſolùm bruta hominibus naſcuntur locopletiora, quia minus indiga quoad indumenta ad arcenda hiberna frigora, ac elementorum compeſcendas intemperies; verùm etiam in cura alimenti, in ſolicitudine congregandi annonam, congerendi divitias, cumulandi pecunias, conſtruendi peramplas domus, comparandi pretioſam ſupellectilem, acquirendi illuſtres dignitates; nullis hiſce pulſantur deſiderijs; nullis arguuntur cupiditatibus, bruta animalia; non enim ſibi arant, fodiunt, putant, ſeminant; ſed exiguo, ac ſimplici eſculento, & poculento ſibi ſatisfaciunt, quibus ſufficit ſi famem rodentem ſtomachum ſedent; ſitimque viſcera exſiccantem extinguant. Solus homo adigitur aratro terram proſcindere, ſemina jacere, glebas occare, gramina evellere, ſpicas metere, triturare, eventilare, molere, farinario cribro purgare, panes conficere, coquere & in ſudore vultus ſui comedere.

4 Imò adeo naſcitur homo rudis, ut quid ſibi noxium ſit, quidque ſaluiferum neſciat, neque à quo abſtinendum, nec quid comedendum ſit intelligit, nec quid amandum, quid odio habendum, quid eligendum, quid reijciendum diſcernit; imò nec quà ſit eundum, ubi enim vadum putat ſe tutiſſimum tranſiturum, vix ad tres, vel quatuor paſſus progreſſos inopinato gurgite abſorbetur; inde non mirum ſi tot calamitatibus obnoxius ſuam à ploratu vitam homo auſpicetur, ſuáſque lamentetur ærumnas, ac lacrymis madidus conqueratur, cum nihil præſidij à reliquis habeat animalibus, imò & plurimum moleſtiarum; ſiquidem Leones eum perterrefaciunt, panteræ devorant, urſi dilaniant, Canes dentibus mordent, feles unguibus lacerant, ſerpentes veneno inficiunt, tauri cornibus impetunt, vermes carnes corrodunt, culices ſanguinem ſugunt, muſcæ moleſtias ingerunt, ejúſque plerunque patientiam vincunt: quam igitur miſer eſt homo, qui vitam à lacrymis qu-

auſpicatus non niſi materia fletus ei occurrat per totum vitæ curſum, ſi velit ſeriò pericula, ærumnas, calamitates perpendere; quibus eſt obnoxius; quòd ſi plorans naſcitur homo, non credas, eum ridere cum moritur: nullus eſt qui moriens facilè rideat, niſi fortaſſis riſus ſit ſardonicus, cuj æternum flere ſubſequitur. Ij rident Sardonico riſu, quibus carnis, & mundi voluptates arrident, qui quamvis calamitoſi, adhùc ſunt malitioſi, & noxas non fugientes, malitiam amplectuntur, & quibus tanta ineſt peccandi libido, ut vel ipſum peccare eos delectet; & ipſum mori divinæ gratiæ, ſit gaudium, & riſus ſed Sardonicus, qui mori cogit, & æternùm flere. Quòd ſi homo luget cum oritur, torquetur cum in vita proficit, multo magis dum moriendo deficit; tunc ad eas adigitur anguſtias ut fugere nequeat, neque patens ſepulchrum declinare; tunc anhelus Spiritus, frequens gemitus, frigidus ſudor, pallor in genis, tremor in membris, pavor in corde, horror in mente qualis ſit homo, edocent, ut cum adhuc vivit ſupercilium deponat, intumeſcere dediſcat, & ſe demittere, ac humiliare addiſcat, mox corrumpendus in ſepulcro, vorandus vermibus, & in cinerem ſolvendus inanem; ac in fœtidum deſinendus pulverem.

5 Quòd ſi homo ex cognitione ſui ad agnitionem tranſeat bonorum externorum; neque in ipſis ullum poteſt eidem obviare argumentum intumeſcendi, quamvis non deſint imperiti æſtimatores, qui in eorumdem pretio turpiſſimè hallucinati; ob eadem ab iiſdem poſſeſſa inaniter efferantur; cum revera nihili ſint facienda, eò quia fluxa, & nullius ſubſtantiæ. Quid enim ſunt coacervatæ opes præpotentia in alios, veſtium elegantia, externi cultus pretioſitas, ædificiorum magnificentia, domeſticæ ſupellectilis raritas, aulæa acu picta, auro intexta, vel etiam gemmis illuminata, quàm ſplendor adſcititius, qui nihil boni nobis addit, quo meliores ſimus, quinimo plerumque occaſio ſunt mali, quia ſuperbimus, & pejores ſumus: quid ſunt humanæ laudes, mundi gloria, hominum plauſus, quàm exiguus fumus, qui ſtatim diſparet, evaneſcit? Neque argumenta intumeſcendi expromere debet ex præpotentia, quâ alijs prævalet, quibus prodeſſe, vel obeſſe poteſt: hanc enim præpotentiam Seneca vocat bracteatam felicitatem, quæ ſub tenui membrana dignitatis, plurima includit malorum genera. Sed qui præpotentia, ac viribus prævalent ſi ſeriò perpenderant fugitivam eſſe humanæ potentiæ conditionem: demiſſionis potiùs, quàm elationis, inde argumenta deſumerent; quia ut ait Seneca lib. 6. de benef. cap. 33. Mobilis eſt potentia, quam dedit caſus, & his portionibus, quibus ad ſumma perventum eſt retroceditur: cum ſubinde inter fortunam maximam, & ultimam nihil interſit. Facultas nocendi argumentum itidem ſubmiſſionis ſuppeditat; quia per hanc potentiam inferendi alijs damnum non differt à brutis animantibus: etenim etiam Leones ungue dilacerant, canes dente mordent, boves cornu irruunt, ſerpentes veneno interimunt, veſpæ aculeo vulnerant, aſini calceis impetunt: ait Arnobius lib. 3. cap. 14. *Si diceris magnus impetendo calcibus: tibi reſpondes etiam aſinus hoc pacto magnus tibi videbitur*: eadem de cauſa Lucianus *Dialog. de Regno* aſſerit. Regnum perſimile videri magnis illis Coloſſis, quales Phidias, Praxiteles, & Myron ſculpſerunt, & ſcalpſerunt, quorum quilibet Neptunus videtur, aut Jupiter multo auro collucens, fulmen, vel tridentem dexterâ ſuſtinens: ſin verò immiſſo capite interiora inſpicias; quid aliud vides quàm vectes, paxillos introrſum prominentes, vimina, cuneos, omnémque hujusmodi deformitatem: ex quibus infert potentiam in alios nullum præpotentibus debere argumentum ſuppeditare extollendi ſupercilium.

Sequioris ſexus præſertim puellarum, id videtur proprium intumeſcere ob nativam corporis venuſtatem; veſtium elegantiam; gemmarum nitores, & alienas percupere laudes. Verùm licèt extima corporis pulchritudo, ac venuſtas, quædam dicatur eſſe animi veſtis, & externum indicium eorum, quæ intus in animo latent: hallucinantur nihilominus, ſi inde ſuperbiendi argumentum deſumant. Quid aliud eſt corporea pulchritudo, quàm luteæ maſſæ linimentum, fœtidi ſepulchri dealbatio, niveum ſterquilinij operimentum; fulgur quod cum ſplendet extinguitur, cum oritur moritur; flos ſolſtitialis qui vix ſuam explicat foliorum pompam exareſcit, ac deficit. Nyſſenus tumorem comprimit ſuperbientium ob nativam corporis venuſtatem *orat. 2. de Homin. Procreat.* inquiens *Terra es, & in terram reverteris, cogita membra iſta tua, quæ nunc ita vigent, paulo poſt nulla fore, membris autem corruptis, & in pulverem redactis: cupiditas iſta, quâ nunc inflammaris, non erit ampliùs. Naturæ tuæ reminiſcere, & omnis ad peccandum impetus perſtringetur.* Plurimum addit gratiæ, multúmque decoris extima corporis pulchritudo, oriſque grata venuſtas, ſi extrinſeco cortici pulchritudo reſpondeat animi, ac venuſtas correſpondeat virtutis; alioquin ſupervacanea eſt corporea pulchritudo, & fictus cortex pomi putreſcentis: hanc corporis venuſtatem definiens S. Chryſoſtomus homil. 77. eam vocat; *pulverem, lutum, vermem ex corruptione, & phlegmate, & rheumate ſubſtantiam habentem.* Vera pulchritudo non efflorescit in extima tantùm ſuperficie; ſed ſuas intus in animo radices agit; non fingitur colore, ſed ornatu pingitur virtutum, ut rectè aſſerit Junius in ſuo opere de Senectute, ubi ait. *Juventus pulchritudine, & vigore ſplendet; ſed flos ille corporis tempore aboletur. Vera autem pulchritudo, quæ defluxionem ſuam divinitus communicatam habens aliquibus ſe inſinuavit: hæc inquam nullo morbo, non fame, aut neglectu aliquo, neque longitudine temporis obliterari poteſt.*

So-

7 Sola virtus eſt à corruptione immunis, nullisque temporum viciſſitudinibus obnoxia; eò quia anima, cui virtus adhæret incorruptibilitatis gaudeat prærogativa: quæ verò in extima corporis ſuperficie efflorescit pulchritudo, & ipſa ſuperficialis tantùm eſt, nil habens ſubſtantiæ, quâ contra ætatum mutationes ſubſiſtere valeat, quia conditionem ſequitur corporis corruptioni obnoxij, cuj adhæret: & à D. Bernardo ſerm. 40. in cant. vocatur: *Colorata carnis putredo: purulentia flavi, & ſanguinei humoris, vitreæ cutis ſuperficies, è quibus ſibi invicem moderatè permixtis, ad venuſtandam genarum effigiem robur ſubpallidum in efficientiam corporeæ pulchritudinis temperatur.* Eſt corporea pulchritudo venuſtus flos, qui vix ſuam explicans foliorum pompam areſcit, deficit; violæ eam pariaveris, quæ veris primula, ridenti, ac arridenti vernæ tempeſtati eſt quidem ornamento, ſed illicò ſeneſcit; ac emoritur. Quid corporea pulchritudine fragilius, quid imbecillius, quid mutabilius? per ætatum mutationes flaceſcit, ac alteratur, per decurſum perbrevis temporis abſumitur, per ægritudinem corrumpitur, & per corporis mortem deletur, evaneſcit. Sola quæ per culturam virtutum efflorescit in animo pulchritudo immunis eſt à corruptione, nulli obnoxia viciſſitudini, eſtque ſplendor, qui mentis nubila abſtergit. Cæterum quæ ſoli corpori pulchritudo ineſt, vera non eſt, ſed *diſſimulata fraus*, ut innuit Theophraſtus; vel *pulchrum damnum*, *eburneum detrimentum* ut Theocritus cenſuit; vel *modici temporis tyrannis*, ut Socrates aſſeruit: vel *temporis, & morbi ludibrium*, ut Nazianzenus; vel *oblivio rationis*, ut S. Hieronymus; vel *colorata carnis putredo*, ut S. Bernardus.

8 Perſæpe ubi major eſt corporis venuſtas, minor eſt animæ ſplendor: etiam ſterquilinia rigente bruma nive veſtiuntur, quæ blandimento candoris illiciunt; cum tamen intus non niſi putrida ſtabulentur; etiam ſub cryſtallina glacie latet olidum cœnum; & in dealbato pariete ſquamoſus naſcitur ſerpens: nullum igitur ſuppeditat corporis pulchritudo argumentum ſuperbiendi, cum plerunque purum ſit integumentum fœditatis, velum turpitudinis: utinam plures ex ſequiori ſexu non reperirentur puellæ, quæ exteriùs referentes oris venuſtate Helenam, interiùs cordis pravitate, ac deformitate Hecubam non præſeferrent. Non habent venuſtuli, quo invenuſtos derideant; neque recti corpore, quo deriſui habeant diſtortos; neque integri corpore mancos, nævóque aliquo deformes; neque gigantes pygmæos; quia plerunque invenuſti corpore venuſtiores ſunt animo; nigricantes in extima corporis cute, nive intus candidiores morum innocentia, cultura caſtitatis; etiam Sponſa in ſacris Epithalamijs ſe nigram fatetur, cuj tamen venuſtas non defuit Cant. 1. 5. *Nigra ſum, ſed formoſa.* Diſtorti corpore ſæpe ſunt corde & ſpiritu rectiſſimi; manchi, & mutuli in membris, integri animo; fœdi, & luridi exteriùs, mundiſſimi conſcientiâ: etiam inter plantas cupreſſi creſcunt rectiſſimæ, lauri vireſcunt ſublimes, Platani dilatantur umbriferæ; Alni ramis protenduntur altiſſimæ, Juniperi germinant fragrantiſſimæ; & tamen fructibus ſunt pauperiores humilibus prunis, invenuſta ficu, parva Zizipha. Quamvis homo ſit corpore venuſtus, colore pulcher membrorum adaptatione elegans, & formoſus; non tamen inde eſt vita integrior, fructibus, ac meritis ditior; quapropter nulla ei datur occaſio contemnendi pauperes bonis temporalibus, humiles conditione, & obſcuros genere; cum plerunque ſint meritis digniores, culturâ virtutum pulchriores; ac fructibus bonorum operum ditiores: quæ ſunt vera bona nulli temporum viciſſitudini, nullique lapſui, ac ruinæ obnoxia: quæ corpori commodis inſerviunt infirma ſunt, quia hero famulantur infirmo: quæ turris tam excelſa, quæ domus tam vaſta, quæ moles tam firma, quæ fabrica tam ſolida, quæ ab edaci temporis dente non corrodatur, abſumatur, & paulatim collabatur, ac tandem funditus deſtruatur, ac deleatur? ſenſim vitium contrahunt parietes, labaſcunt fundamenta, dehiſcunt muri, curvantur trabes, ſeparantur compages; ligna exedunt ſtillicidia, computreſcunt trabes, debilitantur pavimenta; & ex tempore præcipites ruunt, ac deficiunt ſumptuoſiſſimæ ædes constructæ per multum temporis ex marmore, lapide, ligno, ferro, calce, latere.

9 Quòd ſi corruit ſtructura marmorea, & lapidea tam firmiter fundata, tam ſolidè erecta, tam ſtudioſè ſervata, & reparata quomodo ſtabit lutea humani corporis fabrica compacta ex carne corruptibili, ex ſanguine febrili calore æſtuante, ex humoribus putreſcentibus; ex nervis, articulis, artubus infirmis, ac corruptioni obnoxijs? Formæ igitur venuſtas, vultus nitor, ac totius corporis pulchritudo florum mutabilitate eſt fugacior: ſicut nil flore oculis gratius; ita nil tempore brevius. Quòd ſi corpore venuſtos introſpiceremus, ac intimiùs animi, cordisque receſſus penetraremus, facilè nobis innoteſceret ratò unà cohærere corporis pulchritudinem cum animi venuſtate; & rarius eſſe commercium culturæ corporis cum virtute animi: & hi venuſtuli, & pumicati vultum muliebriter expolientes gynecæa frequentiùs adeunt quàm eccleſiam; & ſi templum ingrediantur pexi, compti, effæminati non preces Numini fundunt, ſed oculos ad puellas, quas depereunt transfundunt; non genu DEO, ſed caput inclinant fœminæ, quàm perinde colunt ac idolum: adeo ut rarò in uno corde morentur formæ venuſtas, & flos caſtitatis. 10

Sunt qui ab avita nobilitate ſtimulos eruunt ſupercilij erigendi; cum inde efficaciora ſubmiſſionis argumenta iiſdem ſuppeditentur: plerumque enim illuſtris ſanguinis claritas ignobilis animi obſcuratur caligine: cum è converſo plures ignobilibus procreati geni-

toribus, locóque humili nati virtutum cultura claruerint illuſtriores, quàm nobilioribus geniti parentibus, qui avorum jactantes nobilitatem nonniſi abjectiſſimè, ac luridè vivunt, abſque ullo virtutis nitore, ſine ornatu ullo animi, ſine cultura pietatis; qui propterea ob dedecus illatum generi, torpiori ſunt hominibus probro, quàm ex viliori plebe lurcones, nebulores, Sicophantæ. Chriſtiana Philoſophia non fumoſis atriorum imaginibus, non claritate familiæ, non gentilitio ſtemmate, non avorum gloria nobilitatem metitur; quia hæc externa ſunt, nilque boni, nobis adjiciunt: quòd proavi, & atavi rebus præclarè geſtis nomen ſibi acquiſiverint illuſtre, plurimúmque promeruerint laudis, id noſtrum non eſt, quia tunc nondum fuimus; neque quidquam præſtitimus ad præclara geſta illa, quæ ad nos non pertinent ſed ad alios; unde non eſt quò inde intumeſcamus, ac ſupercilium extollamus.

11 Quinimò avorum promerita, nepotum ſunt dedecora, ſi ab illis degenerent: ille verè nobilis, qui culturâ virtutum illuſtris; non qui avos, & proavos enumerat de republica bene meritos: non ab ijs metiamur nobilitatem, quæ ſanguinem tantùm, non mentem honeſtant; quid ſanguis in homine, quàm humor putredini facilè obnoxius? quid mens, quàm nobis inſita DEI ſimilitudo? ſanguis donum eſt patentum, animus DEI, qui propterea nobilior eſt homini pars, corpori poſt fata ſuperſtes. Pudeat ergo hominem ea ſola gloriari nobilitate, quæ ventris eſt non mentis; quatenus è ventre matris cooperante patre trahitur; eſtque corruptioni unà cum carne, & ſanguine obnoxia; bracteata eſt hæc nobilitas, quâ etiam mali gloriantur, & cæteris plerunq; malis etiam pejores eadem ſe jactant, pluriſque faciunt, quàm quæ verè nobilitant, ut ſunt excultæ virtutes.

12 Qui ſapit pluris facit regenerationem quâ ope divinæ gratiæ per JEſu Chriſti merita nobis impertitæ renaſcimur DEO; quàm generationē humanam, quâ naſcimur mundo, ſeu miſerijs, ærumnis, calamitatibus, vel ſi vis, etiam corruptibilis carnis inanibus voluptatibus, quibus ſi larvam detrahis, non riſum, ſed luctum deprehendis, non delectamenta, ſed nocumenta reperis. Scit homo ſe ex DEO natum, ex gratia per JEſum Chriſtum regeneratum; & ſanguinis nobilitatem ab hominibus traxiſſe; cur ergo origini carnis non præfert ſui Spiritus nativitatem. animæ regenerationem? ſola ſanguinis nobilitas plerumque hominem ignobilem facit neglectu virtutum, indulgentia vitiorum. Non naſci nobilem, id datur virtuti naſcentis; ſed nobilem fieri: ſplendere aliena claritate adſcititium eſt; ſed lucere ſplendore virtutum hoc laudi datur; quia per culturam virtutum, fructus colligit quibus diteſcit, ac nobilitatur: qui ex genere claro natus eſt nil geſſit unde gloriari poſſit fuiſſe promeritum ita naſci; unde non proprio, ſed alieno tantùm clareſcit lumine. Qui verò ex non claris clarus evadit; is non alieno, ſed proprio nitet ſplendore, ex quo nobilitas oritur. Quemadmodum vera nobilitas ſola virtute nititur, hâc deſtitutus nullam, de qua glorietur, nobilitatem poſſidet: ſi enim præſcindamus à ſtudio virtutum reliqua, quæ homioibus inſunt nullum videotur diſcrimen ponere plebejum inter, & equeſtri ordine præſignitum: ſcitè Seneca 3. de Benef cap. 28. id perpendens ait: *Eadem omnibus principia, eadémque origo. Nemo altero nobilior, niſi cui rectius ingenium, & artibus bonis aptius. Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine, ac multis ſtemmatum illigata flexuris, in parte prima ædium collocant, noti magis, quàm nobiles ſunt. Unus omnium parens, mundus eſt: ſive per ſplendidos, ſive per ſordidos gradus, ad hunc prima cujusque origo perducitur.*

Decus omne generis in illo perit, cuj 13
laus, gloria, & claritas eſt in ſola origine; in cujus gloria non ipſe, ſed alij vixerunt, qui virtutum exercitio genos illuſtrārunt: quòd ex talibus majoribus quis deſcendat perexigua eſt gloria ſolo naturæ beneficio conceſſa, niſi commendetur ſtudio virtutis, & illuſtretur ornamento gratiæ. Cænoſum, corruptúmque rivulum non laudaveris. neque ejus latices ſalubres eſſe dixeris, ſitique ſedandæ peraptos, eò quia rivulus deſcendat è fonte pellucido, frigido, ſalubri hauſtui, ſitique extinguendæ accommodato: perinde nobilitatem ſanguinis derivatam in animum obſcœnum, ſordidum, moribus corruptum, vitijs infectum dixerim nil laudis, nilque gloriæ eidem indulgere: quia ſicut cænoſum rivum non commendat pellucidi fontis latex: ita nec neque clariſſimus ſanguis deductus in hominem moribus corruptum, omnique vitiorum genere coinquinatum. Noo eſt igitur quòd intumeſcat ac ſupercilium erigat homo ob majorum nobilitatem in ipſum derivatam, cum eidem non niſi involuntariè id obtingat; ſitque hujusmodi nobilitas vertibilitati obnoxia; neque illius beneficio ſortiatur nobilis diſparem à plebejo naſcendi, ac moriendi conditionem; ut ediſſerit S. Auguſtinus apud S. Proſperum *pag.* 388. inquiens. *Reſpice Te ipſum quia mortalis es, & quia terra es, & in terram ibis. Circumſpice eos, qui ante te ſimilibus ſplendoribus fulſere. Ubi ſunt, quos ambiebant civium potentatus? ubi inſuperabiles Imperatores? Ubi qui conventus diſponebant, & feſta? ubi equorum ſplendidi nutritores, exercituum duces, Satrapæ, tyranni? Num omnia pulvis? Num in paucis oſſibus eorum vitæ memoria eſt? Reſpice ſepulchra; & vide quis ſervus, quis Dominus, quis pauper, quis dives? diſcerne ſi potes vinctum à rege; fortem à debili; pulchrum à deformi. Memor itaque naturæ non extollaris aliquando: memor autem eris ſi te ipſum reſpexeris.* Qui generoſi eſt animi non intumeſcit ob nobilitatem prædeceſſorum in ipſum derivatam; ſed in id incumbit ſtudij, ut per honeſtamenta actionum à ſuis non videatur majoribus degenerare; ne cum clariſſi mos

mos recenſet proavos, & atavos, obſcurus non ſit ipſe nepos. Is cenſendus nobilis, qoi totus incumbit ad excolendum ſtudio virtutum animum, qui nobilis eſt hominis pars, nulli obnoxia interitui. Qui ſapit ac nobilis fieri ſatagit Themiſtoclem imitatur, cuj cum objiceretur quod natus eſſet nothus; repoſuit at ego notus fieri curabo virtutum exercitio; à me ipſo meam auſpicabor nobilitatem; meum à me genus ſuam trahet originem: tu tamen qui ignobilitatem mihi objicis, cave ne tuum genus in te deſinat. Vera nobilitas non à majoribus, ſed à probis moribus ſuam trahit originem.

14 Neque ſcientiarum, ut ita dicam encyclopedia, quam quis putat, ſe ſtudio & labore fuiſſe enactum, ullum hom ini ſuppetit intumeſcendi, ac ſuperbiendi argumentum; quia ſi hominem intimiùs introſpiciamus, ejúsque interiora perpendamus, ex ſcientijs acquiſitis nulla ei datur elationis occaſio, ſed potiùs erubeſcendi: miratur enim Theodoretus *lib. 4. adverſus Græcos*: non pudere Philoſophos paſſim ſe gloriantes, compertam ſibi eſſe aëris, ætherisque menſuram: cum nihilominus non difiteantur à ſe maris ignorari profunditatem, quam conto, ac ſubmiſſis funibus, & bolide arduum ijſdem minimè foret explorare. Non magni faciendus eſt ſcientiarum locuples cenſus; idque oſtendit *Philo lib. de Temulentia*: quia Philoſophi in tot dividuntur ſententias ad unius duntaxat ſcibilis indagandam veritatem, quot ſint diverſa capita: ex hac varietate ſententiarum, diverſisque modis ſentiendi in exploratione unius tantùm veritatis Tiraquellus *cap 31. de nobilit.* argumentum deſumit evincendi Philoſophorum ignorantiam, cujus ipſos potiùs pudeat, quàm occaſionem ſumant ſupercilium extollendi. Si enim circa ea, quæ noſtris obviant ſenſibus, noſtróſqoe feriunt oculos caligamus, ut nihil certi nobis inde pateat; quomodo veritatem circa res abditas, & ſenſui impervias enanciſcemur? præſertim cum veritas nonniſi una ſit, quomodo inter tot ſententiarum divortia deprehendi à philoſophis veritas poterit? ſi veritas una eſt, neceſſe eſt ex tot diſſidentibus ſententijs unam tantum conſonam eſſe veritati, & reliquas omnes falſitatis redarguendas, earúmque authores, fautores, propugnatores ignorantiâ laborare, craſſóque detineri errore, ut pulchrè ex diverſis Philoſophantium placitis intulit Arnobius *lib. 2. n. 50.* Cúmque recentes Philoſophi veſtigijs inhæteant antiquorum, quorum ſententias etiamnum propugnant, non minoribus ſunt iſti erroribus obnoxij; adeo ut ex rerum naturalium cognitione argumentum potiùs habeant ſe deſpiciendi, quàm extollendi; ſe potius humiliandi, quàm intumeſcendi, cum craſſioribus ſint erroribus obnoxij, & ubi ſcientijs putant illuſtrari, cæcutiente obſcurentur ignavia; ubi clariſſimo Veritatis jobare frui exiſtimabant, denſioribus ignorantiæ tenebris aceant involuti, quibus miſerè detineantur; quò fit ut inter Philoſophos, qui ſapientes habentur, etiam qui rerum naturæ peritiores creduntur, demiſſiùs debeant de ſe ſentire exemplo Socratis apud Theodoretum *lib. 2. adverſ. Græcos*, qui ſe novit cæciorem in pervidendis naturæ rebus, ex quo ſedulam Philoſophiæ operam navaret: quòd etaim refert Lactantius *lib. de Ira DEI c. 1.* inquiens: *Cum eſſet omnium Philoſophorum doctiſſimus, tamen ut cæterorum argueret inſcitiam, qui ſe aliquid tenere arbitrabantur, ait ſe nihil ſcire niſi unum, quod nihil ſciret. Intellexit enim doctrinam nihil habere in ſe certi, nihil veri: neque ut putabant quidam diſſimulavit ipſam doctrinam, ut alios refelleret; ſed vidit ex parte aliqua veritatem.* Inde facilè conijcere poſſumus quanta ſit noſtra cæcitas, quanta noſtra ignorantia, cum primi in mundo Philoſophi omnium doctiſſimi propriam non diffiteantur inſcitiam: non igitur ſcientia argumentum nobis intumeſcendi ſuppeditare debet, ſed potius erubeſcendi; & nos inter ignorantes deiciendi. Sunt tamen, qui ex gradibus literarijs, ob aditas, & frequentatas Academias intumeſcant, ac gloriam inde aucupentur, incedantque inflati, ac laudari percupiant ob acquiſitam lauream doctoratûs, vel alios titulos, quibus putant fuiſſe gloriam enactos, quam Syneſius *epiſt. 45.* vocat *ridiculam gloriam*; & Eunapius in Proæreſio *auream inſaniam*; alluditque ad profuſos aureos pro titulis illis obtinendis, quibus poſtea intumeſcont.

15 Neque putes minori damno hallucinari homines in æſtimandis temporalibus bonis, quæ poſſident, & inde intumeſcunt elato ſupercilio: ſi enim perpendantur hæc bona nil boni deprehenduntur in ſe continere; neque ſuis poſſe poſſeſſoribus quidqoam boni conferre præter ſolum inane nomen ſubſtantiæ veri boni vacuum. Temporalia bona cenſentur congeſtæ divitiæ, domus conſtructæ, poſſeſſiones coëmptæ, dignitates acquiſitæ, & alia id genus, quæ fugiunt inſtar umbræ, diſparent inſtar fulguris, evaneſcunt inſtar fumi; hæc aotem bona non ſunt, quia poſſeſſores ſuos bonos non faciunt; cum etiam mali ea poſſideant, quibus tamen nil boni ineſt, ob vitia quibus indulgent, ob noxas quibus inquinantur, ob mores corruptos quibus ſunt toti mali. Quomodo ergo dicuntur bona, quæ nil boni conferunt, neque bonos faciunt ſuos poſſeſſores; neque mala auferunt, quin alia addant, quibus pejores fiunt? Non enim corona aurea gemmis illuminata dolorem capitis minuit, ſed potiùs innato ſuo pondere auget, & aggravat. Molles chirothecæ muſco perfuſæ chiragram non excutiunt, neque podagram auro illiſi cothurni; neque dolores calculi veſtis gemmarum ornatu ſplendida; nec tuos corruptos, ac fractos mores priſtinæ reſtituunt integritati externa, quæ bona poſſides, quia bonum non conſtituunt poſſeſſorem, cuj plerumque ſunt occaſio mali perpetrandi, quo fit pejor: non enim quæ temporalia poſſidentur bona ad ſtudia ducunt virtutum; ſed perſæpe ad indul-

entiam perducunt vitiorum, quibus mundi commoda, carnis petulantia viam ſternunt. Quòd ſi bonum ex integra cauſa definitur, & malum ex quovis defectu, non rectè temporalia quæ bona poſſidentur, bona eſſe dixeris, cū boni naturam non induant, ſeu non exuant omnem defectum, nec cauſæ veſtiant integritatem; etenim ſi corruptioni ſunt obnoxia, ſi continuo fluxu deficiunt unà cum tempore, quomodo à quovis depurantur defectu, ut ex cauſæ integritate bona vocentur? cæcutiunt, ac falluntur qui ob bona temporalia, quæ poſſident ſupercilium extollunt, faſtúque intumeſcunt: cum omnia, quæ poſſides temporalia fluxa ſint, ac deficiant unà cum tempore; adigeris illa non bona, ſed mala pronunciare; vel te cæcum fateri, qui defectum non vides, quo ratio boni excluditur: huc accerſendus D. Auguſtinus *lib. 3. de lib. arbitrio cap. 7.* ubi defectum oſtendit bonorum temporalium inquiens: *Temporalia bona antequam ſint, non ſunt, & cum ſunt, fugiunt; & cum fugerint non erunt. Itaque cum futura ſunt, nondum ſunt; cum autem præterita ſunt, jam non ſunt. Quomodo igitur tenebuntur, ut maneant, quibus hoc eſt incipere, ut ſint, quod eſt pergere, ut non ſint?*

16 Bona igitur, quæ dicuntur temporalia nihil in ſe boni continent, quia à quovis defectu non recedunt: & quia malum ex quovis defectu, quoties commendantur ut bona, neceſſe eſt damnentur ut mala; de quibus propterea gloriantur, qui ob bona, quæ poſſident temporalia faſtu extolluntur. Summum Bonum unum duntaxat eſt, ſed non unius, ſed omnium; quia DEUS omnium eſt DEUS, qui propterea eſt omnia omnibus: quæ verò bona poſſides temporalia hæc tua dicis, non aliorum, quibus non proſunt, niſi deſinant eſſe tua, quò fit ut bona ſint nullius, ſed mala poſſidentis, cuj perſæpe ſunt occaſio mala plura perpetrandi, quibus fiunt pejores. Quid vitioſis ſunt divitiæ, quàm alimenta vitiorum, & peccandi inſtrumenta? adeout Eucherius quamdam noverit cognationem vitijs & divitijs convenientem; ait ipſe *de contemptu mundi quædam ſocietas pene etiam nominis duabus in rebus, divitijs & vitijs.* Quantum ingerant divitiæ mali ex eo conjice, quòd cum vita noſtra quidam ſit ad cœlum aſcenſus, huic ſuis ſunt divitiæ ponderibus impedimento, nemo in altum aſcendens ſupervacuis ſe ponderibus onerat; & nil auro gravius, nil huic aſcenſui oneroſius divitijs, de quibus etiam Huſſeus princeps conquerebatur, eò quia ejus ad ſublimia aſcenſui eſſent impedimento Job. *7.20. Factus ſum mihimetipſi gravis:* etenim à divitijs gravis timor, gravis dolor, gravis & labor, ut eas acquiras; gravis timor, ne acquiſitas amittas, gravis dolor ſi amiſeris: ubi divitiæ, ibi onus grave; *Geneſ. 13. 2.* Abraham dicitur divitijs affluere: *Erat autem Abraham dives valde* ubi textus Hebræus legit *gravis vehementer.*

17 Quòd ſi divitiæ gravitant, proculdubio ſuis ponderibus auri, & argenti obicem nobis injiciunt, ne in altum, ne in cœlum aſcendamus. Excuſſerant Iſraelitæ jugum Ægyptiacæ ſervitutis, & duce Moyſe, lætiſſimi diſceſſerunt ex Ægypto, eò quia à tergo nonaginta trium annorum duriſſimam ſervitutem relinquerent, & à fronte libertatis ampliſſimam januam aſpicerent ſibi apertam; recreabat proficiſcentium oculos, æquè & animos nubes lucidè denſa, quæ in columnæ ſimulacrum interdiu erecta, & nocte in lucidiſſimum accenſa ſplendorem itinera præſignabat per moderatorem viarum Angelum eidem inſidentem. Sextus jam effluxerat dies à ſuſcepta profectione Hebrææ gentis cùm columna nubis ſtetit ſupra rubri maris litora trajectum indicans fluctuantis illius freti, & cum Pharao valido cum exercitu fugientes inſequeretur timore perculſi Iſraelitæ neſcij quomodo imminentia pericula evaderent, trepidaverunt. Moyſes tamen ad excutiendum conceptum pavorem illos adhortatur, manum quâ conſuetam virgam miraculorum patratricem tenebat ſuper Eythræi maris æquor extendit, quod in geminum latus diſcedens: utrinque ſe murorum in formam, ac altitudinem erexit, undis in ſublime ſuſpenſis; & per fluctuum divortia præeunte Moyſe, & ſequente Aminadabo Judææ tribus principe mare ſicco veſtigio tota Judaica gens pertranſivit: ſed quæritur, cur DEUS naves fugienti populo non ſuppeditaverit, ſicut Noëmo, ejúsque familiæ? vel cur aquarum fluiditatem non conſolidavit, ut citra ſubmerſionis periculum marinos fluctus populus perambularet perinde ac Chriſtus, & Petrus *Matth. 24. 25.* An non facilius fuiſſet ſoliditatem marinis aquis impertiri, quàm fluctus prodigioſo ſeparare divortio ac pendulos detinere in aere repugnante undarum natura? ſed onera adeo gravia ſunt divitiæ, ut ijſdem ſuſtinendis impares ſint, & naves, & aquæ etiam in lapidem conſolidatæ. Iſraëlitæ Ægyptios ſpoliaverant vaſis aureis & argenteis, omnique pretioſiore ſupellectili; quidni hiſce divitijs onerari, hiſce oneribus preſſi, neque ſurſum aſcendere, neque detineri valuerunt, quin aquas perambulantes mergerentur: ſunt enim divitiarum gravamina, & pondera cuilibet aſcenſui, ac ſublimitati obici, ac impedimento. Idonei non ſunt pedes ad currendam viam mandatorum DEI; nec alis muniuntur ubi aurum, & argentum ijſdem nituntur. Statuæ Nabuchodonoſoris, cuj caput aureum erat, & pectus argenteum alati non fuerunt pedes, ſed plantas, tibiáſque ferreas habebat, quæ cognato pondere prohibebant ſurſum aſcendere, & faciliùs deorſum cecidit ubi lapillus in pedes impegit, & totum coloſſum infregit; non in capite rutilent divitiæ, non mentem impleant cogitationes eas acquirendi; ſed pedibus conculcentur, habeantúrque contemptui.

18 Idque cauſæ, cur initio militantis Eccleſiæ primi Chriſtiani pretia agrorum ad pedes deferrent Apoſtolorum *Act. 4. 34. 35.* ut nos edocerent divitias à Chriſti militibus, & diſcipulis eſſe pedibus calcandas, non earum cogita-

gitationibus caput implendum; ne integritas mentis diſrumpatur: quia hæc integritas etiam in rete D. Petri diſrumpebatur cum primùm diviti piſcium piſcatu cæpit impleri *Luc. 5. 5. Concluſerunt piſcium multitudinem copioſam; rumpebatur autem retè* hinc D. Ambroſius expendens hanc retium ſciſſuram ait *hic lib. 4. Mihi cumulus iſte ſuſpectus eſt, ne plenitudine ſui naves pene mergantur. Ecce alia ſollicitudo Petri, cui locuples præda ſuſpecta eſt.*

EXPENSIO XXXII.

Divitiæ mundique deliciæ, & honores veram non exhibent anſam ſuperbiendi, ſed potius ſe demittendi.

1 GRavis eſt pecuniarum ſarcina poſſidentium mentes avaritiæ pondere in imum deprimit, non in ſublime evehit; neque emergere ſinit, imò neque cœlum ſuſpicere; ſed in humum curvatos detinet. Quòd ſi Mercatores divitijs inhiantes, dum marinos enavigant tractus, ſi procella inſurgat, intumeſcant fluctus, & ventorum impetus navim onuſtam mercibus ad naufragium impellant; divitias negligunt, quas proprijs manibus projiciunt in mare, & mercibus, fortunisque vitam hanc præferunt mortalem, & ne navis nimio pondere preſſa ſubmergatur, eam ſublevant; quanto potiore jure deberemus pro vita longè præſtantiore, nullique obnoxia interitui divitias contemnere, eáſque non in mare, ſed in manus pauperum projicere, ut ſublevemur; ac

2 ſurſum portum appellamus æternæ quietis.

Non igitur argumenta intumeſcendi divitiæ congeſtæ tibi ſuppeditant, cum gravamina ſint animæ, quæ commoda putantur corporis; imò & compedes ſunt, quæ ſuos poſſeſſores luto detinent illigatos, cœnóque immerſos, ne cœlum inſcendant. Scimus apud Indos ubi vernaculum eſt aurum, aureis, vel argenteis vinculis detineri in ergaſtulia vinctos delinquentes, tanto locupletiores, quanto nocentiores: & Tertullianus refert *lib. de Habitu Mulier.* Crœſum à Cyro rege aureis catenis vinctum fuiſſe in carceream detruſum. Hoc idem præſtitiſſe Saporem Perſarum regem narrat Ammianus *lib. 71.* Arſacem enim pariter regem in bello proſtratum, & captum ſolemni poſtquam excepiſſet convivio effoſſis oculis victum priùs ferro, mox vinctum auro, aureisque compedibus detruſit in carcerem famæ, & ærumnis interimendum. Aureis itidem compedibus vinctos reos detineri in carceribus apud Æthyopes refert Herodotus: quæ igitur ornamenta putantur corporis impedimenta ſunt libertatis, & animi gravamina, ne ſurſum aſcendat, imò ne cœlum ſuſpiciat, cœno immerſus, veluti in carcere tenebricoſo detruſus.

3 Quòd ſi quiſpiam divitias coacervat ob delitias acquirendas: neque inde ulla ipſi occaſio datur ſupercilium erigendi. Cæcutientis hic error eſt, & mentis penitus amentis. Quid voluptates ſpondent, quàm dolores? ægritudines, & malorum omnium agmina? Eſt voluptas putidus ille fons, è quo malorum omnium Ilias erumpit. Eſt illa Pandoræ pyxis, è qua tot ſcelerum portenta, tot tormentorum ſupplicia, tot calamitatum miſeriæ oriuntur. Quis carnis addictus voluptatibus, mundique delicijs, luxuque in epulis non experiatur gravedinem capitis, ſtomachi dolorem, corporis imbecillitatem, virium deſtitutionem, ſenectutem, mortem acceleratam? Quodque deteriùs qui corporis utuntur voluptate, animi ſentiunt cæcitatem, conſcientiam noxis maculant, DEUM peccatis offendunt. Ab hoc equo Trojano effunditur acies malorum omnium, quæ non ſolùm corpus ægritudinibus, doloribus, ac incommodis infeſtant, ſed etiam animam partem hominis nobiliorem evertunt, deturpant. 4

Non habet igitur homo argumentum intumeſcendi ob mundi delicias, quibus perfunditur; ob voluptates quibus afficitur; cum ſit voluptas malorum omnium peſſima mater; neque vera eſt illa voluptas, quæ allicit ut interimat, placet ut noceat; oſculum figit, ut lethale vulnus infligat: fucata eſt mundi voluptas, quia volatica vix apparet ſtatim evaneſcit, incipit & ſimul deſinit, in ortu & occaſu. Quòd ſi metiri velimus hujus larvatæ voluptatulæ delicias cum pœnitudine ſuperſtita; illæ non diariæ, ſed momentaneæ ſunt; hæc diuturna: illæ tranſeunt, hæc adhæret: illæ in inſtanti temporis evaneſcunt; hæc diu perſeverat, & comites habet præcocem pudorem, ſerúmque dolorem. Pudeat hominem ſuſceptæ voluptatis, quia ab ſtatu hominis in cœtum ſe dejecit vilium brutorum, quorum voluptatibus ſe immiſcuit, illisque adhæſit. Quòd ſi homo non indignatur ſi non grunit, neque in luto ſe volutat, ut porcus, cuj volupe eſt in cœno, ac ſtercore jacere; ſi non paſcitur cadaveribus ut vultures, quibus putreſcentes, ac corruptæ enectorum animalium carnes ſunt in delicijs; cur ipſum non pudet carnalis voluptatis, quæ æquè brutis pecudibus, porcis, lupis, ac vulturibus ſunt communes. Quòd ſi contemnit homo, ac deſpicit brutas voluptates, eò quia ijſdem fruantur equi, muli, porci & reliqua bruta; cur ſi extra poſitas contemnit, ac reſpuit; non etiam intra ſe habet contemptui, eáſque procul à ſe abijcit? præſertim cum hominem faciant deteriorem; omnéque decus obliterent; neque ullum ſit in homine damnum, cujus rea non ſit voluptas; quæ pervertit juſtos, ut Davidem; enervat fortiſſimos, ut Samſonem; dementat Sapientiſſimos, ut Salomonem. Quòd ſi volatilis, ac larvata voluptas animam perdit, quam Chriſtus ſui ſanguinis pretio redemit; an non inſania eſt pro vanitate voluptatis maximum animæ pretium, ſeu Chriſti ſanguinem contemnere, flocci facere, & animam iterum cacodæmonis famulitio extradere: num vanitatem hanc dixeris vanitatum; ſed & perverſitatem perverſitatum?

5 Neque acquiſitus honor ullum poteſt intumeſcendi ſuppeditare argumentum; quid enim futilius, quid vanius honore? ad quem nobis comparandum plurimum impendimus laboris; defatigamur ſolicitudinibus, deſtruimur curis, viribus deſtituimur, ut vanum, ac perſæpe fictum, ac fucatum enanciſcamur obſequium; vel dignitatem aſſequamur, ut à culmine altiori lapſu cadamus graviore: *quanto enim plus honoramur*, ait Auguſtinus in pſal. 10. *tanto plus periclitamur*: eminentija dignitatum, ac celſitudini officiorum contermina ſemper ſunt præcipitia. Nemo altiùs cadit, quàm qui altiùs aſcendit; & quanto excelſior eſt gradus, tanto profundior ſemper eſt caſus; excitatæ procellæ feriti fulminibus obnoxia ſunt culmina. Quid igitur gloriaris de periculis, quæ imminent, de lapſu, cuj es obnoxius, de dignitate ad quam te fortuna extulit, ut in imum te deijceret dedecoris. Sicut nomina affinia ſunt damnatio, & dominatio, ita non credas, te longiùs diſtare, ut diſcas metuere damnari, qui experis dominari.

6 Quid ſint mundi honores nil clariùs nos edocet, quàm ipſa obſcura mortis nox; hæc eſt docta magiſtra veram nos edocens ſcientiam teſte Davide Pſal. 18, 1. *Nox nocti indicat ſcientiam*, ſeu mortis nox verſantibus in umbra mortis, & cæcutientibus inter ſplendores dignitatum indicat ſcientiam, quid ſit ſplendor dignitatis, qui inſtar fulguris vix apparet extinguitur, & cum oritur moritur. Mors eſt, quæ in umbra mortis ſedentes homines veram dignitatum, edocet ſcientiam Manium in tenebris terrena quæque quantumvis ſplendida horrent, ſqualent tenebroſa obvoluta caligine: tunc ſerenum ſplendet cœlum luminibus coruſcum, quod oculos complet, bene morientis, non in dignitate ſedentis, complendo allicit, alliciendo delectat. Inhonorus eſt omnis honor, niſi eo intendamus, & totis viribus contendamus augere DEI honorem. Leo XI. cum vigeſimo ſeptimo ſui Pontificatus die gradu, & vita decederet magno animi ſenſu fertur dixiſſe. *Oh quàm ſatius mihi modò foret, ſi Monaſterij potiùs, quàm cœli claves tenuiſſem.* Hadrianus VI. ſuo inſcribi juſſit ſepulchro hoc ſolum epitaphium. Hic ſitus eſt; qui nihil ſibi infelicius in vita, quàm quod imperaverat, duxit. Pius V. ajebat dum degerem in Monaſterio pauper religioſus mihi videbar veluti tutus de ſalute; infulis indutus cœpi anxius, ac dubius de eadem vivere; de qua pontifex videor deſperare. Paulus III. itidem Pontifex animam agens: mallem, inquit, me ſubjeciſſe coco familiæ Capucinorum, quàm hanc DEO proximam dignitatem per annos ſexdecim ſuſtinuiſſe. Carolus Siciliæ rex moriens hæc protulit verba. O vanas hominum cogitationes! quid mihi regnum prodeſt? quàm præſtaret jam pauperem fuiſſe, quàm regem; mendicum quàm divitijs affluxiſſe. Et Henricus VIII. Angliæ rex in vitæ extremo extrema hæc verba edidit: Amici omnia perdidimus.

Non igitur mundi honores, & dignitates 7 argumenta ſuppeditant intumeſcendi, ſed anſam exhibent lugendi, ac eas ſpernendi. Si ſeriò perpenderent curas, ſolicitudines, moleſtias; pericula, quæ ſecum diademata trahunt non ijſdem caput ornarent, ſed pedibus eadem conculcarent: id innuit Joſue, cuj cum nuntiatum fuiſſet, quinque reges fuiſſe deprehenſos latere in ſubobſcura ſpelunca juſſit foras in lucem educi, & pedibus conculcari eorum colla, premi capita Joſue 10. 24. *Ite & ponite pedes ſuper colla regum iſtorum* cur pedibus premuntur capita, quæ gemmis illuminata diademata conſueverunt ornare; quia de tenebris regiæ dignitates fuerunt adductæ in lucem; ſeu quia clarè ac dilucidè perpenſæ, deprehenſæ fuerunt dignæ, ut pedibus conculcarentur. ſeu contemptui haberentur; ſi quid eximium, ac ſplendidum nobis videtur in dignitatibus mundi apparere; ſi de tenebris proferatur ad lucem; ſeu detracto cortice quid revera in ſe ſint perpendatur, ac ad lucem proferatur, deprehenditur dignum contemptu, quod hominum promereri obſequia arbitrabamur. Quòd ſi tibi videantur mundi dignitates ſplendere, noctilucis, ſeu cincindellis pares feceris, ſeu muſcis noctu ſplendorem alatum flabello emittentes, qui ſtatim diſparet. Idque fortaſſis cauſæ, cur Petrus in faſtigio Taborræo ubi Chriſtus ſuam diſcipulis dignitatem in lucis ænigmate oſtendit, petierit ibi conſtrui tria tabernacula Luc. 9. 33. *Bonum eſt nos hic eſſe faciamus hic tria tabernacula.* 8

Sed ſi bonum videbatur Petro moras protrahere in Taboris vertice, ac ibi manſionem figere, cur de tabernaculo erigendo, & non potiùs de ampla, & firmiore domo conſtruenda cogitat? quia noverat felicitatem hujus vitæ diurnam eſſe, non diuturnam, paucisque diebus effloreſcere, & ſtatim evaneſcere; ideóque tentoria tantùm petijt erigenda; non domum conſtruendam; quia tabernaculum itinerantium eſt diverſorium opportunum felicitati unius diei. Eſt humana felicitas veluti arridens ſerenitas, quæ unà cum flante vento tranſit, evaneſcit, & nubibus obducta extinguitur, ſepelitur. Idque ſuos Magiſter Chriſtus edocuit diſcipulos in Thaboris vertice, ubi cum diſcipuli Chriſti vidiſſent Majeſtatem ſplendoribus coruſcam, ac ſua circumfuſum gloria, ſtatim Luc. 9. 34. *Facta eſt nubes, & obumbravit eos.* Totus illius Majeſtatis apparatus ſtatim evanuit; tota felicitatis ſerenitas ab invida nube obumbratur; & totus dignitatis ſplendor momentò extinguitur. Ipſe majeſtatis ſplendor vertitur in nubem, quia humana quævis felicitas, ut vapor, quo nubes conſtat, diſparet; & plerumque nubilo obruta in pluvias ſolvitur lacrymarum; Solis demiſſi in terram radij ſurſum telluris attrahunt exhalationes, quæ in nubes coactæ nitorem arridentis ſerenitatis abripiunt, & ſplendor luminis umbrâ funeſtatur:

tur: & quod in tertis hodie effloreſcit ut lilium, cras exareſcit ut ſœnum Luc. 12. 27. *Conſiderate lilia quomodo creſcant;* & ver. 28. *Fœnum quod hodie eſt in agro, cras in clibanum mittitur.* Murato ſplendore vocabuli ſœnum in ſcena producitur; cum antea lilium apparuiſſet. Utinam plures non darentur qui lilium ſe jactantea in agro eccleſiæ dignitatibus inſigniti, fœnum non eſſent. Lilio argento direſcenti, ac odore ſupra reliquos flores gratè oleſcenti adnectitur ſtatim ſœnum; quo tota lilij pompa exareſcit. Hanc lilij pompam Chriſtus veſtem eſſe dixit, ſeu quid adſcititium; quò inde diſcamus, humanam felicitatem, non eſſe nobis innatam, ſed additam: quòd ſi quas manè veſtes induimus, veſpera exuimus; perinde humana dignitas, quam mané aſſumpſimus veſpere accedente mortis nocte deponimus: & perſæpe quod manè effloruit ut lilium morum candore ornatum; poſtea murato colore deprehenditur fœnum eſſe; & quod hodie nives candore exæquat, cras igne exardet.

9 Mundi honores, & dignitates ſi intimiùs penſentur ob pericula, quæ ſecum trahunt, timorem potius incutiunt, quàm mentem inani inflent tumore; idque fortaſſis cauſæ cur in vertice Thaboris Petrus, Jacobus, & Joannes audita voce de nube ſubito timore perculſi ceciderint Matth. 17. 6. *Et ecce vox de nube dicens. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; & audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam.* quid? quòd audita voce de cœlo timore correpti ceciderint diſcipuli; ſi vox cœleſtia nulli minabatur excidium, ſed adſtantibus DEI filium confitebatur, cur diſcuſſo timore non potiùs facies lætitiâ repleverunt, & oculos in DEI filium non direxerunt, cujus facies ſplenduit ſicut Sol; & veſtimenta ejus facta erant alba ſicut nix; ſi blandimentum candoris allicit ad amandum, cur inde anſam deſumunt ad timendum? An non eadem vox fuerat antea in Jordane audita? & tamen nulli timorem incuſſit, nemo fuit, qui caderet in faciem ſuam, ſicut in vertice Thaboris tres diſcipuli, quos tamen putârim excuſandos, ſi loci penſemus circumſtantiam. Jordanis in depreſſa planitie fluebat, & vox de cœlo in humili loco audita nulli potuit timorem incutere, quia humilitas ubique tuta: ſecus in Thabore in eminentia verticis verſabantur Matth. 17. 1. *Aſſumpſit Jeſus Petrum, & Iacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum.* Quid per montis celſitatem indicabatur, quàm eminentia dignitatis? hæc autem cum ubique plena ſemper ſit periculis, circumſepta præcipitijs; ideo & timuerunt & ceciderunt in facies ſuas.

10 Finitima ſemper ſunt montium, ac dignitatum eminentijs præcipitia. Somniavit Babylonius tyrannus Nabuchodonoſor ob oculos ſuos arborem obverſari tantæ proceritatis, ut nubes vertice contingeret, foliorum explicatu, ac ramorum pompâ terram inumbraret, magnáque fructuum turgeſceret ubertate, nidum volucribus, ſtabulum beſtijs, & omni hominum generi eſcas abundè ſuppeditaret; viſaque ſit Pomona ſuam frondoſo illo in diverſorio poſuiſſe ſedem ad omnem conſtructam voluptatem, cum omnia arboris proceritate, vegeta fertilitate, foliorum viriditate, fructuum ubertate, ac umbræ latitudine intuentibus, ibique morantibus eblandirantur. Verùm hæc viridis amœnitas ſtatim exaruit, proceritas è nubium celſitudine in imum cecidit cænoſæ telluris, foliorum pompa evanuit, fructuum divitiæ, & ramorum ampliationes diſparuerunt, Adfuit enim de cœlo Genius excubitor, divinæ Adminiſter providentiæ, qui vultu ſevero, vocéque minaci juſſit arborem hanc ſuccidi, ramos amputari, folia diſſipari, fructus diſpergi; ſuperſtite tantùm humili radice, terra contecta; in fructus, folia, ramos iterum pullulatura: quin imò cæleſtis nuncius, quem arbor illa ad nubes protenſa præſignavit, denunciavit, talia fata ſubiturum, ferro vincendum, ac omnibus cœli, ac tempeſtatum injurijs expoſitum iri. 11

Terrificis minis reſpondit veluti echo pœna. Non alium arbor illa ad nubes uſque protenſa præſignavit, quàm Nabuchodonoſorem, qui è regio forte Solario Babyloniæ urbis aſpiciens ſplendorem, & admiratus amplitudinam, ædificiorum magnificentiam, platearum multitudinem, multiplicis fori laxitates ſuperbiâ elatus, adeo intumuit, ut humanum faſtigium ſupergredi, & caput novus Enceladus ſideribus inferre ſibi videretur: ajebat tumidus, elatóque ſupercilio: Nonne hæc eſt illa Babylon, quam ego mundi ſeptenni miraculo recenſui, & tantis molitionibus reſtauravi, ut omnibus mundi operibus præclariorem, ac prodigioſiorem efficerem? Verùm cum tumida proferret hæc verba, detumuit ipſe, ſupercilium depoſuit, & veluti cæleſti fulmine ſideratus de mentis poteſtate deijcitur, & ultrix Nemeſis ne hominem quidem eſſe paſſa fuit: extima hominis exutus figura repit humi quadrupes, qui bipedum neminem ſibi parem ſuſtinuit: furit in obvios quoſque, qui ne quidem Numini pepercerat, quod pluribus illatis injurijs offenderat; vinculis vincitur ferreis, qui ſuperbo imperio omnibus præeſſe, omnes coerceri ad ſua vota crediderat. Nabuchodonoſor nuper hominibus omnibus ſublimior, inſtar beſtiæ pronus in paſtum abijcitur, gregique aggregatur brutorum, homines fugit, lucos ingreditur; ſaltus, & aviâ manibus, pedibúſque perreptat, inconditum emittens ſtridorem, capillis, & unguibus in morem aquilarum excreſcentibus, ut monſtri ſpeciem præſeferret. Præcelſa arbor humanam præſignavit felicitatem, cujus fuit ſymbolum. Nabuchodonoſor dignitate inſignitum prænotavit. Daniel. 4. *Ecce arbor in medio terræ; & altitudo ejus nimia. Folia ejus pulcherrima.* Hæc arbor quia nimia

excelſa proximior fuit ruinæ, cuj ſubjecit; & ſuccisſa in vertice, ramis, ac caule, cecidit foliorum veſte ſpoliata, ac fructuum divitijs privata; & ſucciſionis cauſa oimia fuit ejuſdem celſitudo; quia ut expeodit D. Hieronymus hujus arboris altitudinem: *excelſa periculoſius ſtant, & citius corruunt, quæ ſublimia ſunt.* Radices arboris ideo citra lapſus pericula ſuperſtites manſerunt, ac in ramos, folia, & fructus regerminârunt, quia non in cœlum ſe erexerunt, ſed in imo terrâ contectæ reperant, & ſymbolum præſeruleruot humilitatis. Amat humilitas ut radix totius ſpiritualis profectûs, ac fundamentum cæterarum virturum latere; & non inani pompa, faſtoláque aura populari turgida apparere. Domum ſi conſtruis, fundamentum, cui totum innititur ædificium in tertæ profundum jacis, & quò profundiùs demittitur, eò altiùs domus erigitur, & quò latet obſcurius, eò fabricæ ſtructura ſtat firmior: idqoe fortaſſis cauſæ, cur Seraphini apud Iſaiam cap. 6. 2. *Alis duabus velabant faciem ejus*: cum eos non latuiſſet DEI propenſio ad ſe occultandum; gratam ei exhibituri clientelam, ſatagunt ejus faciem geminis obtegere alis. Humilitatis ſtudioſus DEUS, hanc ut homines edoceret ſedens in throno alis voluit Seraphinorum operiri; & jacens in ſtabulo noſtra indutus humanitate brutis ſtipari animalibus: ſen edocturus homines humilitatis culturam, ſn præſepio ſuam occuluit gloriam animalibus aſſociatus, ſuámque divinitatem nube operuit noſtræ humanitatis, & paleatum tegumento, panniculorum, ac faſciarum involucro quidquid nobilitatis; ac ſplendoris à divinitate in aſſumptam derivavit humanitatem abſcondit. Neque qui natum in terris Deum adoraturi ex oriente venerunt Jeroſolimam reges eum noviſſent, niſi magiſtra ſtella ſilentio & inſueto ſplendore luculentiùs, quàm verbis eos edocuiſſet, DEUM cœli eſſe, quem in terris humilem natum infantem viderent: quærentes ſiquidem, cui ſua in muneribus præſtarent obſequia dixerunt Matth. 2. 2. *Ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum;* Regem non agnoverunt, quem humilem, & pannoſum, ſeu faſcijs inuolutum invenerunt; ſed quia ab ſtella magiſtra didicerunt eum Regem eſſe Judæorum, mundi Redemptorem, ac verum DEUM, crediderunt, & DEUM hominem factum adoraverunt Matth. 2. *Vidimus enim ſtellam ejus in oriente,* Venerat DEUS ſuo exemplo nos edocturus culturam virtutum, quæ ut firmiùs in nobis ſtabilirentur ab humilitatis inchoavit exercitio, quæ reliquarum eſt ſtabile fundamentum, ait enim mellifluus doctor lib. 5. de conſid. *Bonum quoddam, & ſtabile fundamentum eſt humilitas,* qui enim hoc fodit fundamentum humilitatis ad faſtigium pervenit charitatis, quia cæteræ virtutes huic innituntur humilitati, quâ ſubſiſtunt & promoventur uſque ad charitatis faſtigium. Dicitur tamen humilitas fundamentum reliquarum virtutum non directè, & principaliter. quia hoc pacto fides eſt fondamentum hocce dicente Apoſtolo ad Hebræos 11. *Credere enim oportet accedentem ad DEUM; quia eſt*: ſed humilitas dicitur indirectè, & diſpoſitivè fundamentum reliquarum virtutum: ſeu indirectè quatenus removet impedimentum virtutum, quod eſt ſuperbia. Diſpoſitivè quatenus facit hominem humilem DEO ſubditum, ac paratum ad recipienda dona ſupernaturalia præſertim divinam gratiam, quæ eſt ſemen, & origo virtutum, ut indicat D. Jacobus in ſua epiſtola cap. 4. *Deus ſuperbis reſiſtit: humilibus autem dat gratiam.*

F I N I S.

Ad ſolius DEI gloriam.

IN-

INDEX

Rerum notatu digniorum, quæ in hoc volumine continentur, Numerus prior productus Paginam deſignat, ſecundus eſt Marginalis.

A.

ABderæ ſtagno ſe credere quid ſit. 208. 2. Abdera ſuperaſt pulchra Theiorum colonia ibid. 3. Abderæ depaſci vireta quid ibid. 4.

Abderitano cribro aquam haurire, quid ſit ibid. 5.

Abſtinentia à SS. Patribus pluribus commendata laudibus, & ſententijs. 53. 4. & ſequent.

Abſtinentia pingitur ſub figura puellæ gracilis, quæ dextra os ſibi claudat, ſiniſtra diſcum omnigenis referium dapibus prætendat cum epigraphe: *non utor, nec abutor*. 204. 7.

Abſtinentia ab uſu eſculentorum, & poculentorum quomodo exercenda juxta regulas temperantiæ. 755. 20.

Abſtinentia ab eſculentis, & poculentis eſt fœcunda mater virtutum. 756. 25. Verus abſtinens à quovis vitio ſe abſtinet. 757. 26. Abſtinentia recudit in homine Dei imaginem, quam vitium gulæ deleverat. 759. 34.

Abſtracta quomodo repræſententur per imaginas. 201. 1. Abſtracta, quæ noſtros fugiunt ſenſus moltipliciter poſſunt repræſentari. 202. 3. & ſeq.

Acceptio perſonarum improbatur à SS. Patribus. 54. 1. & ſeq.

Accidia radix putida vitiorum radicitùs evellenda. 55. 1. & ſeq.

Achates eſt mihi fidelis, adagium ſapit. 206. 18.

Achates fidus dicitur de amico fideli. 208. 6.

Acheloia pocola propinare, eſt alijs ſub ſpe boni obtinendi illudere. ibid. 7.

Acaſti ſagittas in feras vibrare, de quo dicatur proverbialiter. 209. 8.

Achemonticum ingredi ſpecum quid ſit. 209. 9.

Achillcum producere argumentum, ſeu inſuperabila ibid. 10.

Acroceraunios montes objicere: ſeu difficultates ſuperatu difficiles. 209. 11.

Actæonis paſceta canes quid ſit, & in quem torqueatur. 209. 12.

Acuſilai ludus ſuum exoptat Minerval. 209. 13.

Accidentia tametſi extra rei eſſentiam, plurimum tamen illi conſerunt ornatûs, & elegantiæ. 139. 19.

Accipitris proprietates recenſentur. Habetur avis ſolaris, ſoli, & Apollini ſacra. 362. 13. Accipitris oſſa magnetis inſtar ferrum attrahunt ibid. Ex oſſibus Accipitris unà colliſis ignis accenditur ibid. Accipiter apud Ægyptios ſolia ſuit hierogiyphicum ibid.

Accuſatio apud Judicem, quæ, & quando inſtituenda. 55. 1. & ſeq.

Accuſatio in genere Judiciali quomodo inſtituenda. 397. 4. Exordium Accuſationis unde petendum. 397. 5.

Acyrologia figura eſt, quâ utimur voce impropria omiſſâ propriâ. 420. 14.

Actio Oratoribus pernecesſaria, magnique eſt momenti. 101. 1. & ſeq.

Adagia quæ, & quomodo oratori inſerviant ad ornatum orationis. 205. 1. & ſequent. Adagio perquam affinis eſt parœmia ibid. Adagium per quid differat ab apophtegmate. 205. 1. & quomodo differat à lædoria, ſcommate. ibid.

Adagijs orator perparcè otitur, non ut cibo, ſed ut condimento. 205. 2. Adagijs ludere in Epiſtolis familiaribus faciliùs permittitur. 205. 2.

Adagia plarunque eruuntur ab officijs. & muneribus, quæ in Republica exercentur, & ſubjiciuntur plura hujus generis adagia. 205. 2.

Adam ob unicam malum mala omnia in Poſteros transfudit. 511. 5.

Adjuncta perſonæ ſunt nomen, natura, virtus habitus, fortuna, vita, affectio, ſtudia, conſilia, Facta, caſue, oratio; ab hiſce adjunctis plures argutiæ ab oratoribus eruuntur. 518. 1. Ab Adjuncto nominis laudantur SS. Præſules Ambroſius, & Maximus. ibid. 12. Plinius ab hoc adjuncto laudat Traianum. Bahuſius D. Urſulam. Bidermanus S. Claram. Ab adjuncto nobilitatis argutè laudantur illuſtres viri. 513. 16. & ſequent. à Gentilitio ſtemmate plures poſſunt argutiæ hauriri ut ab Aquila, Accipitre à volocribus, quadrupedibus, arboribus, floribus, & alijs, quæ ſolent aſſumi in propium ſtemma. 513. 17. & ſeq.

Adjunctio eſt figura, quâ ad unum verbum plurea ſententiæ referuntur. 418. 4.

Admonitio quomodo inſtituenda, ut inde optatus fructus colligatur. 56. 1. & ſequent.

Ad rei colophonem ſe conferre, eſt ultimam manum negotio imponere. 208. 43.

Advocati quomodo ſuo debeant officio fungi. 398. 2. Advocati, indocti, clamoſi, pecuniarum amantes, munerum receptores obliterandi à numero Advocatorum. 398. 3. Claudius Imperator inſigni animadverſione ſublatos voluit à Judicijs Imperij Advocatos pecunijs inhiantes, ac proprium depravantee officium. 398. 4. In cauſidico, neceſſe eſt ſplendeat amor veritatis. 398. 5. Advocatus debet eſſe legis peritus; virque juris conſultiſſimus. 399. 6.

Adjuvare opem poſcentes, quàm præclarum, & laudabile. 56. 1. & ſeq.

Adrianus Imperator in novis ſemper ædificijs conſtruendis occupatus. 379. 99.

Adverſitates hominibus colentibus virtutem proſunt, non obſunt. 57. 1. & ſeq.

Adverſa præſtant, quæ negant proſpera, quomodo dicatur adagialiter. 206. 12.

Adverſitates viris Chriſtianis non obſunt, ſed proſunt; non ſunt exitio, ſed exercitio. 174. 22. & ſeq.

Adverſa non ſunt viro patienti exitio, ſed virtutis exercitio. 339. 2. & ſeq. Recenſentur plura adverſa, quæ dum videntur damnum inferre, proſunt, ac plurimum adſerunt emolumenti. 340. 7.

Adulatio aulæ peſtis fugienda, pungitur pluribus ſententijs à SS. Patribus, ut expungatur. 58. 1. & ſeq.

Ædificia, & eorum partes recenſectur, ut & materia multiplex, ex qua ædificium conſtruitur. 447. 4. ab arte ædificatoria plura eruuntur ornamenta Rhetorica. 449. 10.

Ædium partes recenſentur. 59. 1. & ſequent.

Ægritudo animi, & corporis quomodo curanda. 59. 1.

Ægyptia templa referre quid ſit. 208. 50.

Ænigmata in literis Alphabeticis conſiſtentia quæ, & quomodo fiant. 412. 21. ſpecies ænigmatum plures ſunt. 413. 23. Ænigmata conſiſtentia in contradictorio. 415. 34.

Ære alieno gravatus quis dicatur, & quomodo teneatur ſolvere. 60. 1. & ſeq.

Æſopus egregius è Phrygia fabulator. Ejus apologi moralia continent documenta. 190. 3. & ſeq.

Ætas per ſyncopem dicitur de ævitate, & quomodo ætas dividatur. 61. 1. & ſeq.

Ætates aurea, argentea, & ferrea, quomodo per imagines repræſententur. 203. 4.

Ætas quomodo per imaginem repræſentanda. 203. 4.

Ætnæ montis amplificatio per hypothypoſim. 204. 6.

Æſculapius redivivus, de quo dicatur. 209. 21.

Æſopico madere ſanguine quid, & de quo dicatur. 209. 22.

Adonidem fucis imitari quid, & de quo dicatur. 209. 14. Adonidis hortos excolere quid ibid. 15.

Ægiſto turgior, de viro carnis dedito voluptatibus, ac ſpurcitijs Veneris coinquinato. 209. 18.

Agamemnonis obviare hoſtiæ quid ſit. 209. 25. Agamemnon Iphigeniam ducit in Aulidem ibid. 26.

Agamemnonij putei quid ſint ibid. 27.

Agathocles è figulo Rex ſalutatus. 383. 113.

Agatoclis memoria tumorem compeſcit. 209. 29.

Ægide Invidorum tela retundere quid ſit ibid. 17.

Agricultura, ſeu agrorum cultura commendatur; & ejus inſtrumenta numerantur. 67. 1. & ſeq.

Agricultura ſua Rhetori ſuppeditat inſtrumenta, ut in eloquentiæ campo ſuas excolat orationes. 436. 2.

Æquitatem ſymbolicè repræſentat Virgo erecta, quæ dextra bilancem æquilibratam tenet, læva ligneam menſuram ſuis ſignatam notis. 204. 6.

Æthiopem dealbare redolet adagium, quo indicamus operam perdere. 206. 16.

Æſtivi temporis à partium enumeratione luculenta deſcriptio. 153. 13.

Æternitatem repræſentat mulier triceps, amicta ſindone angnem in circulum revolutum ſolem, lunámque gerens; & ſiniſtra circulum zodiaci. 203. 4.

Affabilitas quæ, pluribus excipitur laudibus. 61. 1. & ſeq.

Afflixio eſt ægritudo cum vexatione cordis. Plerunque ſi obeſt corpori prodeſt animæ. 62. 2. & ſeq.

S. Agatha laudata ſub allegoria Invictæ Amazonis. 560. 7.

Alcinoi ſylvæ, quæ dicantur. 209. 31.

Alexander Macedo tanti Eloquentiam fecit, ut capto inter opima Darij victi ſpolia unguentorum ſcrinio, quod erat auro gemmiſque pretioſiſſimum libros Homeri, quos tanto dignos loculo exiſtimabat, incluſerit. Thebas cum expugnâſſet Penatibus Pindari vatis parci juſſit. 7. 4.

Alexandri gladio indiget Gordius nodus. 210. 32.

Alexander Rex Hieroſolymorum ſcelerum ſuorum conſcius, ne populus in filios regios vindictam ſumeret, juſſit cum animam egiſſet ejus cadaver in foro exponi à populo diſcerpendum. 188. 15.

Alexander Macedo Parydis dedignatus eſt Chelym, quia laſcivientis Helenæ cecinerat pulchritudines, cui propterea prætulit plectrum magni Achillis, quo adoreas occinuit ſenis Chironis. 44. 5.

Alienatio à cauſa, & effectu quatenus aſſignatur cauſa pro cauſa. 495. 5.

Alienatio definitionis naturæ, & proprietatis à re, de qua eſt ſermo. 492. 4.

Allegoria eſt alieniloquium, ſeu continuata metaphora, quæ aliud verbis, aliud ſenſu oſtendit. 408. 2.

Allegoria præ cæteris tropis à Poëtis uſurpatus

tur ibid. 3. Allegoria eſt duplex ſimplex, & mixta. 16. 4.

Allegoriæ uſus oratoribus frequens, & elegans. 409. 6. Allegoriæ plures comprehendentes eruditiones præ cæteris commendantur. 409. 9. Allegoria ab aquila deſumpta. 409. 10. & ſeq. Allegoria petita ab Olore 410. 13. & ſeq. Allegoria canis geſtantis ore accenſam facem. 410. 16. Allegoria Leonis in laudem D. Hieronymi. 141. 17. Allegoria navis, laudatur Eccleſia ibid. 18.

Allegoria ænigmatica. 412. 21.

Allegoriæ in orationibus panegyricis deſumuntur à nominum Ethymologijs. 561. 8. Allegoriæ non ſolùm à nomine, verum etiam à ſtemmate deſumuntur ibid. 9. & ſequent.

Aludubatarum more pugnare quid ſit. 210. 39.

Amalthææ cornu ſuppeditare quid ſit. 210. 33.

Alter Anaxarchus ærumnas ridet, de viro forti & conſtante. 208. 42.

Amaſis Ægyptiorum Rex ex aurea pelui, in qua pedes convivarum lavare conſueverat Idoli ſtatuam conflavit, quam populus, coluit. 287. 7.

Ambitionis tumor coërcendus. 179. 117.

Amori proprium eſt munificentiam in alios exercere. 570. 2.

Amedeus Sabaudiæ Dux commendatus ob eleemoſynas pauperibus diſtributas. 112. 1.

Ambitionis tumor à SS. Patribus acuto pungitur ſtilo, ut expungatur, & detumeſcat. 63. 1. & ſeq.

Amicos de mammona ſibi fabricare quid ſit. 208. 43.

Amor Dei, & proximi quid. 95. 1. & ſequent.

Amicitia quomodo, & cum quibus inſtituenda, & vera amicitia quæ? 64. 1. & ſeq.

Amphionis lire plus valet, quàm tuba Amphiarai. 210. 35.

Amphitrites lenocinanti malaciæ non fidendom. 210. 36.

Amplificatio mixta quæ. Proponitur amplificatio Nihili. 408. 1. & ſeq.

Amplificatio eſt gravis argumentatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem. 244. 1.

Amplificatio per quid differat ab argumentatione. 244. 3.

Amplificatio legitima eſt gravior dicendi modus. 244. 5.

Amplificationis germanæ formæ expenduntur. 245. 1. eſt ſeq.

Amplicatio per metaphoras conglobatas recenſetur. & expenditur. 247. 1. & ſequent. Amplificatur virtus effloreſcens pulchrior, & olens ſuavior inter corruptos hominum mores ibid. 2.

Amplificatur inſignis orator qui promeritis excipitur laudibus. 247. 3. Amplificatur per metaphoras conglobatas fucata mundi voluptas. 248. 4.

Amplificatur à metaphoricis definitionibus conglobatis Pax. 248. 5.

Amplificatio petita ab eruditionibus conglobatis. 249. 1. & ſeq.

Amplificatio petita à fonte ſententiarum. 254. 1. & ſeq.

Amplificatio petita à partium enumeratione expenditur. 255. 1. & ſeq.

Amplificatio horti amœniſſimi à partium enumeratione. 255. 3.

Amplificatio cruenti belli à partium enumeratione. 256. 4.

Amplificatio hominis per enumerationem ætatum. 257. 6.

Amplificatio per ſimilitudinem, & exempla. 257. 1. Amplificatio animi fortis inter adverſa. ibid.

Amplificatio ingratitudinis per ſimilitudines, & exempla. 258. 2. equi ingratitudo à Cæſare Auguſto improbata. ibid. 3.

Amplificatio per hiſtorias conglobatas. 259. 1. & ſeq.

Amplificatio muliebris luxus in cultu corporis per figurarum varietatem 260. 2.

Amplificatio ſententiæ alicujus per figuras. 260. 3.

Amplificatio ab ijs, quæ cadunt ſub ſenſus, 261. 1. amplificatur amœna regio ibid. 2.

Amplificatio repræſentativa per hypotypoſim. 262. 1. amplificatur ab hac forma ſupplicium Sacerdotis 16. 2. hominis venerea lue infecti. ibid. 3. Morti proximus per hypothypoſim amplificatur. ibid. 4. Hominum diſſidia, odia, bella. & cruentæ clades amplificantur per hypothypoſim. 263. 5. Æthnæ montis incendium. 264. 6. Luſciniæ cantantis modulatio. 264. 8.

Amplificatio abſoluta quæ 265. 1. Ebrietatis amplificatio ab effectis ibid. 2. Viri probi ibid. 4. Equeſtris decurſionis ad annulum ibid. 5. Navis æquora trajicientis, 265. 5.

Amplificatio navis trajicientis æquora flantibus ad votum favonijs. 266. 8.

Amplificatio comparativa quæ, & quomodo orationi inſerenda. 266. 1. & ſequent. Amplificatur liberalitas Amedei Sabaudiæ Ducis in pauperes. 266. 2. D. Laurentij illuſtre Martyrium. 267. 3. Amplificantur virtutes D. Hieronymi, qui confertur cum leone. 269. 6.

Amplificatio comparativa quomodo fiat per confutationem. 269. 7. Amplificatur Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie viſus. 270. 8.

Amplificatio univerſalis quæ, & quomodo orationi inſerenda. 273. 1. & ſequent. Amplificatio univerſalis fit à circumſtantijs, quo pacto amplificantur mores Turcarum. 274. 3.

Amplificatio à circumſtantijs Salviani redarguentis Carthaginenſes luxoriæ indulgentes in bello armorum inter ſtrepitus. 277. 4.

Amplificatio à particularibus circumſtantijs ſubiecti in orationibus Panegyricis 276. 1.

Amplificatio à Nobilitate ibid. 2. à Nativitate ibid. 3. A corporis pulchritudine. 277. 5. Ab agilitate corporis ibid. 6. A vir-

tute animi præſertim prudentiæ. 278. 10. A Juſtitia. 279. 16.

Amplificatio ab animi fortitudine. 280. 17. commendatur fortitudo. ibid.

Amplificatio à liberalitate, & quomodo ab Oratore adhibenda. 282. 22.

Amplificatio ab exculta virtute temperantiæ. 283. 1. & ſequent. Temperantia laudatur. 284. 29.

Amplificatio à cultura præclaræ virtutis caſtitatis. 285. 33. & ſeq.

Amplificatio à virtute Clementiæ. 287. 88. & ſequent. Recenſentur plures principes clementiæ culturâ præclari. ibid.

Amplificatio ab honoribus, quibus viri illuſtres laudantur. 288. 41.

Amplificatio à Felicitate, & arridente Fortuna. 289. 45. & ſeq.

Amplificatio à pluribus virtutibus ſimul. 291. 52.

Amplificatio Pathetica per varios animi affectus. 292. 53. Amplificationi patheticæ prodeſt narratio Hiſtoriarum, quæ cruentas clades, repentina excidia, urbium everſiones repræſentent. 294. 58.

Amplificatio patethica Emanuelis Souſæ, & Uxoris Eleonoræ. 295. 59. Funeris S. Joannis Baptiſtæ Chriſti Prodromi. 295. 61. Excidij Hieroſolimæ per monodiam lugubrem. 296. 62. Affectua doloris eliciti ab anima reſipiſcente. 296. 63.

Amplificatio per antitheta, & ſententias acutas, & vellicantes, per periphraſes, & eruditas comparationes, ſenſúſque argutos. 297. 1. & ſequent. Amplificatio viri liberalis, & munifici. 298. 3. Amplificatio miſeriarum per antitheta, & ſententias acutas. 298. 4.

Amplificatio arguta quomodo inſtituenda. 299. 1. & ſeq. Amplificatio arguta S. Antonij Patavini, Ulyſiponenſis mutantis civeum Canonicorum Regulalium habitum, cum ſubcineritio S. Franciſcij. 300. 5. Amplificatio arguta Herodiadis pretium ſaltationum petentis caput Chriſti prodromi. 301. 7.

Amplificatio arguta Margaritæ Juſtinianæ nobilis Venetæ comam reſecantis Deo famulatura in clauſtro Sanctimonialium. 302. 8.

Amplificatio per argutias conglobatas, & ſimul aperiuntur aliquot fontes, ex quibus argutiæ ſcaturiunt. 303. 1. & ſeq.

Anaxarchi tundere follem non ipſum Anaxarchum congruit viro patienti. 210. 37.

Anacreontis acinum deglutire, Eſt de re modica ingens ſubire damnum. 210. 38.

Anadiphoſis figura eſt orationis, quæ congeminat dictionem. 417. 3.

Anaphora, quæ figura in oratione, & quomodo fiat. 417. 4.

Anaclaris eſt reflexus, fitque cum quod dictum fuerat, in alium, vel contrarium ſenſum accipitur. 420. 13.

Angitiæ implorare opem quid ſit. 210. 41.

Anagramma numericum quomodo conſtituatur. 414. 13. Anagrammata ex numeris romanis compacta. 415. 33. Literæ notantes numerum Romanum. ibid.

Angeronæ litare quid ſit. 210. 42.

Anaximenes à Lampſacenis legatus ad Alexandrum Macedonem oratorio aſtu ejus indignationem eludit. 15. 3.

Angelis tribuuntur alæ, quia citiſſimi ſunt in præſtandis Deo obſequijs. 642. 39. Angelus cur ſemper in ſomno monuerit S. Joſephum. 652. 17.

Anima noſtra à S. Dionyſio ſpeculo pariata. 548. 8. à S. Franciſco Saleſio Scalæ Jacobeæ. 549. 9. à Caſſiodoro Amor, quo anima Deum amat æſtati comparatur. ibid.

Animus eſt, quo ſapimus, & anima, quâ vivimus. 66. 1. & ſeq.

Animi præſtantia, quæ in ordine ab eloquentiam exercendam, & qualis ingeniorum delectus. 18. 1. & ſeq.

Animal ab anima dictum eſt ſubſtantia animata ſenſibilis. 66. 1. & ſequent. Animalia omnia naſcuntur armata dentibus excepto homine. ibid. 2.

Animi affectiones ex habitûs externi cultura arguuntur. 166. 4.

Anagrammata pura, deſumpta ex ſalutatione Angelicâ, quibus oſtenditur ejus immaculata conceptio. 413. 24. Anagrammata plura ſelecta alludentia ad cœlites. ibid. 25. & ſequent.

Annibal Carthaginenſis Italiam ingreſſus à locis anguſtijs pugnam ſuis militibus ſuadet. 166. 6.

Annonæ charitas eſt ægeſtas, & carentia frumenti. 67. 1. & ſeq.

Annus tripliciter dividitur in lunarem, ſolarem, & magnum. 67. 1.

Anni quatuor tempeſtates per imagines exhibitæ. 203. 4.

Annus eſt illud temporis ſpatium, quo Sol duodena ſigna zodiaci percurrit. 431. 27. Annus civilis qualis. ibid.

Annus partitur in duodecim menſes, qui explicantur. 471. 28. & quid per calendas, nonas, & idus intelligatur in menſibus. 471. 28.

Antecedentia, concomitantia, & ſequentia, quæ, & quomodo ab hiſce adjunctis ſua orator deducat argumenta. 167. & ſequent. Argumenta deducta ab oppoſitis plurimum habent roboris. 169. 7.

Antiphraſis eſt figura, qua nomen imponimus rei habenti contrariam proprietatem. 420. 15.

Antiochus arrogantiſſimo faſtu ſuperbiens graviſſimè punitur. 610. 28. & ſeq.

Antimetabole figura eſt, quæ à latinis commutatio dicitur, & quomodo fiat. 420. 9.

Antitheſis plurimum habet aucupij, multúmque oblectamenti ad Argutias concionales efformandas. 96. 14.

Antitheſis figura eſt, qua verba verbis, ſententiæ ſententijs opponuntur. 424. 31.

Antitheſis in periodo contingit, cum in utroque membro contrarium eſt alteri contrarie conſtitutum. 429. 2.

An-

Rerum notatu digniorum.

Anthiteſis figura eſt, io qoa ſingula ſingulis opponunrur. 420. 8.
Antonomaſia eſt pronominatio, cum ponitur nomen proprium pro appellativo. 406. 1. & ſequent.
Antheos eſt alter, de homine forti dicitur proverbialiter. 206. 19.
Antæi lapſus, de quo dicatur parœmialiter. 210. 40.
Antæi pocula ſupremis labijs oſculari quid ſit. 210. 41.
Antinoi oleom in Penelopem perdere. 210. 46.
Antonius in Mutioenſi obſidione comparatus cani io Ægypto, qui bibit, & fugit. 505. 4.
Æquator quid ſit in deſcriptione terraquei globi. 470. 15.
Æquator à zodiaco duobus ioterſecatur locis. 466. 8.
Aqua tribulationis io gaudium, quod vino ineſt convertitur in Nuptijs Canæ Gallilex. 554. 11. & ſeq.
Aquila habetur Hieroglyphicum juſtitiæ apud Ægyptios. 200. 8.
Apanalepſis fit cum quod dictum eſt iterum reperitur. 417. 5. Apanalepſis quomodo differat à Palilogia. 417. 3.
Apes docent eloquentiæ profeſſores, quomodo ſint res ab Authoribus ſeligendæ, ac diſtribuendæ in ſylva, ac proprijs locis, ut ſint inventu faciliora. 47. 19.
Apes non omnia temerè colligunt ex floribus, ſed neceſſaria tantùm, quæque ipſie ſunt uſui. 53. 2.
Apum reſpublica, ioſtituta, ſtudia in melle legendo, faviſque conſtruendis. 119. 9. & ſequent. Apum virtutes expeolæ, 119. 10.
Apinas, & tricas dare venom quid ſit. 210. 48.
Apologus Galli gallinacei capti à vulpe. 190. 6. petentis ſimiæ à vulpe partem ſuæ caudæ ad poſteriores partes cooperiendas. Avium comitia inſtiruentium pro rege deligendo. Canis moloſſi ferocientis in lupum acceſſentem pugnæ ſocium Aſinum vocaliorem. 191. 8. & ſeq.
Apologi, & Parabolæ plurimum ſuppeditant eruditionis, ac moralis documenti. 191. 11.
Apologus vulpis interimentis gallinam ovis io cubantem, & nolentis expectare donec pulli prodirent. 191. 12. Apologus aranei acriter invehentis io hirundinem, eò quia muſcas ſibi in alimoniam deſtinatas caperet per aëra volirantes. 191. 13. Vulpis addictæ leonis famulatui Aſinum adducentis ad herum, eojus carnibus ſe reficeret. 192. 13. Simiarum volentium ſibi urbem coostruere. 193. 15.
Apologiæ, ſen defenſioois œcooomia. 307. 6.
Apophtegmata quæ, & quid obtineant roboris in oratiooe. 180. 1. & ſequent. Aliquot exhibeotur ſelecta apophtegmata. 180. 2. & ſequent.
Apoſiopeſis eſt figura, quâ orationem noſtram ioterrumpimus, ut affectum aliquem ſigniſicemus. 424. 28.
Apoſiopeſis, qoæ à latinis reticentia dicitur, fit cum intra nos ſupprimimus, quæ dicturi videmur. 418. 1.
Apoſtoli quomodo dicantur à Chriſto ingredi labores aliorum, cum ipſi laboraverint? 675. 46. & ſeq.
Apoſtrophe figura eſt, quâ orationem noſtram ad aliquem convertimus; fitque multipliciter. 431. 9.
Apoſtrophe Eleazari Machabæi protomartyris. ibid Apoſtrophe ad Mariam Stuardam Scotiæ Reginam ab Eliſabetha capite plexam. 412. 10.
Apprecatoriæ orationis œconomia. 382. 108.
Archimedis inſignis Matheſeos Profeſſoris inſtrumenta Mathematica. 17. 3
Archimedis ſphœra miro artificio fabrefacta. 140. 22.
Ariadneo filo duci quomodo dicatur proverbialiter. 207. 28.
Arcadium germen olere quid ſit, & de quo dicatur. 211. 51.
Architæ crepitaculo aures diverberare. 211. 54.
Areopagita taciturnior dicitur de Judice juſto, & ſilentij cuſtode. 211. 55.
Argumenta in genere epidictico plus habent ſpeciei, & floris, quàm pugnacis caloris. 348. 2.
Argiva calumnia honori detrahi viri probi. 211. 56.
Argumenta quomodo ab oratore ſeligenda. 109. 5.
Argumenta quomodo ducantur à majori, minori, & pari. 148. 1. & ſeq. Argumenta à pari pleruoque ducuotur à lepido aliquo apologo, qoam probandi rationem commendat Ariſtoteles. 149. 6.
Argumenta quomodo à toto, & partium enumeratione couſtruantur. 150. 1. & ſequent.
Argumenta docta à forma artificiali tametſi oon multum habeant ponderis, inſerviunt tamen rebus deſcribendis, & amplificandis. 128. 13.
Argomenta petita à rei definitione plurimum obtinent roboris, multúmque dignitatis. 135. 6.
Argumentatio generatim ſumpta oratori perneceſſaria, & variè definitur. 224. 1. & ſequent.
Argumenta quibus orator propoſitionem evincit alia ſunt proxima, alia remota. 525. 4.
Argumenta quo ordine io oratione diſponenda. 226. 1. & ſeq.
Argumenta in oratione ita debent diſponi, ut unum, ex altero deducatur. 226. 2. Debent argumenta ita diſponi, ut oratio non deficiat, ſed validior creſcat. ibid.
Argomentationum variæ ſpecies donantur explicatu. 227. 1. & ſequent.
Argumenta in oratiooe non ſunt confusè ingerenda, ſed ordinatim diſtribuenda io oratione. 228. 8.
Argumentum ſyllogiſticum quomodo in oratione

tione conficiendum, & propoſitiones amplificandæ. 228. 1. & ſeq. quomodo dividatur in quinque membra, ut latior pateat amplificandi campus. 228. 2. & ſequent.

Argumenta concionibus efformandis accommodata erui poſſunt ex pluribus fontibus. 236. 1. & ſeq.

Argumenta aſſumpta ad perſuadendum alia ſunt inſita, alia aſſumpta, & explicantur. 236. 3.

Argumenta ad perſuadendum jejunium quomodo in concione exhibenda. 237. 4.

Argumenta ad excutiendam acediam, otiumque abigendum unde petenda. 237. 5.

Argumenta ad reprimendum ambitionis tumorem ex pluribus fontibus hauriuntur. 237. 6.

Argumenta ad perſuadendam dilectionem Dei unde deſumenda. 238. 7.

Argumenta ad perſuadendam culturam caſtitatis è pluribus hauriuntur fontibus, qui aperiuntur. 238. 8.

Argumenta ad ſuadendam dilectionem inimicorum unde deſumenda. 238. 9.

Argumenta ad evincendam neceſſitatem fidei Catholicæ ad aſſecutionem ſalutis, quæ ſ 239. 10.

Argumenta ad probandum & perſuadendum exercitium gratitudinis. 239. 11.

Argumenta ad perſuadendum ſtudium manſuetudinis. 240. 13

Argumenta ad perſuadendum exercitium miſericordiæ. 240. 14.

Argumentatio quomodo varietur à forma. 241. 3. A cauſa finali ibid. 4. A cauſa efficiente ibid. 5. ab effectis ibid. 6. A partium enumeratione ibid. 7. A conjugatis. 242. 8. A contrarijs ibid. 9. à ſimili ibid. 10.

Argumentum quomodo ab oratore ſeligendum, & tractandum. 69. 1. & ſeq.

Argutiæ concionales, quæ vulgò dicuntur conceptus prædicabiles quid ſint & quomodo fiant. 92. 1. & ſeq.

Argutiæ concionales fundantur in Metaphoris Proportionia, Attributionis, Æquivoci, Hypothipoſis. Hiperbolis, Laconiſmi, Oppoſitionis, Deceptionis, 92. 4. & ſeq.

Argutia quid ſit, & quomodo per ſeries argutiarum eadem ſententia, vel propoſitio multipliciter varietur. 38. 2. & ſequent. Argutè amplificantur lacrymæ S. Magdalenæ. 38. 9.

Argutiæ oratoriæ quomodo petantur à circumſtantijs & adjunctis rerum, ſtemmatum, perſonarum, loci, temporis. 512. 11. & ſeq. Adjuncta perſonæ duodecim ab Ariſtotele recenſentur. 512. 11. Ab adjuncto nominis laudatur argutè D. Ambroſius ibid. 12. D. Maximus Antiſtes Taurinenſis ibid. Margaritha Duciſſa Guaſtallæ ibid.

Argutiæ deſumptæ à circumſtantia loci. Laudatur S. Euſebius. 516. 29.

Argutiæ ſacro-morales concionatoriæ donantur explicatu. 512. 1. & ſeq.

Argutijs ſacro-moralibus concionatorijs commendatur Virtus Theologica Fidei. 534. 1. & ſequent.

Argutijs ſacro-moralibus concionatorijs Virtus ſpei excolta vireſcit vegetior. 541. 1. & ſequent.

Argutiæ petitæ per Hyperbolem & Hypothypoſim. 508 1. & ſeq.

Argutiæ quomodo oriantur ab inexpectato. 510. 1. & ſeq.

Argutæ, Alluſiones petitæ à decem Ariſtotelis prædicamentis. 504. 5. & ſeq.

Argutiæ petitæ à luſu verborum, & nomine æquivoco. 505. 1. Luſus in verbis de Antioco, de Elia, de S. Laurentio. 505. 2. De Eraſmo viro ſtolido ibid. De Paupere mendico ibid. De Fide recta per quintuplex anagramma, 50'. 2. De Proſa. & Verſu ibid. De Galeno per anagramma. 506. 3. De S. Marina Virgine in lupanari ſervata à leone ibid. 4. De SS. Vitali & Agricola. ibid.

Argutiæ à luſu verborum per decem Ariſtotelis Prædicamenta. 506. 5. & ſeq. A Prædicamento ſubſtantiæ Laudatur Abel Adami filius. 506. 5. A quantitate Alexander Macedo. A Qualitate S. Laurentius. A Relatione pungitur juvenis Amaſius. Ab actione & Paſſione Judas proditor. A Prædicamento temporis luditur in filias Jobi. A loco laudantur Apoſtoli Petrus, & Paulus. 507. 11.

Argutiæ emanantes à fonte comparatorum. 494. 1. & ſeq.

Argutiæ per comparata eruuntur è decem Ariſtotelis prædicamentis. 496. 5. & ſeq.

Argutiæ oratoriæ depromptæ à prædicamento quantitatis. 596. 6. à quantitate numerica ibid. 7. A Prædicamento Qualitatis. 49 . 10. A Prædicamento Relationis. ibid. 14. A Prædicamento Actionis, & Paſſionis. 499. 18. A Prædicamento Sitûs. 500. 20. A Prædicamento loci. ibid. 21. A Prædicamento motus. 501. 22. A Prædicamento Temporis. 501. 23. A Prædicamento habitus. 502. 25.

Argutiæ, quæ hauriuntur à fonte Alloſionum, & Eruditionum. 502. 1. & ſeq.

Arguta alluſio ad Hiſtoriam, vel fabellam. 503. 3. Arguta alluſio ad Parœmias. 503. 4.

Argutiarum aliquot pellucidi fontes aperiuntur, è quibus ſcaturiunt argutiæ amplificationi oratoriæ inſervientes, 203. 1. & ſequent. Argutiæ petitæ à ſenſu non obvio. 303. 2. A cauſis ingenioſè excogitatis. ibid. 3. Ab oppoſitis, ac pugnantibus. ibid. 3. A paradoxis & hyperbole. 304. 6. A concordi quadam ſententiarum diſcordia. 305. 8. A gravibus ſententijs ſimul conglobatis. ibid. 9. Ex acuminibus jocantis ingenij. 306. 11. Ab eruditione, & allegoria. 307. 14. Per Periphraſim plures oriuntur argutiæ. 307. 15.

Argutiæ oratoriæ ſunt condimenta, & ſales, quibus orationes placent, & ſapiunt. 477. 1. & ſequent.

Arguta

Arguta oratio cœpit efflorefcere in Græcia perorante Themiſtocle. 477. 2.

Argutam orationem promoverunt ex oratoribus Græcis Neſtor, Tucidides, Menelaus, Ulyſſes. Ex latinis Seneca, Saluſtius, Plinius, Cornelius, Tacitus, Petronius, & alij emonctæ latinitatis. 477. 1.

Argutiæ, cur græcè ſchemata dicantur. 477. 3. argutiæ ſub genere ſupremo ornamenti plures ſortiuntur nomenclationes, & dicuntur venuſtates, cincinni, fuci, lumina &c. 477. 4.

Argutiarum cauſæ expenduntur. 479. 1. & ſequent. argutiæ oratoriæ ſunt partus ingenij verſatilis, quod ad conficiendam argutiam venuſtè plura ſimul nectit contraria. 479. 3.

Argutiarum materia circa quam explicatur. 480. 1. & ſeq. argutia in genere demonſtrativo qualis ſit ibid. 3. argutia in genere deliberativo ab inexpectato ibid. 5. argutia in genere judiciali ibid. 6. Metaphoræ quomodo inſerviant argutijs conficiendis. 480. 7. Metaphoræ in ordine ad conficiendas argutias quomodo inveniendæ. 481. 8. argutiarum formale conſtitutivum quale ſit. 481. 1. & ſeq. argutiæ leves, & frigidæ. 481. 2. argutiæ graves, & lepidæ. 482. 5. argutiæ oratoriæ à non cauſis pro cauſis. 482. 1. & ſeq.

Argutiæ ſunt argumenta feſtivè fallacia, ſeu apparentium enthimematum joci. 483. 4.

Argutia interdum conſiſtit in aſſignatione veræ cauſæ rei, de qua quæritur. 484. 10. argutia à non cauſa pro cauſa interdum aſſignatur per eruditionem. 484. 11.

Argutiæ eruuntur à paradoxis, ſenſibùsque non obvijs. 484. 1. & ſeq.

Argutiæ & ſenſus non obvij, quibus Chriſti humilitas commendatur, cum lavit pedes diſcipulorum. 486. 12. argutiæ, & ſenſus non obvij, quibus deſcribitur Chriſti miraculum, quo illuminavit cœcum natum. 487. 15. argutiæ & ſenſus non obvij, quibus deſcribitur reſuſcitatio Lazari quatriduani è ſepulcro. 488. 16. argutiæ ſcaturientes è fonte oppoſitorum, ac repugnantium. ibid. 1.

Argutiæ ſcaturientes è fonte alienatorum. 491. 1. & ſequent. alienata ſunt, quæ rei, de qua eſt ſermo minimè ſunt propria, ei tamen venuſtè tribuuntur. 491. 1. alienatio unius individui ad aliud. 492. 2. alienatio à perſona, de qua eſt ſermo argutam efficit dictionem, ibid. 3.

Ariſtocreſia eſt optimatum imperium, quo reſpublica ſecundùm electionem à viris juſtiſſimis adminiſtratur. 389. 1.

Ariſtoteles omnium artium capaciſſimus elocutione floruit. 401. 3.

Arithmetica eſt ſcientia ſupputatrix, naturam & proprietates numerorum inveſtigat. 467. 13.

Aſtronomia ſcientia eſt ſyderalis inveſtigans corporum cœleſtium numerum, ordinem, poſitionem, magnitudinem, & motus. 465. 7.

Ariadneo indigere filo, de quo adagialiter dicatur. 211. 60.

Arionis cantu hoſtes deludere, quibus congruit. 211. 62.

Ars medica paucarum quondam fuit herbarum notitia; nunc ſcientia eſt rerum omnium naturalium, quibus qualitas aliqua ineſt pellendis morbis, corrigendiſque pravis humoribus idonea. 472. 34.

Ars in cultura eloquentiæ principem occupat ſedem, juxta Tullium ad naturam adjungi debet, quæ à natura orta eſt, quia notatio naturæ, atque animadverſio artem peperit. 24. 3.

Ars definitur, quæ cognitis, penitùſque perſpectis, & in unum ſpectantibus, & nunquam fallentibus rebus continetur. 24. 3.

Artes Argillaceorum, vitreorum, ac metallicorum, utenſilium plura ſuppeditant Rhetori ornamenta venuſtandæ orationi perapta. 449. 1. & ſeq.

Artes plures mechanicæ, & officinæ, in quibus Rhetores ſua nondinantur orationis ornamenta. 453. 1. & 454. 9.

Ars nautica pleraque ſuppeditat Rhetori ornamenta orationi perpoliendæ opportuna. 457. 8.

Ars pictoria ſuos ſuppeditat Rhetori colores ad orationis ornatum. 458. 1. & ſeq. artificium picturæ eſt lucem ſcitè umbris aſſociare ibid. 3.

Automatarius faber machinas efficit ſua ſponte verſatiles, & quæ ſint automata inſtrumenta. 459. 8.

Artes liberales ſeptem communiter recenſentur. 464. 1. & ſeq. Quomodo ab hiſce artibus eruantur ornamenta oratoria. 464. 1. & ſequent.

Artes liberales Aſtrologia, Matheſis, Geometria, Medicina, Philoſophia, Ethica Muſica, Rhetorica imaginibus repræſentatæ. 214. 6.

Ars Topiaria Rhetorem allicit ad flores legendos ſuis in areolis pro ornatu orationis. 456. 3.

Artes ruſticanæ uberrimam ſuppeditant Rhetori ſegetem ad elegantias oratorias. 438. 12.

Artes alimoniæ, frumentariæ, carneæ, aucupij, & poculentorum ſua exhibent Rhetori fercula ad orationem farciendam. 439. 1. & ſequent.

Ars coquinaria varia Rhetori exhibet condimenta, quibus oratio alieno guſtui ſapit. 441. 8.

Ars nova inveniendi allegorias continuatas pro texendis orationibus Panegyricis. 459. 1. & ſequent.

Arte Pelaſca laborare quid ſit, & in quem torqueatur. 208. 52.

Aſtrologia eſt ſcientia prædicendi res futuras ex ſyderum inſpectione; ſed è Planetis errantibus ut plurimum non niſi errores prædicit. 466. 9. recenſentur Planetarum figuræ, affectiones, motus, proprietates. 466. 10.

Aranei, ejúſque opificij luculenta deſcriptio. 118. 6.
Arthemiſiæ haurire amores, & mores. 211. 64.
Architæ Tarentini fabrefacta columba explicatis alis per aëra evolavit. 18. 3.
Attalus multum bibit apud Martialem, quia ſalſus homo erat, ſeu argutus, & facetus. 511. 6.
Athalantam velocitate ſuperare. 211. 68. Atlanti ſuffectus, cui congruit. ibid. 69.
Athletæ ante certamen oleo ſe ungere conſueverunt, ne ab adverſario tenerentur. 557. 6.
Attica fluere eloquentiâ. 212. 74.
Athenienſium filijs cum primùm certam poterant vitæ rationem inire, omnium proponebantur artium inſtrumenta, ut adoleſcentes juxta genium ſeligerent, & artem exercendam eligerent. 24. 2.
Æthiopes cadavera defunctorum in vitreis columnis claudere conſueverunt. 375. 87.
Athalantæ pomum ſequi de ijs dicitur, qui ab incœpto inſtituto digrediuntur. 208. 40.
Atticum mel, de quo parœmialiter dicatur. 208. 45.
Avaritia malorum omnium fœcunda parens per varias comparationes deſcripta. 123. 24.
Avaritia ad mortem uſque torquet auro inhiantes. 188. 12.
Avaritia pingitur ut mulier macilenta, cogitabunda, crinibus ſubnigris, ac neglectis, aſpectu triſtis, veſte lacerata. 204. 6.
Avaritia eſt inordinatus amor habendi, à SS. Patribus multipliciter redarguitur, & improbatur. 67. 1. & ſeq.
Avaritia ſola temporis utilis eſt. 206. 9.
Avaritia carpitur. Avari Deus nummus eſt. 177. 73.
Avaritiæ laqueus corpus ſtrangulat, & mentem premit, & animam interimit. 711. 25. Avarus adeo craſsè cæcutit, ut ſacrum templum non videat, quod ſpeluncam credit. 712. 24. avari vinciuntur à divitijs, quas coacervant. 712. 26. avari febri æſtuant. ibid. 27. avaritia non ſolùm coinquinat, verùm etiam ligat manus avari. 713. 23. avaritiæ vincula non ſolum ſunt aurea, ſed etiam lutea. 713. 29. Divitiæ ſi corpus avari non vinciunt, animam tamen irretiunt. 713. 30. avaros duplici vinculo tartareus auceps ſatagit irretire ibid. 31. Avaros piſci pariatur, qui exenteratur. 714. 32. avari non ſecus ac hydrope laborantes ſemper ſitiunt. 714. 34.
Avaritiæ ſordidum vitium carpitur, ejúſque turpitudo detegitur. 705. 1. avarus ſerpentem æmulatur, cujus cibus eſt terra. 705. 2. avaro nil ſceleſtius, nocentius nihil ibid. 2. avaritia impellit, ut proximo vis, & damnum inferatur. 705. 3. Filij Jacob quia avaritiæ cœno ſorduerunt fratrem Joſephum divendiderunt. 705. 4. avaritia in vitiorum alphabeto eſt alpha. 705. 5. avaro tam deeſt quod habet, quàm quod non habet, 706. 6. Pincerna Holophernі quia liberalis priſtinæ ſui heri reſtituitur gratiæ, damnatur verò piſtor quia avaritia ſordidus. 706. 7. opes ab avaro congeſtæ eidem dominantur. 706. 8.
Avaritiâ inſorduit Judas, qui triginta argenteis ſuum divendidit magiſtrum. 707. 9. avarus nunquam ſuam extinguit ſitim deſiderandi divitiarum ſuperflua. 707. 10. avari domus perinde ac jejuna; & ſterileſcens glarea ſemper ſterileſcit. 707. 11. accipitres, milui, vultures, herodij, quia aves rapaces à ſacrificijs excludebantur. ibid. 11. avarus mortuus dicitur antequam moriatur. 708. 12.
Avaritia inſorduerunt Hebræi cum in deſerto cupiebant exſaturari obſonijs in Ægypto relictis. 708. 13.
Avaritia filio in Evangelio prodigo ſiliquas denegavit, quibus famem propulſaret. 708. 14. avaritia ſordeſcens calamitatem ad ſe trahit. 708. 15. avaritiæ Symbolum exhibetur mulier in amphora, perinde ac in carcere detruſa, ut nonniſi ſepulta viveret. 709. 16. & cur hæc mulier in terra Sennaar petat immorari ibid. 17. avari ſplendido curru vehuntur ad tartara. 709. 18. avari in rerum temporalium deſiderijs nunquam quieſcunt. 710. 19. avarus araneo, & locuſtæ pariatur ibid. 20.
Avarus ungues acuit, ut aliena rapiat. 711. 21. avari divitijs inhiantes laqueum ſibi apparant. 16. 23. Id contigit Judæ proditori. 711. 24.
Avarus non eſt Dominus divitiarum, quas congeſſit, ſed cuſtos, & famulus. 715. 36. avarus ſuillo gregi aggregatur. 716. 41. avaritiæ Symbolum eſt talpa animal cæcutiens, & terrenis addictus foveis. 717. 42. avari ſanguiſugæ pariantur. 717. 43. avarus nunquam ſitim extinguit, divitias ſemper ſitit. 717. 43. avaritiæ febris curatu difficilis. 718. 45. avaritia pariatur hydriæ Samaritanæ, ex qua bibentes, ſitiunt adhuc. 718. 46. avari non ſinentes divitias in aliorum fluere utilitatem, illis non heriliter dominantur, ſeu ſerviliter famulantur. 719. 48. avaro nunquam aggeſtæ divitiæ ſufficiunt; novâ ſemper accenditur cupiditate. 919. 50. avarus pluris facit divitias, ſeu terræ excrementa, quàm cœli gloriæ incrementa. 719. 51. Chriſtus voluit medius inter latrones mori, ut cum ipſo moreretur in mundo avaritia. 720. 53. avaritia Chriſti necem, & Judæ proditionem initiavit, & complevit ibid. 54. avarus eſt ſemper ſibi noxius, & alijs inutilis 721. 57. avarus eſt ſibi crudelis, & injuſtus; propter fœnus funus ſibi conſtruit. 721. 58. avaritia novis ſemper inhiat divitiarum incrementis. 721. 59. avarus piſcatoriam exercet artem. 722. 61. avaritiæ febris alio non curatur pharmaco, quàm manus extenſione, quâ pauperibus opitulamur. 722. 65.
Audaciam repræſentat vir cataphractus erecto ſupercilio cum epigraphe *per tela per hoſtes*. 204. 8.

Auditio

Auditio quanti ſit momenti danti operam ſtudijs eloquentiæ. 139. 1.

Audentes fortuna timet. 520. 29.

Aurea frœna meliorem equum non faciunt. Seu divitiæ non eugent virtutem. 208. 46.

Aurea clevis quomodo proverbieliter dicatur aperire omnem januam. 206. 13.

Auguſtus referente Suetonio ounquam in ſenatu, neque ad milites fuit loquutus, niſi præmeditatè. 69. 2.

Auguſtus Cæſar in condendis, vel reſtaurandis templis clarus. 179. 99.

Aurelienus elementiam ſimul, & juſtitiam lepido effato exercuit. 188. 15.

Autumni à partium enumeratione luculenta deſcriptio. 154. 24.

Aſtiemus eſt facetus jocus. 415. 36.

B.

BAbylonijs numeris occupari, eſt operam dare Aſtrologiæ. 212. 75.

Bacchantium veſtigia premere torquetur in madidos multo vino. 212. 76.

Bacchanalie vivere eſt vitijs indulgere. 212. 77. Baccho indulgere eſt vinum laxiùs bibere ibid. 78.

Balliearicâ fundâ plumbum jecere dicitur parœmialiter de viro perito. 112. 79.

Banaias deprædicatur vir fortis, eò quia rigente bruma leonem interfecit. 724. 5.

S. Barbara laudatur ſub allegoria Turris Davidicæ. 560. 7.

Bardellæ ſuſpendio damnati reſponſio ad Religioſum aſſiſtentem. 511. 8.

Belidum implere dolium eſt operem ludere, Ut etiam cribrô aquam haurire. 212. 90.

Bellonæ adoleſcere in ſinu, quid. 211. 81.

Beneficentie eſt exterior emicitiæ, vel charitatis actus ſecundùm rationem communem. 567. 1. & ſeq.

Beneficentia eſt actus externus, qui propriè pertinet ad charitatem. 569. 1. Beneficentia regalis eſt virtus propria viris principibus. 570. 3. Beneficentia non eſt exercenda inconſulta largitione. 570. 5. Beneficentia quomodo, & quando exercenda. 570. 6. Beneficentia lætè & promptè fieri debet. 571. 7. præſertim ab ijs qui divitijs affluunt. 571. 8. Beneficentia tutus in terris portus, & ad perennem perducit in cœlis quietem. 571. 10. Beneficia ſunt veluti ſemina, quæ in uberrimam excreſcunt meritorum ſegetem. 572. 12. Beneficentia Dei in nos derivate regalia imitatur flumina. 573. 13. Beneficium fuit menna pluiſſe in deſerto. 573. 14.

Beneficentia Patris filium prodigum reducem ex ſuilli cuſtodia ſuſcipit reſipiſcentem. 574. 17. Beneficia à divine beneficentie nobis impertita, ſeminibus pariemur, ne marceſcant excolenda ſunt. 574. 18. Beneficentia divina docet nos pere, ſeu à ſiniſtre ad dexteram filum traducere, ſeu quæ in hac vita, quæ deſignatur per ſiniſtram, ad dexteram, ſeu Dei gloriam referamus 574. 18 Beneficia, quæ à Deo nobis conferuntur æquum eſt ut ad ipſum referantur ibid. 19. Beneficia quibus ex Numinis beneficentie cumulemur, fas eſt eidem adſcribamus. 575 20. Dei in nos beneficentia nos edocet, eamdem in proximum exercere. 576. 22. Beneficentia tutus portus, à naufragio ſubtrahit eam exercentes. 577. 24. Panis quomodo mittendus ſuper tranſeuntes equee. 577. 25. Beneficentia Zachæum ad portum perduxit ſalutis. 578 27. Dorcha, ſeu Tebithe, quia in pauperes benefica, mortua fuſu precum reſuſcitatur à D. Petro. 580. 31.

Beneficia animo grato impertita ſunt veluti ſemine, quæ reſtituuntur multiplicata 678. 12.

Beneficia, quæ nobis conferuntur, cur ſymbolicè per ſemina exprimantur. 700. 47. Dat ſibi, qui dat pauperi. 701. 49. cur Chriſtus nobis ſuadeat, ut faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis. 701. 51.

Benignitas quomodo in tabula delineetur. 204. 6.

Bibliothecæ in mundo inſignes omni librorum genere ſtipatæ fuerunt illæ Ptolemei Philadelphij; Alexandri Hierololymitani Epiſcopi Julij Africani. 41. 7.

Blanditiæ fonte elerius dicitur de quovis argumento dilucidè pertrectato. 212. 82.

Blandiloquia adulationis declinanda. 179. 114.

Bombycis mirum opificium in nendo ſerico. 119. 8.

Bonitas quomodo pingenda ut ſenſibus ſubjicietur exterioribus. 204. 6.

Brachium elevatum facultatem indicat ed rem gerendam: vel anthoritatem in alios exercendam. 106. 7.

Braſſicæ proprietetes recenſentur; ac commendantur. 115. 13.

Briarei menus alienis bonit injicere torquetur in avaros. 207. 30.

C.

CAdmea gloriari victoria quid ſit. 212. 83.

Cædes cruenta quomodo delineanda. 204. 6.

S. Cajetani Thienæi per effictionem, ſeu expreſſionem corporis luculente deſcriptio. 124. 26.

Caious omnium primus dicitur urbes conſtruxiſſe. 511. 6. ergutè pungitur. ibid

Cajus Grecchus vir præſtantiſſimi ingenij elocutione fuit oretor inſignis. 401. 6.

Calculo laborantis argutà deſcriptio. 116. 14.

Calendæ in menſibus quid ſint, & unde ſuam traxerint originem. 471. 28.

Callimachi Athenienſis moriens non cecidit, ſed poſt mortem adhuc ſtetit, deſcribitur per oppoſita. 416. 36.

Calumniator à corporis adjunctis, qualis ſit, oſtenditur. 166. 3.

Celumnia à Luciano proprijs ſuis depicta caracteribus. 104. 6.

Calumniatoris invidi deſcriptio. 118 5.

Camerinam movere eſt proprium damnum acceſſere. 212. 84.

Campania, ſeu Neapolitanus ager ab adjunctis deſcriptus. 117. 2.

Caphareus incidere in ſcopulos quid ſit. 212. 85.

Caſtitas virtus præclara varijs excipitur laudibus. 285. 33. & ſequent. Caſtitatis dignitas cœlitibus arridet. 285. 34. A virtute caſtitatis laudatur. Alexander Magnus ibid. 35.

Caſtitatis cultor oculis frœnum injicit, auresque claudit, ne quidquam videat, vel audiat, quod poſſit candorem labefactate caſtitatis. 286. 37. & ſeq.

Caſtitatis lilium, quò ſuavius oleat, gramen oppoſiti vitij radicitùs evellendum. 764. 2.

Caſtorum, & caſtrorum nominum cognatio, quia caſtitatis cultor, veluti in caſtris jugiter pugnat. 765. 2.

Caſtitas Davidis ob incuſtoditos oculos naufraga perijt pellucido, frigidóque in fonte, ex quo flammas ebibit libidinis. 765. 4. Salomonis caſtitatem mulieres labefactarunt, ejúsque lilium ne ampliùs floreret radicitus avulſerunt. 766. 5. & ſequent. Tartareus hoſtis in id incumbit ſtudij, ut caſtitatem evertat. 767. 9. cur baltheum Chriſtiani militis, ut caſtitatem oleat lineum eſſe debeat, non laneum. 767. 10. & ſeq. Rahab meretrix cur non perierit. 768. 12. Æſtu concupiſcentiæ accendi, & non comburi miraculo datur. 769. 14. Joſeph indemnis evaſit in domo laſcivientis heræ. 769. 17. Senes inſanientes profano amore in caſtam Suſannam, ne cœlum viderent oculos clauſerunt. 770. 18. Caſtitatis cultor ſemper lapſum timeat; nunquam ſibi fidat; Euro velociùs occaſiones fugiat. 771. 21. Lilium caſtitatis, qui excolit mulierum contubernium declinet. 771. 22. Caſtitatis cultor eximius fuit Joſephus in Ægypto. 772. 25. Daniel ob culturam caſtitatis in lacu leonum ſervatur illæſus. 772. 26. Caſtitatis cultor imperat elementis, ut Elias. 772. 27. Caſtitas, & illibata virginitas floret in ſinu æterni Patris. 772. 28. Caſtitatis cultor jugiter invigilat, ut pericula omnia declinet, 773. 30. Caſtitas in terris exculta Deum flectit in ſua vota in cœlis, ubi ſuum Joſuē exercuit dominium. 774. 31. Caſtitas coronatur in argumentum dominationis. ibid. 32. Caſtitas perinde ac ſydus in cœlis corruſcat. 774. 33. Caſtitas margaritæ pariata. ibid. 34. Caſtitas vires ſuppeditat contra carnis ſtimulos, & dæmones. 775. 36. Ubi caſtitas militat, illi viri fortitudo ſubjicitur. 776. 37. Virgo mater ob virginitatem templum dicitur totius Trinitatis. 777. 39. & ſeq. Præcingentes baltheo caſtitatis lumbos, quamvis ætate juniores præferuntur ſeniò confectis. 778. 44. Ethnici plurimi æſtimârunt culturam caſtitatis. ibid. 46. Cœleſtis ſponſus liliis delectatur caſtitatis. 770 46. Carnis illecebræ ſuperatu difficiles. 781. 51.

Caſtor Pollucem ſequitur dicitur de animo fideli. 212. 86.

Catachreſis tropus eſt, quo rebus non habentibus nomen accommodatur aliquod nomen. 407. 1.

Catonis diſtica ad mores ritè inſtituendos accommodata. 173. 6.

Catoptrica reflexiones edocet, earum cauſas, & leges explicat. 468. 16.

Cauſa efficiens prima, & ſecunda expenditur, & quomodo ab hoc loco ſua Orator eruat argumenta. 143. 1. & ſeq.

Cauſam primam efficientem noverunt Ethnici. 244. 2. A cauſa prima efficiente plura conficiuntur argumenta ad excitandos, & leniendos animi affectus. ibid. 3.

Cauſa ſecunda eſt, quæ in agendo dependet à prima; & bipartitur in per ſe, & per accidens: & quomodo orator ab hoc loco ſua hauriat argumenta. 344. 4. ſuáſque efficiat amplificationes. 145. 5.

Cecropia madidus latia, fartúſque minerva dicitur de viro doctiſſimo. 212. 88.

Charibdim trajicere eſt ſe in pericula injicere. 212. 93.

Charitas eſt, qua anima ejus exardens flamma Deo deſponſatur. 550. 12. Chriſti veſtis inconſutilis Symbolum eſt charitatis, quæ nec dividi, neque diſcindi patitur. 550. 13. Charitas veſtis eſt nuptialis, qua anima noſtra Deo cœleſti ſponſo placet. 251. 14.

Charitas ardet intus in corde, & ſplendet foris operibus. ibid.

Charitas, & claritas probo nexu confœderantur. 547. 1. Charitas non ſolum eſt lumen, quo reliquæ clareſcunt virtutes; verùm etiam ſemen, quod in agro cordis noſtri ſatum maturit in uberrimam fructuum meſſem. ibid. Charitas diſcernit inter filios Dei, & diaboli. ibid. 2.

Charitatis æſtu quomodo dicatur anima ardere, & tabeſcere. 548. 5.

Charitas regina ſalutatur reliquarum virtutum. 548. 6.

Charitatis Symbolum à S. Franciſco Saleſio ponitur ſcala Jacobæa. 549. 9. à Caſſiodoro æſtas, à S. Petro Damiano Neomenia. Ab alijs flamma illuſtrans non comburens rubum Moyſis. à S. Gregorio ſagitta vulnus infligens. A S. Bernardo oculus videns, ibid.

Charmialdis mira, & inſignis memoria in recitandis, quæ ex varijs legerat. 47. 20.

Cherubin flammeo armatus gladio, cur ſelectus in cuſtodiam paradiſi? 549 11.

Chorographia eſt deſcriptio unius tantùm regionis. 470. 25.

Chriſti nativitas argutè expenſa per varias circumſtantias. 196. 33. & ſeq.

Chriſti patientis oratio lugubris. 373. 72. & ſequent. Chriſti ſanguineus ſudor in horto Gethſemani. 373. 73. Chriſtus oſculo amoris teſſera proditur à Juda. 373. 74. à Satellitibus irridetur, vinculis ligatur, irriſionibus, ac verberibus vilipenditur. 373. 75. Columnæ alligatur, & flagellis cæditur cruentis.

cruentis. 373. 76. & ſequent, Spinea redimitur corona. 374. Ad Calvariæ collem crucis pondere preſſus ducitur, 374. 78. à Berenice ſanguineæ è vultu depluentes guttæ colliguntur in linteo ſudario ibid. Cruci figitur clavis manibus, pedibúsque perforatis. ibid. Chriſto mortuo tota parentat natura; omnes illacrymantur creaturæ ibid. 59.

Chriſtus cur à diſcipulis phantasma eſſe crederetur. 567. 26. & cur tunc Patrem eum vocant, cum juſſit cœnam apparari? 567. 28.

Chriſtus in medio Judæorum poſitus veluti ſignum, cui contradicetur; ſed manſuetudine, & clementiâ omnes invidentiæ ſagittas, & conviciorum tela voluit retundere, 664. 12. & ſeq.

Chriſtus cur Sabbathi obſervantiam inviolabili olim religione ſuſceptam aboleverit, & in diem dominicum tranſtulerit. 695. 15.

Chriſtus lavat pedes diſcipulorum amplificatio per ſenſus non obvios. 486. 12. & ſequent.

Chriſtus illuminat cæcum à nativitate. varijs argutijs expenditur miraculum. 487. 15.

Chriſtus reſuſcitat Lazarum quatriduanum. 488. 16.

Chriſtus mundum judicaturus, cur ſupplicijs deſtinatos æternis ſtatuet à ſiniſtris. 81. 52.

Chronologia eſt ſcientia temporum, & proponit res geſtas juxta ſeriem temporum, 470. 26.

Chronographi dividunt tempus in ſæcula, annos, menſes, hebdomadas, dies, horas, minuta, & minutias. ibid. 27.

Cibus, & potus benedicendi priusquam corporis vires reficiantur. 756. 24.

Ciconia Symbolum pietatis erga parentes. 200. 7.

Cicero Romanæ princeps eloquentiæ ad ſumma floruit eloquentiæ decora. 401. 7.

Circæis blanditijs irretiri; eſt à voluptatibus Venereis ſinere ſe allici. 213. 99.

Clementiam exhibet matrona vultu decora, lauri ramum dexterâ complectitur, læva oculum. 204. 6.

Clementia Magnum timoris remedium. 518. 17.

Clementia proprius principis character, & ornamentum, eſt lenitas ſuperioris ad inferiorem. 660. 1.

Clementiam, quia Roboamus non excoluit imperium non firmavit, ſed perdidit. 660. 3.

Clementia præ cæteris Principem decet. 188. 13.

Clementia eſt virtus, quæ principes decet, varijs excipitur laudibus. 288. 39. & ſeq.

Clementiam quotquot imperantes exercuerunt illuſtrius ſplenduerunt, ac tutiùs in Throno ſteterunt. 664. 14.

Clementia magnos, & dignos imperio animos plurimum commendat. 665. 15. David clarior manſuetudine, & clementia, quàm delata victoria ex proſtrato gigante. 665. 15. Davidis manſuetudo Iram extinxit Saulis; & glorioſiùs eum mititate, quàm gladio vicit. 666. 16. Eliſei mititas, & manſuetudo in Benadadum, ejúsque milites, à quibus fuerat ad necem quæſitus, 666. 16. & ſequent.

Clementiâ, & manſuetudo adeo placet Deo, ut ea pollere voluerit Patriarchas, qui Chriſti Domini parentes futuri erant. 667. 20.

Clementia fundamentum eſt, cui nititur novum imperium. 660. 2. Clementiæ quia ſævitiem Caligula prætulit ſe ipſum perdidit, à populo trucidatur. 661. 4. Verba Principis ſint mellea, clementiam redoleant, ut tutè ſtet, 661. 5. Emanuel Principem præſignans butirum, & mel comedit, quia verba principis non niſi dulcedinem debent ſapere. 661. 5.

Clementiam nos edocuit magiſter Chriſtus: cum Rex venit manſuetus ſedens ſuper aſinam. 661. 5.

Clementia Jacobum licèt natu minorem prætulit Eſavo in jure primogeniti, 661. 6. Non ſuperbos, ſed manſuetos, & clementes vocat Deus ad Dominium terræ. 662. 8. Columbina lenitas; & agnina manſuetudo, non tigrina ſævities Philiſthæos proſtravit. 663. 9. Princeps in Throno magis ſplendeat ſtudio clementiæ, quàm ornatu gemmarum. 663. 10. Chriſtus in Thaboris vertice blandimento candoris, & nivis mititate edocuit ſedentes in Throno exercitia clementiæ. 663. 10. Joſeph in Ægypto fuit exemplar mititatis, & clementiæ. 663. 11. & ſeq.

Climata in partitione terraquei globi juxta recentiores ſunt viginti quatuor, ducitúrque initium ab æquatore. 470. 25.

Climax figura eſt, quæ à latinis gradatio dicitur. 417. 21.

Clinopœus, ſeu ſcrinarius ſua arma fabrilia ex ligno parat, ferrea acuat, ligna circumſecat. 453. 6.

Clodius accuſet Mœcos; Catilina Cæthegos: dicitur adagialiter de ijs, qui alios de vitijs accuſant, quibus ipſi turpiùs inficiuntur. 213. 100.

Cœnum de cœlo facere quomodo dicatur. 206. 21.

Cœlites à prædicamento ſubſtantiæ laudantur ſub allegoria ſacri Anthæi. A quantitate pretioſi theſauri, à qualitate illuſtris umbræ à Relatione ſtellæ Solis filiæ, ab Actione cœleſtis Agricolæ, à Paſſione triumphantis palmæ pondere preſſæ, à loco profundæ aurifodinæ ab habitu locupletis paupertatis. 360. 5.

Cœremoniarum uſus duplex, aliæ à veritate proficiſcuntur. Aliæ ad veritatem tendunt. 632. 5. Cœremoniæ ordinantur ad populi inſtructionem. 632. 6.

Cohabitatio eſt figura, quâ verba ita conjunguntur, ut videantur pugnare. 420. 12.

Columbus Genuenſis ovum priùs exagitatum, & parum in faſtigio contuſum erectum deposuit

poſuit in menſa, eos redarguturus, qui inventum novum orbem, rem facilem dictitabant. 188. 14.
Columba pudicæ uxoris hieroglyphicum. 200. 11.
Comparatio quomodo deſumenda, ut inſerviat amplificationi. 267. 4.
Comparatorum è fonte ſcaturiunt pellucidi veluti latices argutiæ. 494. 1.
Comparatio cui adnectitur æquivocum plurimum habet leporis, & acuminis. 494. 1.
Comparationes breves, & eruditæ animum magis demulcent; quo pacto comparatur Alexander Macedo cum alijs viris fortiſſimis. 494. 1. Per comparationem Tamerlanes vocari voluit flagellum Numinis. Attila ira Dei. Pericles fulmen. Lucullus Xerxes Togatus. 16. 3.
Comparatio ut fit argura aliquam debet proportionem præſeferra cum re alia, cui æquiparatur, quo pacto ſaxa dicuntur terræ oſſa. Pluviæ nubium lacrymæ. 495. 4.
Comparatio percurrens decem Ariſtotelis prædicamenta plurimam ad conficiendas argutias ſuppeditat materiam. 495. 4. & ſequent.
Comparationea argutæ in prædicamento quantitatis continuæ, & diſcretæ. 496. 6. & ſequent.
Comparationes argutæ à prædicamento qualitatis. 497. 10. à Prædicamento relationis. ibid. 14. à Prædicamento Actionis, & Paſſionis. 498. 16. eleganter ab actinne ſumitur unum verbum pro alio: & ſubjiciuntur plura exempla. 499. 18. Comparationes in prædicamento ſitus. 500. 20. A Prædicamento loci ibid. 21. A Prædicamanto Motus. 501. 22. A Prædicamento Tamporis. 501. 23. A Prædicamento habitus. 502. 25.
Conceſſio figura eſt, quâ aliquid ultro concedimus, licèt difficulter. 424. 26.
Conceptus prædicabiles definiuntur, & explicantur. 196. 23.
Concordia quomodo pingenda. 204. 6.
Confirmatio, & confutatio quomodo in ſacris concionibus inſtituenda. 331. 1. Confutatio tota eſt in enervandis adverſariorum argumentis. 331. 2. Confutatio fit multipliciter. 331. 3. & ſeq.
Concionis Eccleſiaſticæ verus character. Invehitur in fucatos concionatores, 333. 1. & ſequent.
Concionum gravitas, acrimonia, & ſuavitas expenduntur. 335. 1. & ſeq.
Concionum materia. & forma. 336. 1. Idea concionis in genere deliberativo. 339. 1. & ſequent.
Concionis ſacræ Thema, materia, & forma. 90. 1. & ſeq. Concionis diſpoſitio varia. 91. 6. & ſequent.
Concionales argutiæ, quæ vulgò nuncupantur conceptus prædicabiles quomodo fiant. 91. 1. & ſeq.
Concionalis argutia eſt argumentum enucleativum ſacri alicujus textus, & ſimul evincens propoſitionem probandam. 91. 2. Fundantur hi conceptus præſertim in metaphoris Proportionis, Attributionia, æquivoci, hypothipoſis, Hiperbolis, Laconiſmi, Oppoſitionis, & Deceptionis. ibid. 4.
Concomitantia, & conſequentia quæ, & quomodo Orator ſua ab ijsdem argumenta deducat. 167. 3. & ſequent.
Conjugata quæ dicantur, & quomodo Orator à conjugatis ſua deducat argumenta. 157. 1. & ſequent.
Conjugatorum canones quatuor expenduntur. 157. 5.
Conſolationis œconomia expenditur. 394. 25.
Coſmographia deſcribit mundum æthereum. 470. 15.
Conſtantinus Imperator à dandi celeritate, ac liberalitate laudatus ab Eumenio. 283. 25.
Conſuetudo ut ſenſibus ſubjiciatur quomodo delineanda. 204. 6.
Conſuetudinis vis, & efficacia. 133. 13.
Corax, & Cteſias Siracuſani in Sicilia eloquentiam promoverunt. 16. 9.
Coronæ Chriſti ſpineæ amplificatio per ſuſpenſionem. 271. 9.
Corpora ſublunaria mirificè ubique locorum uberiora homini ſuppeditant commoda. 131. 4.
Crœſo, Craſſóque ditior: de viro divitijs affluente. 213. 102.
Correctio figura eſt, quâ emendamus, quæ diximus. 420. 10. & 421. 6.
Cribarius, ex aſſulis flexilibus, politis texit cribra, & alia. 453. 2.
Cultrarius faber cultros efficit omnis generis. Recenſentur cultri partes. 450. 6.
Cupidinis à Praxitele fabrafacti luculenta deſcriptio. 128. 13.
Cumanum aſinum ornare phalaris: eſt ignorantem inſignire illuſtri officio. 213. 103.
Cyclus lunaris, qui, & aureus numerus, dicitur, eſt numerus annorum novendecim. 471. 30.
Cyclus indictionis eſt ſpatium annorum quindecim, quibus evolutis reditur ad primum. 471. 30.
Cyclus ſolaris eſt ſpatium annorum viginti octo, quibus evolutis literæ Dominicales ad ſuum revertuntur initium. ibid. 30.
Cygnus Symbolum eſt viri, qui muſicâ delectatur. 200. 13. Luſcinia Symbolum Muſicæ. 300. 14.
Cymba Charontis te expectat: dicitur de viro ſenio confecto. 213. 104.
Cycladis munus offerre: & honor Cyclopicus, de quo parœmialiter dicatur. 213. 106.
Cyprius bos parœmialiter torquetur in virum ſtolidum. 213. 107.
Corybantes agere dicitur de Sacerdotibus immodicu vino madidis. 213. 105.

D.

DAnaës imbre madere parœmialiter eſt vitijs ſe inquinare. 213. 109.

Daniel ab aulæ invidis Satrapis accuſatus de regij decreti transgreſſione detruditur in lacu leonum, à quibus nil læſionis patitur. 612. 33. & ſeq. Daniel incolumis eruitur è lacu, in quem projiciuntur Satrapæ, qui exitium fuerant eidem machinati, & ſtatim à leonibus vorantur. 613. 36.

Daphnes ex lauro triumphus adagialiter dicitur de puella caſta onus ſubeunte religionis. 213. 110.

Dardanes virgines in Illirico degentes antequam matrimonium inirent, abluebantur. 368. 43.

Dares Entellum provocat; ſeu imbecillis fortem; pygmæus Gygantem. 213. 111.

David poſt lapſum quæſiturus quid Deo retribueret, non niſi calicem invenit. 702. 53.

David inermis propugnaturus religionem pugnat cum armato Gigante, & Goliathum proſternit. 645. 49.

David quia ſperans in Deum poſt adulterium, & homicidium reſipuit, & veniam conſequitur. 545. 13.

David in Chriſti genealogia, cur cæteris præferatur regibus, & Patriarchis cum fuerit natu minor. 545. 15.

David in ſpelæo Engaddi montis Sauli pepercit perſequenti, & ad Thronum aſcendit Iſraëlis. 586. 14.

David poſt verborum velitationem Goliathum gigantem excuſſo è funda lapide proſternit. 586. 14.

David facultatem petit congrediendi cum Goliatho in ſubjecta valle, non alijs munitus armis, quàm quinque lapidibus ſelectis ex ſicco torrentis alveo. 598. 33.

Deliberativum genus ſuadet auditoribus, quæ bona ſunt; diſſuadet quæ noxia. Ejus materia eſt omns id, de quo poteſt haberi deliberatio. Argumenta in genere deliberativo potiſſimum ſumuntur. Ab utili, honeſto, & neceſſario. 489. 1. & ſeq.

Deliberativum genus tres compleſtitur partes, exordium, contentionem, & perorationem. 390. 12. in hoc genere excitantur affectus ſpei, deſiderij, amoris, timoris. ibid. 21. œconomia ſuaſionis, & diſſuaſionis expenditur. 390. 14.

Deceptio eſt redundans argutiarum fons. Plures ſubjiciuntur argutiæ per deceptionem. 510. & ſequent.

Deceptionis metaphora fœcunda eſt argutiarum parens. 96. 15.

Delio natatore rem indigere, cui parœmialiter congruat. 213. 14.

Delphicum oraculum premere eſt verum ſemper aſſerere. 213. 115.

Democratia eſt imperium populi communem ſpectans utilitatem. 389. 2.

Demoſthenes totius Græciæ ornamentum eloquentia floruit. 401. 4.

Democriti frons extra, intus cor Heracliti adagium olet. 206. 20.

Demoſthenes Calliſtratum in foro cauſas agentem audierat, quem in perorando imitaretur. 39. 1.

Demoſthenes eloquentiæ græcæ princeps horas antelucanas ſtudijs eloquentiæ impendebat. 69. 1.

Deianiræ amore inſanire, adagialiter in eos torquetur, qui ex pravo amore ſibi damnum inferunt. 213. 113.

Deprecatio fit, cum opem alicujus imploramus. 423. 27.

De antiquitate cum Codro contendere, congruit antiquiſſimam jactantibus nobilitatem. 214. 122.

Deſiderium eſt figura exprimens actum voluntatis. 424. 30.

Definitionis locus expenſus; & quantum definitio afferat utilitatis. 134. 1

Definitio eſt oratio verborum delecta rei naturam explicans. Eſtque duplex una rei, altera nominis. 134. 1. & ſeq. A Dialecticis dividitur in eſſentialem, deſcriptivam, & cauſalem. 134. 5.

Definitio rei interdum ab oratore fit per omnes ferè locos Rhetoricos. 135. 8.

Definitio per cauſas expenditur. 136. 9. Definitio à cauſa materiali. 136. 10. Homo quomodo definiatur per quatuor cauſarum genera. 136. 12. & ſeq.

Definitio per effecta qualis 137. 15. Definitio luculenta Ebrietatis per cauſas, & effecta. 138. 16.

Definitio per ſimilitudinem expensa. 138. 12. Uſus hujus definitionis plurimum habet elegantiæ. 138. 18.

Definitio rei per accidentia plurimum ſuppeditat oratori commodi, ac utilitatis. 129. 19. Ab hoc loco venuſtè, ac eleganter definitur Pavo. 139. 21.

Definitio à partium enumeratione expenditur. 139. 21. Definitio per affirmationem, & negationem. 140. 24. plurimum hæc definitio in rebus amplificandis obtinet roboris. 140. 25. & ſeq.

Definitio per ſupremum genus. & ſpecies ſub ipſo. 141. 18. Plurimum ſuppeditat ornatûs ſi perpendatur ſubjectum definiendum, & ſub quo genere contineatur. 141. 29.

Definitio nominis qualis ſit. & quomodo inſerviat oratori. 142. 1. & ſequent. Joci, luſûſque arguti ab hac definitione inſtituuntur. 142. 7.

Deſcriptiones plures per rerum proprietates exhibentur præſertim calculo laborantis. 116. 14

Deſcriptio, ut eſt locus topicus expenditur. 116. 1. & ſequent.

Deſcriptio torridæ ſolitudinis ab adjunctis ex Curtio, 116. 1. Campania, ſeu Neapolitanus ager ab adjunctis deſcriptus. 117 2.

Deſcriptiones pluribus poſſunt modis fieri. 117. 3. Deſcriptio per hyperbolem, & auxeſim. 117. 4. Deſcriptio Pumilionis comparati cum rebus parvis. 117. 4.

Deſcriptiones per effecta expenduntur. Sumuntur effecte pro continnis operationibus ab aliqua cauſa prodeuntibus. 118. 7.

Deſcriptio arenei, ejúſque opificij ibid. Formicarum reſpublica, & opificia deſcripta. 118. 7. Deſcriptio apum mel è ſinu florum legentium, & ſavos conſtruentium. 119. 9.

Deſcriptio bombycis nentis ſerica fila. 118. 8.

Deſcriptio ludi pilæ. 120. 12. & ſeq. Deſcriptio per effictionem, ſeu expreſſionem corporis. 124. 26.

Deſcriptio per notationem, ſeo per deſcriptionem morum ab adjunctia, Deſcribitur adoleſcens moribus depravetus. 124. 27. Deſcriptio per hypothypoſim quænam ſit. 125. 28.

Deſcriptio veris à partium enomeratione. 153. 12. Deſcriptio Æſtivi temporis à partium enumeratinne. 153. 13.

Deſcriptio Autumni. & Hyemis à partium enumeratione. 154. 24. & 25.

Deſcriptio Damus magnificæ. 154. 16. Deſcriptio Luxus in epulis. 155. 17.

Detractio lethale virus. 187. 103.

Detractio quomodo pingenda, ut oculis ſubjiciatur: aures pulſat, & alienum lædit honorem. 204. 6.

Deus cor nonniſi poſt mortem, Abrahæ & Jacob voluit dici eorum Deus. 657. 36.

Deus cur com indulgeat peccantibus in fillum, non condonet peccatum contra Spiritum ſanctum. 680. 22.

Deus, quos impensè amat acriùs punit, etiam ob leves defectus. 635. 40. Vir juſtus ſi laboribus premitur, non conqueritur triſtis; ſed gaudens gratias agit. 686. 42. & ſequent.

Deus cur apparere voluerit Moyſi in flamme rubi. 687 46.

Deus cur præceperit Abrahamo ſibi in ſacrificium offerri vacam triennem, capram trimam, & arietem annorum trium. 687, 48.

Deus plura ſemper nobis det, quàm ab ipſo petamus. 700. 53.

Dignitates mundi ſunt veloti ſomnia, id expertus fuit Belliſarius. 29?. 48.

Dilemma eſt argumentatio bicornis, in qua duæ partes propoountor, quarum alteram nequeet edverſarius effugere. 258. 6.

Dilemma, ut eſt argumentum Rhetoricum, donatur explicetu. 233. 1. & ſaq. hoc argumento Seneca evincit injoſtum eſſe luctum, quamvis juſtæ ſint rationes dolendi. 233. 8.

Diazeugmenon, eſt ſcomma amplificans orationem. 418. 12.

Dioptrice ediſſerit refractionem rediorum, ejúſque tradit leges, & rationes docet conficiendi genus omne tuborum opticorum. 468. 17.

Dionyſii Senioris Siciliæ tyranni ad filium monitio, ut mores corrigeret. 401. 3.

Diogenes cum primùm è ſuo dolio vidit poerum cava manu aquam e fluvio haurire, & ſitim extinguere, cotylam abjecit, ut ſupervacaneam. 187. 8.

Diphterâ antiquiora loqui, proverbiliter torquetur in eos, qui abſoleta proferunt. 214. 119.

Diſcriminatio eſt figura oſtendens differentiam inrer res, quæ alioquin videntur ſimiles. 420. 16.

Diſciplinæ bipartitæ in humaniores, & ſeveriores. 464. 4.

Diſpoſitio quid, & quomodo res inventæ ſint in oratione diſponendæ. 310. 1. & ſequent.

Diſpoſitio partium plorimi in unaquaque re eſt momenti. 310. 2.

Diſpoſitio genericè in plures partitur ſpecies. 311. 1. Diſpoſitio arbitraria quæ? ibid. 2. Artificioſa quæ ab arte petitur. ibid. 3.

Diſpoſitio ſpecifica, ſeu oratoria in genere demonſtrativo, & Jodiciali. 311. 4. Exhibentur plures tranſitionum formulæ adhibendæ in diſpoſitione. 312. 8.

Diſpoſitio ut eſt pars Rhetoricæ rerom inventarum per ordinem eſt diſtributio. Ab ordine ornatus omnis. 522. 4. neglecto hoc ordine oratio neceſſe eſt tumultuetur; perinde ac ſine Rectore fluitat navis ibid. 5. Diſpoſitio in texendis orationibus plurimum obtinet roboris, ac momenti. ibid. 6.

Diſpoſitionem in oratione quomodo Rhetor imitatur. 28. 3. & ſeq.

Diſſolutio eſt figura detractionis, quâ reticetur particula conjunctiva. 418. 2.

Divitiæ vitijs affines viam cuilibet ſceleri ſternunt. 93. 7.

Divitiarum ſitis nunquam extinguitur. 189. 86. & ſeq.

Divitiæ ſi poſſideantur plerunque inutilibus, & noxijs curis mentem implent. 132. 9.

Divitiæ inſtar aquæ vitium contrahunt niſi moveantur, fluántque in manus pauperum. 715. 35.

Divitiarum aquas tunc quis poſſidet, cum ſinit fluere in manus pauperum. 716. 39. Quòd ſi non ſinat in proximi commodum derivari, eas non poſſidet, ſed ijsdem famulatur. ibid. 41.

Dodonæum æs dicitur de homine garrulo. 214. 124.

Doloris affectus excitatur ab anima reſipiſcente. 296. 63.

Domus magnificæ, ac ſumptuosè conſtructæ deſcriptio. 154. 16.

Dotis quentitas pro puellis matrimonio copulandis olim apud Venetos non excedebat millenos aureos ex lege ſancita. 368. 52. Apud Sinenſes puellæ nupturæ viris nullam defferunt dotem, & tota ſponſæ ſupellex ſumptu comparatur mariti. 369. 53. Lycurgi lege puellæ ſine dote à viris ducebantur in oxores, ne dotis potius haberetur ratio, quàm uxoris. 369. 54.

Dubitatio eſt figura, quâ quærimus unde incipiendum, vel deſinendum ſit. 421. 7.

Duos parietes eadem dealbare fidelia quid ſignificet, & de quibus dicatur. 264. 127.

Ebrietas

E.

EBrietas luculenter definita per cauſas, & effecta. 138. 16.

Ecclypſis ſolis, & lunæ quomodo, & quando contingat. 145. 6.

Ecclypſis figura eſt, quæ & defectio dicitur, & fit cum verbum aliquod omittitur, quod facilè ſubintelligitur, & exhibentur aliquot exempla. 418. 7.

Echo figura eſt affinis illis, quæ fiunt, per detractionem. 418. 8.

E crambe recocta menſam ſtruere: eſt repetere plories jam dicta, quæque diſplicuere. 515. 143.

Effecta quid ſint; & quomodo Orator ſua ab Effectis argumenta deducat. 155. 1. & ſeq. Ab effectis cauſa efficiens luculenter oſtenditur. ibid. ut & cauſa finalis. 156. 2. Per effecta vir iraſcens deſcribitur. ibid. 5.

Effecta in quatuor cauſarum generibus. 157. 7.

Eleemoſyna non tremula manu, ſed læto animo indigentibus diſtribuenda. 579. 31. Vera lætitia floret non in divitijs congeſtis, ſed diviſis in pauperes. 579. 33.

Eleemoſyna aquæ pariata, quia hæc corporis, illa animæ maculas abſtergit. 581. 34. & ſequent.

Eleemoſyna, quæ jejunio nubit, non eſt jejuna. 382. 36.

Elegantia eloquentiæ non conſiſtit in verbis abſoletis abſtruſis, neque in metaphorarum inuſitatis obſcuritatibus, ſenſuúmque ambagibus, neque verborum circuitionibus. 25. 5.

Eleonoræ Auſtriacæ cæcitas argutè amplificata per oppoſita. 169. 8.

Elephas fuit hieroglyphicum hominis regis. 199. 6.

Eliſæus, cur juſſerit Naamanum ſepties lavari in Jordane, ut à lepra mundaretur. 575. 21.

Eliſæus, cur juſſerit pauxillum olei à Vidua poni intra vaſa vacua. 382. 36.

Elyſios incolere campos, eſt omnibus bonis diffluere. 214. 131.

Elocutio ab antiquis oratoribus commendata. 400. 1. & ſeq. Ornatus elocutionis qualis. 401. 1.

Elocutio reſpuit verba humilia, abſoleta. 402. 3. deſiderat dignitatem, & elegantiam. ibid. 4.

Elocutio ut eſt pars Rhetoricæ. Eſt idonea verborum, ſententiarum, amœniratum, & argutiarum ad inventionem accommodatio. 22. 7. Cautè tamen orator procedit ne nimio verborum ornatu vim enervet argumentorum. 22. 7.

Eloquentia efflorescit animi præſtantia, ejuſque cultura, quæ exigit artem, imitationem, & exercitationem. 23. 1.

Eloquentia præ cæteris artibus ingeniorum deſiderat delectum. Minus idonea dimittis, ne oleum, & operam perdant. 16. 2.

Eloquentia priùs floruit in Sicilia ſub Gorgia Leontino, & Corace, poſtea Athenis. 16. 9. & ſequent.

Emanuelis Sònſæ, & Eleonoræ conjugis naufragium, & amplificatio pathetica. 294. 59. & ſequent.

Empedoclis ſimultas dicitur de viro pertinaci. 214. 137.

Empedoclis arguta reſponſio interroganti num alicubi ſapienti obviaſſet. 492. 5.

Emphaſis figura eſt, quæ rem magis exprimit, quàm per ſe ſignificet. 424. 23.

Emunctæ naris vir dicitur de homine purgati judicij. 214. 138.

Epaminunda Thebanorum dux, licèt paupertate laboraret plura auri pondera ei à rege Perſarum dono miſſa recuſavit, ne pinguioris fortunæ commodis diffluerct. 387. 9.

E Patroclis domo oriundus, dicitur prœmialiter de viro ſordido. 214. 132.

Endymionis ſomnum dormire torquetur in ſaginantes ſe immodico ſomno. 214. 133.

Enthymema eſt argumentatio trunca, & quomodo adhibenda in oratione. 530. 1. & ſequent.

Epacta eſt numerus dierum undecim, quibus annus ſolaris ſuperat lunarem. 471. 30.

Ephrem Syrus ad focum cibos coquens interroganti mulierculæ, an coquo aliquid deeſſet, argutè reſpondet. 494. 4.

Epicuri de ſecta torquetur in hominem voluptatibus indulgentem. 214. 141.

Epidicticum genus, ejus materia, finis, & character. 346. 1. & ſeq. Epidictici generis finis. 347. 12.

Epimetheus malorum, de quo dicatur. 215. 144.

Epinicij oratio in genere demonſtrativo, texitur pro quovis caſu felici; ſed præſertim ut ijs gratulemur, qui in bello de proſtratis inimicis victoriam retulerunt. 371. 65.

Epiphonema, quæ & acclamatio dicitur, eſt ſententia reflectens ſupra rem narratam. 423. 19.

Epithalamij oratio olim apud ſponſorum recitabatur thalamum. 370. 63. Exordium epitalamij, à quo petendum. 372. 64.

Epitheta pro implenda periodo quomodo definiantur, & à quibus hauriantur fontibus. 431. 1. & ſeq.

Epitheta elegantiora hauriuntur à decem Ariſtotelis prædicamentis. 431. 2. & ſequent.

Epitheta deſumuntur etiam à rebus inanimatis. 433. 3. à rebus animatis ibid. 4. à re inanimata cum epithetum transfertur ad aliam inanimatam. 433. 5. Vel à re animata ad aliam animatam. 6. Ex eo quòd epithetum proprium rei contentæ tribuatur continenti. 7. cum epithetum conveniens parti tribuitur toti. 8. cum epithetum totius integrantis tribuitur parti. 434. 9. cum epithetum conveniens cauſæ tribuitur effectui. 10. Vel è contra tribuitur cauſæ, quod convenit effectui. 434. 11. cum quod convenit perſonæ tribuitur alicui ejuſdem effectui. 434. 12. Vel inſtrumento. 13.

Epitheta ducuntur etiam à nominibus Patronymicis. ibid. 14.

Epitheta per comparationem nominibus adduntur. 415. 16. Epithetum conveniens alicui rei tribuitur ſubſtantivo metaphorico, vel Metonymico. 435. 17.

Epochæ, ſeu Æræ ſunt certi temporum termini celebres à plerisque cronologicis admiſſi. 472. 81.

Equarius faber pluribus utitur inſtrumentis in calceandis, curandisque equis. 450. 5.

Equi proprietates, & laudes recenſentur. 361. 21.

Equi Sibaritarum ducendis choreis aſſueti. 515. 26.

Eridis pomum dicitur de cauſa bellorum, ac diſcordiarum. 215. 145.

Erinnes mentes in ſcelus rapientes, torquetur in fœdas aniculas. 215. 146.

Eruditiones laxum ſuppeditant amplificandi campum. 249. 1. & ſeq.

Eruditionum flores poſſunt amplificationibus attexi comparativè. 249. 3.

Eruditiones venuſtè attexuntur orationi per modum quaſi cauſæ. 250. 6.

Eruditiones plurimum præſeferunt illicij, ſi abſque verborum circuitu ſimul conglobentur. 251. 8.

Eruditiones nectuntur orationi per modum ſententiæ. 252. 9.

Eruditiones hiſtoricæ conglobantur in erudita amplificatione. 253. 12.

Eſau è ſylvis domum redux, pro juſculo ex lente compacto jura primogeniti cedit Jacobo fratri. 606. 17.

Ethimologiæ nominum fertilem aperiunt campum ad allegorias pro orationibus panegyricis. 361. 8.

Ethopœia eſt imitatio vitæ, ac morum alienorum; & quomodo differat à Proſopopæia. 422. 12. per Ethopæiam eloquentia ſuos increpat corruptores apud Dicem. ibid. 13.

Evathlus dilemma ingenioſè ſibi objectum retorſit in Protagoram magiſtrum. 170. 18.

Euchariſtiæ Sacramentum commendatur varijs ſententijs à SS. Patribus. 176. 44. & ſequent.

Evitata charybdi in ſcyllam incidere, dicitur de eo qui uno declinato malo in aliud incidit gravius. 215. 149.

Euripo mutabilior dicitur de viro inconſtante. 215. 147.

Euporyphus ex comœdia dicitur de viro venuſtè, ac eleganter veſtito. 215. 151.

Ex Amphiteto bibere torquetur in bibonem, multóque vino madentem. 215. 152.

Ex Phelleo venire eſt ex humili fortuna ad pinguiorem aſcendere. 215. 155.

Excerpta ab Authoribus quomodo notanda, & quid præſeferant utilitatis. 47. 18.

Excerpta Senecæ producuntur. 48. 21. & ſequent.

Excerpta quomodo locanda ſint ſeriatim in proprias claſſes. 53. 1.

Excerpta ſunt, quibus intellectus fœcundatur, & memoria juvatur. & quomodo diſtribuenda per literas alphabeticas, 13. 4. & ſeq

Exclamatio eſt figura exprimens animi affectum per particulas o, vah, heu, proh. 422. 11.

Execratio, eſt figura, quâ malum alicui imprecamur. 423. 16.

Exemplum quid ſit, & quomodo Orator ſua ab hoc loco deſumat exempla. 137. 1. & ſequent.

Exemplum, ut eſt inductio Rhetorica donatur explicatu. 232. 1. & ſeq.

Exempla congeruntur ex hiſtorijs, Apologis, Fabulis, & rerum proprietatibus. 233. 6.

Exercitatio eloquentiæ pernеceſſaria, eſt uſus aſſiduus, ac conſuetudo dicendi, audiendi, legendi, meditandi, ſcribendi, ac memoriter addiſcendi. Pariatur animus noſter agro fœcundo exigenti culturam. Ob ſolam exercitationem Virgilius culicem, Puteanus ovum; Catullus paſſerem, Statius Pſittacum, Majoratius lutum prolixis commendârunt orationibus. 24. 4.

Exemplum eſt argumentatio, in qua poſitis pluribus ſingularibus ob ſimilitudinem inferimus aliud. 228. 5.

Ex Jovis tabula teſtis: dicitur de certo, ac indubitato. 215. 154.

Exordia in genere epidictico multipliciter conſtruuntur. 348. 3. & ſeq.

Exordium orationis generatim ſumptum. 314. 1. & ſeq. Eſt pars adſcititia orationis. ibid.

Exordiorum munia, & qualitates quæ? explicantur. 314. 1. & ſeq.

Exordia ex pluribus poſſunt erui fontibus. Et in genere exornativo quomodo deducenda. 315. 4.

Exordiorum multiplex ſpecies. 316. 1. & ſequent.

Exordium deductum ex abrupto. 316. 4.

Exordium deductum à viſceribus cauſæ in orationibus Panegyricis præſertim adhibetur. 317. 6. Idea exordij eruti ex viſceribus cauſæ pro oratione in laudem Virginis matris. 318. 2.

Exordium deductum ab adjunctis, quomodo inſtituendum. Exhibetur exordium deductum ab adjunctis. 318. 8. & 9.

Exordium deductum ex abundanti. 318. 10. Exhibetur ejus Idea. 319. 11. Exordium deductum ab excitatione deſiderij. 319. 13. producitur ejus idea ibid.

Exordium deſumptum ab aliquo apologo, vel fabula. 319. 14. ſubjicitur Idea exordij deducti à fabula per apoſtrophem. 320. 15.

Exordium deductum à contrario. 320. 16. exhibetur ejus idea. 320 17. Exordium petitum à quæſtione inſigni. 320. 18. proponitur ejus idea ibid. 19. Exordium deductum à ſimilitudine, & exhibetur ejus idea. 321. 21.

Exordium deſumptum à comparatione. 321. 22. ſubjicitur ejus idea. 321. 2x. Exordium petitum à varijs circumſtantijs. 322. 26. proponitur ejus idea ibid. Exordium deductum ab Hiſtoria; exhibetur ejus idea. 28. Exordium à rei deſcriptione exhibetur ejus idea. 322. 30. Exordium petitum à fabula, ejúsque idea. 323. 32.

Ex-

Exordium erutum à dicto illuſtri; exhibetur ejus idea. 323. 34.

Exordium elaboratum ab adagio, proponitur ejus idea. 323. 36. Exordium deductum ab apophtegmate. 324. 88.

Exordium in genere demonſtrativo, ejúſque idea. 324. 2. Exordia in genere demonſtrativo potiſſimùm deſumuntur ab adjunctis. 325. 3.

Exordium in genere deliberativo, ſubjicitur ejus idea. 325. 5. Exordium in genere judiciali plerumque eruiturab adjunctis rei, perſonæ, & cauſæ gravis: proponitur ejus idea. 325. 6. & ſeq.

Ezechias quia poſt ſuſcepta à Deo beneficia neglexit debitas ei gratias agere in lethalem incidit morbum. 684. 36.

Ezechias quia detrectavit conſueti tributi ſtipendia ſolvere Sennacheribo bellum contra ſe accendit. 702. 54.

Ezechiel, cur juſſus dormire priùs ſuper latus ſiniſtrum, & poſtea ſupra dextrum. 548. 4.

F.

Fabarum arroſor, in quem adagialiter torquetur. 215. 156.

Faber Ferrarius horis antelucanis ad opus ſe confert fabrile. 450. 4.

Faber æquarius pluribus utitur inſtrumentis in calceandis, curandiſque equis. 450. 5.

Faber cultarius cultros efficit omnis generis, coquinarios, menſarios. 450. 6.

Faber minutiarius conficit acus ferreas, æneáſque ſpinas, ſpinulas, cuſpidulas, nodatas. 450. 7.

Faber tormentarius ære liquato conflat tormenta bellica. 451. 8.

Faber Thorecopæus è ferro ductili fabrefacit cataphractas armaturas. 451. 9.

Faber ærarius ex ductuli cupro cudit lebetes, cacabos, ſartagines, cortinas, pelluvia, malluvia. 451. 10.

Faber ſtannarius vaſa fundit ſtannea, canthatos, ſcyphos, patinas, & alia id genus. 551. 12.

Faber argentarius metalla examinat ad lapidem lydium, & plura conficit pretioſa vaſa. 451. 13.

Fama quid, & quomodo pingenda. 204. 6.

Felicitas complectitur utilitates ſivè corporis, ſive animi. 389. 2.

Felicitas in numiſmate Antonini Pij repræſentatur per mulierem gerentem lauri ramum 204. 6.

Fenellæ pomum exhibere eſt rem gratam dare. 215. 160.

Fidei obſcuritas varijs illuſtratur ſacrarum argutiarum luminibus. 534. 1. & ſeq.

Fidei obſcuritas à SS. Patribus explicatur per lucem initio mundi à Deo conditam. 534. 2.

Fides ex auditu, quia per aures arcana Dei, & ſacroſancta myſteria mentem noſtram ſubeunt. 535. 4.

Fides non ſolum gaudet ornatu florum, ſed etiam operum amat diteſcere fructibus. 535. 5.

Fidei obſcura caligo mentem illuſtrat, eſtque oculus mentis, ac illuſtre rationis lumen. 536. 8. Fides eſt collyrium, quo cæcus à nativitate caligines abſterſit cæcitatis. 536. 8. Fides eſt lucerna oſtendens quà ſit eundum, ne à recto ſalutis itinere declinemus. 537. 8.

Fides aquilam æmulatur, ima negligit, & non niſi ſublimia petit. 537. Fides pariatur terſo, ac polito ſpeculo. 537. 10.

Fidei Symbolum nubes ponitur. 538. 10. Ut etiam Rubus, quem Moyſes viderat incombuſtum in vertice Orebi montis. ibid. 11. Umbra ſub qua Eccleſia tutè quieſcit eſt Symbolum fidei. 538. 12.

Fidei Symbolum aſſumitur avicula in cavea incluſa in obſcura camera. 538. 13. Horologium Sciathericum, quo ex umbra ſolis curſus dignoſcitur fidem ſymbolice exhibet. 538. 13.

Fides æmulatur Dei potentiam. Populum duxit per mare rubrum, juſſit aquarum divortium. 539. 14.

Fides perinde ac oculus diligenter cuſtodienda. 538. 13. Fides Dei æmulatur potentiam. 539. 14. Fides Dei aſſequitur beatitudinem ibid. Fides mortem diſpellit, & vitam acceſſit. ibid.

Figuræ corporis ſolidi ſunt Pyramis. Priſma, Sphæra, Cylindrus, Conus, obeliſcus. 469. 22.

Figuræ Patheticæ quales ex parte intellectus, & quomodo una, ac eadem propoſitio per eaſdem multipliciter varietur. 55. 1. & ſequent.

Figuræ partes ſunt centrum, Perimeter, Radius, Diameter, Altitudo. Figurarum omnium capaciſſima eſt circulus. 469 22.

Figuræ verborum ſunt mutationes orationis in melius. 416. 1. & ſeq.

Figuræ, quæ fiunt per detractionem. 418. 1. & ſeq.

Figuræ ſententiarum ſunt amœnioris elocutionis flores, qui orationem mirificè ornant. 420. 1.

Filius prodigus, cum meretricibus quia totam ſuam abligurivit ſubſtantiam, porcis cuſtodiendis præficitur. 93. 7.

Finis in cauſarum conſeſſu poſtremam in executione, principem in deſtinatione ſedem occupat. 120. 1.

Finis variè ſumitur. ibid. 2. Uſus à loco finis debet oratori eſſe perſamiliaris. A fine laetè, & luculenter commendatur homo. 131. 3. Horatius à fine definit hominem eſſe pulverem, & umbram. 131. 5. Seneca à fine qualis ſit homo oſtendit. 132. 6.

Finis uſus in deliberationibus perneceſſarius eſt. 132. 6. Plurimum obtinet roboris, & momenti ad perſuadendum. 132. 8 & ſeq.

Flere ad Novercæ tumulum eſt lacrymas ſimulare. 215. 164.

Fluvij proprietates recenſentur, & pariantur viro virtutum cultore illuſtri. 362. 14.

Fontes ante oratoria, & in januis Eccleſiæ, ut oraturi, & Deum adoraturi priùs mundentur, 581. 34.

Forma ut eſt locus topicus oratori inſerviens pro formandis argumentis expenditur. 125. 1. & ſeq. Tripartitur in eſſentialem, accidentalem, & artificialem. 125. 28. A forma eſſentiali pluribus commendatur homo. 126. 8.

Forma accidentalis, cujus uſus oratoribus eſt frequentior. 126. 4. Ab extima corporis ſpecie venuſtæ hauriuntur deſcriptiones. 126. 5.

Formicarum reſpublica, & opificia, providentia, & ſolicitudo in legendis frumenti granis. 118. 7.

Formicarum prudentia, & ſolertia in colligendis, & ſervandis granis. 585. 11. Deſcribuntur earumdem ſtudia, & labores ibid. Formicarum reſpublica expenditur. ibid.

Formica habebatur hieroglyphicum providentiæ. 199. 6.

Fortitudo argumenta ſuppeditat in genere deliberativo. 389. 5.

Fortitudinis amplificatio. 280. 17. emicat fortitudo præſertim in tolerandis rebus adverſis. ibid. 19.

Fortitudinis Idea, & ſuaſoriæ orationis imago in matre Machabæorum. 281. 20. & ſequent.

Fortitudo virtus maſcula commendatur. 715. 1. & ſeq. Fortitudo adverſis non deprimitur, nec proſperis extollitur ibid. Fortitudo eſt duplex una reſpicit animi firmitatem circa bonum honeſtum. Alia quæ inconcuſſa animi firmitate labores ſuſtinet. 725. 2. Fortitudo eſt virtus Cardinalis moralis inducens mediocritatem circa affectus timoris, & audaciæ. 723. 3. Proprium viri fortis eſt ardua quæque ſuperare. 783. 5. Vir fortis non eſt, qui ad declinandos labores ad excutiendas moleſtias violentas in ſe manus injicit, ſeque interimit. 725. 7. David in tolerandis Saulis perſecutionibus ſpecimina dedit veræ fortitudinis. Non ita Saul cum violentas manus in ſe injecit. 725, 9. Viri fortes non cadunt animo, ſed ſtant firmiores, cum doloribus, ſupplicijs cadit corpus. 726. 10. Vir fortis cruciatus, & adverſa, fronte ſerena tolerat. 726. 11. & ſeq. Moyſes ſpecimen fortitudinis non dedit cum Ægyptium aggreſſus inflicto vulnere interemit, & ſabulo inſepelivit. 727. 15. ſed cum labores toleravit pro tuenda virtute, tunc gloriam conſummavit fortitudinis ibid. Mutius Scevola non fuit vir fortis commendatus cum adverſarium fuit aggreſſus, ſed poſtquam dextram ictum fallentem flammis admovit, & igne cremari maluit, quàm conjuratos prodere. 727. 17. Deus nos fortitudinem edocuit, cum firmamentum condidit. 728. 18. Viri fortes in fluctibus paſcuntur adverſitatum ut piſces, aquis innatant tribulationum. 728. 19. David tunc fortitudinem exercuit, cum labores toleravit. 729. 22. Viri fortes pariantur unionibus. ibid. 23. Gedeon cum ſolis trecentis viris fortibus, ac temperantiæ ſtudioſis madianitarum exercitum fudit. 730. 24. cuſtodes lectuli Salomonis ideo fortes deprædicantur, quia virtutis præſertim pudicitiæ cultores. 731. 25. Bellica fortitudo non ab armatorum multitudine, ſed à cultura prodit virtutis. ibid. 26. Non corporis moles, neque nervoſa brachia ſpecimina dant fortitudinis, ſed ſola animi virtus. ibid. 27. & ſequent. Samſon à ſola cultura virtutis ſuam mutuavit fortitudinem. 733. 31. Gabriel *Dei fortitudo* latinè interpretatur, quam Mariæ circumtulit. 734. 33. & ſeq.

Fortunatior Strobilis Corcini quomodo dicatur paræmialiter. 215. 165.

Fortuna nulla eſt, ſed quiſque propriæ fortunæ naturalis bonæ, vel malæ eſt faber permittente cauſa prima. 157. 7.

Fuga pugnanti pro tuenda caſtitate neceſſaria, ut victor triumphet. 770. 29.

Fuſor vitriarius ex arena, cinere, ſale intenſiſſimè liquatis in officina vitriaria perflatu ferrei tubi formas varis vitreamina. 450. 2.

Futura participiorum quomodo venuſtè uſurpentur pro epithetis. 435. 18.

G.

GAlbæ gibbo deformi argutum Cæſaris reſponſum. 502. 1.

Gallos quid excas? in quem torqueatur. 215. 166.

Gallorum incuſare ventrem torquetur in edaces. 215. 167.

Ganymede formoſior dicitur de ephebo ſpecioſo. 215. 169.

Ad Gatamantes, & Indos ire exulatum. 215. 170.

Gargani querceta aquilonibus laborant. Seu magni viri ſunt invidiæ obnoxij. 215. 171.

Gaudium, ut eſt effectus intrinſecus charitatis internam dicit delectationem. 251. 1. Hoc gaudium in S. Scripturis exprimi ſolet per verba ſurgendi, & exuliendi. 552. 12. Maria quia gratia plena ingenti perfunditur gaudio. 552. 3. & 5.

Gaudio replentur Reges Magi viſâ ſtellâ. 552. 4.

Gaudium verum eſt, quod à Spiritu S. in nos derivatur. Eſt veluti ſemen, quod in exculta tellure cordis noſtri ſatum germinat in flores omnium virtutum. 553. 6.

Gaudium verum germinat in cœlo, non effloreſcit in terra ibid. 7. Vero gaudio nonniſi cultores virtutum perfunduntur. ibid. 8. & ſequent.

Gaudium verum à Deo petendum, tribulationes vertit in cordis lætitiam. 554. 11.

Gaudia mundi nullam veram lætitiam ſapiunt. ibid. 14.

Gaudium mundi lacrymas elicit; eſtque pater æterni luctus. ibid. 15.

Gaudium verum è cœlo in terras effunditur. 555. 16.

Gedeon conſtitutus Judex populi noluit eidem dominari, quò rectè Judicis fungeretur officio. 629. 35.

Gemonias adire ſcalas; in eos torquetur, qui

ob patrata delicta merentur patibulum. 215. 172.

Generoſior Ladro, de quo dicatur. 216. 173.

Generis deliberativi œconomia. Hor genus totum eſt, ut validis argumentis ſuadeat, vel diſſuadeat. Ejus materia eſt omne id, de quo poteſt haberi deliberatio. 389. 1. & ſeq. Argumenta hujus generis potiſſimum deducuntur ab utili, honeſto, poſſibili, neceſſario, jucundo ibid. 2.

Genus judiciale quomodo tractandum. 396. 1. & ſeq.

Genera orationis ſunt tria, Demonſtrativum, Deliberativum, & Judiciale, complectuntur omnia orationum genera. 226. 3.

Genus epidicticum, ſeu demonſtrativum. 344. 1. & ſeq. Finis generis demonſtrativi, deliberativi, & Judicialis. 345. 1.

Genus Judiriale non niſi accidentaliter differt à genere demonſtrativo, & deliberativo. 345. 4. Materia, finis, & rharacter epidictici generis. 346. 1. & ſeq.

Genethliacæ orationis œconomia. 363. 18. Exordium genethliacæ orationis petitur à circumſtantijs ibid. 19. in temporis circumſtantia plura conſiderantur. 363. 19. & ſequent.

Geodæſia eſt terræ partitio, & quomodo differat à Geometria. 469. 23.

Geographia eſt terraquei globi cogniti luculenta deſcriptio, & quomodo differat à coſmographia, & à Chorographia, à Topographia. 470. 15. Donatur explicatu partitio terraquei globi. ibid.

Geometria laxè romprehendit Arithmeticam, & Aſtrologiam 464. 3.

Geometria eſt ars metiendi terræ tractus. 469. 20. Geometria explorat alta, profunda, lata, plana, gibboſa, longa. ibid.

Germanirus Cæſar nec vocem, nec præſentiam galli gallinacei ſuſtinere potuit. 187. 9.

Geſtus oratorius qualis eſſe debeat. 105. 1. & ſeq. Ab immodica corporis agitatione orator abſtineat. ibid.

Geſtus, & vultus non debent ab oratione diſſentire. 105. 2. geſtus varij recenſentur. ibid. 3.

Geſtuum variæ ſignificationes explicantur. 106. 4. & ſeq. Nictantes depravatos indicant mores. 106. 5. Dentes diductis labellis oſtendere inſultantium habetur nota. ibid. 6. Brachium elevatum facultatem indicat ad rem gerendam. ibid.

Gigantum arrogantia duci, torquetur in temerarios. 216. 176.

Gloria quomodo pingenda, ut oculis ſobjiciatur. 204. 6.

Gorgias Leontinus Athenis edocuit eloquentiam, habuitque Iſocratem diſcipulum, & alios inſignes Rhetores. 16. 9.

Gorgonium Perſeus aggreditur, cui congruat. 216. 177.

Graculus inter Muſas, de quo dicatur. 216. 178.

Gratias pares beneficijs nobis à Deo impertitis non valemus rependere. 679. 17.

Gratiæ in communi agendæ pro beneficijs nobis in communi à Deo impertitis. 680. 19.

Gratiarum actio tantæ eſt virtutis, ut non ſolùm pro ſuſceptis beneficijs rerribuat, ſed etiam pro uberioribus recipiendis roget. 681. 26.

Gratitudo in brutis erga ſuos benefactores. 681. 23.

Gratias rependere pro ſuſceptis beneficijs eſt benefactorem movere ad uberiora impertienda. 682. 67.

Gratiarum actio ſuo non fruſtratur effectu. 681. 28. Chriſtus rogaturos æternum Patrem initium ponit à gratiarum actione. 682. 28. & ſeq.

Gratiarum actio victorijs præludit. 682. 31.

Gratias non agentes Deo pro ſuſceptis beneficijs ſibi invident uberiora beneficia, quæ eſſent ſuſcepturi. 681. 33.

Gratitudinis virtus varijs commendatur argutijs contionatorijs. 676. 1.

Gratitudo ex eo laude digna, quia memoriam beneficiorum ſuſceptorum non ſinit ſeneſcere. ibid.

Gratitudinis nobile Symbolum exhibet terra cum ſuſceptum granum reſtuit multiplicatum. 676. 4.

Gratitudinis typus eſt Noëtica columba, quæ dimiſſa ab arca ad eamdem poſt aliquot volatus reverſa eſt. 577. 6.

Graritudinis officia exigit Deus à nobis, cum pluribus nos beneficijs cumulaverit 677. 7.

Gratiarum actio rependenda ſtatim poſt ſuſcepta benefiria, quia alia ad ſe benefiria trahit. 678. 9.

Gratitudo non ſolùm eſt cuſtos beneficiorum, ſed etiam magnes, quatenus alia ad ſe trahit beneficia. 679. 15.

Gratitudo ſuſcepta benefiria incrementat. 683. 34. Gratiarum actio continet ænigmaticè benefirium ſuſcipiendum. 688. 49.

Gratitudinis primum munus eſt nomen non ignorare benefactoris. 688. 51. Mater Samſonis ſcire cupijt nomen Angeli, qui prædixit naſriturum ex ipſa filium ibid. Proprio non detrahit honori, qui nomen propalat ſui benefactoris, ſed propriam incrementat virtutem. 688. 52.

Gratitudo hominis placet Deo, qui propterea juſſit Paralyticum ſanitati reſtitutum, tollere grabatum ſuum, ut memor beneficij ſuſcepti gratias ageret ſuo benefactori. 689. 54.

Gulæ indulgentiæ famis ſuccedit rortor, & luxoriæ ventris indigentia opponitur torius corporis. 603. 7.

Gulæ vitium ſymbolicè exhibuit ſerpens, qui in terreſtri paradiſo ſuaſit primæ fœminæ eſum pomi vetiti. 756. 22.

Gygis annulo exornari; eſt fortunam habere ſibi arridentem. 216. 180.

H.

HÆrere in vado quis dicatur. 216. 181.
Halcyonis agere dies eſt tranquillam, ac quietam ducere vitam. 216. 182.
Harmodij cantilena dicitur de lugubri, triſti, ingrata. 216. 183.
Haſtam caduceo inſerere, eſt pacem inire, cum animo feliciùs bellum movendi. 216. 184.
Hecala pauperior de conſtituto in extrema neceſſitate. 216. 187.
Hecate turpior de vetula turpiſſima. 216. 188.
Hecuba deterior torquetur in mulierem rixoſam. 217. 189.
Helena gratioſior de puella pulcherrima. 216. 190.
Heraclius lugens de homine querulo. 216. 191.
Herculis Gallicani catenulâ animos vincire. 216. 192.
Herculanus nodus pro vinculo arctiſſimo. 216. 194.
Herculis cothurnos adaptare infanti. Quid ſit. 216. 195.
Herodias Chriſti Prodromi, ſeu Præcurſoris Joannis Baptiſtæ caput ſaltationum pretio poſcit: amplificatio arguta. 301. 7.
Hedera poſt Ancheſteria dicitur cum ſerò quidpiam adhibetur. 216. 185.
Hegeſippi monodia lugubris, quâ narrantur Hieroſolymæ calamitates. 296. 62.
Hieroglyphica amœnam exhibent eruditionem. Primi eorumdem Inventores fuerunt Ægyptij. 198. 2. Græci, & Romani Ægyptios imitati hieroglyphicis fuerunt delectati. 198. 3. exhibentur aliquot Hieroglyphica communi calculo comprobata. 199. 4. & ſequent.
Hinnulus leonem læſit; dicitur de viro imbecilli provocante fortiorem ad pugnam. 216. 199.
S. Hieronymus Nilo fluvio comparatus, & commendatus. 315. 4.
Harpocratis ſtudioſus dicitur de taciturno, & ſilentiario. 216. 185.
Hirundo ſuum conſtruens nidum Hieroglyphicum habebatur viri Architecturæ ſtudioſi. 200. 12.
Hiſtoria quid roboris obtineat in oratione. 186. 1. & ſequent.
Hiſtoria præcipuus eſt fons eruditionum. ibid. 3. Hiſtoriarum oblectatione fuerunt delectati viri Principes. 186. 4.
Hiſtoria nos docet quomodo debeamus pericula præcavere. Hiſtorias callere eſt alieno damno ſapere. 186. 5. In uſu Hiſtoriarum nil temerè narrandum, nil inconſultò exhibendum. 187. 6.
Hiſtoriolæ plures oratoriæ exhibentur. 187. 7. & ſequent.
Hominem exuit cum quis iraſcitur. 521. 55.
Homines amore, non terrore reguntur. 668. 21.
Homo conditus ut fieret Templum Dei, & quæ ſunt hujus templi ornamenta. 758. 19. & ſeq.
Honeſtum quid ſit, & quòmodo ab honeſto in genere deliberativo deducantur argumenta. 389. 2. & ſeq.
Honor cyclopicus, quo Ulyſſes vorandus erat poſtremus. 511. 6.
Honores, quibus viri illuſtres afficiuntur amplificantur. 288. 41. & ſeq.
Honores varij oratoribus exhibiti recenſentur. 6. 1. & ſeq. Traianus Imperator triumphali ſuo curru Dionem oratorem vehi voluit honoris gratiâ. 6. 2.
Honor cyclopicus qualis, & quomodo paræmialiter dicatur. 207. 24.
Honores Academici publica ſunt comparatæ eruditionis teſtimonia. 464. 4.
Horolographia ars eſt conficiendi horologia, quæ varia ſunt. 466. 11.
Horologia mira varietate ab humano ingenio adinventa. 19. 6.
Horologium Solare in cruce argentea eleganter deſcriptum. 123. 22.
Horologia artefactorum excellentiſſima, alia ſolis, alia lunæ definiunt curſus. Alia ſtato tempore ſomno ſopitos excitant. Rotati horologij deſcriptio. 129. 14.
Horologium rotatum è præalta turri oſtendens fideliter quota ſit hora cum epigraphe *Habeant ſua pondera voces*, quale phrenoſchema. 129. 15.
Horologij deſcriptio ſoluta, & ligata oratione. 129. 14. & ſeq.
Horologium ab Aarone Perſarum Rege Carolo Magno Imperatori dono datum. 129. 16.
Horologium ab Archimede Matheſis ſtudioſiſſimo dono datum Imperatori Romano. 129. 16.
Horologiopæus eſt qui horologia conficit, quæ multiplicis ſunt generis, quædam ſciatherica, in quibus gnomonis umbra ſignantur horæ diurnæ. Alia aquaria, græcè *clepſydræ* dicuntur. Alia arenaria, quæ fluxu pulveris horæ metiuntur ſpatium. Alia rotata affabrè fabrefacta, & hæc plures induunt formas majores, minores. 459. 7.
Horoſcopus quando naſcenti cenſeatur fortunatus. 363. 18.
Hortorum cultura ab exemplis ſuadetur. 247. 2.
Horti amœniſſimi amplificatio per eruditiones conglobatas. 253. 11.
Hortationis, & dehortationis œconomia. 392. 18. Idea hortationis ſuccinctæ. ibid. 19.
Hortatoriæ orationis idea ex Curtio; alloquitur Alexander ſuos milites ad inſcendendum abruptum montem in Sogdianis, & ad arcem occupandam, cui nomen erat Petra. 392. 19. & ſeq. Dehortationis artificium expenditur. 392. 21. Idea orationis dehortatoriæ. 393. 21.
Humanitas quæ, & quomodo pingenda. 204. 6.
Humilitatis fundamenta, quibus Chriſtiana perfectio nititur. 782. 1. & ſeq.
Humilitas duplex interior. ibid. 2. Humilitatis actus plures. 783. 3.
Humilitatis proprietates quatuor aſſignantur. ibid. 4. Humilitatis cultores maluni cum

ſponſa

ſponſa nigreſcere, quàm cum diademate clareſcere. 783. 5. Non aſcendit ſanctitate, qui non deſcendit humilitate. 784.6.

Humilitatis cultor non flores cum terra foras explicat; ſed cum pelago gemmas intus fovet. 784.7. Chriſtus ſuo fortiùs exemplo quàm verbis nos edocet humilitatem. 785. 9. Patris æterni filius unà cum humanitate humilitatem aſſumpſit. 785. 10.

Humilitatis ſtudioſus vallium gaudet umbris. 786. 12. Gratia, & gloria fructus humilitatis, quibus nutriuntur cultores humilitatis. 786. 13. Arctus humilitatis nexus cum gratia, & gloria. 786. 14.

Humilitatis fructus lumen eſt, quo humilitatis ſtudioſus illuminatur. 789. 5. Lux diei, & gloriæ extrinſecæ Dei ſuam ab humilitate originem trahont. 789. 6. Terra, quia reliquis elementis humilior eſt etiam fœcundior. 790. 7.

Humilitatem qui excolunt ſerunt minima, & exigua, & metunt maxima, & grandiora. 790. 8.

Humilitas gaudet in umbriferis germinare vallibus. ibid. Nil clarius illuſtrat, quàm lutum humilitatis. 791. 10. Mentis oculi collyrio illiti humilitatis excuſſis terræ caliginibus divina aſpiciunt. 791. 11. Sapientia vera non percipitur niſi per aures inclinatas. 791. 11. Dei ſapientia non repletur ignis, quia ſublimis, & Lunæ conterminus: ſed terra quia humilis, & infima. 792. 13. Iſacar quia humilis enactus fuit fortitudinem. 792. 24. David non armis ſed humilitate ſuperavit Saulem. ibid. 15. Job quia humilitatis ſtudioſus inconcuſſa animi, & pectoris firmitate adverſa toleravit. 795. 18.

Humilitas Abrahæ poſteros multiplicavit ad numerum arenæ maris. 796. 21. Elias in domo Sunamitidis virtute humilitatis trimulum puerum emortuum ad priſtinæ vitæ revocat uſuram. 796. 21.

Humilitas, quos in cœnum dejicit, in cœlum erigit. 797. 1. & ſeq.

Humilitas ſuos cultores eò altius effert, quò profundius demittit. 797. 2. D. Petrus principatum Apoſtulatûs, ne caderet, vel nutaret, fundavit virtute humilitatis. 794. 4. Sponſæ capilli laudantur à ſponſo, eò quia Symbolum præſeferant humilitatis. 798. 5.

Humilitas ſuas in cœnum dejicit cultores, quos evehit in cœlum. 799. 7.

Humiles pariantur vallibus, quæ abundant frumento 800. 9. Eſtheria humilitas gentem Judaicam ſalvavit, & à morte liberavit. 801. 12.

Hydram ſeccare eſt unum tollere incommodum, & plura alia incurrere. 216. 200.

Hyemis à partium enumeratione deſcriptio. 154. 25.

Hyperbole eſt ſuperlatio cum aliquid augetur, vel minuitur ſupra rei veritatem. 416. 39.

Hyperbole fit tripliciter, quando plus facto dicimus: per ſimilitudinem, & per translationem. 416. 40.

Hyperbole eſt veritatis ſuperlatio, atque trajectio augendi, minuendique cauſa. 508. 1.

Hyperbole percurrens decem Ariſtotelis prædicamenta eſt pellucidus fons, è quo plures ſcaturiunt rivuli argutiarum. 508. 1. & ſequent.

Hypothipoſis dat animam rebus inanimatis. Per decem Ariſtotelis Prædicamenta plures eruuntur per hypothipoſim argutiæ. 309. 10. & ſeq.

Hypothipoſis eſt figura, quâ ſic ad vivum rem exprimimus, ac ſi gereretur ſub aſpectum. 421. 8.

Humilitatis culturâ S. Eliſabeth uteri invexit fœcunditatem, ac probum delevit ſterilitatis. 787. 14.

Humilitatis convalles fontes emittunt Salvatoris, è quibus ſcaturiunt rivuli gratiarum. 787. 15.

Humilitatis deſcenſus eſt in cœlum aſcenſus. 787. 1. & ſeq. Chriſtus tunc æterni Patris filius mundo manifeſtatur cum humiliatus in Jordane baptizatur. 788. 3. Cultor Chriſtianæ virtutis nihil facit, niſi ſe nihili faciat. 788. 4. David in Engaddæa ſolitudine Saulem vincit perſequentem non armorum violentia, ſed humilitatis exercitio. 793. 15. & ſeq. bellica fortitudo ſita non eſt in corporis magnitudine, ſed in animi demiſſione. 704. 17. Job quia in ſterquilinio humiliatus tartareum hoſtem proſtravit. 794. 18.

Humilitatis collyrio caligines excotiuntur cæcitatis, & tumor reprimitur humani faſtûs. 803. 1. & ſeq.

Humilitas adeo placuit Chriſto, ut eam aſſumpſerit in teſſeram ſuæ divinitatis. 803. 3. In horto humilitatis genera omnia aromatum germinant. 804. 4. Pulvis humilitatis venuſtatem reliquarum virtutum ſervat indemnem. 804. 5. Terra ſola, quia cæteris humilior elementis ad Dei concinendas laudes accerſitur. 805. 6. Deus quia altiſſimus non deſcendit niſi ad humiles. 805. 7. In convallibus humilitatis uberrima fructuum meſſis colligitur. 805. 8.

Humilitas non ſolùm vires reficit, ſed adauget. 805. 10. David non armorum apparatu, ſed funda & lapide, ſeu ſymbolo humilitatis Goliathum proſtravit. 806. 10. & ſeq. S. Macarij humilitas, & ſimplicitas dæmonem è corpore expulit obſeſſo. 806. 11.

Humilitas prodeſt ad inſidias hoſtis tartarei declinandas. 807. 12. Motiva pleraque humilitatis exercendæ. 807. 13. Cognitio ſui ipſius vera eſt ſapientiæ exercitium edocens humilitatis. 807. 14. & ſeq. cadaver hominis demortui humilitatem viventibus ſuadet. 808. 15. Jacob ne ſuperbiret ob delatam in lucta victoriam, ſignum incurrit humilitatis. 808. 16. Quos Deus ſuis cumulat donis, ne inde tumeſcant præſidio communit humilitatis. 809. Elias Theſbites exercitio humilitatis annonam viduæ incrementat. ibid. Ejus virtuti mira patrandi frœnum injicitur timoris, quo faſtus

coërcea-

coërceatur. 809. 2. & ſeq. Petrus Principatum Apoſtolatûs, ne mutaret, ſundamento voluit inniti humilitatis. 810. 3. Paulus carnis ſtimulo tumorem coërcet, & humilitatem ſovet. 810. 4. Homo qui ex humo, ſeu humilitate conditus ſecum Dei defert imaginem. 810. 5. Quos Deus ſpeciali vult prærogativa inſignitos iiſdem anſam exhibet ſe humiliandi, ne ſuperbo intumeſcant faſtu. 811. 6. Ezechiel delegatus à Deo ad populum ne tanto functus munere intumeſceret, vocatur filius hominis, ſeu ex humo conditus ibid. 6. Homo plura habet ut ſe humiliet, & nihil, quo intumeſcet. ibid. 7. Sponſa in canticis, cur parietur lunæ, & non potius ſoli. 811. 8. ſydere in cœlis coruſca, repræſentant in terris Symbolum regiæ dignitatis. 812. 9. Spicæ flaveſcentes, & curvæ Symbolum exhibent humilitatis. ibid. 9. Oculi carnei obliquè vident, rectè oculi Dei ibid. 11. Humilitas Davidem inunxit regem. 813. 12. & ſequent.

Humilitas eſt ſcala, per quam cœlum aſcendimus. 814. 14. Petrus firmaturus dignitatem Apoſtolici principatus ne unquam nutet, ſtuduit humilitati. 814. 16. Sanctitatis cultores ſunt humilitatis ſtudioſi. 815. 16. Viri ſancti umbris humilitatis ſatagunt ſplendores virtutum obtegere. 815. 1. & ſequent.

Humilitas Virginem matrem ad ſummum evexit apicem ſanctitatis, & dignitatis. 816. 3. cedrus quò profundiùs radices egit, eò ſublimiùs remit excreſcit. 816. 5. Chriſtus Magiſter humilitatis, quam exemplo fortius, quàm verbo homines edocuit toto vitæ tempore. 817. 7. imò etiam in ipſis miraculis patrandis humilitatem exercuit. ibid. 8. Homo ex ſui cognitione anſam tantùm habet ſe humiliandi. 818. 10.

I.

IAni bifrons dicitur de viro prudente perpendente præterita, & futura. 216. 202.

Iconomyſtica ars plurimum ſuppeditat oratoribus præſidij. 202. 1. & ſeq.

Idolopæia fit cum perſona nota, etiam emortua introducitur loquens. 423. 15.

Jejunium quomodo inſtituendum: producuntur plures SS. Patrum ſententiæ. 873. 1. & ſequent.

Jejunium Chriſti in deſerto fuit argumentum dœmoni ejus inferendi divinitatem. 757. 27. & ſeq. & 758. 31.

Jejunium eſt tantæ præſtantiæ, ut homines elevet ſupra humanam conditionem. 758. 32.

Jejunium reparat ruinas, quas gula invexeret. 759. 35.

Jejunium lapſos erigit. 760. 36.

Jezabel interpretatur carnis fluxus, propterea debuit Elias jejunio armari ad retundendos iraſcentis fœminæ impetus. 760. 38.

Jejunium licèt videatur corporis vires infringere, eas tamen ad victorias corroborat; hujus ſpecimina fortitudinis Samſon dedit. 761. 36. Imò non ſolùm vires jejunium corroborat; ſed & victoriam de proſtratis hoſtibus impertit. 761. 40. Quantæ ſit jejunium efficaciæ ad hoſtiles impetus propulſandos oſtendit Saul contra Allophylos. 761. 41.

Jejunium non debet eſſe tantùm ab eſculentis, & poculentis, ſed potiſſimum à vitijs. 762.

Jejunium ſanctificetur per exercitia virtutum, & corroboretur per abſtinentiam. 760. 43. Verum jejunium non ſolùm abſtinentia paſcitur corporis, ſed etiam oratione pingueſcit. 763. 44. Samſon, & Samuel per jejunium ſanctificatum conceſſi fuerunt parentibus. 763. 45.

Jejunij aratro noſtri cordis tellus proſcindenda, ne ſterileſcat, ſed virtutum flores, ac meritorum fructus producat. 763. 46.

Jejunium nobis aperit paradiſum, quem gulæ indulgentia clauſeret. 763. 47. Virgo mater filia fuit jejunij; ſimul & arca, quæ in filio quem peperit, genus humanum ne periret dolorum cataclyſmo nunquam ceſſando ſalvavit. 764. 48.

Ignium artificialium, & feſtiva flammarum ſpectacula deſcribuntur. 460. 10. & ſeq.

Ignis proprius non alienus DEO offerendus. 547. 3.

Ignis ſacri cuſtodiæ Virgines Veſtales acceſſitæ Romæ. 556. 3. & ſeq.

Ignorantia quomodo delineanda, ut oculis ſubjiciatur. 204. 6.

Ilias malorum nos manet; ſeu ingentia imminent incommoda. 217. 205.

Ilienſes virgines viro nupturæ ad Scamandrum fluvium accedebant ſordes corporis beneficio ablutionis exuturæ. 368. 42.

Imaginum ad perſuadendum mira vis, & energia. 201. c.

Imaginationis vitium plerumque viros dementat. 189. 16.

Imitatio eloquentiæ profeſſori neceſſaria eſt, qua orator Rhetorum illuſtriorum inſiſtens veſtigijs eorum imitatur perfectiones, ac artem eloquendi. 25. 5.

Imitationis præcepta, & cautiones expenduntur. 25. 1. & ſeq. ſatius paucos præexcellentes imitatur orator, quàm plures. 27. 6. Nequam eſt qui ubique vult eſſe ibid. Plato fuit imitatus Philolaum. Cicero Platonem S. Cyprianus Tertullianum. 27. 7.

Imitatione, quæ ſint digna cenſenda; & quomodo quæ imitamur ſint inſtituenda. 27. 1. & ſeq.

Imitamur præſertim Inventionem, diſpoſitionem, & elocutionem. 27. 1.

Inventio uberrimus eſt fons, ex quo rivuli omnes eloquentiæ ſcaturiunt. 27. 2.]

Imitatio, ut rectè procedat, plura ſunt obſervanda. 28. 5.

Imitatio fit multipliciter. & donantur explicatu regulæ plures ritè imitandi authores. 29. 1. & ſeq. Expenduntur regulæ multipliciter imitandi, ac eleganter variandi grammaticaliter, Rhetoricè, ac logicè unam, eandemque ſententiam. 30. 1. & ſeq.

In antro Triphonij vaticinari, de quo paræmialiter dicatur. 217. 206.

Inductio eſt argumentatio, in qua ex pluribus particularibus ſufficienter enumeratis elicitur generalis concluſio. 227. 5.

Inductio eſt argumentatio, oratoribus perquàm familiaris. 231. 1. & ſeq.

Ingenium verſatile quid ſit. Et quomodo ſit cauſa efficiens argutiarum. 479. 1. & ſequent.

Ingenioſi ſive Poëtæ, ſive oratores, ſive artifices, cur melancoliei. 483.

Ingenij cultura oratori pernecesſaria. 100. 1. & ſeq. Ingenij deſcriptio ibid. 1.

Ingenij ſagaciſſimi opus fuit illud Archimedis, quò oavem onuſtam traxit. 101. 3. Architæ Tarentini lignea columba per aëra volans. Myrmecidis quadriga eburnea. Leonardi Vincij verſatillis leo ibid.

Ingeniorum tria genera expenduntur. 101. 4.

Ingeniorum delectus qualis, confertur ingenium eum agro, utriusque enim mira varietas, & cultura. 18. 3.

Ingenium humanum eminet præſertim in horologijs, quæ rotis circumaguntur, quibùs videtur in triumphum duci. 19. 4. horologia variè ab humano ingenio conſtructa ibidem, & ſeq.

Ingeniorum varietas non oritor ex ſpecifica animorum diverſitate, ſed ex varijs affectionibus corporis, sëris, loci, 19. 7.

Ingenia præſertim dignoſcuntur ex ijs, quæ quisque ex animo exteriùs prodit. 20. 8.

Ingenia alia perſpicacia, alia obtuſa, quædam velocia, nonnulla tarda. 20. 9.

Ingenia ſedata, & manſueta, ad omnem rationem humanitatis proniora cæteris præferuntur. 20. 11. ut & commendantur ingenia ſimplicia, candida, ſolertia, acria, acuta, prompta ibid. Ingenia Chriſtiano cultu non hebetantur, ſed acuuntur non langueſcant, ſed corroborantur. 21. 14.

Ingeniorum mira varietas. 70. 2. & ſequent. Chriſtallina machina mira ingenij ſolertia elaborata. 70. 2.

In holmo cubare quid ſit. 217. 208.

Inſtrumenta Agriculturæ excolendæ orationi in Rhetorum campo aptè inſerviunt. 435. 1. & ſeq.

Interrogatio figura eſt, quâ alios interrogamus, vel ſciſcitandi, vel arguendi, vel monendi gratia, & multipliciter poteſt hæc figura inſtitui. 420. 1. & ſeq.

Interrogatio, & reſponſio ſimul, pulchra eſt in oratione figura. 427. 4.

Interitus ut eſt locus topicus quomodo oratori inſerviat ibid. 5. Ab Interitu commendantur viri illuſtres ibid. Ab interitu laudatur Eleazarus Machabæus, qui introducitur loquens ad amicos. 165. 5.

Interpretatur S. Vincentius martyr alloquens Tyrannum. 153. 13. & ſeq.

Interpretatur Amedei Sabaudiæ Ducis propoſitio, quâ dixit, *pauperes ſuos eſſe venaticos canes.* 112. 1.

Interpretatio plurimi eſt momenti, effata quæque paucis comprehenſa verbis laxiſſimè amplificat ibid. 2.

Interpretatio eſt orationis ornatus, quo alterius mentem, vel effatum pluribus eruditè interpretamur. 112. 1.

Inventio prima Rhetorices pars definitur à Tullio 1. Rhetor. cap. 2. rerum verarum, aut veriſimilium excogitatio, quæ cauſam probabilem reddant. 22. 3.

Inventiones Panegyricæ quomodo inveniendæ per continuatam allegoriam 359. 2.

Inventionis fontes indicantur, & aperiuntur. 108. 1. & ſeq.

Inventio quomodo definiatur à Cicerone. 108. 2. Dicendorum materiam à pellucidis inventionum fontibus haurire debet orator. 109. 7.

Iovidi deſcriptio, & calumniatoris ex Ammiano. 118. 5.

Invita minerva aliquid agredi; eſt contra naturalem propenſionem aliquid agere. 217. 210.

Jobus invicta fortitudine ærumnas, dolores, ægritudines, bonorum temporalium paſſus eſt jacturam. 340. 7.

Job vir fortis in tolerandis adverſitatibus, corporisque infirmitatibus. 724. 6.

Joachimus Virginis Mariæ genitor ſpe ſui nominis alebatur. 545. 4.

Joannes Dux Andegavenſis Neapolitanum Regnum, quod Alphonſus Aragonius jam occupaverat repetiturus vexillis militaribus inſcripſit. *Miſſus, cui nomen erat Joannes.* Sed Alphonſus in ſuis vexillis ſcripſit. *Et ſui eum non receperunt.* 503. 4.

Iro pauperior, de illo, qui è pinguiori fortuna ad extremam paupertatem fuit perductus. 217. 211.

Ironia eſt ſimulatio, aut illuſio, quâ aliud in pectore recluſum eſt, & aliud in lingua promptum habemus: eſtque ſermo, quo irridendo, vel inſultando contrarium ſignificamus. 415. 36. Fit ironia perſona, vel pronunciatione. 415. 36.

Ironia fit per charientiſmum, per aſtiſmum, per ſarcaſmum, & per mictoriſmum. 416. 36.

Iſocratis Athenienſis cultor elocutionis; laudatur ejus eloquentia. 400. 2.

Iſthmum perfodere, eſt irrito conatu aliquid moliri. 217. 212.

Joſeph in Ægypto caſtitatis cultor pallium à fœmina preheoſum impudica reliquit, & fugit, ne luxuriæ peſtis per contactum irreperet, & caſtitatem interimeret. 93. 4.

Judas proditor emblemate delineatus à S. Joanne Evangeliſta. 712. 23.

Iſcolon figura eſt ad concinnitatem periodi plurimum valens. 419. 7.

Jucunda ratio plurimum obtinet roboris ad perſuadendum. 390. 10.

Judiciale genus quomodo tractandum. 396. 1. & ſequent.

Judiciale genus eſt multiplex, compoſitum, anticathegoricum, ſimplex ibid. 3. Judicialis generis œconomia expenditur. 397. 4. Accuſationis œconomia. Exordium ſumitur

tur à miſerijs temporis, à moribus corroptis, ab inſolentia deperditi hominis. 397. 5.

Judices merita cauſæ exemplo Chriſti maturè diſcutiant, & aliorum etiam judicio ſubjiciant. 621. 10.

Judicis ſententia non afferat plus gravaminis, quam reus mereatur. 621. 11.

Judices vineæ parabolâ à Chriſto adocti quomodo in tribunalibus ſuo debeant munere fungi. 621. 12.

Judices in neutram propendeant partem; merita tantùm aſpiciant cauſæ, ne ſententia ulli ſit gravamini. 622. 14.

Judices in proferendis ſententijs nulla ſe ſinant paſſione duci. 622. 25.

Judices, ut cauſæ Principis faveant, non ſint pauperibus gravamini, eorum cauſam juxta merita promoveant. 623. 17.

Judicis affectus, & propenſio in præpotentem mentis aciem obtundit, & judicium corrumpit. 623. 18.

Judices Ethnicæ ſuperſtitionis, cur Chriſtianos reos cenſuerint Imperatoriæ majeſtatis. 623. 19.

Judex niſi omni fuerit paſſione ſpoliatus, in eam ſemper partem propendet, cui paſſio favet. 624. 21. Pro affectuum diverſitate Chriſtus à Pilato innocens declaratur, & ab alijs damnatur, ut reus. 624. 22.

Judea quos induit affectus, eoſdem accerſit legis interpretes. 625. 27.

Judex facilè in dignitatem præpotentis ſinit ſe affectu trahi. 626. 28.

Judex quis eligendus. 626. 29. Judex nullo affectu debet eſſe præoccupatus. ibid. 30.

Judicis Symbolum fuit Moyſis virga, quam Deus voluit rectitudinem præferre, & omnem prorſus exuere obliquitatem. 627. 31.

Judicem non paſſio, ſed ratio trahat ad ſententiam ferendam. 627. 33. Inermis ratio in probo judice plus habet roboris, quàm poteſtas armata. 628. 35.

Judex non eſt juſtitiæ Dominus, ſed miniſter, & tenetur juxta leges judicare. 629. 35. Non judicat pro ſuo libito, ſed juxta merita cauſæ. 629. 36.

Judex rigorem juſtitiæ clementiâ temperet. 629. 37. Viri principes plus commendationis meruerunt ex ſtudio clementiæ, quàm ex rigore juſtitiæ. ibid. 37. & ſeq.

Jumenta Symbolum præſeferunt peccantium, qui in famulatu detinentur cacodæmonis. 615. 43.

Jurisprudentia eſt ſcientia juris, ſeu juſti, & injuſti ad res divinas, & humanas pertinentis. 472. 32.

Juſtitia multipliciter definita per metaphoras conglobatas. 279. 16.

Jus civile eſt quod reſpublicæ ſæculares conſtituunt ob bonum commune. 472. 33.

Juſtitia ut ritè adminiſtretur, plura requiruntur. 307. 1. & ſeq.

Juſtitia laudatur. & dividitur in naturalem, legitimam, & ex conſuetudine. 346. 4.

Juſtitia Reipublicæ provida moderatrix. 618. 1. & ſequent.

Juſtitiæ nomen dupliciter uſurpatur. ibid. 2.

Juſtitia eſt voluntas dandi unicuique ſuum. ibid. 3. Juſtitiæ ſacrificium quale. 619. 4.

Juſtitiæ unguento Maria Magdalena unxit Chriſtum. ibid. Juſtitiæ unguento reliquæ junguntur virtutes. 619. 5.

Juſtitia, & Pax amico fœdere copulentur in Principe. 619. 6. Judex omnem ſubmoveat querelæ occaſionem. 620. 9.

Juſtitia ita exercenda in reos, ut amaritudo ſupplicij dulcedine miſceatur lenitatis. 630. 39. & ſeq.

Juvenis amaſii, qui vanitati unicè ſtudet deſcriptio, 120. 13.

Juvenis in aſceterio culturæ virtutum, & pœnitentiæ vacans exercitijs deſcribitur, 128 14.

L.

LAbrax Mileſius in quem torqueatur. 217. 215.

Labyrinthum ingredi dicitur de negotio perdifficili inſtituendo. 217. 216.

Lacrymæ S. Mariæ Magdalenæ multipliciter amplificantur argutè. 38. 9. & ſeq.

Lacryma nil citius areſcit. 217. 218.

Laidæ locare noctes quid. 217. 219.

Latro reſipiſcens in cruce, vel in ipſo ſupplicio furatur cœlorum Regnum. 703. 56.

Laſcivia quomodo pingatur. 204. 6.

Laſcivia mater eſt impœnitentiæ. 781. 50.

Laus à prudentia. 346. 3. à Juſtitia ibid. 4. à Fortitudine ibid. 5. à temperantia ibid. 6. à virtute clementiæ. 347. 7. à liberalitate, ibid. 8.

Laus à dotibus corporis, ab agilitate. 347. 10.

Laudatur perſona à fortuna, conditione, inſtitutione. 347. 11.

S. Laurentius laudatus ſub allegoria ignei Eliæ currûs. 360. 7.

D. Laurentij illuſtre martyrium comparativè amplificatum. 267. 3.

Lazarus è ſepulchro à Chriſto reſuſcitatus argutè expenditus. 488. 16.

Lectio vaga, & varia nulli fixa materiæ certæ vitanda eſt; plus ſolet habere laboris, quàm utilitatis. 46. 15.

Lecta, & ſelecta plura ex Seneca ſubjiciuntur, ut inde diſcat eloquentiæ profeſſor utiliora ex authoribus ſeligere, ac in proprijs adnotare ſylvæ locis. 48. 21. & ſeq.

Lectio librorum, & ſelectio rerum notabilium Oratori pernecesſaria. 40. 4. Illuſtriora eloquentiæ lumina ex umbris hauriuntur librorum. ibid. 5.

Lectioni librorum die, noctùque operam dederunt Theodoſius Imperator. Lodovicus Granatenſis. Auguſtinus Stenchius. Cleantes, qui fertur hoſtiatim ſtipem petijſſe, ut libros ſibi compararet, quos legeret. 41. 6.

Legendi ſunt æquè veteres, ac recentiores cum non minus iſti, quàm illi floruerint eloquen-

eloquentiæ cultorâ. 41. 8. In legendorum delectu Authorum adhibenda eſt diligentia, ut animadvertamus, qui atticas, qui laconicas compoſuerint orationes. ibid. Ut lectio proſit non multa perfunctoriè legenda ſunt, ſed pauca conſideratè. 42. 10.

Lectioni addenda eſt ſelectio eorum, quæ ad animos alliciendos plurimum præleferunt soboris, & aucupij. 42. 11.

Legati ad principes, cur Oratorum nomenclatura cohoneſtentur. 14. 10.

Legiſlatores fuerunt apud Babylonios Zoroaſtres. Apud Athenienſes Minas. Apud Romanos Numa. 390. 14.

Leo per continuatam allegoriam confertur cum D. Hieronymo. 268. 6.

Leonis proprietates, & laudes recenſentur. 361. 12.

Leonis natura, & proprietates expenduntur, & argutiæ ab ijsdem eruuntur. 515. 27.

Lethæo ex gurgite aquam bibere. 207. 35. Lethæas haurire aquas dicitur de ſene, qui memoriam perdit. 217. 221.

Levitæ erant viri Religioſi, quibus Deos inhibuit poſſidere terram. 635. 16.

Lex Solonis, quâ vetuit aſportari fructus extra Atticam præter oleum. 556. 2.

Lex qualis ſit, & quomodo dividatur in participatam, & imparticipatam. 162. 2.

Lex humana quantæ ſit utilitatis. 162. 3.

Legum neceſſitas commendatur à Cicerone. 163. 3. A legibus, & conſuetudinibus nervoſa eruuntur argumenta. 163. 4. A lege ſancita nonnunquam deflectendum, & quando. 163. 5. & ſeq. Cæſar Auguſtus maluit legem frangere contra teſtatoris voluntatem, quàm verſus Virgilij extradere flammis. 163. 5. ſubinde qui per unam legem damnatur, per aliam liberatur. 163. 7.

Liberalitas, quomodo amplificanda. 282. 22. & ſequent.

Liberalitas Alexandri Macedonis in filiam Perilli dotis cauſa. ibid. 23. Titi Imperatoris, Nervæ, & Veſpaſiani liberalitas laudatur. ibid.

Liberalitas laudatur, eò, quia ſit proprius character principis. 282. 24.

Liberalitas generoſum, ac Regium prodit animum, cujus eſt nobile ornamentum. 689. 1. & ſeq.

Liberalitas eſt virtus moderativa circa pecunias. 689. 2. Nomine pecuniæ intelligitur quidquid cedit in commodom alterius. 690. 2.

Liberalitas propriè Deo convenit cum omnia bona ſpiritualia, & corporalia merè gratis nobis impertiatur. 690. 4.

Liberalitas Principem decet. 690. 6. Liberalitas principis debet authoritate fulciri, ut poſſit ſubditos continere. 691. 7. Princeps ita ſit in milites liberalis, ut ſimul eorumdem valeat inſolentiam coërcere. 691. 8. Principes, & qui alijs præſunt omnes excutiant ſordeſcentis avaritiæ pulveres. 691. 9. Pincerna Pharaonis quia munificus, & liberalis gratiæ reſtituitur principis: non ita Piſtor, quia avarus. 692. 10. & ſequent. Liberalis viri manus à manibus non abludunt ſatoris ſemina ſpargentis. 693. 15.

Liberalitas dat prodigia ſpectanda, à quibus ſuam prodigalitas trahit nomenclationem. 693. 17. Manus liberalis ſunt tornatiles, eò quia beneficæ in omnes. 674. 18.

Liberalitati objectum quale. ibid. 19. Elargitio à liberalitate profecta debet omnino eſſe gratuita. 694. 20.

Liberalis ita beneficia confert, ut nullam inde expectet repenſionem. ibid. 21.

Liberalitas quomodo exercenda juxta regulas honeſtatis. 695. 23.

Liberalis læta fronte, & prompta manu beneficia alijs impertitur. 695. 26.

Liberalitas vera ab omni abhorret jactantia, omnémque elationis tumorem coërcet. 696. 31.

Liberales non ſunt qui munera à ſe collata alijs, evulgant; eorúmque pretium exaggerant, 799. 12. Chriſtus cur ſuam tacuerit divinitatem in exercenda liberalitate. 799. 33. Spiritus ſanctus ſua Apoſtolis daturos dona in igneas diſpertitus linguas ad ipſos deſcendit meridiano tempore, ut minus elargitio donorum foret conſpicua hominibus. 799. 34. Jacob munificæ liberalitatis cultor, quæ contulit beneficia, non evolgavit, ſed imminuit. ibid 35. Joſeph in Ægypto liberalis, & munificus ſuis cum fratribus. 698. 37. Abraham modum liberalitatis exercendæ poſteros edocuit. 698. 40. Deus cupidus ſuæ liberalitatis exercendæ in homines. 699. 41. Deus adeo liberalis, ut accipere reputet, quæ nobis beneficia elargitur ibid. 43. Deus nil avidius videtur appetere, quàm ſua nobis impertiri beneficia. 700. 46. Plus ſemper nobis dat, quàm ab ipſo petamus. 703. 55. & ſeq. Non ſinit Deus munifica ſe vinci ab hominum liberalitate. 704. 60. compenſat unguentum Magdalenæ, & duo minuta à muliere vidua oblata. 704. 61. & ſequent.

Libido eſt animi peſtis ſolo tactu contrahitur, & tangentem interimit. 95. 4.

Libri erroribus ſcatentes legendi ſunt cautè, perinde ac canes in Ægypto aquas ebibunt Nili. 43. 5.

Literæ Uriæ proverbiali ſchemate, de quo dicantur. 207. 25.

Literæ humaniores comprehendunt Grammaticam, Poëticam, Oratoriam Hiſtoriam, Dialecticam Ethicem. 464. 4.

Linea incipit à puncto, & deſinit in punctum; eſtque ſimplex, vel mixta coaleſcens ex recta, & curva. Alia eſt comparata; alia parallela. Ex concurſu linearum fit angulus. 469. 21.

Litierſam cantionem canere quid ſit. 217. 222.

Loggriphus nodos implicat in ipſis literis. 415. 34.

Loth vino immodico madidus à propria filia ad peccandum inducitur, quæ marem enixa nomen eidem Moab indidit, ut Patris ſoe-

lus in filio poſteris manifeſtaretur, 608. 33. & ſeq.
Loth, cur non rogeverit Deum, ut parceret Sodomæ. 781. 50.
Lucerna quæ ab Hebræis in honorem Sabbathi accendebatur, cur bilycnis. 564. 15.
Lucernæ animæ noſtræ oleum miſericordiæ ſuppeditandum, ut ardeat, & ſplendeat. 565. 17.
Lucernæ multo lumine coruſcæ, cur olim in nuptijs adhiberentur. 369. 55. Metres nuptiales faces præferre olim conſueverunt. 369. 56.
Luſcinia habetur Symbolum muſicæ. 200. 14.
Lutum exornâre quid ſit, & quomodo parœmialiter dicatur. 208. 48.
Luxus in epulis luculenta deſcriptio. 155. 17.
Lyncæus homo dicitur de perſpicaci. 217. 225.
Lydorum caricas exhibere quid. 217. 226.
Lydio concredere lapidi, eſt opus dare exemini cenſoris. 217. 224.

M.

MAchabæorum fortitudo in tolerandis ab Antiocho Martyrij doloribus. 231. 20. & ſeq.
Mæandris ſcatere dicitur de re deflectente à rectitudine. 217. 228.
Megdalena, cur repulſam fuerit paſſa eum vellet Chriſtum redivivum tangere. 539. 13.
Magdalenæ lacrymæ, quibus lavit pedes Chriſti argutè amplificantur. 38. 9.
Magnanimitatem repræſentat Virago rictu galeata leonino, ſceptrum manu gerens. 204. 6.
Magnus cur adagialiter dicatur eſſe magnes. 205. 3.
Manſuetudo Eliſæi in Benadadum, ejúsque milites, à quibus quærebatur ad necem. 666. 26. & ſeq.
Manſuetudo adeo placet Deo; ut voluerit eadem pollere Patriarchas, qui Chriſti Domini futuri erant parentes. 667. 20.
Manſuetudine, & vigilantia qui pollent, ad hominum regimen eptantur. 667. 20.
Manſueti amore, non terrore ſubditos regunt. 668. 21.
Manſuetudine delectatur Deus præſertim in viris principibus. 668. 22.
Manſuetudo, & clementia regni ſunt fulcimenta. 670. 27.
Manſuetudine, & clementia ſi princeps ſpolietur, principatu privetur. 670. 28.
Manſuetudine voluit Chriſtus in ſuo triumpho ſplendere, ut homines manſuetudinem doceret in proſpetis. 671. 33.
Manſuetudine, & miſericordia qui carent, alijs regendis ſuat minus apti. 672. 33.
Manſuetudo Virginis Matris Deum illexit, ut noſtram in ejus utero indueret humanitatem. 672. 36. Oſtenſurus Deus Moyſi omne bonum, ſtatim miſericordiæ meminit, & manſuetudinis. 673. 38.
Mali corvi malum ovum. 217. 232.
Mali thripes, mali ipes dicitur quando ex duobus malis æqualibus neceſſe eſt, alterum incurramus. 217. 233.
Margarita Juſtiniana nobilis Veneta Monialium cœnobium ingrediens comam reſecat: amplificetio arguta. 302. 8.
Martyres eò glorioſiores, quò plura, & acerbiora fuerunt pro Chriſto paſſi ſupplicia. 343. 17.
Maria Virgo laudata ſub allegorie lauri. Vel Margariti in ſinu conchilij. Vel Iridis. 560. 6. D. Maximus Antiſtes Taurinenſis commendatur, quia nominis ſui latitudinem virtutibus implevit. 365 30.
Mare eſt vita præſens pluribus commovetur tribulationum fluctibus; & adverſitatum procellis agitatur: ſole patientia nos ad malaciam portûs perducit. 740. 17.
Matia, cur olla Moab eſſe dicatur. 545. 4.
Marie fuit aula ſpei, & olla ſpei ibid.
Maria cur vocetur Regina miſericordiæ, & non potius Imperetrix. 673. 42.
Maria Virgo gaudet pariari olivæ ob miſericordiam, & Platano ob tutelam, & protectionem. 674. 43.
Marſyas Apollinem provocat. 217. 234.
Materiæ locus expenſus. Eſt materie cauſarum præſtantiſſima, ac omnium in corporibus prima, 110. 1. & ſequent.
Materia propriè eſt cauſa intrinſeca eſſentialis compoſiti materialis; eſtque, ex qua aliquid fit. 110. 2.
Materia ſecunda eſt omne id cadens ſub ſenſum, ex quo dicitur aliquid conſtare. 110, 3. Tripartitur in materiã ex qua, in qua, circa quam. ibid. 4. Ab hoc loco materiæ Cedrenus laudat menſam Juſtiniani Imperatoris. 110. 4. Materia in qua eſt ſubjectum formæ cujuſvis ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis. 111. 6. Ab accidentibus & circumſtantijs arguitur quale ſit ſubjectum. 111. 7.
Materia, circa quam habitus, & actus verſantur, explicatur. 112. 9.
Matheſis veluti genus plures complectitur ſpecies, de quibus plures ſcripſerunt. 46. 14.
Matheſis comprehendit plures artes liberales, & mechanicas. 465. 7.
Maximilianus Emanuel Bavariæ Dux comparatur cum alijs virtute bellica præclaris viris. 495. 3.
Mechanicæ plures artes recenſentur, & officinæ, è quibus ornamenta deſumuntur oratoria. 453. 1.
Medea hic videtur furere, dicitur de fœmina furore percita. 218. 237.
Meduſæ crines fallaces. 218. 237.
Megeræ nupſit, ſeu mulieri rixoſæ, & iracundæ. 218. 238.
Mediũ probabile adhibendũ in argumentis ex locis intrinſecis, & extrinſecis. 234. 1. & ſeq.
Melancholia eleganter in tabula picta ab Alberto Dureto laudato pictore deſcribitur. 121. 16.
Melancolicus humor quomodo dicatur ingenioſis favere. 483. 6.

Melancolia depicta ab Alberto Dureto inſigni Pictore deſcribitur. 204 6.
Memoriæ præſidium oratori perneceſſarium. 97. 1. & ſeq. Mnemoſyne, ſeu memoria Muſarum nutrix. ibid.
Memoria plurimum adfert oratori commodi. 97. 3.
Memoria trifariam partitur. 98. 4. Memoratricis facultatis duo aſſignantur actus. 98. 5. actus reminiſcentiæ quid propriè ſit. 98. 5.
Memoriæ ſenſitivæ organum reſidet in poſteriori parte capitis, quæ occiput dicitur. 98. 7. Memoria ex plutibus cauſis læditur. 98. 8. Memoriæ excolendæ ars, & ſubſidia. 99. 9. & ſeq.
Memoria eſt per ſe labilis, ſegnis, fallax, & infida, ac rimarum plena, veluti cribrum ſtatim fundit, quòd in ſinu ſuſceperat, ideo exigit juvari beneficio ſylvæ adnotandæ. 46. 17.
Memoria eſt firma rerum, ac verborum ad inventionem perceptio, eſtque præcipuum oratoris præſidium. 22. 8. recenſentur plures qui memoriâ excelluerunt. 23. 11.
Menelao Græco oratori tribuitur arguta brevitas in orationibus, quas habuit ad populum. 477. 1.
Mens labirinthæa, ſeu multiplici confuſione obvoluta. 208. 49.
Menſes per annum Numinibus dicati. 382. 108. ſubjiciuntur variæ eruditiones. ibid.
Menſis alius ſolaris, alius lunaris. 471. 28. Menſis periodicus ibid. Menſis biſſextilis nomen unde derivetur. 471. 27.
Mercurij talaria inter pugnandum induere, eſt ſe dare præcipiti fugæ. 118. 239.
Meſſana civitas in Sicilia ſuis commendata laudibus. 111. 7. & ſeq.
Metallarij intima ſcrutantur telluris viſcera, quæ ab hominum avaritia dilacerantur. 450. 3.
Metalepſis eſt tranſumptio, & rarus tropus ad Poëtas magis, quàm oratores pertinens. 407. 2. & ſeq.
Methanæa non laborare quid, & quomodo parœmialiter dicatur. 207. 38.
Metaphora Proportionis fons eſt, ex quo ſcaturiunt argutiæ concionales. 93. 4.
Metaphora Attributionis fœcunda parens argutiarum concionalium. 93. 7.
Metaphora æquivoci uberrimum ſuppeditat fontem, à quo argutiæ hauriuntur concionales. 94. 8.
Metaphora Hypotipoſis uberem ſuggerit materiam pro argutijs concionalibus conficiendis. 94 10.
Metaphora fundata in Hyperbole, quatenus eſt ratio augendi, vel minuendi, radix eſt fœcunda, è qua pullulant argutiæ concionales. 95. 12.
Metaphora Laconiſmi quatenus eſt effatum perbreve plura complectens explicato laxiora, argutandi materiam ſuppeditat. 96. 13.
Metaphora deceptionis fons eſt uberrimus, è quo plures dimanant concionales argutiæ. 96. 15.
Metaphora eſt tranſlatio propriæ ſignificationis vocabuli in aliam minus propriam 403. 2. Metaphora per ſimilitudinem, quæ ſit, & quomodo invenienda ibid. 3.
Metaphoræ interdum augent, nonnunquam minuunt. ibid. 4. Metaphoræ quatuor modis fiunt. ibid. 5. & ſeq.
Metonymia eſt tropi genus, quô res una ponitur, & alia intelligitur. 405. 1. & ſequent. fitque ſex modis cum ſumitur cauſa pro effectu. Vel effectus pro cauſa. Vel continens pro contento. Vel contentum pro continente. Vel poſſeſſor pro re poſſeſſa. Vel ſignum pro re ſignata. ibid. 3.
Midæ inſignitri auriculis torquetur in homines ſtolidos. 218. 240.
Minervæ felem comparare quale ſit adagium, & quando adhibendum. 218. 241.
Miles eligendus non emendus, monitum Sergij Sulpitij Galbæ. 517. 7.
Minutiarius faber conficit acus ferreas, æneaſque ſpinas, ſpinulas, cuſpidulas, nodatas. 450. 7.
Miſericordia charitati innixa, eſt fructus ejuſdem ſapidiſſimus. 561. 1. & ſeq. Eſt miſericordia dolor de malo alieno involuntario æſtimato ut proprio, & aliquo modo contra dignitatem perſonæ miſerabilis. 561. 2. & ſeq. Malum perſonæ miſerabilis duplicer fit proprium miſerentis. 561. 2.
Miſericordia Deo tribuitur, quatenus noſtris opitulatur indigentijs, ſuis nos cumulat beneficijs. 563. 8.
Miſericordia eſt virtus, cujus munia obire virum decet Chriſtianum. 265. 9. Veſtis quam miſericordia intexit plurimo ornatu elegans. 263. 10.
Miſericordiæ oleo ungamur, ne in hujus vitæ luctu ſuccumbamus. 564. 12.
Miſericordiæ ornatu delectata ſponſa, ejus gemmam cæteris prætulit lapillis. 567. 24.
Miſeratio omnibus congruit naturis etiam ratione, & ſenſu deſtitutis. 568. 32.
Miſericordia exercenda ab omnibus eſt, & omnibus beneficia impertienda. 569. 36.
Modi varij citandi veterum teſtimonia ab oratore exhibiti. 171. 3.
Moleſtia quomodo pingenda, ut oculis ſubjiciatur. 204. 6.
Momo ſatisfacere eſt inculpatè ſcribere, vel operari. 218. 245.
Momus ſequitur quidquid eſt pulchrum quomodo dicatur proverbialiter. 206. 5.
Mortis meditatio præſentiſſimum contra vitia quæque amuletum. 177. 62. & ſeq.
Mortis refricata paſſim memoria pravos quoſque compeſcit affectus. 592. 34.
Mors optima morum magiſtra, ejus ſcholam neceſſe eſt frequentemus, ſi addiſcere velimus rectè vivere. 599. 35.
Mortis memoriam vult Deus nunquam in nobis immori, ut piè ac ſanctè vivamus. 600. 38.

Mors licèt ſi privatio vitæ, multipliciter repræſentatur, ut ſub ſenſue cadat exteriores. 203 3.
Mors optima morum magiſtra, nos edocet rectè vivere. 589. 1. & ſeq.
Mortis hora, cur noſtra eſſe dicatur. 595. 22.
Mors, quam vite bona præceſſit non planctu, ſed cantu ſuſcipienda. 595. 23. More Juſtorum honorifica. 596. 26.
Mors impij miſera. 597. 29.
Mundi illecebræ tartarei hoſtis ſunt retia. 187. 98. & ſequent,
Mundi totius harmonia, & mira pulchritudo. 150. 2.
Mundus eſt quoddam veluti æſtuarium alternis incrementis, & decrementis reciprocum. 719. 16.
Muſica è muſa, & cantu dicta verſatur circa numerum ſonorum, eſtque ars canendi juxta præſcriptas leges, 468. 18.
Muſica alia harmonica, alia orgenica, alia ſymphoniaca. ibid. Muſicæ toni, & tonorum nomina donantur explicatu. 468. 18.
Mudi muſici plures, & varij ſunt, & explicantur. ibid. Pertes muſicæ expenduntur, ibid. 19. Vocis defectue in Muſica. ibid. Vocum variationes, & inflexiones. ibid.

N.

NAbuchodonoſor divitijs affluens vitijs ſervit. Somniat arborem tantæ proceritatis, ut vertice nubes contingeset, & ampliſſimo foliorum explicatu terram totam inumbraret. 609. 26.
Nabuchodonoſor ſuperbiæ tumore inflatur ob urbis Babylonicæ ſplendorem. 609. 27.
Nebuchodonoſor non ſolùm è cætu Numinum dejicitur, verùm etiem ab hominum conſortio, & brutis adſciſcitur. 611. 30.
Nabuchodonoſoris ſomnium à Daniele interpretatur. 668. 22. & ſequent. Nabuchodunoſor ſuperbie tumidus colli in aurea ſtatua voluit, ſibique exhiberi obſequia ſoli Deo debita: & tres Juvenes hebræos detrectantes id præſtare in fornecem ignis ardentie projicit flammis urendos. 669. 23.
Nabuchodonoſor à Deo ponitur. 670. 26.
Narratio in ſacris concionibus, quæ ſiunt in genere demonſtrativo, & deliberativo non adhibetur. 328. 1. & ſeq.
Narretio edhibetur in genere Judiciali, 329. 2.
Narrationis vitia, & virtutes recenſentur. 329. 4. Narrationis idea ex Cicerone. 329. 5. Narrationes in genere exotnarivo. 329. 6.
Nautica pleraqne ſuppeditat Rherori otnementa orationi perpoliendæ opportuna. 457. 8.
Naves variæ, ac earum partes, & ornamenta recenſentur. 455. 1. & ſeq.
Neanthus Pittari tyrenni filius Orpheom cum vellet lyræ pulſu imitari, à cenibus diſcerptus eſt ob ingratum lyræ ſonum, ac abſonum luſum, quo bilim movit, non aures demulſit. 27. 5.
Neceſſarium argumenta ſuggerit oratori in genere deliberativo. 390. 9.
Neceſſe eſt, multos timeat, quem multi timent. 519. 23.
Nemeſim timere eſt ſe abſtinere à ſcelere patrando ob timorem pœnæ. 218. 246.
Neoptholemei vindincta torqoetur in eos, qui ea petiuntur, quæ in alios patrârunt. 218. 248.
Neptuno favente mare trajicere: eſt rem urgere, quando opportonitas adeſt. 218. 247.
Neſtorei anni uſurpantur adagialiter. 206. 8.
Neſtore provectior dicitur de ſene capulari. ibid. 7.
Neſtor ob melleam ſuavitatem in texendie orationibus apis Attica audijt. 477. 1.
Nictantes depravatos indicent mores, & cogitationes noxias. 106. 5.
Nihili luculenta emplificatio mixta. 308. 2.
Nil præpes petpee, 516. 2. Non decet principem quidquam obiter facere. 519. 18.
Nobilitas quid ſit, & ejus laudes recenſentur. 276. 2.
Nocet bonis, qui malis parcit. 519. 24.
Nodus eſt pluequàm Gordianus parœmialiter dicitur di difficultate ſuperatu difficili. 207. 29.
Nomina uberem ſuppeditant laudandi perſonas materiam. 383. 111. & ſeq.
Nominum ethimologiæ uberem ſuppeditant allegoriarum ſegetem. 361. 8. & exhibentur aliquot nominum ethimologiæ. ibid.
Nomina imponuntur infantibus à parentibus. Recenſentur varij ritus, & nomenclationes. 365. 28.
Nomina tumida recenſentur. 355. 27. & ſequent.
Non ex omni ligno fit Mercurius, Seu non omoia ingenia ſunt accommodata diſciplinis. 218. 250.
Non eſt pharmacum adverſus ſicophantæ morſum. 218. 251.
Non potes Thetydem ſimol, & Galateam amare. Seu ſervite ſimul Deo, & mundo. 218. 252.
Non quàm dio, ſed quàm bene. 521. 36.
Nuptiæ apud Hebræos non celebrabantor niſi in lunæ incremento. 368. 50.
Nuptiæ ferè ubique gentium lautiori convivio iniri ſolent. 369. 57.
Nubentes olim apud Romanos adigebentur tengere aquam, & ignem, ut judicarent ſponſos mundos, & ſanctos debere permanere. 370. 58. Ethnici in nuptijs non ſolùm precibus, ſed etiam ſacrificijs conſneverunt Numinibus placere, ut felices eſſent noptiæ. 370. 59.
Nuptialis orario qnomodo inſtitnenda; 367. ejus exordium debet totum eſſe officioſum. 367. 85. argumenta in hac oratione unde deſomenda. 367. 36.
Nuptiales aliquot ritus ſubjiciuotur. 367. 38.
Neo-nopta olim corona debuit redimita incedere. 367. 40.

O.

OBedientia Juſtitiæ partibus potentialibus acceṙſita argutè commendatur. 646. 1. & ſequent.
Obediens verus dat ſuum velle, & nolle, & Deo dicit, paratum cor meum. 646. 1.
Obedientia ſuam ab audientia trahit oomendationem, quia verus obediens cum primum audit præceptum ſuperioris, illud exequitur. 647. 2.
Obedientia formalis ideo aliquid exequitur quia præcipitor ab alio. 647. 3. conditiones, quæ requiruntur in obedientia exercenda commendantur. 647. 4.
Obedientia Abrahami in filij immolatione commendator, quia cæca, prompta & fortis. 647. 5. & 651. 14.
Obedientia perfecta effloruit in Virgine matre. 648. 7.
Obedientiam veram, & perfectam nos edocent Angeli Numinis Throno aſſiſtentes, & alis velantes faciem ejus, & ſimul volantes. 645. 8. Joſeph verus obediens audita Patris Jacobi voluntate non oculos aperuit, ut videret pericula, ſed pedes paravit, ut expeditè patris exequeretur voluntatem. 650. 11.
Obedientiæ fortitudo enituit in Samuele. 651. 16.
Obediens difficultatum ſpectra, quæ vel Herculeo pectori metum incuterent, diſſolvit, fugátque. 652. 18. Oculos dirigit non in præceptum, ſed in præcipientem. 652. 19.
Obedientia non ſolùm eſt parentis ornatus, ſed etiam ſalus, cohæreátque cum ſalute parentia. 653. 23.
Obedientiæ in ſignis typus fuit Joſeph. 654. 24.
Obedientia tantæ eſt excellentiæ, ut angelos ad ſe alliciat. 654. 25.
Obedientes Deo nil aliud quærunt, quàm divinæ obſequi voluntati. 654. 26. Obſequi Deo nunquam vile, quamvis, vile nobis videatur quod præcipitur. 655. 27.
Obedientia eſt Polymita tunica, quam Joſeph filio Jacobus pater dono dedit. 655. 29.
Obedientia Lydius eſt lapis, qui verum, ac perfectum religioſum probat. 656. 30.
Obedientiæ Symbolum ponuntur aures, quæ non moventur niſi moto capite. 656. 31. Noë perfectus obediens fecit omnia, quæ injunxerat ei Deus circa arcæ ſtructuram. 657. 34.
Obedientia non ſolùm ruinas reparat; ſed etiam obedientes perficit. 657. 35. Immortalitate donatur, qui pro obedientia violentæ fit morti obnoxius. 657. 36.
Obedientia virtutem impertitur mira efficiendi. 658. 36. & ſeq.
Obedientia eſt reliquarum virtutum fœcunda parens. 658. 40. Obediens etiam cum cedit vincit, adeout victorias ſemper loquatur. 659. 40.
Obedientia pugnante Joſue ſolem ipſum remoravit, paruit, & ſtetit, ne ſtaret Amorrhæus. 650. 41. Obedientiâ munitus Petrus in mare proſiliit, & tumentes fluctus calcavit. 659. 42.
Objicere canibus agnum, perinde eſt ac imbecillem objicere forti. 218. 154.
Obſtrepit anſer inter olores. 517. 8.
Obtrudere palpum; eſt arte, fucóque decipere. 218. 256.
Ochlocratia eſt tenuiſſimæ plebis turbatæ principatus. 389. 1.
Oculi viri miſericordis, cur oculis pariati columbarum. 567. 29.
Oculi dicuntur naturales animi cuniculi. 286. 35. Caſtitatis vita ab oculorum petenda eſt cuſtodia. 286. 36.
Oculis magis habenda fides, quàm auribus; certiora ſunt, quæ videntur. 218. 257.
Ocyor accipitre dicitur de homine velociſſimo. 218. 258.
Oderint dum metuant, vox tyrannica, & execrabilis Caligulæ. 517. 4.
Officinæ omnium artium, è quibus, & in quibus Rhetores rariora nundinantur ornamenta orationis. 435.
Oleum miſericordiæ Symbolum: hoc oleo ungamur, ne in hujus vitæ lucta ſuccumbamus. 564. 12. hoc oleo qui deſtituuntur lumine non ardent charitatis. 564. 13. Hoc oleo neceſſe eſt diteſcant, qui lucere in templo virtutum cupiunt. 564. 14.
Oleæ ramos, cur ſenes in Panathenæis geſtarent. 565. 20.
Oleum olim populus Judæorum offerre debuit. 565. 21.
Oleo miſericordiæ muniri non tantum ſenes, ſed & juvenes debent. 566. 21.
Oliva inter plantas noluit ad Regnum promoveri. 566. 23. Oligarchia eſt imperium ad utilitatem paucorum divitum ſpectans. 389. 1.
Oliva Symbolum beneficentiæ, & Salomon ex ligno olivæ voluit januas conſtrui, per quas in templo ad oraculum patebat ingreſſus. 580. 32.
Oliverio Cardinali caraſæ adeo exoſæ erant roſæ, ut earum præſentiam, & odorem tolerare non valuerit, coactus roſarum tempore ſecedere. 187. 9.
Oloris proprietates, & laudes recenſentur. 361. 10.
Omœpteleon latinè ſimiliter cadens fit cum plura verba diſſimilia ſimiliter cadunt. 419. 6.
Oncos, ſeu tumor ambitionis coërcendus. 179. 117.
Onesander commendat eloquentiam, quam Principi cenſet perneceſſariam. 16. 6. & ſequent.
Onomotopœia eſt fictio nominis cum per vocabulum rei, vel effectus exprimitur effectus, vel res. 406. 1. & ſeq.
Oppoſita, quæ, & quomodo orator ab oppoſitis argumentetur. 168. 2. S. Athanaſius ab oppoſitis elementis probat exiſtentiam cauſæ primæ, ibid. Viros fortes contraria probant. 168. 2. In oppoſitis eloquentiæ ornatus eminet, 168. 3. Argumenta deducta

deducta ab oppoſitis plurimum habent roboris. 169. 5.
Oppoſitorum canones expenduntur. 169. 6.
Oppoſita privativè plurimum ſuppeditant præſidij. 169. 8. Cæcitas Eleonoræ per oppoſita argutè amplificata. 169. Oppoſita relativè quæ; & quomodo oratori inſerviant. 170. 10.
Oppoſita contradictoriè quæ, & quomodo ab ijsdem deducantur argumenta. 170. 11.
Oppoſita contradicentia amplificationibus inſtituendis perapta. 170. 12.
Oppoſitio figura eſt, quæ licèt videatur parum differre ab antitheſi plurimum in oratione habet aucupij, & amœnitatis. 425. 33. & ſequent. Per oppoſita ſimul congeſta pungitur Nero Imperatorum crudeliſſimus ibid. Per oppoſita argutè deſcribitur mors Phœnicis. ibid. 34.
Oppoſitorum quatuor genera totidem aperiunt fontes, è quibus argutiæ ſcaturiunt. 488. 1.
Oppoſitio privativa fœcunda argutiarum mater, 489. 4.
Oppoſita relativè quæ, & quomodo ex illis unum inferatur argutè ex alio ibid. 6.
Oppoſita contrariè poſitiva ab eodem ſe mutuo ſobjecto excludentia, quomodo argutijs conficiendis inſerviant. 489. 8.
Oppoſita per decem Ariſtotelis Prædicamenta uberrimum ad argotias aperiunt campum. 490. 10. & ſeq.
Optatio eſt figura, quæ voti alicujus, ac deſiderij exhibet ſignificationem. 423. 18.
Optica eſt ſcientia, quæ rectè dijudicat viſibile, ejúsque veritas, à fallatia diſcernitur. 467. 14.
Opticæ materia eſt viſus, cujus objectum eſt color, qui eſt qualitas orta ex perſpicui cum opaco commixtione. 467. 15.
Oratio Manlij, quæ tota eſt in ciendis affectibus. 292. 54.
Oratio ut Deum in noſtra flectat vota quomodo inſtituenda? Exhibentur plures SS. Patrum ſententiæ. 179. 107.
Oratores utentes Poëtico ſtylo in ſoluta oratione redarguendi ſunt. 77. 12.
Orator caveat, ne ita in legendis Poëtis aſſueſcat ut eorum illectus licentijs, eaadem in orationibus adhibeat. 77. 13.
Orator memoria deſtitutus mancus ſemper habetur. Nil oratori memoriâ utilius. 97. 2.
Orator fallente memoria quomodo debeat ſe gerere. 100. 13.
Orator ab ortu, & interitu, quomodo ſua deducat argumenta. 164. 1. & ſeq. In ortu præſertim conſideratur tempus vernum æſtivum autumnale, hyemale. ibid. 2. Eumenius à die natalitio venuſtè commendat Conſtantinum. ibid. 3.
Orator omnigena debet eſſe inſtructus eruditione; omniúmque rerum pollere cognitione. 189. 1. & ſeq.
Oratores Græci feſtiviſſimi ad dicta arguta depromenda, ingenio, & natura promptiſſimi, 190. 2.
Orationum genera ſunt tria Demonſtrativum, Deliberativum, & Judiciale. 13. 6. & ſequent.
Oratio tunc efficacior eſt ad Deum flectendum in vota orantis, ſi miſericordia in pauperes præceſſerit. 580. 33.
Orationis tria genera Demonſtrativum, Deliberativum, & Judiciale complectuntur orationes omnes. 226. 3.
Oratores collati cum Mercurio caduceatore, Orpheo Citharedo, tubis Jerichontinis. 21. 15.
Oratores Chriſtiani non abhorrent ab eruditionibus; Chriſtiana Pietas, & Eruditio ſe mutuis auxilijs, ac ſuppetijs ſovent, juvántque. 21. 15.
Oratio alia vincta, alia ſoluta. 427. 5. Orationis pedes, ſicut Lyricorum plures ſunt, & indicantur. 427. 2.
Oratio ſuaſoria ex Curtio. 391. 15. Orationis diſſuaſoriæ idea ex eodem. 391. 16. & ſequent.
Oratio hortatoria, & dehortatoria. 392. 18. Idea orationis hortatoriæ ibid. 20. Artificium dehortationis ibid. 21. Idea orationis dehortatoriæ. 393. 22. Idea dehortationis ex Salviano. ibid.
Orationis conciliatricis artificium. 393. 26. Idea conciliacionis ex Tacito. 393. 24.
Oratio conſolatoria quomodo inſtituenda. 394. 25. exordium unde deſumendum. ibid. 26. Conſolationis argumenta unde petenda. 395. 28. & ſeq.
Orator, qua induſtria in oratione ciere, vel coërcere debeat affectus. 293. 55. & ſeq.
Orator in exordio facit ſibi Auditores attentos, benevolos, & dociles, & quo artificio. 314. 1. & ſeq.
Oracio Panegyrica in laudem Maximiliani Emmanuelis Bavariæ Ducis, cujus delatæ in bello victoriæ recenſentur. 349. 5. & ſeq.
Oratio Panegyrica in commendationem S. Andreæ Avellini, cujus vita retenſetur ſub metaphora lilij inter ſpinas. 355. 20. & ſeq. De nova arte meditandi allegorias continuatas, quæ vulgò dicuntur inventiones Panegyricæ. 359. 1. & ſeq.
Oratores quomodo, & quos debeat Rhetor imitari. 25. 2. Tullius præ cæteris eloquentiæ viribus claruit, 26. 3. & ſeq. Oratorum genia, & ingenia varia. 26. 5.
Orator argumenta non ſeligat pertractanda ſuprá proprias vires. 27. 5.
Orator ex præmeditatione plurimum haurit utilitatis. 69. 3.
Orator in ea præſertim incumbat argumenta, ad quæ natura ſua eſt propenſior. 70. 3. Quisque ſtudeat proprium explorare genium, & ingenium, & illi adhæreat dicendi rationi, ad quam ſe magis aptum eſſe noverit. 71. 5.
Orator proponat argumantum per venuſtam aliquam propoſitionem. 71. 6.
Orationis genethliacæ œconomia expenditur. 363. 18. & ſeq.
Orationis Luſtricæ œconomia, & quomodo

nato infanti primò nomen imponatur. 364. 16.
Orationis nuptialis œconomia expenditur. 366. 33. exordium debet totum eſſe offi. cioſum. 367. 85.
Oleâ pacis Symbolo coronabantur olim ſponſæ, quò monerentur concordiam ſervare. 367. 47.
Oratio Epithalamij recitari conſueverat apud thalamum, & quomodo inſtitueretur. 370. 63.
Orationis Epinicij œconomia expenditur. 371. 65.
Orationis lamentatoriæ methodus duas continet partes, in quibus mali gravitatem exaggerat ad ciendum affectum doloris: & metum alijs incutit. 371. 68.
Oratio lamentatoria Salviani adverſus Trevirenſes, eò quia Circenſes ludos peterent eo tempore, quo civitas oppleta calamitatibus in luctu, & ſqualore jaceret. 372. 69.
Oratio monodiæ lugubris luctu plena, lacrymis madida. 372. 69.
Oratio lugubris Chriſti patientis. 372. 72. & ſequent.
Orationis funebris œconomia. 374. 80. ejus exordium plenum dolore, & lachrymis. 375. 83. à circumſtantia temporis D. Ambroſius exorditur ſuam orationem funebrem in nece Theodoſij ſenioris. 375. 85.
Orationis funebris confirmatio tria complectitur membra. 376. 88. Epilogus æternam precatur defuncto ſalutem. 376. 88.
Oratio funebris in Parentalibus Sereniſſimi Electoris Ferdinandi Mariæ Bavariæ Ducis. 376. 82. & ſeq. exordium deductum à circumſtantijs temporis, & perſonæ, à pace inita. Ejus virtutes recenſentur. ibid. 90. & ſequent.
Oratio apprecatoria, quæ haberi ſolet ad novum annum. 382. 108.
Oratio gratulatoria inſtituenda die Epiphaniæ. Vel die Paſchatis. 382. 109. & ſeq.
Oratio gratulatoria alludens ad nomen perſonæ. 382. 111. & ſeq.
Orationis gratulatoriæ œconomia. Materia laudum petitur à meritis perſonæ. 383. 113.
Orationis ſalutatoriæ œconomia, & ordo. 383. 114. Materia ſalutationis unde ſumenda. 383. 114.
Oratio valedictoria quando, & quomodo inſtituenda. 384. 115.
Oratio Euchariſtica, ſeu pro gratiarum actione quomodo inſtituenda, & quomodo ſuſcepta beneficia ſint recenſenda. 384. 117.
Oratio dedicatoria pertinet ad genus epidicticum, & quomodo inſtituenda. 384. 118. ſubjicitur idea orationis dedicatoriæ. 385. 120.
Oratio dedicatoria tria continet membra. 385. 121.
Oratio dedicatoria interdum eſt continuata allegoria, quâ comprehenſa in opere explicantur, ibidem. 122. Idea ſubjicitur hujus allegoriæ dedicatoriæ. 386. 123.
Oratio Prologij, ſeu Præfationis quomodo inſtituenda. 386. 125. & ſeq.
Oratio dedicatoria operis literarij interdum fit Cælitibus. 388. 131.
Ordine, quo ſydera perniciſſimè cientur nil elegantius, præſtantius nihil. 72. 5.
Ordo ſervandus in oratione, ut recta habeatur rerum diſpoſitio. Ab ordine dependet tota venuſtas. 72. 2.
Ordo equitum liliatorum in Navarræ regno à Garcia VI. inſtitutus. 515. 26.
Organopœus fabrefacit organa pneumatica, ſeu muſica, cum ſuis fiſtulis. 454. 7.
Ornamenta varia Rhetorica deſumpta ex artibus & officinis pertinentibus ad rem veſtiariam. 445. 1.
Ornamenta Rhetorica deſumenda ab officinis artis ædificatoriæ. 447. 1. & ſeq.
Ornamenta oratoria deprompta ex pluribus artibus, & officinis. 452. 16.
Ornatus muliebris caſtitatis inimicus, quam prima mulier tunc exuit, cum veſtes induit viriditatis. 780. 48.
Ornamenta Rhetorica deprompta ex pluribus liberalibus artibus. 473. 35.
Ornamenta pleraque oratoria deſumpta ex artibus, & officinis mechanicis. 454. 9.
Ornamenta oratoria deprompta ab arte nautica, & navibus, quæ inſerviunt orationi. 455. 1. & ſeq.
Ornamenta Rhetorica depromenda à Pictura, Sculptura, Typographia, horologijs alijsque artibus oblectatorijs. 458. & ſeq.
Ornamenta Rhetorica quomodo deſumantur ab artibus oblectatorijs. 461. 14. & ſequent.
Ornamenta oratoria deprompta ex Pyrotechnia, ſeu miſſilibus ignibus, quibus per varias argutias amplificatur adventus Spiritus S. in diſpertitas linguas igneas. 461. 15. usque ad 42.
Ornamenta oratoria ſeligenda ex artibus liberalibus. 464. 1. & ſeq.
Orpheus vatum omnium princeps juxta Poëtarum commenta vivam canendi ſuavitatem ſuis in cineribus ſuperſtitem reliquit, ubi Luſciniæ feruntur ſuavius recinuiſſe. 25. 1.
Oſtrei in morem hærere, eſt alicui intentiori affectu adhærere. 218 264.
Ovum quod pulli eſt rudimentum, Symbolum exhibet ſpei. 544. 12.
Ovis cum leena pabulatur, quomodo dicatur proverbialiter. 206. 10.
Oves tondere præſtat non deglubere. 516. 3.

P.

PAſſolum totum, nec ſi mihi dares, quale adagium. 206. 15.
Palladium corruit, ſomebatur pro infelici augurio. 219. 173.
Palinuro navarcho æquora trajicere; eſt duci ab infelici nauclero. 219. 273.
Palinodiam canere, eſt recantare, ſeu diverſum dicere ab eo, quod jam dictum fuerat. 218. 227.

Præmiſlaus ex opilione ad Regium Poloniæ Thronum conſcendit. 383. 113. recenſentur plures ex obſcuris natalibus ad clariores promori dignitates. 383. 113.
Panagæa Diana dicitur de fœmina errabunda, & inconſtante. 218. 268.
Pandoræ ſunt filiæ proverbium olet, & de quibus dicantur. 207. 23.
Pandoræ pyxidem invertere. In eum torquetur, qui plurium malorum eſt cauſa. 219. 275.
Panegyrica oratio quomodo inſtituenda. 347. 1. & ſequent.
Panegyris apud Athenienſes erat ſolemnis quinquennalis ludorum celebritas ibid. In Panegyricis orationibus Orator, nonniſi virtutes laudet; hyperboles, & auxeſes declinet; neque perſonam ſupra merita laudet. 347. 1.
Panegyricarum orationum exordia multipliciter conſtrui poſſunt. 348. 3. & ſeq.
Panegyricæ orationis idea in laudem Principis in bello victoris. 349. 5. & ſeq.
Pantani ſchola ab ipſo Chriſtianæ religionis exordio floruit Alexandriæ piorum. ac eruditiſſimorum virorum frequentia Clementis, Origenis, & aliorum. 21. 15.
Pannico timore correptus, dicitur de inani timore. 218. 270.
Parabola hominis ab Jeruſalem deſcendentis in Jerico pluribus ſauciati vulneribus expenditur. 602. 3.
Paradoxum oritur ex oppoſitorum mirabili conjunctione, quâ ſenſus efficitur ingenioſus. 484. 1. & ſeq.
Paradoxum argutum. quo pungitur Claudius Imperator ibid. Paradoxum in laudem S. Paulini. 485. 2.
Paranomaſia eſt verborum colluſio in diſſimili ſententia fitque tripliciter. 419. 2.
Parentheſis figura eſt, qua paucis verbis breviter deflectimus à propoſito. 414. 27.
Paries dealbatus, ut & ſepulchrum dealbatum torquetur in virum hipocritam. 218. 271.
Partes integrantes corpus humanum recenſentur, 150. 5. A partium enumeratione uſus amplificationis ampliſſimus 151. 6. Uſus à partium enumeratione in deſcriptionibus texendis perutilis. 152. 7.
Partitio membrorum orationis quomodo inſtituenda ex congeſta rerum ſelectarum ſylva. 71. 1.
Prædicamenta Ariſtotelica uberrimos ſuppeditant fontes, è quibus ſcaturiunt allegoriæ pro panegyricis orationibus texendis. 160. 5. & ſeq.
Paſſer Solitarius præ cæteris canoris avibus fertur fuiſſe in delicijs Franciſco Gallorum Regi, qui ejus cantu vel maximè fuit delectatus. 69. 1.
Paſſer hieroglyphicum habebatur temporis. 200. 11.
Patientia, adamantinus clipeus retundendis adverſitatum telis peropportunus. 735. 1. & ſequent. Homini nil familiarius, quam pati; & neceſſaria eſt illi patientia. 735. 2. & ſequent.
Patientia eſt virtus firmans animum contra timores, imò & contra mala ipſa mortem invehentia. 736. 5.
Patientia non ſolum timores, mœrores, dolores coërcet; ſed etiam injurias ſibi illatas condonat, & oblivione delet. 736. 6. Veræ patientiæ ſpecimina dedit Joſeph. injurias paſſus à fratribus ibid. 6.
Patientia flectit Deum in vota orantis. 737. 10. Veram exercentes patientiam veſtiri ſunt duplicibus. 738. 11. Job veræ patientiæ eximia dedit ſpecimina in adverſis ſicco oculo tolerantis. 738. 12.
Patientia Chriſti argumentum fuit ejus convincens divinitatem. 740. 15. & ſeq.
Patientia Chriſti quanta fuerit? 741. 10 Ex Chriſti patientia in cruce inter tormenta, & convicia elementa ejus cognoverunt divinitatem, quam & publicè teſtata ſunt. 741. 22. & ſeq. Chriſtus voluntarie ſuam carnem fregit, & invicta patientia toleravit flagella, & vulnera, idque cauſæ diſcipulis fuit, ut ipſum cognoſcerent in fractione panis. 742. 16.
Patientia Chriſti non ſolùm ejus manifeſtavit Divinitatem; ſed etiam virtutem ſuperexcellentem. 743. 27.
Patientiæ verus cultor gaudet cum patitur. 743. 28. Bonus Paſtor eſt patientiæ cultor. ibid 28. Samaritanus in vulneribus ſaucium oleum infudit, & vinum, quia per patientiam, & charitatem ejus voluit vulneribus mederi. 744. 30. Chriſtus voluit fieri veluti jumentum, ut dolores noſtros portaret. ibid. 31. Verus patiens læto animo adverſa tolerat, quibus obviat. 744. 31. Adverſitates quamvis videantur nos frangere, noſtræ tamen conſulunt integritati. 745. 33. ærumnæ vero patienti non obſunt, ſed proſunt. 745. Specimina hujus patientiæ dedit D. Paulus. 745. 35.
Patientia Stephanum purpurâ veſtivit. 746. 36.
Patientia Paralytici in probatica piſcina cauſa fuit, ut Chriſtus oculos ſuæ miſericordiæ in infirmum dirigeret. 746. 37. Tolerantes patienter adverſa Chriſtum imitantur ſpinis coronatum. 747. 38. Vir patiens non ſolum ſine querela adverſa tolerat, verùm etiam læto animo, & cum gratiarum actione. 747. 40.
Patientiæ condimento adverſitatum amaritudo dulceſcit. 748. 41. Regulæ ſervandæ ad fortiter adverſa toleranda. 749 45.
Patroclo ſordidior dicitur de divite avaro. 218. 269
Paulonis equus de eo dicitur. qui genio ſe accommodat aliorum. 219. 274.
Pavo caudæ pompam explicans eleganter deſcriptus à variis. 159. 20.
Pavo Symbolum Junonis, ac viri ſuperbientis. 201. 15.
Paupertas S Cajetani argutè comparatur cum rebus pluribus 498. 10.
Paulus primus Eremita palmarum folijs indutus, quia victor egregius fuit. 51. 10.

Pax

Pax eſt fœtus charitatis, & in homine opponitur diſſentioni appetituum. 555. 1. & ſeq.
Pax, quâ ſingula ritè conſentiunt Deo pergrata, & ſuam in ipſa ſedem collocat. 556. 2. Olea pacis Symbolum. 556. n.
Pax eſt fructus Spiritus ſancti. Olea hujus pacis floruit in Virgine matre 557. 8.
Pacis olea ſuis nunquam deſtituitur fructibus. 557. 8. & 9.
Pacis Symbolum non ſolùm arcus in cœlis, ſed etiam arca in terris aſſeritur. 559. 21.
Pacis olea, quia floruit in Virgine, hæc obumbratur Spiritu ſancto. 50. 11.
Pacis Sacramentum myſterium eſt Incarnationis, quod non niſi per Angelum paci adhærentem nuntiatum fuit. 558. 14. Sedes Dei in ſola pace reperitur. 558. 11. & ſeq. Soli amantes, & cultores Pacis acceſſum ad Virginem habent. 559. 16.
Pacis oleam excolentes Angelos intus referunt in animo. 559. 18.
Pax plena vix in terris reperitur. 560. 19.
Pax disjuncta per diſſidia unit, & huic unioni unicè ſtudet, quia eadem delectatur. 560. 20.
Peccantes adeo luridè cæcutiunt, ut vel in ipſa malitia glorientur. 608. 21.
Peccatum turpi metamor, hoſi peccantes dejicit ab hominum cœtu, & in bruta convertit animalia. 611. 30.
Peccantes variis pariantur brutis: & Chriſtus aſtutos pares facit vulpibus. 611. 31. & David peccantes ſimiles dicit equo, & mulo. 612. 32.
Peccator ſimilis aſino: neque aſinam alligatam ſolvit, niſi manus apoſtolica, ſeu peccata non abſolvit niſi Eccleſia. 612. 32.
Peccatum peccantem brutis parem facit. 611. 31. Imò & ſupplicium cudit, quo puoit, 612. 33.
Peccator cacodæmonis mancipium, cujus ſervitute nulla turpior. 614. 38. Fit ſub tributo dœmonis. ibid. 41.
Peccatum prudentiæ adverſarius, ejus turpitudo detegitur. 601. 1. & ſeq.
Peccatum à Jeremia deſcriptum ſub figura, & allegoria nubis. 601. 2.
Peccator non ſolùm obdormit in morte, ſed in ipſo ſomno etiam ſtrages ſpargit, & funera. 601. 3.
Peccatum à Jeremia ſymbolicè repræſentatum ſub figura Heroinæ venuſtæ ſe volutantis in luto. 602. 5.
Peccantis emblema Filius in Evangelio prodigus. 603. 6.
Peccator, quia à ſummo Bono averſus in quovis loco miſer eſt, & nonniſi miſerias ſecum trahit. 604. 9. Imò & tenebras. ibid. 10.
Peccantia emblema exhibet Rex Sedecias à Nabuchodonoſore capto. 604. 11.
Peccantis id proprium, cæcitatem invehere, quapropter Adam poſt peccatum latebrae quæſivit. 605. 13. & ſeq.
Peccantes cæcutiunt, & lumine gratiæ deſtituti; vias perambulant tenebroſas. 606. 15. Peccantes ſi non pro lenticula ſicut Eſaus primogenituræ jura non vendunt; ob tamen vilem, ac momentaneam carnis ſpurcitiam, ob umbratilem, fluxámque voluptatem gratia ſe ſpoliant ſanctificante, & jure deſtituuntur ad cœli Regnum. 607. 17.
Pegaſo celerior dicitur de Poëta ingenio veloce. 219. 277.
Pelicanus ponitur hieroglyphicum Servatoris Chriſti. 600. 10.
Pelion adjunctus oſſi; quando difficultati additur difficultas. 219. 279.
Penelopes telam texere, eſt factum deſtruere. 219. 280.
Pentapolitæ nefando ſcelere infames flammis è cœlo in terras delabentibus puniuntur, delentur. 607. 19.
Periodus Juliana eſt intervallum annorum. 780. 471.
Periodus una multipliciter variatur ad mirum orationis ornatum. 436. 4. & ſequent.
Periodus in oratione quid ſit, & cur diverſa ſortiatur nomina. 426. 1. & ſeq.
Periodus non eſt explenda inani verborum redundantiâ 427. 2.
Periodus eſt ſtructura orationis, ſenſum prolixum in plura referendens membra ad orationis ſpiritum, & vocem accommodata. ibid. 4.
Periodus alia rotunda, alia conciſa ibid. Periodus eſt neceſſaria ad ornatum elocutionis. ibid. 5.
Periodus plures exigit habere pedes, ut facilius currat. 427. 1.
Periodi gaudent aſſimilari Lyricorum ſtrophis. 427. 1.
Pedes varij periodorum donantur explicatu. ibid. periodi pedes quomodo collocandi, & conſtruendi. 428. 4. & ſeq.
Periodus alia ſimplex, alia compoſita. 429. 5.
Periodon compoſitas ex pluribus membris exhibent SS. Patres. 430. 7.
Periodi implendæ uſus, & artificium. 430. 1.
Periodus impletur per interpretationem. ibid. 3. per auxeſem. 26. 4. per adjuncta. ibid. 6. à partium enumeratione impletur periodus. 430. 2.
Periodus quomodo implenda, ut inſerviat elocutioni. 401. 5. Partes periodi quales. ibid.
Periodi invertendæ ratio per translationem omnium proprietatum, & partium ſubjecti in aliud, cui tantum metaphoricè conveniunt. 33. 2. & ſeq.
Periphraſis eſt circumlocutio, qua pluribus verbis explicamus, quod uno, vel paucioribus poſſet aperiri ad declinandam ruditatem. 416. 37.
Peroratio quid, & quomodo inſtituenda. 332. 1. qualis amplificatio in epilogo adhibenda. 331. 2. Idea perorationis flebilis, per apoſtrophem ad animam demortui. 333. 4.
Phædram non matrem nactus, de quo dicatur. 219. 284.

Phaëtontis ſequi veſtigia torquetur in adoleſcentem temerarium. 219. 285.

Phalaridis imperium quale, & in quos torqueatur. 219. 286.

Pharſalicos innovare campos quomodo parœmialiter dicatur. 219. 288.

Philoctetis cudere tela quid ſit. 219. 291.

Philoxeni collum ſibi optare, in quem torqueatur. 219. 293.

Phœnicis mors per oppoſita argutè deſcripta. 425. 34.

Phœnix habetur Symbolum reſurrectionis. 200. 9.

Pica certat cum luſcinia, ſeu rudis cum perito. 219. 297.

Pica Symbolum garrulitatis. 197. 4.

Picturæ artificium, & quomodo, ejus colores inſerviant ornatui orationis. 458. 1. & ſequent.

Picturæ artificium lucem ſcitè umbris aſſociat. 458. 3.

Pictores encauſtici qui dicantur. ibid.

Poculenta plura Rhetori exhibentur, ut ſuam extinguat ſitim in ornanda oratione. 441. 9 A poculentis Rhetor plures haurit concinnitates, & elegantias. 442. 11.

Pœnitentiæ neceſſitas, & utilitas explicatur per varias SS. Patrum ſententias. 174.

Polyſintheton eſt oratio pluribus nexa conjunctionibus. 417. 10.

Polycratis annulum abjicere. De ijs dicitur qui ſibi adverſa percupiunt. 219. 298.

Polyphemus ducens gregem, dicitur de imperito ductore, ſeu Præfecto exercitûs. 219. 299.

Populus hebraicus è famulitio Ægyptiorum liberatus Duce Moyſe, & columna nubila præſignante itinera per ambages viarum ad terram promiſſam properat. 534. 1.

Prælati munus quanti ſit momenti, & quomodo obeundum oſtenditur varijs SS. Patrum ſententijs. 175. 38.

Prædicamenta Ariſtotelis pallucidi ſunt fontes, è quibus elegantiora hauriuntur epitheta. 431. 2. & ſeq.

Præfationes à præfando dictæ quomodo inſtituendæ. 386. 125.

Præfationes adhibentur ante publicas concertationes, antequam proponantur argumenta. Et etiam in fronte voluminum, & Author ſolet materiam indicare, de qua tractat. 387. 186. Interdum initio præfationis Author ſe excuſat, ſuámque ſcribendi neceſſitatem aperit. ibid. 127.

Præfationes ſolent etiam ad Lectorem præmitti, & ſcribuntur per modum Epiſtolæ, quâ Author, quid in operis molitione intenderit exponit. ibid. 28. Exhibetur idea prologij ad Lectorem. 387. 130. & ſequent.

Præparatio ad mortem præſertim in ſenio, vitæ occaſu negligi non debet. 593. 15.

Præſtat oves tondere, non deglubere. 516. 3.

Princeps miſer, quem latet veritas. 520. 25.

Præteritio eſt figura, quâ dicimus, aliquid libenti animō nos prætermittere, vel neſcire quod tamen, tunc vel maximè illud ſignificamus. 424. 25.

Priamus ſæculi noſtri dicitur de ſene infelice. 219. 302.

Priſcianum dilacerare eſt ſolœciſmos grammaticales committere. 219. 300.

Privativa, quæ; & quomodo ſua Orator à privativis deducat argumenta. 179. 7. & ſequent.

Privationis unicus canon explicatur. 170. 9.

Promethei vulture torqueri dicitur de ijs, quos mala conſcientia rodit. 219. 303.

Pronuntiatio oratoribus magni eſt momenti. Affectus langueſcunt ſine pronuntiatione. 101. 1. & ſeq.

Pronuntiationis virtutes indicantur, & expenduntur. 102. 3. Vocis variandæ artificium. 103. 8.

Pronuntiationis vitia quæ ſint, recenſentur, & explicantur. 103. 9. & ſeq.

Pronuntiatio, in qua non ſobriè deſudare debet orator; eſt rerum, ac verborum cum dignitate corporis, ac vocis moderatio: beneficio probæ pronunciationis, verba blandiùs in animos illabuntur Auditorum. 23. 12.

Proportio quæ dicatur, & quomodo Orator ſua à proportione deducat argumenta. 158. 1. & ſequent.

Proportio non eſt neceſſe dicat omnimodam ſimilitudinem, ſed ſatis eſt, ſi aliquam dicat convenientiam. 158. 3.

Proportio alia rei, alia nominis. 159. 4. A proportione plures eruuntur argutiæ. ibid. 6. & ſequent.

Propoſitio una, & eadem variari multipliciter poteſt Grammaticaliter, Rhetoricè, Logicè. 30. 1.

Propoſitio eadem quomodo per figuras patheticas multipliciter varietur. 35. 1. & ſequent. Et quomodo per ſeries argutiarum. 38. 1. & ſequent.

Propoſitio probanda in fine exordij ab oratore proponenda eſt; debet una eſſe non multiplex. 71. 7.

Propoſitio veſtienda eſt aliqua novitate, ut attentionem conciliet. 71. 8.

Propoſitio excitat in Auditoribus benevolentiam, & attentionem, & quomodo proponenda. 225. 2. & ſeq.

Prudentiæ virtus plurimi facienda, & variè commendatur. 278. 13.

Propoſitio in concionibus probanda, quomodo, & quando exhibenda. 327. 1. & ſeq. quomodo veſtienda ſit aliqua novitate. ibid. 2.

Propoſitio poteſt ſymbolicè exhiberi. 327. 4. In propoſitione poteſt fieri translatio de genere ad genus. 327. 5. Propoſitio in orationibus panegyricis quomodo exhibenda, ut plurimum contineat aucupij. 328. 6. & ſequent.

Propoſitionis probatio quomodo inſtituenda, 329. 1. & ſeq. In probationibus propoſitionis

tionis oratoriæ qualis ordo ſervandus. 330. 2. & ſeq.
Proprium ut eſt locus topicus quid ſit, & quomodo Orator ſua à proprio depromat argumenta. 213. 1. & ſeq.
Proprietates plures occultæ recenſentur. 114. 5. & ſeq.
Proprium Rhetori eſt omne id, quod ad alterum conſequitur. 114. 8.
Proprietates braſſicæ recenſentur, & laudantur. 115. 13.
Proſopopæia fit cum rebus mutis, & inanimatis animam, & vocem tribuimus. 423. 20. Per proſopopæiam Mantua Italiæ urbe præclara expilata à militibus ſuas enarrat ærumnas. ibid. 21.
Proteo mutabilior torquetur in virum inconſtantem. 219. 301.
Providentia divina evincitur à Lactantio ex ſphæra Archimedis. 149. 4.
Prudentia per cæteras ſe diffundit virtutes, Principum conſiliarios decet. 389. 4.
Prudentia eſt diſpoſitio rerum ad finem; octo ſunt ejus adminiſtræ facultates. 346. 3.
Prudentes viri in id toto niſu incumbunt ſtudij, ut mortem ſibi conſtituant bonam. 595. 21.
Prudentia virtutum Cardinalium Princeps, reliquarum moralium eſt directrix, moderatrix, atque morum regulatrix. 582. 1. & ſequent.
Prudentia verſatur in veri inveſtigatione. 583. 3.
Prudentia ijs dumtaxat ineſt qui rectè agunt juxta dictamina rectæ rationis. 583. 4.
Prudentiæ Symbolum fuit columna ex nube compacta, quæ Iſraelitas præcedens, per vaſtas deſerti ſolitudines eoſdem perduxit ſignans itinera. 583. 5.
Prudentia eſt recta ratio agendorum. 584. 6.
Prudentiæ Symbolum præ cæteris exhibetur ſerpens, qui dicitur deludere incantatorem. 585. 9. Symbolum prudentiæ cur exhibeatur hyacinthus gemma. 585. 10.
Prudentia Joſephi in Ægypto, 585. 11.
Prudentiæ Symbolum, & magiſtra habetur formica. 585. 12. Vir prudens non divitias acervat, ſed merita cumulat, ut virtutum cultura eniteat, & Deo inſerviat. 586. 13. Vir prudens morte utitur magiſtra, à qua diſcit rectè, ac piè vivere. 589. 1. & ſeq.
Prudens mortem cogitat non eminus remotam, ſed cominus imminentem. 589. 2. Vir prudens ita vivit, ac ſi eſſet ſtatim moriturus. 590. 3.
Prudenter qui agit, cuncta prævidet, ſibique conſulit. 590. 5.
Prudenter non agunt, qui nonniſi de præſentis vitæ commodis cogitant. 590. 6. Excluduntur à cœna Patris familias, qui bonis hujus vitæ inhiant. ibid. Vir prudens per exercitia virtutum ſe ad mortem præparat. 593. 14.
Pumilionis comparati cum rebus parvis luculenta deſcriptio. 117. 4.
Pilæ ludus deſcriptus. 120. 12.
Punica fides torquetur in virum mendacem. 219. 305.
Puteus Democriti, in quo veritas adhuc deliteſcit, olet adagium. 207. 28.
Pyrotechnia conficit ignes miſſiles, ludicros, varios exhibentes in aëre jocos. 460. 9. Nocturni luſus Technicorum, ac feſtiva artificialium ignium ſpectacula deſcribuntur. 460. 10. & ſeq.
Pyrotechnia plura ſuppeditat Rhetori lumina illuſtrandis orationibus accommodata. 461. 15. & ſeq.
Pyrotechnia ſuis miſſilibus ignibus commendat adventum ſancti Spiritus; & ad plures argutias ſoppeditat uberem materiam. 461. 15. & ſeq. uſque ad numerum. 42.
Pygmæorum acrothinia coloſſo adaptare quid. 219. 306.
Pyræus non fert vaſa inania, in quem torquetur. 219. 307.
Pythagoræ literam incurrere dicitur de ancipiti in bivio. 219. 304.

Q.

QUævis terra patria, dicitur de viro ſapiente. 220. 308.
Quæ inventu ſunt difficilia ſemel facta putantur facilia. 188. 84.
Quærens obſonium veſtem perdidit, de quo dicatur. 22. 310.
Qualis hera, talis pediſſequa. 220. 309.
Qui circa ſalem, & fabam; in quem olim torqueretur. 220. 311.
Qui vendit oportet, ut emat: effatum Alexandri Severi. 519. 22.
Quid Achivos è turri judicatis? quale adagium. 220. 312.
Quies in hoc mundo nullibi tuta, neque in ipſo ſuaviore ſopore, & Lectulo Salomonis. 96. 14.
Qui neſcit diſſimulare, neſcit imperare. 518. 13.
Quod tacitum eſſe vis, nemini dixeris. Cordis ſecreta nemini aperienda. 208. 47.
Quotidie moritur, qui ſemper timet. 517. 4.

R.

RAdere uſque ad cutem, eſt exigere rigoroſè uſque ad minimum theruntium. 220. 313.
Ranis vinum propinare quid ſit. 220. 315.
Rhadamantheum judicium, de quo dicatur adagialiter. 220. 314.
Regulæ plures ornandæ periodo accommodatæ depromuntur ab authoribus emunctæ, ac purgatioris latinitatis, & expenduntur. 473. 1. & ſeq.
Relatio eſt figura, quæ fit, cum plura præcedunt verba, quorum ſingulis alia ſubſequentia reſpondent. 420. 17.
Religio eſt pars Juſtitiæ potentialis, eſtque virtus exhibens Deo debitum cultum, ut primo rerum omnium principio. 631. 1. & ſequent. Religio per actus externos ſenſibiles cultum Deo exhibet. 632. 3.

Re'igioſue dicitur qui cultum Deo exhibet ſumptâ nomenclatione ab actibus religionis quos exercet, 633. 8.

Religio ſymbolicè repræſentatur per ſcalam Jacobæam. 633. 8.

Religio terræ pariata promiſſionis, ac terreſtri paradiſo. 634. 10. & ſeq.

Religioſorum poſſeſſio non eſt terrena, ſed cœleſtis; non eſt creatura, ſed Deus. 635. 16.

Religioſis neceſſaria ad victum, & veſtitum ſunt gratis ſuppeditanda. 636. 20.

Religioſi ſacerdotes, in quo ordine conſtituendi? 637. 24.

Religio ſymbolicè repræſentatur per montem Carmeli, in cujus cacumen Elias aſcendit, 638. 26.

Religioſi quomodo dicantur ſupra reges eminere. 638. 29. Tranſitus à ſæculo ad religionem eſt Paſcha viro religionis onus ſubeunti, & multiplex eſt Paſcha. 639. 30.

Religioſi ſunt ſub ſpeciali tutela Virginis matris. 639. 32.

Religio eſt ſponſæ lectulus floribus virtutum omnium ſtipatus, & Dei locus ſanctus. 640. 33. Religio paradiſus dicitur, non tamen à timore immunis, neque ſecurus à lapſu, cum Adam in paradiſo peccaverit. 640. 34.

Religioſi, qui religioſè non vivunt, nonniſi nomine ſunt religioſi. 640. 35.

Religioſi vitæ puritate morum ſanctitate angelos imitantur. 641. 36. Symbolum religioſorum fuerunt apud Judæos Nazarei. 641. 37. Religioſi olim in Ægypto ea inſigniti fuerunt ſanctitate, ut Angelis pares fierent. 641. 38. Religioſus non dicitur homo, ſed Angelus. 642. 41.

Religioſi in cultura virtutum, Deique obſequio intepeſcentes paulatim devenuſtantur. 643. 42.

Religioſi à mundi illecebris invitantur ad deſcendendum de cruce. 645. 43. Religioſi duplicem in numiſmate cudentes imaginem Melchon, & Dei. 643. 44.

Religioſi non ſe immiſcent negotijs ſæcularium, ſibi vacant, & in Dei cultu occupantur. 644. 45. non poſſunt Deo & mundo ſervire. ibid. 46. Extra cellam inſidijs ſe exponunt. 645. 47.

Religio cœnobitas tuetur, & ab inſidijs præſervat Tartarei Aucupis. 645. 48.

Religionem quotquot in bello propugnârunt, hoſtes expugnârunt. 646. 50.

Reliquiæ animarum ſanctarum pluris faciendæ quàm corporum: illæ ſunt virtutes. 340. 6.

Rem ad triarios redire quid ſit. 220. 317.

Reminiſcentia eſt actus facultatis memorativæ, & quid ſit. 98. 5.

Rex, viva lex. 520. 31. Rex munere fungitur matris, lac miſerationis in ſubditos effundit. 568. 33.

Rhetoricæ ornamenta depromenda ex varijs artibus, & officinis pertinentibus ad rem veſtiariam. 445. 1. & ſeq.

Rhetorica, quæ Ars flexamina audit, in hominum animos ſuum exercet imperium. 5. 4. Ejus nobilitas, & antiquitas Poëticè, & oratoriè indicatur. 5. 1. & ſeq. Sub initio ejus exercitia rudia. 55. Dicitur Rhetorica a verbo Græco Rhetorio quod latinè dico, eloquor interpretatur. 5. 6. Sitque propterea Rhetorica Ars tradens præcepta bene loquendi ad flectendos animos. 8. 1. & ſeq.

Rhetoricæ præcepta eò collimant, ut Orator Auditoribus virtutum ſuadeat culturam, & vitij fugam. 9. 4.

Rhetorica alia eſt divina, & infuſa, qualis fuit illa Apoſtolorum, quâ Ethnici Philoſophi ad fidem trahebantur orthodoxam. Alia Heroica SS. Patrum Auguſtini, Cypriani, Hieronymi. Alia Humana bipartita in naturalem, & artificialem, quæ donatur explicatu. 9. 4. & ſeq.

Rhetorica eſt artium nobiliſſima exercitio paranda, cujus finis eſt perſuadere. 9. 7.

Rhetores à viris principibus ſpeciali fuerunt honore proſequuti, & adhibiti à conſilijs. 7. 10. Plures ſtatuæ ijsdem dicatæ. 7. 6. & ſequent.

Rhetorica Facultatum liberalium princeps in id incumbit ſtudij, ut appoſitè dicat ad perſuadendum, utatúrque medio flectendis animis peridoneo, ac pariatur aureæ catenulæ è labris prodeuntis Herculis. 10. 2.

Rhetorica eſt humanæ mentis moderatrix, & Domina. 10. 3.

Rhetoris officium eſt appoſitè dicere ad perſuadendum 11. 4.

Rhetorices materia eſt omne id, de quo poteſt quæſtio inſtitui, ſive ſpeculativa ſit, ſive ad praxim deducatur; ſive de Deo, angelis, & creaturis alijs inſtituatur. 12. 1. & ſeq.

Rhetoricæ artis adminiculo Orator animos flectit, in quam partem voluerit. 12. 2.

Rhetorica tria complectitur orationum genera demonſtrativum, deliberativum, & judiciale. 13. 6. & ſeq.

Rhetoricæ præſtantia, & prærogativæ donantur explicatu. 15. 1.

Rhetorum nomen ſpecioſiſſimum antiquitùs teſte Suida; & Rhetores à principibus plurimum fiebant. 17. 10.

Rhetores umbratiles fucata tantùm delectantur eloquentia, & olim à foro prohibebantur. 17. 11.

Rhetoricæ partes ſunt Inventio, Diſpoſitio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio, conferuntur cum acie ordinata, ſeu exercitu ritè inſtituto. 21. 1.

Rejectio eſt figura, quâ plura narramus, quæ poſtea rejicimus. 424 29.

Reprehenſionis medela commendatur. 180. 121.

Reſtio contorquet funes, laqueos, reſtes, rudentes, nauticos, anchorarios, ductarios, tomices. 458. 3.

Rete ventos venari, eſt fruſtra niti. 220. 319.

Ritus varij Priſcorum, & quid roboris obtineant in oratione. 282. 1. & ſeq.

Roſæ Hierichuntinæ nocte natalitia Chriſti Domini reviviſcunt & aperiuntur. 252. 8.

Roſarum variæ ſpecies recenſentur, & deſcribuntur. 252. 8.

Sacer-

S.

SAcerdotibus à viris principibus ſuppeditanda ſunt neceſſaria ad victum, & veſtitum 636. 21. Sacerdotes honoribus inſigniendi, Angelis comparantur. 636. 23.

Sacerdotalis unctio homines evehit, ac efficit Chriſti ſucceſſores, cujus perſonam, & vices agunt Sacerdotes, cum in altari conſecrant. 637. 25. Sacerdotes non ſolùm ſplendent in Dei dextera; ſed etiam ſedent, ut in regio ſolio, regali dignitate inſigniti. 637. 26.

Salomon, cur januas, per quas in templo patebat ingreſſus ad oraculum ex ligno oleæ conſtrui voluerit; 580. 32.

Salmoneum ferocia, & confidentia ſuperare, in quem torqueatur. 208. 51.

Saliares apponere dapes quid ſit. 220. 320.

Salmonæi honores quærere, in quos torqueatur. 220. 321.

Salillum animæ apud Plautum quid. 220. 322.

Samiorum mala metuere, quibus congruat. 220. 323.

Sardanapali mores induere; eſt ſenſui, ac voluptatibus indulgere. 220. 324.

Sardonicus riſus dicitur de ficta, & amarulenta mundi lætitia. 220. 325.

Saturni podex, de quo olim diceretur. 220. 326.

Saturno compedes dicare eſt libertati reſtitui. 220. 327.

Scarabæi terreri umbrâ eſt inani terrore corripi. 220. 328.

Samſon virorum fortiſſimus uni cedit fœminæ, à Dalila fortitudine ſpoliator. 574. 19.

Saulis remorſus conſcientiæ ob perſecutionem, & invidentiam, qua Davidi infeſtus fuit. 596. 27.

Saul quia pepercit Agago à Deo punitur. 586. 24. Saul Davidem perſequitur. 587. 25.

Scriptura ſacra eſt medicum myropolium, in quo pharmaca omnia reperiuntur. 523. 3.

Scriptura ſacra ſolum Deum habet authorem: & tota è divinæ ſapientiæ fonte ſcaturit. 193. 1. & ſeq.

Scripturæ divinæ juxta Iſidorum Peluſiotam ſunt prata feliciſſima, per Athanaſium, & Caſſiodorum horti amœni, ac pomiferi; præferuntur hortis Heſperidum, & Alcinoi. 193. 2. & ſeq.

Scripturis ſacris nil ad animi oblectamentum jucundius, nil ad prodigiorum enarrationem uberius. 193. 4.

Scripturæ ſacræ fuerunt in magna veneratione apud reges, & principes. 194. 6.

Scripturæ varij ſenſus donantur explicatu. 194. 6. Senſus literalis, & myſticus explicantur. 194. 8. Senſus literalis dividitur multipliciter ibidem. 9. traduntur regulæ cognoſcendi ſenſum literalem. 494. 10. ſignificatur ſenſus literalis rebus imaginarijs. 195. 11.

Sacra ſcriptura, cur Mannæ pariata. 524. 4. cur feretro illi, in quo Chriſtus mortuum adoleſcentem priſtinæ reſtituit vitæ. ibid. 5. Scriptura eſt Panoplia, & armamentarium ibid. 5. Eſt turris è qua mille pendent clypei ibid. 5. Hæc turris Davidica eſt propugnaculis munita. 524. 6. Sacrarum ſcripturarum intelligentia caligines, & tenebras ignorantiæ excutit. 525. 6. Sacræ ſcripturæ veluti fluenta animæ noſtræ tellurem irrigant, ut flores germinet virtutum, & uberrimam bonorum operum ſuppeditet meſſem. Sacræ ſcripturæ pluribus excipiuntur laudibus à SS. Patribus. 525. 1. & ſeq.

Sacra ſcriptura eſt cœlum, in quo ſplendet Sol æternæ Sapientiæ. 525. 2. S. Scriptura monti pariata. 526. 3. Sacra ſcriptura eſt ager ille, in quo Theſaurus continetur omnium divitiarum. 526. 8. Sacra ſcriptura comparata horto exculto. 527. 11.

Scala Jacobo in ſomno objecta typus fuit Virginis Mariæ. 674. 44.

De Scylla in Charibdum transferri quomodo, & de quo proverbialiter dicatur. 207. 34.

Scarabæi verba loqui, quomodo dicatur proverbialiter. 206. 21.

Scintiola ignem accenſura noctilucam, ſeu cincindellam inſufflat putans eſſe ſcintillam ignis argutè deſcribitur. 510. 2. Per deceptionem Zoilus à Martiali pungitur. 510 4.

Seceſſus ab hominum tumultu danti operam ſtudijs pernéceſſarius. 69. 1. Seceſſui literario adnectenda eſt præmeditatio, ne quidquam permittatur è calamo dilabi, ac in lucem prodire, quod non fuerit ſolicitiùs elaboratum. 69. 2.

Senſus tropologicus ſub figurarum, & ſimilitudinum umbris nos docet documenta moralia. 522. 2.

Senſus anagogicus eſt qui arcana Dei, & ſecreta Eccleſiæ per ea, quæ facta ſunt nobis oſtendit. 523. 1.

Schanderbechij gladius Turcæ non profuit, quia brachio, & viribus caruit Schanderbechij. 27. 5.

Senſus allegoricus eſt, qui ſub metaphorarum umbris, ac ſub ſimilitudinibus rerum materialium obtegit myſteria fidei. 523. 2.

Senſus non obvij, è quibus oriuntur argutiæ. 485. 3. & ſeq. Senſus non obvij, & arguti multipliciter fieri poſſunt. ibid. 5. & ſeq.

Senſus non obvius per comparationem. 486. 6.

Senſus non obvius per ſynonima. 486. 7. Senſus non obvius per accerſitam eruditionem. ibid. 8.

Senſus non obvius per verborum luſus. ibid. 9. Senſus non obvius per allegoriam. ibid. 10.

Sententiæ veterum plurimum obtinent momenti in corroborandis oratorijs argumentis. 171. 3. Sententia quid ſit; explicatur ejus definitio. 172. 5. Producuntur variæ ſententiæ moribus ritè inſtituendis aptæ. 172. 5. & ſeq.

Sententiæ propoſitioni amplificandæ plurimum adferunt emolumenti, & ponderis. 254. 1. & ſequent.

Sententiæ plerunque per epiphonema inferuntur orationi. 254. 2. Si vicem gerant cauſæ rei. 255. Si ex poſitione unius alia oppoſita referatur. ibid. 4.

Semper inops quicunque cùpit, eſt adagium, quod avaris congruit. 207. 39.
Serò Jupiter diphteram inſpexit. 220. 329.
Seraphini quomodo ante Thronum Dei ſimul ſteterint, & volaverint. 653. 21.
Sibyllæ folium invenire, quid ſit. 220. 331.
Sileno ſe jungere, eſt vini immodici hauſtu mentis aciem obtundere. 220. 332.
Sirenulis aures denegare, eſt non ſinere ſe à mulierculis allici. 220. 333.
Sirenum in ſcopulis impingere, eſt voluptatibus vinci. 220. 334.
Siſyphi volvere ſaxum torquetur in laborantes insni labore. 220. 335.
Signa plura exhibentur, quæ eleganter ponuntur pro rebus ſignatis. 406. 4. & ſeq.
Siſyphus in montem faciliùs urgeret, dicitur de irrito conatu. 207. 32.
Smindiride delicatior de juvene molli, & effœminato. 220. 336.
Smyrnæ collapſæ lamentatoria oratio ex Ariſtide. 371. 68.
Solaris ecclypſis quomodo contingat. 145. 6.
Solitudinis torridæ ab adiũctis deſcriptio. 116. 8.
Socrates quos habuit diſcipulos mutas voluit imitari ſtatuas. 500. 20.
Solimanus Imperator Turcarum Stephanum Infantem Regium petit, quem matri viduæ non reſtituit, niſi Budam ei cedat, ſub pretextu quod non poſſit ipſa urbem defendere. 289. 17.
Socrates ab Athenienſibus coactus ad bibendam cicutam. 429. 1.
Sorites ut rectè concludat aliqua ſunt ſervanda. 234 5.
Sorites eſt argumentatio, quæ acervatim multas involuit argumentationes. 228. 7.
Spartam, quam nactus es, hanc orna, eſt bene fungi ſuo munere. 220. 338.
Spartana mulier aliam noluit dotem marito dare, quam ipſam pudicitiam. 511. 10.
Species multifariè ſumitur, & quomodo Orator ab hoc loco ſua conficiat argumenta. 146. 1. & ſeq.
Spes non ſolùm gaudet in plantæ adoleſcentis vireſcere folijs; ſed etiam amat diteſcere fructibus. 145. 16.
Spes virtus Theologica moralibus exculta argutijs vireſcit vegetior. 540. 1.
Spes eſt actus voluntatis appretiativus circa bonum difficultatibus obſeptum. 540. 1. Abraham contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret pater multarum gentium. 540. 2.
Spes alit, & fallit adagium eſt, quod jacitur in collocantes ſpes ſuas in rebus caducis. 207. 37.
Spes, quâ virtutum cultores aluntur non in imo vallium viret, ſed in celſitudine montis floret. Talis fuit ſpes, qua Joachimus, & Anna nutriebantur prolis ſuſcipiendæ. 540. 3.
Sperantes in Deum, cur dicantur pennas aſſumere, ut Aquilæ. 545. 5.
Spes in Deum montes difficultatum ſolo æquat, ac in planitiem redigit. 542. 8. Sermones ſperantium in Deum non delentur. Explicatur *Job* 19. 23. *Quis mihi tribuat, ut ſcribantur ſermones mei &c.* Spes eſt, quâ fulcimur proficiſcentes ad cœleſtem Patriam. 543. 10. Spes in Deum ſæviente procella naufragium non patitur. 544. 11. Spei Symbolum eſt ovum, quod pulli eſt rudimentum. 544. 12. Spes fœcunditatem promovet. ibid.
Sperans in Deo eſt veluti arbor frugifera, quæ ſuas in feraci tellure radices agit. 545. 14.
Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie viſus amplificatur per confutationem comparativè. 270. 8.
Sphœra Archimedis miro artificio fabrefacta. 140. 22.
Sponſa cur conqueratur de vulnere ſibi inflicto à ſponſo non diſtricto gladio, ſed colli crine? 657. 33.
Sponſi olim coronis donati, ac redimiti ob excultam ante nuptias caſtitatem. 771. 23. Imo & ipſa ſacra ſponſa ob caſtitatis culturam meruit coronari. 771. 24. Et cur à ſponſo ter vocata ad coronam. ibid.
Sponſa à ſacro ſponſo, cur in teſſeram amoris nonniſi oſculum petierit. 573. 15.
Sponſæ Ilienſes ad Scamandrum fluvium ſordes corporis abſtergere conſueverunt. 368. 42. Sponſæ Dardanes in Illirico degentes antequam matrimonium inirent abluebantur. ibid. 43. In Beotia mos fuit quo ſponſæ aſparagonia ſe obvelarent. 368. 45. Sponſæ, cur olim olea coronarentur. ibid. 46. Sponſi itidem coronâ conſueverunt inſigniri. 368. 48. Viguit mos iſte etiam apud Hebræos. ibid. 49.
Sphingem objicere, eſt proponere difficultatem explicatu difficilem. 220. 339.
Statuaria affinis eſt arti pictoriæ. 459. 4.
Statuæ aliæ lapideæ, marmoreæ, aliæ ære fuſæ 459. 5.
Statica eſt ars, quæ verſatur circa pondera. Explicantur partes ponderum. 469. 41.
Stellarum proprietates recenſentur, & comparantur virtutibus viri inſignis. 362. 16.
Stellati equites in Gallia quomodo fuerint inſtituti. ibid.
Stemmata nobilium uberrimam ſuppeditant argutandi ſegetem. 512. 17. Stemma exhibens figuram accipitris. 513. 18.
Stemma exhibens campum culturæ paratum. ibid. 19. Stemma exhibens vernantes Roſas. 513. 20. Stemma repræſentans cygnum. ibid. 21. Stemma exhibens cœli ſydera in zodiaco. 514. 22. Stemma præſignas ſagittas ab arcu emiſſas. ibid. 23. Præferens corvos. 514. 24. Stemma inſignitum equis. ibid. 26. Stemma exhibens turres. ibid. 25. Stemma Reipublicæ Venetæ inſignitur leone, à quo plures deducuntur argutiæ. 515. 27. Plures exhibentur eruditiones à proprietatibus leonis. 515. 27. Sermo animi eſt imago. 519. 20. Suus quiſque hæres. 519. 21.
Stemmata nobilium uberem aperiunt allegoriarum campum. 361. 9. & ſeq.
Senſus myſticus, qui & ſpiritualis dicitur quomodo definiatur. 195. 13.

Senſus

Senſus Tropologicus explicatur. ibid. 14. & ſeq. Subjiciuntur varia exempla. ibid. 14.

Senſus Allegoricus ſub metaphorarum umbris, rerúmque materialium ſimulacris nos docet myſteria fidei, quæ ad militantem Eccleſiam pertinent. 195. 17.

Senſus Anagogicus eſt qui arcana Dei, & ſecreta cœleſtia, per ea quæ facta ſunt, nobis oſtendit. 196. 20. Unguentum Magdalenæ expenſum in ſenſu anagogico. 196. 21.

Senſus varij ſacræ ſcripturæ ſunt locupletiſſima Aurifodina, ex qua hauriuntur conceptus prædicabiles. 196. 22.

Sententiæ plures ſelectæ decerptæ ex Seneca producuntur. 48. 21. & ſeq.

Sententia una, & eadem multipliciter variatur Grammaticaliter, Rhetoricè, Logicè, & alijs modis. 30. 1. & ſequent. imò etiam per plures eruditiones. 33. 16.

Sententiæ invertendæ ratio per tranſlationem omnium proprietatum, ac partium ſubjecti in aliud, cui tantùm metaphoricè conveniunt. 33. 1. & ſeq.

Sententia eadem multipliciter variatur per figuras patheticas. 35. 1. & ſequent.

Sententia eadem quomodo multipliciter varietur per ſeries argutiarum. 38. 1. & ſeq.

Spatina formoſior de adoleſcente venuſto, & caſto. 220. 340.

Spiritus S. in prima mundi molitione, cur ferri voluerit ſuper aquas, veluti navis? 574. 16.

Statuæ plures Oratoribus dicatæ præſertim Athenis Demetrio Phalereo, Romæ Numeriano Rhetori, & Proæreſio eloquentiſſimo; in Grecia Zenoni, Ariſtoteli. 7. 6. & ſeq.

Staſicrates lapidicida haud ignobilis montem Athum in ſtatuam Alexandri ſcalpere moliebatur. 43. 5.

Stylus quomodo excolendus in quolibet dicendi genere. 73. 1. & ſeq. De ſtyli multiplici ratione. 74. 3.

Stylus miſcellaneus qualis: eum imperiti adoleſcentes adhibent, rati ſe eloquentiæ culmina aſſecuturos, ſi cæterorum virtutes ſimul nectant. 74. 3. Stylus inflatus quomodo definiatur à Longino. 75. 5. Stylo qui utuntur inflato nonniſi ineptias, & nugas phaleratas effutiunt, & tumidas exhibent auxeſes. ibid. Stylus tragicus ſuper cothurnos inflatus, qui dicatur. 75. 5. Stylo inflato affinis eſt Aſiaticus verborum redundantijs, ſenſuúmque aggeſtu laxiſſimus. 75. 6. Stylus frigidus qui dicatur. 75. 7. Stylus puerilis cæterorum vitia agglomerat. Pleraque exhibet frigida, tumida, vanida, quæ parum, vel nihil ad inſtitutum faciunt. 75. 8. Stylus qui Parenthyrſus dicitur, qualis ſit, & quomodo differat à puerili. 76. 9. Stylus grammaticalis, quo utuntur ſyntaxeos profeſſores. 76. 10. Stylus Poëticus qualis, & an juvet ſtylum oratorium. 77. 11. Stylus allegoricus, qui & Periphraſticus dicitur eſt continuata metaphora. Hoc ſtylo Grammatica ſub metaphora navis deſcribitur. 77. 15.

Stylus humilis, & rudis eſt, qui neque dicendi amœnitates, nec elocutionis venuſtates, nec mentis acumina, nec verborum luſus continet. 78. 8.

Suaſionis, & diſſuaſionis œconomia expenditur. 390. 14. ab argumentis ſuaſionis ſuperflua, & futilia ſunt amputanda. 390. 14.

Styli optimi characteres indicantur. & expenduntur. 79. 1. & ſeq. Styli concionalis optimus character indicatur, & invehitur in fucatos concionatores. 83. 1. & ſeq. De varijs ſtyli concionalis characteribus. 87. 1. & ſequent.

Subjectum ſumitur pro perſona, quam orator tueri, vel damnare intendit. 165. 1. Ab animi adjunctis nervoſa conſtruuntur argumenta. 165. 2. Ab adjunctis corporis Martialis Zoili impudentiam redarguit. 165. 5.

Sophocleo cothurno incedere quid ſit. 220. 337.

Superbia mortis recordatione detumeſcit. 598. 32.

Suſtentatio eſt figura, quâ diu ſuſpenduntur animi auditorum. 424. 24.

Syllepſis fit cum duabus, diverſiſque ſententijs, & rebus unum datur verbum, quod interdum utriſque convenit. 418. 5.

Syllogiſmus in oratione quomodo conſtruendus. 228. 1. & ſeq. Quomodo dividatur in quinque membra, ut latior pateat amplificandi campus. ibid. 3. & ſeq. & ſubjicitur praxis. 4. & ſequent.

Synedoche eſt tropus plurimum habens aucupij. 404. 1. & ſeq. Fit octo modis, ſi ſumatur pars pro toto, vel totum pro parte. Vel ſingularis numerus pro plurali. Vel pluralis pro ſingulari. Vel genus pro ſpecie. Vel ſpecies pro genere. Vel materia pro re conflata ex illa. Vel cum ex antecedentibus ponuntur conſequentia. 404. 2. & ſeq.

Sylva, ut paretur debent per litteras Alphabeti res inventæ, lectæ, ſelectæ, auditæ ſcribi in libro ad id parato ex folijs albis. 43. 5. in quo ſingula ſelecta quæ poſſunt oratori inſervire notanda ſunt in proprijs literis initialibus ut Amor ſub litera A. Bellum ſub B. & ita de cæteris. 44. 6. Authores qui ſint legendi in Grammatica, Poëſi, oratoria, Hiſtoria, Matheſi, 45. 10. & ſeq.

Sybariticam ſtruere menſam, indicat luxum in epulis. 220. 241.

Sycomorus eſt ficus fatua fidei ſignificans eminentiam. 537. 8.

Syneciosis figura eſt, in qua duæ res diverſæ ad unum referuntur verbum. 418. 6.

Sylva rerum, quæ leguntur, vel audiuntur, quomodo paranda ab eloquentiæ Profeſſore. 42. 1.

Synonymia eſt figura, quâ verba idem ſignificantia ſimul nectuntur. 417. 9.

T.

Tabitha mulier benefica in pauperes mortua fuſis precum à D. Petro reſuſcitatur. 580. 31.

Taciturnior Pythagoræis dicitur de ſummè taciturno. 220. 344.

Tagum ſi totum biberet, adhuc ſitiret. 221. 347.

Tana-

Tanagræus cœtus, dicitur de homine obeſo. 221. 346.

Tanteleum poculum libare quomodo parœmialiter dicetur. 207. 36.

Tenteli eſt domus, ſeu funeſta familie infortunijs obnoxia. 221. 348.

Tentali pomis, & laticibos diteſcere. 221, 349.

Tapinoſis rei magnitudinem verborum minuit humilitate. 465. 5.

Tautologie verba ineptè iterer non ſine orationis deturpatione. 465. 5.

Teuri incolere montem, eſt loco inhoſpitali degere. 221. 350.

Telum eripere, non dare irato decet. 521. 38.

Telephi vulnere ſaucins dicitur de morbo inſanabili. 221. 352.

Thaletis ſpeculantis motus cœlorum lapſus in ſcrobem, & mulierculæ argutum effatum. 492. 3.

Theagenes hecateum torquetur in ſuperſtiſioſos. 221. 353.

Theſeus inter ſecunda, Protheus inter adverſa, torquetur in fucatum emicum. 208. 41.

Themiſtocles, cur pariatum ſe voluerit Platano. 674. 44.

Theodoſii Imperetoris liberalitas laudata à Latino Pecato. 283. 26.

Theodoſiue Imperator ob veneretionem propria manu aureis characteribus Evengeliorum volumen elegentiſſimè ſcripſit. 194. 5.

Theodoſius Imperator diurnis librorum lectionibus addebat nocturnas. 41. 6.

Theophraſtus, cui nomen dedit loquendi divinitas, eloquentiæ amœniores flores excoluit. 401. 5. D. Thomas Aquinas per periphraſim landatns. 307. 15.

Therſitæ facies dicitur de prodigioſè deformi. 221. 354.

Theſalorum commentum ſumitur pro te infida. 221. 355.

Thulem oltimam petere, eſt longè à patria exulare. 221. 356.

Temperantiæ notio, & commendatio. 283. 27. & ſequent. Temperetiâ claruit præ cæteris Philoſophis Diogenes Cynicus. 283. 28. Recenſentur Philoſophi cultura temperantiæ illuſtres. ibid. Tempeſantia ex varijs capitibus lendatur. 284. 29. & ſeq. Temperentiâ floruit Joſeph in Ægypto. ibid. 31. Temperantia clypeue caſtitetis. 285. 32.

Temperentia laudibus excipitur. Eſt pharmacum conſervativum humanæ vitæ. 749. 1.

Temperentia eſt virtus Cardinalie moderetrix earum paſſionum, quæ verſantur circa delectabilia corporis ſecundùm ſenſum tactûs in uſu cibi, & potûs. 750. 2. Ubi temperantia abeſt, ibi mors eccelereta venit. ibid. 4. Deus in deſerto eſurienti populo Iſraëlitico eſculente ſuppeditavit è cœlo demiſſa; ita tamen ut quisque ad ſobrietatem, non ad ſatietatem colligeret. 751. 5. Temperantiæ materiala objsctum ſunt delectationes, & triſtitiæ ortæ ex objectis guſtatilibus, & tactilibus. 752. 9. Regula ſtatuenda in exercitio temperantiæ deſumitur ex neceſſitate corporis. 754. 11. Eſculentis, & poculentis utimur, ut fruâmur bona corporis valetudine. 753. 13. Partes Temperantiæ integrales, & ſubjectivæ, ac potentiales. 753. 14. & ſequent. Chriſtus pluries nos edocuit virtutem temperantiæ. 754. 16. Natura ipſa nos edocet exercitia temperantiæ. 754. 18. Menſura juxta regulas Temperantiæ in eſculentis, & poculentis unde deſumenda. 755. 19. & ſequent.

Temperantia uberrimam ſuppeditat materiam texendi ergumenta in genere deliberetivo. 389. 6.

Temporis perpenſio per partes ſucceſſivas, nos edocet quàm inania, quàm futilia ſint mundi commoda. 592. 11. Vita hominis flori pariata ſolſtitiali. 592. 11.

Tempus ſtudijs impendendum accommodatius eſt matutinum, etiam antelucanum, vel Aurore, quæ aurea eſt hora ſtudioſis. 465. 5.

Tempus quid, & quomodo Orator ſua à tempore deſumat argumenta. 159. 12. Tempus bipartitur in internum & externum. ibid. Temporis partes recenſentur, & expenduntur. 160. 2. & ſequent. Tempus eſt utiliter impendendum. 161. 9. Tempus ut pertinet ad Rhetoricam eſt unum ex adjunctis, quod tum ad argumenta conſtituenda, tum ad amplificationes dilatandas plurimum habet momenti. 162.

Tempus quomodo repræſenterur, ut cadat ſub ſenſus. 203. 4.

Teſtimonia veterum plurimum obtinent roboris in corroborandis argumentis. 171. 1. & ſequent.

Tincture Cyzicena apud Atticos erat dedecus non eluendum. 221. 360.

Tiræſia cæcior torquetur in luſcum. 221. 361.

Toreutice eſt ara conficiendi toreums, ſeu opus torno factum. 453. 4. & ſeq.

Totum quid ſit, & quomodo à toto ſua orator heuriet ergumenta. 150. 2.

Tranſitionum plures formulæ edhibendæ in orationibua in genere demonſtrativo, & judiciali. 312. 8.

Treviros dehortatur Salvianus gravi oratione à petendis ludis Circenſibus. 363. 2e.

Tribulationes nobis à Deo immittuntur, quò inde occaſio nobis detur incrementa augendi meritorum. 739. 14. Tribuletionibus Virtus Jobi ſplenduit mundo clarior. 738. 12. & ſequent.

Tribulationes non obſunt tribulatis, ſed proſunt. 341. 11. & ſeq.

Tribni Levi, cur non permittatur à Deo poſſeſſio terræ, ſicut alijs Tribubus. 635. 16.

Troieno ex equo prodire paræmialiter dicitur de inſidijs. 221. 364.

Trophonij ex antro prodire, torquetur in hominem tetrum. 221. 365.

Tropus qoid ſit, & quotuplex. 403. 1. & ſeq. Tropi verborum & ſententiarum explicantur. ibid.

Tropi qui fiunt in oretione ſunt quinque Allegorie, Ænigma, Periphreſis, Hyperboton, Hyperbole. 408. 1.

Tucidides cœpit argutiarum ſale inſipidas con-

dire

dire orationes, quæ è ſuggeſto ad populum habebantur. 477. 1.

Turcæ famuli in recipiendis verberibus ſuis ab heris non ſolùm taciti patienter tolerant, ſed etiam manus exoſculantur verberantis. 617. 48.

Turtur habebatur Symbolum mulieris pudicæ. 200. 12.

Typographia eſt ars imprimendi libros, mediante valida compreſſione. 459. 6. Typographiæ inſtrumenta, & artifices recenſentur, ac eorum officia indicantur. ibid.

V.

VAdimonium deſerere, torquetur in eum, qui ſuæ non ſtat ſponſioni. 221. 367.

Valere Pancraticè dicitur de bene valente apud Plautum. 221. 370.

Variari multipliciter poteſt eadem propoſitio Grammaticaliter, Rhetoricè, & Logicè. 31. 1. & ſeq.

Ubera ſponſæ duobus comparantur teſtamentis. 526 4.

Ubi amici, ibi opes: quia veri amici plus adferunt emolumenti, quàm opes congeſtæ, 222. 377.

Ubi quis dolet, ibi & manum habet. 222. 378.

Ubi mel, ibi fel. 518. 14. Virtuti fortuna comes. ibid. 15. Vincit bis, qui ſe vincit. ibid. 16.

Ucalegon ardet proximus: ſeu periculum imminet. 281. 36.

Vela ventis permittere, eſt ancipitem eventum experiri. 222. 381.

Velocem tardus aſſequitur, congruit viribus imbecilliori, arte vincenti fortiorem. 222. 384.

Venatio ſua Rhetori mutuat inſtrumenta ad elegantias aucupandas pro ornatu orationis. 440. 4. & ſeq.

Venatus ſua illicia Rhetori ſuppeditat, ſi ritè ejus termini rebus aliis accommodentur. 440. 6.

Verbis conceptis peierare, eſt ſanctè, ac religiosè ſe obligare. 222. 389.

Veris deſcriptio a partium enumeratione. 153. 12.

Veneris amulethum meditatio eſt Noviſſimorum. 770. 19.

Venereum jusjurandum torquetur in amaſios ſpondentes impoſſibilia. 222. 385.

Venire ad ſummam lineam; eſt perveniſſe ad extremum. 222. 386.

Venter auribus caret. Contra famem nulla contradictio. 222. 387.

Vento loqui eſt verba proferre inania abſque ullo effectu. 222. 388.

Veſpa cicadæ obſtrepens torquetur in certantem contra ſuperiorem, cui viribus eſt impar. 221. 371.

Veſtium multiplex cultus Rhetori exhibet orationis ornatum, 441. 1. Luxus in cultu veſtium varius, & multiplex ſemper fuit. 443. 4.

Veſtes mulierum quæ? 443. 3. corporis indumenta intima, & extima. 442. 2. Capillorum ornatus varius. 443. 5. canities veneranda adſcititio corrumpitur colore in ſene, quem Alexander Macedo corripuit quia ex cygno maluit corvus fieri. 443. 5. Muliebris ornatus recenſetur. 444. 6.

Veſtium tum virorum, tum mulierum ornatus plures ſuppeditat rhetori elegantias orationi ornandæ accommodatas. 444. 7. & ſeq. Metaphoræ elegantes deſumptæ à veſtibus. ibid. 8. à re veſtiaria plura deſumuntur adagia. 445. 9. Materia multiplex veſtibus conficiendis perapta. Veſtes ſericæ cæteris molliores. 445. 2. Veſtes lineæ fiunt ex lino, vel cannabe, ſeu herbis, quæ in campis ſeruntur, & maturæ evelluntur. 445. 3. Laneas veſtes artifex conficit lanarius. 446. 4. Ad artes veſtiarias pertinent ſegmentarij, ſarrores, Interpolatores, Patagiarij, Reticularij, Nodarij, Pileones, Coriarij, Alutarij, ſubactores, Pelliones, Sutores. ibid. 5. explicantur eorum officia. 446. 6. & ſeq.

Veſtales virgines conſueverunt Romæ Kalendis Januarij novum accendere ignem. 382. 108.

Venatio innocens principis exercitium commendatur. 277. 6. & ſeq.

Vibius Rufus Senator Romanus nomen ſibi comparaturus inſignis oratoris Ciceronis uxorem viduam duxit. 30. 1.

Vienna Auſtriæ à Turca obſidione cingitur, ſed fugatur Turca. 349. 6. & ſeq.

Victoria delata à Maximiliano Emanuele Bavariæ Duce ad radicem Arſani montis contra Turcas. 351. 9.

Vincinarius ex viminibus decorticatis ſerpat, implicat, texit corbes, calathos, ſportas, & alia. 453. 1.

Vincula Tyrrhena dicebantur negotia odioſa. 222 392.

Vino vendibili ſuſpenſa hedera non eſt opus. 221. 372.

Virginitas quamvis in carne emortua, non tamen otio marceſcit. 773. 29.

Virgines Ilienſes viro nupturæ ad ſcamandrum fluvium conſueverunt ſe abluere corporis ſordes exuturæ. 368. 42. Dardanes etiam puellæ in Illyrico degentes antequam matrimonium inirent abluebantur; quæ ablutio nuptialem indicabat puritatem. 368. 43.

Viri fortes fuerunt cuſtodes lectuli Salomonis quia virtutem præſertim pudicitiæ excoluerunt. 731. 25. Non militum multitudo, ſed ſola virtus in bello ad victoriam ſibi viam ſternit. ibid. 26.

Virtute duce, comite fortuna. 222. 395.

Virtus ſine adverſario marcet. 521. 34. Virtute decet non ſanguine niti. 520. 27.

Virtus moralis definitur, & explicatur. 518. 1. Virtus multipliciter laudatur à SS Patribus. 528 2. & ſeq. Virtutis lacrymæ dum ſeorſum cadunt, ſurſum evehunt. Fiunt panes. 519. 4. Virtuti tribuitur alarum protectio. 529. 7. Virtutes pariantur veſtibus, quibus tegimur. 530. 9.

Virtutis

Virtutis veſtis nunquam exuenda, jugiter retinenda, ac ſervanda. 531. 11.
Virtutes ſunt unguenta ſuaviter olentia, & quibus vulnera noſtra curantur. 531. 13.
Virtutes ſunt arma, quibus munimur, & pugnamus contra inimicos. 532. 15.
Virtus pariata arbori, quæ ex fructibus dignoſcitur. 533. 18.
Virtutes cum bono odore comparatæ. 268. 5.
Vivere diu in ſenio, eſt diu torqueri. 591. 9.
Ultra crepidam non audeat Sutor, ſeu non judicet quis de ijs, quæ ſunt extra ſuam profeſſionem. 222. 394.
Ultra Epimenidem dormire, torquetur in eos, qui jugi marceſcunt otio. 221. 374.
Ultra penſum vivere quid ſit. 222. 396.
Ululas Athenas mittere; illis congruit mercatoribus, qui merces ad eos deferunt, qui iiſdem abundant; quo pacto dicuntur deferre ligna in ſylvam. 222. 297.
Unde venit fabarum arroſor quale adagium, & in quem torqueretur. 222. 380.
Umbra mortis intelligitur mors temporalis corporis, quam juſti æquè, & iniqui ſobeunt. 536. 6.
Volucrum cæterarum plumæ deſtruuntur, & pereunt, ſi iiſdem illæ adnectantur aquilarum. 542. 6.
Volucres ova fovent, ſimúlque prolificant. 544. 12.
Voluptas carnalis eſt hilaris pœna, læta afflictio, blanda mors. 98. 8. & ſeq.
Una domus duos non nutrit canes. Torquetur in eos, qui inter ſe non conveniunt. 223. 399.
Ungues in ulcere, eſt renovare dolores. 223. 401.
Unicum arbuſtum haud nutrit duos erithacos. 223. 403.
Unum in occipitio oculum gerere quid ſit, 223. 404.
Unus vir nullus vir, de quo dicatur. 225. 405.
Volam pedis oſtendere de fugitivis in bello ob timiditatem. 223. 406.
Voluptas venerea multipliter comparata cum rebus, quæ ſimul placent, & nocent. 497. 14.
Vana ſine viribus ira. 517. 9.
Vox ſemel emiſſa neſcit reverti. 206. 14.
Upupa cum cygnis cantu certat. 222. 391.
Uranoſcopia eſt ſcientia ſideralis inveſtigans corporum cœleſtium proprietates. 465. 7.
Uſque ad ravim, eſt uſque ad ſatietatem. 223. 416.
Uſque ad aras amicus, ſeu citra Numinis offenſam. 222. 376.
Uſus quid, & quomodo orator ab hoc loco ſua eruat argumenta. 162. 10. & ſeq.
Ut canis de Nilo bibere, de iis dicitur qui non niſi perfunctoriè aliquid addiſcunt. 223. 411.
Utilitas duas continet partes incolumitatem, & felicitatem. 389. 2. Ab utili potiſſimum deſumuntur argumenta in genere deliberativo ad ſuadendum. 389. 2.
Utrem cædere eſt inanibus minis obſtrepere. 222. 390.
Vulpes bovem agit, torquetur in eum, qui rem agit non pertinentem ad proprium inſtitutum. 213. 413.
Uxoris dos non opum copia, ſed virtutis ornatu, & cultura penſanda eſt. 368. 51.

X.

XAntippe moroſior torquetur in uxorem jurgioſam, & moleſtam. 223. 416.
Xenocratis caleolus dicitur de homine avaritia ſordido. 223. 417.

Z.

ZAchæus perventurus ad perfectionem, ac veram Sapientiam conſcendit ſycomorum. 537. 8.
Zachæus dimidium bonorum diſtribuens pauperibus cœlorum Regnum mercatur. 578. 27. Zachæus fluctuans in divitiarum pelago à beneficentia ad malaciam perducitur portûs. 578. 28.
Zeno Philoſophus accuſatus, quòd in Nearchi Tyranni mortem conjuraſſet, & juſſus patefacere conjuratorum nomina, amiciſſimos quosque Tyranni nominavit. 492. 3.
Zenone moderatior de viro frugaliſſimo in victo, & veſtitu. 223. 419.
Zephiros audire ſpirare ſecundos: & fortunam experiri ſibi arridentem. 223. 420.
Zeugma eſt figura diſiunctioni contraria. 418. 5.
Zeuxis expreſſurus penicillo in tabula ſpecioſiſſimam mulierem petijt à Crotoniatis ſibi dari quinque ſelectiſſimas virgines, ut à ſingulis ſingulas decerperet venuſtiores formas. 40. 3.
Ziſca Huſſitarum in bello dux moriturus ultima voluntate ſtatuit, ut mortuo ſibi detracta pellis tympano adhiberetur, ut catholicis adhuc eſſet terrori. 492. 3.
Zodiacus eſt in cœlo circulus cæteris amplior inter mundi polos obliquè locatus, & in duodecim ſigna diſcretus, quæ recenſentur. 466. 8.
Zoli dente morderi eſt carpi ab obtrectatore maledico. 223. 421.
Zoroaſtres Bactrianorum Rex vix natus ſubriſit, cum reliqui homines lugeant. 364. 65.

F I N I S.

005663588 Google